

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri


La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

125 - 2 - III 14
402 - 2

Digitized by Google

Es del Colegio de Malasa de
Alcala de Henares año de 1705
en 8. D. O. V. d S Je.



Vor
R 17630

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.

IOSEPHI POLIZZII

E SOCIETATE IESV

PHILOSOPHICARVM DISPVTATIONVM

TOMVS SECVNDVS

EX QVINQVE TRACTATIBVS CONSTANS, in quibus, ea quæ pertinent ad libros Aristotelis de Physico auditu, de Cælo, & de Generatione solertissimè pertractantur.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



PANORMI

Typis Caroli Adamo. M.DC.LXXVI.

Imprimatur Abbas Iannuzzo G. & V.G. Imprim. R. Ioppulus P.

Digitized by Google

PARNORM.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

IOANNI EVERARDO

S.R.E. CARDINALI NIDARDO

Catholicæ Maiestatis apud Sanctam sedem Oratori.

IOSEPHVS POLIZZIVS.

Felicitatis Incrementum.

MEVM hoc philosophicum opus per iniquas Typographorum moras, emori, antequam nascetur, veritum, longioris noctis pensari sibi tenebras gratulatur geminato plurium fautorum, & purpuræ tuæ splendore. Namque ex tribus, in quæ creuit voluminibus, Primo, quod Logicam, tenuem Philosophiæ infantiam complectitur, Illustriss. Senatus Panormitanæ Vrbis, eius inquam Vrbis, in qua nobiles cunas habuit, lucem quodammodo patriam fœneratur, & sanè, vt gratæ solent arbores, quæ onustos fructibus ramos viciniores genitrici telluri vectigales acclinant, debui primas culturæ meæ oleas in coronam educatori solo deferre. Secundo autem huic volumini, in quo de physico auditu, deque ortu rerum, ac interitu, non periturum meridiem sub splendida vmbra patrocinij tui, quod nulla vnquam vi labefactari potest, nisi vultum auertas, ominamur. Tertium enim cum ibi de Anima, ac Metaphysicis agatur, non possum cum omni animo meo non reponere ad pedes, & in tutelam eius ingeniorum Lucinæ, quæ Deo propinquior supra mortalium conditionem assurgit, quæque, & animarum portus, & marium stella salutatur; & mihi ab ineunte ætate auxiliaris in ambigua huius vitæ fluctuatione affulsit. Laudabis hoc meum obsequium, Religiosissime Princeps, quod multo antè comprobasti exemplo, quippe qui propugnaturus immunem ab originaria verecundia Virginem Deiparentem, memor quod solemni, festiueque eius die primam lucem hauseris, doctissimum librum robustis clypeatum argumentis excudisti, & eidem, in cuius defensionem prodibat, fæliciter consecrasti. Vnum hoc ne mireris vereor, quod aditum hunc accedendi ad te confidentiùs mihi aperuerim; nam Ego ignotus tibi penitus vixi; nec tu mihi, nisi, vt omnis heros, ex inclyta fama, per quam toti iam orbi, cognosceris; teque iam vtraque cel-

Digitized by Google

siorem fortuna extra inuidiam, & supra plausum obstupescente liuore, æmuli ipsi suspiciunt: mihi tamen publica Societatis nostræ ara Romæ statutus esse videris: quamobrem nulla te detineat admiratio, si supplicis in morem ad te deuoluor siue quæsitor tutelæ, siue muneris allator; vtrumque enim obsequente animo peragam, & munus quidem, qualecunque id est, tibi offero; præcipue quod plurimum tibi eadem nostra Societas debeat ingenti amore, & maioribus beneficijs in te arctissimè deuincta: Quantum namque illa securitatis in te nunc habet? quantum ornamenti ab Purpura tua, quam amplissimis tuis, & nobilissimæ Nidardorum familiæ in Domum Austriacam, & Christianam Rempublicam meritis debitam, inuitus, abnuensque, nec nisi obstrictus ineluctabili Summi Pontificis præcepto induisti, religiosis lacrymis irrorasti, & modo egregijs, splendidisque virtutibus luculenter exornas? quot præclara exempla, quæ posteris ostentet, ab vno te sibi resplendent: moderati animi, quod difficillimum est, in sublimi rerum fastigio, ex quo supremus primũ Inquisitor, deinde regius, purpuratusque apud Clementem Decimum Orator, arduissimam negotiorum molem secura mente, integerrimoque consilio moderatus es: Sileo intaminatam, splendidamq; illã paupertatẽ in Aula Indicis opibus inundante admirabilẽ: Si quid ex amplissimis dignitatis tuæ sumptibus supererat, quod parsimoniam tuam superabat plurimùm, pauperum ærumnæ, sacræ Diuorum ædes, & Societatis Iesu à te extructum Tyrocinium, munificentissimè sibi erogatum habebant; adeo vt cum tibi discedere ex Hispaniarum Regia visum fuit, nihil tecum, nisi te ipsum ferres, sapiente illo Biante beatior æque, ac illustrior. grandiore fortuna, eo tantum lætus es, instar illius Augusti Cæsaris, quod plures possis fortunare: sed tu hoc quidem ab augustissimis Leopoldo, & eius Regina Sorore Maria Anna, quorum Cæsaream pueritiam probissimus Doctor erudiebas, didicisti: hauriebant illi à te innocentes literas, & sapientem pietatem, tu grandium animorum consuetudine capax per indolis tuæ nobilitatem regiarum virtutum discebas magister ab illis liberalitatem, munificentiam, parcere victis, extollere depressos. Extollas, precor, humile hoc meum munus, & felicior viuas.

Digitized by Google

ANDREAS DE PVTEO

PRÆPOSITVS PROVINCIALIS

Societatis Iesu in Regno Siciliæ.

POteſtate ad id mihi facta à P.N. Ioanne Paulo Oliua Generali Præpoſito, quoad me ſpectat, facultatem concedo, vt mandetur typis liber, cui titulus R. P. Ioſephi Polizij Societatis Iesu Philoſophicarum quæſtionum Tomus Secundus: virorum grauium, atque ſapientum eiuſdem Societatis iudicio examinatus, & approbatus; ſi ita videbitur ijs ad quos ſpectat. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Societatis noſtræ munitas dedimus. Panormi. die 29. Martij 1673.

Andreas de Puteo.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX TRACTATVVM,

DISPVTATIONVM, AC SECTIONVM,

QVAE IN HOC SECVNDO VOLVMINE CONTINENTVR.

IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS

De Physico Auditu.

Proemium: pag. 1.

TRACTATVS I.

De obiecto Physicæ, eiusque principijs.

DISPVTATIO I.

De obiecto Phisicæ adæquato. p. 2.

Sect. I. An obiectum adæquatum Phisicæ sit substantia naturalis finita 2.

Sect. II. An obiectum physicæ sit ens mobile, sub se compositum substantiale; nec non etiam materiam, & formam comprehendens. 3.

Sect. III. Vtrum ens mobile sub se compositum substantiale, & accidentale comprehendens, sit obiectum adæquatum physicæ. 4.

Sect. IV. Vtrum ens mobile tum substantias, tum accidentia materialia cõprehendens, sit obiectum adæquatum physicæ. 6.

Sect. V. An obiectum adæquatum physicæ sit intelligibile naturale, quatenus sub se non solùm entia realia naturalia, sed etiam earum priuationes, & chimæras ex eis cõstãtes cõplectitur. 8.

Sect. VI. Num adæquatum physicæ obiectum sit corpus mixtum, vel corruptibile. 10.

Sect. VII. An obiectum phisicæ sit corpus naturã habens. 11.

DISPVTATIO II.

De principijs corporis naturalis in communi. 14.

Sect. I. Quid, & quotuplex sit principium in genere. 14.

Sect. II. An corpus naturale habeat principia. 15.

Sect. III. Quot, & quænam sint huiusmodi principia. 16.

Sect. IV. Quænam primario sit principium per accidens compositi in facto esse. 19

Sect. V. Soluuntur obiecta in contrarium. 21.

Sect. VI. Traditur, & explicatur principiorum physicorum definitio. 22.

Sect. VII. Soluuntur obiecta contra traditam explicationem. 23.

Sect. VIII. Examinantur aliorum explicationes circa particulam, Ex. 24.

DISPVTATIO III.

De conuenientia, quam tria principia physica inter se habent. 28.

Sect. I. Aliqua supponuntur, & punctum controuersiæ aperitur. 28.

Sect. II. Statuitur, & probatur nostra sententia. 29.

Sect. III. Proponuntur, & soluuntur obiecta contra nostram sententiam. 31.

DISPVTATIO IV.

An, & quid sit Materia prima. 37.

Sect. I. De varijs materiæ acceptionibus. 37.

Sect. II. An detur in rerum natura materia prima. 33.

Sect. III. Quid sit materia prima. 38.

Sect. IV. Corollarium in quo tres absurdæ sententiæ de essentia materiæ primæ cõfutantur. 39.

Sect. V. In quo consistat ratio subiecti. 40.

Subsect. I. Variæ sententiæ de ratione subiecti cõfutantur. 40.

Subsect. II. Statuitur nostra sententia. 44.

Subsec. III. Difficultates solutæ. 47.

DISPVTATIO V.

De potentia materiæ primæ. 51.

Sect. I. Pro intelligentia quæstionis nonnulla præmittuntur. 51.

Sect. II. An potentia receptiua formarum substantialium sit de essentia metaphysica materiæ. 52.

Sect. III. Expenditur paritas inter potentiam receptiuam materiæ, & intellectiuam animæ rationalis contra Giattinum, & Arriagam. 54.

Sect. IV. An potentia substentatiua formarũ substantialium sit de essentia metaphysica materiæ primæ. 59.

Sect. V. Qua ratione potentia materiæ formas substantiales respiciat; determinatè ne, an verò indeterminatè? 61.

Sect. VI. Afferuntur, & soluuntur obiecta in cõtrarium. 63.

Sect. VII. Vtrum potentia ad formas accidentales sit de essentia materiæ. 66.

Sect. VIII. De appetitu materiæ ad formas. 70.

Digitized by Google

INDEX

D. [illegible]

Vtrum materia propriam habeat exi-
stentiam. 72

Sect. I. Nonnullis præloppositis, aperitur status quæstionis. 72

Sect. II. Eligitur à nobis sententia negatiua, & probatur. 74

Sect. III. Affertur tertia conclusionis nostræ probatio, & expenditur fundamentalis quædam ratio P. Mazziottæ. 76

Sect. IV. Affertur vltima nostra probatio, & simul examinantur aliæ rationes P. Mazziottæ, & P. Mauri. 80

Sect. V. Soluuntur obiectiones ex auctoritate desumptæ. 84

Sect. VI. Soluuntur obiectiones prouenientes ex causalitate, quam materia in formam substantialem exercet. 87

Sect. VII. Alia obiecta ad causalitatem materiæ pertinentia dissoluuntur. 91

Sect. VIII. Soluuntur argumenta, quæ proueniunt ex eo, quod forma in nostra sententia sit causa materiæ. 93

Sect. IX. Proponuntur, & soluuntur obiectiones ex productione ipsius materiæ depromptæ. 96

Sect. X. Vtrum materia per absolutam Dei potentiam possit existere sine forma substantiali. 102

DISPVTATIO VII.

De Forma substantiali. 105

Sect. I. An dentur formæ substantiales. 105

Sect. II. Vtrum dentur in materia formarũ substantialium incoactiones. 106

Sect. III. De formarum substantialium productione. 108

Sect. IV. Nonnullæ quæstiunculæ spectantes ad hanc controuersiam solutæ. 109

DISPVTATIO VIII.

De Vnione inter materiam, & formam. 111

Sect. I. Quid sit vnio physica. 111

Sect. II. An inter materiam, & formam admittenda sit vnio modus ex natura rei ab illis distinctus. 116

Sect. III. Soluuntur quædam obiecta contra nostram sententiam deducta ex Arriaga in Physicis. 120

Sect. IV. Expenditur argumentum ex corporum penetratione deductum. 125

Sect. V. Tres aliæ obiectiones dissolutæ doctrinam de connotatis admittendis verã esse demonstrant. 127

Sect. VI. Reliqua leuiora obiecta percurruntur. 129

Sect. VII. Respondetur vltimæ obiectioni desumptæ ex paritate relationis, quæ in nostra sententia est, distincta modaliter ab extremis. 130

DISPVTATIO IX.

De Priuatione. 132

Sect. I. Quid sit priuatio. 132

Sect. II. Quot sunt in materia priuationes. 133

Sect. III. Quando nam, & per quid principiet priuatio. 134

TRACTATVS II.

De Natura, & Causis.

DISPVTATIO X.

De Natura. 137

Sect. I. Traditur, & explicatur naturæ definitio. 137

Sect. II. Diluuntur obiecta contra naturæ definitionem à nobis explicatam. 140

Sect. III. Vtrum omnis forma substantialis sit Natura. 142

Sect. IV. An, & quomodo materia sit natura. 143

Sect. V. An omne corpus sit necessario mobile. 145

Sect. VI. An naturam esse, sit à Physico demonstrabile. 149

Sect. VII. Vtrum ars naturæ opera possit efficere. 150

DISPVTATIO XI.

De causis in communi. 153

Sect. I. Quid sit causa. 153

Sect. II. Expenduntur aliqua, quæ ad causam in actu primo consideratã pertinent. 157

Sect. III. An causa immediata in instanti, in quo causat, existere debeat. 161

Sect. IV. Vtrum causa remota sit verè, & propriè causa. 163

Sect. V. Quot, & quæ sunt causarũ genera. 167

Sect. VI. De prioritate causarum in ordine ad suos effectus. 168

Sect. VII. Soluuntur obiecta, & naturæ simultas explicatur. 169

Sect. VIII. Vtrum duæ causæ possint esse sibi inuicẽ causæ. 171

Subsect. I. Expenditur quæstio in ordine ad mutuã causalitatẽ in eodẽ genere causæ. 171

Subsect. II. Quid de mutua causalitate in diuerso genere. 174

DISPVTATIO XII.

De causa efficiente. 178

Sect. I. Quid sit causa efficiens. 178

Sect. II. De varijs generibus causæ efficiẽtis. 180

Sect. III. De vi causatiua, & causalitate causæ efficientis. 182

DISPVTATIO XIII.

De Actione. 183

Sect. I. Quid sit Actio. 183

Sect. II. Quomodo distinguatur actio ab Agente, & Termino. 184. Sect.

Digitized by Google

Sect. III. Soluuntur obiecta contra distinctionem modalem actionis à causa efficiente, & effectu. 189.
Sect. IV. Vtrum actio sit in agente, an verò potius in passo. 193.

DISPVTATIO XIV.

De causa materiali. 197
Sect. I. Quid sit causa materialis, & quid causet. 197
Sect. II. De causalitate causæ materialis. 201.

DISPVTATIO XV.

De Causa Formali. 204.
Sect. I. Quid sit causa formalis, & quarum rerũ causa sit. 204
Sect. II. De causalitate causæ formalis. 206.
Sect. III. Vtrum Deus exercere possit per se ipsũ immediatè munus causæ materialis, vel formalis. 206.

DISPVTATIO XVI.

De Causa Finali. 209.
Sect. I. Quid sit finis, & num sit causa realis. 209.
Sect. II. Quotuplex sit finis. 210.
Sect. III. Quæ, & qualis sit vis causatiua finis. 211
Sect. IV. De effectibus causæ finalis. 214.
Sect. V. Quænam sit causalitas finis. 217.

DISPVTATIO XVII.

De Idea. 219.
Sect. I. An, & quid sit Idea. 219.
Sect. II. In quo conceptu consistat ratio ideæ in formali, an in obiectiuo. 220
Sect. III. Soluuntur obiecta cõtra prædicta. 222.
Sect. IV. Ad quod genus causæ pertineat idea. 225

DISPVTATIO XVIII.

De causis per accidens. 226.
Sect. I. Quid, & an sit causa per accidens. 226.
Sect. II. De casu, & Fortuna. 227
Sect. III. De Fato. 228

TRACTATVS III.

De passionibus corporis naturalis.

DISPVTATIO XIX.

De Motu in communi. 230
Sect. I. An detur motus. 230
Sect. II. Traditur, & explicatur definitio motus. 232
Sect. III. An tradita definitio motus de se competat instantaneo. 234
Sect. IV. An tradita motus definitio in sententia Aristotelis competat motui instantaneo. 236
Sect. V. Quo modo motus distinguatur ab actione, & passione. 238
Sect. VI. In quo [illegible] motus, 240

DISPVTATIO XX.

De speciebus motus. 241
Sect. I. Quot sunt species motus per se. 241
Sect. II. Quot sunt species motus proprié dicti. 243.

DISPVTATIO XXI.

De vnitate motus proprié dicti. 244.
Sect. I. Vnde nam sumatur vnitas generica, & specifica motus proprié dicti. 244.
Sect. II. Vnde nam vnitas numerica motus desumenda sit. 246

DISPVTATIO XXII.

De Infinito. 247
Sect. I. Quid, & quotuplex sit infinitum, & quãdetur infinitũ syncategorematicũ. 247
Sect. II. An detur infinitum syncategorematicũ, & an categorematicum, & quid de huius possibilitate Doctores sentiant. 249.
Sect. III. An per absolutam Dei potentiam dari possit infinitum actu secundum magnitudinem. 252.
Sect. IV. Soluuntur sex obiecta contra infinitum categorematicum in extensione. 257
Sect. V. Sex alia obiecta contra infinitatem continuam diluuntur. 259
Sect. VI. An Deus possit facere infinitum actu in multitudine. 262.
Sect. VII. Septem obiectionibus contra infinitum categorematicum in multitudine respondetur. 263
Sect. VIII. Septem reliquis obiectionibus contra infinitum in multitudine satisfit. 265
Sect. IX. An Deus possit facere infinitũ actu in intensione. 271
Sect. X. Vtrum gratia habitualis Christi Domini sit infinite intensa. 274
Sect. XI. Vtrum dabile sit infinitum categorematicum in perfectione essentiali, & de creatura omnium perfectissima. 275.

DISPVTATIO XXIII.

De Loco. 278
Sect. I. Quid sit locus. 278
Sect. II. Afferuntur, & soluuntur obiectiones. 279
Sect. III. An detur vbi intrinsecum à loco, & locato distinctum. 281
Sect. IV. Soluuntur obiecta in contrarium. 283
Sect. V. Quid sit spatium imaginarium. 287
Sect. VI. An Deus sit in spatijs imaginarijs. 291

DISPVTATIO XXIV.

De rerum existentia nusquam. 294
Sect. I. An possit diuinitus creatura esse, & esse nullibi. 294

Digitized by Google

Sect. II. S. D. ... ria prædicta. 297

DISPVTATIO XXV.

De replicatione eiusdem corporis localiter extensi in pluribus locis. 299

Sect. I. Vtrum possit idem corpus per absolutã Dei potentiam esse simul in pluribus locis circumspectiuè. 299
Sect. II. Examinatur mens Diui Thomæ. 302
Sect. III. Expenduntur cæteræ obiectiones. 303
Sect. IV. An accidentia connexa cum vno loco, vel cum corpore, vt ibi existente, debeant comitari corpus in alio loco replicatum. 306
Sect. V. Vtrum implicat contradictionem, quod ea accidentia absoluta, quæ habet corpus replicatum in vno loco: non habeat in alio. 308
Sect. VI. An ea omnia accidentia absoluta, quæ supponitur habere corpus in vno loco: posita postea eius miraculosa replicatione in alio debeant connaturaliter cum eo replicari. 309
Sect. VII. An accidentia absoluta, quæ corpus bilocatum post replicationem suam acquirit in vno loco, exigat habere in alio. 311
Sect. VIII. An idem sentiendum sit de actibus intellectus, & voluntatis hominis replicati, ac de ceteris accidentibus absolutis à loco. 314

DISPVTATIO XXVI.

De compenetratione plurium corporum in eodem loco. 317

Sect. I. Num per Dei potentiam absolutam plura corpora esse possint in eodem loco. 317
Sect. II. Soluuntur obiectiones contra hunc tertium modum defendendi penetrationem corporum ex Arriaga, & Mazaiorta delumptæ. 322
Sect. III. Percurruntur cæteræ obiectiones principalem conclusionem impugnantes. 323

DISPVTATIO XXVII.

De Vacuo. 325

Sect. I. Quid sit vacuum, & an naturaliter dari possit. 325
Sect. II. Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium. 326
Sect. III. An aliquis motus fieri possit in vacuo. 328
Sect. IV. Vtrum motus grauium, & lenium si fieret in vacuo, fieret in instanti. 330
Sect. V. Satisfit obiectionibus in contrariũ. 331

DISPVTATIO XXVIII.

De Tempore. 334

Sect. I. An duratio prout importat determinationem ad existendum hoc potius tempore, seu instanti, quàm alio, distinguatur ex natura rei ab existentia rei durantis. 335
Sect. II. Soluuntur argumenta in contrariũ. 335
Sect. III. An duratio prout importat permanentiam rei in esse iam habito, distinguatur ex natura rei ab eius existentia. 337
Sect. IV. Quid sit tempus. 340
Sect. V. Vtrũ tẽpus distinguatur ab anima. 341

DISPVTATIO XXIX. primò.

De quantitate quoad suam essentiam. 343

Sect. I. Quænam sit formalis ratio quantitatis. 343
Subsect. I. Numerantur variæ Philosophorum de hac re opiniones. 343
Subsect. II Reijcitur prima, & secunda sentẽtia. 344
Subsect. III. Confutatur tertia sententia. 344
Subsect. IV. Improbatur quarta sententia. 345
Subsect. V. Defenditur quinta sententia, & soluuntur obiecta in contrarium. 34
Sect. II. An quãtitas distinguatur realiter à substantia, cæterisque accidentibus. 3
Sect. III. Soluuntur argumenta contraria. 354

DISPVTATIO XXIX. secundò.

De compositione continui. 356

Sect. I. Vtrum continuum componatur ex solis indiuisibilibus. 356
Sect. II. Expenditur prima responsio. 357
Sect. III. Expenditur secunda responsio. 358
Sect. IV. Expenditur tertia responsio. 360
Sect. V. Motus rectæ morulas exterminat. 361
Sect. VI. Expenditur quarta, & vltima responsio de punctis inflatis. 36
Sect. VII. Percurruntur cætera argumenta mathematica contra continuum permanens ex indiuisibilibus constans. 370
Sect. VIII. Soluuntur obiectiones contra compositionem continui in partes diuisibiles in infinitum. 372
Sect. IX. Quomodo actus meritorius durans per aliquod tempus non mereatur præmium infinitum in sententia Aristotelis. 376

DISPVTATIO XXX.

De distinctione partium, ex quibus continuum componitur. 380

Sect. I. An partes in continuo secundũ se sumptæ sint actu, an potẽtia distinctæ. 380
Sect. II. Proponuntur, & soluuntur argumenta in contrarium. 385
Sect. III. Expenditur quædam sententia media de distinctione partium in continuo. 387
Sect. IV. Expenditur quædam alia sententia media P. Giattini. 390
Sect. V. Proponuntur, & soluuntur rationes, quibus P. Giattinus quæst. sua probat;

Digitized by Google

bat: Partes in continuo esse actu distinctas. 392
Sect. VI. Quomodo partes quantitatis continuæ sint diuisibiles. 394

DISPVTATIO XXXI.

De Indiuisibilibus continuj. 397

Sect. I. Quid, & an sint indiuisibilia in continuo. 397
Sect. II. Quomodo indiuisibilia distinguantur à quantitate. 401
Sect. III. Proponitur, & defenditur prima ratio realis distinctionis indiuisibilium à partibus quantitatis. 401
Sect. IV. Proponitur secunda ratio. 404
Sect. V. Affertur tertia ratio. 405
Sect. VI. Propugnatur quarta ratio. 408
Sect. VII. Afferuntur, & soluuntur obiecta contra realem distinctionem indiuisibilium à partibus continui, & primo id, quod ex eorum superfluitate desumitur. 408
Sect. VIII. Soluitur secunda obiectio ducta ex actuali indistinctione partium in continuo. 409
Sect. IX. In qua soluitur obiectio de subiecto indiuisibilium. 411
Sect. X. Soluitur obiectio desumpta ex contactu indiuisibilium cum re diuisibili. 412
Sect. XI. Soluitur argumentum ex Pyramide ductum. 414
Sect. XII. Expenduntur duæ reliquæ obiectiones. 415
Sect. XIII. Quænam indiuisibilia actu, quæ verò per entia distinguantur à partibus continui. 416

DISPVTATIO XXXII.

De speciebus quantitatis. 418

Sect. I. Quid dicendum de linea, & superficie. 418
Sect. II. Quid de motu, tempore, & loco sentiendum. 420
Sect. III. Quid de numero, & oratione, existimandum. 420

DISPVTATIO XXXIII.

De rerum Inceptione, & Definitione. 422

Sect. I. Qui sunt incipiendi, & definendi modi. 422
Sect. III. Quomodo incipiant, & definant res successiuæ. 424
Sect. III. Quomodo incipiant, & definant res permanentes. 425
Sect. IV. De inceptione, & desitione rei instantaneæ. 427

DISPVTATIO XXXIV.

De Mundi inceptione. 428

Sect. I. An mundus potuerit esse ab æterno quoad entia permanentia. 428
Sect. II. An mundus potuerit esse ab æterno quoad entia successiua discreta. 431
Sect. III. An potuit ab æterno dari motus aliudue ens successiuum continuum. 433

DISPVTATIO XXXV.

De Natura Cœli. 436

Sect. I. Vtrum cœlum sit compositum ex materia, & forma substantiali. 436
Sect. II. An cœlum sit naturæ elementaris. 437
Sect. III. An materia cœli sit eiusdem rationis cũ materia sublunarium. 438
Sect. IV. An cœlum sit animatum. 439

DISPVTATIO XXXVI.

De cœlestis corporis proprietatibus, & primo de eius incorruptibilitate. 440

Sect. I. Vtrum cœlestia corpora incorruptibilia sint. 440
Sect. II. Soluuntur aliqua obiecta leuiora in cõtrarium adducta. 442
Sect. III. Proponitur, & soluitur obiectio ex nouis stellis deducta. 443
Sect. IV. Examinatur obiectio de maculis solis. 445

DISPVTATIO XXXVII.

De Cœli systemate, seu constitutione quoad fluiditatem, vel soliditatem. 447

Sect. I. Num cœlestia corpora solida sint an verò fluida. 448
Sect. II. Expenduntur quinque rationes pro soliditate Cœlorum. 449
Sect. III. Expenduntur quinque aliæ rationes, quibus cœli fluiditas probari potest. 451
Sect. IV. Quæstio de cœli fluiditate, vel soliditate resoluitur. 453

DISPVTATIO XXXVIII.

De corporum cœlestium motu. 459

Sect. I. An cœlestia corpora moueantur duplici motu. 455
Sect. II. Vtrum cœlestium corporum motus efficiatur à propria forma, an verò ab intelligentia assistente. 457
Sect. III. An intelligentia, quæ mouet cœlestia corpora sit creata. 460
Sect. IV. Quot sunt intelligentiæ cœlum mouentes,

Digitized by Google

Sect. [illegible] rentiam id exequa- 461
Sect. V. Vtrum motus [illegible]ritis sit nobilestibus corporibus naturalis. 463

DISPVTATIO XXXIX.

De actiuitate corporum cœlestium respectu sublunarium. 465

Sect. I. Vtrum Cœlum agat in hæc inferiora. 466
Sect. II. Vtrum cœlestia corpora agant in hæc inferiora per motum, tanquam per rationem agendi. 467
Sect. III. Quid sit lumen. 169
Sect. IV. An cœlestia corpora agant in hæc inferiora per lumen, & alias qualitates occultas. 471

TRACTATVS QVINTVS.

In duos libros Aristotelis, de Ortu, & interitu.

DISPVTATIO XL.

De essentia Generationis. 474

Sect. I. Quid sit Generatio. 474
Sect. II. Proponuntur, & soluuntur aliæ obiectiones contra definitionem traditã. 476
Sect. III. Vtrum generatio ab alteratione nomine cogitantis distinguatur. 478
Sect. IV. Quot actiones generatio substantialis importet; & quinam sit eius terminus. 479

DISPVTATIO XLI.

De Conuersione. 481

Sect. I. Quid, & quotuplex sit conuersio. 481
Sect. II. An terminus à quo conuersionis debeat desinere substantialiter. 484
Sect. III. An terminus ad quem conuersionis necessariò producendus sit. 487
Sect. IV. Statuitur Corpus, & Sanguine Christi in Eucharistica conuersione substantialiter debere produci. 490
Sect. V. Obiter quæritur, an in Eucharistica conuersione præter actionem substantialem productiuam Christi admittenda sit alia actio accidentalis. 492
Sect. VI. Respondetur argumentis Ouiedi, & de Lugo, quibus probant ad Eucharisticam conuersionem non requiri productionem Corporis, & Sanguinis Christi. 494

DISPVTATIO XLII.

Vtrum totum substantiale physicum à suis partibus vnitis realiter distinguatur. 497
Sect. I. Proponitur nostra sententia, & ratione fundamentali stabilitur. 497
Sect. II. Quinque instantijs præcedens argumentum labefactare tentantibus satisfacio; & meam sententiam de distinctione totius à partibus expono. 500
Sect. III. Proponuntur, & soluuntur quinque obiecta contra principalem conclusionem. 501
Sect. IV. Aljs quinque obiectionibus satisfacio. 503

DISPVTATIO XLIII.

De Generatione viuentium. 506
Sec. I. Quid sit viuentium generatio. 506
Sec. II. Expenduntur celebriores aliorum rationes, quibus probatur Spiritus Sancti processionem non esse generationẽ, esse verò processionem Verbi. 509
Sect. III. Examinantur duæ aliæ Recentiorum rationes. 510
Sect. IV. Affertur vera ratio discriminis. 514
Sec. V. Proponuntur, & soluuntur obiecta contra nostram rationẽ discriminis. 516
Sect. VI. Respondetur secundæ obiectioni contra Ruiz, & Quiros. 517
Sec. VII. Satisfit reliquis obiectionibus ab Arriaga allatis. 519

DISPVTATIO XLIV.

De Corruptione substantiali. 523

Sect. I. Quid sit corruptio substantialis. 523
Sect. II. In quo sensu verum sit generationem vnius esse corruptionem alterius. 525
Sec. III. Percurruntur cætera, quæ ad corruptionẽ substantialem pertinent. 527

DISPVTATIO XLV.

De accidentium materialium subiecto. 528
Sect. I. An omnia accidentia generationi inseruientia subiectentur in toto composito substantiali. 526
Sect. II. Proponuntur, & soluuntur obiecta. 534
Sect. III. An cætera accidentia materialia generationi inseruientia recipiantur immediatè in materia prima. 535

DISPVTATIO XLVI.

De resolutione accidentium vsque ad materiam primam. 537

Sect. I. An in corruptione substantiali detur resolutio vsq; ad materiã primam. 537
Sect. II. Affertur vera probatio. 540
Sect. III. Proponuntur, & soluuntur obiecta contra principalem conclusionem. 542
Sect. IV. An ex suppositione quod omnia accidẽtia inhæreant toti composito, in corruptione substantiali detur resolutio vsque ad materiam primam. 543

Sect. V.

Digitized by Google

Sect. V. An sententia negans resolutionem vsque ad materiam primam rectè cõiugatur cum illa, qua negatur materiæ propria existentia. 546
Sect. VI. An in instanti generationis aliqua forma accidentalis, ex his, quæ erant in corrupto, sit prior natura in genere causæ materialis forma substantiali, quæ generatur. 548
Sect. VII. Afferuntur, & dissoluuntur obiecta in contrarium. 550
Sect. VIII. An ex suppositione quod accidentia, quæ erant in conceptu in instanti generationis, exerceant munus dispositionum ad formam, quæ de nouo generatur, materia habere debeat propriam existentiam. 554

DISPVTATIO XLVII.

De Alteratione. 557
Sect. I. Quid sit alteratio, & quo modo cum generatione connexa. 557
Sect. II. Num alteratio sit continua, an verò interrupta. 560
Sect. III. Expenduntur rationes, quibus Arriaga alterationis interruptionẽ probat. 562

DISPVTATIO XLVIII.

De intensione, & remissione qualitatis. 565
Sect. I. An intensio qualitatis consistat in ablatione contrarij. 565
Sect. II. An intensio fiat per productionem qualitatis perfectioris, imperfectiore quo ad entitatem corrupta. 566
Sect. III. Verum intensio fiat per maiorem qualitatis radicationem in subiecto. 569
Sect. IV. Expenditur explicatio Mazziottæ. 571
Sect. V. Examinatur amplius mens Mazziottæ. 574
Sect. VI. Vtrum intensio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum, & de mente Sancti Thomæ. 578
Sect. VII. Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium. 582
Sect. VIII. Examinatur recens quædam difficultas pro sententia contraria. 583

DISPVTATIO XLIX.

De Heterogeneitate, vel homogeneitate graduum. 587
Sect. I. Num gradus, quibus eadem qualitas intenditur, sint homogenei quoad ordinem, an potius heterogenei. 587
Sect. II. Proponitur secunda ratio. 591
Sect. III. Affertur tertia ratio pro heterogeneitate graduum. 594
Sect. IV. Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium. 597
Sect. V. An gradus sint heterogenei quoad perfectionem. 599
Sect. VI. Diluuntur obiectiones in contrariũ. 601

DISP[illegible]

De alteratione i[illegible] bilium. 603
Sect. I. Vtrum indiuisibile possit intensiuè alterari. 603
Sect. II. Vtrum indiuisibile localiter moueri possit. 607

DISPVTATIO LI.

De causa efficiente generationem. 611
Sect. I. An causæ secundæ aliquid reuera efficiant. 611
Sect. II. De immediata causa productiua accidentium. 612
Sect. III. De causa immediatè productiua substantiæ materialis, quæ generatur. Referuntur plures opiniones, & nostra statuitur. 615
Sect. IV. Expenduntur tres Recentiorum rationes. 616
Sect. V. Examinantur aliæ tres Mazziottæ rationes, quibus probat substantiam ciarã non posse immediatè producere substantiam. 619
Sect. VI. In gratiam Scotistarum tria Mazziottæ argumenta iam soluta contra eundem Auctorem bifariam retorquentur. 622
Sect. VII. Solidè probatur causam immediatè productiuam substantiæ materialis esse sola accidentia. 624
Sect. VIII. Satisfit obiectionibus, quibus suadetur accidens non posse immediatè, & adæquatè producere substantiã. 630
Sect. IX. Soluuntur obiecta, quibus probatur substantiam ex se, & immediatè saltem producere posse substantiam. 635
Sect. X. Afferuntur, & soluuntur obiecta, quibus probatur accidens non vt causam instrumentalem, sed vt principalem generationem substantialem attingere. 637

DISPVTATIO LII.

De Potentia obedientiali. 639
Sect. I. Quid, & quotuplex sit potentia obedientialis. 639
Sect. II. An, & quid sit realiter potentia obediẽtialis passiua in creaturis. 641
Sect. III. Quomodo potentia obedientialis passiua eleuetur à Deo. 642
Sect. IV. Ardetur in natura creata potentia obedientialis actiua formarum supernaturalium, tum vitalium, tum non vitalium. 644
Sect. V. Soluuntur obiecta in contrarium. 645
Sect. VI. Quid potentia obedientialis actiua realiter importet. Expenduntur aliorum sententiæ. 650
Sect. VII. Statuitur, & probatur nostra sententia, ac dissoluuntur obiecta. 652
Sect. VIII. An potentia obedientialis sit de se absolutè potentia. 655

Sect.

Digitized by Google

INDEX

Sect. ... in contrarium. 656
Sect. ... tentia obedientialis ... euari possit. 659
Subsec. I. ... creatus possit diuinitus ... Deum in se producere sine lumine gloriæ, aut alio intrinsecè sibi superaddito. 660
Subsec. II. Expenditur obiectio quædã perdifficilis aduersus nostram sententiam. 662
Subsec. III. Expenditur vltima difficultas. 664
Subsec. IV. An res naturales possint elevari tum extrinsecè, tum intrinsecè ad producendas formas supernaturales, non vitales. 666
Subsec. V. Expenditur vltima, & principalis obiectio. 669

DISPVTATIO LIII.

De Connexione necessaria causarum efficientium cum effectibus suis. 672

Sect. I. An causa efficiens in actu primo sit essentialiter connexa cum possibilitate suorum effectuum. 672
Sect. II. Probatur solidè connexio causæ efficientis creatæ cum suo effectu. 675
Subsect. I. Exhibetur prima ratio ducta ab experientia. 675
Subsec. II. Proponitur secunda ratio ducta à necessitate, quam habet causa creata operandi. 677
Subsec. III. Iunguntur tertia ratio ex transcendentali respectu petita. 678
Sect. III. Connexio causæ efficientis increatæ cũ creaturis efficaciter suadetur. 680
Subsec. I. Affertur primum argumentum ex connexione creaturæ cum Creatore desumptum. 680
Subsec. II. Exponitur secundum argumentum ductum ex possibilitate creaturarũ. 682
Subsec. III. Exponitur tertium argumentum eruũ ex connexione Creatoris cum suis creaturis. 686
Sect. IV. Afferuntur, & soluuntur obiecta contra connexionem causæ efficientis cũ suo effectu. 689
Sect. V. Quomodo causæ efficientes cum suis effectibus connectantur determinatè ne, an indeterminatè. 694
Sect. VI. Soluuntur obiectiones in contrariũ. 696

DISPVTATIO LIV.

De causa efficiente naturaliter operante in ordine ad effectus in individuo acceptos considerata. 700

Sect. I. Vnde habent causæ secundæ, & vnum potius effectum, quam alium numero distinctum producant. 700
Sect. II. Affertur vltima, & principalis ratio nostræ affertionis. 702
Sect. III. Occasione primæ obiectionis nostra sẽtentia de determinatione individuationis effectus explicatur. 705
Sect. IV. Proponuntur, & soluuntur cætera obiecta contra doctrinam traditam. 709
Sect. V. An spectata intrinseca ratione causarum naturalium, & effectuum ipsorum, effectus semel corruptus possit naturaliter reproduci. 713
Sect. VI. An idem effectus corruptus possit saltẽ diuinitus iterum reproduci. 717

DISPVTATIO LV.

De dependentia eiusdem numero effectus à duplici efficiente totali totaliter concurrente. 718

Sect. I. Expeditur quæstio in ordine naturali. 718.
Sect. II. Vtrum idem numero effectus possit diuinitus simul dependere à pluribus causis adæquatis totaliter concurrentibus. 721
Sect. III. Expenduntur argumenta Mazzottæ. 725

DISPVTATIO LVI.

De Applicatione requisita inter agens, & passum. 730

Sect. I. Vtrum agens naturaliter loquẽdo possit agere in distans, quin agat in propinquum. 730
Sect. II. Vtrum agens naturaliter ita non possit agere in distans, vt debeat necessario diffundere actionem à se procedentẽ agendo in ipsum medium. 732
Sect. III. Vtrũ agens si agat in partes propinquas suæ sphæræ agat immediatè etiam in remotas eiusdem. 735
Sect. IV. Vtrum agens agat simul tempore in partes viciniores, & remotiores suæ sphæræ. 736

DISPVTATIO LVII.

De Actione in distans in ordine ad diuinam potentiam. 738

Sect. I. An saltem diuinitus possit agens creatũ agere in distans. 738
Sect. II. Afferuntur, & soluuntur obiecta in contrarium. 740
Sect. III. An approximatio causæ efficientis requiratur ex parte actus primi ad efficiendum effectum. 742

DISPVTATIO LVIII.

Vtrum simile agere possit in simile. 746

Sect. I. Expeditur quæstio in ordine ad actionẽ corruptiuam. 747
Sect. II. Quid de simili agente in simile actione respectiua, vbi de retractione. 748
Sect. III. Examinatur difficultas de reflexione, & responsiones aliorũ improbantur. 752

Sect.

Digitized by Google

Sect. IV. Examinatur sententia Oviedi. 754.
Sect. V. Affertur nostra responsio ad argumentũ ex reflexione ductum. 756.

DISPVTATIO LIX.

De Raro, & Denso. 759.

Sect. I. Rei difficultas proponitur, & tres ad eam soluẽdam opiniones refutantur. 760
Sect. II. Quarta opinio de corpusculis examinatur. 762.
Sect. III. Eadem sententia de corpusculis intromissis, vel exclusis directe rejicitur. 764.
Sect. IV. Verum corpora rarefiant, & addensẽtur per acquisitionem, & deperditionem quantitatis, aut localis extensionis. 770.
Sect. V. Verum corpora rarefiant, & addensentur per acquisitionem qualitatis. 772.
Sect. VI. Respondetur difficultati, qua probatur non posse eandem numero materiã modo pluribus, modo paucioribus partibus spatij correspondere. 774.

DISPVTATIO LX.

De distinctione requisita inter agens, & passum. 777.

Sect. I. An idem possit agere in seipsum actione æquiuoca. 777.
Sect. II. Quid de actione vniuoca. 779.

DISPVTATIO LXI.

An idem possit seipsum producere. 781.

Sect. I. An idem possit saltem diuinitus dare sibi primo esse. 781.
Sect. II. An possit idem dare secundo sibi ipsi. 783.
Sect. III. Proponitur, & soluitur secunda obiectio. 785
Sect. IV. Expenduntur reliquæ obiectiones. 787.

DISPVTATIO LXII.

De Reactione. 788.

Sect. I. Quid, & an sit Reactio. 788.
Sect. II. Proponitur, & soluitur argumentum calculatoris contra Reactionem. 789.
Sect. III. Proponuntur, & soluuntur reliqua argumenta. 793.

DISPVTATIO LXIII.

De Resistentia. 795.

Sect. I. Quid, & quotuplex sit Resistentia. 795

Sect. II. De R sistentia
Sect. III. De R sistentia
Sect. IV. D. ordine Resist
malis primarum

DISPVTATIO

De elementorum natura, et numero. 802.

Sect. I. An, & quid sit elementum. 807.
Sect. II. Quot nam sint elementa. 809.

DISPVTATIO LXV.

De Elementorum sitv. 812.
Sect. I. An terra sit sublimior aqua. 812.
Sect. II. Soluuntur obiecta in contrarium. 813
Sect. III. An inter conuexum aeris, & lunæ concauum exset elementum ignis. 819

DISPVTATIO LXVI.

De primis qualitatibus elementorum propriis. 825.

Sect. I. Verum calor, frigus, humiditas, & siccitas sint qualitates positiuæ. 825.
Sect. II. Tradicur definitio primarum qualitatum in communi. 829.
Sect. III. Quid sint singulæ primæ qualitates. 830.
Sect. IV. An primæ qualitates sint substantiales elementorum formæ. 832.
Sect. V. An singulis elementis ex propria natura duæ primæ qualitates conueniant, & quæ. 832.
Sect. VI. An primæ qualitates symbolæ elementorum sint eiusdem speciei infimæ. 835.
Sect. VII. An primæ qualitates elementorum ab eorum formis substantialibus immediatè producantur. 837.
Sect. VIII. Quanta tam intensione duæ primæ qualitates singulis conueniant elementis. 839.

DISPVTATIO LXVII.

De mutua elementorum substantiali transmutatione. 842.

Sect. I. An quodlibet elementum possit immediatè transmutare in se aliud. 842.
Sect. II. An elementa symbolæ facilius, & citius inuicem transmutentur, quàm dissymbola. 843.

DISPVTATIO LXVIII.

De Mistione. 846.

Sect. I. Quid sit mistio. 847
Sect. II. An naturaliter dari possit mistio. 848
Sect. III. Quænam sunt necessaria, vt ex elementis mistio oriatur. 849

Sect.

INDEX

Vn; cuius temperamentum qualitatum sit ad 850
a mixto elementa remaneat

DISPVTATIO LXIX.

De terminis magnitudinis, & paruitatis corporum naturalium. 859

Sect. I. An corpora naturalia habeant terminum suæ magnitudinis, & paruitatis. 859
Sect. II. Extrinsecos ne, an verò intrinsecos terminos viuentia, eorumque partes exposcant. 865

DISPVTATIO LXX.

De Virtutibus motiuis elementorum. 865


Sect. I. Quid sit grauitas, quid leuitas. 865
Sect. II. An grauitas terræ, & leuitas ignis differant inter se essentialiter. 866
Sect. III. Quid de grauitate aquæ, & leuitate aeris sentiendum. 869
Sect. IV. An grauitas, & leuitas identificentur cum substantia corporis, in quo sunt. 873
Sect. V. An grauitas, & leuitas identificentur cum primis qualitatibus permixtis. 877
Sect. VI. Vtrum grauitas, & leuitas distinguantur ab alijs secundis qualitatibus, & de earum causa efficiente immediata. 880
Sect. VII. Vtrum omnia grauia æquali velocitate per se deorsum decidant. 882
Sect. VIII. Duæ reliquæ quæstiones circa motum grauium, & leuium dissoluuntur. 887

DISPVTATIO LXXI.

De Virtute productiua motus violenti grauium, & leuium. 888

Sec. I. De Virtute productiua impulsionis, tractionis, vectionis; atque vertiginis. 888
Sec. II. Vtrum virtus immediatè productiua motus expulsionis sit illa, qua naturaliter ad propria loca proiecta mouentur. 890
Sect. III. Vtrum proiecta moueantur à virtute impressa. 891
Sect. IV. Vtrum proiecta moueantur per virtutem aliquam existentem in medio. 898
Sect. V. Soluuntur obiecta ex Aristotele, &c. Diuo Thoma desumpta. 902
Sect. VI. Proponuntur, & soluuntur aliqua obiecta ex ratione deducta. 904
Sect. VII. Occasione decimæ obiectionis expenditur, vndenam proueniat maior velocitas motus expulsionis in medio, naturalis verò in fine. 907
Sect. VIII. Percurruntur reliquæ obiectiones contra motum proiectorum à medio factum. 909
Sect. IX. An proiecta in puncto reflexionis necessariò quiescant. 942

FINIS.



Digitized by Google

IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS DE PHYSICO AVDITV PROOEMIVM.

PHYSICA à verbo græco φύσις, quod naturam significat, nomen accepit, eo quod tota in rerum naturalium contemplatione occupatur; quoniam verò de rebus hisce, vel vniuersim, & secundùm communes quasdam rationes, quas participant, vel in particulari secundùm, quod quæuis à cæteris condistinguitur, disputari solet: in his octo libris Aristoteles de his, quę ad vniuersum genus spectant; in reliquis verò de diuersis eorporum naturalium generibus disputauit.

Hosce autem ideirco de Physico auditu, seu de physica auscultatione nuncupauit, quia ob difficultates, quibus infarciuntur, nonnisi accurata Doctoris explicatione à Philosophię Tyronibus percipi possunt. Philosophus enim, quemadmodum populares libros ad vulgi captum accomodatos exotericos, hoc est, extraneos: ita doctrinales, quibus breuiter, & concisè argumentis, quoad fieri poterat, demonstratiuis, ac necessarijs, auditoribus suis scientias explicabat, acroamaticos, ideſt auscultatorios propter modo dictam rationem appellare consueuerat; quæ quidem appellatio non aliam ob causam solis hisce remansit; licet alij quamplures doctrinales existant: nisi quia hi primas, vniuersales, ac veluti fundamentales totius Philosophiæ continent quæstiones, quas nos eodem ferè ordine, quo in ijsdem libris instituuntur, in varios tractatus, ac disputationes distributas, exagitabimus.

TRAC-

TRACTATVS PRIMVS

DE OBIECTO PHYSICAE, eiusque principijs.

1 PRimo libro Physicorum disputat Aristoteles de principijs Corporis naturalis, ostenditque esse tantùm tria contra Milesium, Anaxagoram, Parmenidem, Melissum, & alios, quorum aliqui plura tribus esse dicebant, alij verò pauciora. Quoniam verò in his videtur Philosophus supponere obiectum adæquatum physicæ esse corpus naturale, & hoc ab aliquibus præsertim recentioribus non conceditur: idcirco, priusquam agamus de principijs obiecti Physici, de ipso obiecto disputandum est, supponendo ea, quæ de obiecto scientiæ speculatiuæ in communi, & in speeie de obiecto physicę per extensum diximus in Logicis disput. prima, & prima parte disputationis secundæ.

DISPVTATIO I.

De obiecto Physicæ adæquato.

NOmine obiecti scientiæ venit id, quod scientia physica sibi per se considerandum, ac speculandum proponit, vt constat ex *disput. p. logicæ sect. p.* Nomine verò obiecti phvsicæ adæquati venit id, quod ita continet rationem formalem *propter quam* huius scientiæ, vt neque illam excedat, neque excedatur ab illa, vt probaui ibidem sectione quarta. de hoc nobis sermo est in præsentia.

SECTIO PRIMA

An obiectum adæquatum physicæ sit substantia naturalis finita.

2 COnclusio est negatiua, & communis, contra Scotum, quem sequuntur, quos citat *Auersa q. 2. suæ Philosophiæ sectione prima*, putantes non solùm corporeas substantias, sed & incorporeas esse obiecta partialia physicæ, quatenus in vtrisq; ratio formalis physica, hoc est mobilitas, reperitur.

3 Probatur autem nostra sentẽtia vnica ratione: si obiectum adæquatum Physicæ esset substantia naturalis finita: sequeretur, quod Angeli essent obiecta partialia eiusdem physicæ; sed hoc est falsum: ergo &c. maior conceditur ab Aduersarijs, quia comprænduntur in obiecto totali; minor verò suadetur dupliciter: primò auctoritate Aristotelis, secundò ratione; & quidem quantum ad *Aristotelem ipse 6. metaph. tex. 2. & 3.* docet metaphysici negotij esse substantias separatas à materia considerare; at naturalem scientiam circa inseperabilia à materia, non tamen immobilia occupare; quod idem repetit 12. *metaph. tex. 5.* vbi diuidit substantiam in sensibilem, & insensibilem à materia separatam; aitque priorem ad physicam, posteriorem verò ad aliam scientiam pertinere, 3 secundò verò Physicorum *tex. 18. 19. nec non 5. metaph. tex. 39. & 11. metaph. summa 2. ca. 20.* asserit res physicas materiales esse, atque sensibiles; huiusmodi autem non sunt intelligentiæ: denique 12. *metaph. tex. 5. & 6.* excludens ab obiecto naturalis scientiæ substantias immobiles, quas in formas, hoc est intelligẽtias, & mathematica diuiserat, solas substantias sensibiles illi assignat, cuius rei rationem reddens ait: *cum motu namque sunt.*

4 Verùm ex hoc loco arripiunt occasionem aduersarij hanc sententiam modificandi simul, & confirmandi; sic enim discurrunt: In tantùm Philosophus, ab obiecto Phisicæ Angelos excluſit, in quantùm eos immobiles esse existimauit, vt patet ex 2. *metaph. citato.* At qui in rei veritate moueri possunt, vt patet ex scripturis sacris, quæ Angelos descendentes de Cœlo, & ascendentes commemorant; non est igitur cur ab obiecto Physicæ, absolutè loquendo, & præscindendo saltem ab Aristotelis mente, intelligentiæ excludantur.

5 Contra tamen est, quia, licet Philosophus *loc. cit.* loquendo de Intelligentijs Cœlorum motricibus, immobiles eas esse existimauerit, præter illas tamẽ alias agnouisse videtur *eodem lib. cap. 4.* quas etiam mobiles credidit, vt videre est apud *P. Suarez disput. 35. metaphys. sect. 1. n. 24.* quo posito, tota aduersariorum defensio corruit; sed quidquid sit de mente Aristotelis: Veniamus ad rationem, qua probatur, Angelos in rei veritate non esse obiectum partiale physicæ, sic: id quod non solùm nõ constat ex principijs physicis, sed neque

ratio-

Digitized by Google

rationem formalem, quæ neque rationem formalem *sub qua* obiecti physici participat, non potest esse obiectum ipsius physicæ; sed huiusmodi sunt Intelligentiæ: ergo &c. maior patet, minor probatur; quia principia physica sunt materia, & forma: ratio verò formalis, quæ, vt videbimus, est natura, quæ est principium motus immanentis sensibilis, ratio autem *sub qua*, vt diximus in logicis, est abstractio à materia signata tantùm: cerum autem est intelligentias non esse ex materia, & forma compositas, neque capaces esse alicuius motus sensibilis, neque solùm à materia signata, sed etiam à sensibili, atque intelligibili abstrahere: ergo &c.

6 Obijcies primò *Aristot.* 15. *metaph. cap.* 1. *circa medium*, ait quod circa ea, quæ in se principium motus, & quietis habent, omnis naturalis, hoc est, physica intentio est; sed intelligentiæ absolutè loquendo, cum possint se mouere, atque quiescere, habent in se dicti motus, & quietis principium: ergo non est cur ab obiecto physicæ remoueãtur.

Respondeo, Philosophum *loc. cit.* loqui de his, quæ habent principium motus, & quietis sensibilis; talis enim motus, & talis quies, vtpote quæ à materia sensibili emanant, sunt passiones physicæ; iam verò Angeli per se loquendo non mouentur, neque quiescunt motu, vel quiete sensibili, quæ scilicet sensibus percipi potest, sed solùm per accidens in corporibus assumptis: passio autem debet per se subiecto competere; non sic animæ rationales, quæ cum sint essentialiter formæ informantes materiam sensibilem, verè per se loquendo, sunt principia motus sensibilis.

7 Obijcies secundo: Angeli physicè non sunt immobiles: ergo sunt mobiles motu physico; sunt igitur obiectum physicæ.

Respondeo negando vtramque consequẽtiam, committitur enim in argumento fallacia æquiuocationis; *ly* enim *physicè* in antecedente significat idem, ac realiter; consequentiæ autem deducuntur, ac si significasset sensibiliter, in quo sensu negandum fuisset antecedens.

8 Obijcies tertio: non potest assignari ad quam aliam scientiam motus Angelicus pertineat, nisi ad physicam, quæ proindè motus Cœlorum, qui ab Intelligentijs efficiuntur, contemplatur; ergo Angeli sunt obiectum physicę.

Respondeo, aliud esse loqui de motu Angelico mansuro, qui scilicet fit ab Angelo, & in Cœlo recipitur; aliud verò de immanente, qui recipitur in ipso Angelo, à quo profluit: & primus quidem motus consideratur à physica; sed hic, cum non sit passio physica Angeli alioquin Deus, qui causat motum sensibilem transeuntẽ, haberet quoque passionẽ physicam; Angelus, ratione dicti motus, spectat ad hanc scientiam solùm vt principiũ, & vt causa extrinseca: secundus verò, quippè spiritualis, & ab omni materia præscindens, si naturali lumine potest attingi, vt certè potest, pertinebit ad metaphysicam, sin minus ad Theologiam: assignatis igitur scientijs ad quas motus Angelicus spectat, corruit difficultas.

9 Argumenta verò, quæ adducuntur ab *Auersa in sua philosophia q. 2. sect. 5.* quibus probat Angelos esse obiectum physicę, nõ indigent solutione, procedunt enim ex principio falso; quod scilicet ratio formalis, quæ physica, sit mobilitas, vt sic; quod falsum esse constat, tum quia hæc si sumatur formaliter, est passio mobilis; tum etiam quia, siuè formaliter, siuè radicaliter accipiatur, abstrahit ab omni materia, quod non facit Physica; quare rectè ipse in secundo dicto docet, absolutèloquẽdo, nõ debere pro obiecto physicæ assignari substantiã naturalem finitam.

SECTIO II.

An obiectum Physicæ sit ens mobile, sub se compositum substantiale; nec non etiam materiam, & formam comprehendens.

10 SANCTVS THOMAS *p. Physic. lect.* 1. pro obiecto Physicæ adęquato assignat ens mobile, & quamuis initio librorum de Cœlo dicat esse corpus mobile, nullam tamẽ Thomistæ in eo contradictionem agnoscũt, quia illum in libris de Cœlo de obiecto solùm partiali principali loquutũ esse autumant, hic autem de adęquato: verùm non satis constat inter eos quid nomine entis mobilis intelligendum sit; circa quod quatuor video principales sententias circumferri. Prima est *Alfonsi de vera Cruce 1. Physic. spec. 2. proœmiali*, & aliorum dicentium: obiectum physicę esse ens mobile substantiale, quatenus sub se tanquam species comprehendit omnes illas substantias, quæ sensibiliter moueri possunt; siuè subiectiuè, vt materia; siuè terminatiuè, vt forma; siuè denique denominatiuè, vt compositum. Secunda verò est *Caietani de subiecto naturalis Philosophiæ*, vbi ait ens mobile, quod est obiectum Physicæ adęquatum, idem esse, ac compositum naturale sub se, tum compositum substantiale, vt lignum, tum accidentale, vt calidũ, comprehendens. Tertia est *Ferrariensis*, qui non solùm materiales substantias, sed etiam accidentia ipsa sensibilia, absque eo quod in compositionem aliquã venire intelligantur, sub nomine entis mobilis reponit, aitque obiectum adæquatum Physicæ esse huiusmodi ens materiale. Quarta denique est *Scoti quæst. primæ concluf. 5. & aliorum, quos sequuntur Patres Conimbricenses quæst. 4. præmiali art.* 1. qui ens mobile ad significandum solum corpus naturale, quod ponitur in recta linea prędicamentali, restringunt. Nos hic de prima acceptione agemus, de cæteris in sequentibus; contra primam igitur sit.

11 Nostra Conclusio: neque materia, neque forma substantialis sunt obiecta partialia Physicę, atque adeo ens mobile in prima acceptione sumptum, nequit esse obiectum eius adæquatum.

12 Probatur: ea, quæ in aliqua scientia tanquam prima principia obiecti considerantur, non possunt in eadem scientia habere rationem obiecti; sed materia, & forma substantiales considerantur in physica tanquam prima principia sui obiecti, vt patet ex integro *lib. 1. Physicorum*, in quo de illis, vt de principijs agitur: ergo &c. maior patet ex eo quod prima principia scientiarum sunt prima media, per quæ probantur de earum obiectis primæ passiones; quare si essent obiecta, iam probãdę de illis essent passiones per aliquod aliud medium a priori; & sic essent prima principia, & non essent prima, quod repugnat.

Digitized by Google

Neque dicas cum Auersa non esse necesse, vt obiectum scientiæ habeat principia suæmet entitatis, sed sufficere si habeat principia suarum passionum, quæ in casu nostro erunt essentialia prædicata materiæ, & formæ: nam hoc licet verum sit loquendo de scientia vt sic, non tamen rectè dicitur de scientia Physica, quam de facto habemus; constat enim eam agere de materia, & forma tanquam de principijs sui obiecti, & quidem primis, vt patet ex toto libro primo physicorum; vtrum autè alia sit possibilis, quæ dicta principia, vt partes subiectiuas sui obiecti consideret paulò post videbimus.

13 Obijcies 1. *Aristoteles 4. metaph. tex. 4.* docet tot esse partes philosophiæ, hoc est obiecta Physicæ, quot sunt substantiæ, item 2. *Physic. in principio*, substantias naturales enumerans inter illas recenset partes animalis: denique *lib. 1. de anima tex. 17.* ait quod scientia naturalis versatur circa omnes passiones materiæ, & corporis naturalis, nō est autē maior ratio de materia, quam de forma: ergo ex Aristotele materia, & forma substātiales sunt obiecta partialia Physicæ.

Respondeo: Philosophum primo loco loquutū esse de substantia completa, quæ sine addito appellatur simpliciter substantia, pro cuius multiplicitate multiplicat partes philosophiæ; secundo autem Physicorū recensuit ille quidē inter substantias materiales partes animalium, non tamen vt obiecta Physicæ, sed vt partes integrātes obiectum; *ad tex. de anima*, aio Physicam considerare passiones, sicuti etiam essentias materiæ, & formæ, non propter ipsam materiam, & ipsam formam, sed propter compositum, atque adeo in ordine ad aliud: nego igitur consequentiam.

14 Obijcies secundò ex Auersa: substantia physica, seu materialis, & corporea, sub se materiam, formam, & compositum comprehendens, potest ad aliquam scientiam pertinere, vt obiectum, sed non nisi ad Physicam; ergo est obiectū Physicę. Minor patet posito, quod speculatiuæ scientiæ tertiarium numerum excedere nequeant, vt vidimus in Logicis; constat enim huiusmodi substantiam non posse esse obiectum neque Physicæ, neque Metaphysicæ, neque Mathematicæ; minor vero probatur, quia substantia physica in illa latitudine sumpta est obiectum scibile, cui accidentia materialia in communi conueniunt: ergo, &c.

Respondeo negando maiorem, & ad eius probationem nego item antecedens; puto enim passiones, quæ de substantia sic accepta probantur esse tantùm metaphysicas, vt sunt subsistere, & substare accidentibus, & cætera huiusmodi, quæ abstrahunt ab omni materia, atque adeo non sufficere ad obiectum scientiæ totalis constituendum; nulla ante physica passio assignabilis est saltem à nobis, quæ de dicta substantia in tota sua latitudine sumpta à priori probetur; esse enim susceptiuum accidentium materialium in communi, non competit omni, siquidem anima rationalis non potest illa recipere, vt ex dicendis constabit.

15 Ob. scies tertiò elementa sunt principia mixti, quod est obiectum partiale Physicæ, & tamen sunt eiusdem Physicæ obiecta: ergo materia, & forma etiam si sint principia in Physica, non est cur à ratione obiecti excludantur.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia elementa in Physica non sunt prima principia, ita enim principiatur mixtum, vt etiam à materia, & forma principietur, quare licet vt principia formaliter loquendo non sint obiecta in Physica, sunt tamen vt principiata; at verò materia, & forma sunt prima principia in hac scientia ita, vt alia ante se non præsupponant.

Obijcies 4. prima, & præcipua passio obiecti 16
physici est mobilitas physica, sed materia, & forma physicam habent mobilitatem: ergo pertinent ad Physicam tanquam obiecta; præcipua enim passio soli obiecto competere potest. Maior patet, minor probatur, quia materia cum sit subiectū motus subiectiuè mouetur; forma verò cum sit eiusdem motus terminus, terminatiuè.

Respondeo primò, mobilitatem terminatiuam non posse esse passionem formæ substantialis, siquidem est via ad ponēdam illam extra suas causas; Passio autem profluere debet à re, cuius est passio.

Respondeo secundò distinguendo maiorem; prima, & præcipua passio obiecti physici est mobilitas, vt quo, & quæ ad aliud ordinatur nego, est mobilitas vtquod, & quæ non ordinatur ad aliud, concedo maiorem: ad minorem autem dico mobilitatem competere materiæ, & formæ vt quo, inquantum sunt id, quo mediante corpus naturale absolutè, & vt quod denominatur moueri; obiectiuè autem in scientia est id, de quo tanquam de subiecto denominationis, & vtquod, passio demonstratur.

Neque dicas ipsum posse moueri, vt quo, esse 17
quandam passionem physicam, quæ cum competat materiæ, & formæ, sequitur hæc esse obiecta physica partialia; ne id dicas, inquam, ad hoc enim vt aliquod sit obiectum in aliqua scientia non sufficit quod habeat passionem aliquam, quæ de illo in tali scientia quomodocunque demonstretur, sed etiam requiritur, vt, pro vt tali passionē participat, non consideretur in ordine ad aliud in eadem scientia; atque hoc intelligendum est etiā si de eo passio demonstretur tanquam de subiecto denominationis, & vtquod; defectu cuius cōditionis etiam si motus localis, & tempus suas habeant passiones, quæ de illis tanquam de subiectis denominationis Physica scientia probat, non sunt tamen obiecta Physicæ partialia saltem in hac sententia, quam impugnamus: multo minus igitur erunt huiusmodi materia, & forma substantialis, quibus neque mobilitas, neque quæuis alia passio physica potest competere, vtquod.

SECTIO TERTIA.

Vtrum ens mobile sub se compositum substantiale, & accidentale comprehendens sit obiectum adæquatum Physicæ.

COmpositum substantiale dicitur id, quod ex 18
materia, & forma substantiali componitur, vt lignum; accidentale id quod ex materia substantiali, & forma accidentali constat, vt dulce, calidum: vtrumq; autem censet Caietanus esse obiectum Physicæ partiale sub nomine entis mobilis

Digitized by Google

illis comprehensum, nec recordatus est *primo posteriorum p. 13. de scientiarum subalternatione* se probasse de ente per accidens, constante ex substracto, & accidente, non posse dari scientiam: sit igitur.

Vnica conclusio compositum accidentale non est obiectum partiale Physicæ. Est fere communis, utriq;

19 Probatur primò: compositum accidentale non habet rationem formalem obiecti Physici: ergo non est obiectum Physicæ; consequentia patet ex dictis *in* Logica disp. prima, antecedens probatur; ratio formalis Physicæ est natura, vt ex ipso nomine constat, & colligitur *ex Arist. qui primo Physic. tex.* 1. scientiam Physicam, scientiam de natura esse docet, & 11. *metaphisicorum prima cap. primo* assignans scientiarum obiecta, *ait circa ea quæ in se principium motus, & quietis habent* (hoc autem est natura) *omnis naturalis intentio est*, atqui compositum accidentale non habere naturam patet *primo ex ipso Arist. 2. Phys. Text. 4.* vbi ait, *ea autem habent quæcunq; huiusmodi habent principium, & sunt hæc omnia substantia*. Compositum autem accidentale non est substantia. Secundò quia neq; forma, neq; materia compositi accidentalis est natura, nam forma cum sit accidens hoc est entis ens, non potest esse primum principium motus, in quo posita est essentia naturæ, & materia, siue sit substantia completa, siue sola materia prima, nō est sufficiens ad denominandum illud compositum naturale, seu habens naturam, vt patet ex arte factis, quæ licèt similem materiam habeant, nemo tamen dixerit, ea habere naturam cuius rei ratio est, quia materia facit, vt compositum materialiter tantùm sit naturale, obiectum autem Physicæ debet non solùm materialiter, sed etiam formaliter esse tale, quòd nō nisi formæ substantialis beneficio haberi potest: linquo neq; compositum substantiale neq; materiam primam prout veniunt in compositionem compositi accidentalis esse naturas.

20 Probatur secundò: illud est obiectum in Physica, cui primo, & per se competit prima passio physica, quæ communiter censetur esse mobilitas, sed hæc non competit primò, & per se composito accidentali: ergo &c. Maior patet minor probatur, quia quando dicitur quod composito accidentali mobilitas competit, vel est sermo de mobilitate in ordine ad motum, qui est via ad ipsum compositum accidentale producendum, vel de mobilitate in ordine ad motum, qui ipsum iam productum consequitur, sed neutrum dici potest: ergo &c. minor quoad primam partem, quæ defenditur à Caietano dicente mobilitatem terminatiuè sumptam, quam dicebat esse primam mobilitatem ipsam compositi, habere rationem passionis in Physica probatur, quia etiam si concedamus mobilitatem illam, quæ est via ad compositum accidentale producendum primo, & per se illi competere, quod falsum esse constabit ex eo quia natura intendit per illuminationem V. G. illuminare aerem, & non constituere compositum ex lumine, & aere, quia hoc reuera non est vnum ens per se, tamen hæc non est passio obiecti physici, passio namque supponit essentiam rei, cuius est passio in suo esse constitutam, & ab ea intelligitur emanare; Hæc autem mobilitas, quæ terminatiuam appellat cum sit via ad ponendam essentiam rei extra suas causas, non potest ab ea intelligi emanare, confunditur enim cum eius possibilitate.

Neque dicas productionem quidem actualem esse viam: aptitudinalem vero supponere essentiam rei, cuius est productio constituta, & ab illa profluere, si quidem passio physica debet esse aliquod saltem virtualiter emanans à re, cuius est passio; aptitudinalis autem hæc productio, vel importat non repugnantiam intrè producibili connotante positiuam potentiam in producente; vel si quid positiuum dicit ex parte rei producibilis, hoc est formalissima illius essentia diuersimodè concepta. 21

Iam verò minor argumenti principalis quoad secundam partem in qua negamus mobilitatem in ordine ad motum, qui compositum accidentale consequitur competere primo, & per se ipsi composito accidentali, probatur quia mobilitas hæc duplex esse potest, substantialis altera, altera accidentalis, quod autem neutra ei primo, & per se conueniat sic demonstro. Illi soli primo, & per se vtraq; mobilitas competit, quod simpliciter ab vtraq; & à suis actibus denominatur, sed solùm compositum substantiale est huiusmodi, soli igitur composito substantiali vtraq; hæc mobilitas competit, & non accidentali, maior patet, minor verò quoad substantialem euidens est, nam substantia dicitur generari. Probatur autem quoad accidentalem, primò quia mobilitas hæc, vel est per ordinem ad alterationem, vel per ordinem ad augmentationem, vel denique per ordinem ad motum localem; sed harum omnium mobilitatum solum compositum substantiale est subiectum denominationis, ipsum enim solum dicitur absolute alterabile, & alterari: augmentabile, & augmentari: mobile, & moueri localiter, secundo quia illud simpliciter ab accidentali hac mobilitate denominari debet, propter quod est ipsa mobilitas, sed hoc esse propter substantiam, patet ex eo quia rerum esse sui termini, quod est accidens, non est nisi propter ipsam substantiam. 22

Probatur tertio conclusio: dato quod aliqualis mobilitas competat primò, & per se composito accidentali, adhuc tamen non sequitur ipsum esse obiectum partiale Physicæ, sed in eo fundatur tota aduersariorum sententia de composito accidentali ergo &c. probo maiorem; compositum accidentale in Physica semper in ordine ad aliud consideratur, neq; ab hoc ordine vnquam præscindit; cuius rei ratio est, quia accidens nullo alio modo præscindere potest saltèm explicitè ab ordine, quem dicit ad substantiam nisi consideratum sub ratione eius præscindentis ab omni materia. Ad huiusmodi autem considerationem non se erigit Physica, siquidem hæc à materia signata tantùm præscindit: ergo dum accidens, seu compositum accidentale in hac scientia consideratur, non potest præscindere ab actu in ordine ad substantiam, quod erat probandum.

Obijcies primo *Aristoteles p. de Cœlo tex.* 1. ait scientiam de natura esse de corporibus, magnitudinibus, & cæteris: ergo magnitudo, quæ est quantitas saltèm in cōcreto est obiectum partiale Physicæ per *Aristotelem. Confirmatur, ex 6. metaph. tex.* 23

3. vbi

3. vbi ait *quod si nulla substantia esset praeter materialem, Physica esset prima philosophia*, atqui prima philosophia habet de facto pro obiecto accidens ergo &c.

Respondeo, obiectum in scientia sumi posse dupliciter; primò latè, quatenus comprahendit omne id quod quomodocunque ad illam scientiam pertinet, & dici potest obiectum communitatis; secundò præcisè pro eo, de quo primò, & per se probantur passiones per principia, itaut non ordinetur ad aliud in scientia, & dicitur obiectum adæquatum attributionis. Iam verò magnitudo, & quæuis alia passio physica, est quidem obiectum latè, non autem præcisè, sicuti nunc de obiecto disputamus. Ad confirmationem dico, quod nisi darentur Deus, & Angeli, non posset Intellectus abstrahere rationem aliquam ad omni materia, atque adeo nō remaneret nisi Mathematica, & Physica, quę cum esset nobilior ipsa mathamatica, rectè docet Philosophus eam fore primam philosophiam.

24 Obijcies secundo: sicuti generatio est proprietas compositi substantialis, ita calefactio erit proprietas calidi: ergo vt compositum substantiale, ita accidentale erit obiectum physicæ.

Respondeo antecedens esse de subiecto non supponente, nego enim propter modo dicta rationem, generationem substantialem esse proprietatem compositi substantialis; verùm si darem antecedens, nulla adhuc esset consequentia; disparitas enim est, quia cōpositum substantiale in physica consideratur per se, at verò accidentale non potest considerari nisi in ordine ad aliud.

25 Instabis: substantiale Compositum consideratur in ordine ad aliud in physica, tū ratione formæ, tum ratione materiæ; omnis enim forma substantialis dicit essentialem ordinem ad materiam; materia autem omnis est potentia omnium formarum; sed hoc non impedit, quominùs compositum substantiale sit obiectum physicæ: ergo neque quod compositum accidentale consideretur in ordine ad aliud.

Respondeo, negando maiorem: & ratio negationis est, quia forma substantialis non dicit essentialem ordinem ad materiam, tanquam ad terminum vltimatum, sed eam respicit, vt simul cum illa constituat compositum substantiale. Vnde est quod dictum compositum substantiale non consideretur in ordine ad aliud ratione formæ; at verò accidentale compositum ratione formæ accidentalis ordinatur ad ipsum compositum substantiale tanquam ad terminum vltimatum: quod autem materia prima sit potentia vniuersalis omnium formarum nihil refert, quia non constituit determinatum compositum, nisi vt determinata per peculiarem formam, vt sic autem non est amplius potentia vniuersalis, sed particularis & incapax alterius formæ: linquo eam eodem indiuisibili respectu respicere cæteras formas, ac respicit illā sub qua de facto est, & per consequens absque vllo ordine vnius ad aliud.

26 Obijcies tertio: ens materiale in tota sua latitudine sumptum, quatenus sub se nomprahendit cōpositum substantiale, & accidentale, potest esse obiectum per se considerabile ab aliqua scientia, sed nō nisi à Physica: ergo est obiectum physicę; Confirmatur, quia obiectū Physicæ est ens illud respectu cuius definitur motus esse actus entis in potentia. Si autem ens in potentia intelligatur omne mobile, sivè subiectivè, sivè terminativè, cōprahendit omne ens materiale; sic autem posse intelligi, nihil prohibet: ergo &c.

Respondeo negando antecedens; vix enim assignari potest à nobis proprietas, quæ probari possit à priori de ente materiali in tota sua latitudine considerato, ita vt illi tanquam subiecto denominationis primò, & per se conueniat. Ratio igitur huiusmodi entis consideratur per accidens à metaphysico, quatenus enti spirituali est oppositum; ad confirmationem autem dico non quodcunque ens respectu cuius motus dicitur actus in potentia quomodocunque potest esse obiectum Physicæ, sed illud solùm, quod absolutè loquendo, ab huiusmodi actu denominatur; hoc autem non est nisi compositum substantiale, vt vidimus.

Obijcies quartò: compositum accidentale constat ex principijs physicis, materia scilicet, forma, & priuatione: ergo est obiectum physicæ: Confirmatur, quia 1. *Physic.* agit Aristoteles de principijs compositi accidentalis, vt patet ex innumeris exemplis ibi allatis. 27

Respondeo negando antecedēs, principia enim physica sunt materia, forma substantialis, & eius priuatio, alioquin omnia prædicamenta essent obiecta physicæ, docente *Aristotele* 12. *metaphysic.* 19. materiam, formam, & prauationem per omnia prædicamenta vagari; Ad confirmationem autem dico *Philosophum lib.* 1. loquutum esse de principijs compositi accidentalis, non solùm naturalis, sed etiam artificialis, de verisque tamen per accidens, & non per se in quantùm scilicet huiusmodi principia, vtpote sensibilia immediatè ducunt nos in cognitionem principiorum compositi substantialis, de quibus, ille per se agebat; quare nego consequentiam.

SECTIO QVARTA.

Vtrum ens mobile tum substantiæ, tum accidentia materialia comprahendens, sit obiectum adæquatum Physicæ.

28 CONclusio est negatiua, & communis contra Gratia Dei initio *Physic. q. 1.* & *Petrocinensē q. 2.* quos sequitur *Giustinus in log. q. quæst. 13. versus* dico secundò, vbi docet ex professo obiectum adæquatum attributionis physicæ esse omnia entia naturalia sensibilia, ita vt principalius sit substantia completa, minus principale accidentia, materia, & forma. Nescio cur compositum quoque accidentale non numerauerit; debebat enim si consequenter philosophari voluisset.

Assertio nostra quatenus ab obiecto Physicæ excludit materiam, formam, & compositum accidentale, iam supra probata est; probatur autem nunc quatenus excludit accidentia in hunc ferè modum: Obiectum adæquatum attributionis alicuius scientiæ speculatiuę est id, quod ita participat rationem formalem illius scientiæ, vt neque illam excedat, neque excedatur ab illa, sed ens mobile accidentia comprahendens excedit rationem for-

ma-

Digitized by Google

malem ſcientię phyſicæ: ergo, &c. maior patet ex dictis, minor verò probatur, quia ratiò formalis, quæ reſpicitur ab habitu phyſicę, eſt natura, vt vidimus, & etiam videbimus infra; ſed accidentia non habent naturam, vt patet ex ipſomet Ariſtotele, qui poſtea quam *ſecundò Phyſicorum tex.* 7. definiuit naturam: principium primum motus, & quietis in eo, in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens, hæc addidit *tex.* 4. naturam autem habent quæcunque huiuſmodi habét principium, & ſunt hæc omnia ſubſtantia; ſed accidentia non ſunt ſubſtantia: ergo &c.

29 Probatur ſecundò: quia accidentia ſunt ea, quæ probantur tanquam paſſiones, & earum exercitia de obiecto phyſicæ; ergo non ſunt obiectum phyſicę; conſequentia euincitur, quia obiectum in ſcientia eſt id, de quo demonſtrantur paſſiones; ſed accidentia ſunt paſſiones, ſeu paſſionum exercitia; ergo &c.

30 Obijcies primò ex Giattino loco citato: nomine phyſicæ venit ea ſcientia, quæ in ſuis operationibus non abſtrahit à ſenſibilitate obiecti materialis; ſed hæc vendicat ſibi ſubſtantias, & accidentia materialia tanquam obiectum adæquatum ſuum: ergo &c. maior patet, minor probatur, quia poſito quod phyſica non abſtrahit à ſenſibilitate obiecti materialis, ſequitur quod cõgregatio omnium cognitionum non abſtrahentium à materia ſenſibili, debeat dici adæquata phyſica; ſed multæ ex his cognitionibus habent pro obiecto accidentia ſenſibilia; ergo &c.

Reſpondeo; conceſſa maiore: diſtinguendo minorem, & ſi quidem nomine obiecti adęquati venit totum id, quod quomodocũque conſideratur à phyſica, ſiuè demum ſit principium, ſiuè paſſio; cõcedo: ſin autem ſolùm id, de quo probantur prę cipuæ paſſiones per prima principia phyſica, nego minorem, & conſequentiam in ſenſu intento: ad minoris probationem, conceſſa item maiore: ad minorem dico: quod quamuis multæ cognitiones phyſicæ habeant pro obiecto accidentia ſenſibilia, hinc tamen nõ ſequitur obiectum phyſicæ adęquatum includere ſub ſe dicta accidentia tanquã obiecta partialia; Ratio eſt: quia ad hoc, vt aliquid pertineat ad ſcientiam aliquam tanquam obiectum attributionis debet per ſe conſiderari ab ea, & non in ordine ad aliud: hoc autem non habent accidentia in phyſica: ergo &c. ſicuti neque Deus, & Angeli quatenus conſiderantur, vt motores, & alteratores corporum, quantumuis ſub hac ratione non abſtrahant à materia ſenſibili, vt recte notat Bonę ſpei *p.p. Phyſ. diſp.p.n.* 19.

31 Inſtabis ex eodem Giattino: ex eo, quod accidentia ſint eſſentialiter ordinata ad compoſitum ſubſtantiale non benè excluduntur ab obiecto attributionis partiali phyſicæ, ergo nulla diſtinctio; Antecedẽs: quia aliud eſt, quod vna res ſit eſſẽtialiter à natura ordinata ad ſubſtantiam: aliud verò quod non conſideretur niſi in ordine ad illam; de facto enim accidens præſcindens à materiali, & ſpirituali quatenus eſt ens in Metaphyſica, non conſideratur in ordine ad ipſam ſubſtantiam vt ſic.

Reſpõdeo: diſtinguendo antecedẽs: ex eo quod accidentia ſint eſſentialiter ordinata in ratione entis ad compoſitum ſubſtantiale, nõ benè excluduntur ab obiecto attributionis partiali, cõcedo; ex eo quod ſint eſſentialiter ordinata in ratione ſcibilis non benè excluduntur, nego antecedens, & conſequentiam; ad cuius probationem conceſſo antecedente dico: accidentia in Phyſica ſemper conſiderari in ordine ad ſubſtantiam eo quod nõ habent, prę ſcindendo à dicto ordine, conſiderabilitatem Phyſicam obiecti. De illis enim non poſſunt probari paſſiones phyſicæ per principia phyſica, nam paſſiones phyſicæ non ſunt niſi accidentia; principia verò prima ſunt materia, & forma: quamuis autem ab aliquo accidẽte poſſit profluere aliud accidens: non tamen ab omni, ſecus daretur proceſſus in infinitum; quod ſi profluerent non poſſet de eo probari proximè per naturam, vt cõſtat ex dictis. Per quæ patet diſparitas inter accidens præſcindẽs ab omni materia, & accidens ſẽſibile: illud enim ſumptum in ratione ſcibilis metaphyſicè, hoc eſt, vt ens: ex vna parte non ordinatur ad ſubſtantiam, & ex alia habet attributa Metaphyſica: eſt enim vnum, verum, bonum: vnde non eſt mirum ſi ſit obiectum partiale Metaphyſicæ: non ſic autem ſe habet accidens ſenſibile in ordine ad Phyſicam.

Obijcies tertiò ex eodem: illud eſt obiectum attributionis adęquatum in aliqua facultate, quo habito, facultas contenta eſt, nec aliud vlterius quærit; id verò inadæquatum, quo habito, adhuc facultas contenta non eſt: ſed, habita cognitione de ſolo Corpore naturali, Phyſica contenta non eſt, niſi etiam habeat cognitionẽ accidentiũ illius; ergo non ſolùm Corpus naturale, ſed etiam accidens eſt obiectum adæquatum Phyſicæ; maior patet, minor probatur, quia nomine Phyſicæ venit tertia pars Philoſophiæ, quæ præſcindit à materia ſignata, & inuoluit ſenſibilem, ſed hæc, niſi præter cognitionem Corporis naturalis habeat cognitionem accidentium ſenſibilium non eſt contenta; ergo &c. 32

Reſpondeo argumentum hoc nimis probare, euincit enim obiectum attributionis adæquatum in aliqua facultate comprehendere debere tamquã obiecta partialia principia, & paſſiones, quas facultas illa conſiderat de ſuo obiecto, quia niſi habeat cognitionem eorum non eſt contenta; Illud igitur obiectum, quo habito, facultas cõtenta eſt, & quę non habito contenta non eſt; eſt obiectum per modum aggregationis continens ſub ſe, tum obiectum attributionis, tum attributi; quare neganda eſt maior argumẽti, non enim id ſine quo facultas non eſt contenta, eſt eius obiectum partiale, ſed id ſolùm, quod participat rationem formalem ab ea facultate reſpectam.

Obijcies quartò: Phyſica facit quæſtiones de accidentibus non ſolùm quęrendo cognitionem ſubſtantiæ, ſed etiam propter ipſamet accidentia: ergo accidentia licèt, conſiderentur in Phyſica, vt paſſiones, vel exercitia paſſionum, conſideratur tamen etiam, vt obiecta partialia: Conſequentia patet, antecedens verò probatur, quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile poſſideret Phyſica perfectè cognitionem Corporis naturalis, ſine cognitione accidentium, non eſſet hæc tertia pars Philoſophiæ, quæ de facto eſt, niſi etiam cognoſceret ipſa accidentia; ſi quidem hæc importat aggregationem cognitionum omnium abſtrahentium à materia 33

Digitized by Google

teria signata tantùm, siue sint de Corpore substantiali, siuè de accidentibus eius: ergo Physica de præsenti facit quæstiones de accidentibus non solùm propter substantiam, sed etiam propter ipsamet accidentia, ita fere Giattinus.

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem dico primò, eam continere fallaciam à secundùm quid ad simpliciter, seu ab impossibili ad defacto in materia de proprietatibus, quem argumentandi modũ non cõcludere patet ex eo, quia sic de quacunque proprietate, quam scientia aliqua totalis de suo subiecto demonstrat, probari posset esse obiectum partiale illius scientiæ: atque adeò obiectum adęquatum Metaphysicę cõprehendere tanquam obiecta partialia vnum, verum, bonum, eo quod si per possibile, vel impossibile possideret Metaphysica perfectam cognitionem entis sine horum cognitione, non esset prima pars Philosophiæ, quæ nunc est, nisi etiam cognosceret vnum, verum, bonum; siquidem prima Philosophiæ pars de facto importat congregationem cognitionum omnium, quæ pręscindunt ab omni materia, cuiusmodi sunt cognitio vnius, cognitio veri, & cognitio boni: vidisti fallaciam? attende ad solutionem: dico igitur secundò: concedendam esse sequelam, nimirùm in eo casu impossibili nõ dari tertiam partem Philosophiæ, quę nũc datur, siquidem neque de Corpore naturali, neque de accidente physico possent demostrari passiones physicę, eo quod, vt sæpè diximus, passiones physicę sunt accidentia propria, sed iam in ea suppositione non demonstrarentur de Corpore naturali huiusmodi accidentia: ergo &c. sicuti igitur si per impossibile supponamus ens posse perfectè cognosci sine suis attributis, non daretur prima pars Philosophiæ, quę nunc datur; ita neque tertia in illo casu.

34 Obijcies quintò: sicuti se habet accidens in communi ad substantiam in communi, ita accidés materiale ad substantiam materialem; sed ab accidente, & substantia in communi abstrahitur ratio entis in cõmuni, quæ est obiectum metaphysicæ: ergo etiam ab accidenti, & substantia materiali abstrahi potest ratio entis materialis, quę sit obiectum physicæ; Disparitas autem quę sumitur ex eo, quod ens in communi habeat passiones, materiale verò ens minimè: non obstat primò, quia non necessariò scientia debet de obiecto suo probare passiones; sufficit enim sistere in contemplatione essentię, & prędicatorum, quę illi essentialitèr competunt; secundò quia de ente materiali demonstrari potest distinctio ab ente spirituali, & oppositio cum illo; Habitudo preterea circumscriptiua ad spatium; diuisibilitas denique in partium extensione, & cętera huiusmodi: ergo &c. ita *Auersa in loco citato.*

Respondeo negando paritatem intentam, & dico, rectè disparitatem assignatam fuisse; Id autè quod primo loco dicitur: scientiam scilicet non debere necessario demonstrare passiones de suo obiecto contradicit Aristoteli, & communi sensui Philosophorum; adde quod prędicata qiriditatiua rerum à nobis non nisi per effectus, seu passiones cognosci possint; ad ea verò, quę dicebantur secundo loco, aio, quod distinctio, & oppositio sunt passiones metaphysicæ, per se loquendo; consequuntur enim quodlibet ens non minùs quã vnitas, veritas, & bonitas; quemadmodum igitur hęc attributa in aliquo ente in particulari considerata, nequeunt condistinctam scientiam à metaphysica constituere, ità neque illa; habitudo prętereà circumscripta ad spatium, & diuisibilitas primò, & per se, soli competunt quantitati, vt quod verò soli substantię completę, accidentibus autem materialibus, non nisi per accidens, in quãtum scilicet sunt in subiecto inhęsionis, quod est in loco circumscriptiuè; atque adeo in nullo ex quatuor modis dicendi per se competũt illis, quod requiritur ad scientificam demonstrationem: stet igitur: ens in communi esse obiectum metaphysicę, quia rationem formalem metaphysicę, & eius attributa participat; ens verò materiale non posse esse obiectum physicę, quia neque naturam habet, neque passionem aliquam physicam.

Instabis: sicut ab accidente, & substantia materiali abstrahi potest ratio entis materialis vt sic: ita à diuisibilitate in partes extensas, quę per se competit substantiæ materiali, & ab ea, quę competit per accidens accidenti, abstrahi potest ratio diuisibilitatis in partes extensas vt sic; sed hæc potest optimè probari tanquam passio de ratione illa materiali in tota sua latitudine sumpta: falsum igitur est, ens materiale nullas habere passiones. 35

Respondeo breuitèr negando minorem, passio enim competere debet subiecto scientię per se, & non per accidens, vel cum indifferentia ab vtroque, vt suppono ex dictis in Logica. Obiter autè hic aduerto: abstractionem illam entis materialis à substantia, & accidente materiali esse innaturalẽ, atq; adeo nõ inseruire scientijs, quia relinquit in accidente rationem materialitatis, & præscindit saltèm explicitèr ab essentiali ordine, quem, vt accidens est, dicit ad substantiam: contra autem euenire debuerat, nam ordo ad substantiam est illi magis essentialis, & superior, quàm ratio materialitatis, siquidem dictum ordinem ex vniuersalissima accidentis ratione participat, supra quam non inuenitur, nisi ratio entis; materialitatem autem nõ habet nisi vt contractũ ad quoddam genus accidentis; in pręcisionibus autem, quę pręsertim sunt de Conceptibus totalibus, superiora possunt quidem ab inferioribus pręscindere, at non inferiora à superioribus.

SECTIO QVINTA.

An obiectum adæquatum Physicæ sit intelligibile naturale, quatenus sub se non solùm entia realia naturalia, sed etiam earum priuationes, & chymeras ex eis constantes complectitur.

36 COnclusio est negatiua, quæ nullo alio meliori modo suaderi potest, quàm probando priuationes formarum naturalium, quæ sunt in materia, nec non etiam entia fictitia ex rebus naturalibus constantia, non esse obiecta partialia physicæ. Et quidem, quòd priuatio excludenda sit à ratione obiecti, non solùm euincitur illis argumentis, quibus probauimus accidens nõ esse obiectum phy-

Digitized by Google

physicæ, quæ multo magis militant contra priuationem, sed etiam quibusdam alijs, quorum primũ est hoc, Id quod est destructiuum obiecti adæquati Physicæ, non potest esse eius obiectum, at qui priuatio est destructiua obiecti adæquati Physicæ, ergo non potest esse obiectum physicæ. Maior est euidens, si enim destructiuum obiecti alicuius facultatis esset obiectum illius, tam obiectum seipsum destrueret, quod est impossibile, minor verò probatur sic. Physica, vt sæpe docet Aristoteles est scientia de natura eo quod eius obiectum formale adæquatum est natura, atqui priuatio est destructiua naturæ; *vnde ab Aristotele primo Physic. tex.* & appellatur natura malefica, eo quod, vt inquit Riuius *primo Physic. q. 3. n. 24.* semper rei naturalis intentum machinatur, ergo priuatio est destructiua obiecti Physicæ adequati.

37 Probatur secundò: id quod est malum naturæ nõ potest esse obiectum scientiæ de natura, sed priuatio est malum naturæ, vnde est, vt sit præter intentionem in rebus; ergo &c. maior videtur certa aliquis scientia de natura specificaretur ab oppositis ipsi naturæ; minor verò suadetur discursu D. Th. qui habetur *3. contra g. cap. 4. n. 3.* & est huiusmodi: Ad idem tendit motus mobilis, & motio mouentis, mobile autem tendit per se ad bonum, ad malum autem per accidens, & præter intentionem; quod quidem maximè in generatione, & corruptione apparet; materia enim cum est sub vna forma, est *in* potentia ad formam aliam, & priuationem formæ iam habitæ, sicuti cum est sub forma aeris est in potentia ad formam ignis, & priuationem formæ aeris, & ad vtramq; trasmutatio materiæ terminatur simul, non autem intentio, & appetitus eius est ad priuationem, sed ad formam. & post pauca; Bonum est secundùm quod materia est perfecta per formam, malum autem secundùm quod est priuata actu debito; omne igitur, quod mouetur tendit in suo motu peruenire ab bonum; peruenit autem ad malum præter intentionem; Ex quibus patet priuationem esse malum naturæ, & esse præter intentionem in rebus naturalibus, quod erat probandum.

Atq; hæc quantum ad priuationes, quod verò attinet ad chymeras ex rebus naturalibus incompossibilibus coalescentes Probatur etiam iuxta principia huius sententiæ; volentis obiectum adæquatum Physicæ esse intelligibile naturale, sed Chymera constans ex homine, & equo non est intelligibile naturale, nisi quatenus opponitur intelligibili supernaturali, quod non sufficere ad rationẽ obiecti Physici patet ex Angelo, qui licèt nõ sit intelligibile supernaturale, sed naturale nõ 38 tamẽ est obiectũ Physicę; ergo chymera constans ex homine; & equo nõ est obiectũ partiale Physicæ: maior patet, minor suadetur: omne quod est naturale, vel est habens naturã vt Homo, vel est via ad naturã, vt hominis generatio, vel consequitur naturã, vt est motus, & quies quorũ natura est principiũ, sed Chymera nullum est ex his tribus, vt de se patet, ergo &c.

38 Obijcies primò: *Aristoteles 1. de Cœlo tex. 1.* hæc habet: Scientia de natura fere plurima videtur circa corpora, & magnitudines, & horũ passiones atq; motus, adhuc autẽ circa principia; sed inter principia Physicæ numerantur priuationes; ergo hæc enim obiecta partialia Physicæ, *Rursus 2. Physic. cap. 6.* ait: quod nõ solũ Corpora naturalia sint obiecta Physicæ, sed etiã eorũ accidentia, quantumuis negatiua, vt sint certũ aut mundum esse, aut non esse Corpora sphærica; ergo &c.

Respondeo: Philosophum primo loco agere de obiecto Physicæ cõmunicatis, quatenus cõprehendere voluit tũ obiectũ attributionis, tũ obiectũ attributum, quo sensu loquuti sũt Hurtadus, & Oniedus in procemio Physicæ sequuti Molinã quãdo pro obiecto Physicæ adæquato assignarũt Corpus substantiale cõplectum cũ suis proprietatibus, passionibus, causis, actionibus &c. quod constat ex ipso Oniedo, qui paulò post seipsũ explicãs, subdit: Obiectũ attributionis est Corpus substantiale cõplectũ: obiecta verò attributi sunt principia, proprietates, causæ, causalitates, atq; passiones illius: ridiculũ autẽ est asserere non esse maiorem rationẽ de Corpore substantiali, quã de cæteris dum agitur de obiecto attributionis Physicæ; patet enim cætera dicere attributionẽ ad ipsum Corpus, & ad illud spectare, vel tanquam principia, vel tanquam causas, vel tanquam passiones.

Ad secundum verò locum ex Physicis dedictũ aio: ex eo solũ colligi Physicum demonstrare de Terra, & Mundo quod sint figuræ sphæricæ, atque adeo figurã solum spectare ad eã tãquam passionẽ Corporis; de quo tãquã de obiecto probatur; eodẽ modo discurrẽdum est de priuationibus Physicis, de quibus cõcedi potest quod sint naturales, in quantum Corpora naturalia necessariò consequuntur: at ex hoc solum potest colligi, quod spectent ad Physicã, vel tãquã principia trãsmutationis, vel tanquã obiecta attributa Corpori naturali propter oppositionẽ, quam habent cum forma, nõ autem tãquam obiecta attributionis; neque aliud voluit Philosophus dũ subdidit de Terra demonstrari posse à Physico, quod non habet aliquã figurã V. G. quod non sit quadratera; quia hæc carẽtia pertinet ad Terrã, vt negatiua eius proprietatẽ.

Obijcies secundò: dari potest cognitio, qua de carẽtia formæ ignis V. G. probetur scientificè aliquod attributum tanquã de obiecto attributionis: 14 vt quod sit principium generationis, & corruptionis eiusdem ignis; sed hæc cognitio est scientia Physica: ergo priuatio ignis, &c. per consequens, cætera, quæ sunt in materia erunt obiectum attributionis Physicæ.

Respondeo negando maiorem: sicuti enim priuatio cum sit non ens non habet esse proprium, 39 neque propriam scibilitatem; atq; adeo in ratione scibilis semper consideratur in ordine ad ens tanquã ad obiectum attributionis, ad eum planè modum, quo etiam si in Metaphysica detur aliqua cognitio, qua de vno, vero, & bono probetur scientificè aliquod attributum: nõ tamen dicitur de illis tãquam de obiecto attributionis Metaphysicæ, sed tanquam de obiecto attributi.

Obijcies tertiò: Hircocerus habet naturam 40 Hirci, & Cerui: ergo est obiectum Physicæ.

Respondeo: ad essendum obiectum Physicæ nõ sufficere quomodocunque habere naturã aliquam: statua lapidea V. G. esset obiectum Physicæ, quia iam constat ex lapide, qui naturam habet. Quod si dicas alteram eius compartem esse formam artificialem, atq; adeo non esse naturalem ea ratione

facta, quę per mixtionem rerum naturalium fiunt, vt eſt oximel, & cætera pharmaca, imo exculenta omnia, & poculenta: hæc non eſſent excludenda ab obiecto Phyſicæ, quia iam conſtarent ex partibus naturam habentibus & de ijs aliqua proprietas demonſtrari poſſet: vt igitur aliquid ſit obiectum Phyſicæ debet habere naturam phyſicam, & realem, tum formalem, tum materialē, ex qua reſultet vnum per ſe, quod in his non habetur, & multò minus, in hyrcoceruo.

Inſtabis, natura Hyrci, & natura Cerui poſſunt concipi, vt duæ naturę, quarū vna ſit formalis, altera materialis, retinētes in compoſitionem realitatem ſuam, & facientes vnum ens per ſe nēpè hyrcoceruum, ergo iam hyrcoceruus habebit naturā, ſicuti habent alia obiecta attributionis Phyſicę: nō eſt igitur cur non ſit obiectum Phyſicæ.

Reſpōdeo, conceſſo antecedente, negādo vtrāque conſequentiam: ratio negationis ſic proponitur: obiecta attributionis Phyſicę debent habere naturam Phyſicam independenter à fictione Intellectus putantis eſſe naturam Phyſicam eam, quę nō eſt huiuſmodi: ſed in caſu poſito Hyrcoceruus haberet naturam phyſicam dependenter à fictione Intellectus fingentis eſſe naturam phyſicam eam, quę verè non eſt talis, ergo Hircoceruus ſic confictus non erit obiectum Phyſicę: conſequētia patet; maior verò probatur, quia ſi ſufficeret ad eſſēdum obiectum Phyſicæ habere naturam phyſicam dependenter à fictione Intellectus putantis eſſe naturam phyſicam eam, quæ nō eſt huiuſmodi: ſequeretur quod id, quod verè non habet naturam phyſicā, ſed ſolū fictè, verè, & non fictè eſſet obiectum phyſicæ: ſed hoc eſt abſurdum, vt de ſe patet, ergo &c. minor verò ſuadetur, quia hoc ipſo, quod naturę Hyrci, & Cerui intelliguntur coalescere in vnum ens per ſe, iam reddūtur implicātes: dum ergo concipitur Hyrcoceruus habere naturam phyſicam, & realem, hoc eſt non implicantem, illam habet dependenter à fictione proximi intellectus fingentis in eo dari dictam naturam, quę verè non datur.

41 Subinſtabis: ex hoc argumento ſolùm ſequitur, quòd Hyrcoceruus non ſit obiectum Phyſicę pro ſtatu reali: non verò quòd non ſit tale pro ſtatu obiectiuo: ſed hoc ſecundum contendit Aduerſarius: ergo &c.

Reſpōdeo: dupliciter intelligi poſſe Hyrcoceruū eſſe obiectū phyſicæ pro ſtatu obiectiuo, primò quod poſita fictione intellectus, verè, & propriè ſit obiectū Phyſicæ; ſecūdò quod licet verè, & propriè non ſit tale, ſit tamen tale fictitiè, & putatiuè; Iam verò quæſtio non procedit in hoc ſecūdo ſenſu, quis enim neget quod ſi intellectus fingat Deum V.G. habere naturam phyſicam, atque adeo eſſe obiectum Phyſicæ, in hoc caſu Deus in ſtatu obiectiuo habeat naturam, & quod ſit obiectum Phyſicę, ſed fictè, & putatiuè tantùm: non verè, & propriè? ſic etiam dicendum de Hyrcoceruo quando intellectus putat eum conſtare ex naturis phyſicis, quę in compoſitionem retineant realitatem & conſtituant illum ſubſtantiam naturalem completam. Procedit igitur quæſtio in primo ſenſu, ſiquidē quæritur, an poſito quod Hyrcocerus putetur per fictionem conſtare ex naturis phyſicis, quæ in compoſitione realitatem ſuam obiectiuè retineant, verè, & propriè ſit obiectum Phyſicæ, ita vt ſcientia phyſica ſpecificetur ab illo, & inclinet ad ſpeculandum de illo, & ad probandas de eo paſſiones, iam verò ad hoc ego negatiuè reſpondeo, quod probo illo principio, quo vtitur *D.Th.* 2.2.q.1.art.5. ad probandum fidei non poſſe ſubeſſe falſum, quia nulla virtus perficiens intellectum ſe habere poteſt ad falſum; ſiquidem vt ait Ariſtoteles: virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum: hoc eſt, vt explicat Auguſtinus, eſt qualitas, qua nemo malè vtitur: atqui ſcientia phyſica eſt virtus intellectus, cuius bonum eſt veritas, & malum eſt falſitas; ergo repugnat, vt ſcientia phyſica habeat verè pro obiecto ſuo Hyrcoceruum, & de illo ſpeculetur, & ad illum inclinet; Neque dicas virtutes alias V. G. iuſtitiam, miſericordiam, &c. poſſe operari propter finem motiuum formale putatum, & non verum: Diſparitas enim eſt inter virtutes perficientes Intellectum, & Voluntatem; hę enim perficiunt voluntatem eo quod inclinent illam ad opus moraliter bonum, ad quod faciendum ſufficit, quòd voluntas ſequatur proximam regulam humanarum actionum, quę eſt conſcientia, ſiuè hæc ſit recta, ſiuè errans: at verò virtutes Intellectiuę debent inclinare Intellectum ad verum, quia bonum Intellectus eſt Veritas: Porrò veritas cognitionis tota conſiſtit in eius conformitate cum obiecto ſecundùm ſe conſiderato, ſicuti falſitas in difformitate cum illo; & hinc eſt vt ſcientia Phyſica non poſſit operari circa Hyrcoceruum, quem falſo putat Intellectus habere veram naturam; virtus verò miſericordiæ poſſit operari miſericorditèr circa illum hominem, quem falſo Intellectus putat eſſe miſerum.

SECTIO SEXTA

Num adæquatum Phyſicę obiectum ſit Corpus Mixtum, vel Corruptibile.

HVc vſq; contra eos, qui obiectū Physicę plus æquo dilatarūt: inpoſterū cōtra illos, qui nimiū illud reſtrinxerunt, hiuſmodi ſunt *Raguſeus lib. de naturali Philoſophiæ ſubiecto diſp.1.cap.5. & Marcus Antonius Genua apud eūdem cap. 3.* quorū ſecūdus excludēs ab obiecto Philoſophiæ tū Cœlū, tū elementa, quę ſunt ſimplicia corpora, ſolum corpus mixtum pro obiecto aſſignat, primus verò ſolùm Cœlos quippe incorruptibiles excludens, corpus corruptibile eſſe adæquatum Physicę obiectum pronuntiat: contra quos ſit 42

Vnica Concluſio: tum Cœli, tum elementa ſunt obiecta Phyſicę partialia.

Probatur 1. *ex Ariſtotele qui 12. Metaph. tex.5.* cū diuiſiſſet ſubſtantiā trifariā: in immobilē, ſcilicet, quæ eſt intelligentia, in ſenſibilē, corruptibilē, vt eſt elemētū, & in ſenſibilē incorruptibilē, quę eſt Cœlū, expreſſis verbis docet primā ad Metaphyſicū, duas verò reliquas ad Phyſicū pertinere; Neque dicas ibi ſolū velle Philoſophū, quod elemēta, corporaque cęleſtia, pertinent ad Phyſicā tanquā principia ſui obiecti, nō autē tanquā obiecta: quia ſi hoc voluiſſet nō debuiſſet à cōſideratione Phyſica ſubſtāriā immobilē excludere; ſiquidem Intelligētię nō minus, quā ipſa corpora cœleſtia ſūt principia extrinſeca effectiua rerū naturaliū. 43

Digitized by Google

Probatur secundò ratione; Cœlum, & elementa participant rationē formalem obiecti physici, eiusque passiones: ergo sunt obiecta Physicæ partialia: Consequentia tenet; assumptum verò probatur: tum quia habent in se naturam, vt videbimus secundo physicorum; tum quia non abstrahunt à materia sensibili; tum denique, quia habent mobilitatem physicam, quæ est passio obiecti Physici ergo &c.

44 & Probatur tertiò, quia nisi Cœlum, & elementa ad scientiam physicam tamquam obiecta pertinerent respectu nullius scientiæ haberent rationem obiecti: non quidem Metaphysicæ, quia hæc ab omni prorsus materia abstrahit: neque Mathematicæ, quia hæc solam quantitatem sibi vendicat: ergo ad Physicam tamquam obiecta partialia spectare debent; Neque dicas, satis illis esse, si ad eā pertineant tamquam mixtorum omnium principia: licèt enim vt sic sint à Physica considerabilia, quo pacto esse nequeunt eius obiecta partialia: quia tamen non sunt prima principia incomplexa, sed ex primis constant & præter ordinem ad aliud, etiam absolutam perfectionem in se important, in quantum sunt entia per se stantia, habentia qualitates ad sui conseruationem & perfectionem simpliciter ordinatas; hinc fit, vt non solùm sint considerabilia, vt principia, & in ordine ad aliud, sed etiam vt principiata per se, & in ratione obiecti, quo pacto non nisi ad Physicam pertinere possunt.

45 Obiicies primò pro Genua: Cœlum, & elementa sunt principia physica: ergo non sunt obiectum Physicæ.

Respondeo distinguendo antecedēs: sunt principia prima, nego: sunt principia ab aliis vniuersalioribus principijs physicis principiata, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia Cœlum, & elementa sub ea ratione, sub qua principiantur ab aliis, sunt partes, & vt obiecta considerabilia.

46 Obiicies secundò pro Raguseo ex *Aristot. 1. poster. text. 45.* obiecta partialia alicuius scientiæ debent in aliquo genere conuenire: Iam verò ex eodem *Aristotele 12. metaphys. cap. vltimo*, Corruptibile & Incorruptibile, vt est Cœlum differunt genere: ergo Cœlestia Corpora non possunt esse obiectum partiale physicæ.

47 Respondeo ad maiorem ibi Aristotelem loqui de conuenientia aliquali, id est in genere analogo, vt constat ex obiectis partialibus Metaphysicæ, quæ conueniunt inter se analogicè, tantùm vt ratione entis: ad minorem eiusdē aio, Aristotelem hoc ens Corruptibile, & Incorruptibile negasse conuenientiam vnitocam in genere proximo: non autem analogam, siue etiam vnitocam in remoto; quare consequentia nulla est.

Obiicies tertiò: illud est obiectum in Physica, cuius principia *lib. 1. phys.* inuestigantur sed ibi de solis principijs Corporis Corruptibilis agitur: Cœlum igitur, quippe incorruptibile non est obiectum in hac scientia. maior patet; minor verò probatur: tum ex *Text. 68.* eiusdem libri tum etiam quia in eo Philosophus per transmutationem inuestigat principia: Transmutatio autem solis corporibus corruptibilibus: non autem incorruptibilibus competit.

Respondet ad hoc argumentum Zabarella negando maiorem; putat enim initium scientiæ physicæ sumendum esse ex *lib. physic.* vbi agitur de natura, & causis; primum verò præbere nobis solum præcognitionem quamdam de principijs rerum corruptibilium, vt facilius nobis esset iter ad vniuersam Physicam; sed quidquid sit de hoc, Respondeo ego concessa maiorem, negando minorem ad cuius probationem aio: quod licet per transmutationem Aristoteles inuestiget obiecti physici principia: hinc tamen non fit ipsum principia solius Corporis transmutabilis, & corruptibilis inuestigare, sed etiam alia; huius rei ratio est, quia transmutatio facit illa quidem venire nos in cognitionem principiorum rerum corruptibilium immediatè; at mediatè ducit etiam in cognitionem rerum incorruptibilium, vt sunt Cœli in sententia Aristotelis, propter analogiam, & similitudinem quam illi cum Corporibus corruptibilibus habere videntur.

SECTIO SEPTIMA.

Ab obiectum Physicæ, sit Corpus naturam habens.

48 VNica Conclusio: Physicæ adæquatum obiectum est Corpus naturam habens quatenus naturam habens sumptum suppositione absoluta. Est communis, & sub his Terminis defenditur à *Zabarella lib. de naturalis philosophiæ constitutione cap. 1.* Explicatur Conclusio. Dixi primò Corpus, quæ particula designat obiectum materiale huius scientiæ esse substantiam Corpoream, seu Corpus substantiale, quod ponitur in recta linea prædicamenti substantiæ. Quoniam verò nomine Corporis venit etiam tum Corpus mathematicū, quantitas scilicet trinidimensa, tum etiam pars materialis animalium: ad tollendas has æquiuocationes apposui secundò (naturam habens) nomen enim ens ex illis est huiusmodi; subiunxi 3o (quatenus naturam habens) vt notarem obiectum formale physicæ esse naturam, seu naturalitatem. Addidi denique quartò (sumptum suppositione absoluta) vt ostenderem obiectum Physicæ adæquatum comprehendere subiectum tum Corpus naturale in communi, de quo Philosophus agit in his octo libris Physicorum; tum etiam corpora naturalia in specie, & secundùm proprias rationes considerata, de quibus in alijs & quidem in libris de Cœlo, de Corporibus simplicibus: Cœlo scilicet, & elementis; In libris de generatione, & corruptione, de Corporibus mixtis, in libris meteorologicis, de mixtis imperfectis; denique in libris de Anima, de mixtis perfectioribus, quiusmodi sunt viuentia, his positis, assertio nostra defenditur communiter à quamplurimis quos citat Auersa *sect. 3. quos sequuntur* Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, Bonaspes. quantùm ad rem ipsam licèt differant in modo loquendi.

49 Probatur autem primò quia ex vna parte constat corpus habens naturam esse obiectum physicæ, vt patet ex Aristotele multis in locis, *præsertim vero 6. metaphys.* vbi sic habet: *cum autem naturalis sit Physica etiam circa quoddam ens*

Digitized by Google

mus scientia sit; etenim circa talem substantiam est in qua principium est motus, & status; qui in eo est; hoc autem non est nisi corpus habens naturam in tota sua latitudine sumptum: ex alia verò parte non est assignabile aliud, quod tamquam obiectum partiale consideretur à Physica, vt patet ex dictis; ergo Corpus naturam habens, erit eius obiectum adæquatum materiale; de quo cum probet præcipuas passiones motum, scilicet, & quietem per medium terminum, qui est naturalitas: constat eum esse obiectum formale eiusdem Physicæ.

50 Probatur secundò, quia Corpus naturam habens habet in Physica omnia, quæ ad obiectum totale & adæquatum scientiæ requiri solet, ergo &c. Antecedens probatur in hunc fere modum à Zabarella; obiectum adæquatum alicuius scientiæ, vt ex 1. *poster.* colligitur, debet primò esse in illa scientia præcognitum præcognitione quid sit, & quod sit; deinde totam scientiam adæquare, itaut neque illam excedat, neque ab illa in aliquo excedatur; Hæc autem omnia competunt Corpori naturam habenti respectu Physicæ; siquidem in ea *lib. 2. physic.* quæritur quid sit natura ex cuius cognitione cognitio quidditatis Corporis naturam habentis dependet: deinde cum ibidem dicitur; ridiculum esse demonstrare dari naturam, nihil aliud sit quàm præcognoscere de eodem Corpore quod sit; denique nihil in vniuersa Physica reperies, quod non pertineat ad illud, vel tamquam principium, vel tamquã pars seu species, vel denique tamquam passio, neque aliquid in eo quod Physica non considerat; ex quo patet corpus habens naturam vniuersam Physicam adæquare.

51 Obijcies 1. *Aristoteles p. Cæli tex.* 1. ait, quod scientia de natura fere plurima versatur circa corpora: ergo corpus naturam habens, erit inadæquatum eius obiectum.

Respondeo Philosophum loco citato velle assignare omnia circa quæ siue primariò, siue secundariò consideratio physica occupatur; hæc autem constat non solùm esse corpora, sed eorum etiam principia, & passiones: & hinc fit vt asserat Physicam fere plurimam versari circa corpora.

52 Obijcies secundò: obiectum Physicæ est omne id quod constat natura, sed per Aristotelem *lib. 1. Cæli cit.* nõ solùm corpora, sed eorum etiã principia, & magnitudines constant natura, ergo &c.

Respondeo distinguendo maiorem: obiectum Physicæ est omne id quod constat ex natura hoc est quod componitur ex naturis, concedo hoc est quod quomodocunque pertinet ad naturam, nego maiorem. Aristoteles autem loco citato exponendus est iuxta secundam hanc acceptionem, vt colligitur ex Conimbricensibus, qui dictum Textum exponunt; (ea quæ natura sunt hoc est, vt bene interpretatur D. Th. ea quæ sunt secundum naturam, & quidem corpora, & magnitudines sunt, &c.

53 Obijcies tertiò: nulla scientia probat suum obiectum esse, vt docet *Aristoteles 1. poster. tex. 2.* sed Physica probat corpus naturale esse: ergo corpus naturale non est eius obiectum; minor probatur, quia ipsemet *Aristotel. 8. physic. tex. 32.* probat omne mobile esse diuisibile: ergo probat omne mobile esse corpus: probat igitur dari corpus.

Respondeo transeat maior, quam aliquis recèdistinguere posset, asserendo quod licèt nulla scientia per se loquendo, & ex primaria intentione probet suum obiectum esse, nil tamen prohibet, quin per accidens, & secundariò id præstare possit: nego ego minorem, ad cuius probationem concesso antecedente, nego primam consequentiam; etiamsi enim esse diuisibile idem esset, ac esse corpus, quod falsum esse patet ex linea, & superficie, quæ quamuis diuisibilia sint, non sunt tamen corpora: nihilominùs huiusmodi identitatem haberet solùm cum corpore mathematico, & non cum physico, quod est obiectum huius scientiæ. quod si quis primam illam consequentiam velit etiam dare Thomistis, negare illis debet secundam; siquidem aliud est probare, mobilitatẽ habere cõnexionem cum corpore naturali: aliud verò quod detur huiusmodi corpus; in argumento autem probatur primum, & non secundum.

Obijcies quartò: obiectum scientiæ speculatiuæ, eiusmodi est Physica, debet esse ingenerabile, & incorruptibile, vt vidimus in logicis: sed corpus habens naturam non est huiusmodi: ergo &c. Minor probatur quia de elementis, & mixtis ipsa eadem Physica demonstrat, quod generabilia sint, ac corruptibilia; generabile autem, & ingenerabile: corruptibile, & incorruptibile inuicem opponuntur. 54

Respondeo distinguendo maiorem, obiectum scientiæ speculatiuæ debet esse ingenerabile, & incorruptibile, quoad connexionem prædicatorum, concedo; quoad connexionem sui cum existente, nego maiorem; & sic distincta minore, nego consequentiam; ad minoris autem probationem distinguo antecedens: de elementis, & mixtis in Physica probatur, quod generabilia sint, & corruptibilia, quoad connexionem prædicatorum nego: quoad existentiam, concedo antecedens, & nego consequentiam; vbi aduerte elementa, & mixta ita esse corruptibilia, vt corruptionis exercitium non competat illis pro statu vniuersalitatis, pro quo sunt obiecta Physicæ, sed quatenus existunt in individuis; quod multo magis dicendum est de mobilitate aliarumque passionum exercitijs, quæ existentiam præquirunt in suis subiectis.

Obijcies quintò: prædicata quæ obiectum formale Physicæ nolunt esse naturam, seu naturalitatem ideò per nos naturam inducere rationem obiecti formalis in Physica, quia illa vtimur tamquam medio ad probandas de obiecto materiali passiones: sed nos possumus etiam vti aliqua priori passione ad posteriorem de obiecto materiali probandam, vt admirabilitate, ad probandam de Homine risibilitatem: ergo illa ratio nulla est. 55

Respondeo: id, quo vtimur tamquam medio ad probandum de obiecto materiali passionem aliquam in aliqua scientia dupliciter se habere posse, primò, ita vt sit primum principium in illa scientia indemonstrabile à priori: secundò, ita vt non sit huiusmodi, sed in ratione scibilis, & demonstrabilis dependeat ab alio in illa scientia considerato, quod primo modo se habet, est obiectum formale in dicta scientia, & huiusmodi est naturalitas in Physica, non autem quod se habet secundo

Digitized by Google

de modo, quemadmodum est prima passio respectu secundæ; quæ postea distinctione negatur esse quantitas.

56 Obijcies 6. ex Auersa: si natura esset obiectum formale Physicæ: sequeretur, quod res physicæ, quatenus sunt inuicem substantialiter transmutabiles terminando motum, non considerarentur per se in Physica, neque quatenus sunt principia actionum transeuntium: illarum, scilicet, quæ recipiuntur in subiecto distincto ab eo, à quo proſluunt, quia neutrum prouenit à natura formaliter loquendo: hoc autem videtur absurdum, & contra experientiam: ergo &c.

Respondeo negando sequelam, quoad vtrumque partem. Dico enim non omne, quod per se in aliqua scientia consideratur debere formaliter ab obiecto formali, vt sic dicta scientiæ prouenire, vt patet ex Metaphysicis, in quibus agitur de Deo quatenus infinitus est, & immutabilis; & tamen neque infinitas, neque immutabilitas sunt passiones rationis entis, quàm Metaphysica tanquam rationem formalem sui obiecti considerat: sic Physica agit per se, hoc est non contingenter, & per accidens, sed data opera, & ex instituto de Corporum generabilium, & corruptibilium transmutabilitate, in quantum agit per se de ipsis Corporibus, & de eorum materia, quę est radicale principium dictæ transmutabilitatis. De actionibus autem transeuntibus tractat Physica in quantum recipiuntur in Corpora naturalia, & eorum, vel destructiue sunt, vel perfectiue. Obiectum enim materiale, & formale debet tantum modo determinare scientiam in eo, quod agit in illa agatur, quod ad ipsum quoquo modo non pertineat; non autem quod omne, de quo agitur debeat à ratione formali formaliter, & abstractiuè sumpta tanquam passio promanare. Adde quod cum Corporum transmutabilitas: tum actio transiens, quatenus recipitur in Corpus dici possit, quod sint passiones materię primæ, quam esse naturam inferius patebit.

57 Obijcies septimò: natura est principium motus, & quietis: sed nō omne quod probat Physica de Corpore naturali vt sic, est motus, & quies: ergo natura non est ratio formalis in Physica; minor probatur, quia illa tantùm formæ sub nomine quietis veniunt, quæ per ipsum motum fiūt, illumque terminant; sed non omnis affectio Corporis naturalis fit per motum physicum, quædam enim per naturalem emanationem ex eius essentia proſluunt: ergo &c.

Respondeo: in hoc argumento negandum esse minorem; siquidem in ea agitur de Corpore naturali vt sic, ad cuius probationem concessa maiore, posito quod sub nomine motus physici, etiam instantanea mutatio comprehendatur: nego minorem; & dico: quod inter mundi quantitas fuit cum Corpore naturali coniuncta per actionem eductiuā, & per consequens de ea per physicam mutationem facta, sunt illa forma illæque per naturalem emanationem ex eadem essentia proſluxę, tantumodo sine realiter distincta ab illis; si enim distinguantur tantum ratione, sufficit si ab essentia virtualiter emanent.

58 Obijcies 8. natura est principium passionum, quæ consequuntur essentiam Corporis naturalis; sed physica non solùm Corpus naturale considerat quantum ad consequentes passiones: sed etiam absolutè, quantùm ad eius prædicata essentialia, & quantùm ad eius causas, à quibus dependet, ergo non potest Physica habere pro obiecto formali solam naturam.

Respondeo naturam ita esse principium passionum, quæ ex Corporis essentia puoueniunt: vt etiam ipsum Corpus naturale essentialiter constituat, habeatque rationem causæ intrinsecè ipsū componens; atque adeo dum Physica essentiam Corporis naturalis eiusque intrinsecas causas cōtemplatur non discedit à sua ratione formali. Adde quòd ratio formalis obiecti scientifici non debet in omnibus, quæ quocunque modo considerantur in scientia, reperiri, sed benè esse medium, quo primò passiones de obiecto materiali probantur: & occasio cur alia omnia ad se pertinentia, scientia illa consideret. Per quę patet falsitas sententiæ *Auersæ sect.* 4. existimantis, non oportere assignari aliquam rationem peculiarem determinantem, & restringentem obiectum materiale Physicæ, sed potius dici debere, illud considerari secundùm suam totam amplitudinem, quatenùs sub speculationem cadere potest, esse obiectum adæquatum Physicæ. Ex hoc enim manifestè deducitur, Corpus naturale etiam substantiale entis, debere assignari pro obiecto Physicæ, quod quam sit absurdum nemo non videt.

Quæres hic: cur nō appellamus obiectum Physicæ ens, vel substantiam mobilem, aut Corpus naturale, vt naturale? 59

Respondeo quia in duabus prioribus appellationibus, neque materiale, neque formale obiectum huius scientię rectè assignatur, non materiale, quia pro eo, id debet assignari, cum quo immediatè ratio formalis coniungitur, & cui passio inest secundùm quod ipsum, vt habetur 1. *poster.* 11. atqui ratio formalis Physicæ, quæ est naturalitas, neque cum ente, neque cum substantia immediatè coniungitur, sed cum solo Corpore: & mobilitas non competit enti, aut substantiæ ratione sui, sed ratione alterius, quatenus scilicet ei Corpore sunt coniuncta, ergo &c. neque recte assignatur mobilitas pro obiecto formali Physicæ, quia mobilitatis nomine proprie venit potentia ad motum, quæ est passio à ratione formali proueniens; quod si nomen mobilitatis pro principio radicali motus, & non formali sumatur: erit abusiō vocabuli: radicalis enim mobilitas nomē proprium naturę sibi vendicat.

Neque dicas pro obiecto materiali aduersarios non assignare ens, vel substantiam vt sic, sed addere particulam illam, naturale, seu mobile, quemadmodum nos in assignando Corpore ponimus particulam illam, (naturam habens:) Contra enim est, quia nos illam particulam ponimus ad tollendam æquiuocationem, quam habet terminus, Corpus; & aduersarij ponunt suam ad contrahendum genus remotum, quod est ens vel substantia, atqui ratio quando ens, vel substantiam naturalem pro obiecto materiali Physicæ assignant, definitionē potius obiecti, quam obiectum tradere videntur. 60

Tertia vero appellatio, in qua obiectum dicitur esse Corpus naturale, vt naturale displicet ex eo, quia particula (naturale) pluribus æquiuocatio-

Digitized by Google

tionibus subiacet, quam habens naturam, sumitur enim, vt benè notat Zaberella loco citato, terminus (naturale) primò pro essentiali, secundò pro omni quomodocunque ad physicam scientiam pertinente, tertiò prout opponitur violento, quartò prout opponitur supernaturali: sextò denique pro eo quod in se naturam formaliter habet; quas omnes, & multò plures æquiuocationes vitamus, cum dicimus esse Corpus Naturam habens. Porrò licèt naturæ nomen, secundùm se, sit valdè æquiuocum, prout tamen cum alijs particulis coniungitur, sine vlla æquiuocatione ad nostri physicam significandam determinatur.

DISPVTATIO SECVNDA

DE PRINCIPIIS CORPORIS NATVRALIS in Communi.

PRINCIPII nomen, vt docet *P. Th. prima parte quæst. 42. art. 1. ad 3.* à prioritate deducitur; quia debet necessariò esse aliquo modo prius alio, quod dicitur esse ab illo. Quamuis autem ad Physicum spectet agere solùm de principijs Corporis naturalis; quia tamen hæc conueniùt cum alijs in ratione principij vniuersalissimè sumpti: idcircò ad exactam eorum Intelligentiam de principio vt sic prius nobis agendum est.

SECTIO PRIMA

Quid, & quatuplex sit principium, in genere.

1 VNica Conclusio: principium in communi recte definitur, ab *Aristotele 5. metaphys. text. 1.* Primum, vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.

Dicitur (primum) quæ particula in re, quæ datur nominatur principium, negationem prioris importat: vel absolutè, & simpliciter: vel saltem, secundùm quid. & si agitur de primo principio explicari debet absolutè, ita vt principium saltem in eo genere, in quo principiat, non præsupponat aliud ante se, in quo sensu dixit *Aristoteles 5. de generat. animal. cap. 7.* de ratione principij esse, vt ipsum quidem causa sit multorum, ipsius nullum, sin minùs, accipienda est secundùm quid ad quod sufficit, si dicat antecessionem aliquam, vel prioritatem respectu principiati: licèt aliud principium eiusdem generis ante se præsupponat: sic Philippus dicitur principium Alexandri, quamuis eodem modo à suo Patre per generationem acceperit esse.

2 Quoniam verò ad rationem principij non sufficit, vt sit prius alio, quidem (Alexander suo quidem prior tempore Antonio V. G.) non tamen principium illius: ideò ly *aliquid* in definitione contrahitur per particulam, *vnde aliquid*, quæ connexionem quandam, & consecutionem vnius ab alio importat; quæ quidem connexio vel fundatur solùm in ordine, in quo sensu, omnia ea, ex quibus aliud quodcunque incipit dicuntur principia eius; vel habetur ratione alicuius intrinsecæ habitudinis inter ipsum principium, & id quod est a principio, aut hoc ex illo per se oritur. Quoniam verò hoc, quod oritur, æquè bene potest esse ens positiuum, & non ens: eodem prorsus modo quo potest ipsum principium; ideò tum particula *aliquid*, tum etiam particula *primum*, amplissimè sumenda est, prout scilicet tum ens, tum non ens comprehendit.

Additur vltimò *aut est, aut fit, aut cognoscitur*, vt omnia principia comprehendantur, quia quid enim principiat, vel principiat rem in facto esse quam exprimit ly *est*, aut rem in fieri quam exprimit ly *fit*, aut rem quoad esse cognitum quam significat ly *cognoscitur*, ex quibus deducitur duplex dari genus principij, aliud rei, aliud cognitionis rei, & hoc vel cõplexum esse, vel incomplexum. complexum est omnis illa propositio, ex qua aliqua Conclusio deducitur; incomplexum verò est signum rei, siue formale sit, siue instrumentale.

Porrò principium rei diuiditur primò in principium rei in fieri, sicuti est pater respectu filij, & principium rei in facto esse, sicuti est materia respectu compositi: secundò diuiditur in principium primũ; huiusmodi est Deus respectu Creaturarum; & in principium secundum: huiusmodi est Philippus V. G. respectu Alexandri, cuius ita pater est: vt sic etiam filius alterius hominis. Tertiò diuiditur in id quod solũ ratione ordinis dicitur principium, sicuti Kalendæ principium mensis dici solent; & in id quod ratione alicuius habitudinis, & connexionis intrinsecæ tale est, quod quia maximè ad Philosophos pertinet: idcircò subdiuiditur quartò in id quod dictam habitudinem, & connexionem intrinsecam cum principiato non habet per positiuum aliquem influxum quem in illud exerceat, sed quia necessariò & per se cũ eo illud cõiungitur, & huius generis principium est priuatio respectu generationis substantialis: & in id quod dictam habitudinem intrinsecam fundatam habet in positiuo influxu, & cõ-

mu-

Digitized by Google

municatione alicuius esse realis : quod genus principij adhuc duplex est, vel enim est cum dependentia, & causalitate, huiusmodi est in rebus creatis omne principium, quod per positivum influxum principiat; & hoc confunditur cum causa vel est sine dependentia : & huiusmodi solum in diuinis reperitur ; ibi enim Pater æternus per positiuam actionem generatiuam communicat proprium esse Filio, & vterque Spiritui Sancto per actionem spiratiuam sine vlla dependentia, & causalitate.

4 Obijcies primò : Pater æternus in Diuinis est principium filij, & tamen non est prior illo, vt dicitur ab Athanasio in symbolo. *in hac Trinitate, nihil prius, aut posterius*; asseriturque *D. Th. p. q. 33. art. 3.* & patet ex eo, quia Correlatiua, sicuti sunt pater, & filius, sunt simul natura, ergo falso dicitur omne principium esse primum; Consequentia tenet, quia primum plus aliquid importat, quàm prius, tum hoc dicit solum antecessionem ad id quod est posterius, illud verò addit etiam negationem prioris.

Respondeo: quod licèt absolutè loquendo non dicatur Pater in diuinis prior filio, quia sic prioritatem durationis, aut perfectionis, aut saltem naturæ solet significare, in quo sensu explicandus est S. Athanasius & D. Th. negantes in Personis Diuinis prioritatem ; Dici tamen rectè potest prior origine ; per quam loquendi formulam significatur solùm, quod Pater habeat esse absque illa origine, secundùm quam ipse est origo filij ex quo patet, ly *primum* in definitione, si loquamur Metaphysicè, & præscindendo à fide, importare antecessionem quamdam in re quæ dicitur principium : at verò si Theologicè, aliquid ab antecessione, & prioritate originis præscindens; vel potiùs vtrumque sub disiunctione.

5 Obijcies secundò : ex dictis sequitur principium latiùs patere quam causam; sed hoc est contra *Aristotelem, qui 4. Metaph. cap. 2. ait: ita comparari causam, & principium, sicuti ens, & vnum ens autem, & vnum sunt æquè latepatentia ; & 4. Metaph. tex. 1.* post quam septem rationes principij enumerauit, subdidit sic. *Totidem autem modis causa quoque dicuntur; omnes enim causa principia sunt: ergo &c.*

Respondeo apud Græcos nomen causæ dupliciter sumi posse: largè, scilicet, & strictè ; largè sumptum confunditur cum principio ; & est æquè latè patens, ac illud ; at verò strictè significat id, quod per positiuum influxum dat esse effectui cũ dependentia : Philosophus autem locis citatis sumpsit nomen causæ primo modo, sicuti etiam *2. Metaph. cap. 2.* quando dixit priuationem esse causam eius quæ producitur. Quoniam verò apud Latinos causæ nomen strictè semper vsurpatur : hinc fit, vt non liceat nobis dicere principium idem esse cum causa, nec Patrem æternum esse causam Filij in diuinis, quamuis Græcis Patribus id liceret.

Instabis, principium dicit relationem ad principiatum, principiatum autem est idem, ac causatum: ergo principium est idem cum causa.

Respondeo cum *D. Th. 1. p. q. 33. art. 1.* negando maiorem ; Correlatiuum enim principij est id, quod est à principio ; principiatum autem cum significet aliquid factum, vt assumitur in minore non erit illius correlatiuum, nisi grammaticaliter, & penes nomen. quod si quis contendat principiatum nihil aliud importare, quàm id quod est à principio hic quæstionem de re transferret ad quæstionem de nomine, & ei neganda est minor.

SECTIO SECVNDA.

An Corpus naturale habeat principia.

6 QVæstionem hanc omittit *Aristoteles 4. Met. enim 6. lib. 1.* qui est initium Physicæ enactionem de principijs incomplexis Corporis naturalis diuisione quadam incepit, cuius rei hanc rationem assignat P. Toletus in expositione eiusdem textus : quia scilicet dari principia constabat inter antiquos, eratque veluti axioma commune inter eos : nos verò eã maioris claritatis gratia explicare decreuimus. Sit igitur

Vnica Conclusio ; Dantur principia Corporis naturalis. Vbi aduerte nos hic loqui de principijs incomplexis, non quidem omninò extrinsecis, cuiusmodi sunt causa finalis, & efficiens; sed de intrinsecis, aliquo modo, quæ etiam principia causalitatis appellantur, ad differentiam principiorum communitatis, quæ cum Composito substãtiali, quam accidentali communia sunt; cuiusmodi est forma in communi sub se comprehendens tum accidentalem, tum substantialem, & sic de alijs.

7 Probatur Conclusio : quia Corpora naturalia sæpè transmutantur ad inuicem, ergo sunt composita : dantur igitur principia eorum incomplexa; Vltima consequentia patet; primum verò antecedens probatur sensuum experientia, quam relinquere, vt ait *Aristot. 8. Physic. tex. 21. est insanire*, sensus enim benè dispositus, eodem modo se habens circà suum obiectum, si eodem modo semper iudicet : eius iudicio standum est ; nos verò sensuum ductione iudicamus dari hanc corporum mutationem : non solùm accidentalem, vt aquæ V. G. quando ex frigida fit calida : sed etiam substantialem, de qua est quæstio, vt cum ex ligno fit ignis; Ideoque illud non appellamus amplius lignum, quemadmodum appellaremus si solùm accidentalem mutationem subijisset; Hoc igitur posito : probo primam consequentiam argumenti ; quando sensuum ductu mutationem substantialem apprehendimus in casu posito, vel tota ligni substantia remanet in igne; vel tota quanta est destruitur, vel aliquid ipsius in igne remanet, & aliquid destruitur. Primum dici non potest, tũ quia tunc nos iudicamus ibi amplius non esse lignum, ex eo quod videamus accidentia accidentibus ligni omninò contraria, cum etiam quia si nihil ligni deperditum sit, nihil igitur ignis de nouo est acquisitum, & sic idem esset corpus illud post mutationem, quod erat prius; quod omnes, tum sapientes, tum insipientes naturæ lumine ducti dicere abhorrent; alias possent cum veritate affirmare, quod ignis sit lignum, & è contra. Neque potest dici secundum; primò quia ; quemadmodum ex nihilo nihil fit naturaliter : ita nihil naturaliter abire potest in nihilum, siquidem non videtur esse maior ratio vnius, quàm alterius; secundò quia secus, vel creatio, vel transubstantiatio da-

darentur naturaliter; quarum prima pertinet ad solum Deum, non autem ad causas secundas. Secunda verò non nisi miraculosè ab eodem fieri potest: reliquum igitur est, vt asseratur tertiò, quod, scilicet, aliquid ligni remaneat in igne, aliquid verò corrumpatur. tùm ergo lignum: tùm ignis erunt composita; lignum quidem ex parte quæ perijt, & ex parte quæ in igne remansit; ignis verò ex hac eadem parte, quæ remansit ex ligno, & ex ea quam de nouo acquisiuit; aliquod enim substantiale de nouo esse in mundo existimamus, quando ignis producitur, quod antea non fuerat. Quoniam verò non est maior ratio de istis duobus corporibus substantialibus, ac de reliquis: sequitur omnia corpora substantialia esse composita, quod erat probandum.

S Dices primò huiusmodi mutationes saluari posse per solam rarefactionem, & condensationem eiusdem corporis, absque noua alicuius rei vel productione, vel corruptione.

Contra tamen est primò; quia impossibile est tot tantasque mutationes, tùm substantiales, tùm accidentales, quas quotidiè experimur ex diuersa rarefactione, & condensatione tantummodo prouenire. Secundò quia raritas hæc, & densitas, vel sunt à corpore naturali distincta, vel non; si primum: ergo saltem admittenda est compositio ex illis, & corpore: cum igitur non sit maior ratio de hac compositione, ac de cæteris, præsertim substantialibus compositionibus: cæteræ quoque admittendæ sunt. Secundum autem dici non potest, totum quia corpus quando transit ex condensatissimo V. G. ad rarefactionem non posset dici verè mutari: tum etiam quia raritas idem omninò esset cum sua contraria densitate, quæ enim sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

9 Dices secundò: mutationem fieri ex eo quod partes corporis, quod dicitur mutari, ex vno in aliud locum transponantur.

Contra tamen est, quia hæc veterum Philosophorum opinio vult in quolibet corpore particulas omnium aliorum corporum reperiri, quæ modo abscondantur, modo appareant pro varietate status rei, quæ modo dicitur generari, modo corrumpi: hoc autem est ridiculum. Primò quia vt plurimum, corpora contraria exigunt qualitates; atque adeò hæ particulæ si darentur in vno corpore semper inuicem agerent, & paterentur. Secundò, quia, etiamsi nos non poneremus omnes partes vnius corporis V. G. lapidis in minutissimam pulueren priùs redacti, nunquam tamen videremus particulas ignis, vel carnis, vel auri apparere.

10 Dices Tertiò mutationem in corporibus fieri per transmissionem quorundam corpusculorum, quæ agens mittit in passum.

Contra tamen est primò, quia lignum quando V. G. fit ignis, deberet esse, & apparere minus pondus: hac sententia ea quod haberet alia de nouo corpuscula, sicuti agens mittit, quia illa deperderet, vel deberet penetrari cum ijsdem corpusculis; vtrumque autem est contra experientiam.

Secundò contra est, quia daretur compositio ista ex præcedenti, scilicet, corpore, & illis corpusculis, ergo vel alia compositiones admittendæ sunt, vel ipsa erunt rerum naturalium principia, atque adeò hæc neganda non sunt.

Dices, quamò ex probatione facta sola principia corporis corruptibilis non autem incorruptibilis colligi posse. 11

Re spondeo per se quidem, & directè loquendo, id verum esse: at consequenter, & indirectè, dico etiam principia corporis incorruptibilis demonstrari, vt alibi dicetur.

SECTIO TERTIA.

Quot, & quænam sint huiusmodi Principia.

PRima Conclusio non est vnum tantummodo principium corporum naturalium est *Aristot. hic text. 11.* contra Parmenidem, & Melissum, quorum alter putauit rerum naturalium principium esse vnum, & sensum: alter verò vnum, & immobile, item contra Talalem, quem sequuti sunt Græci sapientes, qui putauit solam aquam esse rerum omnium principium: contra Diogenem, & Anaximenem, qui aërem: contra Temonem, & Heraclitum, qui ignem: contra Hesiodum, qui terram: contra denique Anaximandrum, qui, vt Simplicius, & Philoponus referunt, vaporem quédam medium inter aquam, & Terram voluit esse rerum omnium principium. 12

Probatur autem Conclusio, quia si vnum tantum esset huiusmodi principium, tolleretur generatio substantialis, quam dari patet, vt vidimus sectione præcedenti ex sensu: nam quando lignum, V. G. mutatur in ignem si vnum esset principium, vel totum lignum corrumperetur, & totus ignis de nouo produceretur; & sic daretur creatio, & annihilatio corporum: vel lignum mutaretur solùm accidentaliter, non autem substantialiter, & sic sola accidentalis mutatio daretur. 13

Secunda Conclusio Principia non sunt infinita, est *Aristotelis hic & text. 35.* contra Anaxagoram, & Democritum. 14

Probatur cum quia nulla datur necessitas ponendi hùc infinitum principiorum numerum: tum etiam, quia ex hoc iam tolleretur rerum naturalium scientia, quæ sine principiorum omnium cognitione haberi non potest. Constat enim tùm Anaxagoram, tùm Democritum non solùm numero, sed etiam specie infinita posuisse principia: quare cum infinitum quà infinitum est non possit à nobis scientificè pertransiri, neque igitur poterit in hac sententia dari in nobis scientia Physica.

Ad hoc autem, vt stantamus quot nam sint huiusmodi principia, notandum est nos corpus naturale in duplici statu considerare posse. primò in fieri; id est, quando de non esse transit ad esse. secundò in facto esse, quando iam post illum Transitum iam in suo esse est constitutum; & quidem vt priùs de eius principijs in fieri diximus.

Tertia Conclusio, principia corporis naturalis in fieri, seu quod idem est mutationis substantialis principia sunt omninò tria, materia, forma substantialis, & priuatio illi contraria, *Aristot. 8. contra empedoclem præsertim, & Hippocratem,* qui quatuor fecere principia. 15

Probatur: quia fieri corporis naturalis aliud

nihil

Digitized by Google

nihil est, quam quædam transmutatio, & transitus, de non esse ad esse; tot igitur erūt eius principia, quot erunt de essentiali conceptu huius mutationis: sed hęc sunt omninò tria, ergo &c. Omnia patent, præter subsumptum, quod sic probatur: mutatio inuoluit primò in suo conceptu id quod mutatur, quod est illa pars, quæ erat in corrupto, & remanet in genito, dicturque subiectum, seu materia prima; secundò importat terminum, à quo ipsa incipit, qui appellatur priuatio; tertiò denique id, in quod subiectum transmutatur, & est terminus ad quem mutationis, & dicitur forma substantialis: ergo &c.

Confirmatur ex fieri rerum artificialium; ad hoc enim vt fiat statua V. G. requiritur æs, quod 15
est habet vt subiectum, in quo non solùm debet esse carentia formæ illius statuæ, quæ debet fieri, alioquin de nouo fieri non posset: sed etiam aptitudo quædam ad eandem formam recipiendam, per quam aptitudinem priuatio à pura negatione condistinguitur, & sic requiritur terminus à quo; denique esse debet ipsa forma statuæ tanquam eiusdem transmutationis terminus ab artifice intentus; & hæc numerum ternarium complet, & dicuntur à Aristotele terminus, ad quem: ergo &c.

Quarta Conclusio: Principia corporis naturalis 16
in facto esse per se quidem sunt tantùm modo duo, materia, scilicèt, & forma: tertium verò, quod est priuatio est eius principium per accidens; est etiam *Aristot. qui post quam tex. 80. & 66.* dixit priuationem esse principium per accidens, quod veritatem solùm habet per ordinem ad rem in facto esse, ita *tex. 67.* concludit: *quod circà est quidem, vt duo dicendum sint principia (videlicet per se) est autem, vt tria*; loquendo de principijs siuè per se, siuè per accidens.

Conclusio autem quoad primam partem probatur sic: illa solùm sunt principia per se corporis naturalis, sine quibus corpus naturale haberi, atque adeò intelligi non potest, & quibus solis positis habetur, & intelligitur: sed huiusmodi sunt sola materia, & forma: ergo principia corporis naturalis in facto esse per se, duo hæc censenda sunt. Maior huius argumenti patet; minor probatur primò à priori, quia ad hoc vt constet, & intelligatur statua V. G. in esse statuę constituta, sufficiunt materia, & forma statuæ in ipso ære introducta: ergo ad hoc vt constet, & intelligatur lignum V. G. & alia corpora naturalia in facto esse, sufficiunt materia, & forma introducta in ipsa materia. Secundò à posteriori, quia si aliquod aliud principium requireretur, maximè esset priuatio, sed impossibile est priuationem esse principium 22
pense corporis in facto esse, siquidem est destructiua ipsius corporis, & simul cum forma oppositum esse nequit: ergo &c.

Secunda verò pars conclusionis, quod scilicèt priuatio sit principium per accidens compositi in facto esse probatur etiam, quia illa ab *Aristot. tex. 67. & 66.* dicitur vnum numero cum materia tum; igitur materia siue res genita principium, ipsa quoque eiusdem rei principium poterit appellari, non quidem per se, sed per accidens, hoc est per aliud, per ipsam, scilicèt, materiam, cum qua facit vnum numero, modo inferiùs explicando.

Obijcies primò: contra duas vltimas conclu- 17
siones *Aristotel. 12. Metaph. tex. 23.* docet; rerum naturalium principia esse plura tribus: ergo &c.

Respondeo ibi Philosophum non loqui de solis principijs ad conceptum essentialem transmutationis reduplicatiuè acceptæ requisitis, de quibus in secunda conclusione loquuti sumus; sed etiam de illis principijs, quę ad entitatem eiusdē transmutationis substantialis ponendam requiruntur; huiusmodi enim sunt etiam causa efficiens, & finalis.

Obijcies secundò: Transmutatio naturalis non 18
potest esse, neque intelligi sine quantitate, vt patet ex *Aristotele tex. 31. 6. physic.*, vbi probat nullum indiuisibile per se moueri posse: ergo principia sunt plura tribus.

Respondeo: transeat antecedens, quod à multis negatur etiam in sententia Aristotelis; nego ergo consequentiam; ratio negationis est, quia quantitas nō est primum principiū primū, de quo agimus in præsentia, sed ad summum secundum, in quantum est necessaria, vt conditio, sine qua materia prima non principiaret; & in quantum illam disponit, & complet ad recipiendam mutationem, & formam: per quę patet primò responsio ad argumentum de dispositionibus, quæ requiruntur in materia ad transmutationem substantialem, ac formam recipiendam; dispositiones enim illę ad genus causæ materialis à Philosophis reducuntur; quia materiam complent, nec participant aliud genus principiandi diuersum, ab eo, quod illa habet, eamque in genere principij materialis tanquam primum principium præsupponunt.

Patet secundò responsio ad argumentum, quod ducitur ex vnione, & subsistentia, vtraque enim se habet, vt completiua materiæ, & formę; atque adeò neutra facit distinctum principium ab illis; quia hęc non principiant compositum nisi vt ia completa in ratione subsistentis, & inter se vnita, ac compositionem facientia. Pro quo desiderarem in doctrina Boneſper consequentiam, qui in Physica *1. part. tract. 2. disput. 1. dub. 3. num. 36.* docet subsistentiam eiusque priuationem esse duo 23
principia physica à tribus vulgaribus distincta: posteà verò n. 49. negat hoc de vnione. Et rationem huius negationis assignans: quia, inquit, definitio principij conuenit vnioni, vt quo; in quantum est actualis principiatio, non verò vt quod, prout debet conuenire principio.

Contra quod facit, quia in tantum actualis 19
principiatio, qualis est vnio, non numeratur, vt distinctum principium à materia, & forma, per hunc auctorem, in quantum est complementum vtriusque in actu primò considerati. actualis enim principiatio est actuale exercitium principij, atque adeò actus secundus illius; & omne actuale exercitium, actusque secundus est complementum eius, quod respectu illius se habet, vt potentia, & vt actus primus; Atqui etiam subsistentia siuè sit vna entium indiuisibilis, materiæ, & formę communionis, siuè sit duplex partialis, est complementum substantiale

veriusque vt fatetur hic auctor n.24. & quidem multo magis, quam sit ipsa vnio; Quod inde suadetur: quia vnio complet materiam, & formam in ratione principij in actu secundo: subsistentia verò tantum complet eadem in ratione principij in actu primo. Porro principia, quę debent principiare corpus substantiale physicè completum, (quale auctor propugnat esse id cuius principia ab Aristotele inuestigantur, contra Ouiedum, qui putat esse dictum corpus prout solam naturam importat) principia, inquam dicti corporis debent pręsupponi completa tam in sua ratione, atque adeò in actu primo: sed sic non complentur, nisi per subsistentiam: siquidem per eam intelliguntur vltimò determinata in suis rationibus: materia quidem in esse completo materiæ, & forma in esse completo formę: ergo multo magis habet rationem complementi principiorum physicorum subsistentia, quam vnio; est enim quid intimiùs illis, & cum eorum essentia plus connexum; sicuti igitur non numeratur vnio, vt physicum principium à materia, & forma distinctum; ita multo minus debet numerari subsistentia.

Et per hæc remanet solutum Bonęspei fundamentum ductum ex eo, quod corpus naturale physicè completum tribus omninò constat, materia scilicèt, forma, & subsistentia; ita vt vna ex his sublata non habeatur; Dicimus enim, quod, licèt sint tria materialitèr considerata: formalitèr tamen in ratione principij sunt tantùm duo: sicuti materia, & forma, & vnio in eius sententia; quod si quis vrgeat formam constituere distinctum principium à materia quamuis sit completiua illius: Disparitas est in promptu; forma enim non complet materiam, in genere materiæ illam relinquendo; sed transferendo eam ad aliud genus nempè compositi; contra verò subsistentia complet illum in genere materiæ, sicuti etiam formam; si verò alius responderet subsistentiam ad solum compositum pertinere, & ideò distinctum principium constituere: contra etiam esset, quia sic pertineret ad aliud, vt eius complementum; atque adeò illud ex suis principijs constitutum præsupponeret, quare non esset principium illius.

20 Obijcies tertiò: tot sunt formæ, & priuationes substantiales; quot sunt species corporum naturalium, quę per formas constituuntur; sed hęc sunt forè innumerabiles; ergo, & principia formę scilicèt, atque priuationes.

Respondeo: distinguendo maiorem: tot sunt formę, & priuationes in specie infima; quot sunt species corporum naturalium, concedo: tot sunt formę, & priuationes in genere saltèm analogo: quot sunt species corporum naturalium; nego maiorem; & concessa minore, distinguo eodem modo consequens. Nos autem in conclusione non assignamus rerum naturalium principia in specie, de quibus Aduersarij argumentantur, sed in genere; & dicimus: ad transmutationem, seu productionem cuiuscumque corporis hęc tria necessariò in vniuersum requiri, materiam, formam, & priuationem.

21 Obijcies quartò: non est maior ratio cur priuatio formæ, & forma ipsa sint transmutationis principia; non autem priuatio compositi, & compositum: transmutatio enim sicuti non sine his: ita neque sine illis intelligi, aut constare potest: principia igitur sunt plura tribus.

Respondeo: negando antecedens: maior enim ratio est, quia forma, eiusque priuatio sunt prima principia proxima, & immediata transmutationis; de quibus solis nos cum Aristotele in præsentia loquimur: at verò compositum, & eius priuatio sunt principia remota: sicuti enim compositum mediante forma, & quatenus illam includit est terminus ad quem mutationis; ita eius priuatio mediante priuatione formę principiat tanquam terminus à quo eamdem mutationem.

Obijcies quintò: in productione ignis ex ligno, non solùm datur terminus à quo, qui est priuatio formæ ignis, sed etiam datur forma ligni, quę ad aduentum formę ignis corrumpitur; ergo principia ignis sunt plura tribus; inter illa enim enumeratur forma ligni. 22

Respondeo primò, distinguendo antecedens: in productione ignis datur etiam tanquam terminus à quo forma ligni, per se, nego antecedens; per accidens, concedo, & nego consequentiam; forma enim ligni non est de essentiali conceptu illius mutationis, sicuti est priuatio formę ignis, quod patet, ex eo quia: etiam si nulla concipiatur forma corrumpenda in materia, dummodo sit priuatio formę producendę, optimè intelligi potest productio, Nos autem hic loquimur de principijs per se mutationis; ita communitèr.

Respondeo secundò; Priuationem physicam connotare in subiecto, in quo est formam; cum qua debet recedere ad aduentum formę sibi oppositę, quæ fit de nouo; atque adeò forma ligni non facit principium distinctum à priuatione formæ ignis, siquidem integrat vnum adęquatum principium cum illa, quod est terminus à quo, atque hoc videtur innuere *Aristoteles hic text. 46.* vbi docet *album fieri ex non albo, & non ex quocumque non albo, sed ex nigro*, hoc est ex priuatione albedinis, quatenus cum nigredine coniuncta est. Atque his argumentis probantur principia esse plura tribus: sequentibus verò pauciora.

Obijcies igitur 6. motus Cœli est quidam transitus, & tamen per Aristotelem, neque terminum à quo habuit, quia per ipsum fuit ab æterno, neque terminum ad quem, quia existimabat illum nunquam esse consecutum; ergo de conceptu mutationis non sunt Termini à quo, & ad quem.

Respondeo; distinguendo antecedens: motus Cœli, est quidam transitus indeterminatus, concedo; est quidam transitus determinatus, nego antecedens, & consequentiam; hic autem nobis sermo est de determinata mutatione, quæ initium, & finem habet; qua ratione si Cœli motus accipiatur, V. G. dies, vel mensis habet etiam suos terminos à quo, & ad quem. 23

Instabis: Cœlum mouetur localitèr, & tamen non transit de vno termino in alium; ergo ad mu-

tatio-

mutationis essentiam, nullo modo requiruntur termini à quo, & ad quem.

Respondeo: distinguendo primam partem antecedentis: Cœlum mouetur localiter secundùm totum, nego; mouetur localiter ratione partium, concedo antecedens; & distinguo eodem modo secundam eiusdem antecedentis partem; & tamen non transit de vno termino in alium secundùm totum, concedo: secundùm sui partes, nego antecedens, & cõsequentiam; sicuti enim Cœlum mouetur secundùm partes: ita etiam secundùm partes de vno in alium terminum pertransit; vt patet ex Sole, qui mane ex oriente mouetur ad occidentem.

Obijcies septimò: Principium debet esse primum; sed forma in mutatione est vltima; ergo
24 forma non est principium.

Respondeo: distinguendo maiorem; principium debet esse primum, vel in executione, vel in intentione, concedo: in executione tantùm, nego; & distinguo eodem modo minorem: forma est vltimum in executione, concedo; in intentione, nego minorem, & consequentiam: sufficit enim formæ ad habendam rationem principij, si sit id quod primò fieri intenditur per illam mutationem; quidquid sit deindè an in executione sit vltima.

Obijcies octauò: *Aristoteles hic Text. 60. & 66.* docet priuationem esse vnum numero cum materia; ergo non constituit distinctum princi-
25 pium.

Respondeo: ibi Aristotelem non loqui in sensu formali, & proprio, sed solùm in sensu improprio, & materiali; quo pacto priuatio, & materia sunt vnum subiecto veluti negatiuè, in quantum priuatio non addit supra materiam entitatem aliquam positiuam numerabilem, vt contradistinctã ab ipsa materia; in quo etiam sensu, vt aliqui volunt *text. 67.* dixit: duo quodammodo esse transmutationis principia; & alibi; priuationem esse principium per accidens rei in facto esse: in quantum scilicet, erat vnum subiecto cum materia, nullam habens entitatem numerabilem distinctam ab illa.

SECTIO QVARTA.

Quænam priuatio sit principium per accidens compositi in facto esse.

26 COmpositum in facto esse in ordine ad duplicé priuationem considerari potest: primò in ordine ad illam, quæ fuit principium per se generationis eius, diciturque priuatio formæ præsentis: secundò in ordine ad illam, quæ est simùl cum forma eiusdem compositi, & dicitur priuatio formæ absentis, quæ licèt multiplex sit, vt videbimus; per modum tamen vnius in præsentia à nobis cõsideratur; Dubium autem est inter Peripateticos, quænam ex his duabus sit principium, & elementum per accidés compositi in facto esse: nos quid sentiamus duplici assertione declarabimus; sit igitur.

Prima Conclusio: tùm priuatio formæ absentis, tùm priuatio formæ præsentis in rei veritate principia, & elementa per accidens corporis naturalis in facto esse existimanda sunt. Dixi *in rei veritate*, hoc est absolutè loquendo; quia in præsenti ab Aristotelis mente præscindo, num scilicèt potiùs de vna quàm de altera, hoc primo libro loquutus sit.

Probatur primò vniuersaliter: Id omne, quod 27
est vnum numero cum principio, & elemento per se compositi in facto esse debet ad minimum existimari principium, & elementum per accidens eiusdem compositi; sed tùm priuatio formæ absentis, tùm priuatio formæ præsentis sunt vnum numero cum materia, quæ est elementum per se compositi in facto esse; ergo vtraque est elementum per accidens eiusdem compositi. Maioris huius argumenti probatur primò, & explicatur in hunc fere modum; dupliciter duo possunt esse vnum numero: primò rigorosè, & propriè; secundò improprie, & minùs rigorosè; & quidem si primo modo sunt vnum numero, quidquid realiter affirmatur de vno debet quoque posse de altero affirmari; quare si alterum realiter est principium per se alicuius rei, dici quoque debet, quod alterum sit etiam principium per se eiusdem rei, quia vtraque sunt vna entitas & vna realitas: si verò sunt vnum numero secundo modo, quemadmodum sunt impropriè vnum; ità, quidquid propriè, & per se realiter competit vni, solùm impropriè, & per accidens alteri adaptatur; sic quia musica V. G. & ars ædificandi aliquando sunt vnũ numero impropriè, ratione scilicèt vnius subiecti, in quo simul existunt; idea si ars ædificandi dicitur causa per se ædificij; musica dicitur eiusdem ædificij causa per accidens, vt patet ex Aristotele secundò Physicorum; vera igitur est illa maior; quod, scilicet, omne id, quod est vnum numero cum principio, & elemento per se compositi in facto esse, debet ad minimum existimari elementum per accidens eiusdem; minor verò probatur, & quidem de priuatione formæ absentis, patet quod, scilicet, sit vnum numero cum materia, est enim suo modo in illa tanquam in subiecto: quod autem etiam priuatio formæ præsentis sit cum eadem materia vnum numero apertè asseritur ab *Aristotele hic tex. 67. & 66.* & à nobis inferiùs demonstrabitur.

Probatur secundò Conclusio in particulari de priuatione formæ absentis, de qua est maior controuersia; quia ex vna parte eiusmodi priuatio ineſt composito, ex alia verò non ineſt tanquam eius pars essentialis; ens enim reale non componitur ex non ente, sed solùm quatenùs est coniuncta cum materia, quæ est elementum per se eiusdem compositi; ergo est principium, & elementum per accidens.

Secunda Conclusio. Quoties hic Aristoteles 28
loquitur de priuatione, quæ sit principium, & elementum per accidens compositi in facto esse, agit de priuatione formæ præsentis, & non absentis.

Probatur primò: de illa priuatione loquitur 29
Philosophus, cum docet eam esse principium, seu elementum per accidens rei genitæ, de qua loquutus est toto hoc primo libro; sed hoc libro loquutus solùm est de priuatione formæ præsentis; ergo de ea loquitur cum doceat eam esse princi-

Digitized by Google

pium, seu elementum per accidens rei genitę maior probatur, quia ille loquendo de priuatione non mutat suppositionem, sed eam, quam dixerat esse principium per se generationis, docet postea esse principium, seu elementum per accidens rei genitę. Minor etiam probatur, quia toto hoc primo libro de ea priuatione verba fecit, quę est formę compositi, quod generatur contraria, & quæ ad eius aduentum discedit; & à qua materia in transmutatione substantiali recedit, tãquam à termino à quo, vt formam acquirat. Et confirmatur in specie ex *tex.* 43. & sequentibus, vbi probans Philosophus quodlibet per se fieri ex determinato contrario: *tex.* 68. infert tria esse rerum naturalium principia formam, scilicet, materiam, & priuationem, & horum duo esse inuicem contraria; sed priuatio formæ absentis non est contraria formę, quæ principiat compositum; simùl enim cum illa *existit* in subiecto: ergo Aristoteles non loquitur de priuatione formæ absentis, sed præsentis.

29 Probatur secundò: Principia corporis naturalis, vt patet *ex tex.* 42. sunt illa, inter quæ est prima contrarietas; sed prima contrarietas solùm inter præsentem formam, & eius priuationem *reperitur*; ergo priuatio formę præsentis est per Aristotelem elementum per accidens rei genitæ. Confirmatur ex 12. *Metaphor. tex.* 22. vbi dicit elementa tradens; dicere ex esse tria tenebras scilicet, lumen, & aerem, sed tenebræ sunt priuatio formę præsentis, scilicet luminis, ergo de priuatione formæ præsentis docet Aristoteles eã esse elemẽtũ per accidens; nec aliquem Textum reperies, in quo ille priuationis alterius formæ faciat mentionem.

Iam verò ratio, quare de priuatione formæ præsentis solùm egerit Philosophus assignando principium, seu elementum per accidens rei genitę duplex est: prima, quia licèt talis priuatio in re genita non remaneat, sicuti remanet priuatio formę absentis: attamen immediatè ante generationem, ita fuit necessariò coniuncta cum materia, adhoc vt ipsa materia esset principium rei genitæ modo naturali, vt faceret vnum numero principium per se cum eadem materia respectu rei genitæ in fieri; Dicimus enim in omni rigore ex non igne fieri ignem, & ex non homine, hominẽ: ad quod respiciẽs dixit *Aristoteles tex.* 66. est autẽ subiectum numero quidem vnum: forma verò, idest, formaliter, duo: & *tex.* 67. est quidem vt duo dicenda sint principia, est autem vt tria; Duo autẽ non nisi quia subiectum, & priuatio formæ præsentis coeunt in vnum principium per se, materialiter loquendo; hoc autem non habet priuatio formæ absentis, quæ licèt, faciat vnum numero cum materia: non tamen cum illa facit vnum principium per se compositi, in quo reperitur. Musicus enim V. G. per se quidem dicitur fieri ex inmusico, per accidens verò ex Philosopho, vel Cęmentario, vel non albo.

30 Secunda verò ratio illa est: quia materia ingenito retinet eamdem denominationem à priuatione præsentis formæ desumptam; Ideoque ab Aristotele omnia dicuntur constare ex contrarijs; per quod antiquorum dicta saluat, ponentium principia rei genitæ esse contraria: quod patet ex *tex.* 67. *cit.* vbi cum dixisset; (*est quidem vt duo dicenda sint principia, est autem vt tria,*) pergit: (*& est quidem, vt contraria, est autem vt non;*) quod ideò dicit, quia materia, si consideretur secundùm appellationem à præcedenti priuatione habitam est contraria formæ, secundùm se autem non est illi contraria; atque hæc explicatio patet ex sequentibus: sic enim ait: *soluitur autem hoc quòd scilicet contraria, & non contraria sint principia; propterea quòd aliud est subiectum, hoc enim non est contrarium; quare neque plura contrarijs principia quodammodo, sed duo, si dicam numero,* (intellige tu secundùm appellationem.) *neque alterum penitus duo; propterea quod alterum est esse ipsius* [illegible] *tria;* Hæc Aristoteles. Quod si dicas materiam habere etiam appellationem à priuatione formę absentis: Respondeo appellationem illam non denotare principium per se, sed ad summum, conditionem sine qua non; quia priuatio formæ absentis, etiam si reddat compositum completè corruptibile; tamen per accidens omninò, & contingenter se habet ad eiusdem compositi constitutionem, per accidens enim ignis V. G. fit ex nõ igne, vel ex non homine; per se verò ex non igne fieri dicitur.

Dices: videri nos in his conclusionibus assumere quod ideo Aristoteles priuationem formæ præsentis appellet principium per accidens, quia scilicet principiat tanquam elementum per materiam compositum in facto esse; sed hoc gratis asseritur; Philosophus enim propter triplicem rationem tribuit illi hãc denominationem principij per accidens: primò quia respectu materię se habet, vt accidens, vnde *tex.* 66. non dixit quod principiet per accidens: sed sit priuatio, & contrarietas accidens: secundò quia non inest rei iam factę: tertiò denique quia siuè illa præcesserit siuè nõ, corpus naturale in facto esse manet idem; & hęc est ratio Bonęspei, quam assignat *disputat. 1. num. 46.* 31

Contra tamen est primò, quia quod Aristoteles huiusmodi priuationem elementum appellet rei in facto esse, luce clariùs patet, tùm *ex 1. & 3. tex. huius libri*, vbi omnia principia obiecti, quę erat indagaturus appellat elementa eiusdem: tum etiam ex 12. *Metaph. cit.* vbi apertè inter elemẽta diei tenebras enumerat.

Contra etiam est secũdò, singulas retiones examinando: & quidem prima non sufficit, quia esse principium, vel per se, vel per accidens alicuius non oritur ex entitate ipsius principij; secus substantia nunquam habere posset rationem principiandi per accidens. Sed ex connexione, quam habet cum re, cuius est principium; Ad id autem quod dicebatur de *Aristotele tex.* 66. dico particulam illa (*accidens*) ibi, vt notat Zabarella, idem valere, ac per accidẽs, quia opponitur verbis illis eiusdem Textus, quibus docet res fieri ex materia non secundùm accidens; quod autem Aristoteles negat materiæ; priuationi concedit. deinde quid respondebunt ad *tex.* 75. vbi habentur hęc verba, *nos autem, & ipsi dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo quod non est*, ideſt ex priuatione, *sed tamen fieri ex eo quod non est secundùm accidẽs*; & explicans, quid sibi velit hoc fieri, seu componi ex priuatione, secundùm accidens, subdit: *ex pri-*

Digitized by Google

principium enim ipsa per se non est, non ex eo quod non ens sit, sed subintelligo ex eo, quod eius loco in facto composito materia, cum qua priuatio faciebat vnum principium.

32 Neque secunda ratio assignata placet; ex eo, scilicet, quod priuatio non inesse in re iam facta dici debeat principium per accidens; siquidem, in esse vel non in principiato est quid impertinens adrationem principij, vel per se, vel per accidens; imò si non inesse rei iam factæ tribueret principium esse per accidens: possemus vtique asserere Deum principium per accidens Creaturæ: non enim inest illis, etiam si sit earum principium & Patrem increatis esse principium per accidens filij, quia non inest filio; quæ omnia sunt aperte falsa. Neque denique Tertia; quia sic causæ omnes ex quibus effectus pendent solum in fieri, & non in facto esse, deberent dici causæ per accidens eiusdem, ex eo quia, siue illo præcesserint effectus suos, siue non præcesserint, effectus in facto esse manent ijdem; ad eum planè modum, quo corpus naturale iam factum, siue præcesserit, siue non præcesserit priuatio formæ eius; nulla igitur ex rationibus assignatis saluat priuationem formæ præsentis rectè dici ab Aristotele principium per accidens compositi in facto esse.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiecta in contrarium.

33 OBijcies quoque primò contra primam conclusionem: si priuatio formæ absentis dici posset principium per accidens rei genitæ: sequerentur quod plura tribus, imò infinita essent corporis naturalis principia; præter materiam enim, formam, & priuationem illius, admitti etiam deberent omnium formarum absentium priuationes, quæ sunt actu infinitæ; sed hoc præterquam quod est contra Aristotelem, fauetque Anaxagoræ ponenti infinitatem in principijs, impedit ne possimus de eodem corpore naturali habere scientia, vt supra diximus: ergo &c.

Respondeo: distinguendo sequelam, sequeretur quod plura tribus essent principia, siue per se, siue per se accidens, quomodocunque, concedo sequelam: siue per se, siue per accidens ad compositionem pertinentia, nego sequelam; & distincta eodem modo minore; nego consequentiam; Principium per accidens quomodocunque appello omne id, quod ita est coniunctum cum principio, seu elemento per se, vt faciat vnum numero cum illo, quemadmodum sunt omnes priuationes formarum absentium: principium verò per accidens ad compositionem pertinens appello illud, quod ex eo quod fuit principium per se generationis tãquam quid necessariò prærequisitum in materia, adhoc vt hæc esset elementum geniti, faciebat vnum principium cum illa sui denominationem communicando. Porro de tali principio per accidens semper loquitur Aristoteles: Anaxagoras autem posuit principia infinita per se essentialiter diuersa: voluit enim in vllaque re dari particulas rerum omnium factibilium, quas censebat esse infinitas; Denique principia per accidens quomodocunque, etiam si infinita sint, non obstant scientiæ, quia hæc non considerat ea, quæ per accidens omninò se habent, etiamsi ly per accidens non significat contingenter, sed per aliud sed ea solùm, quæ habent peculiarem aliquam attinentiam per se cum obiectis ab illa consideratis. Vide Philosophum 2. *Physic. text.* 50. vbi docet causas per accidens infinitas esse.

Obijcies secundò materia, prout facit vnum principium per se materialiter cum priuatione, implicat quod sit pars intrinseca geniti, ergo nullo minus poterit esse pars intrinseca eiusdem geniti ipsa priuatio ex eo, quod in generatione fecerit vnum principium per se materialiter cum materia. 34

Respondeo distinguendo antecedens; materia prout facit vnum principium per se cum priuatione, implicat quod sit pars intrinseca geniti, in sensu composito, hoc est cum priuatione coniuncta, concedo: in sensu diuiso, hoc est a priuatione separata, nego antecedens; & consequentiam.

Instabis: priuatio non potest esse pars intrinseca per accidens compositi, nisi sit causa per accidens eiusdem; sed causa per accidens est illa, quæ est actu coniuncta cum causa per se actu causante; ergo priuatio formæ præsentis non poterit esse pars intrinseca per accidens eiusdem compositi: non est enim actu coniuncta cum materia actu componente compositum esse.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem vniuersaliter; potest enim causa per accidens dici etiam illa quæ fuit immediatè antea coniuncta cum causa per se actu causante, in quo sensu, Matthæi 11. dicitur: cæci vident; claudi ambulabunt, lepros mundarunt: sic adhoc vt priuatio sit principium, seu elementum per materiam sufficit si initio generationis constituerit vnum principium cum illa materialiter, eique sui denominationem aliquo modo relinquent.

Obijcies Tertiò: priuatio formæ præsentis si esset elementum per accidens, hoc est per materiam, ex eo, quod fuerit necessariò in generatione in ea prærequisita: sequeretur, quòd tum forma corrupta deberet dici elementum per accidens compositi; tum substantia panis elementum per accidens sacratissimæ Eucharistiæ; vtrobique enim militat par ratio; sed hæc sunt absurda: ergo &c. 35

Respondeo: negando sequelam quoad vtramque partem; disparitas prioris est, quia materia, prout erat sub forma corrupta per accidens, & non per se habebat rationem principij rei, quæ debebat generari: Per accidens enim est, vti diximus, quod ex ligno V.G. fiat ignis; per se verò quod fiat ex non igne. Disparitas verò posterioris est, quia in Eucharistia venerabili nulla remanet materia panis, in qua panis ipse debuit præexistere; sed sola accidentia, quæ neque faciebant vnum principium per se cum substantia panis respectu Eucharistiæ, neque postea retinèt denominationem substantiæ panis; adde quod ex extrinseca voluntate Dei ex pane fit Corpus Christi, at verò ex natura sua ignis ex non igne generatur.

Obijcies quartò: si hic numero ignis V.G. naturaliter genitus, fuisset à Deo creatus: eodem 36

mo-

Digitized by Google

modo se habuisset, quoad sua intrinseca tunc, ac se habeat nunc; sed tunc eius pars intrinseca non fuisset priuatio formę præsentis, quia non factus fuisset ex materia præexistente; ergo neque nunc. maior patet, quia in tali casu ignis differret tantum à se ipso per fieri, quod est illi extrinsecum, non autem per factum esse.

Respondeo: distinguendo sequelam maioris: eodem modo se habuisset tunc quoad eius intrinseca per se, concedo: quoad eius intrinseca siuè per se, siuè per accidens nego; & sic distincta minore, nego consequentiam. Ad probationem autem dico: quod in eo casu; ex eo, quod ignis differat per fieri, sequitur quod etiam differat per factum esse quantum ad ea, quę per accidens in illo se habent.

37 Obijcies quinò: si priuatio aliqua esset elementum per accidens compositi, dici etiam posset elementum per accidens formę oppositæ; sed hoc est absurdum: ergo &c. sequela probatur ex eo, quia nulla potest assignari Disparitas.

Respondeo, negando sequelam; Disparitas autem est, quòd compositum constat ex materia tanquam ex elemento per se, per quam dici potest priuatio ipsum principiare: at verò forma non constat ex materia tanquam ex elemento, sed est simplex actus physicus illius.

38 Obijcies sextò contra secundam conclusionem. Per *Aristotelem hic tex.* 80. illa priuatio est principium compositi in facto esse, quæ est maleficæ, malumque ipsi composito machinatur; sed hæc est sola priuatio formæ futuræ; ergo priuatio formæ futuræ est principium per accidens per Aristotelem.

Respondeo, tùm priuationem formæ præsentis, tùm priuationem formæ absentis esse maleficam composito. Illa quidem formaliter in quantum, si aduenial materiæ ipsum destruit: hæc verò caussaliter in quantum complet appetitum materiæ in ordine ad alias formas incompossibiles cum forma compositi. Priuatio autem, quæ est principiũ per accidens per Aristotelem, est illa, quæ est maleficæ primo modo; sola enim hæc primam exercet contrarietatem cum altero principio, quod est forma, vt de se patet; data autem hac explicatione maiori, nego minorem.

Obijcies septimò: compositum primò existens dicit vt principia non solùm materiam, & formã vnitas; sed etiam carentiam præcedentem durationis vnionis; ergo rationabilius est dicere huiusmodi carentiam esse principium per accidens compositi post primam sui productionem conseruati: consequentia videtur certa, antecedens verò suadetur à docto quodam Recentiore supponendo, compositum primò existens compleri per hoc, quod aliquam carentiam antecedentèr importet: tùm sic: Quod enim dicat materiam, & formã existentes vnitas, patet: quod verò etiam carentiam præcedẽtẽ durationis vnionis inuoluat probatur, quia ex vna parte sublata dicta carentia præcedente & quacunque alia posita, non habetur posteà necessariò compositum primo existens, ex alia verò ea admissa implicat, quod pro instanti sequenti non habeatur; ergo &c.

Respondeo: negando antecedens, dico enim: quod ad habẽdũ compositum primò existens sufficit intelligere materiam, & formam in hoc instanti vnitas, ita vt in instanti præcedendi in dicta materia, carentia præsentis formæ præexistentis ad probationem in contrarium aio: eam supponere carentiam immediatè præcedentem durationis vnionis esse essentialiter addictam tempori immediatè præcedenti, ita vt chymericè pro alio tempore intelligatur existere, quod nos suo loco probabimus esse falsũ. Deinde addo quod cũ sufficientissimè habeamus conceptum compositi primo existentis per eius materiam, & formam vnitas, importantem priuationem formæ in materia immediatè antea præexistisse: superuacaneè ad sententiam adeò singularem de carentia durationis vnionis determinato tempori essentialiter ad dictæ recurritur. Vnde si vt carentia formæ præsentis, etiam quatenus modo dicto pertinet ad cõpositum primo existens, debeat dici principium, seu elementum per accidens huiusmodi compositi in facto esse.

SECTIO SEXTA.

Traditur, & explicatur principiorum Physicorum definitio.

VOlens *Aristoteles hic tex.* 42. probare rectè veteres Philosophos existimasse principia corporis naturalis esse prima contraria: communem affert illorum descriptionem: videlicet *esse ea, quæ neque ex alijs sunt, neque ex alterutris, sed ex his omnia*; atqui primis contrarijs, inquit ille, insunt hæc; ergo prima contraria sunt prima principia & vice versa. minorem probat sic. prima enim contraria ex eo, quod prima sunt, nõ sunt ex alijs, ex eo verò quod sunt contraria, non sunt ex alterutris; vnum enim contrarium non fit ex alio; quod autem omnia fiant ex ipsis probat inferiùs. At hic aduerte, quod licèt definitio hæc competat materię; ex intentione tamen philosophi allata est tantum modo in præsentia ad explicandã essentiam formæ, & priuationis quæ contrarietatem habent inuicem; non quidem positiuam, sed priuatiuam; & quidem primã, quia hæc præcedit omnem aliam, quæ in rebus physicis reperitur, verum hęc definitio adeo explicatu difficilis est: vt aliqui, inter quos censetur esse Auerroes, existimauerint eam iuxtà mentem antiquorum, non autem ipsius Aristotelis ab illo traditam fuisse; nos verò cum cæteris communiter illam tanquam Aristotelicam amplectimur, atque in præsenti sectione interpretari conamur; si priùs ea, quæ obijci solent in contrarium adnotabimus. 39

Sic igitur dictam definitionem cõmuniter impugnant: quia ex vna parte non videtur illa cõpetere ipsis definitis: materia enim, & forma habent principia effectiua, & causas finales; vnde falsum est, quod non sint ex alijs; secundò quia forma fit ex materia, tanquam ex subiecto, & ex priuatione tanquam ex termino à quo; imò idem *Aristotelis hic tex.* 43. ait: non quodlibet fit ex quolibet; sed ex suo contrario. Iam igitur principia sunt ex alterutris, tertiò quia corpora incorruptibilia non sunt ex priuatione; ergo non omnia sunt ex ipsis: ex alia verò parte dicta definitio competit alteri à definito: scilicet Deo, qui non 40

est

est vnum ex assignatis. Deus enim quatenus est primum efficiens, & vltimus finis, rectè dici potest neque ex alijs, neque ex alterutris esse, sed ex illo omnia: ergo tradita definitio non videtur admittenda.

Sed præcipuè in hac quæstione difficultates dependent ex explicatione particulæ, *ex*, in definitione ter positæ: pro qua re sit

41 Nostra Conclusio, particula, *ex*, ter in definitione tradita posita, in eodem semper sensu sumenda est, quatenus significat dependentiam in eodē genere principiandi, in quo principia principiata dicuntur; ita vt definitionis sensus sit; principia in eo genere principiandi, in quo omnia corpora naturalia principiata, neque ex alijs, neque ex se inuicem principiari: quidquid sit deinde an in alio genere principientur: & sic ideò materia censetur esse primum principium corporum naturalium, quia cum illa principiet vti subiectum, in hac ratione subiecti non principiatur ab alio: idem dicendum est de forma; & de priuatione; hæc autem explicatio est Picolominei, & à multis Recentioribus approbatur, præsertim ab *Oniedo contr. 1. Physicorum punct. 10. n. 5.*

42 Probatur autem quia ex vna parte per illam optimè saluatur ratio primi principij, quæ rebus creatis competere potest, vt nimirum in aliquo determinato genere sint primę, siquidem esse primum in quocunque genere soli Deo competere potest: ex alia verò parte cætera explicationes, quæ afferri solent, vel æquiuocationem admittunt, vel non sunt ad mentem Aristotelis; vel denique cum hac nostra coincidunt, vt ex dicendis patebit: ergo &c.

Interim respondeo ad rationes dubitandi, negando primò definitionem traditam non competere tribus principijs; & ad primum, & secundum, quibus id probabatur patet responsio ex dictis, materia enim, & forma non principiantur à suis causis efficientibus, & finalibus in genere causæ materialis, & formalis, sed in diuerso genere; & sic falsum est, quod fiant ex alijs; rursus forma fit ex materia in genere causæ materialis, ex priuatione verò in genere termini à quo, ipsa verò principiat in genere causæ formalis, & termini ad quem; non igitur sunt ex alterutris; ad tertium autem dico: quod in hac definitione primò, & per se agatur de solis principijs rerum corruptibilium, quos constabat dari inter antiquos, non enim adhuc Aristoteles dari corpora incorruptibilia probauerat: cæterum dicta corpora dici possunt, quod habeant pro principio priuationem aptitudinaliter, & veluti in actu primo, per non repugnantiam.

43 Denique negamus dictam definitionem competere alteri definito, quamuis enim Deus non sit ex alijs, neque ex alterutris, falsum tamen est omnia esse ex ipso; huius rei ratio est quia res non dicuntur propriè esse ex efficiente, & ex fine, sed ab efficiente, & propter finem.

Quod si *Aristoteles 3. Metaphys. ex. 29.* dixit *quod ex patre, & matre fiat proles*: hic modus loquendi rigorosè sumitur ratione communicationis substantiæ, quam proles ab vtroque parente in generatione recipit; quod notarunt Philosophus dum subdidit: quia ex aliquia eorum parte, tantæ cuius communicationis, rigorosa est illa loquutio, qua dicitur in symbolo: *filius ex patre natus: & Spiritus Sanctus ex Patre, filioque procedere*; nec non etiam illa quæ habetur Ioannis 8. qui *ex Deo est verba Dei audit, & vos ex Patre Diabolo estis*; quamuis enim neque Deus iustis, neque Diabolus peccatoribus aliquid de propria substantia communicent; Deus tamen facit iustos dando illis gratiam sanctificantem, quæ est participatio quædam diuinæ naturæ, cuius beneficio inter filios adoptionis numerantur, Diabolus verò peccatoribus proprios mores, ac cogitationes inspirat, & sic eos reddit sibi similes in nequitia. Quod si dicimus quod calor in aere fiat ex Sole, & ex Luna humiditas: Respondeo has loquutiones non vsurpari in stricta, & rigorosa significatione, sed paulò latiùs; sicuti semper contingit; vnde non est cur cum *Hurtado disputat. 1. Physic. sect. 2.* putemus hac definitione comprehendi omnia principia obiecti physici, etiam extrinseca, cuiusmodi sunt causa efficiens, & finalis; sola enim materia, & forma, & priuatio comprehenduntur, quia de illis solis potest in rigore dici *ex eis omnia esse*; & quidē hanc fuisse mentem Aristotelis optimè constat ex omnibus illis Textibus, in quibus docet principia physica esse tria tantū quod præstat toto ferè 1. *lib. Physic.* nec non etiam 12. *Metaph. tex. 12.* vbi sic, *tria itaque principia, duo quidem ipsa contrarietas, cuius, hoc quidem ratio, & forma, hoc verò priuatio. Tertium verò materia*, quid clarius de mente Aristotelis? sed veniamus ad reliquas obiectiones.

SECTIO SEPTIMA.

Soluuntur obiecta contra traditam explicationem.

44 OBijcies primò, quia hac definitio sic explicata competit elementis; ergo non est admittenda; antecedens probatur, quia elementa in genere elementi, & corporum miscibilium neque ex alijs sunt, neque ex alterutris, sed ex his omnia mixta.

Respondeo negando Antecedens; ad eius probationem transeat elementa in genere miscibilium, non esse ex alijs, quod aliquis rectè negare posset, dicendo: genus corporis miscibilis pertinere ad genus causæ materialis, in quo genere principiandi elementa à materia prima principiantur: nego ego omnia in genere miscibilis fieri ex ipsis, per hæc enim *omnia* non solùm mixti, sed etiam corpora simplicia debemus cum Aristotele intelligere.

45 Obijcies secundò, priuatio in mutatione productiua principiat formam in genere termini à quo; In corruptiua verò ab eadem forma in eodē genere termini à quo principiatur, Idem dices de forma, quę cum in productiua mutatione in genere termini à quo ab ea principietur, in corruptiua illam in eodem genere principiat, sunt igitur hæc duo ex alterutris in eodem genere.

Respondeo primò hic agi de primis principijs in ordine ad mutationem per se intentam à natura, qualis est sola productiua; non autem in ordine ad corruptionem, quam natura solùm per acci-

accidens exercet; Cuius rei signum eſt, quod quando in definitione dicitur *omnia ſunt ex illis*, per ly *omnia*, non veniunt corpora corrupta, ſed genita, quorum ſola principia Philoſophus inueſtigat.

Reſpondeo ſecundò: tranſeat antecedens, nego conſequentiam, ratio eſt, quia genus termini à quo, vel ad quem, vt ſic, non eſt ſufficiens ad conſtituendum genus diſtinctum primi principij phyſici, niſi ſumatur per ordinem ad principiatum, tùm quia Phyſica non præſcindit à materia ſenſibili, quæ eſt principiatum: tùm etiam quia vniuerſaliter in aſſignanda determinata ratione principij, maximè ſpectari debet id, quod determinatè principiatur; quod ipſum præſtitit *Ariſtot. 5. Metaph.* vbi volens diuerſa principiorum genera diſtinguere, dixit: principium eſſe id vnde aliquid aut eſt, aut fit, aut cognoſcitur; Productiua, autem, & corruptiua mutatio ſunt in caſu noſtro principiata, in ordine ad quæ genera primorum principiorum ſunt diſtinguenda, ex quo patet in diuerſo genere principiandi priuationem, & formam ad inuicem principiari; in genere enim mutationis productiuæ priuatio, vt terminus à quo formam principiat, at in genere corruptiuæ ab illa vt à termino à quo principiatur; non igitur in eodem genere principiant, & principiantur.

46 Obijcies tertiò: materia principiat in genere cauſæ materialis; ſed hoc ratione principiatur à ſuis partibus; hæ namque, Teſte *Ariſtotel. 2. Phyſic. tex. 32.* principiant Totum in genere cauſæ materialis, ergo materia in eodem genere in quo principiat, pincipiatur.

Reſpondeo: diſtinguendo maiorem; materia principiat in eodem genere cauſę materialis ſubiectiuæ, in ſe mutationes, & formas recipientis, concedo; in genere cauſæ materialis integrantis vnum homogeneum in ratione continui, nego maiorem, & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Dico enim materiam eſſe principium phyſicum in quantum eſt ſubiectum recipiens in ſe mutationes, & formas, & conſtituens vt pars eſſentialis perfectibilis vnum per ſe cum forma in genere ſubſtantiæ; partes autem illius non ſunt eius ſubiectum, neque eius eſſentialiter componunt, ſed integraliter tantùm, deſt in ratione continui, in quantum illam continuam reddunt. Indiuerſo igitur genere principiat, & principiatur.

Inſtabis; ex dictis ſequitur ad minimum principia phyſica eſſe quatuor, quia omnia corpora phyſica ſunt ex partibus integrantibus diuerſo modo, ac ſint ex materia, forma, & priuatione, ſed hoc videtur abſurdum: ergo &c.

47 Reſpondeo negando ſequelam, quamuis enim corpora phyſica ſint ex partibus integrantibus: hæ tamen non ſunt prima partes integrantes, quia ita ſunt huiuſmodi, vt conſtent ex alijs ſimiliter integrantibus illas, & hæ ex alijs in infinitum, quia, vt ſuppono ex dicendis, quantitas conſtat ex partibus diuiſibilibus in infinitum, à quo huiuſmodi partes imbibi in conceptu materiæ eiuſque ratione principiandi complent.

47 Obijcies quartò: iſta definitio non competit omnibus definitis in particulari; ergo non eſt admittenda. conſequentia tenet; antecedens probatur, falſum enim eſt quod omnia fiant ex forma ligni V. G. vel ex priuatione ignis; omnia, igitur non ſunt ex illis.

Reſpondeo: conceſſo antecedente, nego conſequentiam, ad antecedentis probationem dico: quod iſta definitio traditur de principijs ſumptis in ſuppoſitione ſimplici, prout ſcilicèt tantùm, in communi conſiderantur, non autem ſumptis in ſuppoſitione abſoluta, quo pacto deberet etiam competere illi ſumptis in particulari; ac proindè ſatis nunc eſt ſi principijs acceptis in particulari competat inadequatè, & proportionaliter, ita ſcilicèt, vt verum ſit dicere, quod ex materia, forma, & priuatione vt ſic, omnia compoſita naturalia fiant; Ex hac verò materia, & ex hac forma, ac priuatione fiat hoc cõpoſitum, ex illis verò illud. V. G. ex materia ligni fiat ignis, ex priuatione verò ignis generatur ipſe ignis &c.

Obijcies quintò. Principium opponi debet principiato; ſed ſi noſtra expoſitio eſſet vera, iam non opponeretur; ergo &c. minor probatur; quemadmodum enim principiatum, ſcilicèt corpus, fit ex materia in genere cauſæ materialis, & ex priuatione in genere termini à quo ita etiam & forma, quæ eſt eiuſdem corporis principium, per nos, fit ex illis; ex materia ſcilicèt, & priuatione; iam igitur forma, & corpus non opponuntur. 48

Reſpondeo: diſtinguendo maiorem: principium opponi debet principiato in quacunque ratione, nego; debet opponi in ea ratione, ſecundùm quam principiat, concedo maiorem; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam; Ad probationem dico quod ad hoc, vt forma opponatur corpori, quod eſt eius principiatum ſufficit ſi in ratione formæ ita illud principiet, vt ab alia forma minimè principietur.

Obijcies ſextò; *Ariſtoteles 5. Metaph. tex. 29.* citato habet: ex toto partes, & verſus ex Ilinde, & lapides ex domo; ergo ſicuti omnia corpora ſunt ex principijs phyſicis; ita principia phyſica dici poſſunt in rigore eſſe ex corporibus. 49

Reſpondeo: per modum illum loquendi notatum in Ariſtotele, particulam, ex, ſignificare terminum à quo; ſiquidem partes ex toto tanquam ex termino à quo accipiuntur, quod ipſa acceptione deſtruitur, & lapides ſimiliter ex domo, ex qua fi accipiantur, domus deficit; Quoniam verò in genere termini à quo cõpõra naturalia ſupponuntur eſſe ex priuatione; hinc fit, vt ipſa non poſſint dici prima principia in genere termini à quo ſuarum partium, quando corrumpuntur.

SECTIO OCTAVA.

Examinantur aliorum explicationes circa particulam ex.

50 PRima expoſitio eſt Themiſtij aſſerentis: particulam ex à primo, & ſecundo loco poſitam importare habitudinem partis componentis; tertiò verò loco tùm partis cõponentis, tùm termini à quo; ſub diſiunctione tamẽ, ita vt ſenſus ſit: principia non cõponi neq; ex alijs, neque ex ſe inuicẽ; omnia tamen corpora, vel ex illis componi, vel ex aliquo illorum eſſe tãquam ex termino à quo,

quod

quod posuit propter priuationē, quæ vt terminus à quo, & non vt pars per se loquendo principiat.

51 Sed contra est primò, quia si esse termini à quo facit vt priuatio sit principium compositi, cur idē etiam non faciet, vt eadem priuatio sit principium formæ in fieri, cum respectu illius eodem modo rationem termini à quo participare videatur?

Contra secundò, quia sic definitio æquiuocationem & confusionem contineret; eo quod eadem particula, ex, diuersimodè sumenda esset tertio loco, ac sumatur in duobus præcedentibus.

52 Respōdet ad hoc *Camptonus disp. 2. Phys. sect. 2. n. 4.* huiusmodi, expositionem amplectens; hanc diuersam acceptionem eiusdem particulæ, ex, in definitione tradita non debere admirationem mouere; primò, quia partes definitionis in se sūt valdè diuersæ, prior siquidem est negatiua, posterior verò affirmatiua; secundo quia subiecta materia id requirit, tertiò quia latius patet secunda pars, quam prima, quę proindè diuerso modo sumi debet; quartò denique quia ut multi probabiliter asserunt, hęc definitio non est physicè una; Verum hę rationes nihil me mouent ad hanc æquiuocationem in definitione excusandam. Nō prima; quia tunc maximè seruanda est identitas significationis verborum quando uerba in eadem propositione subsumptione, & negatione proferuntur; *ut patet ex eo quia licèt sine nota confusionis possim ego dicere; quod Homo rideat, & prata rideant:* non tamen si dicam in eadem oratione, unoque spiritu prata ridere, & non ridere, sumendo risum primo loco metaphoricè, secundo verò propriè; Neque secunda; siquidem tunc subiecta materia id exigeret, quando definitio tradita non posset aliter intelligi, rectèque explicari; atqui hoc falsum esse constat ex his, quę in præcedente sectione diximus; ergo &c. Neque

53 Tertia, quia non excusatur à fallacia æquiuocationis in syllogismo usurpatio unius eiusdēq; uocis in diuersa significatione per hoc: quod in una propositione coniugatur cum uoce magis latè patente; in alia verò cum uoce minus; ergo multò minus excusari potest à dicta fallacia in definitione usurpatio eiusdem particulę, ex; in diuersa significatione per hoc, quod in prima definitionis parte coniugatur cum particulis minus latè patentibus, sic; *non sumitur ex aliis, neque ex alterutris*: in secunda verò cum magis late patente, sic: *nonnisi ex ipsis*; consequentia patet, quia definitio est syllogismo rigoriosior est enim vna oratio, vno spiritu prolata, quam paucissimis constans, antecedens verò suadetur ex hoc syllogismo sophystico, omnis Canis, est latrabilis, sed aliqua stella est Canis; ergo aliqua stella est latrabilis, Canis enim in maiore coniungitur cum signo vniuersali, atque adeò magis late patet, quam in minore, in qua cum signo particulari copulatur; & tamen ex hoc non excusatur à sophismate, atque fallacia.

54 Neque denique me mouet quarta excusatio: quia quando dicitur, quod in multorum sententia hęc definitio non est physicè vna; vel hoc dicitur ex eo, quod priores definitionis particulæ explicent diuersam essentiam ab ea, quæ à posterioribus explicatur; vel ex eo, quia principia existimantur non habere inter se conuenientiam aliquam, atque adeò tot esse Physicas definitiones, quot sunt principia; non enim aliam videre possum huius dicti causam; Primum est manifestè falsum, siquidem eandem formalissimam rationem primi principij Physici debet vtrumque membrum definitionis exprimere, videlicèt, & quod principium non fit ex alijs; neque ex alterutris, & quod omnia sint ex ipso; secundum verò in mea sententia, neque habet veritatem vt ex sequentibus constabit. eo tamen dato non soluitur difficultas; quia quando definitio applicatur V. G. priuationi, in hunc modum particula, ex; exponi debet: priuatio non fit ex alijs, neque ex comprincipijs tanquam ex partibus componentibus, sed omnia fiunt ex ipsa tanquam ex termino à quo. Per hoc igitur, quod definitio non possit applicari definitis in vna ratione principij conuenientibus non tollitur quin particula, ex, non mutet suppositionem in significando etiam prout est vna physicè, & quatenus applicatur vni tantùm principio, sub quo omnia ea quæ continentur, eamdem rationem principij participant; Atq; hæc quantum ad rationes, quibus Comptonus excusat diuersam eiusdem particulæ, ex, acceptionē in definitione. Secundam autem expositionem, quam n. 5. Idem auctor subdit, quia eodem laborat vitio, non expendo, sed propono tantum; ait enim hoc alio modo traditam definitionem explicari posse; ita vt non esse ex alijs neque ex alterutris in eodem genere, & sub eadem ratione in quo sunt principia, significet; omnia verò esse ex ipsis tanquam ex partibus essentialibus, aut termino à quo.

53 Tertia expositio est *Fonsec. 5. Metaph. cap. 1. q. 2. sect. 1.* quem sequuntur Conimbricenses, Ruuius, & alij, qui ita explicant particulam, ex, vt vbique importet habitudinem tùm partis componentis, tùm termini à quo.

Sed contra est primò, ex hac enim explicatione sequitur formam non esse principium; quia fit ex priuatione tanquam ex termino à quo.

Dicent, fieri, esse proprium compositorum, adeoque licèt forma fiat à priuatione, propriè tamen non fiet ex illa.

Sed contra est, quia superfluæ essent particulæ illę in definitione, non sunt ex alijs, neque ex alterutris; satis enim fuisset dicere: principia non fiunt; ex ipsis autem fiunt omnia, cum autem salvare possimus definitionem non esse redundantē, debemus vtique id præstare. Linquo in Aristotelis definitione nō esse verbū fieri, sed verbū esse.

54 Idcircò alij quartò dicunt particulam, ex, ter in definitione positū fuisse sæpe esse prout solā habitudinē partis cōponentis, & elemēti significat quoniam verò ex vna parte elemēta simul uocāt ad ponendum id cuius sunt elementa: sic enim ab Aristotele elementum definitur: *est id ex quo in existente aliquid primò fit*; ex alia verò parte impossibile est quod priuatio fit simul cum forma opposita aliquid componendo cum illa, ideò duos modos huius sententiæ Patroni illam defendendi excogitauerunt.

Vnus est eorū, qui volunt hic definiri principia in ordine ad corpora naturalia solū in fieri, quod fieri cum sit quidam transitus ex vno in aliud

Digitized by Google

terminum, in ſuo adequato conceptu dicit ſubiectum prius exiſtens ſub priuatione, & deinde ſub forma; propter quod putant tranſmutationem ipſam componi ex ſubiecto, priuatione, & forma.

55 Verum hic modus explicandi, in quantũ dicit tria dicta principia eſſe partes, & elementa trãſmutationis, non ſatisfacit; nã vel ideò hoc aſſerit, quia verè mutatio ex illis componitur, vel quia licèt ex illis non componatur: ſunt tamen de eius conceptu eſſentiali, non enim poteſt excogitari alia ratio huius dicti; ſed neutrũ dici poteſt; ergo &c. minor probatur, quo ad primum, tùm quia mutatio eſt ens reale, atq; adeò non poteſt ex priuatione componi, tùm etiam quia ita ſe habet mutatio ad tria dicta principia, ſicuti ſe habet motus localis ad ſua tria proportionaliter accepta; atqui nemo dixit motũ localẽ hominis V.G. cõponi ex homine, qui mouetur, & ex termino à quo, & ad quẽ, mouetur; ergo neq; mutatio ex ſuis principiis.

Quoad ſecundam verò partem probatur eadẽ minor; quia ex eo quod aliquid ſit de conceptu eſſentiali alicuius rei, non ſequitur, quod ſit eius elementum, & pars componẽs, ſic enim dici poſſet Deum eſſe elementum Creaturarum, quia cum terminet tranſcendentalem relationem illarum, eſt proculdubio de earum conceptu eſſentiali; Imò ipſa principia iam eſſent ex alterutris, quia tùm forma eſt de cõceptu eſſentiali materiæ, tùm materia de eſſentiali conceptu formæ, non enim poteſt vna intelligi ſine altera, vt patet ex earum definitionibus; falſa igitur erit hæc expoſitio.

56 Priuſquam tranſeamus ad poſteriorem modum defendendi quartam hanc explicationem particulæ, ex, placet breuiter expendere ſententiã Ouiedi, qui *controu. prima Phyſic. punct. 2.* vult quod licèt neq; materia, neq; forma ſint partes intrinſecæ mutationis: ſit tamen huiuſmodi priuatio; eo quod exiſtimat mutationem componi intrinſecè ex receptione, ſeu inheſione formæ, & priuatione eiuſdem formæ prout inherentis, atq; receptæ; ratione aſſignat, quia, inquit, materia dicitur mutata per receptionem illius, quod antea non habebat, ac proindè formaliter dicit receptionem, & dicit nõ habuiſſe antea talem receptionem, quod eſt priuatio conſtituens ſubiectum mutatum; vnde eſt quod priuatio ſit principiũ intrinſecum mutationis ad inſtar materiæ compoſiti; Verum hæc ratio ſolum probat, quod ad hoc vt receptio formæ in materia induat conceptum mutationis debet connotare immediatè antea priuationem eiuſdem formæ in eadem materia præceſſiſſe, ſed hoc non conuincit priuationem eſſe partem intrinſecam mutationis, ſed ſolùm eſſe cõnotatum eius, extrinſecum, benè tamen eſſentiale, ad eum planè modum quo licèt ſacramentum Baptiſmi debeat neceſſariò præceſſiſſe in homine, qui ſacramentum Pœnitentiæ, vel Confirmationis recipit, ad hoc vt hæc habeant rationem ſacramenti; nemo tamen dixerit hæc, & ſimilia ſacramenta importare Baptiſmum, tanquam ſui partem intrinſecam.

Non acquieſcit ad hæc Ouiedus; vt conſtat ex n. 24. non enim percipio, inquit, quid ſit iſta connotatio, quia non identificatur cum receptione, vt conſtat, ergo eſt aliquid ab illa diſtinctum; ſed hoc non poteſt eſſe niſi priuatio; ergo &c. Verum hæc eſt difficultas toties repetenda, & toties à nobis ſoluta, dicimus enim connotationem iſtã dicere rerum id quod per Ouiedum dicit mutatio, ſed diuerſo modo; nã receptionẽ dicit intrinſecè, priuationẽ verò extrinſecè, ſed eſſẽtialiter; ſicuti Creatura Deũ; & peccatũ, legẽ æternam; & cæteræ ſacramenta tranſeũtia Baptiſmum, & ipſa mutatio ſubiectũ, & terminũ ad quem, & ſexcẽta alia, ſed hæc ſatis contra Ouiedum. veniamus ad alterum modum quartam explicationem defendendi.

Is eſt illorum, qui putant hic definiri principia in ordine ad corpus naturale in facto eſſe tantùm, reſpectu cuius dicunt priuationem eſſe principium intrinſecum, ſeu elementum; non quidem per ſe, ſed per accidens, ut ſæpè docet Ariſtoteles, ideſt, per materiam cum qua dicitur ab eodem Philoſopho vnum numerò. 57

Et quidem hæc ſententia eſt iuxta noſtra principia, ac proindè non ſolùm non contrariandа, imò etiam laudanda, & quoad fieri poteſt admittenda, vt de facto eã admittimus, & laudamus.

Duo tamen ſunt quę mihi in auctoribus huius ſententiæ non placent, alterum eſt quod noſtram explicationem illi contrariam eſſe pronuncient; in quo etiam peccant Auctores noſtræ expoſitionis, qui communitèr putant teneri ſe hanc de elementis ſententiam impugnare: alterum verò eſt, quod cenſeant hic definiri principia ſolùm in ordine ad compoſitum in facto eſſe, non autem in fieri; mihi longè alia mens eſt, quam quatuor dictis ſequentibus explicabo, quorum primum eſt. 58

In definitione tradita ab Ariſtotele definiuntur principia corporis naturalis tùm in ordine ad eius factum eſſe, tùm etiam in ordine ad eius fieri: eſt Themiſtij hic *tex. 55.* Auerrois in *tex. 57.* Zabarellæ *hic libro primo* docentis Ariſtotelem non diſtinguere tractationem principiorum, prout ex eis res fiunt, à tractatione eorumdem prout ex eis res conſtant.

Probatur autem primò vniuerſaliter concluſio ex *Ariſtot. hic tex. 65.* vbi ea principia de quibus loquutus eſt aſſignans: ex quibus, inquit, ſunt, & facta ſunt, non ſecundum accidens, hoc eſt, non contingentèr, ſed vnumquodque quod dicitur ſecundum ſubſtantiam; Porrò principia, ex quibus corpora naturalia ſunt, & facta ſunt non poſſunt eſſe niſi principia eorũ cũ in fieri, tũ in facto eſſe. 59

Probatur ſecundò eadẽ concluſio quo ad primã partẽ; quia Philoſophus inueſtigat principia obiecti Phyſici, eaq, intẽdit definire; atqui obiectum phyſicę eſt corpus naturale in facto eſſe; ergo in hac definitione inueſtigat, ac definit eius principia; nullibi enim niſi hoc loco id præſtat; maior huius argumẽti, quæ quoad ſecundã partẽ ſolũ eſſet probãda, patet ex eo, quia ſcientifica methodus exigit vt ſi res, de quibus agitur in illa, pluribus rationibus ſint definibiles; ea ratione potiſſimũ definiantur, quę cõpetit illis prout ab illa ſcientia primariò cõſiderantur; ſed principia hęc primariò conſiderantur in phyſica ea ratione, ſecundũ quã principiant corpus naturale in facto eſſe; ergo vt ſic debuerunt ab Ariſtotele definiri.

Probatur tertiò: quoad ſecundam partem niſi hic definerẽtur principia in ordine ad corpus naturale etiam in fieri; in definitione non includeretur priuatio ſecundã ſuam propriam rationẽ principiandi; ſed hoc eſt abſurdũ; ergo hic definiuntur 60

etiam

Digitized by Google

etiam principia corporis naturalis in fieri; minor cuius argumenti patet quia nisi principio in hac definitione includeretur secúdū suā propriā principiandi rationē, definitio esset vitiosa, in quātū nō conueniret omnibus tribus principijs secúdum id quod per se in ratione principij illius compereret: sequela verò maioris probatur, quia priuatio solùm in ordine ad compositum naturale in fieri exercet rationem principiandi sibi peculiarem, quæ est termini à quo; quæ quidem ratio ei conuenit per se in ordine ad fieri nam in ordine ad factum esse exercet, vt diximus, rationem principiādi per accidens, scilicet per materiam. ne igitur asseramus eadem definitionem non competere illi secundæ proprium principiandi modum debemus adnectere, quod hic etiam principia corporis naturalis in fieri definiantur.

Confirmatur primò, quia ita ait Aristoteles assumpsisse de generationis principijs a quæ, scilicet ratea definierat, se enim habet sic igitur nos dicamus principium de omni generatione aggredientes.

Confirmatur secundò, quia definitio optimè potest adaptari tribus principijs, tùm per ordinem ad fieri, tùm per ordinem ad factum esse corporis naturalis; ergo cum Aristoteles nullam fecerit in hac re distinctionem, dicendum est ipsum in ordine ad vtrumque eam tradidisse.

61 Dico secundò tria dicta principia diuersum genus principiandi exercent in ordine ad fieri compositum, ac in ordine ad factum esse eiusdem.

Probatur quoad vtrumque, quia in ordine ad fieri non habent rationem partis componentis aut elementi, neque per se, neque per accidens; sed solam habent rationem termini à quo, & ad quem, & subiecti; in ordine verò ad factum esse participant rationem partis componentis, & elementi; materia quidem, & forma per se; priuatio autem per accidens: diuersum igitur principiandi genus exercent in fieri, ac in facto esse.

62 Dico tertiò: diuersimodè applicanda est definitio ipsis definitis prout sunt principia rerum in fieri, & prout sunt principia rerum in facto esse.

Probatur, quia definitio hæc illis est applicanda in particulari, prout propriam, & peculiarem principiandi rationem exercent, atque participant, sed diuersimodam rationem participant, atque exercent prout sunt principia corporis in fieri, ac prout sunt principia in facto esse; ergo &c.

Dico denique quartò: materiæ, formę, & priuationi, prout sunt principia rerum in fieri, ita applicanda est definitio, vt in genere termini à quo, ad quem, atque subiecti, non fiant ex alijs, neque ex alterutris, sed ex his omnia; prout autē sunt principia rerum naturalium in facto esse, ita vt in genere partis, componentis siuè per se, siuè per accidens, siuè per principium, sine negatiuè, nō fiant ex alijs, neque ex alterutris, sed ex his omnia. Cum quo tamen sint vniuersalis expositio, quam præcedenti sectione tradidimus, quoad particula, ex, genus proprium principiandi cuiuscunque principij significet. Est enim hoc genus sit principiandi, in ratione elementi, vel per se, vel per accidens, siuè in ratione termini à quo, ad quem, atque subiecti, verificentur semper quod in his generibus omnia corpora principiantur, vna eisdem, neque ex alijs, neque ex alterutris principientur.

Sunt autem qui distinguant principia intrinseca, in perfectè intrinseca, & imperfectè: & quidem perfectè intrinseca dicunt partes componentes principiati; imperfectè verò, quibus intrinsecè afficitur id, cuius sunt principia, licèt non componatur ex illis, cuiusmodi sunt materia forma, priuatio respectu mutationis; atque in hac sententia recte dici potest particulam ex, ex positū significare rationem principij intrinseci præscindentis à perfectè, & imperfectè intrinseco; ergo &c.

Respondeo: negando minorem, siquidem iuxta hanc expositionem sensus ex alterutris, quis vt ait *Arriaga in Physic. disp. 1. sect. 1. n. 3.* subiectè rectè dicitur principium intrinsecū respectu formę, quia, licèt non sit pars formæ, est tamen illi vnitum. Præterea vt notat *Suarez tom. 4. phys. tract. 2. n. 17.* omnes partes sunt essentiales, suis integrantes, quando sunt vnitæ inter se mutuo, & sibi sunt intrinsecæ; ergo &c.

DISPVTATIO TERTIA

DE CONVENIENTIA, QVAM TRIA Principia Physica inter se habent.

PRÆSENS quæstio à *P. Fonseca 5. Metaph. cap. 1. quæst. 5. & Suario disput. 12. Metaph. sect. 1. n. 13.* de omni principio vniuersalitèr instituitur; à nobis verò, vtpote physicis, de solis tribus principijs corporis naturalis agitatur. Quæ autem de his dicuntur poterunt nullo negotio aliis applicari.

SECTIO PRIMA.

Aliqua supponuntur, & punctum Controuersiæ aperitur.

PRiusquam statum præsentis Cõtrouersiæ proponam, tria præsuppono. Primum est principium non dici purè æquiuocè de materia, forma, & priuatione; constat enim ea non conuenire in solo nomine principij, sed etiam in ratione per illud significata, cuius beneficio sub vnica definitione comprehenduntur, siue sub ea, quæ traditur 5. *Metaph.* siue sub ea, quæ habetur hic *text.* 42. vbi principia dicuntur ea, quæ neque ex aliis, neque ex alterutris, sed ex his omnia. 1

Secundum huiusmodi conuenientiam non esse vniuocam, sed analogam, vt rectè probant Fonseca, & Suarez locis citatis. Et confirmatur tum quia, cum ad ens, & ad non ens paritèr se extendat, est procul dubio minor ea, quæ inter substantiam, & accidens in ratione entis consideratur, quam quidem esse analogam suppono ex metaph. tum etiam quia, tria hæc principia rationem principiandi diuerso modo participant. Priuatio quidem, vt terminus à quo (loquor autem de priuatione forma præsentis in ordine ad mutationem) forma autem vt terminus ad quem, materia verò vt subiectum; quare si ab illis rationem principiandi coneris abstrahere, vel illã penitus relinques, vel cum ea rationes differendi simul obstrahas necessum est: quod est euidens argumentum analogiæ.

Dices: diuersos illos principiandi modos, secundùm quos materia, forma, & priuatio principiant mutationem, esse differentias contractiuas rationis primi principij physici, vt sic; ergo ex eis non benè colligitur huiusmodi rationem non esse vniuocam, sicut neq; ex diuersitate animalium non esse vniuocam rationem animalis. 2

Sed contra est; quia, vt suppono ex dictis, differentiæ animalis non includunt rationem animalis, & ideò ratio animalis est vniuoca: at verò diuersos illos modos principiandi includere rationem principij ex eo probatur, quia quantumuis secundùm se formalissimè considerentur, de eis nihilominùs definitio principij verificatur, vt patet ex modo principiandi proprio materiæ, qui importat rationem primi subiecti; hęc enim ratio quantumuis formalissimè accipiatur ab intellectu, semper de ea verificatur esse id vnde est, aut fit corpus naturale; hoc enim maximè procedit à materia considerata in ratione primi subiecti; atque adeò secundùm modum principiandi diuersum à forma, & priuatione. Denique cum proportione dici debet de vltima ratione terminandi quem, & de vltima terminandi à quo; vnde cõstat diuersos principiandi modos, quos tria principia physica sibi vendicant, quantumuis formalissimè accipiantur, includere rationem formalem principij, atque adeò eam non posse perfectè præscindere à suis differentijs contrahentibus; non igitur est vniuoca vt vidimus.

Dices iterum: Tria principia physica, quatenus stant sub communi nomine principij, ita vno ictu cognoscuntur, vt simul inter se confundantur, & sic non esse qua tanta natura sine vlla discretione representantur; ergo iam sunt vniuoca, quia per hoc vniuoca distinguntur ab æquiuocis; quod importet similitudinem in re significata, & attingatur ab confuso non differente inter ipsa diuersitatem. 3

Sed contra est: quia hic disputus, licet rectè procedat in sententia negantium præcisiones obiectiuas, in nostra tamen sententia, quæ eas admittimus, non habet locum: siquidem putamus rationem significatam per nomen vniuocum debere esse omninò eandem beneficio intellectus, non quidem confundentis plura, & nullam in eis diuersitatem agnoscentis, sed obiectiuè præscindẽtis dictam rationem ab inferioribus; Quare in sententia non præscindentium facili negotio concedi posse, iudico, rationem principij esse vniuocam; cum præsertim illi ægrè explicare possint rerum analogiam, quæ est media inter vniuoca, & æquiuoca.

Scio *Quiedam contron. 1. Phys. punct. 1. in fine n. 9.* non obstante quòd obiectiuas præcisiones neget, negare etiam definitionem principiorum tribus principijs vniuocè conuenire; eo quòd, inquit, nõ enti, & enti non potest dari ratio vniuoca; In quo parum consequenter ad sua principia mihi procedere videtur. quid enim vetat quominùs intellectus vnica cognitione confundat tenebras, & nigredinem propter similitudinem, quam oculus experitur in vtrisque? non igitur est cur in hac via materia, forma, & priuatio vniuocè conuenire non debeant; at nos loquendo secundùm nostra principia, id negamus; vndè colligimus ea inter se analogicam conuenientiam habere. 4

Sup-

Digitized by Google

Supponimus demque tertiò; Analogiam hanc non esse attributionis, sed proportionis, & quidem propriam, & rectè Fonseca sect. 2. siquidem ex vna parte tria dicta principia proportionaliter ad principiatum se habere constat, ex eo quia sicuti physica mutatio non potest esse, neque intelligi sine subiecto, ita neque sine terminis; & sicuti non potest sine termino ad quem, ita neque sine termino à quo: ex alia verò parte huiusmodi analogiam proportionis non esse metaphoricam, sed propriam, declaratur in hūc modum. Ratio principij non inuenitur in vno ex his tribus magis proprie, quam in reliquis, sicuti risus inuenitur in prato per translationem; priuatio enim de qua potest esse difficultas, absolutè, & per se est negationis principium, neque rationem principij propter similitudinem aliquā, quam habeat cum materia, & forma in suis principiandi ratiōnibus participat, sed ex se, & independenter ab illis. analogum autem proportionis metaphoricū assimilari debet propriè analogato in ratione, secundùm quam participat nomen analogum.

5 His ita constitutis, quod in præsenti quæstione maximè conducentium, est videamus, vtrum hæc analogia primorum principiorum Aristotelis intrinseca, an verò extrinseca; Tria enim in principio considerari possunt: Primum est res ipsa quæ denominatur principium quæ non potest nō esse intrinseca cuilibet principiato. Secundum est illa actualis denominatio seu constitutio qua principiatum est à principio, quam esse extrinsecam ipsi principio, & intrinsecam soli principiato patet ex Deo, qui nihil de nouo in se acquirit, quando de nouo creatura aliqua ab illo procedit. Tertium est Relatio, quæ ipsam actualem denominationem tanquam motum fundandi potest quidem in principio, quæ quia aliquando est à principio, aliquando verò rationis, ad præsens institutum nihil refert; iam verò quoad dictam Recentiorum sententiam est: tria dicta principia non posse conuenire nisi extrinsecè in actuali scilicet diuersa ratione principiandi, quam in obliquo volunt à principijs importari; hoc autem intrinsecè in ipsis rebus, quæ denominandi principia, quæque dicūtur ab ipsis principijs intrinsecè; In hac sententia sunt quā plures Recentiores, inter quos numerantur *Hurtadus disput. 1. phys. sect. 2. & Arriaga disp. 1. sect. 3.* licèt vterque eam potiùs supponat, & velut per transeundam attingat, quam vllo modo probet.

SECTIO SECVNDA.

Statuitur, & probatur nostra sententia.

6 NOstra Conclusio est materiam, formam, & priuationem conuenire intrinsecè in ratione communi analoga principij; sic enim absque Controuersia *P. Fonseca loc. cit. vbi sect. 1.* hanc ponit assertionem: principium analogum esse vt cumque sumatur, eaque probat à partium enumeratione, discurrendo per illa tria, quæ in quolibet principio reperiuntur, sic probationem inciplés: ac si principium quidem sumatur pro re ipsa quæ principium dicitur non dubium est quin analogum sit quod confirmat ex *Aristotele 12. Metaph. cap. 3. & 4.* vbi ait principia rerum sensibilium analogicè inter se conuenire, quem interpretatur, quod loquatur de principijs quatenus res quædam sunt, aut in rebus ipsis reperiuntur, quod addidit propter priuationem; Idem à fortiori videtur tenere *Aristoteles in sua Philosophia, dum qu. 3. sect. 11. docet* ens prout ad ens reale, & rationis excēditur non esse purè æquiuocum; quam quidē sēntētiā ipse dicit esse cōmunē inter Philosophos.

Probatur autem primò: quia principia physica, quod facit ad rem nostram, duplicitèr considerari possunt: in actu primo, quatenus habent vim principiandi: & in actu secundo, quatenus scilicèt actu principiant; licèt autem verum sit quod si secundo modo considerentur extrinsecè inter se conueniant, nihilominùs tamen si considerentur primo modo non potest negari quin conueniant inter se intrinsecè. quod sic pōtendo: conueniūt in illa vi principiandi, secundùm quam possunt actu principiare, mutationem; sed vis hæc est quædam ratio ipsis principijs intrinseca; ergo verum est ea intrinsecè in aliqua ratione conuenire. Cōsequentia hæc patet; maior verò probatur, nam nō minus habet priuatio quod possit principiare mutationem, quàm habeat materia, & forma; neque enim secundùm nomen tantùm competit priuationi, hoc posse, materiæ verò, & formæ etiam secundùm rem; sed in priuatione verè, & propriè reperitur hiusmodi vis, & potentia, sicuti verè, & propriè reperitur in materia, & forma, licèt non eodē modo; nemo autē quis dicat vim hāc principiādi, quā habet priuatio, illo modo cōuenire cū vi principiādi materiæ, & formæ, præcisoquod ea in dicta vi inter se conueniant, quia conceptus formalis quem de illa vi sic formamus est vnus, & nō multiplex; ergo & obiectiuus erit aliquo modo vnus; principia igitur ipsa in vi principiandi illa conueniunt aliquo modo; secunda consequētia tenet; antecedens verò constat experientia, audito enim nomine potentiæ principiandi existimamus nostrum intellectum non distrahi in plures conceptus, sed potiùs colligi in vnum, non minus, quam cum nomen entis audimus, nam si in plures distraheremus, quæro in quot? in duos, an in tres, an quatuor? non enim potest assignari ratio quare sistendum sit in tot conceptibus, & non progrediendum vlteriùs? Nequè dicas dictum conceptum formalem esse vnum nominis, & non rei, quia hic habemus potentiam ad principiandum fideliter exprimi, quę vocibus illis significatur. Prima verò consequentia probatur; quia conceptus ille formalis aliquod adæquatum obiectum habere debet; sed hoc non potest esse aggregatū ex pluribus potēcijs principiādi secundùm plorias rationes earum; tùm quia dicta pluralitas non exprimitur, tùm etiam quia non potest assignari quot sint istæ potentiæ, quæ exprimuntur ea cognitione; ergo &c. sic ferè probat *P. Suarez disp. 12. Metaphys. sect. 2.* ens nō dici mērè æquiuocè de substantia, & accidente, atque hæc quoad maiorem principalis argumenti; minor verò eiusdem probatur primò. quia hæc vis principiandi non distinguitur realiter ab entitate ipsa principiorum, siquidem tùm materia, tùm forma, tùm priuatio per suum met esse principiare possunt; ergo vis hæc principiandi est illis omninò intrinseca; secundò quia huiusmodi vim principijs habere

Digitized by Google

bere nequeunt à ſuis principiatis; tum quia, principiatum V.G. mutatio, non habet poſſe principiari, niſi veluti dependenter à ſuis principijs, tùm etiam quia principiata ipſa ſupponunt in principijs dictam vim, quatenus hæc debent eſſe priora illis, vt rectè probat Suarez *diſp. 12. metaph. ſect. 1. n. 8.* Tertiò quia potentia paſſiua, qua aliquid eſſe poſſit à principio eſt intrinſeca ipſi principiato; ergo potentia actiua, quam habent principia ad principiandum, erit etiam illis intrinſeca: non enim poteſt aſſignari maior ratio. Quartò denique; quia ſi per denominationem extrinſecam aliquid eſſet potens ad principiandum, non minus poſſet illa dici potens, quàm cætera ſiue poſitiua entia, ſiue negatiua, vt patet ex denominatione extrinſeca cogniti, amati, &c.

8 Probatur ſecundò principaliter Concluſio; ideò aduerſarij negant entia phyſica principia in aliqua ratione communi intrinſecè analogicè conuenire, vt ſaltem inter ens, ſicuti ſunt materia, & forma, & non ens, quod eſt priuatio, non dari aliquod conceptum medium; ſed hoc non ſtat: ergo non eſt cur dictam conuenientiam intrinſecam illis negent. Maior conſtabit ex eorum obiectis; minor verò probatur, quia principiatum non eſt ſemper ens poſitiuum, ſed aliquando etiam eſt non ens, vt conſtat tùm ex Ariſtotele hic, vbi docet muſicum corrumpi in immuſicum, atque adeò corruptionem, quæ eſt non ens, reſpicere formam poſitiuam tanquam principium ſui in ratione termini à quo, materiam verò, vt ſubiectum priuationem, vt terminum ad quem: tùm etiam ex eo, quia nō eſt maior ratio cur non ens habeat locum inter principia, & non inter ea, quæ ſunt à principio: nā ſolùm enim nō videtur importare plus eſſe à principio, quàm eſſe principium; imò etiam minus, vt conſideranti patet. Hoc iacto fundamento, ſic ulterius diſcurro. Docent aduerſarij: omnia principia conuenire extrinſecè in aliquali illa dimanatione eorum, quæ ſunt à ſe; ſed hæc dimanatio eſt de neceſſitate conceptus medius inter ens, & non ens; ſi quidem à parte rei partim eſt ens, partim non ens; identificatur enim cum his, quæ ſunt à principio, quæ partim entia ſunt, partim non entia, vt modò vidimus; ergo iam inter ens, & non ens medium conceptum admittunt, qui in ipſa dimanatione conſiſtit, in quo ergo illa principia conueniunt, & per hoc ſolùm à nobis differunt, quod nos hūc cōceptū medium putamus eſſe principijs ipſis intrinſecum; illi verò principiatis, quæ non minùs, quàm ipſa principia, partim entia ſunt, partim non entia.

9 Reſpondere poſſunt ad hoc argumentum aduerſarij; dum dicunt principia extrinſecè in ratione aliqua conuenire, non loqui de principijs uniuerſaliſſimè ſumptis, prout ſunt generationis ſimul, ac corruptionis, ſed de illis, quæ ſunt principia ſolius entis realis, cæterum principia uniuerſaliſſimè ſumpta neque intrinſecè, neq; extrinſecè poſſe in aliqua ratione conuenire propter modò factum Argumentum.

Contrà tamen eſt primò quia hæc reſponſio eſt manifeſtè contra *P. Suarez, loc. cit.* & alios Peripateticos communiter, qui poſtquam egerunt de ratione principij, uniuerſaliſſimè accepti, ſine vlla reſtrictione docuerunt in eo omnia principia analogicè inter ſe conuenire: vt deſinant aduerſarij idemidem noſtram ſententiam appellare ſingularem, & contra omnes auctores, dum ipſi à communi omnium ſententia propter noſtrum argumentum diſcedere compellantur.

Contra eriā eſt ſecundò, quia ſæpe ab Ariſtotele omnia principia unicā definitione comprehenduntur, vt *D. Tho. prima parte quæſt. 33. art. 1.* ſic principium definitur: id, à quo aliquid procedit quocunque modo dicere autem, quod ly (aliquid) in hac definitione ſignificet ſolum ens reale, at verò ly (id) etiam ad non ens ſe extendat, atque adeò quod in ordine ad ens reale tantùm deſcribatur principium, ridiculum eſt: At verò reſpondere definitionem principij materialiter tantùm, & ſecundùm vocem eſſe veram; formaliter verò, & quoad rem ſignificatam eſſe multiplicem, non ſatisfacit primò, quia hoc eſt puerile errorem doctiſſimis viris adſcribere; paſſim enim Summiſtæ docent: æquiuoca ſi debent definiri prius eſſe diſtinguenda; & rectè, cum enim definitio ſit explicatio eſſentiæ, cumque æquiuoca plures habeant entitates, ſub vnica definitione comprehendi nequeunt; iuxta reſponſionem autem tradtam non ſolùm Ariſtoteles, & D. Thomas errāſſent in eo, quod æquiuocum principij nomen non diſtinxiſſent prius, quam illud definiuiſſent, ſed etiam in eo, quod definitionem æquiuocam tradidiſſent, aptam de pluribus eſſentijs, nullam prorſus inter ſe conuenientiam habentibus affirmant. Definitio enim, ſi recta eſt, ita unius rei propria eſſe debet, vt non poſſet de altera prædicari, eiq; competere. Non ſatisfacit ſecundò; quia ſi definitio principij uniuerſaliſſimè ſumpti formaliter loquendo non eſt una: quæro ex aduerſarijs quotuplex eſt. 10

Reſpondebunt, dubio procul duplex, iuxta numerum eorum, quæ à principio ſunt uniuerſaliſſimè acceptorum, quæ ſunt ens, & non ens.

Hoc autem non recte dici, probatur ex eo, quia ratio entis, & non entis materialiter omninò ſe habet ad diſtinguendas rationes formales principiorum, ad eum planè modum quo ratio animalis, & non animalis ad diſtinguendas rationes formales canis: quod ſi formaliter ſe haberet, tolerabilius eſſet aſſerere, quòd ſic ſe habeat ratio entis, & non entis intrinſecæ ipſis principijs, quā extrinſecæ; cum præſertim ſæpe vnum numero ſit principiatum, & nihilominus multa dentur de illo principia, non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie, & differentia. Præterea quis non videt magis conuenire in ratione principij formam, & priuationem, quando vtraque eſt terminus à quo: hæc generationis, illa verò corruptionis, quàm quando vna, vt terminus à quo, altera verò vt terminus ad quem ſolam generationem principiant? & tantum hic principiatum eſt tantum ens, ibi verò ens ſimul, & non ens? & iure quidem optimo, nam ſi cui principium in communi, etiam ipſis aduerſarijs fatentibus materialiter tantùm diuidetur in ens, & non ens; alioquin ratio principij eſſet ipſis principijs intrinſeca, (quod illi putant abſurdum) ita etiam materialiter diuidendum erit in principium entis, & non entis, & ſic quoties aduerſarij in aſſignanda multiplicitate definitionis formaliter acceptæ, ad rationem entis, & non entis confugiunt, toties diuiſionem materialem principij inſtituunt;

instituunt; quod si ita est, nunquam assignari poterit ab illis quomplex sit definitio principij formaliter sumpta: contra verò à nobis facilè dicitur esse vna analogicè, quæ postea diuidatur in rationem principij complexi, & incomplexi, iuxta diuisionem *sect. 1.* traditam siuè demum huiusmodi principia habeant esse positiuum, siuè negatiuum.

11 Denique non satisfacit tertiò, quia ideò dicunt aduersarij principia generationis conuenire in aliqua ratione communi extrinseca, qua vnica definitione comprehenduntur, qua dicuntur non esse ex alijs, neque ex alterutris, sed ex illis omnia; at non minus dici potest hæc definitio esse multiplex formaliter, quam dicatur multiplex illa principij vniuersalissimè sumpti; ergo melius fuisset asserere quod principia conuenirent in ratione intrinseca, quam in extrinseca; ad quid enim per circuitú facere id quod recta fieri potest cõmodè? dicunt enim principia non posse intrinsecè cõuenire, quia partim entia sunt, partim nõ entia; sed extrinsecè; quando verò nos instamus etiam illud extrinsecum partim esse ens, partim nõ ens. Respondent idcircò rationem principij, ne analogicè quidem esse vnam, sed esse æquiuocam. nihil minus potuissent respõdere si sustinuissent rationẽ principij in actu primo esse principijs ipsis intrinsecam, & ab illa circuitione abstinuissent, cũ præsertim rationes peculiares principiandi in actu primò non conueniant principijs in particulari per denominationem extrinsecam, vt patet in materia, & forma; ex hoc enim manifestè colligitur, quod neque ratio principij in communi illis per denominationem extrinsecam competere posse; superius enim non potest contrahi per aliquod sibi formaliter oppositum.

12 Neque dicas rationem principij vniuersalissimè acceptam præscindere ab eo, quod sit intrinseca, vel extrinseca; & siquidem importat positiuũ influxum in principiatum esse intrinsecam; sin minus extrinsecam.

Contra enim est primò, quia semper id, quod principiat, siuè positiuum sit, siuè negatiuum habet aptitudinem ad principiandum; sed hæc aptitudo est illi semper intrinseca; ergo &c. quod si addas sufficere principio vt sic non repugnantiam ad principiandum siuè reali aptitudine, siuè propria, siuè abusiua.

Contra est secundò, quia hæc non repugnantia per negationem repugnantiæ constituitur; sed hæc negatio est intrinseca principijs cùm positiuis, cũ negatiuis; & quidem antecedenter ad aduentum principiatorum suorum; ergo ratio principij in actu primò est omnibus tribus principijs intrinseca.

13 Contra denique tertiò, quia principium rei vt benè notat *Suarez in Metaph. disp. 12. sect. 1. num. 1.* potest esse duplex. vnum ratione solius ordinis, quod scilicèt spectatis naturis rerum arbitrarium est, seu causale; sic principium lectionis V. G. est hora tertia; ambulationis verò prima; & sic de cæteris; Alterum ratione alicuius aptitudinis, seu habitudinis inter ipsum, & id quod est à principio: quod duobus item modis haberi potest. primò per positiuum influxum, & communicationẽ esse, quod in creatis semper est cum causalitate coniunctum, & solùm in diuinis personis sine causalitate reperitur. secundò sine positiuo influxu, sed cum sola necessaria, & per se requisita aptitudine, seu habitudine ad aliud; iam verò licet dici posse, quod principium rei priori modo sumptum constituatur per denominationem extrinsecam, ab actuali principiatione deriuatam, non tamen hoc dici potest de principio rei posteriori modo accepto; quod suaderi potest, quia principium primo modo est indifferens ad essendum, vel non essendum principium eius, quod ab ipso est; non enim habet hora tertia V. G. de se vt sit principium lectionis, vel scriptionis &c. Contra verò principium secundo modo, per sè, & ex suis intrinseeis requirit esse principium eius quod ab ipso est, siuè demum influat in illud positiuè, siuè non, vt patet ex ipsa priuatione; ea enim non habet indifferentiam ad essendum, vel non essendum principium mutationis, quasi verò mutatio sine ea haberi possit; sed per se, & ex suis intrinseeis habet, quod illam debeat principiare, non minus, quam id habeat materia, & forma; ergo quamuis demus rationem principij vniuersalissimè accepti prout comprehendit sub se principia importantia solùm ordinem, & principia connexionem inuoluentia ab intrinseca conuententia præscindere; per hoc tamen non saluatur priuationem, & formam non conuenire inter se in aliqua ratione intrinseca, beneficio cuius sine de se apta principiare mutationem; sed veniamus ad obiectiones.

SECTIO TERTIA.

Proponuntur, & soluuntur obiecta contra nostram sententiam.

OBijcies primò: si tria dicta principia conuenirent intrinsecè in aliqua ratione analoga, vel hæc ratio est ens, vel non ens; neutrum dici potest; ergo falsum est quod sic conueniant, sequela maioris patet, cum enim inter duo contradictoria, quemadmodum sunt esse ens, & esse non ens, non detur medium, alterutrum de illa ratione principij affirmetur necesse est; minor verò probatur, quia si ratio dicta esset ens, non posset cum veritate affirmari de priuatione, quæ est non ens; si verò esset non ens, non posset de materia, & forma, quæ sunt entia, prædicari; ens enim, & non ens repugnant, quod identificentur inter se. 14

Respondent aliqui ad hoc argumentum, negando maiorem; dicunt enim, rationem principij vt potè analogam includere rationes inferiores, atq; adeò partim esse ens, partim non ens; neutrum autem absolutè; tunc enim solùm putant alicui rationi superiori, absolutè loquendo, alterum ex contradictorijs debere competere, quando est vniuoca, & perfectè præscindens ab inferioribus.

Sed hæc responsio non satisfacit; nam licet verum sit, quod à parte rei, & secundum id quod implicitè dicit ratio principij, ita se habeat, vt partim sit ens, partim verò non ens, prout tamen obijcitur intellectui secundum suum conceptum explicitum, cum sit aliquo modo vna, alterutrum

neces-

Digitized by Google

necessariò debet admittere; quemadmodum igitur petenti: an ratio entis sit substantia, vel non sit substantia? non benè respondetur partim esse, partim verò non esse substantiam: quia posset adhuc vrgeri; ex eo, quod huiusmodi ratio explicitè sit aliquomodo vna debere illi alterutrum conuenire, sic malè quis hoc modo ad argumentum respondet.

15 Pro solutione igitur aduertè primò. non ens dupliciter posse sumi. primò quatenus excludit formaliter ens ab eo, in quo est; diciturque non ens per exclusionem entis, & prædicatur de suis subiectis per affirmatiuam propositionē hoc modo; Negatio est non ens, cæcitas est non ens &c. secundò quatenus non includit in suo conceptu rationem entis, diciturque non ens per non inclusionem entis, seu per præcisionem ab illo; & de suis subiectis per propositionē negatiuā prædicatur sic. Principium non est ens; Obiectum cognitionis non est ens; cuius propositionis sensus est, quod ratio principij, seu ratio obiecti intellectus præscindentis ab obiecto primario, vel secundario, quantum est de se, non dicit rationem entis, sed indifferenter se habet, siuè ad essendum ens, siuè ad essendum non ens per exclusionem entis.

Aduertè secundò contradictoriam huic propositioni: (*Ratio principij est ens*) non esse hanc, (*Ratio principij est non ens*,) huius enim propositionis sensus est, quod ratio principij debeat ab eo subiecto, in quo reperitur, rationem entis penitus excludere; quod falsissimum est; sed hanc (*Ratio principij non est ens*,) quæ significat rationem principij non importare in suo conceptu rationem entis, quod est verissimum. Iam verò duplex huius dicti ratio afferri potest; prior est, quia propositiones contradictoriæ non possunt esse amubę affirmatiuæ; atqui hæc propositio, (*Ratio principij est non ens*,) est affirmatiua; ergo non potest esse alteri propositioni, quæ etiam affirmatiua est, cōtradictoria: posterior, quia contradictoria affirmatiuę propositioni excludere non debet, quid quid possit affirmatiua; sed solum debet illud de necessitate non includere; secus falsum esset, quod in quacunque materia ex propositionibus contradictorijs, altera necessariò sit vera, altera falsa, vt patet ex cōtradictoria huic propositioni: (Animal est rationale) quæ si esset hæc (Animal est nō rationale.) per formalem rationalitatis exclusionem prolata, neutra ex illis esset vera: etenim Animal, secundum se, neque dicit rationalitatem, neque illam formaliter à se excludit; secus vel nunquam posset esse irrationale, vel nunquam posset cum rationalitate coniungi: Asseretur autem, quod ratio animalis excludat quidem à se rationalitatem, at non excludat à subiecto, idem est per nos, ac absolutè loquendo dicere quod non excludat; huiusmodi enim exclusio non tollit, quin animal possit à parte rei identificari, ac in eadem entitate reperiri cum rationalitate coniunctum: his autem prænotatis.

16 Respondeo primò ad Argumentum: negando maiorem; ad eius probationem dico: quod esse ens, & esse non ens non sunt propriè contradictoria; sed esse ens, & non esse ens; & ex his eligo secundum membrum, atque asero rationem principij non esse ens; cum quo stat, quod possit cum ente identificari, quia illud non excludit; sed ne vim in verbis aduersariorum facere videamur,

Respondeo secundò: concessa maiore, negando minorem dico enim: rationem illam principij in communi esse non ens, non quidem per exclusionem entis, sed per non inclusionem; ad cuius probationem: distinguo propositionem illam, quæ est, Achilles, aduersariorum; (si ratio principij esset non ens, non posset de materia, & forma prædicari:) sic, si esset non ens per exclusionē concedo, si esset non ens per non inclusionem, nego; quēadmodum enim Animal etiam si sit non Rationale per non inclusionem rationalitatis, nihil tamen prohibet quin possit de rationali prædicari: ita principium etiam si sit non ens per non inclusionem entis, rectè prædicari poterit de ente.

17 Instabis. vera est hæc propositio, (ratio principij non est ens,) sed non esse ens est contradictorium enti, ergo ratio principij erit etiam contradictoria enti: non igitur poterit prædicari de materia, & forma, quæ sunt entia. vnum enim cōtradictorium impossibile est, quod identificetur cum altero.

Respondeo: quod si hoc argumentum haberet vim probaret etiam neque animal posse prædicari de homine; quia vera est hęc propositio: Animal, vt sic, non est rationale; sed non esse rationale est contradictorium rationali; ergo & Animal erit etiam contradictorium rationali: non igitur poterit Animal prædicari de homine, de quo prędicatur, quod sit rationalis; quod tamen est falsissimum. Concessa igitur maiore, & minore; nego vtramque consequentiam, quia in argumento, accidentis fallacia committitur. Sumitur enim, non esse ens, in maiori denominatiuè, seu accidentaliter: in minore verò formaliter, seu essentialiter: vnde mutatur suppositio, ac si diceretur: durum est compositum accidentale; sed lignum non est compositum accidentale; ergo lignum non est durum. De subiecto namque propositionis non est necesse affirmare id, quod affirmatur de suo prędicato secundum eam rationem, secundum quam hoc differt ab illo, vt dicitur in Summulis.

18 Obijcies secundò: si daretur ratio communis intrinseca formæ, & priuationi, sequeretur quod neque tota forma, secundum omnem rationem quam dicit esse ens, neque tota priuatio, non ens; siquidem includerent intrinsecè rationem illam superiorem, quę neque esset ens, neque non ens, sed hoc videtur absurdum; ergo &c.

Respondeo: hoc argumentum si quid probaret, conuinceret neque dari rationem entis intrinsecam communem Deo, & Creaturis: si enim daretur, sequeretur quod neque totus Deus secundum omnem rationem sibi intrinsecā esset Deus, neque tota Creatura esset ens creatum; siquidem ratio entis, vt sic, neque importat esse increatū, neq; esse creatū; contra quod facit cōmune Axioma, ab omnibus receptum, quod scilicèt: Quid quid est in Deo Deus est, & Quidquid identificatur cum Creatura ens creatum. Ad argumentum autem dico: sequelam illam terminos repugnātes

inclu-

Digitized by Google

includere, terminus enim totam appellans formam facit vt forma sumatur secundum suam realitatem, & entitatem; ly verò (secundum omnem rationem) facit quod sumatur secundum formalitates, quas continet; sed quidquid sit de hoc: claritatis gratia, distinguo sequelam: sequerentur quod neque tota forma, secundum omnem rationem, quam dicit, esset ens, neque tota priuatio, non ens: si sumantur quoad entitatem, & realitatem, siuè realem, siuè abusiuam, quas dicunt, nego sequelam. si sumantur quoad formalitates inadæquatas, & conceptus partiales, quos
18 includunt, concedo; nego verò hoc esse absurdum; siquidem neque absurdum est quod Deus, secundùm omnes formalitates inadæquatas explicitè acceptas, non importet explicitè, rationem Deitatis.

19 Instabis: non ens per exclusionem, sicuti est priuatio, negat totum id, quod dicit ens, cuiusmodi est forma; nullam igitur rationem communem intrinsecam hæc duo habere possunt.

Respondeo: distinguendo antecedens; non ens per exclusionem, sicuti est priuatio, negat totum id, quod dicit ens sumptum in ratione entis, concedo; negat totum id, quod dicit ens, sub quacunque alia ratione, quæ non sit ratio entis, nego antecedens: & consequentiam. Dico enim: quod ratio principij, licet reperiatur in forma; tamen materialitèr tantum, ex eo scilicet quod illi coniuncta est, non autem formalitèr, ac de se, habet quod sit ens, ideoque non est necesse, vt à priuatione negetur.

20 Obijcies tertiò: obiectum intellectus de necessitate, vel est ens, vel non ens per exclusionem entis; ergo non datur ratio communis illis intrinseca. Consequentia tenet, quia si daretur, deberet posse attingi ab intellectu, vt obiectum; Antecedens verò probatur, nam intellectus, vel fertur in obiectum per assensum, vel per dissensum; si primum, attingit illud formalitèr vt ens; si secundum, attingit illud formalitèr vt non ens per exclusionem; ergo &c.

Respondeo: negando antecedens; ad cuius probationem, data maiore, quam aliquis negare posset dicendo: quod intellectus ferri potest per simplicem apprehensionem, quæ neque sit assensus, neque dissensus in aliquod obiectum: distinguo ego minorem; si primum attingit illud formalitèr vt ens; si secundum, vt non ens: si sermo est de ente reali positiuo, seu de incomplexo: & de non ente illi opposito, de quibus loquebatur primum antecedens, nego minorem; si sermo sit de entè, & de non ente complexo, prout ens significat veritatem propositionis, & non ens falsitatem, concedo minorem; & nego consequentiam in sensu ab Aduersarijs intento. lege D. Thomam *de ente, & essentia cap.* 1. vbi ens, inquit, dicitur duplicitèr. vno modo, quod diuiditur per decem genera, alio modo, quod significat propositionum veritatem; Horum autem differentia est, quod secundo modo potest dici ens omne illud, de quo affirmatiua propositio formari potest, etiam si illud in re nihil ponat; in quo sensu quando dico: (principium est id, vnde aliquid est,) meus intellectus attingit principium formalitèr sub ratione entis secundo modo; cæterum falsum esse, quod, quando intellectus fertur in obiectum per modum assensus, attingat illud formalitèr vt ens primo modo, patet, ex eo quia quandò quis dicit: cæcitas est priuatio, verum asserit; si autem attingeret obiectum hoc vt ens primo modo falsa esset propositio, siquidem non conformaretur obiecto; ipsum enim est non ens, pronunciaretur autem esse ens reale positiuum.

Instabis: obiectum voluntatis non præscindit à 21
ratione boni, & mali; ergo neque obiectum intellectus à ratione entis, & non entis per exclusionem.

Respondeo: admittendo paritatem, si sermo sit de ratione entis, & non entis complexi, hoc est de obiecto affirmatiuæ, & negatiuæ propositionis; sed sic argumentum nullam habet vim; nam etiam de non ente incomplexo per non inclusionem entis veræ, & falsæ propositiones formari possunt: cæterum si loquamur de ente, & de non ente incomplexo, nego consequentiam; Disparitas autem est, quia obiectum, in quod tendit intellectus per modum assensus non est solùm ens reale, sed omnis veritas obiectiua, non solùm autem de ente, & de non ente per exclusionem, sed etiam de ente, & de non ente per non inclusionem veritas dari potest; ergo hoc etiam erit obiectum intellectus; at verò obiectum voluntatis per modum prosecutionis est sola bonitas obiecti illius, in quo ipsa reperitur.

Obijcies quartò: Primum illud principium, 22
Quodlibet aut est, aut non est, debet intelligi de non esse per exclusionem entis; ergo non datur inter priuationem, & formam ratio aliqua communis intrinseca; consequentia tenet; antecedens probatur, quia si ly (*non est*,) aliter intelligeretur, numquam possemus aduersarium reducere ad impossibile, vt scilicet duo nobis contradictoria concederet; semper enim posset asserere rationem illam, de qua est controuersia, ab ente, & à non ente prescindere.

Respondeo: distinguendo antecedens; & quidè si principium illud applicatur rebus, prout se habent à parte rei, concedo: sin verò applicatur rebus, prout substant conceptibus inadæquatis nostri intellectus, nego antecedens, & consequètiam; quia illam rationem communem nos obiectiuè tantum in intellectu admittimus, & volumus à parte rei in forma esse ens, & in priuatione, non ens per exclusionem. ad probationem autem antecedentis nego sequelam, & dico: quod aduersarius rectè potest asserere rationem illam, de qua controuertitur prascindere ab ente, & nō ente per exclusionem entis; quia hæc non sunt cōtradictoria, at non potest dicere quod præscindat ab ente, & à non ente per non inclusionem; & sic ad hæc duo contradictoria concedenda reduci poterit; atque hæc doctrina verissima est, & sine vlla controuersia, Aristotelica. Philosophus enim *primo priorum cap. vltimo* hæc habet: *differt autem non esse hoc, & esse non hoc*; & sensus est, quod differat, homo non potest ambulare, & homo potest non ambulare; nam secunda propositio vera est, prima falsa, atque adeò vtraque habet suam contradictoriam distinctam. Aduersarij verò contendunt, quod vtraque indiscri-

Digitized by Google

minatim ſe habeat, & infrà idem Ariſtoteles loco citato: *manifeſtum eſt*, inquit, *quod diuerſum ſignificet, lignum eſt non album, & lignum non eſt album, & illud quidem affirmatio, hoc negatio*: hęc ille: Porro ſi per Ariſtotelem lignum eſt non album, eſt propoſitio affirmatiua; Qui fieri poterit vt ſit contradictoria huic lignum eſt album? iam igitur vides Ariſtotelem ſtare pro nobis.

23 Obijcies quintò; Ratio principij eſt non ens per non inclusionem entis; ergo & per excluſionem. Conſequentia patet, quia licet dari poſſet ratio inferior ad ens præciſa V. G. ratio animalis, inter hominem, & non hominem per excluſionem hominis: non tamen poteſt dari ratio ſuperior inter ens, & non ens per excluſionem entis; & ratio diſparitatis eſt, quia ens, & non ens per excluſionem ſunt rationes ſupremæ, & vniuerſaliſſimæ, ſ. vt omnes aſſeruut. quare ex eo quod aliquid non ſit ens, neceſſariò ſequitur, quod ſit nihilum. at verò ex eo quod aliquid nó eſt homo, poteſt adhuc eſſe ſubſtantia, vel corpus, vel ſpiritus.

Reſpondeo; negando conſequentiam; & ad eius probationem nego abſumptum; ad rationem verò diſparitatis dico: quod in ſenſu quidem reali verum eſt quod aſſeritur: at loquendo per intellectum, dum dicitur: quod ens, & non ens per excluſionem ſunt rationes ſupremæ, manifeſtè peritur ab aduerſarijs principium, de hoc enim eſt controuerſia formaliſſimè, an ſcilicet detur aliqua ratio ſuperior iſtis rationibus? dum igitur pro ratione ſuæ partis negatiuæ aſſignant eas eſſe primas rationes, pro ratione aſſerunt concluſionem ipſam; Auctores verò dum id aſſeruut, vel loquuntur in ſenſu reali, vel de non ente per non inclusionem: cæterum ens, & non ens per excluſionem entis non eſſe rationes omninò primas, atque ſupremas manifeſtè colligitur ex Ariſtotele 10. *Metaph. text.* 15. vbi docet primam contrarietatem eſſe contradictoriam; videmus autem ens, & non ens per excluſionem non eſſe contradictoria, ſed benè ens, & non ens per nó inclusionẽ; quare ex hoc habeo potiùs anſam acriter aduerſarium impugnandi in hunc fere modum: ens, & non ens per excluſionem entis non ſunt contradictoria, ergo non eſt neceſſè, vt alterutrum verificetur de ratione principij in communi. Conſequentia tenet; antecedens probatur à pari, quia homo, & non homo per excluſionem hominis contradictoria non ſunt; ſecundò quia ambo poſitiuè ſe habent.

Obijcies ſextò: Ratio principij, ſi eſt principiatis intrinſeca, vel eſt non ens reale, vel non eſt non ens reale; neutrum dici poteſt; ergo &c. maior patet duo enim illa ſunt contradictoria; minor verò probatur & quidem, quod non poſſit dici: quod ſit non ens reale ſatis explicatum eſt; Quod autem neque dici poſſit, quod non ſit non ens reale, probatur ſic, id quod non eſt non ens reale, eſt ens reale, quia duæ negationes affirmant ex communi regula Summuliſtarum, ſed ratio illa principij non poteſt eſſe ens reale; ergo non poteſt dici, quod non ſit non ens reale. 24

Respondeo: idem, & ſimilia argumenta fieri poſſe de ratione illa communi extrinſeca principiorum; ſed quid quid ſit de hoc: conceſſa maiore, nego minorem; & eligo ſecundum membrum; ad cuius probationem nego maiorem; & ad eius confirmationem dico: quod tunc verum eſt quod duæ negationes affirmant, quando afficiunt eundem terminum propoſitionis; non autó quando vna afficit vnum, & altera alterum; iam in illa propoſitione: ratio principij non eſt non ens; prima negatio afficit copulam; ſecunda verò afficit prædicatum, reddens illud infinitum, cuius rei ſignum eſt, quod ſola ſecunda negatio in propoſitione relicta non ſufficit ad reddendam illam negatiuam.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO QVARTA

AN, ET QVID SIT MATERIA PRIMA.

SATIS de principijs in communi; in posterum de illis in particulari; & primò quidem de materia prima, quæ, cum sit subiectum reliquorum principiorum, & ordine naturæ ab illis supponatur, plurimum ad illorum cognitionem confert; nos verò prius de his, quę ad eius essentiam pertinent disseremus, deinde verò de illis, quæ ad eius existentiam.

SECTIO PRIMA.

De varijs Materiæ acceptionibus.

1 MAteriæ vocabulum multiplicitèr à Philosophis vsurpari solet; &, præterquam quod eam communitèr diuidunt in materiam signatam, sensibilem, & intelligibilem, de qua diuisione loquuti sumus in Logicis; Primò triplicem eam facit Auerroes; Primam vocat compositionis; & est omne id, ex quo aliquid quomodocunque componitur. Secundam alterationis, & est quodcunque subiectum, in quod agens naturale agit, vt in aliud illud conuertat, vel simplicitèr; vel aliquo modo. Tertiam compositionis simul, & alterationis; & est id, quod ita componit aliquid, vt in ipsa compositione alteretur, cuiusmodi sunt acetum V. G. & mel, quæ ita oximel componunt, vt aliquo modo mutentur.

Secundò, alia dicitur materia, *ex quâ*, ideſt illa, ex qua res fit, vt ex marmore statua: alia *in quâ*: in qua scilicet res inhæret: vt in lacte dulcedo: alia, circa quam, ea scilicet, circa quam agens, vel scientia aliqua versatur, vt corpus naturale respectu Physicę; atque hìc aduerte: eamdem prorsus entitatem materiæ respectu diuersorum triplicem hanc rationem habere; respectu quidem cõpositi rationem materiæ ex qua; respectu formæ, in qua; respectu verò agentis, formam ex ea producentis, circa quam.

Tertiò materia, vel Physica est, vel Metaphysica. Illa est quodcunque subiectum cuiuscunque, vel actionis, vel formæ Physicæ; hæc verò genera quæcunque complectitur.

Quartò materia diuiditur in remotam, & propinquam, seu proximam. Prima est illa, quæ breui mutatione indiget, vt suum proprium actum acquirat, quemadmodum est lignum aridum, & calidum in ordine ad ignem: concipiendum: remota verò illa, quæ plures requirit mutationes, vt ad suum actum perueniat; huiusmodi est Terra V. G. respectu carnis;

Quintò materia, vel transiens est, vel permanens; Transiens, quę etiam extrinseca dici solet, est illud, ex cuius corruptione aliud producitur, cuiusmodi est lignum respectu ignis. Permanens, quæ etiam intrinseca appellatur, id quod simul cum alia comparte, quam in se recipit, componit aliquod totum; cuiusmodi est paries, qui cum albedine, quam in se recipit, componit album.

Sextò denique materia; alia est artificialis, vt 3
est lignum respectu Cathedræ; alia naturalis, quę adhuc duplex est; accidentalis altera, quæ est subiectum accidentium, vt albedinis, dulcedinis, &c. altera verò substantialis, quam concipimus, vt subiectum formarum substantialium, cum quibus vnum per se in genere substantiæ componat; quæ quidem adhuc dupliciter considerari posse perhibent; primò quatenus affectam aliquibus dispositionibus ad formam aliquam substantialem recipiendam prærequisitis, & sic eam appellant materiam secundam: secundò verò quatenus spoliatam omni forma tum substantiali, tum etiam accidentali; seu potius secundum se, cum præcisione ab omnibus formis, quas in se realitèr habet; quo pacto eam vocat materiam primam; eo quod non habet aliam ante se, quę ab Aristotele sæpe dicitur primum subiectum; verum vt benè notat Themistius eadem materiæ entitas in ordine ad ea, quæ non dum sunt, & quorum habet priuationes, sortitur nomen materiæ; subiecti verò appellationem, non nisi in ordine ad ea, in quibus tanquam pars essentialis reperitur. Aristoteles tamen indifferenter his nominibus vsus est: de hac igitur materia substantiali nobis in præsenti disputatione sermo est, & de ea quærimus primò.

SECTIO SECVNDA.

An detur in rerum natura materia prima.

4 MAteriam primam Plato conceptaculum, matrem, & nutricem formarum omnium appellabat; eo quod omnes formas in se recipiat, atque conseruet; Aristoteles autem illam dixit materiam, eo quod ex ea omnia fiant; & subiectum, quia formis subijcitur; & turpe quid, quia nullam habet ex se formam, ex qua species, & pulchritudo procedit; & maleficam, quia cum appetat omnes formas, est radix corruptionis eius compositi, in quo reperitur, eique destructionę, 2
atque interitum machinatur: reliqua nomina, quibus ab alijs auctoribus insignita est lege apud *Comptonum disput. 3. Physic. sect. 2. nu. 13.* omnia enim hùc collimant, vt eam designent esse quid substantiale incompletum formarum substantia-

Digitized by Google

lium ſuſceptiuum, & cum illis vnum per ſe in genere ſubſtantiæ conſtituens; de ea autem ſic accepta, quærimus vtrum detur.

5 Concluſio autem eſt affirmatiua, dari nimirum in rerum natura materiam huc vſque explicatam.

Probatur ex Ariſtotele, qui cum demonſtraſſet vſque ad *Tex. 50. primi libri*; prima principia eſſe prima contraria: quatuor argumentis à *tex.* 51 probat, duo illa prima contraria non ſatis eſſe ad corpora naturalia conſtituenda, ſed requiri præterea ſubiectum, atque materiam.

Horum primum eſt hoc: vnum contrarium non poteſt facere, hoc eſt componere, aliud: ergo, præter prima contraria, debet dari ſubiectum; antecedens patet, conſequentia probatur; quia ſi vnum contrarium aliud facere non poteſt, neque poterit actionem illius, atque effectionem recipere, nam ſi actionem, atque effectionem recipere poſſet; poſſet vtique, & ipſam formam, quæ produceretur, ac proindè, vnum contrarium eſſet ſimul cum alio, & cum illo componere: dandum igitur eſt ſubiectum, quod recipiat actionem, ſeu effectionem, tranſeundo à termino à quo ad terminum ad quem. hoc autem eſt materia.

6 Secundum autem ex *tex.* 52. tale eſt; Aliqua prima principia ſunt rerum naturalium ſubſtantia; ſed contraria eſſe nequeunt ſubſtantia rerum naturalium; ergo aliquod erit principium præter contraria, quod ſit ſubiectum illorum. maior patet ex eo, quia accidens cum ſupponat ſubiectum non poteſt eſſe primum principium ſubſtantiæ; minor probatur, quia ſubſtantiæ, vt ſubſtantia eſt nihil eſt contrarium.

Tertium verò ex *tex.* 58. deducitur ex modo loquendi: Dicimus enim non ſolùm ex ligno fieri ignem, ſed etiam lignum fieri ignem; per quam ſecundam loquutionem ſignificamus manere, atq; dari ſubiectum aliquod commune, quod ex ligno tranſeat in ignem; quod quidem argumentum roborari poteſt ex ſenſu communi hominum, non ſolùm enim Eccleſia ſanctorum Cineres veneratur, ſed etiam Gentiles, cineres ſuorum virorum illuſtrium honore afficiebant; niſi autem aliquid, quod prius erat in hominibus putaremus in his cineribus durare, hoc minimè faceremus. Id autè nequit eſſe aliud, quam materia; ergo &c.

7 Quartum ex *Tex.* 68. ſic: in quacunque mutatione ſiuè accidentali, ſiuè ſubſtantiali, admittendum eſt aliquod ſubiectum; & quoad accidentalem quidem mutationem euidens eſt, quia omne accidens debet ſupponere ſubiectum, in quo inhæreat: de ſubſtantiali manifeſtum ſit inductione, quod ſcilicet ſemper aliquod ſubiectum præexquirat; ſic elementa vel ex ſe inuicem, vel ex mixtorum reſolutione generantur; mixta verò ex elementis fiunt; Plantæ autem, & animalia vt plurimum ex ſeminibus; datur igitur principium tertium præter priuationem, & formam, quod ſit ſubiectum, ſeu materia.

8 Quod autem huiuſmodi ſubiectum, ſeu materia ſit (primum) hac ratione conuincitur: in rebus naturalibus datur aliquod ſubiectum illas componés; vel igitur huiusmodi ſubiectum præſupponit aliud, vel non: ſi non præſupponit; ergo erit ſubiectum primum, quod nobis probandum erat; ſin aliud præſupponit, quero de hoc ſecundo, an ipſum præſupponat tertium & de tertio num quartum, vel igitur debet admitti proceſſus in infinitum, quod eſt abſurdum concedere in cauſis Phyſicis, vel ſiſtendum eſt in tertio, vel quarto, & aſſignandum quare ad aliud procedendum ſit, & non potiùs in primo quieſcendum? Huius rei ratio cum aſſignari nequeat, reſtat vt dicamus: quod ſubiectum, de quo primo loco egimus, fuerit primum; datur igitur materia, quæ prima ſit, quod erat demoſtrandum. 9

Obijcies primò: materia ſi daretur eſſet in aliquo ex prædicamentis; hoc autem eſt contra *Ariſtotelem 7. Metaphyſ. tex.* 8. vbi habet materiam, neque quid eſse, neque quale, neque quantum, neque aliquid quidpiam, ex quibus ens determinatur; ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ſequelam: eſſet in aliquo ex prædicamentis, directè, nego ſequelam; eſſet vel directè. vel indirectè, ideſt vel in recta linea, vel à latere alicuius prædicamenti, concedo ſequelam; & dico eſſe à latere prædicamenti ſubſtantiæ; Ariſtoteles autem dixit, materiam non eſſe quid, neque quantum &c. vel quia non ponitur in recta linea, vel quia eſt pura potentia, neque aliquem admittit in ſe actum ex ijs, quibus ens determinatur. 10

Obijcies ſecundò: non datur forma ſubſtantialis, quę ſit prima, & communis omnibus compoſitis; ergo neque danda eſt materia prima; conſequentia patet, quia materia, & forma ſunt inuicem correlatiua; correlatiua autem ſunt talis naturæ, vt ſe inuicem ponant, atque interimant.

Reſpondeo: conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ad eius probationem dico: quod ad ſaluandam correlationem inter materiam primam, & formas ſubſtantiales, non eſt neceſſe, vt detur forma communis, & prima, ſed ſatis eſt, ſi ipſa materia ad quaſcũque formas in particulari, in quantum formę ſunt, referatur. Porrò ideò forma prima, & vniuerſalis non admittitur; admittitur verò prima materia; quia materia eſt fundamentum naturæ, & in ea tanquam in ſemine reperiri, & conuenire omnia debent; At verò munus formæ eſt materiam indifferentem contrahere, rerumque ſpecies inter ſe diſtinguere: neutrum autem horum præſtaret forma ſi eſſet communis. 11

Obijcies tertiò: ex *Caramuele lib. 3. Metaphyſ. diſput. 1. ſect. 2.* exiſtimante ſiſtendo in ſolis lumine naturæ principijs non poſſe efficacitèr probari dari de facto materiam primam ſic.

Materia prima ex rerum tranſmutationibus colligitur à philoſophis; ſed hę ſaluari poſſunt optimè ſine materia, quæ intelligatur tranſire ex re, quæ corrumpitur in rem, quæ generatur; ergo non eſt admittenda, maior conceditur ab omnibus, minor verò probatur: paritate deſumpta ex Venerabili Euchariſtiæ Sacramento, in quo fit traſmutatio ex pane in Corpus Chriſti, nulla data materia, quæ ex vno termino tranſeat in alium.

Reſpondeo: conceſſa maiore, negando minorem; ad eius probationem dico: mutationem illã, quæ fit in Venerabili Euchariſtia ex pane in Corpus Chriſti, eſſe propriè tranſubſtantiationem

Digitized by Google

nem; ad eam non potest Agens naturale pertingere; quia ad eam virtus infinita requiritur; quod patet ex eius definitione, quæ in suo conceptu includit deperditionem totius substantiæ panis, & vt fert probabilior opinio, productionem totius substantiæ Christi, quarum altera licet non sit formaliter annichilatio, neq; altera formaliter creatio, vt ex dicendis patebit, adhuc tamen vt fiant, vim creandi, & annichilandi in agente requirunt; eadem enim potentia, quæ est necessaria ad annichilandum panem, & creandum Christi Corpus, requiritur ad eumdem panem penitùs destruendum, ita vt in termino ad quem destructionis panis, Corpus Christi secundum se totum reperiatur ibi; sed ad annichilandum, & creandum, vt Theologi ostendunt, virtus infinita requiritur; ergo etiam ad transubstantiandum; transmutationes igitur naturales nulla ratione per transubstantiationem saluari poterunt, sed necessariò requirunt subiectum, quod transeat ex vno in alium terminum.

12 Instabis ex eodem Caramuele: etiam si admittamus substantiam aliquam tranfire ex corrupto in genitum, lumine naturæ non constat eam esse potius incompletam, quam completam; ergo stando in solo naturæ lumine non est certum dari materiam primam.

Respondeo: negando antecedens, quia cum lumine naturæ deducatur eam debere facere vnũ per se cum forma, & constet hoc vnum non esse in ratione subsistentis; alioquin forma ipsa substantialis non esset natura, sed subsistentia: manifestè deducitur illud esse vnum per se in ratione naturę; quod certum est debere constare ex partibus incompletis Physicis; posito quod est vnum in genere physico; quemadmodum vnum per se in genere metaphysico constat ex partibus metaphysicis incompletis, cuiusmodi sunt genus, & differentia: aliud enim vnum per se in natura inuehere in mundum, est sine vllo prorsus fundamento diuinari potiùs, quam discurrere.

13 Obijcies quartò: si quis dicat cum Gomesio, de quo *Arriaga disput. 2. Physic. sect. 1. d n. 1.* vltra formam substantialem dari quidem aliquod subiectum illam recipiens, verum hoc nõ esse materiã primam, sed conflatum ex quatuor elementis in tenuissimas particulas redactis, & inter se permixtis; iam hic negaret materiam primam, quia putaret elementa esse omninò simplicia irresolubilia in materiam, & formam; & tamen saluaret naturales transmutationes, & compositiones; ergo ex transmutationibus, & compositionibus rerum corporearum non probatur efficacitèr dari materiam primam.

Respondeo: distinguendo vltimam partem antecedentis, saluaret aliquas naturales trãsmutationes, atq; compositiones, concedo; saluaret omnes, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod licet hic saluaret in mixtis naturales trãsmutationes in alia mixta, & compositiones ex formis mixtorum, & ex huiusmodi subiecto; at non saluaret transmutationes, quas videmus fieri inter ipsa elementa; non solùm enim nos experimur aquam alterari V.G. ex frigida fieri calidã, sed etiam omninò corrumpi, & in aerem sæpe conuerti, ergo, quemadmodum ex eo, quod videat Gomesius cibum, quem sumimus transmutari in carnem, fatetur in cibo præter formã substãtialem, dari aliquod subiectum substantiale, quod per ipsum est conflatum ex quatuor elementis, ita tenetur etiam propter eamdem rationem fateri, in aqua præter formam substantialem aquæ dari huiusmodi substantiale subiectum. Atqui hoc non potest esse conflatum ex quatuor elementis; siquidem aqua supponitur esse vnum ex eis; ergo debet esse aliquid aliud; cumque hoc sit aptum cum omni forma substantiali componere substantiale compositum, erit procul dubio materia prima.

Hac via soluendum arbitror hoc argumentum, 14
non verò digrediendo ad eam quæstionem, num elementa remaneant formaliter in mixto, & partem affirmatiuam impugnando; quasi verò ex ea præsentis controuersiæ resolutio pendeat. Dari enim materiam primam, adeò naturę lumine euidens est, vt etiam admissa probabili eorum sententia de elementorum formali permanentia in mixto, nihil dubitationis patiatur. Quod enim ait *Arriaga num. 4.* Gomesium respondere posse, quod quando vnum elementum fit ex alio, agens naturale creet quod fit, & annihilet quod corrumpitur; non multum miror: quid enim faceret Ingenium nouarum rerum amator. Illud potiùs, quod subdit Arriaga, miror: non facile hanc solutionem posse redargui, quasi verò nõ fuerit apud omnes Philosophos, illud principium sacrosanctum: ex nihilo nihil fit; aut non possit Gomesius euidenter conuinci de inconsequentia; quod idem de omnibus alijs corporibus dicere debuisset; cum eadem sit experientia, quam habemus in conuersione vnius mixti in aliud, ac ea quam habemus in conuersione vnius in aliud elementum.

Obijcies qùintò: saltem ex argumentis hucusque adductis colligi potest non esse lumine naturæ euidens in rebus dari materiam primam; sed hoc est contra communem sententiam Philosophorum; ergo &c. maior probatur, quia ex transmutationibus, & compositionibus non ita euidenter constat eam dari, vt non possit ab intellectu aliquo negari. 15

Respondeo: negando maiorem, ad cuius probationem dico: demonstrationes Physicas nõ esse adeò euidentes, vt à nullo prorsus intellectu negari possint. Illis enim resistere potest, qui contumax est ingenio, & refractarius, & qui assuetus est, nihil aliud in concertationibus quærere, quã suas opiniones contra aliorum placita, quantumuis euidentia, promouere. At, qui ingenium habet solius veritatis amatorem, hic non potest non Aristotelicis demonstrationibus, quas supra tradidimus non acquiescere.

Obijcies sextò: si quis dicat in transmutatione ligni in ignem, V. G. lignum requiri solùm vt terminum à quo, absque eo quod aliquid substantiæ ligni maneat in igne: hic benè soluit argumẽta Aristotelis; ergo &c. Respõdeo negãdo antecedens; quia agens nequit ab alio, tanquam à termino à quo pendere, nisi ratione oppositionis, quæ inter terminum à quo, & ad quem inuenitur, sed omnis oppositio debet esse circa idem, quod nequit in casu nostro esse aliud, quam subiectum; ergo

ergo &c. minor ſuadetur diſcurrendo. per capita quædam aſſignari ſolita ab aliquibus, præſcindendo à virtute creatiua, & annichilatiua, quæ creaturis concedenda eſſet. non enim poteſt dici primò hoc tertium eſſe locum. Quia ſufficeret agenti naturali vis expulſiua corporis à loco, in quo ſuũ effectum producere deberet. Neque ſecundò dici poteſt hoc tertium eſſe quantitatem, ſiuè quia hęc calefacta iam, potiùs ad ignem, quã ad lignum pertineat, ſiuè vt nouum ignem ita efficiat, vt ſubſtentetur ab illo. Quia ſic iam admittitur compoſitio ex ſubiecto ſubſtantiali, & forma accidentali, quæ videtur eſſe magis repugnans, quam ea, quę fit ex materia, & forma ſubſtantialibus. Admittitur etiam quod cauſa materialis, & efficiens poſſint eſſe cibi inuicem cauſę, quod ex dicendis repugnare conſtabit. Neque denique dici poteſt tertiò, hoc tertium eſſe quidem quid ſubſtantiale ligno, & igni commune, requiſitum ab eis ratione concomitantiæ, non verò ratione potentialitatis, & ſubiectionis: ſiquidem, vt ex modò dicendis patebit, hoc ipſo quod hoc tertium ſubſtantiale conceditur in compoſito, non poteſt negari illud habere rationem partis perfectibilis; ergo &c.

SECTIO TERTIA.

Quid ſit materia prima.

16 ARiſtoteles *hic tex.* 82. ita materiam primam definiuit: *eſt ſubiectum primum vniuicuiuſq; ex quo aliquid fit, cum inſit non ſecundum accidens, & ſic corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum.* Dicitur primò *ſubiectum*; quæ particula ſe habet loco generis, & intelligenda eſt de ſubiecto cõpoſitionis, cuiuſmodi eſt corpus reſpectu Animalis, quod ex anima, & corpore compoſitum eſt; nec non etiam lignum reſpectu Cathedræ, marmor reſpectu ſtatuæ &c. quoniam verò ſubiectum hoc nullo alio modo componit totum, niſi recipiendo in ſe formam, hinc fit, vt eadem particula intelligenda conſequenter ſit etiam de ſubiecto informationis, ſiuè demum influat in formã, à qua informatur, eamque ſubſtentet, ſiuè non. quare in definitione dicta particula reſpectu materiæ ſe habet loco generis. Non negauerim tamen materiam per eam poſſe etiam à quacunque alia re ſatis diſtingui, in quantum eſſe ſubiectum illi primò per ſe, & eſſentialitèr competit; at verò cæteris non niſi ſecundariò, vti videbimus.

17 Dicitur ſecundò, *Primum*, per quod diſtinguitur à quocunque alio ſubiecto, quod ita eſt ſubiectum alicuius formæ, vt ipſum in alio ſubiectetur, vt eſt quantitas, quæ recipit in ſe albedinem V.G. & recipitur in materia. At verò materia eſt primum, ſeu quod idem eſt, vltimum ſubiectum, quia aliud vlteriùs, cui innitatur non præſupponit.

Dicitur tertiò, *vniuſcuiuſque*, ideſt corporis naturalis, per quod oſtenditur, eam minimè eſſe corpus, quia ſic non poſſet dici vniuſcuiuſquè corporis ſubiectum, ſeu pars ſubiectiua; nihil enim eſt ſui ipſius pars, æque ſubiectum. iam verò poſſunt etiam ſub hac particula formæ, ſiuè ſubſtantiales ſint, ſiuè accidentales comprehendi, reſpectu enim omnium ſe habet, vt ſubiectum ſaltem vltimum.

Dicitur quartò, *ex quo aliquid fit cũ inſit*, vt oſtendatur eam eſſe materiam corporum generabilium, atque corruptibilium conſideratorum tùm in fieri, in quantum eſt ſubiectum generationis eorum, tùm in facto eſſe in quantum vna cum forma illa componit.

Dicitur quintò, *non ſecundum accidens*, vt ex- 18
cludatur priuatio, quę dicitur eſſe pars ſubiectiua componens compoſitum per accidens, ideſt per materiam ipſam; vtque notetur materiam non permanere in genito quomodocunque, & cõtingentèr, ſed per ſe, & eſſentialitèr.

Dicitur vltimò, *& ſi corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum*, per quæ verba declaratur quędam materiæ proprietas, quę eſt eam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem; quod Ariſtoteles hoc fèrè argumento probat: ſi materia generabilis eſset, cum omnis generatio ſit quædam phyſica mutatio; in omni autem phyſica mutatione oportet præſupponi ſubiectum, iam materia ad ſui generationem præſupponeretur; quia ipſa ex dictis eſt eſſentialitèr ſubiectum primum; & ſic eſset ante quam fieret: Rurſus in omni corruptione ſemper aliquid remaneat neceſſe eſt, ſecus daretur naturalitèr annichilatio; hoc autem quod remaneret non poſſet eſſe aliud niſi primum rerum omnium ſubiectum, ſed huiuſmodi eſt materia: hęc igitur corrupta, iam remaneret incorrupta, quod eſt ſignum manifeſtum eius ingenerabilitatis, atque incorruptibilitatis. hac poſita explicatione ſit.

Noſtra concluſio, definitio materiæ rectè, & congruenter ab Ariſtotele tradita eſt; patet ex eo quia optimè eius eſſentiam explicat, eamque à quacunque alia re ſufficienter diſtinguit.

Obijcies primò: contra id quod diximus, vi- 19
delicet materiam eſſe ſubiectum inhęſionis, reſpectu formarum; materia eſt id, de quo ſingula prædicantur, vt patet ex *Ariſtotele 7. metaph. tex.* 8. ergo eſt ſubiectum denominationis; & non inhęſionis formarum.

Reſpondeo: diſtinguendo antecedens: materia ſecundum ſe conſiderata præſcindendo à forma ſubſtantiali eſt id, de quo ſingula prędicantur, nego antecedens. quatenus facit vnum per ſe cum dicta forma concedo; ſed nego conſequentiam. Nos autem in explicatione loquuti ſumus de materia ſecundũm ſe, in quo ſenſu dixit *Ariſtoteles 7. metaph. tex.* 8. Materia eſt, quę per ſe ipſam, neque eſt quod, neque quantum, neque quidpiam eorum quibus ens determinatur; Philoſophus verò *loc. cit.* in obiectione explicandus eſt in ſenſu conceſſo, quia omnia prędicamenta propriè de prima ſubſtantia prędicantur; Prima autem ſubſtantia conſtat ex materia tanquam vltimo ſubiecto, & ex forma.

Obijcies ſecundò: res materiales habent natu- 20
raliter ſuum minimum infra quod exiſtere nequeunt; ſed Angelus poteſt materiam diuidere in partes minores minimis corrumpendo earum vniones; ergo Angelus potest eam deſtruere, non ergo in eam ſi quid corrumpitur abibit vltimum.

Reſpondeo: quam plures ex Philoſophis ne-

gare

Digitized by Google

gare huiusmodi minima rebus Homogeneis; sed dico, quod materia ea sibi vindicet: dico: Angelum non posse, stante hoc ordine rerum infra dicta minima eam diuidere, sicuti neque potest eam immediatè post Cœlum Lunæ collocare, aut ponere vacuum, aut Cœlum ipsum in partes scoare, vt de se patet; quemadmodum autem si hæc fierent miraculosè à Deo: non benè deduceretur habori in ipsis subiectis naturalem capacitatem; ita neque ex eo quod Deus diuideret minimum materiæ in duas partes, in quibus naturaliter existere nequiret, rectè deduci posset ipsam materiam esse naturaliter corruptibilem.

21 Obijcies tertiò; Angelo, respectu suarum formarum accidentalium, & compositorum, ex se, & dictis formis resultantium, competit tradita definitio materiæ primæ; ergo huiusmodi definitio non est rectè tradita. Consequentia patet; antecedens probatur, quia Angelus verè est primum subiectum compositionis vniuscuiuscunq; compositi accidentalis resultantis ex accidentibus, quæ habet in se, quia non supponit aliud subiectum ante se. Deindè quodcunque compositum accidentale Angelicum fit ex Angelo cum insit, non secundum accidens, sicuti inest priuatio, sed per se requiratur ad huiusmodi compositum constituendum. Denique cum substantia Angelica sit ingenerabilis, & incorruptibilis verè de Angelo dici potest, quod si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum.

Respondeo: in sententia eorum, qui volunt solùm compositum subſtantiale esse obiectũ Physicę, nullam vim argumentum habere; siquidem per illam particulam, vniuscuiusque; intelligunt omne, & solum compositum substantiale; ne tamen nos videamur incidere in id, quod supra reprehendimus, dum diximus; materiæ primæ certitudinem non debere fundari in opinione negantium elementa reperiri formaliter in mixto, meliùs dicendum putamus: Particulam vniuscuiusque in definitione significare quodcunque cõpositum materiale, quod est obiectum Physicæ, siuè demum substantiale sit; siuè accidentale; respectu quorum constat solam materiam primam esse primum subiectum, tùm informationis, tùm etiã compositionis. neque dicas ex hoc saltem deduci traditam definitionem esse deficientem, atque adeò secundum quod verba sonant æquiuocam. Nego enim hanc consequentiam; siquidem hoc ipso, quod Philosophus materiam definit subiectum primum vniuscuiusque, manifestum est, quod non nisi de omnibus, & solis rebus materialibus, non verò etiam de spiritualibus sermonem habet.

SECTIO QVARTA.

Corollarium in quo tres absurdæ sententiæ de essentia materiæ primæ confutantur.

22 ATque ex his quæ dicta sunt facilè conuinci possunt falsitatis tres opiniones, quæ de essentia materiæ primæ malè audiunt apud probatos auctores.

Et primò quidem error, seu potius delirium Alexandri cuiusdam Epicurei, vt refert Albertus 1. *Physic. cap.* 13. volentis materiam esse ens increatum, atque adeò Deum ipsum, cuius absurditas constat ex dictis. hoc enim ipso quod materia prima est primum subiectum vniuscuiusq; est in se potentialis, & mutationibus omnibus obnoxia. Contrà verò Deus est actus purus, & immutabilis, quare Rectius sapientissimus Plato eam appellauit Diuinitatis dissimilitudinẽ; propter summam distantiam, quam habet à perfectione diuina; Nec rationes quibus hic Philosophus motus fuit ad excusandam suam insaniam, vt eam appellat D. Thomas 1. *Contra g. cap.* 17. quidquam valent. prima sic procedit: materia est quid simplex; sed Deus est etiam quid simplex; ergo differre inter se non possunt; quæ enim differunt ex Aristotele habent aliquid in quo conueniunt, & aliquid in quo disconueniunt; atque adeò non sunt simplicia, sed ea quæ non differunt inter se sunt idem, ergo &c.

Sed Respondetur facilè: negando subsumptũ; quia inter differre, & identificari est aliquod medium, nimirum diuersificari, hoc est in nulla penitus ratione vniuoca conuenire; sicuti diuersificãtur decem prima genera inter se comparata; quamuis autem Deus, & materia, quatenus non sunt composita, non differant inter se; at sunt primò diuersa quia in nullo prædicato conueniunt; & sic se totis repugnant, ne in vnam coeant entitatem.

Secundò sic: Omne ens quod non est Deus, vel 23
est naturale, vel mathematicum, vel denique metaphysicum; nullum ex his est materia; non enim est naturale, quia nullius determinati motus principium est; neque mathematicum, aut metaphysicum, quia vtrumque præscindit à materia; ergo &c.

Respondeo enumerationem in maiori positam esse sufficientem loquendo de entibus completis; materia autem est ens incompletum; atque adeò licet non sit ens naturale, est tamen eius principiũ perfectibile susceptiuum determinati motus.

Tertiò denique est huiusmodi: ens quod non 24
est Deus, vel per creationem, vel per eductionem fieri potest; sed materia non potest fieri per eductionem, quia præsupponeret ante se aliud subiectum, neque per creationem, quia est principium passiuum, quod præsupponitur, & non creatur; ergo &c.

Respondeo tamen: materiam esse factam initio mundi per actionem creatiuam, vnà cum forma; ad id autem quod dicitur de principio passiuo, distinguendum est: principium passiuum non creatur, sed supponitur; ab eo agente quod non producit ipsum, concedo. ab eo quod ipsum producit, nego; vndè rectè dixit Augustinus *lib. de fid. cap.* 1. certissimè creditur omnia Deum fecisse ex nihilo, quia etiam si ex aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est.

Secundò conuinci potest falsitatis opinio quo- 25
rumdam apud Soncinatem 7. *Metaph. q.* 22. videlicet ex opposito materiam ex se non esse ens reale, contra quos facit, quia hoc ipso quod materia est subiectum primum vniuscuiusque, iam habet posse subsistentare formas materiales, & vna

enim

cum illis composita constituere, quod autem est huiusmodi, implicat nó esse ens reale; fundamẽta huius erroris sũpserũt eius Patroni ex triplici loco Aristotelis non benè percepto, sic ergò arguunt primò. Philosophus 1. *Phys. tex.* 60. habet: priuationem esse vnũ numero cũ materia, ergo si priuatio est non ens, erit etiam non ens ipsa materia; sed explicatio huius textus patet ex dictis à nobis supra, cum de principijs in communi, vbi diximus: quod cum priuatio sit quid negatiuum, & in materia veluti in subiecto, hinc est vt non faciat numerum distinctum ab illa.

Secundò, quia 5. *Phys. tex.* 28. discrimen hoc inter subiectum generationis, & motus affertur: quod id, quod non est, generetur; at verò moueatur id, quod est; sed subiectum generationis est materia, ergo materia non est ens; sed contrà est quia Philosophus, ne sibi videatur esse contrarius, non est intelligendus hoc loco de esse quomodocumque, sed de esse simpliciter, & completo; quo posito verissimum est quod dicitur; nam materia quæ est subiectum generationis est de se semiens perfectibile; & potentiale expectans à termino generationis vna cum illo fieri ens simpliciter, atque completum in genere substantiæ; contra verò subiectum motus de se est ens simpliciter, quatenus terminus motus est accidẽs, atque adeò supponit subiectum suum substantialiter completum, quamuis igitur vtrumque subiectum sit in potentia respectu sui termini, rectè tamen dicitur differre inter se, quia subiectum generationis non est ens simpliciter, sed semiens; contrà verò subiectum motus.

26 Tertiò denique, quia 7. *metaph. tex.* 8. habetur materiam neque esse quid, neque quale, neque quantum, neque aliquid ex his quibus ens determinetur. Sed contra est: quia ex his verbis solùm colligitur materiam non esse ens aliquòd determinatum per se ponibile in recta linea prędicamentali, non verò, eam non esse ens determinabile, & potentiam realem receptiuam omniũ formarum tùm substantialium, tùm accidẽtalium.

Tertio demùm loco occurrit sententia Auicẽnæ *lib.* 1 *suę sufficientiæ cap.* 2. volentis in materia dari formam corporietatis, quæ ei gradum corporis in communi tribuat, ab eaque sit omninò inseparabilis; contra quod facit; quia posito, quod materia est primum subiectum vniuscuiusque, cum insit, nulla est necessitas talis formæ, quemadmodum enim formę vltimæ specificæ tribuunt illi seipsis cæteros gradus superiores; ita etiam poterunt gradum corporis eidem tribuere.

27 Neque dicas animam rationalem, quippè spiritualem id non posse præstare: Ne id dicas, inquam: quia hæc etiam si spiritualis sit, & incorporea, quoad indiuisibilitatem, & independentiam in esse à materia: corporea tamen est in quantum dicit ordinem essentialem ad ipsam materiam, & cum ea facit vnum per se quod sufficit ad hoc vt ei tribuat gradum corporis positum in recta linea prædicamentali substantię. nam corpus substantiale hoc significat.

Neque iterum addas omnem essentiam, & cognoscibilitatem, atque distinctionem esse à forma per Aristotelem. quare nisi materia formam corporietatis haberet neque aliquid esset, neque cognosci posset, neque à cæteris rebus distingueretur; contra enim est: quia Aristoteles exponẽdus est de forma metaphysica, hoc est de ratione differentiali per quam res in tali esse determinato constituitur, quam materiæ vltro concedimus, non autem de forma physica, quam illi negamus.

Neque denique vrgeas tertiò: quod quemadmodum datur primum efficiens, & primus finis, & prima materia; ita dari debeat prima forma, quæ à materia sit inseparabilis: disparitas enim est, quia cum in vnica actione multę causę efficientes, multi fines, & plures materiæ sæpè concurrant, ne detur processus in infinitum, assignari debet inter illa primum in vno quoque genere: at verò in vnó quoque composito substantiali saltem non viuente vna tantum forma substantialis reperitur vtpote ad omnia munia in eo præstanda sufficiens. Dixi (saltem non viuente) in viuentibus enim si præter animam formæ partiales ab aliquibus admittuntur, hæ non nisi, vt meræ dispositiones se habere ponuntur, non autẽ vt dantes materiæ gradum aliquem substantialem.

SECTIO QVINTA.

In quo consistat Ratio subiecti.

EX supradictis patet rationem subiecti respectu materiæ, & formæ se habere vt genus; modo videndum est, in quo dicta ratio consistat? quod præstabimus per sequentes subsectiones in quarum prima aliorum placita examinabimus; in secunda verò nostram statuemus sententiam; in tertia denique obiectis contra nos faciemus satis. 23

SVB SECTIO PRIMA.

Variæ sententiæ de ratione subiecti confutantur.

DVpliciter ratio subiecti sumi potest; logicè, & physicè: subiectum logicè sumptum dicitur tale per ordinem ad aliquod, quod de eo affirmatur, vel negatur, siuè demum sit distinctũ, siuè indistinctum ab illo. Physicum verò dicitur tale per ordinem ad aliquid realiter à se distinctum, quod adhuc potest esse duplex propriũ, & minus proprium; Proprium est id, quod respicit illud, per ordinem ad quod dicitur subiectum, tanquam aliquid sibi intrinsecè vnitum, sicuti paries albedinem, & materia ignis formã ignis; minus verò proprium, id, quod respicit illud aliud tanquã aliquid sibi extrinsecum, sicuti turris respicit visionem, à qua denominatur visa, & Antichristus cognitionem, à qua denominatur cognitus. vndè fit, vt subiectum logicè sumptum habeat pro suo correlatiuo prędicatum: physicè verò acceptum habeat formam, siuè intrinsecã, si est propriè tale: siuè extrinsecam, si impropriè. quoniam verò id quod est impropriè tale potiùs à voluntate imponentis nomina pendet, & solùm ex modo significandi habet, quod proprio 29

confor-

Digitized by Google

conformetur; ideireò in præsenti quæstione de ratione subiecti Physici propriè accepti tantummodo controuertitur, siuè demum sit tale per ordinem ad solas formas accidentales, quemadmodum est substantia Angeli relata ad suas operationes, & species: siuè sit tale per ordinem etiam ad substantiales, sicuti est materia prima. Et quidem hanc quæstionem intactam nobis veteres Philosophi reliquere. Recentiores verò, qui eam tractant in varias abiere sententias; nec mirum, est enim valdè dubia, & implexa ita vt P. Arriaga *disp. 2. Phys. sect. 3. subsect. 2.* dicat: rem esse difficiliorem, quam aliqui censeant, & vix, quid probabilitèr dicatur, apparere. Nos prius aliorum sententias adducemus, & improbabimus; postea verò nostram breuitèr statuemus.

30 Prima sententia est eorum, qui dicunt rationem subiecti Physici propriè accepti consistere in indifferentia, quam habet ad intrinsecè componendum hoc potius totum, quam aliud V. G. ignem potius; quam Terram, ad differentiam formæ, quæ est de se adhoc determinata. non enim est indifferens forma ignis ad componendū Leonem, vel ignem: sicuti est materia prima; vnde est, qaod forma habeat rationem determinatiui respectu subiecti, subiectum verò, rationem determinabilis.

Hanc sententiam impugnat Comptonus *disp. 4. Phys. sect. 1. n. 8.* ex eo, quia formæ etiam habēt indifferentiam in ordine ad materias specie diuersas informandas, atque denominandas; vt constat ex speciebus visibilibus quæ possunt esse in oculo, & in aere; & oculum quidem denominant visiuum, seu potentem videre; Aerem verò, vt dicunt aliqui, speciatum, seu informatum; ad quod etiam probandum vtitur exemplo gratiæ sanctificantis, quæ licet sit eiusdem speciei in nobis, & in Christo Domino, nos tamen reddit filios Dei adoptiuos: non verò ipsum Christum.

31 Sed hæc ratio non conuincit; dicere enim possunt huius sententiæ auctores se loqui in sensu physico, & reali; certum autem est illam numero speciem visibilem, quæ est in oculo connaturaliter loquendo non posse esse in aere, neque illam numero gratiam, quæ est in Christo posse esse in nobis: contrà verò loquendo de eadem numero materia, quæ est in hoc composito corruptibili. V. G. in hoc ligno. Quod si varias denominationes formę reddunt: ideò est quia denominatio visiui V. G. partim sumitur à subiecto potente videre, partim verò è forma dictum subiectū complente; vnde non est mirum si species constituant oculum visiuum, non autem aerem; sic etiā denominatio filij adoptiui partialitèr sumitur à subiecto, naturalis filiationis Dei carentiam importantis, quæ carentia, cum sit in nobis, & non in Christo, hinc fit vt gratia sanctificans nos denominet filios Dei adoptiuos, non verò Christum, quem constat esse filium Dei naturalem: vnde non dicunt auctores huius sententiæ rationem subiecti consistere in indifferentia ad huiusmodi denominationes præstandas, sed ad habendas formas, quia subiectum potest transire ex vna forma ad aliam, non verò forma, de vno in aliud subiectum.

Melius igitur impugnanda videtur hæc sententia: primò quia materia Cœli, posito quod sit diuersæ rationis à nostrate, est determinata ad formam Cœli, & non ad aliam substantialem recipiendam, ita ut, sicuti hæc numero forma Cœli Lunę V. G. non potest esse in alia materia, ita neque hæc numero materia sub alia forma; sic enim dicunt quamplures huius sententiæ auctores, qui tamen defendunt materiam Cœli habere rationē subiecti; ergo &c.

Secundò: quia non repugnat dari formam, quæ 32
de vno subiecto transire possit in aliud, sicuti de facto datur subiectum, quod potest de vna forma transire in aliam, & fortasse anima rationalis de facto est huiusmodi; ergo &c.

P. Giattinus *quæst. 3. art. 1.* quærendo quid sit essentia formæ cōparata cum materia etiam possibili, & cum præcisione ab hoc ordine rerum? dicit: consistere in eo, quod ex vi agentium naturalium non possit transire ex vno composito in aliud; contrà verò materia est illa, quæ vi agentium naturalium potest, nonne vides, vt ad indifferentiam recurrit? Sed hoc non verificatur de materia Cœlorum; Præterea vnde habet hic auctor quod in nullo ordine rerum dari possit forma, quæ ex vi agentium naturalium ad illum ordinem spectantium non possit transire de vno subiecto in aliud? Quid enim vetat dari posse lumen adeò cum Sole possibili connexum, vt ad motum Solis transeat simul cum illo ex vno corpore soli exposito, in aliud successiuè eidem soli applicatum? certè videmus animam rationalem successit temporis, in hoc ordine rerum transire ab vna 33
numero materia ad aliam vi nutritionis informandam, quod idem formis materialibus indiuisibilibus euenire docent multi; quod igitur in hoc ordine rerū fit naturalitèr paulatim, & veluti insensibilitèr; cur nō, poterit fieri in aliquo alio ordine statim? nullam ego in hoc repugnantiam agnosco.

Quod si diceret auctor; in hoc casu haberi ad- 33
huc discrimen inter materiam, & formam; quia forma transiret ex vna materia in aliam, quę numericè, & non essentialitèr inter se distingerentur, at verò materia transit ex vna forma specie distincta ab alia.

Contrà hoc facit: quia pone vnum ordinem rerum, in quo non solum detur hęc materia prima, sed aliæ distinctæ specie; tunc si Petrus V. G. qui est, de facto vesceretur cibis constantibus ex alijs materijs specie distinctis à propria: procul dubio eius anima informaret non solùm successiuè, sed etiā simul materias specie distinctas, ergo neque repugnabit alius ordo in quo vna forma transiret ex vna in aliam materiam, quę essentialitèr inuicem distinguerentur.

Paulò aliter recurrit ad indifferentiam Quiros *disp. 39. sect. 2. n. 17.* dum ait ex duabus partibus vnum componentibus, formam esse, quæ se ipsa adęquatè determinat aliam ad aliquod esse à se indistinctum, contrà verò aliam esse subiectum, contrà quem facit, tum quia in sententia admittētium vnionem modum. forma simul cum vnione determinat materiam ad compositum, & sic non adęquatè; tum etiam quia dari potest materia non minus determinata ad aliquod compositum, quam sit ipsa forma. vt in aliquorum sententia vidimus; ergo &c.

Digitized by Google

34 Secunda opinio eſt eorum, qui dicunt: ſubiectum importare eſſentialiter eſſe principium paſſiuum paſſionum compoſiti; contrà uerò formam eſſe principium actiuum earumdem.

Sed contrà eſt primò, quia niſi detur aliqua forma, quæ nõ ſit principium actiuum paſſionis phyſicę receptę in ſubiecto, in quo ipſa eſt: in omni compoſito darentur proculdubio formę phyſicæ infinitæ categorematicè; nam ſi in compoſito calido V.G. tu dicis ideò calorem ſe habere ut formam, quia calor eſt principium actiuum paſſionum ſuarum, ſubiectum uerò paſſiuum: cum hæ paſſiones ſe habeant vt formæ eiuſdem ſubiecti, vtique deberent eſſe principium actiuum aliarum paſſionum: ſubiectum verò paſſiuum; de his autem ſecundis paſſionibus cum etiam ſe habeant vt formæ, deberet proculdubio idem dici; & ſic de tertijs in infinitum; quod nemo non videt quã ſit abſurdum: ergo forma non conſtituitur in eſſe formæ per hoc quod ſit principium actiuum paſſionum compoſiti; quod ſi dicant aduerſarij ſe loqui tantum de ſubiecto, & forma cõpoſiti ſubſtantialis, & non de aliorum.

Contrà ſecundo, quia non inſtituunt quæſtionem in ea amplitudine, in qua communiter agitatur.

Contrà tertio, quia neque in hac reſtrictione ſatisfaciunt; ſi quidem multę paſſiones compoſiti ſubſtantialis recipiuntur in ipſa forma quẽadmodum intellectus, & voluntas in anima rationali.

35 Tertia ſententia eſt eorum, qui dicunt rationem ſubiecti conſiſtere in eo, quod afferat diuerſis cõpoſitis eadem prędicata. Contrà verò rationem formę in eo, quod afferat diuerſa prędicata diuerſa; ſed contrà eſt primò, quia ſi darentur de facto materię eſſentialiter diuerſę, quę poſſent cum eadem forma in ſpecie conſtituere diuerſa compoſita; vtique in his compoſitis prędicata, quæ ſumerentur ex forma eſſent eadem; Diuerſa verò ea, quæ ex his diuerſis materijs orirentur; ergo &c.

Contrà etiam eſt ſecundò, quia in ſententia eorum, qui volunt accidentia ſubiectari in toto compoſito: vtique in duobus albis, quorum vnum eſt paries, alterum verò lac, albedo affert vtique compoſito prędicata communia, ſubiecta verò diuerſa; ergo &c.

36 Quarta eſt eorum, qui volunt: illud in compoſito habere rationem ſubiecti, ad cuius complementum primariò ordinatur vnio alterius cõpartis; Illud verò rationem formæ, ad cuius complementum ordinatur vnio ſecundariò.

Sed contrà hanc ſententiam faciunt duo. primò quod aſſumit falſum; ſecundò quod eo admiſſo non dirimit controuerſiam; primum patet, quis enim credat vnionem ordinari potius ad complementum materiæ, quam formæ? quaſi verò primã intentum naturę ſit perficere materiam primam, & ad hunc finem formas ſubſtantiales producere, eiquæ vnire; enim uerò ſi inter materiam, & formam datur vnio diſtincta, de quo ſuo loco, hęc primariò ordinatur ad totum conſtituendum; ſecundariò verò in bonum formę; tertiò denique in bonum ipſius materię, vtpotè entitati ignobiliſſimę; ſecundum verò, quod dicebamus, ſuadetur ex eo, quia adhuc remanet dubium, num unio ad hanc potius, quam aliam partem complendam primariò ordinetur, an V.G. in compoſito ex pariete, & albedine conſtante, unio ordinetur primariò ad complendum parietem, & ſecundariò ad complendam albedinem, an potiùs è contrà; ergo hęc explicatio ignotum per ęquè ignotum explicat, & ſic non dirimit controuerſiam.

Quinta ſententia eſt eorum, qui dicunt: rationem ſubiecti in compoſito conſiſtere in ea parte, quę ſuſtentat vnionem, per quam unitur cum altera comparte, quę ideò habet rationem formę. 37

Sed contra eſt primò, quia multi non admittũt inter materiam & formam vnionem diſtinctam; Porro explicatio ſubiecti, & formę debet quantum poteſt, omnium ſententijs conformari. Secundò, quia in aliorum ſententia eam admittentium datur duplex unio in compoſito: altera se tenens ex parte materię, quia in ea ſubiectatur, & altera ex parte formę, in qua recipitur; in qua ſententia, iuxta hanc explicationem uterque pars compoſiti eſſet ſubiectum, & materia, ut patet. Tertiò quia poteſt de poſſibili dari unio, quę à neutra parte compoſiti exigat ſuſtentari. Quod ſi dicas: ſufficere quod altera pars exigat componere ſuſtentando unionem.

Contrà eſt quartò, quia non implicat forma, quę exigat ſuam ſuſtentare vnionem. Quintò denique quia ſic in Chriſto Domino, quia unio hypoſtatica ſuſtentatur ab humanitate, & terminatur ad perſonam uerbi, dici deberet, quod humanitas exerceret munus ſubiecti, & perſona Diuina reſpectu illius munus formę informantis, quod abſurdiſſimum eſt.

Dices: in domo fundamentũ eſt id, quod præter ſui exhibitionem in compoſito ſuſtentat parietes; contrà uerò tectum cauſat compoſitum ſeipſum ſolum communicando ipſi domui ſed in compoſito naturali ſubiectum correſpondet fundamento domus, vnio parietibus, & forma tecto; ergo in huiuſmodi compoſito ſubiectum eſt id, quod ſuſtentat unionem, forma uerò id quod illam terminando, ſe exhibet compoſito. 38

Sed contrà eſt; quia ſi pariter hæc ualeret; quẽadmodum non eſt neceſſe, ut materia ſuſtentet formam, ita neque eſſet neceſſe, ut fundamentum medijs parietibus ſuſtentaret tectum; quare ſicuti ſi daretur tectum per ſe ſtans in hac ſententia, modo eſſet coniunctum cum parietibus componeret Domum: ſic ſi darentur parietes etiam per ſe ſtantes, & non ſuſtentati à fundamentis; domũ conficerent; ergo ſi unio non ſuſtentaretur à ſubiecto, adhuc conſiſteret compoſitum conſtans ex materia & forma; Non igitur ratio ſubiecti in eo, quod ſuſtentet unionem conſiſtere poteſt. dicere autem cum Ouiedo *contr. 2. Phyſ. punct. 3.* quod ſi unio, quæ eſt inter animam rationalem, & corpus eius crearetur; materia non haberet in homine rationem ſubiecti reſpectu animæ, omni caret probabilitate; tùm quia eſt contrà omnium doctorum ſenſum, ut benè aduertit Arriaga in ſuo ſecundo curſu *diſp. 3. Phyſ. n. 22.* tùm etiam quia homo ille non conſtaret ex actu, & potentia, & ſic non eſſet unum ens per ſe; ſiquidem potentia eſſentialiter rationem ſubiecti habet imbibitam.

Sex-

Digitized by Google

39 Sexta est aliorum volentium dictam subiecti rationem cõsistere in eo, quod accipiat denominationem ab alio, sibi aliqua ratione vnito; formæ verò in eo, quod det dictam denominationem.

Contrà tamen est; quia sicuti Paries denominatur albus à forma albedinis, ita statua denominatur lignea, vel aurea à ligno vel auro, quod est subiectum formæ statuæ. Præterea sicut corpus denominationem recipit ab anima, animati, & viuẽtis: ita anima recipit à corpore denominationẽ subiectatæ, incorporatæ, materializatæ &c. ergo quantum ad hoc nulla apparet ratio diuersitatis.

40 Respondet primò Competonus *disput. 4. cit. sect. 2. n. 6.* formam non denominari propriè subiectatam à materia; sed in materia.

Contrà tamen est; quia, sicuti per hoc, quod materia denominetur animata, quatenus stat sub Anima, nõ tollitur quin etiam denominetur propriè animata ab ipsa anima; ita licet forma denominetur subiectata quatenus est in materia: non tollitur, quin denominetur etiam subiectata ab ipsa materia.

41 Respondẽt alij secundò: huiusmodi denominationem habere formam media vnione.

Sed contrà est, quia etiam subiectum denominationes, quas habet à forma, non nisi dependenter ab vnione habet illas; ergo &c.

42 Respondent alij tertiò: vnionem, in huiusmodi denominationibus communicandis formæ, se habere tanquam rationem formalem; siquidem forma, vt vnita materiæ dicitur incorporata, subiectata, &c. At verò in denominationibus viuentis, animati &c. quæ à forma communicantur materiæ, formam ipsam sè habere tanquam rationem formalem.

Sed contrà est, quia cum, ad denominationes vtriusque rationis communicandas sit necessaria unio, non potest assignari maior ratio cur ad illas, quæ sumuntur à materia vnio sit ratio denominans. In ijs verò quæ sumuntur à forma vnio non sit huiusmodi ratio, sed solum conditio, sine qua non? ergo &c.

Contrà secundo; quia non repugnat forma quæ se ipsa sine vnione distincta vniatur subiecto, sicuti de facto vnitur per multos actus vitalis cum potentia vitali: & per omnes, modus cum re, quam modificat; sed tunc subiectum per se denominabit formam subiectatam; ergo &c.

43 Respondent alij quartò; quod licet tùm forma, tùm subiectum inuicem se denominent, non tamen eodem prorsus modo; quia materia denominat formam subiectatam, & non informatam.

Sed contrà primò. Ergo de ratione subiecti non est accipere, & de ratione formę non est dare denominationem. Contrà secundò quia hę denominationes supponunt tùm formam, tùm subiectum secundum suas proprias rationes constituta, atque iam inter se distincta; siquidem proueniunt ab illis vt tales sunt; ergo antecedenter ad has denominationes inuicem communicãdas debent habere, per quod in ratione formæ, & subiecti constituantur; Neque satisfaciet, qui dicat: constitui per virtutem, & potentiam dictas denominationes in composito tribuendi; Nam de hac virtute quærimus in quo consistat, & quomodo nos considerando aliquod compositum cognoscere possimus hanc determinatam compositi partem V.G. animam habere vim tribuendi corpori denominationem informati: contrà verò corpus habere vim tribuendi illi denominationẽ subiectatę, seu in subiecto receptæ? ex quo discursu contrà vniuersam hanc sententiam hoc cõstitui potest argumentum. Quando dicitur, rationem subiecti consistere in denominari; formæ verò in denominare; vel est sermo de voce, seu appellatione ipsa, vel de re aliqua à voce distincta; non primum, quia sicuti puer habet indifferẽtiam vt vocetur in baptismate hoc, vel illo nomine; ita & res ipsę: neque secundum; quia hoc est id, quod in præsentia controuertimus: ex duabus partibus essentialitèr diuersis vnum compositum Physicum constituentibus, per quid potius vna pars vendicet sibi nomen subiecti potentis denominare alteram subiectatam; alia verò nomen formæ potentis denominare aliam informatam? quod, cum in hac sententia non explicetur, non poterit satisfacere.

Septima sententia est eorum, qui subiectum 44
dicunt esse id, quod habet vim causandi aliquid per causalitatem, quæ sit sustentatio.

Sed contrà hanc definitionem facit: primò, quia vis causandi aliquid per sustentationem importat de formali vim subiectiuam, seu virtutem essendi subiectum, & præterea aliquid aliud; nam impossibile est, quod aliquid habeat uim sustentandi aliud: & non habeat vim recipiendi illud in se tanquam in subiecto; contrà verò stat vis subiectiua respectu alicuius formæ, absque vi sustentatiua illius, vt patet in materia prima, quæ potest esse subiectum animæ rationalis, & non potest sustentare illam; ergo malè explicatur ratio subiecti per vim sustentatiuam: consequentia euincitur, tùm quia explicatio, seu definitio debet æque latè patere, ac explicatum, seu definitum; tùm etiam quia sicuti plus requiritur ad constituendam potentiam sustentatiuam in communi, quam ad potentiam subiectiuam; ita plus difficile est distinctè cognoscere illam, quam hanc; non benè igitur hæc per illam explicatur.

Contrà est secundò, quia vel hoc respectu cuius subiectum debet habere vim causandi per sustentationem; debet esse illa forma, cum qua constituit compositum, vel aliqua alia; neutrum dici potest; ergo &c. minor, quæ sola indiget probatione, suadetur; non primum, quia materia in composito humano habet rationem subiecti, & tamen non habet vim sustentandi animam rationalem; Quod si dicas materiam, quantum est de se, habere vim; quare si anima rationalis esset materialis, vtique eam posset de facto sustentare.

Contra est quia, etiam anima rationalis habet vim quantum est de se sustentandi materiam primam. vnde si ea esset accidens spirituale, V.G. intellectio, vel habitus scientię, posset de facto illam sustentare; non minus enim impossibilis est suppositio, quod anima rationalis sit materialis, quam quod materia prima sit habitus, vel actus spiritualis; vtrumque enim destruit essentiã vtriusque, vt de se patet; vnde ex ea suppositione

ne non poteſt apparere ſufficiens diſcrimen inter vnam, & aliam. Eadem verò minor probatur etiam. quo ad ſecundam partem, quod, ſcilicet, hoc aliquid reſpectu cuius ſubiectum habere debet vim cauſandi non poſſit dici eſſe diuerſum à forma, cum qua componit: quia ſic in compoſito humano non eſſet maior ratio cur potius anima, quam corpus haberet rationem ſubiecti; quod probo ex eo; quia non minus anima habet vim ſuſtentandi aliquid diuerſum à corpore, nimirũ, ſua accidentia ſpiritualia, vt intellectiones, & volitiones: quam corpus habet vim ſuſtentandi aliquid diuerſum ab anima, videlicet, formam ignis, formam ligni, &c; ergo impoſsibile eſt quod ſufficiat ad rationem ſubiecti habendam vis cauſandi aliquid diſtinctum à comparte, cum qua totum de facto conſtituit.

45 Reſponderi poteſt primò; ſubiectum, & formã eſſe correlatiua, & dici per ordinem ad aliud: unde nil mirum, ſi eadem anima rationalis reſpectu corporis habeat rationem formæ, reſpectu uerò ſuorum accidentium ſpiritualium rationem ſubiecti.

Sed contrà eſt; quia argumentum conuincit, quod ſtante explicatione tradita, anima ipſa reſpectu eiuſdem corporis haberet rationem ſubiecti, nam ad hoc ut corpus in humano compoſito habeat rationem ſubiecti ſufficit ſi extra dictum compoſitum poſsit de facto ſuſtentare aliam formam V.G. Ignis, vel Terræ; ſed anima rationalis ita componit compoſitum humanum, ut poſsit de facto ſuſtentare aliam formam; ergo reſpectu compoſiti humani habebit rationem ſubiecti.

Reſponderi poteſt ad hoc; ad rationem ſubiecti in aliquo compoſito habendam non ſufficere uim ſuſtentandi aliquid aliud quomodocunque diſtinctum ab altera comparte: ſed hoc debere eſſe ita diſtinctum ut ſit ſimile illi in ratione formæ; quoniam uerò corpus in homine ita componit cum anima rationali, ut habeat uim ſuſtentandi aliud ſimile animæ rationali, ſaltem in eſſe formæ, nimirum formam ignis, Terræ &c. contrà uerò anima rationalis ita componit cum corpore, ut non habeat uim ſuſtentandi aliquid ſimile ipſi corpori in ratione formæ, ſiquidem intellectio in ratione formæ non poteſt habere ſimilitudinem cum corpore, hinc fit ut in homine corpus habeat rationem ſubiecti, & non anima;

46 Sed refellitur hæc reſponſio. primò, quia in ſententia multorum non repugnat dari materiam merè receptiuam, & non ſuſtentatiuam formarum ſubſtantialium: & huiuſmodi dicunt fore de facto materiam ſpiritualem, quam poſsibilem putant. tùm ſic: huiuſmodi materia ita cõponeret cum alia comparte, quæ ſe haberet ut forma, ut non haberet uim ſuſtentandi aliud ſimile illi comparti; & tamen in eo compoſito haberet rationẽ ſubiecti; ergo ratio ſubiecti in aliquo cõpoſito nõ habetur per hoc quod habeat uim ſuſtẽtãdi aliud ſimile cõparti, cũ qua cõponit; & rectè id quidem, quia illa uis in ordine adhoc compoſitũ eſt omnino impertinens, & formaliter ſumpta ſe habet, ac ſi nulla prorſus eſſet; ergo &c.

Refellitur ſecundò dicta reſponſio, quia in cõmuni ſententia admittente primas qualitates ſuſtentari immediatè à quantitate: ſicut in compoſito conſtante ex quantitate, & calore quantitas habet uim cauſandi materialitèr ipſum calorem, ita calor habet uim cauſandi aliquid aliud ſimile ipſi quantitati in ratione formæ accidentalis, ſiquidem in ſententia multorum ſuſtentat ſuum peculiare, ubi, & ſuam durationem, & cætera, quæ conueniunt cum quantitate in ratione formæ accidentalis; non minus quam forma ignis, forma terræ &c. conueniant cum anima rationali, in ratione formæ ſubſtantialis: ergo non eſt maior ratio cur potiùs quantitas in eo compoſito habeat rationem ſubiecti, quã calor. quod ſi dicatur omnes formas ſubſtantiales inter ſe cõuenire uniuocè, utpotè ad unum prædicamentum ſubſtantiæ pertinentes: non uerò quantitatem, & durationem ad diuerſa prædicamenta ſpectantes.

Contrà etiam eſt: quia non poteſt explicari cur tanta ſimilitudo nimirum in forma ſubſtãtiali ſufficiat ad manifeſtandam rationem ſubiecti, & non minor. Melius igitur poſſet reſponderi: illud indicium in materia à natura ſuſtentatiua alterius ſimilis in forma petitum, habere uim quoties una pars non actu ſuſtentatur ab alia; in caſu autem noſtro primæ qualitates actu ſupponuntur ſuſtentari à quantitate. ergo iam apparet quantitatem eſſe ſubiectum earum; Melius ergo refellitur dictus modus philoſophandi ultimò, quia quid ſit ſimilitudo in forma explicari nequit, abſque eo quod ſupponatur iam, quod altera compars habeat rationem formæ, quod non poſſe fieri ſine petitione principij ſaltem indirectè cõſtat, ex eo, quia in hac ſententia non poteſt commodè aſſignari in quo conſiſtat ratio formæ, niſi dicendo conſiſtere in eo quod ſinè illa, ſinè alia ſibi ſimilis in ratione formæ debeat poſſe ſuſtentari ab alia comparte.

47

SVBSECTIO SECVNDA.

Statuitur noſtra ſententia.

43 VNica Concluſio: *ex duabus partibus conſtitutiuis compoſitum ſiue ſubſtantiale, ſiue accidentale, conſtans ex ſubiecto, & forma; illa pars habet rationem ſubiecti, quæ ſe habet vt perfectibilis per aliam compartem ſibi intrinſecè vnitam; illa verò rationem formæ, quæ eſt perfectiua alterius ſibi itẽm vnitæ intrinſecè.*

Probatur. quia materia prima, quæ habet rationem primi ſubiecti per hoc nobis innoteſcit, & conſtat, quod ſit perfectibilis, actuabilis, atque complebilis per formam ſubſtãtialem: Hæc uerò, per hoc, quod ſit materiæ perfectiua, & completiua, & eius actus, ac ſpecies; atqui cætera alia ſubiecta, quantum ad participãdam rationem ſubiecti, conueniunt cum materia prima; & reliquæ formæ quoad rationem formæ cum forma ſubſtãtiali; Rectè igitur dicimus, quod ratio ſubiecti, in communi in compoſitis ſiue ſubſtantialibus, ſiue accidentalibus conſiſtat in eo, quod ſit perfectibilis per aliam compartem; ratio uerò formæ in eo, quod ſit perfectiua alterius compartis.

49 Video ad hoc argumentum reſponderi poſſe: rationem perfectibilis, quam communiter tùm antiqui, tùm Recentiores Philoſophi agnoſcunt in ma-

Digitized by Google

materiæ primæ, & rationem perfectiui, quam in substantiali forma fatentur, non eis competere secundum rationes communes subiecti, & formæ, vt sic: sed secundū proprias, & differentiales, videlicet, materiæ primæ prout est primum subiectū, formæ verò substantiali quatenus est substantialis actus, vnde non benè concludi rationem subiecti, vt sic, positam esse in eo, quod sit perfectibilis; formæ verò in eo quod sit perfectiua.

Sed contrà est, quia materiæ prout primum subiectum conuenit esse perfectibilem certo quodam, ac determinato modo, hoc est substantialiter, per formam, scilicet, substantialem, cum qua debeat vnum per se in genere substantiæ cōstituere: atque adeò in ea importat rationem sementis substantialis; Idemque dicendum est cum proportione de forma substātiali, quod nimirum, quatenus talis, respectu materiæ importet rationem perfectiui substantialiter, atque adeò quod sit semiens in genere substantiæ completiuū materiæ in ordine ad compositum substantiale constituendum; Nec diuerso modo discurrendum videtur circa naturam, & subsistentiam, se enim respiciunt tanquam perfectibile, & perfectiuum in genere substantiæ. Contrà verò ratio subiecti in ordine ad formas accidentales consistit in esse perfectibilis accidentaliter; & ratio formæ accidentalis in esse perfectiui accidentaliter; & sic neque illa importat necessariò in subiecto rationem sementis; neque hęc in forma, rationem actus substantialis, hoc est non supponentis subiectum in sua vltima specie constitutum; vnde fit vt ex omni subiecto possit abstrahi ratio perfectibilis, & ex omni forma ratio perfectiui, quæ rationes cum non habeant alias priores se, dicendū est quod sint constitutiuę subiecti, & formæ vt sic, præscindentis à substantiali, & accidentali.

50 Duo contrà hanc sententiam obstare videntur. vnum est, quia subiectum, & forma substantialis, cum ponantur in sua entitate esse sementia ordinata ad substantiale compositum constituendum, ambo inuicem perfici, atque compleri videntur; vnde debet adhuc assignari aliquid speciale, ratione cuius materia dicatur perfectibilis, & forma perfectiua. Alterum, quia plura subiecta, non solum non perficiuntur ab aliquibus formis, sed inficiuntur, ac deturpantur; ita vt imperfectiora sint cum illis, quam sine illis, sic intellectus defædatur errore, ignis frigore, animal dolore, & in vniuersum omnia subiecta contrarijs sibi formis inficiuntur. Propter hoc Oniedus à *nu.* 24. explicare volens, in quo ratio perfectibilis ex parte subiecti, & perfectiui ex parte formæ consistat, distinguit; & quidem si loquamur in substantialibus compositis illud se habere, dicit, vt perfectibile, ratione cuius habet compositum, & cum eo altera pars componens pauciora, & ignobiliora prædicata; Illud verò vt perfectiuum, ratione cuius habet compositum, & cum eo altera pars plura, & nobiliora prædicata, sic quia ratione corporis totus homo habet, quod sit materialis, atque corporeus; ratione verò animæ, quod sit viuens, sensibilis, intelligens, liber &c. & hæc quidem prædicata sunt plura, & nobiliora illis alijs; hinc concludit corpus in humano composito se habere vt perfectibile; animam verò vt perfectiuū. Porrò ex prædicatis vtrique parti communibus ut dependere à Deo, durare, esse in loco, &c. cum neutra ratio apparere possit, ex negligenda esse docet.

Iam verò quoniam hæc regula non habet locū 51
in compositis accidentalibus, in quibus subiectum, quando est substantia affert semper illis nobiliora, & perfectiora prædicata, quam forma, ideo dat pro eis hanc aliam explicationem; vt illud in his compositis se habeat ut perfectibile, quod ex natura sua non ordinatur ad alterius cōparis perfectionem; illud verò se habeat ut perfectiuum, quod ex se, & ex sua natura ordinatur ad perficiendam alteram partem, quam afficit, & est propter illam, ut expressè habet *controu. 3. punct 3. n. 5.*

Verum hanc totam explicationem impugnat 52
Giattinus *q. 3. Physic. art. 1. supra citato*, in ordine ad subiectum, & formam substantialem primò, quia non plus forma est causa prædicatorum nobiliorum, quam sit ipsa materia; nam in equo V. G. omnes operationes pendent à materia tāquam à vera causa materiali; quod autem etiam pendent ab illa tanquam à comparte totius suadetur; quia operationes equinas non producit ex se anima equi, sed ipsum totum quod est prima radix; vnde si esset alia materia diuersę speciei, essent omnino diuersa prædicata, & operationes, & proprietates; falsum igitur est subiectū ignobiliora, & pauciora prædicata afferre composito, quam formam.

Secundò quia; hoc ipso, quod de se materia dat aliquod prædicatum composito, habet rationem perfectiui, quia illud prædicatum est aliqua perfectio, sine qua compositum remaneret imò perfectum, ergo ratio subiecti falsum est quod in perfectibilitate consistat.

Tertiò denique quia ex hac explicatione sequitur, quod si forma equi vniretur materię nobiliori, quam esset ipsa forma; tunc forma in eo composito haberet rationem materię, quod, licet concedat Oniedus; absurdum esse Giattinus conuincit, tùm quia sic etiam accidens respectu subiecti haberet rationem materiæ, utpotè ignobilius illo: tùm etiam quia illa materia nobilior, quæ uniretur formæ equi, adhuc haberet prædicata materiæ, siquidem appeteret facere unum cum formis possibilibus, ergo iam haberet per quid essentialiter distinguaretur à forma; & sic respectu animæ equi non posset se habere, ut formam.

Sed nulla ex his tribus impugnationibus ha- 53
bet vim; nō primæ, falsum enim est quod assumit, videlicet, non plus formam esse causam prædicatorum nobiliorum compositi, quam sit ipsa materia, quia licet materia soluti passiuè dicat prædicata nobiliora causet composito, at forma velut actiuè eadem illi communicat: Ad probationem in contrarium dico, totum quidem equū producere tāquam principium, ut quod, suas operationes, at tanquam principium ut quo solam animam equi, non verò corpus eas producere; sicuti enim in sola anima est principium vt quo radicale vitę, ita ea sola est principium, vt quo operationum vitalium; Ad confirmationem in-

con-

Digitized by Google

contrarium aio; quod ſi forma equi diuerſam materiam informaret, licet prædicata prouenientia à toto, ut totum eſt, eſſent diuerſa; at non ea, quę prouenirent à forma, idemque dicendum de proprietatibus, quod nimirum materialitèr tantum differrent ab his, quę in equo noſtro cernũtur. Quod ſi quis uellet eas futuras, etiam formalitèr diuerſas, dicat: quod quemadmodum anima noſtra determinata per diuerſa phantaſmata diuerſas in ſe producit ſpecies intelligibiles; ita anima equi per hoc, quod ſit in materijs ſpecie diuerſis, obtinet poſſe in ſe diuerſas proprietates, & operationes producere; quemadmodum igitur in multorum ſententia phantaſmata non concurrunt efficienter ad productionem ſpecierũ intelligibilium, ita dicendum eſt in caſu noſtro, quod neque materia ſit principium operatiuum proprietatum, quæ ſunt propriè compoſitorum.

54 Secunda verò ratio Giattini, Ouiedi explicationi nullatenus obeſt; negatur enim antecedens, quod ſcilicet hoc ipſo, quod de ſe materia det aliquod prædicatum compoſito, habeat rationem perfectiui in ſenſu intento ab ipſo Ouiedo; & ad eius probationem diſtinguet antecedens: Illud prædicatum eſt aliqua perfectio compoſiti: ſi abſolutè conſideretur, tranſeat: ſin autem dictũ prædicatum accipiatur reſpectiuè ad alia prædicata prouenientia ex parte formę, negabit antecedens; ſic enim, vt ſupponimus, habet rationem prædicati imperfectioris, atque adeò rei perfectibilis propriam.

55 Ad tertiam denique rationem, rectè reſpondet primò Ouiedus: conſequens eſſe falſum, quia illa cõditio eſt impoſſibilis, eo quod forma equi tantum vniri poteſt materiæ, quæ de facto datur, & non alteri poſsibili ad compoſitum ſubſtantiale per ſe conſtituendum; at vera eſt ſequela, quia facta illa hypoteſi, verè ſequeretur formam

56 equi in eo compoſito habere rationem materię.

Iam verò admiſſo caſu tanquam poſsibili neganda eſt minor argumenti; quod ſcilicet eſſet abſurdum formam equi in eo caſu habituram rationem materiæ; & ad priorem rationem in contrarium dicendum eſt non ſequi in ſententia Ouiedi; quod accidens reſpectu ſubiecti ſui habeat rationem materię; quia ratio formæ accidẽtalis non conſiſtit per illum in eo, quod debeat perfectiora prædicata communicare compoſito, ſicuti conſiſtit ratio formæ ſubſtantialis; ſed in eo quod ex ſe, & ex natura ſua ad ſuum ſubiectum perficiendum ſit primò, & per ſe ordinata; Ad poſteriorem verò dicerem, in illo caſu formã equinam reſpectu illius alterius compartis perfectioris poſitæ, ut poſsibilis, non ſe habere ut formam, ſed ut ſubiectum; sicuti enim in hoc ordine rerum vnum accidens V. G. quantitas, reſpectu vnius nempè materiæ primæ ſe habet vt forma; reſpectu verò alterius, hoc eſt, primarum qualitatum, ſe habet ut materia: ita poſita poſsibilitate illius materiæ, anima equi reſpectu materiæ noſtratis ſe haberet ut forma: reſpectu uerò illius alterius partis, ut materia; quod ſi hęc altera pars appellatur materia, ideò eſt quia ponitur reſpicere alias compartes nobiliores ſe poſsibiles; cum quibus alia ſubſtantialia cõpoſita conſtituere ualeat; cum quo tamen ſtat, quod reſpectu formæ equi, & aliarum compartium ignobiliorum ſe habeat vt formam.

Ad illud verò quod dicitur de prædicatis materiæ dico quod admiſſa poſsibilitate illius alterius materię, non quælibet materia deberet definiri abſolutè, (primum ſubiectum) quod ſcilicet haberе nequiret aliud infra ſe; ſed ſecundum quid, in ordine uidelicet ad compoſitum, quod conſtituit; quare ſi anima equi ſe haberet, vt pars perfectibilis, & hęc poſſet eſſe materia alicuius alterius formæ perfectioris ſe, vtraque, ut quoduis tandem compoſitum conſtitueret, indigeret ſuſtentari à materia noſtrate; atque adeò neutra eſſet primum ſubiectum, vt ſic, abſolutè, ſed reſpectiuè ſolùm, uidelicet, in ordine ad compoſitum, quod conſtituit; ex quo ulterius ſit, quod prædicata quidditatiua materiæ non excluderent à ſe prędicata quidditatiua formæ ſubſtantialis; eadem ſiquidem entitas reſpectu diuerſorum poſſet habere rationem formæ, & rationem materiæ; quæ omnia, quamuis absolutè ſint abſurda: at non, facta ſuppoſitione, in qua loquitur argumentum Giattini. 57

His igitur impugnationibus poſthabitis, dupliciter Ouiedi explicatio de perfectili, & perfectiuo impugnanda uidetur. primò quia non reſpondet Titulo quęſtionis: nos enim cum Recentioribus quęrimus: in quo conſiſtat ratio ſubiecti, & formę in communi prout competit ſubiectis, & formis, tùm ſubſtantialibus, tùm accidẽtalibus, quæ cum ſit aliquo modo una, utique unica definitione circumſcriptiua explicabilis; ſed ſic non procedit explicatio Ouiedi dum alias definitiones aſsignat pro ſubiecto, & forma ſubſtantiali, & alias pro ſubiecto, & forma accidentali; ergo &c. 58

Impugnatur ſecundò, quia multi exiſtimant, ut docet Arriaga *in ſuo 2. curſu. diſp. 2. Phyſ. nu. 24.* neque plures, neque nobiliores denominationes formas aliquas ſubſtantiales, ut cineris, ſtercoris, & ſimilium tribuere ſuo compoſito, quam illi tribuat materia prima. ergo &c. 59

Impugnatur denique tertiò, quia neutra pars explicationis conſiſtit; & quidem non conſiſtit prior; quia, licet ſi loquamur de materia prima, & forma ſubſtantiali; res non ſit euidens, ſed probabilis, ſi quidem, ut habet Lynceus. *lib. 2. Phyſ. tract. 5. cap. 2. n. 14* probabile etiam eſt noſtratem materiam eſſe de facto magis perfectam pluribus formis ſubſtantialibus, ad quod dicit nonihil inclinare Suarez *diſp. 13. metaph ſect. 11.* nihilominus ſi ſermo ſit de natura ſubſtantiali, & ſua exiſtentia diſtincta, ſeu ſubſiſtentia non uidetur habere ullam probabilitatem; ſiquidem in compoſito ex illis conſtante natura ſubſtantialis ſe habet vt ſubiectum, exiſtentia verò, ſeu ſubſiſtentia, ut forma: tamen longè nobiliora eſſe prædicata, quę obueniunt compoſito ex natura, quam ex exiſtentia, ſeu ſubſiſtentia conſtat, quia Petrus V. G. ex ſua eſſentia habet, quod ſit viuens, ſenſibile, Homo, &c. at ex exiſtentia, & ſubſiſtentia non niſi quod ſit exiſtens, & ſubſiſtens; quæ ſunt prædicata ei cum viliſſimis ſubſtantijs communia; ergo falſum eſt quod in omni compoſito ſubſtantiali illa pars quæ perfectiora, & plura prædicata affert compoſito ſit forma:

illa

Digitized by Google

illa verò quæ pulchriora, & ignobiliora sit subiectum: Neque posterior pars, quæ in ordine ad composita accidentalia explicat rationem subiecti, & rationem formæ, maiorem habet probabilitatem, vt constat ex secunda impugnatione de perfectibili, & perfectiuo supra posita: si quidem multa subiecta ab aliquibus formis, accidentalibus non modo nõ perficiuntur, sed inficiuntur, ac deturpantur, vt intellectus ab actu erroris, voluntas ab actu rectæ rationi dissentaneo, aqua à forma caloris, &c. falsum igitur est quod in his compositis forma sit illa, quæ ex se, & ex sua natura ordinetur ad perficiendum subiectum, quod afficit, & ideircò respectu illius se habet vt perfectiuum.

60 Aliter ergo explicari debet ratio perfectibilis conueniens subiecto in communi, & ratio perfectiui, quæ tribuitur formæ vt sic, intrinsecis; Explicationem ex parte sumo ex Arriaga *loc.cit. nu.* 23. in hunc ferè modum: Quoties duo vniuntur in aliquo composito, vt subiectum, & forma, illa pars habet rationem subiecti, seu quod idem est perfectibilis, quæ se habet quasi antecedenter, & prouisè ad alteram compartem: illa verò rationem formæ, seu perfectiui, quæ se habet per modum aduenientis, & supponentis alteram; hinc est vt prior dicatur recipere, & perfici quia supponitur, posterior verò recipi, & complere, quia superuenit.

Hoc quod dicimus probatur; & quidem quod subiectum præsupponatur à forma videtur certũ inductione facta per omnia subiecta. In primis enim materia prima, quæ est subiectum omnium formarum physicarum, præcedit illas ad eum planè modum, quo fundamentum præcedere debet parietes, & tectum in constructione domus; sic etiam formæ præcedunt passiones suas, quas in se recipiunt, vt anima potentias vitales, & rursus potentiæ ipsæ ad suas vitales operationes præsupponuntur; Imo corpus licet non sustentet animã rationalem, præsupponitur tamen ab illa, ita vt Deus non, nisi ad exigentiam materiæ sufficienter in matris vtero organizatæ moueatur ad eam creandã: idem cum proportione in nutritione hominis contingit. quidquid in contrarium Lynceus machinetur *lib. 2. phys. tract. 2. cap. 5.* non igitur negari potest omne subiectum à sua forma præsupponi.

61 Iam quod ex hoc, subiectum habeat rationem perfectibilis, forma verò perfectiui, sic suadetur; quia natura in faciendis compositis, suum ordinẽ inuiolabiliter seruat; atqui ordo naturæ est, vt ab imperfectioribus ad perfectiora progressus fiat, vt patet ex productionibus rerum omnium, in quibus semper imperfectiores dispositiones præcedunt perfectiores, & hæ formam substantialem; rectè igitur subiectum quatenus præsupponitur ad formã dicitur respectu illius se habere, vt perfectibile; contrà verò forma, vt perfectiua.

62 Confirmatur, quia licet subiectum aliquando secundum entitatem suam absolutè consideratum sit nobilius, & perfectius forma; non potest tamẽ negari, quin hoc ipso, quod præsupponatur ad illam magis distet à composito, quod ex vtrisque resultat, quam forma ipsa. siquidem nequit transire ad compositum, nisi eam in se habeat; ergo non obstante maiori nobilitate entitatiua, quam habet supra formam, adhuc si comparetur ad illã in ordine ad constituendum compositum, rectè intelligitur se habere, vt perfectibile ad perfectiuum. ex quibus constat quod sententia Ouiedi quę ponit rationem subiecti, & formæ in perfectibili, & perfectiuo, & sententia Arriagæ, quæ vult consistere in præcedentia, & subsequentia, non solùm non pugnant inter se, imo etiam optimè associantur, & posterior, est prioris explicatio: non benè igitur facit Arriaga dum *nu.* 19. Ouiedi sententiam impugnat, neque benè se gerit Ouiedus dum *n.* 17. Arriagæ sententię aduersatur. Quod melius constare potest ex rationibus, quas sibi inuicem obijciunt; quam sint enim solutu faciles posita nostra sententia, & explicatione, examinando singulas apparebit.

SVBSECTIO TERTIA.

Difficultates solutæ.

PRima Arriagæ contra explicationem Ouiedi sic procedit: non potest assignari quid speciale sit in materia, ratione cuius perficiatur à forma; & non è contrà, siquidem ambæ inter se æqualiter vniuntur, & sunt ambę imperfectæ. 63

Respondeo: speciale hoc esse antecessionem, & præcedentiam, vt patet ex dictis; sic enim magis recedere à perfectione totius, atque compositi cõstitutione nemo non videt.

Secunda vero sic: multa subiecta non solum non perficiuntur, sed potius deturpantur à formis suis; ergo ratio subiecti, & formæ non consistit in perfectibili, & perfectiuo.

Respondeo: distinguendo antecedens; multa subiecta secundum se, & secundum entitatem suã considerata deturpantur à suis formis concedo; si considerentur in ordine ad constituendum naturale compositum, quod cum illis cõponunt, nego antecedens, & consequentiam; & dico quod licet intellectus V. G. secundum se consideratus à cognitione erronea, & falsa, non perficiatur, sed potius deturpetur; at si consideretur in ordine ad faciendum hoc compositum naturale, quod dicitur errans, seu falsum, constans ex ipso tanquam subiecto; & forma erroris, seu falsitatis, rectè intelligitur perfici, atque compleri: quia sicuti compositum physicè spectatum est in suo genere perfectum quid, & sibi bonum constans ex materia, forma, & vnione; ita intellectus in ordine ad ipsum constituendum se habet, vt quid perfectibile, & actus erroris, vt quid perfectiuum. 64

Tertia denique sic: in tantum materia perficitur per formam, in quantum per illam completur, sed etiam forma completur per materiam; ergo forma perficitur per materiam; atque adeò ratio subiecti nequit in perfectibilitate cõsistere. 65

Respondeo: distinguendo causalem: in tantum materia perficitur per formam, in quantum per illam completur quomodocunque, nego; in quantum completur speciali quodam modo, quatenus se habet antecedenter ad illam concedo; & sic distincta minore; nego consequentiam.

Nec maiori difficultate soluũtur rationes, quas 66

addu-

Digitized by Google

adducit Ouiedus *nu.*14 contrà sententiam Arriagæ, vt singulas expendendo constabit: Prima est hęc: sicuti materia est independens ab Anima rationali, ita & Anima rationalis à materia: ergo sine fundamento dicit Arriaga materiam præsupponi ad Animam rationalem.

Respondeo: dato antecedente, de quo paulò post; nego consequentiam; defacto enim initio mundi materia creata est nulla existente anima rationali, die enim sexto creatus est à Deo Adã, quando tota materia iam antea fuerat producta: Contrà verò anima rationalis non fuit creata nisi post quam fuit organizatum eius corpus, quod patet ex Geneſis primo vbi habetur, quod formauit Dominus Deus hominem de limo Terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem: per quod claret corporis formationem de limo Terræ præcessisse creationem, & infusionem animæ per vitæ spiraculum significatæ.

Hoc idem in cæterorum animorum Rationalium creatione infallibiliter ab auctore naturæ, procedente tempore obseruatum est; nunquam enim aliquem huiusmodi animum creauit Deus, nisi ad exigentiam materiæ organizatę, atque dispositę; Quod si ponamus Deum miraculosè creare hodie animam extra corpus, eras verò illi producere corpus; Hinc non sequitur animam etiam in hoc casu non se habere, vt formam, & corpus vt subiectum; quia ad huiusmodi rationes saluandas satis est, si anima quantum est de se fieri postulet superueniendo materiæ, & materia eam præcedendo, quidquid sit, si miraculosè postea opposito modo fiat; Ex quo deducitur implicare formam, quæ ex suis intrinseeis exigat antecedere subiectum suum; debet enim esse talis, vt quantum est de se semper intelligatur ei superuenire, illudque perficere in ordine ad cõpositum constituendum, quod constat inductione admixta ratione à priori: quod videlicet. non possit aliud assignari, in quo essentia subiecti, & formæ posita sit.

67 Secunda Ratio Ouiedi probat, falsum esse, quod addit Arriaga: materiam scilicet, præsupponi prioritate naturæ ad animam rationalem sic. Prioritas naturæ est prioritas causalitatis, & dependentiæ; sed anima rationalis non dependet à materia; ergo materia non est prior natura anima rationali.

Respondeo: distinguendo maiorem, prioritas naturę est prioritas causalitatis, & dependentię physicæ tantum nego; siuè physicę, siuè moralis, concedo; eodemque modo distincta minore, nego consequentiam; ac dico, quod licet anima rationalis quantum ad suum primum esse nõ dependeat physicè à materia, dependeet tamen moraliter; in quantum ad sui creationem connaturaliter exequendam debet præcedere materia rectè disposita, atque organizata, quæ suis veluti precibus à Deo illam obtineat; alioquin anima non creabitur; & hoc volui cum Arriaga notare quando dixi ad rationem subiecti sufficere, quod ita eum alia comparet vniatur, vt se habeat prouisè ad illam, hoc est præuideatur antecedenter; Contrà hoc frigida est instantia Quiros *disputat.* 39. *sui cursus sect.* 2. *n.*14. Quod nimirum, si in resurrectione sine vlla præuisione ad corpus dispositũ Deus animam vniret materiæ: tunc potius introductio erit ex præuisione, seu exigentia animæ, quam materię. Quasi verò in tali casu Deus se gereret, vt auctor naturę, & non potius, vt agens supernaturale, miracula contrà naturę leges multiplicando. Lex enim naturę est, vt anima quantumuis inclinet ad corpus, non tamen *in illud*, nisi dispositum introducatur.

Tertia denique ratio Ouiedi est huiusmodi: *in* 62
multorom sententia materia pender à posteriori à forma, quia non potest naturaliter sine aliqua forma conseruari, ergo materia sic pendet ab anima rationali saltem sub disiunctione, non igitur eam antecedit

Respondeo: negando vltimam consequentiam; quia rectè intelligitur aliquid antecedere aliud, & esse priùs natura illo, ita tamen ut pendeat ab eo à posteriori, sic viuens causat efficienter suas operationes vitales, & tamen, ut communis fere sententia, pendet à posteriori ab illis, itaut nequeat sine exercitio saltem alicuius vitalis operationis existere.

Tres verò alias sibi met obijcit Arriaga *n.*24, 63
quę maius negotium facessere uidentur; prima sumitur ex actione creatiua sic: actio creatiua informat terminum suum, & tamen non est posterior illo, sed potius prior; ergo ratio subiecti non consistit in precedentia ad formam; Ad eam respondet idem Auctor, & benè: rem creatam respectu creationis suę non esse subiectum receptionis, de quo procedit in præsentia quæstio, sed adhęsionis, quatenus illi adhęret. Porrò illud dicitur alteri adhærere, quod quantum ad motum, & quietem sequitur alterum; nec est ab illo etiã diuinitus separabile; quamuis hoc, cui adhęret sit separabile ab illo; ex quo sequitur neque creationem esse propriè formam rei creatæ, neq; hanc esse propriè subiectum illius.

Verum huiusmodi respõsionem Giattinus im- 70
pugnat dupliciter; primò quia nomine subiecti receptionis non uenit illud, quod sustentat formam, ut patet ex materia respectu animę rationalis, quam licet non sustentet, in se tamen recipit; ergo creatura est subiectum receptionis respectu creationis. Secundò quia moueri, & quiescere ad motum, & quietem subiecti, & non posse diuinitus existere sine illo competunt etiam modis, V. G. unioni, durationi, &c. qui sunt ueræ formę, & eorum subiecta, ueram, & rigorosã subiecti rationem habent: ergo per hęc tria non tollitur, quin creatura sit uerum subiectum suę creationis, quamuis illam non causet.

Sed neutra ex his impugnationibus habet uim 71
contrà Arriagam, nec etiã contrà nos; ad priorem enim concesso antecedente, nego consequentiã; & dico subiectum receptionis non importare de se causalitatem respectu alterius compartis, sed precedentiam, ita ut illud intelligatur antecedere, & hęc subsequi, quod cum non habeat creatura respectu suę creationis, hinc fit vt respectu illius non sit huiusmodi subiectum. Ad posteriorem verò distinguendum est antecedẽs: moueri, & quiescere ad motum, & quietem subiecti, neque posse diuinitus sine eo existere competit etiam modis informatiuis: ita ut presupponant sub-

Digitized by Google

subiecta sua, concedo; ita vt non præsupponant, nego antecedens, & cõsequentiam; Creatio enim ita habet illa tria, vt non præsupponat ante se Creaturam; vnde nihil mirum si non se habeat vt forma respectu Creaturę.

72 Secunda obiectio, quam sibi proponit Arriaga eruitur ex existentia distincta ab essentia sic: si existentia distingueretur ab essentia, esset prior illa, & tamen eam informaret, ergo ratio subiecti non consistit in antecedentia ad superuenientem formam.

Tertia denique desumitur ex dispositionibus sic: dispositiones præcedunt formam; sed in sententia docentium eas recipi in toto composito habent pro subiecto informationis ipsam formam; ergo non est de ratione subiecti præcedentia.

Ad vtramque respondet idem Arriaga: se neque admittere distinctionem inter existentiam, & essentiam, neque concedere dispositiones recipi in forma ad quam disponunt, atque adeò persistere notionem subiecti, & formæ; quam ipse tradidit.

73 Sed contrà est; quia quæstio, quam præ manibus habemus est vniuersalior, & certior, quam sint illæ de existentia, & dispositionibus; hæ siquidem supponunt dari subiectum, & formam in rerum natura. Quare horum definitiones, & explicationes debent talitèr assignari, vt etiam ab ijs, qui distingunt essentiam ab existentia, & dispositiones ponunt in toto recipi acceptari valeant; & in vniuersum ab omnibus, qui non negant dari subiectum, & formam.

74 Quare ad priorem de existentia respondeo ego: negando sequelam; falsum enim est quod si existentia distingueretur ab essentia, esset prior illa; & si quidem supponimus omnem existentiam creatam sustentari ab essentia, cuius est existentia, vt notauimus cum de existentia materiæ; res est euidens; quia causa est prior natura suo effectu; vnde essentia debet ipsam existentiam præcedere, per hoc, quod secundum sua prædicata quidditatiua intelligatur beneficio actionis productiuæ transire de statu possibilitatis, in quo erat sub negatione existentiæ, ad statum actualitatis, existentiam sustentando: sin autem velimus, saltem existentiam earum rerum, quæ per creationem fiunt ab illarum essentia minimè sustentari; quamuis non sit adeò euidens, quod essentia sit prior existentia: at non est minus certum; & in hunc fere modum suadetur; Hoc ipso quod essentia beneficio actionis creatiuę transire debet de statu possibilitatis, ad statum actualitatis, impossibile est quod non præsupponatur ad ipsam existentiam: eam enim in termino ad quem sui transitus habere debet, hoc est, postea quam à termino à quo eiusdem transitus discessisse, & sub ipso transitu fuisse intelligatur; ergo etiam si eam per creationem recipiat, debet necessariò præsupponi ad ipsam; quomodo autem hoc non possit dici de ipsa existentia, quod nimirum præsupponatur ad se ipsam positam à parte rei suo loco, Deo fauente, dicemus.

75 Ad posteriorem verò de dispositionibus aio: quod qui admittunt dispositiones in eodem instanti, quo producitur forma, præintelligi in materia illam disponendo, & nihilominus volunt eas recipi in posteriori in ipsa forma: vtique debent sustinere non esse absurdum, quod duo sibi sint inuicem causæ in eodem genere causæ; siquidem dicunt dispositiones in eodem genere causę materialis complendo materiam causare formam; & rursus in eodem genere causæ materialis postea causari ab ipsa forma. Iuxta horum autem sententiam dicendum est, quod dispositiones secundum eam rationem, secundum quam causant materialitèr formam complendo materiam, præcedunt ipsam formam, & forma eis superuenit: secundum verò illam aliam rationem secundum quam recipiuntur in forma, præceduntur ab ipsa, eique superueniunt; vnde concessa maiore, & minore argumenti in hac sententia, neganda est consequentia; videlicet non esse de ratione subiecti præcedentiam, nec formę, consequutionem; siquidem dispositiones quatenus materialitèr causant formã sunt priores illa: quatenus verò recipiuntur in ea, posteriores; etenim vt in eo signo intelligantur existere, debent præintelligi à forma dependere. quod si putatur absurdum, quod idem respectu eiusdem intelligatur prius, & posterius in eodem genere; hæc absurditas non sequitur ex nostra sententia, sed ex sententia admittente mutuam causalitatem in eodem genere. cæterum quid quid sit de hac sententia; certè in sententia eorum, qui sustinent dari resolutionem vsque ad materiam primam.

76 Responderi potest secundò ad argumentum; distinguendo maiorem, in qua assumitur, quod dispositiones præcedunt formam; & si quidem in eo sermo sit de dispositionibus, quę tempore præcedenti ad instans productionis formę causantur in subiecto ab agente naturali, concedenda est maior; sed neganda minor; quod, scilicet, hæ recipiantur in ipsa forma, ad quam disponunt, siquidem in hac sententia huiusmodi dispositiones ad aduentum dictæ formæ corrumpuntur; quamuis autem recipiantur in forma, quam in materia reperiunt, eamque supponant, non sunt tamen dispositiones respectu illius, vt de se patet; quare respectu dictæ formæ non habet vim argumentum; quod si maior loquatur de dispositionibus, quę de nouo ad corruptionem præcedentium cum ipsa forma producuntur, negari debet ab his, qui consequenter loqui volunt dicta maior, ac dici huiusmodi dispositiones non antecedere formam, neque præintelligi in materia, sed fluere ab ipsa forma iam producta, & in ipsa, ac in materia recipi. appellari autem dispositiones respectu dictæ formæ, non quia materiam ad eam recipiendam præparent, sed quatenus muniunt ipsam materiam, ne facilè contrariorum agentium impressiones recipiat in destructionem formę, cuius sunt proprietates, ac veluti pedisequę. Denique iuxta opinionem illorum, qui volunt: totum distingui à partibus collectiuè acceptis.

77 Responderi potest tertiò ad dictum argumentum: concedendo absolutè maiorem, quod, scilicet, dispositiones, vt formalitèr complentes, & de-

determinantes materiam ad formam, antecedant dictam formam; sed negando minorem, videlicet, facta suppositione, quod recipiantur in toto composito sequi necessariò eas habere pro subiecto informationis ipsam formam; totum enim, iam ponitur à partibus esse distinctum; quare sicuti multa ei realiter competunt, quę non competunt partibus; ita potest ei competere esse subiectum dispositionum, & non verò formæ. ex quibus omnibus constat nostram sententiam de essentia subiecti, & formæ optimè posse sustineri, non solum ab his, qui ponunt realem distinctionem inter essentiam, & existentiam, sed etiam ab illis, qui putant accidentia recipi in toto composito, quod erat probandum.

72 Objicies præterea quartò: si quis dicat rationem subiecti in mutabilitate consistere, rectè salvat rationem subiecti; ergo ita dicendum est.

Respondeo: me non negare rationem subiecti per mutabilitatem explicari posse; quia tamen existimo mutabilitatem esse quid posterius perfectibilitate: ideò hanc potius, quam illam adduxi. Quod autem sit quid posterius patet ex Deo, qui in tantum non est mutabilis, in quantum est actus purus omnem præhabens perfectionem, quam per quamcunque mutationem acquirere posset.


79 Objicies quintò, Deus in huiusmodi denominationibus cogniti, Amati &c. se habet vt subiectum; sed non se habet vt perfectibile, ergo ratio subiecti non consistit in perfectibilitate.

Respondeo: distinguendo maiorem, se habet vt subiectum informationis, nego; denominationis concedo; & sic concessa minore, distinguo consequens, Ratio subiecti denominationis non consistit in perfectibilitate, concedo; informationis, nego consequentiam. Quod si quæras in quo nam, igitur ratio subiecti denominationis posita sit?

Respondeo positam esse in denominari, quod cum reductiuè receptionem saltem extrinsecè alicuius perfectionis importet; sequitur quod etiam subiectum denominationis aliquâ ratione in perfectibilitate consistat.

Sed contrà instari potest pro Comprono: si hæc doctrina vera esset, sequeretur quod quando forma denominaretur à materia subiectata; seu materiata: materia dans ei denominationem haberet rationem formæ; & forma huiusmodi denominationem recipiens rationem materiæ; sed hoc est absurdum ergo &c. 80

Respondeo: distinguendo sequelam, materia haberet rationem formæ, & forma materiæ, quoad modum significandi, & concipiendi concedo; quo ad rem significatam, atque conceptam, nego sequelam; & sic distincta minore, nego consequentiam; dico enim quod in illis denominationibus quoad modum significandi, & concipiendi materia se haberet vt forma, & forma vt materia; qui modus ad Logicam potius considerationem pertinet, quam ad Physicam: logicus enim solum attendit ad modum, quo concipiuntur, & significantur obiecta, vnde non agnoscit formam aliam nisi illam, à qua concretum denominationem accipit; neque aliam materiam præter eam, quæ dictam recipit denominationem; contrà verò Philosophus relicto logicis modo imperfecto concipiendi, & significandi, vt pote qui à voluntate imponentis nomina pendet, rationem formę &, subiecti illis solis partibus alicuius totius concedit, quę differunt quidem inter se essentialiter, sed ita intrinsicè inuicem vniuntur, vt vna habeat rationem perfectibilis respectu alterius, altera verò perfectiui, modo explicato. & per hæc patet ad duas rationes dubitandi, quas contrà nostram explicationem in præcedenti subsectione adduxeramus.



DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINTA

DE POTENTIA MATERIAE PRIMAE.

IN hac disputatione subtilius essentiam materiæ physicæ inuestigamus; quæ, tota quanta est, videtur consistere in potentialitate, quam habet ad formas recipiendas.

SECTIO PRIMA.

Pro intelligentia quæstionis nonnulla præmittuntur.

1 VT planius disputatio hęc intelligatur sciendum est: ex eo, quod materia sit subiectum primum, in quod omnis forma substantialis, omnisque eius accidentalis dispositio vltimò recipitur, euidenter deduci eam respectu illarum, quãdam potentiãm habere; non quidem effectiuam; nam vt benè ait Aristoteles *primo de generatione tex.* 55. materia non est actiua; sed passiua, in quantum debet in se illas recipere: verum hęc ratio passiuę potentiæ potest in materia dupliciter intelligi. Primò impropriè, & negatiuè, quatenus significat in ea reperiri meram non repugnantiam ad formas recipiendas. Secundò propriè, physicè, & passiuè, quatenus denotat passiuam capacitatem, & aptitudinem ad illas; Hæc autem adhuc duplex esse potest in ordine ad formas substantiales: altera remota, & vniuersalis, quæ sit positiua quædam habilitas, per quam quascunque formas recipiendas indifferenter suscipiat; altera verò particularis, & proxima, quæ in recto quidem sit eadem, ac vniuersalis; connotet tamen præterea in obliquo dispositiones quasdam illam determinantes ad hanc potius formam substantialem, quam aliam recipiendam.

2 Constat autem primò huiusmodi potentiam passiuam, per quam materia recipit formas non esse solam nõ repugnantiã, sed positiuam per realem inclinationem ad illas: tum quia ex Aristotele hìc *tex.* 71. habemus materiam appetere, & desiderare formam, vt turpe pulchrum; appetitus autem, & desiderium non est mera non repugnantia in eo quod appetit, & desiderat; sed Physica quædam, & realis propensio; tum etiam quia omnia entia respiciunt bonum sibi à natura præfixum per positiuã, ac realem inclinationem. bonum autem materiæ, est forma, cuius beneficio decoratur, atque completur.

3 Constat secundò potentiam proximam adæquatè sumptam in ordine ad formas substantiales non ingredi essentiam materiæ ad præsentiam enim, & absentiam diuersarum dispositionum huiusmodi potentia adest, & abest ab illa, absque essentiæ eius corruptione; ex quo manifestè deducitur, quod dicta potentia quatenus talis est, sit accidens illius. quare solum restat dubium de potentia remota, & vniuersali, num videlicet sit de eius essentia?

4 Quoniam verò essentia alicuius rei potest sumi dupliciter; physicè, & metaphysicè: & physicè quidem accepta, totam rei entitatem importat, per quam ab omni alia re, nemine cogitante, distinguitur: metaphysicè verò dicit conceptum formalem, & essentialem eiusdem; per quem primò constituitur, ac ab omni alio formaliter distinguitur.

Idcircò constat tertiò potentiam vniuersalem 5
materiæ esse de eius essentia physica; quod ex eò fundetur, quia alioquin nemine cogitante, & ex natura rei distingueretur ab illa; quod est impossibile: quia sic dicta potentia in eius entitate tanquam in subiecto reciperetur, atque adeò posset tia ad illam recipiendam iam esset de essentia physica ipsius materiæ: cur non igitur dicemus non dari hanc potentiam realiter distinctam, sed materiam per se ipsam omnes formas posse recipere, quemadmodum hanc suam potentiam in aduersariorum sententia potest? Confirmatur: quia, vel hæc potentia superaddita esset substantialis, vel accidentalis: non primum, quia implicat quod forma substantialis sit de genere potentiæ: est enim essentialiter actus; Quod si dicas esse de genere potentiæ respectu formarum aduenientium, de genere verò actus respectu materiæ, 8
atque adeò respectu diuersorum.

Contrà est quia sic ex vna parte deberet 6
actus cum materia facere vnum per se in genere substantiæ completæ, atque adeò materia potens recipere formas nõ esset ens incompletum, quod supra impugnauimus. ex alia verò parte tanquã potentia deberet facere vnum per se cum aliis formis substantialibus consequentibus; & sic materia non esset pars intrinseca compositi substantialis, quia hoc adæquatissimè constare intelligitur ex actu solùm, & potentia: neque potest dici secundùm: quod, scilicet, hæc potentia esset de genere accidentis, quia cum potentia ingrediatur in constitutionem compositi substantialis tanquam pars, sequeretur quod substantia ex accidente constaret, quod non est dicendum. suppono igitur quod potentia hæc vniuersalis sit de essentia physica materiæ: dubium est inter Recentiores, vtrum sit de essentia metaphysica hoc est de primo illius conceptu, an verò se habeat, vt proprietatem, & sit de conceptu eius secundario, sicuti est V.G. risibilitas respectu hominis, ex suppositione, quod identificatur cum illo? 9

Ad quam controuersiam melius intelligendam, 7
suppono duplex dari genus formarum physicarũ; quædam enim ita informant materiam, vt non sustententur in genere causæ materialis ab illa; cuiusmodi sunt omnes animę rationales, quæ, cum

ſpirituales ſint, neque materi. neque in facto eſſe pendent à materia: quidam verò ſtant illam informant, vt ab ea nihilominus ſuſtententur, cuiuſmodi ſunt reliquæ formæ materiales; vndè fit vt duplex potentia in entitate materiæ diſtingui poſſit; vna cuius beneficio informatur, & actuatur ab omnibus formis ſubſtantialibus, ſiuè ſpirituales ſint, ſiuè materiales; altera cuius beneficio ſolas materiales ſuſtentat; Priorem nos appellabimus potentiã receptiuã, poſteriorẽ verò ſuſtentatiuã. Quibus enim formæ materiales ſuſtẽtantur à materia, nihilominus tamen quatenus per potentiam receptiuam, vt ſic reſpiciuntur, præſcindunt ab eo quod vel indigeant, vel nõ indigeant ſuſtentatione: vnde ſi conſiderentur quatenus materiam informant, vt ſic, per eandem potentiam formaliter reſpiciuntur à materia, per quam anima rationalis ab illa reſpicitur. Et ſi nonnullos potentiam quam nos appellamus receptiuam nominare informatiuam, ſeu vnitiuam, eam verò, quam nos nominamus ſuſtentatiuam vocare receptiuam. Verùm ego priorem horum denominationem libenter admitto, poſteriorem verò non probo: communiter enim dicimus animam rationalem recipi in corpore quamuis ſciamus ab ea minimè ſuſtentari; ſed quidquid ſit de vocabulo, veniamus ad quæſtionem de re, & ſingillatim de vtraque potentia in ordine ad formas ſubſtantiales noſtris nominibus inquiramus: tum demum de potentia in ordine ad accidentales.

SECTIO SECVNDA.

An potentia receptiua formarum ſubſtantialium ſit de eſſentia materiæ phyſicæ.

8 Concluſio eſt affirmatiua, & communis contrà Arriagam *diſput. 2. Phyſic. ſect. 3. ſubſect. 4.* exiſtimantem poſſe diſtingui in materia duplicẽ potentiam: vnam mediatam, & radicalem, in qua conſiſtat eſſentia materiæ: alteram verò immediatam, & formalem, quæ ſit accidens metaphyſicum, & proprietas illius; eſt etiam contrà Albertum, Iamdudum, Venetum, Ægidium, Pariſienſes, Zimaram, Toletum, Pererium, Zabarellã, & paucos alios obſcurè exiſtimantes materiæ potentiam non eſſe de eius eſſentia.

Quidam probant noſtram concluſionem ex eo quia Ariſtoteles 2. *de anima text. 2. & alibi*, materiam appellat potentiam in recto; ſed ex hoc ſolum colligi poteſt identitas realis inter materiã & eius potentiam, non autem eſſentialis connexio, & pertinentia, vt de ſe patet. melius igitur

9 Probatur primò, ex eodem Philoſopho hic *text. 18.* vbi dicitur materia ſecundum ſuã ipſius naturam appetere formam: cum *text. 55.* vbi aſſerit quod materia ſecundum quod materia eſt poſſua ſit: ſed quatenus appetit formam, & paſſiua eſt, formaliter eſt potentia: ergo per Ariſtotelem materia ſecundum ſuam ipſius naturam, & ſecundum quod materia eſt, habet quod ſit potẽtia; & conſequenter ratio potentiæ illi eſſentialiter competit.

Probatur ſecundò, quia *ſecundò de Anima text. 2. & 8. metaph. text. 3.* habemus quod ſubſtantia adæquatè diuidatur in actum, potentiam, & compoſitum ex vtriſque, ſed materia eſt ſubſtantia, & eſſentialiter neque actus eſt, neque compoſitum: ergo eſt eſſentialiter potentia. neque dicas illam eſſe potentiam receptiuam exigitiuè tantùm, & non formaliter: ne id dicas, inquã, tum quia forma non eſt eſſentialiter actus exigitiuè, & radicaliter, ſed formaliter; ergo à pari materia erit formaliter potentia, & non radicaliter, & exigitiuè; tum etiam quia nulla eſt neceſſitas multiplicandi hanc radicalem potentiam, vt ex argumentorum ſolutione patebit; ergo &c.

Probatur tertiò; potentia hæc receptiua eſt ratio formalis materiæ, ob quam ipſa vnum per ſe cum forma ſubſtantiali conſtituat; ergo eſt de eius eſſentia; Antecedens patet; quia non aliam ob cauſam materia & forma faciunt vnum per ſe, nisi quia altera ſe habet vt actus, & altera vt potentia; Conſequentia verò probatur, quia nisi ratio potentiæ receptiuæ eſſet de eſſentia materiæ, ratio formalis, quare ipſa vnum per ſe cum forma conſtitueret, eſſet accidens illius; & ſic cõſtitueret vnum per accidens, quod manifeſtum inuoluit repugnantiam.

Totum hoc rectè ſignificauit D. Thom. 1. parte *qu. 115. art. 1. ad ſecundum*, paucis ſimis illis verbis: actus ad quem eſt in potentia materia prima eſt ſubſtantialis forma, & ideò potentia materiæ non eſt aliud, quam eius eſſentia; quæ ratio non rectè explicatur à Rubio *lib. 1. Phyſic. tract. 1. quæſt. 6.* hoc argumento: potentia ſumit ſpeciem ab actu, ad quem per ſe ordinatur, ergo talis eſt potentia, qualis eſt eius actus; ſed actus ad quem per ſe ordinatur eſt ſubſtantialis, ergo & potentia; falſa enim eſt vniuerſalitèr maior in ſenſu intento; ſi quidem ſpecificatio non debet in rem ſpecificatam trãsfundere eſſentiam, & naturam termini, à quo ſpecificatur; alioquin ipſa potentia materiæ deberet eſſe actus, & forma; quia ſpecificatur à forma; verus igitur ſenſus illius maioris, quę ſumitur ex *lib. 2. de Anima cap. 4.* & communiter à Philoſophis vſurpatur, eſt, quod potentia ſumit ſuam eſſentiam, & diſtinctionem per ordinem ad actum, à quo ſpecificatur, ita vt non poſſit eſſe, neque intelligi ſine ordine ad illum, quod rectè ſaluatur etiam ſi potẽtia ſit accidens, actus verò ſubſtantia, vt patet ex potentijs, & actibus quibuſdam vitalibus, quæ ſpecificantur à ſuis obiectis. Ratio igitur D. Thom. vt ſit efficax, debet ſumi in ſubiecta materia, ita vt loquatur de potentia ipſa receptiua materiæ formaliter conſiderata; quæ ſic dilucidari poteſt: Certum eſt, quod ex materia prima ſumpta in ratione potentiæ, & ex forma ſubſtantiali ſumpta in ratione actus, reſultet vnum per ſe in genere ſubſtantiæ, vt patet ex Ariſtotele 8. *metaph.* vbi cum quæreret: cur homo eſt vnum per ſe in genere ſubſtantiæ? ſic reſpondet: quod ſi quemadmodum dicimus, hoc quidem materia, hoc verò forma eſt; & hoc quidem potentia, hoc verò actu, profectò non videtur amplius dubitatio eſſe quod quæritur. Hoc igitur ſuppoſito ſic argumentor, vel igitur vtraque ratio eſt eſſentialis vtriſque, vel vtraque eſt proprietas, vel denique

vna

ria est essentialis vni V. G. formæ substantiali recipiendæ, & altera proprietas alteri, V. G. materiæ primæ ratio potentiæ; si primum habemus intentum, quod scilicet potentia materiæ formaliter sumpta sit de eius essentia, & non passio, ac proprietas; si autem dicitur secundum, vel tertium sequitur, quod ens per se in genere substantiæ formaliter sumptum componatur, vel ex duplici, vel saltem ex vna relatione accidentali, quod est impossibile; quia substantia non constat nisi ex substantijs; & compositum accidentale non differt à substantiali nisi per hoc quod includat aliquid accidentale. Consequentia vero substantia & ratio eo quidem, quia substantia completa sumpta formaliter secundum suam essentiam, debet esse prima radix omnium accidentium; quæ sane in composito non esset, nisi prima radix constitueret aliquo accidente, quod ab essentia materiæ, vel formæ intelligeretur virtualiter emanare; ergo &c.

11 Obijcies primò: Aristoteles *cap. de quali* inter species qualitatis potentiam passiuam enumerat; sed potentia materiæ, vt diximus, est passiua, ergo non est de eius essentia substantia enim non constat essentialiter ex accidente. Respondeo Aristotelem loqui, vel de illa potentia passiua, quæ intelligitur aduenire emi jam in suo esse constituto, & non de illa, quæ in tali esse illud constituit, sicuti est potentia materiæ; vel de ea, quæ profluit tanquam proprietas à substantia completa; nostra autem est potentia, de qua agimus; quare distincta minore, nego consequentiam.

12 Obijcies 2. idem Philosophus *lib. de sensu, & sensibili* docet substantiam, vt substantia est, non esse aptam per se agere, & pati: ergo potentia passiua nō competit materiæ in primo modo dicendi per se, hoc est essentialiter. Respondeo duplicem dari potentiam, siue actiuam, siue passiuam; remotam alteram; alteram verò proximam. hanc secundam negat Aristoteles posse adæquatè competere substantiæ per se, non autem primam, de qua nos in conclusione loquuti sumus; nego igitur consequentiam.

Instabis Potētia actiua remota falsum est quod possit competere essentialiter substantia; ergo nulla est Aristotelis interpretatio. Respondeo negando antecedens vniuersaliter loquendo, vt patet in Deo, qui est essentialiter omnipotens, saltem in sententia aliquorum, licet fiat proximè potens producere creaturas ad extra per Decretum liberum de illis producendis; in creaturis autem ideò potentia actiua formaliter sumpta non reperitur essentialiter, quia non ordinatur ad perfectionem intrinsecam ipsis communicandam, sed alijs à se distinctis; at materia per potentiam hanc passiuam ad suam intrinsecam perfectionem, & ad constituendum intrinsecè vnum per se cum forma ordinatur.

13 Obijcies tertiò: Potentia materiæ est multiplex pro multiplicitate formarum, quas in se recipere potest; omnis enim potentia specificatur ab actu; ergo non poterit esse de eius essentia: sequeretur enim quod vna essentia esset multiplex, & haberet predicata ferè infinita.

Respondeo: distinguendo antecedens, potentia materiæ est multiplex pro formarum multiplicitate secundum id quod formaliter, & intrinsecè dicit, nego; terminatiuè, & extrinsecè, concedo antecedens, & nego consequentiam; licet enim materiæ potentia plura recipiat in se tamen est vna, quia plura hæc sub vnica formali ratione sub qua, respiciuntur ab illa; quod sufficit ad verificandum, quod potentiæ specificentur ab actibus, vt ex multitudine potentia constat, quæ cum formaliter, & intrinsecè vna sit, omnia tamen enim genera tanquam obiecta sibi vendicat.

Obijcies quarto: materia accidentaliter competit esse magis, vel minus potentem recipere aliquam formam; ergo esse simpliciter potentem etiam accidentaliter illi competit; consequentia patet, quia ad idem genus pertinet esse simpliciter tale, ac esse magis, vel minus tale; quemadmodum enim esse magis, vel minus album accidit homini, ita etiam accidit eidem esse simpliciter album. 14

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam ad cuius probationem distinguo assumptum; ad idem genus pertinet esse simpliciter tale, ac esse magis, vel minus tale. si esse magis, vel minus tale eandem participat essentiam cum esse tale simpliciter, vt accidit in magis, vel minus albo comparato cum albo simpliciter, concedo; si participat diuersam essentiam ab essentia illius, quod est esse simpliciter, vt accidit in casu nostro, nego assumptū; & dico, quod materia constituitur simpliciter potēs per se ipsā, atque adeò essentialiter, magis autem, vel minus potens sit in ordine ad particulares formas per accidentales dispositiones, quę diuersam essentiam ab illa participant. 15

Obijcies quinto: materia non dicit amplius naturalem potentiam ad formas corruptas, vt habet Arriaga *disput. 2. Physic. sect. 4. n. 44* ergo potentia, per quam illas recipiebat, non erat de eius essentia: adest enim, & abest sine illius corruptione; antecedens probatur sic: potentiæ passiuæ naturali correspondere debet potentia actiua naturalis; sed nulla potentia naturalis actiua datur ad producendam de nouo formam corruptam, si quidem idem numero effectus naturaliter reproduci non potest; ergo neque in materia dabitur potentia passiua naturalis ad illam. verùm ex hoc argumento deducitur huiusmodi potentium, nequo physicè esse de essentia materiæ, quia non identificaretur cum illa. sed quid quid sit de hoc.

Directè respōdeo, negādo antecedēs cū Hurtado *disp. 2. Physic. sect. 3.* & Oniedo *cont. 2. punct. 4.* Comptono *disput. 8. sect. 2.* & alijs. potentia enim materiæ, vt diximus, aliud nihil est quam capacitas, & inclinatio quædam positiua, quam habet ad formas, porrò materia capax est formarum corruptarum, & ad illas inclinat positiuè, quia essentialiter sunt eius actus, & idoneæ ad illam perficiendam; vt patet ex eo, quia si à Deo reproducerentur vnum per se cum illa constituerent, non minus, quam constituebant quando primo fuere productæ. Ad probationē antecedentis concedo maiorē, & distinguo minorē; nulla potētia actiua naturalis formaliter, & quoad intrinseca datur ad producendam de nouo formam corruptam; nego minorem; nulla potentia actiua naturalis

ralis detur terminatiuè, & extrinsecè concedo, & distinguo eodem modo consequens. Pro eius rei explicatione dico: quod postquam effectus aliquis naturalis productus, vel corruptus est in suis causis naturalibus perseuerat eadem vis, quæ erat in illis priusquam productus fuisset. Eadem, inquam, vis quoad intrinseca, quia eandem prorsus entitatem, & perfectionem retinent, quam prius habebant. Potit tamen huiusmodi vis quoad extrinseca, quia effectus ille, cũ sit quoad omnia limitatus, postquam semel habuit esse, non requirit illud iterum per reproductionem habere. Quidam hoc refundunt in secunditatem causarum, quæ semper exigat nouos effectus producere, vt suum actum secundum omni meliori modo, quo potest, obtineant; & secundum hanc sententiam etiam ab intrinseco habent aliquo modo causæ, vt effectus corruptos minimè reproducere possint, non ex diminutione, sed potius ex abundantia, & exuberantia potentiæ, quam habent. Neque dicas ex hac sequi frustratoriam potentiam ad effectum corruptum in causis postea esse; cum frustra sit illa potentia, quæ non possit reduci ad actum; ne id dicas, inquam: adhoc enim vt aliqua potentia non sit frustra, satis est si ponere aliquando ad illum actum, vel ad similem reduci, vt constat ex potentia auditiua, quam ille homo qui hodie est Panormi habet percipiendi voces, quę nunc edyntur Romæ, quam nemo dicet esse frustra, etiam si voces illas naturaliter pro hoc tempore audire non possit; satis enim illi est si similes illis possit de facto hic percipere.

16 Eamdem fere responsionem adhibent ad hoc argumentum, qui dicunt materiam habere potentiam naturalem ad formas corruptas: Potentiam, inquam, naturalem secundum substantiam, supernaturalem autem secundum modum; quia licet quoad intrinseca illas recipere possit, tamen illæ, absolute loquendo, non sunt naturaliter reproducibiles, & per consequens, neque receptibiles in illa.

Enim verò non ignoro hoc à quibusdam negari, existimantibus effectus destructos posse naturaliter reproduci, inter quos est Hurtadus *disp. 2. Physic. sect. 3.* Oniedus *controu. 12. punct. 5.* & alij sequuti ex parte Scotum *in 4. distinct. 43. q. 1.* existimantem id semper de facto contingere quoties idem numero Agẽs eidem passo applicatur, sed in contrarium communis existimatio, & consensus reclamat, Teste Suarez *disput. 5. metaph. sect. 5.* quem sequitur Arriaga *disput. 2. Phys. sect. 4.* Compronus *disput. 8 sect. 3.* & alij communiter, & rectè, cum enim experientia constet nunquam eumdem numero effectum semel corruptum iterum redijsse, & posimus hoc refundere in rerum corruptibilium conditionem; non debemus recurrere ad machinam dicendo hoc ex mero Dei decreto prouenire, nobis suam magnificentiam volentis ostendere.

17 Neque dicas: eumdem omnino esse effectum ante, & post quam sit corruptus, & easdem esse causas; ergo sicuti potuit antea generari ita postea. Nego enim consequentiam, quia in tantum potuit antea, quia tunc non habuit ante se aliquod aliud individuum, quod potiori iure sibi vendicaret existentiam, at postea quia corruptus est habet ante se omnia illa individua, quæ nunquam extiterunt; his enim, cæteris paribus, debemus potius existentia, non verò ei, qui semel extitit atque adeò illa melioris cõditionis esse in ordine naturæ, quantum ad existendum censenda sunt; quoniam verò auctor naturæ singularum rerum exigentię, atque conditioni se adamussim accõmodat, hinc fit, vt numquam secundum curriculum naturalem præferat in existendo rem semel corruptam rei quę numquam habuit existentiam. 18

Obijcies sextò: Potentiam quam materia dicit ad formas inuoluit (saltem) in obliquo priuationes talium formarum; sed, vt sic non potest esse de essentia materiæ, nam huiusmodi priuationes possunt adesse, & abesse ab ea absque eo, quod mutetur essentialiter, ergo &c.

Respondeo: quod quoties nomen potentiæ usurpatur aduersarij prout huiusmodi priuationes inuoluit, concedendum illis est saltem secundum id quod dicit in obliquo non conuenire materię 11 essentialiter; quod accidit quando potentia non prædicatur de materia in recto, sed in obliquo, vt cum dicitur materia est in potentia ad formas, cæterum rationem potentiæ optimè seruat cũ actu suo, neque in suo concepta essentiali priuationem illius importare patet, cum ex Aristotele, qui sæpe docet ex potentia, & actu fieri vnum per se, tum etiam quia alioquin quando haberemus V. G. actum currendi; potentiam ad illum non haberemus, & consequenter non possemus currere, atque adeò minimè curreremus, quod si Aristoteles 7. *Physic. tex. 23.* dixit in æternis idem 11 esse posse, & esse: ideò id dixit, quia putauit æterna necessariò esse, atque adeò non habere potentiam ad essendum, & non essendum.

SECTIO TERTIA.

Expenditur Paritas inter potentiam receptiuam materiæ, & intellectiuam animæ rationalis contra Giattinum, & Arriagam.

OBijcies septimò: essentia materiæ potest optimè concipi quatenus est principium radicale potentiæ formalis receptiuæ, ergo hæc potentia non est de eius essentia. Consequentia patet; antecedens probatur, quia essentia animæ rationalis recte concipitur consistere in eo quod sit principium exigitiuum potentiæ intellectiuę, quæ se habeat vt passio illius, ergo à pari. 19

Respondeo: negando antecedens propter rationem dictam, quia scilicet non posset facere vnum per se in genere substãtię cum forma substantiali: Ad paritatem ex potentia intellectiua desumptam facile se expediunt, qui tenent cum Thomistis eam realiter ab anima distingui; Hoc ipsum pro disparitate assignando; qui autem sustinent eam realiter cum anima identificari valde laborant in assignando disparitatem. vnde Arriaga, & Giattinus in cõtrarias abiere sententias. siquidem Arriaga loco citato difficultate præsus concessit, quod quemadmodum detur in anima rationali duplex potentia intellectiua, vna radicalis, quæ est essentia ipsius animæ, altera for-

Digitized by Google

formalis: quæ est ipse intellectus, qui est accidens metaphysicum illius: & ita in materia duplex etiam potentia receptiua formarum admitti debeat; quarum altera sit de eius essentia, vt potè radicalis; altera extra essentiam, quæ sit formalis.

20 Verum contrà hanc responsionem militant argumenta quibus conclusionem nostram supra probauimus. At verò Giattinus *in Physica q. 2. art. 4.* voluit: quod sicuti potentia receptiua formaliter sumpta est de essentia materiæ, absque eo quod antecedenter alia potentia radicalis in ea concipibilis sit: ita etiam quod potentia intellectiua formalis sit de primo conceptu essentiali animæ rationalis; atque adeò negat intellectum esse accidens proprium illius.

Contrà hanc responsionem multa obstare possunt; sed vnum hoc præcipuè mihi negotium facessit; quia non est recedendum à communi sententia sine vrgenti necessitate; atqui omnes scholæ conueniunt in eo, quod potentia intellectiua sit respectu hominis de genere accidentis siue Physici, siue Metaphysici, & nulla est necessitas ab hac sententia recedendi, ergo &c.

21 Argumentum, quo hic auctor necessitatè astruit sic procedit: quoties aliquid concipimus in ordine ad obliqua, & est conceptus potentiæ; si non habemus aliqua diuersa realiter, non possumus diuersos conceptus potentiæ distinguere, vnum potentiæ mediatę, alterum immediatæ; sed hic vnũ tantum habemus obliquum, nimirum intellectionem; ergo non possumus distinguere in anima rationali potentiam intellectiuam, vnam radicalem, & remotam; alteram formalem, & proximam; minor, & consequentia patent: maior probatur ab eo dupliciter; primò à posteriori, quia alioquin posemus in infinitum huiusmodi potentias ratione distinctas multiplicare; nam sicuti concipimus potentiam formalem à radicali procedere, ita posemus hanc radicalem concipere procedentem ab alia priore, quæ se haberet vt radix illius; & hanc secundam, à tertia vltetiore; & tertiam, à quarta, in infinitum; quod est absurdum.

Secundò, quia quando tu concipis eamdem animam tendere immediatè, & mediatè in intellectionem, debes habere conceptus diuersos, vnius mediatè, & alterius immediatè tendentis; sed nisi habeas ex parte obliqui diuersitatem, nõ potes habere dictos conceptus diuersos; ergo &c.

Hęc est summa rationis, qua Giattinus vtitur
22 ad probandum intellectum esse de essentia metaphysica animæ rationalis; sed eam non tanti facio vt à communi sententia discedam; quare nego paritatem, in principali obiectione adductam. Disparitas potest esse duplex, vna quia id, per quod materia prima redditur fotmaliter apta cõstituere vnum per se cum forma substantiali, debet esse de primario conceptu illius; alioquin, non vt materia prima est faceret vnum per se in genere substantiæ, sed quatenus esset accidens quoddam metaphysicum, quod repugnat. At verò in anima rationali, ex vna parte non habetur hæc necessitas asserendi, quod id, per quod redditur formaliter potens intelligere sit de primario eius conceptu; ex alia verò possumus de ea habere priorem quamdam rationem, per quam primo constituatur, & distinguatur ab omni alio, quod non est ipsa, cuiusmodi est ratio formæ substantialis spiritualis; ex qua intelligatur potentia intellectiua tanquam proprietas emanare: nil mirum igitur si potentia receptiua sit de essẽtia materiæ, non verò intellectiua de essentia animæ rationalis:

Altera disparitas esse potest, quia materia prima est in se essentialiter incompleta per modum perfectibilis; & per potentiam receptiuam ordinatur ad habendam formam, quæ est complementum essentiale, & essentialis eius perfectio. Quare quamuis forma non sit illi essentialis, erit tamen essentialis potentia, per quam eam recipit, & ad eam ordinatur. At anima rationalis nõ comparatur ad suas intellectiones tãquam quid essentialiter incompletum, à quibus compleri essentialiter expectet, sed potius cum se habeat, vt causa efficiens illarum, illas respicit, vt quid iam essentialiter completum; vnde non est cur potentia intellectiua formaliter accepta debeat illi essentialiter competere. quodlibet enim, prius debet intelligi in se completum, quam in ordine ad aliud, quoties hoc aliud non est essentiale complementum illius. Atq; hæc potest esse optima regula diguoscẽdi nũ potentia aliqua sit de conceptu essẽtiali alicuius: si nimirum actus ab huiusmodi potentia respectus sit essentiale complementum illius. Ad quam regulam respicientes Philosophi omnes potentias operatiuas siue ad extra, siue ad intra semper vt proprietates ijs, quibus conueniunt attribuerunt, illo principio coacti: quod res prius est in ordine ad se, quam in ordine ad aliud. 23

Ad rationem autem Giattini Respondeo primo breuiter secundum sua principia, quæ posuit *in Logic. qu. 3. art. 6.* vbi docet non semper in præcisione esse necessaria obliqua ex parte obiecti, quod pluribus probat argumentis, quorum vnum; quod eius mentem ante nostros oculos clarè proponit est huiusmodi: multa sunt, in quibus nullum reperimus obliquum, V. G. visio suos habet metaphysicos gradus, est enim actus vitalis versans circa tale obiectum, & tamen non habet varias proprietates, & effectus, ita ut in ordine ad vnum sit actus vitalis, in ordine ad aliud sit talis actus in particulari: rursus albedo est accidens, qualitas, color &c. & tamen non habet tot varias proprietates, vt in ordine ad singulas singuli gradus cognoscantur; ex quibus colligit sufficere ad præcisiones plurium rationum in eadem entitate faciendas diuersitatem cognitionum clarius, vel obscurius eandem rem cognoscentium; ne igitur doctus Pater hic in Physicis videatur sibi contrarius, dum requirit in distinctione essentiæ animę ab eius potentia intellectiua ex parte obiecti obliqua diuersa, quæ, cum non possint assignari à nobis, concludit potentiam intellectiuam esse de essentia, & non proprietatem animæ; semper facit vim eo quod loquatur de distinctione potentiarum; vnde cum certum sit potentias diuersas in ordine ad diuersa obliqua ex parte obiecti debere distingui: infert in ordine ad easdem intellectiones non posse distingui in anima rationali duplicem potentiam:

Digitized by Google

tiam; vnam radicalem, quæ ſit eius eſſentia; alteram formalem, quæ ſit proprietas; ſed ſolum formalem, quæ ſit illi eſſentialis, haberi.

Sed contrà hunc diſcurſum ſic vrgeo; licet verum ſit, quod in ordine ad obliqua eadem realitèr non poſſimus formare conceptus diuerſarum potentiarum formalium, falſum tamen eſt, quod non poſſimus formare conceptus diuerſarum potentiarum; quarum vna ſit radicalis, altera formalis.

Quod ſic euinco: quando aliqua connotata inducunt nos in cognitionem alicuius potentiæ formalis, ſi aliunde habemus huiuſmodi potentiã non poſſe eſſe de eſſentia rei, in qua reperiuntur, quantumuis ea connotata ſint eadem realitèr, eiuſdemque rationis, poſſumus tamen cum fundamento in re concipere in eadem re aliquã potentiam radicalem, & remotam, quæ ſit de eſſentia illius rei; ergo ad conceptus huius duplicis potentiæ ſtatuendos non requiruntur obliqua diuerſa. Conſequentia patet; & antecedens ſuadetur, quia ſufficientiſſimum fundamentum huiuſmodi potentias in ea re diſtinguendi debet eſſe notitia, quod formalis potentia non poſſit eſſe de eius eſſentia, atque adeò dari debeat aliquis alius conceptus, ea prior, qui ſit illi eſſentialis. Neque id, in quo Auctoris diſcurſus nititur habet vim; ſiquidem potentia radicalis non eſt abſolutè potentia, ſed cum addito, in quantum eſt radix potentiæ formalis, quæ eſt ſimpliciter loquendo potentia; vnde licèt diuerſitas potentiarum formaliter talium per ordinem ad diuerſa connotata, quæ ſe habeant vt ſpecificatiua, ac diſtinctiua illarum neceſſariò accipienda ſit: hoc tamen non eſt neceſsè, loquendo de potentijs, quarum vna eſt radicalis, altera formalis; Radicalis enim propriè, & formaliter ſe habet ſicuti vnum ex prædicatis actus viſionis, vel albedinis, quæ haberi poſſunt in ſententia auctoris ſine obliquis diuerſis ſe tenentibus ex parte obiecti.

Verum quia ego in logicis docui in præciſionibus ſemper ex parte obiecti obliqua requiri.

Reſpondeo breuiter ſecundò: quod ad diſtinguendam eſſentiam animæ ab eius intellectu ſatis ſit nobis cognoſcere ipſum intellectum tãquã potentiam formalem effectiuam cognitionũ ſuarum, nam intellectus ſic cognitus, cum ſe inſufficientem prodat ad conſtituendam eſſentiam animæ, ſe habebit vt obliquum, ſeu vt fundamentum reſpectu noſtri, diſtinguendi in anima aliam priorem formalitatem, quæ ſit conceptus eſſentialis illius.

24 Et per hæc patet reſponſio ad argumentum P. Giattini; diſtinguo enim eius maiorem: niſi habeamus obliqua diuerſa realia non poſſumus diuerſas potentias diſtinguere, ſi loquamur de potentijs formalibus concedo: ſin autem de potentijs, quarum vna formalis eſt, altera radicalis: nego maiorem; ſufficit enim haberi obliquum formaliter ab vna diſtinctum; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. ad priorem maioris probationem nego poſſe nos eodem modo potẽtias radicales in infinitum in eodem indiuiduo cum fundamento in re diſtinguere, ac multiplicare, quia in tantum vltra formalem ponimus radicalem in quantum in formali non poteſt cõſiſtere eſſentia, poteſt verò rectè in eius radicem ergo ſine fundamẽto in re aliam vlteriorem potentiam radicalem diſtingueremus; Ad poſteriorem verò, in qua aſſumitur non poſſe nos habere in anima rationali conceptus vnius potentiæ tendentis mediatè, & alterius tendentis immediatè, niſi habeamus aliquod diuerſum ex parte obiecti, iam dixi: hoc diuerſum eſſe ipſam potentiam formalem intellectiuam cognitam iam vt inſufficientem, eſſentiam animæ conſtituere; vnde dat nobis fundamentum eam concipiendi vt ſuam radicem in ratione formæ ſubſtantialis ſpiritualis, in quibus prædicatis putamus eſſentiam metaphyſicum animæ rationalis poſitam eſſe.

Dices primò pro Giattino: in noſtra ſententia, licet eſſentia animæ ſit potentia radicalis in ordine ad intellectiones: eſt tamen potentia formalis in ordine ad intellectũ à ſe ratione diſtinctum: non eſt igitur cur non poſſit eſſe potentia formalis in ordine ad ipſas intellectiones. Conſequentia patet, quia in tantum per nos non poteſt, quia prius debet eſſe conſtituta in ordine ad ſe, quam in ordine ad aliud, ſed hoc non obſtat in ordine ad intellectum; ergo neque in ordine ad intellectiones obſtabit. Primum verò antecedens ſuadetur; quia eſſentia animæ eſt cauſa virtualis reſpectu ſuę potentiæ intellectiuę; ergo poteſt intelligi vt potens formaliter eam cauſare.

Reſpondeo: negando antecedens; potentia enim formalis reſpectu alicuius effectus importat vim cauſatiuam illius; at eſſentia animæ non habet vim cauſatiuam ſui intellectus; alioquin, cum hic ſupponatur illi identificatus, ſequeretur quod haberet vim ad ſe ipſam realitèr producendam, quod implicat contradictionem. Ad antecedentis autem probationem: conceſſo antecedente diſtinguo conſequens, poteſt intelligi potens formaliter eam cauſare ex ſuppoſitione, quod realitèr diſtingueretur ab illa, concedo; nulla facta ſuppoſitione, nego conſequentiam. Dico enim, quod cauſa virtualis alicuius rationis ſibi identificatæ non conſtituitur per potentiam, ſeu vim cauſatiuam in ea exiſtentem, quia hoc, vti vidimus, eſt impoſſibile; ſed conſtituitur per hoc, quod ſi per inpoſſibile diſtingueretur exigeret habere huiuſmodi vim, atque potentiam; cæterũ de facto omnes rationes, quæ ſunt in entitate animæ rationalis immediatè cauſantur à Deo, cũ hoc, quod ad exigentiam eſſentiæ eius cauſet eã entitatem potentem formaliter intelligere, amare &c. & ideò eſſentia concipitur, vt prima radix huiuſmodi potentiarum, quod cum non habeat locum in caſu noſtro de materia reſpectu potentiæ receptiuę, ideò eam cenſemus eſse de eſſentia illius. 25

Dices ſecundò cum Arriaga *loc. cit. n.* 37. ideò in anima rationali poſſunt concipi duæ potentię intellectiuæ ratione noſtra diſtinctæ, vna radicalis, altera formalis, quia in ea concipimus duplicẽ influxum in intellectionem; vnum, quem præſtaret eſſentia eius ſi realitèr diſtingueretur à potentia intellectiua; alterum, quem præſtaret ipſa potentia caſu quo eſſet diſtincta realitèr ab eius eſſentia; ſed etiam influxum, quem materia 26

præ-

Digitized by Google

præstari formæ possimus in duos similes distingueri quorum vnus æquivaleat influxui, quo præstaret eius essentiæ, sua potentia recepta, realiter distingueretur, alius verò æquivaleat illi quem, præstaret dicta potentia si realiter esset ab essentia distincta; ergo non est cur non possit concipi duplex hæc potentia in materia prima.

Respondeo negando antecedens, vt patet ex dictis supra; independenter enim ab æquivalentia ad duplicam illum influxum habemus sufficientissimum caput distinguendi in anima potentiam radicalem, & formalem; sed dato antecedente ad hanc consequentiam nulla est disparitas esse potest, quia fundamentum distinctionis illius in anima sumitur ex possibilitate distinctionis realis inter essentiam animæ, & eius potentias: at impossibile est quod materia realiter à sua potentia recepta distinguatur; ergo &c.

27 Ad hoc respondet Arriaga n. 39. negando minorem; ait enim non implicare dari materiam, quæ non posset recipere formas, nisi adiuta alia potentia substantiali distincta.

Sed contrà est primò; quia hoc ipso, quod hæc potentia superaddita esset potentia materiæ, implicat quod esset de genere substantiæ, supposito enim essentiam materiæ, tanquam eius radicem, atque adeò esset accidens illius, quia substantia debet esse prima radix omnium, quæ sunt in composito.

Contrà secundo, quia dato quod hæc potentia esset substantialis, & realiter distincta à materia prima; tamen respectu illius se haberet vt forma substantialis; ergo faceret cum illa vnum per se completum in genere substantiæ; cum autem id quod aduenit eius completo se haberet vt accidens: sequitur quod præter hanc non daretur alia forma substantialis; sed omnis esset accidentalis.

Contrà tertio; vel forma adueniens, immediatè reciperetur in toto constato ex materia prima, & huiusmodi potentia: vel in sola materia prima; vel in sola eius potentia: nullum ex his dici potest; ergo &c. Probo singula; & quidem, quod non possit dici primum sic: quia materia illa saltem partialiter per se ipsam deberet recipere formas substantiales; quare non esset distinguibilis nostra in radicalem, & formalem æquivalentem huic partiali potentiæ, cum qua necessario materia possibilis identificaretur formaliter; quod autem neque esset distinguibilis in aliam partialem constat ex eo, quia iam ponimus etiam illa recepta immediatè sue potentiæ substantialis, vnde constat Arriagam tribuere multo plus de potentia recepta immediata ipsi substantiæ materiæ possibilis, quam nos nostræ; dum ait eam esse immediatè, & adæquatè receptiuam potentiæ suæ, quæ est vna forma substantialis; & immediatè etiam, sed inadæquatè receptiuam cuiuscumque alterius consequentis; Quod autem non possit dici secundum; quod scilicet materia per se ipsam adæquate formas alias substantiales reciperet patet; quia iam per se ipsam esset adæquatè potens illas recipere; & sic potentia illa superaddita esset essentialiter superflua, & otiosa; quod denique, neque dici possit tertium, quod minimum formæ substantiales in sola hac potentia immediatè reciperentur, & ea mediante in materia. Probatur ex eo, quia hinc sequeretur materiam primam non esse partem intrinsecam compositi; nam compositum constat ex partibus, quæ immediatè vniuntur; sed si forma substantialis reciperetur solum immediatè in potentia illa, partes, quæ immediatè vniuntur esset forma substantialis, & potentia materiæ, quæ immediatè, & adæquatè reciperet formam; ergo idem compositum constaret solùm ex forma substantiali, & potentia illa, atque adeò materia prima non esset pars intrinseca compositi substantialis; consequentia constat, & minor suadetur, quia hæc vnio haberetur per receptionem; ergo partes, quæ immediatè per eam vniretur esset forma substantialis, quæ reciperetur, & potentia illa substantialis, quæ reciperet. Maior verò probatur ex eo, quia vnio compositi solum respicit tanquam extrema sua partes immediatè vniendas sed ex his solùm constat compositum tanquam extremis; ergo compositum non constat nisi ex partibus quæ immediatè vniuntur. Neq; dicat Arriaga potentiam illam vniri vt quo. Tum quia ait eam esse substantialem formam; atq; adeò non modi alterum ad essendum tertium, vt quod vnionis compositi, quam sunt cæteræ formæ substantiales, tum etiam quia dicit eam vniri substantiæ materiæ, sed in hac vnione se habet vt terminus vt quod; quia per aliam vnionem omnino condistinctam materia vniretur formæ substantiali aduenienti; ergo etiam poterit se habere vt terminus vt quod respectu illius alterius vnionis.

SECTIO QVARTA.

An Potentia sustentatiua formarum substantialium sit de essentia metaphysica materiæ primæ.

28 Conclusio est affirmatiua, & eam defendunt Auersa *quæst. 20. sect. 1.* Hurtadus *disp. 11. sect. 2. §. 19.* & subscribunt Arriaga *disp. 2. Phys. sect. 3. num. 26.* quibus videtur fauere Suarez *disp. 13. sect. 8.* & omnes Peripatetici dum absolutè proferunt sine vlla distinctione potentiam esse de essentia materiæ; contrà quosdam Recentiores existimantes sustentatiuam potentiam esse eius proprietatem non quidem realiter, sed sola ratione ab essentia distinctam, quos sequitur Ouiedus *controu. 2. Physic. punct. 3. §. 1.*

Probo conclusionem meam primò; quia sustentabilitas, seu quod idem est, ratio actus sustentabilis, quæ huic potentiæ sustentatiuæ correspondet ex parte formæ est de essentia metaphysica formarum substantialium; ergo & potentia sustentatiua erit de essentia metaphysica materiæ. consequentia patet; quia materia, & forma substantialis, cum vnum per se in genere substantiæ essentialiter constituant, debent sibi inuicem in ratione actus, & potentiæ essentialiter correspondere; ita vt cuicumque rationi, quæ competit essentialiter formæ per modum actus, correspondeat aliqua ratio in materia, quæ item illi essentialiter competat per modum potentiæ; siue hæc ratio sit distin-

stinguibilis in plures rationes inadæquatas vt in forma; siue non; sufficit quod nulla ex dictis rationibus inadæquatis sit extrà essentiam ipsius materiæ: alioquin non posset cum alia ratione inadæquata se tenente ex parte formæ vnum per se in genere substantiæ constituere; antecedens verò in quo est vis argumenti probatur sic: Ratio actus sustentabilis in forma materiali aliud nihil est, quam ratio formæ quatenus dicit exigentiam subiecti à quo in esse dependeat, vt patet ex potentia sustentatiua sibi formaliter opposita, quæ dicit ipsam materiam quatenus potentem in ratione subiecti tribuere esse formæ materiali; sed exigentia istæ subiecti, à quo in esse dependeat est de essentia metaphysica formæ materialis, vt V.G. animæ Leonis; ergo & ratio actus sustentabilis; minor huius, quæ sola indiget probatione, suadetur; quia exigentia illa subiecti est essentialiter imbibita in ratione actus materialis, quam participat anima leonis: ergo est de essentia animæ leonis; consequentia tenet: quia ratio actus materialis seu ipsum esse materiale non vt proprietas, sed essentialiter competit animæ leonis, quemadmodum esse spirituale Angelis, & Deo; antecedens verò probatur, & quidem multiplicitèr primò quia per istam exigentiam subiecti actus materialis ab omnibus definitur, ergo huiusmodi exigentia est imbibita in eius essentia. Neque dicas actum materialè esse essentialiter principium exigitiuũ huius exigẽtię, quia præterquã quod daretur formalis exigẽtia exigẽtia, quod videtur ridiculum, sine fundamento id asseritur, & iure posset aliquis dicere; rationalitatem non esse principium exigitiuum risibilitatis, sed principium exigitiuum exigentiæ ipsius; idemque de omnibus differentijs respectu suarum proprietatum affirmare, per quod tollerentur definitiones rerum, & multiplicarentur formalitates earum sine necessitate.

Probatur secundò idem antecedens à pari; quia sicuti se habet forma accidentalis in dependendo respectu sui subiecti inhæsionis, ita forma materialis substantialis respectu subiecti sustentationis; vtraque enim in esse, fieri, & conseruari à proprio subiecto dependet; sed exigentia subiecti inhęsionis est imbibita in essentia metaphysica accidentis: ergo & exigentia subiecti sustentationis in essentia formæ substantialis materialis; minor patet, tum quia accidentis esse, est ineſse, tum etiam quia formalissima ratio accẽtis nõ potest assignari per quid aliud cõstituatur nisi per rationẽ entis exigitiui subiecti inhęsionis.

Probatur tertiò: idem antecedens à contrario; quia actus spiritualis per suam essẽtiam metaphysicam formaliter à se excludit istam exigentiam subiecti, à quo in esse dependeat; ergo ex aduerso actus materialis essentialiter debet huiusmodi exigentiam participare; antecedens, licèt ex se pateat, suadetur tamen ex ratione substantiæ, quæ, quemadmodum essentialiter includit perfectionem illam subsistendi per se aptitudinaliter, ita etiam essentialiter à se excludit exigentiam subiecti inhęsionis; ergo à pari actus spiritualis &c.

39 Dices: sustentabilitatem esse de essentia physica formæ materialis, non verò de essentia metaphysica, quia nõ sustẽtatur metaphysica esse essẽtia, sed physica tãtũ, quę est entitas illius, & hinc fieri, vt potentia sustẽtatiua sit quidẽ de essentia physica materię, non verò de essentia metaphysica, de qua est controuersia.

Sed cõtrà est: quia si hæc doctrina vera esset, sequeretur quod neq; receptibilitas formæ substantialis esset metaphysicè essentialis ipsi formæ, sed physicè tãtũ, quia nõ esset de eius metaphysica, sed physica, quę est entitas recipiens in materia: ex hoc autẽ manifestè sequitur, quod neq; potẽtia receptiua sit de essẽtia metaphysica ipsius materiæ, tum pariter, tũ ratione ab aduersarijs adducta, quia nõ est metaphysica essentia, quę recipit formas, sed physica, quare potentia receptiua erit de essentia physica illius.

Dices iterũ: illæ perfectiones sunt de essentia metaphysica formæ, quę pertinẽt ad essẽtiale metaphysicũ cõpositi, vt formã includentis; sed ratio sustentabilis non est de essentia metaphysica cõpositi, vt includentis formam; ergo neque erit de essentia metaphysica formæ: minor patet; maior probatur; quia equus nõ importat rationẽ sustentabilis quatenus includit gradum substantiæ, vel corporis, vel viuentis, vel animalis; alioquin homo quatenus participat dictos gradus includeret rationem sustentabilis; neque dici potest, quod dictam rationem includat quatenus continet gradũ hinnibilis, quia sic vel solus equus essentialiter sustentabilitatem includeret, vel omne compositũ materiale esset equus; quod vtrumque falsum est.

Sed huius argumenti minor est falsa, nam ratio sustentabilis est ratio quædam analoga essentialiter imbibita in vltima differentia compositorum habentium formam dependentem à materia; aeq; adeò competit equo quatenus est hinnibilis: quia tamen dicta sustentabilitas non est hinnibilitas adequatè, sed imbibitur in differentijs similibus; hinc fit vt neq; sola forma equi sit sustentabilis, neq; omne sustentabile sit forma equi; sicut quia ratio entis non est adequatè substantia, neq; sola substantia est ens, neq; omne ens est substantia.

Confirmatur: sustẽtabilitas in forma equi, si est de eius essẽtia physica, erit eius proprietas metaphysica; ergo differentia vltima metaphysica equi erit essẽtialiter sustẽtabilitas, radicaliter, sed hoc nõ obstãte nõ sequitur, quod vel solus equus rationẽ sustentabilis importet, vel quod omne cõpositũ materiale rationẽ equi participaret; ergo &c.

Probo secundò eamdẽ conclusionẽ principalẽ 31
ex eo, quia nisi potentia sustentatiua formarũ substãtialiũ esset de essẽtia materiæ, sequeretur, quod medio aliquo accidẽte saltẽ metaphysico formas materiales reciperet; sed hoc est absurdũ, vt patet ex dictis; ergo &c. sequela probatur, quia nõ potest intelligi aliqua potentia aliquid formaliter sustentare per modũ subiecti, nisi etiã intelligatur formaliter in se illud recipere, causa enim materialis nõ nisi recipiendo sustentat formas; & ratio à priori huius rei est, quia sustentatio est quædam peculiaris species receptionis, dicẽs in suo cõceptu totũ id quod dicit ipsa receptio, vt sic, & prętera aliquid aliud, nõ quidẽ extraneũ extra rationẽ receptionis, sed intra latitudinẽ eius lineę contẽtũ; ergo si per potẽtiã sustẽtatiuã distincta materia formas materiales sustẽtaret, per distinctã etiã illas reciperet, quod erat probãdũ. Obij-

Digitized by Google

32 Objicies primò essentia materiæ primæ abstrahens à materia, quæ de facto datur, & à reliquis possibilibus non importat essentialiter potentiam sustentatiuam formarum; ergo potentia sustentatiua non est de essentia materiæ primæ, quæ de facto datur. Consequentia patet quia materiæ possibiles sunt eiusdem rationis cum nostra. Respondeo quærendo ab aduersario, num existimet reliquas materias possibiles esse eiusdem speciei infimæ cum nostrate nec ne. Si primum, petit principium in antecedente dum assumit essentiam materiæ primæ abstractam ab illis, & à nostrate non importare essentialiter potentiam sustentatiuam; si autem secundum, eligat alterum, & antecedens nego. Consequentiam quidem admodum enim si nullum aliud animal existeret à parte rei præter hominem, male quis probaret non competere homini essentialiter rationalitatem, eo quod animal abstrahens ab homine existeret, & reliquis animalibus possibilibus non importaret essentialiter rationalitatem; ita & aduersarius. Dixi, transeat antecedens; nam vel illæ materiæ possibiles ponuntur aptæ ad faciendum vnum per se cum formis substantialibus rerum corporearum materialium naturalium, vel ergo; sed aptæ solum ad faciendum vnum per se cum aliis formis alterius rationis primum est impossibile, quia formæ materiales rerum corporearum naturalium respiciunt essentialiter hanc materiam in specie, & ficta non sunt aptæ ad faciendum vnum per se cum materia alterius speciei; secundum est impertinens ad probandum intentum, quia nos non defendimus, nisi hanc materiam primam in specie essentialiter potentiam sustentatiuam inuoluere, quid quid sit de aliis, & cuiusmodi esset materia spiritualis, si forte esset possibilis. Arriaga disp. Phys. num. 6. quæres: verum possit esse alia materia sublunaris diuersæ rationis à nostrate? respondet affirmatiuè, eo quod non appareat repugnantia, quod aliqua materia, vel aliquæ tantum formas ex his, quæ de facto dantur recipere possit, vel illas ex possibilibus, quas nostra non posset; ego verò neutram ex his rationibus probo non primam, quia formæ, quæ de facto dantur sunt addictæ ad constituenda cõposita substantialia in ea specie in qua sunt; sed si possent facere vnum cum materia diuersæ rationis non essent ad hoc addictæ, & sic possent dari homines anima rationali nostrate constantes diuersæ speciei, item equi, leones &c. quod nemo dixerit; ergo &c. neque secundam, quia hæ formæ corruptibiles eandem contrarietatem in suis primis qualitatibus admitterent, quam nostræ requirunt, nimirum frigoris, & caloris &c. ergo nostra materia illas posset recipere, & sustentare implicat igitur materia sublunaris diuersæ rationis à nostrate; atque hæc obiter ex occasione.

33 Objicies secundò ex Ouiedo *loc. num.* 6. Totus conceptus metaphysicus essentialis materiæ primæ consistit in eo, quod est posse componere per modum partis materialis; sed hoc non importat posse sustentare; ergo conceptus metaphysicus essentialis materiæ primæ non imbibit potentiam sustentatiuam; maior, & consequentia patent; minor verò probatur, quia componere actu per modum partis materialis non importat actu sustentare; ergo neque posse componere importat posse sustentare. Antecedens patet ex actuali hominis compositione, quam facit materia prima cum anima rationali, quam actu non sustentat, sed recipit tantum; consequentia verò suadetur, quia actus secundus supponit solum suam potentiam formalem, & non potentiam alterius actus; ergo &c.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem ex suppositione, quod loquamur de posse componere per modum partis materialis, quod sibi vendicat nostra materia prima. Ad probationem in contrarium concesso antecedente, nego consequentiam, & ad eius confirmationem, concesso absumpto, nego item consequentiam. Ratio negationis est, quia actus secundus adæquatus materiæ primæ non est sola anima rationalis, quæ non indiget sustentatione, sed est omnis alia forma materialis pendens à materia; absurdum autem est ex actu secundo inadæquato arguere ad potentiam adæquatam. Aduerto quod si attendamus naturam animæ rationalis prout exigit produci ad exigentiam dispositionum introductarum in materiam ex viribus agentium naturalium; item prout exigit conseruari per nutritionem in materia, in quam est introducta, & denique prout dictam materiam desinit naturaliter informare, impossibile est quod non importet in nostrate materia potentiam sustentatiuam. Quoniam verò prior modus respondendi videtur rem melius explicare, ideò hanc aliam viam inuisa erit.

Instabis ex his quæ habet idem Ouiedus, hanc nostram materiam primam habet eandem rationem materiæ respectu equi, cuius formam sustentat, ac respectu hominis, cuius formam recipit tantum; ergo ad rationem huius materiæ non pertinet essentialiter potentia sustentatiua formarum. 34

Respondeo distinguendo antecedens: & si quidem sermo sit de ratione adæquata differentiali ipsius materiæ concedo; sin autem de inadæquata nego antecedens, & consequentiam. Explico distinctionem: certum est rationem differentialem materiæ adæquatam esse vnam potentiam per quam respicit omnes formas tum materiales, quæ indigent sustentatione, tum spirituales, quæ non indigent; sed hæc vna potentia à nobis distinguitur in duas inadæquatas, in ordine ad duo genera actuum diuersorum, quibus actuatur, quorum vnum pertinet ad formas spirituales, quæ recipi tantum debent, alterum ad materiales, quæ indigent etiam sustentari. quare si in antecedente sermo sit de ratione adæquata differentiali materiæ, verum est quod eadem sit respectu equi, ac respectu hominis; sed malè ex eo infertur ad huiusmodi rationem differentialem non pertinere potentiam sustentatiuam. Quod si sermo sit in antecedente de ratione differentiali inadæquata est euidenter falsum, quia per vnam rationem inadæquatam respicit formam equi, & per aliam formam hominis.

Objicies tertiò: illa potentia est de essentia 35

materiæ, quæ eſſentialiter requiritur tum à compoſito, cuius forma non ſuſtentatur, vt homines; tum à compoſito, cuius forma ſuſtẽtatur, vt equo, ſed potẽtia ſuſtentatiua à neutro eſſentialiter requiritur; ergo hæc non eſt de eſſentia materiæ. maior patet; minor probatur; & quidem quod non requiratur eſſentialiter ab homine, patet: quod neque requiratur eſſentialiter ab equo ſuadetur, quia ſiue anima equi ſuſtentetur à materia naturaliter, ſiue miraculoſe non ſuſtentetur, eumdem equum conſtituit, tum ſpecie, tum numero; ergo actus potentiæ ſuſtentatiuæ non requiritur eſſentialiter ab equo; neque igitur requiritur eſſentialiter potentia.

Reſpondeo: conceſſa maiore, nego minorẽ, ad cuius probationem dico: quod licèt verum eſſet potentiam ſuſtentatiuam materiæ, quatenus ſuſtentatiua eſt, non requiri eſſentialiter ab homine, (quod tamen falſum puto, vt patet ex eius generatione, nutritione, atque deſitione,) requiritur tamen eſſentialiter ab equo; & quamuis etiam eſſet verum, quod poſſet miraculosè dari equus, cuius neque forma, neque vnio actu ſuſtentaretur (quod implicare exiſtimat P. Suarez *diſput. 35. metaphyſ. ſect. 5. n. 5.* atque adeò eumdem numero eſſe equum ſiue eius forma, & vnio ſuſtentaretur naturaliter ſiue non: diſtinguo tamẽ primum conſequens, actus potentiæ ſuſtentatiuæ non requiritur eſſentialiter ab equo: actus non vltimatus, & vt quo, concedo, vltimatus, & vt quod, nego primam, & ſecundam conſequentiam; Duo enim actus conſiderare poſſumus reſpectu potentiæ ſuſtentatiuæ materiæ: vnum non vltimatum, & hic eſt actualis ſuſtentatio: alterum vltimatum, & hic eſt forma ſubſtancialis materialis in ordine ad quam ſuſtentatio exercetur. Iam licet actus non vltimatus dicat potentiæ, nimirum ſuſtentatio, non importetur eſſentialiter ab equo; importatur tamen eſſentialiter actus vltimatus, videlicet, anima materialis actualis ſuſtentationis exactiua; ex quo rectè deducitur potentiam ſuſtentatiuam huic actui correſpondentem eſſe etiam de eſſentia equi.

36 Obijcies 1. Potentia receptiua eſt prior in materia, quam ſuſtentatiua; ergo illa eſt de eius eſſentia, hæc verò proprietas: conſequentia claret, quia in eo priori ſatis materia intelligitur eſſentialiter conſtituta; antecedens probatur, quia ſuſtentatiua potentia exigitur à receptiua, nam in tãtum materia debet poſſe ſuſtentare formas materiales, in quantum debet illas poſſe recipere.

Reſpondeo: conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ad cuius probationem dico: in eo priori materiam habere rationem differentialem inadæquatam, & intelligi ordinatam ad formam vt ſic, non autem ad formam ſecundum omnes gradus, quos eſſentialiter continet, atque adeò non intelligi adæquatè conſtitutam. Pro quo noto, quod tum nos, qui præſcindimus ex parte obiecti; tum illi, qui præſcindunt ex parte actus conuenimus in eo, quod exiſtimemus potentiam ſuſtentatiuam, & receptiuam ſecundum id quod dicunt in recto eſſe formaliſſimè vnam, & differre ſolum penes extrinſeca connotata. Quæſtio autem eſt cum aduerſarijs, num huiuſmodi potentia conſiderata ſolum per ordinem ad formas vt receptibiles ſit de eſſentia materiæ, an verò etiam conſiderata per ordinem ad eas vt ſuſtentabiles?

Quo poſito dicimus: quod quoties vna ratio differentialis vltima habet duplicem comparabilitatem inadæquatam per ordinem ad duo genera connotatorum, poteſt vna ex his exigere aliã & eſſe prior illa; vt patet in noſtra potentia intellectiua, cuius vltima differentia comparatur ad triplex genus actuum, nimirum ad apprehenſionem, ad iudicium, & ad diſcurſum, ita tamen vt conſiderata vt apprehenſiua exigat eſſe iudicatiuã, & vt iudicatiua exigat eſſe diſcurſiuã, quia omne imperfectum poſitiuè tendit ad ſui perfectionem intrinſecam, cuiſmodi eſt poſſe diſcurrere reſpectu intellectus creaturæ rationalis, ideoque debent dicere aduerſarij de ſua materia prima, cuius vltimam differentiam volunt eſſe poſſe formaliter recipere formas, & poſſe eas radicaliter ſuſtentare; ſiquidem potentiam ſuſtentatiuam formalem eius putant eſſe proprietatem, & tamen potentia receptiua formalis intelligitur prior ſuſtentatiua radicali propter rationem in argumento factam; non poteſt ergo negari, quod quoties aliqua ratio differentialis habet duplicem comparabilitatem poteſt vna intelligi prior altera, & eam exigere. vnde argumentum à prioritate ductum non habet vim.

Inſtabis: in ſententia eorum, qui putant poſſe dari materiam primam receptiuam tantum, potentia receptiua non poteſt ſe habere, vt differentiam vltimam reſpectu noſtræ materiæ; ſed eam ſententiam nos non improbabimus in reſpõſione ad primum, ergo non debemus aſſumere dictam potentiam ſe habere, vt vltimam differentiam inadæquatam noſtræ materiæ. 37

Reſpondeo: triplicem potentiam receptiuam inadæquatam poſſe nos concipere ſecundum noſtra principia in noſtra materia: puram, impuram, & præſcindentem: puram conſtituitur per ordinem ad recipiendam formam excludentem à ſe ſuſtentabilitatem, cuiusmodi eſt anima rationalis; impura conſtituitur per ordinem ad formam poſitiuè ſuſtentabilitatem includentem, cuius modi ſunt cæteræ formæ materiales; præſcindens eſt, quæ intelligitur ordinari ad receptionẽ, vt ſic, abſtrahentem à pura, & impura. Iam verò ſi ponamus poſſibilem eſſe aliam materiam primam receptiuam tantum; verè in ſententia obiectiuè præſcindentium, noſtra materia non conuenit vniuocè cum illa, niſi in ratione potẽtiæ receptiuæ præſcindentis; ſiquidem potentia receptiua pura eſſet vltima differentia poſſibilis, & ſpecificaretur à formis eſſentialiter diuerſis ab anima rationali, atque adeò non admitteret vniuocam conuenientiam cum noſtra: quamobrem noſtra in ſua vltima differentia puram, & impurã inuolueret, puram per ordinem ad ſolam animam rationalem, impuram verò per ordinem ad cæteras. hoc idem tenentur dicere aduerſarij, ſiquidẽ iuxta eorum principia potentia purè receptiua non eſt de eſſentia materiæ noſtræ quomodocunque, ſed cum eo, quod ſit radicale principium potentiæ ſuſtentatiuæ, atque adeò ſecundum eam non poterit noſtra habere vniuocam conuenientiam

Digitized by Google

tiam eius illa possibili, cæterum si quis velit tum nostram, tum possibilem in ratione potentiæ passiuæ receptiuæ vniuocè contineri; quam in genere proximo, non inde sequitur potentiam sustentatiuam formaliter esse extra essentiam nostratis; sed benè esse vltimam eius differentiam: sicuti debent esse in hac via potentia sustentatiua radicalis; alioquin nostra materia caneret vltima differentia essentiali: & quidem hunc modum defendendi sequi etiam possunt, qui obiectiuas præcisiones negant.

38 Obiicies quintò: forma vt sustentabilis non est essentialiter perfectiua materiæ; ergo potentia sustentatiua non est de essentia ipsius materiæ consequentia patet, quia potentia, quæ est de essentia materiæ constituit illam essentialiter perfectibilem à forma: antecedens verò probatur multiplicitèr; & primò quidem, quia eandem numero perfectionem essentialem habet materia à forma materiali miraculosè non sustentata, quã habet ab eadem sustentata; secundò quia forma, vt sustentabilis arguit imperfectionem, & indigentiam in sua met entitate potius, quam in materia; tertiò denique quia forma sustentabilis est minus perfectiua materiæ, quam receptibilis tantum; esset autem magis perfectiua quatenus secundum duplicem rationem illam perficeret: ergo &c.

Respondeo negando antecedens, & ad primam eius probationem dico non esse vnum vnam, & eandem perfectionem haberi posse pluribus vijs; Iam verò absoluta perfectio materiæ est ipsa forma, hanc autem siue per puram, siue per impuram receptionem habeat materia parum refert; ad secundam verò aio: imperfectionem illam, quæ arguitur in forma materiali ex eo, quod sustentabilis sit esse admixtam cum perfectione actus, ratione cuius habere potest, quod sit perfectiua materiæ in genere causæ formalis, licèt in genere causæ materialis habeat esse dependenter ab illa. Ad tertiam denique respondeo concessa maiore, de qua potest esse difficultas, negando minorem; & ad probationem dico formam materialem non posse concipi vt perfectiuam materiæ nisi inuoluat rationẽ receptibilis, cuius beneficio uniatur cum illa in ratione actus; & sic nego intelligi posse secundum duplicem rationem adæquatam perfectiuam materiæ, quod si poſset, adhuc dico: has duas, rationes non pertingere ad perfectionem, quam affert materiæ anima rationalis, quæ est forma purè receptibilis; siquidem hæc ita illam perficit, vt ad componendum naturam rationalem eam transferat.

SECTIO QVINTA.

Qua ratione potentia materiæ formas substantiales respiciat; determinatè ne, an verò indeterminatè?

39 MAteriam per suam potentiam essentialem respicere trascendentaliter formas omnes substantiales, ex suppositione quod detur in creatis trascendentales respectus, luce clarius est: cum enim ipsa sit ens essentialiter incompletum, necesse est, vt secundum suam essentiam ordinetur ad id, à quo formaliter suum complementum expectat. Quoniam verò formæ substantiales sunt non solum numero, sed etiam specie, & genere plures; quæstio est quomodo illas respiciat? duplicitèr enim potest vnum respicere essentialiter plura primò collectiuè, & determinatè, ita vt si vnum ex eis poneat, respectus destruatur; Secundò indeterminatè, & disiunctiuè, ad cuius respectus destructionem omnium terminorum destructio necessaria est, quia ad eius persistentiam sufficit consistentia vnius dumtaxat termini ex multis, qui respiciuntur; & quidem indeterminati siue demum sit hic, siue ille priori modo respicit plura hic actus intellectus, quo dico: centum Discipuli sunt in Gymnasio, si enim vnus ex illis desit, destruitur actus in ratione veri, posteriori verò hic alius, quo dico: aliquis ex centum discipulis est in Gymnasio, ad cuius veritatem sufficit si vel hic, vel ille, vel ille alius in Gymnasio existat.

Sed est differentia inter materiam, & cognitionem positas, quod hæ respiciunt suos terminos existentes in gymnasio, quomodo de facto, & ex suppositione possibili possunt non esse: Contrà verò materia respicit essentialiter formas substantiales in statu possibilitatis, non quidem prout negationem existentiæ importantes, sed præcisè siue habentes existentiam, siue non: à quo statu non nisi ex suppositione impossibili, quod incipiant implicare contradictionem possunt intelligi, quod recedant; vnde fit vt idem sit quærere: num materia respiciat, determinatè formas substantiales, an verò indeterminatè; ac num ita respiciat illas vt si per impossibile vna ex eis inciperet implicare; destrueretur eius essentialis respectus, atque adeò ipsa quoque materia in suis prædicatis inciperet implicantiam contradictionis inuoluere; an verò non, sed adhuc eius essentia duraret possibilis? & si quidem duraret, signum est quod indeterminatè respiciat formas: contrà verò si destrueretur, determinatè.

Vnica conclusio: materia prima per suam potentiam respicit formas omnes substantiales, cum quibus potest facere vnum per se, indeterminatè: in hac sententia sunt omnes qui defendunt ordinem materiæ non esse ad formas substantiales in particulari consideratas, sed in communi in ratione formæ substantialis vt sic; hoc enim non debet intelligi quasi verò potentia materiæ præscindat ab omnibus formis substantialibus possibilibus rationem formæ substantialis vt sic, eamque respiciat, sicuti existimant nonnulli Recentiores: sed quod omnes quidem in particulari respiciat, sed pro vt habent fundamentalem conuenientiã in eo quod possint illam substantialiter perficere; est tamen contrà Hurtadum *disput. 8. Physic. sect. 3.* Arriagam *disput. 7. n. 3.* Comptonũ *disput. 7. sect. 3.* & alios.

Probatur vnica ratione: quia ex vna parte non repugnat dari in rebus respectum ad plures terminos indeterminatè, & diuisiuè acceptos, ex alia verò recta ratio postulat, vt potentia materiæ per huiusmodi respectum essentialiter constituatur, non verò per illum beneficio cuius formas substantiales determinatè, & collectiuè respiciat;

ergo

ergo dicendum est, quod materia per suam potentiam respicit essentialiter dictas formas indeterminatè, & diuisim, & non verò determinatè, & collectiuè; consequentia patet; nam si negatur rationabiliter materiæ huiusmodi respicientia indeterminata, ex eo negari debet, vel quia in se repugnat; vel quia est materiæ indebita, & improportionata ad suum finem consequendum; contrà verò illa alia proportionata, & debita. Antecedens verò quoad priorem partem suadetur. Primò ex eo quia omnis effectus creatus respicit essentialiter omnes actiones quibus produci, & conseruari potest; quia ex suis principijs intrinsecis habet vt sit producibilis, & conseruabilis, & tamen non respicit illas collectiuè, & determinatè. si enim vna aut altera, ex actionibus quibus lumen V. G. dependere potest à Sole, inciperet implicare, procul dubio lumen eodem modo quo nunc in fieri, & conseruari pendet à Sole, dependeret; & quidem per aliam actionem ex suppositione, quod hæc quę de facto pendet transisset in implicantem.

Suadetur secundò ex eo, quia iam plures effectus naturales, non existant in rerum natura vendicant sibi plures causas diuisiuè V. G. lumen potest produci seorsim à Sole, vel à stellis, vel ab igne &c. & tamen, si vna ex his causis implicaret, non ideò putandum esse, implicare ipsum lumen, quia nullam ex his determinatè, nec omnes collectiuè, sed aliquam indeterminatè, & diuisiuè tantum ad existendum necessario exigit.

Tertiò denique, quia ex suppositione, quod non possit dari creatura, quæ nobis, & nunquam sit, omnis ex sua essentia eorum locum, & tempus sibi vendicat, adhuc vt dictum, quoniam verò existere est indifferens ad existendum in hoc loco, & tempore, vel in alio, respicit quidem omnia, sed indeterminatè; non enim ideò redderetur impossibilis. Petrus V. G. eò quod hic numero locus V. G. implicaret, iam enim in millibus alijs posset existere; sed ad reddendum illum impossibilem, omnium locorum, vel temporum collectiuè acceptorum implicantia necessaria esset. Vera est igitur illa prior pars nostri antecedentis, quod scilicet nō implicet dari in rebus respectus ad plures terminos indeterminatè, & diuisiuè acceptos; quod si huiusmodi assumptiones abnuerserijs negantur, sibi incumbit probare eorum huiusmodi respectus determinatè, & collectiuè suos terminos respicere debentia, & tantam dependentiam ab illis habere, vt si vnus euadat implicans, ipsi quoque debeant implicare.

Posterior verò pars eiusdem antecedentis probatur etiam; quia per illum respectum recta ratio postulat vt essentialiter constituatur materia, qui ad finem suum consequendum sufficit; iam verò respectum ad formas indeterminatè sufficere adhuc vt materia consequatur suum finem, & non esse necessarium respectū ad formas determinatè, suadetur; quia suis materiæ est vnum per se in genere substantiæ tanquam partem perficibilem vna cum forma constituere; sed benè hunc finem consequeretur materia respiciendo omnes formas possibiles indeterminatè; siquidem vna, vel altera ex eis implicante, adhuc vnum per se in genere substantiæ cum cæteris formis constituere de facto posset; ergo &c.

Neque enim putandum est finem materiæ esse constituere vnum per se cum omnibus successiuè; quia posito quod ipsa in aliqua specie completa beneficio alicuius formę substantialis collocata est, nisi daretur agens contrarium, quod virtutem resistitiuam sui compositi superando, introduceret in ea dispositiones alterius formę incorruptibilis cum priore, ipsa quamdiu est de se conetur esse illa semper sub forma priore, & nunquam eam amitteret; alioquin dicendum esse, quod materia prima post resurrectionem in corporibus Beatorum violentiam passura sit. cum enim beati sint incorruptibiles secundum, non poterit ipsa formis omnes possibiles successiuè recipere, atque adeò iam careret suo fine, ad quem essentialiter ordinatur: inquo, quod si materia sic ordinata esset ad formas, haberet pro fine aliquid repugnans. implicat enim in materia quod quælibet materia omnes priores formas successiuè recipiat, etiam si generationes, & corruptiones prū per æternitatem rendurent; nam hęc numero materia nec illas numero formas, quæ fuit in alia numero materia vnquā recipit, nec illas in specie, quæ adhuc vt generentur quandam specialem aeris temperiem exigunt quæ in nostris regionibus, in quibus illa materia semper permanebit, nunquam reperitur. Iam si finis materiæ essentialis esset omnes formas successiuè recipere, omnes indiuiduæ materiæ exigerent huiusmodi finem obtinere.

Ad hanc nostram fundamentalem rationem responderi potest, negando priorem partem antecedentis, ex his quæ habet Compronus Philosophus vbi ait quod licet in ordine ad res possibiles non repugnet respectus potentiæ indeterminatus, repugnat tamen in ordine ad res impossibiles, esse omnino inanis, & frustratoria illa potentia, vtpotè quæ nunquam posset reduci ad actum. Quis enim dicat posse dari potentiam in homine ad videndum Deum oculo corporeo, vel ad producendam chymeram; atqui si potentia materiæ respiceret essentialiter formas indeterminatè esset in ordine ad aliquod impossibile; nam esset talis vt si forma lapidis V. G. quam nunc respicit, euaderet impossibilis, potentia illa adhuc in materia perduraret; ergo &c.

Sed contra est; quidem etiam si argumentum nostrum partiatur procedat ex terminis possibilibus, desumpta, ad quos concedit aduersarius dari posse respectum indeterminatum, adhuc tamen valorem suum retinet; falsum enim est quod supponit Compronus, videlicet, quod si materia respiceret formas indeterminatè, esset in ordine ad aliquid impossibile; nam ex suppositione impossibili, quod forma lapidis V. G. inciperet implicare, potentia materiæ non respiceret amplius illam, sicuti nec nunc respicit formam implicantem chymeræ, quam tamen ex suppositione, quod inciperet non implicare respiceret. Hoc enim importat indeterminatè respicere plura, cōseruare, scilicèt, respectum, quamdiu est aliquid illorum, quod retinet rationem formalem illius respectus terminatiuam; Porrò huiusmodi respectum sic conseruatum non esse frustra, luce clarius est; iam enim potest reduci ad actum per terminos retinentes rationem formalem ab illo

respe-

Digitized by Google

respondeat; & in hoc sensu dicimus potentiam vt sunt obiecta indeterminatè respicere, quatenus respicit illa in ratione coloratis: vnde si omnia colorata inciperent implicare præter alba, V. G. adhuc illa intelligeremus perdurare possibilis, quatenus haberet suam rationem formalem à qua specificaretur; quam quidem rationem respiceret in solis albis, non verò in alijs coloratis, quia iam hæc supponuntur implicare; contrà verò si ex suppositione impossibili Deus quædam colorarus, eadem potentia visiua, quæ nunc est intrinsecè immutata, inciperet suo respectu terminari ad ipsum Deum, & illum tanquam suum obiectum partiale respicere.

SECTIO SEXTA.

Afferuntur, & soluuntur obiecta in contrarium.

44 CONtrà præcedentem conclusionem obijcies primò cum Arriaga *loco cit. n. 23.* inconsequentiam sic: nos dicimus, quod si omnes formæ substantiales repugnarent, & vnica tantum extrema maneret possibilis, potentia materiæ, quæ est modo, remaneret, quamuis non in ratione potentiæ illarum formarum, quæ implicare ponuntur; ergo etiam si omnes prorsus formæ implicarent deberemus consequenter asserere, quod potentia eadem materiæ remaneret possibilis; non quidem in ratione potentiæ, sed solum in ratione entis. Consequentia patet paritate; quidquid enim dicitur de potentia in ordine ad formas distributiuè, non est cur non verificetur de ea in ordine ad formas omnes collectiuè.

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam: disparitas est in promptu, quia remanente vna, aut altera forma possibili adhuc remanent essentialia materiæ, quæ consistunt in eo quod sit eius perfectibile per formam: at verò implicantibus omnibus, cum cesset omnino ratio formalis perfectiui substantialis, non est cur non cesset ratio formalis perfectibilis; & cur consequenter destructio essentiæ ipsius materiæ non habeatur: implicat enim, quod implicante essentia rei, duret in statu possibilitatis ipsa res; nō valere autem modum argumentandi à distributiuo ad collectiuum passim docent Logici, dum negant ex eo quod aliter oculus sit necessarius ad videndum, benè concludi, quod vterque necessarius sit, vel neuter.

45 Obijcies secundò: non implicat potentia, quæ actus suos determinatè respiciat; ergo dicendum est quod potentia materiæ primæ hoc modo se habeat. antecedens patet; non enim potest assignari implicantia; quin imo est valdè probabile omnes potentias actiuas hoc modo respicere suos actus secundos, ac effectus; consequentia patet, quia maiorem connexionem habet potentia cum actibus, quos determinatè respicit, quā cum illis quos ponitur indeterminatè respicere; sed hāc maiorem connexionem cum formis substantialibus vendicat sibi materia, vt potè semiès perfectibile per formas; ergo &c.

Respondeo primò: negando antecedens, puto enim potentiam, quæ respicit plura, sicuti est ens; ita necessario debere habere vnitatem suam, quam non potest sumere à diuersis actibus, seu obiectis, nisi in ratione formali aliquo modo vna inter se conuenientiam habeant; quo posito quādiu illa ratio persistit, necesse est vt potentia persequeretur; ex quo deducitur, quod actus suos, siue obiecta particularia indeterminatè respiciat frigidè autem sunt instantiæ desumptæ ex intellectu potente Deum, & chymeras attingere in quibus nulla appareat conuenientia, & ex sensu communi rationes diuersas soni V. G. coloris &c. respiciente; nemo enim est, qui nesciat priora in ratione intelligibilis conuenire: posteriora verò in ratione sensibilis: stomachum enim mouet, sententias omnium pene doctorum suffragijs cōprobatas, niti leuibus argumentis ex sapientum animis eradicare.

Respondeo secundò; dato antecedente, negando consequentiam: disparitas autem inter potētias præsertim actiuas, & potentiam materiæ esse potest, quia materia respicit formas, vt ab illis intrinsecè perficiatur essentialitèr, quia est essentialitè perfectibilis, vnde fit vt in modo eas respiciendi regulari debeat secundum quod satis illi est ad consequutionem dicti finis. quoniam verò per respectum indeterminatum satis benè intelligitur constituta, vt essentialitèr perficiatur à formis; hinc fit, vt huiusmodi respectum illi debeamus tribuere, & non alium: contrà verò potentiæ effectiuę non expectant aliquam perfectionē intrinsecam, quæ essentialitèr à suis effectibus perficiantur, & sic non habent vnde limitentur in modo illos respiciendi. ad probationem verò cōsequentię, concessa maiore nego minorem: ens enim essentialitèr perfectibili, sicut est materia, tantum abest vt magis conueniat respectus determinatus ad formas: quin imo est destructiuus essentię illius, quatenus est quid indebitum illi, vt potè superfluum, & ad finem suum consequendum minimè necessarium: essentialia enim prędicata debent esse simpliciter necessaria rei, cuius essentiam constituunt; ita vt nihil ex eis superfluat vt de se patet: fingere autem entitatem aliquam, quę equiualeat prędicatis materię, & huic ordini determinato, est quid omnino chymericum, quia vel in hac entitate haberetur etiam ordo indeterminatus, quem essentia materię sibi vendicat; & hoc non sic enim huiusmodi entitas determinatè simul, & indeterminatè, formas substantiales respiceret; atque adeò vna ex eis implicante, ipsa implicaret simul, & non implicaret; quod manifestam contradictionem inuoluit: vel poneretur tantum ordo determinatus, & hoc neque; propter rationem supra tactam, quia tanta dependentia, atque restrictio esset indebita fini, quem materia prima essentialitèr sibi vendicat.

Obijcies 3. non minus debet esse connexa materia cum formis, quam Dei omnipotentia cum creaturis, sed hęc respicit determinatè omnes, & singulas creaturas; ergo & materia formas. 46

Respondeo: concessa maiore, negando minorē; probabilius enim est, quod multi ingeniosè defendunt, nimirum quod etiam omnipotentia Dei dicat ordinem ad creaturas indeterminatè. putant enim indecens esse de hoc numero Deo ita sentire, vt censeatur ad implicantiam vnius minimi

acci-

Digitized by Google

accidentis vel modi, ipse quoque partes implicare; quamuis igitur concedam, quod hic mundo Deus omnibus prorsus creatis implicantibus implicaret: negabo tamen, si vel vna cum mundo superstes in possibilitate remaneret; aliquid hoc est quod nos dicimus de materia respectu formarum.

47 Obijcies quarto: ideò est per nos materiam respicere formas indeterminatè, ac illas respicere secundum quod conueniunt in ratione formæ substantialis in communi, non quidem formaliter & precisè; sed fundamentaliter, ac realiter, atque forma in communi sic accepta sunt omnes formæ reales; ergo respicit omnes formas reales; sed hæ duæ sunt determinatè respicit igitur omnes determinatè, & indeterminatè, ita fere *Arriaga d. n. 25. disp. 7.*

Respondeo: concesso omnibus propositionibus distinguendo vltimam consequens: ergo respicit omnes determinatè: determinationem se ex parte formarum, concedo: determinationem se tenente ex parte respicientis, nego consequentiam; materia enim respicit quidem omnes formas possibiles, quia in se determinatissimæ sunt, sed respectu indeterminato, non quasi verò respectus, quem dicit ad illas, posse esse hic vel alius; semper enim essentialiter perseuerat idem; sed in quantum ad sui permanentiam in statu possibilitatis non requirit necessariò vt omnes formas, quas respicit sint possibiles; sed vt sit possibilis aliqua solum, siue hæc sit siue illa.

43 Obijcies 5. hæc forma in specie, vt est hæc habet essentialiter, quod sit actus perfectius materiæ; ergo & materia habet essentialiter, quod sit perfectibilis ab hac forma vt hac in specie; materia igitur eam determinatè respicit.

Respondeo: cum distinctione, vel enim supponimus posse dari alias materias specie distinctas à nostrate, cum quibus formæ, quas de facto habemus, possint componere vnum per se, vel non; & siquidem id supponamus dico: formam hanc v. g. Ignis, vt hæc est, sta habere essentialiter, quod sit actus perfectius huius materiæ in specie, vt eam indeterminatè respiciat ad eumpplano modum, quo dicimus de hac materia in specie respectu huius formæ secundum suam vltimam rationem specificam considerare; quare in hac suppositione, distinguo tam dictum antecedens, & prima consequentia, negando est secunda; quod si supponamus non esse possibilem nisi hanc materiam primam, concedo hanc formam in specie ita esse perfectiuam materiæ, vt eam secundum suam essentiam consideratam determinatè respiciat; atque adeò si hæc essentia materiæ implicaret, tum forma ignis, cum reliquæ formæ substantiales implicantes euaderent; nego tamen 44 inde sequi ad implicantiam solius formæ ignis reddi materiam implicantem; disparitas est manifesta, quia formæ omnes in eo casu determinatè essentiam materiæ respicerent, quia non esset dabilis, nisi vna species materiæ; ea igitur implicante, omnes à statu possibilitatis corruerent. At verò cum denuo diuersæ species formarum habet materia posse indeterminatè illas respicere, atque adeò vna vel altera implicante in statu possibilitatis perdurare; quod si argumentum transferatur ad formam, vt hæc numero; respondetur cum hac materia, & dico consequentiam est quod, cum posit hæc forma numero fieri vnum per se, non solum cum hoc numero materiæ, sed etiam cum alia respicit quidem hanc materiam numericè consideratam indeterminatè, consideratam verò essentialiter determinatè, contra verò quod materia formam illam respiciat secundum vtramque rationem indeterminatè, quod patet in vtraque suppositione falsum esse secundum consequentiam argumenti.

Instabis: hoc modo solum est determinabile hoc, & non aliud, quia habet hanc formam, & hanc materiam determinatè; neutra igitur constituitur per respectum indeterminatum. 49 consequentia patet; quia neutra esset apta constituere determinatum compositum.

Respondeo: concesso antecedente, distinguendo consequens; neutra constituitur per respectum indeterminatum, secundum se, concedo: quoad terminationem, nego consequentiam, quis distinguo probationem eodem modo: & siquidem tum materia, tum forma haberent respectum indeterminatum secundum se, concedo; posse quod solum quoad terminationem illum habeant indeterminatum, nego consequentiam, & dico, tum respectum, quo respicit hæc forma hanc materiam, tum eum, quo respicit hæc materia, hanc formam esse determinatum secundum se, cum eam sine ea conceptu essentiali, vel individuali huius materiæ, & huius formæ impossibile est vt illa habeat suam determinatam entitatem, quia habeant huiusmodi respectus in se determinatos: quia licet tamen stat, quod dicti respectus sint quo ad terminationem indeterminati, quia hæc numero forma, ita respicit omnes materias saltem numero distinctas, vt si vnas vel altera implicaret, adhuc ipsa possibilis remaneret, & eodem modo materia, omnes formas possibiles.

Subinstabis: nequit esse respectus determinatus quoad se, quia sit determinatus quoad terminationem; ergo nulla distinctio antecedens probatur, quia omnis respectus constituitur in esse per hoc quod specificetur à termino; ergo si est determinatus in se, necessariò debet esse etiam 50 quoad specificationem, seu terminationem.

Respondeo: distinguendo antecedens; & si quidem sermo est de terminatione formali, concedo sin autem de materiali, nego antecedens, & consequentiam; & ad antecedentis probationem dico: omnem respectum constitui quidem in se per hoc, quod specificetur à termino formalis, non verò à materiali, & quia formalis terminus specificatus potentiæ materiæ in quolibet specie formarum reperitur, nimirum vt sit hæc, sit illa species supponatur implicans, dummodo aliqua remanent possibilis materia, intelligatur retinere suam specificationem; quando igitur dicimus potentiam materiæ esse indeterminatam, quoad terminationem, non est sermo de termino formali, quia hic est determinatissimus, sed de materiali, hoc est de hac, vel illa forma, siquidem licèt hæc, vt hæc sit perfectiua illius, quia tamen æque bene est perfectiua eiusdem quæuis alia, ideò non est cur ad eius implicantiam debeat implicare.

Obij-

Digitized by Google

50 Obijcies 6. implicare effectu implicat, & causa; sed forma ignis V. G. est effectus mixti: ergo ea implicante, implicabit materia. omnia patet
51 præter maiorem, quæ probatur sic: implicatiuo, implicat specificatum; sed effectus est specificatiuum causæ: ergo &c.

Respondeo, distinguendo maiorem; implicante effectu adæquato, concedo quod implicet causa; implicante effectu inadequato, nego; & sic distincta minore, nego consequentiam. ad maioris probationem eodem modo respondeo, & siquidem implicat specificatiuum adæquatum, concedo quod implicet specificatum: nego, si sermo sit de specificatiuo inadequato, sicuti est in casu nostro.

Instabis: nó minus desinere debet id quod specificatur à pluribus defectu specificatiui inadequati, quam adæquati; sed implicante forma ignis desinit specificatiuum inadæquatum materiæ primæ: ergo &c. maior probatur, quia specificatio consistit in indiuisibili: ergo nó minus ad desitionẽ termini inadæquati quã adæquati cessare debet.

Respondeo distinguendo maiorem, & siquidem plura illa inadæquata specificatiua concurrunt ad specificandum determinatè, & collectiuè, cõcedo; sin autẽ indeterminatè, & disiunctiuè, nego maiorem, & sic distincta minore, nego consequentiã, ad cuius probationem dico, quod licet specificatio consistat in indiuisibili; quando tamen sumitur à pluribus inadæquatis terminis disiunctiuè ad desitionẽ termini adæquati cessare debet; non verò ad desitionẽ termini inadæquati, & ratio est, quia
52 ad desitionẽ adæquati iã caret suo essentiali specificatiuo, cõtrà verò ad desitionẽ inadæquati, illud habet quia æque benè in pluribus, ac in paucioribus cõseruatur; at verò si specificatio à pluribus inadequatis terminis collectiuè, & determinatè sumptis accipiatur, siue inadæquatus, siue adæquatus terminus cesset, debet sæpe ipsa cessare, quia tunc singuli se habent vt specificatiua formalia partialia, vnam rationem formalem adæquatam indiuisibiliter componentia.
53

Obijcies 7. etiam si potentia volitiua non possit simul amare, & odio habere idem obiectũ respicit tamen essentialiter cum amorem, cum odium determinatè; ergo quamuis potentia materiæ non possit omnes formas substantiales simul recipere, nihilominus illas determinatè respiciet.

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; ratio enim cur materia disiunctiuè formas respiciat, non est quia illas non, nisi disiunctiuè potest recipere; sed quia cum hoc disiunctiuo respectu satis intelligitur in se constituta, & apta ad suum finem consequendum; quod non potest affirmari de voluntate nostra indeterminatè respiciente actus amoris, & odij; cũ enim ipsa sit essentialiter potentia libera non solum libertate contradictionis, sed etiam contrarietatis; non intelligitur in se constituta, & apta ad suum finem consequendum, nisi simul sit potens prosequi obiectum per amorem, & illud fugere per odium, idemque cum proportione dicendum de appetitu animali; hic enim licèt non sit liber, habet pro fine essentiali inclinare animal ad sibi conuenientia, & auertere illud à disconuenientibus; quare ex suppositione, quod actus omnes

auersionis implicarent, ipse quoque implicare deberet; quia sine eorum possibilitate non posset consequi finem, ad quem est essentialiter ordinatus; atqui materia non est ordinata nisi ad faciendum vnum per se per modum perfectibilis cum forma substantiali; quod rectè consequi posset casu, quo hęc, vel illa forma in specie implicaret.

Obijcies 8. si materia formas substantiales indeterminatè respiceret, sequeretur quod respectu illarum esset potentia conditionata, quia illas reciperet, posito quod sint possibiles; sed hæc potentia condicionata in ordine ad impossibilia est nugatoria; nullus enim ponit in luce vim conditionatam producendi sonum, aut in Aquila producẽdi columbã. deberent autẽ poni à nobis huiusmodi potentiæ, quia sicuti per nos materia de facto habet potentiam ad recipiẽdam formam chymeræ, posito quod hęc esset possibilis; quia posset facere vnum per se cũ illa, ita deberet lux de facto habere potentiam ad producẽdũ sonum, & aquila columbam, quia posito, quod daretur sonus producibiles à luce, & columba ab aquila producerentur ab illis. ita fere Comptonus.

Respondeo: distinguendo sequelam, potentia materiæ esset conditionata ex parte sui, nego; ex parte ipsarum formarum, concedo sequelam; ipsa enim est in se absoluta, posito quod sit possibilis aliqua forma, sed vt respectu alicuius formæ V. G. ignis habeat rationem potentiæ, siue causæ exigit in ea possibilitatẽ tanquã conditionẽ; eodemque modo distincta minore, nego consequẽtiam. ad minoris probationẽ dico: quod si poneremus in luce vim cõditionatam producendi sonum, & producẽdi columbam in Aquila, hæ vires essent in se ipsis cõditionatæ, quia non haberent aliquid absolutum, vnde absolutè specificarentur atque adeò essent in se absolutæ, vt supponitur, & non essent in se absolutę, quia non essent absolutè possibiles termini. ad ponendam enim aliquam virtutem absolutè, requiritur absolutè saltem possibilis existentia termini formalis, à quo dicta potentia specificatur. de facto quia ponimus in luce potentiam absolutam producendi calorẽ, ideò rectè dicimus, quod hæc eadẽ potẽtia sit in ipsa luce conditionata terminatiuè, vt si per impossibile sonus euaderet calor, illa cũ de facto producere posset; ideòque dicendũ de potẽtia, quã habet Aquila generandi pullos suos, hæc enim est respectu colũbæ conditionata, quia si per impossibile pullus colũbinus in Aquilinũ transiret, vtique eum posset Aquila de facto generare: quoniã verò in materia supponimus vim absolutã receptiuã formarum substantialium realium, hinc fit vt dicta vis rectè censeri debeat terminatiuè conditionata respectu formę chymeræ; vt si per impossibile dicta forma euaderet realis, de facto materia per eamdem potentiam, per quam recipit reliqua illam in se reciperet.

Obijcies 9. Non potest res intrinsecè immutata, de respiciente per respectum intrinsecũ aliquem terminum transire in non respicientem; sed materia supponitur per intrinsecum respectum respicere de facto omnes, & singulas formas substantiales; ergo si per impossibile aliqua ex eis euaderet implicans, deberet necessariò mutari; sic enim de respiciente eam transiret in nõ amplius
54

Digitized by Google

respicientem illam; & quia per suam essentiam respicit illam, mutatio consisteret in eo quod ex possibili fieret impossibilis. omnia patent præter maiorem, quæ videtur certa, præsertim in sententia eorum, qui eius veritate ducti tenent relationem prædicamentalem ad multiplicationem numericam terminorum debere multiplicati numericè.

Respondeti potest primò maiorem illam veram esse de facto, & facta quacunque suppositione possibili; non verò, ex quacunque etiam suppositione impossibili. Dico enim, quod si supponamus per impossibile aliquam ex formis possibilibus nunc incipere implicare, stante hac suppositione, posset materia intrinsecè immutata de respiciente illam transire in non respicientem; siquidem huiusmodi transitus sine mutatione realiam ponitur in eo casu impossibili non implicare in forma: dum ita fit suppositio vt illa eadem coniunctio prædicatorum, quæ in forma illa nullam antea contradictionem inuoluebat incipiat habere repugnantiam ad existendum, & contradictionem inuoluere. sicuti igitur facta hac hypotesi putant aduersarij materiam euasuramesse impossibilem, ita nos eam transituram de respiciente illam formam in non respicientem absque noua acquisitione, aut deperditione alicuius intrinseci prædicati, & per consequens absque implicantia ad existendum.

54 Respondeo secundò: distinguendo maiorem, & si quidem res illa respicit determinatè terminum, concedo; sin minus, nego maiorem; & hoc propter rationem; quam sæpe tetigimus. Ordo enim terminatiuè indeterminatus, per se formaliter pendet ab ea ratione, quæ in singulis terminis sufficientissimè reperitur; vnde plures illos quatenus plures sunt non nisi materialiter respicit atque adeò quandiu aliquis terminus superstes remanere intelligitur, non est cur debeamus putare, quòd desinat; ad eum planè modum quo effectus pendens à pluribus causis adæquatis adæquatè concurrentibus nõ intelligitur corrumpi, nisi cessantibus omnibus causis collectiuè acceptis in eũ influere; quod si hæc, vel illa cesset dũmodo aliqua influxum in illum continuet, nõ est cur non debeat in existendo durare. Ad maioris autem probationem, nego paritatem, disparitas est, quia potentia materiæ, & cæteræ virtutes causatiuæ cum sint per modum actus primi remoti essentialiter indeterminationem aliquam importare debent in ordine ad suos effectus, vel in specie, vel saltem in individuo consideratos; vnde cũ ab eis specificari debeant, non possunt illos nisi sub vnica ratione formali respicere, quæ benè cũ determinatione, vel indeterminatione quantũ est de se consistere potest. contrà verò Relatio prædicamentalis est essentialiter actus secundus, & actuale exercitium referendi, atque adeò omnino determinatus, vnde non est mirum si non possit plures terminos indeterminatè respicere, sicuti enim hic numerò actus visionis V.G. quo ego video hoc numerò album non potest esse indifferès ad hoc, vel illud album attingendum, benè tamen potest esse indifferens mea potentia visiua, ita & in casu nostro.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum Potentia ad formas accidentales sit de essentia materiæ.

55 Constat materiam habere immediatam, & proximam potentiam saltem ad formam aliquã accidentalem recipiendã, alioquin in recipiendis huiusmodi formis admittendus esse processus in infinitũ; quod autem in præsentia quærimus est an huiusmodi immediata potẽtia sit de ipsius essẽtia, an verò sit proprietas aliqua siue realis, siue rationis distincta, quæ eius essentiã consequatur. non enim dubium esse potest eam esse quid positiuum, quia entia naturalia non solum fines sibi à natura præscriptos, sed etiam media ad illos consequendos positiuè respiciunt: pro decisione igitur sit.

Vnica conclusio: potentia ad formas accidentales est de essentia materiæ primæ, ita Suarez *disp. 14. metaph. sect. 2.* contrà quamplures, quorum aliqui putant omnia accidentia cõponi, sicut; cõponuntur substãtiæ completæ materiales, ex duabus partibus, quarũ vna sit actus, altera verò quædam potentia accidentalis peculiaris, suo actui peculiari correspõdẽs, & ad eius prædicamentũ pertinens; inter quos est Soncinas *12. metaph. q. 26.* alij verò licet id negent, existimãt tamen substantiam non nisi mediata potentia quadam accidẽtali vniuersali sustentare, & recipere accidentia, quæ quidem potentia sit quidẽ identificata cum ipsa materia, sed tamen sit extra essentiam metaphysicam illius; & se habeat vt eius proprietatem: contrà omnes autem hos.

Probatur conclusio vnica ratione: vna, & eadẽ 56
formaliter, etiam secundũ conceptum, est potẽtia, per quam materia recipit accidentia, cum illa per quã recipit formas substantiales; sed illa, vt patet, ex dictis est de essentia; ergo & hæc. maior fundatur in eo principio, quod accidens est entis ens, atque adeò, quod accidentia materialia sunt essentialiter media siuè ad producendas, siuè ad conseruandas, siuè etiam ad ornandas formas substantiales, & illis medijs composita ipsa naturalia. hoc posito maior illa probatur, vnum est obiectum formale motiuum vtriusque potentiæ, de qua nobis est sermo: ergo vna, & eadem formaliter erit potẽtia, consequentia tenet, quia ad multiplicitatem obiectorum formalium multiplicari debent potentiæ, vt patet discurrẽti per omnes potẽtias: antecedẽs probatur: nã ratio formalis motiua mediorum est eadẽ formalis bonitas motiua finis; media enim vt media nõ habẽt diuersã appetibilitatem à fine, nã propter solã finis bonitatẽ appetuntur; vnde fit vt si præscindatur sanitas à medicina, hæc nõ habeat vllã amplius appetibilitatẽ, quatenus medicina est; ergo potẽtia materiæ ad formas accidentales, quæ sunt media, habet omnino idẽ motiuũ formale, ac potẽtia eiusdẽ ad formas substãtiales, quæ sũt fines.

Quãuis enim eadẽ bonitas diuersimodè ab vtriusque participetur; à fine, scilicet, & forma independenter ab alio, & immediatè; à medijs verò, & ac eidẽtibus dependenter, & mediatè; diuersitas tamẽ hæc nõ est sufficiẽs ad constituendã duplicẽ potẽtiam, seu appetitum formalem in materia, quorum vnus sit finis, alter verò mediorum; quia participatio non ingreditur rationem formalem motiuam, sed est solum conditio sine qua non: bonitas enim, & non participatio bonitatis mouet; & li-

Digitized by Google

& licè dicatur bonitas vt participata mouere, reduplicatio tamen illa non designat rationem formalem, sed conditionem sine qua non; quemadmodum igitur assensus, quo attingimus mysterium Incarnationis propter reuelationem factam non differt essentialiter ab illo assensu quo attingimus reuelationem de eodem Mysterio factam, licet motiuum formale, quod est reuelatio ab obiecto primi assensus, veluti mediante participetur: ita neque duplex erit appetitus formalis materia circa obiecta hactenus dicta: iam verò obiectiones aduersariorum ita se habent, vt quædam directè concludant, quædam verò rationem fundamentalem impugnent contra nos.

57 Obijcies primò: ex Aristotele primo Ethic. cap. 8. sicut se habet assensus conclusionis, & præmissarum, ita electio mediorum, & finis; sed per diuersos actus assentimur præmissis, & conclusioni; ergo per distinctos actus voluntas media, & finem, & consequenter materia respicit formas accidentales, & substantiales per potentias distinctas.

Respondeo distinguendo primum consequens: per diuersos actus, quorum vnus sit intentio efficax finis, alter verò electio mediorum concedo, quorum vnus sit intentio efficax finis, alter vero intentio mediorum, nego primum, & secundam consequentiam; pro quo nota, quod electio mediorum licet sumat suam specificationem a fine, quia tamen debet fieri explicitè in medijs, sæpe, & sæpius vnum alteri præferendo hinc solet regulariter loquendo distingui debeat realiter ab efficaci intentione finis. dixi regulariter, quia potest aliquando cum ea identificari in quo etiam casu non formaliter, at virtualiter propter rationem tactam distingueretur. At verò in actu finis impossibile est, quod realiter loquendo non sit volitio, & intentio mediorum, quia intentio finis est voluntas efficax illius, quæ non potest non respicere obiectum suum, vt absolutè possibile intendens, siquidem per eam voluntas se determinat ad deliberanda media, quæ ad illius consequutionem necessaria sunt, ex quo deducitur, quod efficax intentio finis non solum realiter loquendo sit intentio mediorum, sed etiã formaliter, & essentialiter.

58 Iam verò potentia materiæ ad formas substantiales, & accidentales non se habet sicut intentio finis, & electio mediorum, sed sicut intentio efficax finis, & mediorum, & ratio huius rei est, quia electio est actus proprius appetitus elicitus, imo in rigore rationalis tantum, eo quod importat comparationem inter vnum, & aliud medium, vnde præexigere debet consultationem, vel saltem si vnum tantum est necessarium medium, debet illud explicite attingere, nullum autem conuenire potest appetitui innato, vt de se patet: ergo hic non est comparabilis cum intentione finis, & electione mediorum, bene tamen comparabilis est cum intentione finis, & intentione, seu voluntate mediorum, quatenus, sicut vnico actu secundum essentiam suam considerato voluntas attingit verumque, ita & materia vnica potentia formaliter sumpta formas tum substantiales, tum accidentales, quoniam verò etiam electio mediorum respicit essentialiter primariò finem tanquam rationem formalem, vt supponunt omnes cum Arriaga tom. 1. p. 1. disput. 15. sect. 4. n. 2. eadem argumenta facta contra nos etiam præcindendo à paritate alata ex Aristotele adhuc habere potest vim.

Quare respondeo secundò assensum præmissarum esse duplicem, quatenus terminatur ad veritatem præmissarum secundum se sumptam, & cum dependentia vnius ab altero, secundus verò tantummodo attingendi dimissibiliter acceptam, quatenus, scilicet, continent connexionem medij cum extremis, & sunt ratio assentiendi ipsi conclusioni. Iam verò comparatio potest prodire inter conclusionem, & secundum assensum dictum, sed hic est idem formaliter actus, qo assensus conclusionis, quare sicut per vnum, & eundem actum assentimur conclusioni tanquam obiecto materiali, & præmissis tanquam obiecto formali, atque motiuo, ita per vnum, & eundem actum eligimus media tanquam quid materiale, & volumus finem tanquam quid formale, nego igitur hanc normam argumenti.

59 Instabis, saltem primus assensus præmissarum differt essentialiter ab assensu conclusionis, & habent vterque nitiqui eadem ratione formali motiua assentiendi veritati, scilicet, præmissarum; sed vna essentialis differentia non prouenit nisi ex eo quod diuerso modo rationem motiuam respiciunt: cum præmissis quidem immediatè, in conclusione verò mediatè: ergo ex eo quod finis immediatè, media verò mediatè, rationem finis participent, actus, qui sunt ad illam debent etiam essentialiter inter se distingui.

Respondeo negando sequelam secundam partem maioris, siquidem ratio motiua assentiendi præmissis primo modo sumptis est veritas illarum secundum se, ratio verò motiua assensus conclusionis est veritas vtriusque per modum vnius; quatenus, scilicet, dicit connexionem medij cum vtroque extremo, & veritatem illationis, quæ à præcedente, est omnino distincta.

60 Obijcies secundò: bonum mediorum est vtile, bonum verò finis, vel honestum est, vel delectabile, ergo bonitas mediorum, & finis distinguntur inter se essentialiter.

Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens, bonitas mediorum, & bonitas finis distinguntur essentialiter absolutè, & secundum se, nego, reduplicatiuè, & quatenus diuersum modum participandi includunt, concedo consequentiam, bonum enim vtile est bonum ipsius finis per hoc quod mediate à medijs participatur. Verum hæc reduplicatio solum se tenet ex parte intellectus, & non mutat essentias rerum vt notauimus.

61 Obijcies 3. potest quis elicere vnum actum voluntatis circa finem, alium verò circa media, ergo distinctis actibus finis, & media respici possunt à nobis.

Respondeo voluntatem efficacem finis inuoluere saltem in confuso voluntatem etiam mediorum, quæ sunt simpliciter necessaria ad consequendum illum: voluntatem autem mediorum inuoluere etiam voluntatem finis, tanquam motiui formalis volendi ipsa media, quo posito, distinguo consequens, ergo distinctis actibus finis,

Digitized by Google

& media reſpici poſſunt materialiter concedo; diſtinctis actibus formaliter, nego conſequentiã: numquam enim concipi poteſt actus tendens in vnum ex his abſque eo quod tendere in alterum concipiatur. Quoniam verò implicitum, & explicitum ſe habet ſolum in ordine ad operationes intentionales, cuiuſmodi non eſt appetitus materiæ: hinc fit vt ex hoc nihil contrà noſtram concluſionem deduci poſsit.

62 Inſtabis, prior eſt voluntas finis voluntate mediorum, ideò enim volumus media, quia volumus finem; ergo ſaltem formaliter voluntates iſtæ diſtinguntur.

Reſpondeo: diſtinguendo antecedens; Prior eſt voluntas finis voluntate mediorum, priorıtate naturæ à quo, tranſeat antecedens; prioritate naturę, in quo, nego antecedens, & conſequentiam. bonitas enim finis licet ſit motiuum formale volẽdi media, ac proinde aliquo modo prior, numquam tamen intelligi poteſt volita efficaciter, niſi etiam intelligantur volita media: vnde pro eo priori non habemus adhuc conceptũ adæquatum volitionis efficacis; niſi pro poſteriori volitio illa intelligatur terminari ad media in confuſo; ex hoc autem non ſequitur, niſi quod volitio inefficax ſiue præciſiuè, ſiue negatiuè ſãpta non reſpiciat media; quod nos verò concedimus. Verum hoc non facit aduerſarijs, nam potentia materiæ non reſpicit bonum, quod eſt in forma per modum ſimplicis complacentiæ; ſi quidem hæc fertur in rem præſcindendo ab eo quod ſit poſsibilis, vel impoſsibilis; quod non poteſt dici de materia reſpectu formæ, atque hoc contra rationem fundamentalem; contrà concluſionem autem.

63 Obijcies quartò: licet potentia actiua reſpectu ſui effectus aſsimiletur voluntati efficaci finis; non tamen aſsimilatur illi in ordine ad media; ergo neque ei aſsimilabitur potentia paſsiua materiæ primæ in ordine ad accidentia, quæ reſpectu formæ ſubſtantialis ſe habent vt media. Conſequentia patet paritate; Antecedens probatur quia poteſt dari potentia actiua alicuius effectus abſque eo, quod poſsit producere media, quæ ad illum ponendum neceſsaria ſunt: calor enim poteſt producere ignem, ſed non poteſt producere ſiccitatem, quę ſe habet vt medium ad ipſum ignẽ habendũ. item homo nõ poteſt producere ſolis influentias, quæ ſunt media neceſsaria ad producendum hominem, & ſic de reliquis; ergo &c.

Reſpondeo: conceſſo antecedente, negando conſequentiam; diſparitas eſt quia potentia actiua conſiſtit in eo quod poſsit dare eſſe effectui; ad hunc autem conceptum habendum ſatis eſt ſi ex vna parte ipſa habeat virtutem producendi
rò diſtum effectum; ex alia verò media, quæ ad illum producendum neceſsaria ſunt, poſsibilia ſint eo modo, quo eſt potentia; ita vt ſi ſit potentia naturalis media ſint poſsibilia naturaliter; ſi verò ſupernaturalis, ſupernaturaliter; vnde ſtat potentia actiua effectus, abſque eo, quod ipſa ſit potentia actiua mediorum, quæ ſunt neceſsaria ad illum; at verò intentio efficax finis eſt voluntas, qua ſimpliciter, & efficaciter volumus rem aliquam conſequi, ad quam volitionem habendam non ſufficit me apprehendere media poſsibilia etiam naturaliter, ſed neceſse eſt apprehendere illa vt mihi poſsibilia, ita vt ſint aliquo modo in poteſtate mea; vt patet ex eo, quod, licet ego ſciam dari media naturaliter poſsibilia ad producendum aurum, niſi apprehendam eſſe aliquo modo in mea poteſtate ea adhibere nunquã potero efficaciter intendere effectionem auri, & ſic diſcurrendo per alia ſimilia idem eſt reperire; vnde fit vt per eundem actum quo formaliter efficaciter intendimus finem, debeamus etiam efficaciter velle ponere media, quæ ad illum conſequendum neceſsaria ſunt. Porrò potentia paſsiua materiæ reſpectu formarum ſubſtantialiũ huic volitioni aſsimilamus, quia non ſufficit ad hanc potentiam reſpicere accidentia tanquam media poſsibilia recipi indifferenter à ſe, vel ab alia potentia, ſed debet neceſsariò reſpicere illa tanquã poſsibilia recipi in ſe ipſa; ſiquidem non alio modo ſunt media ſibi ad formam, niſi per hoc quod in ipſa materia recipiantur; omnis ergo potentia cauſatiua alicuius effectus habet formaliter reſpicere, vt poſsibilia media, quæ ad illum ponendum neceſsaria ſunt. ſed ad videndum vtrum reſpicere debeat dicta media, vt à ſe formaliter cauſabilia nec ne? optima regula eſſe poteſt hæc: vt videamus num illa media habeant rationem medij ad effectum ponendum præciſè per hoc, quod debeant cauſari ab illa potentia; an verò preſcindendo ab hoc dictã rationem medij participent; & ſiquidem priori modo ſe habeant, potentia cauſatiua effectus erit etiam formaliter potentia cauſatiua illorum, ſin autem ſecundo modo, non erit. Quoniam verò media reſpectu potentiæ effectiuæ non habent rationem medij præciſè per hoc, quod debeant cauſari ab ipſa potentia effectiua; contrà verò media reſpectu cauſæ materialis habent rationem medij præciſè per hoc quod cauſentur ab ipſa cauſa materiali, ſi quidem niſi accidentia recipiantur in ea ſaltem mediatè impoſsibile eſt illam diſponere ad formam ſubſtantialem recipiendam: hinc fit vt potentia effectiua non reſpiciat eſſentialiter media ad effectum ſuum, vt à ſe producibilia; at verò potentia materię reſpiciat eſſentialiter accidentia vt in ſe receptibilia.

Inſtabis primò: potentia materię, vt formam ſubſtantialem recipiat, requirit voluntatem Dei 64
tanquam medium eſſentialiter requiſitum, ſine quo nullo modo illam reciperet; & tamen non eſt eſſentialiter potentia paſsiua reſpectu voluntatis Dei, ergo regula tradita non habet veritatem.

Reſpondeo; conceſso antecedente, negando conſequentiam; ratio negationis eſt, quia ex dictis, vt potentia paſsiua reſpiciat eſſentialiter aliquod medium non ſufficit, quod exigat illud quomodocunque, ſed præterea requiritur vt exigat illud, vt à ſe neceſsariò cauſandum in genere cauſæ materialis, atque adeò vt ſibi vnitum tanquam formam in ſe receptam; quoniam verò materia non ſic exigit voluntatem Dei; hinc fit vt non reſpiciat illam tanquam potentia recepta illius.

Inſtabis ſecundò: volitio exigit eſſentialiter 65
tanquam medium ſui intellectionem, & quidem productam ab eodem principio, à quo ipſa pro-

Digitized by Google

credit, nihil enim uolitum quin præcognitum: & tamen potentia uolitiua non est formaliter potentia intelligendi, ergo hæc nostra regula fallit.

Respondeo: quod licet uolitio exigat essentialiter tanquam sui dispositionē intellectionem procedentem ab eodem principio radicali, at nō procedentem ab eodem principio formali, sed à diuerso; Ratio autem huius diuersitatis principij formalis exacti esse potest, quia intellectio non habet solam expetibilitatem medij in ordine ad uolitionem, sed etiam est ipsa, præscindendo à ratione medij, per se expetibilis, unde est vt habeat diuersam rationem formalem sufficientem ad specificandam diuersam potentiā à potentia uolitiua; At uerò accidens cum ponatur non habere aliam expetibilitatem à materia, nisi in ordine ad formam: hinc fit, ut non possit aliam sibi uendicare, & specificare potentiam receptiuam in ipsa materia.

66 Obijcies quintò: Aristoteles 7. *metaphys. tex.* 12. & alibi docet: ea, quæ differunt genere non habere communem materiam; ergo cum accidētia differant genere à formis substantialibus non poterunt respicere communem potentiam in materia.

Respondeo: ad antecedens, Philosophum ibi uel loqui de materia metaphysica; ita ut sensus sit, quod ea quæ differant prædicamento, non possint in aliquo genere proprio conuenire: uel si loquitur de materia physica, exponendum esse de eadem materia quatenus inuoluit priuationes earū formarum, quæ differunt inter se genere, dicturque materia trasmutationis: certum autem est, quod materia quatenus habet priuationem V. G. ignis essentialiter differt à se ipsa quatenus habet priuationem formæ alicuius accidentalis; neque solum essentialiter, sed etiam genere, quare nego consequentiam.

67 Obijcies sextò: ex eodem Philosopho in uno quoque genere habemus dari primam contrarietatem; ergo & unam materiam primam seu potentiam saltem formaliter distinctam.

Respondeo: negando consequentiam: Prima enim materia est illa, ex qua prima contraria uniuscuiusque generis se inuicem expellunt; quod si sermo sit de materia, non quæ absolutè prima sit, sed quæ sit prima, aliquo modo primæ contrarietati in uno quoque genere determinatè correspondens: admitti potest consequentia, sed nihil contrà nos, talis enim materia erit particularis, & proxima, non autem uniuersalis, & remota, de qua nos loquimur.

68 Obijcies septimò: potētia, & actus sunt in eodē genere; si ergo materia esset essentialitèr potentia ad formas accidentales, esset accidens, & non substantia; antecedens præterquam, quod defenditur à Thomistis, & Scotistis colligitur ex Arist. 12. *metaph. tex.* 26. 27. & 28. vbi dicitur, quod potentia respectu diuersorum diuersa est.

Respondeo primò: negando antecedens ad eius probationem quoad Aristotelem dico; illum velle solum cuicunque formæ proximum aliquod subiectum, seu materiam correspondere; vt V. G. colori, superficiem, diaphaneitatem, seu quid simile, lumini, primis verò qualitatibus, quantitatem &c. ex his autem non potest inferri, quod actus, & potentia absolutè in eodem genere esse debeant. quoniam verò illud axioma uniuersalitèr admittitur à Doctoribus. idcirco.

Respondeo secundò: illud multiplicitèr explicando; & primò quidem illud expono de actu existentiæ, & de potentia possibilitatis, seu obiectiua; in eodem enim prædicamento est res, quando existit, ac est in statu possibilitatis: secūdo de potentia, & actu metaphysico, de genere scilicet, & differentia, quę semper spectant ad idem prædicamentum, seu genus entis; Tertiò de actu, & potentia physica, vel quatenus hæc includit priuationem actus, in cuius genere reperitur; quæ priuatio reductiuè semper pertinet ad prædicamentum formæ oppositæ; vel de illa potentia physica, quæ ordinatur ad actum propter formalem eius perfectionem, quo pacto materia solas formas substantiales respicit, & est in eodem genere substantię cum illis. ex his autem nihil sequitur contrà nos.

Obijcies octauò: materia in tātū est potētia ad formas accidentales, in quantum est potentia ad substantiales; ergo per prius habet, quod sit potentia ad substanciales, quam ad accidentales: cum sic; in eo priori materia intelligitur essentialiter constituta, & à quacunque alia re distincta, ergo potentia ad formas accidentales non est de eius essentia. 69

Respondeo: distinguendo antecedens, materia in tantum est potentia ad formas accidentales in quantum est ad formas substantiales: si per hoc reduplicetur ratio formalis propter quam materia respicit accidentia, concedo antecedens: sin autē per hv, in quantum, denotetur aliqua potentia à priori contradistincta, quæ sit causa posterioris; nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod cum formæ accidentales, & substanciales participent eamdem rationem bonitatis formaliter, eque primò à potentia materiæ respiciuntur; & quamuis eędem formę accidentales materialiter acceptæ in posteriori naturæ respiciātur, quia tamen hęc posterioritas non est posterioritas in quo, sed à quo: hinc sequitur, quod nunquam materia intelligi posse essentialiter constituta sine potentia ad formas accidentales. quod si intelligatur à nobis; inadęquatè solum, & in confuso dicendum est, quod intelligatur. Iam verò fallacia propositi argumenti potest facilè ex hoc alio argumento dignosci; Cæsar in tantū est homo in quantum habet humanitatē, per prius igitur humanitatem habet, quam sit homo; ergo esse hominis non competit illi essentialiter; quę quidem consequentia manifestam falsitatem includit.

Ex quibus remanet satisfactum rationi, qua 70
mouetur Ouiedus *contr.* 2. *Physic. punct.* 3. *nu.* 8. ad negandam potentiam ad formas accidentales esse de essentia materiæ; quia videlicet, materia primariò refertur ad formas substātiales, secundariò verò ad accidentales; hæc enim propositio veritatem habet materialiter loquendo, non formaliter; sicuti hęc alia: materia potest prius recipere formas accidentales, quam substantiales, si quidem priorities hæc, & posterioritas cadunt solum supra materiatem ipsam receptionem: non

verò

Digitized by Google

verò supra formalem potentiam materię, quę est formalissimè vna.

SECTIO OCTAVA.

De appetitu materię ad formas.

71 QVod sub disputatione de potentia materiæ de eius appetitu loquamur, minimè mirum alicui videri debet. materiæ enim appetitus ad formas idem est formalissimè cum potentia, per quam ipsa easdem formas recipit, atque sustentat, vt ex dicendis constabit; occasionem verò sumimus dicendi aliquid de appetitu ex Aristotele, qui *primo Physic. tex.* 31. & sæpe alibi ait: materiam appetere formam, vt turpe pulchrum; pro quarę sciendum est, appetitum esse duplicem, alter dicitur elicitus, seu animalis; alter verò innatus, seu naturalis; appetitus elicitus est proprius eorum, quę operantur ex cognitione, & est actus, quo animalia appetunt bonum à se cognitum, qui quidem actus si cognitionem sequitur intellectiuam, vt sæpè contingit in homine, dicitur appetitus rationalis; sin autem sequitur cognitionem sensitiuam, vt semper in Brutis, appellatur sensitiuus: appetitus autem naturalis non est actus elicitus, sed quædam propensio, & inclinatio rei, quæ dicitur appetere, inclinatio, inquã, in suum finem, & bonum naturale; qui quidem appetitus subdiuidi solet in actiuum, & passiuum, & actiuus quidem est ad aliquid agendum, passiuus verò ad aliquam perfectionem sibi debitam, seu proportionatam recipiendam, quibus prędictus sit.

72 Prima conclusio, materia appetit formas appetitu non quidem elicito, sed naturali, & quidem passiuo; est communis contrà Auicennam *lib.* 1. *suę sufficientiæ capite secundo.*

Probatur autem conclusio, quo ad singula; & primò quidem, quia appetitus materię non oritur ex aliqua cognitione formarum, quæ sit in materia; ergo non est elicitus. deinde materia per positiuam inclinationem respicit formam tanquam suum perfectiuum sibi conuenientis; appetit igitur illam appetitu naturali. Denique huiusmodi inclinatio materię non est ad formas à se producendas; illa enim vt ex primo de generatione *tex.* 35. colligitur, non est actiua, sed ad illas in se recipiendas, ergo appetitus iste non est actiuus, sed passiuus. ex quo deducitur materiam primam per eamdem formalissimam rationem constitui potentem recipere formas, ac appetentem illas; habere enim appetitum propriè competit animali, & per metaphoram rebus insensibilibus accomodatur, idemque in eis significat, ac habere positiuam potentiam seu inclinationem, & capacitatem ad aliquid.

73 Secunda conclusio: materia prima tum absentes, tum præsentes formas appetit; absentes quidem appetitu, per modum desiderij, quod connotat priuationem boni desiderati: præsentes verò appetitu per modum complacentiæ, quę propriè respicit bonum præsens.

Probatur: quia naturalis appetitus, seu inclinatio, quam materia habet ad formas est ipsi materiæ essentialis; ergo siue formas habeat; siue non, semper inclinabit ad illas, easque appetet; quod etiam in ordine ad formas corruptas intelligendum est; non quidem quatenus corruptas; sic enim non sunt bonum materiæ, nam reduplicatiuè accepte, & vt corruptæ illam perficere nequeunt; sed quatenus sunt essentialiter formæ, quibus accidentaliter tum productio actualis, tũ corruptio competit; quod autem appetitus hic in ordine ad formas absentes sit per modum desiderij, in ordine verò ad præsentes, per modum complacentiæ patet, ex desiderii, & complacentiæ significatione; desiderium enim est inclinatio in bonum absens, complacentia verò in bonum præsens. Hoc autem non est intelligendum quasi verò materia diuerso modo feratur in formam absentem, ac præsentem, quia hoc est impossibile posito, quod fertur in illas essentialiter, sed quod diuersimodè se habeant ipsę formæ, vnde fit vt diuersitas hęc accidentaliter tantum materiæ appetitum afficiat, siquidem desiderium est eius essentialis potentia quatenus connotat in se priuationem formę, complacentia verò ex eadem potentia quatenus connotat in se ipsam formam.

Obijcies primò: si materia appeteret formas 74
absentes inclinaret ad corruptionem formæ præsentis; sed hoc est inconueniens; ergo &c. maior patet, quia formæ absentes sunt incompossibiles cum formis præsentibus; Minor verò probatur tum quia sicuti forma est bonum materię, ita formæ corruptio est illi malum; nemo autem inclinat ad malum suum: tum etiam, quia falsum esset quod materia appeteret formam præsentem, hęc enim duo pugnant ad inuicem, naturaliter sibi complacere de aliqua re, & simul naturaliter ad illius rei corruptionem inclinare.

Respondeo: distinguendo sequelam; inclinaret ad corruptionem formæ præsentis, per se, nego sequelam; per accidens, concedo; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam; ad primam autem minoris probationem dico, quod vnius formę corruptio dummodo alterius formę productio immediatè succedat, non est materiæ malum simpliciter, sed solum secundum quid, ad quod non est absurdum, quod ipsa materia per accidens inclinet; ad secundam vero probationem, nego quod ex eo quod materia inclinet per accidens ad corruptionem formę præsentis, sequatur quod non appetat illam per se, siquidem appetitus per se pugnat tantummodo cum inclinatione per se ad destructionem illius rei, de qua supponitur esse appetitus, non autem cum inclinatione per accidens: explico distinctionẽ, materia secundum se appetit quãcumque formam substantialem, quia in quacunque ratio formalis appetibilitatis eius reperitur, siue demum eiusmodi forma absens sit, siue sit præsens; quoniam verò absentem absque præsentis deperditione materia obtinere non potest; hinc fit, vt ipsa materia per accidens ad corruptionem præsentis formæ propendere, & inclinare dicatur.

Obijcies secundò: anima Rationalis contineret eminenter in se peculiares rationes cęterarũ formarum; ergo materia saltem quando est sub anima rationali non est cur appetat reliquas formas. 75

Respondeo: transeat antecedens. nego con-

se-

Digitized by Google

quantiam; materia enim appetit formas secundum formales perfectiones, quas in se continent, quia secundum istas vnum per se cum illis in genere substantiæ constituit; non autem eisdem, secundum perfectionem eminenter in aliquo alio contentas; sic enim posset etiam appetere naturã Angelicam, seu Diuinam.

76 Quæres hic: an materia appetat magis formam perfectiorem, quam minus perfectam.

Respondeo cum distinctione; & siquidem sermo sit de materiæ appetitu, veluti accidẽtali; quatenus, scilicet, est proximus, vel quatenus est terminatus ad ipsas formas: Dico, quod materia magis appetat formam perfectiorem, quam minus perfectã, contrà verò si sermo sit de eius appetitu essentiali secundum se considerato; dico, quod æquè appetat quamcunque formam. Primum probatur; & quidem si loquamur de appetitu illius quatenus terminatur ad formam perfectiorem, quod sit perfectior se ipso prout formaliter intelligitur terminatus ad formam minus perfectã, est manifestum; siquidem sic acceptus reduplicat ipsas formas, quarum vna supponitur perfectior altera; si autem sermo sit de appetitu proximo ad dictas formas suadetur ex eo, quia appetitus redditur proximus in ordine ad aliquam formã per dispositiones eiusdem formæ, atqui quo forma est perfectior eo perfectiores dispositiones sibi vendicat; igitur materia appetitu proximo appetit quoque magis, hoc est perfectiori modo formam perfectiorem, quam minus perfectam. Secundum verò dictum, quod propugnatur à Ruuio *tract. 1. de materia q. 2. dub. 2.* sic euincitur. Ideò materia de se appetit formam, quia ab ea substantialiter completur, & determinatur; sed quælibet forma substantialis, siue perfectior sit, siue imperfectior æque habet substantialiter materiã complere, atque determinare; ergo materia secundum se æquè appetit perfectiorem formam, & minus perfectam. Confirmatur: si materia nobiliores formas magis appeteret non respiceret quamlibet formã disiunctim, & indeterminatè, sed ad animam rationalem, quæ omnium nobilissima est determinatè inclinaret, atqui hoc est falsum, nam sic, si non violenter, vt rectè docet Comptonus *disp. 8. sect. 1. n. 11.* at cum minore satisfactione appetitus sui existeret sub alijs formis, & maiori facilitate dispositiones animæ rationalis in se reciperet, maiorique difficultate eisdem deperderet, & multo difficilius ab ipsa se separari permitteret; ad eum planè modum quo homo, statum suę beatitudinis consequutus, difficillimè eo spoliari sustineret; quæ omnia sunt contrà experientiam; videmus enim eodem modo materiam ad cuiuscúque formæ dispositiones inclinare nec maiori difficultate transire ab anima Hominis ad formã cadaueris, quàm à forma alimenti ad formam eiusdem hominis recipiendam; vnde patet omnes æquæ appetere, & solum beneficio nobilioris agentis ad nobiliorem formam determinari. Porrò hanc quidem sententiam rectè defendit Arriaga *disp. 2. Phys. sect. 4. subdc. 1.* verum inconsequenter postea *disp. 7. sect. 3.* ait quod si per impossibile vna forma substantialis implicaret, materia euaderet impossibilis, si enim non appetit formas nisi vt substantialiter compleatur ab illis, cum à qualibet sic compleri possit: manifestè sequitur, quod sub qualibet suum finem obtineat; vnde implicanti beneficio non esset cur debeat ipsa impleri.

Sed videamus quid contra hoc secundum nos 77
obijcit Comptonus, qui in contraria est sententia, sic enim habet *loc. cit. num. 7.* appetitus innatus est propensio rei in bonum suum; ergo quo res est illi melior illam magis appetit, sed materia maximè perficitur ab anima rationali, quæ est omnium perfectissima; ergo materia super cæteras formas illam appetit.

Respondeo tamen; concesso primo enthimemate, distinguendo subsumptum. materia maximè perficitur ab anima rationali considerata in ordine ad compositum humanum, quod simul cum anima rationali componit, concedo; considerata materia secundum se, nego absumptum, & con- 2
sequentiam, siquidem materia potest dupliciter cõsiderari, primò secundum se, secundò in ordine ad compositum, quod vna cum forma constituere debet, iam si primo modo cõsideretur dico, quod forma in se ipsa melior, non est melior ipsi materiæ, neque adeò hæc nõ magis ab anima rationali perficitur, quam ab alia quacunque forma, quia, maior illa perfectio in anima omnino per accidens se habet in ordine ad finem suum; quatenus ipsa secundum se nihil aliud appetit, quam compleri substantialiter; quod si complemẽtum, quod habetur per hanc formam est nobilius alio, quod habetur per aliam, non curat; sicuti neque arca, quod impleatur auro potius, quam alia re viliori- 3
ma; sat enim illi est si habeat suam capacitatem expletam; at verò secundo modo accepta materia, non potest negari, quin magis perfectiore forma perficiatur, quam imperfectiore; siquidem cum perfectiore constituit compositum, nobilius, ad quod rursus materia secundum se considerata non magis inclinat, quem ad ignobilius; sed solum secundum quod est pars illius, quatenus omnis pars ad suum totum, tanquam ad finem suum propendet; Porrò hic determinatus finis accidẽtaliter etiam respicitur ab ipsa materia, quatenus, scilicet, per has potius dispositiones, quam per alias ad illum determinatur; cæterum de se indifferens est ad vnum potius compositum, quam ad aliud.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXTA

VTRVM MATERIA PROPRIAM habeat existentiam.

ET si antiqui Philosophi chaos appellauere materiam, quatenus in eius potentialitate omnium rerum naturalium semina tanquam prima elementa, confusa quadam ratione continentur; hoc tamen nomine potiori iure mihi donanda videtur, eo quod omnia, quæ de ea disputari solent in scholis, varia, perplexa, & confusissima sint: & quidem si illa solum, quæ ad eius essentiam pertinent de quibus hucusque egimus, essent huiusmodi res, tolerabilis foret: nunc verò vsque ad eius existentiam Disputatio perturbata protrahitur, multo maiorem confusionem habens, quam præcedentes; in qua nos quanti poterimus, claritate, ac distinctione vti consueuimus, Deo fauente, procedemus; sitigitur.

SECTIO PRIMA.

Non nullis præsuppositis aperitur status quæstionis.

EX his, quæ hucusque dicta sunt, facilè constat materiam primam ex se & independenter à forma tanquam à causa formali habere suum esse essentiæ substantiale, & incompletum, per quod in ratione primi subiecti essentialiter constituatur.

Quoniam verò in creatis, præter esse essentiæ, datur etiam esse, quod existentiæ appellatur, per quod eorum essentia ponitur formaliter à parte rei extra suas causas; & actu suum habet esse; remanet adhuc dubium: vtrum hoc esse existentiæ materia habeat ex se, an verò ei à forma substantiali communicetur, quemadmodum parieti esse disgregatiuum visus, & esse album à forma albedinis tribuitur.

Vbi aduerte; illud, ex se, non sumi in genere efficientis, secus quæstio nulla esset cum fidè constet omnem rem creatam, sui esse Deum auctorem habere, quin etiam insufficienter proponeretur, quandoquidem si non à forma, at saltem ab alio aliquo potuisset materia habere illud; intelligitur ergo in genere causæ formalis; in quo quidem genere, vt quæstio locum habeat supponendum est primo existentiam rerum creatarum, nemine cogitante ab earum essentia esse distinctam, alioquin; vt benè notat Arriaga *disput. 2. phys. sect. 5. nu 67.* cessaret omnis quæstio: nam sicuti materiæ propriam essentiam ab essentia formæ contradistinctam, ita & propriam existentiam sine vlla controuersia deberemus concedere. *scio non nullos* hanc suppositionem non æquo animo recipere, vt potè quæ vim omnem argumentis quibus suos oppugnant aduersarios retundat; Verum hi suos consulant Duces, & Patronos, inter quos Hurtadus *disput. 2. phys. sect. 6.* ad præsentem, inquit, controuersiam supponenda est distinctio realis, aut modalis inter essentiam, & existentiam; nam, ea distinctione reiecta, nullus supereſt huic controuersiæ locus; hæc ille. Idemque docet Ouiedus, & alij; item ne præsens quæstio euaneſcat supponendum est secundo dari celebriores modos explicandi distinctionem ex natura rei inter essentiam, & existentiam. vnus est quod ista actualitas rei sit existentia: essentia verò nihil actualitatis de se importet, sed solum potentiam recipiendi illam; ad eum planè modum quo paries de se nihil albedinis affert ad eō̄stitutionem albi, sed solam potentiam ad essendum album, totam verò rationem formalem albi expectet à forma albedinis.

Alter verò modus est, quod essentia vt contradistincta ab existentia habeat quidem aliquam actualitatem ita tamen exilem, vt per ipsam solam non possit esse terminus actionis productiuæ, sed requirat necessariò consortium existentiæ, vt illam valeat terminare, atque adeò si agens velit ponere essentiam actu extra causas, & à parte rei debeat de necessitate per actionem suam non solum dare essentiæ illam debilem actualitatem, quam vt contradistincta ab existentia habere potest sed etiam illam aliam robustiorem quæ consistit in ipsa existentia.

3 Iam verò nos cum subtilioribus Thomistis in præsenti controuersia supponimus essentiam priori modo ab existentia ex natura rei esse distinctam; quidquid sit an in rei veritate ita se res habeat: de qua re suo loco. hac enim suppositione facta si aſseramus eam habere propriam existentiam, causa eius erit communis cum alijs rebus; contrà verò si negemus, multo euadet deterior, quam in alia suppositione. qui enim sustinet eam carere propria existentia supponendo totam essentiæ actualitatem in existentia posſitam esse, multo facilius idem sustinere poterit supponendo essentias ab existentia condistinctas, actualitatem quamdam, quamuis exilem, & debilem, sibi vendicare. ita vt si ex illa priori suppositione transferatur ad posteriorem, nihil negotij illi præstandum supersit; multum verò si ex posteriore ad priorem atque adeò laudabilius est in priori suppositione instituere quæstionem illos, qui negare debent materiæ propriam existentiam, quam in posteriori.

4 Supponendum tertiò facta suppositione distinctionis inter essentiam, & existentiam falsum omni-

Digitized by Google

omnino esse id, quod admittit tanquam probabile Mazziotta *q.3. n.157.* & promittit se alio loco probaturum; nimirum, quod existentia causetur, & conseruetur seu tribuatur à solo Deo, à causis verò secundis non tribuatur, neque causetur, nisi solum instrumentaliter, seu dispositiuè, ac determinatiuè, quatenus suis causalitatibus disponunt materiam, & causant compositum, quod solum est susceptiuum existentiæ, Deumque determinant, vt hanc potius, quam illam existentiam composito tribuat; falsitas enim huius sententiæ patet primò, quia ratio, cui innitur est sola auctoritas D. Thomæ, vt patet ex *n.157.* sæpè dicentis esse, seu existere, non posse, nisi in Deum causam vniuersalissimam referri, cum sit effectus vniuersalissimus; sed hoc facilè explicatur si dicamus; huiusmodi dictum habere veritatem in hoc sensu, quod scilicet, nulla causa creata respiciat tanquam effectum suum, esse, seu existere, vt sic; alioquin exigeret influere in omne ens creatum, & ideò hoc sit proprium solius Dei; cum quo stat causas creatas nō nisi esse determinatū, vt esse ignis, caloris &c. tanquam effectum suum sibi vendicare, vt bene explicat idem D. Thomas *3.contra g.cap. 66.* ex quo colligitur nullum remanere huic sententiæ tam singulari probabile fundamentum.

5 Contra eamdem facit secundò, quia vel loquitur de omni existentia, nimirum tum rerum accidentalium, tum substantialium, vel de sola existentia rerum substantialium; non primum, quia non posset assignari quomodo causæ secundæ suis causalitatibus disponerent subiectum, aut determinarent Deum ad hanc potius existentiam tribuendam effectui, quam aliam; posito enim, quod existentia luminis V. G. est à Deo inassignabile est quid causet sol in aere, per quod illum disponat, vel determinet Deum ad dandam lumini existentiam; nam Diaphaneitas, quæ est luminis dispositio, supponitur in ipso aere independenter à sole; neque potest dici secundum, quia sicuti in rebus creatis datur vis causatiua formarum accidentalium, ita & formarum substantialium: ergo sicuti per priorem vim possunt res creatæ causare existentiam formarum accidentalium: ita & per posteriorem, substantialium, si enim harum existentiæ sunt nobiliores illarū; etiam vis quæ eas respicit supponitur perfectior, atque robustior ea, quæ illas respicit, quod si dicat causas secundas attingere vel vtriusque, vel alterius generis formarum existentias instrumentaliter tantum.

6 Contrà est tertiò; quia sic negaretur causis secundis vis causatiua principalis, vel in ordine ad omnes effectus, vel saltem in ordine ad effectus substantiales materiales, contrà communem sensū meliorum Philosophorū. Quod si adiungat hanc causalitatem principalem exercere causas secundas ponendo essentias suorum effectuum sub existentia à Deo principaliter causata.

7 Contrà est quartò; quia sic iam præsupponeretur ad earum causalitatem existentia effectus tāquam terminus, cui cōiungēda esset essentia eiusdem: Porrò hoc est impossibile. implicat enim, quod existentia formæ caloris V.G. vel ignis intelligatur esse à parte rei antecedenter ad calorē, vel ignem; & rectè id quidem, est enim modus afficiens essentiam, atque adeò illam de necessitate, vel supponens, vel afficiens. Quod si denique addat causalitatē principalē causarū secundarum occupari in constituendo conflato ex materia, & forma, cui Deus in posteriori naturæ, postea tribuit existentiam.

8 Contrà est quintò, quia hæc responsio supponit quod existentia non solum ordine intentionis, sed etiam ordine exequutionis primo, & per se conueniat composito, quæ est sententia Soncinatis *7.metaphy.q.2.* vbi affirmat, quod in instanti generationis prius natura intelligitur forma vniri materiæ, secundò ex illis constitui compositū; tertiò compositum recipere existentiam; quartò denique formam, & materiam existere per existentiam ipsius compositi; quam doctrinam laudat, & amplectitur Mazziotta multis in locis præsertim *n.134. 135. & 136.* sed hic modus philosophandi non subsistit primò, quia non potest intelligi quomodo forma in eo priori intelligatur vi agentium naturalium vnita materiæ, absque eo quod intelligatur existens, qua enim ratione causæ secundæ efficientes illam causauerunt, & extraxerunt de potentia suæ, & in materiam introduxerunt si nondum formaliter erat existens? secundò quia ex hac doctrina sequeretur manifestè, quod non solum materia non haberet propriam existentiam, sed neq; forma; siquidem vtraque existeret per existentiam, quæ non solum ordine intentionis, sed etiam exequutionis primò, & per se competeret composito; atque adeò sicuti implicat contradictionem per Mazziottam, quod materia existat sine forma, ita implicare deberet quod forma saltem materialis existeret sine materia; quia existentia esset propria ipsius compositi, quod in sententia huius auctoris distinguitur realiter à partibus simul sumptis, vt patet ex *q. 7. sect.3.* non minus quam forma à materia. Tertiò denique quia gratis omninò, & sine vlla prorsus ratione negatur formæ existentia propria. Si qua enim esset, maximè esset auctoritas D. Thomæ, qui *2.contra g. cap.53.* ait; quod propriè esse, seu existere sit compositi; de quo absolutè dici potest quod est, seu existit; sed hoc facilè dissoluitur si explicetur, quod loquatur de esse, seu existere, vt quod, ordine intentionis; non autem, vt quo, & ordine exequutionis, dicaturque: quod hoc secundo modo esse, seu existere sit proprium formæ; vnde fiat vt si materia careat propria existentia: per hoc præcisè, quod intelligatur habe in se formam ab Agente naturali productam, in eodem signo beneficio ipsius formæ, intelliget existere; quodque vtraque sic existens constituat compositum; atque hic est sensus communis omnium in quæstione præsenti. dum enim quærunt, num materia existat per propriam existentiam, an verò per existentiam emendicatam à forma? supponunt in sententia negatiua sustineri, formæ primo, & per se ordine exequutionis deberi existentiam, & ab ea ipsi materiæ communicandam esse.

9 Ex quibus omnibus patet supponendum esse quartò, posito quod materia non habeat propriam existentiam extituram per existentiam, quæ primo,

Digitized by Google

mò, & per ſe ordine exequutionis debeatur formæ, & eius beneficio ipſi materiæ communicetur.

10 His autem præſuppoſitis. Prima ſententia aſſerit materiam primam ſuam propriam, & partialem exiſtentiam ab exiſtentia formæ contradiſtinctam habere; atque adeò ex ſe formaliter, & non beneficio formæ exiſtentem reddit. ita Alexander *primo de Anima cap. 1.* Scotus *in ſecunda diſtinct. 12. quæſt. 1. & 2.* cum ſuis aſſeclis. Suarez. *diſputat. 13. metaphyſ. ſect. 5.* Fonſeca 8. *metaphyſ. cap. 1. q. 2.* Valentia *to. 1. diſputat. 5. quæſt. 2. punct. 1.* Bartolomeus Amicus *tom. 1. Phyſic. tract. 5. quæſt. 4. a dubit. 3.* Conimbricenſes *primo Phyſic. cap. 9. quæſt. 3. art. 1.* Rumius *tract. de materia*, Hurtadus, Arriaga *locis ſupra citatis*, & alij quos citat, & ſequitur Auerſa *quæſt. 10. ſuæ Philoſophiæ ſect. 8.* nec non etiam Lyncеus *tom. 2. Philoſophiæ lib. 2. tract. 2. cap. 3.* & *alij.*

11 Oppoſitum tenet ſecunda ſententia, quam docet D. Thomas *prima parte quæſt. 7. art. 2. ad tertium, & quæſt. 4. artic. 5. ad ſecundum. & in 1. diſtinct. 8. quæſt. 5. &* Rurſus *prima part. quæſt. 15. art. 3. & quæſt. 76. art. 4.* & ſæpe alibi, celebris eſt inter cæteros locus ille *ex quæſt. 4. de potentia Dei artic. vnico* deſumptus, vbi hæc habet: materia non poteſt in rerum natura exiſtere quin aliqua forma informetur, quid quid enim in rerum natura inuenitur, actu exiſtit; quod idem non habet materia, niſi per formam, quæ eſt actus eius, vnde non poteſt ſine forma in rerum natura inueniri; ſimilia habet *quodlib. tertio articulo primo.*

12 Sed multo celebrior eſt ille, qui habetur *1. 2. q. 4. artic. 5. ad ſecundum*, vbi quærens quomodo Anima ſeparata à corpore poſſit eſſe beata, cum beatitudo eſſentialiter importet operationem perfectam, quæ non conſequitur niſi eſſe perfectum, quod quidem eſſe Anima extra corpus habere nequit: reſpondet S. Doctor negando hoc vltimum; ſic enim habet: animæ humanæ remanet eſſe compoſiti poſt corporis deſtructionem; & hoc ideò quia idem eſt eſſe formæ, & materiæ, & hoc quidem eſt eſſe compoſiti; Anima autem ſubſiſtit in ſuo eſſe, vnde relinquitur, quod poſt ſeparationem à corpore perfectum eſſe habeat, vnde perfectam operationem habere poteſt, licet non habeat perfectam naturam; Verum celeberrimus omnium eſt ille, qui deſumitur ex *prima parte quæſt. 66. art. 1.* vbi S. Thomas quærit ex profeſſo, vtrum informitas materiæ, tempore, ipsius formationem præceſſerit; & negatiuè reſpondet in corpore; ſed audi rationem; ſi enim, inquit, materia informis præceſſit duratione, hæc erat iam in actu, hoc enim duratio importat; creationis enim terminus eſt ens actu, ipſum autem, quod eſt actu eſt forma; Dicere igitur materiam præcedere ſine forma eſt dicere, ens actu ſine actu; quod implicat contradictionem. quid clarius de mente S. Th. quamuis autem auctores primæ ſententiæ illum conentur ad ſua caſtra pertrahere: inuanum tamen laborant; repugnant enim omnes Thomiſtæ, qui hanc ſententiam ad eius mentem acriter defendunt, vt Capreolus Thomiſtarum facile princeps *in primo diſtinct. 3. quæſt. 3. & in ſecundo diſtinct. 13. quæſt. 1. artic. 3. ad primum Scot. contra primam concluſionem*, Caietanus *de ente, & eſſentia cap. 1.* Ferrarienſes *2. contra gentes cap. 68.* Herueus, Bagnes, Ripa, Iauellus, & alij. Præter Thomiſtas, pro hac ſententia citatur Auerroes *12. Metaphyſ. comment. 14.* Zimara *Theoremat. 15. & in ſua Fabula verbo materia.* Bacconus *in 2. diſtinct. 14. quæſt. 5.* Durandus *in 2. diſtinct. 12.* Zabarella *lib. 2. de natura materiæ cap. 4.* Pendasius *in examine dogmatum Ariſt. cap. 18. ad 28.* vbi probat multis argumentis hanc eſſe ſententiam Ariſtotelis, his adde Boetium *lib. de vno, & vnitate*, Valleſium *controu. 2.* Cabreram *in tertiam partem quæſt. 2.* Soncinatem *7. metaphyſ. quæſt. 17.* Iamdunum *primo Phyſic. quæſt. 19.* & plures alios quos citat, & ſequitur Bernardinus Mazziotta *tom. 1. ſuarum ſelectarum quæſtionum quæſt. 3. ſect. 2. num. 12.*

SECTIO SECVNDA.

Eligitur à nobis ſententia negatiua, & probatur.

NOſtra Concluſio: *Materia non habet propriam exiſtentiam, ſed per exiſtentiam formæ fit formaliter exiſtens, & extra cauſas.* Hoc ſuadebitur à nobis quadruplici argumento, quorum priora duo in hac ſectione, poſteriora verò inſequentibus explicabuntur. 13

Probatur ergo primò noſtra ſententia ex Ariſtotele *7. metaphyſ. tex. 49.* vbi argumentans contrà Platonem exiſtimantem dari quaſdam Idèas vniuerſales, quæ vna cum naturis indiuidualibus indiuidua ſubſtantialia conſtituerent, ſententiam hanc impugnat ex abſurdo, quod ex ea ſequeretur; quia, ſcilicet, nullum indiuiduum ſubſtantiale eſſet vnum ens per ſe; ad cuius rei probationem axioma illud vſurpat: *Ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum per ſe*: ſed hoc ipſum abſurdum inferri poſſet contra aduerſarios, ſi materia propriam haberet exiſtentiam, in quantum tum ipſa, tum forma, quæ compoſitum ſubſtantiale conſtituunt, eſſent entia in actu per duplicem exiſtentiam actuata; ne igitur hoc aſſeramus dicendum eſt, materiam in ſententia Ariſtotelis propria exiſtentia carere.

Neque dicas cū Giattino *in Phyſ. q. 2. artic. 3.* axioma illud intelligendum eſſe de entibus exiſtentibus in actu Phyſico completo, vt ſunt homo, & lignum V. G. non autem de exiſtentibus in actu incompleto, quemadmodum ſunt materia, & forma ſeorſim accepta; ne id dicas, inquam; cum enim vellet Plato ex Idèa, & natura indiuiduali vnum per ſe indiuiduum conſtitui: putabat conſequenter hæc non eſſe nisi entia quædam incompleta, atque hoc ſine vllo incommodo, vt ſuam ſententiam tueretur, poterat ſuſtinere. quod etiam præſtitiſſe, conſtare poteſt ex eo, quod nullibi Ariſtoteles docet eum oppoſitum defendiſſe, cum maxi- 14

mè

mè debuerit, ut magis eum premere videretur; ex quo sequitur, non solum de actu completo, sed etiam de incompleto Axioma illud intelligendum esse iuxta mentem Philosophi, quo pacto de facto intellexerunt meliores Peripatetici.

15 Quod si posset idem Axioma repetens dicat Philosophus, ex duabus substantijs non posse fieri vnam substantiam: hoc secundum dictum non debet esse regula primi; sed potius è contrario, ita vt nomine substātiæ veniat quecunq; dummodo actu proprio sit constituta, siuè demum completa sit, siuè incompleta.

16 Item, & *Metaph. tex. 3. idem* Aristo. ait materiam non esse quod quid actu, sed potentia, & *lib. 12. cap. 2.* docet materiam non esse actu, sed potentia, & per hoc opponi formæ, quæ est actu, tum sic. Illam rationem actus negat Aristoteles in his locis materiæ, quam concedit formæ; sed formæ solam rationem actus existentiæ intendit hic concedere; ergo &c. maior patet; minor probatur, quia dicti loci exponi nequeunt de actu metaphysico essentiali, quia forma non est tota essentia compositi, neque eius differentia essentialis.

Neque intelligi possunt de actu physico; forma enim rationem actus Physici in recto participat, quia essentialiter habet vt sit huiusmodi actus, et hic sermo est de ea ratione actus, quam illa habet in obliquo; dicitur enim locis citatis esse ens actu; & quod quid actu, adeoque de ratione actus, quæ competit illi accidentaliter; cuiusmodi est sola ratio actus metaphysici existentialis, quem cum Philosophus neget materiæ, manifestè sequitur iuxta eius principia materiam propriam existentiam non habere. Neque te terreat, quod materia sæpe appellatur potentia in obliquo, nam sic dicitur quatenus includit priuationem formæ absentis, simile quid non potest dici de forma quando appellatur ens actu. Idem colligitur ex eodem Aristotele 1. *Phys. tex. 69. & 1. Phys. tex. 8. & 2. item Phys. tex. 11. & sepe alibi*; Atque hæc de auctoritate.

17 Probatur secundò ratione desumpta ex his, quæ communiter antiqui Doctores sine vlla controuersia materiæ attribuunt. Siquidem eam Aristoteles, passim potentiam appellat, Commētator verò primo Physicorum *Comment. 68.* eam docet esse naturam quādam mediam inter purum ens, & purum non ens. D. Augustinus autem *lib. 12. confess. cap. 9.* Domine, inquit, duo creasti vnum prope te, quod est Angelus; alterum prope nihil, quod, vt ipse met docet, est materia: omnes denique materiam primam puram potentiam esse, & infimam in genere entis ingemiè fatentur; quod adumbrare volentes Ægyptij eam dicebant tenebras, totius entis defectum, non ens, & nihil: Plato verò *in Timæo* eam appellauit omni actu carētem, vt sit omnis actus susceptiua, non secus, ac mollia omni figura nudantur, & liquores omni odore: vt liquores imbui possint quocunque odore, omnique figura mollia exornari. Sed si ei negemus propriam existentiam melius hęc dicta saluamus; ergo, cum ex huiusmodi negatione nullum sequatur absurdum, vt ex argumentorum solutionibus patebit: constanter ei propriam existentiam negare debemus; minor patet quia carere propria existentia est maxima omnium imperfectio, redditque materiam non enti, valdè propinquam, & infimam in toto genere entis, & magis mediam inter ens, & non ens, magisque puram potentiam, quam illam habere; ita vt hoc solo nomine censeatur acoidens intra genus entis nobiliorem locum sibi vendicare: quam ipsa materia; quia, scilicet, propriam sibi vendicat existentiam; contrà verò illa.

Neque dicas imperfectionem hanc esse incōpossibilem cum ratione entis, ac proinde reddere materiam non ens, ac purum nihilum. 18

Contrà siquidem est: quia admissa hac imperfectione, adhuc tamen materia à puro non ente recederet, cum autem inter ens, & non ens, realiter loquendo, non detur medium manifestè sequitur eam per huiusmodi recessum constitui in ratione entis realis, & positiui; sequela maioris probatur; quia purum non ens, neque per se, neque per aliud potest existere; sed materia, admissa hac imperfectione, adhuc tamen per aliud existere posset; ergo iam recederet à puro nihilo, seu non ente.

Neque iterum addas, quod, cum existentia sit primus actus essentiæ realis, eumque hæc debeat esse immediatum subiectum sui primi actus, implicet contradictionem aliquod esse ens reale, & mediante alio recipere existentiam. 19

Contrà namque est primò; quia si quis dixerit existentiam identificari realiter, cum cæteris rebus, quarum propria esse dicitur, adeoque cum ipsa forma; Distingui verò, solum à materia propter summam eius imperfectionem, sicuti quidam docti Recentiores existimarunt, eludit hanc instantiam; quemadmodum enim materia in hac sententia esset subiectum immediatum formæ in esse, & existentiæ, cum qua forma identificaretur. 20

Contrà etiam est secundò, quia dici satis probabiliter potest, quod etiam si forma sit ratio quare materia existat, & radix vnde profluat existentia, hęc tamen in vtraque immediatè recipiatur, quemadmodum putant Thomistæ, quod accidentia subiectantur in toto composito, atque adeò quod tum materiam, tum formam immediatè afficiant, & informent; ergo nulla est instantia. 21

Contrà denique est tertiò; quia nullam illius vniuersalis propositionis, quam assumunt ratione, siue à priori, siue à posteriori assignare possunt Aduersarij; potest enim rectè intelligi vnus modus immediatè quidem recipi in vno subiecto, & hoc mediantè in altero, ita vt vtrumque subiectū afficiat, suumque effectum formalem vtrique tribuat; vt in figura, quę immediatè quidem in quātitate; mediatè verò in materia subiectatur, & tamen vtramque figuratam reddit; hinc asero existentiam immediatè quidem recipi in formam, & hac mediante in materiam, neque obstat ratio primi actus, siquidem dici potest, quod existentia sit quidem actus primus illius essentiæ cui comparatur, vt propria, non autem cui est aliena, sicuti est materiæ; atque adeò nihil mirum esse, si hæc tanquam quid sibi intimius respiciat formam; siquidem per eam redditur extra causas, & 22

Digitized by Google

exiſtentiæ actum obtinet. Adde modum computandi idem realiter cum re cuius eſt modus, ideoque exiſtentiam non conſtituere in rigore actum diſtinctum à forma; atque hæc eſt ratio cur Ariſt. & D. Th. de forma, deque eius exiſtentia, vt de vnico actu perpetuo loquuti ſunt: quod ſi in duos actus illam diſtinguimus; forma, vtpote eſſentialis materię perfectio, reſpectu ipſius ſemper habebit rationem prioris actus quam exiſtentia.

SECTIO TERTIA.

Aſſertur tertia concluſionis noſtræ probatio, & expenditur fundamentalis quædam Ratio P. Mazziottæ.

23 PRobatur tertiò noſtra concluſio in hunc ferè modum: de facto datur ſub genere entis purus actus, nullam habens admixtam potentialitatem, quoad intrinſeca ſua, neque eſſentiæ, neque exiſtentiæ: ergo non repugnat, quod ſub eodem genere detur pura potentia nullam dicens actualitatem neque quoad exiſtentiam, neque quoad eſſentiam; huiuſmodi autem non poteſt aliud eſſe niſi materia, vt de ſe eſt manifeſtum; ergo &c. omnia patent præter primam conſequętiam, quæ conſtat ex eo, quia ſi quid repugnat, vel eſt ex eo, quod exiſtentia in rebus creatis à parte rei non diſtinguitur ab eſſentia; vel ſi diſtinguitur, quia quælibet eſſentia ſuam propriã exiſtentiam ſibi vendicat; hoc ſecundum gratis aſſeritur ab aduerſariis loquendo de ea eſſentia incompleta, quæ eſt natura ſua ordinata, vt pars potentialis ad conſtituendum vnum per ſe cum alia comparte, quæ ſe habet vt actus; hæc enim cum debeat ſummè à puro actu diſtare, & quidem diſtantia poſitiua, debet conſequenter poſſe exiſtere, ſed per exiſtentiam alienam, per quod à puro non ente ſufficienter diſtinguitur, quod cum diſtet à Deo per negatiuam diſtantiam, nullo modo exiſtere poteſt. Primum eſt contrà ſuppoſitionem, quam præſens quæſtio etiam fatentibus ipſis Aduerſarijs neceſſariò inuoluit: quod ſi quidam eam non admittunt, quin imo ſe ab hac quæſtione præſcindere reſpõdent, hi nihilominus interrogandi ſunt: num ſiue per poſſibile, ſiue per impoſſibile in rebus creatis eſſentia diſtinguerentur pluſquam ratione ab exiſtentia: in tali caſu deberet materia per exiſtentiã à forma emẽdicatam naturaliter exiſtere, nec ne? & ſiquidem affirment: hoc ſolum te in hac quæſtione phyſica tantummodo contendere affirmabis: ſi autem negent, contrà hoc Te argumentari à paritate rationis ex actu puro deſumpta profiteberis.

24 Dicet aliquis primò hunc argumentandi modum, ab vno extremo, ad inferendum aliud ad ſũmum habere vim, loquendo de poſſibili, quod ſcilicet non implicet contradictionem poſſe dari huiuſmodi materiam, non autem de facto, ſicuti à nobis præſens controuerſia inſtituitur.

Sed contrà eſt primò; quia ea quæ tribuuntur à Philoſophis noſtræ materiæ primæ, adeò eam vilificant, vt implicet dari poſſe in genere ſubſtantiæ aliquid ea vilius, & potentialius; quid enim eſt imperfectius, vmbra, tenebris, & nihilo? ergo ſi non repugnat dari ſubſtantia, omnem à ſe actualitatem propriam excludentem, hęc nõ eſt niſi noſtra materia.

Contrà etiam eſt ſecundò, quia vt benè aduertit Bacconus *in 2. diſtinct. 12. qu. vnica art. 2.* quoties dantur duo extrema quorum neutrum implicat, rectè, ex eo quod in rerum natura detur vnum, deducitur quod detur alterum. ſiquidẽ ſupponere debemus mundum, vtpote in ſe completum, omnem perfectionis gradum comprehẽdere; qui modus argumentandi conſtat ex Ariſt. *12. metaph.* vbi probat, ex eo quod detur in rerum natura motum non mouens, dari motorem non motum, qui eſt primus mouens, quod eſt aliud extremum. vt autem vis huius redargutionis appareat, notandum eſt Bacconum hoc ipſum principium adduxiſſe ad illud idem argumentũ, quod nos adducimus confirmandum; & hanc vnã rationẽ, vt ait ipſe, eſſe ſoluẽtem omnia aduerſariorum argumenta, quæ facere videntur contra puram materiæ potentialitatem. 25

Dices ſecundò; in tota latitudine entis eſſe quidem aliquid, quod ſit pura potentia etiam entitatiua, omnis actualitatis expers, huiuſmodi autem ens eſſe quamlibet creaturam purè poſſibilem, non autem materiam primam, ita ferè Lynceus *lib. 2. Phyſ. tract. 2. cap. 4. nu. 39.* 26

Sed contrà eſt, quia hic non agimus de ente, quod ſit pura potentia accidentaliter, & ratione ſtatus, quomodo omne quod eſt in ſtatu poſſibilitatis dicitur eſſe merè poſſibile, atque adeò in pura potentia ad exiſtendum, quam potentiam amittit, quando poſtea actu ſit exiſtens; ſed de ente, quod ſit pura potentia intrinſecè, & ſubſtantialiter; celebris enim eſt illa diuiſio entis in ens, quod ſit potentia, & in ens quod ſit actus de qua Ariſtoteles toto fere *lib. 9. metaphyſic.* vbi inquit Auerroes Philoſophum agere contrà eos, qui potentiam à rebus exterminabant; & *primo de Anima tex. 6.* vbi actum, & potentiam diuiſiones entis appellat, & *primo de generatione tex. 11. & primo Phyſ. n. 78.* & ſępè alibi; pro quã diuiſione nota ex Suarez, & alijs relatis à Mazziotta *tom. 1. quæſt. 3. ſect. 3. n. 26.* in ea diuidi ens in duo membra ſecundum ſua intrinſeca conſiderata, præſcindendo à ſtatu poſſibilitatis, & à ſtatu actualitatis; ita vt ens quod eſt potentia in vtroque ſtatu ſit potentia, & ens quod eſt actus in vtroque ſtatu habeat rationem actus. alioquin compoſitum poſſibile conſtaret ex duabus partibus, quarum vterque eſſet ens potentia; actuale verò ex duabus partibus, quarum vtraque eſſet actus, componeretur; atque adeò numquam de ſubſtantiali cõpoſito verificaretur, quod conſtaret ex actu, & potentia. quin imo, quando cum præciſione ab vtroque ſtatu illud conciperemus, dicẽdum eſſet quod ab vtroque præſcinderet; quod manifeſtam continet falſitatem; Hæc igitur duo membra entis quorum vnum eſt actus, alterum potentia immobiliter ſecundum ſua intrinſeca ſumi debẽt, & non ita vt vnum poſſit tranſire in aliud, vel formaliter eſſe aliud, dico, formaliter, quia, realiter loquendo, id quod eſt actus reſpectu vnius, nõ dubium quin poſſit eſſe potentia reſpectu alterius. Anima enim quæ eſt actus corporis, eſt potentia receptiua ſuarum potentiarum; & quantitas,

Digitized by Google

tas, quæ est actus materię est potentia receptiua primarum qualitatum; Porrò ea quæ ita se habent, absolutè loquendo, ad actum pertinere cẽsenda potius, quam ad potentiam, quia iam ab imperfectione potentię eximuntur; ad eum planè modum quo substantiale compositum licet ex actu, & potentia componatur inter entia, quæ sũt actus computatur, vnde est vt sub membro entis, quod est potentia sola materia prima absolutè, & simpliciter collocanda sit de qua argumentũ nostrum procedit, quod scilicet, sicuti in tota latitudine entis datur ens quoddã, quod quoad intrinseca, & essentialia sua sit purus actus; ita ex opposito dari debet aliquid quod quoad intrinseca, & essentialia sua sit pura potentia, cuiusmodi certum est non esse entia merè possibilia, hæc enim solum accidentaliter, & ratione status sunt potentialia.

Quod si hic modus argumentandi non valet in alijs rebus; vt V. G. in toto genere entis datur ens, quod secundum sua intrinseca sit summum bonum; ergo dari etiam debet ens, quod secundũ sua intrinseca sit summum malum: ideò est quia bonum est passio entis vniuersaliter accepti, atque adeò ab omni eo quod rationem entis participat inseparabile; cum autem summum malum quamcunque boni rationem excludat à se: hinc est vt implicet dari ens summè malum; valet enim argumentari, est ens; ergo est bonum. At ratio actus, tantum abest, quod sit omni enti intrinseca; quin imo est membrum diuidens ipsum ens in communi, contradistinctum ab ente, quod potentiæ rationem includat.

27 Dices denique tertiò ad argumentum principale materiam etiam in sententia Thomistarum esse de se actu materiam; implicat enim quod sit materia in potentia; & sic quoad essentiam, actualitatem quandam importare, atque adeò implicare contradictionem sub genere entis dari puram potentiam. nihil enim potest intelligi esse in potentia ad se ipsum.

Contrà tamen est, quia nomen actus aliquando sumitur latè ad significandam existentiam rei cõplexæ, idest veritatem propositionis, in qua acceptione dicimus: chymera de se est actu nõ ens; cuius sensus est, quod verum sit chymeram esse non ens, ex quo non licet inferre, quod chymera habeat realem aliquam actualitatem, siuè essentiæ, siuè existentię; eumdem omninò sensum reddit in his propositionibus dicta particula: materia de se est actu natura: materia de se est actu potentia; de se est actu materia &c. per hæc enim non significatur, quod ipsa de se sit actus, vel in actu, vel natura aliqua actualis, sed solum quod sit actu natura potentialis, & actualiter potentialitatem respectu omnis actus inuoluat, seu, quod idem est, quod veræ sint propositiones illæ, in quibus ratio primi subiecti, & naturæ, & entis potentialis de ea prædicantur: cæterum sicuti potentia actiua actualis in Deo non destruit conceptũ actus puri in ipso Deo: ita neque esse actu potẽtiam passiuam rationi puræ potentiæ aduersabitur.

28 Hic occurrit examinandus modus discurrendi Mazziottæ *q. 3. cit. sec. 4. d n. 64.* vbi vt ostendat materiam non habere de se existentiam, sed eam expectare à forma docet: illam adeò esse puram potentiam, vt nullam rationem differentialem, neque specificam, neque numeri eam includat, atq; adeò de se non esse vnam specie atoma, neque vnã numero positiuè, sed tum rationem specificam, tũ numericam à forma recipere; vnde colligit non esse mirum si etiam à forma recipiat existentiam, & si implicet contradictionem eam existere sine forma; repugnat enim etiam in ordine ad Dei potentiam aliquid carens sua vltima differentia essentiali, per quam in vltima specie constituatur, & sua vltima differentia indiuiduali per quam sit hoc potius indiuiduum, quam aliud existere posse à parte rei.

Verum hoc dictum potest intelligi dupliciter. Primò quod materia non sit de se in aliqua specie vltima completa ponibili in recta linea prædicamẽtali substantiæ, neque completã habeat indiuiduationem, similem illi, quam habent cætera indiuidua substantialia completa: & hoc sine controuersia verissimum iudico: secundò quod non sit in sua vltima specie incompleta, quodque careat sua incompleta indiuiduatione, & hoc puto falsum omninò, quia materia substantialiter, & metaphysicè considerata dicit in se intrinsecè rationem positiuam tum specificam constituentem illam in specie atoma primi subiecti vniuscuiusque, tum indiuidualem, cuius beneficio est potius hæc numero materia quam alia.

Iam verò in hoc secundo sensu loqui hunc auctorem constat primò ex his, quæ dicit *n. 65.* vbi comparat materiam primam cum animalitate posita distinctione formali Scotistarum; sicuti enim, inquit, principium sentiendi non est aliud nisi esse potentiale incompletum determinabile ab hac, vel illa differentia: ita materia; constat, secundo ex *nu. 71.* vbi ait quod quamuis materia habeat duos conceptus genericum scilicet substantiæ, & specificum primi subiecti, non est tamen in specie atoma; sicuti neque animal, quantumuis ex ratione generica viuentis, & differentiali sensibilis componatur; eo quod ad constituendam essentiam alicuius in specie atoma necesse est vt differentia sit vltimo completiua illius essentialiter; adeò vt nihil post ipsam adueniat, quod ad constituedam eius essentiam pertineat; ex quo deducit, quod sicuti animal est species subalterna, ita ad summum dici poterit, quod etiam in specie subalterna sit materia secundum se, & secundum sua intrinseca considerata. 29

Constat denique tertiò ex *nu. 73.* vbi ingenuè fatetur materiam ex se non solum non esse speciem atomam completam, sed ne incompletam quidem, ex quo deducit *nu. 74.* eam non habere ex se rationem numericam, seu indiuiduale, quia hęc aduenit essentiæ in vltima specie constitutæ, qualis non est essentia materiæ.

Sed descendamus si placet ad rationes quibus ipse *nu. 69.* mouetur ad hanc sententiam, quam dicit esse Thomistarum, defendendam; ex earum enim solutionibus veritas oppositæ sententiæ stabilietur; prima ratio sumitur ex auctoritate D. Thomę *1. par. q. 16. art. 7. ad secundum* vbi sic; materia prima dicitur esse vna, non quia habet vnam formam, sicuti homo est vnus ab vnitate vnius formæ, sed per remotiorem omnium formarum 30

distin-

Digitized by Google

diſtinguentium; Verum adhoc facilè reſpondetur ſanctum Doctorem loqui de vnitate vniuerſali materię, quam docet non deſumi poſitiuè ab vnitate formæ, ſicuti in homine, ſed per hoc, quòd remoueantur ab ea per intellectum omnes formæ; & ratio eſt; quia ſic facile poteſt perſpici eius eſſentia, quæ alioqui de ſe eſt ignota, atque adeò facile etiam poterit conſequenter ab intellectu reddi vniuerſalis.

Dixit enim hoc ſanctus Thomas ad oſtendendum quod aliquid dupliciter poteſt intelligi eſſe ſemper, & vbique; primò poſitiue per hoc quod habeat in ſe vnde ſe ad omnem locum, & ad omne tempus extendat; ſecundo negatiuè, quia non habet id per quod ad aliquod tempus, & ad aliquem locum determinetur; paritas autem currit in materia, quia ipſa quoque dupliciter poteſt intelligi vna primo poſitiuè beneficio formarum quibus informatur, & ijs mediantibus beneficio indiuiduationum illarum quibus numericè multiplicatur; ſecundo negatiuè quatenus ab vtriſq; præſcinditur; & quia niſi prius remoueantur ab illa omnes formæ per intellectum, non poteſt à proprijs indiuiduationibus præſcindi, ideò remotioni earum completa vnitas negatiua tribuitur, cæterum idem ſanctus Doctor *in 2. diſtinct. 12. q. 1. art. 1.* ad tertium expreſſe habet: quod diuerſæ materiæ ſe ipſis diſtinguntur; quod ſi hæc alia verba immediatè ſubdit: (ſecundum Analogiam ad diuerſos actus prout in ijs diuerſa ratio poſſibilitatis inuenitur;) illis ſignificat quod ad vltimo ſpecificandas diuerſas materias, cœleſtem, ſcilicet, & ſublunarem ſufficiat, quod ad diuerſas formas, hoc eſt ad inamiſſibiles vna; & amiſſibiles alia ordinetur.

31 Secunda ratio ſic procedit vnitas ſpecifica importat rationem eſſentialiter determinatam, atque completam; ſed materia de ſe eſt ratio eſſentialiter indeterminata, & complebilis; ergò de ſe non habet vnitatem ſpecificam: maior patet, minor probatur quia ſi materia eſſet determinata, & completa non poſſet vnam ſpeciem, ſeu vnam cõpletam eſſentiam cum forma conſtituere, ad eum plane modum quo natura Hirci, quia completa, & determinata eſt, non poteſt cum natura Ceruĩ ad conſtituendam vnam ſpeciem coaleſcere.

Reſpondeo: diſtinguendo maiorem vnitas ſpecifica importat rationem eſſentialiter determinatam, atque completam phyſicè, nego metaphyſicè concedo maiorem; & ſic diſtincta minore: materia prima de ſe eſt ratio eſſentialiter determinabilis atque complebilis phyſicè, concedo: metaphyſicè, nego minorem; & conſequentiam; ad minoris probationem eamdem adhibeo diſtinctionem, ſi materia eſſet phyſicè determinata, & completa non poſſet vnam completam eſſentiam cum forma conſtituere cõcedo: poſito quod ſolum metaphiſicè ſit huiuſmodi, nego abſumptũ; & dico quod vnitas ſpecifica, de qua loquimur, hoc eſt illius rei, quæ non eſt ponibilis in recta linea prædicamentali, ſed ſolum à latere predicamẽti importat quidem rationem metaphiſicè determinatam, & completam, eo quod omnis ſpecies atoma debet neceſſariò conſtare ex genere, & vltima differentia, at non eſt cur non poſſit importare rationem phyſicè loquendo vlterius determinabilem, atque complebilem. deſtendendo autem ad caſum noſtrum aio: materiam eſſe quidem phyſicè loquendo informem, indeterminatam, & incompletam quatenus expectat formari, determinari, & compleri per formam: at metaphyſicè conſideratam eſſe in ſe vltimo determinatam completam, atque formatam per ſuã vltimam rationem differentialem primi ſubiecti omnium formarum ſubſtantialium, per quam vltimo conſtituitur in ratione ſubſtantiæ incompletè perfectibilis, & à quocunq; alio, quod non eſt ipſa ſufficienter diſtinguitur.

Contrà hanc diſtinctionem ſic inſurgit, argumentaturq; tertiò Mazziotta, & eſt eius Achilles; 32
quo pluribus locis vtitur nimirum *num. 64. 79. & 90.* materiam eſſe Metaphyſicè determatam: Phyſicè verò indeterminatam inuicem pugnare; ergo nulla diſtinctio. Antecedens probat ſic: omnis ratio metaphyſica deſumitur ab entitatè phyſica, eique proportionatur; ſiquidem entitas Phyſica rei eſt radix, & origo omnium rationum metaphyſicarum, quæ in ea concipiuntur à nobis ergo repugnat quod aliquid metaphyſicè determinatũ, & completum ab entitate phyſica indeterminata, & incompleta ſumatur.

Pro Reſponſione nota dupliciter poſſe intelligi materiam phyſicè indeterminatam, primo ut ſe quaſi verò ipſa ſit indifferens ad eſſendum id, quod phyſicè eſt, atque expectet determinari ad Phyſicam ſui ipſius entitatem obtinendam, ſecundo in ordine ad aliud, quatenus ipſa de ſe eſt pars ſubſtantialis perfectibilis cuiuſcunque compoſiti naturalis, ita vt quoad intrinſeca ſua ſit indifferens ad componendum potius lapidem, quam hominem, vel leonem, vel equũ &c. Iam verò quòd materia nõ ſit phyſicè indeterminata primo modo eſt certo certius, implicat enim aliquid eſſe indifferens ad eſſendum id, quod eſſentialiter eſt; ergo quatenus ad hoc determinata eſt, licet ſit phyſicè indeterminata ſecundo modo, quatenus eſt primum ſubiectum omnium formarum, & in ordine ad illas recipiẽdas habeat indifferentiam; quo poſito.

Reſpondeo ad argumẽtum: diſtinguendo antecedens: materiam eſſe Metaphyſicè determinatã, Phyſicè verò indeterminatam inuicem pugnant: ſi eſt indeterminata phyſicè primo modo cõcedo; ſin autem ſecundo modo, nego antecedens, & conſequentiam; & ad probationem antecedentis dico veriſſimum quidem eſſe omnes rationes metaphyſicas, quæ concipiuntur in re ſumi ab entitate phyſica ipſius rei certo quodam, ac proportionato modo conſideratæ, & ſic differentiam metaphycam atomam materiæ à determinatione, & limitatione Phyſica, quam habet ad eſſendum primum ſubiectum potius, quam quoduis aliud deſumi; Iam verò hoc ſufficit ad verificandum, quod ratio metaphyſica determinata materiæ non, niſi à ratione phyſica determinata illius oratur; cum quo ſtat quod materia ſit adhuc phyſicè indeterminata ad componendum ſubſtantialiter ignem, vel aquam &c. Quamuis enim hæc indeterminatio, & incompletio ſit eius ratio phyſica, quia tamen omnimoda determinatione ab ipſa materia importatur, eſt ſufficientiſſima ad fundandam metaphyſicam differentiam, ipſam materiam in ſpecie

Digitized by Google

cie vltima constituentem in specie inquam, vltima non quidem omnino completa ponibili in recta linea prædicamentali, sed incompleta, & vlterius perfectibili; per quod differt materia à natura Hyrci, quia hæc cum non solum metaphysicè, sed etiam physicè sit determinata, atque completa, nullo modo est apta ad faciendum vnũ per se in genere physico cum natura Cerui, sicuti est apta materia id facere cum forma substantiali.

33 Dices: in hoc vno per se, quod in genere physico ex materia, & forma resultat, habetur noua species, & noua indiuiduatio metaphysica; iam ergo materia de se non solum in genere physico, sed etiam in genere metaphysico erat indeterminata.

Respondeo duplicem indeterminationem in genere metaphysico posse nos apprehendere in materia, correspondentem duplici indeterminationi physicę modo dicto; prima est in ordine ad se, quasi verò ipsa in se sit indifferens ad essendum metaphysicè id, quod est: secundò in ordine ad aliud, idest in ordine ad constituendum simul cũ forma aliam tertiam essentiam metaphysicam: quo posito dico, quod materia est quidem metaphysicè indeterminata secundo modo; at per hoc non fit, vt sit indeterminata primo modo. Porro hæc determinatio huic primo modo opposita in sua physica determinatione fundatur, & est sufficiens ad constituendam materiam in determinata specie cum sua metaphysica indiuiduatione, sed incompleta, sicuti à nobis dictum est supra. Hoc ipsum tenetur dicere aduersarius de forma substantiali, quam ait esse metaphysicè determinatã, & tamen est indifferens ad constituendas essentias metaphysicas, si nõ specie diuersas sicuti materia: at diuersas numero: Certum est enim quod si hæc numero forma substantialis V. G. Anima D. Petri vniretur nunc cum materia huius ligni non constitueret idem numero compositum, quod constituebat quãdo erat vnita cum materia ipsius Diui Petri; alioquin idem numero D. Petrus resurgeret siue hanc, siue illam materiam eius anima informaret.

Hanc eamdem substantialis formæ indifferentiam probare possumus in ordine ad diuersas vniones quas cum eadem numero materia habere potest, quarum una sit dependens à materia, aliam verò independens; & tamen, ea non obstante est metaphysicè determinata, determinatione tamen incompleta; ergo licet materia in ordine ad compositum constituendum metaphysicam habeat incompletionem: est tamen in se essentialiter determinata, atque completa sufficienter ad hoc vt sit in specie Atoma, & indiuidua; Æquiuocatio autem committitur, dum sumitur metaphysica hæc incompletio pro illa alia, quæ cum sit exclusiua differentiæ specificæ, & indiuidualis est propria generis, seu speciei subalternæ, quam dicit auctor habere de se materiam.

34 Atque ex his manifestè deducitur ratio à priori cur materia prima de se habeat non solum suam differentiam specificam Atomam, sed etiam indiuidualem, atque numericam; hoc ipso enim quod habemus Physicam alicuius rei entitatem in se determinatam; habemus in ea id, per quod notabiliter differt ab aliquibus rebus, quæ sunt sub eodem genere proximo, & id per quod differt quidem ab alijs, sed non notabiliter, ergo habemus in ea differentiam specificam atomam, & indiuidualem; atqui datur Physica entitas materiæ in se determinata, vti supra probatum est; ergo & cætera; minor huius, quæ sola indiget probatione suadetur ex eo, quia nulla ratio realiter condistincta à re aliqua est apta facere illam, vel essentialiter, vel numericè differre ab alijs; tũ quia antecedenter ad huiusmodi rationem supponitur iam differre, tum quia dicta ratio est prorsus improportionata ad exequendum munus hoc; vt patet in re nostra; si enim materia suam differentiam specificam, atque numericam expectaret formaliter à forma: hæc constitueret materiam vnum specie, & vnum numero cum ipsa forma, quæ enim habent eamdem differentiam specificã atomam, sunt idem specie; quæ verò habent eamdem differentiam numericam sunt idem numero. at hoc est impossibile, quia differentia specifica formæ non est apta contrahere essentiam materiæ, quam dicit auctor habere rationem speciei subalternę, quia substantia potentialis generica non nisi per atomam, & determinatam rationem potentialitatis contrahi potest: non verò per rationem actus, sicuti neque ratio generica Plantæ per rationem specificam, aut numericam animalis. Atque hæc potest esse ratio à priori auctoris sententiam improbabilem reddens. Est etiam alia ratio à posteriori, quæ sic procedit: quia alias sequeretur, quòd materia prima in quacunque trasmutatione deperderet realiter suam rationem vltimam specificam, atque numericam; sed sic deperderetur conceptus substantialis trasmutationis: hæc enim essentialiter importat, vt idem numero subiectum, quod erat sub termino à quo, hoc est sub priori forma substantiali transeat in terminum ad quem ad formam consequẽtem; atqui in contraria sententia quando V. G. ex ligno fit ignis materia non remanet eadem neq; specie, neque numero; ergo &c.

Respondet ad hoc Auctor Ingeniosus *num.* 79. 35
ad conceptum transmutationis non requiri, quod subiectum remaneat idem specie, & numero positiuè, hoc est cum sua vltima differentia specifica, & indiuiduali, sed satis esse si remaneat idem specie, & numero negatiuè, seu priuatiuè. Porro materia sic remanet vna in transmutationibus, in quibus ita amittit vnitatem specificam, & numericam, quam habebat à forma priori, vt non corrumpatur, sed conseruetur in esse sub alia vnitate specifica, & numerica, quam formaliter illi communicat forma posterior; ergo iam saluatur conceptus trasmutationis; quod si quæras ab eo in quo nam consistat hæc negatiua, seu priuatiua vnitas? Respondet *n.* 67. consistere in eo, quod non dicat pluralitatem actuum, ex quibus vnitates plures proueniunt siue specificæ, siue numericæ. vnde colligit *n.* 77. quod si materia, quæ nũc est sub forma ignis, & materia, quæ nũc est sub forma aquæ spoliarentur his formis, & ex hypotesi impossibili remanerent sine omni alia: huiusmodi materiæ esset vna negatiuè tum specie, tum numero.

Sed

Digitized by Google

Sed contrà est primò: quia eius doctrina est, quam tradit *n.* 168. quod si compositum humanũ amitteret in hoc instanti vnionem illam substantialem, qua eius partes antea vniebantur, & aliam acquireret: verè compositum posterius esset aliud à priori; quia vnio pertinens ad essentiam intrinsecam vtriusque compositi esset diuersa; vndè concludit, quod in tali casu compositum præcedens verè corrumperetur, & verè generaretur posterius. atqui non minus pertinet ad essentiam intrinsecam rei differentia specifica, atque numerica eiusdem rei, quam vnio ad essentiam intrinsecam compositi; ergo si materia in trasmutatione amittit vnam differentiam tum essentialem, tũ numericam, & acquirit aliam, verè est alia à priore, & censendũ est quod vna corrumpatur, & alia de nouo generetur sicuti substantiale compositum in illo casu; non igitur saluatur conceptus trasmutationis in eius sententia.

Contrà etiam est secundò, quia si ad conceptum trasmutationis naturalis ex ligno in ignem 36
V.G. sufficeret identitas negatiua materiæ: sequeretur quod conuersio Eucharistica esset trasmutatio naturalis, saltem secundum substantiam; si non secundum modum; sed hoc est manifestè falsum; ergo &c. sequela suadetur, quia in huiusmodi trasmutatione habetur sub vtroque extremo identitas negatiua materiæ; siquidem materia prima panis, & materia corporis Christi, ex se præcisè consideratis ex vna parte non dicunt vllam pluralitatem actuum, neque specificam, neque numericam in sententia auctoris; ex alia verò dicunt indiuisionem aliquam consistentem in ratione primi subiecti, in qua nullam habent distinctionem, vt idem identidem asserit; ergo iam in conuersione Eucharistica saluaretur identitas negatiua subiecti, & per consequens trasmutatio naturalis secundum substantiam.

Confirmatur, quia per Mazziottam materia panis, & materia Corporis Christi, secundum se præcisè consideratæ, sunt vnum negatiuè; sed hoc sufficit ad saluandam transmutationem naturalem quando ex ligno fit ignis; siquidem materia secundum se considerata solum intelligitur transire, præsertim in eius sententia, qua sustinet in generatione substantiali dari resolutionem vsque ad materiam primam, vt patet ex *quæst. 9. sect. 4.* ergo debet etiam sufficere ad saluandam transmutationem naturalem, quando fit transubstantiatio panis in Corpus Christi.

Contrà denique tertiò, quia ex his, quæ docet 37
auctor sequitur quod si Anima D. Petri vniretur cum materia prima huius ligni V. G. componeret eumdem numero D. Petrum, qui fuit quando viuebat; quod probo, ex eo: quia hæc materia cum materia Corporis Diui Petri est eadem negatiuè; non videtur autem maior ratio cur ad saluandam transmutationem substantialem sufficiat identitas negatiua subiecti; & non sufficiat ad saluandam vnitatem compositi, posita eadem forma; Duplex enim vnitas potest concipi in materia aliqua, vna positiua, quæ prouenit à forma, & hanc haberet dictum compositum posterius, quia haberet eamdem Animam, quam habebat illud prius: altera negatiua, & neque hæc illi deesset, quia vtraque materia secundam se considerata sũt vnum tum specie, tum numero negatiuè; quod si ad diuersitatem vnionum, quæ haberetur in vtroque composito fiat recursus.

Contrà etiam est, quia non potest assignari, posito, quod materia posterior est eadem negatiuè cum priore, cur consequens vnio non possit esse eadem numero cum præcedente, quia hæc non respiciebat nisi materiam priorem quatenus negatiuam vnitatem habentem; in qua iam conuenit cum posteriore. Iinquo quamplures vnionem inter materiã, & formam modaliter distinctam nõ agnoscere: neminem autem dicere illa duo composita substantialia ex anima D. Petri resultantia esse idem numero. stet igitur materiam primam habere de se vtramque differentiam tum specificam, tum indiuidualem; neque ex hoc timendum sequi eam etiam de se habere existentiam, quia valde notabile discrimen reperitur inter vtrumque: nam differentiæ specificæ, & indiuiduales nõ distinguntur plusquam ratione à rebus, quarum sunt differentiæ. Contrà verò existentiæ ex suppositione præsentis controuersiæ; vnde non est mirum si materia possit quidem habere propriam speciem, & indiuiduationem; non verò propriam existentiam, sed emendicatam à forma.

SECTIO QVARTA.

Affertur vltima nostra Probatio, & simul examinantur duæ aliæ rationes: vna Patris Mazziottæ: altera Patris Mauri.

PRobatur denique quarto nostra conclusio: Si 38
materia propriam haberet existentiam, non posset facere vnum per se cum forma substantiali; consequens est absurdum; ergo &c. minor patet, sequela probatur: quia vtraque esset ens completum. Ratio enim entis incompleti non potest attendi, nisi pœnes hoc, quod natura sua exigat, vel trahi ab alio ad eius esse existentiale participandum, sicuti per nos est materia: vel trahere aliud ad se participandum, & ad esse existentiæ, quod habet in se, quod est munus formæ substantialis. Quæro enim ex aduersarijs cur ex potentia receptiua accidentali, & actu proprio item accidentali, qui ad illam primo, & per sè ordinatur, vt ex potentia visiua, & visione, ex intellectiua, & intellectione, cur inquam nõ possit fieri vnum per se, quemadmodum fit ex materia, & forma substantiali?

Respondebunt, ni fallor, quia vtrumque est ens completum; at vnde hoc habent? profectò, non magis potentia sustantialis ordinatur ad actũ substantialem, quam accidentalis ad accidentalem. Quod si accidens in genere esset perfectius substantia; dicere possent aduersarij, rationem accidentis de se habere rationem entis completi, at hoc falsum est: cur ergo potentia & actus substantiales erunt entia incompleta: non autem potentia, & actus accidentales. Enim verò nihil aliud videtur posse dici ab eis, nisi quod ita ab antiquis Philosophis acceperunt. Nos verò facilè huius rei rationem assignamus, dicendo: quod ideò potentia, & actus substantialis sunt entia incom-

Digitized by Google

incompleta, quia sunt essentialiter ordinata ad existendum per vnicam existentiam. Contrà verò, quia potentia, & actus accidentales distinctas habent existentias, idcirco seorsim accepta sunt entia per se completa; Hanc autem existentiarum distinctionem ex peculiari sua ratione exigunt, quatenus potentia accidentalis debet posse existere sine actu sibi correspondente, vt substantiæ, cuius est potentia, sit proportionata, quæ licet non semper operari debeat: debet tamen semper habere potentiam, sicuti ad operandum, ita ad operationes sibi proportionatas recipiendum, at verò substantialis potentia adeò est inseparabilis ab actu substantiali, vt si eo priuaretur in communi sententia non amplius exigeret esse; &, si à Deo nihilominus conseruaretur, in sententia aduersariorum, indebitus illi effet talis concursus conseruatiuus, eo quod ad nihil inseruiret in rerum natura.

39 Dices: hoc ipsum posse assignari ab aduersarijs pro ratione eius, quod est in quæstione: si nimirum dicatur, quod ideò potentia accidentalis est ens completum, quia est natura sua ordinata ad existendum sine actu suo; quia verò potentia substantialis non potest existere sine forma substantiali, hinc colligitur, quod sit ens incompletum.

Contrà tamen est: tum quia ex hoc præcisè deduci deberet saltem animam rationalem esse ens completum, quia à materia separata existit naturaliter, tum etiam quia nullus actus accidentalis potest naturaliter existere sine potentia, quæ ad illum recipiendum est essentialiter ordinata; ergo sicuti, ex eo, quod potentia substantialis non potest sine actu suo substantiali naturaliter existere colligis eam esse ens incompletum: ita ex eo, quod actus, accidentalis non potest sine sua potentia naturaliter conseruari, deducam ego ipsum esse ens incompletum, & sicuti tu ex incompleto potentiæ substantialis deducis formam substantialem esse incompletam: ita ego ex eo, quod actus accidentalis sit incompletus colligam potentiæ sibi correspondentis incompletionem.

40 Dices iterum: Patrem Suarez *disput. 14. metaph. sect. 2. in fine num. 14.* concedere ex potentia, & actu accidentalibus fieri vnum per se, atque adeò iuxtam hanc responsionem totum nostrum Argumentum corruere.

Contrà tamen est, quia nomine vnius entis per se in argumento nos intelligimus ens aliquod cõpositum, quod vnam essentiam, & entitatẽ habeat constantem ex partibus in suo genere incompletis, & ad se componendum essentialiter ordinatis, atque adeò ineptis, vt in recta linea prædicamentali seorsim ponantur, huiusmodi ens est V.G. lignum, quod ipsum quidem per se ponitur in recta linea substantiæ; at verò eius materia, & forma non nisi quatenus illud constituunt, vtpotè essentialiter incompleta.

Iam verò ex potentia accidentali, & eius actu non posse fieri hoc modo vnum per se est manifestum; vtrumque enim seorsim acceptum est ens completum per se ponibile in prædicamento qualitatis, vnde fit vt solum ens per accidens, ex eorum coniunctione resultet; & hoc habet expressè Suarez *disput. 4. metaph. sect. 3. nu. 13.* vbi ex professo agit de hac materia, cuius verba sunt: Hoc ipso quod vnum ens in suo genere est completum, & integrum, quod ei adiungitur, accidẽtaliter aduenit; & ideò vnum per accidens cum illo componere dicitur, & hoc modo ex potentia, & habitu, vel actu, hoc est, accidentali fit vnum per accidens; loco autem ab aduersarijs citato non loquitur absolutè, sed cum addito; agens enim de potẽtia accidentali: Quodammodo, inquit, per se vnum videtur in illo ordine constituere cum suo actu, videlicet cum quadam proportione, & imperfecta similitudine videtur id præstare, licet in rei veritate non præstet.

Dices denique tertiò: vnum per se importare primam radicem determinatam, & adæquatam proprietatum omnium, quæ sunt in indiuiduo; atqui implicat, quod potentiæ receptiuæ accidẽtales simul cum suis actibus componant huiusmodi radicem; nihil mirum igitur si nequeant vnum per se cum illis constituere. 41

Sed contrà est, quia aliud est agere de vno per se ex pluribus substantijs incompletis, constante: aliud verò de vno per se constante ex pluribus incõpletis accidentibus; vt certum autẽ nunc supponimus vnum per se primo modo sumptum importare primam radicem determinatam, & adæquatam proprietatum omnium, quæ in indiuiduo substantiali reperiuntur: at dubium est cur non sit dabile vnum per se secundo modo; & cur ex actu, & potentia passiua accidentalibus non fiat vnum per se in genere accidentis ponibile in recta linea prædicamentali accidentium: sicut illud substantiale de facto ponitur in recta linea prædicamentali substantię; profecto nulla alia ratio huius videtur assignabilis, quam quod ad rationem partis alicuius vnius per se, requiritur cõmunicatio in eadem indiuisibili existentia cum alia cõparte: ita videlicet, vt huiusmodi partes inuicẽ se respiciant hoc modo, vt vna afferat alteri existentiã, altera verò ab ea illam expectet, quod cum nõ sit inuenire in accidentibus, idcirco ex illis non fiat vnum ens per se. Dicere autem id prouenire ex eo, quod ratio essendi per se sit incommunicabilis rationi essendi in alio, quæ est propria accidentium est manifesta fuga, nã albedo licet sit accidens est vna per se. non enim hic loquimur de composito per se stante, sed de composito cõstãte ex partibus essentialiter incompletis per se, & ex natura sua ordinatis ad illud componẽdum, & cõstituendum vnum ponibile in recta linea prædicamentali.

Huc spectat argumentum, quo Pater Mazziotta probat materiam primam propriam nõ habere existentiam, ex eo quia ex existẽtia partiali materiæ, & existentia partiali formæ non potest fieri vnum per se; quod quidem argumentum expẽdendum censeo, quia plurimi videtur fieri ab Auctore, ita vt quinque solidas paginas ad eius vim declarandam insumat. 42

Ego breuiter illud proponam, & discutiã, sic, igitur procedit; vt patet *ex nu. 84.* Vt compositum substantiale existat requirit existentiam, quæ sit per se vna, & cõpleta, vt proportionetur ipsi; quod & vnum per se est, & completum; atqui implicat, quod ex duabus semiexistentijs, quarum vna sit materiæ, altera formæ fiat vna cõpleta existentia;

Digitized by Google

ergo non, niſi vna, & ſimplex exiſtentia cõpoſito ſubſtantiali tribuenda eſt; minor, quæ ſola indiget probatione, probatur, quia ſi ex duabus illis exiſtentijs fieret vna per ſe exiſtentia: deberẽt ita proportionari ad inuicem, vt vna ex eis ſe haberet, vt actus, altera vt potentia; hoc autem repugnare probatur tripliciter. Primò ex abſurdo, vt videre eſt *nu.* 85. ſic: non minus exiſtentia eſt primus actus in ſerie ſubſtantiali; qui ſcilicet, ita vltimo actuet, eſſentiam ſubſtantialem: vt nõ ſit vlterius actuabilis: quã materia ſit primũ ſubiectum, quod ita eſt fundamentum omnium, quæ ſunt in compoſito ſubſtantiali, vt ante ipſum nihil ſit in eſſentia conceptibile; ſed per aduerſarios nõ repugnat ratio primi actus vlterius informabilis, nimirum exiſtẽtia materiæ, quæ ſe habeat vt potentia reſpectu exiſtentiæ formæ; ergo neque repugnabit, vt ratio primi ſubiecti ſit informatiua. hoc autem eſt abſurdiſſimum, quia ſic materia haberet ſub ſe aliud ſubiectum, quod informaretur ab illa.

Secundò idem ſuadetur exemplo *n.* 93. ſic nullus actus reperitur, qui in ſua ratione formali præciſa includat rationem actus, & rationẽ potentiæ; ergo neque in ratione formali exiſtentiæ erit reperire exiſtentiam, quæ ſit actus, & exiſtentiã, quę ſit potentia. antecedens patet ex quãtitate, quæ licet ſit potentia receptiua aliorum accidentiũ implicat tamen, quod ſit potentia receptiua alterius quantitatis.

Tertiò denique à priori *nu.* 97. ſic: actus faciẽs vnum per ſe cum vna ratione, ſeu eſſentia informando illam, implicat, ſaltem naturaliter, vt faciat ſimul vnum per ſe cum alia ratione, ſeu eſſentia, eſſentialiter diuerſa; atqui ſi daretur exiſtẽtia partialis formæ, quæ tanquam actus faceret vnum per ſe cum exiſtentia partiali materiæ; idem actus, nẽpè exiſtentia formæ naturaliter faceret vnum per ſe exiſtẽs cum duabus rationibus eſſentialiter inter ſe diuerſis, nimirum cum eſſentia formæ, & cũ ipſa exiſtentia materiæ; ergo &c. maior, quæ ſola probatione indiget, ſuadetur, quia quod eſt actus alterius dicit intrinſecam proportionem cũ illo, ſed implicat vt vuum, & idem dicat proportionẽ intrinſecam cum duobus eſſentialiter diuerſis, nõ ſecus, ac quantitas, quæ ſit æqualis duabus quantitatibus inter ſe inæqualibus; ergo &c.

43 Sed ego, vt verum fatear hoc argumentum, quãuis ingeniosè explicatum, probare non poſſum, vt ſolidum ad noſtram ſententiam confirmandam.

Reſponderi enim poteſt falſum eſſe, quod ad hoc, vt ex illis ſemiexiſtentijs fiat vna exiſtentia completa totius compoſiti debeant inuicem cõparari, vt actus, & potentia: rectè enim dici poteſt quod cũ huiuſmodi exiſtentiolæ ſint vltimi actus, atque adeò improportionabiles inuicem in ratione potentiæ, & actus, vt ipſemet Auctor aſſumit, ad hoc, vt intelligantur facere vnam per ſe exiſtentiam ſufficiat ſi ſint propriæ partium eſſentialium ordinatarum ad faciendam eſſentiam cõpoſiti ſubſtantialis, quod eſt vnum per ſe. Quod ſi cætera, quæ faciunt vnũ per ſe, debent ſe reſpicere vt actum, & potentiam, ideò eſt, quia ſemper alterum eorum eſt quid eſſentiale, vel vt tota eſſẽtia, vel vt pars eſſentiæ, atque adeò capax potentialitatis; atque hæc ſatis eſſent pro ſolutione argumenti. Verum vt appareat illud eſſe ex omni parte ruinoſum, rimiſque vndecunque fatiſcere, placet aliam aperire viam illud diſſoluendi. Pro qua ſic diſcurrerem: vel Auctor tenet quãcumque exiſtentiam reſpectu cuiuſcunque rei, quę eſt in compoſito habere rationem primi actus, vel ſolum reſpectu alicuius tantum rei determinatæ, non poteſt dicere primum in ſuis principijs, quia ipſe *nu.* 8. ſuſtinet actum ſubſtantialem exiſtentiæ informabilem eſſe ab actibus accidentalibus, quæ ſunt in compoſito; ergo ſecundum: nil mirum igitur ſi exiſtentia materiæ ſit vltimus actus reſpectu materiæ ſecundum ſe conſideratæ: In ordine verò ad aliud hoc eſt reſpectu exiſtentiæ formæ ſe habeat vt potẽtiam, ad eum planè modum, quo diximus de ratione primi ſubiecti, quæ ita eſt vltimus actus eſſentialis conſtitutiuus eſſentiæ materiæ, vt ſit etiam formalis potentia reſpectu formæ hoc poſito.

Reſpondeo: ad argumentum principale 44
conceſſa maiore: negando minorem, & ad eius probationem conceſſo aſſumpto, nego item minorem. Ad primam verò eius probationem, ex abſurdo deductam negatur paritas; diſparitatem mutuam accipio ab aduerſario; quæro enim ex eo cur vltimus actus poſſit eſſe vlterius informabilis, non verò primũ ſubiectum alterius ſubiecti informatiuum? ſi enim dicat, ideò eſſe, quia exiſtẽtia ſubſtãtialis eſt actus primus in ordine ad ſubſtantialia tantum: non verò etiã in ordine ad accidentalia, quæ ſunt in compoſito ſubſtantiali, at verò materia eſt ſubiectum primum in ordine ad omnia tum accidentalia, tum ſubſtantialia; Dicam etiam ego exiſtentiam materiæ eſſe actum primũ in ordine ad ipſam materiam ſecundum ſe conſideratam, non verò in ordine exiſtentiam formæ cui ſubijci debet. Contrà verò, primum ſubiectum eſſe primum reſpectu omnium prorſus rationum, quæ habentur in compoſito, ſiue ſint ſubſtantiales, ſiue accidentales, ſiue eſſentiales, ſiue exiſtentiales; en tibi diſparitatem cur poſſit dari primus actus informabilis, nõ verò primum ſubiectum informatiuum; quam quidem diſparitatem ſic vlterius confirmarem.

Ad ſaluandum quod exiſtentia ſit primus actus non eſt neceſsè vt, tum in genere ſubſtantiali, tum in genere accidentali, & reſpectu cuiuſcunque, ſit primus, ſed ſatis eſt ſi ſolum in genere exiſtendi ſubſtantialiter, & reſpectu eſſentiæ, cui immediatè ſuum effectum formalem communicat ſit huiuſmodi; ſed hoc totum haberet exiſtentia materiæ, etiam ſi exiſtentiam formæ in ſe reciperet, nam materia non reciperet effectum formalem exiſtendi ab ipſa exiſtentia formæ, ſicuti neque de facto in noſtra ſententia ab exiſtentia accidentium, quæ ſuſtentat, ſed à ſua propria exiſtentia tantum; ergo non eſt cur neganda ſit propria exiſtentia materiæ primæ, ex eo precisè, quod eſſet informabilis ab exiſtentia formæ. Contrà verò ad ſaluandum, quod materia ſit primum ſubiectum, neceſſe eſt, vt tum in genere ſubſtantiali, tum in genere accidentali ſit primum, & reſpectu cuiuſcunque, quod in compoſito reperitur; ergo eſt maior ratio cur negãdum ſit materiæ primæ poſſe aliquod aliud ſubiectum vlterius informare.

Ad

Digitized by Google

Ad secundam minoris illius probationem dici rectè potest, existentiam materiæ, & existentiam formæ imitari differentiam eorum quorum sunt existentiæ; atque adeò sicuti in ratione essentiali substantiæ non est absurdum, quod detur quædam partialis substantia; quæ se habeat per modum actus, quædam verò, quæ se habeat per modum potentiæ, ita neque erit absurdum, quod in ratione existentiali eiusdem substantiæ sit vna existentia partialis, quæ potentialitatem imponat, alia verò, quæ dicat intrinsecè actualitatem; atque adeò differant inter se essentialiter; per quæ patet responsio ad argumentum: concesso enim antecedente, nego consequentiam, & dico non dari existentiam specificam, quæ includat in se rationem actus, & potentiæ, dari verò existentiam generica, quæ sub se tanquam duas species vtramque rationem contineat.

45 Contrà hoc frigida est instantia Complutensis, vt bene notat ipse Mazziotta n. 89. nimirum, quod ratio generica existentiæ non potest coniungi per potentialitatem eo quod semper ratio differentialis debet esse nobilior ratione generica, potentialitas verò est ignobilior existentia vt sic. Quando enim dicitur: existentiam materiæ contradistinguit ab existentia formæ per potentialitatem, non debet intelligi, quod hæc sit eius adæquata ratio differentialis; sed quod in ea ineludatur. optimè enim potest intelligi, quod existentia materiæ secundum suam vltimam rationem sit talis ratio actus, quæ specificetur ab essentia materiæ, cui est proportionata; & quia materia est essentialiter ordinata ad faciendum vnum per se cum forma in dicta ratione talis actus inuoluatur potentialitas quædam in ordine ad recipiendam in se existentiam formæ ad eum planè modum, quo in differentia existentiæ substantialis inuoluitur potentialitas in ordine ad actus accidentales ex sententia Mazziottæ supra relati non minus frigida est probatio desumpta à quantitate, quam dictus Auctor adduxerat. In tantum enim quantitas non est potentia ad aliam quantitatem recipiendam, quia quantitas non est vnum per se compositum ex duabus semiquantitatibus, sicuti est corpus naturale, eiusque existentia.

46 Ad tertiam denique rationem desumptam à priore, in qua assumebatur, quòd actus faciens vnum per se cum vna ratione seu essentia informando illam, implicat, vt faciat saltem naturaliter simul vnum per se cum alia ratione seu essentia essentialiter diuersa, distinguo assumptum, & siquidem duæ illæ rationes sint ordinatæ ad faciendum aliquod vnum per se, nego; sin autem non sint ad hoc ordinatæ, concedo; & ad minorem dico: quod datis duabus partialibus existentijs, licet idem actus existentialis formæ faceret vnum per se cum existentia materiæ, & cum essentia formæ; quia tamen hæ duæ rationes essentialiter diuersæ essent ordinatæ ad faciendum vnum compositum substantiale per se existens, ideò nulla esset repugnantia si idem actus existentialis formæ eas simul naturaliter informaret. quod enim vnus actus possit subiectari immediatè in duplici subiecto communiter tenent illi, qui admittunt accidentia subiectari in toto composito, quod tamen putant indistinctum à partibus: quod verò possit facere cum vtroque vnum per se constat ex eo quia vnum compositum per se existens verè omnia illa requirit, nimirum existentiam formæ, existentiam materiæ, & essentiam earumque. Idem euidentius suadetur in sententia volentium existentiam simplicem compositi immediatè recipi tum in materia, tum in forma, quæ tamen differunt inter se essentialiter; licet sustinendam eam esse propriam formæ, & non materiæ, & quod consequatur adiunctum & beneficio illius participetur à materia quod colligitur ex D. Th. 1. *par. quæst. 90. art. 2. primum* ubi ait: Dicendum quod esse consequitur per se formam creaturæ, supposito tamen influxu Dei; vnde Thomistæ passim docent esse fluere à formâ, & formam esse principium essendi ex his autem manifestè deducitur nullam esse repugnantiam naturalem in eo, quod actus faciens vnum per se cum vna ratione seu essentia, faciat simul vnum per se cum alia ratione, seu essentia essentialiter à priori diuersa: materia enim, & forma informantur vna indiuisibili existentia, quamuis inter se essentialiter differant. maneat igitur, siue negent aduersarij duas semi existentias respicere se inuicem, vt actum, & potentiam; siue id concedant, propositum Mazziottæ argumentum rectè dissolui.

47 Denique ad quartam hanc nostram rationem pertinere videtur fundamentum, quo P. Mauras *lib. 2. suarum quæstionum Philosophicarum qu. 2.* vtitur ad negandam materiæ propriam existentiam, quia scilicet, inquit, si eam haberet, sequeretur quod omnis forma esset accidens, & materia prima esset tota substantia corporum. ex hac enim euidenter probatur, quod si materia haberet propriam existentiam, non posset facere vnum per se cum forma substantiali; quæ nulla esset.

Iam verò sequelam probat Auctor, quia accidens est entis ens, ens secundarium, adiacens alteri; habens esse fundatum, ac receptum in alio; contrà verò substantia est ens primum, per se stans, fundans, & recipiens in se cætera; sed si materia propriam haberet existentiam, iam omnis forma, hoc ipso quod supponeret esse actuale materiæ, esset entis ens, ens secundarium, illi adiacens; habens esse fundatum, ac receptum in materia: contrà verò sola materia constitueretur per esse primum, per se fundamentale sustentans, ac recipiens in se cætera; ergo omnis forma esset accidens, & sola materia esset substantia.

48 Sed neque hæc ratio videtur efficax, soluenda enim est etiam ab ijs, qui materiæ propriam existentiam negant. siquidem etiam per hos omnis forma substantialis habet esse fundatum, ac receptum in illa; siue demùm forma accipiatur secundùm esse essentiæ, siue etiam secundum esse existentiæ; atq; adeò omnis cum materia comparata videtur esse entis ens, ens secundarium, eique adiacens: contrà verò ipsa materia propter contrariam rationem debet censeri primum ens, per se stans, fundans, & recipiens in se cætera; hoc enim ipso, quod esse essentialiter primum subiectum vniuscuiusque, hæc omnia æquè possunt de ea verificari, siue demum habeat, siue non habeat propriam existentiam.

Digitized by Google

Quare ad argumẽtũ omnes tenemur respõdere: nomẽ accidẽtis sumi posse dupliciter. primò amplè, seu metaphysicè pro omni eo, quod nõ est de essentia, neque proprietas illius cui intelligitur aduenire: atque adeò adest, & abest præter eius corruptionem. secundò strictè seu physicè pro eo quod non est primum principium passionum, quę sunt in individuo; & siquidem primo modo sumatur accidens, concedendum est non solum formas accidentales, sed etiam substantiales habere rationem accidentis respectu materiæ primæ: sin autem secundo modo, negandum; eo quod ipsæ cum sint pars constitutiua primi principij passionum, quæ sunt in individuo substantiali, non superuenient, neque accidunt illi, neque habent esse fundatum, & receptum; Paulò aliter distinguendum est quando dicitur, quod sola materia prima esset substantia, nam nomine substantiæ potest primò venire id, quod est absolutè primũ in individuo, fundans, & recipiens in se cætera omnia: secundò id, quod licet constet ex pluribus partibus quarũ vna se habeat, vt perfectibilis, altera vt perfectiua, atque adeò non sit omnino primum: sit tamen ens completum, & adęquatum principium passionum, quæ individuo competunt, hoc posito. Dico, quod si nomen substantiæ primo modo sumatur concedendum est solam materiam esse substantiam. Contrà verò si sumatur secundo modo. Porrò definitiones accidentis, atque substantiæ in secundo sensu accipiendę sunt, vt negemus formas substantiales esse accidentia, & solam materiam primam esse substantiam.

Iam verò, hac distinctione posita, euanescunt cætera, quæ hic auctor congerit ad suam hanc rationem fulciendam; præsertim illud quod sumit à paritate entis à se, sic: ens à se non potest compleri in ratione entis à se per additionem alicuius esse ab alio; ergo neque ens per se potent compleri in ratione entis per se per additionem formæ habentis esse in alio: Disparitas enim sumitur ex dictis, siquidem nullum excogitari potest ens à se, quin destruatur per admixtionem entis ab alio: at optimè stat conceptus alicuius entis per se, videlicet compositi substantialis, quamuis includat tanquam partem sui formam aliquam, quæ neque sit de essentia, neque proprietas alterius comparis, quæ se habeat vt subiectum illis.

49 Ex quibus patet nullo alio meliori modo posse nos cogere aduersarios ad concedẽdum, quod si materia propriam haberet existentiam non posset facere vnum per se cum forma substantiali, nisi quærendo ex eis rationem cur potentiæ accidentales non possint facere cum suis actibus vnum per se?

Atque hæc quantum ad rationes quibus probatur materiam non habere propriam existentiam, sed existere per existentiam emendicatam à forma substantiali; Quoniam verò contrà hanc assertionem multa Argumenta congerunt aduersarij, placet in quasdam veluti classes illa redigere, vt & principia quibus plura similia dissoluũtur semel iacta non repetantur identidem: & quãtas vires habeant melius inspiciatur.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiectiones ex auctoritate Desumptę.

OBijcies primò: locum illum Geneſis primò: *Terra autem erat inanis, & vacua*, quem locum Augustinus, Basilius, Chrysostomus, & Ambrosius relati à S. Th. *prima par. quæst. 66. art. 1.* explicant de materia prima, quam antecedenter ad omnia Deus initio mundi creauerit sine omni prorsus forma; ergo in sententia horum Patrum materia prima habet propriam existentiam, per quam extitit sine vlla forma. 50

Confirmatur: quia in triduo mortis Christi multi volunt materiam primam sanctissimi Corporis extitisse sine forma substantiali, quia ita relicta fuit ab Anima, vt formam non acquireret; ergo &c.

Ad argumentum respondeo ex D. Th. *loc. cit.* sanctos illos Patres nomine Terræ inanis, & vacuæ non intellixisse materiam primam omni prorsus forma denudatam, sed ipsam Terram omni decore, & pulchritudine carentem, eamq; materiam appellarunt, eo quod ex ea aquis permixta tanquam ex materia, omnia corpora mixta à Deo postea formata fuerunt. cum hac proportione explicanda sunt verba illa Augustini; quæ adducuntur *ex lib. primo de mirabilibus sacræ scripturæ cap. 1.* si tamen sunt Augustini, de quo est dubium, vbi dicitur Deus ex informi materia, quam prius ex nihilo condidit, cunctarum visibilium, & inuisibilium rerum species diuisisse. non enim est sermo de materia prima, quam certum est res inuisibiles, vtpotè spirituales nõ habere, sed de cuiusque rei substantia, quæ appellatur informis, eo quod ex vi actionis creatiuæ non habuit omnem illum ornatum accidentium, quem postea acquisiuit; Cęterum ipsimet aduersarij, qui concedunt materiæ primæ propriam existentiam, negant eam posse existere separatam à forma sine miraculo: & quidem dupliciter quorum alterum in prima separatione sistere putant, alterum verò in conseruatione eiusdem sic separatę; omni autem probabilitate caret Deum, quando primo voluit se gerere, vt auctorem naturæ, violentiam rebus naturalibus inferre voluisse miraculis, præsertim sine vlla necessitate. Ad confirmationem quę sumitur ex Scoto, Marsilio, Gabriele, & alijs nego absumptum puto enim cum D. Thoma, vt testatur Caietanus *3. par. qu. 50. art. 5.* Ad discessum Animæ Christi formam cadauericam eius corporis materiam informare cœpisse, & totum triduum vsque ad resurrectionem in ea præfitisse.

Obijcies 2. Aristot. 7. *metaph. tex. 8.* docet: deptis cæteris, materiam fore remansuram; ergo materia non existit per existentiam formæ; secus ad eius deperditionem, non remaneret. 51

Respondeo primò: ex D. Th. Philosophum *loc. cit.* nomine materiæ totam substantiam compositi intellexisse, secundum eorum sententiam, qui negantes formas substantiales, omnia ex materia, & ex accidentibus constare putabant; quare subdidit: cæteraque passiones corporum,

& affe-

Digitized by Google

& affectiones, & potentiæ sunt; nullam faciendo de formis substantialibus mentionem. Totâ autem rerum substantiam certum est propriam habere existentiam, deperditisque formis accidentalibus, per se loquendo, fore remansuram.

Respondeo secundò: dato quod ibi de materia prima sit sermo: locum illum intelligendum esse de deperditione formarum, quæ modo naturali fieri solet, succedentibus, scilicet, aliis, atque aliis formis de nouo, neque enim vllum habemus in textu indicium suspicandi, quod ex suppositione loquatur Philosophus; materiâ scilicet forè remansuram etiamsi nulla forma ad corruptionem prioris succederet: atque hinc patet etiã in vltimis partibus definitionis ipsius materiæ, (& si aliquid corrumpitur in hoc abibit vltimum) sermonem esse de naturali corruptione formarum, seu compositorum, quæ semper cum alterius generatione coniuncta est; per hoc namque satis explicatur materiæ incorruptibilitas; & si enim formæ successiuè corrumpantur, illa tamen incorruptibilis hac ratione perseuerat.

52 Obijcies 3. Idem 1. *de generat. text.* 11. hęc habet: Ipsum potentia ens, id est materia, actu autem non ens, necesse est præexistere ad generationẽ: sed si materia existeret per existentiam formæ, non nisi post generationem, quando scilicet est forma deberet existere: ergo &c.

Respondeo: præexistentiam, quam Philosophus ad generationem requirit in materia esse alienam scilicet formæ; & licet non sit illius formæ, quam per generationem acquirit; est tamen illius, quam ante generationem prahabuit, & per aduentum nouæ formæ perdidit, eiquidem generatio vnius semper est cum alterius corruptione in sententia Aristotelis coniuncta: sic explicata maiore, distinguo minorem; si materia semper existeret per existentiam huius formæ, quam per hanc generationem acquirit, non nisi post generationem existeret, cõcedo: posito quod posset existere etiam per existentiam alterius formæ, nego minorem, & consequentiam.

53 Obijcies quartò: ex 1. *Physic. text.* 52. subiectum debet esse prius his, quæ sunt in subiecto; ergo materia præintelligi debet existens ante omnem formam.

Respondeo: explicando Philosophum; non enim debet intelligi de quocunque esse, alioquin dici posset, quod subiectum debeat esse prius in subiecto, ijs quæ in ipso sunt quod est apertè falsum; sed de esse sibi proportionato; & proprio, ratione cuius præcedit cætera, quę in ipso sunt; sic explicato antecedente, nego consequentiam; quia esse proprium primi subiecti non est esse existentiæ, sed esse receptiuum, & potentiale, secundum quod certum est præcedere omnia, quæ in ipso sunt. sic etiam omnis essentia est prior sua existentia, qua informatur, & tamen non præintelligitur ante illam existere, quia eam præcedit, non in ratione existentis, sed in ratione potentis recipere existentiam, aliter explicat hunc textum Capreolus *in* 2. *distinct.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *ad primum Scoti*, de quo inferius.

54 Obijcies quintò: *ex primo Physic. tex.* 66. eadem numero materia transit ab vna in aliam formam; ergo retinet eamdem numero existentiam; sed hæc non potest esse formarum, quælibet enim suam propriam existentiam habet; ergo erit materiæ propria; omnia patent præter primam consequentiam, quæ sic probatur. Vnitas numerica sumitur ab esse actuali, hoc est ab existentia; ergo si materia sub diuersis formis retinet eamdem vnitatem numericam, necesse est, vt eamdem etiam numero existentiam retineat. Ita ferè Giaminus *in Phys. q.* 2. *art.* 3.

Respondeo: concesso antecedẽte negando cõsequentiam cum sua probatione, quamuis enim vnitas numerica fiant, & omnes alij gradus essentiales reales dimanent ordinem ad existentiam; falsum tamen est, quod eam tanquam suum principium formale respiciat; posita enim distinctione inter essentiam, & existentiam nil prohibet, quin eadem numero essentia, modo vnam, modo aliam existentiam habeat, & de facto creaturæ in statu possibilitatis quamuis careant existentia, sunt individuæ, & quidem eædem, ac quando existunt, benè igitur eadem etiam sub diuersis existentijs materia successiuè esse poterit.

Obijcies sextò: nisi materia propriam haberet existentiam: sequeretur quod quoties acquireret, & deperderet formam aliquam substantialem, toties generaretur, & corrumperetur, sed hoc est contrà Aristotelem *hic text.* 82. vbi probat materiam ex eo, quod sit primum subiectum esse ingenerabilem, & incorruptibilem; ergo &c. sequela probatur; quia generari, aliud nihil est, quã acquirere existentiã: & corrũpi nihil aliud, quam existentiam amittere media aliqua actione Physica, sed si materia haberet existentiam à forma, quoties deperderet, vel acquireret formam deperderet, & acquireret existentiam mediante actione physica agentis naturalis; ergo toties produceretur, & corrumperetur; seu crearetur, & annihilaretur, nullo enim alio modo potest materia generari, & corrumpi, quam per creationem, & annihilationem. 55

Respondeò: negando sequelam; ad cuius probationem, nego maiorem; & dico, quod illud existimandum est, absolutè loquendo, produci, seu generari, quod ita per actionem Physicam, aliquam existentiam acquirit, vt ex vi eiusdem actionis aliam existentiam non amittat; sic enim intelligitur transire absolutè, & simpliciter de non esse ad esse; quod est de essentiali conceptu generationis: illud verò simpliciter corrumpi, quod ita existentiam amittit, vt ex vi illius actionis deperditiuæ aliam existentiam minimè consequatur; sic enim intelligitur transire absolutè, & simpliciter ab esse ad non esse; quod est de essentiali conceptu corruptionis, quæ natura sua ducit ad nihilum; Quoniam verò materia prima, quando formam aliquam substantialẽ recipit de nouo, ita eius existentiam acquirit, vt ex vi actionis acquisitiuæ existentiam præcedentis formæ deperdat; & ita ex vi eiusdem actionis hanc existentiam deperdit, vt aliam etiam de nouo acquirat: idcirco absolutè loquendo ad productionem, & corruptionem formarum substantialium neque generari, neque corrumpi existimanda est.

Instabis: productionis ratio in via Aristote- 56

lis

lis ex termino ad quem spectari debet: terminus enim à quo positiuus per accidens se habet ad illam; ergo vt materia dicatur de nouo produci, sufficit si de nouo existentiam ad aduentum formæ, quæ producitur, consequatur; Idem dici proportionaliter potest de conceptu corruptionis: ergò nulla distinctio.

Respondeo: distinguendo antecedens: generationis conceptus spectari debet ex termino ad quem, ita vt excludatur respectus ad terminum à quo, nego: vt aut huiusmodi respectus licet minus principaliter, includatur, concedo antecedens; & nego consequentiam; Generatio enim quatenus est quidam transitus de nõ esse ad esse, de suo conceptu essentiali connotat non solum terminum ad quem, sed etiam terminum à quo licet diuerso modo.

Ad id autem quod addebatur: rationem scilicet termini à quo positiui per accidens se habere ad generationem; dico quod licet si terminus à quo positiuus sit diuersæ rationis à termino ad quem id verum sit; falsum tamen est si sit eiusdem rationis, & eumdem effectum formalem præstet; quemadmodum est in casu nostro, in quo materia ab existentia vnius formæ transit ad alterius existentiam; tunc enim se habet tanquã aliquid destruens essentialem generationis conceptum; huius rei ratio illa est, quia cum generatio sit quædam positiua mutatio; ad essentialem eius conceptum præter subiectum requiritur etiã terminus à quo priuatiuus, & terminus ad quem positiuus. Porrò quando terminus à quo positiuus est diuersæ rationis à termino ad quem; optimè intelligitur simul cum illo discedere eiusdem termini ad quem priuatio; & consequenter subiectum transire de priuatione ad formam oppositam, ideoque stat generationis conceptus: at verò quando dictus terminus à quo est eiusdem rationis cum termino ad quem, non potest intelligi, quod simul cum illo recedat à subiecto priuatio eiusdem termini ad quem, neque quod subiectum ipsum transeat simpliciter ad formã oppositam; quia sufficit subiecto vna forma, vt non sit, neque intelligi possit formaliter priuatum tota illa specie formarum sub qua dicta forma cõtinetur, vt aeri V.G. sufficit vna forma luminis, vt non sit formaliter tenebrosus, & pariter vna albedo ad hoc vt nequeat intelligi habere formaliter priuationem albedinis. Quoniam verò materia quando ex vna forma transit ad aliam terminus ad quem est eiusdem rationis cum termino à quo in ordine ad ponendam illam extra causas, & reddendam illam existentem; hinc fit, vt non possit intelligi absolutè, & simpliciter produci, seu generari: idemque proportionaliter dicendum est loquendo de corruptione.

57 Instabis iterum. si Deus faceret, vt Sanctus Michael in hoc instanti inciperet existere per existentiam diuersam ab ea, per quam antecedenter existebat: Sanctus Michael diceretur in hoc eodem instanti absolutè, & simpliciter destructus, & recreatus; igitur eodem pacto debet dici materia quando ex vna forma transit ad aliam.

58 Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; Disparitas est quia materia, quando generatur aliquid, ex vi eiusdem actionis qua acquirit posteriorem existentiam, amittit priorem; non sic Michael casu quo reproducitur, actio enim illa non est de se essentialiter destructiua prioris existentiæ, quod si ponatur esse huiusmodi; tunc cum illicet eadem ratione, negandum est antecedens.

Scio non nullos inter quos Mazziotta *quæst. 9. disput. 1. num. 164.* absolutè negare antecedens, putant enim quod Angelus cui Deus tolleret vltimam existentiam, & continuo daret aliam, non posset dici, quod annihilaretur & crearetur: quantumuis non ex vi eiusdem actionis productiuæ posterioris existentiæ, desineret prior; sed independenter ab illa Deus in priori naturæ suspenderet concursum conseruatiuum prioris existentiæ, & in posteriori naturæ contento in eodem instanti reali aliam in dicto Angelo existentiam produceret; eo quod ad conceptum corruptionis solum requirunt, quod id, quod prius erat ponatur sub nihilo; & ad conceptum productionis, quod id, quod prius non erat ponatur sub esse, quamdiu autem id non habetur; etiam si deperditio prioris esse non sit ex vi acquisitionis posterioris; neque prioris deperditio censenda est corruptio, neque posterioris acquisitio generatio.

59 Sed hoc veritatem habere potest si sermo sit de generatione, & corruptione, veluti in actu secundo solum modo spectatis. Caeterum non potest negari, quin ea suspensio concursus, per quam, in prior rei existentia corrumpitur, vt, quantum est ex vi illius, res deberet abire in nihilum, sit rei corruptio veluti essentialiter in actu primo; siquidem per accidens est; quod in posteriori naturæ intelligatur incipere alia actio, quæ tribuendo eidem rei aliam existentiam, faciat vt ea perseueret in rerum natura. Quamuis enim terminus formalis corruptionis non sit desitio præcedentis existentiæ quomodocunque, sed absolutè, & simpliciter, ita vt non sequatur alia existentia: hoc tamen potest intelligi dupliciter. primo per se, & ex vi actionis corruptiuæ. secundo per accidens, hoc est spectatis solum ijs, quæ contingenter habentur. Iam verò ad conceptum corruptionis veluti substantialiter acceptum sufficit desitio existentiæ primo modo; ad conceptum verò eiusdem veluti accidentaliter consideratum sufficit desitio existentiæ secundo modo; & cum eadem proportione discurrendum videtur de generatione, seu productione rei. Atque adeò modus discurrendi Mazziottæ, & aliorum cum moderatione dicta non est improbandus; modo stet ad generationem, & corruptionem tum in actu primo, tum in actu secundo spectatas vtrumque requiri.

59 Instabis tertiò: destructa hac numero vnione, etiam si succedat alia; corrumpitur illud numero compositum, quod erat prius; ergo & destructa hac numero existentia, etiam si succedat alia in materia, corrumpetur illa numero materia, quæ prius erat.

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; disparitas est quia vnio pertinet intrinsecè ad essentiam compositi, vnde corrupta hac numero vnione, & posita alia habetur noua com-

Digitized by Google

compositum, contrà verò existentia non pertinet intrinsecè ad conceptum essentialem materiæ; vnde ea mutata non est cur debeat intelligi materia, quæ erat prius, absolutè loquendo corrumpi.

SECTIO SEXTA.

Soluuntur obiectiones prouenientes ex causalitate, quam materia in formam substantialem exercet.

60 OBijcies primò: materia est causa formæ materialis, influens in eius esse, fieri, & conseruari: ergo non existit per eius existentiam, sed per propriam. Antecedens patet, consequentia probatur: omnis causa physicè influens in effectum debet intelligi existens in priori naturæ, & antecedenter ad illum; sed si materia existeret per existentiam formæ deberet intelligi existens saltem simul natura cum forma, vt effectus formalis illius; igitur si materia est causa formæ materialis non existit per eius existentiam: maior probatur, quia vnum quodque prius intelligi debet esse in se completum, & postea potens causare cætera; minor etiam suadetur, quia si materia existeret per existentiam formæ esset illius effectus in existendo; ergo deberet intelligi existens saltem simul, si non consequenter ad illam.

Respondent aliqui primò ad hoc argumentum: concesso antecedente, negando consequentiam, ad cuius probationem dicũt: sufficere causæ physicæ si intelligatur habere entitatem suam actualem in priori naturæ ad effectum; sic autem se habere materiam in priori naturæ ad formas materiales, quos successu temporis causat suadent, supponendo; duplicem dari effectum formalem, vnum primarium, quem certum est non distingui à forma, quia est forma ipsa communicata subiecto. alterum secundarium, quem probant distingui à forma in subiecto ex quantitate, quæ licet non distinguatur ab effectu suo primario consistente in se ipsa communicata subiecto: distinguitur tamen à secundario consistente in subiecto suo in se, & in sua entitate beneficio ipsius quãtitatis extenso.

Hoc posito addunt: materiam initio creationis, beneficio primæ formæ, vt existentis duplicem habuisse effectum formalem, videlicet primariũ, ratione cuius reddita est formaliter existens, & secundarium ratione cuius ipsa in se facta est actualis; iam verò licet ipsa pro varietate formarum, quas successu temporis recipit diuersas obtineat existentias, atque adeò diuersos effectus formales primarios sortiatur: semper tamen retinet eumdem numero effectum formalem secundarium, quem habuit initio à prima forma; reliquæ enim formæ, quæ successu temporis illam informant, solum conseruant in ea dictum effectũ formalem secundarium, non producunt; vnde cõcludunt hi auctores rectè posse materiam beneficio huius effectus formalis secundarij intelligi actualem in priori naturæ ad causandas omnes consequentes formas; & hoc sufficere ad verificãdum, quod causa prius esse debet in se, quam in ordine ad causandos effectus suos; non enim necesse est vt semper præintelligatur existens.

Pater Mazziotta ex multiplici capite hanc solutionem reijcit, vt minus solidam *dicta qu. 3. n. 124.* primò, quia sic materia, qua præcisè materia afficeretur ab actualitate, & fieret actu, quod ne per intellectum quidem concipi potest, quia in se est indeterminata, sed ad hoc facilè respondebunt Auctores contrarij: materiæ indeterminationem impedire ne ipsa habeat actualitatem tanquam effectum formalem secundarium prouenientem à propria existentia; non autem ab aliena; alioquin materia non esset ens reale; secundò arguit: quia si per hanc actualitatem materia redditur actualis; ergo hæc actualitas non distinguetur ab existentia, quia iam per existentiam materia fit formaliter actualis; sed illi negabunt consequentiam; & ad eius probationem dicent, quod sicuti datur duplex effectus formalis existẽtiæ, ita & materia duplici ratione potest intelligi actualis; tertiò denique quia sicuti nequit idem effectus formalis primarius à formis speciè diuersis prouenire, ita neque idem effectus formalis secundarius; ergo &c. verum ipsi negarẽt antecedens dicendo, quod sicuti idem numero lumen, quod sit ab vno Agẽte potest conseruari ab alio, licet sit diuersæ speciei à primò: ita, & in casu nostro de effectu secundariò existentiæ putandum est. Disparitatem verò assignabunt, quia effectus formalis primarius nõ distinguitur à forma, vnde non ex mirum si ad diuersitatem specificam formarum, debeat ipse necessariò diuersificari; contrà verò secundarius realiter distinguitur à sua causa formali. 61

His igitur impugnationibus reiectis, melius impugnatur prædicta responsio dupliciter. primo ostendendo, quod reddere essentiam actu in se, seu à parte rei non sit effectus formalis secundarius existentiæ; secundò, dato quod sit, probando quod non faciat ad solutionem difficultatis; Et primum quidem sic suadetur, Idem formalissimè est essentiam esse existentem, ac esse actu in se, & à parte rei; ergò sicuti essentiam esse existentem est effectus formalis primarius, & non secundarius existentiæ: ita & eam esse actu in se, & à parte rei: consequentia patet, antecedens probatur, quia esse essentiam existẽtem formaliter importat habere formam, cuius beneficio sit extracta de potentia causarum suarum, & à statu possibilitatis; sed hoc ipsum formaliter importat esse essentiam actu in se, & à parte rei ergo &c. 62

Confirmatur id quod dicimus, quia per hoc præcisè, quod res intelligatur habere effectum formalem primarium existentiæ, circumscripto quocunque alio, intelligitur sufficientissimè extracta de potentia ad actum, & esse in se, & à parte rei; ergo ille effectus secundarius distinctus est omnino superfluus, atque adeò commentitius; Neque vrgeant aduersarij paritatem ex quantitate desumptam; quod, scilicet, sicuti in subiecto quanto datur duplex extensio, vna formalis, & altera subiectiua; ita in casu nostro debet admitti duplex actualitas. Nego consequentiam. Disparitas est, quia extensio subiectiua consistit in cohordinatione partiũ subiecti, vt hic suppono, quæ, si rectè explicetur, importat solum negationem vnionis immediatæ inter reliquas partes exceptis duabus; in quantum partes substantiæ sine

quan-

Digitized by Google

quantitate omnes eſſent immediatè vnitæ, beneficio autem quãtitatis, non niſi duæ immediatè inter ſe vniuntur; vndè videtis effectum ſecundariũ quantitatis eſſe negatiuum, ſicuti caloris in ſubiecto carentia frigoris, at verò actualitas, quæ aſſignatur tanquam effectus ſecundarius exiſtentiæ, eſt forma poſitiua faciens formaliter totum id, quod facit ipſa exiſtentia.

Verum, admiſſa hac actualitate tanquam effectu ſecundario exiſtentiæ, probo eam ad argumenti ſolutionem non facere; primò, quia ea in caſu noſtro deberet diſtingui ex natura rei ab eſſentia materiæ, non minus, quam ipſa exiſtentia; alioquin ſi identificaretur eſſet illi propria, & non à forma, ſed ſi huiuſmodi actualitas diſtingueretur à materia, iam ſuſtentaretur ab illa, vt potè materialis, pendens à ſubiecto; ſicuti igitur materia ad cauſandam huiuſmodi formam non deberet præintelligi eſſe actu, ſed cum ſolis ſuis prædicatis quidditatiuis, ita & ad cauſandas formas reliquas. Quoniam verò poſſunt aduerſarij reſpondere dicendo, huiuſmodi actualitatem initio creatam fuiſſe à Deo independenter à materia: ideò probo illud ipſum ſecundo ad hominem ſic: Hęc actualitas in eorum ſententia pendet in conſeruari à forma tanquam effectus ſecundarius illius; ergo non poteſt præintelligi in materia in priori naturæ ad illam; & ſic materia non poteſt in illo priori, in quo præcedit formã beneficio dictæ actualitatis intelligi actu; omnia patent præter primam conſequentiam, quæ probatur, quia ſi dicta actualitas in eo priori intelligi poſſet eſſe in materia, vel intelligaretur pendere à forma præcedente; & hoc non, quia in toto illo inſtanti reali, in quo producitur forma conſequens, & in quo compræhenditur prioritas illa naturæ, non exiſtit forma pręcedens: vel intelligeretur pendere à forma conſequente; & hoc neque, quia in eo priori, non adhuc poteſt intelligi forma conſequens; ergo neque ipſa actualitas, quia hæc cauſatur à dicta forma; igitur etiã ſi demus aduerſarijs hunc effectum ſecundarium prouenire ab exiſtentia: adhuc non ſaluatur, quod materia in priori naturę ad cauſandam formam ſit actu, & à parte rei.

63 Reſpondeo: igitur ſecundo ad argumentum principale *nu.* 60. allatum: conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ad eius probationem nego vniuerſaliter maiorem; exiſtere enim in priori naturæ ad effectum eſt proprium ſolius cauſę efficientis; tum quia ſolum efficiens propriè dat eſse; cum tam materia, quam forma illud potius recipiant quando cauſam, tum etiam quia efficiẽs propriè ordinatur ad aliud à ſe cauſandum, ideoque in ſe ſupponi debet conſtitutum: at verò materia ordinatur ad ſuum eſse exiſtentiæ ſimpliciter recipiendum, & eſse eſſentię ſecundum quid, in aliqua ſcilicet determinata ſpecie; forma autẽ ad cauſandam ipſam materiam à qua in exiſtendo tanquam à cauſa dependet; ſicuti enim in re in nullo ſigno etiam rationis forma materialis intelligi poteſt ſimpliciter eſse prius, quam materiam informent, vt fatetur Suarez *diſputat. 26. met. ſect. 2. num. 13.* ita neque materia prius, quam informetur à forma; & hęc quantum ad cauſas, quæ in cauſando realem exiſtentiam requirunt; de fine enim, quippè qui cum ſola intentionali exiſtentia cauſare poteſt, nihil eſt quod dicamus. Iam verò probationem maioris hac ratione diſtinguo: vnum quodque prius intelligi debet eſse in ſe completum, & poſtea potens cauſare cętera: ſi ab illis non expectet ſuum complementum, concedo; ſi ab aliquo illorum ſuum complementum expectat, nego quod reſpectu illius debeat prius intelligi eſse in ſe completum. ſic ſe habet materia, quæ ita intelligenda eſt potens cauſare formam exiſtentem, vt ab illa ſuum exiſtentiæ complementum recipiat.

64 Instabis primò pro eo priori pro quo materia intelligitur potens causare formam, intelligi debet prior forma, vel igitur in eo priori erit existens, vel non; sed neutrum per nos dici potest; ergo nulla responsio. subsumptum probatur; si enim dicatur primum; iã ergo materia habebit existentiam independenter à forma, quia prioritas naturę aliud nihil est, quam prioritas independentię; si secundum, materia nulla ratione poterit esse causa: id enim, quod non existit non potest pro eo signo physicè causare; sed solum intentionaliter, quod est proprium solius finis; cęterum intelligibile non est, quo pacto Antichristus V G. qui nunc actu non existit possit aliquid nunc in se recipere, & sustentare.

Pro reſponſione nota: prioritates, & poſterioritates naturæ, quæ reperiuntur inter cauſas, & effectus includi, & veluti contineri in toto illo inſtanti reali temporis, in quo effectus producuntur à cauſis ſuis; quare quidquid pro illo inſtanti reali competit cauſæ: realiter, & nemine cogitante, etiam competit illi pro ea prioritate ſecundum quam intelligitur præcedere effectum; ſecus de illa, duo contradictoria in illo inſtanti verificari poſſent; Dixi realiter, & nemine cogitante, quod competat, quia ſi loquamur formaliter inadæquatè, & prout in ea prioritate obijcitur intellectui, ea ſolum illi conuenient, ſecundum quæ eſſentialiter in ratione cauſæ conſtituitur, & ſecundum quæ effectum, qui eſt in poſteriori naturæ procedit; ex hoc autem non licet inferre, quod cauſa formaliter, & inadæquatè cõſiderata habeat pro ea prioritate negationem cæterarum rerum, quæ illi à parte rei pro eo inſtanti reali realiter competunt; quæque non ſũt de eius eſſentiali conceptu in ratione cauſæ: tum quia hoc falſum eſt; ſiquidem illa prioritas in eo inſtanti reali indiuiſibili continetur: tum etiã quia illa negatio competeret eſſentialiter cauſæ, ea enim pro illa prioritate conueniunt cauſæ, ſecundum quæ in ratione cauſæ eſſentialiter conſtituitur; quare implicaret pro eo inſtanti reali cauſam eſſe coniunctam cum forma oppoſitã: his autem prænotatis.

Reſpondeo primò: ad inſtantiam conceſſo primò Entimemate negando ſubſumptum, dico enim quod in ſenſu quidem reali pro eo priori materia exiſtit; nego tamen ex hoc ſequi eam exiſtere imdependenter à forma; quia effectus poteſt eſſe ſimul in eodem inſtanti in quo eſt primo cauſa, & ab illa dependere. Quoniam verò argumentum procedere videtur in ſenſu formali, idcirco.

Reſpondeo ſecundò: conceſſo iterum entimemate, nagando ſubſumptum. eligo enim ſecundã par-

Digitized by Google

partem,& dico: quod pro eo priori materia non intelligitur existens. ad eius probationem, nego inde sequi eam tunc non posse esse causam; & distinguo propositionem illam celeberrimam in schola aduersariorum: Id quod nõ existit,pro eo signo pro quo non existit non potest physicè causare,sic: id quod non existit per exclusionẽ existentiæ à se, concedo, id quod non existit per solam non inclusionem existentiæ obiectiuè, nego non posse causare pro eo signo, quia ad hoc satis est si realiter existentiam habeat; potest enim euenire, vt defacto accidit in casu nostro, vt ratio causandi sit sola essentia: existentia autem nõ nisi conditio, non quidem prærequisita, vt putant aduersarij, sed solum concomitanter necessaria ad causandum actu, & sic non præintelligenda. Per hoc autem patet disparitas inter Antichristum,& materiam primam; in tantum enim Antichristus nunc realiter causare non potest, in quantum eius essentia realiter stat sub negatione existentiæ; quod si hoc non haberet, vtique posset saltem suam existentiam primò causare.

69 Verum ne hoc,quod dicimus aliquibus incredibile videatur,duas afferimus nostræ responsionis confirmationes; altera sumitur ex communi ratione causæ præsertim materialis, quæ in eo priori naturæ in quo effectum suum intelligitur præcedere, intelligitur cum sola præcisione ab illo,& non cum eius negatione;si quis enim quærat, quomodo aer in instanti primo illuminatur, num pro eo priori naturæ pro quo intelligitur præcedere lumen intelligatur habere lumen,an eius negationem? Respondebimus neutrum, sed solum id,per quod in esse per se corporis illuminabilis constituitur, cum præcisione ab eo, quod luminosus sit,vel tenebrosus; Neque dicas:disparitatem in eo esse, quod lumen ad complendam potentiam aeris non pertineat, sicuti pertinet existentia ad complendam materiam in ratione causæ: Ne id dicas, inquam, quia materia optimè intelligitur completè potens per sua mera prædicata quidditatiua; ita vt existentiam non, nisi tanquam conditionem comitantem ad causandum requirat, quam satis sit si realiter habeas quando causat.

Altera verò sumitur ex suppositione admissa in præsenti controuersia ab aduersarijs, quod nihilum essentia nemine cogitante distinguatur ab existentia, per quam redditur existens,& extra causas. Quæro enim ex eis num quando existentia initio creationis Angeli V. G. eius essentiæ communicatur: num inquam, intelligatur aduenire essentiæ existentiam existentiæ negationem habenti? Vtriq; respondebitur,quod intelligatur solũ aduenire essentiæ, quæ ab vtraque præscindat, in quantum in eo priori neque includit, neque excludit à se existentiam;hoc ipsum autem est,quod nos illis admirantibus respondemus.

Instabis secundò materia, pro eo priori, pro 66 quo intelligitur potes causare, debet habere actu ea, quæ essentialiter ad causandum requirit, vim scilicet causatiuam, & cætera; ergo, & existentiam.

Respondeo: ly, actu, in antecedente dupliciter posse sumi primò ad denotandam existentiam eorum quæ ad causandum in materia prærequirũtur; secundò ad significandam connexionem,quæ inter illa, & materiam esse debet pro eo priori, quã quidẽ actualitatẽ nullã existentiã importare patet,tũ ex supradictis,tũ ex hac propositione qua dicitur: Antichristus esse actu animal rationale, quæ verissima est,etiã si nullus Antichristus existat; primo modo si sumatur particula, *actu*, falsum est antecedens: si verò secundo modo, verum est,sed consequentia falsa. neque ex his inferas, quod forma recipiatur in nihilo,quatenus id,quod non est actu,nihil est; nego enim ego consequentiam. Nihilum enim debet saltem habere negationem existentiæ, quod non verificatur de materia in eo instanti in quo causat formam, quia verè tunc existit,quamuis non intelligatur.

Instabis tertiò: nulla substantia est proximè potens recipere accidens, nisi præintelligatur 67 existens ad ipsum accidens; ergo neque materia erit proximè potens formam substantialem recipere, nisi præintelligatur existens ad illam.

Respondeo: negando consequentiam. disparitas est quia accidens non est primus actus substantiæ, at verò forma existens est primus actus materiæ; accidens enim non affert existentiam substantiæ: at verò forma existens affert existentiã materiæ; & ratio à priori huius disparitatis est, quia de ratione receptiui vt sic, & in communi non est vt præsupponatur existens, vt patet ex essentia ipsa, quæ quatenus intelligitur existentiam in se recipere non potest præintelligi cum illa;præsupponi igitur existens est de ratione receptiui formarum accidentalium,quia ab illis vltimum existentiæ complementum expectare non potest,atque adeò illud præhabere debet.

Instabis quartò: materia dicitur causare pro 68 vt est actu; ergo pro vt existens. pro ea igitur prioritate pro qua intelligitur præcedere formã intelligi debet existens.

Respondeo: distinguendo antecedens; materia dicitur causare prout est actu, si reduplicetur ratio formalis, secundũ quam materia est causa, & prior forma,nego. si denotetur sola conditio,qui scilicet materia habere debet, ad hoc vt causet, concedo antecedens: & distincto eodem modo primo consequente,nego vltimam consequentiã; materia enim causat formam, non quia est actu, sed potius ad hoc vt sit actu, eodem modo respondendum est,si quis dicat: materia non est potens causare prout est in sola potentia obiectiua, neque prout est in virtute primæ causæ, neque pro vt præscindit ab existentia: igitur prout est extra suas causas;si enim illud prout significat conditionem, concedo totum,sin autem rationem formalem causandi, concesso antecedente; nego consequentiam: quia præter hæc omnia datur ipsa essentia materiæ, secundum quam materia satis est potens causare proximè, dummodo non sit sub negatione existentiæ.

Instabis quintò: si in priori naturæ ad aduen- 69
tum formæ materiæ non haberet existentiam, sequeretur quod forma adueniret materiæ non existenti; sed hoc est impossibile; ergo consequela patet. minor probatur; quia si forma aduenire materiæ non existenti, non posset facere vnum per se cum illa, non enim intelligi potest

Digitized by Google

teſt quomodo id quod non exiſtit faciat vnum per ſe cum eo, quod exiſtit.

Reſpondeo; & explico planius doctrinam traditam in reſponſione ad primam inſtantiam: duplici enim modo materia pro eo priori, pro quo intelligitur potens cauſare formam intelligi poteſt non exiſtens. primò affirmatiuè, ita vt negationem habeat exiſtentiæ; & ſic, vt vidimus, falſum eſt materiam pro eo priori non exiſtere, ſecundò negatiuè, ſeu vt verius loquar, præciſiuè; ita vt, licet realiter habeat exiſtentiam, pro ea tamen prioritate non intelligatur illam habere, in quantum eam recipit à forma, quam ſecundum ſuam meram eſſentiam cauſat; & hoc veriſſimum eſt, ſed ſic non debet in rigore dici, quod non habeat exiſtentiam, ſed quod non intelligatur illam habere. His autem prænotatis pro antecedentis aduerſariorum explicatione: diſtinguo ſequelam maioris, ſequeretur quod forma aduenirет materiæ non exiſtenti primo modo, & per excluſionem exiſtentiæ, nego. non exiſtenti ſecundo modo, & per præciſionem ab exiſtentia concedo ſequelam. ad minoris autem probationem dico, quod licet verum ſit, quod ſi forma aduenirет materiæ adhuc retinenti negationem exiſtentiæ, non poſſet facere vnum per ſe cum illa: falſum tamen eſt, quod non poſſit dum aduenit materiæ, quæ ſolum non eſt prior illa in ratione exiſtentis; alioquin neque exiſtentia poſſet facere vnum cum eſſentia; Iam verò ratio diſparitatis eius, quod in diſtinctione aſſerimus eſt, quia, ex eo quod materia pro eo priori dicat negationem exiſtentiæ, ſequitur quod pro eo inſtanti reali, in quo prioritas illa continetur, realiter non exiſtat, & conſequenter, quod non ſit realiter coniuncta cum forma; at ex eo quod pro eo priori non intelligatur exiſtere, ſolum ſequitur quod non cauſet formam prout dicit exiſtentiam, tanquam per rationem formalem cauſandi licet illam realiter habeat, & ſic intelligi poteſt quod formam exiſtentem recipiat, & vnum per ſe cũ illa componat.

70 Inſtabis ſextò: niſi materia pro eo priori, pro quo intelligitur proximè poſſe cauſare formam, requireret formaliter loquendo exiſtentiam; ſequeretur quod neque illam requireret ad actu cauſandum, ſed hoc eſt inconueniens, vt de ſe patet; ergo &c. ſequela probatur quinquiplicter. Primò quia ad cauſandum actu ſufficit illi cauſalitas; ſed hæc non inuoluit exiſtentiam; ergo &c. Secundò quia ea ſolum requirit materia ad actu cauſandum, per quæ eſt potens cauſare; ſed iam non eſt potens cauſare per exiſtentiam; ergo &c. Tertiò quia niſi pro eo priori intelligeretur exiſtens, ſequeretur quod exiſtentiam mediante forma reciperet; ergo prius intelligeretur actu cauſare formam quam exiſtere. Quartò quia vera eſſet hæc cauſalis; ideò exiſtit materia, quia actu cauſat; ergo prius actu cauſaret, quam exiſteret. Quintò denique quia exiſtentia eſſet terminus cauſationis materiæ; prius igitur eſſet eius cauſatio, quã exiſtentia.

Reſpondeo: negando ſequelam, in eo enim ſigno in quo materia intelligitur actu cauſare, intelligitur neceſſariò exiſtens, cum enim eius cauſalitas reſpectu formę conſiſtat in exhibendo ſe illi per modum ſubiecti; non poteſt intelligi, quod ei ſe actualiter exhibeat, quin ſimul intelligatur ipſa forma exiſtens in eam recipi, eique exiſtentiam communicare; quemadmodum igitur quamuis paries pro eo priori, pro quo intelligitur potens cauſare albedinem, in ſuo conceptu non requirat albedinem, falſum tamen eſt quod neque illam requirat ad eam actu cauſandam: ita etiam falſum eſt quod aduerſarij aſſerunt; Ad primam ſequelæ probationem nego minorem, cauſalitas enim materiæ in formam eſt receptio inhęſiua eiuſdem formæ exiſtentis, Inuoluit igitur exiſtentiam in ſuo conceptu; Ad ſecundam verò, nego vniuerſaliter maiorem; ſiquidem ad actu cauſandum præter vim cauſatiuam requiritur etiam effectus, & ipſa cauſalitas, per quæ cauſa non conſtituitur in actu primo potens cauſare. Ad tertiam, diſtinguo ſequelam, ſequeretur, quod exiſtentiam mediante forma reciperet, ita vt forma habeat rationem veri medij vnientis materiam cum exiſtentia, nego; ita vt ſit ratio quare materia recipiat in ſe exiſtentiam, concedo; & nego conſequentiam; materia enim non cauſat formam niſi exiſtentem; & ſic in nullo vero ſenſu illam recipit, niſi pro eodem ſigno recipere exiſtentiam intelligatur. Adquartam diſtinguo antecedens, & ſiquidem ſermo eſt de vera cauſali, in qua debet aſſignari ratio omnino à priori, nego propoſitionẽ illam eſſe veram cauſalem; ſin autem ſermo ſit de cauſali in qua ſufficit aſſignare rationem aliquam neceſſariò connexam, ſiue demum talis ratio ſit omnino à priori, ſiue non, concedo antecedens; & nego conſequentiam. cuius falſitas patet ex hoc alio Enthymemate. Ideo Plato eſt homo quia eſt animal rationale; ergo per prius eſt animal rationale, quam ſit homo. quod eſt falſiſſimum.

Ad quintam denique diſtingui poſſet de exiſtentia in fieri; & in facto eſſe; & concedi quidem quod ſumpta in facto eſſe ſit terminus, & ſic poſterior cauſatione: negari autem ſi accipiatur in fieri, nam hoc modo comitanter ſe habet ad cauſationem, non autem conſequenter. ſed ſolidius conceſſo antecedente diſtinguo conſequens; prior igitur eius cauſatio eſſet, quam exiſtentia, ſi loquamur de prioritate in quo, cuius beneficio intelligi poteſt prius ſine ſuo poſteriore: nego; ſin autem de prioritate à quo, per quam prius neceſſariò intelligitur cum ſuo poſteriori concedo conſequentiã; via enim inſtãtanea, ſicuti eſt receptio, per quã materia recipit formã eſt ſimul, ſimultate cognitionis cũ ſuo termino; vnde eſt vt in eo priori in quo intelligitur exerceri, materia intelligitur exiſtere licet nõ pro eo priori ſed pro ſecũdo poſteriori. nullũ autẽ eſſe incõueniẽs, quod cauſa materialis pro eo priori pro quo cauſalitatẽ in ſuũ actũ primũ exercet nõ intelligatur exiſtens, cõſtat ex eo quia in omnium ſententia quãdo res de nõ eſſe intelligitur tranſire ad eſſe pro eo ſigno priori, pro quo trãſit; cauſalitatẽ aliquã ſiue formalẽ, ſiue ſaltẽ virtualẽ exercet, & tamẽ non intelligitur niſi pro ſigno poſteriori exiſtere, ſiquidẽ eſſe ſub exiſtẽtia eſt terminus ad quẽ illius trãſitus.

In-

Digitized by Google

71 Instabis septimò: si pro eo priori sufficeret materiæ sola essentia; sequeretur quod Agens naturale posset semper, & vbique, etiam nulla præexistente materia, producere formam dependenter ab ipsa materia: sed hoc est inconueniens; ergo &c. minor patet, quia sic agens naturale haberet vim creatiuam, producendi scilicet materiam sub forma ex nihilo sui; sequela verò probatur: nam essentia materiæ, quæ prærequiritur, neque certum locum, neque certum tempus sibi vendicat, sed semper, & vbique præstò est.

Respondeo: negando sequelam; ratio negationis est, quia agens naturale non potest dare materiæ esse simpliciter, sed solum secundum quid; daret enim illi simpliciter esse, si ex nulla materia præexistente produceret formam. Ad probationem sequelæ dico; quod licet verum sit, quod essentia materiæ ex se semper, & vbique præstò sit sub negatione existentiæ negatiuè, quatenus neque in aliquo determinato loco, neque aliquo determinato tempore continetur, at verò non sub existentia, sic enim certum locum, & tempus sibi determinat.

72 Instabis octauò: ex modo dictis, materia prout est principium physicæ mutationis debet præexistere ante terminum; est enim de conceptu mutationis physicæ, vt subiectum prius intelligatur existere sub termino à quo priuatiuo, quam sub termino ad quem; ergo vt sit potens causare per physicam mutationem debet præhabere existentiam.

Respondeo: concesso antecedente, distinguendo consequens: debet præintelligi existens existentia propria, nego; existentia formæ præcedétis, concedo consequentiam. Ad conceptum enim mutationis Physicæ satis est intelligere materiam, quæ transeat à priuatione, sub qua fuerit existens, siue propria, siue aliena existentia, ad formam oppositam, & in priori naturæ sufficit si connotet existentiam illam præhabitam antecedenter. Neque dicas; ex hoc sequi formam corrumpendam esse terminum à quo per se mutationis physicæ, in quantum sub illa debeat necessariò præintelligi materia ad hoc, vt intelligatur posse transire ad alium terminum. ne id, inquam, dicas, tum quia dici potest, quod priuatio physica de necessitate connotet in subiecto in quo est formam existentem; nam priuatio non est nisi in subiecto existente; in casu autem nostro subiectum est materia, quæ per omnes repugnat saltem naturaliter existere sine forma substantiali; priuatio igitur vt possit principiare physicè, connotare debet formam existentem, cum qua simul recedat à materia: tum etiam quia admitti rectè potest formam præcedentem esse principium per se secundò mutationis, hoc est minus principaliter requisitum ad illam, vt nos supra notauimus cum Auerroe.

(†)

SECTIO SEPTIMA.

Alia obiecta ad causalitatem materiæ pertinentia dissoluuntur.

OBijcies secundò: materia est causa existentię formæ materialis; ergo existit per existentiam distinctam ab illa; consequentia probatur; quia si existendo per existentiam formæ, nihilominus illam causaret: sequeretur quod esset causa sui ipsius; nam causare aliquid nihil aliud est, quam in eius existentiam influere. 73

Respondeo primò: negando consequentiam; ad cuius probationem nego sequelam; & ad sequelæ confirmationem dico: quod tunc causare aliquid est in eius existentiam influere, quando illud est capax secundum suam essentiam illius causalitatis, & influxus, qui eius existentię adhibetur. quod si incapax est, non sequitur, quod causa influens ipsum causare dicatur. quoniam verò materia influit in existentiam formæ per modum primi subiecti, & huiusmodi influxum forma ipsa secundum suam essentiam non respuit; Hinc fit vt materia dicatur causare ipsam formam; At huiusmodi influxum per modum primi subiecti, materia essentialiter respuit; quia eo ipso quod est primum subiectum, respuit omnem causalitatem in ratione subiecti, & hinc est, vt etiam si influat in existentiam, per quã existit, non sit tamen causa sui ipsius.

Verum facilius responderi posset secundò, posterioris sequelę consequens distinguendo sic: sequeretur, quod materia esset causa sui ipsius, eodem modo sumpta, nego: diuersimodè considerata, concedo sequelam; & dici nullum esse absurdum, quod materia secundum essentiam suam sit causa sui ipsius sumptæ secundum existentiam; quemadmodum non est absurdum, quod paries V. G. secundum se sit causa sui ipsius in ratione albi; per quod patet responsio ad probationem sequelæ.

Hic tamen aduertas velim modum loquendi; non enim dici debet materiam fieri ex sua essentia, tanquam ex subiecto, quia nulla essentia cõparatur ad rem cuius est essentia vt subiectum, sed vt eadem omnino res indiuidua cum illa: potest tamen sine vllo absurdo aseri essentiam materiæ & cuiuscunque alterius rei respectu existentię per quam existit habere rationem subiecti.

Obijcies tertiò: nisi materia propriam haberet existentiam sequeretur, quod per pura sua prædicata quidditatiua causaret formam, sed hoc est inconueniens; ergo &c. sequela patet, minor probatur, quia pura prædicata quidditatiua, non sunt nisi quidam purus mentis nostrę conceptus. 74

Respondeo: distinguendo sequelam, per pura prædicata quidditatiua, quæ talia erant ante instans reale primę receptionis concedo; quæ talia sint in instanti reali receptionis nego sequelam; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam; ad minoris probationem dico quod licet demus aduersarijs, quod antecedenter ad instans primæ receptionis prędicata quidditatiua materiæ non sint, nisi purus mentis conceptus; in illo tamen instanti cum sint realiter extra causas,

Digitized by Google

ſas, iam ſunt actu in ſe ipſis, licet pro priori naturę non intelligantur formaliter eſse, videlicet, extra cauſas, & actu exiſtere.

75 Obijcies quartò: ſi vna indiuiſibilis exiſtentia in compoſito ſubſtantiali ponenda eſset, conformius foret naturis rerum, vt hæc eſset propria materię, quę eſt ſuſtentatiua omnium formarum; quam formæ, quę dependet, & ſuſtentatur ab ipſa materia; igitur abſolutè dicendum eſt materiam habere propriam exiſtentiam; ita fęrè Arriaga *diſput. 2. Phyſic. ſect. 5. n. 84.*

Hoc argumentum expendens Ouiedus *controuerſ. 2. Phyſic. punct. 5.* negatiuè tantum illud ſoluit: friget, inquiens, hæc ratio; & negata hac maiori conformitate, gelaſcit, & vltra procedere non valet; verum ego poſitiuè illud ſolui poſſe iudico. quare nego antecedens; & dico; quod ſi daretur exiſtētia propria materię per quam formaliter exiſteret ipſa forma: ſequeretur, quod actus actuaretur formaliter per potentiam; nam per materiam, quę eſt pura potentia, forma quæ eſt actus haberet formaliter exiſtentiam; Hoc autem eſſet deſtruere eſsentiā vtriuſque. ſic enim materia haberet rationem formę, quia eſset vicinior exiſtentię, & forma materię quia illi remotior: naturis igitur rerū conforme eſt vt actus actuet formaliter potentiam. atque adeò, vt hęc recipiat eſſe ab illa; cęterum materiam eſse ſuſtentatiuam formarum materialium benè stat cū eo quod recipiat exiſtentiam ab illis; vt satis vidimus; & vlterius constat ex eo, quod ſi essentia distinguitur plusquam ratione ab exiſtētia non niſi eam sustentando redditur ab ea formaliter exiſtens, & extra causas, vt idem Arriaga *num. 78.* defendit, quo magis illum miror, qui dum profitetur ſe in hac quæſtione ſuppoſitionē diſtinctionis eſsentiæ ab exiſtentia admittere, reiectis ijs, quæ contrà dictam ſuppoſitionem faciunt, hoc potiſſimum argumento impugnat noſtram ſententiam. quid enim, non ne facta illa ſuppoſitione eſſentia Angeli V. G. ſuam exiſtentiam ſuſtentat? admittit igitur eſſe ſuſtentatiuum non includere de ſe exiſtentiam, alioquin ſi eam includeret eſſet conformius naturis rerum dicere eſſentiam recipi in exiſtentia, & ſic illam habere rationem formæ, hanc verò materiæ; contrà ea quæ paulò ante dixerat, & contrà communem omnium ſenſum docentium exiſtentiam habere rationem vltimi actus reſpectu eſſentiæ, & hanc comparari ad illam vt perfectibile ad perfectiuum.

76 Atque ex his patet non benè Ouiedum *loc. cit. in fine n. 15.* exiſtimare, data hypoteſi diſtinctionis inter eſsentiam, & exiſtentiam, non efficaciter conuictum iri, qui aſsereret non ſolum materiam primam propriam exiſtentiam habituram, ſed etiam formas materiales exiſtere per exiſtentiam materiæ. quæ enim efficacior conuictio excogitari poteſt ea, quam nos ex ipſis rationibus actus, & potentiæ deſumimus? poſito enim quod exiſtentia ſit actus victus, vel materiæ, vel formæ primò debendus; quis non videat maiorem connexionem, & proportionem habere cum forma, quæ item eſt actus, quam cum materia, quæ ratione potentialitatis ſuæ longè diſtat ab illa? quis enim; ſi indubium verteretur cui-nam calor tanquam proprietas competeret, igni ne, an aquæ? non affirmaret igni potius tribuendum eſſe, quam aquæ, ex eo præcisè, quod animaduerteret proportionem, & affinitatem, quæ inter calorem, & ignem; & improportionem, & diſtantiam, quæ inter eumdem calorem, & aquam intercipitur; quare ſi hic auctor frigidum Arriagæ diſcurſum exiſtimat aſſumentem eſſe conformius naturis rerum, quod forma potius per exiſtentiam materiæ exiſtat, quam è contrà: non percipio ego cur non ſit frigidior eius diſcurſus, dum id Arriagæ negando putat non efficaciter conuinci poſſe, qui formam exiſtere per exiſtentiam materiæ aſſereret; quaſi verò vnum illud argumentum ex anima rationali deductum, quæ exiſtere poteſt extra corpus per eamdem numero exiſtentiam per quam prius exiſtebat non ſit efficaciſſimum ad huiuſmodi lepidum inuētum cōuincendum? certè omnium frigidiſſimum mihi videtur in hoc Auctore, quod hanc celebrem quæſtionem, poſt multa indeciſam relinquat, dicendo, quod facta hypoteſi diſtinctionis inter eſsentiam, & exiſtentiam nō poſſit efficaciter probari, quod materia exiſtat per exiſtentiam formæ, neque quod forma exiſtat per exiſtentiam materiæ: quaſi verò duo dicta argumenta vnum ex proportione, quæ eſt inter vnum, & alium actum, alterum ex exiſtentia animæ rationalis non ſint valdè efficacia, vt taceam ea quibus noſtram concluſionē abſolutè loquendo ſupra probauimus.

Obijcies quintò ex Giattino *in Phyſ. queſt. 2. art. 3. in tertia probatione dicti ſecundi*: ſi materia exiſteret formaliter per exiſtentiam formæ, ſequeretur quod cauſaret ſe ipſam etiam in genere cauſæ materialis; ſed hoc repugnat; ergo &c. ſequela probatur quia in tantum materia in genere cauſæ materialis cauſat formam, in quantum prę-cisè cauſat eius exiſtentiam; hoc eſt eam entitatem, per quam formaliter exiſtit forma, ſed etiam cauſaret exiſtentiam per quam formaliter exiſteret ipſa materia, ergo &c. maior huius, quæ ſola probatione eget ſuadetur, quia materia in genere cauſæ materialis non cauſat eſſentiam formæ, cum eſſentiæ non cauſentur ſecundum ſe; ſed ſolū ratione exiſtētiæ, quatenus ponuntur in actu formaliter per exiſtentiam; ergo tota ratio cauſandi conſiſtit in cauſanda exiſtentia. 77

Confirmatur: quia ſi ponamus, quod exiſtentia formæ non cauſetur à materia, vt euenit in anima rationali: tūc neque eſsentia dictæ formæ cauſaretur ab illa in genere cauſę materialis; ergo tota ratio cauſandi formam eſt cauſare eius exiſtentiam.

Reſpondeo: negando ſequelam, ad cuius probationem nego abſolutè maiorem, & ad probationem illius, nego aſsumptum, dico enim quod quamuis eſsentiæ rerum, ſecundum ſe ſint ingenerabiles, atque adeò incauſabiles; at ſub exiſtentia cauſari rectè poſſunt; hoc autem non eſt intelligendum quaſi verò exiſtentia ſola ſit, quæ influxum cauſæ immediatè recipiat, hoc enim falſum eſt, ſed quod eſsentia dictum influxum nullo alio modo recipiat, niſi quatenus coniuncta cum exiſtentia, & hoc modo cauſatæ ſunt à Deo in tempore omnium rerum creaturarum eſsentiæ, ſiquidem per actionem productiuam translatæ ſunt

ex

Digitized by Google

ex nihilo ad esse; ita vt non solum earum existentia, sed ipsæ etiam dictam actionem immediatè terminauerint; eodemque modo causantur essentiæ formarum materialium in genere causæ materialis à materia, à qua simul cum propria existentia educuntur,

Cum hoc tamen stat, quod non quotiescunque aliqua causa influit in existentiam aliquam debeat etiam in essentiam quæ per eam existit necessariò influxere; sed videndum est vtrum illa essentia influxus illius causæ capax sit: si enim est incapax, quamuis sit illius capax eius existentia, dicendum est quod illa causa influat quidem in existentiam, non verò in essentiam; & hinc apparet solutio totius argumenti, si quidem essentia materiæ non est capax influxus causæ materialis, benè tamen est capax existentia per quam existit, vnde non est mirum si materia causet in genere causæ materialis essentiam, & existentiam formæ materialis per quam existit, non verò propriam essentiam; Assumptum probatur quia, si essentia materiæ influxum in genere causæ materialis habere posset: illum, vel à se ipsa, vel ab aliqua alia re habere posset. non primum; siquidē inter causam, & effectum debet intercedere realis distinctio; neque secundum, quia cum materia sit essentialiter subiectum primum, repugnat illi pendere ab alio tāquam à subiecto; sic enim esset, & nō esset primum subiectum. essentia igitur materiæ est incapax influxus causæ materialis: contrà verò: quod existentia per quam existit sit capax dicti influxus suadetur, quia de se est vltimus actus actuans, & informans essentiam, & sæpè ac sæpius est materialis, indigens subiecto sustentante, quod quidem subiectum nullum aliud potest esse quam essentia, quæ eius beneficio redditur existens.

Ex hoc autem benè deducitur, quod essentia materiæ potest quidem causare in genere causæ materialis existentiam formæ, per quam existit, non verò propriam essentiam. Per quæ patet responsio ad confirmationem, concedo enim antecedens; quod, nimirum, si existentia formæ non causatur à materia, neque eius essentia ab illa causabitur; sed nego materiam per hoc præcisè constitui causam formæ, quia in meram eius existentiam influit Quod si quæras cur hoc ipso quod materia causat existentiam, per quam forma existat censeatur causare eius essentiam, & non censeatur causare essentiam suam per hoc quod causet existentiam, per quam ipsa existit? disparitas patet ex dictis: quia, scilicet, essentia formæ est capax causalitatis causæ materialis, sicuti existentia per quam existit; ergo hoc ipso quod vna pendet à materia, saltem connaturaliter pendebit, & altera; contrà verò licet existentia per quā materia existit sit capax influxus ipsius materiæ, numquam tamen eius essentia: non est igitur mirum si materia causet suam existentiam absque eo quod causet suam essentiam.

78 Cæterum argumentum hoc, quo vtitur Giattinus, & adductum prius fuerat ab Hurtado, non habere vim ex suppositione, quod essentia distinguatur realiter ab existentia; multi ex aduersarijs docent, inter quos est Ouiedus *controu. Physic. punct. 5. num.* 11. & ratio est quia posita distinctione inter essentiam, & existentiam, iam existentia subiectatur in essentia, atque adeò causatur ab illa in genere causæ materialis absque eo quod essentia causet in eodem genere se ipsā.

Verum ad hoc respondet Giattinus quod non concedent aduersarij, quod existentia Angeli nō creetur, sed educatur; quia sic ponerent duas actiones distinctas in productione Angeli, alteram creatiuam essentiæ, alteram verò eductiuam existentiæ; At verò actio, qua producitur existentia formæ materialis est formalissima eductio.

Sed contrà est, quia propriè loquendo existentia neque creatur, neque educitur, sed est ratio cur creetur, vel educatur essentia, cæterum per hoc, quod existentia Angeli ab eius essentia sustentetur, non benè infertur Angelum per duas actiones distinctas productum fuisse. adhuc enim vnicam, eamque indiuisibilem actionem circa se habuisset, quæ licet ab eius essentia tanquam à subiecto sustentante pependisset: fuisset tamen vera creatio, quia fuisset productiua essētiæ Angeli non ex aliquo subiecto præexistente, sed ex nihilo vti plenius infra notabimus. Interim fateor, imbecillitatem argumenti principalis non posse euidenter apparere ex existentia rerum, quæ per creationem factæ sunt; non est tamen cur eam dissimulem apparere in existentia formarum, quæ ex materia educuntur. harum enim existentia posito, quod plus quam ratione ab earum essentijs distinguitur procul dubio sustentantur ab illis; quia ex vna parte hoc ipso quod educitur forma pendet à subiecto sustentante, ex alia verò huiusmodi subiectum immediatum saltem partiale non potest non esse ipsa essentia, quæ eius beneficio habet, quod sit in rerum natura, & existat à parte rei; tum sic: essentia formæ materialis, quæ vi naturalium agentium de potētia materiæ educitur causat materialiter existentiam per quam existit; & tamen non causat se ipsam; ergo argumentum, quo probatur materiam non existere per existentiam formæ, quam materialiter causat, ex eo quod se ipsam materialiter causaret nullius est momenti in sententia distinguentium essentiam ab existentia, quæ supponenda est in hac quæstione.

SECTIO OCTAVA.

Soluuntur argumenta, quæ prouenient ex eo, quod forma in nostra sententia sit causa materiæ.

79 HOc, præ cæteris, admirabile videtur aduersarijs in nostra sententia; quod materia sit effectus formalis in existendo formæ existentis, & nihilominus illam sustentet, & causet; statim enim videtur sequi quod materia sit prior, & posterior natura ipsa forma existente; prior quidē quatenus illam causat; posterior verò quatenus causatur ab illa; quod ipsi putant absurdum. sed hoc facilè dissoluitur, quia non facit directè contrà hanc sententiam, sed potius contrà suppositionem distinctionis actualis essentiæ ab existentia; ea enim admissa, admitti consequenter debet exi-

Digitized by Google

exiſtentiam recipi in eſſentia tanquam formam in ſubiecto, à quo dependeat, atque adeò eſſentiam ſecundum ſe eſſe priorem ipſa exiſtentia, in exiſtendo verò poſteriorem.

80 Obijcies igitur primò omnis cauſa teſte Ariſt. *in poſt prædicamentis cap. de priori*; eſt prior natura ſuo effectu; ſi igitur forma vt exiſtens eſt cauſa formalis materiæ exiſtentis, erit conſequenter prior natura ipſa materia. ex hoc autem neceſſariò ſequi materiam habere propriam exiſtentiam ſic probatur: non poteſt intelligi forma exiſtens niſi etiam intelligantur omnes cauſæ à quibus in exiſtendo dependet iam cauſaſſe; inter cauſas autē formæ materialis enumeratur materia; debet igitur in eo priori, in quo primò intelligitur forma exiſtens intelligi materia iam cauſaſſe, ſed in eo ſigno in quo primò intelligitur materia cauſaſſe debet neceſsariò ipſa intelligi exiſtens; quia tunc iam reperitur in termino ad quem ſuæ cauſationis; in eo igitur priori in quo intelligitur forma exiſtens prior natura materia: hęc intelligitur etiam exiſtens; atqui non per exiſtentiam formæ, hanc enim expectare deberet in ſecundo poſteriori, nam effectus in poſteriori naturæ ad ſuam cauſam intelligitur ab illa habere eſſe; ergo dicendum eſt, quod exiſtat per propriam exiſtentiam.

Respondeo primò: hanc difficultatem per locum intrinſecum procedere ex ſuppoſitione diſtinctionis eſſentiæ ab exiſtentia; nam facta hac hypoteſi exiſtentia eſt cauſa formalis eſſentiæ, vt exiſtentis; ergo eſt prior natura illa; ſed in eo priori iam intelligitur eſſentia in termino ſuæ causationis; quatenus materialiter ſupponitur exiſtentiam ſuam cauſaſſe; ergo iam in eo priori intelligitur exiſtere; atque adeò independenter ab exiſtentia diſtincta; vides argumentum nō procedere contrà nos; ſed contrà diſtinctionem eſſentiæ ab exiſtentia. quid ſi etiam independenter ab huiuſmodi diſtinctione ſoluēdum eſt? pone aerem in hoc inſtanti primo illuminari à Sole, tum ſic: lumen vtpotè cauſa aeris illuminati eſt prius natura ſuo effectu, atqui non poteſt intelligi lumen exiſtens, niſi etiam intelligantur omnes cauſæ à quibus in exiſtendo pendet iam cauſaſſe; ergo, cum vna ex eis cauſis ſit aer, à quo materialiter pendet, ſequitur quod in eo priori in quo lumen intelligitur exiſtere debeat etiam intelligi aer in termino ſuæ cauſalitatis, atque adeò illuminatus; non per lumen productum à Sole, nam hoc habebit in ſecundo poſteriore; ergo per aliquid luminis in ſe exiſtentis, quod manifeſtè falſum eſt.

Reſpondeo: igitur ſecundo directè ad argumentum diſtinguendo antecedens, omnis cauſa eſt prior natura ſuo effectu, ſi eſt cauſa extrinſeca, concedo; ſin autem eſt intrinſeca ſubdiſtinguo: & ſiquidem nihil eſt in effectu ſuo adęquato à quo ipſa cauſatur, etiam concedo; ſin autem aliquid in eo eſt, à quo ipſa tanquam à cauſa in ſuo eſſe dependeat, nego antecedens, & conſequentiam; explico diſtinctionem, dantur duo genera cauſarum quædam enim ſunt extrinſecę effectui; huiuſmodi eſt efficiens, & materialis reſpectu formæ materialis, quam cauſant. quædam verò ſunt intrinſecæ, cuiuſmodi eſt forma ignis reſpectu ipſius ignis, corpus reſpectu animalis, caloris reſpectu calidi &c. iam verò dictum Ariſtotelis de prioritate naturæ abſolutè verificatur de cauſis extrinſecis: de intrinſecis verò patitur exceptionem. cum enim hæ non aliter cauſent effectus ſuos, quam communicando ſuum eſſe illis, quorum ſunt cauſæ; ad hoc vt non intelligantur cauſare ſe ipſas neceſſariò in ſuis effectibus connotare debent aliquid realiter à ſe diſtinctum; non quidem inadæquatè ſicuti diſtinguitur totum à ſingulis partibus componentibus, ſed adęquatè ſicuti diſtinguitur vna pars ab alia; ſic calor, quia eſt cauſa intrinſeca calidi importat in ſuo effectu ſubiectum V. G. lignum. à quo realiter diſtinguitur; non inadæquatè, ſicuti diſtinguitur à toto compoſito calido, ſed adæquatè, ſicuti Petrus à Paulo. Quoniam verò id quod adęquatè diſtinguitur ab alio poteſt eſſe cauſa extrinſeca illius: hinc fit, vt cauſa formalis alicuius compoſiti poſſit eſſe effectus alterius compartis, & ab illa cauſari; & ita ſe habent omnes formæ accidentales, quæ pendent à ſuis ſubiectis in genere cauſę materialis, & omnes item formæ ſubſtantiales materiales, quæ ſuſtentantur à materia prima, cum qua conſtituunt corpora naturalia: ex quo deducitur omnes huiuſmodi formas non eſſe priores natura ſuis effectibus; ſiquidem prioritas naturæ eſt prioritas independentiæ, vt ſupponit argumentum; atqui ipsæ dependent à ſuis effectibus. ſiquidem cauſantur in genere cauſæ materialis, & ſuſtentantur à ſubiectis ſuis, quę ſunt effectuum ſuorum partes, quorum beneficio diſtinguntur ab illis, & ratione quorū eos cauſare poſſunt; ergo &c. Quamuis igitur forma materialis, vt exiſtens ſit cauſa formalis materię exiſtentis; quia tamen cauſatur materialiter ab eſſentia ipſius materiæ; idcirco quando primò intelligitur exiſtens, iā intelligitur à materia ipſa dependens; ſed hoc ipſo intelligitur ſuſtentari ab ea, atque adeò eſſe in illa tanquam in ſubiecto; cum igitur effectus formalis formę ſit ipſa forma in ſubiecto; impoſſibile est quod pręintelligatur forma materialis exiſtens ad ſuū effectum formalem; ſed pro eo priori, pro quo intelligitur exiſtens intelligi debet actu cauſare effectum ſuum; & ſic materiam essentialiter complere, eamque reddere existentem,

Inſtabis, hęc vera eſſe ex ſuppoſitione, quod forma materialis pendeat à materia per vnionē; 81
rectè enim dicit Hurtadus *diſput. 8. Phyſic. ſect. 8. 153.* qui dicunt materialem formam dependere à materia per vnionem, nequeunt defendere illius abſolutam prioritatē, neque reſpectu vnionis, neque reſpectu compoſiti, ſed quid in ſententia eorum, qui hoc negant?

Respondeo: iuxta horum ſententiam aliter philoſophandum nobis eſſe; videlicet concedendo abſolutè primum antecedens argumenti, quod ſcilicet omnis causa ſit prior natura ſuo effectu, ſed negando ſubſumptum: nimirum quod pro eo ſigno pro quo primò intelligitur materia cauſaſſe, intelligatur exiſtens, ſi enim forma materialis exiſtens eſt eius effectus, & hæc prius debet intelligi exiſtens, quam ei vniri: neceſſe eſt vt prius materia intelligatur in termino ſuæ cauſalitatis, poſtea verò vniri formę exiſtenti quam

cau-

Digitized by Google

causauit ; & sic ipsa quoque fieri existens, Porrò hic Philosophandi modus non oritur specialiter ex nostra sententia, qua negamus materiæ propriam existentiam, sed per locum intrinsecum ex suppositione, quod essentia distinguatur ab existentia ; nam, cum existentia sit effectus essentiæ ; si consequenter discurrere volumus per prius debet intelligi esse quam vniri essentiæ, & sic eam reddere formaliter existentem ; & hoc saltem in sententia eorum, qui putant existentiam esse rem, & non modum ; à qua sententia præsens controuersia videtur abstrahere. necesse est igitur vt essentia in termino suæ causationis non intelligatur existens, sed benè in via ad existendum, alioquin præsupponeretur in ea effectus formalis existentiæ ; quod est impossibile.

82 Dices: vnio non nisi inter extrema actu existentia intercedere potest ; ergo impossibile est, vt forma vniatur materiæ ad hoc, vt illi communicet existentiam.

Respondeo : distinguendo antecedens ; & si quidem vnio illa non est via ad faciendum existere aliquid ex extremis, concedo ; sin autem ponitur esse via ad communicandam alicui extremo existentiam, nego antecedens, & consequentiam; quia, iuxta hanc opinionem, vnio formæ cum materia est via ad reddēdam ipsam materiam existentem, sicuti vnio existentiæ cum essentia est via ad reddendam existentem ipsam essentiam. quod si tibi inintelligibile videtur, quod materia intelligatur sustentare vnionem, & pro eo priori non intelligatur existens sequere sententiam negantium dari inter materiam, & formam vnionem ex natura rei distinctam ; sicuti ego faciam suo loco, docendo; eas se ipsis immediatè vniri, atque adeò in nullo signo formam materialem intelligi posse existentem, quin intelligatur vnita materiæ, eique suum effectum formalem in ratione essendi, & existendi communicare, vel, si vis vnionem esse plus quam ratione ab extremis distincta, dic formam materialem à materia pendere per ipsam vnionem.

83 Objicies secundò : nihil in existendo potest esse causa suæ causæ; ergo forma materialis non potest esse in existendo causa materiæ, quæ illam causat sustentando, consequentia patet ; antecedens probatur, quod enim est causa causæ est causa causati, sed nihil in existendo potest esse causa sui ipsius ; ergo nihil in existendo potest esse causa suæ causæ.

Respondeo : distinguendo antecedens, & si quidem causatur à sua causa quatenus existentiam importante, transeat quod non possit in existendo causare illam ; sin autem causatur à sua causa quatenus importante puram meram essentiā, nego antecedens, & consequentiam. Dupliciter enim intelligi potest quod aliquid in existendo sit causa sum causę, primò ita vt nō causetur à sua causa vt iam præexistente, sed vt à recipiente, & sustentante potius existentiam ; secundò vt causetur à sua causa, vt iam præexistente ; & si quidem hoc posteriori modo res se haberet dicti, transeat quod nihil in existendo possit esse causa suæ causæ, quia in sententia eorum, qui volunt duas causas posse esse sibi inuicem causas, posset forsasse absolutè negari. At quando priori modo res se habet, certum est nullam apparere repugnantiam, vt videre est in albedine, quæ in dealbando parietatem est quidem causa formalis illius, & tamen materialiter causatur ab illo. hoc autem modo se habere formam dum in existendo est causa materię, constat ex eo, quia ita causat materiam existentem, vt non causetur ab illa, quatenus existentiam præhabente, sed quatenus mera sua prædicata essentialia importante; ex quo patet responsio ad probationem antecedentis, pro quo explico Axioma illud ; quod est causa causæ, est causa causati ; & siquidem est causa causæ secundum illud esse secundum quod hęc causat effectum suum concedo ; si verò est causa illius secundum aliud esse ab eo secundum quod hæc suum effectum causat nego ; siquidem albedo quāuis causet parietatem secundum esse albi quia, tamen paries non causat ipsam albedinem ex vi huius esse; sed secundum quod est susceptiuus albedinis : hinc fit vt albedo non causet seipsam, quamuis sit causata à pariete ; sic explicata maiore, & concessā minore ; nego consequentiam in sensu intento ; nam forma materialis est causa materiæ in esse existentiæ, & causatur ab illa secundum esse essentiæ. secundum quod materia, existibilis est, non verò existens.

Objicies tertiò: materia, & forma sunt diuersæ essentiæ ; ergo forma, vt existens non potest esse causa formalis materiæ in ratione existentis; materia igitur propriam habet existentiam; Primum consequens, quod solum probatione eget suadetur, duabus essentijs diuersis non est proportionata vna existentia simplex, præsertim cū altera ex his essentijs sit incorruptibilis, simplex verò existentia corruptibilis; ergo &c. 84

Respondeo : concesso antecedente, negando primam consequentiam, cuius distinguo probationem ; & siquidem illæ duæ essentiæ non sunt ordinatæ ad constituendum vnum per se, concedo non esse illis proportionatam vnam existentiam : at verò si sunt ordinatæ ad constituendum vnum per se, nego ; quoniam verò essentia materiæ, & essentia formæ supponuntur ad constituendum vnum per se in genere substantiæ, non est cur forma, vt existens non possit reddere formaliter materiam existentem, ita vt per vnam simplicem existentiam vtraque existat.

Ad illud autem quod de incorruptibilitate materiæ, & de corruptibilitate existentiæ formæ materialis dicebatur, facilis est responsio ; nam sicuti forma materialis, quamuis corruptibilis, est proportionata materiæ incorruptibili, quia hęc ex suis intrinsecis est ordinata ad faciendum vnū per se corruptibile cum illa : ita & existentia dictæ formæ, propter eamdem rationem, eidem materiæ proportionata erit.

Objicies quartò : si forma esset causa materię in ratione existentis, sequeretur quod in homine materia existeret per existentiam spiritualem animæ rationalis, non enim potest alia existentia assignari, per quam existat. hoc autem esse absurdum probatur dupliciter: primò quia essentia materiæ sic non proportionaretur existentiæ, per quam existeret; essentia quam materialis, cuiusmodi est essentia materiæ, non potest nisi per materialem existentiam reddi extra causas suas se- 85

Digitized by Google

Secundò, quia ſequeretur quod totum eſſe hominis eſſet de nouo creatum, in quantum eſſe animæ rationalis productum eſſet per actionem creatiuam.

Reſpondeo: conceſſa ſequela, negando minorem; & ad eius primam probationem diſtinguo ſequelam; eſſentia materiæ non proportionaretur ſuæ exiſtentiæ in ratione entis, concedo; in ratione potentiæ, & actus nego; Hæc autem proportio, ſicuti ſufficit materiæ, ad hoc vt poſſit vnû per ſe eſſentiale cum forma ſpirituali conſtituere, ita ſufficiens erit vt illa per eiuſdem formæ exiſtentiam conſtituat vnum per ſe in ratione exiſtentis.

Ad poſteriorem verò, nego ſequelam; ad hoc enim vt aliquod compoſitum dicatur de nouo creari non ſufficit ſi tota eius exiſtentia fiat de nouo independenter à materia; ſed neceſſe eſt etiam vt ſecundum omnes ſui partes de non eſſe ſimpliciter tranſeat ad eſſe; quod non habetur in caſu noſtro; ſupponitur enim materia prima iam antea ſub forma embrionis præextitiſſe.

SECTIO NONA.

Proponuntur, & ſoluuntur obiectiones ex productione ipſius materiæ deprompta.

86 OBijcies primò: materia, & forma materialis, initio mundi productæ fuere à Deo duabus productionibus partialibus; ergo habuerunt diſtinctas exiſtentias; antecedens patet, quia materia producta fuit per actionem independentem à ſubiecto, & ſic per creationem; forma verò materialis per actionem depẽdentem à ſubiecto; & ſic per eductionem, creatio autem, & eductio non poſſunt coire in vnam entitatem; conſequẽtia probatur ex eo quia vna, & eadem exiſtentia non poteſt duplicis productionis eſſe terminus.

Pro reſponſione aduerto creationem eſſe productionem ex nihilo rei per ſe ſuſſiſtentis, atque adeò importare in ſuo eſſentiali conceptu actionem quamdam indiuiſibilem, qua primò, & per ſe producatur aliquod ſubſtantiale, ſecundum ſe totum, & comproducantur ſimul eius partes ſi quas habet; vnde fit vt creatio reſpuat cauſam materialem præexiſtentem, alioquin creatura non omnino ex nihilo; ſed ex aliquo materialiter præſuppoſito per eam produceretur; quod repugnat eſſentiæ creationis; contrà verò eductio eſt actio, qua ita fit aliqua forma dependenter à materia, vt neque ipſa, neque totum quod ex ipſa reſultat cenſeatur fieri ex nihilo; & idcircò debet neceſsariò importare effectionem formæ materialis, & productionem totius compoſiti ex materia præexiſtente, quæ per actionem illam abſolutè loquendo minimè fiat, ſed præſupponatur facta, ac ſolum de vno in aliud eſſe tranſmutetur; & hinc fit vt Deus initio mundi Cœlum, & Terram proprijſſimè creauerit; nam vtrumque produxerit per actionem indiuiſibilem, quæ terminata eſt ad totum, non ex præexiſtente materia, ſed ex nihilo comproducendo, ſeu concreando tum materiam, tum formam vtriuſque compoſiti, hinc etiam ſequitur non repugnare creationi, vt ſic dependere à ſubiecto, ſeu à materiali cauſa, quatenus eſt comproductio formæ materialis dependentis à materia in ſuo eſſe, ſicuti quatenus eſt comproductio materiæ non repugnat eidem pendere aliquo modo à forma, vide Suarez, qui licet materiam propriam exiſtentiam habere contendat: tamen *diſput. 20. metaph. ſect. 1.* probat Cœlos initio mundi verè fuiſſe creatos, etiam ſi eorum formæ fuerint dependenter producte ab earumdem materia item *diſput. 15. ſect. 3. à n. 5.* ad rationem eductionis requirit, vt actio per quam producitur forma; non ſit comproductiua materiæ; ſed quod totaliter occupetur in productione formæ, & ea mediante in productione compoſiti, his autem prænotatis.

Reſpondeo: ad argumentum in forma, negando antecedens; ad eius probationem dico: materiam initio mundi fuiſſe quidem productam in ratione exiſtentis per actionem independentem à ſubiecto præexiſtente, ſed non independenter à ſubiecto vt ſic, ſicuti etiam forma; nam actio illa fuit dependens ab eſſentia materiæ non minus, quam actio agentis creati, qua nunc de facto generatur ignis V. G. at neque illa fuit creata, neque hæc educta; quia ad hoc vt aliquod dicatur creatum requiritur vt ſit terminus totalis actionis creatiuæ; materia autem fuit terminus partialis; nam ſimul cum forma tanquam cum comparte comproducta fuit, vide D. Thom. 1. *par. q. 46. art. 3.* vbi docet materiam non creari, ſed concreari quia non fit ita, vt ſit terminus totalis actionis, quod ſi à Sanctis Patribus, & à Doctoribus communiter dicitur creata: hoc fit vt contrà diſtinguatur ab ente increato, non verò à cõcreato, vt notat Caietanus *p. p. q. 44. art. 2.* Ad hoc verò vt forma dicatur educi neceſſe eſt, vt ex vi actionis per quam producitur dependenter à materia non detur primum eſſe materiæ, ſed præſupponatur illi datum alterius actionis beneficio, quod non habetur in prima rerum productione; vnde eſt vt etiam ipſa fuerit comproducta, & cõcreata cum materia.

87 Pater Mazziotta, quamuis *in dicta qu. 3.* reſpõdendo ad ſextam obiectionem admittat creari propriè competere rebus ſubſiſtentibus, quæ ſũt termini totales actionis ex nihilo ſimpliciter illas deducentis ad eſſe; *nũtamen* 143. reijciendum omnino putat, ad eductionem requiri neceſsariò, quod materia tempore præcedenti ad eius inſtãs præextiterit. quod probat primò ſic: formæ quæ educuntur non pendent à materia, vt exiſtente; ergo ad earum eductionem nõ eſt neceſſe vt materia præintelligatur exiſtens; ſecundò à pari, approximatio obiecti viſibilis ad potẽtiam viſuam non debet præcedere tempore viſionem illius; ergo neque exiſtentia materiæ eductionem; antecedens patet; conſequentia euincitur, quia ideò approximatio non debet præcedere, quia non debet complere vires potentiæ viſiuæ ad videndum, ſed neque exiſtentia debet complere vires materiæ ad ſuſtentandam formam materialem; non enim ſuſtentat illam per vim habitum ab exiſtentia, vti ſupradictum eſt; ergo &c.

Tertiò denique quia etiam ſi materia nõ præhauerit exiſtentiam; ſi tamen in hoc primo inſtan-

Digitized by Google

stanti forma producatur dependenter ab illa, verè realiter intelligitur mutari materia; ergo & forma verè, & realiter educi; consequentia patet. antecedens probatur, quia ex non habente formam in priori naturæ contento in eo instanti verè, & realiter intelligitur in posteriori naturę illam habere; sed hoc sufficit ad realem mutationem; ergo &c.

88 Verum quod dicitur ab hoc auctore, non habere probabilitatem constat ex eo, quia sic nulla in eius sententia daretur creatio; nam ex suppositione, quod essentia distinguitur nemine cogitante ab existentia; hæc iam fit dependenter ab essentia, vt ipse sæpè fatetur; ergo educitur; quemadmodum igitur per eum, si initio mundi primæ formæ substantiales eductæ fuissent à materia prima; corpora ex illis constantia non fuissent creata, sed genita: ita dici debet de facto de Angelis, & quibuscunque alijs entibus creabilibus constantibus ex essentia, & existentia dependenter ab essentia producta; neque valet dicere existētiæ non competere eductionem propriè, sed essentiæ, nam saltem competit posse miraculosè fieri independenter ab essentia, tanquam à causa materiali, & sic Angeli non omni proprietate creati essent.

Ad primam autem rationem incontrarium: concesso antecedente, nego consequentiam; non enim ideò materia ad eductionem formæ præintelligi debet existens, quia forma, quæ educitur, ab illa vt existente dependeat; sic enim ipsa materia intelligeretur existens, in prioritate naturæ, & non temporis, sed quia eductio non est de se productiua subiecti; atque adeò licet ipsa fiat in instanti, & in eo det illi nomen esse, connotat tamen illud antea extitisse; ita vt, si forma exigat, per successiuam præparationem disponi possit ad illam.

Ad secundam verò: concesso antecedente, nego consequentiam; ad cuius probationem nego causalem; quia vti dicebam, ad complendas vires potentiæ sufficeret præcedentia naturæ; ratio igitur cur approximatio obiecti visibilis ad potentiam visiuam non debeat præcedere tempore visionem est, quia stat essentia visionis, etiam si in eodem instanti, in quo ipsa est, obiectum primò approximetur potentiæ: at non stat essentia eductionis formæ, si tunc primò per ipsam materia intelligatur existens; quia sic actio illa terminaretur, ad producendum totum aliquod subsistens ex nihilo, atque adeò esset verè creatiua totius, & concreatiua partium.

Ad tertiam denique distinguo antecedens; si forma educeretur à materia tunc primò existente, hæc verè realiter intelligeretur mutari per mutationem sufficientem contràdistinguere eductionem à creatione, nego: per mutationem insufficientem, transeat; & sic nego consequentiam: & ad probationem antecedentis dico: mutationem illam, cuius beneficio aliquod ex non habēte in priori naturæ formam intelligitur transire ad illam habendam in posteriori naturæ, non esse sufficientem ad saluandam eductionem formæ; cōstare ex creatione Angeli, per quam certum est essentiam Angeli ex non habente in priori naturæ existentiam transire ad habendam illam in posteriori; & ratio huius est, quam modo tetigimus; nam eductio non est ordinata ad dandum primum esse subiecto suo; ergo aliquid aliud requirit præter dictam mutationem; hoc autem nequit esse aliud, quam connotatio eiusdem subiecti præexistentis; ex quo sequitur, quod cum hęc præexistentia non possit esse in priori naturæ in ordine ad formam substantialem, alioquin materia haberet propriam existentiam, benè verò in ordine ad accidentales, quia materia potest præintelligi prius informata forma substantiali, & postea accidentali licet in eodem instanti reali vtramque primò recipiat: hinc fit vt ad conceptum eductionis formæ substantialis sit necessaria connotatio existentiæ *in* priori temporis habita à materia; ad conceptum verò eductionis formæ accidentalis transeat si sufficiat connotatio existentiæ habitæ ab ea in priori naturæ.

Obijcies secundò: ex Giattino *in Physic. qu.* 2. 89
art. 3. *in secunda probatione sui primi dicti*; si materia existeret per existentiam formæ, non esset creata, sed producta ab agente naturali, consequens est falsum; ergo &c. sequela probatur, quia per eam actionem ponitur res extra causas, per quam ponitur eius existentia; sed actio, per quā ponitur existentia formæ, est productio facta ab agente naturali, & non creatio; ergo si materia existeret per existentiam formæ, non esset creata, sed ab agente naturali producta. maior huius, quæ sola videtur probanda sic suadetur, quia vel res est formaliter actu per existentiam tanquam per formam, vel per seipsam; secundum est contrà suppositionem; si primum; ergo per eam actionem ponitur in actu, & extra causas, per quam ponitur eius existentia sicuti per eā actionem ponitur in actu album, per quam ponitur albedo in subiecto.

Respondeo: supponendo hoc argumentum habere vim, siue dicamus materiam initio mundi absolutè creatam fuisse, siue solum concreatam cum forma, atque adeò nomine materiæ creatæ venire materiam alterutrum importantem, in quo sensu non est dubium eam esse creatam, & non ab agente naturali productam; quare nego sequelam, ad cuius probationem distinguo maiorem, & si quidem loquitur essentialiter, & in omni casu etiam miraculoso nego; de facto enim in sententia Thomistarum humanitas Christi, quæ existit per existentiam Verbi per aliam actionem posita est extra causas ab ea, per quam posita est à parte rei personalitas Verbi, quia illa fuit creata hæc increata, quod si loquamur connaturaliter subdistinguo dictum maiorem; & si quidem existentia est propria rei, concedo per eam actionem poni rem illam extra causas, per quam ponitur eius existentia; siquidem naturaliter non possunt inuicem dissociari; sin autem est aliena, eaque indifferens, negatur propter contrariam rationem, quia quando res existit per alienam existentiam indifferenter, modo per hanc, modo per illam, sicuti ponitur existere materia; non est cur per vnā actionem ipsa non poni possit extra causas suas, & per aliam eius existentia; & ratio huius est, quia huic rei indifferenti nō quælibet actio producitur existentia, per quam existit, ponit illam

Digitized by Google

extra potentiam cauſarum ſuarum; ſed ſolum ea, quæ de non eſſe transfert illam ad eſſe, ſiquidem reliquæ eam iam inuenerunt extractam, & ſolum de vno eſſe in aliud transmutant; ſic diſtincta, & explicata maiore, nec non etiam conceſſa minore, nego conſequentiam, ſiquidem ſola actio creatiua Dei, per quam primò extitit materia, transtulit illam de non eſſe ſimpliciter ad eſſe; actiones verò cæterorum agentium naturalium, licet dent illi nouam exiſtentiam, illam ſemper ſupponunt in eſſe. Ad confirmationem denique maioris, dico aliud eſſe quærere, per quam nam actionem res ſit actu, & exiſtens; & aliud, per quam fiat extra ſuas cauſas, ſiquidem in ſententia eorum, qui volunt, quod actio conſeruatiua ſit ſucceſſiua per eam partem illius, quæ correſpondet huic horæ Gabriel V. G. ſit actu, & exiſtens, at non extrahitur ex nihilo, aut ex potentia cauſæ. Iam verò hoc prænotato: concedo materiam eſſe actu, & exiſtentem per actionem agentium naturalium: at nego eam per earum actionem extractam eſſe extra ſuas cauſas atque productam, ſed ſolum per actionem creatiuam Dei initio mundi. cæterum exemplum de albedine ſtat pro me, nam ſi paries ex vna albedine immediatè transiret ad aliam, redderetur quidem albus per ſecundam dealbationem, & non tranſiret per illam de non albo ad album, ſed ſolum per primam.

Contrà hanc reſponſionem non facit impugnatio huius auctoris ex Ariſtotele deducta probante dandam eſſe materiam primam, eo quod aliquid ex vna forma ad aliam tranſire debeat, quaſi verò per me nihil ſit aſſignabile, quod tranſeat, quia ego non dico, quod productio materiæ eſſentialiter requirat præexiſtentiam ipſius materiæ pro tempore antecedenti, hoc enim eſſet implicatorium contradictionis, ſed quod huiuſmodi præexiſtentia obſtet, ne ipſa materia per acquiſitionem nouæ exiſtentiæ cenſeatur produci; vnde bene ſtat in mea ſententia ratio Ariſtotelica, qua probatur debere dari materiã eo quod aliquid in tranſmutationibus naturalibus tranſire debeat ex vna forma in aliam. Per me, ſiquidem, non poteſt dici, quod nihil tranſeat, vt ipſe aſſumit; tranſit enim ipſa eſſentia materiæ non quidem ex nihilo ad eſſe, ſed ex vno eſſe ad aliud; atque adeò licet admittam fieri de nouo formam, nego tamen fieri de nouo ipſam materiam.

90 Inſtabis: per hanc doctrinã corruit illud Axioma communiter acceptum, quod ſcilicet, eadem indiuiſibili actione, qua producitur eſſentia, producitur exiſtentia, quod ſumitur ex D. Th. *qu. 1. de potentia art. 2.* vbi ait: actionem ſemper terminari ad aliquod eſſe; & rectè id quidem, nam actio productiua ponit rem extra cauſam efficientem; relinqueret autem intra, niſi cum exiſtentia illam produceret.

Reſpondeo: axioma illud ſi ſumatur pro vt etiam ſe extendit ad exiſtentiam alienam habere veritatem in hoc ſenſu: vt quoties eſſentia aliqua producitur, vt quod, ſiue vt exiſtens, ſiue vt coexiſtens; producatur, ſemper, vt quo, exiſtentia, hoc eſt, ſit ratio formalis terminatiua dictæ productionis; in quantum res non aliter produci poteſt niſi acquirendo exiſtentiam, ſiue de reliquo dicta exiſtentia fiat de nouo, ſiue eſſe ſupponatur in rerum natura; hoc enim ipſo, quod eſt ratio cur res de nouo producatur benè dicitur, quod ipſa producatur, vt quo; neque aliud requiritur, vt dictum S. Th. habeat veritatem; & vt verificetur, quod actio productiua ponat rem extra cauſam efficientem, vt de ſe patet.

Obijcies tertiò: vel eodem influxu, quo nunc 91
cauſatur forma materialis, ignis V. G. ab agente naturali materia exiſtit, vel diuerſo; non primum, quia ſequeretur, quod agentia naturalia poſſent dare primum eſſe materiæ; & ſic creare corpora naturalia, quæ ex ea conſtent; quod probatur; quia per hoc quod præceſſerit tempore antecedenti alia exiſtentia in materia nihil adiuuatur agens in hoc inſtanti ad operandum; ſi enim Deus V G. mihi daret vires, vt centum ante hoc inſtans, & illis me ſpoliaret in hoc inſtanti, tantundem poſſem in hoc inſtanti, quantum ſi eas vires deperditas nunquam antea habuiſſem; ergo ſi agens naturale in hoc inſtanti eodem influxu, quo cauſat formam facit, vt materia exiſtat, ſequeretur, quod poſſet dare primum eſſe materiæ.

Neque dici poteſt ſecundum, quod ſcilicet diuerſo influxu materia nunc exiſtat, quia hic maximè eſſet ille idem, quo primò à Deò creata fuit; ſed ex hoc ſequi materiam habere propriam exiſtentiam ſic euincitur; nam hæc numero actio eſſentialiter ſpecificatur ab hoc numero termino, atqui terminus illius primæ actionis fuit exiſtentia, per quam tunc primò materia extitit; ergo ſi in tranſmutatione materia exiſtit ex vi primi influxus; exiſtet etiam per primam exiſtentiam, quæ cum non poſſit eſſe formæ aduenientis, neque formæ corruptæ, vt de ſe patet; erit proculdubio propria.

Reſpondeo: nonnullos eligere ſecundum membrum, putantes materiam, quando de nouo forma materialis de eius potentia educitur, exiſtere per diuerſum influxum ab eo, per quem ipſa forma exiſtat; cenentes eam tunc, & ſemper conſeruari à ſolo Deo non quidem eodem numero influxu, quo ab initio creata eſt, ſed diuerſo, pro diuerſitate exiſtentiarum, quas ſucceſſiuè recipit. Ad hoc dicendum mouentur ratione, quę ad infirmandum primum membrum obiectionis adducitur; ſed hæc non eſt tanta, vt nos cogat ad huiuſmodi influxus multiplicandos. quare dicendum exiſtimo: materiam, quando de eius potentia forma materialis vi Agentium naturalium educitur exiſtere per eundem numero influxum, quo exiſtit ipſa forma, ſicuti, & per eamdem exiſtentiam; ad probationem in contrarium, nego ſequelam, quod ſcilicet agentia naturalia dare poſſent materiæ primum eſſe, quare eius diſtinguo probationem. Per hoc, quod præceſſerit alia exiſtentia in materia tempore antecedenti nihil iuuatur agens in hoc inſtanti, ad operandum: nihil iuuatur formaliter, concedo; diſpoſitiuè, nego aſſumptum, & cõſequentiã. Pro explicatione huius diſtinctionis, noto quod cum materia nõ habeat propriã exiſtentiã, nunquã poteſt eſſe terminus totalis alicuius actionis productiuę, ſed ſolum partialis, atq; adeò nõ poteſt per ſe produci

ſed

Digitized by Google

sed benè comprodnci. quare in hoc connaturaliter loquendo, imitatur conditionem formæ, cuius beneficio redditur formaliter existens; & quia hæc duplici actione potest habere esse: vna, quæ sit independens à materia; altera quæ sit dependens: hinc fit vt etiam materia ipsa hoc duplici modo possit reddi existens; & priori quidem modo non nisi à Deo, vt de se patet, siquidem Agentia naturalia non possunt agere independenter à materia; Posteriori verò modo potest quidem reddi existens vi agentium naturalium; sed non, nisi determinata quadam via, ac ratione, cum enim ageniia naturalia non possint sine præuijs dispositionibus agere: hinc fit vt sicuti ad hoc, vt educant formam substantialem de potentia materiæ præsupponere debent eam iam dispositam: ita etiam ad hoc vt vi sui influxus reddant ipsam materiam coexistentem formæ, quam producunt; ex quo manifestè deducitur, quod, licet Agentia naturalia possint per suum influxum dare secundam existentiam materiæ, non possint tamen dare illi primam, per quam de non esse transeat ad esse primo. Atque ex hoc discursu facile apparet vis nostræ distinctionis, qua diximus quod per hoc, quod præcesserit in materia tempore antecedenti existentia; etiam si non inuetur agens formaliter *in hoc instanti* ad operãdum, *quia verè in hoc instanti materia caret illa existentia; iuuatur tamen dispositiuè* eo quod beneficio dictæ existentiæ inuenit illam dispositam, qualem non inueniret nisi in ea præcessisset existentia. simile quid dicendum esset de viribus, vt *centum toto tempore antecedenti ad hoc instans habitis, & in hoc instanti negatis*; si enim earum beneficio acquisiuissem dispositiones V.G. ad acutissimè videndum siue intelligendum; nego, quod tantundem possem *in hoc instanti* quantum si eas vires numquam penitus habuissem, vt constat ex dictis; ex hac autem distinctione rectè, ni fallor, deducitur; cur possint agentia naturalia suo influxu productiuo formæ dare materiæ secundo existentiam eam transferẽdo de vno in aliud esse; non autem possint dare *illi* existentiam primò extrahendo illam ex non esse ad esse.

92 Instabis: ex hac doctrina sequitur, quod agentia naturalia si non producunt, at conseruant materiam primam; quatenus dant illi esse secundò, Tertiò &c. sed hoc non videtur à Philosopho concedendum, nam sicuti materia non nisi à solo Deo fieri potest, ita & non nisi ab eodem conseruari; ergo &c.

Respondeo: negando sequelam, pro cuius declaratione suppono, formas substantiales nõ pẽdere à causis secundis efficientibus *in* conseruari, sed solum *in* fieri; postquam enim genitæ sunt cõseruantur à solo Deo, dependenter tamẽ ab exigentia illius actionis, qua fuerunt primò ab ijsdem agentibus naturalibus productæ, quoad vsq; aliquod aliud agens producendo in eadem materia aliam formam incompossibilem cum priore exigat à Deo vt cesset priorem illam conseruare. vnde fit vt difficultas posita in instantia non possit in rigore habere locum nisi pro eo instanti, pro quo formæ substantiales materiales ab agentibus naturalibus educuntur; nam tempore sequenti sicuti ipsæ formę nõ conseruantur ab illis immediatè, ita non potest esse dubium, num sic ab illis conseruetur materia. Porrò eam neque in rigore conseruari ab agentibus naturalibus pro illo instanti effectionis formæ probatur; quia licet tunc dent ei existentiam, non tamen illam dant sicuti data est initio ab ipso Deo, quia tunc Deus influxu creatiuo materiam produxit, per actionem, videlicet, non requirentem præuias dispositiones in illa; at verò agentia naturalia, sicuti non producunt formas substantiales nisi præcedant dispositiones, ita neque dare possunt materiæ existentiam, nisi eisdem dispositionibus prequijs; vnde potiùs, in instãti productionis formæ, materia debet censeri, quod conseruetur à Deo, quam ab agentibus naturalibus; quatenus actio illa creatiua Dei initio facta exigit, vt nulla alia ratione dicta agentia creata formas producant, nisi faciendo, vt materia in rerum natura perseueret. Ex quo vlterius deducitur, vt ex vi quoque illius primæ actionis habeatur, vt etiam post primum instãs productionis formæ ad exigentiam potiùs illius primæ actionis conseruetur ab ipso Deo, quam ad exigentiam causarum secundarum; quia hæ licet exigant à Deo, vt cõseruet formam, quam de potentia materiæ eduxerunt, eo quod dederunt illi primò esse: nõ tamen exigunt vt conseruet materiam; sed hoc exigit ipse Deus quatenus primò eam extraxit ex nihilo.

Subinstabis: primæ formæ materiales initio 93
mundi productę fuerunt à Deo per actionem inpendentem à materia; sed actio qua producuntur à causis secundis nunc formę materiales est dependens à materia; ergo nõ potest sustineri, quod per hanc actionem Deus conseruet materiam; consequentia euincitur, quia conseruatio dicitur communiter esse continuata productio; ergo ad hoc vt hæc actio causæ secundæ esset respectu Dei conseruatiua materiæ, deberet esse ipsa quoque independens ab ipsa materia.

Respondeo: nonnullos Recentiores concedere maiorem, inter quos est Mazziotta *q-cit.n.* 148. tum quia putat esse sententiam D. Th. tum etiam quia sic dicitur aliquid expeditius, & Dei potentiæ maximè proportionatum, tum denique quia tunc formæ nõ potuerunt naturaliter educi, quia non poterant præcedere in materia dispositiones; sed ego maiorem illam absolutè negandam esse puto; fac enim formas elementorum à Deo initio independenter à materia fuisse productas, sequeretur, quod non solum contrà suam exigentiam primò extitissent, sed etiam sic conseruatæ fuissent, quandiu in materia perseuerassent; atque adeò Deus in earum fieri, & conseruari, nõ vt auctor naturæ, sed vt miraculorum operator se gessisset, sicuti etiam in earum corruptione; quia posito quod dictæ formæ existebant independenter à materia, non poterant vi agentium naturalium introducentium in dicta materia dispositiones contrarias corrumpi, sed ad modum animæ rationalis exigebant, cedendo locum formæ subsequenti adhuc permanere in esse; & sic innumera miracula *in* hoc negotio debuissent fieri à Deo; quod, quam sit absurdum, nemo non videt. Neque rationes incontrarium aliquid valent. ad primam enim ex D. Th. auctoritate de-

Digitized by Google

ſumptam dico: ex ea ſolum colligi primas formas à Deo concreatas fuiſſe, & non eductas; quod habere veritatem, etiam ſi illæ fuerint factæ dependenter à materia ſupra vidimus, quando oſtendimus ad eductionem requiri dependentiam à materia præexiſtente; Ad ſecundam verò aio: id expeditius dici, quod eſt naturis formarū materialium conformius; hoc autem eſt procul dubio, quod factæ ſint dependenter à materia exiſtentes. Præterea id fuiſſe Dei potentiæ tunc agentis maximè proportionatum, quod ab ipſis rebus creatis exigebatur, quia Deus tunc maximè operabatur, vt totius naturæ auctor; vnde debebat ſe accomodare inclinationi, & exigentiæ rerum, & non contrà illam ire, ſicuti feciſſet ſi formas materiales independenter à materia produxiſſet. Ad tertiam denique aio, quod dato quod formæ non potuerint tunc fieri dependenter à materia diſpoſita atque adeò quantum ad hoc nō potuerint connaturaliter produci. quod falſum puto vt ex dicendis cum de generatione conſtabit: at potuerunt quantum ad dependentiam à ſubiecto; ex eo autem quod factū ſit ex neceſsitate contrà vnam inclinationem, non benè deducitur, quod factum ſit contrà aliam.

94 Sed ego in hoc excuſandum puto diligentem Auctorem qui cum ex vna parte voluerit ad cōceptum eductionis ſufficere, quod forma fiat dependenter à materia, & ex alia viderit D. Th. & alios doctores negare primas formas fuiſſe eductas; intulit eas fuiſſe productas independenter à materia; ſed melius feciſſet ſi ex conſtanti Doctorum negatione fundata in verbis ſacræ ſcripturæ *Gen.* 1. in Principio creauit Deus Cœlum, & Terram, & ex ſtatu violento formarum materialium exiſtentium iudependenter à materia intuliſſet non repugnare creationi totius dependentiam formæ à materia ex vi illius tunc primò exiſtente, atque adeò putaſſet ad conceptum eductionis habendum neceſſariam eſſe præexiſtentiam ipſius materiæ.

Atque hæc quantum ad falſitatem maioris inſtantiæ *num.* 93. pro aduerſarijs adductæ; eam tamen ſi ſupponeremus veram, nihilominus argumentum nihil concluderet; vt patet ex eo, quia ea permiſſa, & conceſſa minore, nulla eſt conſequentia; ad eius enim probationem facilè explicari poteſt aſſumptum; quādo enim dicitur, quod conſeruatio ſit continuata productio, hoc nō eſt intelligendum de continuatione quo ad omnia, ſed ſolum quo ad effectum principalem continēdi à parte rei id, quod productum eſt, ne deſinat eſſe, & abeat in nihilum; cæterum ſiue hoc fiat diuerſa actione, ſiue eadem, modo hæc ab illa priore exacta ſit, materialiter ſe habet; ſicuti etiā materialiter ſe habet, quod id conſeruetur ſub eadem exiſtentia ſub qua productum eſt, an verò ſub diuerſa duret à parte rei.

95 Obijcies quartò: actio illa ſimplex, & indiuiſibilis, qua producitur forma materialis eſt modus diſtinctus, cauſatus, & ſuſtentatus à materia; ergo de neceſsitate debet ſupponere materiam exiſtentem. Antecedens ſupponitur verum. Cōſequentia probatur quia ille modus qui eſt actio eſt prior prioritate à quo forma exiſtente; ſed pro eo priori cauſatur, & ſuſtentatur à materia; materia autem pro eo ſigno pro quo intelligitur cauſare, & ſuſtentare, intelligi debet exiſtens; ergo pro eo priori pro quo intelligitur exiſtere actio productiua formæ materialis intelligitur exiſtere materia. igitur illa actio de neceſsitate ſupponit materiam exiſtentem.

Reſpondeo: conceſſo antecedente negando conſequentiam, ad cuius probationem diſtingui poſſet maior. modus ille, qui eſt actio eſt prior prioritate à quo forma exiſtente in genere cauſæ efficientis, concedo; in genere cauſę materialis, nego maiorem, cum prima minore; & dici: actionem illam poſſe dupliciter cōſiderari: primò quatenus eſt cauſalitas cauſæ efficientis, ſecundò quatenus eſt modus quidem cauſatus, & ſuſtentatus ab ipſa materia: primo modo eſt, quidem prior forma exiſtēte in genere efficiētis, at in eo priore non intelligitur ſuſtentari à materia, ſed potiùs illam cauſare, vt quo. in ratione exiſtentis: at verò ſecundo modo non ſolum intelligitur eſſe poſterior forma exiſtente, ſed etiam ipſa materia, quia comparatur ad illam, vt actus eius ſecundus accidentalis.

Verum hæc reſponſio ſupponit poſſe intelligi 96
effectum in aliquo ſigno exiſtere abſq; eo quod intelligatur ab omnibus ſuis cauſis dependere, quod negatur cōmuniter; Quare melius ad probationem conſequentiæ reſpondeo ſecundò: conceſſa maiore, & prima minore diſtinguendo ſecundam, materia pro eo ſigno pro quo intelligitur cauſare, & ſuſtentare aliquid intelligi debet exiſtens, & ſi quidem id quod à materia intelligitur pro eo ſigno cauſari conſtituat illam in via ad exiſtendum nego: ſin autem non conſtituat illam in via concedo minorem. Dico enim materiam debere ſemper præintelligi exiſtentē in ordine ad omnes illos effectus à quibus ipſa non redditur exiſtens, quia omnis cauſa prius debet intelligi conſtituta in ordine ad ſe, quam reſpectu aliorum à ſe. Quoniam verò ipſa ſicuti redditur formaliter exiſtens tanquam in termino per exiſtentiam formæ materialis, ita redditur in via, & tendentia ad exiſtentiam per actionem productiuam ipſius formæ materialis: hinc fit, vt licet pro eo ſigno, pro quo intelligitur eſſe ſub forma exiſtente intelligi debeat exiſtens, non tamen ſic intelligi debeat pro eo ſigno, pro quo intelligitur cauſare actionem productiuam formæ; ſiquidem per eam conſtituitur formaliter in via, & tendentia ad exiſtendum; Quod ſi quęras per quid igitur materia dictam actionem eductiuam formarum cauſet?

Reſpondeo: quod eam cauſet per ſuam eſſentiam, & quod, dum actu eius beneficio tranſit ad exiſtendum, debet ſolum intelligi in via ad exiſtentiam habendam in termino dictę vię; vnde fit vt licet in nullo ſigno materia poſsit intelligi cauſare actionem eductiuam formę quin intelligatur exiſtens, non tamen debet intelligi exiſtēs pro eo priori ſigno quamuis re vera tunc realiter loquendo exiſtat; ſed pro poſteriori; quare illa prioritas non eſt prioritas in quo, ſed à quo tantum reſpectu ipſius materiæ vt exiſtentis; quia non poteſt intelligi ſine exiſtentia, pro ſigno tamen poſteriori habenda, quod ſufficit ad cauſandam materialiter actionem eductiuam per quam

cau-

Digitized by Google

causa debet recipere existentiam. Atque hoc idē dicere tenentur omnes, qui essentiam rei à propria eiusdem existentia nemine cogitante distinctam esse defendunt.

97 Obijcies quintò: materia suæ creationis beneficio habet propriam entitatem, & realitatem; ergo, & propriam existentiam; consequentia tenet; quia idem est existere, ac entitatem, & realitatem habere.

Respondeo: entitatem esse duplicem: essentialem vnam, & existentialem alteram; & si quidem de essentiali sermo est in antecedente, illud tibi concedo; sin autem de existentiali, nego simul cum consequentia; ad cuius probationem dico idem esse existere, ac entitatem, ac realitatem existentialem habere; quamuis autem hæc sit vnica respectu materiæ, & formæ, ex hoc tamen nō benè deducitur, eas absolutè loquendo non esse duas res, nec esse realiter inter se distinctas; quēadmodum enim si duo subiecta essent vna, eademque albedine informata adhuc essent duo alba realiter inter se distincta: ita, & in casu nostro; & ratio paritatis est, quia sicuti dualitas alborum, & realis eorum distinctio non sumitur ex albedine, sed ex subiectis illius importantibus ipsam tanquam conditionem, seu formam; ita dualitas rerum, & earum distinctio in casu nostro sumitur ex proprijs essentijs materiæ, & formæ, quę de se plures sunt, licet requirant necessariò existentiam, tanquam conditionem; vnde vlterius fit, vt id, quod constat ex materia, & forma verè sit compositum actu, quamuis vnicam habeat actualitatem, & existentiam; quia partes veniunt in compositionem eius secundum proprias essentias, & non secundum rationem formalem existendi, quamuis sine hac non possint illud actu componere.

Instabis: materia suæ productionis beneficio 98 est actu seipsa; ergo propriam habet existentiam, consequentia probatur, quia omne id quod seipso componit cum alio est actu seipso; sed materia beneficio productionis se ipsa componit cū forma existente; ergo est acta seipsa.

Respondeo: negando antecedens; quia, ly, seipsa, in propositione idem valet, ac per seipsam, materia autem licet suæ productionis beneficio habeat vt sit actu in se ipsa: hoc tamen habet per formam existentem. Ad probationem antecedentis, distinguo maiorem: omne quod se ipso componit cum alio, habens ex se ipso formaliter ea omnia, quę requiruntur ad compositionem, est ens actu se ipso; concedo antecedens. non habens ex se ipso formaliter ea omnia, quæ requiruntur, nego maiorem; & sic distincta minore nego consequentiam. Dico enim, quod materia ita componit cum forma existente, vt ex parte sua habeat tantum potentialitatem, & essentiam, & expectet à forma actualitatem; atque hinc fit vt non habeat ex se ipsa omnia ea, quæ ad compositionem sunt necessaria; quod autem sic componit nō se ipso, sed per aliud est ens actu, licet realiter distinguatur ab illo.

99 Instabis: quod habet suam possibilitatem passiuam sibi identificatam non potest saltem naturaliter existere nisi per propriam existentiam; sed materea habet suam possibilitatem passiuam sibi identificatam; ergo non potest existere per existentiam formæ. Minor huius patet, quia passiua possibilitas est eadem cum essentia, quæ potentiam ad existendum importat. Maior verò probatur: potentia in suo genere completa ad aliquod exercitium non est in eo genere actuabilis nisi per proprium exercitium. hoc enim ipso quod completa est, inter se, & exercitium suum nequit alia potentia eiusdem generis mediare; alioquin in ordine ad huiusmodi exercitium non esset completa. Ita quidam Recentior.

Respondeo: distinguendo maiorem: quod habet possibilitatem passiuam absolutam, & sine addito non potest saltem naturaliter existere, nisi per propriam existentiam; cōcedo si habet possibilitatem passiuam diminutam, & cum addito, nego maiorem; & distinguo eodem modo minorem, materia habet suam possibilitatem perfectā, & sine addito, nego; quæ si imperfecta, & cum addito concedo; & nego consequentiam. Dico enim possibilitatem materiæ esse diminutam; & cum addito; eo quod importat rationem entis omnino potentialis non aliter potentis existere, nisi per existentiam emendicatam à forma; per quod differt à puro nihilo, quod neque per propriam, neque per alienam existentiam existere valet. Ad maioris probationem dico duplicem potentiam completam in suo genere dari posse primam absolutam, ac sine addito diminuente; & hanc concedo non esse actuabilē nisi per exercitium proprium: alteram cum addito, ita vt in suo genere diminuat rationem possibilitatis ad existendum, coarctando illam ad existendum per existentiam alienam. quoniam verò potentia materiæ ad existendum est completa hoc secundo modo, sicuti dici potest hoc eodem modo completa eius quidditas, in quantum nihil illi deest ad rationē materiæ primæ: hinc fit vt neutra maior sit apta concludere eam debere per proprium exercitium seu existentiam existere.

Obijcies sextò: si Deus prius tempore produceret animam rationalem, & deindè produceret sub illa materiam, hæc secūda actio aliquid produceret; sed non existentiam formæ, quia hæc iam supponitur producta, non essentiam materiæ, quia hæc non producitur, nisi per productionem existentiæ; ergo debet produci ipsa existentia materiæ. 100

Respondeo: concedendo casum, in quo non puto necessarium esse negare fore remansuram illam actionem priorem per quam sola forma producta fuerat, & multo minus negare fore remansuram eamdem existentiam per quam eadem forma existebat, sicuti dicit Arriaga *à num.* 81. sed his duobus admissis, & concesso quod actio illa posterior aliquid de nouo produceret ei assigno duplicem terminum de nouo, vnum non vltimatum, & velut i, vt quo; alterum vltimatum, & vt quod; terminus non vltimatus erit materia sub existentia, siquidem prius essentia materiæ fuerat sub negatione existentiæ, at verò illius actionis beneficio incipit esse sub existentia; quāuis autem vtrumque prius fuerit, at non sicuti nunc, vt de se patet, terminus verò vltimatus est homo, qui ad positionem materiæ sub existē-

tia

Digitized by Google

tia de nouo conſurgit, quem prius non fuiſſe nulli dubium eſſe poteſt; ex quo patet materiam etiam in hoc caſu comproduci, quatenus ad totius productionem accipit eſſe: quod ſi quis vellet ſoluere argumentum propoſitũ dicendo, quod produceretur in dicto caſu vnio diſtincta inter materiam, & formam non contradicerem quantum ad hoc; neque enim contrà huiuſmodi vnionem fieri poteſt idem argumentum, quod præ manibus habemus, vt ſupponit Arriaga eodem loco, ſiquidem Thomiſtę non putant vnionem exiſtere per exiſtentiam formæ, ſed volunt eã propriam habere exiſtentiam, ſicuti & omnia accidentia, vt patet ex Mazziotta, & alijs.

SECTIO DECIMA,

Verum materia per abſolutam Dei potentiam poſsit exiſtere ſine forma ſubſtantiali.

101 PRæſens controuerſia in triplici ſenſu excogitari poteſt. primo, vt videamus an materia exiſtere poſsit ſine forma habendo in ſe eiuſdem formæ exiſtentiam; ſecundò an poſsit exiſtere per exiſtentiam alicuius rei, quæ forma non ſit: quid quid ſit deindè ſi cum illa re, cuius exiſtentiam habet, debeat eſse coniuncta; Tertiò denique an ſaltè poſsit exiſtere per quãdam exiſtentiam ſupernaturalem nulli debitam naturaliter, ſed ſolum ſibi ſupernaturaliter, & de lege extraordinaria proportionatam. Pro deciſione autem ſit.

Prima concluſio: materia non poteſt per abſolutam Dei potentiam exiſtere per exiſtentiam formæ, abſque eo quod cum eſſentia eiuſdem formæ coniuncta ſit; & vniuerſaliter loquendo non poteſt exiſtere miraculosè per exiſtentiam alicuius rei, abſque eo, quod ſit realiter coniuncta cum illa re.

102 Probatur efficaciter noſtra ſententia, quia exiſtentia vel non diſtinguitur realiter à forma, & à cęteris rebus, quarum eſt exiſtentia, & ſic manifeſtè implicat coniungi cum materia ſine forma, & ſine rebus ipſis; vel ſi diſtinguitur pluſquam ratione, cum non ſit neceſſaria alia maior diſtinctio, quam modalis ſolum modaliter diſtinguitur. Quoniam verò implicat modum reperiri ſine re, cuius eſt modus, implicabit etiam contradictionem materiam exiſtere per exiſtentiam formæ, vel cuiuſcunque alterius rei, abſque eo quod ſit cum eſſentia formæ, vel illius rei coniuncta; quæ autem implicant contradictionem, ne per abſolutam quidem Dei potentiam fieri poſsunt.

103 Obijcies: exiſtentia eſt modus quidam eſſendi; ſed multi modi eſsẽdi aliquarum rerum per Dei potentiam rebus alijs communicantur, abſque eo quod hæ ſint coniunctæ cum rebus illis, quarũ modos habent; ergo etiam exiſtentia formæ poterit à Deo communicari materiæ, abſque eo quod materia ſit realiter cum forma coniuncta. Maior patet; minor verò probatur: tum ex modo eſſendi in ſe ſine ſubiecto, qui competit ſubſtantiæ, & tamen in ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento communicatur accidentibus à ſubſtantia panis ſeparatis: tùm etiam ex modo eſſendi in loco totum in toto, & totum in qualibet parte, qui quidem modus licet ſit proprius ſpiritualis ſubſtantiæ, communicatur tamen Beatiſsimo Corpori Chriſti Domini in eadem Euchariſtia; ergo &c.

Reſponderi poteſt primò ad hoc argumentum negando minorem: & ad eius probationem dicitum modum illum eſſendi in ſe accidentium ſine ſubiecto in Euchariſtia; tum etiam modum, quo Chriſtus Dominus ibi indiuiſibiliter coexiſtit hoſtiæ diuiſibili eſse negatiuos; & primum quidem conſtitui per negationem exiſtendi in alio; ſecundum verò per negationem actualis extenſionis partium in ordine ad locum: at verò modus eſſendi ſine ſubiecto, & modus eſſendi in loco diuiſibili indiuiſibiliter dici debet, quod ſint modi quidam poſitiui perficientes ea, quorũ ſunt modi, vt ſupponimus: qua poſita reſponſione corruit, vt vides, argumentum.

Reſpondeo tamen ſecundò ad maiorem: exiſtentiam non eſse quemcunque modum eſſendi, per quem, ſcilicet, res quæ exiſtit hoc, vel illo exiſtat modo, quemadmodum ſunt illi modi, per quos ſubſtantia exiſtit in ſe, & Angelus indiuiſibiliter; ſed eſse modum eſſendi ſimpliciter, ita vt implicet contradictionem dari exiſtentiam alicuius rei alicubi, & ibi non eſse rem cuius eſt exiſtentia; ex quo fit quod etiam ſi concedamus Deum communicare poſse modos alios indebitos alicui, abſque rebus ipſis, quibus in ſpecie conſideratis competunt huiuſmodi modi: non poſsit tamen communicare exiſtentiam formæ materiæ, abſque eo quod eidem materiæ communicet formam ipſam. Dixi in ſpecie conſideratis, quia modum eſſendi ſine ſubiecto quem Deus communicat ſpeciebus Euchariſticis à nulla determinata ſubſtantia mutuatur.

Obijcies iterum, admiſso quod materia nõ habeat propriam exiſtentiam, poteſt Deus producere aliquem modum ſubſtantialem per quem illa exiſteret ſine vlla forma ex ijs, quæ de facto dari poſsunt; ergo falſa concluſio. Ita ferè Giattin. *quæſt. 8. Phyſic. art. 1. verſus ſecunda controuerſia eſt.*

Reſpondeo negando antecedens; vel enim ſub illo modo materia exiſteret etiam ſub illa forma, quę de facto dari non poteſt, vel non. primum eſt noſtra ſententia. ſi ſecundum contrà illud facit, quia modus nequit diuinitus exiſtere ſine re cuius eſt modus vti ſupra diximus. Quod ſi dicatur modum illum nullius eſse formæ contrà hoc facit.

Secunda concluſio; implicat contradictionem 104
materiam exiſtere per exiſtentiam alicuius rei creatæ, quæ forma non ſit: licet cum illa re concipiatur eſse coniuncta.

Probatur aſſertio; quia ſi poſset materia per exiſtentiam alicuius rei creatæ à forma diſtinctæ reddi formaliter exiſtens: ſequeretur quod modus, qualem eſse ponimus exiſtentiam, poſset cõmunicare ſuum effectum formalem alteri, ab eo cuius eſt modus, ſed hoc repugnat inductione facta per reliquos modos; Actio enim productiua vnius ignis non poteſt diuinitus eſse productiua alterius ignis, & relatio vnius cauſæ ad ſuũ

eſſe-

Digitized by Google

effectum, nequit referre aliam causam ad suum; nec implicat, quod figura, qua modificatur una quantitas, sit terminus figurans aliam quantitatem, & sic discurrendo per cæteros modos. cuius rei ratio à priori petenda est ex essentia modi, quæ totaliter consistit in actuali exercitio communicationis sui ipsius, quod si per vnum modum possunt naturaliter modificari plura, hoc est, quia modus ille ex sua intrinseca ratione ordinatur ad plura illa modificanda, sicuti est existentia formæ in nostra sententia, & fortasse vbi intrinsecum, at si sic non ordinatur: ne diuinitus quidem poterit,

105 Obijcies: positiuum absolutum ab alio absoluto distinctum, & natura prius illo, potest absq; repugnantia existere sine illo, sed materia est, quid positiuum absolutum à forma distinctum, & prius illa; ergo per absolutam Dei potentiam potest existere sine illa; non per propriam existentiam, quia illa caret; ergo per alienam.

Respondeo: quod materia est tale prius, vt tamen dependeat à posteriori, quod autem est huiusmodi; non potest existere sine suo posteriori; neque dicas prius vt prius non posse à posteriore dependere: Quia materia licet vt receptiua, sit prior forma: tamen vt existens est illa posterior, & sic, vt existens dependet à forma; semper ergo distinguendum est de materia secundum se, & de ea vt existente, si quidem primo modo est prior forma; secundo verò posterior.

106 Obijcies iterum: quidquid sibi præscribit genus, præscribit etiam sibi aliquam certam speciem illius generis, sed materia non præscribit sibi determinatam speciem formæ ad existendum; ergo neque genus formæ in communi; potest igitur existere per existentiam alcuius alterius rei creatæ, quæ forma non sit.

Respondeo: maiorem esse veram, quo ad præscriptionem generis intrinseci; quando, scilicet, præscribitur aliquod genus tanquam aliquod essentiale ab aliqua re: debet etiam de necessitate præscribi ab eadem re differentia determinata; falsum autem loquendo de præscriptione extrinseca, sic oculus V. G. præscribit sibi extrinsecè coloratum absque eo, quod determinatum aliquè colorem sibi vendicet.

107 Tertia conclusio non potest materia per absolutam Dei potentiam existere per existentiam supernaturalem, quæ sit propria illius supernaturaliter tantum, & de lege extraordinaria.

Probatur, quia si esset possibilis existentia supernaturalis materiæ, vel hæc esset supernaturalis, quo ad substantiam, vel quoadmodum tantum, neutrum dici potest; ergo hæc existentia implicat; maior patet ex diuisione rerum supernaturalium communiter recepta. minor verò probatur, quoad vtramque partem; & primò quidem, quod non possit esse supernaturalis quo ad substantiam: quia huiusmodi supernaturalitas consistit in excessu supra omnem naturam, atqui hæc existentia si esset dabilis non esset supra omnem naturam; ergo &c. minor huius, quæ sola probatione eget suadetur examinando in quo consistat huiusmodi excessus; si enim ponatur consistere in ordine gratiæ sanctificantis res est euidens, siquidem hæc existentia nullo modo pertinet ad dictum ordinem neque tanquam causa illius, neque tanquam dispositio, neque denique tanquam proprietas, aut ad illam aliquo modo conducens; si autem dicamus huiusmodi excessum supra omnem naturam positum esse in eo præcisè, quod vires totius naturæ creatæ superet, dictum hoc distinctione eget; nam si intelligatur de viribus effectiuis, est manifestè falsum, vt patet ex orbe ipso, eiusque præcipuis partibus, Cælis videlicet, & elementis, quæ omnia licet superent vires effectiuas totius naturæ creatæ, sunt tamen entia naturalia absolutissimè; vnde quamuis concedatur huiusmodi existentiã non posse fieri nisi à solo Deo, per hoc non colligitur ipsam fore supernaturalem secundum substantiam, sicuti neque quod per hoc existentia animæ rationalis sit huiusmodi; si verè excessum illum explicemus, quod sit per ordinem ad omnem naturam tanquam ad subiectum, verum quidem est; at cum hæc existentia ponatur esse proportionata essentiæ materiæ, vtpotè apta ad ponendam illam in rerum natura & extra causas, non minus, quam existentia formæ substantialis, non poterit in hoc sensu dici, quod sit illi supernaturalis secundum substantiam. Confirmatur, quia ideò negatur communiter possibilem esse formam substantialem, seu materiam primam supernaturalem, quo ad substantiam, quia essent essentialiter compartes naturæ completæ, hoc est compositi substantialis, atque adeò non essent supra omnem naturæ conceptum; sed hæc eadem ratio militat pro hac materiæ existentia, nam hoc ipso, quod eam redderet existentem, & extra causas suas esset compars huius existentis, quod est natura actualis; ergo ne dicamus huiusmodi existentiam esse suprà seipsam debemus censere eam non esse supernaturalem, quoad substantiam suam.


Iam verò, quod dicta existentia neque esset supernaturalis quoadmodum, quæ erat posterior pars minoris primi argumenti, suadetur, quia supernaturale, quoadmodum est secundum substantiam naturale, atque adeò alicui naturæ debitum, licet sit indebitum cæteris, cuiusmodi est intellectio pendens à Phantasmatibus posita in lapide, vel in Angelo, quæ licet esset illis supernaturalis: quia tamen est secundum substantiam suam naturalis, quatenus est naturæ humanæ proportionata, idcircò esset illis supernaturalis secundum modum, seu secundum quid.

Hoc posito sic arguo; si huiusmodi existentia 108
esset secundum modum tantum supernaturalis: sequeretur, quod esset secundum substantiã suam naturalis, atque adeò alicui naturæ debita, respectu cuius esset omnino naturalis, sicuti intellectio pendens à Phantasmatibus est adæquatè naturalis homini; sed si hæc existentia esset possibilis nulli prorsus naturæ debita esset; ergo non esset secundum modum tantum supernaturalis. minor huius euincitur, quia si alicui esset naturalis, maximè materiæ primæ; sed illi non est naturalis, vti supponitur, quia miraculosè per eam existit; ergo nulli prorsus substantiæ est naturalis.

Confirmatur conclusio. implicat existentia, 109
quę numquam possit esse suæ propriæ essentiæ con-

Digitized by Google

connaturalis, ſed huiuſmodi eſset hæc exiſtentia materiæ, quam fingunt aduerſarij; ergo &c. maior, quæ ſola videtur probanda, ſuadetur, quia omne, quod eſt inclinat quantum poteſt ad ſui conſeruationem, & exiſtentiam. ſi autem eſset poſſibilis exiſtentia, quæ numquam eſset propriæ eſſentiæ connaturalis, iam eſſentia illa in ſtatu innaturali, & violento eſſet ſub ea; atque adeò refugeret ab illa tanquam à ſuo malo, quia ſtatus violentus eſt malus naturæ, vt de ſe patet; ergo eſſentia, quando eſset ſub dicta exiſtentia, non inclinaret ad ſui conſeruationem; ſed potius ad ſui deſtructionem, & ad non eſſendum, quod implicat; ergo implicabit exiſtentia, quæ numquam poſſit eſſe ſuæ propriæ eſſentiæ connaturalis.



DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO SEPTIMA

DE FORMA SVBSTANTIALI.

NOmen formæ multipliciter ſumitur, & ad vnum potius, quam ad aliud ſignificandum, adiacentis beneficio obtinet. Metaphyſica enim forma, vel exiſtentiam ſignificat, vel differentiam eſſentialem, vel etiam totam eſſentiam ex genere, & differentia cõſtantem; Separata verò Deum, & intelligentias; Extrinſeca autem Ideam, ſeu exemplaro peris faciẽdi. Phyſica denique ea, qua informat materiam Phyſicam, illamque perficit; & ſiquidem ſubſtantialiter illam perficit erit ſubſtantialis, ſin autem accidentaliter, accidentalis: non negauerim, tamen nomine formę accidentalis donari etiam omnem aliam, quæ ita perficit ſubiectum ſuum, vt cũ eo non conſtituat vnum per ſe, ſed vnum ſolum per accidens. Iam verò de forma Phyſica ſubſtantiali nobis in præſentia ſermo eſt; per eam autem intelligimus actum quemdam realem poſitiuum, & ſubſtantialem, qui ſit ens imperfectum, & ſimplex à natura inſtitutum ad componendum cum materia vnum per ſe in genere ſubſtantiæ.

SECTIO PRIMA.

An dentur formæ ſubſtantiales.

1 MVltis nominibus ab Ariſtotele ſubſtãtialis forma apellata eſt; aliquando enim dicta, eſt ſpecies; tum quia eſt materiæ pulchritudo, tum etiam quia eius beneficio habet compoſitũ, vt in determinata ſpecie reperiatur, vt 2. *Phyſic. tex.* 12. aliquando, ratio, vt 1. *Phyſic. tex.* 65. quatenus ex ea compõſiti definitio ſumenda eſt; quandoque actus, quia eſt id, per quod potentia materiæ ad ſuum actum reducitur 2. *Phyſic. tex.* 11. quandoque terminus, ac finis quatenus ab eadem materia indeterminationem, atque infinitatem, aufert. 4. *Phyſic. tex.* 35. alibi diuinum quid bonũ, quia ad diuinam naturam proximè accedit, tum quia habet rationem actus, tum etiam quia eſt principium, vt quo, operationum cõpoſiti 1. *phyſ. tex.* 31. aliquando denique Hendelechia, ideſt, vt ait Fonſeca 1. *met. cap.* 2. *q.* 3. habitus, ſeu perfectio inhærens, vel potius perfectus habitus 1. *de Anima tex.* 2. vbique verò forma, eo quod materiam rudem, & informem perficit, redditque formoſam. De hac igitur forma primò quærimus, an ſit; plerique enim ex antiquis, vt patet ex Ariſt. 2. *phyſic. tex.* 22. & 1. *metaph. ſum.* 2. *cap.* 1. & *alibi*, eam vel negarunt, vel nulla ratione cognouerunt, ex quorum numero dicuntur fuiſſe Pericles, Parmenides, Meliſſus, & Hypocrates, quibus aſſentitur Alexander Aphrodiſeus cum Philophono ſaltem, quoad elementorum formas, contrà quos.

2 Noſtra concluſio eſt. Dari formas ſubſtantiales ex quibus corpora omnia ſubſtãtialia ſaltem corruptibilia componuntur, quod fidei principijs valde conſonum eſt. in concilijs enim tum Viẽnenſi ſub Clemente V. tum Lateranenſi ſub Leone X. ſancitum eſt animam rationalem eſſe formã hominis informantem; conſtat autem animã rationalem eſſe ſubſtantiam, quia, vt ex ſcripturis ſacris colligitur, ſeparata à materia ſine miraculo in ſuo eſſe perſeuerat, quod non poſſe accidentalibus formis conuenire indubitatum eſt, ex hoc autem principio noſtra concluſio probari poteſt valide.

Primò ſic: in homine præter materiam primã datur etiam forma ſubſtantialis, quæ ſit pars ipſius eſſentialis, ſicuti ex ſacris Concilijs patet; ergo & in cæteris corporibus ſubſtantialibus dari debet forma ſubſtantialis illis proportionata. Conſequentia probatur, quia non minus ſunt corpora naturalia ſubſtantialia reliqua, V.G. mixta, animantia &c. quam homo; ergo ſi in homine præter materiam primam datur forma ſubſtantialis: etiam in cæteris danda eſt.

Confirmatur quia videmus, quod eiuſdẽ rationis ſit materia, quæ eſt in homine, ac in cæteris corporibus naturalibus; ergo quemadmodũ illa, quæ eſt in homine eſt ſemi ens indigens forma ſubſtantiali ad conſtituendum hominem; ita erit & illa, quæ in cæteris corporibus reperitur. 3

Argumẽtum hoc, quod communiter adducitur, inefficax dicit eſſe Arriaga *diſp.* 3. *phyſicor. ſect.* 1. Reſponderi enim ad illud poſſe, putat, quod quẽadmodum animus rationalis eſt incompletus, & tamen ſine materia exiſtere poteſt; ita & materia, quamuis ſit incompleta poſſit exiſtere incompletè extra hominem ſine vlla forma ſubſtantiali, ſed hæc paritas manifeſta inſtantia redarguitur; ſiquidem inde ſequeretur, quod cætera corpora naturalia eſſent ſemiſubſtãtię. Rurſus, quod materia in omnibus illis aliquo modo, contrà ſuam inclinationẽ detineretur, ſicuti animus rationalis extra corpus, hoc autem licet nullam abſurditatem in ordine ad animã importet, quia primaria intentio auctoris naturæ, quando illam creauit in corpore fuit, vt de facto ſuum naturale complementum haberet; importaret tamẽ abſurditatẽ in ordine ad materiã, ſi tota quanta eſt initio creata fuiſſet ſine ſuo eſſentiali cõplemento, & ſi maior

Digitized by Google

eius pars numquã in poſterum huiuſmodi cõplemẽtũ habitura fuiſſet; per quod patet diſparitas; Intantũ enim ſine abſurdo animus rationalis poteſt exiſtere ſine materia, quia iã ponitur ſuũ naturalẽ ſtatũ aliquando obtinuiſſe, & ſuo munere functus eſſe. At hoc de materia prima dici non poſſet, ſi in omnibus alijs compoſitis diſtinctis ab humano compoſito ſine forma ſubſtantiali conſeruaretur.

4 Probatur deinde ſecundò ex ipſamet ſubſtantiali tranſmutatione, quam dari patet ex eo, quod quędam corpora non accidentaliter ſolum, ſed etiam ſubſtantialiter, ſecundum nomen, ſcilicet, ac definitionem, tranſmutantur ad inuicem; quando ergo ex ligno fit ignis V.G. certum eſt, quod aliquid ſubſtantiale corrumpitur, & aliquid ſubſtantiale de nouo generatur, ſed hoc non eſt compoſitum ſecundum omnes ſui partes, quia ſic daretur naturaliter annichilatio, atque creatio, quæ ſupra vidimus eſſe naturaliter impoſſibilia; neque eſt materia, quia hæc eſt primum ſubiectum rerum omnium quæ ſunt in compoſito, & ingenerabilis eſt, atque incorruptibilis; ergo erit forma ſubſtantialis; dantur igitur in rerum natura præter animam rationalem aliæ formę ſubſtantiales.

5 Dices: omnia corpora conſtare ex materia, & ex complexione quadam formarum accidentalium, ad cuius complexionis corruptionem, atq; generationem corpora ſublunaria corrumpi, & generari cenſentur.

Contrà tamen eſt quia, cum accidens ſit entis ens, ad hoc vt iſta complexio accidentium conſiſtat, debet aliquid aſſignari in corporibus, cui primò, & per ſe illa debeatur; hoc autem nequit eſſe materia, quippe ad omnes huiuſmodi complexiones indifferens; erit igitur forma ſubſtantialis; adde quod ſepè remanet iſta complexio in materia, & tamen compoſitum naturale corrumpitur, vt quando aliqua ſagitta animali tranſuerberatur cor, contrà verò minimè corrumpetur ſi perforetur pes, vel fodiatur oculus, &c. ſæpè etiam magna ex parte dicta complexio variatur abſque corruptione compoſiti, vt quando ferrum fit candens, & aqua calida; compoſita igitur non poſſunt, ex ſola materia, & ex iſta accidentium complexione conſtare; ſed debet neceſſariò dari principium, quod reſarcire poſſit huiuſmodi incommoda; & detrimenta in compoſitis.

6 Confirmatur, quia corpora naturalia differunt inter ſe eſſentialiter; ſi autem conſtituerentur per materiam, & per varias qualitatum complexiones accidentaliter tantum inter ſe differrent; quo nihil eſt abſurdius.

7 Eadem denique concluſio confirmari ſolet ex proprietatibus, quæ cuique ſubſtantiæ corporeæ competunt; & ex reductione, qua mixta, ſeu elementa alterata in ſtatum priſtinum ſe reducunt; hæc enim cum ſint accidentia ab aliquo principio ſubſtantiali, quod reperiatur in compoſitis prouenire neceſſe eſt; non quidem ex materia, quæ eſt eiuſdem rationis in omnibus; igitur ex formis ſubſtantialibus, quæ reperiantur in dictis compoſitis.

8 Obijcies primò: Ariſtoteles 2. *de generat. tex.* 7. & 24. ait: primas qualitates eſſe differentias elementorum; ergo non ſunt in elementis formæ ſubſtantiales; ſiquidem idem eſt conſtitutiuum, ac diſtinctiuum.

Reſpondeo: Philoſophum appellare primas qualitates differentias elementorum, non quidem ſecundum ſe, & ſimpliciter; ſed in ordine ad nos, & ſecundum quid, in quantum nobis notiores ſunt formæ accidentales, quam ſubſtantiales. per accidentia enim experimur ſenſibus noſtris elementa inter ſe differre. Poſſet etiam Ariſtoteles explicari de differentia elementorum conſtituente ipſa elementa proximè in ratione actiui, atque paſſiui, in qua per qualitates ipſas conſtituuntur, & in hoc etiam ſenſu docuit ea inter ſe eſſe contraria. nego igitur conſequentiam.

Obijcies ſecundò: formæ materiales pendent intrinſecè à materia; ergo ſunt accidentia; antecedens patet. Probatur conſequentia, quia id, quod intrinſecè dependet à materia, inhęret ipſi materię; ſed inhærere eſt proprium accidentium; ergo nulla datur forma materialis ſubſtantialis. 9

Reſpondeo negando conſequentiam; ad eius probationem diſtinguo maiorem: quod pendet intrinſecè à materia inhæret ipſi materię, ſi ita pendet, vt det eſſe primum dictæ materiæ, & compoſito eſſe ſimpliciter, ſitque prima radix, ac primus conceptus eſſendi, nego maiorem; ſi ita pendet à materia, vt non det illi primum eſſe, ſupponatque compoſitum eſſentialiter conſtitutum, concedo maiorem; per quod patet reſponſio ad minorem, & conſequentiam.

Obijcies tertiò: Poſſunt corpora naturalia intelligi in ſuo eſſe conſtituta, & inter ſe diſtincta per ſolam formarum accidentalium combinationem; ſuperfluum igitur erit tribuere illis ſubſtantiales formas. 10

Reſpondeo negando antecedens; res enim ſubſtantiales, sicuti ſunt corpora naturalia, in ſuo eſſe ſubſtantiali non poſſunt per accidentia ſufficienter conſtitui, ſed de neceſſitate exigunt ſubſtantiales formas.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum dentur in materia formarum ſubſtantialium incoactiones.

CONtrà eos, qui ſubſtantiales formas admittebant, in hunc modum argumentabantur antiqui; ſi dantur huiuſmodi formæ, vel præexiſtunt in materia ante actionem productiuam compoſiti, vel non præexiſtunt; ſi primum dicatur, ſequitur reperiri in materia infinitas formas, nullamque dari de nouo ſubſtantialem productionem, ſin autem eligatur ſecundum, ſequitur formas ſubſtantiales fieri ex nihilo, & conſequenter creari; ex nihilo autem, vt omnes Philoſophi arbitrantur, nihil fit; quia agens naturale creare non poteſt. non dantur igitur ſubſtantiales formæ; neque dicas ex hoc argumento ſequi omnia, quæ de nouo fiunt 11

in

Digitized by Google

in mundo debere creari; poteſt enim rectè negari ſequela, & dici quod creatio debeat ad rem ſubſiſtentem terminari, vt colligitur ex D. Th. *par.* 1. *quæſt.* 45. *in corpore*, formæ autem accidentales nequeunt eſſe ſubſiſtentes, contrà verò ſubſtantiales.

Hoc igitur argumento, quidam ex Peripateticis exterriti, formas ſubſtantiales eſſe in materia ante ſui productionẽ pronunciarunt, latenter tamen, & inchoatiuè; agentium verò naturalium beneficio poſtea apparere, & foras erũpere; Hanc autem formarum latitationem, ſeu inchoationem alij aliter explicarunt; & non nulli quidem primò dixerunt formas ſubſtantiales ante ſui productionem ſecundum ſuam eſſentiam in materia reperiri, & ab agentibus naturalibus poſtea recipere in eadem materia exiſtẽtiam, ita videtur ſenſiſſe Albertus 1. *Phyſicor.* Quidam autem ſecundò ponentes formas ſubſtantiales conſtare ex pluribus gradibus, putarunt eas ſecundum infimum gradum ſemper in materia præexiſtere; ſecundum verò gradus nobiliores ab agente de nouo produci; horum meminit Antonius Andreas 7. *metaph.* alij tertio voluerunt in materia dari quaſdã formarũ poſſibilitates, quas rationes ſeminales appellabant, eaſq; ad aduentum formarum recedere aſſerebãt, de quibus Durandus *in* 2. *diſtinct.* 18. Quidam denique quartò maluere formas ſubſtantiales præexiſtere in materia ſecundum ſe totas; actione verò agentium naturalium poſtea vniri ipſi materiæ, contrà quos omnes ſit.

Vnica concluſio. nullo ex dictis modis formæ ſubſtantiales ante compoſiti productionem ſunt propriè in materia. eſt verò communis, & eam docet D. Th. 1. *par. q.* 45. *art.* 8. Suarez *diſput.* 15 *metaph. ſect.* 2. & alij.

Probatur autem primò ex abſurdis, quæ ex cõtraria ſententia aduerſariorum ſumpta communiter ſequerentur; quorum primum eſſet, quod in materia daretur infinitum actu; formæ enim poſſibiles produci, quæ per aduerſarios ſunt ſimul in materia, ſunt finitæ in infinitum ſecundum ſe; ratione igitur ſimultatis erunt infinitæ ſimpliciter ſecundum, quod in eadem parte materiæ, vel eſſent diſpoſitiones omnino contrariæ, vt ſummus calor, & ſummum frigus; quia ibi forma ignis, & formæ Ferræ ſimul reperirẽtur: vel quod eſſent ibi formæ ſubſtantiales ſine ſuis diſpoſitionibus; Tertium; quod in quolibet eſſet eſſentia cuiuslibet ſecundum prædicata quidditatiua: & ſic in leone eſſet equus, in equo bos, in boue aſinus, &c. Quartũ quod formæ materiales eſſent ingenerabiles, & incorruptibiles, quemadmodum eſt materia. Quintum denique abſurdum eſſet, quod nullæ res eſſet vna ſimpliciter; continerent enim in ſe formas nullo modo vnum per ſe inuicem componentes,

Probatur autem ſecundò noſtra concluſio, impugnando ſingulos explicandi modos contrariæ opinionis; & primum quidem, quia eſſentia formæ non poteſt eſſe à parte rei in materia niſi beneficio exiſtentiæ; nihil eſt igitur, quod auctores primi modi explicandi dicant, formas, ante receptionem exiſtentiæ ſecundum ſuas proprias eſſentias in materia reperiri. Secundum verò modum reijcio, tum quia formæ ſubſtantiales indiuiſibiles ſunt, & gradus, quos fingunt aduerſarij minimè habent; tum etiam quia licet illos haberent, de gradibus tamen, qui de nouo fierent, probari poſſet cõtrà dictos auctores, quod crearentur. Tertiũ quia non poteſt explicari verum poſſibilitas illa ſit accidens, an ſubſtantia; quidquid enim dicatur, euincitur in materia reperiri infinitum categorematicum poſitiuum; & non euitatur formas ſubſtantiales fieri ex nihilo; ſiquidem cum illa poſſibilitate, earum carentia coniuncta eſt, quæ in illarum productione euaneſcit. Vltimum denique modum impugno, quia ex eo ſequeretur formas materiales eſſe per ſe ſubſiſtentes independenter à ſubiecto; ante ſui enim vnionem cum materia iam exiſterent, atq; adeò eſſent ſpirituales, & non materiales; quo nil abſurdius.

Scio aliquos, inter quos eſt Contarenus, vnam aſſignare in materia formarum omnium incohationem, quę per modum formæ inſeparabilis in illa perſeueret; quam alij dicunt eſſe potentialitatem quamdam realiter ab ipſa materia diſtinctam, ex qua educantur formæ materiales, ſed hi facilè etiam reijciuntur, tum quia nulla eſt neceſſitas ponendi hanc inchoactionem, ſiue potentiam: tum quia ea admiſſa etiam ſequitur formas, quæ de nouo fiunt, fieri ex nihilo, atque adeò in ſententia illorum creari, non enim ſecundum ſe præexiſtunt in illa forma, ſeu potentia, quam ipſi fingunt.

Ad argumentum autem contrà formas materiales ſubſtantiales initio factum dico: dictas formas etiam ſi fiant ex nihilo ſui, neque præſupponant aliquid ſuæ propriæ entitatis in materia, non ideò creari, quia fiunt ex ſubiecto præexiſtente; creatio enim eſt productio rei ſubſiſtentis ex nihilo ſimpliciter, hoc eſt ex nihilo ſui, atque ſubiecti, de qua re planius in ſectione ſequenti.

Obijcies locum Ariſtotelis *in* 7. *metaph. ſect.* 29. vbi docet in materia reperiri aliquam partẽ rei naturalis generandæ, & per hoc entia naturalia ab arte factis diſtingui; quia arte facta ſolum materiam præſupponunt; at verò illa præter materiam præſupponunt aliquid formæ generandę. dãtur igitur per Ariſtotelem formarum inchoactiones in materia.

Reſpondeo cum Alexandro, & alijs, per partẽ formę, quam res naturales in materia prærequirunt, Philoſophum intelligere aptitudinem quãdam, ſeu capacitatem, & inclinationem naturalem, quam habet materia prima ad formas ſubſtantiales recipiendas, quam inclinationem non habet ad recipiendas formas artificiales; capacitas autem hæc, & inclinatio, quia eſt quædam ad formam ipſam inclinatio ipſius compoſiti faciendi, rectè formæ pars aliquo modo appellari poteſt.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

De formarum substantialium productione.

18 AD hoc vt plenius argumento initio sectionis precedentis posito faciamus satis, superest, vt declaramus modum, quo formæ substantiales producuntur; pro qua re aduerte eas esse in duplici differentia: quædam enim sunt spirituales, independentes in esse, & fieri à materia; atq; adeò per se subsistentes, & huiusmodi sunt solæ animæ rationales: quædam verò aliæ sunt, quoad entitatem suam materiales, dependentes in esse, & fieri ab ipsa materia; atque adeò illi inhærentes, huiusmodi sunt cæteræ omnes substantiales formę. verum hę duobus modis contingere potest, quod producantur; primò à solo Deo operante vt auctore naturæ in creatione rerum initio factarum; secundò ab agentibus naturalibus naturaliter operantibus, quo posito sit.

19 Prima conclusio. animæ rationales fiunt ex nihilo per veram creationem, est communis, &

Probatur, quia creatio, vti diximus, est productio rei subsistentis independenter à subiecto, quā quidem independentiam importat particula ex nihilo in definitione creationis, sed animæ rationales sunt subsistentes, vt ex earum operatione intellectiua demonstrat D. Th. *p. 1. q. 75.* & quantum ad esse sunt independentes à materia, vt patet ex eo, quod extra corpus sine miraculo conseruantur, atque adeò quantum ad fieri; nam tale est fieri rerum, quale est esse; ergo fiunt ex nihilo per veram creationem; & hinc est vt principium illud communiter à Philosophis vsurpatū (ex nihilo nihil fit,) non habeat veritatem vniuersaliter acceptam. Deus enim sicuti ex nihilo in principio creauit Cœlum, & Terram: ita de præsentia rationales animas. at si restringatur ad modum operandi agentium naturalium, limitatam perfectionem habentium verissimum est, vti dicemus.

20 Obijcies: Deus non producit animas rationales, nisi ad exigentiam materiæ embrionis, in vtero matris rectè dispositæ; anima igitur rationalis falsum est, quod fiat omninò ex nihilo.

Respondeo negando consequentiā; fieri enim ex nihilo excludit propriè dependentiam à subiecto quantum ad esse; exigentia autem completæ dispositionis in materia embrionis solum se habet, vt occasionem, qua Deus inducitur, & mouetur ad animam rationalem producendam, non verò materialiter in illam influit productionem.

21 Secunda conclusio. reliquæ formæ substantiales per hoc præcisè, quod de facto fiant dependenter à materia prima tanquam à subiecto sustentante, rectè saluantur, quod non fiant ex nihilo simpliciter, & per consequens, quod non creētur: quamuis fiant ex nihilo sui. Hęc conclusio plenè satisfacit difficultati initio præcedentis sectionis propositę.

22 Probatur autem: quia dupliciter aliquid intelligi potest fieri ex nihilo; primò vt sit aliquod totum substantiale, ita terminans actionem productiuam sui, vt nulla eius pars antea præexistat, secundò ita vt, licet non sit in se totum aliquid, & completum, sit nihilominus in se subsistens, siue enim primo, siue secundo modo se habeat, de eo verificari potest, quod fiat absolutè terminus effectionis, atque adeò quod possit absolutè, & simpliciter dici fieri, & fieri ex nihilo, dum nihil sui præsupponit ante se à parte rei, quam doctrinam sumo ex D. Th. *1. par. quæst. 45. artic. 4.* initio corporis, vbi sic: creari est quoddam fieri: fieri autem ordinatur ad esse, vnde illis proprie conuenit fieri, & creari, quibus conuenit esse, quod quidem conuenit propriè subsistentibus. Hæc ille, hac posita maiore, subnecto minorē sic: atqui formæ materiales substantiales non sunt aliquod totum substantiale, & quid in se completum, vt possint fieri ex nihilo primo modo, sed sunt semisubstantiæ, atque adeò in se incompletæ; ergo nulla alia ratione posset illis competere fieri ex nihilo, nisi eo quod essēt in se subsistentes, hoc est independentes à materia; sed huiusmodi formę hoc ipso, quod sunt materiales tum in fieri, tum in conseruari pendent à materia; stante igitur earum incompletione per hoc precisè, quod de facto fiant ab agentibus naturalibus dependenter à materia tanquam à subiecto sustentante rectè saluatur, quod non fiant ex nihilo, atque adeò quod non creentur, quod erat probandum. Audi D. Thom. *part. q. 75. art. 2. ad primum*, quomodo hoc argumentum illustret; hoc aliquid, inquit, hoc est subsistens, potest accipi dupliciter. vno modo pro quocunque subsistente, alio modo pro subsistente completo, in natura alicuius speciei. primo modo excludit inhærentiam accidentis, & formę materialis; secundo modo excludit imperfectionem partis. sic igitur anima humana potest dici hoc aliquid primo modo, quasi subsistens, sed non secundo modo, sic enim compositum ex anima, & corpore dicitur hoc aliquid; vbi vides D. Th. negare formis materialibus esse subsistens, tum primo, tum secundo modo, quod est necessarium ad hoc, vt aliquid possit fieri ex nihilo, & esse terminus creationis, vt ipse prius docuerat.

23 Tertia conclusio, licet de omni forma materiali verificetur, quod facta sit dependenter a materia, non tamen de omni verificatur, quod sit educta, sed tantum de illis, quę ab agentibus naturalibus in præsentia producuntur. hæc conclusio procedit in sententia eorum, qui volunt initio mundi vnica indiuisibili actione creatiua, siue etiam diuisibili creatum fuisse Cœlum, & Terram, quamuis eorum forma facta fuerit dependenter à materia habente propriam existentiam, & multo magis procedere debet in nostra sententia, quā probauimus materiam nō habere propriam existentiam, sed existere per existentiam formæ. Est verò contrà eos, qui neutram tuentur sententiam. hi enim sustinent essentiam eductionis, in solā productione formæ cum dependentia à materia tanquam à subiecto sustentante consistere, & sic affirmant de omni forma materiali facta dependenter à materia, quod sit educta.

24 Verum nos, vt iuxta nostra principia procedamus, aduertere debemus, quod eductio spectata vi vocabuli significat extractionem, seu extraductio-

ctione alicuius rei ex aliquo loco; philoſophicè verò conſiderata rectè dicitur de illis formis, quæ cum in potentia paſſiua materiæ antea contineantur, quando per actionem agentis naturalis producuntur, videntur quodammodo extrahi à dicta potentia, & ſic educi; vnde eſt, quod ſi propriè ſumatur educere, tria importet: primo habitudinem cauſæ materialis; res enim factibilis, etiam ſi contineatur in potentia agentis, quando poſtea fit, non dicitur educi de potentia ipſius, ſecundo influxum dictæ cauſæ materialis in fieri, & eſſe eius formæ, quæ educitur, ita vt hæc ſit natura ſua affixa materiæ, & ab illa ſuſtentetur.

Tertiò denique, quod materia non manuat de nõ eſſe ad eſſe ſimpliciter per illam ipſam actionem, per quam accipit eſſe forma, ſed præſupponatur antea præexiſtiſſe; nã res non dicitur educi, niſi de eo, in quo continebatur; nihil autem continere poteſt propriè aliquid, niſi ipſum exiſtens ſit; quod quidem nos diſputatione ſuperiore notauimus cum de exiſtentia materiæ; & innuit Suarez *diſp. 15. metaph. ſect. 2. n. 15.* ſic, ex ſententia D. Th. formam educi de potentia materiæ, eſt fieri eadem actione, qua fit compoſitum ex materia præcedente, quæ per illam actionem non fiat; ex his autem noſtra aſſertio facilè probatur: nam materiales formæ, quæ initio creationis productæ fuerunt in noſtra ſententia non præſupponebant materiam exiſtentem, ſiquidem hæc per eandem actionem vna cum illis de non eſſe tranſiuit ad eſſe; ergo non eſt dicendum, quod huiuſmodi formæ fuerunt eductæ, ſed concreatæ, quamuis dependenter à materia factę fuerint; at verò illæ, quæ ex vi agentium naturalium in præſentia producuntur præſupponunt ſimpliciter materiam exiſtentem ſub forma præcedenti; ergo his habent omnia, quæ ad eductionis eſſentiam conſtituendam neceſſaria ſunt: quamuis igitur de omni forma materiali verificetur, quod ſit à materia dependenter, tamen de his tantum, quæ ſunt ab agentibus naturalibus verificatur, quod ſint eductæ, quod erat probandum.

25 Obijcies: ſi fieri in eo inſtanti, in quo producitur illuminatio, illa illuminatio erit verè eductio; ergo ad eductionem non requiritur, quod materia tempore præceſſerit.

Reſpondeo: conceſſo antecedente diſtinguendo conſequens, & ſi quidem loquitur de eductione formæ accidentalis, illud tibi concedo; ſin autem de eductione formæ ſubſtantialis, nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia forma accidentalis, cum ſit actus ſecundus materiæ non fit per eandem indiuiſibilem actionem, per quam fit ipſa materia, ſed illam ſaltem in priori naturæ præſupponit productam iam, & extra cauſas ſuas; at verò forma ſubſtantialis comparatur ad materiam, vt actus primus ad ſuas; atque adeò non poteſt illa præſupponere præexiſtentem ordine naturæ in eo ipſo inſtanti, in quo primo producitur; ad hoc igitur, vt intelligatur, quod ex materia præexiſtente fiat, & ſic quod de eius potentia extrahatur debet illam connotare præexiſtiſſe iam tempore antecedenti; hoc autem, quia initio mundi præſtiti non potuit à forma Terræ V. G. quamuis facta fuerit dependenter à materia, nequit tamen dici educta, ſed tantum concreata, ſeu cõproducta.

Inſtabis: gratia dicitur ſimul concreata cum Angelis, & tamen verè fuit ab eorum ſubſtantia ſupernaturaliter educta; ergo concreatio, & eductio non ita opponuntur, vt vna excludat alteram. 26

Reſpondeo: concreationem ſumi poſſe dupliciter, primò materialiter, & importat actionem realiter à creatione diſtinctam, illi tamen ſimultaneam, ſecundò formaliter, & eſt ipſamet actio creatiua quatenus ex obliquo, & veluti indirectè terminatur ad aliquid, quod eſt de eſſentia illius, quod primario, & directè creatur. primo modo ſumpta concreatio ſtare poteſt cum eductione; Angelorum autem gratia fuit primo modo concreata, non verò ſecundo modo, vt de ſe patet: ſed formæ ſubſtantiales materiales ſecundo modo, ideóque negamus illas fuiſſe eductas.

SECTIO QVARTA.

Nonnulle quæſtiuncule ſpectantes ad hanc controuerſiam ſolutæ.

EX his habes quid dicendum ſit de illa quæſtione, quam mouet Oniedus *punct. 4. n. 6.* nim ſcilicet, ſi materia prima non influeret per verum influxum cauſalium in formas materiales, ſaluari poſſet, quod formæ materiales generarentur? Pro qua ipſe citat Leſſium, & Arriagam in affirmatiuam partem inclinantes; quorum ratio eſt, quia ſine verò influxu cauſatiuo in genere cauſæ materialis materiæ in illas, poteſt aſſignari diſtinctio inter generationem, & creationem; quod illa res creari dicatur, quæ neque vt à conditione, neque alio modo pendeat à materia; & illa generari, quæ à materia ſaltem, vt à conditione, vel à poſteriori dependeat, etiã ſi nõ cauſetur ab ea; verũ Oniedus rectè hanc rationẽ infringit ex eo, quod ſic anima rationalis nõ poſſet dici creari, quia pendet in fieri à materia, tanquam à conditione, ſine qua minimè produceretur, vt ipſemet Arriaga fatetur, quidquid ſit ſi ſic non pendeat in facto eſſe. Verum, idem Oniedus poſtea non bene concludit dum cum aliis Recentioribus communiter docet ſufficere ad generationem dependentiam per verum influxum in genere cauſæ materialis: vidimus enim requiri præterea præexiſtentiam ipſius cauſæ materialis, alioquin creatio confunderetur cum generatione, vt ſupra notauimus in ſolut. argumentorum contrà exiſtentiam materiæ; cæterum ego non putarem huiuſmodi influxũ cauſæ materialis ad cõceptũ generationis neceſſariũ eſſe; aliter non poſſet ſaluari, quomodo homo, hominem generaret. 27

Quæres ſecundo: an ſint poſſibiles formæ ſpirituales, quæ determinatum quandam materiam diuerſæ rationis à noſtrate, & illis tantum addictam ſibi vendicent?

Reſpondent aliqui negatiue: rationem huius rei aſſignant primò, quia vel hæ formæ eſſet eiuſdem rationis cũ anima rationali, vel diuerſæ. nõ primum, quia anima rationalis non eſt eſſentialiter ordinata ad faciendum vnum per ſe, niſi cũ noſtrate materia: habere enim capacitatem ad componendum cum alia eſt perfectio quædam poſitiua, quæ non debet illi ſine rationabili fundamento

da-

Digitized by Google

damento concedi, quod cum nobis non innoteſcat, irrationabiliter ſentiremus, ſi ei huiuſmodi capacitatem concederemus: neque dici poteſt ſecundum, quod ſcilicet hæ formæ ſpirituales eſſent diuerſæ rationis; quia vel illæ poſſent expelli virtute agentis naturalis ex ea materia: vel non. primum eſt falſum, ſiquidem cum ſupponamus earum materiam non eſſe capacem formarum, ad quas agentia naturalia noſtratem materiam diſponunt, neceſſariò ſequitur eam ab illis alterari non poſſe. ſi verò dicatur ſecundum, videtur inde ſequi huiuſmodi formas eſſe materiales, eo quod extra materiam exiſtere non poſſunt.

Verum hoc argumentum eſt ineffícax, quamuis enim concederetur huiuſmodi formas ſpirituales poſſibiles eſſe diuerſæ rationis ab anima rationali: dici rectè poſſet eas non poſſe expelli virtute agentium naturalium ob rationem in argumento aſſignatam, inde tamen non ſequi eas materiales eſſe, quia inſeperabilitas earum non proueniret ex indigentia, quam haberent materialis influxus, ſed ex carentia agentium naturalium, quæ diſpoſitiones ſuis diſpoſitionibus contrarias in dictam materiam introducere valeret, atque adeò per accidens eſſet, quod cõpoſita ſubſtantialia ex illis cõſtãtia eſſent incorruptibilia.

Aliud argumentum, contrà huiuſmodi formas à noſtratibus diuerſas formari poſſet ſic; vel illæ eſſent vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, vel nõ: hoc ſecundũ non eſt dicendum, quia inde ſequeretur eas eſſe entia completa, quatenus non indigerẽt materia; intellectualis enim forma non poteſt aſſignari, ad quid aliud ea indiget, ſi ad exercendas operationes vitæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ non indiget. pro ſpiritualibus enim operationibus exercẽdis noſter animus non ob aliud materiæ conſortiũ expoſcit, niſi quia ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus debet abſtrahere, vt in rerũ cognitionem deueniat; cum cõſtet nihil eſſe in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu. Quod ſi primum eligas: dicendo eas gradu vegetatiuo, & ſenſitiuo gaudere; inde rectè deducitur eas in corpore indigere alimento, vt nutriantur, augeantur, & conſeruentur, ac ſpiritus vitales, & animales ſibi cõparent; cum autem conſtet huiuſmodi alimentum debere habere materiam eiuſdem rationis, quam hæ animæ ſpirituales ſibi vendicant, quandoquidẽ noſtra materia, vti ſupponimus, ab eis informarĩ non poteſt: hinc fit, vt huiuſmodi viuentia non niſi corporibus ſibi tum in materia, tum in forma ſimilibus veſci poſſent. Iam verò hoc eſſe contrà ordinem diuinæ prouidentiæ, ſic ſuadetur, quia quodlibet horũ viuentium poſſet ſibi ſimile iuſtè occidere ad quærendum cibum, ſibi neceſſarium, vnde homicidium ex intrinſecis ſuis non eſſet eis illicitum, nec eorum res publica rationalis eſſet bene conſtituta, ſiquidem vna eius pars deberet deſtructionẽ alterius perpetuo machinari, & ſic nõ poſſent mutuã vitæ ſocietatẽ cuſtodire.

Verum neque hæc ratio conuincit, quãuis enim concedi debeat huiuſmodi viuentia non poſſe ali niſi corporibus viuentium eiuſdẽ rationis, negandum tamen eſt eorum poſſibilitatem eſſe contrà ordinem diuinæ prouidẽtiæ; dicere enim poſſet aliquis in illa alia rerum ſerie occiſionẽ viuentium huiuſmodi in finem alendæ vitæ nõ fore ex intrinſecis ſuis illicitam, ſed ob alium finẽ turpem; nec per hoc ſocietatem inter dicta viuentia penitus excludi, cum poſſent tantum inclinari ad ea, quæ eſſent diuerſæ rationis, ac eſſentiæ deuorandã, nõ autem ad ea, quæ in eadem eſſentia ſpecifica conuenirent, atque adeò hæc inter ſe vitæ ſocietatem conſeruare optimè poſſent. ſi non cũ alijs diuerſæ rationis.

Verum hæc reſponſio, ardua mihi, ac per difficilis videtur eſſe; ſatius ergo reſpondendum videtur dicendo huiuſmodi viuentia non fore vegetabilia, ſed tantum ſenſitiua; quamuis enim noſter gradus ſenſitiuus eſſentialiter vegetatiuum exigat; hæc tamen exigentia non eſt eſſentialis ſenſitiuo pro vt præſcindit ab eo, qui reperitur in hoc ordine rerum, & ab illo, quem ſibi vendicarent in alio dicta viuentia, cum ſuppoñamus non minus inter huiuſmodi gradus eſſentialem diuerſitatem reperiri, quam inter gradus rationalitatis, qui eſt in nobis, & qui foret in illis; ne autem cõuincamur dictas formas rationales poſſibiles eſſe entia completa, idcircò ponimus illas fore ſenſitiuas: atque adeò compoſita ex eis conſtantia nõ niſi per creationem cum magnitudine debita poſſe fieri à Deo, & eſſe incorruptibilia non minus, quam ſint cæleſtes orbes, nec alimento indigere, vt nutriantur, & creſcant. Quod ſi ſpiritibus animalibus egent, qui ſenſuum organa ad ſuas vitales ſenſationes peragendas adiuuent; nõ ideò neceſſe eſt aſſerere eos ex alimento generari, cum poſſimus probabiliter ſuſtinere huiuſmodi ſpiritus exigere viuentia illa immediatè à Deo ſuæ creationis initio, eadem forma ſpirituali informatos, nec ab eis amiſſibiles vnquã fore, ſicuti fortaſſe ſunt ſpiritus, quos corpora beatorum, & damnatorum poſt reſurrectionem habebunt; cum enim in huiuſmodi ſpiritibus ſic conſtitutis nulla appareat implicantia, dicendũ eſt, quod compoſita ex dictis formis ſpiritualibus, & materia illis addicta conſtantia eos ſibi vẽdicẽt.

Quamobrem ad quæſtionem initio propoſitã reſponderem: poſsibiles eſſe formas ſpirituales, quæ determinatam quandam materiam diuerſæ rationis à noſtrate, & illis tantum addictam ſibi vendicarent. Probatur quia nulla apparet in hoc implicantia, neque ex parte formarum, vti ſupra probatum eſt, neque ex parte materiæ, vti cernere eſt in ſententia eorum, qui putant materiam cœlorũ differre eſſentialiter à noſtrate; ergo &c.

Dices formas illas eſſe rationales; ergo eiuſdẽ rationis cum noſtris animabus; nego enim conſequentiam, quia iam carerent gradu vegetatiuo, aliunde verò poſſent gradum rationalitatis, dependẽtis in operãdo à phantaſmatibus diuerſum habere, ſicuti gradum intelligendi independenter habent Angeli, qui inter ſe eſſentialiter differũt.

Quæres denique tertiò nũ forma aliqua inter poſſibiles detur, quę materias eſſentialiter diuerſas ſaltẽ ſucceſsiuè valeat informare, & vnũ per ſe cũ illis cõſtituere? Reſpõd. affirmatiue, ratio eſt, quia eſſe actũ diuerſarũ potentiarũ ſubſtantialiũ ęquialet duabus formis dictas potentias determinatè ſibi uendicantibus, ſed hęc ęquiualentia nullam implicantię ſpeciẽ preſefert, vt patet ex cognitione cognoſcente ſimul duo obiecta, quorũ vnũ vna cognitio, alterũ verò altera adæquatè cognoſcit; ergo &c.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO OCTAVA

DE VNIONE INTER MATERIAM, ET FORMAM.

CVM materia prima, & forma ſubſtantialis non niſi vnitæ ſint principia in actu ſecundo compoſiti ſubſtantialis; ad exactam cognitionem habendam rationis principiandi, quam reſpectu illius exercent, valdè neceſſaria eſt diſputatio de earum vnione, ex qua diſputatione poſtea quid ſentiendum ſit de alijs vnionibus, quæ inter formas accidentales, & ſua ſubiecta intercedunt, facili negotio deduci poterit.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit vnio phyſica.

1 AGimus de eſsẽtia vnionis phyſicę, hoc eſt rigoroſæ; ad excludendas illas, quæ vniones minus rigoroſæ dici ſolent, quales ſunt intentionales, actus videlicet intellectus, & voluntatis, quæ ſuas potentias cum obiectis, quæ attingunt aliqua ratione vnire cenſentur, nec non etiam locales, & temporales, ratione quarum duo corpora, quo ad eundẽ locũ, & quo ad idẽ tẽpus dicuntur vnita. nomine enim rigoroſæ vnionis uenit ſolum penetratiua, & continuatiua. prioris generis eſt illa, quæ inter materiam, & formam reperitur: poſterioris uerò illa, quæ eſt inter partes unius continui. Iam uerò in aſſignando eſſentiali conceptu unionis phyſicę pro ut ab utraque prę ſcindit multę ſunt Recẽtiorum ſententiæ, quas prius quam noſtram proferamus expendere neceſſe eſt.

2 Prima eſt eorum, qui dicunt unionem eſſe nexum duorum. Diſplicet aliquibus hęc definitio, eo quod putant competere alteri nimirum relationi, & actioni. Sed contrà: quia relatio non eſt nexus, ſed ordo unius ad aliud, conſtat autem quod licet unum ordinetur ad aliud, poteſt tamẽ non necti, neque ligari phyſicè cum illo; ſed ad ſummum metaphoricè. Actio uerò licet pro eo tempore, pro quo eſt liget effectum cum cauſa ſua: at non habet hoc de ſuo conceptu primario, ſicuti debet habere unio, ſed de ſecundario. primò enim, & per sè eſt influxus in effectum, quo cum indigeat effectus, non poteſt à ſua cauſa ſeparari quin deſtruatur. melius ergo tradita definitio reijcienda uidetur, quia per eam nihil prorſus nobis de unionis eſſentia innoteſcit; uel enim ęque ignotum eſt quid ſit duorum unio, ac duorũ nexus; uel magis notum prius, quam poſterius.

3 Secunda eſt dicentium: eſſe rationem formalẽ, per quam aliqua realiter inter sè diſtincta conſtituunt aliquid uerè unum. quod ſi ex eis quæras: quare aduerbium (uerè) ponant; & quid hoc ſignificet? ad primum reſpondent ad excludenda ea, quę tantum ex modo ſignificandi ſunt unum; ſicuti eſt eognitum, aceruus lapidum &c. ad ſecundum uerò: illud eſſe ex terminis notum, & nõ ulterius explicabile. Impugnant aliqui hanc definitionem: primò quia ſic definiretur idẽ per idẽ: ſi enim definiendum ſit, id quod eſt uerè unum ex duobus conſtans, ad unionem confugere neceſſe eſt, & ſic committitur circulus uitioſus. uerum hoc telum ualde leue eſt. reſpondebunt enim facilè aduerſarij: ad committendum circulum uitioſum in definitionibus requiri, ut id, in ordine ad quod definitur res, non ſit aliunde confusè notum: in caſu autem noſtro, quid ſit unum compoſitum eſſe nobis confusè notiſſimum, abſque eo quod ad unionis eſſentiam indagandam confugiamus.

Impugnant alij eandem ſecundò; quia id, de quo ſapientes diſputant non eſt tanquam notiſſimum ſupponendum. Sed neque hoc vrget, quia ſapientes in diſputatione, quam prę manibus habemus nõ quærunt, quid ſit compoſitum verè vnũ, ſed quid ſit vnio? & ad hanc explicandam vtuntur cognitione confuſa, quam habent homines de compoſito verè vno, ad eum planè modum, quo ad definiendum Patrem vtimur conceptu filij; & è contrà: ſatius igitur impugnanda videtur tradita explicatio, tum quia eſt aliquanto prolixior: tum etiam, quia ſi poteſt æque benè vnio definiri abſque eo, quod ad cõfuſam cognitionem vnius compoſiti recurratur, debet ita fieri; at poſſe ex dicendis inferius planum fiet.

Tertia eſt eorum, qui dicunt: conceptum formalem vnionis importare exigentiam, vt vnum extremum exiſtat in aliquo loco, in quo eſt aliud, ſiue penetratiuè, ſiue conſequeretur. 4

Diſplicet hæc definitio aliquibus; primò, quia materia prima rectè diſpoſita exigit per sè ipsã, vt forma exiſtat in eodem loco, in quo eſt ipſa; & tamen materia non eſt vnio, ſed ad hoc facile reſponderi poteſt primò; exigentiam, quam habet materia prima rectè diſpoſita, vt forma exiſtat in eodem loco eſſe connaturalem: contrà quã Deus facere poteſt non ponendo formam. Contrà verò, exigentiam vnionis eſſe eſſentialem, ita ut non poſſit Deus illam nõ exaudire ſaltem in aliquo loco. Definitionem autem loqui de hac poſteriori. Reſponderi etiam poteſt ſecundò: materiam non exigere primò, & per sè, vt forma exiſtat in eodem loco, in quo ipſa eſt; ſed vt informetur ipſa forma, & quia non poteſt aliter informari, niſi ſimul in eodẽ loco coexiſtant: ideò ſecundariò exigere huiuſmodi coexiſtentiam.

Diſplicet alijs ſecundò: quia ex Tridentino ha-

Digitized by Google

habetur, quod in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis, vna cum corpore Chriſti, quod formaliter venit ex vi verborum, veniát concomitanter anima, & ſanguis eiuſdem ratione naturalis vnionis, quam huiuſmodi partes inter ſe habent, ſed ſi vnio ſolum exigeret exiſtentiam extremorum in aliquo loco, non benè inferretur, qnod replicato corpore deberent replicari anima, & ſanguis ſub ſpeciebus; quia ſine huinſmodi replicatione adhuc in Cœlo reperiuntur ſimul cum corpore exiſtentes; ergo conceptus vnionis non importat exigentiam exiſtentiæ extremorum in vno aliquo loco.

5 Hæc Doctorum impugnatio ex falſa oritur ſuppoſitione, quam vanam eſſe oſtendere in animo mihi eſt. Afferam prius verba Concilij ex *ſeſſ. 13. cap. 3.* quibus eorum nititur argumentum, vbi ſic: ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Corpus, verumque eius ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie, vna cum ipſius anima, & diuinitate exiſtere. ſed Corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem, ſub vini ſpecie ex vi verborum: ipsũ autem Corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus inter ſe copulantur. Diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem, Ita Tridentinum. Tum ſic arguerem.

6 Ratio, ob quam per hos auctores ad conceptum vnionis non ſufficit coexiſtentia extremorũ in vno loco, eſt quia non benè inferret Concilium, quod, replicato Corpore Chriſti ſub ſpeciebus panis, deberent replicari anima, & ſanguis ex vi vnionis, quatenus ſatisfactũ eſſet pleniſſimè eius exigentiæ, hoc ipſo, quod Corpus in Cœlo haberet animam, & ſanguinem; ſed falſum eſt Concilium ex vi vnionis inferre præſentiam animæ, & sãguinis ſub ſpeciebus panis; ergo tota ratio adducta falso nititur fundamento. Minor, quæ ſola indiget probatione ſuadetur; nam Concilium aſſignat pro ratione præſentię dictarum partium vim nuturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur; Porrò hanc connexionem, & concomitantiam non importare vnionem, de qua loquimur, patet ex eo, quia communis ſententia eſt ſanguinem non continuari cum Corpore; ſed eſſe in venis tanquam aquam in vaſe; neque ab anima informari; & tamen verificatur de eo, quod vi naturalis connexionis, & cõcomitãtiæ veniat ſub ſpeciebus panis; vt ergo ſciamus quid verba hæc importent, notandum: corpus, ſanguinem, & animam eſſe partes de ſe phyſicè incompletas, & ex intrinſecis ſuis ordinatas ad vnum hominé phyſicè completum conſtituendum; quare habent inter ſe connexionem quandam, ratione cuius, hoc ipſo, quod ſunt debitè cotgumentæ, ita ut de facto hominem conſtituant; nõ poſſit replicari vna, abſque eo quod ſimul replicentur cum ea aliæ; alioquin inferretur illi violentia, & à ſuo connaturali ſtatu exturbaretur. Hanc igitur incompletionem, beneficio cuius Corpus Chriſti, poſito quod exiſtit in Cœlo cum ſanguine, & anima exigit vtrumque habere ſub ſpeciebus panis, appellat concilium connexionem, & concomitantiam, vi cuius tum ſanguis, tum anima docet ſub ſpeciebus panis exiſtere: Quare ſi per impoſſibile anima informaret corpus abſque eo, quod eſſet per unionem informatiuam illi vnita verificareiur de ea, quod vi naturalis connexionis, & concomitantiæ veniret ſub ſpeciebus panis, ſicuti verificaretur de ſanguine. Conſtat ergo falſum eſſe: Concilium ex vi vnionis, de qua loquimur, inferre præſentiam animæ, & ſanguinis ſub ſpeciebus panis; & animæ, ac Corporis ſub ſpeciebus vini. Quod ego duplici indicio adhuc ex citatis verbis deducerem. primum prouenit ex mentione, quam in illis facit de indiſſolubilitate, quã dictæ partes poſt Chriſti Reſurrectionem conſequtę ſunt. ut nimirum ex hoc oſtendat maius, & ſtrictius ius oriri in illis nè inuicem ſeparentur. ſecundum uerò ex expreſſa unionis hypoſtaticæ mentione in ordine ad aſtruendam præſentiam uerbi ſub ſpeciebus, ut reddentis ſubſiſtentem humanitatem; cuius rei ratio uidetur eſſe, quia humanitas ex ſuis intrinſecis non habet connexionem cum uerbo, & præſcindendo ab unione hypoſtatica potius exigeret per propriam exiſtere ſubſiſtentiam, quam per ſubſiſtentiam illius; unde eſt, ut uerbum non præſentetur ſpeciali modo in Euchariſtia, niſi ratione unionis hypoſtaticæ.

7 His igitur impugnationibus poſt habitis, efficaciter impugnãda uidetur hæc tertia definitio. primò quia competit alteri à definitio, nempè unioni fictitiæ. ſi enim fingamus umionem, quæ exigat ſolum, ut ipſa in certo quodam loco exiſtens unum tantum extremum habeat præſens; hac tamen lege, ut ſi in alio loco, uel alterum extremũ exiſtat, uel replicetur illud, cum quo eſt coniuncta, requirat in eodem loco exiſtentiam utriuſq; abſq; eo quod neceſſaria ſit replicatio ſui ipſius. Hæc unio proculdubio eſſet confícta, & tamen tradita definitio illi competeret, quia uerificaretur de ea, quod importaret exigentiam, ut unum extremum exiſtat in aliquo loco, in quo eſt aliud; ergo &c. Impugnatur etiam ſecundò, quia prius eſt, quod vnio importet exigentiam, ut ubi ipſa ſit utrumque extremum habeatur, quam quod ut ubi ſit unum extremum, habeatur, & alterũ; ergo ſaltem dicta definitio reijcienda eſt, quia non explicat primam rationem unionis, ſed per aliquid poſterius eam declarat.

8 Quarta ſententia eſt eorum, qui ſic unionem definiunt: eſt nexus duorum exigens eorum coniuntionem, & inſeparabilitatem à loco.

Verum neque hęc definitio admittenda uidetur. primò quia, licet differat à præcedenti quatenus traditur per aliquod, quod ſe habeat aliquo modo, ut genus, & per differentiam: tamen in aſſignanda ratione differentiali, in quo totus difficnlatis cardo in præſentia uertitur, conuenit cum illa; nam idem formaliſſime uidetur eſſe exigere coniunctionem, & inſeparabilitatem duorum à loco; ac exigere ut unum ſit in aliquo loco, in quo eſt aliud; duorum enim præſentia, ſeu coexiſtentia, orta ex aliqua exigentia importat formaliter inſeparabilem coniunctionem illorum quandiu dicta exigentia perſeuerat. ſi enim penſatis omnibus ſeperabiliter eſſent in loco: eam minimè præ-

ſup-

Digitized by Google

ſupponerent; ex quo deducitur præcedentem definitionem, quantum ad hoc, præferendam eſſe præſenti, ſiquidem per pauciora verba facit, quod præſens exequitur per plura.

Neque dicas differre inter ſe, quia prior exigit ut extrema in uno loco tantum ſint cõiuncta; at uerò ſecunda ab hoc præſcindit, ſupponendo dari duas ſpecies unionis; uidelicet mutuæ, & nõ mutuæ; docerque quod mutua eſt nexus duorum exigens, ut ubicumque ſit alterutrum illorũ tanquam in loco adæquato, ſit & alterum. Sed contrà eſt, nam illa loci particularis expreſſio nõ ponitur ab auctoribus illius definitionis ad excludendam unionem mutuam modo explicatam, ſed ad ſignificandum id, quod unio ut ſic de neceſſitate requirit; uidelicet quod in aliquo ſaltem loco extrema unibilia ſimul exiſtant; cum quo tamen ſtat, quod poſſit aliqua in ſpecie admitti, quæ exigat, ut ubicumque ſit unum extremum ſit etiã, & alterum. Quemadmodum igitur hæc quarta definitio, dum dicit unionem exigere inſeparabilitatem extremorum à loco intelligenda eſt de loco ſaltem aliquo cum præciſione ab omni: ita etiam illa tertia.

Secundò reijcienda eſt eadem definitio, quatenus, uti dicebam de præcedenti, traditur per aliquid poſterius. nam prius eſt, ut unio exigat habere extrema ſibi coniuncta; & à sè inſeperabilia in ordine ad locum, quam habere illa coniuncta, & inſeparabilia ad inuicem; ergo &c.

9 Quinta denique ſententia eſt Cardinalis de Lugo *diſput. 8 de Euchariſtia ſect. 1. num. 5.* & aliorum aſſerentium; conceptum unionis à continuatiua, & penetratiua præſcindentis, conſiſtere in proxima exigentia replicationis unius extremi ad replicationem alterius, ſiue in exigentia ut ubicumque ſit unum extremum tanquam in loco adæquato, ſit etiam, & alterum; ſiue tanquam in loco ſibi adæquato, ſiue tanquam in inadæquato; & quidem locum adæquatum appellant illum, qui naturaliter debetur rei, ita ut minor non ſit illi naturaliter ſufficiens: inadæquatum uerò illũ, qui eſt pars loci adæquati. ſic unio, quæ eſt inter animam, & corpus facit, ubicumque ſit anima tanquam in loco adæquato ſit etiam corpus item tanquam in loco adæquato; at uerò unio, quę eſt inter animam, & caput facit ut ibicumque ſit caput tanquam in loco ſibi adæquato, debeat eſſe anima tanquam in loco ſibi inadæquato.

Porrò hanc definitionem impugnant aliqui primò quia Chriſtus eſt unitus in Cœlo cum ſua præſentia locali, quam ibi habet: eam tamen non transfert ſecum in Euchariſtia; ergo falſum eſt de ratione unionis eſſe, ut ubicumque exiſtit unũ extremum debeat exiſtere alterum. Sed ad hoc facile reſpondet Lugo loco citato, quod quando dicitur de ratione unionis eſſe, ut ubicumque ponatur quodlibet extremum afferat ſecum aliud, intelligendum ſit ex ui unionis, niſi obſtet peculiaris ratio, & natura extremi; ut contingit in præſentia locali, quæ cum ſit affixa eſſentialiter determinato ſpatio imaginario, nè per abſolutã Dei potentiam poteſt alibi exiſtere. unde nil mirum ſi Chriſtus in Euchariſtia non afferat præſẽtiam localem, quam habet in Cœlo. Contrà hãc ſolutionem frigidè inſurgitur, quod in ſententia aliquorum ſit replicabilis: nam rectè reſponderi poteſt huiuſmodi ſententiam eſſe improbabilem; & ea admiſſa reclamare ſpecialiter naturam ubicationis cæleſtis, ne repliceetur in terris.

Impugnant eandem definitionem ſecundò, quia Chriſtus eſt unitus cum accidentibus Euchariſticis, & tamen non ubicumque eſt Chriſtus ſunt dicta accidentia. non ſolum enim in Cœlo ſine illis exiſtit, ſed etiam, quæ habet in una formula conſecrata, non ſecum transfert in aliam. falſum eſt igitur de eſſentia unionis eſſe, ut ubicumque ponitur quodlibet ex extremis ponatur, & aliud. Ad hoc etiam reſpondet Cardinalis negando aſſumptum, uidelicet Chriſtum eſſe unitum cum ſpeciebus Euchariſticis per formalem, & propriã unionem. quod enim ad earum motum moueri debeat, & illas, quoad exiſtunt, comitari, poteſt, inquit, rectè ſaluari per qualitatem quandam attractiuam in ſpeciebus exiſtentem cuius beneficio Corpus Chriſti alligetur ſpeciebus, ſicuti ferrum magneti, & palea ſuccino.

Contrà hanc reſponsionem inſurgunt aduerſarij eam uripliciter impugnãdo; & primò quidem, quia Patres dicunt Chriſtum eſſe vnitum cũ ſpeciebus Euchariſticis. niſi autem de propria, & formali unione intelligerentur eorum uerba, à proprio ſenſu ad impropriũ perperã transferrentur. Secundò, quia niſi Corpus Chriſti eſſet uerè ſpeciebus unitum, non poſſet ſaluari uera conuerſio panis in illud. Ad ueram enim conuerſionem requiritur, vt uterque terminus, à quo, & ad quem, ſub vno tertio communi ſucceſſiuè reperiatur, quare ſicuti ſubſtantia panis verè ſpeciebus vniebatur, ita Chriſti Corpus illis debet vniri. Tertiò denique quia ſi Corpus Chriſti eſſet alligatum ſpeciebus per qualitatem, iam hęc qualitas non ligaret illa inter ſe mutuò: conſtat enim ad motum Corporis Chriſti in Cœlo non moueri ſpecies, contrà verò ad motum ſpecierũ moueri Corpus in hoſtia; ergo non eſt cur non detur vnio formalis non mutua; ſed ea admiſſa tradita definitio corruit; ergo &c. 10

Verum nulla ex his rationibus vrget. ad primã enim dici poteſt, Patres nomen unionis vſurpaſſe propriè, proprietate loquutionis communis, non verò philoſophicę. Communiter enim abſque ulla improprietate nos dicere ſolemus paginam eſſe vnitam paginæ, quando inter illas intercedit gluten, quod conſtat non eſſe vnionẽ formalem, nec non etiam lignum vnitum eſſe ligno ſi clauo, aut taurocolla inuicem coniungantur; & tamen certum eſt neutrum horum rationẽ formalis vnionis habere. ſufficere autem ad ſaluãdas loquutiones Patrum, eorum verba communi proprietate ſumere, nulli dubium eſſe poteſt, præſertim quando aliter accipi nequeunt, vt in caſu poſito multi contendunt. Ad ſecundam verò impugnationem reſponderi poteſt, quod licèt in ſẽtentia Scoti volentis Corpus Chriſti vniri ſpeciebus per ſolũ decretum extrinſecum, quo Deus voluit vt ad motum, & durationem ſpecierum duret, & moueatur Chriſtus ſub eis, difficile ſit conceptum conuerſionis panis in Chriſti Corpus ſaluare, vt nos alibi docuimus. tamen in ſententia Cardinalis, quam modo ab aduerſariorum 11

Digitized by Google

calumnijs vendicamus, nulla eſt difficultas, quia hæc ponit inter Corpus Chriſti, & ſpecies realē, & intrinſecam coniunctionem, quæ per qualitatē attractiuam habetur, ſimilem illi, quæ habetur per philoſophicam vnionem. vnde rectè poteſt intelligi quomodo tertium, nempè ſpecies, ſucceſſiuè in conuerſione vtrique termino euadat verè, & realiter commune; quia præter quam quod ſit vtrique intrinſecum: realem etiam habet cum vtroque coniunctionem.

12 Ad tertiam, denique dicere poteſt aduerſarius: conſtare apud omnes de ratione qualitatis alligatiuę eſſe trahere terminum ad ſubiectum, in quo illa exiſtit, non verò ſubiectum ad terminum. magnes enim per qualitatem, quam habet trahit quidem ad sè ferrum, & ſi de vno loco in alium moueatur illud ſecum transfert: non tamen habet vt trahatur à ferro, & ad eius motum moueatur. ſic ergo ſpecies beneficio ſimilis qualitatis trahere poterūt ad ſe Chriſtum, & illum mouere ſi moueantur, abſque eo quod, moueantur ab illo. Cur autem non poſſit dari ſimilis vnio videlicet non mutua? communiter Reſpondent hoc probari tum auctoritate Cathechiſmi Romani *de Sacramento* §. 34. vbi ſic: ſi enim duo aliqua inter ſe re ipſa coniunguntur, vbi vnum ſit, ibi etiam alterum eſſe neceſſe eſt: tum etiam quia inductione facta per omnes formales vniones ſemper inuenitur, quod vbicumq; eſt vnum ex extremis, ſit etiam, & alterum. equidem, vt verum fatear, non obſtante, quod definitionem traditam huc vſque propugnauerim; minimè tamen eam propter haſce rationes adductas probabilem cenſeo. Ad primam enim dico Cathechiſmi propoſitionem eſſe affirmatiuam, & de loco particulari licet indeterminato agere. non enim dicit (vbicumque ſit vnum) ſed (vbi ſit vnum, ibi etiam alterum eſſe neceſſe eſt). ad eam igitur verificandam non requiritur, quod vnio exigat vt in omni loco adæquato in quo eſt vnum extremum ſit, & alterum, ſed ſufficit vt ſint ſimul in aliquo loco. hac enim ſimultate poſita verum erit, quod vbi eſt vnum, ibi quoque reperiatur & alterum; quidquid ſit de reliquo, num alterutrum illorum in alio loco replicatum inueniatur, abſque alterius coexiſtentia. veritas enim propoſitionis affirmatiuæ non excludit veritatem negatiuæ, niſi ſecundum eandem rationem accipiatur, vt patet ex his propoſitionibus, quarum vna verè dicit: (Paries eſt albus quatenus habet albedinem) altera verò etiā verè dicit (paries non eſt albus quatenus habet quantitatem.)

13 Ad ſecundam verò de inductione dicendum: eam, vt probet intentum debere fieri per ſingula extrema miraculosè replicata. Porrò hæc non ſunt, niſi Corpus Chriſti, quod ſub ſpeciebus panis exigit animam, & ſanguinem habere replicatas; nec non etiam ſanguis, qui ſub ſpeciebus vini animæ, & corporis replicationem expoſcit. quoniam verò huiuſmodi replicationes ſupra probauimus non ex vi vnionis formalis, ſed ex vi incompletionis naturalis dictarum partium prouenire: ſequitur hoc argumentum ab inductione ductum nihil probare. ex vnione enim hypoſtatica quamuis non colligatur oppoſitum, quia eum verbum ſit immenſum ſuppponitur eſſe vbique tanquam in loco ſibi adæquato; non poteſt tamen inſeruire aduerſarijs ad inductionem intentam, quia non vbicumque eſt verbum exiſtit humanitas. ex quibus deducitur traditæ definitionis inſufficientia; ad libitum enim requirit vnionem eſſentialiter exigere, vt vbicumque ſit vnum extremum ſit etiam, & alterum.

His igitur ſententijs de eſſentia metaphyſica vnionis à penetratiua, & continuatiua præſcindentis confutatis; Concluſio noſtra eſt: *eſſentiam huiuſmodi vnionis conſiſtere in exigentia vt vbicumque ipſa eſt ſint etiam ibi extrema munus ſuum ad inuicem exercentia.* Explico concluſionem. Dicitur primò (*conſiſtere in exigentia*) loquor autem de exigentia ſtricta, quæ non poteſt in ordine naturæ uiolentiam pati. Porrò huiuſmodi exigentia dupliciter terminum exactum requirere poteſt. primò indiſpenſabiliter, & hoc modo dicimus animal exigere materiam primam: hominem rationalitatem, &c, ſecundò diſpenſabiliter, ſic exigit ignis calorem, & aqua humiditatem. poteſt enim tum ignis omni calore ſpoliatus, tum aqua omni humiditate deſtituta diuinitus exiſtere. Præſcindo autem in præſentia utrum huiuſmodi exigentia, quam importat unio ſit prioris, an uerò poſterioris generis. quamuis enim omnes conueniant in eo ut dicant implicare unionē, quæ ſaltem in aliquo loco non habeat extrema præſentia: non deſunt tamen aliqui, qui ſuſtineant poſſe alibi abſque eorum præſentia replicari, in quorum ſententia eius exigentia in ordine ad replicationem erit ſecundi generis, & non primi. 14

Dicitur ſecundò (*vt vbicumque ipſa eſt ſint etiam ibi extrema*) pro quorum uerborum intelligentia notandum, quod quemadmodum unio definita præſcindit à penetratiua, & continuatiua, ita uerba hæc præſcindere debent ab eo, quod ab unione exigantur extrema eſſe ſecum in eodem loco, ſiue penetratiuè, ſiue continuatiuè coniuncta. Dicitur denique tertiò (*munus ſuum ad inuicem exercentia*): ut notetur ad conceptum unionis non ſufficere, ut ubicumque ipſa eſt, eius extrema quomodocumque præſentia inueniantur: ſed neceſſum eſſe, ut ſuum munus inter ſe exerceant, ita ut ſi unio ſit informatiua uerè materia informetur à forma, ſi hypoſtatica natura ſubſtantialis uerè ab hypoſtaſi terminetur, ſi continuatiua partes illæ uerè componant unum continuum &c. Concluſio ſic explicata. 15

Probatur: quia tradita definitio omni, & ſoli unioni phyſicæ conuenit, nec non etiam traditur per rationem differentialem primariò illi conuenientem, ita ut non ſit aſſignabilis alia, quæ ſit dicta ratione prior; ergo noſtra definitio excluſis alijs retinenda eſt. Conſequentia eſt certa. Antecedens tres habet partes; & quidē quo ad priorē ſuadetur ex eo, quia, ſiuè ſupponamus unionem identificatam eſſe cum extremis, & ſolum ratione connotatorum ab illis diſtingui, implicat, quod alicubi exiſtat unio, & non exiſtant extrema cū connotatis requiſitis: ſiuè ponamus eſſe modaliter ab eis diſtinctam, etiam ſi dicamus poſſe ſine illis diuinitus replicari, certum eſt eam in tali caſu 16

exi

Digitized by Google

exigere, ut ubicumque ipsa est, sint in eodem loco extrema sibi præsentia, & quidem munus suum ad inuicem exercentia. non enim potest assignari alius finis, quem unio in exigendis extremis sibi præsentibus respiciat, nisi ut ipsa suo munere fungantur ad inuicem, suumque debitum officium uicissim exequantur. Atque hæc, quoad primam partem antecedentis. Quo ad secundam uerò suadetur etiam, quia non potest assignari aliqua alia res, de qua tradita definitio uerificari possit; si qua enim assignabilis esset, maximè esset qualitas attractiua, qualis est magnetica; sed hanc non exigere, ut ubicumque sit ipsa, sint etiam magnes, & ferrum simul patet, quia aliter quandiu huiusmodi extrema essent ab inuicem separata, paterétur uiolentiam, & sic magnes extra statum suum connaturalem existeret; quod nemo dixerit. Tertiadenique pars antecedentis, in qua assumpsimus per nullam aliam rationem priorem ea, quam assignauimus unioné definiri posse probatur. quia si per quam aliam; maximè per exigétiã, ut unũ extremũ existat in loco, siue aliquo, siue omni, in quo est aliud, sed hæc ratio est posterior nostra: nam prius est unionem exigere, ut in omni loco, in quo ipsa est, sociata sibi habeat extrema; quam ut extrema existant inuicem associata. Intantum enim huiusmodi associationem mutuam extremorum illa requirit, in quantum eorum comitatum, & sociationem exigit; ad eum planè modum, quo in tantum rex præcipit, ut principes sint simul in eodem loco, in quo ipse est: in quantum uult, ut sibi comitentur, ac secum ibi simul existant; & ratio à priori huius esse potest, quia res omnis prius constitui debet in ordine ad se, & ad bonum suum respicere, quam in ordine ad alia, & ad bonum aliorum attendere. portò exigentia, quam habet unio, ut ubicumque ipsa est, ibi sint extrema, primò, & per sè ordinatur ad ipsam, suumque bonum respicit; exigentia uerò, quam communicat extremo, ut ubi ipsum est sit etiam aliud; ipsum extremum eiusque bonum spectat; ergo &c.

17 Verum contrà traditam definitionem unum uideo posse obijci: nimirum eam competere igni alijsque substantijs respectu suarum proprietatũ compositarum, quod sic euincitur. Ignis de sè exigit, ut ubicumque est ipse, sint etiam ibi calor, & siccitas, munus suum inuicem exercentes, mutuo sè uidelicet fouendo, & adiuuando: idem dici potest de aqua respectu humiditatis, ac frigiditatis; & sic de reliquis substantijs eiusdem rationis; ergo iam tradita definitio competit alteri. Respondeo primò eiusmodi exigentiam competere igni dispensabiliter in tota sua latitudine cõsideratam, nam potest ignis per absolutam Dei potentiam, vti dicebam, existere replicatus, ita vt nullibi habeat calorem, & siccitatem, idemque dicendum de aqua, similibusque substantijs respectu suarum proprietatum. at verò exigentiam extremorum præsentium ab vnione importatam competere illi in tota sua latitudine indispensabiliter. Siquidem quantumuis replicetur, saltem alicubi debet habere actu sua extrema præsentia. sic distincto antecedente, neganda est consequentia.

Respondeo secundò: distinguendo alio modo antecedens. Ignis de sè exigit, vt vbicumque ipse est, sint etiam ibi calor, & siccitas tanquam proprietates illius ab eius essentia fluentes, concedo; tanquam merè extrema ab eius essentia præsupposita, nego antecedens, & consequentiam. dico enim particulam illam (extrema) in nostra definitione positam, esse rigorosè, & formaliter intelligendam, quo modo de calore, & siccitate respectu ignis verificari nequit.

Quæres hic an rectè diuidatur vnio incommuni in mutuam, & non mutuam? Respondeo eos, qui tuentur ad vnionem sufficere exigentiã, vt vbi sit vnum extremum, ibi sit alterum, huiusmodi diuisionem propugnare. Contrà verò illos, qui vnionem explicant per exigentiam, vt vbicumque sit vnum extremum, sit etiam alterum, eam impugnare. 18

Ego verò distinguendum putarem; & siquidem nomine vnionis non mutuæ venit vnio, quæ ita versatur inter duo nemine cogitante distincta, vt vnum se habeat, vt extremum vnitum, alterum verò, vt merum vnionis, seu alligationis terminum: dico huiusmodi vnionem implicare, & per consequens diuisionem in mutuam, & non mutuã non subsistere. probo: assumptum; si ad saluandã vnionem inter duo sufficeret, vt vnum esset vniti alteri, per hoc præcisè, quod alterum eius vnionem terminaret, sequeretur, quod vnum dum existit solum Panormi posset esse vnitum cum altero existente solum Romę, sed hoc est absurdum, vt de se patet ergo &c. probo sequelam, quia ad exercendam rationem termini non requiritur coexistentia realis cum re terminata, vt patet ex termino relationis prædicamentalis, qui potest existendo in India V. G. Terminare relationem, quæ habetur Panormi. Quod si dicant aduersarij terminum vnionis non mutuæ non esse extrinsecum, sicuti terminum relationis: sed intrinsecum sicuti terminum naturæ substantialis, qui est subsistentia, & sicuti terminum Corporis mathematici, qui est superficies.

Contrà hoc facit primò, quia terminus intrinsecus, ita se habet, ut ubicumque ipse est exigat rem terminatam habere, ut patet ex subsistentia, & figura. at non sic se habet per aduersarios, id quod est terminus unionis nõ mutuæ: putant enim quod ad eius replicationem non debet replicari unio; ergo &c.

Contrà etiam est secundò, quia nisi omnis unio inter duo, utrumque tanquam extremum suum requireret: non posset assignari ratio cur omnis indispensabiliter exigeret, ut in aliquo saltem loco in quo est vnum sit alterum; ergo signum est, quod in hunc finem huiusmodi exigentiam importas, & per consequens implicat dari vnionem non mutuam in sensu explicato. 19

Deinde si queras ex aduersarijs, quid importet vnũ esse extremũ unionis, alterũ uerò terminũ; respondent: extremum esse id, quod est ligatum alteri, ita ut vbicumque est ipsum debeat esse alterum: terminum verò non esse ligatum, quia potest alicubi replicari sine altero. sic species in vnione Eucharistica se habere, vt extremum, & Christum ut terminum. Sed contrà hoc facit primò,

mò, quia id verè cenſetur eſſe alteri alligatum, quod trahitur ab alio, ita ut vbicunque eſt aliud debeat eſſe ipſum, exemplo ſatellitis, qui reum ſibi alligatum trahit ad carcerē; cum igitur ſpecies trahant ſecū ſemper Chriſtum, potius Chriſtus erit alligatus ſpeciebus, quam è contrà, quia ſpecies non trahuntur à Chriſto, vt vbicunq; ſit ipſe, debeant exiſtere ſpecies, at verò Chriſtus trahitur à ſpeciebus. non ſolum igitur ſpecies ſe habent, vt extremum vnionis Euchariſticæ ſi ea datur: ſed etiam ipſe Chriſtus, & per conſequens vana eſt explicatio vnionis non mutuæ. Contrà etiam eſt ſecundò, quia non poteſt aſſignari ratio cur non poſſint duo ita inter ſe vniri, vt neutrum exigat, ſi replicetur habere replicatū ſecum aliud extremum. ſed in hoc caſu vtrumque ſe haberet, vt terminum unionis, atque adeò neutrum eſſet alteri unitum. hoc autem implicare patet, quia daretur forma in ſubiecto apto nimirum unio in illis, abſque eo, quod reſultaret effectus formalis, qui eſt eſſe unitum; ergo &c.

20 Dices: ſufficere ad unionem, quod in uno tantum extremo tanquam forma recipiatur; ergo nō eſt neceſſe, vt omnis ſit mutua in ſenſu dicto, ſed facilè reſpondeo, admiſſo antecedente, negando conſequentiam. nomine enim puri termini unionis non mutuæ non intelligunt aduerſarij illud, quod in ſe non recipit unionem tanquam formā, alias unio, quæ eſt inter animam, & cōrpus, cum ponatur communiter informare ſolum corpus, vt potè modus materialis; eſſet non mutua, quod nō admittunt. quare recipere unionem tanquam formam uel non recipere, materialiter putandum eſt ſe habere in caſu noſtro ad rationem termini, uel extremi.

21 Iam uerò, & eſt ſecundum diſtinctionis membrum ſi nomine unionis non mutuæ uenit illa, quæ ita uerſatur inter duo, vt ea reddat inuicem unita cum hac conditione, vt ſi replicetur unum ex illis, exigat vt ſecum replicetur & alterum: non tamen ſi replicatur alterum, exigat vt replicetur illud unum. dicendum eſt dari huiuſmodi unionem. Probatur id quod dicimus ex unione, quæ reperitur inter ſubſtantiam, & accidentia, quæ illi competunt dependenter à loco, in quo ipſa eſt. ſi enim lapis, qui nunc Panormi mouetur deorſum uel à Sole illuminatur, miraculosè replicetur Meſſanæ, non exigit ibi habere huiuſmodi accidentia; contrà uerò ſi dicta accidentia ibi replicarentur exigerent lapidis replicationem; ergo datur unio non mutua.

22 Non negauerim tamen huiuſmodi diuiſionem unionis eſſe ueluti materialem, quia non oritur, niſi ex iure extremorum inuicem comparatorum; ſi enim utrumque extremum habet ius, vt ad ſui, replicationem, replicetur & alterum: inter illa dabitur unio mutua. Contrà uerò ſi hoc ius in uno tantum reperitur, nō uerò in altero, inter illa dabitur unio non mutua, non quaſi uerò non mutuò alligentur in loco, in quo ſimul exiſtunt, ſed quia non habent mutuam exigentiam in caſu replicationis. quare potius ad quæſtionem de replicatione corporū ſpectat hæc diuiſio; in ea enim quæritur: quæ nam accidentia ex ijs, quæ habet in uno loco corpus bilocatum exigat habere in alio. Quoniam uerò non repugnat, ita duo uniti poſſe inuicem, vt neutrum exigat, vt ad ſui replicationem replicetur, & alterum: ideò exiſtimo hanc unionis diuiſionem, etiam ſi materialis ſit, non eſſe adæquatam.

SECTIO SECVNDA.

An inter materiam, & formam admittenda ſit vnio modus ex natura rei ab illis diſtincta.

DAri inter extrema vnita vnionē tam euidens 23
eſt; quā nō poſſe dari effectū formalem, ſine cauſa formali. Quomodo verò illa ſe habeat in caſu noſtro, hoc eſt, quod in præſentia controuertimus; iam verò duæ ſunt in hoc extremæ ſententiæ. prima eſt eam eſſe modum quendam ſubſtantialem modaliter à materia, & forma diſtinctum; in hac eſt Suarez *diſp.15.metaph.ſect.6.* & alij, quos citant, & ſequuntur maximo applauſu Recentiores Hyſpani. Hurtad. *in Phyſic. diſp. 5. ſect.1. num.6.* Arriaga *diſput.4. ſect.1.* & Ouiedo *controuerſia 4. punct.1. &c.*

Secunda verò ſententia nullum agnoſcit diſtinctum modum inter materiam, & formam, cuius munus ſit illas coniungere, ſed aſſerit eas vniri ſe ipſis, non minus, quam in prima ſententia dicēdum eſt modum illum non alio mediante nexu ſed ſe ipſo extremis coniungi, ne in infinitū modi multiplicentur. In hac autem ſententia eſt ſine dubio D. Th. *in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. quæſtiuncula 2. ad ſecundum. 2. contra gentes cap. 71. 2. de Anima tex. 7. 8. metaph. tex. 15. & p. p. q. 76. art. 6. & 7.* Item Scotus *in ſecundo diſtinct. 12. quæſt. 1.* Auerroes *2. de anima com. 7.* Alexander *8. metap. q. 5.* Conimbricenſes *p. Phyſic. cap. 9. qu. 11. art. 2.* Caetanus præterea Ferrarienſis, & omnes ferè Thomiſtæ. Noſtra concluſio eſt cum hac ſecunda ſententia.

Probatur primò: ex Ariſt. *8. metaph. tex. 15.* vbi 25
poſquam explicauit principia intrinſeca corporis naturalis, materiam, ſcilicet, & formam, quærit de earum vnione ſic: quę cauſa eſt vt vnum ſint? & qnid eſt, quod hominem facit vnum? Quod ſi videtur hoc quærere de definitione, & numero ideò eſt, vt inquit Fonſeca in explicatione huius loci quia: Principia Phyſica rei definitione ſignificantur, & numerum ſumit pro indiuiduis, ex quibus numerus ipſe componitur. Iam verò hanc quæſtionem ſoluens Philoſophus hæc habet: Quod ſi quemadmodum dicimus hoc quidem materia, hoc verò forma; & hoc quidem potentia, & hoc verò actu, profectò non videtur amplius dubitatio eſſe, quod quæritur; vbi apparet in ſententia Ariſtotelis non eſſe neceſſariam vnionem diſtinctam, inter materiam, & formam, ſed ſeipſis tanquam extremis proportionatis vniri.

Dices cum Giattino *q. 7. Phyſ. art. 2.* in reſpon- 26
ſione ad quintam obiectionem: Ariſtotelem diui-

Digitized by Google

diſſe ſubſtantias in partes; & negare vnionem eſſe propriè partem; cum enim ſit quidam nexus modalis partium, ſe habet potius, vt completiuũ illarum in ratione partium acceptarum, quam ut partem.

Sed contrà hanc explicationem facit, quia illã vnionem negat hic Philoſophus, quam ponebant antiqui, quorum opiniones immediatè poſt, videlicet *text.* 16. recenſet, & reijcit; ſed illi non ponebant vnionem partem, ſed vnionem modum; ergo &c. minor patet ex verbis *text. cit.* vbi ſic. Ob hanc autem dubitationem, quidam participationem aiunt, quidam copulam animę, quidam compoſitionem, aut coniunctionem animæ cum corpore. Atquì neque participatio, neque copula, neque coniunctio, neque compoſitio, poſito, quod diſtinctionem pluſquam ratione ab extremis important, partem ſonant, ſed ſolum actualẽ exercitium vniendi, atque adeò modalem entitatem adſignificant; ergo &c.

27 Quod ſi ad explicandam aduerſariorum mentem vtitur Philoſophus exemplo actualis ſcientiæ, & vitæ in actu ſecundo, quæ ſunt entitates, & non modi; parum refert: exempla enim non debent in omnibus rem explicatam exprimere, vt de ſe patet. linquo tum ſcire, tum viuere eſſe valdè proxima modis, in probabili ſententia, quatenus ne per abſolutam Dei potentiam exiſtere poſſunt ſeparata à ſubiectis.

28 Denique hoc ipſum patet ex ſequentibus verbis, quę Ariſtoteles ſubdit, cauſam erroris dictorum Philoſophorum tradens, ſic enim habet: Cauſa verò eſt quoniam potentiæ, & actus rationem quærunt, & vnientem, & differentiam; eſt autem, vt dictum eſt, vltima materia, & forma idem: & hoc quidem potentia, hoc verò actu. quæ verba ſic interpretatur Fonſeca, cauſa erroris illorum fuit, quia quærebant aliam rationem vnitiuam potentiæ, & actus ab ipſa natura potentię, & actus, putantes eas eſſe res penitus diuerſas, & quæ non eſſent ad vnionem naturaliter propenſæ: eſſe autem id falſum patet, quia vltima materia hoc eſt materia vltimò diſpoſita, & forma, quę præbet ei ſpeciem idem ſunt quodammodo, hoc eſt vnum, & idem ex ſe ipſis conficiunt.

29 Probatur ſecundò ratione, quam adducit ipſe Ariſtoteles exemplo rerum arte factarum, ſicuti enim illæ nos manu ducunt ad cognoſcendũ entia naturalia conſtare materia, & forma; ita, ſi res attentè inſpiciantur, dari inter illas vel non dari vnionem diſtinctam ſuadebunt; Duo enim genera artefactorum conſtantium ex pluribus partibus realiter diſtinctis cõſiderare poſſumus: quędam ſunt, quarum partes nõ ſunt aptæ ſeipſis vniri, cuiuſmodi ſunt primò plura virgulta, ſeu ſtramenta in ordine ad conficiendum vnum faſcem; ſecundò plura ligna in ordine ad faciendam vnã nauem: tertiò plures cartæ in ordine ad Cartaceũ codicem coagmentandum; Hęc enim ſe ſolis minimè ſufficiunt; quædam verò alia arte facta habent partes ſeipſis aptas componere totum; cuiuſmodi Primò ſunt anuli in ordine ad componendam vnam catenam. Secundò fibulæ, quæ conſtant ex duabus partibus, quarum altera dicitur vncinulus, vulgò mas, & correſpondet formæ in naturalibus; altera appellatur orbiculus, vulgò fœmina, & eſt ſimilis materiæ: Tertiò denique homo, & veſtis, ſeu arma, ex quibus conflatum artificiale reſultat, quod rectè dicitur veſtitum, & armatum.

Porrò maximum diſcrimen inter hęc duo arte factorum genera, ad rem noſtram pertinens eſt, quod ad componenda tota primi generis non ſufficiunt ſe ſolis partes ſine aliquo ſuperaddito, ad conſtruendum enim ſtramentorum faſcem præter ſtramenta requiritur funis, quo ligentur ipſa ſtramenta; ad edificandam verò nauem, præter trabes, & tabulas, ſunt neceſſarij claui quibus cõpingantur. Denique ad componendum codicem requiritur Gluten, quo chartæ ſimul conglutinentur. Contrà verò ad componenda tota arte facta ſecundi generis, partes eorum ſolam coniunctionem in ordine ad locum expoſcunt; ſic anuli ex eo præcisè, quod alter intra alterum ſit, catenam conſtruunt, & per hoc præcisè, quod vncinulus ſit intra orbiculum ſuum fibulatur veſtis. Denique ad habendum hominem veſtitum, uel armatũ ſatis eſt ſi veſtes, uel arma illi certa quadã ratione ſuperponantur, eique adhęreant, ac contiguæ ſint. unde ad hæc tota actu habenda præter partes non niſi earum collocatio, quoad locum neceſſaria eſt, quia ſeipſis ſunt aptæ ſua compoſita arte facta coſtruere. his prænotatis. 30

Non dari inter materiam, & formam unionem diſtinctam colligo, quia maiorem proportionem habent inter ſe materia, & forma ad faciendum unum compoſitum naturale, quam ad faciendum compoſitum artificiale ſecundi generis habeant partes ad dictum compoſitum conſtituendũ; atquì partes huius ſecundi compoſiti artificialis ad actu componendum ſolum collocationem requirunt: ergo multo magis materia diſpoſita, & forma ad componendum compoſitum naturale, ſolam intimam præſentiam, ac compenetrationem exigent, abſque ulla unione ſubſtantiali ſuperaddita.

Probatur denique tertiò, quia ex una parte negando unionem modaliter diſtinctam ab extremis à multiplicatione entium abſtinemus, quã ſine ulla neceſſitate in ſententia aduerſariorũ dari ex argumentorum ſolutionibus patebit: ex alia verò ſi dictum modum concederemus innumeris difficultatibus ipſi nos exponeremus, num, ſcilicet, ſit duplex dictus modus, ac diuiſibilis in partes eſſentialiter diuerſas, ita ut una pars ſit in materia, altera verò in forma, ut tenet Hurtadus nihil de ſuperfluitate curando: an verò unus; & ſi unus: nũ ex parte materiæ ſe teneat, ut uult Oniedus, an verò ex parte formę, ut putat Suarius, & cur potius ad unã partẽ, quam ad aliam pertinere dicatur, cum pro utraque militet par ratio; an denique ſe teneat ex parte utriuſque, ut uult Arriaga. de quibus aduerſarij maximè inter ſe diſceptant; potius igitur aſſerendum eſt dictam unionẽ non eſſe modum aliquem extremis ſuperadditum. 31

Verum in hac tota ſententia difficultatis cardo uertitur in eo, quod multis uideatur inexplicabile, ut ſcilicet aſſignetur, quid tandem ſit realiter loquendo iſta vnio, & cum qua nemine cogitante identificetur, dempeis phraſibus, verbiſque ſynonimis, vt Arriaga *ſect. 1. num. 6.* optat, & putat impoſſibile explicatu.

Re-

Digitized by Google

32 Reſpondent aliqui primò eam realiter loquendo præter materiam, & formam includere decretum Dei uolentis cõcurrere ad operationes compoſiti ex dicta materia, & forma conſtantis. eo quod implicat ſtantibus his tribus non reſultare compoſitum.

Sed contrà hos facit primò; quia ſicuti operari ſequitur ad eſſe, ita & decretum de concurrendo ad operationes compoſiti ſupponit ipſum cõpoſitum conſtitutum. nequit igitur conſtituere vnionem. Contrà ſecundò, quia vel huiuſmodi decretum eſt intrinſecũ cõpoſito ſubſtantiali, vel extrinſecum, non primum alioquin Deus, qui cũ decreto ſuo identificatur faceret vnum per ſe nobiscum, eſſetque nobis phyſicè vnitus, quod nemo dixerit. neque ſecundum, quia ſic ſubſtantiale compoſitum eſſet vnum ens per accidens, & per extrinſecam denominationem conſtitueretur, ſicuti cognitum, amatum &c. ergo. Contrà denique tertiò, quia non implicat diuinitus compoſitum ſubſtantiale nullam exercens operationem; ſed in hoc caſu haberetur compoſitum, & tamen nullum daretur Dei decretum habens pro obiecto concurſum ad eius operationes; ergò &c. Neque dicas in aliquibus complexis Deum poſſe eſſe partem, vt in hoc: Deus, & homo generant hominẽ. Quia hoc verũ eſt de complexis per accidens, non autem de per ſe, eo quod horum conſtitutiua, intrinſece vniri inter ſe debent, vnde ſequeretur quod Deus intrinſecè ad omnia corpora ſubſtantialia pertineret.

33 Reſpondet ſecundò Gabriel vnionem identificari cum intima præſentia extremorum, ita vt nihil aliud realiter ſit vnio inter materiam, & formam, quam earumdem ſimultas in eodem loco.

Verum hæc reſponſio, meritò ab aduerſarijs noſtris reijcitur; ſiue enim huiuſmodi localem præſentiam dicamus eſſe modum ſuperadditum rebus locatis, ſiue non; ſemper verum eſt dicere eam ad genus accidentis pertinere; implicat autẽ vnionem ſubſtantialem eſſe accidens, alioquin vnum per ſe, & vnum per accidens confunderentur; ſiquidem accidens, ſiue ſumatur vt nexus, ſiue vt terminus non poteſt niſi vnum per accidẽs conſtituere; at verò vnio ſubſtantialis debet facere unum per ſe. His adde compoſitum ſubſtantiale, quando mutat locum mutare localem præſentiam, & eamdem retinere vnionem in vtroq; loco, niſi velis admittere, quod quoties mutat locum ſubſtantialiter mutetur, ac denuo ſaltem ſecundum quid generetur, & corrumpatur, quandoquidem ad nouam generationem ſufficiens eſt partium ſubſtantialium noua vnio.

34 Reſpondet tertiò Aureolus, apud Capreolum in 3. *diſtinct.* 1. *q.* 1. *art.* 2. eam eſſe idem realiter cum negatione diuiſionis.

Sed contrà eſt primò, quia diuiſio conſiſtit in negatione vnionis; ergo vnio in aliquo reali cõſiſtere debet; ſcio à quibuſdam Recentioribus negari vniuerſaliter antecedens, exiſtimantibus diuiſionem quantitatiuam formaliter in acquiſitione terminorum realium poſitam eſſe, ita vt duo corpora eſſe quantitatiuè diuiſa nihil aliud ſit per eos, quam eſſe proprijs ſuperficiebus modaliter diſtinctis terminata; attamen cum ijdem velint vnionem inter materiam, & formam eſſe modum ab illis diſtinctum; viderint ipſi quo pacto ab inconſequentia ſe defendat. Nos verò veritatem antecedentis in caſu noſtro, & falſitatem ſententiæ, quam præmanibus habemus oſtendamus.

Contrà igitur eſt ſecundò vnio per Aureolum 35
in negatione diuiſionis poſita eſt; ergo ipſa diuiſio eſt aliquid reale poſitiuum, alioquin dabitur negatio negationis, quod nemo in rebus Phyſicis admittit; aliquid igitur reale de nouo materia, & forma V. G. anima rationalis ex eo, quod præcisè ſeparentur ad inuicem acquirunt; quid tandem hoc eſt? de genere ne accidentis, an ſubſtantię? non enim dici poteſt primum, quia ſi in ente accidentali ſubſtantialis vnio conſiſtere nequit, quanto minus poterit in eiuſdem entis negatione; neque ſecundum, quia hoc ſubſtantiale, neque res eſſe poteſt, neque modus: nihil enim huiuſmodi anima rationalis acquirit ex eo præcisè, quod ſeparetur à corpore, quod ſi eius materia informatur forma cadaueris, id parum refert, sicuti enim dicta forma non eſt formaliter diuiſio corporis, & animæ, ita eius negatio nequit eſſe earum unio.

Denique iugulatur hęc Aureoli reſponsio ex eo, quod nihil negatiuum ad eſſentiam rei poſitiuæ poteſt intrinſecè pertinere, alioquin res poſitiua interimeret ſeipſam sicuti nihil non ſubſtantiale eſſe poteſt de eſſentia ſubſtantiæ, vt probat Ariſtot. *in metaph.* atqui vnio eſt de eſſentia compoſiti, vt de ſe patet; ergo &c.

Reſpondet denique quartò: Gregorius Ariminenſis *in 3. diſt.* 28. *q.* 2. eam identificari cum materia, & forma, ſed contrà hoc facit ratio, quæ aduerſarios traxit in ſententiam oppoſitam. cuius ſumma hæc eſt. nunc exiſtit materia D. Petri V. G. Romæ, & eius forma in Cœlo, & tamen non exiſtit eius vnio, alioquin nunc ipſe iam viueret; falſum igitur eſt vnionem cum materia, & forma identificari. 36

Quamobrem noſtri DD. vnanimi conſenſu 37
ad localem applicationem, ac diſpoſitiones confugerunt, aſſerentes vnionem ſupra entitatem extremorũ addere eorumdem exiſtentiam in eodem loco penetratiuè, nec non etiam diſpoſitiones in materia ad formam neceſſarias, ſed in hoc ipſo duo poſſunt excogitari dicendi modi.

Priorem amplectuntur Formaliſtæ aſſerentes, poſita materia rectè diſpoſita, & forma intimè præſenti, reſultare ex parte veriuſque formalitatem quamdam totaliter illis intrinſecam, quæ partim formæ identificetur, & partim materiæ, cuius beneficio inuicem copulentur, ac uniantur.

Sed contrà hunc modum facit primò, quia hoc 38
quod reſultat non eſt ipſum merum aggregatum ex materia, & forma, intimè præſentia, & diſpoſitionibus in hac ſentẽtia, uti ſuppono, alioquin non differret à ſequenti; ergo eſt aliqua formalitas, quæ nullo intellectu cogitante intrinſecè aduenit de nouo ipſi materiæ, & formæ, quando de non unitis uniuntur; ergo impoſſibile eſt, quod ipſis identificetur; quoties enim duo indiuiſibiliter identificantur, implicat haberi unũ, quin habeatur, & aliud, ſiue ponantur conditiones, ſiue non, vt patet in entitate hominis, quæ

ex

Digitized by Google

ex defectu conditionum, quæ ſunt neceſſariæ ad diſcurrendum, benè impeditur actualis diſcurſus, qui ab ea realiter diſtinguitur, at nullius cõditionis defectu formalitas rationalitatis impediri poteſt, quod ſi impediretur euidens ſignum eſſet realis utriuſque diſtinctionis.

39 Contrà etiam eſt ſecundò, quia ſi uera eſſet aduerſariorum ſententia, præter diſpoſitionem, & animam indiſtãtem deeſſet modò materiæ D. Petri aliqua formalitas intrinſeca unionis; ergo præter hæc omnia deeſſet aliqua alia realitas, cũ qua identificaretur dicta formalitas; nequit enim formalitas aduenire de nouo alicui, quin realitas, quam illa ſibi identificat, ſimul aduenial. Reſpõſiones quas his argumentis adhibent Patroni huius ſententię uno pariter iugulantur enſe, ſic. Id quod de nouo partes, quãdo de nõ unitis fiũt unitæ, intrinſecè acquirunt, eſt quid reale independẽs ab intellectu, & ad omnem eius operationem præſuppoſitum; ergo ſiue acquiratur propriè, ſiuè impropriè, ſiue formaliter, ſiue realiter, ſiue alio quouis modo ſemper dicendum erit eſſe aliquid poſitiuum realiter diſtinctum ab earum entitate, falſum igitur eſt unionem identificari cum extremis. Qui plura contra hunc dicendi modum deſiderat, uideat, quæ diximus in Logicis cum de diſtinctione relationis à ſuo fundamento proximo, ubi eum luculenter confutauimus.

40 Ad hunc priorem modum ſpectat opinio, quã Arriaga *in ſuo ſecundo curſu diſput. 4. phyſ. ſub nu.* 56. ſatis prolixè impugnat. ea defendit unionem indiſtinctam, quidem, ſed neque eſſe materiam, & formam, neque intimam præſentiam, & diſpoſitiones, neque utrumque ſimul ſed eſſe formalitatem quandam ex illis duobus ſimul ſumptis reſultantem. Contrà quod facit, quia hæc formalitas, cum ſit realis, & non fictitia, debet cum rebus phyſicis identificari. ſi igitur non identificatur cum materia, & forma neque cum diſpoſitionibus, & indiſtantia; ergo cum aliqua alia entitate his omnibus ſuperaddita, quod Auctor huius ſententiæ mordicus negat.

41 Poſterior dicendi modus, qui uidetur eſſe Maioris docet unionem non eſſe formalitatem ex materia, & forma intimè præſenti reſultantem, ſed formaliſſimè conſiſtere in earum aggregato; ita ut implicet non ſolum eſſe, ſed etiam intelligi materiam rectè diſpoſitam cum forma intimè præſenti, & non intelligi unionem; uerum hoc quod dicitur poteſt intelligi tripliciter.

Primò ita ut unio ipſa intrinſecè ea omnia, quę in hoc aggregato continentur includat, atque adeò eſſentialiter dicat diſpoſitiones, ac intimam præſentiam extremorum. Verum modus hic defendẽdi unionem indiſtinctam remanet impugnatus argumento facto contra ſentẽtiam Gabrielis, eo quod de eſſentia ſubſtantiæ faciat eſſe accidens; unio enim eſt de eſſentia compoſiti ſubſtãtialis, quod in recta linea prædicamentali ſubſtãtiæ collocatur, ſi igitur de eſſentia unionis eſt accidens, ipſum etiam in eadem linea ſimul cum vnione collocetur neceſſe eſt.

42 Secundò poteſt explicari ita ut formaliter ſolum conſiſtat in materia, & forma; importet autẽ localem applicationem, ac diſpoſitiones tanquam meras conditiones ſine quibus non.

Sed neque hoc rectè dicitur, quia conditiones, ſine quibus non, ſolum connaturaliter ad id cuius ſunt conditiones videntur requiri, atque adeò in ordine ad abſolutam Dei potentiam non cenſentur neceſſariæ. iam verò, & ſi dubium eſt num Deus poſſit conſeruare vnionem inter materiam, & formam ſubſtantialem ſine diſpoſitionibus, de quo paulò poſt: extra controuerſiam, tamen eſt ſine intima extremorum præſentia id non poſſe. ad minimum igitur hæc intima præſentia extremorum, nequit ſe habere ad unionem, ut mera conditio.

Tertia denique explicatio, quæ tenenda omnino, eſt procedit ita, ut velit vnionem eſſe ens quoddam connotatiuum dicens quidem in recto, & intrinſecè materiam, & formam, extrinſecè verò, & in obliquo intimam vtriuſque præſentiã ac diſpoſitiones, quibus ego addiderim negationem impedimenti; ad eum planè modum, quo relatio traſcendentalis, qua creatura refertur ad Deum, intrinſecè quidem, & in recto non eſt diſtincta formalitas ab eſſentia creaturæ, ſed eſt formaliſſimè eadem, dicens in obliquo ipſum Deum tanquam eſſentiale connotatum, extrinſecum tamen; ſic res ſe habet in caſu noſtro. ſi enim quæ identificentur cum eſſentia unionis inquiris? aio ea eſſe materiam, & formam; ſin autem quæ ſint de eius eſſentiali conceptu his addo intimam præſentiam, diſpoſitiones, & negationem impedimenti. Quod verò aliquid poſſit eſſe de conceptu eſſentiali alicuius rei, & non de eius eſſentia euidenter colligitur ex termino relationis, ſiue traſcendentalis, ſiue etiam prædicamentalis; & ex ſexcentis alijs. Atque hæc volo intelligantur cũ præciſione ab eo, quod materia prima exiſtat per exiſtentiam formæ, nec ne? nam affirmatiua parte ſuppoſita, hoc ipſo, quod ea concipietur habere à forma virtute actionis ſubſtantialis eſſe exiſtentiæ, habebitur quod ſit illi unita; vnde ad conceptum vnionis ſufficiet, ſi præter entitates materiæ, & formæ dictas in recto, connotetur vltimo actio ſubſtantialis, per quam communicetur materiæ exiſtentia dictæ formæ.

Quoniam uerò ego in hac quæſtione procedo independenter à dicta ſententia, ideò aſſignaui indiſtantiam, & negationem impedimenti pro eſſẽtialibus connotatis, cum præſertim hæc etiam requirantur ad hoc vt materia exiſtat per exiſtẽtiam formæ, licet tanquam connotata remota vnionis.

Atque ex his facilè ſolues argumentum Ouiedi loco ſupra citato, qui ex eo, quod approximatio non ſe habeat, vt conditionem, ad hoc vt exiſtat aliqua vnio identificata cum materia, & forma; infert eam ſe habere, vt conditionem reſpectu vnionis modaliter diſtinctæ ab illis; antecedens autem. ſic ille probat, vnio identificata cum materia, & forma non eſt niſi materia, & forma; ſed approximatio nõ eſt conditio, vt exiſtant hęc duo; ergo neque vt exiſtat vnio illis identificata, quod enim eſt conditio, vt exiſtat aliqua ratio phyſicè loquendo, debet etiam eſſe conditio vt exiſtat id cui talis ratio identificatur; quod ſi ad hoc non eſt conditio, neque erit ad illam; conſequentiam verò ita deducit. non poteſt approximatio ſe habere, vt conditio reſpe-

Digitized by Google

respectu vnionis sibi saltem inadæquatè identificatæ, conditio enim distinguitur realiter à ratione formali, ad quam est conditio, sed neque respectu vnionis identificatæ eum extremis, vt probatum est; ergo se habebit, vt conditio respectu vnionis modaliter distinctæ ab ipsis extremis.

46 Ex vero antecedente hic Auctor falsam deducit consequentiam. concedo ego approximationem non se habere, vt conditionem, vt existat vnio identificata cum materia, & forma: sed nego eam se habere, vt conditionem ad unionem modaliter ab illis distinctam. Probatio consequentię procedit ex suppositione, quod approximatio se habeat, ut conditio ad vnionem, quodque vnio sit formalitas quædam absoluta; vtrumque autem falsum est; siquidem hæc est ens connotatiuum dicens in recto, & formaliter extrema ipsa; in obliquo verò approximationem, quæ ideò putanda est essentiale connotatū illius; atque adeò licet non faciat, vt existat vnio secūdum id, quod dicit in recto, facit tamen vt existat secundum id, quod connotat in obliquo; sic se habet tempus serotinum respectu cænæ; quamuis enim non faciat, vt existat comestio, quam cæna dicit in recto, facit tamen, vt existat ipsa cœna secūdum quod habet rationem cœnæ, quare concessa maiore, & minore probationis, neganda est ipsa consequentia vt pote de subiecto non supponente.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur quadam obiecta contra nostram sententiam deducta ex Arriaga in Physicis.

47 INnumeris penè argumentis, ijsque difficillimis Recentiores Peripateticorum sententiam de vnione indistincta, hucusque propugnatam labefactare conantur; quibus omnibus sedato animo satisfacere æquum est, vt ingenioſi tyrones tandem aliquando eorum philosophandi rationem, qua passim modos infarciunt, futilem agnoscētes, omni contentione fugiant, ac detestentur. Quoniam verò inter aduersarios instar omnium videtur esse P. Arriaga, ideò ea, quæ tum hic, tum alibi contrà nos congerit ante omnia adducemus, à Lectore beneuolo interim veniam deprecantes si breuitatis terminos aliquantulum transilire videbimur.

48 Ex Arriaga igitur *disput. 4. physicæ sect. 1. nu. 3.* Obijcies primò est commune principium, quod ea, quæ ita se habent, vt vnum realiter remaneat, altero pereunte, distinguantur realiter; ex eo enim intulimus relationem à fundamento plusquam ratione distingui, sed in morte hominis corrumpitur vnio remanentibus materiæ, & formæ entitatibus; ergo &c.

Respondeo nostrum fundamentum esse, quod eo modo quo vnum ex duobus perit, & alterum remanet, & non alio, duo illa realiter distingui debent; cum autem in morte hominis pereat vnio secundum id, quod solum importat in obliquo, & remaneant ea, quæ dicit in recto; hinc fit vt secūdum ea, quæ tantum dicit in obliquo à materia, & forma sit realiter distinguenda; hoc autem nequimus de relatione asserere, quia hæc est forma totaliter intrinseca fundamento, uti vidimus suo loco.

Iam verò in nostra sententia Arriagæ admiratio, quam loco citato ponit, locum non habet; quasi verò vitiosum circulum committatur in eo, quod assignemus in morte hominis deperditionem intimæ præsentiæ, ac si supponeremus eā esse modum superadditum. quamuis enim de hac re suo loco agendum sit, interim dico, quod dedecore notandi sunt, qui in acquisitione, seu deperditione entium connotatiuorum numquam ad aliquod reale perueniunt, quod nemine cogitante, uel acquiratur, uel deperdatur, sed circulatorum more, ex una ratione in aliam pueriliter trāseunt. Ego verò non sic; sed supponendo quod intima præsentia non sit modus distinctus; si ex me quęras cur anima, & corpus D. Petri nunc non sint vnitæ? 49

Respondeo vt de dispositionibus taceam, quia deest intima eorum præsentia; cum verò addas intimam præsentiam per me non esse distinctam ab extremis prçsentibus; subdo id verum esse, loquendo de ijs, quæ dicit in recto, non autem de ijs, quæ connotat in obliquo: completur enim per hoc, quod importet in materia absentiam priuationis formæ præsentis, & per consequens negatio intimæ præsentiæ per hoc quod connotet priuationem dictæ formæ in materia. 50

Si denique instes, cur quando D. Petrus viuebat eius materia hanc priuationem non habebat, nūc verò illam habeat? Respondeo: si quæras rationem formalem huius rei: eam non esse distinctam ab ipsa priuatione, vt cum proportione dicimus de formis positiuis; ad formam enim non datur causa formalis: sin autem causam efficientem, vt certè debes; aio quod quandiu D. Petrus vixit; ita præfuit actio inductiua animæ eius in corpus, ut non sequuta fuerit aliqua alia actio diuisiua, sicuti euenit in morte. Contrà has autem actiones non potest tuum primum argumentum recurrere nisi supponatur eas non distingui plusquam ratione ab efficiente, & termino; & sic vides meā sententiā in deperditionem, seu acquisitionem alicuius entitatis realis, tandem aliquando resoluisnon quod sit formaliter unio, sed quod ad illam pertineat siue proximè, siuè remote tanquam connotatum essentiale.

Instabis posito, quod ad compositi substantialis compositionē non sufficiant solæ entitates materiæ, & formæ: congruentius dicitur, quod requiratur modus substantialis, qui sit unio quam quod requiratur intima præsentia, quæ est accidēs, sic enim rectè saluatur, quo pacto materia, & forma vniantur inter se sustantialiter, & non accidentaliter, at non in nostra sententia. 51

Respondeo assumptū admittendum fore, quando alterutrum ad compositi substantialis constitutionem ponendum esset; at posito, quod in omnium sententia extremorum indistantia requiratur: superfluè ponitur modus distinctus: omnia enim sine eo saluari rectè possunt; neque enim ad hoc ut materia, & forma concipiantur substātialiter uniri non est necesse, ut in hoc conceptu aliquod accidentale, ne extrinsecè quidem inuoluatur. iam enim est omninò necessaria indistantia;

Digitized by Google

tia? sed satis est si cum proportione potentiæ, & actus substantialis se inuicem respiciant, sintque natura sua ad vnum per se in genere substantiæ constituendum ordinata.

52 Obijcies secundò: ex eodem *n.* 7. in generatione hominis datur propria, & rigorosa actio generatiua; ergo aliquod per eam producitur; nō materia, neque anima rationalis, quia hæ producuntur per creationem, & supponi possunt productæ; ergo debet produci vnio ab utraq; distincta.

Respondeo, eamdem actionem creatiuam quatenus fit in materia disposita ad exigentiam agētis naturalis habere rationem generationis, quare concessis reliquis propositionibus distinguo vltimum consequens, per hanc actionem ut generatiuam debet produci vnio ab vtraque parte distincta. secundum id quod vnio dicit in recto, nego secundum id quod vnio importat in obliquo cōcedo; non enim nego vnionem addere aliquid distinctum ex natura rei supra partes, sed nego hoc aliquid esse modum substantialem, puto enim sufficere ad hoc intimam præsentiam vtriusque partis, quam etiam si negem consistere in vbi intrinseco modaliter distincto: suppono tamē importare aliquid aliud realiter distinctum ab ipsis extremis, vti suo loco videbitur; atque hæc posito quod materia non existat per existētiam formæ, nam si existit illa actio productiua animæ, habet vt sit communicatiua existētiæ ipsi materiæ, & sic habetur aliquid supra partes inuicem separatas.

53 Instabis ex his quæ habentur *n.* 13. præsentia localis mutatur quoties homo mouetur, sed non mutatur eius vnio vt de se patet, alioquin non esset post motum idem numero homo; ergo vnio non dicit præsentiam.

Respondeo concessa maiore, & minore; distinguendo consequens vnio non dicit præsentiam in recto; concedo; non dicit illam in obliquo, nego; ad habendam autem identitatem entis connotatiui sufficit si id quod dicitur ab eo in recto sit idem numero vt patet ex Artifice qui etiam si mutet artem, & ex statuario euadat Pictor V. G. idem numero Artifex esse cēsetur; eo quod artifex dicit in recto subiectum, & artis formam in obliqno, quæ enim sunt huiusmodi per hoc quod stet identitas subiecti eadem numero perseuerant; vnde docent Theologi cum Suarez *in tertiam partem disput.* 13. *sect.* 3. quid si Verbum Diuinū plures assumeret humanitates siuè simul, siuè successiuè, semper esset idē numero homo propter idētitatem suppositi, quod nomine vnius hominis venit in recto, quidquid sit de multiplicitate naturę; eo quod hæc importatur solum in aliquo; iam in casu nostro vnio dicit in recto materiam, & formam, & in obliquo intimam vtriusque præsentiam; vnde non est mirum, si ad huius variationem persistat eadē numero vnio, eādem persistente numero materia, & forma. Quod si hoc videatur difficile. Dici etiam potest: aliam esse præsentiam inter materiā, & formam in ordine ad locum; aliam verò in ordine ad se: & primam quidem mutari ad mutationem loci non autem secundam, & sic vnionem neque secundum id quod in obliquo importat ad mutationem loci debere mutari.

Obijcies tertiò: ex eodem *nu.* 13. mors hominis est corruptio substantialis; ergo aliquid substantiale perit; sed nisi detur vnio distincta nullū substantiale esset assignabile, quod periret; ergo &c. subsumptum probatur, quia homo dicit solum animam, materiam, & vnionem; atqui animæ, & materia, quæ solæ sunt substantiæ non corrumpuntur, sed sola vnio quatenus dicit dispositiones, & indistantiam est quid accidentale: ergo &c. 54

Respondeo negando subsumptum, sicuti enim in communi sententia negante totum distingui à partibus, & vnione, quā ipse Arriaga propugnat disputatione sequenti *sect.* 1. in morte hominis nō corrūpitur per ipsam sola vnio modus, alioquin mors esset corruptio modi, & non entis substantialis, cuiusmodi est homo: ita, & in sententia negante dictum modum dicendum est, quod præter corruptionem indistantiæ, & dispositionum corrumpatur ipse homo, qui est substantiale compositum.

Instabis ex *nu.* 16. distinguendū est inter terminum, qui propriè, & formaliter perit, & inter terminum denominatiuū. Denominatiuus est totum, quod denominatur perire; formalis verò id quod propriè perit, & quod denominat ipsum totū perire; tū sic: terminus formalis, qui in morte hominis perit est indistantia, & dispositiones, sed hæc sunt accidentia; ergo destructio formalis, est accidentalis. 55

Confirmatur quia actio denominatur à termino formali; alioquin cum destructio albi, tum productio, essent substantiales; quia subiectum quod denominatur est substantia.

Respondeo primò: hominem, quando dicitur mori, nō esse terminū merè denominatiuum, alioquin per deperditionem formæ denominantis nō deberet ipse secundum se in rei veritate deperdi, ad eum planè modū quo, quia aer, quandò de luminoso euadit tenebrosus, est terminus denominatiuus, qui à lumine, quod deperditur, seu potiùs ab ipsa deperditione luminis denominatur tenebrescens, seu tenebrosus; ideò non est necesse, vt ipse secundū substantiam suā deperdatur: sicuti re vera in morte secundū suā substātiā perit homo; vnde nego suppositum absolutè. Quod si per terminū formalē in morte hominis intelligatur id, quod via executionis primò perit, & terminū denominatiuū id quod ad deperditionē illius immediatè perire intelligitur, concedi potest id, quod ab Arriaga supponitur; sed distinguendū est de termino formali, nā sicuti in morte hominis duarū rerū positiuarū deperditiones habentur, vna est accidentiū, hoc est dispositionū, & indistantiæ: altera substantiæ, quæ est ipse homo, qui verè moritur: ita & duplex terminus formalis, vnus accidentalis, alter verò substantialis. Porrò accidentalis terminus licet sit formalis, hoc est specificatiuus, corruptionis accidentalis, quia ita terminat dictā corruptionem, vt illā specificet: at respectu corruptionis substātialis non est huiusmodi, quia substātialis corruptio specificatur à suo termino formali, qui perit; & in casu nostro est ipse homo quatenus est vnū ens per se, & quid substantiale. Potest tamen dici dictus accidentalis terminus, respectu corruptionis hominis, formalis terminus in aliquo sensu, videlicet, quatenus ad immedia-

Digitized by Google

diationē; quia in morte hominis nō habetur alia forma physica, ad cuius destructionem intelligatur destrui ipse homo; sicuti contingit in corruptione cæterorū cōpositorū substantialiū, quæ cōstant forma corruptibili; vnde, quia dicta corruptio accidentalis in homine assimilatur corruptioni cæterarū formarū substantialium in aliis cōpositis, potest in hoc sensu dici terminus formalis dictæ corruptionis, quatenus videlicet nulla alia forma Physica est in morte hominis ad cuius physicam destructionē sequatur immediatè destructio totius, nisi forma illa accidentalis. Ex quibus cōstat, ad argumentū; distinguo enim maiorem: terminus formalis, qui in morte hominis perit est indistantia, & dispositiones: si loquamur de termino formali immediationis tantū, concedo. loquendo de termino formali specificationis, nego maiorē; & concessa minore; distinguo consequēs: destructio formalis est accidētalis, si sermo sit de destructione formali per ordinē ad terminum immediationis, concedo; specificationis, nego consequentiā; quia sicuti hic terminus est substantialis, ita, & eius destructio. ad confirmationem patet ex dictis actio enim siuè productiua, siuè destructiua denominatur à termino formali specificationis, qualis est albedo in corruptione, & destructione albi non autē à termino formali immediationis tantum qualis est in casu nostro dispositio necessaria ad animam, & indistantia.

Respondeo secundò breuius ad obiectionē negando eius minorē, ac dicendo terminū formalē, qui in morte hominis perit esse vnionē, quæ ad deperditionē indistantiæ, & dispositionum desinit esse; quamuis enim tunc materia, & forma remaneant non in ratione entis connotatiui, secūdū quam habent conceptum vnionis: & sic remanet soluta cōfirmatio; terminus enim formalis corruptionis hominis est eius vnio, quæ quāuis secundū id quo dicit in recto non pereat, perit tamen in ratione entis connotatiui ad connotatorum suorum, deperditionem.

56 Obijcies quartò: ex n. 17. ex hac sententia sequitur hominē non esse totū quid substantiale, & per se; eo quod in suo conceptu essentialiter includit formaliter accidentia; sed hoc est absurdum; ergo &c.

Respondeo negando sequelā, ad cuius probationē debet ipse aduersarius prius respōdere, quia homo in suo conceptu essentiali includere debet indistātiā materiæ, & formæ, quę est accidēs quoddam. Distinguendū est igitur assumptū: homo in suo conceptu essentiali includit formaliter accidentia tanquā partem componentē, nego; tāquā connotatū essentiale quidem, sed sibi extrinsecū, ad eū modum, quo peccatum includit in suo conceptu legem æternam, quæ est ipse Deus, concedo; & nego consequentiam.

57 Instabis ex n. 19. Tam sine dictis accidētibus nō potest in mea sentētia esse homo, quā sine anima: ergo non potest à me assignari ratio cur accidentia non sint partes hominis, sit verò anima.

Respondeo etiam posita vnione distincta, tam non potest esse homo sine intima præsentia partiū suarū ad inuicem; quam sine anima, & tamē intima præsentia per se non est pars illius. Contrà verò anima; itē tā non potest esse homo sine dependentia à Deo, quā sine anima, & tamen illa non est pars hominis, hæc verò est. omnes igitur tenemur respōdere ad hoc argumentū. Ego verò eius distinguo antecedens: tam sine dictis accidētibus non posset in mea sententia esse homo, quam sine anima, & diuerso modo, cōcedo; & eodem modo, nego antecedens, & consequentiam; Ratio autem cur accidentia non sint partes hominis, sit verò anima, ea est, quia nomine hominis venit compositum substantiale, cuius partes debent esse substātia, huiusmodi autem non sunt accidentia, sed benè est anima; ergo &c

Obijcies quintò: ex nu. 20. potest diuinitus haberi vnio inter formam, & materiam carentem dispositionibus; ergo actualis vnio non consistit in aggregato ex materia disposita, & forma intimè præsenti; consequentia patet, quia aggregatū, in quo per nos consistit vnio ei debet esse idem, ita ut implicet contradictionē haberi, vel nō haberi vnum, & non simul haberi, vel non haberi alterum; sicuti implicat haberi, vel non haberi hominem quin habeatur, vel non habeatur animal rationale, vel vice versa; antecedens verò probatur, tum quia sapius miraculosè accidit vt homines sine aliqua ex dispositionibus necessarijs diu vixerint, & de facto Christus Dominus in diuinissima Eucharistia viuit sine actuali extensione, quæ maximè putatur ad viuendum necessaria: tum etiam quia rectè potest intelligi totum aliquod substantiale sine dispositionibus in eius materia intellectis; ergo &c. 58

Respondeo: aliquem sic circa dispositiones posse discurrere, vt velit eas cum quadam latitudine ad vnionem necessarias esse; & quasdam quidem tantum in ordine ad potentiam Dei ordinariam requiri V. G. calorem, & siccitatem, vt quatuor vt homo duret in vita; quasdam verò absolutè, & simpliciter, & in ordine etiam ad extraordinariam, ita ut implicet sine illis haberi hominem, & hanc necessitatem fundari in vniuersalitate materiæ, quæ nisi per dispositiones quasdam determinetur ad vnam potius formam, quam ad aliam, non sit ratio cur vnius potius, quam alterius sit apta recipere; adhunc planè modū agnoscimus in dispositionibus latitudinē quamdā cōnaturaliter; siquidem quandiu illæ consonantiam retinent, salute firmamur; iuxta mensuram autē improportionis, ac dissonantiæ earumdē, infirmamus; ita vt maiorē dissonantiā grauior comitetur morbus; & tamen mors, si illa paulò plus excreuerit. iuxta quā sententiā distinguendū de dispositionibus; & siquidem in antecedente sermo est de illis, quæ necessariæ sunt per ordinē ad potentiā Dei ordinariam concedendum; sin autem de illis, quæ per ordinem ad quamcunque Dei potentiam, negandum; & ad priorem probationem dicendum, quod in casibus miraculosis homines miraculosè viuunt sine aliqua dispositione, non tamen sine omni, vt patet ex diuinissima Eucharistia in qua licet Christi Corpus careat extensione actuali, retinet tamen primas qualitates ad vitam necessarias; ad posteriorem verò: quod implicat totū aliquod substantiale intelligi, quin saltem implicitè, & in confuso intelligantur dispositiones aliquę, quæ sunt simpliciter ad eius vnionem necessariæ.

Ve-

Digitized by Google

Verum quia ab aliquibus conditur dispositiones omnes tantum connaturaliter necessarias esse, idcirco, qui horum sententiam admittunt, dicendum censent, eas non esse connotatum essentiale ad vnionem, sed solum connaturaliter ingredi aggregatum illud, in quo diximus eius conceptum positum esse eo quod talis forma existit in materia, quamdiu reperiuntur in ea dispositiones necessariæ: at si hæ abscedant, illa quoque recedat si spiritualis est, vel corrumpatur si materialis necesse sit, propter aduentum formæ contrariæ; quod si aliter per miraculum eueniat, nō est cur negetur interim materiam illam indispositam, & formam intimè illi præsentem intercedere vnionem indistinctam.

Attamen hæc responsio duplici sequela impugnari posse videtur; altera est, quia si V. G. in loco A, poneretur aliqua materia sine dispositionibus, sequeretur quod non posset naturaliter ad illum locum anima separata moueri, alioquin sua virtute naturali compositum substantiale corruptum iam iterum reproduceret, posito quod materia foisset eadem numero cum ea, quam ipsa ante mortem informauerat: altera verò quia si Deus poneret animam rationalem intimè præsentem materiæ indispositæ, nullo alio concursu intellecto ex parte Dei, iam resultaret homo, qui absque vllo actuali miraculo sine dispositionibus viueret, neque posset Deus facere stante indistantia vtriusque extremi, ne homo ille resultaret, ac viueret; vtrumque autem consectur absurdum; ergo &c.

59 Sed responsio ad vtramque in promptu est; & ad priorem dico, quod cum in mea sententia materia existat per existentiam formæ, casus ille est impossibilis, implicat enim materiam existere separatam ab existentia; sed dato casu cum communi sententia, aio, esse nonnullos de quibus Suarez *lib. 6. de Anima cap. 2. n. 8.* qui volunt animam separatam non posse propria virtute de vno loco transire in alium; sed necessariò debere, vel in eodem semper loco persistere, vel ab alio agente ad nouum locum deferri; verum hęc sententia est improbabilis, vt ipsemet Suarez ibidem docet; & ea admissa, adhuc remanet difficultas, nam posset anima ad eum locum, in quo materia illa reperitur deferri ab aliquo Angelo; quare, quidquid sit de hac opinione, nego consequentiam; aio enim animam posse tunc per suas vires naturales ad locum in quo reperitur materia indisposita accedere, & sic idem numerò compositum corrumptum iam, de nouo reproducere: sed non eodem modo quo prius; quia suppono prius effectum esse per productionem formæ; sententia autem, quæ negat effectum semel corruptū posse naturaliter reproduci loquitur absolutè nullo intercedente miraculo, & stante ordine rerum, qui nunc habetur; at verò in casu nostro, ex vna parte ponitur materia existere spoliata omni forma; ex alia verò anima rationalis ad libitum se mouere ex vno loco in alium. de facto enim constat animas separatas ex lege Dei ordinaria à sedibus sibi assignatis egredi non posse, vnde rectè dicit D. Th. *p. par. q. 89. art. 1.* cum Augustino *lib. de cura pro mortuis agenda*: inter miracula recensendum esse si qua earum ad nos veniat: linquo Scotum, & alios docere eumdem effectum numerò corruptum vi agentium naturalium posse naturaliter reproduci.

Ex dictis huc vsque patet responsio ad posteriorem sequelam, admitto enim quod si poneretur à Deo anima rationalis intimè præsens materiæ indispositæ carenti alia forma, resultaret de nouo homo, qui absque nouo miraculo viueret, vita tamen substantiali, & in actu primo, non tamen accidentali, & in actu secundo; ad hanc enim requirunturdispositiones, & organa ad cūplanè modum, quo posita vnione distincta inter materiam, & formam indispositam per aduentarios absque nouo miraculo idem homo resultaret, ac viueret; dico absque nouo miraculo, quia puto materiam, quandiu existit indisposita, miraculosè existere, siue sit vnita formæ, siue non, atque adeò in eo casu semper haberi aliquod miraculum, at non per hoc præcisè quod resultaret homo, ac substantialiter viueret. Porrò hanc resultantiam posset vtique Deus impedire producendo in materia aliam formam, & dispositiones ad illam, sic enim potiori iure posterior hęc forma materiam illam sibi vendicaret, & expulsionem prioris exigeret.

Instabis: casu quo anima per motum localem 60
corpori coniungitur, nisi produceretur vnio distincta, sequeretur quod ille motus haberet conceptum generationis, esset enim via ad substantiam ex materia præexistente; hoc aut videtur absurdum; quia motus localis est de genere accidentis, de se ordinatus ad locum; at generatio est motus substantialis dicēs ordinem ad substantiam. Communiter respondent nostræ sententiæ propugnatores ad hoc argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem dicunt non quamcunque viam ad substantiam completam ex materia præexistente conceptum generationis habere, sed illam sōlum, quæ simul est fieri formæ, cuiusmodi non est motus localis animę ad corpus; verum gratis hoc videtur dici, non enim colligitur ex verbis definitionis, nec aliunde, imo videtur contrà sensum sacræ scripturæ, quæ resurrectionem mortuorum, regenerationem appellat, quare

Respondeo ego aliter distinguendo sequelam: motus localis haberet conceptum generationis, primò, & per se, nego; per accidens, & secundariò, concedo sequelam; & sic distincta minore; nego consequentiam. Dico enim motum localem per se quidem esse viam ad locum; at verò per accidens ratione, scilicet, subiecti, in quo fit, quod est anima, & eius, quod in termino ad quem reperitur, quod est materia prima habere conceptum generationis, quia iam induit rationem viæ ad substantiam; sicuti fossio Terræ posito Thesauro abscondito ibi, induit rationem inuentionis Thesauri; quod si via ad substantiam communiter creditur esse modus substantialis, hoc dicitur de illa via, quæ per se primò est huiusmodi; non autem de ea, quæ per accidens, & connotatorum beneficio habet denominationem viæ substantialis: in quo sensu actio adductiua Corporis Christi ad species panis, vel unitiua eiusdem Corporis cum dictis speciebus, licet habeat pro termino immediato aliquid accidentale, nimirū,

Digitized by Google

vel præsentiam localem, vel vnionem ad species sustinetur à multis Recentioribus, quod sit substantialis, dum dicunt in ea consistere transubstantiationem, seu conuersionem panis in Christi Corpus, inter quos est Cardinalis de Lugo *tom. de sacramen. disput. 7. sect. 1.* & Ouiedus *de gener. controuers. 2, punct. 5. § 2. & 3.* Quorum sententiã licet non probem, eo quod transubstantiatio, nõ secundariò, & consequenter; sed primò, & per se conuersionem substantialem importat: designo tamen, ut præferam facem his, qui materiæ propriam existentiam concedunt: nam in mea sententia hoc negante, sicuti esset omnino necessaria noua actio substantialis ad hoc, vt materia inciperet existere per existentiam nouæ formæ, & non sufficeret intima præsentia: ita & ad hoc ut eidem formæ inciperet esse vnita.

61 Instabis iterum: actualis vnio supra partes non vnitas debet realiter addere aliquod prædicatum substantiale, quia partes non substantialiter vnitę non differunt solum accidẽtaliter à partibus substantialiter vnitis; sed casu quo anima per motũ localem corpori coniungitur nullum habetur huiusmodi prædicatum substãtiale de nouo, nisi ponatur vnio distincta; ergo &c. minor probatur, quia solum haberetur intima præsentia formæ cũ materia, quæ est de genere accidentis.

Respondeo concessa maiore, negando minorem; aio enim, quod in eo casu præter intimam præsentiam animæ, & corporis habetur de nouo ipse homo, eiusq; totalitas, quæ est quid substantiale.

Dices hoc substantiale non includitur in aggregato, quia ad hoc vt habeam aggregatum sufficit si materiæ, & formæ distantibus addatur intima præsentia: quidquid igitur habetur præter hanc habetur preter aggregatum. Sed tu tibi debes ad hoc argumentum satisfacere, qui negas totum esse distinctum à partibus vnitis, nam posita vnione distincta inter partes, etiam per te habetur aliquod substantiale de nouo, quod non est sola vnio, sed totum ipsum tum sic: hoc substantiale non includitur in aggregato ex unione, & partibus quia ad habendum aggregatum ex his sufficit si partibus addatur unio, quidquid igitur habetur præter vnionem habetur etiã præter aggregatam, & sic totum distinguitur realiter ab unione, & partibus; uides quomodo telũ quod in me intorquebas, eadem uia recurrat ut te confodiat? aio igitur totum substantiale non includi in aggregato, sed esse ipsissimum aggregatum ex partibus in recto importatis, & ex indistantia, & negatione impedimenti connotatis in obliquo: sicuti igitur posita intima præsentia non solum ipsa, sed etiam aggregatum hoc de nouo habetur, ita etiam habetur de nouo totum substantiale ad eum planè modum, quo ex eo quod numero quinario addas vnitatem, non solum vnitatem, sed etiam numerum senarium habes, qui nõ est aliud nisi aggregatum ex quinario, & vnitate superaddita.

62 Dices iterum: hoc totum substantiale vel est ipsa vnio, vel aliquid consequens ad illam. primum dici nequit ob triplicem rationem, primò quia substantialis vnio, præcisa quacunque ratione consequente, est substantiale quid, aduenies de nouo partibus posita indistantia; Secundò quia totum substantiale non prædicatur in concreto de partibus distributiuè sumptis, sicuti prædicatur vnio, dicimus enim materia est vnita forma, non autem dicimus materia est totum: Tertiò denique quia si vnio est ipsum totum, sicuti totum additur de nouo supra partes, ita & vnio; & sic distinguitur ab illis; sin autem dicatur secundum, malè igitur assignauimus totum substantiale pro eo quod actualis vnio addit realiter supra partes non vnitas.

Hoc eodem argumento vti potest, quis contrà aduersarios probando distinctionem realem inter totum, & partes vnitas per unionem distinctam; cum enim totum substantiale non sit ipsa vnio, sed quid ad illam consequens, si addit realiter præter ipsam aliquod prædicatum substantiale de nouo, debet etiam addere aliquam realitatem supra partes, quæ prius non habebatur, & supra vnionem, sed quidquid sit de hoc.

Respondeo ego totum substantiale, & vnionem distingui solum penes modum concipiendi, non autem penes res conceptas; materia enim, & forma quatenus se ipsis sunt ratio quare inter se vniantur sunt unio, quatenus uerò sunt extrema vnita, quæ vt actus, & potentia in genere substantiæ se respiciunt sunt totum substantiale, & seipsas consequuntur; ex quo patet benè nos assignasse vnionem supra partes non vnitas addere ipsum totum, licet hoc quoad modum concipiendi sit illa posterius; Ad primã igitur prioris partis probationem aio, quod licet unio substantialis, præcisa quacunque ratione consequente quantum ad modum concipiendi sit quid substantiale connotatiuum iuxta dicta, at non præcisa quacũque ratione consequente, quantum ad rem conceptam, quia est idem formaliter cum totalitate, quæ illam consequitur, quantum ad modum concipiendi, atque significandi; Ad secundam dico vnionem sumi posse adæquatè, & inadæquatè; adæquatè sumpta cum dicat materiam, & formam in recto nequit de illis distributiuè sumptis prædicari, at inadæquatè accepta dicit alteram tantum partem in recto, & alteram in obliquo; quare non est mirum si sic de altera prædicetur, atq; in hoc prædicationem totius substantialis imitatur, quod inadæquatè acceptum rectè dicitur idẽtificari partibus distributiuè sumptis: adæquatè verò consideratum eidem collectiuè acceptis; ad tertiam denique aio, quod sicuti totum non est aliquid distinctum à partibus, & indistantia, vt hic supponò; ita neque vnio.

SECTIO QVARTA.

Expenditur argumentum ex corporum penetratione desumptum.

63 OBijcies sextò: cum eodem Arriaga ex sequẽtibus: si vnio consisteret in aggregato illo sequeretur animam Socratis esse substantialiter vnitam corpori Platonis, casu quo Socrates, & Plato miraculosè in eodem loco penetratiuè ponerentur; nam ad conceptum vnionis per nos requi-

Digitized by Google

quiritur solum materiæ, & formæ intima præsentia, quod totum in tali casu haberetur inter animam Socratis, & corpus Platonis: hoc autem est manifestè falsum; alioqui cum Christus Dominus in sua beata natiuitate se cum Virgine intrè penetrauerit, ex anima filij, & corpore matris, tunc factum fuisset vnum per se; ergo &c. Hoc ferè argumento vtitur Capreolus *in suis Aphorismis Philosoph. lib. 2. disp. 2. cap. 9. sect. 2.* dum probat vnionem haberi nō posse per solam materiam, & formam intimè præsentes, & complexum dispositionum.

Respondeo primò: in sententia negante materiæ propriam existentiam hanc difficultatem nullam esse, quia vt ex anima Socratis, & corpore Platonis intelligatur resultare vnum per se, necessariò præcedere debet actio quædam substantialis, beneficio cuius corpus Platonis reddatur formaliter existens per existentiam animæ Socratis, vnde non sufficit in hac sententia compenetratio; verum quia ego traditam de vnione conclusionem defendo independenter ab illa, ideò

Respondeo secundò: negando sequelam; ad cuius probationem dico ad conceptum vnionis habendum requiri præterea negationem impedimenti; hanc autem in casu nostro esse vniones illas, quæ inter animam, & corpus vtriusque experimentur, cum enim supponamus vnam materiam non posse subijci duplici formæ, neque vnā formam duplicem informare materiam; necessariò sequitur durante vnione inter vnam materiam, & vnam formam heberi impedimentum, ne altera coniungatur cum qualibet alia; & quidē positiuum, si quidem vt supra vidimus vnio, quę est inter corpus, & animam Socratis identificatur cum ipso Socrate, sicuti vnio quæ est inter animam, & corpus Platonis cum ipso Platone; vbi nota nullum in hac respōsione circulum committi à nobis; dum enim quæris cur anima Socratis non habet rationem vnionis respectu corporis Platonis: Respondeo, quia cum non possit informare duo corpora, eo ipso quod ponitur substantialiter vnita corpori Socratis intelligitur habere impedimētum positiuum ne alteri corpori substantialiter vniatur.

Quod si deinde petas; & cur potius corpori Socratis, quam Platonis in casu posito de facto vnita sit. Prius etiam ego ex te petam hoc idem in tua sententia, cur scilicet, tunc anima Socratis cum suo potius corpore, quam cum corpore Platonis, quando hi duo se inuicem penetrant, habeat, & exigat vnionem, cum per te sit dicta anima ad vtrumque corpus de se indifferens? & sic tua tibi satisfaciam responsione. Deinde respondebo maiorem rationem esse quia supponitur illi vnita ante penetrationem; natura enim comparatum est, vt posito quod aliqua causa suā coeperit causalitatem, dummodo hæc indiuisibilis sit, eam non interrumpat, nisi aliqua maior vis, seu ratio habeatur de nouo; cæteris enim paribus melior est conditio possidentis; in casu autem nostro constat animam Socratis non posse partim animare corpus ipsius Socratis, & partim corpus Platonis quod si tibi respondissem, ideò animam Socratis vniri corpori eiusdem Socratis, quia respectu illius habet negationem impedimenti, vtique fuissem vitiosus circulator stante priore responsione, quod scilicet eatenus non vniebatur corpori Platonis, quatenus respectu illius habebat impedimentum.

Instabis: terminus exclusus à negatione impedimenti, quam dicit vnio, quæ est inter animam & corpus Socratis est vnio inter animam eiusdem Socratis, & corpus Platonis; hæc enim esset illi impedimento, sed hæc vnio non est exclusa secundum quod dicit animam Socratis, & corpus Platonis intimè sibi præsentia, vt de se patet, neque secundum quod dicit negationem impedimenti, quia non datur negatio negationis in Physicis; ergo secundum quod dicit aliquam aliā entitatem positiuam plusquam ratione distinctam à partibus indistantibus. 64

Verum si quid hoc argumentum probat, conuincit etiam totum distingui per te realiter à suis partibus, sic; terminus exclusus à negatione Socratis V. G. est ipse Socrates, sed hic non est exclusus ab illa secundū quod importat vnionem distinctam, nam secundum hanc est exclusus à negatione ipsius vnionis, quæ per te est modus; alia est enim negatio modi, & alia negatio Socratis; ergo est exclusus secundum quod dicit entitatem aliā distinctam à partibus, & vnione; enimuerò neganda est huic argumento consequentia, quia ipsemet partes, & vnio, cum faciant vnum per se, præter se ipsas ponunt aliam entitatem distinctam quidem à se figillatim acceptis, indistinctam verò à se collectiuè, & simul sumptis; ita respondeo ego ad tuam instantiam, concessa maiore, distinguendo minorem: hæc vnio non est exclusa secundum quod dicit corpus Platonis, & anima Socratis quomodocunque accepta, scilicet vt facientes vnum per se, quælibet cum sua comparte concedo; sic enim sicuti sunt ineptæ, & improportionatæ, vt ex eis vnum per se resultet; ita & ad hoc vt habeant inter se rationem vnionis, atque adeò ad hoc vt per negationem impedimenti excludantur: hæc vnio non est exclusa secūdum quod dicit animam Socratis, & corpus Platonis intimè præsentia accepta vt non vnita cum suis compartibus, atque adeò apta ad vnum per se constituendum, nego minorem; & distinguo eodem modo consequens; ergo prout dicit aliquam aliam entitatem distinctam à partibus indistantibus quomodocunque acceptis, concedo: acceptis prout non facientibus vnum per se cum alijs partibus, nego consequentiam. Porrò hæc alia entitas non est nisi entitas totius compositi, quod ex anima Socratis, & Platonis corpore resultaret, si penetratiuè ponerentur, absque eo quod alia tota componerent. Ex quibus sequitur quod impedimentū ad vnionem in casu nostro impediret nostrum aggregatum V. G. ipsum Socratem, vel Platonem non solum quia in eis tolleret negationem sui, sed etiam quia tolleret quoque aliquod aliud positiuum quod est illud ipsum compositum substantiale, nempè Socrates, aut Plato, quod resultat ex partibus, posito quod abest dictum impedimentum.

Instabis iterum cum ipso Arriaga ex *n.* 24. hæc omnia procedunt posito quod materia non sit capax 65

Digitized by Google

pax: nisi vnius formæ substantialis, sed hoc est falsum, nam diuinitus sicuti potest vna forma informare duplicem materiam ita, & duplex materia vnam formam recipere, ergo &c.

Respondeo: eos, qui hoc sustinent, debere admittere eamdem numero formam, seu materiã à Deo miraculosè replicari posse, ita ut simul possit existere in pluribus locis; nam sic cum æquibleat pluribus non est mirum si in vno loco, posito quod forma sit, informet vnam materiam, & aliam in alio, & ex suppositione, quod sit materia, si vnam formam in uno loco, & aliam in alio recipiat, quod quidem ab aliquibus ex aduersarijs negatur. cæterum dato quod hoc possit a Deo sine vlla replicatione eiusdem rei fieri; nego quod si non datur vnio distincta, anima Christi Domini V.G. in natiuitate debuit informare materiam primam Corporis Sanctissimæ Virginis, nec non etiam casu quo Socrates, & Plato miraculosè in eodem loco se penetrarent, quod anima vnius vtriusq; corpus informare deberet.

66 Quæro enim ex Arriaga: an anima Christi in natiuitate exigebat vnionem cum corpore Virginis quãdo cum eo Christus se penetrauit: profectò negatiuè respondebit; ne autem negationem refundat in carentiam dispositionum, quæ erat in illa parte corporis Virginis, cum qua corpusculum Christi Domini se compenetrauit; sumo Socratem, & Platonem miraculosè inuicem compenetratos, & quæro num in eo casu anima Socratis exigebat vniri cum corpore Platonis sicuti cum proprio, & anima Platonis cum corpore Socratis sicuti cum proprio: Profectò rationes, quas ipse adducit contrà me *nu.* 22. pro duplici actuali vnione indistincta si quid valent, in hoc casu militant pro exigentia duplicis distinctæ, quia tam est materia disposita ad vnam formam, quam ad aliam; tam etiam vna est intra materiam, quam alia; tam vna non habet negationem præsentiæ alterius quam alia; ergo vel neutra, vel vtraque forma exiget vnionem cum singulis, quod si Auctor recurrat ad Deum, vt determinantem vniformæ vnã potius materiam tanquam terminum exigentiæ, quam alteram, uel ad prioritatem temporis, in qua supponitur anima Socratis V.G. cum suo corpore, & non cum corpore Platonis vnita fuisse: ijsdem oppugnabitur telis, quibus nos premit; nam non est in voluntate Dei determinare, ut creatura exigat, vel nõ exigat aliquid, & potest Deus in materia disposita, vbi fuit in instanti A, hæc numerò forma ponere in instanti B, aliam numerò distinctam; & tunc proculdubio exiget hæc uniri cum dicta materia per unionem distinctam, quia potest ut ipse fatetur *nu.* 25: eadem numerò anima informare nunc unam materiam numerò distinctam, ab ea quam informauerat antea; sicuti igitur debet concedere aduersarius, quod anima Socratis in casu penetrationis habet aliquid ratione cuius nõ exigit unionem distinctam cum corpore Platonis, quodcunque tamen hoc sit: ita dicimus nos hoc aliquid esse impedimentum quominus de facto eadem anima per unionem indistinctam cum dicto corpore uniatur.

67 Subinstabis, etiam si uerum sit; quod non sufficiat componetratio Socratis ad faciẽdum, quod miraculosè anima Socratis informet corpus proprium, & corpus Platonis; in nostra tamen sententia non potest assignari quid ulterius Deus facere debeat ad hoc miraculum conficiendum; cõtrà uerò facilè assignari potest ab aduersarijs dicunt enim sufficere si contrà exigentiam vtriusq; extremi producat aliam unionem inter animam Socratis, & corpus Platonis; tunc enim anima illa erit unita substantialiter cum duobus corporibus, & duos homines constituet; ergo &c. in

Respondeo negando assumptum. in assignando autem quid debeat Deus ulterius facere duplici procedere possumus via; una est in meae sententia, qua nobis materiam existere per existentiam formæ, alio enim in hoc casu Deum debere producere unam actionem substantialem totalem cõtinens beneficio corpus Platonis incipiat existere per existentiam animæ Socratis, ita ut desinat existentiam ab anima Platonis sibi communicatam, & nullam aliam formam acquirens, adhuc duret à parte rei, & conseruetur in esse; iam habes sufficientissimum connotatũ: hæc enim actione connotata ab extremis incipiunt ea habere rationem unionis ad inuicem. Altera uia est, præscindendo ab eo, quod materia non habeat propriam existentiam, si concedam in hoc casu miraculoso unionem distinctam, ad cõplacẽdum modum, quo Arriaga *num.* 73. licet uelit de lege ordinaria unio sit simplex in composito, concedit tamen miraculosè posse esse duplicem partim spiritualem, & partim materialẽ: ut putat Hurtadus, quod sic de facto: dico igitur quod casu quo Deus uelit ut anima Socratis informet etiam corpus Platonis, posita utriusque compenetratione debet producere inter eam modum quemdam supernaturalem, qui sit unio distincta. non enim ego nego unionem inter materiam & formam etiam in ordine ad Dei extraordinariam potentiam, sed tantum de lege ordinaria, & connaturaliter loquendo.

Contrà hanc responsionem duo uideo posse 68
obijci. Primum est; hunc hominem constantem ex anima Socratis, & corpore Platonis per unionem distinctam unitis differre specie à cæteris hominibus, quia in ratione totius diceret modum, quẽ non dicunt cæteri homines: Secũdum uerò quod anima, & corpus in tali casu non facerent unum per se, siquidem in nostra sententia ad hoc requiritur, ut se ipsis uniantur: sed in tali casu uniuntur media unione distincta; ergo faciunt minus unum quam si unirentur seipsis; atqui unum per se est eorum, quæ constant partibus distinctis, maximum in ratione unius; ergo &c.

Sed ab utraque difficultate facilè me expediã; 69
& quidem à priori per negationem assumpti, unitas enim specifica desumitur ab extremis, quæ uniuntur non uerò ab unione ipsa, quod ipsi met aduersarii sustinere debent, quorum aliqui docẽt vnionem quæ est inter animam rationalem, & corpus esse modum indiuisibilem, eumque spiritualem, alij verò esse quidem indiuisibilem, sed totaliter materialem alii tandem esse duplicem partim spiritualem receptum in anima partim materialem, receptum in materia; tum sic; omnes in hac opinionum diuersitate ne exhibilentur ab alijs debent profitteri se cum cæteris conuenire in

assi-

Digitized by Google

assignanda essentia hominis, nec inter se quantum ad hoc esse dispares; ad eum planè modum, quo Scotistę putantes gradus metaphysicos ex natura rei esse distinctos non ideo ponunt rerum essentias diuersas ab alijs, qui id negant; & ratio huius conuenientiæ specificæ in casu nostro esse potest, quia ad hominis essentiam constituendam solum requiruntur anima rationalis, & corpus inter se substantialiter vnita, siuè demum hæc unio sit distincta ab extremis, siuè indistincta parum refert. per hoc enim homo materialiter tantum, & non formaliter à seipso diuersificaretur. Quod si tibi uideatur difficile quomodo totum importans in sua totalitate aliquid diuersum ab eo, quod ab alio toto importatur non differat essentialiter ab illo: concede in eo casu essentialem differentiam; quemadmodum enim aliqui ex aduersarijs dicunt, quod licet de facto inter animam rationalem, & corpus datur unio materialis, dari tamē potest per Dei potentiam unio spiritualis. & non putant absurdum, hominem constantem vnione materiali differre essentialiter à se ipso, uel ab alio constante unione spirituali; ita & nos possumus dicere, non esse absurdum quod homo habens unionem distinctam ab extremis differat specie à se ipso vel ab alio unionem indistinctam importante.

70 Ad posteriorem verò difficultatem, nego antecedens, ad cuius probationem dico: dupliciter unū per se constitui posse ex materia, & forma; primò connaturaliter, & sic sicuti sunt necessarię ex parte materiæ dispositiones, ita nulla requiritur vnio distincta; secundò miraculosè, & sic sicut non sunt necessariæ ex parte materiæ dispositiones, ita neque vnio indistincta, sed benè potest per distinctam unionem fieri, quod autē hoc non debeat dici minus vnum: constat primo ex Christo Domino, quem nemo dicet esse minus unum in ratione personæ, quam cæteri homines, quamuis teneat inter naturam eius humanam, & personalitatem Verbi intercedere vnionem hypostaticam distinctam, quam non agnoscit inter naturam, & personalitatem propriam cæterorum; constat etiam secundò ex eo, quod Arriaga *disp. 4. nu. 55.* admittit posse sustineri in homine dari vnionem compositam, in alijs tamen compositis substantialibus esse simplicem; & tamen homo non est minus unum per se, quam cætera. Ratio sumitur ex paulò ante dictis, quia unitas per se desumitur ex proportione, quam habent extrema in ordine ad componendam substantiam cōpletam siuè in ratione naturæ, siuè in ratione suppositi; quidquid sit si ad hanc compositionem faciendam habeatur distincta vnio, nec ne?

SECTIO QVINTA.

Tres alia obiectiones dissolutæ doctrinam de connotatis admittendis veram esse demonstrant.

71 OBijcies septimò: ex his quæ habentur apud eundem Arriaga *sub sectione 3. à n. 29.* etiā si admittantur entia connotativa, vnio debet distingui modaliter ab vtroque extremo; ergo &c. antecedens probatur, quia in sententia connotatorum habet locum illud commune principium: non posse de nouo dari denominationē realem, sine noua entitate reali, & per hoc differunt ab alijs, quod velint adueniente entitate aliqua, quæ sit purus terminus, & non pars denominationis possit resultare de novo ea denominatio. vnde illi vocant denominationem adæquatè intrinsecam illam, quam non connotantes partim intrinsecam, & partim extrinsecam appellant; atqui data hac sententia nullum extrinsecum connotatum est assignabile, à quo ea denominatio qualiscunque sit prouenire possit, ergo &c.

Atque hic est integer discursus Arriagæ, quo excusat ab inconsequentia eos auctores, qui admissis entibus connotatiuis, distingunt modaliter vnionem ab extremis.

Sed non multum ad hoc argumentum soluendum laboris necesse est. Respondeo enim negando antecedens: ad cuius probationem, concessa maiore, nego minorem. dico enim huiusmodi extrinsecum connotatum esse indistantiam partium, & negationem impedimenti, vt sæpè dixi; contrà quæ non possunt procedere argumenta supra facta, quod scilicet hæc sunt quid accidentale, quia licet hoc uerum sit: quia tamen ipse admittit pro modo ea non ingredi constitutionem unionis, sed se habere ut merum terminum extrinsecè pertinentem ad illam. non sequitur quod compositum substantiale constet intrinsecè ex accidentibus, cæterum, posito quod materia existat per existētiam formæ, sufficiens connotatum ab unione importatum erit actio communicatiua formalis existentiæ ipsi materię, nam ex hoc in impedibiliter sequitur quod materia, & forma sint inter se unita.

Obijcies Octauò: ex eodem Arriaga *disput. 12. logic. sect. 8. subsect. 3.* contrà connotata. Ablato connotato, hoc est indistantia non perit aliquod intrinsecum unionis; ergo ablato connotato adhuc remanet denominatio unionis, quod est apertè falsum. probatur sequela, quia materia, & forma separata habent in se formaliter, & intrinsecè totum id, per quod postea dicūtur unita; ergo etiam si separata sint, debent dici unita. 72

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; quia, cum unio sit ens connotatiuum, dicendum est quod totaliter pereat, & nō aliquid illius ad eum planè modum, quo si per impossibile unio à partibus separaretur, nulla parte hominis pereunte periret totaliter homo. Ad probationem consequentiæ, distinguo antecedēs: materia, & forma quando sunt separata habent totum id, quod esse unita importat in recto, concedo; totum id quod importat etiam in obliquo, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim quod esse materiam, & formam unita importat in recto entitatem utriusque connotantem in obliquo indistantiam, & compenetrationem, qua sublata, materiam, & formam non esse amplius unita luce clarius est; non defectu alicuius intrinsecè importati in recto ab unione, sed defectu connotati in obliquo, ut sæpè dictum est.

Instabis: ex Giattino *q. 7. Phys. art. 2.* hæc quæ ueniunt in obliquo in unionem sunt de intrinse- 73

co

co conceptu ſubſtantiæ completæ, ſicuti albedo eſt de intrinſeco conceptu albi formaliter, ſed hęc, quæ per nos ueniunt in obliquo ſunt accidentia; ergo de intrinſeco conceptu ſubſtantiæ per nos ſunt accidentia quo nil abſurdius.

Reſpondeo: ſupponendo pro eodem ſumi in argumento aliquid eſſe de intrinſeco conceptu alicuius rei; ac eſſe de cõceptu eſſẽtiali eiuſdem. quo poſito aio: aliud eſſe, quod aliquid ſit de intrinſeco cõceptu rei, aliud uerò quod ſit de eſſẽtia eiuſdẽ rei. ut ſit de intrinſeco cõceptu rei ſatis eſt, quod non poſſit haberi formalis conceptus dictæ rei ſinè eius cognitione, ut uerò ſit de eſſentia requiritur, præterea ut ſit pars componens, ſeu prædicatũ eſſẽtiale illius rei, quo poſito concedo maiorem, quantum ad primam partem; quod ſcilicet ea, quæ ueniunt in obliquo in unione ſunt de intrinſeco conceptu ſubſtantiæ completæ, ſed nego illam quantum ad ſecundam partem, quia albedo ita in obliquo pertinet ad albũ formaliter ut non ſit extrinſecum connotatum illius, ſed intrinſeca eius pars formalis, atque adeò non ſolum eſt de intrinſeco conceptu albi formaliter, ſed etiam de eius eſſentia, quia eſt forma conſtitutiua illius quatenus talis; quoniam verò accidẽtia, quæ connotantur ab vnione, ita ſunt de intrinſeco conceptu eſſentiali ſubſtantiæ completæ ut non ſint de eius eſſentia ideò concedo totum argumentum.

74 Inſtare poſſunt ſecundò non eſt aſſignatum diſcrimen inter connotatum eſſentiale, quod nõ eſt de eſſentia, & inter connotatũ eſſentiale quod eſt de eſſentia rei; ergo gratis hæc doctrina traditur.

Reſpondeo negando antecedens, aio enim ſufficientiſſimum diſcrimen eſſe, quod unum ſit pars eſſentiæ, alterum verò minimè; quomodo autem hoc cognoſci poſſit? dico, duo tradi poſſe huius rei indicia; vnum eſt ut uideamus ſi reluceat aliquid, uel in connotante, uel in ipſo cõnotato quod poſitiuè in ratione partis intrinſecę dictum connotatum conſtituat, huiuſmodi indicium habetur in albedine reſpectu compoſiti albi; ea enim ita connotatur in obliquo ab illo, vt in ea poſitiuè appareat ratio eius formalis conſtituentis album ut album eſt. Alterum indicium eſt ut animaduertamus num reluceat in connotãte, uel in connotato impedimentum aliquod, per quod poſitiuè ipſum excludat à ratione partis intrinſecæ, ſi enim, uel in utroque, uel ſaltem in altero ex eis dictum impedimentum relucet, dicẽdum eſt connotatum illud eſſe quidem de conceptu eſſentiali entis connotatiui, non uerò eſſe de eſſentia ſeu parte illius intrinſeca. Quoniam uerò unio in caſu noſtro reſpicit tanquam eſſentiale connotatum indiſtantiam, & negationẽ impedimenti; & utrumque habet repugnantiam, ſtantibus aduerſarijs, quod ſit pars intrinſeca ipſius unionis, dicendum eſt quod ſe habeat reſpectu illius, ut eſſentiale connotatum extrinſecum, & non tanquam partem.

75 Inſtari poteſt ſecundò meliorem eſſe regulam illam ad cognoſcẽdam rationem partis, quæ cõmuniter datur à Recentioribus, de qua Lugo *de Sacramentis diſp. 2. ſect. 7.* nimirum illam eſſe partem intrinſecam alicui compoſito, qua ablata, & manentibus omnibus alijs non manet tale compoſitum, ſed huiuſmodi eſſet in caſu noſtro indiſtantia ſi importaretur in obliquo eſſentialiter ab vnione; ergo eſſet uerè pars.

Reſpondeo me nunquam potuiſſe acquieſcere illi regulæ, multa enim ex ea ſequuntur abſurda, & Primò quidem quod Deus ſeu, quod idem eſt, lex æterna ſit pars intrinſeca peccati. Secundò quod creatura à Deo uolita ſit pars intrinſeca diuinæ uolitionis. Tertiò quod res prohibita à Deo ſit pars intrinſeca diuinę nolitionis. Quartò quod Baptiſmus ſit partu intrinſeca cœterorũ ſacramentorum tranſeũtium. Quintò quod negatio baptiſmi ſit pars intrinſeca eiusdẽ baptiſmi; quas omnes ſequelas probo diſcurrendo per ſingulas, ſiquidẽ ſi per impoſſibile auferretur ęterna lex, quæ eſt ipſe Deus, non haberetur peccatum Theologicum, quod ab Auguſtino definitur dictum factum concupitum contrà legem æternã, idemque dicendum de creatura uolita, & peccato nolito, in communi ſententia uolente actum Dei liberum ſupra neceſſarium importare connotationem ad obiectum ſuum. Præterea quod baptiſmus eſſet de eſſentia reliquorum ſacramẽtorum tranſeuntium, conſtat, quia quantumuis habeatur, materia, & forma illorum cum miniſtro intentionem habente ea conficiendi; ſi tamen ſuſcipiens non eſt baptizatus, nullum eſt ſacramentum, ſicuti etiam baptiſmus, ſi præſupponeretur in baptizando alius baptiſmus antecedẽs; ad eum planè modum, quo ſacramentum ſine intentione miniſtri eſt nullum. ex quo colligit Lugo intentionem eſſe partẽ intrinſecã ſacramenti ſaltem tranſeuntis; Sed his relictis, vt appareat falſitas 76
dicti principij etiam in ſententia aduerſariorum: quæro ex eis duo: vnum eſt ſi ſiuè per poſſibile, ſiuè per impoſſibile haberetur animal rationale ſine materia prima, num haberetur homo? quis hoc negabit? at quam ineptè ex hoc aliquis concluderet materiam primam non eſſe partem intrinſecam hominis, nemo eſt qui non videat. Alterum eſt, ſi ſiuè per poſſibile, ſiuè per impoſſibile haberẽtur materia Petri Romæ, & eius anima Panormi, ac vnio Meſſanæ, num haberetur in mundo Petrus ipſe? Profecto negabunt ſi rationabiliter, & iuxta communem ſenſum diſcurrere volent; nam de ratione Petri eſt eſſe ſubſtantiale compoſitum. hoc autem requirit vt forma ſit intrinſeca materiæ, & ſic ei ſeipſam cõmunicet, vt eam viuificet in actu primo, & in actu ſecundo, quod ſine mutua compenetratione non eſt poſſibile vt concipiatur à nobis: tum ſicſi vera eſſet regula tradita: ſequeretur quod intima præſentia materiæ, & formæ eſſet pars eſſentialis compoſiti; quia ea ſublata non haberetur cõpoſitum; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. melior igitur regula ad dignoſcendam partem alicuius totius videtur eſſe quod vel veniat in recto, vel ſi in obliquo, habeat rationem, vel formę, vel materiæ reſpectu illius, in dubio autem ſigna tradita à nobis ſufficientiſſima ſunt.

Obijcies nonò: repugnat noua denominatio 77
realis intrinſeca ſine noua entitate intrinſeca; ergo repugnat aduenire de nouo, vel deperdi denominationem realem intrinſecam hominis, niſi acquiratur, vel deperdatur noua aliqua entitas intrinſeca ipſius hominis, ſed hæc entitas intrinſeca non eſt materia; neque forma, vt patet; ergo vnio modus.

Reſpon-

Digitized by Google

Respondeo: distinguendo antecedens, repugnat noua denominatio realis intrinseca sine noua entitate intrinseca, ita ut necesse sit quod entitas illa non solum debeat de nouo fieri intrinseca alteri, sed etiam debeat in se quoad entitatem de nouo fieri, nego: ita ut sufficiat quod fiat de nouo intrinseca alteri cum antea non fuerit intrinseca, concedo; & sic distinguo eodem modo consequēs, repugnat aduenire de nouo, & deperdi denominationem realem intrinsecam nisi acquiratur, vel deperdatur aliqua noua entitas intrinseca ipsius hominis: nisi acquiratur, vel deperdatur, quo ad entitatem, nego; quoad intrinsececitatem, vt ita dicam, hoc est quoad rationem secundum quam forma hominis dicitur intrinseca materiæ concedo; & ad assumptum dico, quod ad habendam de nouo denominationem aliquam intrinsecam hominis V.G. non est necesse vt aliquid homini intrinsecum de nouo quo ad entitatem suam fiat, sed sufficit si anima rationalis incipiat de nouo esse intrinseca materiæ primæ, ita vt nouitas supra ipsam intrinsececitatem solummodo cadat. Quoniam verò ad hoc verificandum sola intima præsentia necessaria est posito quod materia propriā habeat existentiam, ideò neganda est absolutè consequentia: volo enim tria omnino requiri ad habendum hominem, materiam videlicet, & formam, & quod vna sit alteri intrinseca. Quamuis autem id, per quod formaliter habetur ratio intrinseci, seu intrinsececitas, vt ita dicam, dictarū partium non ingrediatur, vt pars quidditatis, ingreditur tamen vt connotatum in eius conceptū essentialem; quod etiam illi, qui admittunt vnionem distinctam, concedere debent, vt paulò ante notauimus. Alio modo respondimus ad hoc argumentum ex noua denominatione desumptum cum de relatione, sed hæc solutio facit magis ad rem præsentem.

73 Instabis: impossibile est vt ad aduentum solius rei accidentalis incipiat de nouo haberi entitas substantialis, vt homo; ergo posito quod materia, & anima rationalis antea existebant, non sufficit intima earum præsentia ad faciendum, quod homo de nouo consurgat; sed requiritur necessariò vnionis substantialis noua productio.

Respondeo: si argumentum hoc haberet vim probaret etiam neque sufficere nouum modū substantialem, quia non minus impossibile videtur, quod ad aduentum solius modi incipiat de nouo haberi entitas substantialis hominis quam ad aduentum rei accidentalis; sicuti igitur ab aduersarijs negatur antecedens, si fiat de modo: ita & à nobis, dum fit de indistantia, quam cum etiam aduersarij debeant concedere necessariam esse ad habendum hominem, necesse est vt nobiscum etiā in eam conueniant. Quare discrimen inter nos, & aduersarios consistit solum in eo quod ipsi præter hæc tria materiam, videlicet, formam, & indistantiam requirunt vnionem modaliter distinctam, nos verò minimè, quia putamus omnia posse iste illa saluari.

(†) (†) (†)

SECTIO SEXTA.

Reliqua leuiora obiecta percurruntur.

OBijcies decimò: partes in continuo quando inuicem distinguntur, vniuntur per indiuisibilia à se realiter distincta; ergo & materia, & forma in composito substantiali. 79

Nonnulli ex his, qui existimant indiuisibilia copulatiua in continuo, facta assignatione, realiter à partibus esse distincta, ad hoc argumentum negant antecedens, existimantes dicta indiuisibilia non habere rationem vnionis respectu partiū quas copulant, tum quia eis multiplicitatem asserunt: tum etiam quia non subiectantur in illis, sed habere rationem termini, & esse id in quo, non autem quo partes vniuntur, sed quidquid sit de hoc.

Respondeo ego: dato antecedente, negando consequentiam; disparitas est, quia partes continui nō sunt de se entia incompleta, & ex suis intrinsecis ordinata ad faciendū vnum per se; quod si faciunt vnum extensiuè, cum vniantur absq; eo quod ad inuicem penetrentur non possunt seipsis coniungi, sed indigent indiuisibili, in quo copulantur. non sic se habent materia, & forma, quæ & ex suis intrinsecis sunt incōpleta, & non faciūt vnum nisi sint intimè inuicem præsentia.

Obijcies vndecimò: accidentia panis respectu 80
Corporis Christi Domini in diuinissima Eucharistia habent intimā præsentiā & tamē non vniūtur illi tāquā formę subiecto; ergo vnio non consistit in entitate partium intimè præsentium.

Respōdeo: Corpus Christi in sacra Eucharistia existere indiuisibiliter, atque adeò respectu accidentium panis, quæ existūt diuisibiliter se habere sicuti Angelum, qui est subiectum improportionatū respectu formę materialis diuisibilis, quare admisso antecedente, nego consequentiam: hoc idem dicendum de proprijs accidentibus si diuisibiliter existerent.

Obijcies duodecimò: partes quando de non 81
vnitis fiunt vnitæ intrinsecè perficiuntur, atq; cōplentur, sed hoc fieri nequit sine intrinseca mutatione; iam verò hæc mutatio ex parte formæ non potest in alio consistere, quam in receptione vnius; ergo datur vnio distincta.

Respondeo: hoc argumentum soluendum esse ex maiori parte aduersariorum, qui putant vnionē recipi in sola materia; sed ego concederē maiorem, verè enim quando forma unitur materiæ incipit esse in statu perfecto, quatenus tūc potest operationes sibi proportionatas exercere, ad minorem autem dicerē id quod perficitur vel in genere causæ materialis, vel in genere causæ formalis pati mutationem formā autē mutationem pati secundo modo, videlicet in genere causæ formalis quod solum consistit in eo quod recipiatur in materia, nō autem in eo quod aliquid in se recipiat, & sic negarem secundam partem minoris.

Obijcies decimotertiò: potest Deus ponere 82
formam intimè præsentem materiæ rectè disposite, ita vt dictam materiam non informet; ergo vnio est quid distinctum à materia, & forma indistantibus.

Digitized by Google

Respondeo: per nos, qui negamus materiæ propriam existentiam id fieri non posse, sed dato opposito, adhuc negandum est antecedens, nisi enim Deus ponat inter materiam, & formam impedimentum aliquod, quod impediat vnionem, impossibile est quin illa sequatur. Inter impedimenta autem hoc principem locum obtinet, quod materia inueniatur præoccupata ab alia forma, tunc enim posita insufficientia materiæ ad faciendum vnum per se cum duplici forma, iam non potest facere vnum cum sequenti, idemque dicendum cum proportione de impedimento se tenente ex parte formæ: quod si quæras quid fiet, si æque primò duæ formæ à Deo in vna materia ponerentur? expecto vt prius tu mihi dicas quænam ex illis formis exigeret vniri cum materia per vnionem distinctam? quod si vel neutra, vel vtraque tu respondeas; iam habes meam responsionem.

83 Obijcies decimoquartò: ex nostra sententia videtur sequi quod ad motum localem corporis anima, quæ illud informat possit remanere immota, ad eum planè modum quo Angelus, qui immotus Cœlum mouet; hoc autem videtur absurdum.

Respondeo: negando sequelam, & paritatem; disparitas enim est, quia anima propter informationem, quam exercet in corpus, est multo magis vnita ipsi corpori, quam sit Angelus Cœlo.

84 Obijcies decimoquintò: prius est saltem ratione formam esse intimè præsentem materiæ, & postea ei substantialiter vniri; ergo vnio formaliter nequit in aggregato assignato consistere.

Respondeo: Antecedens esse falsum si loquamur formaliter, quandoquidem per nos vnio formalissimè consistit in forma intimè præsente materiæ, at verò quantum ad nostrum modum concipiendi res magis, uel minus expræsè, esse verum, in quo sensu dicimus prius esse ens, quam substantiam; quare nego consequentiam.

SECTIO SEPTIMA.

Respondetur vltimæ obiectioni desumptæ ex paritate relationis, quæ in nostra sententia est distincta modaliter ab extremis.

85 OBijcies Relatio est per me modus distinctus ab extremis: ergo, & vnio.

Respondeo; mirum esse quod faciant hoc argumentum contrà me, qui docent relationem cõsistere in coexistentia extremorum posita ratione fundandi, & nihilominus sustinent vnionem esse modum superadditum extremis indistantibus, & negationem impedimentorum habentibus; sicuti enim illi putant se consequenter discurrere, hoc ipsum de nobis existimare deberent; sed quidquid sit de eis: nego. ego. consequentiam; disparitas potest habere fundamentũ in eo, quod docui ad constituendum patrem, & filium debere dari modum relatiuum, non autem ad constituendum simile, & dissimile, breuiter potest esse talis: in tantum enim pono ego relationem modũ: in quantum est essentialiter purus ordo, ac pura respicientia vnius ad alterum, cui propter paritatem, quam importat, vidimus ibi implicare, quod intrinsecè coalescat ex pluribus rationibus absolutis: at vnio est ordo, & nexus partium impurus, atque adeò nullatenus illi repugnat intelligi, quod constet intrinsecè ex dictis partibus. Hoc autem aduersarios inficiari non posse patet ex Arriaga *disput. 4. Physic. cit. num. 94.* vbi hæc habet: distinctionem vnionis ab extremis non ideò ponimus, quia aliter nequeat concipi anima rationalis informans corpus, & hoc ab illa informatum; hoc enim benè concipitur à negantibus unionem distinctam, sed eam ideò ponimus, quia in rerum natura possunt forma, & materia manere, non tamen actu unitæ, aut communicantes sibi effectum formalem, & se complentes. Quoniam uerò ego ostendi quod posita materia, & forma intimæ præsentibus cum negatione impedimentorum hoc repugnet: ideò consequenter discurro dum concedo relationi modalem distinctionem ab extremis, nego uerò illam unioni. 86

Instabis: materia, & forma non possunt intelligi unita nisi etiam intelligantur inter se mutuo intrinseca; sed nequeunt sic intelligi per hoc, quod inuicem penetrentur; ergo per hoc, quod uniantur inter se per unionem distinctam; maior, & consequentia patent; minor probatur, quia Deus est intimè præsens suis creaturis, & tamen non est illis intrinsecus. Neque dicas hoc ideò esse, quia materia, & forma sunt sibi inuicem termini suorum respectuum, non autem Deus, & Creatura, contrà enim est, quia sicuti Deus potit essentialiter esse intimè præsens Creaturis, ita creaturæ petũt essentialiter esse intimè Deo præsentes, & tamen non se inuicem respiciunt, ut terminos intrinsecos.

Respondeo: concessa maiore, distinguẽdo minorem: materia, & forma nequeunt intelligi mutuo intrinseca per hoc, quod inuicem penetrentur: quasi uerò compenetratio sit adæquata ratio cur unum sit alteri intrinsecum, concedo; ita ut sit inadæquata, & ueluti ultimum complementum supponens in eis aptitudinem ad hoc, ut sint sibi inuicem intrinseca, nego minorem. Pro explicatione aduerto: inter se mutuo intrinseca recte describi esse ea, quæ ita inuicem coniunguntur, seu connectuntur, ut pertineant ad constitutionem unius compositi physici; compositum Physicum appello quod ita constat ex partibus, ut distinguatur à composito morali, seu aggregato, cuius partes nulla unione physica connectuntur; unde est ut compositum physicum contineat sibi se totũ tũ integrale tũ essentiale, siue hoc substantiale sit, siue accidentale. Hanc autem explicationem parcim sumo ex Ouiedo *continen. 4. Physic. punct. 2.* vbi postquam plures descriptiones de natura termini intrinseci confutauit sic *num. 17.* concludit: (dummodo se mutuo intrinseca vocarem, quæ pertinent ad constitutionem vnius per se); Quoniam verò licet compositum accidentale sit vnum per accidens, & non per se: nihilominus tamen quæ ad eius constitutionem pertinent, nimirum forma accidentalis, & eius subiectum sunt sibi inuicem intrinseca: ideò addit Ouiedus, se nomine

vnius

vnius per se intelligere omne illud totum, quod non est morale, seu merum aggregatum. vbi vides quod vnum per se confundit cum toto physico cum tamen à philosophis vsurpetur ad significandum tantummodo totum substantiale, ad differentiam vnius per accidens; melius igitur ea sibi intrinseca dixerim. Quæ pertinent ad constitutionem compositi Physici, quam vnius per se; hoc præsuppositio aio, quod licet non sufficiat duorum compenetratio vt sic ad faciẽdum, quod illa sibi intrinseca inuicem censeantur, vt benè probatur exemplo Dei, & creaturæ, at posito quod illa duo sunt de se apta constituere vnum compositum Physicum, quod suas partes compenetratas exigat: per hoc quod ea inuicem se penetrent rectè intelliguntur esse sibi inuicem intrinseca, & multò magis intrinseca toti; atqui materia, & forma sunt ex se, & ex intrinsecis suis positiuè aptæ constituere, vnum compositũ physicum, quod partes suas cõpenetratas exigit; ergo per hoc præcisè quod intelligantur inuicem cõpenetratæ, iam intelliguntur inter se mutuo intrinsecæ.

87 Dices primò natura humana, & diuina personalitas sunt aptę constituere vnum compositum Physicum in ratione personæ, sed per hoc quod intelligantur inuicem penetratę non intelliguntur inter se mutuo intrinsecæ; ergo nulla solutio.

Respondeo distinguendo maiorem, natura humana, & personalitas diuina sunt aptæ per positiuam aptitudinem, & essentialem inclinationem, quam habeant ad inuicẽ &c. nego; sunt aptæ, &c. per negationem repugnantiæ, concedo maiorem; quoniam verò materia, & forma habent ex vna parte essentialem incompletionem; ex alia verò positiuam aptitudinem ad inuicem se complendum, ideò nulla est consequentia.

88 Verum contrà hoc instabis: Verbum Diuinum est intrinsecum humanitati Christi Domini quatenus constituit ipsum Christum tanquam compositum quoddam physicũ in ratione personæ; sed hoc ipso quod non importat incompletionẽ nequit assignari per quid sit intrinsecum ipsi humanitati; ergo &c.

Respõdeo: me in explicatione termini intrinseci nullam de incompletione mentionem fecisse: & rectè id quidem terminus enim intrinsecus est duplex. alter impurus, qui incompletionem importat cuiusmodi est materia, & forma in constitutione compositi ex illis constantis. alter purus, qui nullam dicit incompletionem; & describi rectè potest ille, qui ita verè, & realiter vnitur alteri, vt vnum compositum physicum cum illo constituat respectu cuius neque habeat rationem formæ, neque materiæ. ut colligitur ex Arriaga *in suo secundo cursu disput. 4. phys. n.* 124. vnde fit vt licet Verbum Diuinum non sit terminus incompletus: rectè tamen intelligatur esse Christi humanitati intrinsecum, quatenus respectu illius se habet, vt purum terminum. non negauerim tamen non sufficere ei ad hoc munus exercendũ impenetrationem, est enim necessaria vel unio distincta, vel actio supernaturalis cuius beneficio humanitati in ratione termini substantialis communicetur, vti suo loco dicetur.

Dices secundò partes quantitatis pertinent ad 89
constitutionem compositi physici, quod est quantitas, & tamen non sunt inuicem inirinsecę, per hoc quod inuicem compenetrentur; ergo &c.

Respondeo illud esse completiuum partium in ratione intrinseci, quo posito statim resultare intelligitur compositum, vnde ex natura compositi petenda est ratio completiui, quoniam verò compositum ex materia, & forma requirit supra partes expeditas ad componendum compenetrationem illarum, ideò hanc dicimus esse vltimum cõplementum rationis intrinseci respectu illarum; atqui compositum quantitatiuum dictam partium suarum compenetrationem à se excludit, & requirit solum continuationem illarum, ideò hanc volumus esse vltimum complementum partiũ quantitatiuarum, ad hoc vt sibi inuicem intrinsecè cẽseantur in ordine ad constituendum continuum.

Dices denique tertiò: quamuis actio sit exterin- 90
seca principio, à quo profluit, est tamen intrinseca termino, qui per ipsam producitur; sed ex illa, & termino non fit vnum compositum Physicum; ergo mala explicatio à nobis tradita de natura termini intrinseci.

Respondeo: negando minorem; & siquidem dicimus, omnem actionem in essentia sui termini recipi, apparet euidenter illius falsitas: sin autem cum alijs id negemus; dicendum est eam facere cum suo termino vnum compositum Physicum quatenus ita exigit esse compenetrata, & intimè præsens ipsi termino, vt det ei substantialem perfectionẽ, quæ consistit in ipso esse: quod si Deus vtrumque habeat respectu omnium Creaturarũ; quia tamen potest esse sine illis tã benè, tamque perfectè: quam cũ illis, ideò non potest cum creaturis comparari, vt intrinsecus illis. Quod si hic modus respondendi tibi displicet; nega cũ Ouiedo *nu.* 18. maiorem quoad secundam partẽ, quam difficile poterunt probare aduersarij si rigorosè rationem intrinseci sumere volent; ut rectè idem ibidem aduertit.

Digitized by Google

DISPVTATIO NONA

DE PRIVATIONE.

HOC esse tertium,& vltimum rerum naturaliũ principiũ patet ex dictis, vidimus enim priuationẽ principiare per se mutationem,& per accidens compositum in facto esse , de ea igitur sit.

SECTIO PRIMA

Quid sit priuatio.

1 PRima Conclusio, priuatio est carentia formæ in subiecto apto.

Pro explicatione nota primò illud,est, non significare veram aliquam entitatem realem , sed solam connexionem prædicati cum subiecto, seu essentiam cum eo cuius est de essentia,quæ, quia independens est ab intellectu , (nam absque eo quod aliquis cogitet,materia huius ligni V.G.est priuata forma ignis) ideò dici potest realis ad differentiam entis fictitij.

Nota secundò duo dicere essentialiter priuationem.vnũ in recto,& hoc est negatio seu quod idem est non esse formæ, non quomodocunque sed in subiecto.hoc est illi vnitũ:alterum verò in obliquo,aptitudinem scilicet,& capacitatem subiecti, in quo ipsa priuatio reperitur,capacitatem, inquam,ad recipiendam formam oppositam;quoniam verò aptitudo hæc multiplex esse potest ; alia scilicet proxima, alia verò remota; vna spectando subiectum secundum genus suum,altera spectando illud secundum speciem suam; hæc dicens capacitatem formæ pro præsenti tempore, illa verò pro futuro : hinc est ut varia priuationis genera assignentur , ex quo patet dari in rerum natura priuationem : dantur enim multæ carentiæ formarum in subiectis aptis recipere dictas formas eodem tempore,quo habent illas carentias, & hoc absque vllo intellectu cogitante, vti suo loco dicetur.

Nota denique tertiò : hanc subiecti capacitatem debere esse in ordine ad participandum effectum formalem à dicta forma prouenientẽ , ita ut sit illi proportionata, atque adeò si inuicem vniantur, accipiat ab ea denominationem.ex quo sequitur quod negatio Angeli , quæ est in materia prima nõ habeat rationem priuationis, siquidem materia, licet habeat capacitatem, vt penetretur localiter cum Angelo ; non tamen habet proportionem requisitam ad hoc , vt recipiat ab illo aliquem effectum formalem , sicuti habet respectu animæ rationalis, à qua redditur viuens, sensibilis &c. Per quæ patet rectè priuationem definiri carentiam formæ in subiecto apto.

2 Obijcies primò: Aristot.1. *de gener.tex.*18.appellat frigus priuationem caloris ; & 10. *metaph. tex.* 7. nigrum priuationem albi; sed frigus & nigredo sunt entia realia, & positiua; ergo & priuatio.

Respondeo : priuationis nomen aliquando,(vt locis citatis) sumi ab Aristotele impropriè; quotiescunque enim duæ formæ sunt inter se contrarię, & vna est alia nobilior, tunc eam,quæ ignobilior est , priuationem nobilioris Philosophus appellare consueuit, propter similitudinem,quam cum rigorosa priuatione habere videtur, quæ sẽper est ignobilior forma opposita; hac autem posita explicatione distinguo consequens priuatio propria, de qua loquimur, est ens reale, positiuũ, nego: impropria,concedo consequentiam.

Obijcies secuudò:Homo in statu puræ naturæ, 3
& ad videndum Deum minimè ordinatus habuisset carentiam gratiæ sanctificantis cum capacitate participandi effectum formalem ab ea prouenientem, vt de se patet; sed tunc non habuisset priuationem gratię sanctificantis;ergo ad priuationem constituendam non sufficit carentia formæ in subiecto habente capacitatem participandi effectum formalem ab ea prouenientem ; consequentia patet; & maior videtur certa; nam si in eo statu miraculosè illi Deus gratiam dedisset , constituisset hæc proculdubio illum gratum,& sanctum;minor verò suadetur , quia homo in statu puræ naturæ non habens gratiam non potuisset dici ea priuatus ; nam priuatio gratiæ propriè contrahitur per peccatum , siuè originale , siuè mortale actuale ; neutrum autem homo ille in statu puræ naturæ à te habere supponitur; ergo &c.

Respondeo: concessa maiore distinguendo minorem; homo in statu puræ naturæ non habuisset priuationem gratiæ sanctificantis physicam,nego; non habuisset priuationem moralem, concedo; & sic distinguo consequens:ad priuationem physicam constituendam non sufficit carentia formæ in subiecto capacitatem habente participandi effectum formalem ab ea prouenientem, nego consequentiam ; ad constituendam priuationem moralem concedo consequentiam; & dico nos in Conclusione loquutos esse de priuatione Physica, quam concedimus habituros fuisse homines in statu puræ naturæ respectu gratiæ sanctificantis ; cum quo tamen stat quod ad constituendam priuationem moralem , præter Physicam capacitatem formæ oppositæ, requiratur etiam ex parte subiecti exigentia quædam illius formæ , ita vt si secundum suum moralem statum , hoc est iuxta dignitatem suam consideretur, ei censeatur esse debita forma illa , quoniam verò homo non ordinatus à Deo ad statum supernaturalem non habet talem dignitatem,ratione cuius ei sit debita gratia sanctificãs, cõtrà verò peccator quatenus est in præsenti statu

ra-

Digitized by Google

ratione eleuationis, & dignitatis est illi debita, hinc fit vt hic dicatur moraliter illa priuatus, nō verò homo ille in statu puræ naturæ. Scio alios aliter respondere ad hanc difficultatem, dicentes causam materialem ordinis naturalis non recipere formas supernaturales per positiuam capacitatem, sed per meram non repugnantiam. Verum hęc responsio non procedit, quia vti dicemus: per eandem potentiam passiuam, quoad intrinseca subiectum ordinis naturalis formas tam naturales, quam supernaturales sustentat. quare non videtur à nostra solutione recedendum.

4 Obijcies tertiò: quidquid à parte rei est ante intellectus operationem est ens reale propriè; sed priuatio est à parte rei ante omnem operationem intellectus; ergo priuatio propriè est ens reale.

Respondeò: distinguendo maiorem, quidquid est à parte rei ante operationem intellectus per ablationem entis est ens reale propriè, nego maiorem; per positionem entis, concedo maiorem, & distincta eodem modo minore; nego consequentiam, priuationem enim formæ esse à parte rei nihil aliud significat, quam à parte rei non esse formam; valdè enim notanda est doctrina quam in hac re tradit D. Thomas *quæst. 1. de malo art. 1.* docens priuationem dupliciter sumi posse, primò secundum propriam rationem, quam essentialiter habet, secundum quam solum ei competit remouere formam à subiecto; secundò in quātum subiectis per modum formæ positiuæ tribuitur, vt cum dicitur homo habet cæcitatem, aer est tenebrosus &c. quidquid autem hoc secundo modo priuationi competit, concludit ei accidentaliter, & secundum nostrum concipiendi modum conuenire.

Secunda Conclusio priuatio opponitur formæ oppositione immediata. Probatur, quia licet absolutè loquendo inter priuationem, & formam dari possit medium, & de facto inter tenebras, & lucem datur negatio eiusdem lucis, quæ non connotat aptitudinem in subiecto V.G. in Angelo: tamen si priuatio, & forma considerentur in ordine ad subiectum illud, quod est capax recipere talem formam, alterutrum necessariò in dicto subiecto reperiatur necesse est, in quo sensu Arist. 10. *metaph. tex.* 15. dixit primam contrarietatem esse contradictoriam, quia scilicet forma, & priuatio respectu proprij subiecti rationem contradictoriam participant pro statu reali.

SECTIO SECVNDA.

Quot sint in materia priuationes.

5 QVidam docti Recentiores sequuti Ruuium hic *tract. 3. quæst. 2.* existimant vnam tantū priuationem actu in materia reperiri; ne quis autem existimet eos loqui de priuatione proxima, de ea nimirum, quæ connotat subiectū pluribus accidentibus dispositum ad formam oppositam recipiendam; addunt se loqui de priuationibus omnium formarum, quæ de facto reperiūtur in materia, & appellantur remotæ, quas dicunt in vnam numerò priuationem coalescere, & solum potentia, ac terminatiuè, seu ratione terminorum; qui sunt formæ, quibus opponuntur, inter se distingui, contrà quos est.

Nostra Cōclusio: Tot sunt priuationes actu in 6
materia distinctę, quot sunt formæ, quibus materia ita actu caret, vt possit illas successiuè decursu temporis habere, est Hurtadi *disput. 3. Physic. sect. 1.* & aliorum communiter.

Probatur vnica ratione: priuatio ignis, & aquæ V. G. quæ simul sunt in materia Terrę neque diuisibiliter faciunt vnum inter se, neque indiuisibiliter; ergo sunt actu in illa distinctæ, & cum nō sit maior ratio de his, quam de cæteris, iam priuationes omnes erūt in materia actu distinctæ. Antecedens quoad primam partem probatur, quia ea, quæ faciunt vnum diuisibiliter, vel se habent vt actus, & potentia; & hoc dici nequit de priuatione ignis, & aquæ, cum non sit maior ratio cur ista sit actus, & non altera, linquo quod si duæ hæ priuationes ita se haberent inter se, non possent postea facere vnum cum tertia; vel se habent tanquam duæ partes quantitatis facientis vnum extensiuè, & hoc neque, quia duæ istæ priuationes sunt in eadem parte materiæ, quæ autem faciunt vnum extensiuè diuersas materiæ partes sibi vendicant; vel denique se habent tamquam duæ partes qualitatis facientes vnum intensiuè, sed neque hoc verum est, quia quemadmodum formę, ita etiam earum priuationes sunt indiuisibiles; Indiuisibile autem additum indiuisibili neque intensionem facit, neque extensionem. Probatur etiam principale antecedens quoad secundam partem, quod scilicet, neque indiuisibiliter duæ illæ priuationes facerent vnum, quia potest in materia illa Terræ perire priuatio ignis V.G. remanente priuatione aquæ; ergo priuationes ignis, & aquę non faciebant vnum indiuisibiliter, secus pereunte vna, alia remanere non posset.

Neque dicas ad corruptionem priuationis for- 7
mæ ignis in tali casu corrumpi quidem priuationem aquæ in materia terrę; sed aliam de nouo generari, quæ non identificetur cum priuatione formæ ignis; ne id dicas, inquam, quia non esse alicuius rei non potest intelligi perire, nisi adueniente esse illius rei oppositæ dicto non esse; secus deberet intelligi quod esset non esse alterius rei, & non sibi oppositæ, scilicet formæ ignis V.G. & non aquæ; Præterea etiamsi materia Terræ transeat ad formam ignis, adhuc forma aquæ perseuerat in eodem non esse respectu dictæ materiæ in quo prius erat; igitur etiam illa materia retinet eamdē numerò priuationem formę aquę, quam habebat antecedēter ad formam ignis. Neque iterum addas quod sicuti materia per vnam potentiam respicit omnes formas, ita possit illas respicere per unā priuationem, nego enim paritatem; disparitas patet ex dictis, quia videlicet materia quando recipit vnam formā V.G. ignis, non deperdit potentiam, quam dicebat ad illam, contrà verò necesse est vt amittat eius priuationem.

Sed adhuc obijcies primò, priuationes omnes, 8
quę sunt in materia nullum in se habent distinctionis principium, non igitur sunt actu distinctæ; consequentia patet, antecedens probatur: principium omnis distinctionis est actus, sed priuatio-

nes

nes nullum includunt in ſe actum; ergo nullum habent in ſe diſtinctionis principium. Pro maiore huius Argumenti citatur Ariſtoteles 7. *metaph. tex.* 49. minor verò probatur, quia priuationes ſunt excluſiones formarum, quæ proprie ſũt actus; nullum igitur in ſe includunt actum.

Reſpondeo: primò ſi hoc argumentum haberet vim probaret primò, quod priuationes neque eſſent vnum, quia vnitas eſt paſſio entis, quod à ſe formaliter priuationes excludunt; ſecundò probaret, neque eas habere principium ſuæ conſtitutionis, quia omnis conſtitutio eſt à forma; quemadmodum igitur aduerſarij vnitatem illi tribuunt abuſiuè, & rationem formæ non phyſicæ, ſed metaphyſicę conſtituentis impropriè ſumunt, cum definiunt priuationem, eamque vnam eſſe aſſerunt in materia: ita & nos cum dicimus eas eſſe plures.

9 Reſpondeo ſecundò: negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo maiorem, omne principium diſtinctionis eſt actus Phyſicus tantũ, nego; ſiuè phyſicus, ſiuè metaphyſicus, & hic vel proprius, vel improprius, proportionatus, ſcilicet, rebus, quarum eſt actus, concedo maiorem; & diſtincta eodem modo minore; nego conſequentiam; ad minorem verò dico priuationes eſſe quidem excluſiones formarum phyſicarum non autem omnis formę metaphyſicæ impropriè, & abuſiuè acceptæ; & hoc ſufficere ad earum diſtinctionem.

10 Obijcies ſecundò: vna priuatio in materia facit totum id quod poſſent infinitæ priuationes; ergo vna ſufficiens eſt. Antecedens probatur; quia infinitæ priuationes excludunt infinitas formas; ſed hoc præſtare poteſt vna priuatio; cum enim ſit non ens, excludit indiuiſibiliter omne ens, & conſequenter infinitas formas; ergo &c.

Reſpondeo: negando antecedens, ad eius verò probationem, diſtinguo maiorem: infinitæ priuationes infinitas formas excludunt, tum à ſe, tum à materia, in qua ſunt, concedo, à ſe ſolum, nego maiorem; & diſtinguo eodem modo minorem: vna priuatio excludit tum à ſe, tum à ſuo ſubiecto infinitas formas, nego; à ſe ſolum, concedo; & nego conſequentiam, ad minoris autem probationem dico, quod vna priuatio excludit quidem à ſe omnem formam, quia eſt negatio entis, at non à ſubiecto in quo eſt, ſed illam tantum formã ab eo excludit, cui immediatè opponitur; ad hoc igitur, vt aliæ excludantur admittendæ ſunt aliæ priuationes.

11 Inſtabis; ergo admittendum infinitum Cathegorematicum priuationum, quia tot debent eſſe illæ actu in materia, quot ſunt formæ poſſibiles in eadem materia.

Reſpondeo: tranſeat conſequentia; de qua re infra ſuo loco; infinitum enim priuatiuum à nullo negari poteſt, niſi velit verbis rationem infiniti excludere; cuiuſmodi eſt ille, qui putat ab hac conſequentia ſe eximere dicendo numerum priuationum non eſſe infinitum cathegorematicum; 2 quia eſt quid indeterminatũ non acceptibile ab intellectu per modum vnius; quaſi verò infinitum cathegorematicum pendeat ab intellectu vt ſit, vel non ſit à parte rei. Verum de hac re cum de infinito verba faciemus interim dico ad verificãdam meam concluſionem ſatis eſſe, quod priuationes in materia ſint plures, ſiuè infinitæ cathegorematicè, ſiuè ſyncathegorematicè ſint poſtea videbitur.

Obijcies tertiò: tenebræ ſunt vna priuatio luminis; & tamen negant in aere omnes formas luminis, ergo etiam vna priuatio in materia poteſt illam priuare omnibus formis. 12

Reſpondeo tenebras eſſe vnam priuationem formaliter, ſeu per aggregationem omnium priuationum, quæ cuicunquæ formę luminis in particulari opponuntur; hoc enim nos tenebrarum nomine intelligimus, ad cuius eſſentialem conceptum deſtruendum ſufficit ſi aliqua illarum priuationum indiuiſibiliter ſumptarum per aduentum formæ luminis ſibi oppoſitæ deſtruatur, ſic explicato antecedente neganda eſt conſequentia.

SECTIO TERTIA.

Quando nam, & per quid principiet priuatio.

HIc nõ loquimur de priuatione, quæ eſt principium per accidens cõpoſiti in facto eſſe; 13 ſed de illa, quæ eſt principium per ſe mutationis, & quæ in ratione termini à quo illam principiat, & de ea quærimus duo. Primum quando nã principiet? num ſcilicet quando eſt in materia. an verò quando non eſt? Secundo poſito, quod principiet mutationem, quando non eſt: principiat ne illam per ſuum non eſſe, an potius per ſuum eſſe? quatenus recedit atque corrumpitur.

Pro qua quæſtione nota quod dupliciter terminus à quo in principiando ſe habere poteſt, primò ita ut meram anteceſſionem reſpectu ſui principiati importet; ſecundò ita vt per habitudinẽ, & connexionẽ eſſentialẽ reſpiciatur ab illo in ratione termini à quo. Hoc autẽ ſuppoſito ſit 14

Prima Concluſio, priuatio ſi primo modo conſideretur principiat quando eſt in materia, dummodo connotet immediatam tranſmutationis conſequutionem.

Probatur: quia ad principiandum per ſolam 15 anteceſſionem, neque requiritur præſentia principiati, neque abſentia principij, ſed ſufficit ſola immediata connexio inter vtrumque; ergo &c. Antecedẽs patet ex communi omnium exiſtimatione; omnes enim putamus inſtans inchoatiuum alicuius temporis determinati eſſe principium talis temporis, & principiare illud, quando iam exiſtit; vnde dicimus pro eo inſtanti: nunc primò incipit hora, aut dies, aut menſis, quæ ſunt principiata; ſed tunc eſt ſolum ipſum principium cũ connotatione immediatæ principiati conſequutionis; igitur ad principiandum per anteceſſionem ſufficit præſentia termini à quo connotantis immediatam conſequutionem principiati.

Secunda Concluſio priuatio, prout per habitudinem, & connexionem eſſentralem à mutatione in ratione termini à quo reſpicitur, illam principiat quando primò non eſt: ita communiter 16

Et probatur: quia hoc ipſo quod mutatio per habitudinem, & connexionem eſſentialem illam de facto connotat, iam exiſtit à parte rei; ſed hoc 17

ipſo

ipso quod est mutatio à parte rei iam est forma, reliter loquendo in materia, quia mutatio per quam transit materia à non esse formæ, ad esse formæ, non est nisi fieri formæ, fieri autem formæ nequit stare sine forma, vt *lib.* 3. cum de motu docebimus; iam igitur tunc non erit ipsa priuatio, & sic prout in ratione principij modo dicto constituitur, principiat quando ipsa non est. Pro secunda autem dubitatione sit.

18 Tertia cõclusio vtrouis modo intellagitur priuatio principiare, semper principiat per suum esse; & quidem si primo modo: per suum esse actuale vt de se patet principiat, quia eo modo sumpta actu in materia reperitur; sin autem secundo modo, principiat per suum esse connotatum in ratione recedentis, quod sic

Probatur non potest dici quod actu principiet hoc secundo modo per suum non esse, quia non esse priuationis est esse formæ, & sic priuatio, & forma in vnum principium coalescerent, quod est valdè absurdum; neque dici potest quod ipsa principiet per suum esse actuale, quemadmodum primo modo: quia tum primò ipsa non est, vti in præcedente conclusione vidimus: ergo per suum esse connotatum in ratione recedentis seu per suũ esse incorrumpi dici debet quod principiet; quãdo igitur primò non est priuatio in materia quatenus connotat suum esse, vt recedens seu incorrumpi, per hoc constituitur in ratione principij importantis habitudinem termini essentialiter connotati à mutatione.

19 Obijcies primò: contrà secundam conclusionẽ priuatio tunc solum actu mutationem principiat quando habet rationem, & denominationem termini à quo; sed rationem hanc habere nequit, nisi quando actu est in materia; ergo tunc solum illa erit principium; maior patet, quia priuatio principiat vt terminus à quo, minor probatur tum quia de ratione termini à quo est actu antecedere; tum etiam quia id quod non est non potest rationem termini actualis habere.

Respondeo: concessa maiore; nego minorem; Ad primã eius probationem dico quod de ratione termini à quo est quidem actu antecedere subiectiuè, non autem denominatiuè; hoc est, oportet quidem vt res, quæ principiat in ratione termini à quo, secundum suam entitatem præcesserit mutationem; non autem est necesse, vt quando existit, talem denominationem habeat, hanc enim habet solum quando primò ipsa non est. Ad secundam autem eiusdem minoris probationem dico; quod multa quando non sunt habere possunt rationes aliquas, atque denominationes, vt præteriti, futuri, corrupti, &c. quas quando existunt participare non possunt. neque particula illa, actualis, cum termino coniuncta te terreat, quia actualitas hæc, quę requiritur ad principiandum, vt terminus à quo est extrinseca ipsi termino, & non intrinseca, & sic non est mirum si possit competere rei non existenti.

20 Obijcies secundò: causa realis non potest causare quando non est; ergo neque priuatio quando non est principiare potest.

Respondeo: falsum esse antecedens, vt patet ex causa finali, quæ actu causat, licet actu non existat; sed quidquid sit de eo; nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quia causa quando actu causat debet propriè in effectum influere; at principio sufficit, si impropriè influat, quare ad hoc, vt priuatio actualiter principiare dicatur satis illi est si ab ea principiatum emanet, seu, vt verius loquar, si ipsa recedendo mutationem existere finat.

Obijcies tertiò: contrà tertiam conclusionem. 21
Priuatio principiat secundo modo quando ipsa primò non est; ergo principiat per suum non esse.

Respondeo: negando consequentiam, quia non esse priuationis, quando ipsa actu principiat non est ratio formalis principiandi, sed mera conditio ad actu principiandum necessaria, cæterum ratio formalis existimanda est esse ipsummet esse priuationis à mutatione connotatum dicens tendentiam ad non esse.

Instabis: Priuatio principiat per recessum à suo esse; ergo principiat per suum non esse.

Respondeo: distinguendo eodem modo antecedens per recessum principiat priuatio tanquam per rationem formalem principiandi, nego; tanquam per conditionem concedo antecedens; & nego consequentiam. vbi nota aliud esse dicere, quod priuatio principiet per recessum à subiecto: aliud vero quod principiet per recessum à suo esse absuo; primum concedendum est; at verò secundum negandum.

Hic vlterius quæri solet à Recentioribus in 22
quo sensu verum sit dictum Arist. in post prædicamentis, vbi aserit: A priuatione ad habitum impossibile esse dari regressum, cum præsertim experiamur aerem ex luminoso sæpè fieri tenebrosum, & rursum post tenebras expectare lucẽ. Sed responsio est facilis, in illo enim dicto assignat Philosophus differentiam, quæ inter opposita priuatiuè, & inter positiuè contraria reperitur, atque hæc posse inuicem transmutari, non autem illa, quæ videlicet sunt priuatiuè opposita; hæc autem differentia non est intelligenda. Per partes, quasi verò nunquam dari possit à priuatione regressus ad habitum; sed secundum genus, in quantum dantur aliqua priuationum genera, à quibus non potest dari naturaliter immediatus reditus ad formam oppositam; huiusmodi est priuatio formæ ignis, vel formæ ligni, quæ eo ipso quod in aliquo subiecto post formam reperitur, non potest nisi post varias transmurationes ab eo expelli, ita vt in locum illius de nouo opposita forma succedat. non sic se habent positiuè contraria, quæ inuicem transmutari possunt immediatè, nam ex calido frigidum, & rursum ex frigido potest fieri immediatè naturaliter calidum vt de se patet.


Quæres hic an priuatio sit principium per se specificatiuum omnis generationis etiam possibilis?

Respondeo: auctores, qui partem affirmatiuam defendunt valde laborare in ostendendo, quo pacto prima generatio terræ, & cæli initio mundi facta, habuerit pro termino à quo priuationem; & multo magis laborant in hoc, qui sustinent, quod si huiusmodi corpora facta fuissent ab æterno nihilominus eorum productio à priuatione formæ ipsorum incepisset: vide Auersam, Rubium, & alios quos citat, & sequitur Quiros

in

Digitized by Google

in ſuo curſu diſput. 38. ſect. 5. & 6. Verum hi Auctores ideò anguſtiantur, quia putant generationem ex materia non antea præexiſtente fieri poſſe; quod falſum eſse ſupra probauimus, dum vidimus, productionem terræ, & cæli initio mundi factam à Deo, habuiſſe conceptum veræ, ac rigoroſæ creationis. ex quibus patet priuationē eſse principium ſpecificatiuum eſsentiale omnis generationis etiā poſſibilis. Probatur facilè, quia hoc ipſo quod ante generationem compoſiti debet præcedere materia, neceſsariò deducitur, quod in ea debeat priuatio formæ introducendæ reperiri, quę ad aduentum dictæ formæ recedendo mutationem generatiuam principiet. Atque hæc de principijs dicta ſufficiunt.



TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDVS

DE

NATVRA, ET CAVSIS

INVESTIGATIS tractatu precedenti Corporis naturalis principijs: æquum est nunc de ipso Corpore disputare; quoniam verò hoc nulla alia ratione commodius præstare possumus, quam de eius ratione formali, quæ est natura, deque eius causis diserendo, idcircò prius de natura, deinde verò de causis nobis cum Aristotele agendum erit; Causarum enim tractatio licet absolutè ad Metaphysicum spectet, negari tamen non potest, quin, si per ordinem ad corpus naturale instituatur, ad solum Physicum pertineat; omnis enim siuè ars, siuè scientia, obiectum, quod sibi vel faciendum, vel speculandum proponit, causarum ad illud attinentium inuestigatione peragit.

DISPVTATIO DECIMA

DE NATVRA.

1 NAturæ nomen, vt docet Aristot. 5. *metaph.* est æquiuocum, & aliquando sumitur pro Deo, qui natura naturans, seu vniuersalis dici solet, ad differentiam naturæ naturatæ, & particularis, quæ sunt entia creata; aliquando verò pro cuiuscunque rei essentia, seu quidditate, in quo sensu, definitio dicitur esse oratio rei naturam explicans; sæpè pro tota rerum Creaturarum collectione, vt cum in rerum natura non esse chymeram affirmamus; sæpè pro causarum naturalium collectione, vt facit Arist. 2. *de Cœlo tex.* 24. dicens Deum, & naturam nihil frustrà facere; modo pro temperamento primarum qualitatum, quod entia naturalia sibi vendicant; & sic Leonis uaturam calidam esse, Vulpis autem siccam. Serpentis verò frigidam, Piscis denique humidam dicimus naturales; modo pro viuentium natiuitate, ac generatione, ex qua volunt aliqui naturam, quasi nascituram appellatam esse. Nullo tamen ex dictis modis naturæ nomen hic à nobis cum Aristotele sumitur, sed solum prout significat principium intrinsecum motus corporum, ex quo corpora habent, vt naturalia, proprijssimè appellentur; Dico, proprijssimè, quia naturale etiam quemadmodum natura multipliciter sumitur, vti supra vidimus, his verò prænotatis sit.

SECTIO PRIMA.

Traditur, & explicatur Naturæ Definitio.

2 VNica Conclusio: rectè natura *lib. 2. Physic. tex. 3.* ab Aristotele definitur: esse principium, & causa mouendi, & quiescendi, seu (vt cõmuniter explicant) motus; & quietis, in quo est, primum, per se, & non secundum accidens, explicantur singulæ particulæ.

Dicitur primò. Principium, & causa; & quidem posterior particula, scilicet, causa, est restrictiua prioris, vt significet naturam non esse quodcunque motus principium, sed illud solum, quod simul est causa; per quod excluditur à ratione naturæ priuatio, quæ licet sit principium, non tamen est causa motus naturalis. quod si alibi Arist. hanc naturæ definitionem repetens; posterio-

riorem hanc particulam omiſit, vt 3. *Phyſic. tex.* 5. fuit, quia ibi non exactè, vt hic, naturæ definitionem aſſignauit.

3 Neque dicas particulam principium in dicta definitione eſſe ſuperfluam, eo quod in poſteriori particula, ideſt cauſa comprehendatur; ne id dicas, inquam, quia licet definitioni ſecundum ſe ſpectatæ neceſsaria non ſit: Inſeruit tamen maximè ad connexionem *libri* cum priore præcedente; Per eam enim Philoſophus oſtendit rectè poſt tractationem principiorum diſputationem ſe inſtituere de natura, in quantum natura principium quoddam Phyſicum, & quidem principale eſt. Quare hic particula principium in propria ſignificatione ſumendam eſſe cenſeo, alibi verò vt 3. *Phyſic. cit.* vbi ei particula, cauſa, non additur quatenus cum ipſa cauſa reciprocatur.

4 Ex quibus colliges contrà Albertum priuationem non eſſe naturam, quia non eſt cauſa motus, quod expreſsè docuit Philoſophus hic *tex.* 15. & alibi dicens; ſolam materiam, & formam eſſe naturam, *tex.* verò 15. priuationem ſolum, quodammodò dicit eſſe naturam, ideſt ſimilitudinariè ſeu quatenus facit vnum numerò cum materia, quæ eſt natura.

5 Quæres hic quænam cauſa motus debet eſſe natura.

Reſpondeo debere eſſe vel materialem, vel efficientem, dummodo vtraque ſit intrinſeca rei, quæ mouetur. patet ex *tex.* 4. vbi alia natura aſſignatur, quæ eſt ſubiectum, & alia exiſtens in ſubiecto, quæ eſt forma, vtiq; quatenus eſt actiuũ principium; nam motus cum ſit forma cauſam formalem ſui propriè loquendo habere non poteſt, nec non etiam ex *tex.* 21. vbi dicitur natura duplex, alia materia, alia forma; atque hic nota male Auerſam *diſput.* 19. *ſect.* 4. exiſtimare cauſa finalem, & formalem motus eſſe naturam; tum quia illa cauſa dici debet natura, cuius motus eſt proprietas, vt omnes aſſerunt, motus autem reſpectu cauſæ finalis, non habet rationem proprietatis, quia cum ſit via ad illam, nequit intelligi ab ea emanare; tum etiam, quia cum motus ſit forma quædam tranſiens, nihil aliud ei pro cauſa formali aſſignari poſſit, niſi terminus ad quem ſibi proprius, ſed terminus ad quem nõ habet rationem cauſæ formalis reſpectu motus, quia illum minimè componit; ergo ſola cauſa motus tum materialis, tum efficiens dummodo ſit intrinſeca rei, quæ mouetur erit natura. Vaſquez *t.* 2. *diſp.* 25. *n.* 20. ad ſolam cauſam efficientem reſtringit naturam, excludendo materialem, quem Quiros cũ communi ſententia componere volens in ſuo curſu *diſput.* 50. *ſect.* 1. *num.* 2. ſic eum explicat, vt velit non quodlibet principium paſſiuum motus ad naturam conſtituendam ſufficere, ſed illud ſolum cuius motus actiuum quoque principium datur in compoſito. Verum hoc falſum eſſe conſtat ex eo, quia Cœlum ita eſt principium paſſiui motus circularis, vt non componatur ex principio actiuo dicti motus, eo quod mouetur ab intelligentia tanquam a forma aſſiſtente & non informante; & tamen Cœlum quatenus habet in ſe principium paſſiuum motus circularis habet naturam, vt ipſemet Quiros *loco citato numero immediate* ſequenti fatetur; ergo quodlibet principium paſſiuum motus erit ſufficiens ad naturam, dummodo ad dictum motum compoſitum ex huiuſmodi principio conſtitutum inclinet, quas vltimas particulas addo ad ſoluendas rationes, quibus hic Auctor ad ſuam ſententiam probandam utitur, ut uidere eſt apud ipſum loco citato.

Dicitur ſecundò motus, & quietis Nomine motus intellige acquiſitionem, ſiuè inſtantaneam ſiuè ſucceſſiuam alicuius termini, ſeu formæ, ad quam ſubiectum, in quo natura reperitur inclinat, tanquam ad aliquid ſibi naturaliter debitum; Nomine verò quietis, poſitiuam poſſeſſionem termini, ſeu formæ per motum acquiſitæ, ad quam motus negatio conſequitur; non autem ipſam motus negationem, quia ad hanc non requiritur principium, & cauſa per ſe, ſed potius horum negatio. 6

Dices natura non poteſt eſſe principium oppoſitorum; ſed motus, & quies ſunt oppoſita; ergo natura non eſt principium vtriuſque.

Reſpondeo: diſtinguendo maiorem, oppoſita hæc nullam dicant inter ſe ſubordinationem, & conſequutionem, tranſeat maior; ſin autem vnum ex illis ſe habeat, vt terminus completiuus, ad quem alterum ordinetur, nego maiorem; & diſtincta eodem modo minore, nego conſequentiam; ſiquidem motus ita opponitur poſitiuæ quieti, vt illam reſpiciat tanquam terminum ſui completiuum, imo etiam ſpecificatiuum, quia motus à termino ſuo ſpecificatur, vti dicemus.

Quærunt hic communiter Doctores vtrum cõiunctiuè, an diſiunctiuè hæ duæ particulæ ſumendæ ſint, motus ſcilicet, & quietis? & ratio dubitandi eſt, quia Cœlum per Ariſtotelem habet naturam, & tamen non habet in ſe principium quietis, ſed ſolius motus. Verum particula copulatiua, (&), quæ eſt in definitione dirimit litem hanc, dummodo coniunctio iſta ſe teneat ex parte ipſius motus, & quietis, non autem ex parte naturæ in particulari; ita vt ſenſus ſit: quod vbicunque ſit motus, & vbicunque ſit quies per motum acquiſita, ibi debeat eſſe natura, quidquid ſit deinde an in vnoquoque ſubiecto in quo natura reperitur ſit vtrumque. Ad cum planè modum, quo rectè definitur Anima ab Ariſtotele *lib.* 2. *de anima tex.* 25. Id, in quo primò viuimus, & ſentimus, & intelligimus, ita S. Th. Fonſeca, Peterius, & alij interpretãtur has particulas: vnde in Cœlo datur motus ſine quiete per talem mõtum acquiſita, & tamen dari in eo naturam certum eſt; & quidem ſub hac definitione Ariſtotelica comprehenſam, quidquid in contrarium docuerit Themiſtius, & Albertus, tum quia nuſquam Philoſophus naturam Cœli definiſſet, cum tamen ſæpe diſſerit Phyſici eſſe quid ſit Cœlum, & ſydera conſiderare: tum etiam quia expreſſe *lib.* 1. *de Cœ tex.* 50. docet: motum prouenientem à natura, vel rectum, vel circularem eſſe, porrò quod circularis motus ſoli Cœlo naturaliter conueniat, non poteſt eſſe dubium; vnde Cœlum etiam prout localiter mouetur habebit naturam; & rectè id quidem: & ſi enim dictus motus non ordinetur ad quietem ipſius Cœli, ordinatur tamen ad rectam vniuerſi gubernationem, ad quam Cœlum naturæ ſuæ inclinat, non minus, quam homo ad ſibi ſimilẽ gerandum. 7

Digitized by Google

Pro maiori autem intelligentia particulæ, (Et) in definitione positę, addo quod in eo subiecto in quo natura est principium quietis debet necessariò esse etiam principium motus; & ideò Aristoteles primo loco posuit motum, secundò verò quietem, vt scilicet notaret motum sine quiete posse esse à natura, non verò quietem sine motu. Simile quid cernitur in definitione animæ paulò ante adducta; licet enim possit dari anima vegetatiua sine gradu sensitiuo, & sensitiua sine rationali, omnis tamen sensitiua debet includere gradum vegetatiuum, & omnis rationalis vegetatiuum simul, & sēsitiuum: Atque hæc est ratio cur Aristoteles solum probet 2. *Physic.* entia naturalia habere principium motus, nullam faciēs mēcionem de probatione quietis; vt scilicet ostenderet id, quod omni naturæ absolutè competit esse motum; quietem verò non nisi simul cum motu; non quidem simultate actus, sed potentię; quatenus potentia ad quietem, nec non etiā ipsa quies semper cum potentia ad motum coniuncta est, totum hoc apertè colligitur ex 4. *Physic. tex.* 118. vbi sic: Non enim omne immobile quiescit, sed priuatum motu, aptum autem natura moueri. & sensus est, quod ad quiescendum non sufficit habere negationem motus, sed requiritur præterea capacitas ad ipsum motum habendum.

3 Huius doctrinæ occasione quærit Giattinus *in Physic. q. 4. art. 1. in fine.* An sicuti datur de facto motus circularis, & non propter quietem subiecti, ita possit saltem de possibili dari motus naturalis rectus; quoniam verò motus, qui non est propter quietem nobis videtur de se requirere perpetuitatem, ideò duas de huiusmodi motu adducit quæstiones. vna est: num dari possit corpus exigens propter bonum suum ascendere sursum, V. G. interdiu, eo quod valida Solis reflexio prope Terram illi noceret, at verò noctu cessante Solis reflexione descendere, altera verò si dari possit corpus semper ascendens motu minus, & minus veloci per partes proportionales? hoc enim corpus per totam æternitatem numquam fore perventurum ad Cœlum, mathematicè demonstratur. Vtroque modo negat hic Auctor possibilem motum perpetuum naturalem rectum, ratio eius est, quia motus rectus est à natura institutus, vt mobile acquirat aliquod bonum, vel sibi, vel rerum vniuersitati; sed hoc non posset consequi mobile per motum rectum perpetuum; non potest igitur dari talis motus. maiorem supponit; & minorem probat in primo casu sic, vel corpus illud fugiendo reflexionem Solis moueretur ab extrinseco sicuti ferrum à magnete, vel ab intrinseco; neutro modo deberet descendere, quia siuè primo, siuè secundo modo ascendisset, nulla in eo daretur causa descensus, nisi fortè dicas dari grauitatem, quod falsum esse patet, quia sic natura malè prouidisset illi dando inclinationem ad centrum, vbi Solis reflexionem sibi noxiam pati deberet; similiter in secundo casu minorem illā suadet, quia non videtur congruū naturæ quod det rei virtutem taliter se mouendi, vt numquam acquirat bonum quod per motum intendit, nimirum terminum ad quem dicti motus.

Verum ego, pace tanti viri mihi amicissimi, oppositum probabilius existimarem posse scilicet dari de possibili corpus, quod naturaliter motu recto perpetuo moueretur; ad quod probandū vtor exemplo prioris corporis nihil de posteriore curando; nulla enim videtur esse repugnantia in eo, quod dabile sit corpus, quod ex vna parte sit Terræ maximè proficuum: ex alia verò valdè lædatur exhalationibus. illis quas Terra radijs solaribus repercussa recenter exhalat; profectò cum hoc corpore rectè se natura gessisset si nullā ei virtutem loco motiuam tribuisset: sed solum exigentiam quandam, vt posito quod crearetur à Deo, intelligentiam quandam sibi assistentē haberet, sicuti Cœlum; cuius ministerio nocturno tempore terræ approprinquaret, diurno verò ab ea remoueretur. Bonum enim vniuersale terræ præponderaret ne tale corpus ex suis intrinsecis leuitatem exigeret; sed in hoc casu hoc corpus perpetuo sursum, & deorsum motu recto naturaliter moueretur, sicuti Cœlū motu circulari: ergo non est impossibilis hic motus in aliquo alio rerum ordine naturaliter dari. Ad argumentū in cōtrarium: concedo maiorem quod scilicet motus rectus tribuitur à natura, vt mobile acquirat, vel sibi, uel rerum uniuersitati aliquod bonum; sed nego minorem, in qua assumebatur qnod hoc nō posset consequi mobile per motum rectum, ad cuius probationem dico: utrumque motum causari ab intelligentia, & primum quidem ut illud conseruari diutius posset; secundum uerò ut prodesset Terræ. Iam uerò corpori sic constituto tātum abest à natura malè prouisum esse; quinimo satis prouide cum eo se gessisset; unde cum non appareat aliud caput repugnantię rectè possibilitas huius perpetui motus naturaliter concedi potest; sed hæc satis.

Dicitur tertiò: In eo in quo est, duplex enim datur motus, & quietis principium; Alterum extrinsecum rei, quæ moueri, & quiescere dicitur; alterum uerò illi intrinsecum, & essentiale; per hæc autem uerba docet Aristoteles, naturam esse principium huius secundi generis, scilicet intrinsecum, non autem primi: quod etiam docuit 9. *metaph. tex.* 33. dicendo principium motiuum esse naturam, non tamen in alio, sed in ipso quatenus ipsum.

Male igitur existimauit Zabarella *lib. de nat. cap. 1.* cum Simplicio, & alijs naturam formaliter sumptā esse etiam principium motus extrinseci, & operationum transeuntiū. Hoc enim præter quam quod est contrā Aristotelē uti uidimus, repugnat etiam rationi; siquidem ex eo sequeretur Deum, & Angelos esse naturam Physicam, quatenus sunt in extrinsecis corporibus principia motus, & quietis physicæ, quod est omninò falsum: natura igitur habet primò, & per se quod sit principium motus immanentis, in eo scilicet subiecto, in quo ipsa est. Quod si etiam est principium motus transeuntis, in extrinseco scilicet subiecto, hoc habet secundariò, & per accidens; sicuti enim ea, quæ ad intrinsecam, & propriam perfectionem pertinent, sunt priora, & expetibiliora ijs, quæ ad extrinsecam, & alienam: ita natura respicere debet per prius motū, & quietem immanentē, quæ illam perficiunt, quam motum, & quietem transeuntem, quæ perficiunt alia realiter:

à ſe diſtincta. Porrò in eo priori ſatis ſuperque intelligitur in ſuo eſſe conſtituta, non igitur habet, quod ſit natura per hoc, quod ſit principium motus. aut quietis extrinſecæ.

10 Dies primò: cum Zabarella, Ariſtot. *hic tex.* 80, probat naturam agere propter finem, ex eo quod araneus naturali inſtinctu telam ſuam texit, & hirũdo ſuũ nidũ fabricatur, & *tex.* 13. quia res naturales per illam ſibi ſimile producunt, itẽ *ſecundo de Anima tex.*, 4. ait naturaliſſimum operum, quæ in viuentibus ſunt eſſe facere aliud, quale ipſum; ſed texere telam; nidum fabricare: producere ſibi ſimile; & aliud, quale ipſum eſt generare, ſunt actiones tranſeuntes; natura igitur formaliter ſumpta eſt principium, non ſolum operationum immanentium, ſed etiam tranſeuntium.

Reſpondeo Ariſtot. *tex.* 80. vel argumentari à paritate rationis, ideſt quod ex eo, quod in operationibus tranſeuntibus animalia agunt propter finem: aſſerendum nobis ſit, quod natura in ſuis operationibus immanentibus finem ſemper intendat: vel ſi directè argumentatur de natura, quæ in ipſis animantibus reperitur, dicendum cenſeo, eũ loqui de operationibus immanentibus, quæ dum araneus telam texit, & nidum hirundo conſtruit intercedunt; videlicet de motu locali, de motione fantaſiæ, de actu cõcupiſcẽtiæ, &c. *tex.* verò 13. aio Philoſophũ argumẽtari ad hominem contrà Antiphontẽ, qui ideò putabat non formã, ſed materiam, eſſe naturam, quia videbat quod materia ſibi ſimile produceret, non autem forma, & hoc probabat ex lecto defoſſo in Terram, qui ſi germinat non formam lecti, ſed lignum, quod eſt eius materia producit; contrà quem ſic inſtat Ariſtoteles ex propriis principiis illum conuincens: forma naturalis producit ſibi ſimile in natura, vt homo hominem, ignis ignem ergo & forma hæc eſt cenſenda natura. Cæterum licet forma naturalis ſecundum rei veritatem ſit natura, non tamẽ concedit Philoſophus per hoc, quod ſibi ſimile in natura producit eſſe naturam.

Denique ad *tex.* 34. ex ſecundo de anima deſumptum dico ibi ſermonem eſſe de effectione alterius, quale ipſum, inchoatiua; quæ in viuentibus conſiſtit in ſola ſeminis efformatione, quæ fit per immanentem operationem: non autem de completiua, hoc eſt de introductione formæ ſubſtantialis, quæ eſt actio tranſiens, quibus explicationibus poſitis diſtinguo minorẽ: facere telam, nidũ fabricare, & producere aliud quale ipſũ ſũt actiones tranſeuntes, ita vt intercedãt etiã immanẽtes, cõcedo minorẽ: ita vt nõ intercedãt hę, nego minorẽ, & conſequentiã nullam facio de *tex.* 13. mentionẽ quia ad illũ patet reſpõſio ex dictis.

11 Dices ſecundò: non minus naturale eſt igni calefacere alia corpora, quam ire ſurſum; ſed hoc profluit ex eius natura; ergo & illudi natura igitur eſt principium operationum, non ſolum immanentium, ſed etiam tranſeuntium.

Reſpondeo: diſtinguendo maiorem, non minus naturale eſt igni calefacere: hoc eſt non minus prouenit ab eſſentia ignis calefacere, quam ire ſurſum, concedo maiorem: non minus naturale eſt, hoc eſt non minus prouenit ab eius natura formaliter ſumpta vnum, quam alterũ, nego maiorem; & conceſſa minore; diſtinguo eodem modo primum conſequens; prouenit ex natura, hoc eſt ex eſſentia ignis calefacere, concedo conſequentiam; prouenit ex natura illius formaliter ſumpta nego primam, & ſecundam conſequentiæ: quemadmodum enim naturale, ita & natura in hoc argumento æquiuocè ſumitur.

12 Dicitur quartò: Primum, vel primò iuxta duplicem connectendi modum; qui enim hanc particulam cum particula principium, vel cauſa cõnectunt, vt facit Iamdunus adiectiuè, ſumunt, *ly* primum, & ita explicant vt ſenſus ſit quod natura debeat eſse primum, & principale motus, ac quietis principium, quemadmodum eſt ſola materia, & ſola forma ſubſtantialis, non autem ſecũdarium, & inſtrumentale, ſicuti ſunt accidentales formæ, vt ſunt primæ qualitates, artes, potentiæ &c. quæ ſemper ſupponunt radicale principium, quod eſt ſubſtantia; qui verò illam cum particulis *in* quo eſt &c. coniungunt, vt facit D. Th. &. alij, aduerbialiter vſurpant vt ſenſus ſit quod natura *in illo* corpore *in* quo tanquam *in* ſubiecto denominationis eſt motus, & quies debeat eſſe primò hoc eſt eſſentialiter; ſiquidem nihil poteſt eſſe in aliquo prius quam eſſentia ſui ipſius; & ſic omne accidens excluditur à ratione naturæ, quia ſemper aduenit ſubiecto *in* ſuo eſse iam conſtituto, vtraque expoſitio placet.

13 Dicitur denique quintò: per ſe, & non ſecundum accidens; quę particulæ coniungendæ videntur cum particulis principium, & cauſa; cum enim principium, & cauſa motus, & quietis poſſit eſſe duplex; alterum per ſe, alterũ verò per accidens, notat Ariſtoteles naturam eſse principiũ, & cauſam per ſe, & non per accidens, quod ſcilicet ex propria ratione ad motum, & quietem inclinet, diſtinguntur autem hæ duæ particulæ; ſiquidem poteſt aliquid ineſse primò, & per ſe in compoſito. imo & per ſe etiam eſse cauſa motus; ſed non quatenus ille motus eſt in dicto compoſito; vt patet ex arte medica reſpectu Medici ſeipſum ſanantis, ea enim non eſt ordinata per ſe ad ſanandum hominem in quo eſt. Porrò definitio ſic explicata quod ſit rectè tradita patet ex eo, quia rectè eſſentiam naturæ declarat, & eam à quacunque alia re ſufficienter diſtinguit.

SECTIO SECVNDA.

Diluuntur obiecta contrà naturæ definitionem à nobis explicatam.

14 OBijcies primò: ars canendi eſt principium per ſe cantus artificialis, & primò ineſt muſico vt muſicus eſt; & tamen non eſt natura per Ariſtotelem; naturæ igitur definitio non eſt rectè tradita.

Reſpondeò: artem canendi non eſse primum principium, ſeu primam cauſam actus artificialis, quia cum ſit habitus naturalis ſupponit non ſolũ potentiam primam radicalem actuam in homine, ſed etiam formalem ad canendum, & ſolum dat facile poſse. Quod ſi particulam, Primò connectimus cum illis aliis, in eo in quo eſt, dico, muſicam non eſse abſolutè primam in homine, qui denominatur muſicus, prius enim in eo ſunt par-

Digitized by Google

partes essentiales anima, scilicet, rationalis, & corpus illum in ratione hominis constituētes, sed solum esse primam ex suppositione, quatenus constituit subiectum in quo est in ratione musici; verba autem definitionis sumenda sunt absolutè.

15 Obijcies secundò: Definitio hæc naturæ traditur per ordinem ad effectum; motus enim est effectus naturæ; ergo non est definitio essentialis respectu naturæ.

Respondeo: negando consequentiam; sicuti enim esse formalem potentiam receptiuā est de essentia materiæ, ita esse radicale principiū effectiuum operationum immanentium est de essentia formæ.

16 Obijcies tertiò: Natura vel est principium radicale, vel formale motus; neutrum dici potest; ergo &c. minor probatur: non potest dici primum, quia sequeretur materiam non esse naturā, hæc enim, vti vidimus, est principium passiuum formaliter, & essentialiter: neque secundum, quia sequeretur quod forma substantialis non esset natura, ea enim est principium actiuum radicale, & operatur per suas potentias, tanquam per instrumenta.

Respondeo: ad antecedens, naturam secundum se consideratam ab vtraque ratione præscindere, dummodo enim ceteras habeat conditiones, si est principium formale, uel radicale parum curat; in inferioribus autem suis vtrumque complectitur, quia ut probat Argumentum, & est principium formale passiuum, & radicale actiuum, saltem respectu alicuius motus, & quietis.

17 Obijcies quartò: Hæc definitio conuenit naturæ Angelicæ; sed hæc non est natura physica, quā solam Aristoteles intendit definire; ergo huiusmodi definitio non est admittenda: maior patet, quia Natura Angelica est principium, & causa motus, & quietis Angelicæ in eo in quo est primò per se, & non secundum accidens; minor etiā est euidens, alioquin Angelus esset obiectū Physicæ; ergo &c.

Respōdet Quiros ad hoc argumentum *disput. 50. sect. 1. n. 4.* concedendo maioré, quā cōsequenter ad ea, quæ de natura Physica docet Aristoteles ipse videat. Quare Respondeo ego negando maioré nō propter rationé, quā adducit Giattinus ex Arriaga *disputat. 6. sect. 1. num. 5.* videlicet quia Angelus non inest primò, & per se alicui subiecto, cum sit essentialiter simplex. Contrà enim hoc est, quia si accipiatur Angelus, vt persona est totum quoddam constans ex personalitate in recto, & ex natura in obliquo; atque adeò verificetur de eius natura, quod in eo insit primò, & per se, ac non secundum accidens: eo prorsus modo quo ipse Arriaga eodem loco putat, quod humanitas propriè sit natura, quia inest supposito, respectu cuius est pars: quare valde suspicor, quod auctor nō loquatur de Angelo sūpto secundum naturam, sed secundum personam, cum præsertim ille ex eodem capite excludat Angelum ab hac definitione, ac ipsum Deum; sed quidquid sit de hoc certè Deus melius à dicta definitione excludendus videtur per hoc, quod nullius motus; & quietis immanentis in se sit principium, quam quod ipse non insit primò, & per se alicui subiecto; Cæterum ratio quæ me mouet ad maiorem illam negandā est, quia nomine motus, & quietis solus sensibilis, ac materialis venit in dicta definitione ex mente Aristotelis; qui dū vt Physicus loquitur, eius verba etiam si absolutè prolata ampliorem habeant significationem, non nisi prout ad materiam sensibilem coarctātur accipienda sunt; quantum denique ad id quod dicebat Arriaga de humanitate, quod hac definitione compræhendatur existimo falsum esse, quia licet respectu suppositi sit pars: at non primò illi inest si absolutè loquamur, siquidē constare supponitur ex materia, & forma tanquam ex prioribus partibus ipsam componentibus. Verum contra hoc quod dicimus facere videtur, quia Philosophus 5. *metaph. tex. 5.* hæc habet: natura igitur quod ex ambobus est nēpè ex materia, & forma vt animalia, & partes eorum; ergo compositum naturale ex materia, & forma constans in sententia Aristotelis rectè censeri debet natura. Respondeo de mente Aristotelis non posse esse dubium. hic enim 2. *Phys. tex. 11.* sic habet: quod autem ex his (hoc est compositum ex materia, & forma) natura quidem non est, sed à natura, vt homo, & magis natura hæc est, ideſt, forma, quam materia: sic enim habet, antiqua translatio, nec non etiam translatio PP. Conimbricensium. quod si versio Ioānis Argyropoli reddit sic: quod ex his est compositum, natura quidem non est, sed est, & constat natura, ne Philosophus videatur eodem loco pugnantia dicere: illud (sed est) non est coniungendum cum prioribus verbis, sicuti putat Ouiedus *contro. 6. punct. 2. num. 9.* dum ait sensum esse compositum non esse naturam tantū, sed ita esse naturam, vt constet etiam natura; particulam, tantum, in prioribus gratis confingendo debet igitur cōiungi potius cum posterioribus, ita vt quando dicitur compositum non esse naturam, negetur de eo natura in recto, quando verò subditur quod sit, & constet natura, affirmetur de eo natura in obliquo, ex quo patet responsio ad locum, ex metaphysicis deductum. Dico enim ibi vocem, natura non esse nominatiui casus, sed ablatiui, atque adeò non significare naturam in recto, sed in obliquo; vt sensus sit, quod compositum ex materia, & forma sit naturale, vel à natura, & hoc etiam modo intelligendus est *tex. 1. lib. 2. Physic.* vbi dicitur natura quidem sunt, & animalia, & partes ipsorum, & Plantæ, &c.

Dices Aristot. *loc. cit. ex metaph.* paulò post sic 18
habet: ex dictis itaque prima, & quæ propriè dicitur, natura est substantia eorum, quæ in seipsis, vt ipsa sunt motus principium habent; tum sic: hoc loco sumitur natura in recto, & dicitur esse substantia compositorum, sed substantia compositorum est composita ex materia, & formā; ergo &c.

Respondeo: explicando Philosophum. ipse 19
enim ibi Nomine substantiæ, non intelligit totā essentiam compositi, sed solam formam, quia dat speciem, vnde dicitur quod quid rei, & prima, ac magis propria natura, quam sit materia. alio posito ad argumentum neganda est minor.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Vtrum omnis forma substantialis sit Natura.

20 Conclusio est affirmatiua; & est expressa sententia Aristotelis; qui *tex.* 10. ait (*formam* intellige tu substantialem *esse naturam*) & deinceps probat eam esse magis, hoc est, principalius naturam, quam materiam, & sæpè alibi.

Probatur autem quia quæcunque forma substantialis est principium alicuius motus, & quietis in eo, in quo tanquam pars essentialis reperitur; ergo existimanda est esse natura; Antecedens probatur partium enumeratione; Primò enim elementorum formæ non solum sunt principia motus localis, & quietis; sed etiam alterationis omnis perfectiuæ, qua se elementa ad statum naturalem reducunt. Secundò formæ mixtorum inanimatorum sunt principia suarum operationũ, & motuum, quibus proprium temperamentũ deperditum sæpè acquirunt; Tertiò formæ Plantarum sunt vegetationis principium, quę in ipsis plantis, tanquam in subiectis recipitur. Quartò animæ sensitiuæ principiant in animantibus sensationes: quæ sunt operationes immanẽtes. Quintò anima rationalis etiam, vt rationalis, est principium intellectionum, atque volitionum, quæ quatenus fiunt ab ea in corpore existente pendẽt à phantasmatibus, atque adeò habent rationem motus physici, hoc est sensibilis, quia sunt per se connexi cum motu phantasiæ, & imaginationis, qui sensibilis est; quod si ab aliquibus huiusmodi intellectiones, & volitiones nostræ dicuntur sensibiles per accidens: hoc non debet intelligi, quod contingenter sint tales; sed quod per aliud. est etiam eadem anima principium risus, & fletus, motus progressiui, atque localis, quietis in ratione actus liberi; qui quidem motus ab ea reduplicatiuè sumpta, quatenus scilicet rationalis est, causantur; ex quibus patet, quod omnis forma substantialis est alicuius motus, & quietis principiũ in eo subiecto, in quo tanquam pars essentialis reperitur.

21 Obijcies primò Aristoteles in definitione naturæ vsus est verbo passiuo dicens: Naturam esse principium, vt moueatur; ergo forma quæ est Actiuum principium motus non est natura.

Respondeo: Philosophum loco citato vsum esse verbo medio passiuam simul, & actiuam significationem habẽte, vt ostenderet tum actiuum principium motus immanentis, tum passiuum esse naturam; quod si aliquando naturam in ordine ad solum motum passiuum explicat, vt *lib.* 2. *tex.* 5. dicens: quod ignis secundum naturam fertur sursum: est quia principium actiuum propriè per illum est principium trasmutandi aliud in quantum aliud, vt patet ex 5. *metaph. tex.* 15. quod non habet forma, quatenus est principium operationum immanentium.

22 Obijcies secundò: Idem 8. *metaph. tex.* 29. agẽs de rebus inanimatis ait. Quod ipsa à seipsis impossibile est moueri, cuius rationem reddit dicẽs: vitale enim hoc, & animatorum est proprium; ergo formæ inanimatorum non sunt natura.

Respondeo: ibi Aristotelem negare rebus inanimatis solam incohationem effectiuam motus, quam concedit animantibus; non autem effectiuã prosequutionem; vult enim ille quod incohatio motus rerum inanimatarum semper sit tribuenda vel generantibus, vel remouentibus prohibens, per hoc autem non negat quod eædem res inanimatæ prosequantur efficienter motum suum, vt patet in lapide deorsum se mouente.

Obijcies tertiò: Natura, vt docet Arist. 1. *Cœli tex.* 4. est determinata ad vnum motum, sed anima est principium motuum oppositorum; augmentationis scilicet, & diminutionis ascensus; & descẽsus, risus, & fletus, & sic de cæteris; ergo saltem anima non est natura. 23

Respondeo: Aristotelem loco citato vel loqui de sola natura corporis simplicis, de qua ibi agit; vel naturę nomen magis rigorosè sumere illo loco, quam hic 2. *Physic.* vtraque autem explicatio stat cum nostræ conclusionis veritate. Quod si neutri acquiescas, dic; quod etiam si natura sit principium motuum oppositorum, nihilominus tamen semper habet vt sit proximè determinata ad vnum, vel à se, si libere agit, vel ex circumstantijs, si necessariò.

Obijcies quartò: idem 1. *de partibus animalium cap.* 1. probat multis argumentis non pertinere ad physicum animam rationalem, secundum quod intellectiua est; alioqui enim de omni substantia intellectiua, deque omni re intelligibili a Physico agendum esset; ergo anima rationalis secundum quod intellectiua est non est natura. 24

Respondeo: rationalem animam secundum quod spiritualis est, & intellectiua, dupliciter considerari posse; primò quatenus habet gradum intellectiui, per quem conuenit cum intelligentijs omninò separatis à materia, præscindendo à diuerso modo operandi, secundum quem differt ab illis: secundò quatenus habet dictum gradum intellectiui contractum ad esse formæ informantis, & intelligentis dependenter aliquo modo, à sensibus, & phantasmatibus. Iam verò Philosophus loco in obiectione citato illam primo modo cõsiderauit, & ideò asseruit eam ad Physicum non spectare; non autem secundo modo, quia sic est verè forma physica, & principium intellectionis, quæ licèt secundum se motus Physicus non sit, est tamen quatenus exercetur cum motu phantasiæ, & imaginationis, qui sunt motus materiales, atque sensibiles. 25

Obijcies quintò: Idem 2. *Physic. tex.* 12. docet quod forma, quæ est natura solum ratione, & non realiter sit à materia separabilis; sed anima rationalis est separabilis realiter à materia; ergo per Aristotelem anima rationalis non est natura. 26

Respondeo: Philosophum loco citato loqui de forma non specificatiuè, sed reduplicatiuè, quatenus, scilicet est natura, quia natura vt natura, cum sit motus sensibilis principium, nequit esse sine materia, quam semper consequitur sensitiuitas; ideò distinguo minorem illam; Anima rationalis est realiter separabilis à materia: prout intellectiua est, concedo minorem; prout intellectiua sensibiliter est, seu prout est intellectionis sensibilis principium, nego minorem; & consequentiam

Digitized by Google

lum. Ad hoc enim vt rationalis anima dependeret à phantasmatibus intelligat, necessariò existere debet in corpore, & non potest ab eo separari, nisi per intellectum.

SECTIO QVARTA.

An, & quomodo materia sit natura.

27 CErtum est apud Aristotelem materiam naturæ rationem habere, vt patet ex 2. *Physic. text.* 7. vbi sententiam approbat antiquorum, qui materiam esse naturam asserebant, & ex *text.* 4. vbi sic habet: Subiectum quoddã, id est materia, & in subiecto est natura semper, & ex *text.* 12. in quo docet: Formã esse magis naturam, quam materiã & ex *text.* 81. dicens: duplicem dari naturam, alteram vt formam, alteram vt materiam.

Præterea veritas hæc vlterius probatur ex eo, quia materiæ quatenus est principium passiuum motus, & quietis corporum naturalium, natura definitio rectè competit. Quoniam verò ipsa dupliciter considerari potest. Primò secundum se: Secundò quatenus per formam aliquam substantialem determinatur ad essendum potius partem huius compositi, quam alterius; Hinc inter auctores controuertitur, an ipsa sit natura primo modo, hoc est independenter à forma substantiali considerata: an potius quatenus determinatur per illam? & si hoc secundo modo est Natura dum ita, vt ipsa forma sit eius ratio formalis, per quam in esse naturæ constituatur, an verò sit solũ conditio, & connotatum, quo posito ipsa per se ipsam rationem naturæ possideat pro quibus sit.

28 Prima Conclusio, materia prima secundum se & præscindendo à determinatione formæ substantialis non est natura, est Sancti Thomæ, Themistij, Simplicij, Auerrois, Philoponi & aliorum contrà Scotum, Fonsecam, Conimbricenses, & alios.

Probatur primò: ex Aristotele, qui *primo de partibus animalium cap.* 1. probat Physico magis de anima, quam de materia agendum esse, ex eo quia materia propter animam, & nõ anima propter materiam est natura, & 5. *metaphys.* docet proprièformam esse naturam: materiã, inquiens, eo quod huius, id est, formæ susceptiua natura dicitur: & paulò ante hæc habet: metaphoricè omninò omnis substantia natura propter hanc, id est formam, dicitur. Denique *text.* 11. *lib.* 2. *Physic.* docet materiam non esse actu naturam, nisi quando est sub forma, quod probat hoc simili, quemadmodum enim lignum non dicitur secundum artem, nisi quando est sub forma artis: ita materia nõ dicetur secundum naturam nisi quãdo actu formam habebit.

29 Probatur secundo ratione, quia materia secũdum se nõ habet conditiones à natura requisitas, ergo nulla est natura. Antecedens probatur primò. Natura enim debet esse pars determinati cõpositi, vt patet ex verbis definitionis: est causa motus eius in quo est; sed materia secundum se considerata est indifferens ad hoc vt sit potius pars huius compositi, quam alterius: ergo &c. Secundò quia Natura debet ad certum, ac determinatum motum inclinare, non autem indifferenter se habere ad quemcunque; alioquin nullus daretur motus, qui ex eo, quod esset naturali contrarius appellari posset violentus. Sed materia secundum se, cum sit vniuersalis potentia, æque primò ad quemcunque motum inclinat: ergo materia secundum se considerata non est natura; Tertiò denique quia, natura numquam inclinat ad malum rei, cuius est natura; materia autem secundum se inclinat ad motum positiuum, qui est destructiuus compositi, cuius ipsa est natura; ergo &c.

Secunda Conclusio, materia quatenus est determinata per formam substantialem est natura. 30

Probatur: tum quia sic determinata omnes naturæ conditiones participat: tum etiam quia, ipsa, vt vidimus, est natura: sed non secundum se; ergo quatenus est determinata per formam. Ex quo patet in quo sẽsu Aristoteles 2. *physic. text.* 22. dixerit formam esse magis naturam, quam materiam, quia, scilicet, materia ad hoc vt sit natura, indiget determinatione formæ, forma verò cum sit secundum se pars determinati compositi, nullius indiget determinatione.

Tertia Conclusio, forma non est ratio formalis cur materia sit natura, sed sola conditio, sine qua non, & connotatum necessarium; est communis contrà Zabarellam *lib. de natura cap.* 7. 31

Probatur primò: quia si forma esset ratio formalis, cur materia naturæ rationem haberet; duo sequerentur absurda. Primò quod vna tantũ esset natura in composito, sicuti vna albedo propter eamdem rationem reperitur in albo; sed hoc est expressè contra Aristotelem hic *text.* 81. vbi ait duplicem reperiri naturam in omni composito substantiali, alteram vt formam, alteram vt materiam; ergo &c. sequeretur etiam secundò quod materia non posset dici in abstracto natura, sed ad summum naturalis; quia nulla forma denominat suum subiectum in abstracto, sed in concreto solum, contrà eundem Aristotelem, ac rationem; ergo &c.

Probatur secundò: quia materia quatenus determinata per formam tanquam per conditionẽ, sine qua non, optimè intelligitur esse in se principium determinati motus, & pars determinati compositi, in quo sit primò, per se, & non secundum accidens; ergo sic considerata habet essentiam naturæ.

Obijcies primò: contrà primam conclusionẽ: materia secundum se est principium, & causa generationis substantialis: ergo secundum se, & independenter à forma est natura; Antecedens probatur quia materia ligni V. G. inclinat ad generationem ignis, non quidem quatenus est in ligno neque quatenus est in igne, qui non dum intelligitur esse, sed secundum se: consequentia patet, quia generatio est motus naturalis respectu ipsius materiæ: ergo &c. Respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem dico generationem non dici motum naturalem ex eo, quia à natura formaliter sumpta proueniat; sed vel quia est via ad formam, quæ absolutè dicitur natura, vel quia vires causarum naturalium. & maximè materiæ non excedit; cæterum quod materia non sit natura respectu motus generationis patet ex eo, quia respectu illius se habet, vt potentia vniuer- 32

uersalis, non uerò prout est principium in eo, in quo ipsa est; quia sic inclinaret ad malum eius, cuius est natura formaliter, quod est absurdum.

33 Atque ex his facilè soluitur illa difficultas, qua probatur non dari motum violentum in mundo, ex suppositione quod materia de se ad omnes prorsus motus inclinet; Ea autem erat huiusmodi: motus violentus est ille, qui fit nullam vim ad illum conferente passo; sed hoc ipso quod materia inclinat ad omnem motum, & omnem causat, iam confert vim ad illum passum, in quo ipsa esse supponitur tanquam pars. Nullus igitur videtur debilis motus violentus in rebus naturalibus: soluitur, inquam, huiusmodi difficultas facilè si dicamus, quod licet materia, vt potentia vniuersalis inclinet ad motum omnem etiam violentū composito, in quo est: non tamen inclinat ad illū vt natura est illius compositi, quia ut talis non nisi ad motus determinatos in bonum compositi tendentes inclinat, atque adeò de motu corruptiuo compositi V. G. de calefactione aquæ verificatur, quod fiat in aqua nullam vim conferente ipsa aqua; si quam enim conferret maximè ratione materiæ primæ dictum motum causantis, sed hæc non causat illum quatenus est natura aquæ, alioquin determinaretur à forma aquæ ad dictum motum causandum, quod tamen est falsum; solum enim ab agente extrinseco ad illum determinatur; ergo verum est dicere dictum motum fieri in aqua nullam vim conferente ipsa aqua. non est igitur cur non sit admittendus in nostra sententia motus violentus.

34 Obijcies secundò: *Arist. 5. metaph. tex. 56. & 57.* quamdam corruptionem docet esse violentam, quamdam verò secundum naturam, quam distinctionem *lib. de senectute cap. 3.* applicat ad duplex genus extinctionis ignis, & *cap. 14.* mortis; sed corruptio secundi generis non est secundum naturā in quantum est via ad Naturam, vel alio modo; ergo dici debet quod fit secundum naturam, in quantum prouenit à materia, quæ secundum se est natura.

Respondeo: corruptionem appellari à Philosopho aliquando naturalem, quia aliquando procedit secundum ordinarium cursum causarum naturalium, quæ naturæ nomen sibi vendicare solent: ad corruptionis violentæ differentiam, quæ præter illarum ordinem, & cursum contingit: sic lucerna V. G. si ex defectione olei vel lychnij; seu gossipij extinguatur, naturaliter censetur extingui; sin autem ex eo quod eius flamma includatur operculo, violenter; qua posita explicatione, nego minorem.

Obijcies tertiò: omnis ille motus de quo Arist. *lib. 3. physic.* agit prouenit à natura; sed ibi agit etiam de motu corruptiuo, & de generatione; ergo vterque motus prouenit à natura, sed non à forma, neque à materia prout est coniuncta cum forma; ergo à materia secundum se. Maior patet ex initio *lib. 3.* vbi ait sibi agendum esse de motu, quia eo ignorato, ignoratur natura; minor etiam probatur ex *tex. 4. 5. & 6.* eiusdem libri.

35 Respondeo: negando maiorem; ad Aristotelem verò dico ipsum *lib. 3.* loqui de motu in communi, & in genere; eo enim ignorato ignoratur etiam natura, quæ est causa aliquarum specierum dicti motus; valet enim à destructione generis, seu consequentis argumentari ad destructionem speciei, & antecedentis; ex hoc tamen non sit vt omnes species motus de quibus ibi mentionem facit ex occasione motus in genere proueniant à natura.

Obijcies quartò: materia secundum se inclinat ad omnes motus, & formas; ergo secundum se est natura. 36

Respondeo: distinguendo antecedens, inclinat ad omnes motus, & formas quatenus potentia quædam est vniuersalis, & primum subiectum, concedo; quatenus natura est, nego antecedens, & consequentiam. & ratio negationis est, quia natura essentialiter habet, vt alicuius compositi substantialis si natura.

Obijcies quintò: contrà secundam conclusionem; forma non potest esse actu natura, nisi connotet materiam, cum qua faciat vnam per se; ergo forma non debet ab Aristotele dici magis natura, quam materia; ex eo quod materia sit natura dependenter à forma; Antecedens probatur; quia natura est principium motus eius in quo ipsa est; forma igitur ad hoc vt sit natura debet in cōposito reperiri, & consequenter connotare coniunctionem cum ipsa materia. consequentia patet paritate rationis. 37

Respondeo: distinguendo antecedens: forma non potest esse actu natura nisi connotet materiā tāquā compartem ad faciendum vnum, concedo; tanquam etiam determinatiuum sui ad hoc vt sit potius pars huius quam alterius compositi, nego antecedens, & consequentiam. ad cuius probationem dico: disparitatem esse in eo, quod forma ad habendam rationem naturæ pendet à materia solum, tanquam à comparte, quia ex se habet, & independenter ab illa, vt ad hoc potius compositum in specie seu formaliter consideratum pertineat, quam ad aliud; Materia verò non solum pendet à forma, tanquam à comparte, sed etiam tanquam à determinatiuo, quia ex se ad omnes species compositorum naturalium constituendas est indifferens. quare, quoad determinationem, forma ex se est natura, quia non expectat determinationem ab alio, non sic autem materia. Quod si eadem numerò forma ignis V. G. Cum hac numerò materia hunc ignem numerò constituit, cum illa verò illum alium numericè à priore distinctum: etiam eadem numerò materia cum distinctis numerò formis ignis distinctos numerò ignes componit. Quare in hoc æque pendent ad inuicem, quatenus sunt partes componentes compositorum, quæ materialiter considerata suam numericam vnitatem à partibus numericè sumptis accipiunt.

Obijcies sextò: Contrà tertiam: nisi materia esset natura per formam tanquam per rationem formalem; sequeretur quod in vnoquoque compositio duplex natura esset assignanda, sed hoc videtur absurdum, quia vnius compositi vna est natura: non duplex; ergo &c. 38

Respondeo: concessa sequela, negando minorem; ad cuius probationem dico, quod in ea propositione, naturæ nomen sumitur pro essentia, in quo sensu verificatem habet; non autem pro natura

hic

Digitized by Google

hic ab Aristot. definita; alioquin falsum esset quod
61 assumitur.

39 Obijcies septimò: si materia esset natura per formam tanquam per conditionem, maximè quia sic esset passiuum principium determinati motus; sed hoc ad rationem naturæ non sufficit: ergo &c. Sequela patet. minor probatur, quia etiam forma est principium passiuum suarum operationum saltem aliquarum, atque proprietatum, quæ in illa recipiuntur; & tamen per hoc non dicitur esse natura etiam si sit in composito: ergo neque sufficit materiæ ratio principij passiui.

Respondeo: concessa sequela, negando minorem ad cuius probationem dico, quod forma etiã
62 quatenus est principium passiuum aliquorum motuum naturæ rationem habet, vt patet in forma Cœli; quæ solum prout inclinat ad recipiendum motum, qui ab Angelo in Cœlo fit competit illi naturæ definitio: non negauerim tamen per hoc præcisè formam non habere rationem naturæ à materia condistinctam: debemus igitur pro huiusmodi distinctione recurrere ad diuersitatem assignatam, vt de se patet.

SECTIO QVARTA.

An omne Corpus sit necessariò mobile.

40 HÆc quæstio occasione eorũ, quæ dicta sunt de natura, instituitur; & potest dupliciter exagitari: primò de lege ordinaria, an scilicet detur de facto aliquod corpus naturaliter immobile, licet non repugnet moueri diuinitus. Secundò in ordine ad Diuinam potentiam, num scilicet, sit possibile corpus aliquod, quod ita essentialiter exigat esse immobile, vt ne quidẽ diuinitus moueri possit. Quoniam verò motus diuiditur communiter in localem & alteratiuum, quo videlicet corpus aliquam qualitatem acquirit, de vtraque mobilitate in ordine ad vtramque potentiam breuiter agendum erit. sit igitur pro quæstione in primo sensu intellecta.

41 Prima Conclusio, de facto omne corpus est naturaliter mobile, siue loquamur de mobilitate in ordine ad locum, siue etiam in ordine ad qualitatem. est contra Giattinum *quæst. 4. physic. art.* vbi docet de facto dari corpus, quod est Cœlum Empyrium naturaliter immobile quocunque motu locali, nullam habens inclinationem naturalem ad dictum motum, quod si supponamus huiusmodi Cœlum esse corpus simplex, non cõstãs materia, & forma, sicut ponebat Auerroes omnes Cœlos, sit illud esse de facto immobile naturaliter etiam motu alterationis. Nostra tamen assertio probatur, quia neutro modo Cœlum Empyrium est naturaliter immobile: ergo omne corpus est de facto naturaliter mobile. consequentia patet, antecedens probatur, & primò quidem quantum ad immobilitatem in ordine ad locum, quia Cœlum Empyrium non est de facto tale, vt si diuinitus inferiores orbes motu recto à Deo moverentur versus Orientem V. G. ipsum exigeret cum illis moueri: sed hic motus non esset illi in tali casu naturalis: ergo falsum est Cœlũ Empyrium esse immobile naturaliter quocunq; motu localis maior mihi videtur certa, cõtrà enim naturam eius esset immobilitas in eo casu, siquidem de ratione empyrij est omnia corpora in se continere siue solum localiter, siue aliquid in ipsis etiã operando; quare si Deus inferiores Orbes miraculosè moueret versus Orientem, & compenetrando illos cum Empyreo, transferret ad aliud spatium, ita vt Empyrium relinqueret immobile, profectò hoc corpus violenter in spatio in quo nunc est permaneret, vnde si ei daretur optio libentius ad motum inferiorum orbium moueretur, quam in eodem loco persisteret, & sic exigeret cum illis moueri.

42 Confirmatur, quia quando inciperent cum illo inferiores Orbes compenetrari, vt egrederentur, iam imminerent vacuum in toto Empyrij cõcauo; ergo ad illud impediendum haberet Empyrium exigentiam, cum illis se mouendi. Quod autem huiusmodi motus esset illi naturalis, quærebat minor probanda, suadetur ex eo quia omnis ille motus, qui fit iuxta exigentiam, & inclinationem naturalem mobilis est illi naturalis; sed hoc modo fieret dictus motus à Cœlo Empyreo quia fieret vt statum suum naturalem, ac perfectionem sibi debitam retineret, quæ in continendo in se omnia consistit: ergo ille motus rectus esset illi in tali casu naturalis. Neque dicas primò quod sicuti talis motus rectus inferioribus orbibus esset violentus, ita & empyrio, quod ad motum illorum moueretur. Nego enim sequelam; siquidem posito illo miraculoso inferiorum orbium motu, si empyrium sibi relinquatur, vtique ex sua specifica inclinatione illos comitaretur potius, quàm quiesceret; ergo licet rectus dictus motus non esset naturalis orbibus esset tamen naturalis empyrio. Neque addas secundò, non dari potentiam primã, & per se ordinatam ad effectum miraculosum, huiusmodi autem fore hanc potentiam in Cœlo empyrio: non enim reduci posset ad actum, nisi posito illo miraculo. contrà enim illa est, quæ quoties per eandẽ indiuisibilem potentiam plura fieri possunt, sufficit si vnum ex his naturaliter haberi possit, vt illa potentia non censeatur frustra. Atqui empyrium per eandem potentiam respicit motum & quietem; ergo ne censeatur frustra, sufficit quod illo præsupposito miraculo quiescat, ad eum planè modum, quo potentia quæ habet connexionem ex ad motum debitum propter eandem materiam non censetur omnino frustrari: ita &c.

43 Neque regerias tertiò quod sicuti modo quo mouentur corpora ad impediendum vacuum relinquendo suum naturalem situm videmus talia corpora sumere violentum, & non naturale, sic esset hic motus empyrio. ergo &c. minus bene.

Respondeo enim primò quod quemadmodum dicunt Philosophi quod loci motus, quo corpora ad impediendum vacuum exeunt proprij loci mouentur, ita similis videndus est secundum aliquam proprietatem consideratam, dici tamen esset etiam vtrum partes vniuersi sint ita dispositæ, vt possint secundo illo modo empyrio quod sufficeret ad motum in tempore ex eo, quia ob eam causam dicitur quod scilicet omne corpus sit naturaliter mobile ad aliquem motum localem.

Digitized by Google

empyrium naturaliter moueri poſſe, ſiuè hoc faciat vt pars præcipua vniuerſi, ſiuè ſecundum propriam naturam parum refert; contrà verò aduerſarius dum aſſerit dictum Cœlum eſſe naturaliter immobile, debet ſuſtinere ſub nulla ratione conſideratum illud naturaliter poſſe moueri.

Reſpondeo ſecundò: quod ſicuti quando corpora inferiora mouentur ad propria loca ad impediendum vacuũ, ille motus eſt eis etiã ſecũdum propriam naturam conſideratis connaturalis: ita eſſet in eo caſu motus ille naturalis empyrio, qua tale eſt; nam non moueretur cum reliquis orbibus ad impediendum ſolummodo vacuum, ſed etiam ad conſeruandum ſuum proprium ſtatum, ac naturalem perfectionem, quæ conſiſtit in continendo in ſe, & ſub ſe cætera omnia corpora, nec aliter diſcurrendum eſſet, caſu quo Deus vellet mouere primò, & per ſe ipſum empyrium, verſus Orientem in ordine ad reliquos inferiores orbes: hi enim ſi ſibi relinquerentur, etiam ſi haberent virtutem compenetrandi ſe cum empyrio, atque adeò non ſe mouendi ad motum illius: nihilominus tamé abſolutè loquendo, tunc inclinarent ad motũ, & nõ ſine nouo miraculo immobiles remanerent; propter modo dictã rationem.

44 Atque ex his colliges falſam eſſe doctrinam, quam tradit idem Giattiuus in ſolutione ad primam obiectionem, dum ait, quod licet Cœlo empyrio in ſui prima productione tam erat connaturale hoc ſpatium, quam aliud; at poſtquam ſemel hoc occupauit, non habet amplius potentiam paſſiuam ad occupandum aliud, relinquẽdo prius; quamuis enim verum ſit, quod omne ens permanens, cuiuſmodi ſupponitur eſſe vbi, quod initio habuit empyrium, petat naturaliter conſeruari ab auctore naturæ, quandiu non datur cauſa potentior exigens deſtructionem ipſius; at in caſu noſtro per motum rectum miraculoſum inferiorum orbium exigeret empyrium deſtructionem illius vbi prioris, & productionem alterius, vti vidimus.

45 Iam verò ſic probata mobilitate naturali empyrij in ordine ad locum, probatur etiam eius mobilitas in ordine ad motum alterationis, quæ erat altera pars minoris principalis ſic; dupliciter agere poſſumus de alteratione, primò in rigore vt ait Arriaga *diſput. 3. de Generat. num.* 1. & ſic comprehendit omnem motum ad qualitatem, etiam non corruptiuam, nec habentem contrarium; in qua acceptione rectè dicitur aer luce alterari: ſecundò ex communi acceptione prout ſignificat ſolum motum ad qualitates habentes cõtrarium; & ſi quidem priori modo ſumatur alteratio, Cœlum empyrium poſſe naturaliter huiuſmodi motu alterari, euidẽs nobis eſſe videtur: cum enim Chriſti Domini Corpus ibi ſplendeat multo magis quam Sol in hoc Orbe inferiore, neceſſe eſt, vt quando primò aſcendit ad dexteram Patris totum empyrium noua luce perfuderit, & nunc quoties localiter mouetur, locum ad quem mouetur maiori luce ſuffundat; non appareret autem ratio cur huiuſmodi lucem dictũ Cœlum non ſuſcipiat naturaliter, ad eum planè modum, quo de facto naturaliter ſuſcepit aer lucem illam; quæ egreſſa eſt ex Chriſti facie, quando in monte transfiguratus eſt: ergo &c.

Iam verò in hoc priori ſenſu Giattinum accepiſſe alterationem, quando illam empyrio negauit, caſu quo ſit Corpus ſimplex; non verò in poſteriori, patet ex ratione quam ibi adducit: eo quod, inquit, haberet omnia accidentia ſibi debita, cum ratio nulla ſit, vt deſit aliquod; vnde in reſponſione ad ſecundum concedit quidem Deum poſſe producere qualitatem perfectiuam in eo, negat tamen motum ad huiuſmodi qualitatem futurum fuiſſe illi connaturalem, & ſic putat ſoluere obiectionem, quam contrà inalterabilitatem empyrij illi fiebat ab aduerſarijs; atqui tum qualitates ſibi debitę, tum etiam hæc perfectiua non haberent contrarium; ergo ab auctore negatur alteratio in primo ſenſu. 39

Cæterum duobus illis locis modo à me adductis duæ rationes ab eo afferuntur pro ſua ſententia confirmanda, quas placet diſſoluere. vna, quam paulò ante innuſmus, eſt huiusmodi: caſu, quo empyrium eſſet Corpus ſimplex, haberet omnia accidentia ſibi debita; ergo non eſſet naturaliter alterabile. Ad quam reſpondeo: conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ratio eſt quia, vt aliquod ſubiectũ naturaliter moueatur ad acquiſitionem alicuius qualitatis perfectiuæ, non requiritur in eo debitum habẽdi huiuſmodi qualitatem; ſed ſufficit carentia cum capacitate, vt patet in aere; qui licet non habeat debitum habendi lumen; nemo tamen eſt, qui neget eum naturaliter illuminari; & ratio eſt quia ad hoc vt aliquod Corpus naturaliter alteretur ſufficit, ſi ex vna parte habeat aptitudinem ad qualitatem illã recipiendam, & ex alia huiuſmodi qualitas non ſit in ſupernaturali ordine, ſed vel ab agentibus naturalibus, vel à Deo, vt ab auctore naturæ poſſit in eo produci; Altera verò ratio ſumitur ex reſponſione ad ſecundũ, quæ ſic procedit; quãuis Deus poſſet in empyrio qualitatem perfectiuã producere: illa tamen non foret cum inclinatione naturali, ipſius empyrij; ergo in tali caſu non alteraretur Cœlum empyrium naturaliter; conſequentia patet, antecedens probatur, quodlibet ens creatum habet ſuam perfectionem naturalem limitatam, ad quam, quando pertingit, non poteſt vlterius cum naturali inclinatione perfici; ſed Cœlum empyrium in prima ſui creatione iã obtinuit totam ſuam perfectionem naturalem; ergo non poteſt vlterius cum inclinatione naturali perfici. 46

Sed ad hanc etiam reſpondeo: duplicem dari inclinationem naturalem in ſubiectis: vna eſt per modum indigentiæ in ordine ad eas qualitates, quas ex ſua propria ratione exigunt; altera verò per modum capacitatis, & eſt in ordine ad illas qualitates perfectiuas quas licet ex ſua propria ratione non exigant, nihilominus tamen abſque eo quod ad ſuperiorem ordinem eleuentur, in ſe poſſunt admittere. Hanc poſteriorem inclinationem habet Adamas ad hebetem formam in eminio; quamuis enim eam ex propria ratione nõ exigat, alioquin ei priuatus eſſet in ſtatu violento; habet tamen capacitatem illius, & ab ea valde perficitur, ac decoratur, quo poſito. Diſtingub antecedens, quamuis Deus poſſet qualitatem perfectiuam in empyrio producere, hæc tamen non foret cum eius inclinatione naturali, primo modo

Digitized by Google

do sūpta, cōcedo: secūdo modo accepta, nego antecedens, & consequentiam; ad cuius probationē transeat maior, quam aliquis probabiliter negare posset, loquendo de inclinatione secundo modo accepta, nego minorem; quis enim reuelauit huic auctori Deū initio Creationis dedisse empyrio omnes illas accidentales perfectiones, quas erat capax naturaliter habendi; non ignoro aliquos ex sacris Interpretibus velle, Deum non se habuisse in formatione empyrij, sicuti se habuit cum reliquis orbibus inferioribus, quos paulatim procedente tempore ad perfectionem, quam videmus habere produxit; siquidem in primo instanti illud perfectum edidit; at loquuntur de perfectione, ad quam inclinabat per modum exigentiæ: non verò, ad quam inclinabat per modum capacitatis; alioquin non solum lumen, quod acquisiuit ex præsentia Corporis Christi, sed etiam ea, quæ ex præsentia cæterorum corporum Beatorū post diem Iudicij eius capacitatem superarent, & sic Deus in dicto corpore perpetuum miraculum exerceret, quod gratis omnino dicitur; Ex quibus omnibus remanet probatum Cœlum empyrium de facto esse naturaliter mobile motu locali, & alterationis saltem perfectiuæ, etiam si ponatur esse corpus simplex.

47 Quantum verò ad alteram quæstionem: sit secunda conclusio. Implicat contradictionem dari corpus diuinitus immobile in ordine ad qualitatem aliquam recipiendam, est communis: & probatur, quia omnis substantia ad Dei potentiā cōparata est perfectibilis; ergo potest saltem diuinitus aliquam recipere qualitatem; ratione cuius ex non habente illam transiret in habentem.

48 Tertia denique conclusio. Implicat contradictionem dari corpus finitum in ordine ad Diuinā omnipotentiam immobile quoad locum: dixi finitum, quia infinitum est immobile, vti suo loco dicetur, sed hoc est per accidens respectu corporis, ratione scilicet infinitatis; Conclusionem nostram tradit Giattinus loco citato, qui duas pro ea affert rationes; quarum prior sic procedit, si esset possibile corpus diuinitus immobile, hoc esset impeditiuum diuinæ omnipotentiæ nè posset operari in eo motum, quem potest in alijs corporibus; ergo huiusmodi corpus implicat. consequētia euincitur, quia illa creatura, quæ posita induceret imperfectionem in diuinā omnipotentiā, procul dubio implicat, sed huiusmodi corpus, hoc ipso, quod esset impeditiuum nè diuina omnipotentia posset operari in eo, quod potest cum cæteris, induceret imperfectionem in illam; siquidē esset perfectior Diuina omnipotentia si in nullo casu impediri posset ab aliquo corpore ad illud mouendum; ergo &c.

Posterior verò ratio est huiusmodi: quoties asseritur quod aliquis effectus, qui communiter datur in alijs rebus, in vna re implicat, eo quod ponitur in illa re essentialis exigentia negationis illius effectus; toties debet postiuè probari huiusmodi exigentia in dicta re, & non per solā non implicantiam fundari; ergo dum asseritur, quod motus localis, qui est communis in alijs corporibus in aliquo determinato corpore implicet propter essentialem exigentiam immobilitatis, quæ in dicto corpore ponitur, debet huiusmodi exigentia positiuè probari; atqui ab aduersarijs, non probatur positiuè, sed solum per non repugnantiam; ergo non est dabile tale corpus.

Confirmatur: quia si semel mobilitas coniungi potest cum gradu corporis, iam nō est illi noxia; ergo nisi positiuè probetur, non potest assumi, quod sit alicui essentialiter repugnans, quia ius, & possessio stat pro coniunctione, contrà diuisionem, & separationem.

Sed neutra ratio satisfacit; siquidem ad priorē 49
negatur antecedens, quia Diuina omnipotentia non censetur impediri ob impossibilitatem effectus, siquidem impedimentum est propriè in ordine ad rem possibilem, & non ad impossibilem; quod autem illud corpus moueri possit, ponitur ab aduersarijs, esse quid chymericum. falsum est igitur quod sit impeditiuum Diuinæ omnipotentiæ, sicuti ergo non est minus perfecta omnipotentia Dei per hoc, quod nō potest creare Hyrcoceruū; ita neque per hoc, quod non posset mouere huiusmodi corpus. Ad posteriorem verò respondeti potest, concesso primo enthymemate, negando subsumptum, ac dici rationem positiuam esse differentiam essentialē illius corporis, quod imitetur diuinam naturam quantum ad perfectionem immobilitatis, cum hoc tamen discrimine, quod Diuina immobilitas sit sine dependentia, creata verò cū dependentia. nōne vides prædicatum positiuum, quod assignari potest in corpore exclusiuum à se motus etiam in ordine ad Dei omnipotentiam; vnde patet responsio ad confirmationem, quæ prædicatum aliquod exclusiuum, positiuè motus in huiusmodi corpore requirebat.

His igitur rationibus posthabitis sic videtur 50
probanda nostra conclusio: constitutis semel legitimè prædicatis essentialibus alicuius rei, debemus sustinere quod implicet contradictionem dari posse rem illam sine dictis prædicatis, atque adeò quod neque per absolutam Dei potentiam res illa deficiente aliquo ex dictis prædicatis sit factibilis, vt patet ex homine, cuius natura, & essentia per suos naturales actus legitimè indagata, & constituta, dicimus, etiam in ordine ad Diuinam omnipotētiam implicare, quod sit homo ille, qui non habet animalitatem, vel rationalitatem, atqui prædicata corporis substantialis finiti legitimè constituti important principium motus, & obietis in ordine ad locum non minus, quam hominis, principium sentiendi, & ratiocinandi; ergo implicat dari corpus diuinitus immobile quoad locum. maior, & consequentia patent; minor verò probatur, quia duobus modis in constituenda essentia alicuius rei procedere possumus: vno ex mera inductione à posteriori, arguēdo ex ijs, quæ videmus de facto ad cætera etiam possibilia; & hic modus non est legitimus. nam tota experientia, & inductio sumitur ex ijs, quæ de facto videmus; non licet autem argumentari à de facto ad de possibili, nec ab entibus, quæ sunt in hoc ordine rerum ad ea, quæ in alio ordine à Deo fieri possunt. Alius modus procedendi in rerum essentijs indagandis est cum inductione à posteriori admiscere rationem à priori; & sic deuenire ad veritatem, seu rationem communem essentialem, qui quidem modus est legitimus, & nobis ad desi-

Digitized by Google

guandas eſſentias rerum vnicus, ac familiaris.

Quod autem hoc poſteriori modo procedamus, dum inter prædicata conſtitutiua corporis ſubſtantialis finiti numeramus principium motus, & quietis in ordine ad locum ſic ſuaderi poteſt; quia ex vna parte videmus, inductione facta per ſingula corpora exiſtentia, omnibus huiuſmodi principium competere, & ſic habemus inductionem materialem à poſteriori: ex alia verò parte dictæ inductionæ admiſceri poteſt ratio à priori, quæ eſt huiuſmodi: quodlibet ex his corporibus exiſtentibus, ſi non eſſet mobile quoad locũ, non eſſet ſociabile cum cæteris, ſed quodlibet ex poſſibilibus hoc ipſo quod eſt corpus ſubſtantiale finitum hanc ſociabilitatem ſibi vendicat: ergo ita participatur à ſingulis corporibus mobilitas quoad locum, vt ſit de eſſentia corporis finiti, vt ſic: vides inductionem formalem includentem rationem à priori; expendamus, ſi placet eius præmiſſas, nam conſequentia eſt certa; maior igitur probatur; quia ſi quod corpus ex exiſtentibus eſſet etiam diuinitus immobile, non videtur quo modo poſſet aſſociari cum reliquis, quorum vnũ quodque eſt indifferens ſaltem reſpectu Dei ad hoc, vel illud ſpatium occupandum: quamuis enim Terra V. G. infimum locum ſibi, vendicet, & Cœlum ſupremum in ordine ad vniuerſum orbẽ at tum ipſe orbis poterit æque benè occupare aliud ſpatium inane ab eo, quod de facto nunc occupat, ſi nimirum à Deo alibi creatus fuiſſet vtique tum Cœlum, tum Terra, & per conſequẽs cætera corpora intermedia, & quodlibet ex illis ſi eſſet eſſentialiter immobile nullam ſocietatem cum reliquis inire poſſet; ſiquidem hęc eſſent expedita ad nutum creatoris mutare ſpatium; illud verò minimè; & ſic eſſet ineptum ad eſſendum vniuerſi membrum, in quo ſocialitas corporum poſita eſt; ſic probata maiori, ſubdetur minorẽ quia quodlibet ex corporibus poſſibilibus finitis, in aliquo rerum ordine debet poſſe naturaliter exiſtere; de ratione enim cuiuſque eſſentiæ, præſertim ſubſtantialis, eſt vt ex ſuis principijs intrinſecis vendicet ſibi aliquem ſtatum ſibi connaturalem, extra quem ſit in ſtatu violento, & innaturali; alioquin ſi aliquod poſtularet ſemper exiſtere in ſtatu innaturali eſſet omninò chymericũ; ex ſuis enim principijs intrinſecis inclinaret per ſe ad malum ſuum, ſiquidem ſtatus violentus eſt malum naturæ, vt de ſe patet: ex hoc autem, quodlibet ex corporibus poſſibilibus finitis ſociabilitatem in ordine ad locum ſibi vendicare cum cæteris, ſic deduco; quodlibet reſpectu cæterorum corporum ſpectantium ad illum rerum ordinem, in quo connaturaliter exiſtit, vel ſe habet vt continens, vel vt contentum, vtrumuis dicatur ſemper; ſequitur quod debeat eſſe mobile quo ad locum; alioquin non poſſet habere ſocietatem cum illis; ſiquidem illa ſaltem in ordine ad Dei potentiam ſupponuntur mobilia, vnde debet eſſe aptum vt ad motum cæterorum ipſum quoque moueri poſſit.

51 Dices primò: huiuſmodi corpus connaturaliter petere exiſtere ſeparatum à cæteris; ita vt neque contineat aliud corpus, neque ab alio contineatur; ſed contrà eſt, quia vel tale corpus ponitur rationis capax, vel incapax; ſi primum exigit ſocietatem aliorum, quia ſubſtantia rationalis eſt eſſentialiter ſociabilis, præſertim ſi materialis eſt; hæc enim debet per ſenſus acquirere ſibi ſpecies, atque adeò in medio aliarum rerum corporearum verſari, ſin autem non eſt rationale debet eſſe tale, vt ſubſtantijs rationabilibus inſeruire valeat, ſicuti cætera corpora, quæ habent hoc pro fine, atque adeò non debet naturaliter ab earum conſortio eſſentialiter abhorrere.

Dices ſecundò: dictum corpus immobile vendicare ſibi illum rerum ordinem, in quo naturaliter exiſtant cætera corpora eodem modo immobilia, quare, ſiuè ponatur continens, ſiuè contentum, rectè poterit ſe illis connaturaliter aſſociare. Sed contrà eſt quia vel omnia ex corpore ad illum ordinem ſpectantia ponuntur inanimata, & hoc non, quia corpora inanimata habent pro fine ſeruire animatis præſertim ratione prædicta, vt de ſe patet; vel inter ea aliquod ad illum ordinem ſpectans eſt animatum; & ſic ſaltem ſecundum partes naturaliter mobile ſecundum locum, quia ad minimum erit vegetabile; quoniam verò omnis Ordo rerum corporearum recipit ſemper complementum ab homine, non videtur aliquis poſſibilis earum ordo, qui eum à ſe poſitiuè excludat; atque adeò falſum eſt omnia ad illum ordinem ſpectantia eſſe diuinitus immobilia. 52

Dices tertiò: dantur in hoc ordine rerum vbicationes, quæ ita ſunt affixæ determinato ſpatio, vt ne per abſolutam Dei potentiam moueri poſſint de vno loco in alium; Cum igitur non poterit dari Corpus vel in hoc, vel in alio rerum ordine hoc modo immobile. 53

Reſpondeo: à multis negari, vbicationes reſpectu Dei ſupernaturaliter operantis eſſe immobiles, ſed, hoc admiſſo, neganda eſt conſequentia, ſiquidem corpus ſi haberet immobilitatem non eſſet cæteris aſſociabile, at verò vbicatio tãtum abeſt, vt hoc incommodum corporibus afferat, quin etiam eſt conſeruatiua ſocietatis illorũ, dum corpora, eius beneficio modo vnum, modo aliud locum occupare poſſunt.

Dices quartò: maior repugnantia videtur eſſe inter prædicata animalis, & intellectualis, quam inter prædicata corporis, & vbicationis, ſed illa poſſunt coire in vnam entitatem, ergo multò magis poterunt diuinitus coire prædicata corporis, & vbicationis. Atqui hoc poſito corpus illud erit diuinitus immobile, vt de ſe patet; ergo &c. maior, quæ ſola probatione eget, ſuadetur, quia animalitas in brutis eſt gradus materialis; intellectualitas verò ſpiritualis, vt patet in Deo, & in Angelis; at verò prædicata corporis, & vbicationis corporeæ ambo ſunt materialia. 54

Contrà tamen eſt; quia prædicata animalis de ſe non important materialitatem, niſi in operando, & ratione differentiæ brutalis habent, quod in eſſendo materialia ſint, vnde non eſt mirum ſi cum prædicatis rei intellectualis identificari poſſint, quia hæc res ita ſupponitur eſſe intellectualis, vt intellectiones ſuas non niſi cum dependentia à phantaſmatibus, valeat exercere; quod ſine materialitate in operando habeat nequit. At verò prædicata corporis naturalis ſubſtantialis finiti important de ſe mobilitatem, vnde impoſſibile eſt vt identificentur cum vbicatione corporea, quæ

quæ est essentialiter immobilis. quamuis enim duæ rationes positiuæ non importantes prædicata virtualiter contradictoria possint in vnam confluere entitatem, vt patet ex rationibus fidei, & scientiæ: non tamen possunt illæ, quæ virtualem contradictionem habent, vt sunt V. G. prædicata hominis, & equi; Porrò huius generis censendæ sunt rationes corporis finiti, & locabilitatis.

55 Atque ex his omnibus deduco definitionem naturæ traditam ab Aristotele intelligendam esse de principio motus, & quietis tum in ordine ad locum, tum in ordine ad qualitatem indiuisibiliter, & in sensu omnino coniuncto, & quidem si abstrahamus à motu, & quiete sensibili se extendere ad omnem prorsus naturam creatam, etiam Angelicam; de facto tamen soli naturæ Physicæ competere; quia Aristoteles de motu, & quiete sensibili eam intellexit.

SECTIO QVINTA.

An naturam esse sit à Physico demonstrabile.

56 SIgnanter quæro an demonstrabile sit à Physico, dari naturam: certum enim est posse à Metaphysico demonstrari illo vniuersali principio: omne vel est, vel non est.

Conclusio autem est negatiua, & eam docet S. Thomas, Simplicius, Auerroes, Vicomercatus, Zabarella, & alij contrà Auicennam, Albertum, Paludanum, Venetum, Iamdunum, & Auersam.

Probatur primò: ex Aristotele, qui hic *text. 6.* hæc habet: quod autem sit natura, tentare demonstrare ridiculum est; & huius rei rationem reddens; esset, inquit demonstrare manifesta per immanifesta.

57 Probatur secundò ratione, omnis demonstratio vel à priori est, vel à posteriori; sed neque à priori, neque à posteriori naturam esse demonstrabile est: ergo natura nullo modo demonstrari potest, quod sit; maior patet ex logicis; minor verò quoad primam partem euidens est, quia cùm natura sit primum principium in Physica non potest assignari aliquid in hac scientia prius illa, per quod ea reddatur demonstrabilis: quamuis enim Deus se habeat vt primum principiũ rerum omnium: hic cum liberè operetur ad extrinseca, eius existentia per se sumpta est inepta ad existentiã alicuius rei creatæ demõstrandam. Quoad secundam verò eius partem probatur eadem minor; quia ad hoc vt demonstraretur à posteriori natura requiritur aliquod medium nobis notius ipsa, si enim est vel æque notum, vel ignotius, ineptum erit ad demonstrandum, vt constat ex logicis; sed nullum est assignabile medium à posteriori nobis notius illa; ergo &c. minor huius suadetur, quia si quod esset assignabile, maximè esset motus, vt aduersarij fatentur sed hic vel non est aptus, vel nobis non est notior ipsa natura: ergo &c. minorem hanc enitco supponendo motum tripliciter à nobis in præsentia sumi posse: primò quatenus motus est, vt sic præscindens à naturali, vel violento. Secundò quatenus violentus est, ad quem, scilicet, mobile natura sua non inclinat. Tertiò verò quatenus naturalis est, qui, scilicet, à principio ipsi mobili intrinseco proueniat; tum sic: neque motus vt sic, neque motus violentus aptus est ad probandam naturam, quia neuter habet cũ illa connexionem; & prior quidem præscindit ab eo quod proueniat, vel non proueniat à principio intrinseco; posterior verò quatenus talis est, implicat potius, quod sit effectus naturæ: restaret igitur motus naturalis; sed hic non potest in ratione naturalis affirmari, quod detur absque eo quod simul cum illo affirmetur dari naturam, est enim formalissimè id quod prouenit à natura, hoc est quod à principio intrinseco procedit, seu quod idẽ est, cũ inclinatione eius, quod mouetur. Iam igitur in eius affirmatione affirmatio naturæ includatur necesse est, saltem sub aliquo rudi cõceptu: atque adeò non est notior ipsa natura; ergo neque est aptum medium ad illam probandam; nullum igitur medium haberi potest aptum ad demostrandam naturam.

Obijcies primò: Aristoteles *7. metaph. tex. 8.* 58
dubitat vtrum elementa habeant naturam, & Philosophi vtrum in Cœlo sit natura; ergo naturam dari est demonstrabile; sed non nisi per motum; ergo &c.

Respondeo aliud esse quærere simpliciter num sit natura, & aliud num in hoc, vel illo determinato subiecto reperiatur, primum est indemonstrabile, vt probauimus: nam præter quam quod pateat ad sensum, non datur medium per quod probari possit; secundum verò potest quidem vtiliter controuerti, quia aliquando non adeò manifestum est dari in aliquo mobili determinato intrinsecum principium sui motus: aio tamen controuersiam hanc non posse aliqua demonstratione siuè à priori, siuè à posteriori à physico dirimi, sed solum probabiliter probari: si enim posset maximè per motum naturalem, sed hic est insufficiens, quia aduersarius æque dubitat num in corpore illo, de quo sit quæstio, sit natura, ac num eius motus sit à principio aliquo eidem corpori intrinseco. Vnde patet motum illum, qui sensu percipitur non esse natura notiorem.

Obijcies secundò: Aristoteles 1. *Physic.* per trãs- 59
mutationem naturalem ostendit dari materiam primam; & tamen naturalis transmutatio includit subiectum in conceptu suo non minus, quam naturalis motus includat naturam: ergo per motum naturalem demonstrabile est dari naturam.

Respondeo: aliud esse quærere vtrum detur mutationis naturalis subiectum, & aliud quærere de subiecto quod sit pars corporis naturalis, seu quod idem est, verum corpus naturale constet ex subiecto tanquam ex parte essentiali; primum tanquam notum supponit Aristoteles, propter rationem, quæ in argumento tangitur; mutatio enim naturalis in suo conceptu subiectum inuolvit. secundum verò nititur demonstrare, quod nõ nisi per necessariam consequentiam ex motu naturali deducit. distinguo igitur primam antecedentis partem, Aristoteles per transmutationem naturalem ostendit dari materiam primam in ratione subiecti ipsius transmutationis, nego. in ratione principij componentis ipsum corpus naturale in facto esse, concedo hanc partem antecedentis, & nego cõsequentiã. In-

Digitized by Google

60 Inſtabis: materia in ratione principij componentis corpus naturale eſt natura; ſed Philoſophus demonſtrat dari materiam in ratione principij corpus naturale componentis, vt dictum eſt; ergo demonſtrat dari naturam.

Reſpondeo: negando maiorem; materia enim ſolum in ratione principij motus eius, in quo eſt habet vt ſit natura; poſſunt igitur vtiliter demonſtrari materia, & forma in ratione partium componentium ſubſtantiale compoſitum; non autem in ratione naturæ.

61 Obijcies tertiò: ex libris poſteriorum habemus, definitionem eſſe medium idoneum ad demoſtrationem efficiendam: ſi quis igitur ita argumentaretur. Datur principium, & cauſa motus, & quietis in eo, in quo eſt &c. ſed huiuſmodi principium eſt natura; datur igitur natura, iſte talis demonſtratiuè concluderet; ergo &c.

Reſpondeo: diſtinguendo antecedens, definitio eſt medium idoneum ad aliquam demonſtrationem faciendam, concedo. ad omnem, nego antecedens, & conſequentiam; nam licet definitio ſubiecti ſit aptum medium ad probandam primam paſſionem de ipſo ſubiecto, at non eſt aptum ad probandam eius exiſtentiam. Hoc ipſo enim quod vel in maiori, vel in minori aſſumatur quod detur definitio obiectiua, aſſumi debet quod detur definitum, cuiuſmodi eſt natura in caſu noſtro, atque adeò iam exiſtentia naturæ ſupponitur cognita antecedenter ad demonſtrationem; non igitur poſſumus in eius cognitionem primo venire ex vi alicuius demonſtrationis, atque hoc eſt quod intendimus cum Philoſopho.

62 Obijcies quartò: omnis effectus Phyſicus materialiter ſumptus, vtpotè ſenſibilior, eſt notior ſua cauſa, ſed motus naturalis eſt effectus Phyſicus naturæ; ergo eſt notior natura; poſſumus igitur per illum ipſam naturam demonſtrare.

Reſpondeo: diſtinguendo maiorem, omnis effectus Phyſicus materialiter ſumptus, vtpotè ſenſibilior eſt notior cauſa ſua, concedo; omnis effectus phyſicus formaliter acceptus, nego maiorem, & conceſſa minore; diſtinguo eodem modo primum conſequens; & nego vltimam conſequentiam. Pro qua re ſciendum eſt: verum quidem eſſe quod omnis effectus Phyſicus, quia ſenſibilior, ſi ſumatur materialiter, eſt ſua cauſa notior; ſed non omnis materialiter ſumptus, eſt idoneus ad demonſtrandam cauſam, à qua procedit, vt patet ex motu ipſo naturali, qui niſi formaliter ſumatur atque reduplicatiuè, prout, ſcilicet, naturalis eſt, non eſt aptus ad probandam naturam. Porrò quidam effectus ex his, qui formaliter ſumi debent, in ſuo conceptu formali cauſarum ſuarum cognitionem inuoluunt, ita vt nequeant formaliter affirmari, quin illorum cauſæ ſimul affirmentur: hi autem effectus non ſunt apti ad demonſtrandam cauſam, quia non ſunt illa notiores, & huius generis eſt motus naturalis.

63 Inſtabis: quando dicitur, cauſam demonſtrari non poſſe per effectum, ad cuius cognitionem cauſæ illius cognitio neceſſaria eſt, vel eſt ſermo de cognitione diſtincta effectus, vel de confuſa; non primum, alioquin nulla poſſet fieri demonſtratio à poſteriori, ſiquidem nulla paſſio, ſeu proprietas poteſt diſtinctè cognoſci, niſi cognoſcatur eſſentia à qua profluit: ſecundum verò eſt manifeſtè falſum; ſicuti enim riſibilitas poteſt cõfuſè ſine rationalitate cognoſci, ita, & motus factus cum inclinatione ſubiecti, ſine materia.

Reſpondeo: conceſſa maiore, eligo ſecundum membrum, & dico quod motus naturalis in confuſo cognitus hoc ipſo quod in eo reluceat inclinatio ſubiecti ad ipſum, iam inuoluit cognitionem naturæ, & ſic non eſt aptum medium; Cõtrà verò vt riſibilitas ſit aptum medium ad probandam de homine rationalitatem, ſatis eſt ſi cõcipiatur vt principium riſus.

Obijcies quintò: Hæc eſt bona demoſtratio: quoties datur motus, & non à principio extrinſeco datur natura; ſed de facto datur huiuſmodi motus, non à principio extrinſeco; ergo datur natura, ſed in hac demonſtratione in præmiſſis non aſſumitur quod detur natura; ergo &c. 64

Reſpondeo: duplex dari genus bonæ demonſtrationis, vnum eſt quod inſeruit ad manifeſtationem rerum cum aliqua obſcuritate cognitarum; alterum quod inſeruit ad manifeſtandam vnam rem ex alia; hoc poſito dico: demonſtrationem, quæ ponitur in maiore habere bonitatẽ primi generis; non autem ſecundi, de quo agitur in præſenti controuerſia; & ratio eſt, quia in ea iam aſſumitur in minori per voces minus explicitas dari naturam, nam idem eſt formaliter dari motum, & non à principio extrinſeco, ac dari à principio intrinſeco; ſiquidem motus non poteſt eſſe ſine principio vel extrinſeco, vel intrinſeco; ergo ſi eſt, & non ab extrinſeco, iam conſtat eſſe ab intrinſeco.

Inſtabis: ſaltem hic ſyllogiſmus; quoties dantur plures motus, aliquis illorũ debet eſſe à principio intrinſeco, ſed in mundo dantur plures motus; ergo &c. hic, inquam ſyllogiſmus non aſſumit in præmiſſis dari naturã, ſed tantum eam probat; ergo &c. 65

Reſpondeo: negando antecedens, nam illi motus affirmantur dari in minori dicti ſyllogiſmi ex quorum omnium poſitione conuincitur intellectus dari naturam; ergo iam affirmatur inter illos dari aliquem, qui ſit à principio intrinſeco, & per conſequens quod detur natura.

SECTIO SEXTA.

Vtrum ars naturæ opera poſſit efficere.

66 SVmimus hic artem ex parte Artificis, quatenus, ſcilicet, eſt notitia practica regulatiua, ac directiua operis iuxta regulas, & præcepta Artis, ſiuè demum hæc notitia accipiatur pro actu: ſiuè pro habitu, qui inclinat ad actum. & de ea quærimus: Vtrum naturæ opera poſſit efficere; vbi nomen naturæ aliquanto latius, quam aſſeta vſurpamus, pro vt ſcilicet cauſas omnes naturales efficientes naturaliter operantes comprehendit.

Pro deciſione ſciendum eſt naturæ opera, ſeu, quod idem eſt, naturales effectus, eſſe in duplici differentia: quædam enim non requirunt determinatam cauſam naturalem, ſed ſolum actiuam

Digitized by Google

ua passiuis applicando fieri possunt: cuiusmodi sũt mineralia, seu metalla, & herbæ quædam viliores, & animalia quam pluraimperfecta, quę omnia vel ex elementorum mixtione, vel ex solis approximatione ad Terram generantur: quædam verò determinatam causam naturalem suæ generationis sibi asciscunt, sine qua fieri naturaliter nequeunt: & huiusmodi sunt omnia Animantia perfecta, homo præsertim, quorum generatio, solum ex vi seminali animalium eiusdem speciei haberi potest, his autem prænotatis sit.

67 Nostra vnica Conclusio: Naturæ opera primi generis fieri possunt ab arte, at nequeunt ab eadem arte fieri opera naturæ secundi generis. conclusio duas continet partes.

Probatur autem quoad primam partem sic. ars applicare potest actiua passiuis, adeòque qualitates corporum simplicium, siue etiam aliquorum mixtorum ita refrangere, vt temperamẽtum formæ substantiali naturalium effectuum debitũ illa materia sortiatur. Positis autem in materia dispositionibus ad aliquam formam requisitis, statim consurgit ipsa forma, ex qua naturæ opus, ideſt compositum substantiale naturale resultat; naturæ igitur opera primi generis fieri possunt arte.

Cõfirmatur ex Scaligero *exercitio* 23. Conimbricensibus 2. *Physic. cap.* 1. *quæst.* 7. *art.* 2. & Martino del Rio *disquisitionũ mag. lib.* 1. *cap.* 5. *q.* 1. *sect.* 3. ex quibus habes, quod ars possit producere crabrones, & scarabeos ex stercore bonis, & ex herba Basilico, Scorpiones. lege Virg. *Georg.* 4. vbi artem apes producendi ex emortuo Iuuenco mirificè tradit. lege etiam Augustinum 3. *de Trinitate cap.* 7. & *lib.* 83. *quæstionum quæst.* 76. nec non etiam D. Th. *quæst.* 6. *de potentia art.* 5. qui tuenter serpentes illos, quos magi Ægyptiorum ante Pharaonis conspectum produxere, non quidem phãtasticos, sed ueros serpentes extitisse, & arte hac, ope Demonum fuisse formatas.

68 Secunda verò pars Conclusionis probatur etiã, quia non potest perfectorum animalium præsertim hominis generatio, vt supponimus, haberi per applicationem actiuorum ad passiua; cum igitur nullus alius modus operandi hosce effectus possit tribui arti præter hunc: restat artem nullam dari posse, quæ possit efficere hæc naturæ opera: falsum igitur est quod Thomas Sarzorius *in suo foro vniuersali discursu* 4. asserit: hominem, scilicet, sibi familiarem distillandi arte apprimè peritum, ex herbarum succis, metallorumque spiritibus solis radijs attenuatis puerulum hominem in vitreo vase produxisse, qui per instans tantum vixerit; si enim ars ista daretur, vtique dæmon illam aliquando exercuisset, vt se hominum creatorem ostenderet; præterea si non datur ars introducendi de nouo dispositiones, quæ in cadauere organizato desunt ad vitam denuo cõsequẽdam, vt patet ex impotentia, quam habent Dæmones ad mortuos suscitandos, quanto minus dari poterit Ars organizandi rudem materiam, eamque informandi forma substantiali hominis.

Confirmatur; quia si ars facultatem haberet homines efformandi; iam hi arte illa formati non incurrerent peccatum originale, quia non essent ex Adæ massa procreati, & sic Christi redemptionẽ non indigerent; quod quam absurdum sit, nemo est, qui non videat,

Ex dictis collige, posse dari in rerum natura 69
chymicam, quæ verum aurum, atque veras gemmas efficiat, licet nõ constet eam adhuc ab aliquo homine esse repertam, quid enim impedit quominus homines certis causis adhibitis materiam aliquam ita vltimo disponãt, vt ex vi vitaliũ dispositionum, forma auri in ea statim producatur, quemadmodum Memphis calore ignis pulli generantur ex ouis, & anguillę à Ioanne Baptista de Porta arte mirabili aliquando formatæ sunt.

Dices primò: cognitionem dispositionum ad 70
formam auri requisitarum haberi non posse à nobis naturaliter; contrà tamen est; quemadmodum enim talis cognitio habetur de facto nunc à Dæmone naturaliter, ita etiam haberi posset à nobis; quid enim illa habeat, per quod vires humani intellectus excedat, assignari non potest.

Dices secundò: verum aurum sibi vendicare 71
determinatam causam; scilicet cœlestem calorem, & sic non posse attingi ab arte chymica.

Contra tamen est, tum quia gratis id asseritur; si enim animalia imperfecta, quæ sunt auro nobiliora huiusmodi determinatam causam ad sui productionem non habent: multo minus habebit aurum, quod est mixtũ inanimatum; tũ etiã quia cælestis calor cum sit eiusdem speciei cum igneo, non bene ab aduersario assignatur, vt determinata causa auri.

Dices tertiò: Verum aurum determinatum lo- 72
cum suæ generationis requirere, centrum, scilicet, Terræ, ac loca valdè abdita, & subterranea.

Sed contrà est, tum, quia hoc falsum esse patet ex Plinio *lib.* 33. *cap.* 4. dicente in Puteis, & in Terrę superficie solis ardoribus exposita aurum aliquando fuisse repertum, tum etiam quia potest arte ita locus aliquis super terram disponi, vt corpus ambiens eadem habeat qualitates, quas haberet in centro Terræ.

Dices denique quartò: materiã, ex qua fit verũ 73
aurum esse nobis ignotam. Sed contrà est, quia cõmuniter putant Chymici illud fieri ex sulfure, & argento viuo: quod si in hoc illi decipiuntur, id parum refert; sufficit enim non esse nobis omninò impossibilem talis naturę cognitionem.

Colliges secundò; Imagines Astronomicas, 74
aliaque signa gemmis insculta, vel in cartis delineata nullam habere posse vim naturalem ad effectus mirificos, quos arioli dictitant efficiendos, vt meritò à D. Thoma, & à facultate Parisiensi cum melioribus Theologis damnatæ sint. Figura enim de se neque actiua est, neque alterativa. Ars verò non potest opera naturæ, vt vidimus, efficere, nisi actiua passiuis applicando; si quid igitur mirabile experiuntur homines, dum istas imagines secũ ferunt, nisi ex materia in qua illæ, uel sculptæ, uel depictæ sunt prouenire constet, ope Dæmonum ex tacito pacto fieri ne dubitent.

Dices primò: ex Pomponatio *lib.* 4. *de incan-* 75
tationibus, & alijs: experientia constat quod ille qui gẽmã possidet, cui insculptus est aries, leo, seu sagittarius propter conformitatem, quam habet cum constellatione illa cœlesti aliquam nobilẽ uirtutem ex ea recipiat, qua plures efficere possit effectus; ergo &c.

Respondeo: figuras illas in Cœlo ab Astrologis fuisse ad libitum designatas; si enim vel plu-

res,

res, uel pauciores ſtellas uni coſtellationi tribuere voluiſsent; profectò aliam figuram illi tradidiſsent. Vnde non eſt poſſibile complexionem illarum ſtellarum habere ſympatiam cum dictis figuris, & per eas in homines; quare negandũ eſt antecedens. Adde plures ſimplices ſtellas nomina animaliũ habere non propter ſimilitudinẽ figuræ, ſed propter Analogiã, quã habent cum natura taliũ ferarũ. vnde Hyppocrates, & Galenus vanitatẽ huiuſmodi figurarũ aſtronomicarũ agnouerunt, quin imo ipſemet Pomponatius, effectus illos mirabiles imaginationi hominũ, qui huiuſmodi figuris fidẽ præſtant confectus tandem eſt eſſe tribuendos, & non figuris ipſis; licet neque hoc careat falſitate, cum imaginatio effectus mirificos, quos hi aliquando experiuntur, cauſare non poſſit; quare ſatius fuiſset ſi eos Dæmonum uirtuti aſſignaſset.

76 Dices ſecundò: Caietanus 2.2. *queſt.96. art.2.* auctoritate D. Th. *3.contra g. cap.*104. docet hąs Imagines habere virtutẽ aliquam de Cœlo, quatenus ſunt imagines, & conſtituunt rem in ſpecie artificiali; quamuis fateatur eos non habere effectum, niſi in hominibus, qui ſub illa conſtellatione geniti fuerunt; quatenus inter paſsũ, & virtutẽ cœleſtem aliquam proportionem putat eſſe, neceſsariam; ergo &c.

Reſpondeo; ex Ferrarienſe *loco citato* in imaginibus Aſtronomicis duo conſiderari poſſe: materiam ex qua fiunt videlicet aurum, vel gemmã; & formã; ſeu figurã arte factam V.G. Leonis, Vrſæ &c. Porrò ſi conſiderentur ratione materiæ cõmixtæ, & alteratæ poſsunt quidem aliquã nouam virtutẽ à corporibus cæleſtibus impræſtam acquirere, & hanc concedit D. Th. *3. contra g.* non verò illam quam ſcioli in figuris Aſtronomicis ſecundum ſe conſideratis venerantur; vt expreſsè habetur *loco citato ex* 2. 2. & rectè id quidẽ, licet enim figura concurrere poſsit ad motum localẽ, mõ tamẽ ad alterationẽ, ita vt res vno modo figurata vnã ſpeciẽ effectuũ cauſet, aliam verò alio modo. Quare meritò, quod refertur à Cœlio Rodigino de Tharca Indorum Rege, quod ſeptem anulos confeceric, coſque ſeptem orbibus Planetarum aſſignauerit. ex quibus varias virtutes hauſerit; aut fabulosũ, aut ſuperſtitioſũ putamus, niſi dicamus maximè viguiſse tunc tẽporis apud Indos herbarum, & Lapidum aliarũque rerũ cognitionem, ut teſtatur Guglielmus Pariſiẽſis apud Picũ Mirandulanũ, & ſic potuiſse Regẽ illũ eos anulos ex admiſtione diuerſarum rerum ſibi conficere; unde nil mirum ſi poſteà Apollonio Thianeo, qui eos habuit, & ſingulis diebus hebdomadæ ſingulos ſibi applicabat, ultra centenarium ætatis Annum iuuenturis florem conſeruauerint.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO VNDECIMA

DE CAVSIS IN COMMVNI.

CAusa aliquando sumitur pro principio, in qua acceptione Philosophus 4. *metaph.* dixit quod causa, & principium se inuicem consequuntur, sicuti esse, & vnum, & *lib.* 12. *tex.* 13. Tres esse causas, & Tria principia mutationis. Porrò in eadem significatione sumpserunt nomen causæ: vt Athanasius, Nazianzenus, Damascenus, & alij PP. Græci, dum Patrem in Diuinis appellarunt causam filij, & Patrem, & Filium, causam Spiritus sancti, vt eos exponit Concilium Florentinum *sess. vltima*; Nihilominus causa ex communi Philosophorum, & Theologorum sententia habet magis præcisam significationem, quam principium; non solum, quia de priuatione dicitur, quod sit principium rerum naturalium, & non causa; sed etiam, quia Pater æternus est verè Principium Filij, & Patris, & Filius Spiritus Sancti, non tamen causa, vt rectè probat S. Th. 1. *parte q.* 33. *art.* 1. & sæpè alibi; Iam verò causa sic accepta in multis à principio differt: & Primò quidem, in quantum de necessitate importat rationem entis realis, quod non habet principium, vt sic. Secundò quia exigit habere effectum à se dependentem; contrà verò principium non requirit in eo quod est à principio dependentiam à se; Tertiò, quia omnis causa debet esse prior natura suo effectu, non tamen principium eo, quod est ab ipso. Quartò denique, quia causa semper est aliud ab effectu; ita vt distinctam naturam, & entitatem numericam habeat ab illo; minimè verò principium, ab eo, quod est à principio; & quidem in hac propria acceptione in præsenti disputatione sumimus causam; prout, scilicet, per quatuor dictas conditiones à principio distinguitur, non verò prout à Græcis Patribus accipitur nimis latè: neque etiam prout vsurpatur à Platone in Dialogo de pulchro, cum dixit causam, & efficiens nihil differre, sic enim nimis præcisè, & rigorosè sumeretur, & non sufficeret ad intentum Aristotelis, quod est de quatuor Generibus causarum disputare.

SECTIO PRIMA

Quid sit causa.

1 TRipliciter causam considerare possumus, primò secundum vim, & energiam; ratione cuius potest causare effectum suum, & sic sumitur causa in actu primo. secundò secundum actualem influxum, ac causalitatem, per quem ipsa dat esse effectui, & effectus dependet ab illa, & sic accipitur in actu secundo, seu vt actu causans; tertiò denique secundum relationem prædicamentalem, secundum quam refertur ad suum effectum, & sic vsurpatur relatiuè. Porrò præsens quæstio est de causa primo modo sumpta, cuius definitionem

2 Aristoteles quidem nullibi tradidit, fortasse quia cum esset quid analogum, putauit ex membrorum eam diuidentium exacta cognitione satis intelligi posse; Verum nobis huiusmodi definitionem valdè difficilem reddit augustissimę Trinitatis mysterium; fide enim sanctum est Patrem communicare esse filio, eumque producere, & tamen non esse causam illius, neque hunc eius effectum; Idèque dicendum de Patre, & Filio respectu Spiritus sancti; & hoc quidem fuit in causa, vt Philosophi Catholici in varias abierint sententias, ita vt quilibet suam peculiarem definitionem de ea tradiderit: celebriores placet nunc examinare, vt quid nobis sentiendum sit concludere valeamus.

3 Primò enim eam sic definiuit, Vico mercatus, & alij: (est id per quod satisfit interroganti propter quid res est;) & sumitur ex Aristotele *lib.* 2. *Physic. tex.* 62. vbi probat quatuor tantum esse causas, quia per has solas satisfit interrogationi propter quid. Sed contrà est primò, quia vel particula, propter quid, sumitur præcisè, & sic solam causam finalem significat; vel secundò sumitur latè, & sic etiam ad eas, quæ causæ non sunt se extendit. Rectè enim quæreti propter quid materia prima est principium corruptionis, respondetur propter priuationem, & filius Dei *Ioann.* 6. dicit se viuere propter patrem, quem tamen non agnoscit, vt causam; vel denique tertiò sumitur medio quodammodo prout cum solis causis reciprocatur; & neque hoc, quia sic restat insoluta difficultas. explicandum enim superest; quid sit id quod significatur per particulam, propter quid, medio quodam modo acceptam; neque Aristoteles voluit illis verbis causæ definitionem tradere, sed solum ostendere quatuor causarum genera sufficienter assignari; eo quod quando in quæstione propter quid quæritur causa, rectè per aliquod ex illis respondetur.

4 Secundò Conimbricenses 2. *Physic. cap.* 7. ita eam definiunt: causa est id à quo aliquod per se dependet. Sed neque placet, quia potest verificari de extremis vnionis modaliter ab illis distinctæ respectu eiusdem; sunt enim id à quo per se, & ex intrinsecis suis pendet vnio; quod si dicant dependentiam importare quod id, quod dependet per verum, & realem influxum habeat esse ab eo, à quo dependet, sic autem non pendere vnionem ab extremis.

5 Contrà est; quia sic dici potest quod Filius in diuinis pendeat à Patre, quia per realem influxū producitur ab illo; quod si respondeant filium nō distingui in natura à Patre, dependentiam autem importare distinctionem in natura inter terminū dependentem, & id à quo dependet.

6 Contrà etiam est, quia hoc sine circuitione po-

terat in definitione poni, vt videbimus feciſſe Suarium, & non obſcuram rationem cauſæ per æque obſcuram dependentiæ rationem explicare.

5 Tertia: nonnulli Recentiores de quibus Quiedus *controuerſ. 7. punct. 1. n. 1.* hanc tradunt cauſæ definitionem; Eſt principium cum prioritate naturæ in aliud influens; verum quamuis hæc definitio vera communiter cenſeatur: peccat tamen in eo, quod eſt obſcurior definito. difficilius enim cognoſcitur, & explicatur prioritas naturæ, quam ratio cauſæ; rudibus enim conceptus cauſæ identidem occurrit: numquam verò prioritatis naturæ. Definitio autem ex regulis bonæ definitionis non ſolum debet eſſe vera, ſed etiam clarior definito, vt conſtat.

6 Quartò verò loco occurrit definitio, quam tradit Pererius *lib. 8. Philoſoph. capit. 1.* dicens: cauſa eſſe illa, quæ in ſuo genere per ſe, & principaliter concurrit ad conſtituendum effectum: nō verò ad ſuſtentandum vt malè ei aſcribit Quiedus *controu. 7. punct. 1. n. 1.* quam particulam poſtea *n. 4.* impugnat dicens: ſibi ſonare genus ſolius cauſæ materialis, atque adeò deſcriptionem non verificari de omni cauſa. Verum neque hæc deſcriptio mihi arridet, primò quia vt taceam de vltima particula de qua poſtea: particulæ (in ſuo genere) vel ponuntur ad diſtinguendam cauſam à quocunque alio, vel non: ſi primum explicandum erat, quid tandem eſſet hoc genus proprium; ſi ſecundum ſuperfluè videntur apponi; cum per alias particulas poſſit cauſæ ratio innoteſcere; vt videbimus feciſſe Rubium. Secundò quia ſaltem altera ex illis duabus particulis per ſe, & principaliter videtur ſuperflua, ſi quidem id quod concurrit per ſe ad conſtituendum effectum, etiam principaliter concurrere videtur. Tertiò denique, quia particula (ad conſtituendum) ſignificat cauſas intrinſecas non extrinſecas, malè enim quis aſſereret Deum eſſe conſtitutiuum hominis, quia eſt cauſa efficiēs, & finalis illius. huiuſmodi enim conſtitutiua ſunt anima rationalis, & corpus tantum, atque adeò hæc deſcriptio non verificatur propriè de omni cauſa, ſed ſolum de intrinſecis.

7 Hinc 5. Rubius *lib. 6. de cauſis n. 15.* Pererij definitionem perpoliens: cauſa, inquit, eſt per ſe influens eſſe in effectum.

Quod ſi quis inſtet, quod Pater in Diuinis influit per ſe eſſe in filium, & tamen non eſt cauſa filij. Reſpondet: filium, dum terminat influxum Patris, non ſe habere, vt effectum illius; eo quod eſſe effectum imperfectionem, & defectibilitatem eſſentialiter importat, & ſic falſum eſſe Æterno Patri cauſæ definitionem competere.

Sed contrà eſt quia licet hoc ſit veriſſimum: tamen æquè difficile eſt aſſignare per quid effectus in ratione effectus conſtituatur, ac per quid cauſa in ratione cauſæ, quare dum cauſa declaratur per rationē effectus, ignotum per æquè ignotum explicatur.

8 Sextò Arriaga *diſp. 7. phyſic. ſect. 1.* cauſa, inquit, eſt illa quæ per ſe influit producendo eſſentiam. ſed contrà eſt primò, quia vel nomen eſſentiæ ſumitur rigoroſè, vel minus rigoroſè, ſi primum non competit definitio omni cauſæ, nam in ſententia eorum, qui volunt exiſtentiam diſtingui ex natura rei ab eſſentia, eſſentia eſt cauſa exiſtentiæ, & tamen exiſtentia non habet eſſentiam ſibi identificatam, ſed eſt vltimus actus eſſētiæ, cuius eſt exiſtentia; ſi verò dicatur ſecundum iam verificatur definitio dē Patre in diuinis reſpectu filij, quia perſonalitas filij, vt virtualiter à natura diſtincta habet ſuam aliqualem eſſentiam. minus rigoroſè acceptam.

Contrà etiam eſt ſecundò: quia huiuſmodi definitio eſt redundans: continet enim duo vera, cuiuſmodi ſunt (influit producendo) quorum alterum ſufficeret; ſi enim vel diceret cauſa eſt, quæ per ſe influit in eſſentiam, vel ſic: eſt illa, quæ per ſe producit eſſentiam, ſufficientiſſimè quantum ad hoc cauſæ naturam explicaret; ergo &c.

9 Septimò Caprius *in ſuis Apibus philoſ. lib. 2. diſtinc. 5. c. 1. num. 2.* cauſa, inquit, rectè definitur, ſi dicatur eſſe id, quod determinat cum virtute alterum ad exiſtendum.

Sed contrà: ſic terminus relationis modaliter diſtinctæ eſſet cauſa illius, ſi quidem per ſui exiſtentiam relationis indifferentiam ad exiſtendum determinat; conſequens à nullo conceditur; ergo dicta definitio competit alteri à definito. ſequela probatur, quia ſi non eſſet cauſa maximè, quia vt inquit Auctor, licèt determinet, at non cum virtute, ſed hoc dici nequit; nam virtutis nomen vel ſumitur præſsè pro ſola vi cauſatiua. & hæc cum ſit, vel æquè ignota, vel ignotior cauſa, eſt inepta ad definiendam ipſam cauſam; vel ſumitur latè, & ſic falſum eſt terminum non determinare relationem cum virtute. quia id quod determinat aliud ad exiſtendum, niſi vim, & virtutem determinandi illud haberet, perperam determinaret; & ſic quodlibet hoc munus exercere poſſet; quod manifeſtè repugnat.

Dices virtutis nomine venire quid ſimile ei quod experimur, in nobis, quando mouemur, & operamur, ſed contrà: quia nos multa experimur ex quibus quædam ſe habent, vt merè determinatiua, alia verò vt cauſatiua, abſque eo quod diſcrimen aliquod inter ea experiamur; ergo tradita virtutis explicatio petita ab experientia eſt inutilis.

10 Octauò Quiedus *controuerſ. punct. 1. §. 3.* ſic maluit cauſam definire: *Eſt principium influens per influxum, ex ſe formaliter defectibilem.* Sed contrà eſt quia licèt ſic benè ſaluetur, quod Pater æternus non ſit cauſa Verbi, at nimis ſtrictè ſentitur de cauſa, nam ſi Deus per impoſſibile eſſet agens neceſſarium reſpectu mundi, ſicuti eum poſuit Ariſtoteles, nec non etiam ſi per actionem creatiuam ſibi identificatam, tanquam per influxum actualem influeret in ipſum mundum, ſicuti volunt Thomiſtæ, adhuc eſſet verè cauſa mundi, & mundus effectus illius; ſed in hoc caſu Deus non influeret in mundum per influxum ex ſe formaliter defectibilem; ergo ratio cauſæ non benè ſaluatur per hoc, quod per influxum defectibilem influat.

Reſponderi poteſt ex ipſo Quiedo *n. 18.* Thomiſtas, qui dicunt creationem identificari cum Deo, atque adeò entitatiuè eſſe indefectibilem, velle tamen ſecundum formalitatem actualis influ-

Digitized by Google

subiecto & secundum exercitium actionis, posse desinere. De facto enim ponunt eam fuisse ab æterno, quia ex vi illius aliquid emanaret; sufficiens autem huiusmodi defectibilitas in influxu sumpti formaliter in ratione influxus, vt prius ordinem ad illam constituat causa, & distinguatur à generatione Verbi, & spiratione Spiritus sancti, vtraque enim hæc non solum realiter, sed etiam formaliter accepta est indefectibilis.

11 Sed contrà est, quia si tantum ponitur à Theologis huiusmodi defectibilitas in actione creativa identificata cum Deo, in quantum de fide est Deum liberè producere, quidquid producit ad extra, quod etiam ipse author docet citato fatetur dum ideircò ait huiusmodi actionem secundum rationem formalis influxus fore defectibilem, quia potuit existere de facto sine termino, aequivalet hypothesi impossibili, quod Deus necessariò, & æternò creasset mundum, iam huiusmodi defectibilitas cessaret, quia posito mundo ab eius libertate minimè penderet, & implicaret existentia actionis absque actuali coniunctione ad existentiam mundi, ergo huiusmodi influxus creativus 71 neque secundum realitatem, neque secundum formalitatem, & exercitium actionis defectibilis esset.

Respondebis fortè quis, duplicem defectibilitatem considerari posse in influxu Dei in mundum secundum formalitatem, & exercitium actionis considerandum. vnam intrinsecam, extrinsecam alteram; intrinseca habetur per ordinem ad terminum: quando enim terminus ex suis intrinseeis est defectibilis, & indifferens quantum est de se ad existendum, & non existendum, refundit procul dubio defectibilitatem quamdam in influxum per quem producitur, à qua defectibilitate dictus influxus intrinsecè constituitur defectibilis; quatenus suam specificationem, & essentiam à termino illo desumit, defectibilitas verò extrinseca, quæ supponit intrinsecam esse, quando influxus ille in ratione actualis exercitij actionis, non solum tendit in terminum defectibilem, sed etiam subijcitur libertati, & indifferentiæ causæ, ita vt causa sit libera ad ponendū, vel non ponendum effectum; quo posito dici potest quod ex hypotesi, quod Deus fuisset agens necessarium quoad primam positionem mundi ab æterno, & posito etiam quod actio creativa esset, eo ipso identificata: adhuc dicta actio haberet defectibilitatem intrinsecam sibi prouenientem à termino, qui esset creatura, qua defectibilitate careret productio Verbi, & Spiritus sancti: ergo adhuc staret quod Deus produxisset mundum per influxum ex se formaliter defectibilem; sed contrà: falsum enim esse, quod defectibilitas termini in tali casu refunderet defectibilitatem intrinsecam in influxum secundum formalitatem exercitij actionis considerandum: sic suaderem à pari, quamuis enim mundus hic sit secundum se, & intrinsecè defectibilis, nō refundit tamen vllam intrinsecam defectibilitatem in actum voluntatis, quo Deus eum efficaciter ab æterno existentem voluit, etiam si huiusmodi actus non sumatur secundum entitatem suam, secundum quam constat necessarium esse, sed secundum formalitatem decreti efficacis, vt ex prima parte suppono: sed eadem modo in illa duplici suppositione influxus ille in ratione exercitij actionis respexisset mundum, ac illum de facto respicit huiusmodi actus formaliter consideratus; ergo falsum est, quod defectibilitas termini, in casu nostro, refunderet defectibilitatem intrinsecam in influxum illum secundum formalitatem exercitij actionis consideratum, & ratio huius est, quia sicut cognitiones, & volitiones diuinæ non specificantur intrinsecè à suis obiectis secundarijs, ita neque influxus ille ex hypotesi ponitur.

Quod si dicas non posse à nobis negari aliquam defectibilitatem influxum illum in ea suppositione obtenturum à mundo, quam non habent de facto influxus illi per quorum vnum Verbum procedit à Patre, & per alterum Spiritus sanctus à Patre, & Filio sufficere autem hanc defectibilitatem ad verificandum, quod Deus sit causa mundi, non verò quod Pater sit causa Filij, neque quod Pater, & Filius sint causa Spiritus sancti. Quare rectè definiri causa per hoc, quod sit principium influens per influxum ex se formaliter defectibilem, sua enim hæc defectibilitas sit illi extrinseca, siue intrinseca parum refert; Contrà est: quia sic tota defectibilitas influxus se teneret ex parte termini extrinseci; quare rectius definiri debuisset causa per ordinem ad terminum sui sic: est principium influens in terminum defectibilem, vel in aliquod defectibile. hoc enim modo ex vna parte definitio paucioribus verbis constaret, & traderetur per aliquid, quod magis per se directè, ac principalius ad causam pertinet, quā influxus: ex alia verò ad eam explicandam non opus esset circuitione defectibilitatem influxus, per defectibilitatem sui termini explicando: ergo, &c. his igitur causæ definitionibus posthabitis.

Sit nostra Conclusio: rectè causa definitur cum dicitur: (esse principium per se influens esse in aliud) ita Suarez *disput. 15. metaph. sect. 2. nu. 3.* quem sequuntur Comptonus *in sua physica disp. 18. sect. 1.* & alij Recentiores, quos sequitur Quiros *in suo cursu disput. 51. sect. 2. n. 1.* 12

Et quidem ly, (principium) habet se loco generis proximè superioris, in quo causa conuenit cum omni eo quod rationem principij participat, ly. (Per se) distinguit causam definitā à causa per accidens, de qua Aristot. *hic tex. 30.* & nos post disputationes de causis per se acturi, sumus. dicitur præterea, (influens esse) quæ particula in significatione propria accepta significat communicare esse. Causa enim debet dare, & communicare esse rei, cuius dicitur causa; ita vt huiusmodi res ab ea vere in suo esse dependeat; defectu cuius conditionis priuatio non est causa mutationis, quia non influit in illam per verum realem, & positiuum influxum; & propter eandem rationem excluduntur termini actionis, vnionis, & relationis, à ratione causæ respectu eorum, quorum termini sunt.

Dicitur denique (esse in aliud) vt notetur sufficere ad constituendam rationem causæ communicationem cuiuscunque esse, sed hoc esse, debere esse distinctum ab entitate causæ, iam quod definitio sic explicata ritè tradita sit probatur; quia

Digitized by Google

competit omni, & soli causæ, & quidem si particula, influit sumatur nominaliter, ita vt sensus sit, causa est principium influxiuum, competit causæ secundum quod habet vim causatiuam, & in actu primo: sin autem accipiatur verbaliter pro principio actu influente, verificatur de causa in actu secundo involuente ipsam actualem causationem tanquam rationem formalem.

33 Obijcies primò: Pater æternus in Diuinis est principium per se influens esse in Filium; sed Pater æternus, vt fide constat non est causa filij; ergo falsum est causam esse principium per se influens esse in aliud. maior patet, quia non potest excogitari maior influxus illa generatione, in qua Genitor communicat Genito totum suum esse.

Respõdeo distinguendo maiorem: Pater æternus est principium per se influẽs esse in Filium, ita vt Filius sit aliud a Patre, nego minorem; ita vt filius sit alius à Patre, concedo maiorem; & concessa minore, nego consequentiam. Quia vt rectè notat Vasquez *prima parte disp. 131. cap. 1.* alius masculinè significat distinctionem suppositi, aliud verò neutraliter distinctionẽ naturæ. Ideoque verum est, quod pater est alius à filio, & quod in diuinis est alius, & alius; falsum tamen quod pater est aliud à filio, & quod in diuinis est aliud, & aliud; quod confirmat auctoritate trium Conciliorum, Ephesini, Toletani, & Lateranensis, nec non etiam multorum Patrum Testimonio, videlicet Basilij, Augustini, Leonis, Anselmi, Hilarij, & aliorum: vt mirum sit quod Arriaga *num. 3.* hanc Suarij definitionem impugnet ex eo quod competat Patri in diuinis respectu filij, eo quod de vtroque potest cum veritate affirmari, quod sit aliud; atque aliud suppositum: debebat tamen aduertere diuersam habere significationem aliud, simpliciter, & sine addito prolatum, ac cum additamento particulæ (suppositum) nam sine addito naturæ diuersitatem importat; at verò cum addito solam suppositorum distinctionem; vnde non rectè ex eo quod pater sit principium influens esse in aliud suppositum inferri potest, quod sit principium influens esse in aliud, procedit enim à secundum quid, ad simpliciter.

34 Instabis: ex Ouiedo *loco cit. n. 5.* illud aliud, in quod influere debet principium, vt habeat rationem causæ, vel importat rigorosam naturam, vel minus rigorosam, quatenus confunditur cũ prædicatis essentialibus cuiuscunque rei, siuè sit accidens, siuè substantia, siuè modus, siuè res; non primum quia sequeretur quod natura creata influens actiuè, & passiuè in propriam subsistentiam non esset causa illius, quia subsistentia non est natura rigorosè accepta; ergo secundum: sed sic definitio competit Patri in diuinis respecte filij; siquidem subsistentia filij producta habet propriũ conceptum quidditatiuum realiter distinctum à persona patris; ergo &c.

Respondeò: concessa maiore; eligo secundum membrum; sed nego ex eo sequi, quod definitio competat Patri in diuinis, & ad huius probationem distinguo assumptum, subsistentia filij producta habet proprium conceptum quidditatiuum realiter distinctum à persona patris, ita vt possit dici aliud à patre, nego; ita vt possit dici alius, concedo; dum enim relationes diuinę identificantur cum essentia, sicuti de ipso filio non verificatur quod sit aliud à patre ratione identitatis in natura cũ illo, ita propter eamdem rationem non potest verificari, quod sit aliud a patre ipsa subsistentia filij.

Neque dicas eamdem numero responsionem adhiberi posse ab Arriagâ ad defendendam suam definitionem, contrà nostrum argumentum dicendo, quod relationes diuinæ non dicuntur habere absolutè essentiam propter identitatem, quam habent cum natura diuina, & sic non posse verificari de Patre, quod per se influat producendo essentiam filiationis; contrà enim est, quia per hunc auctorem de verbo potest dici, quod sit aliud à patre, hoc est in supposito; ergo dum pater producit Verbum, ad hominem, dici debet quod influat in essentiam filiationis; quare si ab Arriagæ mente præscindamus rectè dixit Ouiedus *num. 3.* definitionem eius in nihilo à Suarij definitione differre, mihi tamen videtur absolutè loquendo illi post habenda, saltem quia est redundans, vti dicebam supra.

Obijcies secundò: ex eodem Arriaga ibidem: potest idem per secundam actionem producere 35
secundò se ipsum, & de facto ipse Suarez docet Christum Dominum se ipsum in Eucharistia producere; sed tamen non influit esse in aliud, natura enim causæ, & causati est eadem numero; ergo, &c.

Ad hoc argumentum respondet Competonus *disput. 19. sect. 3. num. 2.* casu quo idem eleuetur ad seipsum secundò producendum, non fore causam sui, sed solum principium. verum contrà hanc solutionem facit, quia illa secũda productio est vera causalitas; nullus enim admittit actionem creatam, quæ proprijssimè non sit causalitas, vt benè notat Ouiedus *num. 14.* ergo principium à quo procedit, est vera causa, hoc enim intelligimus nomine causæ; sed huiusmodi principium influit esse, & non in aliud in casu posito; ergo &c. Melius igitur respondendum videtur, data maiore, negando minorem, ad rationem autem in contrarium dicendum, quod licet in tali casu natura sit eadem realiter in causa, & effectu; attamen in ratione producentis, & producti realem importat distinctionem, nisi enim aliquid realiter distinctum naturæ producentis superaddatur, implicat intelligere quod aliquid seipsum secũdò producat; & quidem in mea sententia, qui pono realem distinctionem inter actionem, & terminum: dico, hoc esse secundam productionem de nouo positam; qui verò dictam distinctionem negant, videant ipsi ad quod nam recurrere debeant. Iam verò secundam productionem distinctam, vt nos tenemus sufficere ad hoc, vt id quod producitur dicatur aliud à producente, patet ex eo, quia sic sumptum id quod producitur habet propriam essentiam realiter diuersam ab essentia illius, quare sicuti calidum rectè dicitur aliud ab igne, quem includit, tanquam subiectum, ratione caloris, qui realiter ab illo distinguitur, vnde est quod possit esse effectus illius: ita & productum per secundam actionem in casu nostro, quamuis enim habeat eandem naturam rigorosè sumptam cũ producente, habet tamen diuersam minus rigorosè acceptam consistentem in ipsa productione, quod non est reperire in diuinis, Obij-

Digitized by Google

16 Obijcies tertiò: non eſt maior ratio cur cauſa potius definiatur à nobis per ordinem ad aliquatem effectus naturaliter acceptam eam Suarez: quam per ordinem ad defectibilitatem cũ Quiedo: aliunde autem videtur magis ad mentem Patrum eam definire per ordinem ad defectibilitatem, quia vt idem Quiedus 2. 2. probat ob nihil aliud Latini Patres negarunt in Diuinis Patrem eſſe cauſam Filij, quam ne Filium Patri inæqualé, creatum, & finitum compellare viderentur; ergo rectius videtur definienda cauſa, principium influens in terminum defectibilem, quam influens eſſe in aliud.

Reſpondeo: negando antecedens; & ratio negationis eſt, quia diuerſitas entitatiua effectus videtur per ſe formaliter pertinere ad conſtituendam rationem cauſæ, at verè eius defectibilitas non niſi materialiter; Hoc probo dupliciter primo quidem ex D.Th. *p. par. quæſt. 33. art. 1.* ad primum, vbi aſſignans rationem, cur Pater in Diuinis dicatur principium Filij, & non cauſa, ſic habet: Hoc nomen cauſa videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij. vbi vides ad conceptum cauſæ formaliter pertinere diuerſitatem ſubſtantiæ, quod ſi addit, dependentiam alicuius ab alio, facit potius pro nobis: hoc enim ipſo, quod nomen dependẽtiæ accipias pro influxu, & duo ſequentia verba neutraliter intelligas, iam habes exactam explicationem definitionis P. Suarez. Secundò idem probo ratione, quia ſi per impoſſibile Pater, & Filius, ſicuti ſunt diſtincti realiter in perſonis, ita eſſent in natura, atque adeò eſſent plures dij æquales inter ſe: proculdubio Pater exiſtimandus eſſet cauſa, & Filius effectus, quod non haberetur ſi per impoſſibile poneretur identitas cum inæqualitate. Ad id verò quod dicebatur de Patribus ad defectibilitatem, & finitatem affectus in cauſæ explicatione confugientibus. Dico id feciſſe Patres, quia poſita per impoſſibile in Diuinis diſtinctione in natura inter Patrem, & Filium, quam ratio cauſę, & effectus primariò importat, ſequitur euidenter Filium dum accipit eſſe à Patre fore finitum, & defectibilem; & quia hæc ratio erat apparentior, & plauſibilior quamuis conſequens, ideò Patres maluerunt de ea potius facere mentionem, quam de præcedente.

17 Obijcies quartò: Verbum Diuinum ſpecialiter eſt principium per ſe influens eſſe in humanitatem Chriſti Domini, & tamen non eſt eius ſpecialis cauſa, quia effectus ad extra, ſunt toti Trinitati communes; ergo non rectè tradita eſt deſcriptio cauſæ; competit enim alteri à definito; antecedens probatur, quia Humanitas Chriſti in quantum terminatur a perſona Verbi, non autem à perſona Patris, vel Spiritus Sancti ſpecialiter dependet ab ipſo Verbo.

Reſpondeo: negando primã antecedentis partem; ad eius autem probationem, dico quod Verbum Diuinum non tribuit ſpecialiter eſſe humanitati beatæ per ſpecialem influxum, ſed illam ſolum terminat: terminare autem nõ eſſe cauſare patet, tum ex puncto, quem nemo dixerit cauſare lineam, cuius eſt terminus: tum etiam ex creata ſubſiſtentia, per quam ſubſtantialis natura ſubſiſtit, quæ ad nullum genus cauſę pertinet: & per hoc patet humanitatem Chriſti non dependere à Verbo, vices creatæ ſubſiſtentiæ reſpectu illius ſupplente. quod ſi Verbum conſideretur quatenus ipſam perficit humanitatem, compoſitumque quoddam cum illa conſtituit, concedunt Patres Conimbricenſes *2. phyſ. cap. 7. quæſt. 1. art. 3.* illud exercere munus cauſæ formalis reſpectu dictæ humanitatis; putant enim ſufficere, quod effectus ad extra in genere ſolius cauſæ efficiẽtis ſint omnibus tribus perſonis communes, non autem in omni genere. neque inde ſequeretur, quod Chriſtus Dominus ſecundum ſe totum eſſet cauſatus, vt putat Quiros *in ſuo curſu Diſput. 51. num. 4.* Dici enim poteſt, quod ſicuti correlatiuum principij in communi ſententia non eſt principiatũ, ſed id quod eſt à principio: ita neque relatiuum cauſæ ſit cauſatum; ſed id, quod eſt à cauſa. Verũ ſubtilius alij id negant, quia putant ad cauſandum aliquid intrinſecè per modum partis requiri neceſſariò incompletionem ſe tenentem ex parte cauſæ dicentis ex ſuis intrinſecis ordinem ad totum conſtituendum, quod non habetur in Verbo Diuino reſpectu humanitatis, quamuis illam reddat non ſolum ſubſiſtentem, ſed etiam exiſtẽtem, vti, Deo dante, ſuo loco videbimus.

SECTIO SECVNDA

Expenduntur aliqua, quæ ad cauſam in actu primo conſideratam pertinent.

18 QVoniam cauſa dupliciter conſiderari poteſt in ordine ad effectum producendum: primò ſecundum ſuam intrinſecam virtutem cauſatiuam, & energiam, quam habet ad dandum eſſe effectui: ſecundò veluti circumſtantiata omnibus illis alijs adminiculis, atque conditionibus, quibus eius virtus intrinſeca exigit adhoc, vt de facto influat in illum; ſiquidem non ſufficere ſolam virtutem cauſatiuam cauſæ ad de facto ponendum effectum; conſtat ex eo, quia alioquin, cum cauſa habeat huiuſmodi virtutem ſibi identificatam ſemper deberet totum id, quod producere poteſt, actu producere: præter igitur virtutem cauſatiuam non nullas ad cauſandum conditiones requirit, quæ licet non influant in effectum, expoſcuntur tamen ab ipſa cauſa, vt ipſa de facto influat, quo poſito ſit.

19 Vnica Concluſio: duplicem actum primum in cauſa reſpectu effectus conſiderare poſſumus; vnus eſt remotus, & incompletus; alter verò proximus, atque completus: prior importat ſolam virtutem intrinſecam cauſæ, ſecundum quam eſt potens cauſare effectum; poſterior verò includit totum id, quod præſupponitur ad actum ſecundũ, ſeu ad actualem productionem effectus. Probatur, quia cauſam eſſe in actu primo ad effectum, idem ſignificare videtur, ac eſſe in potentia ad dictum effectum; ſed in duplici potentia eã conſiderare poſſumus in odine ad effectum, in potẽtia remota, & in potentia proxima: ergo & in duplici actu primo; remoto vno, altero proximo;

Idem-

Digitized by Google

Idemque ſignificabit, eam eſſe in actu primo remoto, ac eam eſſe in potentia remota, & eam eſſe in actu primo proximo, ac eſſe in potentia proxima; atqui cauſa in potentia remota ad effectum dicit ſolam virtutem intrinſecam cauſatiuam, ſecundum quam eſt potens cauſare effectum, in potentia verò proxima, dicit habere totum id quod ad exeundum in actum ſecundum ſibi neceſſarium eſt; ergo idem ſentiendum eſt de acceptione cauſæ in actu primo remoto, & incompleto, & de acceptatione eiuſdem in actu primo proximo, & completo.

20 Quoniam verò cauſa in hac ſecunda acceptatione ſumpta importat virtutem vndequaque expeditam ad actu cauſandum; ad hanc autem expeditionem aliqua neceſſaria ſunt tanquam puræ conditiones. Videndum reſtat quænam hæc tandem ſint. Quamuis autem exacta illorum enumeratio non poſſit vniuerſaliter tradi; ſiquidem pro diuerſitate cauſarum diuerſa complementa virtutum requiruntur; poſſunt nihilominus quædam communia omnibus aſſignari, pro quibus ſupponendum, aliud eſſe aliquid requiri ex parte actus primi, aliud verò ad actum primũ. illud intelligo requiri ex parte actus primi, quod formaliter ad dictum actum remotum conſtituendũ neceſſarium eſt: illud verò ad actum primũ, quod materialiter tantum, ſiuè concomitanter; exemplum prioris ſit animalitas reſpectu viſionis, niſi enim inter principia actus primi viſionis intelligatur eſſe animal, impoſſibile eſt per ſe loquendo, quod huiuſmodi actus primus conſiſtat: poſterioris verò eſt materialitas, vel ſpiritualitas formæ ſubſtantialis ipſum animal conſtituentis; cum enim viſio poſſit, æque bene procedere à forma ſpirituali, quæ eſt in nobis, & à materiali, quæ eſt in Brutis, vtraque ratio pertinet quidem ad actũ primum illius, quia nequit genus exiſtere ſine differentia; ſed neutra requiritur ex parte dicti actus, quia materialiter tantum neceſſe eſt, vt animal potens videre, vel ſpiritualem formam habeat, vel materialem. Hoc autem poſito.

Dico primò: cauſalitas, ſeu cauſatio, neque ſe 21
tenet ex parte actus primi, neque requiritur ad actum primum. Probatur quia cauſalitas, ſeu cauſatio eſt actualis influxus, quo vtraquæque cauſa in ſuo genere actu influit in effectum, vt probat Suarez. *diſput. 12. metaph. ſect. 2.* ſed actualis influxus eſt id, per quod cauſa fit in actu ſecundo cauſans; ergo cauſalitas, neque ex parte actus primi, neque ad actum primum pertinere poteſt; actus enim primus, & ſecũdus, vt tales opponũtur.

Dico ſecundò: negatio impedimenti amouibi- 22
lis à cauſa per effectum non ſe tenet ex parte actus primi, neque ad actum primum pertinet.

Pro explicatione, nota quod duo impedimẽtorum genera poſſunt habere cauſæ ad ſuos effectus producendos, vnum eſt id, quod licet ex genere ſuo ſit excluſiuum effectus propter oppoſitionem, quam habent ad inuicem: tamen cauſa, eo non obſtãte, præualet, eumque producit, illoq; mediante dictum impedimentum deſtruit, & huiuſmodi impedimentum eſt forma ligni v.g. reſpectũ ignis habentis virtutem ignefaciendi lignum: aliud eſt inauferibile à cauſa, vel ſimpliciter, vel ſolum ſecundum quid; & eſt illud, quod ita de genere ſuo eſt excluſiuum effectus, vt cauſa non habeat vim præualendi contra illud, vel abſolutè, vel ſaltem medio illo effectu, in ordine ad quem conſideratur in actu primo: de hoc poſteriori genere impedimenti paulo poſt: nunc loquendo de priori dicimus negationem impedimenti amouibilis non ſe tenere ex parte actus primi, neque ad actum primum requiri.

Probatur: quia hoc ipſo, quod impedimentum 23
eſt à cauſa amouibile per effectum, eius negatio non habetur antecedẽter ad poſitionem effectus; ſed ea, quæ ſe tenent ex parte actus primi, vel ad ipſum pertinent, debent præintelligi ad effectũ ſicuti præintelligi debet ipſe actus primus proximus ergo &c.

Dico tertiò: negatio impedimenti inamouibi- 24
lis à cauſa ſe tenet ex parte actus primi proximi non remoti. quod non ſe teneat ex parte actus primi remoti patet, quia non eſt virtus cauſatiua effectus. quod ſe teneat ex parte proximi.

Probatur, quia impedimentum ad cauſandum aliquem effectum dupliciter, (vt modo dicebam) poteſt intelligi eſſe inamouibile à cauſa. Primò ſimpliciter, & quidem huiuſmodi impedimentum habet calor naturalis hominis ad producẽdam formam carnis in ferro, marmore, &c. non enim habet vires deſtruendi horum diſpoſitiones, eaque in ſubſtantiam aliti conuertendi; Secundò ſecundum quid, hoc eſt mediante ipſo effectu in ordine ad quem cauſa dici debet in actu primo proximo, licet de reliquo amouibile ſit ab ipſa cauſa medio alio aliquo effectu, & huiuſmodi impedimentum eſt humiditas ligni v.g. reſpectu ignis, prout habentis virtutem producendi formam ignis in ipſo ligno; quamuis enim humiditas ſit indiſtruibilis ab igne quatenus poterit producere formam ignis in ligno, eſt tamen deſtruibilis ab eodem quatenus potente producere in eo ſiccitatem, quæ eſt humiditati contraria.

Iam verò negationem vtriuſque impedimenti 25
tenere ſe ex parte actus primi proximi ſuadetur ex cauſa libera, hæc enim non poteſt intelligi in actu primo proximo ad libere operandum, cum determinatione ad vnum: ſiue demum ipſa poſſit à dicta prædeterminatione ſe eximere, eamque à ſe repellere ſiuè non; caſu enim quo nõ poteſt, huiuſmodi impedimentum eſt inamouibile ſimpliciter ab ea; ſi verò poteſt, ſecundum quid tantum, hoc eſt reſpectu illius libertatis præcisè, quam habet in ordine ad illum actum, cuius eſt impedimentum; vnde eſt quod voluntas huiuſmodi impedimento durante non poſſit actum illum elicere, ſed prius debet dictum impedimentum à ſe excludere; cum autem non videatur eſſe maior ratio, cur negatio impedimenti vtroque modo inamouibilis reſpectu cauſæ liberæ ſe teneat ex parte actus primi, & nõ etiam reſpectu cauſæ neceſſariæ, dicendum eſt quod reſpectu cuiuſcũq; cauſę huiuſmodi negatio hac ratione ſe habent.

Non acquieſcit huic paritati Ouiedus *contr.* 26
7. punct. 2. n. 4. & 5. quamuis enim poſito impedimento inauferibili exiſtimet deſtrui actum primum liberum, ſeu libertatem in actu primo ratione cuius potentia dicitur proximè libera ad operandum, non tamen putat tolli actum primum neceſſarium; quare docet ignem applicatũ paſſo

fri-

Digitized by Google

frigidus à calore frigiditate penitus impedietur, ne aliquis calor in eo producat, adhuc esse in actu primo ad illud calefaciendum, quod probat primò à posteriori sic. Si tantum esset in actu prima causa necessaria quando potest exuis secum impedimentum superare, nunquam daretur resistentia causarum, quia vbi non sunt duo contraria in actu primo, non potest esse resistentia; hæc enim dicit virtutes resistentes in actu primo, sed per nos illa, quæ vincere non poterit impedimentum, non erit in actu primo; ergo &c.

Verum ad hoc responderem negando sequelã & ad eius probationem dicerem: resistentiam haberi per hoc, quod agens contrarium ita est passo applicatum, vt habeat omnia, quæ necessaria sunt ad agendum: negationem resistentiæ, seu impedimenti proueniẽtis ex parte passi demas; vnde sic, vt mutua causarum resistentia dicat quidem virtutes earum in actu primo inuicem applicatas, sed non in actu primo proximo completo; ex parte cuius actus nos contendimus sequi necessario negationem impedimenti inamouibilis.

27 A priori idem secundò probat auctor sic: actus primus physicus, tantum dicit potentiam physicã ad operandum, sed cum potentia physica ad operandum componi potest impedimentum ad operandum; ergo negatio huius impedimenti non est de ratione actus primi physici: minorem probat, quia qui habet potentiam cum omnibus alijs circumstantijs ad ambulandum, simpliciter dicetur potens deambulare, etiam si habeat impedimentum ne de facto ambulet.

Respondeo tamen distinguendo maiorem, actus primus remotus, & incompletus, tantum dicit potentiam physicam ad operandum, concedo: proximus, & completus, nego maiorem; & concessa minore, distinguo consequens: negatio impedimenti nõ est de ratione actus primi incõpleti, & remoti concedo: proximi, & completi, nego consequentiam; Radix deceptionis est, quia non distinguitur inter vnum, & alium actum primum; Porrò ratio ob quam ille, qui habet potẽtiam cum reliquis circumstantijs ad ambulandũ, dicatur simpliciter potens deambulare, etiam si habeat insuperabile impedimentum est, quia potens aliquando sumitur pro concreto ex subiecto, & potentia ad aliquid causandum: aliquando verò pro conflato ex subiecto, & potentia omni ex parte expedita, & omni prorsus impedimento carente; vnde de eodem homine potẽte ambulare, inauferibile tãtũ impedimẽtũ habente, dicere solemus eũ posse ãbulare, & nõ posse; quia posse, modo vno, modo altero modo vsurpamus.

28 Sed contrà hoc argui potest tertiò ex eodem sic: animal potens quoad intrinseca ambulare etiã ratione impedimenti à se inauferibilis sit impotens, non physicè, sed moraliter est huiusmodi; atqui actus primus liber non solum dicit potentiam Physicam, sed moralem ad vtrumque terminum indifferentiæ. iure igitur negatio impedimenti inauferibilis dicitur se tenere ex parte actus primi liberi, non verò ex parte actus primi necessarij. minor sic euincitur, quia actus primus liber opponitur cum omni determinatione preuia siuè intrinseca, siuè extrinseca ad actum secundum; contrà verò actus primus necessarius requirit solum determinationem intrinsecam ad effectum: quidquid ergo alicuius impedimenti inauferibilis habeat extrinsecam determinationem ad negationem illius.

Respondeo negando maiorem: causis enim necessarijs non videtur quomodo, impotentia moralis conuenire possit, quia hæc attenditur penes mores, vel libertatem, neutrum autem agens necessarium habet; vanum ne vim in verbis facere videamur, existimo quod in ratione ad rationem actus primi proximi, & completi habẽdam, eodẽ modo repugnat causæ liberæ determinatio extrinseca ad vnum terminum suæ indifferentiæ, ac repugnet causæ necessariæ determinatio extrinseca ad negationem sui effectus; cum enim de ratione huius actus primi sit potentia vndequaque ad operandum expedita, non minus destruet determinatio extrinseca ad negationem sui effectus, hunc conceptum in causa necessaria, quam determinatio extrinseca ad vnum terminum suæ indifferentiæ in causa libera.

Dico quatò: possibilitas causalitatis, & effectus in particulari non solum requiritur ad actũ primum proximum quomodocunque, sed ita vt etiam se teneat ex parte ipsius actus primi. 29.

Prima pars probatur, quia actus primus proximus continet omnia, & quæ prærequiruntur ad ponendum de facto effectum, ita vt inter ipsum, & positionẽ effectus nihil aliud intercedat: ac quid ad ponendum de facto effectum prærequiritur possibilitas eius, & actionis; nisi enim præintelligantur saltem implicitè possibilis effectus; & actio per quam fieri debet, numquam poterit intelligi poni effectus actualis; ergo actus primus proximus causæ, importabit possibilitatem effectus, & actionis saltem tanquam aliquid pertinẽs ad dictum actum primum conficiendum. Quod verò etiam illa importet tanquam aliquid requisitum ex parte eiusdem actus primi: 30

Probatur etiã: quia ex parte actus primi proximi requiritur decretũ Dei applicans omnipotentiam suam ad concurrendum cum causa; sed hoc decretum, vt tale est, pendet à possibilitate effectus, & actionis; siquidem nil volitum quin præcognitum; ergo ex parte actus primi possibilitas effectus, & actionis necessaria est; maior patet, minor suadetur, quia nisi Deus vtriusque possibilitatẽ præcognosceret, proculdubio se exponeret, periculo frustrationis decernendo concurrere cum causa ad dictum effectum; quare possibilitas, tum effectus, tum actionis se habent, vt motiuum saltem inadæquatum decreti Diuini. Neque dicas cum Ouiedo *num.* 9. ex his solum deduci possibilitatẽ effectus, & actionis esse necessariam ex parte actus primi remoti, non verò proximi, in quantum requiritur ex parte actus primi ipsius decreti de concurrendo, quod se habet, vt causa respectu effectus: Contrà enim est nomine enim actus primi proximi non venit per nos aliquid contradistinctum ab actu primo remoto, sed solum addit aliquid aliud supra illũ; vnde quidquid requiritur ex parte actus primi remoti, requiritur etiam ex parte actus primi proximi, non tamen è contrà. Verum ad huiusmodi æquiuocationem tollendam dici rectè potest possibilitatem effectus, & actionis ratione decreti

Dei

Dei esse necessariam remotè ex parte actus primi proximi, ad differentiam eorum, quæ sunt proximè necessaria ad dictū actum constitiendū.

Quoniam verò hęc necessitas possibilitatis causalitatis, & effectus à nobis explicata, est intentionalis dumtaxat, nimirum in ordine ad voluntatem Dei applicantis suam potentiam ad producendum effectum cum cognitione possibilitatis ipsius; restat videndum an sit necessaria dicta possibilitas ex parte actus primi alio modo: & siquidem supponamus virtutem causatiuam dicere ordinem trāscendentalem ad suos effectus in particulari, putat Ouiedus, eam quidem requiri ad actum primum; non verò ex parte actus primi, quia ex vna parte si repugneret actio, vel effectus in hac via repugnaret actus primus illorū, quare possibilitas eorum pertinet ad actum primum: ex alia verò parte dicta possibilitas non requiritur vt actus primus existentiæ effectus, neque vt actus primus causarum dictæ existentiæ; ergo non se tenet ex parte actus primi.

33 Sed ego oppositum existimo, siuè enim supponamus causam dicere ordinem trāscendentalē ad suos effectus, siuè non: assero possibilitatem effectus, & actionis etiam se tenere ex parte actus primi; Ratio est, quam paulò ante tetigi; quia omne id quod prærequiritur formaliter ad ponēdum effectum, & non materialiter tantum, seu vt pura conditio, se tenet ex parte actus primi; sed huiusmodi est possibilitas effectus, & actionis; ergo &c. maior constat ex eo, quia nullo alio meliori modo potest distingui id, quod requiritur ex parte actus primi ab eo, quod requiritur ad ipsum actum primum, vt patet ex obscuritate, quæ vtrumque explicat Ouiedus *nu.* & minor verò suadetur; & siquidem supponamus essentiam plusquam ratione distingui ab existentia, res est euidens, quia omne id quod se habet, vt causa, c existentiæ effectus requiritur ex parte actus primi, sed essentia secundum se, atque adeò, vt possibilis se habet, vt causa existentiæ effectus, quam in se sustentat; ergo requiritur ex parte actus primi; sin autem putemus essentiam, & existentiam non distingui, probatur etiam eadem minor, quia nisi concipiatur effectus, & actio, per quam fit esse possibiles, impossibile est, vt habeamus formaliter in mente actum primum remotum absolutè productiuum eiusdem effectus. Sed ad summum conditionatum; Quod constat ex eo, quia vel supponimus causam trāscendentaliter ad effectum producendum referri; vel non referri sic. si primum certū est, quod si effectus ex possibili in impossibilem pertransire ponatur: causa ad destructionem sui transcēdentalis respectus destruatur. sin autem dicatur secundum quandiu actio, & effectus non intelligentur possibiles, non habebitur conceptus causæ absolutè, & simpliciter potentis, sed solum conditionatè, & secundum quid, quatenus per ipsam non stat quin simpliciter possit. Vtrumuis autem supponatur rectè deducitur possibilitatem actionis, & effectus prærequiri formaliter hoc est tanquam quid completiuum virtutis causatiuæ secundum se consideratæ in ratione actus primi remoti eiusdē effectus. Per quę patet responsio ad rationem in contrarium ex Ouiedo adductam.

Quiros in suo cursu *disput.* 51. *nu.* 10. quamuis nobiscum sentiat in secunda suppositione; discrepat tamen in prima; quia, inquit, si causa referetur ad effectum suum; ergo per se ipsam erit productiua *in actu primo*. Verum hoc consequens cum æquiuocatione procedit; dupliciter enim intelligi potest, quod causa sit per se ipsam productiua effectus. Primò vt idem sonet, ac per suam propriam vim, & non per alienam. Secundò, vt significet quod hanc vim sibi propriam habeat independenter ab alio quouis creato. In primo sensu vera est consequentia: falsa verò in secundo, quia virtus, quæ trāscendentaliter refertur ad effectum possibilem, essentialiter ab illo dependet; at qui hoc sufficit, vt eius possibilitas formaliter prærequiratur ad sui positionem à parte rei, quia ea cessante eius actus primus remotus euaneſcit; ergo si causa ad suum effectum possibilem essentialiter referetur; non erit per se ipsam, hoc est independenter ab illo, productiua ipsius. huius igitur possibilitas ex parte rationis causæ in actu primo consideratæ formaliter se tenebit.

Obijcies primò: ex Ouiedo *n.* 11. vel distinguis formaliter entitatem, vt possibilem à se ipsa, *vt* existente, vel non; si secundum; ergo sicuti entitas, vt existens non requiritur ex parte actus primi; ita neque vt possibilis. Si verò primum eligas cum distinctio formalis sit per intellectum sequitur solum quod intentionaliter tantum se teneat possibilitas ex parte actus primi, non verò physicè, & realiter. Confirmatur, quia quod non est physicè, absolutè non est; ergo non potest physicè actum primum constituere. 35

Respondeo, argumentum soluendum esse ab arguente, qui contendit possibilitatem effectus requiri ad actū primū quatenus non potest existere causa absolutè potens absq. eo quod effectus sit possibilis, etiā si nō dū sit positus à parte rei; omnes igitur debemus conuenire in eo, quod alius sit cōceptus rei, vt possibilis, & alius rei vt existentis, vt suo loco dicemus, & vnus aliquo modo prior alio; quare concessa maiore, eligo primū membrū, ad probationem in contrarium concedo distinctionem formalem esse per intellectum, sed nego sequelam; quemadmodum enim quamuis rationalitas formaliter tantum, & per intellectum distinguatur in homine à risibilitate, non sequitur ex hoc, quod intentionaliter tantum dicta rationalitas se teneat ex parte essentiæ hominis, & non realiter, ac physicè, ita neque quod possibilitas effectus ex parte actus primi. atque hic notarem in duplici sensu accipi posse, quod possibilitas intentionaliter se teneat ex parte actus primi; primò quatenus est obiectum alicuius actus intentionalis, cuiusmodi est decretum Dei de concurrendo, quod quidem decretum se habet, vt pars cōstitutiua actus primi; secūdò quatenus est obiectū actus intentionalis exprimentis realē essentiā actus primi, & vtroque modo possibilitas obiecti requiritur ex parte actus primi in mea sententia; quoniam verò sequela ab arguente inducta videtur sonare primum sensum tantum, non verò secundum: ideò neganda est; Ad confirmationem verò aio quod sicuti quando sunt priores partes motus, non sunt posteriores: & tamen ambæ sunt de essentia motus, ita licet res possibilis non sit 34

actu

Digitized by Google

actu, tamen poteſt eſſe de eſſentia actus primi ſaltem in ratione connotati in obliquo importati.

35 Obijcies ſecundò: ex Arriaga *diſput. 7. ſect. 2. n. 10.* actus primus de quo nos loquimur eſt phyſicus, & conſiſtit in virtute productiua cauſæ; ſed poſſibilitas effectus, eſt actus primus logicus; ergo impoſſibile eſt quod poſſibilitas effectus ſit neceſſaria ex parte actus primi de quo loquimur, Conſequentia ſuadetur; quia actus primus logicus excludit à ſe eſſe productiuum effectus, ſiquidem identificatur cum ipſo effectu, qui eſt actus ſecundus phyſicus, quatenus res poſſibilis non differt realiter à ſe ipſa actu exiſtente; ergo cauſa in actu primo phyſico, vt productiua actionis, & effectus nec per poſſibilitatem actionis, nec per poſſibilitatem effectus compleri poteſt, ſed benè per propriam entitatem ab illis contradiſtinctam.

36 Reſpondeo, conceſſa maiore, & minore, negãdò conſequentiam; ad cuius probationem diſtinguo aſſumptum: actus primus logicus excludit à ſe eſſe productiuum effectus, in recto, concedo; eſſe productiuum effectus in obliquo, nego antecedes, & conſequentiam. Explico diſtinctionem: verum quidem eſt poſſibilitatem effectus non poſſe eſſe virtutem cauſatiuam eiuſdem; ex hoc autem non ſequitur, quod ad habendam virtutem hanc abſolutè aptam ad operandum non debeat intelligi effectus poſſibilis in obliquo. Quare Argumentum, quod ſumitur ex incompoſſibilitate actus primi phyſici, & logici fundatur in falſa exiſtimatione, quod omnia, quæ quomodocunque neceſſaria ſunt ex parte actus primi contineãt vim cauſatiuam phyſicam effectus in recto.

37 Obijcies tertiò: quæ requiruntur ex parte actus primi ſunt priora natura in ordine ad effectum exiſtentem, ſed poſſibilitas effectus non eſt prior natura ipſo effectu exiſtente; ergo poſſibilitas effectus non requiritur ex parte actus primi.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem, quæ requiruntur ex parte actus primi, tanquam virtus productiua concedo: quæ requiruntur ex parte actus primi tanquam termini eſſentiales dictæ virtutis, nego maiorem: & ſic conceſſa minore: diſtinguo eodem modo conſequens. Poſſibilitas effectus nõ requiritur ex parte actus primi tanquam virtus cauſatiua, concedo; tanquam terminus eſſentialis dictæ virtutis, nego conſequentiam.

38 Obijcies quartò: cauſa in actu primo remoto eſt id, à quo oritur cauſalitas; ſed hæc non oritur à ſe vt poſſibili; quia poſſibilitas non eſt diſtincta ab exiſtentia: &, ſi diſtincta eſt, ante illam eſt omninò nihil; ergo cauſalitas vt poſſibilis non ſe tenet ex parte actus primi.

Reſpondeo; diſtinguendo maiorem: cauſa in actu primo ſecundum totum id; quod dicit eſt id à quo oritur cauſalitas, nego: ſecundum id quod dicit in recto ſeu de vi cauſatiua, concedo maiorem; & conceſſa minore, diſtinguo eodem modo conſequens cauſalitas, vt poſſibilis non ſe tenet ex parte actus primi, ſecundum id, quod actus primus dicit in recto, & de vi cauſatiua, concedo; ſecũdũ id, quod cõnotat in obliquo, & de termino dictæ virtutis, nego conſequentiam. explicatio diſtinctionis patet ex dictis.

SECTIO TERTIA.

An cauſa immediata in inſtanti in quo cauſat exiſtere debeat.

39 Concluſio eſt affirmatiua loquendo de tribus cauſis efficiente formali, & materiali, poſito quod effectus immediatè pendeat ab illis: contrà verò ſi loquamur de cauſa finali.

Aſſertio quoad poſteriorem hanc partem eſt euidens; cõſtat enim, ſæpè nos agere multa propter finem non adhuc à parte rei exiſtentem; ſic æger ſumit pharmacum propter ſanitatem, quam nec tunc, nec poſteà obtinebit, & Dux bellum gerit, vt victoriam conſequatur, in quo tamen ad perniciem remanet profligatus.

40 Quoad priorem partem, licet ſit communis; refellitur tamen à nonnullis Thomiſtis exiſtimãtibus ſufficere cauſæ phyſicæ immediatè ad actu cauſandum, quod immediate antea extiterit, etiã ſi quando actu cauſat, careat exiſtentia.

41 Contrà quos probatur à Quiros *diſp. 5. 2. n. 2.* aſſertio noſtra primò ſic: nemo dat quod aliquo modo non habet; ſed cauſa in inſtanti, in quo nõ exiſtit non habet exiſtentiam; ergo non dabit effectui exiſtentiam. Verum ad hoc argumentum negabunt aduerſarij minorem dicendo, quod cauſa in primo inſtanti poſt quam extitit habeat aliquo modo exiſtentiam, tum quia qui parum diſtat nihil diſtare videtur, tum etiam quia licet non habeat illam formaliter, habet tamen virtualiter in ſua cauſalitate.

Alij ſecundò ſic arguunt: ſi Thomiſtarum huiuſmodi ſententia vera eſſet: ſequeretur quod poſſet exiſtere aliquod compoſitum naturale pro eo inſtanti, pro quo neque eius forma, neque eius materiam exiſterent, poſito quod vtraque pars in inſtanti præcedenti compoſitum illud conſtituerint; atque adeò in eo inſtanti in quo primò eſt ignis genitus ex ligno corrupto, adhuc eſſet lignum; & ſic lignum eſſet, & non eſſet corruptum, quod inuoluit implicantiam manifeſtam. Sed hæc ratio non conuincit, poſſunt enim facilè reſpondere aduerſarij ſe non loqui de cauſis intrinſecis, hæ enim cum inadæquatè identificentur cum ſuis effectibus, repugnat, quod his exiſtentibus non exiſtant. Sed ſolum de extrinſecis, quæ contradiſtinguntur ab effectibus ſuis. Quoniam verò cõplures eorum volunt eorum diſtingui realiter à partibus collectiuè acceptis; videant ipſi quomodo ab inconſequentia ſic reſpondendo, ſe liberent.

42 Alij probant tertiò noſtram Concluſionem, contrà aduerſarios ſuam ſententiam modo dicto limitantes; quia ignis non eſt cauſa, intrinſecè ſuas vitales operationes componens; ergo immediatè poſtquam mortuus eſt poterit eſſe actu videns, audiens, guſtans, & ſimiliter homo, mereri demereri, &c. Sed hæc ſunt manifeſtè falſa; ergo &c. Verum neque hæc ratio eſt efficax, quia videns eſt compoſitum ex viſione, & ſubie-

Digitized by Google

cto viuente, videlicet constante ex anima, & corpore. Vnde sicuti in sententia Thomistarum, causæ intrinsecæ non possunt non existentes causare compositum, quia totum supponitur constare ex partibus suis, ita propter eamdem rationem, neque poterit animal immediatè antea mortuum videre, audire, peccare, &c. sicuti neque ob dictam rationem poterit subiectum non existens esse album, dulce, &c. & sic solutum remanet argumentum Hurtadi, quo vtitur contrà aduersarios *disp. 8. sect. 5.*

43 Quod si dicas te non curare de composito vidente, sed solum ex dicta sententia colligere, quod posset animal immediatè post mortem elicere visionem, auditionem, &c. quod omnes existimant esse falsum; Respondere adhuc poterunt Thomistę, quod si spectetur præcisè vis, quam habet animal producendi suos actus vitales; posset vtique immediatè post mortem eos producere: quia tamen dicta productio esset frustratoria; nam finis producendi hosce actus est perficere vitaliter seipsum, & cum illis componere, qui finis mortuo animali non posset haberi: idcirco omnibus pensatis verissima est communis existimatio, quod animal mortuum non possit vllas vitales operationes elicere; quæ responsio adhibenda etiam videtur argumento, quo vtitur Arriaga *nu. 46.* ad probandam causam non existentem non posse causare; quia inquit repugnat naturaliter etiam per instans accidens esse sine subiecto; dici enim potest, ideò hoc esse quia finis causæ materialis est componere cum forma, quam sustentat, & ab ea perfici, ac denominari, qui cessaret casu, quo accidens materiale ad breue tempus à suo subiecto antea existenti dependeret: his igitur rationibus posthabitis.

44 Probatur tertio assertio quia vt fatentur huiusmodi Thomistæ causa realis, quæ numquam extitit nō potest in hoc instanti aliquid operari, posito quod in hoc instanti sub negatione existentiæ perseuerat, etiam si immediatè post hoc instans extitura sit, & per consequens parum à sua existentia distet; ergo neque poterit illa, quæ immediatè ante hoc instans extitit, posito quod in hoc instanti sit sub negatione existentiæ; consequentia euincitur, quia in ordine ad hoc instās non habet plus virium illa causa, quæ immediatè antea fuit, quam illa, quæ nunquam. per corruptionem enim omnia deperdidit, imo peioris conditionis est, quam si numquam fuisset: quatenus id, quod nunquam fuit potest naturaliter in posterum existere, quod non habet id quod corruptum est; ergo non est cur possit potius immediatè postquam extitit causare aliquid.

45 Respōdet Cabezudo *3. par. q. 6. art. 1. difficult. 5.* Causam quæ immediatè antea extitit manere posse in virtute; vnde quamuis omnia quæ habebat in se per corruptionem perdiderit esse poterit melioris conditionis in ordine ad causandum, quam si numquam antea extitisset.

Sed contrà est; quia hæc virtus, in qua causa corrupta manere dicitur, vel est sola causalitas per quam causat, vel est etiam effectus, qui per dictam causalitatem ab ea dependet; Verumuis dicatur sufficere ad manendum in virtute: æque benè posset dici manere in virtute id quod nūquam extiterit, ac id quod immediatè antea extitit; siquidem nil aliud hæc permanentia importaret, quam existere realem influxum in effectū, non existente causa; vel, si qnid aliud importet, assignandum est ab aduersarijs, ita tamen vt non sit præexistentia ipsius causę, quæ assignatur, quia hæc in ordine ad hoc instans est, ac si nunquam fuisset. vnde benè aduertit Arriaga *n. 44.* hac responsione ab aduersarijs peti principium, quatenus respondent idem per idem. Quod si dicat aduersarius hanc virtutem esse entitatem quandam à causa corrupta relictam, distinctam ab esse præterito, & ab operari ipsius causæ: nihil proficit, quia præter quam quod assignare debet quid sit, & vbi existat hæc virtus, est impedimento ne causa sit immediata, de qua quæstio nostra procedit, & per eam posset causa non solum pro primo instanti suæ corruptionis, sed etiam post multum temporis operari, quod negant aduersarijs.

46 Obijcies primò; de facto in mea sententia, qua puto materiam existere per existētiam formæ, in eo priori, in quo causat actionem eductiuam formæ non adhuc existit; siquidem non nisi à termino eductionis; existentiam expectati; item dispositiones formæ substantialis disponunt pro eo instanti pro quo non existunt. Denique sacramēta producunt physicè gratiam in primo instanti sequenti ad eorum existentiam; ergo causa, quæ immediatè antea exstitit, etiā si nunc non existat, poterit operari.

47 Respondeo ad singula in antecedente posita; & primò quantum ad materiam dico, quod licet demus quod pro eo priori signo rationis pro quo primò intelligitur causare actionem eductiuam, non intelligatur existere; at verè, & realiter est sub existentia, quam intelligitur habere pro signo posteriori; quæstio autem nostra in præsentia procedit de causa sub negatione existentiæ num causare possit; vnde non sumus in casu. eodem modo videtur respondendum ad secūdum de dispositionibus. Quamuis enim dispositiones ignis v.g. in priori naturæ ad formam ignis non intelligantur existere; quia in eo priori veniunt tantū ea, quę vim habent influxiuā in formā, quia tamē reuerā realiter existunt, ideò possunt habere realiter rationē dispositionis. Ad tertiū deniq; de sacramētis dicendū quod per me sacramēta causant quidem physicè gratiā, at per aliquid sui, quod in vltimo instanti terminatiuo completionis eorum existit, siuè hoc sit quid indiuisibile fluens, siuè diuisibile permanens, vt sonus verborum, vel quid simile, vt suo loco diximus; ex quibus patet nullam esse consequentiam.

48 Obijcies secundò: A simili, homo quando primò non est, moritur; ergo quando primò non est potest de facto operari.

Respondeo: negando consequentium. disparitas est manifesta, quia idem æst mori, ac primo nō esse, cum immediatè antea fuerit: at operari est positiuè dare esse alteri, quod dum non habet causa saltem realiter alteri dare non potest.

49 Obijcies tertiò: vt agens agat in passum sufficit si sit immediatum illi, atque contiguum quoad locum, non enim requirit compenetrationem cum illo; ergo etiam sufficit si sit immediatum illi, & contiguū quoad tēpus.

Re-

Digitized by Google

50 Reſpondeò, quod ſi hoc argumentum valeret, probaret etiã quod ſilentij ſol diſtans per tot millia paſſuum à terra poteſt in eam agere; ita cauſa diſtans per tot millia annorum à paſſo poterit quoque per ſe agere in illud, quod huiuſmodi Thomiſtæ negant, dicentes cauſam ſolum immediatè poſt ſui exiſtentiam agere poſſe; quare neganda eſt paritas; ratio diſparitatis ſumitur ex eo, quia quod eſt immediatum alteri quoad locũ, verè exiſtit, vnde non eſt mirum ſi virtutem habeat operandi: at quod eſt immediatum alteri quoad tempus importat, quod licet fuerit modo tamen non eſt, quod autem ſic ſe habet pro modo eam nullam vim habet, quam ſi numquam fuiſſet: 51 vnde non eſt mirum ſi cauſare non poteſt.

Obiicies quartò: exiſtentia cauſæ non eſt virtus eius cauſatiua; ergo non eſt cur cauſa ſine illa non poſſit cauſare.

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens, exiſtentia cauſæ non eſt eius virtus cauſatiua eſſentialis, concedo, exiſtentialis, nego antecedens, & conſequentiam: virtus enim cauſatiua eſſentialis quãdiu eſt ſub negatione exiſtentiæ eſt mortua, & ideò non poteſt aliquid operari, at non ſic exiſtẽtialis.

SECTIO QVARTA.

Vtrum cauſa remota ſit verè, & propriè cauſa.

52 INter cæteras cauſæ diuiſiones vna eſt in proximam, & remotam: Proxima illa eſt, quæ immediatè per ſuam entitatem concurrit ad effectum, Remota verò quæ mediatè. Porrò hæc mediatio, & immediatio non debet attendi per ordinem ad cauſalitatem, quaſi verò illa ſit proxima, quæ per cauſalitatem indiſtinctam influit in effectum: Remota verò, quæ per diſtinctam, quia cum cauſalitas ſit formalis ratio cauſandi, nõ officit immediationi inter cauſam, & effectum, ſed attendenda eſt per ordinem ad aliquid à cauſalitate diſtinctum, cuiuſmodi eſſet effectus aliquis, vel inſtrumentum; Quare ſi calor v. g. exiſtens in igne calefaciat aquam, aqua verò calefaciat manum: calor exiſtens in igne, erit quidem cauſa proxima caloris aquæ, remota verò caloris manus, quia immediatè, & per ſe ipſum influit in calorem aquę, at in calorem manus non niſi mediante calore, quem producit in aqua. Hoc poſito quæſtio eſt, vtrum calor ignis, ſicuti reſpectu caloris, quem producit in aqua habet veram, & propriam rationem cauſæ: ita illam habeat reſpectu caloris manus, & in vniuerſũ an quoties aliqua cauſa immediatè influit in aliquem effectum, ex eo precisè, quod effectus eius habeat aliquem alium effectum à sè dependentem, cauſæ illi in ordine ad hunc ſecundum effectum definitio cauſæ verè, & propriè conueniat.

Mea Concluſio cum diſtinctione procedit; & 53 ſiquidem illud medium non ſe habet, vt virtus, ac inſtrumentum cauſæ remotæ in ordine ad productionem effectus, dico, eam non habere veram, & propriam rationem cauſæ, contrà verò ſi medium illud ſe habeat, vt virtus, & inſtrumentum dictæ cauſæ: puto enim, quod tunc cauſa illa remota veram, & propriam cauſæ rationem in ordine ad illum ſecundum effectum obtineat.

Explico diſtinctionem: id quod eſt medium inter cauſam remotam, & effectum producendum 54 poteſt dupliciter ſe habere ad cauſam illam. Primò, vt merus effectus illius; Secundò, vt eius virtus, ſeù inſtrumentum. primo modo ſe habet calor aquæ manum calefaciens reſpectu caloris exiſtentis in igne, à quo productus eſt: ſecundo verò modo ſe habet ſemẽ virile reſpectu Patris, quia verè hic illo mediante in vtero matris diſponit materiam. Quod igitur ſentio in hac quæſtione eſt: quod cauſa remota, quæ cauſat aliquid mediante alio, quod merè ſe habet, vt effectum illius, non eſt verè, & propriè cauſa: eſt verò huiuſmodi cauſa illa, quę cauſat aliquid mediante alio, quod ſe habet, vt eius virtus, & inſtrumentum.

Concluſio ſic explicata, eſt primò contrà Arriagam *diſputat. 7. phyſic. ſect. 4.* vbi licet dicat, & 55 rectè, quæſtionem propriè eſſe de nomine, abſolutè tamen videtur cõcedere omnem cauſam mediatã habere veram, & propriam rationem cauſæ; eſt ſecundò contrà Hurtadum *diſput. 8. ſect. 4.* qui multis argumentis, id abſolutè, & vniuerſaliter negat, & pro ſe citat Suarez *diſput. 18. metaph. ſect. 2. num. 22.* Vaſquez *tom. 1. in tertiam partem diſput. 21. num. 17.* & alios quos ſequuntur Lyceus *in Phyſic. lib. 4. tract. 1. cap. 2.* & Comptonus *diſput. 18. phyſic. ſect. 2.* Eſt denique tertiò contrà Ouiedum *controu. 7. phyſic. punct. 5.* diſtinguentem inter cauſam remotam influentem per ſeipſam actu in cauſam proximã pro eo inſtanti, pro quo hęc habet à ſe immediatè dependentem effectũ, & eam, quæ pro eo quidem inſtanti nõ influit immediatè in dictam cauſam proximam, ſed benè influxit in illam tempore præcedẽti, dãdo ei exiſtentiam: & prioris quidem generis dicit eſſe ſolem reſpectu caloris, quem mediãte lumine producit in Terra; Poſterioris verò auum reſpectu ſui nepotis, quem habet ex filio; quo poſito concludit cauſam remotam primi generis eſſe verè, & propriè cauſam, non verò ſecundi generis.

Aſſertio verò noſtra quoad vtramque partem 56 probatur, quia cauſa vera, & propria alicuius effectus importat neceſſariò influxum proprium reſpectũ illius effectus, & quidem duplici proprietate proprium; vna, quæ illam diſtinguat à metaphorico; altera, quæ illum diſtinguat ab alieno. Si enim vel influxus non eſt verus, vel non verè eſt illius cauſæ non erit illa cenſenda vera & propria cauſa effectus, cui huiuſmodi influxus tribuerit, ſed quoties medium, quod intercipitur inter cauſam remotam, & effectum non eſt virtus, & inſtrumentum dictæ cauſæ; toties influxus, qui exhibetur licet in ſe ſit verus, & proprius, nullo tamen modo, eſt proprius dictæ cauſæ remotæ; benè tamen eſt proprius illius ſi medium, quod intercipitur eſt virtus, & inſtrumentum huiuſmodi cauſæ; ergo cauſa remota, quando cauſa proxima non eſt virtus, & inſtrumentum illius non eſt vera cauſa. Contrà verò ſi ſit eius virtus, ſeù inſtrumentum. maior mihi videtur certiſſima, nam cauſa vera, & propria in actu ſecundo per verã, & propriam cauſalitatem, tanquam per formam cõſtituitur. Porrò forma, vt verum, & proprium cõcretum conſtituat non ſolum debet eſſe verè, &

Digitized by Google

propriè talis, sed etiam debet esse verè, & propriè subiecti illius concreti; vt enim ego confirmar verè, & propriè intelligens, non solum requiritur forma, quæ sit vera, & propria intellectio, sed etiã quæ sit vere, & proprie mea: quare si cũ mea anima penetraretur Angelus habens intellectionem mundi, non posſem ego per huiusmodi intellectionẽ cõstitui verè, & propriè intelligens mũdum: de maiori igitur nõ videtur dubitandũ: minor verò probatur; quia dupliciter aliquis influxus intelligi potest alicuius causæ proprius, primò proprietate immediationis quãdo scilicet ab ea immediatè procedit, secundò proprietate subordinationis, quando scilicet, licet non procedat ab ea immediatè, sed ab alio, hoc tamen in agendo illi subordinatur, in quantum agit, vt virtus, & instrumentum illius: sed quando medium quod intercipitur inter causam remotã, & effectum, non est virtus, & instrumentum dictæ causæ, influxus, qui exhibetur effectui neutra proprietate est proprius illius causæ; quoties verò est virtus, seu instrumentum, influxus est illi proprius posteriori proprietate, quę gratis, & contrà sensum communem dicitur ad veram rationem causæ non sufficere; omnes enim illi axiomati assentimur. Qui per alium quid facit, per se ipsum
57 facere videtur; ergo &c.

Dices: quãdo medium, quod immediatè influit in effectum actu dependet à causa sua, tunc est illi agendo subordinatum; ergo influxus, quę huiusmodi medium immediatè exhibet est proprius causæ remotæ proprietate subordinationis; sed huiusmodi medium potest non esse virtus, & instrumentum dictæ causæ; ergo sufficit ad habendam veram, & propriam rationem causę, si medium inter causam remotam, & effectum actu pẽdeat à causa illa.

58 Respondeo, distinguendo antecedens; tum est illi in agendo subordinatum materialiter, quatenus actu quantum ad esse pendet ab illa concedo: formaliter, quatenus agens est nego antecedens, & consequentiam: quia ad hoc vt influxus, qui exhibetur ab vna re sit proprius alterius proprietate subordinationis non sufficit, si illa rea habeat esse ab altera, sed preterea requiritur, vt in agendo formaliter illi subordinetur tanquam virtus, & instrumentum illius: en tibi exemplum: ponamus, quod pro eodem instanti pro quo Petrus generat Paulum, Paulus generet Franciscũ, proculdubio Paulus tunc erit subordinatus Petro ingenerando Franciscum, quia tunc temporis recipit esse ab illo; sed diuerso modo, ac sit ordinatum semen Petri ipsi Petro in generatione Pauli, siquidem subordinatio, quam habet Paulus Petro, in ordine ad generandum Franciscum, se habet materialiter, & veluti remotè, quatenus, scilicet, in essendo pendet ab illo; at verò subordinatio, quam habet Petri semen ad ipsum Petrum in ordine ad generãdum Paulum formaliter, & proximè spectat ad generationem Pauli; vnde fit, vt non obstante semine intermedio, illa generatio sit propria Petri, nam in rei veritate Petrus censetur generare Paulum, & esse Pater illius non verò semen; contrà verò subordinatio, quam habet Paulus ipsi Petro per hoc, quod pendeat ab illo in eo instanti in quo generat Franciscum nõ est talis, vt reddat generationem illam propriam Petro, ita vt Petrus per eam censeatur in rei veritate generare Franciscum, & esse Pater illius.

Confirmatur id quod dicimus ex moralibus: quia quamuis Dominus habeat proprietatem veluti entitatiuam in seruum, & consequenter in omnes eius operationes, si tamen seruus flagitiũ aliquod committat V. G. furetur, vel occidat, non censebitur eius furtum, vel homicidium proprium Domini nisi ipse suo imperio, aut suasione fecerit, sibi seruum veluti instrumentum dicti flagitij; ergo à pari in Physicis eodem modo discurrendum videtur, vt nimirum quamuis vna causa immediatè pendeat ab altera: influxus tamen, quem exhibet in suum effectum non censeatur physice proprius alterius causę, nisi sit virtus, seu instrumentum illius. 59

Obijcies primò pro prima sententia commune proloquium, causa causę, est causa causati; sed omnis causa remota est propriè causa causæ; ergo erit etiam propriè causa effectus illius.

Respõdet primò Hurtadus §. 82. ex hoc axiomate benè sequi causam remotam simpliciter vocandam esse causam effectus mediati; hac tamen phrasi admissa adhuc remanere quæstionem de re. Sed non video quomodo dictum hoc appelletur phrasis, cum; eo vtantur Philosophi, vt principio, & axiomate; aut qua ratione, sit phrasis est: causa remota simpliciter vocanda sit causa. Id enim solum vocari debet simpliciter tale, quod simpliciter præcisis verborum circuitionibus tale est. 60

Respondeo; ergo secundò causam causæ esse quidẽ causã causati, nõ tamen cum eadẽ proprietate, cũ qua est causa proxima, sed minus propriè. Quod si dicas hanc minorem proprietatem non obstare causæ remotæ, quominus absolutè, & simpliciter dicatur causa, vt constat ex axiomate,

Conerà est, quia hoc ipso quod ponitur illa mediatio, dum dicitur causa causæ in ordine ad causatum inuitur tacitè diuersitas etiam in participatione rationis causæ simpliciter, & absolutè: quod si hoc non placet, responderi potest tertiò causam remotam esse veram, & propriam causã effectus remoti, non physicè, de quo est præsens controuersia; sed moraliter, atque adeò axioma vti nomine causæ in sensu proprio loquendo tũ de physica remota, tum de proxima; ita tamen vt physica remota sit vera, & propria causa, non quatenus physicè remota est, sed quatenus moraliter est proxima. 61

Quod verò causa physicè remota sit moraliter proxima in ordine ad effectum physicè remotũ. Probatur quia quando meus Pater V. G. me genuit, Deus non solum conseruabat entitatẽ illius ex eo quod meus auus ratione suæ actionis generatiuæ, quam exhibuit, quando eum genuit exigebat dictam cõseruationem: ex hoc enim sequitur solum, quod tunc meus auus erat causa moralis propria mei patris: sed etiam immediatè concurrit cum meo Patre ad mei generationem habens pro motiuo meritum mei aui, cæterorumque maiorum meorum præcedentium vsque ad Adã, quatenus hi omnes constituebant quamdam seriem causarum naturalium exigentem à causa prima positis conditionibus ponendis concursum ad propagationem suæ speciei, quorum omnium 62

exi-

Digitized by Google

vergentia Dei tempore generationis meæ fuit mera ad præstandum suum concursum meo patri, vt me generaret. Vnde fit vt non solum causa physicè remota, sed etiam remotior & remotissima sit causa proxima moralis respectu effectus. remoti, atque adeò in sensu proprio habeat locũ axioma, quod est causa causæ est causa causati.

63 Obijcies secundò: Principium necessarium, vt existant ea, à quo actio immediatè procedit est causa in creatis secundum omnem proprietatem: sed omnis causa remota est principium necessarium, vt existat causa proxima, à qua actio immediatè procedit; ergo omnis causa remota est causa secundum omnem proprietatem.

64 Respondeo, distinguendo maiorem: principiũ illud necessarium est causa in creatis secundum omnem proprietatem respectu illius à quo actio immediatè procedit, concedo: respectu rei causatæ per actionem illam, nego maiorem, & concessa minore distinguo consequens causa remota secundum omnem proprietatem est causa respectu illius à quo actio immediatè procedit, concedo; respectu rei causatæ per actionem illam nego consequentiam; & dico à me non negari causam remotam habere veram, & propriam rationem causæ respectu sui immediati effectus, qui ponitur esse causa proxima alterius effectus consequentis, sed negari quod habeat dictam rationẽ respectu effectus mediati, de quo procedit quæstio, & argumentum non curat.

65 Pro secunda verò sententia obijcies tertiò, causa debet esse causa per se, vt sit propriè causa, sed omnis causa remota etiam si medium se habeat, vt virtus, & instrumentum illius non est causa per se, sed per accidens; ergo neque tunc est propriè causa; maior patet ex definitione causæ; minor probatur, quia illa dicitur causa per accidẽs, qua deficiente, ex natura rei non deficit causalitas; sed deficiente causa remota, etiam si medium se habeat, vt virtus, & instrumentum illius non deficit causalitas causæ proximæ, ergo omnis causa remota est causa per accidens.

66 Respondeo, concessa maiore, negando minorẽ; ad cuius probationem distinguo maiorem: causa per accidens est illa, qua deficiente tum secundum se, tum secundum suam virtutem non deficit causalitas, concedo; qua deficiente secundum suã entitatem tantum, non deficit causalitas, nego maiorem; sic distinguo etiam minorem; deficiente causa remota, etiam si medium se habeat, vt virtus, & instrumentum illius non deficit causalitas causæ proximæ, & deficit causa remota secundum entitatem suam tantum, concedo; & deficit etiam secũdum virtutem suam, nego minorem, & consequẽtiam. Dico enim, tunc aliquam existimandã esse causam per accidens quando ea secundũ entitatẽ suam deficiente, nec non etiam deficiente omni sua virtute, ac instrumento, adhuc ex natura rei non deficit causalitas, at si hæc ad sui conseruationẽ, vel entitate illius, vel saltem eius virtute egeat, tunc euidens signum est, quod in ordine ad causalitatem causa illa se habeat per se, & non per accidens: Immediatè quidem si egeat sua entitate mediatè verò si sola sua virtute; & quidem hoc posterius de quo est controuersia confirmatur exemplo generationis perfectorum animalium. Nemo enim dixerit equum esse causam per accidens alterius equi, & tamen deficiente equo patre non deficit causalitas, quæ mediante eius semine in vtero matris exercetur; vt igitur aliqua causa in ordine ad aliquem effectum per accidẽs censeatur, debet esse talis, vt causalitas neque ab eius entitate, neque ab eius virtute dependeat.

Instabis ex Lynceo *loco cit. n. 6.* causa est principium per se influens esse in aliud, sed causa remota non influit per se, sed per aliud à se distinctum etiam si causa proxima sit virtus, & instrumentum eius; ergo etiam in eo casu, causa remota non erit propriè, & simpliciter causa. 67

Respondeo distinguendo maiorem: & si quidẽ particula, per se, sonat entitatiuè, & materialiter tantum nego, sin autem intelligatur etiam formaliter, & causatiuè concedo; sic etiam distinguo minorẽ, quãdo causa proxima est virtus, & instrumentũ causæ remotæ, tũc causa remota nõ influit per se sed per aliud entitatiuè, & materialiter cõcedo, formaliter, & causatiuè, nego minorem; & consequentiam. explico: particula, per se, in definitione causæ non debet intelligi, ita vt causa per se sit illa tantum, quæ per entitatem, & realitatem suam influit in effectum, sed ita vt sit, quæ vel per entitatem, vel per virtutem suam influit, si quidem virtus, & instrumentum causæ licet entitatiuè sit aliud à causa formaliter tamen, & causatiuè substituitur à natura in locum illius, & in ordine ad effectum non est aliud ab illa. 68

Obijcies quartò ex eodem: cognoscere mediatè, siue medio alio cognoscente non est propriè cognoscere; ergo neque causare mediatè est propriè causare, antecedens suaderur, quia si cognoscere aliquid medio alio cognoscente esset propriè, & simpliciter cognoscere, affirmari posset de Deo, quod affirmaret falsum, siquidem medio intellectu creato aliquod falsum affirmat; Idem probatur de actu, quo volumus aliquod peccaminosum, & malum. 69

Respondeo, concesso antecedente: negando consequentiam: ratio disparitatis est, quia cognoscere, & velle sunt actus vitales, qui præter influxum causatiuum important immanentiam, cum autem cognitiones, & volitiones nostræ non sint respectu Dei actus immanentes: hinc fit vt etiã si mediatè pendeant à Deo, non possint illum constituere, cognoscentem, errantem, &c. Ieuitas autẽ argumenti huius patet ex eo, quia ad causãdum verè, & propriè sufficit per omnes immediatum influxum, non tamen ad verè, & propriè cognoscendum, nam Deus non solum concurrit mediate ad cognitiones nostras conseruando nostrum intellectum, qui immediate in eas influit, sed etiã immediatè, quatenus est causa proxima, & immediata omnium Creaturarum, & habet illas à se immediate pendentes: & tamen per nostras cognitiones non constituitur cognoscens; licet verè, & propriè sit immediate causa illarum. At verò posita immanentia ex parte principij actionum vitalium, dico quod habetur paritas inter causare, & cognoscere, nam omnes censemus animam rationalem vere, & propriè intelligere, etiã si multi velint, quod suas intellectiones producat mediate, hoc est per potentiam intellectiuã realiter à se distinctam tanquam per propriam virtu-

Digitized by Google

tutem, & inſtrumentum; ergo etiam dicendum eſt quod cauſa remota, quando medium eſt virtus, & inſtrumentum eius, habeat rationem veræ, & propriæ cauſæ.

70 Obijcies quintò: ſi aliquando cauſa mediata eſſet abſolute, & propriè causa per ſe: poſſet ſuſtineri ſententia Durandi volentis effectus productos à cauſis ſecundis mediate tãtum à Deo dependere; ſed hoc eſt contrà omnes Theologos huiuſmodi opinionem damnantes; ergo &c. ſequela probatur, quia intantum non poteſt dicta ſententia Durandi ſuſtineri, in quãtum ſacræ paginæ paſſim affirmant Deum eſſe cauſam omniũ rerum, etiam illarum, quæ à cauſis ſecundis proceduntꝫ ſed per hoc, quod eſſet ſolum cauſa mediata poſſet per nos verificari in ſenſu proprio, & rigoroſo, quod eſſet cauſa; ergo iam Durandi ſententia ſuſtineri poſſet.

71 Reſpondeo, negando ſequelam maioris, ad cuius probationem, conceſſa maiore, diſtinguo minorem: per hoc ſolum, quod eſſet cauſa mediata quomodocunque poſſet verificari per nos in ſenſu proprio, & rigoroſo, quod eſſet cauſa, nego; Per hoc quod eſſet cauſa mediata, & medium ſe haberet, vt virtus, & inſtrumentum illius, poſſet verificari per nos in ſenſũ proprio, & rigoroſo, quod eſſet cauſa, concedo minorem; & nego conſequentiam. Dico enim per nos nõ ſufficere quãcunque mediationem ad conſtituendam veram, & propriam rationem cauſæ, ſed ſolum inſtrumẽtalem, quando ſcilicet medium, quod inter cauſam remotam & effectum intercipitur ſe habet, vt inſtrumentum dictæ cauſæ.

72 Quoniam verò creaturæ non ſunt virtus, & inſtrumentum primæ cauſæ in ordine ad effectus naturales, quos producunt, ſed ſunt veræ, & propriæ cauſæ principales illorum, idcircò ſi Deus ijs ſolum mediãtibus influeret in effectus, & operationes earum, non niſi impropriè, & metaphoricè haberet rationem cauſæ reſpectu illorum; & ſic non poſſent ſaluari dicta ſcripturæ; ſcio Ouiedũ, qui vult cauſam mediatam actu influẽtem in immediatam, eſſe vere, & proprie cauſam reſpectu effectus mediati docere ex ſcripturis colligi, quod Deus ſit causa immediata Creaturarum, ſed quid quid ſit de hoc; noſtra reſponſio eſt conformior noſtræ ſententiæ.

73 Obijcies ſextò: pro tertia ſententia: quoties effectus pendet ab aliqua causa, ita vt non poſſit illa deficiẽte ſubſiſtere, quin alia vices illius ſuppleat; tunc pendet ab illa tanquam à cauſa proprie, & per ſe influente; atqui deficiente cauſa immediate, & actu influente in cauſam proximam effectus, ſi alia cauſa loco illius non ſubſtituitur deficit effectus; ergo etiam ſi causa immediata nõ ſit virtus, & inſtrumentum causæ ſuæ adhuc hoc eſt propriè, & per ſe causa effectus mediati; minor, & conſequentia patent; maior verò probatur quia quod ab alio per accidens pendet eodem modo ſubſiſtit eo deficiente, etiam ſi nullum aliud vices illius ſuppleat, vt patet ex ædificio, quod per accidens pendet ab habitu muſicæ, ita fẽrè Ouiedus *n.* 3.

74 Respondeo, diſtinguendo maiorem: quoties effectus pendet ab aliqua cauſa, ita vt non poſſit illa deficiẽte ſubſiſtere, quin alia vices illius ſuppleat, pendet ab illa tanquam à cauſa proprie, & per ſe influente, ſiue in ipſum effectum, ſiue in causam eius, concedo: pendet ab illa tanquam à causa propriè, & per ſe influente determinata in ipſum effectum, nego maiorem; & ſic diſtinguo minorem deficiente causa mediata, & nullo alio ſupplente vices illius deficit effectus, ex eo precise, quod deficiat cauſa propriè, & per ſe influẽs in ipſũ nego: ex eo quod deficiat cauſa proprie, & per ſe influens in ſuam causam, à qua ipſe proprie, & per ſe pendet, concedo minorem; & nego conſequentiam. Ad maioris verò probationem diſtinguo aſſumptum; quod ab alio pendet per accidens; hoc eſt contingenter eodem modo ſubſiſtit eo deficiente, etiam ſi nullum aliud vices illius ſuppleat, concedo; quod ab alio pendet per accidens, hoc eſt per aliud eodem modo ſubſiſtit eo deficiente, etiam ſi nullũ aliud vices illius ſuppleat, nego antecedens, & conſequentiam; & dico dupliciter ſumi poſſe pendere per accidens vnũ ab alio: primò pro contingẽter: ſecundò pro mediate, ſeu per aliud. quod primo modò per accidens pendet, licet aliud vices illius nõ ſuppleat, quia vere illud à quo pendet nullo modo influit, neque in ipſum, neque in eius cauſam eo deficiẽte eodem modo ſubſiſtit; vt conſtat exemplo ædificij, quod affert Ouiedus respectu habitus muſicæ à quo neque immediatè, neque mediatè pendet, contrà verò quod ſecundo modo pendet; ſiquidẽ, ſi id à quo per accidens, hoc eſt per aliud pendet deficiat, & aliud loco illius non ſubſtituatur, definit quidem eſſe, non tamen, quia illud ſit eius cauſa per ſe, ſed quia eſt cauſa ſua cauſę per ſe, ad cuius deſtructionẽ ipſũ quoq; deſtrui neceſſe eſt. Quamuis igitur causa mediata non ſit per accidens primo modo hoc eſſe contingenter: eſt tamen per accidens ſecundo modo, hoc eſt per aliud; & quia illud aliud non eſt virtus, & inſtrumentum illius, impedit ne influxus, quem immediatè exhibet, illi approprietur; cæterum abſolutè aſſumere, quod omne id quod mediatè influit ſit causa per ſe effectus mediati eſt potius principij petitio, quam probatio.

75 Obijcies ſeptimò: directè contra nos: ſi quoties medium eſt virtus, & inſtrumentum causæ remotæ, toties causa remota eſſet vere, & propriè cauſa phyſica effectus remoti; ſequeretur, quod hoc haberi poſſet ſine vllo influxu, qui eggrederetur ex illa, imo etiam ſine eius exiſtentia; ſed hoc videtur abſurdum; ergo &c. minor patet, cauſa enim per ſe ex dictis eſt illa, quæ per ſe influit in effectum, præterea ad influxum phyſicũ præſtandum requiritur exiſtentia, quia quod non eſt non poteſt aliquid operari; ſequela verò ſuaderur, quia ſtat, quod medium, quod immediate influit in effectum ſit virtus, & inſtrumentum cauſæ remotę, abſque eo, quod cum remota immediate influat in ipſum, imo etiam abſq; eo, quod ipſa cauſa remota exiſtat; ergo &c.

76 Reſpondeo, concedendo ſequelam, quoad vtrãque partem, vt patet in generatione Animalium; equus enim V.G. quando eius ſemen in matrice equæ diſponit materiam ad animam equinam recipiendam, nihil in ordine ad generationem illã operatur, & etiam ſi mortuus ſit adhuc ſemẽ illud tanquam eius inſtrumentum ſeparatum fœtum for-

Digitized by Google

forma. Vnde fit vt neque influxus immediatus, neque exiſtentia ſint conditiones neceſſariæ ad cauſam phyſicam, vt ſic, prout à proxima, & remota præſcindit. ſed ſolum ad proximam; Remota verò quando non exiſtimanda eſt, quod denominetur phyſica per denominationem extrinſecam à proprio inſtrumento, & eius cauſalitate deſumptam.

77 Aliquandò ego hunc modum philoſophandi non probabam, quia putabam tum exiſtentiam, tum etiam influxum aliquem immediatum ad veram, & propriam cauſam conſtituendam neceſſarium eſſe: vnde dicebam ſolam illã cauſam mediatam verã, & propriã rationem cauſæ participare, cuius medium eſt inſtrumentum coniunctũ per coniunctionem ſaltem quantum ad eſſe, ſicuti eſt coniunctus calor igni, & intellectus animæ rationali, qui ita inſtrumentaliter operantur, vt immediatè ſuſtententur à ſuis principalibus cauſis ille ab igne, hic ab anima; difficultatem in hac aſſertione facere poterat ſemen virile, quod conſtat, neque quantum ad eſſe, neque quantum ad cauſalitatem eſſe inſtrumentum coniunctum generanti: Ad quam reſpondebam numquam ſemẽ agere poſſe immediatè in materiam diſponendam, niſi ab aliquo agente immediatè conſeruetur ſecundum eas qualitates, ſecundum quas immediatè operatur: vt patet ex ſemine equino, quod niſi in equę vtero foueatur, numquam de facto poterit germinare; quoniam verò equa componit vnum principium adæquatum cum equo in ordine ad finem producendæ prolis, hinc fieri, vt rectè dici poſſit equus Pater cauſa phyſica mediata dictæ prolis, licet non ſine admixtione alicuius moralitatis conſiſtentis in eo, quod equa in conſeruando ſemine partes illius agit, & partiale principium cum ſit: totale, & adæquatum principium repræſentet. Verum ſic noſtram concluſionem limitare non eſt neceſſe, quare priori reſponſioni ſtandum omninò videtur.

SECTIO QVINTA.

Quot, & quæ ſunt cauſarum genera.

78 VNica Concluſio, genera cauſarum nec plura ſunt nec pauciora quatuor, ſcilicet, Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis. eſt Ariſtot. *hic a Tex. 28 & primo poſt Tex. 48. nec non 5. metaph. cap. 2.*

79 Probatur autem primò ponamus aliquod ſubſtantiale de nouo fieri in rerum natura; tum ſic: Omne quod fit ab alio neceſſe eſt fieri; nihil enim dare poteſt ſibi ipſi eſſe, ergo datur cauſa efficiens naturalis, quæ cum non agat, niſi propter aliquem finem, admittenda etiam eſt cauſa finalis. Porrò agens naturale ex vna parte non niſi dependenter à materia operatur. aliter enim crearet effectum ſuum: ex alia verò parte aliquid in talem materiam introducit, ſecus nihil omninò efficeret; datur ergo materialis cauſa, quæ preſupponitur ad actionem agentis naturalis, & cauſa formalis, quæ de nouo fit, & introducitur in materiã; neque alia aſſignari poteſt cauſa, quæ ad aliquam ex his quatuor non reducatur; quatuor igitur ſunt cauſarum genera.

Probatur ſecundò: quia tot ſunt genera cauſarum, quot ſunt diuerſa principia, quæ influunt eſſe in effectum, ſed hæc ſunt omninò quatuor; ergo &c. maior patet ex definitione cauſæ; minor verò probatur: quia principia, quæ influunt eſſe, vel intrinſeca ſunt effectui, vel extrinſeca; ſi intrinſeca, vel vt materia, & ſubiectum perfectibile, vel vt forma, & vt actus perfectiuus iuuant; & ſic cauſam materialem, & formalem habemus, quæ non dant aliquod eſſe effectui à ſe ipſis diſtinctũ: vel ſunt extrinſeca, & hæc: aut efficiunt effectum, aut intentionaliter efficientem cauſam mouẽt ad operandum; & ſic habes cauſam efficientem, & finalem, quæ ſemper communicant effectui aliquod eſſe à ſe ipſis diſtinctum. *Ex* quibus patet quatuor hæc cauſarum genera formaliter, & eſſentialiter inter ſe diſtingui: diuerſa enim eſt ratio influendi in effectum per modum ſubiecti, quam ſibi vendicat cauſa materialis, ab ea, quam ſibi vendicat cauſa formalis per modum formæ, licet vtraque per ſui exhibitionem videatur cauſare; & quamuis extrinſecè efficiens, & finalis influant in effectum: modus tamen influendi vnius eſſentialiter differt à modo influendi alterius, vt ex dicendis conſtabit. 80

Obijcies primò: Idea artificis influit in effectum, qui arte fit, & tamen ad nullum genus cauſæ ex aſſignatis reduci poteſt; genera, igitur cauſarum ſunt plura quatuor. 81

Reſpondeo negando ſecundam antecedentis partem. Idea enim, vti dicemus inferius, vel ad genus cauſę formalis, vel ad genus efficientis reduci debet.

Obijcies ſecundò: partes integrales, & diſpoſitiones videntur eſſe cauſę, & tamen ad nullum genus ex aſſignatis commodè reduci poſſunt; ergo &c. 82

Reſpondeo; tum partes integrantes, tum etiam diſpoſitiones reduci ad genus cauſæ materialis; illę quidem quia comparantur, vt informe quid, & perfectibile reſpectu formę totius integralis, quæ habet rationem formoſi, & perfectiui; Hæ verò ſcilicet diſpoſitiones, quia præparant materiam, eamque determinant ad formam recipiendam.

Obijcies tertiò: non poteſt aſſignari ad quod genus cauſæ fatum, & caſus, fortuna, inſtrumentum, & conſeruans reducantur, plura igitur quatuor ſunt cauſarum genera. 83

Reſpondeo: negando antecedens; dico enim, quod quatuor priores cauſæ aſſignatæ in argumẽto, fatum ſcilicet caſus, fortuna, & inſtrumenta ſpectant ad genus cauſæ efficientis: vltima verò, quæ eſt cauſa conſeruans ſi ſtrictè ſumatur pertinet ad idem genus efficientis, hoc enim nomine cauſæ conſeruantis intelligimus; ſin autem largè, quatenus ſcilicet ad cęteras cauſas ſe extẽdit ſuos proprios effectus conſeruantes cum illis omnibus pro varietate cauſarum identificatur.

Obijcies quartò: actus vitalis dependet à ſuo obiecto, & tamen obiectum nullum ex dictis generibus cauſarum circa illum exercet: ergo quinque ſunt genera cauſarum. 84

Reſpondeo: obiectum dupliciter in ordine

ad

Digitized by Google

ad actum vitalem conſiderari poſſe ; Primò quatenus immittit ſpecies intentionales in potentiã, quibus medijs ad dictum actum eliciendum ſimul cum potẽtia concurrrit;& ſic patet eſſe cauſam illius efficientem : ſecundò quetenus illum determinat, atque ſpecificat, & ſic vel habet rationem cauſæ formalis extrinſecæ in quantum ponit illum in determinata ſpecie, vt aliqui putant; vel vt alij aſſerunt rationem cauſæ finalis impropriè, in quantum actus ipſe ad dictum obiectum refertur,ac terminatur. melius eſt dicere cum P. Suarez obiectum hoc ſecundo modo conſideratum habere rationem puri termini, & non cauſæ.

SECTIO SEXTA.

De Prioritate cauſarum in ordine ad ſuos effectus.

85 PRioritas triplex eſt, vt de prioritate dignitatis, ordinis, & loci taceamus. Prima temporis, Secunda rationis, Tertia originis.

Prioritas temporis reperitur in illis rebus, quæ tempore alias præceſſerũt; ſic Vrbanus Septimus dicitur prior tempore Vrbano Octauo.

86 Prioritas rationis reperitur in ijs, quæ cum idẽ ſint realiter: ſola tamen ratione inter ſe diſtinguũtur, pro cuius intelligẽtia ſciendum quod conceptus obiecti inadæquati vnius, eiuſdemque rei poſſunt dupliciter ſe habere. Primò impertinenter, ita vt nullam habeant inter ſe ſubordinationem huiuſmodi ſunt in igne potentia exſiccatiua, & calefactiua, & inter hos non datur prioritas, & & poſterioritas rationis. Secundò ita vt aliquem habeant inuicem ordinem cuiuſdam veluti dependentiæ vnius ab alio; quod dupliciter euenire poteſt; Primò eo quod vnus conceptus ſit ratio quædam vniuerſalior, & contrahibilis, alter verò particularior, & contractiua; in quo ſenſu vniuerſalia dicuntur ſuis inferioribus priora in ſubſiſtendi conſequentia, eo quod valeat argumentari ab inferiore ad inferendum ſuperius, nõ tamen è contrà. Vnde eſt, vt inferius non poſſit haberi ſine ſuperiore, at ſuperius poſſit ſine inferiore, atque adeò vt illud ab hoc, non autem hoc ab illo dependeat. Secũdo eo quod vnus conceptus licet ſit çquè vniuerſalis, ac alter, eſt tamen cauſa virtualis, ſeu ratio à priori illius: ita vt ſi inter ſe realiter diſtinguerẽtur per verum, & realem influxum in illum influeret. In quo ſenſu immutabilitas in Deo dicitur prior æternitate, & eſſentia attributis; in homine verò rationalitas prior riſibilitate, dummodo hæc realiter inter ſe identificentur.

87 Denique prioritas originis propriè reperitur in ijs quorum vnum eſt actu principium alterius non quomodocunque, ſed ratione alicuius habitudinis per ſe inter ipſum, & id, cuius eſt principium, ita vt hoc originetur per ſe ab illo, dixi (non quomodocunque, &c.) quia Rex eſt quidem principium regni ; & qui primus ſedet, cæterorum, qui conſequũtur; neuter autem dicitur propriè prior origine reſpectu ſui principiati.

Iam verò hæc prioritas ſolum importat, quod vnum ſit ab alio, vnde ſtat cum ſimultate temporis, & cognitionis, & quidem id, quod eſt ab alio dicitur poſterius origine, id verò à quo eſt, origine prius.

Quoniam verò vnum poteſt eſſe ab alio dupliciter vno modo per veram cauſalitatem, & dependentiam ; alio vero modo abſque vlla dependentia, atque cauſalitate: hinc prioritas originis in communi diuidi poteſt in prioritatem naturæ, & prioritatem originis ſpecialiter dictæ, hæc habetur quando inter principiũ, & id quod eſt à principio nulla dependentia, ſeu cauſalitas intercedit huiuſmodi eſt prioritas illa per quam in Diuinis Pater dicitur prior Filio, & vterque Spiritu ſancto; prioritate verò naturæ potitur omnis cauſa reſpectu ſui effectus. 88

Adhuc autem dupliciter aliquid eſſe poteſt, prius vel origine ſpecialiter dicta, vel natura alio: prioritate in quo: & prioritate à quo. 89

Illud eſt prius prioritate originis in quo alio, quod pro eo priori, pro quo intelligitur proximè, & completè potens principiare aliud, atque adeò habere omnia, quæ prærequiruntur ex parte ſui ad actum principiandum non intelligitur hoc aliud ab eo actu principiari: quod ſi hoc modo intelligi nequit, ſed exigit neceſſariò, vt ſimul cum illo concipiatur ſuum poſterius, erit prius prioritate originis à quo ; & quidem hoc poſteriori genere prioritatis pater æternus dicitur prior filio, quia ita eſt principium filij, vt intelligi nequeat in ſe conſtitutus. atque adeò completè potens illum principiare, quin intelligãtur filius ab illo procedere; conſtituitur enim per perſonalitatem, quæ eſt correlatiua filij ; atque adeò ſimul natura, & cognitione cum ipſo filio; Eamdẽ doctrinam adaptatam velim prioritati naturæ, nã ſi cauſa in eo inſtanti reali in quo cauſat pro aliquo priori in dicto inſtanti comprãhenſo concipi poteſt adæquato conceptu, proximè, & completè potens cauſare ſuum effectum abſque eo, quod hic intelligatur ab illa actu cauſari, dicetur prior prioritate naturæ in quo: ſin autem ad adæquatum conceptum cauſæ proximè potentis habendum, neceſſe ſit concipere effectum à ſe actu dependẽtem, tunc erit prior prioritate naturę à quo ; & quidem hoc poſteriori modo cẽſetur prior forma materialis reſpectu materiæ, cui ſuam communicat exiſtentiam, in ſententia Thomiſtarum; quia in nullo ſigno poteſt intelligi adæquatè exiſtens, quin intelligatur ipſa materia à qua ſuſtentatur, etiam exiſtens: conerà verò, ſol eſt prior natura in quo reſpectu luminis, quod producit in aere; cum enim per ſuam entitatem aeri aproximatam illud producat, intelligi poteſt omnia, quæ ſunt neceſſaria ad cauſandum in actu primo præhabere, abſque eo quod concipiatur lumen à ſe dependere.

Scio inter Recentiones magnam eſſe controuerſiam in aſſignando propriam rationem, & eſſentiam huius prioritatis naturæ in quo. Pater Suarez *diſput. 17. metaph. ſect. 2.* dicit conſiſtere in præſuppoſitione, qua cauſa præſupponatur effectui, ſed hæc explicatio nihil plus nobis innoteſcere facit ; conſtat enim omne prius ſecundum rationem ſecundum quam eſt prius præſupponi ad ſuum poſterius. 90

Alij

Digitized by Google

Alij secundò volunt consistere in eo, quod prius natura per sui existentiam præmoueat Deum ad concurrendum secum ad positionem effectus; Verum neque satis hi illam explicant, tum quia hæc prioritas est potius propria, causę moralis, quam physicę, tum etiam quia licet totum hoc verum sit, quod scilicet causa secunda completa iam determinat per sui exigētiam Deum, & causam primam, ad influendum: tamen ratio prioritatis naturæ, in quo, nequit in huiusmodi determinatione consistere, quia etiam Deus, posita huiusmodi determinatione, incipit vt causa vniuersalis esse simul cum particulari prior natura ipso effectu; ergo præter huiusmodi præmotionem explicandum restat, quid sit hæc prioritas naturæ, in quo, quæ in Deo præmoto habetur respectu effectus.

Tertiò alij cum Hurtado *disputat.* 8. *à* §. 125. putant consistere in eo quod non valeat consequentia: existit causa, ergo existit effectus, contrà verò valeat, existit effectus, ergò existit causa; Verum neque hæc explicatio procedit; primò quia sunt multi effectus saltem naturaliter inimpedibiles nè procedant à causis suis, ex quorum existentia sicuti infertur existentia causarum suarum, ita pariter ex existentia causarum existentia illorum; quod si dicant se loqui saltem in ordine ad Dei potentiā: contrà est secundò, quia vel eorum explicatio intelligitur de causa prout importat rationem causæ actualis, vel de illa secundum entitatem suam, & vim propriam causatiuam considerata; si primum, tam valet consequentia ab effectu ad causam, quam à causa ad effectum; causa enim in actu implicat esse sine effectu in actu; si secundum tam non valet à causa ad effectum quam ab effectu ad causam; siquidem eadem entitas effectus, potest saltem diuinitus pendere à diuersis causis; Vnde non est solida hæc consequentia: existit calor B, effectus; ergo existit ignis A, causa. contrà denique tertiò, quia valet hæc consequentia, existit vnio; ergo existunt extrema eius: non autem valent, existunt extrema; ergo existit vnio, & tamen extrema non sunt priora natura in quo ipsa vnione, quia vnio non est effectus illorum, vt de se patet; ergo &c. his igitur explicationibus post habitis.

91 Conclusio mea est quod Prioritas naturę in quo, consistit in eo, quod ex duobus, quorum vnū est realiter causa, alterum verò effectus illius, in eodem ipso causalitatis instanti; causa debeat posse concipi secundum vim suam causatiuam vltimo completam, absque esse causato effectus, contrà verò posterioritas naturę in quo effectus, consistit in eo, quod hic non possit concipi secundum illud esse quod tunc habet causatum à causa sua, absque eo quod concipiatur vis causatiua causæ in ipsū influere: vnde fit, vt prioritas naturæ in quo non importet de formali actualem causalitatem; contrà verò posterioritas. est expresse Aristoteles 5. *metaph. cap.* 11. vbi ait: esse priora secundum naturam, & substantiam, quæcunque contingūt absque alijs esse, ista verò sine illis minimè. neque dicas cum Caprino *in suis Apibus Phil. lib.* 2. *disput.* 5. *cap.* 2. Aristotelem statim subdere hac diuisione vsum esse Platonē, & ideò non debere nos tanquam Aristotelicam illam amplecti. Contrà enim est quia cum nullibi Philosophus eam reprehenderit, rectè deducimus ab ipso approbatam fuisse: alioquin non vt doctor Philosophus, sed vt merus historicus, ac relator in hoc se gessisset quod de tanto viro non est credendum.

Probatur discurrendo per vtrumque genus causæ, liberæ, scilicet, & necessariæ; & quidē quātum ad causam liberam: ea est; quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari; & nō operari: ergo secundū vim suā causatiuā vltimò completam potest esse sine suo effectu, quod in posteriori naturæ, faciet, atque adeò poterit sine illo cognosci, contrà verò effectus liber implicat quod non intelligatur pendere à causa libera; habemus igitur in causis liberis prioritatē naturæ à nobis explicatā, & in suis effectibus posterioritatem; Quantum verò ad causas necessarias probatur etiam, quia causæ necessariæ quantūuis vltimò completæ, sint necessariò operatiuę: adhuc tamen non intelliguntur actu operari; & quamuis intelligantur operaturæ in posteriori; possunt tamē saltem diuinitus impediri, ne in eo posteriori operentur, & sic intelligi quod completæ maneant sine effectu; ergo etiā huiusmodi causæ habent prioritatē naturæ in quo à nobis explicatā, effectus verò posterioritatē, quatenus cū non habeant esse à se, hoc ipso, quod intelliguntur illud habere, debent intelligi illud habere ab alio, & sic sine dependētia à suis causis, intelligi nequeūt.

92

SECTIO SEPTIMA.

Soluuntur obiecta, & naturæ simultas explicantur.

93 OBijcies primò: pro Comptono: si esset verū quod dicimus, sequeretur quod causa nullo modo posset ab effectu existente dependere, ne quidē à posteriori; sed hoc est falsū; ergo &c. sequela maioris patet quia si prioritas naturę consisteret in eo, quod causa potest concipi sine effectu existente, iā non posset ab illo pendere, minor probatur sexcentis exemplis præsertim vitæ substantialis, quæ non potest esse sine aliquo actu vitali, qui est effectus illius.

94 Respondeo, negando sequelā: ad cuius probationem dico: ex eo quod causa possit cōcipi sine effectu existēte sequi solū quod nō pēdeat ab illo essēcialiter qua talis; cū quo stat, quod possit pēdere connaturaliter dependētia impedibili à Deo quod si ponamus pēdere essēcialiter dicere possumus, vel eā habere prioritatē à quo, & nō in quo respectu sui effectus, vel hoc illi non competere, quatenus causa est formaliter, sed materialiter aliūde, atq; adeò stare sēpe quod cōsideretur formaliter secundū vim suā causatiuā præcisè non habet indigentiam effectus à se dependentis.

95 Obijcies secundò cum Gaetino *q.* 5. *phys. art.* 2. quia vel hæc explicatio intelligēda est naturaliter, vel supernaturaliter, nō primū, quia naturaliter loquēdo tā requiritur cōceptus luminis existentia ad cōcipiendū solē existentē, quā cōceptus solis existētis ad concipiendū lumē existēs, quia naturaliter sol nequit existere sine lumine; ergo &c. neq; secundū, quia tā potest existere diuinitus

hoc lumen sine hoc sole, quam hic sol sine hoc lumine; ergo &c.

96 Respondeo eã intelligendã esse sub disiunctione, vel naturaliter, vt patet in causa libera, vel saltẽ supernaturaliter, vt in necessaria; ad rationẽ in contrariũ dico quod licet effectus secundũ se cõsideratus possit etiã sub disiunctione, vel ab hac vel ab illa causa pẽdere, at ex suppositione, quod pendeat de facto ab hac, & quatenus huiusmodi dependẽtiã inuoluit, implicat quod possit nõ esse ab illa. quare sẽper haberi debet præ oculis, quod prioritas naturæ in quo importat vim causandi vltimò cõpletã, posteritas verò actualẽ causationẽ, & depẽdẽtiã, quæ consequitur ad dictã vim: vnde non est mirũ si illa haberi potest saltẽ diuinitus sine hac, hæc verò minimè sine illa.

97 Instabis: inter ea, quæ sunt necessaria ad cõplẽdũ causã in actu primo proximè potentẽ requiritur Decretũ Dei de concurrendo, vt de se patet; ergo implicat etiã diuinitus, quod possit existere causa cõpletè potens sine effectu. cõsequentia patet; tũ quia Decretũ Dei de cõcurrendo ad effectũ cõpletur per cõnotationẽ ipsius effectus; tum etiam quia implicat, quod Dei Decretum efficax frustrari possit: frustraretur autem si non poneretur effectus.

93 Respondeo de dupliei Decreto Dei de cõcurrendo posse esse sermonẽ in antecedẽte; vnum est Decretũ vniuersale, quod Deus vt auctor naturæ habet de cõcurrẽdo cũ omnibus, & singulis causis naturalibus habẽtibus omnia requisita ad agẽdum, nisi aliter videbitur sibi, vt supernaturaliter operãti, alterũ speciale, quo omnibus pẽsatis vult hũc numero effectũ ab hac causa procedere non obstãte, quod posset vt auctor supernaturalis illũ impedire; quo posito dico, ad cõplendã causã secũdã in actu primo proximo requiri primũ Decretũ, & non esse necessariũ secundũ; quia nos in præsẽtia agimus de causa naturali, quã scimus subijci legi extraordinariæ Dei; quare cõcesso antecedẽte nego cõsequẽtiã. Ad probationẽ in cõtrariũ dico: Decretũ Dei vniuersale de cõcurrẽdo cũ causis secũdis nõ cõpleri per cõnotationẽ effectus determinati, sed per cõnotationẽ effectũ regulariter producẽdorũ, quia sẽper subijcitur voluntati extraordinariæ Dei; vnde vt impleatur, satis est si vt plurimũ Deus de facto præstet cõcursũ suum causis secũdis habentibus ex parte sua omnia requisita ad causãdũ; cũ quo stat, quod de extraordinaria potẽtia possit illũ alicui denegare, quod si faciet, illa causa habebit proculdubio omnia, quæ sunt necessaria naturaliter loquẽdo ad operãdũ nõ solũ, quæ se tenẽt ex parte sua, sed etiã ex parte Dei, vt auctoris naturæ, & tamẽ hoc nõ obstãte esset sine effectu.

99 Subinstabis: causa secunda necessaria prout ex vnã parte intelligitur habere in hoc instanti sibi applicatã diuinã omnipotentiã per Decretũ vniuersale, & quatenus etiã intelligitur ex alia parte per negationẽ Decreti extraordinarij de non concurrendo de facto, est omni ex parte expedita ad operãdum: & tamẽ est in priori naturæ in quo ad effectum; sed sic nõ potest intelligi cõcepta adæquato sine effectu; ergo falsũ est quod prioritas naturæ in quo cõsistit in eo, quod causa possit concipi conceptu adæquato sine effectu actu existente.

Respondeo potest primò, negãdo secundã partẽ maioris; sic enim cõsiderata causa necessaria dici potest, quod sit in priori naturæ à quo respectu sui effectus, nõ verò in priori in quo: & ratio potest esse, quia negatio Decreti extraordinarij facit, vt illud generale Decretũ habet rationẽ Decreti efficacis, atq; determinati respectu huius determinati effectus, quoniam verò Decreta Dei cõpletur per cõnotationẽ effectus volitiui; hinc fit, vt sicuti nõ potest intelligi Decretum Dei efficax determinatum sine effectu, ita neque causa completa per huiusmodi Decretum.

Respõdetur secundò: prioritatẽ naturæ in quo 100
cadere solũ super virtutẽ causatiuã causæ, & vim causãdi illius positis omnibus requisitis ad operãdum, quoniã verò hæc negatio Decreti extraordinarj impeditiui effectus nõ se habet, vt vis causatiua, nec illã quãtũ est de se diuersificat; hinc fit vt, etiã si dicti Decreti negatio intelligatur esse in Deo: adhuc causa necessaria intelligitur in priori naturę in quo respectu sui effectus; quia quãtũ ad ea, quæ se tenent ex parte virtutis causatiuæ: potest rectè intelligi sine effectu, & hoc dico etiã si negatio Decreti, de nõ cõcurrendo non sit pura negatio, sed sit Decretũ positiuum, quo Deus decernat nõ impedire causã secundã necessariã naturaliter cõpletam per Decretum indifferens ad operandum; quia huiusmodi Decretum non se habet, vt pars virtutis causatiuæ causæ secundæ in ordine ad suum effectum.

Obijcies tertiò: hæc explicatio prioritatis na- 101
turæ in quo, videtur desũpta ex Arriaga *disp. 7. sect. 7. n. 89.* sed ipse dictam prioritatem explicat per existentiam: dicendo eam importare, quod causa concipi possit existens conceptu adæquato sine effectu actu existente; ergo etiam nos deberemus eam sic explicare.

Respondeo: me nõ posse adęquatè dictę explicationi Arriagæ quiescere: nõ tantum, quia causa finalis habet suam prioritatem naturę in quo quãnis intelligatur sub negatione existẽtiæ: quãtum, quia in sententia eorum, qui putãt materiam primã existere per existentiam formæ in priori naturæ in quo ad formã nõ potest intelligi existens, & ideò nulla facta mentione existentię dixi, dictã prioritatem consistere in eo, quod causa possit cõcipi secundum vim suã causatiuã vltimò completã, abs q; effectu nõ dum existente; cæterum non negauerim causã aliquã in vi sua causatiua importare etiã existentiã, atq; adeò prioritatẽ naturę in quo illã includere, cuiusmodi est anima rationalis in ordine ad reddendum existentẽ ipsã materiã, etenim cum ex vna parte non depẽdeat à materia, & ex alia debeat formaliter causare illã vt existentem, sequitur necessariò, quod in eo priori, in quo, debeat posse cõcipi existens conceptu adæquato sine materia actu existente.

Iam verò Prioritati correspondet simultas fiue 102
sit temporis, siue rationis, siue originis: quia verò simultas naturę specialem, facit difficultatem, de ea tantummodo dicemus pauca.

Simultas igitur hoc dupliciter sumi potest. Primò quatenus opponitur prioritati naturę, & ab ea penitus contradistinguitur; Secundò prout est illi compatibilis, eique coniungitur.

De

Digitized by Google

103 De ea autem primo modo sumpta loquitur est Arist. *cap. de modis simul* dicens, natura verò ea dicuntur simul, quæ conuertuntur quidem secundum eius quod est esse consequentiam, sed ne quaquam alterutrum alteri causa est vt sit; cuiusmodi sunt correlatiua: quare ad hanc simultatem naturę; duo sunt omninò necessaria, & quod ea, quæ hoc modo sunt simul conuertantur inter se secundum essendi consequentiam; & quod vnum non sit causa alterius, per quod opponitur, quidē omni prioritati naturæ, at stare bene potest cum prioritate, & posterioritate originis à quo; & hinc est vt in Diuinis Pater æternus, & est prior origine à quo Filio, & simul natura cum illo, quia valet consequentia est Pater, ergo est Filius, & vice versa: neuter tamen causatur ab altero, quānis ne hæc loquutio videatur significare duas in Patre, & Filio esse naturas, alij dicant eos esse simul natura negatiuè quatenus excludunt à se prioritatem naturæ non positiuè quasi duas naturas habeant.

Simultas verò naturæ secundo modo sumpta 104 reperitur inter ea, quæ in se habent vt vnum in cognoscendo non intelligatur antecedere alterū, atque adeò conuertantur quidem secundum essēdi consequentiam; ita verò, vt vnum sit causa alterius vt sit; hoc genere simultatis naturæ gaudēt primò causa actualis, hoc est in actu secundò cōpleta, & eius effectus, in quo sensu Aristoteles dixit 5. *metaph. cap.* 2. causa in actu simul est cum effectu in actu. Secundo ea, quæ sunt sibi inuicem causæ. Hæc enim ita se habent, vt sicuti vnum secundum eam rationem, secundum quam est causa alterius, est prius natura altero, ita secundum eam rationem, secundum quam est effectus est posterius natura eodem; quare pro eo signo pro quo prioritatem in aliud exercet in vno genere, correspondet illi alterum exercens circa se prioritatem in alio genere, & sic quamuis prioritas naturæ vnius cum posterioritate alterius cōparata simultatem naturę non inferat; infert tamē illam si vel prioritas vnius cum alterius prioritate, vel posterioritas cum posterioritate conferatur, in quantum pro eodem signo vel priori; vel posteriori sibi impræscindibiliter correspōdent.

105 Tertiò denique hanc simultatem naturæ quidā agnoscunt inter effectum, & causam illam, quę nequit esse simpliciter, vel intelligi quantum ad entitatem suam sine dicto effectu, quamuis de reliquo hic non sit causa illius; cuius generis simultas reperitur inter causam formalem, & eius formalem effectum: verum hæc potius ad prioritatem naturæ, à quo spectare videtur, atque hæc de prioritate sufficiant.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum duæ causæ possint esse sibi inuicem causæ.

106 NOn est hic sermo de causis secundū generales rationes suas; constat enim ex aqua generari vaporem, & ex vapore aquam; in quo sensu docuit Aristoteles 2. *posteriorum tex.* 12. duo posse inuicem demonstrari in eodem genere causæ materialis; sed de illis in indiuiduo, num scilicet hæc numero aqua possit fieri ab hoc numero vapore, & simul hic numero vapor ab hac numero aqua generari; præterea non est sermo de dictis causis secundum diuersum esse, videmus enim niuem calefieri ab igne, & ignem à niue aliquid frigiditatis recipere, sed secundum idem esse, an scilicet idē calor A. V. G. qui est in igne, & producit in niue calorem B possit ab ipso calore B. causari, atque produci. Quoniam verò quæstio bifariam procedere potest. Primò, vt videamus, an duæ causæ possint esse sibi inuicem causæ in eodē genere causæ, V. G. in genere efficientis, vel materialis, vel formalis; ecundò num saltem in diuerso genere V. G. vt vna causet aliam in genere efficientis altera verò causet illam in genere causæ materialis, ideò præsentem sectionem, in duas partimus subsectiones.

SVBSECTIO PRIMA.

Expenditur quæstio in ordine ad mutuam causalitatem in eodem genere causæ.

VNica Conclusio implicat contradictionem, 107 quod duæ causæ sint sibi inuicem causæ in eodem genere causæ, quoad primum sui esse. est communis; Et quidem quod non possint duæ res se inuicem causare in genere causæ materialis, vel in genere causæ formalis res est euidens, quia hoc ipso, quod vna se habeat, vt materia respectu alterius, altera necesse est vt se habeat respectu illius, vt forma, & sic non possunt inuicem cōparari vel vt causæ, & effectus materiales; vel vt causæ, & effectus formales; quare conclusio solum probanda videtur in ordine ad genus causæ efficientis, & in ordine ad genus causæ finalis; & quidem quoad primum esse, quia nulla est difficultas, quod saltem diuinitus possit id quod effectum fuit ab aliqua causa dare illi secundo esse, siuè eam semel corruptam reproducendo, siuè in esse iam habito conseruando. loquendo igitur, quoad primum esse.

Probatur conclusio primò in genere efficien- 108 tis; quia omne agens agit in quantum est actu; cuius axiomatis germanus sensus est, quod agens per prius debet esse constitutum in se quantum ad actualitatem existentiæ, vt sit existens; & postea constitutum in ordine ad effectum quantum ad actualitatem actionis, vt sit agens actu; ergo implicat quod causa efficiens respiciat suum effectum tanquam causam sui primi esse in genere efficientis, impossibile igitur est, quod duæ res sint sibi inuicem causæ in genere efficientis. Hæc secunda consequentia patet; & antecedens propugnatur ex eo, quia nisi res intelligatur prius constituta in ordine ad se beneficio existentiæ non potest intelligi constituta in ordine ad alios beneficio virtutis effectiuæ; alioquin natura præposterè, & in ordinate procederet, dando actualem vim operatiuam intrinsecam illi, quod non dum intelligitur esse actu. Multo igitur magis debet per prius agens esse constitutum in se quo ad actualitatem existentiæ; quam in ordine ad effectum quantum ad actualitatem actionis, quia

Digitized by Google

actio actualis ſupponit vim cauſatiuam intrinſecam actualem, & ab ea promanat. Prima verò conſequentia ſuadetur, quia in eo priori, in quo intelligitur agens conſtitutum in ſe in ordine ad actualitatem exiſtentiæ, non intelligitur adhuc effectus exiſtere: ergo impoſſibile eſt, quod ſuam exiſtentiam ab eo habeat efficienter: cauſa enim efficiens, vt exiſtés præcedere debet effectum alioquia poſſet creatura creare ſe ipſam, & dare ſibi primò exiſtentiam.

109 Confirmatur, quia in quolibet genere cauſæ, quod pluralitatem admittit, ſiſtendum ſemper eſt in aliquo primo, quod ſit quidem principium aliorum, quę ſub illo genere continentur: ipſum verò non ſit ab alio, vt patet à ſimili in genere principij. In diuinis enim Pater, ita eſt principium productiuum ad intra, vt ipſum non ſit productum ab alio; neque aliundè probatur à Philoſophis dari primam rerum cauſam, niſi quia procedendo per cauſas efficientes debeamus peruenire ad aliquã, quæ ita in hoc genere ſit cauſa, vt non ſit effectus; admiſſa autem mutua cauſalitate in eodem genere efficientis, nullus reſtaret nobis locus probandi primam cauſam, contrà eũ qui res creatas ſe inuicem efficere opinaretur; ergo &c.

110 Probatur ſecundò in genere cauſæ finalis; contrà Quiros, qui in ſuo curſu *diſput. 53. num. 15.* id concedit: tum quia id quod eſt effectus cauſæ finalis, & ordinatur ad illam tanquam medium, eſt cauſa illius in genere efficientis, ſed oſtenſum eſt non poſſe duas res eſſe ſibi inuicem cauſas in genere efficientis; ergo neque poterunt in genere cauſæ finalis: tum etiam quia finis eſt primum in intentione, & vltimum in exequutione; ergo ſi effectus alicuius cauſæ finalis eſſet cauſa finalis eiuſdem, vna res reſpectu eiuſdem eſſet prima, & non prima in intentione; vltima, & non vltima in exequutione; quod manifeſtam repugnantiam inuoluit.

111 Vniuerſaliter autem quod in omni genere cauſæ implicet mutua cauſalitas, quoad primum eſſe in eodem genere.

Probatur tertiò: quia omnis effectus debet neceſſariò præſupponere in ſua cauſa eam vim cauſatiuam, ſecundum quam debet ab illa dependere; ergo nullus effectus in eodem genere cauſæ, in quo à ſua cauſa dependet, poteſt illam cauſare; duæ igitur cauſæ nequeunt ſe inuicem cauſare in eodem genere; antecedens probatur, quia omnis cauſa ſecundum eam vim cauſatiuam, ſecũdum quam conſtituitur formaliter potens cauſare ſuum effectum, debet eſſe prior natura ſuo effectu, & in eius eſſe realiter influere: debet igitur ab effectu præſupponi: Prima verò conſequentia ſuadetur ex eo quia implicat, quod id quod præſupponitur ab aliquo, ſecundum eam rationem ſecundum quam præſupponitur depẽdeat ab illo, tanquam à priori per veram cauſalitatem. Quod enim ſic dependet ſi reduplicatiuè ſumatur, quatenus dicto modo dependet, ſubſequitur, & eſt in poſteriori naturæ ad id à quo dependet: ſecunda denique conſequentia ſequitur eutdenter.

112 Obijcies primò: in quolibet genere cauſę aſſignari poſſunt duo, quæ ſe mutuo cauſare in eodẽ genere videntur; & primò quidem forma, & materia ſe inuicem cauſant in genere cauſæ formalis extrinſecę; ſiquidem vna ſpecificatur ab altera, & vice verſa. Secundò duæ ſcalę ad inſtar forficis ſe inuicem fulciunt, atque ſubſtentant ne in terram decidant, & ſic in genere cauſę materialis quatenus ad hoc ſe inuicem cauſant: Tertiò eſt Prouerbium quod manus manum lauat, & manus manum calefacit, dum ad inuicem confricantur, & ſic in genere cauſę efficientis mutuam habemus cauſalitatem: ergo &c.

Reſpondeo ad ſingula: & ad primam quidem 113
dico cum Suarez *in metaphyſic. diſp. 27. ſect. 10. & diſput. 26. ſect. 1.* formam extrinſecam non habere rationem verę cauſæ formalis; hæc enim non cauſat niſi per realem coniunctionem cum ſubiecto; materia igitur, & forma quatenus ſpecificantur ad inuicem non exercent veram cauſalitatem, ſed ſolam rationem puri termini ſpecificantis nõ per realem influxum, ſed potius per habitudinẽ alterius ad ipſum; at verò neque in ratione puræ termini in eodem genere ſe ſpecificant, ſed diuerſitatem habent in quantum vna terminat, vt potentialitas actualitatem alterius; hæc verò vt actualitas potentialitatem illius.

Ad ſecundam aio, neque inter illas ſcalas verã 114
cauſalitatem materialem ſuſtentatiuam intercedere; ſolum enim reſiſtendo ad inuicem grauitati, quam habent, ſe mutuo impediunt, ne in terram decidant; vnde effectus in vtriſque ex reſiſtentia mutua proueniens eſt negatiuus; quod ſi poſitiuus eſſet, & in eodem genere non tamen id circò noſtra concluſio labefactatur, niſi probetur quod ſit quantum ad idem eſſe; cuius defectu, licet duo pondera ſimul deorſum deſcendentia ſe inuicem adiuuent in mouendo ſe velocius: quia tamen ſecundum diuerſum eſſe hoc præſtant, & non per motum in quo vnus dependet ab alio, ſed per grauitates, quas habent ſe inuicem efficienter adiuuant, non faciunt contrà concluſionem; ſicuti neque quando duo calida mutuo ſe conſeruant ne à contrario frigore frigefiant, quia ſolum indirectè id præſtant, quatenus ſcilicet coniuncta magis contrario frigori reſiſtunt, directa enim conſeruatio mutua non minus, quam mutua productio in eodem genere implicat contradictionem.

Ad tertium dico quod manus neque lauat, ne- 115
que calefacit ſecundum idem eſſe, ſecundum quod ab alia lauatur, & calefit, ſed ſecundum diuerſum, nã neque per munditiem, neque per calorem, quem vna habuit ab altera mundat, & calefacit efficienter illam, ſed ratione motus ex eo quod ſe mutuo fricent; ſic enim applicatur manibus vis exterſiua aquæ, ex qua oritur mundities, & ratione eiuſdem motus attenuantur, & rarefiunt partes extimæ, & ſic accurrit calor, qui intus deliteſcebat.

Obijcies ſecundò: ſanitas concurrit efficienter 116
ad laborem, & labor ad ſanitatem. Rurſus cognitio effectiuè cauſat amorem: quod verò cognitio effectiuè etiam ab amore cauſetur conſtat ex eo, quia voluntas imperando potentijs aduarum actus efficienter concurrit.

Reſpondeo ad primum ſanitatem in dicto caſu dare primum eſſe efficienter labori; at verò laborem conſeruare ſanitatem ipſam in illo eſſe, quod in prima ſui productione in-

de-

Digitized by Google

dependenter ab eo recepit, vbi nota quod neque per influxum phyſicum illam conſeruet ſed per remotionem contrarij, dum noxios corporis humores conſumit; in hoc autem nulla apparet repugnatia: ſicuti neque in eo quod ignis A, productus ab igne B, ſimul ſe conſeruent, & à contrariorum actione tueantur eis reſiſtendo validius.

117 Ad id denique quod dicebatur de cognitione, & amore. Reſpondendum quod licet concederem cognitionem efficienter cauſare amorem, quod à multis negatur; ille tamen amor ab ea cauſatus nequit efficienter cauſare eandem numero cognitionem, à qua cauſatus eſt, ſed aliam, ſaltem numero diſtinctam.

118 Obijcies tertiò: Ariſt. 1. *ethicorum cap.* 7. docet quod poſſit æger propter dulcedinem medicinæ tanquam propter finem velle ſanari; Rurſus idem 2. *Phyſicor. text.* 29. poſſe etiam, ægrum propter ſanitatem tanquam propter finem velle dulcedinẽ medicinæ; ergo in genere cauſę finalis poſſunt duo eſſe ſibi inuicem cauſæ.

Reſpondeo, quod licet ſanitas poſſit eſſe finis dulcedinis medicinæ guſtatæ, quia poteſt ab ea tanquam à medio efficienter cauſari, at non poteſt dulcedo medicinæ guſtatæ eſſe finis ſanitatis propter contrariam rationem, vnde Philoſophus *in 1. ethicorum citato* explicandus eſt, non de ſanitate ſecundum ſe, ſed prout volita, ita vt ſenſus ſit, quod dulcedo medicinæ ſit finis volitionis ſanitatis. ſiquidem poteſt æger, qui alias nollet ſanari, vt aliquam dulciſſimam ſibi potionem degustet, elicere actum volendi ſanitatem, & illam ad guſtandam dictam potionem tanquam mediũ ad finem ordinare; in quo caſu rectè actus ille voluntatis, quo amatur concurrit efficienter ad medicinæ guſtationem; cum quo ſtat quod ipſa ſanitas in ſe poſſit ſe habere, vt finem reſpectu medicinæ dulcis guſtatę, quatenus poteſt ab ea efficienter cauſari; eodem modo explicandum eſt axioma illud: Eſſe eſt propter operari. nimirum in ratione voliti, nam ſi loquamur ſecundum ſe verum eſt, quod Philoſophus ait 2. *de an. cap.* 4. animam videlicet eſſe finem ſuarum operationum.

119 Obijcies quartò: nulla eſt repugnantia in eo, quod in primo inſtãti, in quo exiſtit ignis; calor, qui ſupponitur naturaliter ab eius ſubſtãtia emanare, eleuetur miraculosè à Deo ad influendum in ipſum ignem dando illi eſſe; ſed hoc eſſe non poteſt eſſe ſecundum, quia non præſupponitur ignis antecedenter productus; ergo eſt primum, & ſic poſſunt duo eſſe ſibi inuicem cauſæ in eodem genere, quoad primum eſſe.

120 Reſpondeo caſum poſſe poni dupliciter primò ita vt in nullo priori ſupponatur ignis in eo inſtanti per aliam actionem productus, ſed debeat produci per ſolam actionem miraculoſam caloris, & hoc eſt impoſſibile, quia eſſet prior natura, & non eſſet ipſo calore vti vidimus; ſecundò ita vt pendeat in eo inſtanti reali à duplici cauſa totali totaliter concurrente, per quarũ vnam in priori naturę ad calorem intelligatur habere eſſe, & per aliam in poſteriori naturæ ad ipſum calorem iam à ſe productum intelligatur idem eſſe habitum ſecundò accipere, & in hoc ſenſu caſum concedo; ſed nego per actionem illã caloris ignem non accipere à calore eſſe ſecundò; quamuis enim non poſſit in rigore dici per dictam actionem conſeruari; eo quod conſeruatio in aliquorum ſententia prærequirat productionem in priori temporis præceſſiſſe; debet tamen dici, quod habeat eſſe ſecũdò, quia iam præſupponitur habuiſſe eſſe primò; ex quo deducitur quod ſi caſus hoc alio modo frigeretur; nimirùm quod pro eodem priori naturæ pro quo intelligitur ignis habere eſſe primo à Deo, V. G. intelligatur habere eſſe ab ipſo calore; deberet negari, vt impoſſibilis non minus, quam primus; cæterum ſi caſus ponatur ſecundo modo nullam repugnantiam inuoluit, eo quod tunc ignis pro aliquo priori intelligitur eſſe primo independẽter à ſecunda actione, per quam recipit eſſe ſecũdo, & ſic calor non ingreditur conſtitutionem ſui principij productiui, nec in rigore eſt cauſa cauſæ ſuæ.

Inſtabis: ignis dum in eodem inſtanti reali ſuæ 121
primæ productionis per ſecundam actionem producitur à calore per primã actionem à ſe producto, iam pendet ab illo; ergo per nos non eſt independens, nec prior natura illo.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens pendet ab illo ſimpliciter, ſeu quoad eſſe primo, nego ſecundum quid, & quoad eſſe ſecundo, concedo antecedens, & nego conſequentiam loquendo in ſenſu præſentis controuerſiæ.

Subinſtabis: in eo priori ignis non intelligi- 122
tur extra omnes cauſas ſuas; ergo per nos non poteſt intelligi influere in calorem.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens non intelligitur eſſe extra omnes cauſas ſuas à quibus quoad primum eſſe dependet, nego; à quibus pẽdet quoad eſſe ſecundo, concedo antecedens; & nego cõſequentiam; calor enim quamuis ſit cauſa miraculoſa ignis non dat tamen illi primo eſſe, ſed ſecundo. verum ignis per eſſe primo habitũ conſtituitur potens ipſum calorem primo producere.

Subinſtabis iterum ſi hoc ita ſe haberet non 123
poſſet aſſignari cur Filius, & Spiritus ſanctus in diuinis non darent ſibi inuicem eſſe ſecundo per ſecundam productionem, ſed hoc videtur abſurdum; ergo &c.

Reſpondeo: negando ſequelam maioris, ratio eſt quia productiones in diuinis cum ſint ad intra ſunt in Deo maximè neceſſariæ, & naturales. Porrò ſecunda productio cum ſupponat terminum ſuum exiſtentem, iam non poteſt eſſe neceſſaria, nec naturalis: In creatis autem, quia poteſt Deus facere multa, quæ non ſunt neceſſaria, quæque naturalem ordinem ſuperant: idcircò nõ repugnat, quod idem effectus ſecundò producatur; inquo perſonas diuinas eſſe perfectiſſimas, atque adeò eſſe incapaces habendi eſſe ſecundo, quia quidquid habere potuerunt, per primam productionem perfectiſſimè habuerunt, quod dici nequit de rebus creatis.

Obijcies quintò: poſſunt duæ res, quarum vna ſit actu cauſa remota alterius eſſe ſibi inuicẽ cauſæ in eodem genere quoad primum eſſe; ergo, & poterunt duæ res quarum vna ſit cauſa proxima alterius; antecedens conceditur ab aliquibus, qui

RO-

Digitized by Google

noſtram cõcluſionem defendunt, de quibus Quiedo *controuerſ. 7. phyſic. part. 8. n. 2.* conſequentia euincitur, quia quoad dependentiam, vel indepẽdentiam ab effectu videtur eſse eadem ratio de cauſa remota, ac de proxima.

Reſpondeo: negando antecedens cum eodem Quiedo *num. 4.* ratio eſt quæ tangitur in argumento, quia quamuis ego ſuſtineam cauſam remotam per hoc præcisè, quod ab ea actu mediatè pendet effectus, non eſſe verè, & propriè eius cauſam: tamen hoc ipſo quod debet poſſe concipi exiſtens in priori naturæ ad cauſam proximã illius effectus, impoſſibile eſt quod poſſit intelligi dependere à priori in exiſtendo ab ipſo effectu; quia iam eſſet prior, & poſterior illo in eodem genere, quod repugnat.

125 Inſtabis: nullam eſſe repugnantiam contradictionis in hoc, quod vna res ſit prior altera ratione vnius cauſalitatis pertinẽtis ad vnũ genus cauſæ. & quod ſit poſterior eadem ratione alterius cauſalitatis ad idem genus pertinentis; prioritas enim, & poſterioritas ſunt ambo poſitiua, atque adeò non ſunt contradictoria.

Reſpondeo: negãdo aſsumptum; quamuis enim dicta prioritas, & poſterioritas ſint termini formaliter poſitiui, ſunt tamen radix contradictionis non minus quam Homo, & equus; & ratio eſt, quia poſterioritas quoad eſse primo dicit eſſẽtialiter negationem prioritatis, item prioritas, quoad eſse primo negationẽ poſterioritatis. Quare etiam ſi intelligantur in vna entitate haberi ratione alterius, atque alterius cauſalitatis; hoc tamen ipſo quod ordinem ad eumdem terminum habeant inuoluent implicantiam, non minus, quam in Petro V. G. ratione alterius, atque alterius Tituli eſse Dominum ſimul, & eſſe ſeruum Franciſci.

SVBSECTIO POSTERIOR.

Quid de mutua cauſalitate in diuerſo genere.

126 PRima Concluſio, cauſæ in diuerſo genere, quæ ita ſe habent, vt vna in vi ſua cauſatiua ſeu in termino à quo ſuæ cauſationis intelligi debeat exiſtens, non verò altera, poſsunt eſse ſibi inuicem cauſæ, quo ad entitatem, & exiſtentiam; ſumitur ex Ariſtot. *1. phyſicor. tex. 30.* vbi ſic habet: ſunt præterea quæ mutuo ſunt ſibi cauſæ, vt exercitium eſt cauſa bonæ valetudinis, & hæc cauſa exercitij. at non eodem modo, ſed hæc vt finis, illud vt principium motus, ex quibus.

127 Probatur facilè noſtra aſsertio, primo quia cauſæ finalis, & efficiens ita ſe habent, vt finalis non requirat in vi ſua cauſatiua, neque in termino à quo ſuæ cauſalitatis exiſtentiam; poteſt enim cauſare etiam ſi actu non exiſtat, & ſolum requirit, vt mẽte apprehendatur, vt moueat: contrà verò cauſa efficiens ad actu cauſandum prærequirit exiſtentiam; ſed hæ duæ cauſæ poſsunt eſse ſib inuicem cauſæ, quoad entitatem, vt patet in exemplo ab Ariſtotele adducto de exercitio, & ſanitate: ſanitas enim eſt cauſa exiſtẽtiæ exercitij, & exercitium eſt cauſa exiſtentiæ ſanitatis; ergo &c.

128 Probatur ſecundò de cauſa materiali, & formali; cum enim materia prima, vt ſupponitur ex dictis, exiſtat per exiſtentiam formæ, non poteſt in termino à quo ſuæ cauſalitatis præſupponi exiſtens, alloquin exiſteret indepẽdenter à forma, quia forma materialis eſt terminus cauſalitatis materialis ab ipſa materia procedentis, contrà verò forma non poteſt intelligi dare eſse materiæ per informationem niſi in vi ſua cauſatiua habere intelligatur illud eſse, cauſat enim illam quatenus exiſtens eſt, ſed materia prima, & forma materialis in eſse exiſtentis quoad entitatem, ſunt ſibi inuicem cauſa; nam materia redditur exiſtens formaliter per formam exiſtẽtem, & forma, quæ materialis eſt in eſse exiſtentis pendet à priori à materia; ergo idem quod ſupra.

Confirmatur id quod dicimus in ſententia eorum, qui volunt eſsentiam nemine cogitante diſtingui ab exiſtentia: ſiquidem exiſtentia ita eſt cauſa formalis eſsentiæ in ratione exiſtentis, vt pendeat ab illa in genere cauſæ materialis, & ſic ſunt ſibi inuicem cauſæ in diuerſo genere cauſæ, quatenus eſsentia in ſua vi cauſatiua *non* includit exiſtentiam, quamuis exiſtentia *non* poſſit à ſe ipſa præſcindere. 129

Secunda Concluſio, cauſæ in diuerſo genere, 130
quæ ita ſe habent, vt vtraque ſecundum vim cauſatiuam ſeu in termino à quo ſuę cauſalitatis præſupponi debeat exiſtens, non poſsunt eſse ſibi inuicem cauſæ quoad entitatem, & exiſtentiam, & cum hac limitatione conuenio cum recentioribus Suario *in metaph. diſput. 15. ſect. 8. n. 30.* Hurtado *diſput. 8. phyſ. ſect. 8. §. 185.* Arriaga *diſput. 7. ſect. 8. nn. 96.* Quiedo *controuerſ. 7 p. 8. n. 3.* Compton. *diſput. 21. ſect. 1.* & alijs paſſim; & quidem hanc eſse ſententiam D. Th. in hac re patet ex his, quæ ex eius mente affert noſter Alamannius *in prima 2. ſummæ philoſophicæ q. 13. ar. 2.* vbi quærés, vtrum cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ in diuerſo genere cauſæ pro parte negatiua ſic ſecundo loco argumentatur: quod iam eſt non poteſt fieri, vt dictum eſt; ſed quando vna cauſa dat eſse alteri iam eſt; nam cauſa eſt prior natura effectu; ergo vna cauſa non poteſt eſse effectus alterius, & per conſequens non poſsunt eſse ſibi inuicem cauſæ.

Ad quod reſpondet ex D. Th. ſic: ad ſecundũ dicendum quod duæ cauſæ non poſsunt eſse ſibi inuicem cauſæ quantum adeſse, ſed ſecundum diuerſas rationes, & ad quintum ex ſecundo poſteriorum *ſect. 18.* ait quod cauſa, & cauſatum ſecundum eſse non poſsunt eſse ſibi inuicem cauſæ; hæc autem affero ne videar alicui à D. Th. doctrina alienus.

Probatur autem primò aſsertio noſtra; quia 131
cauſa, hoc ipſo, quod eſt cauſa dat ſuo effectui exiſtentiam, ſed ita dat in caſu noſtro, vt præſupponatur exiſtens ante illum; ergo impoſsibile eſt vt ſit effectus illius; maior eſt certa, apud omnes, minor probatur, quia loquimur in concluſione de illis cauſis, quæ ſecundum vim cauſatiuam, & in termino à quo ſuæ cauſalitatis præſupponuntur exiſtentes, eo quod quatenus exiſtentes ſunt cauſant; conſequentia verò euincitur, quia ſi cauſa eſſet effectus ſui effectus iam non poſſet intelligi exiſtens, niſi in poſteriori naturæ ad ipſum,

ſed

Digitized by Google

ſed ipſo ipſo quod præſupponitur exiſtens ſecundum vim cauſatiuam in termino in quo ſua cauſationis intelligitur exiſtens in priori naturę ad eumdem: ergo impoſſibile eſt quod ſit effectus illius.

132 Dices primò: hoc argumento ſolum probari duas cauſas in exiſtendo non poſſe eſſe priores, & poſteriores natura ad inuicem; quod habet veritatem ſi ſermo ſit in eodem genere cauſæ: non autem in diuerſo, & ratio huius eſt, quia diuerſitas tollit contradictionem, quę oritur ex eo, quod eadem res ſit prior, & poſterior alia ſecundum eamdem prorſus rationem.

133 Contrà tamen eſt quia ratio, quæ ſuadet duas cauſas non poſſe eſſe ſibi inuicem cauſas in eodem genere cauſę, etiam euincit neque poſſe eſſe in diuerſo; ſiquidem eo ipſo, quod cauſant, vt exiſtentes, ita vt in vi cauſatiua, & in termino à quo ſuæ cauſalitatis includant exiſtentiam hoc ipſo quod vna intelligitur eſſe cauſa alterius, iam ſupponitur exiſtere antecedenter ad illam; quomodo igitur poteſt expectare exiſtentiam ſuam ab illa, ſic enim effectus, vt exiſtens præſupponeretur ad actum primum phyſicum productiuum ſui eſſe, vt potè cauſa dicti actus primi; atque adeò huiuſmodi actus primus, quando tranſiret ad actum ſecundum non haberet quid faceret; quia inueniret à parte rei effectū ſuum, ad quem cauſandum ordinatus erat,

134 Dices ſecundò: ex hac reſponſione ſolum colligi ea, quæ ad exiſtendum non indigent niſi cauſa efficiente, cuiuſmodi ſunt ſubſtantię ſpirituales non poſſe inuicem ſe cauſare quo ad entitatem; non verò ea, quæ indigent diuerſis cauſarum generibus; ſiquidem hæc poſſunt ab vna tertia cauſa habere eſſe, & ſecundum hoc præſupponi ad actum primum alterius cauſæ in vno genere cauſę, eamque cauſare; & poſtea ab ea in alio genere recauſari, exemplum huius ſit forma ſubſtantialis materialis, quę in ſententia Thomiſtarum eſt cauſa in genere efficientis ſuarum diſpoſitionum, & effectus illarum in genere cauſę materialis: ea enim intelligi poteſt primò habere eſſe ab efficiente, ſecundò dare eſſe diſpoſitionibus in genere efficientis, tertiò denique recipere eſſe ab eiſdem in genere cauſę materialis; atque adeò in eo priori in quo præcedit diſpoſitiones ſuas in exiſtendo intelligi poteſt habere exiſtentiam à ſola cauſa efficiente; quare non eſt cur non poſſit poſtea eam expectare à diſpoſitionibus ſuis in genere cauſæ materialis.

135 Reſpondeo: hunc philoſophandi modum falsò niti fundamento, quod nimirum poſſit effectus in priori naturę intelligi recipere exiſtentiam ab vna cauſa, & in poſteriori ab alia. hoc autem impoſſibile eſſe patet, tum quia quandiu in priori non intelligitur actus primus ex omni parte cōpletus implicat haberi in poſteriori actus ſecundus; bonum enim ex integra cauſa, & malum ex quocunque defectu: tum etiam quia rei exiſtentia indiuiſibilis eſt, atque adeò quando ad eam habendam plures requiruntur cauſæ, niſi ſimul in eodem priori intelligantur expeditæ ad concurrendum: impoſſibile eſt quod vna illarum intelligatur in eam influere. Quod ſi cauſa efficiens definitur ab Ariſt. 5. *metaph. ſect.* 2. vnde principium primum mutationis: non eſt ſenſus, quod ipſa vis exequutionis concurrat ad effectum in priori natura: quam aliæ cauſæ; ſed quod ſit aliquo modo prior in genere determinationis; quia in tantum materia patitur, & forma informat, in quantum agens agit, vnde ſicuti ex eo, quod cauſæ ſecundæ determinant cauſam primam ad concurrendum ſimul cum ipſis in ſuorum effectuum productione, non ſequitur, quod in priori naturæ ad illam operentur, ita neque quod cauſa efficiés in priori naturæ concurrat ad effectum; in poſteriori verò cæteræ cauſæ.

Ex dictis colliges contrà quamplures Thomiſtas: non poſſe inter efficientem cauſam, & materialem eſſe mutuam cauſalitatem; quia efficiens in priori naturæ ad cauſandum debet intelligi exiſtens; ergo, & conſtare ex materia, & forma. Sed hoc ipſo, quod materia intelligitur eſſe ſub forma iam intelligitur exiſtens; ergo efficiens in priori naturæ ad cauſandum ſuam materiam, illā iam exiſtentem habet. implicat igitur, vt eam in poſteriori primò cauſet.

Contrà priorem concluſionem obijcies primò: 136
forma materialis expectat exiſtentiam à materia; ergo ſecundum vim ſuam cauſatiuam, & in termino à quo ſuæ cauſalitatis non poteſt intelligi exiſtens, falsum igitur eſt, quod materia, & forma poſſint eſſe ſibi inuicem cauſæ in diuerſo genere cauſæ: omnia patent præter primam conſequentiam, quæ probatur ex modo dictis, quia forma ad hoc vt intelligatur exiſtens debet intelligi dependere à priori à materia, quia expectat exiſtentiam ab illa; ſed ſecundum vim cauſatiuam, & in termino à quo ſuæ cauſalitatis non poteſt intelligi dependere à materia, quia tunc materia non adhuc intelligitur exiſtere; ergo, &c.

Reſpondeo: conceſſo antecedente, negando 137
primam conſequentiam; ad cuius probationem cōceſſa maiore, nego minorem; qnia ſufficit quod materia intelligatur exiſtere in poſteriori naturæ à quo ipſa forma exiſtente; ratio eſt quia forma non cauſatur à materia, vt exiſtente, & ideò quāuis in termino à quo cauſationis formæ materia non intelligatur exiſtere pro eo priori à quo; ad huc tamen intelligitur ipſa forma habere exiſtētiam dependenter à materia, quam in termino ad quem communicare debet ipſi materiæ.

Contrà poſteriorem verò concluſionem obij- 138
cies ſecundò: duæ cauſalitates diuerſarum cauſarum poſſunt inuicem dependere, ergo & duæ cauſæ in diuerſo genere cauſæ. Conſequentia patet paritate, quia in vtroque caſu eadem difficultas militare videtur. Antecedens verò ſuadetur quia implicat dari cauſalitatem cauſæ materialis ſine cauſalitate cauſæ formalis; ergo &c.

Reſpondeo: diſtinguendo antecedens, duæ cauſalitates diuerſarum cauſarum poſſunt inuicem dependere per veram dependentiam à priori, negò per dependentiam connexionis, concedo antecedens, & nego conſequentiam; ad probationem antecedentis dico, eodem modo duas cauſalitates, diuerſarum cauſarum non poſſe mutuo à priori dependere, ſicuti neque duas cauſas, quia in vtriſque militat par ratio; cum quo tamen ſtat, quod poſſint duæ cauſalitates eſſe taliter cōnex-

hexæ; vt implicet dari vna ſine altera, quod idem concedendum eſt de cauſis ipſis; implicat enim, quod detur cauſa efficiens ignis actu cauſans illū quin detur eius cauſa materialis, & formalis actu eumdem ignem cauſantes, ſed ex hoc nihil ſequitur contrà nos.

139 Obijcies tertiò non implicat contradictionem duas cauſas in diuerſo genere ſe inuicem cauſare ſecundum entitates, & realitates ſuas; ergo neque naturaliter repugnabit; conſequentia patet, quia ſi quid probaret noſtra ratio euinceret ne per abſolutam quidem Dei potentiam id poſſe fieri.

Reſpondeo, negando antecedens propter rationem dictam. puto enim implicare contradictionem, quod duæ cauſæ quantum ad entitatem ſuam mutuo ſe cauſent modo dicto dando ſibi inuicem primò eſſe.

140 Obijcies quartò: Actio productiua cauſat efficienter terminum, qui per eam producitur, & rurſus cauſatur ab eo materialiter, quia ſuſtentatur ab illo; & quidē ita, vt in termino à quo ſuæ cauſationis tum productio, tum res producta intelligantur exiſtentes; &c.

Reſpondeo: antecedens in duplici ſenſu accipi poſſe, & primò quidem in via docentium exiſtentiam diſtingui pluſquam ratione ab eſſentia, iuxtà quem concedi poteſt, quod productio ſuſtententur ab effectu, qui per eam producitur; ſed negandum omnino eſt, quod dictus effectus in termino à quo ſuæ cauſationis intelligatur exiſtens, eo quod non niſi ſumptus ſecundum ſuam eſſentiam cauſare poteſt ſui productionem; iuxtà quā viam; vt vides, argumentum nihil contrà nos concludit. ſecundò poteſt ſumi idem antecedens in via ponentium exiſtentiam identificatam cum eſſentia, & iuxta hanc negandum omninò eſt, quod productio cauſetur materialiter ab effectu, qui per eum producitur, ſi enim effectus pendet à materia, vt calor V. G. eius productio ab eadem materia, à qua calor ipſe dependet ſuſtentabitur, ſi verò effectus eſt indepēdens à materia, vt Angelus. erit actio creatiua per quam fit, etiam independens, & ſolum erit in Angelo, vt in ſubiecto adhæſionis intimè illi coniuncta; quare Angelus nullam erga illam exercebit cauſalitatem; ſiuè ergo antecedens in priori, ſiuè in poſteriori ſenſu ſumatur continet falſitatem.

141 Obijcies quintò: duæ res in eſſe poſſibili poſſunt inuicem eſſentialiter dependere; ergo & in eſſe actuali. Conſequentia patet paritate; antecedens verò probatur, quia potentia viſiua dicit ordinem eſſentialem ad viſionem, ita vt ſi hæc implicaret, & illa; eodem modo viſio dicit ordinem eſſentialem ad potentiam viſiuam; ergo &c.

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: poſſunt duæ res in eſſe poſſibili inuicem dependere per veram dependentiam à priori, nego. per dependentiam importantem ſolam mutuam connexionem eſſentialem, concedo antecedens; & nego conſequentiam; ad probationem autem antecedentis dico; potentiam viſiuam, & viſionem in eſſe poſſibili non ſe præcedere inuicem, ſed eſſe ſimul poſſibiles, ita tamen; vt implicante vna, implicaret ſimul, & altera; ex ſimultanea autem duorum poſſibilitate in mutua connexione fundata non ſequitur quod idem eſſet, & non eſſet ſecundum eſſentiam ſuam prius alio; ſicuti ſequitur ex mutua cauſalitate; non negauerim tamen in potentia viſiua ſumpta in eſſe poſſibili refulgere exigentiam, quod ſi ponatur à parte rei debeat eſſe principium vitale viſionis, verum hoc non importat prioritatem naturæ exercitam in eſſe poſſibili, ſed ſolum ſignatam, & exercendam in eſſe actuali.

Obiicies ſextò: quando impellente vento ianua aperitur, ingreſſus vēti in cubiculum eſt cauſa efficiens aperitionis ianuæ, & aperitio ianuæ eſt cauſa diſpoſitiua, & materialis ingreſſus venti, niſi enim ianua aperiretur ventus procul dubio minimè ingrederetur; ergo duæ res poſſunt eſſe ſibi mutuo cauſæ in diuerſo genere cauſæ. 142

Reſpondent aliqui cauſam aperitionis ianuæ non eſſe ingreſſum venti, ſed eſſe vim impulſiuā, ſeu rarefactionem aeris, quæ vtrumque motum cauſat, ingreſſum, ſcilicet, venti, & aperitionem ianuæ. vnde fit, vt licet aperitio ianuæ ſe habeat, vt diſpoſitionem ad ingreſſum venti, non tamen datur mutua cauſalitas in diuerſo genere cauſæ.

Contrà tamen eſt, quia vis impulſiua venti nō niſi intercedente motu aeris in locum ianuæ ſuccedentis, ianuam aperit; ſiuè igitur aer ingrediēs efficienter cauſet expulſionem ianuæ, ſiuè formaliter ſuccedendo ſolum in locum illius, militat eadem difficultas. Melius igitur Reſpondeo concedendo abſolutè primam partem antecedentis, nimirum ingreſſum venti in cubiculum eſſe cauſam aperitionis ianuæ; diſtinguo ſecundam partē; aperitio ianuæ eſt cauſa diſpoſitiua ingreſſus vēti ſi conſideretur ingreſſus ſecundum entitatem ſuam nego, ſi conſideretur ſecundum modum, quo naturaliter exiſtere debet, concedo antecedens, & nego conſequentiam: ac dico, quod licet ingreſſus venti ſit cauſa, vel efficiens, vel ſaltem formalis, vt dicunt nonnulli, motus ianuæ, dictus tamen motus non eſt cauſa diſpoſitiua ingreſſus venti ſecundum ſe conſiderati, quamuis enim ſimul tēpore fiat vterque motus, tamen ex vi motus aeris habetur, quod ianua cedendo locum moueatur; & non è contrà; ad eum planè modum quo licet in eodem inſtanti in quo introducitur forma ignis, corrumpatur forma ligni, ex vi tamen formę ignis introductæ deſinit forma ligni; cum quo tamen ſtat, quod ſi conſideremus motum aeris ſecundum modum, quo naturaliter debet fieri aperitio ianuæ ſit prior illo in genere cauſæ veluti materialis in quantum aer non poteſt intelligi exiſtere ſucceſſiuè modo naturali in locum ianuæ niſi ab eodem loco ianua diſcedat. 143

Ad quod planius explicandum aduertè corpora naturalia exigere naturaliter impenetrabilitatem; vt vnum quodque expellat à loco, in quo ſiuè permaneat, ſiuè ſucceſſiuè exiſtit, alia corpora; ad hoc vt facilius poſſint ſe tueri à contrariis, dum ea excludunt à ſe, & à viſceribus ſuis longè arcent, vndè melius valeant conſeruari. hinc fit, vt pro eo priori pro quo ventus locum ianuæ occupat, exigatur Deo, vt in ſecundo poſteriori naturę concurrat cum ianua, vt ab eo loco diſcedat; & ſi quidē Deus vēti preces exau- 144

di-

Digitized by Google

dit, ventus incipit in eo poſteriori occupare locum illum modo naturali. Contrà verò ſi non exaudit, et vult nihilominus conſeruare ianuam immobilem, auferendo ab ea impenetrabilitatē; ventus occupabit quidem locum illum ſe cum ianua penetrando, non tamen modo naturali, ſed contrà propriam inclinationem, vt patet ex eo, quia ſi ponamus ianuam eſſe ignitam ventus tranſeundo per illam ſi non corrumperetur omninò, certè in qualitatibus ſuis peſſimè ſe haberet: quare abſceſſus ianuæ, et per conſequens eius carentia à loco, in quo erat, ſe habet vt diſpoſitio, non vt motus venti ſimpliciter exiſtat in primo priori, ſed vt exiſtat modo connaturali in ſecundo poſteriori; ex quibus deducitur, quod licet motus aeris ſecundum entitatem ſuam conſideratus ſit prior motu ianuæ, motus tamen ianuæ non eſt cauſa motus aeris, item ſecundum entitatem ſuam ſumpti, ſed ſecūdum modum connaturaliter exiſtendi; in eo tamen nullam eſſe repugnantiam, patet, primò ex ſole, et lumine, ſol enim eſt cauſa luminis ſumpti ſecundum entitatem: et lumen eſt cauſa ſolis ſecundum modum connaturaliter exiſtendi, ſi quidem non poteſt intelligi ſol connaturaliter exiſtere, niſi prius intelligatur illuminans mundum; ſecundò ex forma ignis, et forma ligni. forma enim ignis eſt cauſa corruptionis formæ ligni ſumptæ ſecundum entitatem ſuam, at corruptio formæ ligni eſt cauſa formæ ignis in ratione exiſtendi connaturaliter in materia.

145 Inſtabis naturaliter loquendo, vbi permanens ianuæ eſt impedimentum ingreſſus venti, quia eo perſeuerante non ingreditur ventus; ergo negatio vbi permanentis eſt negatio impedimenti; ſed huiuſmodi negatio eſt prior natura effecta ſecundum entitatem ſuam conſiderato; ergo etc.

Reſpondeo negando antecedens, cuius diſtinguo probationem; perſeuerante vbi permanente ianuæ non ingreditur ventus, eo quod non applicatur ianuæ virtus impulſiua venti, concedo; eo quod applicata dicta virtus à reſiſtentia ianuę ſuperatur, nego antecedens, et conſequentiam; Dico enim, quod impedimentum non conſiſtit in eo, vt quandiu eſt non habeatur effectus, ſed in eo, vt non poſſit ſuperari ab agente applicato ad operandum; Iam vbi permanens ianuæ in caſu noſtro non eſt huiuſmodi, ſupponimus enim ianuā non eſſe ferro obſeratam, clauibuſque occluſam, nam ſic eius vbi permanens eſſet impedimentū, cuius negatio deberet præcedere ad ingreſſum venti: cæterum dum eſt ita diſpoſita vt cauſa motiua venti poſſit illam mouere, quandiu non mouetur, non eſt impedimentum ingreſſus venti, vt de ſe patet; erit autem ſimulaculo è perſeueret immobilis. quia tunc ventus nō ingrederetur naturali modo; Atque in hoc ſenſu intelligendi ſunt illi, qui communiter docent motum ianuæ eſſe cauſam diſpoſitiuam ad ingreſſum venti; & negationem formæ præcedentis ad exiſtentiam formæ præſentis, hoc eſt ſecundum modum connaturaliter exiſtendi.

Obijcies ſeptimò: poſſunt duo eſſe priora, & 146
poſteriora inuicem ratione, ergo poterunt eſſe priora, & poſteriora natura; conſequentia patet paritate; antecedens probatur experientia præſentibus enim duobus hominibus ab intellectu pendet, quod vnus primo loco in numerando ponatur, alter in ſecundo.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; Diſparitas eſt, quia prioritas, & poſterioritas rationis, modo ſit rationis ratiocinatæ ſemper eſt cum fundamento in re deſumpto ab aliquo extrinſeco V. G. in numerando duos illos homines, ſi latus dexterum præbet illi fundamentum incipiendi Petrus, qui eſt dicto lateri proximior, primo loco poneretur; Paulus verò, qui dicto lateri eſt remotior, ſecundo. Contrà verò ſi intellectus vult ſumere fundamentum à ſiniſtro latere, Paulus erit prior in numerando, & Petrus poſterior; At verò prioritas naturæ non ſumitur per ordinē ad diuerſa extrinſeca ab intellectu deſignanda, ſed per ordinem, quem habent res ipſę inter ſe in ratione cauſæ, & effectus, vnde impoſſibile eſt, quod inuicem ſint priores, & poſteriores natura in eodem genere.

DISPVTATIO DVODECIMA

DE CAVSA EFFICIENTE.

1 DVM de singulis causarum generibus ad disputandum descendimus, primum locum tribuimus efficienti, vt potè reliquarum nobilissimę; quamuis enim finis aliquando sit excitatiuè çquè vel magis nobilis, quam efficiens; quia tamen est causa intentionalis, in ratione causæ primas efficienti concedit: quam dari in præsentia supponimus alibi probaturi; & quidem quod aliquod efficiens detur tam euidens est, quam quod Creaturæ non habeant esse à se; illud igitur quod in præsentia supponimus est non solum in genere efficientis dari causam primam, sed etiam dari causas secundas, & res creatas multos effectus verè, & physicè operari: quo posito sit.

SECTIO PRIMA

Quid sit causa efficiens.

2 ARistoteles hic *tex. 29. & 5. metaph. cap. 2.* ita causam efficientem definit: Est id vnde principium primum mutationis, aut quietis; quę definitio intelligibilior redditur, si hoc modo ordinetur: est principium primum vnde mutatio, aut quies.

3 Explicatur; dicitur primò (principium) per quod efficiens conuenit cum reliquis causis, quæ etiam sunt principia. Dicitur secundò (primum) & quidem si idem significat hęc particula; (ac per se) excludit causas per accidens: sin autem sumitur pro principali excludit causam instrumentalem; aliùs enim est cum Suario *disput. 17. sect. 1. n. 2.* afferere, quod hæc particula priorìtatem quandam significet, quam in causando via exequendi habet causa efficiens inter cæteras causas sibi vendicat, verum enim est dicere, quod ideò materia patitur, & forma producitur, & cõsurgit compositum, quod tanquam finis intenditur ab omnibus causis, quia efficiens operatur.

4 Dicitur tertiò (vnde) quæ particula non quidè latè vt in definitione principij, sed præcisè, & rigorosissimè sumenda est, quo pacto propriam efficientis causę rationem àcæteris distinctã significat. idè enim est (esse id vnde,) ac esse id à quo, tãquã à principio extrinseco effectus producitur, quod non cõpetit nisi causę efficienti secundum suum præcisum conceptum consideratæ, vt rectè explicat Cõptonus *disp. 24. phys. sect. 1. n. 6.* vbi sic, (vnde) strictè sumptum conuenit soli efficienti, & denotat influxum extrinsecum.

Dicitur quartò (mutatio) quę, ad hoc vt definitio tradita ad omnia efficientium genera se extẽdat, ita vt etiam ad Deum Creatorem pertineat, non est sumenda physicè, & subiectiuè, sed pro quocunque transitu de non esse ad esse, siue id fiat dependenter à materia, siue non.

Dicitur vltimò (aut quies) quietis autẽ nomine hic nõ solũ venit terminus mutationis explicatę, ita vt notetur efficiẽtẽ causã, ita causare motũ, seu mutationẽ, vt etiã causet terminum ad quẽ, qui per illã acquiritur: sed etiã venit conseruatio; efficiens.n. vel rẽ primò producit tantum, vel in illã productã iã, influit cõseruãdo, & si quidè primo modo causat, dici potest, vnde mutatio, sin autem secundo modo, vnde quies etiam.

Ex hac autẽ explicatione patet particulas illas (principiũ primũ) in Aristotelica definitione, nõ quidẽ cũ effectu, vt quidã cũ Themistio, falsò obijciũt, sed cũ causa ipsa coniungendas esse: patet etiã, qua ratione tradita definitio nõ solũ priuationi nõ cõpetat, sed neq; de cæteris causarum generibus verificetur; quod euidentius suadetur discurrẽdo per singula genera: nã causa materialis, vt talis, est subiectũ primũ vniuscuiusq; ex quo aliquid fit cũ insit; formalis verò cũ sit quod quid erat esse rei per Aristotelem, est propriè id, per quod cõpositũ est actu in tali specie: finalis denique quatenus talis, est id propter quod res est, sumendo particulã, propter, strictè: si enim latè, de omni causa verificaretur; ergo dũ efficiens definitur principiũ primũ, vnde motus, & quies, si sumatur, ly, vnde, prout denotat principiũ causandi physicũ extrinsecè pertinens ad rẽ causatã, rectè tradita definitio explicat naturã causæ efficientis, eamque à tribus reliquis causarum generibus sufficienter distinguit.

6 Obijcies primò: Consultor quatenus determinat Agentia ad agendũ inter efficientes causas ab Aristotele numerari solet; ergo cũ finis ipsa quoque agentia ad operandũ determinet, videtur ad genus causæ efficiẽtis reuocari posse; sed hoc esse absurdum, patet ex eo, quia tria tantummodo essent genera causarum; ergo &c.

Respondeo, concesso antecedẽte, negãdo consequẽtiã; ratio negationis est, quia diuerso modo consultor determinat agentia ad operãdũ. ac determinat illa finis; siquidem ille tãquã id vnde, seu à quo motus procedit, hic verò vt id cuius gratia ill determinando se habet.

7 Obijcies secũdò: ex Arist. *2. physicor. tex. 28.* inter causas efficientes numerantur consilians, & præparans rẽ, & deniq; illã perficiens, sed ex his esse principiũ primũ non cõpetit nisi cõsilianti, siquidẽ præparans rẽ præsupponit cõsiliantem, & perficiens præparatẽ, seu disponentẽ; ergo definitio tradita non competit omni definito.

Respondeo; concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem, dico omnibus illis tribus competere esse principium primum, cuilibet tamen in genere suo, & quidẽ in genere causę moralis consilianti; in genere

verò

verò causæ physicæ dispositiuæ, inchoantis in genere denique causæ physicæ generantis, perficiẽti generationem; ex quo vlteriùs sequitur dictam definitionem conuenire secundariò causæ efficienti instrumentali quatenus ipsa quoque, licet absolutè loquendo non sit principium primum, eo quod supponat principalem: est tamen primum in suo genere relatiuè ad alia genera causarum.

3 Instabis; ergo si post primum consiliantem, et post primum præparantem, accedat secundus consilians, et secundus præparans, neutri secundò competet definitio tradita, quia neuter erit principium primum in suo genere.

Respondeo, negando sequelam, quia vel sirpponimus secũdum consiliantem influere in eumdem numerò effectum, in quem influit primus, vel non; sed in alium, si primum, iam ex primo, et secundo consiliante fit vna causa moralis adæquata, de qua verificatur definitio quod sit principiũ primum, vnde motus. quamuis enim primus præcesserit in dando consilium, tamen quandiu non erat sequutus effectus non nisi in actu primo causæ rationem habebat: at verò in actu secundo æquè primus cum secundo consiliante moraliter producit effectum. Quod si dicatur secundum, nulla remanet difficultas; siquidem definitio tradita, ita intelligenda est, vt quemadmodum si cõparentur inter se quatuor causarum genera in communi in ordine ad effectum, causa efficiens est principium primum, ita si comparentur causæ in particulari in ordine ad hunc effectum particularem hæc causa efficiens in particulari erit principium primum illius effectus; cum quo benè stat quod alius effectus principium primum sit alia causa efficiens in particulari. soli enim Deo competit esse principium primum respectu omnium effectuum in particulari propter vniuersalitatem, quam vt prima causa sibi vendicat in causando.

9 Obijcies tertiò: probando male particulam, vnde, in definitione sumi à nobis, prout denotat principium extrinsecè tribuens esse effectui ex suo præciso conceptu principiandi, sic: Si effeciés ex præciso conceptu efficiendi haberet essentialiter tribuere esse effectui extrinsecè, hoc est extra se; sequeretur, quod nullum efficiés posset producere aliquid in se ipso, sed hoc est falsum, vt patet ex intellectu efficiente in se intellectionẽ, et igne producente in se calorem; ergo etc. sequela probatur quia tribuere esse effectui intrinsecè, et tribuere esse illi extrinsecè sunt incompossibilia, quantumuis ex diuersis capitibus prouenire concipiantur. sic ferè Giattinus *q. 6. art. 1.* impugnans definitionem Arriagę qui *disputat. 9. sect. 1.* causam efficientem dicit esse eam, quæ per se tribuit extrinsecè esse effectui ex præciso conceptu efficientis. verum Giattinus, dum initio sectionis dicit particulam vnde in definitione Aristotelica non sumi vniuersaliter pro quacunque sequela vnius ab alio, sed propriam efficientis causæ rationem significare, debuisset explicare, quid tandem importaret, et quid significaret, quod tamen minimè fecit, sed quidquid sit de hoc. ad difficultatem

10 Respondeo ego negando sequelã, cuius distinguo probatic nem: tribuere esse effectui intrinsecè, & tribuere illi esse extrinsecè sunt incompossibilia: si particula (extrinsecè) sumatur simpliciter, & absolutè, concedo; si sumatur conditionaliter, & limitate, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim quod licet particula (extrinsecè) existentialiter sonet positiuè. In casu tamen nostro, in quo afficit essentiam causæ efficientis sumitur negatiuè, & significat negationem illius rationis positiuæ per quam res aliqua intrinsecè conuenit alteri, siue hæc sit ratio subiecti, siuè formæ, siuè partis integrantis. Quoniam verò negatio alicuius rei dupliciter potest intelligi quod positiuã aliquam essentiam cõsequatur. Primò simpliciter, & absolutè, sicuti negatio hinnibilitatis consequitur rationalitatem. Secundò conditionaliter, & limitate sicuti obscuritas consequitur actum fidei, hic enim non obstante quod quantum est de se sit obscurus; si tamen est simul fidei, & scientiæ admittit in se claritatem sibi idẽticatam; Ideò rectè dicitur causa efficiens secundùm suam præcisam rationem efficientis tribuere extrinsecè esse suo effectui non obstante, quod quando est simul causa materialis, quatenus talis est, atque adeò per accidens, tribuat illi esse intrinsecè.

11 Instabis ex eodem Giattino: aliud est causam efficientem ex suo præciso conceptu non dare esse intrinsecè: aliud verò ex suo præciso cõceptu dare esse extrinsecè. Primum est verum, secũdum falsum; ergo &c. Neque satisfacit si dicatur, ly, extrinsecè, sumi negatiuè nam in his duabus propositionibus aliud est dicere: animal ex suo conceptu animalis non est rationale, & aliud ex suo conceptu animalis est non rationale. Primum est verum, secundum falsum. Sed nos secundò modo explicamus particulam (vndè) in definitione efficientis, dum dicimus importare modum causandi extrinsecè; ergo &c.

12 Respondeo: concessa maiore, nego minorem in qua assumitur, quod loquendo de causa efficiente falsum sit dicere, quod det extrinsecè esse effectui, posito quod terminus extrinsecè afficiat essentiam efficientis, & negatiuè sumatur, vt patet ex dictis. Ad id quod dicitur de animali, nego paritatem. Disparitas est quia animal non habet, vt si sibi relinquatur potius contrahatur per differentiam irrationalem, quam per rationalem, sicuti habet causa efficiens relicta sine mixtura alterius exteranęæ differentiæ, vt non sit intrinseca: eo quod sibi relicta, & determinata per differentias limitantes illam in proprio genere semper euadit in statu reali positiuè extrinseca effectui, intrinseca verò non nisi ratione differentiæ illam à suo proprio genere extrahentem. Simile quid habes in actu fidei, qui ab omnibus dicitur quod sit de se obscurus, quod idem est, ac esse non clarum. & tamen potest esse simul scientiæ, atque adeò claritatem admittere. Vnde potius debuisset dici quod de se non sit obscurus, quam quod sit obscurus, sed vt explicetur, quod sibi relictus in propria linea obscuritatem positiuè habet; claritatem autem non nisi ab ea, per rationem scientiæ extractus, ideò melius dicitur absolutè esse obscurus, quam non esse obscurus, vel etiam non clarus.

13 Obijcies quartò: ex eodem aliqua causa efficiens

ciens præcisè etiam vt efficiens facit in se mutationem, ergo falsum est, quod de ratione efficientis non sit intrinsecè dare esse effectui.

Consequentia patet antecedens probatur quia intellectus quatenus producit efficienter vnionem indistinctam inter se, & cognitionem per hanc productionem vt est influxus efficientis mutat se ipsum; ergo aliqua causa efficiens præcisè etiam vt efficiens facit in se mutationem. Consequentia est legitima. antecedens verò suadetur, quia mutari nihil aliud est, quam habere sibi vnitam mutationem, vt patet ex materia, quæ per animã rationalem sibi vnitam præcisè mutatur; etiam si illam minimè sustentet, sed intellectus, vt influens in vnionem cognitionis cum se ipso formaliter ex vi præcisa talis influxus vnitiui vnitur cum intellectione; ergo ex vi præcisè influxus effectiui mutatur. Rationem à priori huius discursus assignans, auctor dicit esse, quia hoc ipso, quod forma, siuè influxus, qui producitur est essentialiter talis vt se ipso essentialiter vniatur cũ producente, non potest intelligi produci ab agente, quin ex vi dictæ productionis vniatur intrinsecè cum ipso agente; ergo neque potest non intelligi mutatum agens per talem influxum.

Respondeo: negando antecedens. ad cuius probationem, nego item antecedens, & ad eius confirmationẽ, distinguo maiorẽ: mutari nihil aliud est, quam habere sibi vnitam mutationem, vt subiecto, vel termino illius mutationis concedo, vt causæ efficienti eam, nego maiorem, & sic distinguo minorem, intellectus ex vi præcisè influxus vnitiui vnitur cum intellectione, vt efficiens concedo, vt subiectum, nego minorem, & consequẽ etiam; & ad rationem à priori etiam concesso antecedente, nego consequentiã; & dico, quod si intelligamus intellectum influere præcisè in genere efficientis in vnionem indistinctam à cognitione, quam in se producit: habebimus quidem conceptum quod ipse habeat sibi vnitam mutationem, sed non quod mutetur, quod sic ostendo: ad conceptum mutationis requiritur præterea, quod id quod mutatur se habeat, vel vt subiectum mutationis vel vt terminum per eam productum, sed neutro modo se habet intellectus per hoc præcisè quod producat efficienter vnionem indistinctam inter se, & cognitionem: ergo &c. maior, quæ sola probatione eget, suadetur ex persona Verbi, quæ produxit efficienter vnionem hypostaticã per multos indistinctã à se, & ab humanitate, & tamen per hanc productionem nõ mutauit se ipsum, & ratio huius est, quia licet habuerit sibi vnitam mutationem, non tamen habuit illam sibi vnitam, tanquam subiecto, neque tamque termino per mutationem producto. Ad hoc ergo vt intellectus per productionem vnionis inter se, & cognitionem intelligatur mutari non sufficit, quod eius influxus præcisè sumptus se ipso essentialiter intelligatur vniri secum, sed præterea requiritur, vt posito quod ipse non est intellectio intelligatur habere rationem subiecti, atque adeò extrahi à linea efficientis. Neque te terreat, quod ipse intellectus præcisè sumptus, vt efficiens vnionem, iam esset eius terminus intrinsecus, nam etiam Verbum est terminus intrinsecus vnionis hypostaticæ, vt docet Lugo *de Incarnat. sect. 7. num. 48.* Sequuntur Suarez & alios Recẽtiores communiter absque eo quod per terminationem dictæ vnionis intelligatur mutari.

Obijcies quintò: ex Hurtado, & Arriaga Aristotelicam definitionẽ improbãtibus, causa ideo est verè efficiens, & tamen non est principium mutationis, aut quietis, quia creatio nullum præsupponit subiectum. rursus causæ secundæ efficientes licet sint principia mutationis; non tamen sunt principia prima. ergo de nulla causa efficiente tradita definitio Aristotelis verificatur.

Respondeo ad priorem partem antecedentis, iam dictum esse mutationem non sumi strictè in definitione, sed latè prout comprehendit quemcunque transitum de non esse ad esse, siuè simpliciter, siuè in aliquo certo genere in ratione perfectibilis: quo modo certum est creaturam, quæ fit ex nihilo mutationem subire atque adeò de causa creante verificari, quod sit mutationis principium quando primò creat. quietis verò quando postea creaturam conseruat. Ad alteram etiam partem patet ex dictis; principium enim primum non debet verificari de causa efficiente absolutè; sed respectiuè ad cæteras causas, quæ ad effectum producendum per physicum, & realem influxum concurrunt; quare nulla est consequentia.

SECTIO SECVNDA.

De Varijs generibus causæ efficientis.

16 Multipliciter efficiens causa diuiditur; & primò quidem in primam, & secundam; Prima ita est rerum omnium effectiuum principium, vt tum in essendo, tum etiam in operando ex se sit ab omni alio principio independens, cuiusmodi est solus Deus, qui licet aliquando dependenter à materia operetur, hoc non prouenit ex eius indigentia, sed ex eo quia vult operari iuxta exigentiam suorum effectuum; Secunda verò causa ita effectus aliquos efficit, vt tum in essendo, tum in operando dependeat à prima causa, & huiusmodi sunt omnia agẽtia creata.

17 Secundò diuiditur in vniuersalem, & particularem: illa quidem, quia ad omnes saltem effectus alicuius generis concurrit, habet rationem vniuersalis. sicuti est Cœlum, quod in omnibus inferioribus operatur: hæc autem, quia solum ad quosdam particulares effectus se extendit dicta est particularis, vt ignis, lignum &c.

18 Tertiò in Physicam, & moralem, Physica est illa, quæ per verum, atque realem influxum per se ipsam influit in effectum: moralis verò non sic, sed quæ consulendo, vel suadendo, vel docẽdo, vel præcipiendo, vel deniqimerẽdo aut quouis alio modo inducit aliud ad operãdũ, Vnde rectè describi potest esse illa, quæ licet per se physicè, non influat in effectum, iuxta prudentum tamẽ existimationem illi tribuitur effectus, ac si illũ physicè produceret. Alio modo accipitur causa moralis: videlicet pro causa libera, sed hoc propriè non est membrum condistinctum à causa physica, sed à naturali, hoc est, necessaria;

Digitized by Google

ria; quare potius causa physica dividi debet in moralem sic acceptam, & in naturalem, quā causa 18
sit in communi, de qua loquimur. Sunt qui vel inc
physicam causam esse appellandam omnem causam necessariam; liberam verò dicendam esse moralem; etiam si physicè hanc est realiter influat in effectum suum: verum hi minus propriè loquuntur. 19

Quarta diuisio est in causam per se, & causā per accidens; per se illa est, quæ directè & propriè dependet effectus: vt ignis per ordinem ad comburendum. Per accidens verò illa, quæ vel est coniuncta cum causa per se, vel est voluntaria ad hoc vt causa per se directè suum aliquē producat effectum.

Quinta est in vniuocam, & æquiuocam vniuocam illa dicitur, quæ producit effectum sibi similē in natura: vt ignis, ignem; æquiuoca verò quæ est productiua effectus diuersæ essentiæ, ac rationis, vt sol respectu caloris. quod si Arist. 7. *metaph. tex.* 30. dixit omnia quodāmodo fieri ex vniuoco, voluit solum, quod omnia fierent à causa habente aliquam similitudinem, si non formalem, at saltem virtualem cum effectu; quam virtualē similitudinem habet de necessitate causa æquiuoca, quę ideirco nobilior existimanda est suo effectu, dummodo hæc agat sine consortio alterius causæ principalis, quæ sit eiusdem generis cum effectu; secus poterit nō solum æquè nobilis esse, sed etiam ignobilior suo effectu. 20

Sexta diuisio est in totalem, & partialem. causa efficiens totalis est illa, quæ sine consortio alterius causæ, quæ sit in eodem genere, & ordine effectum aliquem producit; partialis verò illa, quæ sola, & sine huiusmodi consortio non producit. 21

Septima denique diuisio celeberrima apud Philosophos est illa, qua causa efficiens diuiditur in principalem, & instrumētalem. Principalis est illa, quæ in virtute propria, & non vt alterius virtus operatur: instrumentalis verò illa, quæ agit vt virtus, & potentia causæ principalis, & ita ei in operando subordinatur, vt sit eius proxima ratio agēdi, & principium vt quo operandi: diuiditur autem hæc instrumentalis causa in naturalem, & voluntariam; illa est, quæ ex natura sua habet vt sit alterius instrumentum eiusmodi est calor naturalis, respectu animalis: hæc verò est illa, quæ rationem habet instrumenti, solum ex intentione, & applicatione principalis agentis, non autem ex natura sua, eiusmodi sunt instrumenta artis, vt serra, & malleus respectu fabri lignarij. 22

Hanc explicationem causæ principalis, & instrumentalis non probat Arriaga *disp. 11. sect. 3.* vnde vnum statuit certò *nu. 43.* scilicet: causam imperfectiorem siue etiam perfectiorem non habentem naturaliter virtutem ad effectum, sed indigentem eleuatione, esse causam instrumētalem; sed si nihil aliud addat, ex his videtur sequi nullam posse dari causam instrumētalem naturaliter, sed supernaturaliter tantum, cuiusmodi est aqua in productione gratiæ. siquidem per illum instrumenta artis non habent rationem proprij instrumenti physici; quia, inquit, non attingunt physicè effectum, nisi medio impulsu, à mouente ea, impresso, & in illis recepto; reliquæ verò causæ naturales habent naturaliter virtutē producendi eos effectus, quos defacto producūt. Vnde, vt se eximat ab hac nota, concludit: omnē causam imperfectiorem suo effectu etiam si ad illum naturali virtute concurrat dicendam esse causam instrumentalem. Sed contrà hanc explicationem facit, quia semper causa instrumentalis refertur ad principalem. Sed si omnis causa imperfectior effectu esset instrumentalis; daretur causa instrumentalis sine principali; ergo &c. maior patet, minor verò fundetur; quia causa imperfectior non est necesse, vt ex suis intrinsecis subordinetur alteri; ergo &c. Dicet fortasse sufficere si subordinetur in operando causæ perfectiori, vel æquè perfectæ, ac est effectus. Sed contrà, quia non repugnat dari duas causas efficientes diuersæ rationis, quarum vnaquæque in sensu diuiso sit imperfectior effectu. licet in sensu composito sit perfectior. in hoc casu vtraque in sententia auctoris esset instrumentalis, & neutra principalis; nisi dicat principalem esse constatum ex vtraque; verum est inauditum quod causa instrumentalis sit pars principalis, & quod intrinsecè ad eam constituendam pertineat. 23

Addit denique quod vt causa, quæ concurrit ad effectum aliquem eleuata, dicatur causa instrumentalis illius, debet effectus illam ex se non requirere, vnde quamuis intellectus eleuatus lumine gloriæ beatam visionem producat, quia tamen dicta visio exigit ab intellectu produci, ideò intellectus non est censendus causa instrumentalis, sed principalis illius. Sed contrà etiam hoc manifestè, ni fallor, est, quia de primaria notione causæ principalis est, quod sit auctrix effectus, & alias causas ad illum producēdum sibi subordinet. Sed illa causa, quæ ad producendum effectum eleuatione eget, repugnat, quod sit auctrix, & subordinet sibi alias causas ad producendum effectum; potiùs enim auctrix illa censeri debet, quæ eam eleuat nam ad illum effectum operandum eam sibi eleuando subordinat; ergo &c. Cæterum quod visio petat ab intellectu produci nō est sufficiens ratio, vt eum causam principalem denominet. Defacto enim visio corporea petit produci à specie impressa obiecti, hoc tamen nō obstante, quia species est imperfectior ipsa visione, in sententia auctoris habet rationem causæ instrumentalis respectu illius; ergo &c. absolutè verò loquendo sicuti connexio causæ cum effectu non sufficit ad dandam rationem causæ principalis, ita neque connexio effectus cum causa. ex quibus sequitur non esse discedendum à nostra explicatione, atque hęc de diuisione causæ efficientis. 24

(§) .†. (§)

SEC-

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

De vi cauſatiua, & cauſalitate cauſæ efficientis.

25 PRima Concluſio, vis cauſatiua aliquando eſt ipſa entitas efficientis cauſæ, aliquando verò realiter, & nemine cogitante ab illius entitate diſtinguitur.

Probatur vtraque pars concluſionis, quia ex vna parte Deus per ſuam omnipotentiam, quæ eſt indiſtincta ab entitate ipſius Dei omnes effectus ad extra operatur; ergo &c. ex alia verò parte videmus aquam quidem per calorem calefacere manum, parietem verò disgregare viſum per albedinem; & quidem tum calor ab aqua, tum etiam à pariete albedo nemine cogitante diſtinguuntur. verum igitur eſt, quod aliquando vis cauſatiua efficientis realiter ab eius entitate diſtinguitur, aliquando verò non diſtinguitur.

26 Secunda concluſio cauſalitas efficientis eſt actio, ita Sanctus Thomas 5. *metaph. cap.* 2. Albertus 2. *phyſic. tract.* 2. Suarez *diſput.* 18. *ſect.* 10. Conimbricenſes, & alij cõtrà Henricum *quodlibeto* 2. Soncinatem 5. *metaph. queſt.* 4. Iauellum, & paucos alios.

Probatur: cauſa efficiens per actionem intelligitur dare eſſe effectui, illumque à ſe dependẽtem habere, ergo actio eſt eius cauſalitas; conſequentia tenet; nomine enim cauſalitatis intelligimus id, per quod proximè cauſa dat eſſe effectui, illumque à ſe dependentem habet; antecedens verò probatur, quia nullo alio modo efficiens concipitur dare eſſe effectui, niſi per hoc quod agat illum, ergo etc.

Obijcies primò: actio eſt effectus agentis, ab eoque dependet, ergo non eſt eius cauſalitas. 24

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: actio eſt effectus, vt quo, agentis, ab eoque item dependet, vt quo, concedo antecedens: eſt effectus, vt quod, agentis, et ab illo dependet, vt quod, nego antecedens. et conſequentiam; Id dicitur effectus, vt quod agentis, et vt quod dependere, quod abſolutè dicitur fieri atque produci, vt eſt ignis, calor etc. Id verò effectus, et dependens vt quo, quo mediante aliquid efficitur, atque producitur ab agente; cuiuſmodi eſt actio, per quam agens agit.

Neque dicas: propriè formam fieri vt quo, et vt quo ab agente pendere, non verò actionem, quæ eſt id per quod fit forma: Nã id dicas inquã, quia diuerſimodè denominatio hæc vtriſque cõpetit; formæ quidem tanquam termino non vltimato, actioni verò tanquam medio inter formam ipſam, et cauſam. 28

Obijcies ſecundò: actio eſt effectus in fieri, ergo non eſt cauſalitas efficientis, conſequentia tenet, quia cauſalitas debet ab effectu diſtingui, eſt enim id per quod cauſa influit in effectum. 29

Reſpondeo actionem dici effectũ in fieri communiter, inquantum eſt via ad ipſum, eſt enim eius productio, atque extractio à virtute, ſeu potentia cauſæ efficientis; quare nego conſequentiã, ad cuius probationem dico effectum in fieri quatenus ſignificat productionem, et extractionem illius poſſe intelligi diſtinctum ab ipſo effectu ſecundum entitatem ſuam conſideratum, ſi alunde non repugnat.

Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMATERTIA

DE ACTIONE.

Sicuti egimus de causa efficiente in communi prout præscindit à Creata, & Increata, ita & de actione, quam vidimus esse causalitatem efficientis vt sic.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Actio.

1 ACtionem Philosophus *lib. 3. physic. text. 22.* definiit: Actum huius in hoc, hoc est, actum agentis in passum; sed hæc definitio non competit omni actioni, sed solum illi, quæ est dependēs à materia. Definiri solet cōmuniter: Actus actiui potentiæ est, sed hæc definitio licet de omni actione, quamuis non sit eductiua, verificetur, nimis tamen videtur obscura.

2 Quare nostra conclusio est: Actio in communi rectè definitur: actus vltimus agentis, vt agens est, quo mediante ab eo realiter producitur, vel cōseruatur effectus; sumitur ex *Arist. hic text. 33.* & defenditur communiter.

Dicitur primò (Actus vltimus) per quod distinguitur à vi causatiua agentis, quæ est actus primus, & à quocunque alio, per quod ipsum agens constituitur in actu primo proximè potēs agere. Dicitur secundò: (agentis vt agens est) vt notetur actionem dicere formaliter trascendentalem ordinem ad agens, & eius beneficio agens in actuali effectione formaliter poni. Dicitur tertiò: (Quo mediante ab eo producitur effectus) quia actio propriè est id per quod agens agit, & efficit; cum autem agere, & efficere non possit esse absque eō quod aliquid agatur, vel efficiatur hinc fit vt per ipsam actionem dicatur agēs producere effectum: quod enim efficitur propriè, effectus apellatur: Addiur quartò (Aut conseruatur) quia conseruatio est quædam cōtinuata productio, quę ex parte efficientis non fiat sine actione, imo eadem ipsa actio productiua, si durat censenda est conseruatio. Conclusio autem sic explicata.

3 Probatur: quia per hanc descriptionem optimè actionis essentia explicatur, & à quacunque alia re sufficienter distinguitur; ergo censenda est rectè tradita.

4 Obijcies: actus vitales sunt actiones, & tamen illis mediis, neque producitur, neque conseruatur aliquis effectus, sed tantummodo attinguntur obiecta à potentijs vitalibus; ergo actio non est necessariò id, quo mediante producitur ab agente, vel conseruatur effectus.

Respondeo: actus vitales quatenus considerantur attingere obiecta sua, & in facto esse propria habere productiones, atque effectiones, per quas à principijs, à quibus eliciuntur, dependent; in his igitur effectionibus actionis ratio posita est, quæ, vt vides, consistit in eo, quod illa mediante actus vitalis producitur à potentia. Neque te deterreat, quod actus ipsi vitales actiones, etiam appellentur, nam grammaticaliter tantum non autem philosophicè, & rigorosè nomen hoc cōportit illis.

Iam verò Definitio tradita actionis, eiusque declaratio euidenter euincit, actionem, neque consistere in entitate effectus prout connotat causam, vel è contrà, vt volunt aliqui, neque in mera coexistentia veriusque, vt alij malunt; tum quia post actionem, effectus, & causa dicunt ad inuicem connotationem aliquam, etiam si periere actio: tum etiam quia possunt effectus, & causa simul tempore coexistere, absque eo quod inter illos actio aliqua intercedat, vt nos fusius in sequentibus demonstrabimus, sed de hoc melius, & ex actibus in sectione sequenti. 5

6 Secunda Conclusio, actio est simul influxus actiuus, per quem agens influit in effectum, & dependentia, per quam effectus ab agente ipso dependet.

Probatur, quia actio est id, quo posito causa efficiens intelligitur facere, & effectus fieri, sed id per quod efficiens facit, est eius influxus, & id per quod fit effectus est dependentia, qua ipse à sua causa dependet; ergo actio cum influxu, & dependentia identificatur.

7 Obijcies: Dependentia est actionis effectus; ergo actio non est dependentia. antecedens probatur, quia valet hæc causalis, ideò effectus depēder à causa, quia hæc agit in illum.

Respondeo distinguendo antecedens: dependentia est actionis effectus in genere causæ veluti formalis transeat antecedens: in genere efficiēdis, nego antecedens, & consequentiam; Ad probationem autem dico: duas istas rationes esse cōceptus quosdam inadæquatos eiusdem entitatis indiuisibiliter sumptæ; quorum vnus, conceptus scilicet actionis est veluti prior alio scilicet dependentiæ, sed in eo essentialiter incluśus per diuersam connotationem. sic diximus potentiam receptiuam, & potentiam sustentatiuam esse duos conceptus inadęquatos essentiam materiæ constituentes; ita tamen vt ratio potentiæ receptiuæ concipiatur in ea prior ratione potentiæ sustentatiuæ, & in hac essentialiter inclusa.

8 Atque ex his obiter colliges quod passio, vt passio est actus patientis, vt patiens est. Constat ex ijs, quæ diximus in prima Conclusione. vnde deducitur passionem, & actionem per hoc inter se distingui, quod actio respiciat essentialiter agens: passio verò ad ipsum passum essentialiter referatur.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Quomodo distinguatur actio ab Agente, & Termino.

QVæstio præsens primò, & per se exagitatur de actione, quam vulgo Philosophi, eductiuam non vitalem appellant, quæ scilicet ita dependet à materia, vt non sit vitalis. cuiusmodi est illuminatio V.G. per quã sol producit, & conseruat lumen in aere, frigefactio, per quam nix frigefacit manum; ignefactio per quam ignis ignefacit lignum, & sic de reliquis; quid autem de creatiua, & de vitali eductiua dicendum sit, postea apparebit.

10 Conclusio nostra est; Actionem distingui ab agente creato, & suo proximo termino plusquã ratione, & quidem realiter modaliter, scilicet tãquam modus à re; posito enim quod plusquam ratione ab vtrisque distinguatur, non videtur esse necessaria maior distinctio, cum præsertim consistat essentialiter in actuali exercitio efficientis actu causantis. In hac sententia est S. Thomas præsertim *secundo contra gentes cap.* 17. & 18. Scotus *in* 4. *distinct.* 14. *quæst.* 1. & *in* 3. *distinct.* 1. *quæst.* 1. vbi docet relationem extrinsecus aduenientem, cuiusmodi est actio, esse realiter distinctam à fundamento, Burleus 3. *physic. tex.* 11. Aureolus *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. & 3. Venetus 3. *physic. cap.* 8. Caietanus 3. *par. quæst.* 2. *ar.* 8. Durand. *in* 3. *distinct.* 5. *quæst.* 2. *n.* 4. & ex Recentioribus P. Suarez *disput.* 18. *metb. sect.* 10. *n.* 8. Ruuius hic *tract.* 4. *quæst.* 5. Hurtadus *disput.* 12 *physic. sect.* 2. Arriaga *disput.* 9. *ite physica* Ouiedus *controuers.* 12. *physi. puncto primo*, Auersa *quæst.* 26. *sect.* 3. Mursia *hic disput. 4. quæ.* 2. Arefius *primo de gen. quæst.* 37. *sect.* 4. Compton *disput.* 40. *physi. sect.* 6. Quiros *in suo cursu disp.* 61. *sec.* 2. Caprinus *in suis Apibus philos. lib.* 1. *distin.* 5. *c.* 6. *sect.* 1. Maurus *quæst. philosoph. t.* 2. *qu.* 20. & plures alij, contrà Nominales, Gabrielem præsertim *in primo dist.* 30. *quæst.* 4. *art.* 1. & Occamum *distin.* 3. *quæst.* 2. quos sequuntur Valentia *tom.* 1. *disput.* 3. *quæst.* 2 *punct.* 1. Pererius *lib.* 3. *physi. cap.* 9. Sotus 3. *physic. quæst.* 1. Masius 3. *physic. cap.* 3. *sect.* 1. *qu.* 4. Toletus *loc. cit. quæst.* 3. & alij, qui existimant actionem per quam effectus dependet à sua causa non distingui plusquam ratione ab ipsa causa, & effectu.

11 Iam verò probatur nostra Conclusio vnica ratione, perit aliquando actio, & remanet entitas causæ, & entitas effectus; ergo actio realiter ab vtrisque distinguitur. Consequentia patet nostro illo axiomate satis, superque confirmato: quod scilicet ea, quæ ita se habent, vt vnum pereat altero remanente, distinguntur plusquam ratione; antecedens verò probatur multipliciter; sed in præsentia solo illo celebri miraculo præsupposito, quo scilicet lumen hoc V.G. quod hupusque à sole, simul, & à Deo est naturaliter conseruatum, incipiat deinceps dependere à solo Deo, persistente sole in eodem loco, in quo erat prius, tũ sic in tali casu perit actio conseruatiua solis, & remanet entitas solis, & entitas ipsius luminis; sed sol erat causa lumin.; ergo &c.

12 Dupliciter respondent aduersarij ad hoc argumentum; & primò quidem quemlibet effectum naturaliter sibi vendicare determinatam causam, à qua per se ipsum immediatè dependeat, quod si Deus velit, vt dependeat ab alia causa; tunc exigere aliquid super additum, per quod ab illa dependeat, ex quo sequitur solum actionem miraculosam, non verò naturalem distingui plusquam ratione ab effectu, & causa sua.

13 Contrà tamen est primò; quia sæpè contingit etiam naturaliter, vt effectus qui producitur ab vno agente, ab alio postea cõseruetur, vt ignis, qui in fieri dependet ab alio igne, & in facto esse à solo Deo; neque dicas in his effectibus dependentiam à causa productiua consistere in eorum entitate prout connotat immediatè antea non fuisse, & sic post instans productionis deperdi absque deperditione alicuius realitatis: ne id dicas, inquam; quia præter quam quod huiusmodi carentia ad rationem actionis impertinenter se habeat; entitas effectus prout connotat se immediatè antea non fuisse stat sub conceptu passiuæ productionis vt sic; ergo aliquid aliud addere debet vt intelligatur potius ab hac, quam ab alia causa produci, sed ad hoc non sufficit naturalis continentia; quia hæc negatur à quamplurimus asserentibus causas secundas determinari à Deo ad hunc potiùs quam alium numerò effectũ producendum, quibus cõformari debemus in his quæ ad naturam actionis explicandam pertinent; ergo &c. Rursus potest Deus facere, vt effectus, qui productus est ab vna causa, à qua non exigit conseruari: miraculosè tamen conseruetur per continuationem eiusdem influxus, quem *in* sui productione habuit; in hoc enim nulla appareat implicantia; sed in tali casu post instans productionis haberetur dependentia effectus à causa naturali, absque ea quod eius entitas connotaret se immediatè antea non fuisse; ergo &c.

14 Contrà principalem responsionem est etiam secundò, quia, qui volunt quemlibet effectum vendicare sibi determinatam causam, hoc dicunt quoad primam productionem, non verò quoad conseruationem; negari enim non solet lumen V. G. productum, & conseruatum per aliquod tempus ab vna lucerna, posse simul cum alia naturaliter postea à priori lucerna conseruari: In hoc autem casu perit illa actio totalis, per quam prior lucerna se sola in lumen illud influebat, & aduenit alia per quam vtraque influit remanente entitate prioris lucernæ, ac luminis; ergo etiam naturaliter potest perire actio, & remanere entitas causæ, & effectus, etiam si effectus in conseruari dependeat à causa, à qua fuit productus. Neque dicas non remanere huiusmodi entitates, postea eodem modo, sicuti prius, in quantum antea connotabant absentiam posterioris lucernæ, postea verò præsentiam: Quia stante posterioris lucernæ præsentia, potest Deus velle vt lumen illud nullo modo ab ea dependeat, sed tantum, à priori, sicuti antea. aliquid aliud igitur importat dependentia totalis luminis à priori lucerna præter eorum entitates, & absentiam secundæ lucernæ.

15 Contrà etiam est tertiò, quia lumen, vt potens creatum numquam exigit immediatius depen-

Digitized by Google

pendere in genere efficientis naturaliter à causa secunda, quam simpliciter dependere à Deo; quia dependentia à causa secunda in genere efficientis est participatio quædam diuinæ dependentiæ, atque adeò se debet illi conformare, eamque imitari, non verò eam superare; superaret autem si lumen per seipsum immediatè penderet à sole, at verò à solo Deo non nisi mediante aliquo modo distincto; casu quo Deus illum se solo non obstante naturali exigentia causæ creatæ producere vellet. Contrà denique facit quartò, quia sic actio naturalis cõpleretur, per negationem modi miraculosi, supernaturalis verò huiusmodi modum importaret: sed huius dicti non potest assignari ratio disparitatis, cum præsertim tam actio naturalis, quam miraculosa sit de suo conceptu, quid positiuum, vt benè aduertit Caprinus *in suis Apibus philos. lib. 1. distin. 5. cap. 6. sect. 1. nu. 5.* Linquo quod sic effectus procederet à causa naturali, per hoc formaliter, quod non procederet à supernaturali, contrà quod facit, tum quia processio à causa naturali est quid positiuum, tum etiam quia potest effectus, qui naturaliter procedit ab vna, supernaturaliter ab altera simul pendere, atque hæc mihi videntur in causa, cur hanc primam viam aduersarij communiter derelinquant, & improbabilem existiment.

16 Respondent secundò: ad argumentum principale, actionem solis, præter existentiam luminis, importare solem ipsum, vt causam vltimò completam; ad habendam autem causam secundam vltimò completam, præter ea, quæ se tenẽt ex parte ipsius causæ secundæ, requiri etiam ex parte causæ primæ liberum decretum de concurrendo simul cum illa, quod quidem Decretũ cum amplius non habeatur, prout correspondet instanti illi, in quo Deus vult se solo conseruare lumen, hinc fieri, vt indigeat distinctione antecedens argumenti primo loco positi, sic: Perit aliquando actio, & remanet entitas effectus, & causæ, secundum ea, quæ requiruntur ex parte ipsius causæ secundæ tantum, concedo: secundũ ea, quę requiruntur etiam ex parte causæ primæ, nego antecedens, & consequentiam; ad probationem autem antecedentis admisso casu, distingueretur assumptum: perit actio conseruatiua solis, & remanet entitas luminis, & entitas solis secundum se, concedo: remanet entitas solis in ratione causæ secundæ omnino completæ; nego; quia causa secunda, adhoc vt absolutè intelligatur completa habere debet assistentiam diuinæ omnipotentiæ applicatæ per Decretum liberum voluntatis diuinæ de concurrendo simul cum ea; hanc autem non habet sol posito illo miraculo.

17 Pro impugnatione nota libertatem posse dupliciter intelligi: Primò per indifferentiam potentiæ ad diuersos actus immanentes habendos, quibus medijs agẽs liberum ad diuersa obiecta, vel effectus se determinet; Secũdò per indifferẽtiam immediatam vnius actus ad ipsa obiecta, vel effectus, absque vlla indigentia mutationis in potentia, & per consequens absque vlla imperfectione orta ex aliqua intrinseca compositione; libertas primi generis est in nobis, secundi verò in solo Deo, vt in præsentia suppono; solus enim ille in suo actu necessario, vt potè sibi identificato habet indifferentiam respectu obiectorum immediatè sine sui variatione, non tamen sine variatione obiectorum his prænotatis.

18 Impugnatur secunda responsio, sic: Decreta voluntatis Diuinæ non possunt intelligi variari, hoc est, incipere de nouo, & desinere quoad nos absque aliqua mutatione reali intrinseca suorum obiectorum; sed posito quod actio solis non distinguatur à sole, & à lumine, nulla in casu nostro habetur mutatio realis intrinseca in obiecto diuini Decreti de concurrendo simul cũ sole, quod prius habebatur, & de concurrendo postea sine illo; ergo falsum est quod posito illo miraculo non remaneat, causa secũda vltimò cõpleta, sicuti erat priùs, etiam secundum ea, quæ requiruntur ex parte causæ primæ: consequentia huius est euidens, maior verò probatur, quia non potest intelligi transitus de vno contradictorio reali volentis V. G. lumen dependere à sole, in aliud contradictorium non volentis sine vlla prorsus mutatione alicuius realis; at verò quando voluntas diuina intelligitur variari, & de vno contradictorio transire in aliud, non potest intelligi, quod fiat mutatio realis intrinseca in ipso Deo; eius enim actus voluntatis in se spectatus est maximè necessarius, vtpotè idem cum ipso Deo; ergo debet intelligi, quod fiat realis variatio intrinseca in suis obiectis; idcirco enim prima parte probaui Decretum Dei liberum supra actum necessarium diuinæ voluntatis addere in obliquo terminationem ad Creaturas, tanquam aliquid contingens, ex quarum Creaturarum diuersitate, & variatione Decreta denominentur extrinsecè variari, diuersificari, atque mutari: Quod confirmatur, quia ad hoc vt duo extrema, qualia sunt Deus, & Creatura, contrarias fundent denominationes, sicuti sunt V. G. velle lumen dependere à sole, & velle lumen non dependere à sole, non debent eodem prorsus modo se habere; sed de necessitate aliquam pati variationem, atque mutationem; sed hęc non potest esse in Deo, quia Deus immutabilis est, & in se semper idem; ergo haberi debet in Creaturis, quæ sunt obiecta Diuini Decreti; sic probata maiore principali argumenti.

19 Probo minorem; posito quod actio solis non distinguitur à lumine, & sole, etiam si dicatur cessare influxus solis in lumen, remanet tamen entitas solis, & entitas luminis, quoad intrinseca, sicuti prius, sed hęc sunt obiecta Decreti, quo Deus antea decreuerat concursum solis in lumẽ, & Decreti, quo postea voluit efficaciter lumen amplius non pendere à sole; ergo nulla habetur mutatio realis intrinseca in obiecto vtriusque Decreti posita actione indistincta; Confirmatur, quia si qua haberetur mutatio ea maximè consisteret in deperditione influxus solis in lumen, & in acquisitione influxus adæquati Dei, sed per to influxus solis in lumen importat hæc tria entitatem luminis, & entitatem solis, & actum necessarium diuinæ voluntatis, quæ omnia habentur, quando lumen à solo Deo incipit dependere; ergo &c.

20 Iam verò solidam hanc impugnationem de-

Digitized by Google

bilitare conantur aduerſarij, & in hoc duplici procedunt via. Prima eſt per negationem maioris argumenti facti; Secunda per negationē minoris; loquendo autem de prima via, putant nonnulli voluntatem Dei propter ſuam eminētiam, qua infinitis æquiualet volitionibus etiam oppoſitis, & inter ſe contrarijs, poſſe intelligi facere tranſitum de vno in alterum contradictorium, ſine vlla prorſus mutatione facta in ſe, aut in obiecto ſuo: atque adeò poſſe ſine vlla variatione reali perire denominationem illam extrinſecam ſolis in ratione cauſæ ſecundæ vltimò completæ ex defectu prioris Decreti de concurrendo cum illo.

21 Sed contrà hoc facit, quia axiomata illa, quæ fundantur in terminis præſcindentibus à Creato, & Increato, cuiuſmodi ſunt natura entis, & non entis ſecundum ſe, & quatenus talia ſunt ſimpliciter, non ſunt neganda propter eminentiam Deitatis; alioquin ego dicam contradictoria in terminis Diuinis eſſe poſſe ſimul vera; atque adeò priuilegium rerum diuinarum eſſe, implicare contradictionem ſine abſurdo; & ſic ſimul eſſe poſſe verum; Verbum Diuinum fuiſſe Incarnatum, & non fuiſſe Incarnatum; ex quo principio deduceretur nullum errorem eſſe poſſe contrà fidem, quo nihil eſt abſurdius.

22 Iam verò principium illud, quod ſcilicet non poſſit dari tranſitus de vno contradictorio in alterum ſine aliqua mutatione, fundatur in eo, quod poſito, quod id, quod antea non erat, nunc tranſit ad eſſe, aliquod ens de nouo debet eſſe, quod non erat antea; & è contrà, poſito quod ens tranſit in non ens, aliquod ens erat antea, quod nunc non eſt; fundatur igitur in natura entis, & non entis vt ſic, atque adeò ſiuè ſermo ſit de Deo, ſiuè de Creaturis, veritatem habere debet; ex eminentia autem diuini actus ſequitur ſolum, quod ipſe quidem in ſe nullo modo mutetur, mutentur verò res creatæ, quæ ſunt eius obiectum.

23 Verum contrà hanc doctrinam, in hunc ferè modum argumentantur aduerſarij, quia quando quis ſe obligat Deo per votum, poteſt Deus dictā obligationē nō acceptare, vel poſtea relaxare, eodem prorſus modo omnibus, quæ ſunt in mundo exiſtentibus; item, vt nos docuimus cum de pœnitentia, poteſt Deus remittere peccatum homini per meram condonationem extrinſecam; atque adeò ſine vlla phyſica mutatione peccatoris. falſum igitur eſt vniuerſaliter non poſſe voluntatem Dei tranſire de vno contradictorio in aliud ſine vlla mutatione facta in ſe, vel obiecto ſuo.

24 Ad has difficultates ſoluendas varias Theologi ſolutiones excogitarunt; Ego meam breuiter proponam, qua præcedens noſtra impugnatio corroborabitur; ea autem ſic procedit: Omne quod vult Deus de nouo ad extra, vel phyſicum eſt, vel morale, phyſicum appello omne id, quod eſt à parte rei, ſiuè poſitiuum ſit, ſiuè negatiuū; morale verò quod licet ſupponat fundamentaliter aliquod phyſicum, tamen, in ſe, & intrinſecè non importat physicam aliquam entitatem; ſed eſt medium inter ens poſſibile physicum, & impoſſibile; in quantum, licet ſit aliqua forma ficta, & nullius entitatis phyſicæ, illam tamen prudenter intellectus fingit ad mores formandos, & ſocietatem mutuam ſtabiliendam, cuiuſmodi non eſt chymera.

Porrò licet quando vult Deus eſſe ad extra aliquod ens morale de nouo, non ſit neceſſaria mutatio physica, ſed moralis tantum, hoc eſt in illa forma media, quam prudenter natura rationalis fingit; & eius mutatio ad contradictionem ſaluandam ſufficiat; tamen quando vult eſſe aliquod physicum ad extra de nouo, non poteſt hoc nisi intercedente physica mutatione exequi: quo poſito ad difficultates dicendum: quod quando Deus deobligat à voto vouentem, & quando peccatum per extrinſecam condonationem remittit, hæ volitiones important de nouo ſolam formam moralem à ſe ipsis diſtinctam, vnde cōcedendum eſt poſſe huiuſmodi denominationes haberi ſine noua mutatione physica: at velle quod lumen realiter ex dependente à ſole incipiat eſſe independens ab illo per hoc, quod totaliter à ſua omnipotentia pendeat, eſt quid physicum. Quare ſine noua mutatione physica haberi non poteſt; ſed hæc nulla eſt, ſi actio non diſtinguitur ab agente, & termino; ergo non currit paritas deſumpta ex extrinſeca condonatione Dei, eiuſque deobligatione cum actione. 25

26 Inſtabis, moralis illa mutatio ſine mutatione physica haberi non poteſt: nam ſtante fundamento phyſico moralitatis, ſicuti erat prius, videtur impoſſibile, quod moraliter diuerſo modo ſe habeat, ergo &c.

Reſpondeo primò: hanc inſtantiam eſſe contrà aduerſarios; nam ſi non poteſt Deus velle, vt aliquid morale de nouo ſit in rebus, quin in dictis rebus aliqua mutatio phyſica habeatur: multo minus poterit velle, vt lumen, quod prius dependebat à ſole, non amplius ab eo dependeat, ſed à ſe ſolo, quod eſt quid phyſicum, abſque eo quod fiat aliqua phyſica mutatio.

27 Reſpondeo ſecundò: nonnullos eſſe, qui dicūt non poſſe Deum ex volente hodie obligare ad votum, tranſire cras in nolentem illum obligare, abſque vlla mutatione reali in aliquo obiecto; verum ſi quæras ex eis vtrum neceſſe ſit, vt huiuſmodi obiectum cum dicta obligatione neceſſariam habeat connexionem? negatiuè reſpondent; vnde eſt quod intactam difficultatem relinquant: ſiquidem, ſi æque benè Deus poteſt velle incipere deobligare, ſiuè adſit, ſiuè abſit hæc realis mutatio in rebus creatis, ſequitur euidenter, quod ea ſit impertinens ad ſaluandam denominationem, per quam homo, qui heri vouerat, tranſeat hodie de obligato in deobligatum ad votum, quare melius.

28 Reſpondeo tertiò: rectè ſuſtineri poſſe, quod licet verum ſit, quod quando ens morale pendet ab actu libero creato non poſſit de nouo haberi ſine noua aliqua mutatione phyſica in ipſo actu, quatenus hic, vt potè creatus, ponitur à ſuo obiecto pendere, atque circumſcribi. At ſi moralitas pendeat ab actu Increato, hoc falſum eſt; quia quemadmodum nos ſolam formam moralem habere poſſumus pro obiecto, modo vnam, modo aliam oppoſitam volendo; ita & Deus ipſe; & quia eius actus inuariatus poteſt varia obiecta reſpicere, ita poterit efficaciter velle vt modo

hac

Digitized by Google

hæc forma moralis, modo illa habeatur in ordine ad prudentem existimationem; & hoc sine vlla physica mutatione distincta à fundamento remoto dictarum moralitatum. Sic posito voto à Francisco facto, potest Deus initio illud acceptare; & posito quod acceptauit, potest postea illud ei remittere, & hoc absque vlla physica mutatione, quæ alias non fuisset, si initio non acceptasset, vel acceptando, non remisisset; at hoc dici nequit si loquamur de obiectis physicis à Deo volitis; non enim potest Deus velle, vt paries de albo transeat in non album, absque vlla physica mutatione; quia esse album importat aliquid physicum, sic ergo, cum dependere lumen à sole sit quid physicum, non poterit per solam voluntatem Dei absque vlla physica mutatione desinere, & incipere dependere à solo Deo.

29 Ad hanc primam viam pertinet fuga illa, quã arripiunt aduersarij ex quorundam sententia, quorum meminit Alarcon 1. *par. tract.* 3. *disput.* 4. *cap.* 7. dicendo realem mutationem, quæ requiritur ad intelligendam variationem diuinorum Decretorum se tenere est parte ipsius Dei, & quidem intrinsecè, non tamen formaliter, sed virtualiter; putant enim non esse absurdum asserere volitionem liberam Dei esse virtualiter variabilem, & contingentem, *in quantum* perindè se habeat, ac posset realiter, & formaliter mutari; necessariò enim existens, præstat eas denominationes, quas præstaret, si de se, & formaliter esset deficiés. Verum hæc opinio innumeris scatet difficultatibus, si quidem sine necessitate ponit possibilem quandam variationem in Deo, quoad virtualitates intrinsecas, atque adeò defendit non omne id quod est in Deo esse Deum formaliter, & virtualiter; si quidem sustinet volitionem hanc V. G. qua fuit volitus mundus à Deo, potuisse quoad formalitatem suam, vel virtualitatem non esse in Deo, & sic aliquam contingẽtiam in se, & intrinsecè secundum id quod dicit in recto admittere, quod ego suppono repugnare Diuinæ perfectioni, atque necessitati quantum ad esse, vnde cum aliunde etiam supponam sententiam D. Thom. & Scoti de actu libero Dei, non est cur ad dictam opinionem ex professo impugnandam me conuertam; tantum dicam, quod quomodocunque ponatur in Deo volitio illa, qua vult lumen à sole causatum, se solo cõseruare; semper assignari debet obiectum, quod de nouo habeatur; sed hoc non est omnipotentia, neque encitas solis, ac luminis; cum stantibus his omnibus habuerit Deus antea volitionem oppositam; ergo erit actio distincta.

30 Secunda igitur via procedit per negationem minoris nostri Argumenti, in qua assumebamus, posito quod actio solis non distinguatur à lumine, & à sole, nullam in casu illo miraculoso haberi realem mutationem intrinsecam in obiectis illorum diuersorum Decretorum Dei. Verum in assignanda hac mutatione in dictis obiectis non omnes aduersarij conueniunt.

31 Quidam enim primò dicunt mutationem fieri in tempore; non enim pro eodem tempore, in casu illo miraculoso lumen dependet, & non depẽdet, sed pro vno dependet, pro alio verò non dependet.

Sed non benè; quia mutatio ita in tempore impertinens est ad cessationem, vel inceptionem dependentiæ luminis à sole, & à solo Deo; siquidem eodem tempore subsequenti, pro quo lumen incipit conseruari à solo Deo omnino inuariato, poterat æque benè conseruari à sole, sicuti etiam pro antecedenti tempore inuariato, quo ab illo conseruabatur, poterat cõseruari à solo Deo: mutatio autem assignanda, debet esse in aliquo, quod ad conceptum dependentiæ vtriusque pertineat.

Neque dicas; quòd licet mutatio in tempore si secundum se consideretur sit impertinens ad huiusmodi dependentiæ mutationem: considerata tamen prout connotat voluntatem Dei volentis cum tali mutatione cẽporis coniunctam esse cessationem dependentiæ luminis à sole, & inceptionem dependentiæ eiusdem luminis à se solo sit maximè pertinens ad dictum mutationem, in quantum, stante hac voluntate Dei, impossibile est oppositum euenire. 32

Ne id dicas in quantum, quia quod Deus velit, vt hoc determinato tempore lumen, quod dependebat à sole, à se solo dependeat, duo inuolvit Decreta libera ad inuicem seperabilia, & de obiectis disparatis; vnum de temporis mutatione, alterum verò de mutatione dependentiæ luminis: Quoniam verò cuicumque voluntati Dei efficaci suus correspondet effectus, (nã in ordine ad dictos effectus intelliguntur Dei volitiones multiplicari:) hinc fit vt mutatio temporis correspõdeat Decreto illi, quo Deus vult eius mutationem, non autem illi, quo vult mutationem dependentiæ luminis in dicto tempore; quare cum variatio intelligatur esse in Decreto dependentiæ, debet etiam assignari mutatio in ipsa dependentia, & non in solo tempore; alioquin per solius temporis mutationem saluare possemus mutationes cæterarum rerum, & sic dicere, quod quando Deus vult V. G. vt homo de non esse nunc transeat ad esse, nulla alia detur mutatio, nisi in tempore, in quantum Dei volitio huic tempori correspondet, quo nihil est absurdius. 33

Confirmatur id quod dicimus, quia in tali casu nos intelligimus duplicem Decretorum mutationem: vnam in Decreto de tempore, quo vult hoc determinatum tempus existere, quod antea non existebat; alterã in Decreto Dei de dependẽtia, quo vult vt cessante depẽdentia luminis à sole incipiat lumen à se solo pendere; ergo præter mutationem in tempore alia assignanda est mutatio in ipso lumine, quia alioquin Decretum secundum vel non haberet obiectum distinctum à primo Decreto, vel si haberet, de vno contradictorio transiret in alterum nulla prorsus mutatione habita. 34

Dicunt alij secundò, implicare Deum velle se solo conseruare lumen illud à sole productum, absque eo quod huiusmodi conseruatio reuera sequatur. Sufficere autem hanc mutationem in lumine, quia verè cessat pendere à sole, & incipit pendere à solo Deo. Sed contrà; quia nisi detur actio distincta, nequit assignari obiectum, quod Deus specialiter voluerit, quando dixit volo vt lumen hoc à me solo incipiat dependere; quia omnia essent sicuti priùs. Dicere autem volitionẽ illam habere pro obiecto seipsam, præter 35

Digitized by Google

quod hoc simpliciter non inuat aduersarios, quia sic, nil aliud dicerent quam volo me, quod est impertinens ad dependentiam luminis variandam.

36 Dicunt alij tertiò: mutationem hanc fieri in reuelatione, qua Deus reuelasset se velle, vt lumen non amplius à sole dependeat, sed à se: verum hoc dictum remanet iam impugnatum ex impugnatione præcedentis; Reuelatio enim cum sit obiectum Decreti de reuelando illo miraculo luminis mutantis dependentiam, illudque supponat: eius quoties de non esse ad esse, non potest esse sufficiens ad saluandam cessationem decreti Dei de conseruando simul cum sole, & inceptionem Decreti de concurrendo se solo.

37 Dicunt alij quarto: mutationem hanc fieri in connotatione; lumen enim posito miraculo cessat connotare amplius solem, & incipit connotare Deum tanquam causam.

Sed neque hoc satisfacit: Primò, quia non potest assignari, quid habeat de nouo lux ratione cuius desinat connotare solem, quem antea connotabat, & incipiat connotare solum Deum: profecto nisi detur actio distincta hoc erit inassignabile. Secundò, quia connotatio, vel est aliquid aliud à connotatis, vel est idem cum illis, secundum dici nequit, quia iam connotata remanent in suo esse. Si primum dicatur, vel distinguitur ab illis realiter, vel formaliter: si realiter, hanc connotationem dicam ego essentialiter actionem ipsam: tu dicas formaliter: contrà te primò faciunt omnia argumenta, quibus in logicis probauimus relationem prædicamentalem, posito quod mutetur de non esse ad esse, & è contrà, manente proximo fundamento non posse formaliter ab illo distingui.

38 Contrà secundò, quia ex hoc sequeretur quod formalitates, quæ sunt in rebus, incipere, & desinere possent per solam voluntatem Dei extrinsecam absque vlla reali mutatione rerum, cum quibus identificantur; & sic ex solo Dei decreto posset entitas terræ deperdere essentiam terræ, & acquirere essentiam auri, absque eo quod realiter mutaretur; In quo videtur mihi colerabilior opinio eorum, qui putant relationem consistere in formalitate, quam hæc de actione. Siquidem illi nunquam concedunt mutari posse relationem absque vlla mutatione reali propria, facta vel in fundamento vel in termino: hi autem dicunt ad mutationem formalitatis dependentiæ, nullam requiri huiusmodi mutationem. Et quidem per hoc etiam patet redargutio eorum, qui dicunt mutationem fieri tum in sole sumpto in ratione causæ, tum in lumine accepto in ratione effectus, si quidem illud non est amplius causa, hoc verò incipit esse effectus solius Dei, eo quòd non sit amplius ex vi solis. Quærendum enim est ab his quid addat ratio causæ, & ratio effectus supra entitatem solis, & luminis, & sicuti superiùs, concludenda actionis distinctas necessitas.

39 Dicunt denique alij quinto: mutationem hanc fieri in ipso lumine, & haberi per ordinem ad suam existentiam, non quidem absolutè, quasi verò de vna existentia transeat in alteram, sed conditionatè; in quantum licet, absolutè loquendo in suo esse perstitat: mutaretur tamen, & abiret in nihilum, nisi Deus suppleret concursum solis.

Sed neque hoc dictum soluit difficultatem; eo enim quod aliquid debeat euenire, si certa conditio adimpleatur, & non euenit, quia dicta conditio non adimpletur: ex hoc, inquam, sicuti non sequitur euentus, ita neque sequitur vlla mutatio; & rectè id quidem, nam conditionalis propositio nihil ponit in esse, nisi conditio purificetur; ergo ex eo quod lumen cessante influxu solis deberet corrumpi, nisi à Deo conseruaretur, & non corrumpitur, quia iam conseruatur, quantum ad hoc, sicuti non sequitur eius corruptio, ita neque eius mutatio; ex eo enim quod debuisset corrumpi, & non corrumpitur, sequitur solum, quod debuisset mutari, & non mutatur. Consequentia huius enthimematis patet; antecedens verò probatur: quia quandiu aliquod ens creatum perdurat in suo esse, verum est etiã asserere, quod si Deus illud non conseruaret, desineret esse, & tamen quia hæc conditio non purificatur, nemo dixit, quod illud ens aliqua ratione mutetur: ergo ex eo quod aliquid debeat euenire, si certa conditio adimpleatur, & non euenit, quia non impletur, per hoc præcisè non debet dici vllo modo mutari.

40 Dices mutationem illam conditionalem luminis non haberi, nisi quando habetur actualis cessatio influxus solis in ipsum lumen; si quidem respectu dictæ cessationis comparatur vt effectus: in tantum enim lumen deberet non existere, in quantum cessat influxus solis in ipsum; atque adeò dictam mutationem conditionatã non esse explicandam per hanc propositionem purè conditionatam; si sol non concurreret, & Deus non suppleret eius concursum, lumen iam corrumperetur; sed per hanc aliam: sol non amplius concurrit; quare si Deus non suppleret eius concursum, vt de facto supplet; lumen periret: nam prior propositio habetur, etiam pro eo tempore pro quo sol concurrit; & est merè conditionalis; quare nil mirum, si nihil ponat in esse, at verò posterior inuoluit aliquid absolutum.

41 Contrà tamen est: ex hoc quod mihi das, conficio argumentum: absolutum hoc, quod inuoluit hæc secunda propositio, profectò est duplex: cessatio influxus solis, & inceptio influxus Dei adæquati, sicuti enim ille absolutè cessat influere, ita hic absolutè incipit; & sic in vtroque est absolutè mutatio; & quidem prior mutatione conditionata completè sumpta luminis, nam idcirco lumen licet non sit mutatum; tamen ita se habet, ac si mutatum esset; quia non dependet amplius à sole, sed à Deo; ergo præter istam 42 mutationem conditionatam in lumine assignanda est mutatio absoluta, in eo, quod absolutè desit ex parte solis & in eo quod absolutè habetur de nouo ex parte Dei, sed hæc mutatio non est in entitate solis, neque in entitate luminis, neque in entitate Dei; ergo erit in entitate actionum distinctarum.

42 Confirmatur, quia mutatio in actione solis, & in actione Dei est realis absoluta, absolutè enim perit conseruatio solis, & incipit conseruatio Dei, sed hæc, quam assignant Aduersarij in lumi-

ne

non est conditionata; ergo illa non potest in hac consistere, bene tamen in variatione distinctarum actionum.

Confirmatur iterum, quia in tantum lumen in casu nostro non perit, quia Deus suplet concursum solis; sed si concursus Solis consistit in solis existentibus luminis, ac Solis, non potest assignari quomodo illam Deus suppleat, & per quid: bene tamen potest si dicamus, quod consistat in modo distincto, ergo, &c.

43 Porro hanc eamdem mutationem luminis conditionatam alij ex aduersarijs appellant intelligibilem, in quantum illa variatio dependentiæ præbet nobis fundamentum concipiendi lumen non existere, quantum est ex vi solis, sed existere, ac quantum est ex vi solius Dei: alij verò virtualem, seu per æquiualentiam, in quantum posito illo miraculo lumen eodem modo se habet, in se, ac si reuera mutatum fuisset. Alij denique eam dicunt esse quoad debitum, quatenus cessante actione solis, & adueniente actione Dei cessat in lumine debitum existendi ex vi solis, & consurgit debitum existendi ex vi solius Dei. Sed hi omnes non differunt à præcedentibus, nisi meris phrasibus, ac vocabulis; quare eodē modo impugnandi sunt; & Primi quidem sic: fundamentum, quod habemus de nouo concipiendi lumen non esse ex vi solis, aliquid aliud est præter solem, & lumen; alioquin stare simul posset cum sua carentia, sicut stant lumen, & sol cum dicta carentia influxus; Secundi verò sic; mutatio ista per æquiualentiam est philosophiæ contraria, & ex scholis penitus exterminanda, vt potequæ omnia confundit, & dat ansam asserendi omnia ea, quæ sunt in vno individuo esse vnum ens, & sic quando calidum transit in frigidum mutari solum per æquiualentiam, & non realiter: Tertij denique in hunc modum: cessatio debiti existendi ex vi solis, præterquam quod est quid consequens ad cessationem influxus, arguit distinctionem realem inter lumen, & ipsum debitum, quia debito perunte lumen perseuerat in suo esse. Recursus igitur ad hanc debiti cessationem, non solum saluat identitatē actionis cū termino, sed instaurat, & dat vires primo argumento contra aduersarios, quæ probamus, si non actionem, at saltem debitum hoc existendi ex vi solis, quod lumen in casu ipso miraculoso deperdit, realiter à sole, & lumine esse distinctum. Atque ex his patet disparitas inter vnionem, & actionem. In tantum enim vnio non distinguitur modaliter ab extremis, quia sine modo distincto horum indifferentia auferri possit sufficienter intelligitur, vt patet ex dictis; non verò indifferentia, quam habet effectus ad dependendum ab hac, vel illa causa. Sed descendamus ad obiectiones.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiecta contra distinctionem modalem actionis à causa efficiente, & effectu.

44 OBijcies primò: Forma, quæ est terminus actionis realiter est actus agentis; ergo actio non distinguitur realiter à suo termino. Consequentia est euidens, quia actio per Aristotelem est actus agentis. Antecedens verò probatur, forma illa est actus potentiæ actiuæ, ergo est actus agentis. Patet consequentia, antecedens verò suadetur ex eodem Aristotele 3. *phys. text.* 21. vbi ait, quod potentia actiua sit principium transmutandi aliud; sed forma, quæ est terminus, est transmutatio passi; ergo est actus potentiæ actiuæ.

Respondeo: negando antecedens; & ad eius 45
probationem distinguo Antecedens: forma, quæ est terminus, est actus potentiæ actiuæ, terminatiuus concedo, formalis nego antecedens; & consequentiam. Ad probationem autem antecedentis, concessa maiore, distinguo eodem modo minorem: forma, quæ est terminus est transmutatio passi formaliter, nego minorem; est transmutatio terminatiuè concedo minorem, & dico terminum actionis esse actum potentiæ actiuæ, non quidem formaliter, quia hic vt de se patet est ipsa actio, sed esse terminatiuum, in quantum potentia ad illum vltimò terminatur, illumque per actionem incendit; quod autem eodem modo ipse terminus sit transmutatio passi non formaliter, sed terminatiuè tenentur docere ipsi met aduersarij, qui dicunt ad minimum actionem formaliter, seu ratione ratiocinata à suo proximo termino esse distinctam; argumentum igitur hoc, si quid contra nos probaret, probaret etiam contra aduersarios, actionem esse formalissimè eamdem cum termino suo.

Objcies secundò; potest vna res per se ipsam 46
immediatè ab alia re dependere, ergo saltē potest actualis dependetia termini ab efficiēte fine actione realiter distincta saluari; antecedens probatur, quia potentiæ se ipsis pendēt ab actibus suis imò ipsamet actio non per aliam distinctam actionem, sed immediatè per se ipsam ab agente dependet, consequentia est manifesta, non enim est assignabilis disparitas.

Respondeo concesso antecedente negando con- 47
sequentiam, disparitas est quia, in rebus aliis saluari potest dependentiam ponam esse in entitate rei, quæ dependet, vt sic; & quidem cum potentiæ, essentialiter dependeant ab actibus suis, impossibile est, quod in aliquo ab earum entitate distincto posita sit dependentia, per quam dependent; actio verò cum sit essentialiter addicta huic agenti, & huic termino, quatenus est dependentia huius ab hoc, non indiget alio perquod ab ipso agente dependeat, sed est sibi, vt quo, & vt quod, sicuti cæteri modi qui per se ipsos modificantur: At verò terminus neque est essentialiter addictus determinato agenti, neque potest ab illo per se ipsum dependere, vt supra probatum est, & sic nequit saluari eius dependentia sine aliquo superaddito.

Instabis, ideò per nos effectus dependet per 48
distinctam actionem ab agente, quia est indifferens ad dependendum ab hoc potius, quàm ab alio agente. Sed si hæc ratio valeret, probares, quod idem effectus deberet etiam per aliquid distinctum ipsi actioni coniungi ergo &c. Minor probatur, quia non minus est indifferens effectus ad dependendum à diuersis agentibus, quam sit indifferens ad dependendum per diuersas actiones eriam ab vno agente.

Respondeo: negando minorem; ad cuius proba- 49
tio-

tionem dico; quod licèt eadem indifferentia, qua effectus . poteſt fieri à diuerſis agentibus, poſſet etiam coniungi cum diuerſis actionibus : indifferentiam tamen, quam habet reſpectu agentium , non poteſt amittere per exiſtentiam alicuius agentis : ſicuti amittit illam , quàm habet reſpectu actionis per exiſtentiam eiuſdem actionis; & hoc ideò, quia cum actio ſit, vt dicebam, actualis dependentia huius ab hoc > implicat exiſtere abſque eòquod effectus ei coniungatur ; vnde fit, vt neque per abſolutam Dei potentiam poſsit , vel vnum agens per actionem alterius agentis in aliquem effectum influere , vel vnus effectus per actionem ad alium ordinatam ab aliquo agente dependere : at verò agens non habet tantam connexionem cum ſuis effectibus ; quare ſicuti exiſtere poteſt abſque illis , ita non eſt ſufficiens per ſe ipſum ad tollendam indifferentiam ab illis.

51 Inſtabis iterum, ſi daretur actio diſtincta, maximè propter indifferentiam, quam habet effectus ad dependendum modo ab vno efficiente , modo ab alio: ſed hæc ratio nulla eſt ; quia naturaliter eſt impoſsibile, vt hæc lux in iſtis circumſtantijs non pendeat ab hoc numero ſole, ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maiore ; nego minorem; & ad eius probationem dico , quod ad ponendam diſtinctionem inter duo ſufficit , quod vnum miraculosè poſsit exiſtere ſine alio . Cum non poſſit vna res indiuiſibilis per abſolutam Dei potentiam diſtingui realiter à ſe ipſa ; ſufficit igitur, quod lumen hoc miraculosè ſine dependentia à ſole exiſtere poſsit , ad concludendum quod nemine cogitante ab actione per quam pendet à ſole diſtinguatur .

52 Obijcies tertiò creatio non diſtinguitur à Creatura , ergo neque actio à termino. Conſequentia videtur certa . Creatio enim eſt vera ſpecies actionis . vnde quidquid de actione in genere affirmatur, debet etiam verificari de illa. Antecedens probatur quia ſi diſtingueretur eſſet accidens illius : at qui non poteſt eſſe accidens creaturæ ergo non diſtinguitur ab illa; maior eſt noſtra doctrina minor ſuadetur, quia omne accidens ſupponit rem , cuius eſt accideus , ſiquidem debet eſſe in illa tanquam in ſubiecto inhæſionis , ſed actio non ſupponit terminum: potius enim Creatura ſupponit ipſam creationem, in quantum per eam accipit eſse; ergo &c.

53 Reſpondeo primò aliquos exiſtimare actiones quaſdam , vt ſunt Creatiuæ , & vitales , ſcilicet intellectiones; viſiones , &c. Non diſtingui ex natura rei à ſuis terminis , in quantum earum termini adeò ſunt cum cauſis ſuis determinatis coniuncti , vt ſe ipſis eſſentialiter ab illis dependeant, & ſint veluti actuales vniones cum eiſdé, iuxta quorum ſententiam corruit , vt videtis, argumentum . Verum hi non benè id aſſerunt ſaltē vniuerſaliter loquendo , non enim ſemper habetur huiuſmodi connexio inter Deum , & rem creatam , præſertim in ſententia eorum, qui ponunt Creaturam poſſe aſſumi à Deo tanquam inſtrumentum creationis , vel multiplici actione creatiua ſiue coniunctim , ſiue diuiſim creari Creaturam aliquam . Linquo poſſe Deum independenter à ſubiecto producere aliquid , quod exigebat produci dependenter ab illo V. G. calorem , vel quantitatem ; in hoc autem caſu certum eſt creationem , ſeu actionem illam eſſe ſeparabilem à dicto calore , & de ea etiam procedere argumentum poſſe. Quantum denique attinet ad actus vitales non negauerim Philoſophum 5. *metaphyſ. tex.* 16. diſtinguere inter ea, quæ præter actionem nihil aliud efficiunt , vt ſunt actus vitales ; & ea , quæ aliquid aliud præter actionem efficiunt ; ſed hoc ideò , quia actus vitales eſſentialiter à ſuis principijs vitalibus pendent ; ex quo ſolum deducitur in ſententia Ariſtotelis, actiones per quas fiunt res , quæ à ſuis efficientibus non pendent eſſentialiter, eſſe pluſquam ratione diſtinctas ab ipſis rebus. Vniuerſaliter igitur tenendum eſt effectus omnes, qui ſunt indifferentes, vt fiant ab hac , vel illa cauſa, ſiue principali ſiue inſtrumentali , nec non etiam illi , qui licèt ſibi determinatam cauſam vendicent, tamen diuerſis actionibus fieri poſsunt, omnes fieri per actionem diſtinctam. 54

Ad argumentum igitur principale reſpondeo ſecundò ex D. Th. *qu.* 3. *de potentia art.* 3. *ad tertiū* negando antecedens , ad cuius probationem cōceſſa maiore, nego minorem, & ad eius confirmationem dico dupliciter poſſe nos in huius difficultatis ſolutione procedere. primò quidem in ſententia eorum , qui putant exiſtentiam non diſtingui ex natura rei ab eius eſſentia , iuxta quā neganda eſt maior cum Arriaga *in ſuo ſecundo curſu diſp.* 9. *ph.* n. 87. quod ſcilicet omne accidens ſupponere debet à parte rei rem , cuius eſt accidens ; nec non etiam neganda eſt eius probatio videlicet , quod omne accidens debeat eſſe in re, cuius eſt, accidens , tamquam in ſubiecto inhæſionis , ab eaque pendere ; dicendumque de conceptu accidentis eſſe , quod ſit ens ſecundariò intentum à natura , ita vt accidat enti primariè intento ; hoc eſt , quod ſit extra conceptum intrinſecum, & ſubſtantiale ſubſtantiæ, & quod, vel inhæreat ipſi ſubſtantiæ , vel ſaltem illi adhæreat, & ſi quidem inhæreat debet illi ita vniri , vt ſuſtentetur ab ea, ſi verò adhæreat; ita vniri, & ſubiectari, vt ab illa minimè pendeat tamquam à cauſa materiali: iam verò creatio ex vna parte non eſt de primo conceptu rei creatæ ; ex alia verò ita eſt extra conceptum illius , vt licèt non ei inhæreat, attamen illi adhæret, & ab ea ſolum à poſteriori pendet , & hoc ſufficit, vt ſit verè accidens illius, nec aliud requiritur. 55

Secunda via ſoluendi difficultatem propoſita eſt eorum , qui putant eſſentiam diſtingui pluſquam ratione ab exiſtentia ; hi enim non grauantur concedere creationem ita eſſe accidens Creaturæ, vt in ea ſubiectetur , ab eaque dependeat in genere cauſæ materialis , & denique ſit in ea tanquam in ſubiecto inhæſionis; quia putant ſufficere, vt ſuſtentetur in eo priori , in quo intelligitur exiſtere primò, ab eſſentia Creaturæ , quæ in poſteriori intelligatur completè exiſtens; cauſa enim materialis ſicuti in ordine ad recipiendum primum eſſe non debet præintelligi exiſtens; ita neque debet ſic intelligi in ordine ad recipiendum viam, per quam tranſit ad primum eſſe, cuiuſmodi in caſu noſtro eſt actio creatiua ; vtraque reſpōſio ſuam habet probabilitatem poſitis principijs

ex

Digitized by Google

ex quibus deducitur. Sed absolutè loquendo posterior est expeditior; & verisimilior, si quidem nomine accidentis communiter intelligunt Philosophi ens inhærens; alioquin sustineri posset ompe accidens respicere substantiam tamquàm subiectum adhæsionis, & nullum illi realiter inhærere, quo, quid absurdius in hac materia?

56 Obijcies quarto, si actio solis, qua conseruatur lumen, distingueretur realiter à sole, & lumine, posset Deus illã se solo conseruare; sicuti potest ipsum lumen; sed in tali casu haberetur transitus de vno contradictorio in alterum sine aliqua mutatione, vt de se patet; ergo ista ratio non conuincit. Sequela probatur, quia quidquid Deus facit cum causa secunda efficiente, potest facere se solo; iam actionem solis producit Deus simul cum ipso sole; ergo &c.

Confirmatur quia Sanctus Thomas *prima parte quæst.* 105. docet Deum se solo posse facere eundem motum Cœli, quem defacto facit cum intelligentia motrice, ergo &c.

57 Respondeo negando sequelam: disparitas enim est, quia lumen non est essentialiter actualis dependentia à sole, sicuti est actio, quare ad hoc, vt determinatè potiùs à sole, quàm ab alio agente dependeat, indiget actione, quæ cum debeat tollere ab eo indifferentiam, debet de se essentialiter determinatum agens sibi vendicare; sicuti etiam determinatum effectum; siquidem formalis effectus illius est, quod hoc numerò lumen V.G. ab hoc numerò sole dependeat. Ad probationem sequelæ aio, illud axioma verificari solùm per ordinem ad illos effectus, qui sunt à Deo simul, & causis secundis; non autem per ordinem ad illos modos, & rationes, per quas fiunt. Siquidem cum hæ sibi determinent essentialiter principium particulare in operando deficiens, & subordinatum primæ causæ, exigũt in illo imperfectionem, quæ non potest in Deo reperiri; vnde fit, vt si qui sunt effectus, qui aliquam imperfectionem in sua causa particulari efficiente essentialiter importent, propter eamdem rationem non possint fieri à solo Deo tamquam à causa particulari. Ad confirmationem ex D. Th. respondeo illum, loco citato, non loqui de eodem prorsus motu in individuo, sed solum, in specie, vt patet ex quæstione, quàm in articulo mouet, vbi quærit vtrum Deus possit immediatè mouere aliquod Corpus.

58 Obijcies quintò: ponamus, quod sol, vt mane totus ab oriente egrediatur quadrantem insumat, tùm sic: si daretur actio distincta à termino, sequeretur, quod mane tot essent actiones solis actu distinctæ, quot essent instantia assignabilia in illo quadrante. Sed hæc sunt infinita; ergo & illæ actiones infinitæ essent. Consequentia tenet ex dicendis de quantitate, vbi etiam ostendemus eius absurditatem, & veritatem minoris. Sequela probatur, quia pro quolibet instanti haberentur diuersæ partes solis præsentes aeri illuminato; ergo pro quolibet instanti habetur nouum agens: ergo, & noua actio; tot igitur essent actiones, quot sunt instantia assignabilia.

59 Respondeo, negando sequelam; ad cuius probationem, concesso antecedente, nego primã consequentiam, & ratio est, quia partes illæ solis, quæ pro quolibet instanti de nouo habentur non sunt inter se actu distinctæ, sed solum in potentia, atque adeò conflant vnum agens totale, in quo sunt assignabiles partes finitæ in infinitum, cui correspondeat vna totalis actio heterogenea constans ex partibus diuersæ rationis indiuidualiter, quarum vna sit addicta vni tantum parti agentis, & altera eidem parti, & præterea alteri de nouo aduenienti, & sic de cæteris; ad eum planè modum quo motus localis est vnus, & tamen vna pars est determinata ad vnam partem loci, alia verò ad aliam.

Obijcies sextò si actio distingueretur à termino, sequeretur, quod dum effectus conseruatur, posset in aliquo signo non intelligi existens, sed hoc est inconueniens, ergo &c. Sequela maioris probatur, quia quando effectus producitur ab vna causa, & ab alia conseruatur V. G. calor, quem constat in fieri pendere in genere causæ efficientis ab igne, in conseruari verò in eodem genere causæ, à solo Deo; tempore, quo incipit actio conseruatiua Dei, est assignabile signum, in quo tum ipse Deus, tum subiectum ipsius caloris intelliguntur, vt causæ proximæ potentes illum causare, sed in hoc signo non dum intelligitur esse ipsa actio conseruatiua, ergo multo minùs intelligetur esse calor; productiua enim actio iam supponitur perijsse. minor verò probatur, quia conseruatio dicit in suo conceptu permanentiam in esse habito per productionem; repugnat autem in dicta permanentia haberi signum, in quo effectus non intelligatur existens; ergo &c. 60

Respondeo: concessa sequela, negando minorem; ad cuius probationem, concessa maiore, ad minorem dico nullam esse repugnantiam, quod dum res realiter incipit conseruari, & in esse habito per primam productionem permanere, pro aliquo signo non intelligatur existens; & ratio huius rei est, quia quotiescumque variatur dependentia effectus à causa, habetur ab intellectu nostro sufficiens fundamentum concipiendi effectum variari etiam quoad existentiam, quæ tamquam connotatum essentiale in suo conceptu dependentiam importat. Sicuti igitur si formaliter existentiam mutaret effectus, posset pro aliquo priori non intelligi existens: ita in casu nostro. Quod si petas vtrum pro eo signo calor conseruetur à Deo, nec ne? Dico quod in sensu quidem reali conseruatur, non autem in sensu formali, quia pro eo signo non dum intelligitur existere conseruatio; quando autem infers: ergo aliquid post productionem suam, dum perseuerat in esse, potest non intelligi existens: distinguo consequens, si nõ variatur dependentia, nego; posito, quod hæc varietur, concedo consequentiam; in hoc autem nulla est repugnantia; quia in illo signo tantùm præcisiuè non habetur effectus existens; præscindentium autem non est mendacium. Saluamus autem quo pacto effectus in hoc casu post illud signum non possit dici productus; quia nimirum ad conceptum productionis cum nouitate essendi requiritur, vt connotetur negatio rei, quæ producitur immediatè antea præcessisse, quod non habetur in casu nostro; scio aliquos velle signum illud, in quo Deus, & materia intelliguntur proximè potentes influere, importare prioritatem à quo, atque adeò in eo signo intelligi calorẽ exi- 61

sten-

stentem; & sic defendere, quod dum effectus conseruatur, debeat pro quolibet signo in conseruatione contento intelligi existens. Sed non placet, tùm quia prioritas efficientis respectu effectus est prioritas in quo, & non à quo: tùm etiam quia semper instare potest aduersarius: num pro eo priori, pro quo causa efficiens conseruans intelligitur proximè potens, effectus intelligatur existens, nec ne?

61 Obijcies septimò omnis res creata existens, etiam prout contradistincta à qualibet alia realitate sibi superaddita, dependet a Deo: ergo dependentia eius ab efficiente non est ab illa realiter distincta. Consequentia tenet. Antecedens probatur, quia omnis creata existentia includit essentialiter dependentiam à primo efficiente.

62 Respondeo distinguendo antecedens res creata existens etiam præscindendo à quavis alia realitate sibi superaddita pendet à Deo dependentia essentiali, concedo. Dependentia accidentali subdistinguo: dependet formaliter, ita ut hæc dependentia se habeat, vt pars intrinseca illius, nego: dependet denominatiuè itaut dependentia non se habeat, vt pars illius, sed vt connotatum, concedo antecedens, & nego consequentiam. ac dico duplicem in omni re creata existenti reperiri dependentiam à Deo: vna est illi essentialis, quæ consistit in indigentia, quàm Creatura habet Dei quo ad esse possibile, & actuale, in qua indigentia, cum per nos posita sit relatio trascendentalis Creaturæ ad Deum: sequitur huiusmodi dependentiam esse vnum ex prædicatis intrinsecis, & essentialibus illius; atque adeò inpræscindibiliter cum illa coniunctam. Altera verò est accidentalis, vt est ratio, per quam Creatura pro statu realis fit, & conseruatur à Deo tamquam à causa efficiente, per quàm dependentiam cum ab eo pendeat in ratione existentis sequitur, quod sit illi accidentalis. Vnde fit, vt si ipsa Creatura sumatur prout præscindit ab existentia nullo modo dictam dependentiam actualem importet: sin autem, vt existens, dicat quidem illam non tamquam partē sibi intrinsecam; partes enim intrinsecæ Creaturæ existentis sunt eius essentia, & existentia, sed benè tamquam essentiale connotatum. Vnde fit, vt res creata, & existens etiam si sumatur, vt cōtradistincta à qualibet alia realitate sibi superaddita, semper tamen debeat connotare dictam dependentiam tamquam aliquid essentiale exactū ad conceptum suæ existentiæ, & sic ab ea semper denominari actualiter pendens à Deo. Per hæc autem patet responsio ad probationem antecedentis: omnis enim Creaturæ existentia includit quidem essentialiter dependentiam à Deo accidentalem, non tamquam partem sui intrinsecam, sed tamquam aliquod necessariò connotatum. Ex hoc autem non sequitur, quod dicta dependentia sit idem realiter cum re creata.

63 Instabis si quis assereret actionem esse idem realiter cum existentia rei Creatæ; ex vna parte nullum sequeretur absurdum, ex alia verò poneretur res creata intimius à Deo dependere; nimirum per ipsam met existentiam tamquam per dependentiam ipsam; ergo ita dicendum est.

64 Respondeo, negando priorem partem antecedentis; si enim existentia rei creatæ esset idem realiter cum eius dependentia, sequeretur quo mutata dependentia deberet pariter mutari existentia. Hoc autem non esse admittendum suaderi potest dupliciter, primò quia est contra communem Theologorum sententiam docentium posse Deum miraculosè se solo conseruare idem numerò lumen, quod ab ipso & à sole productum fuerat: lumen autem illud productum constat ex essentia, & existentia, quam impossibile esset retinere lumen, si antea cum dependentia à sole identificata fuisset.

65 Secundò quia est contra id, quod communitèr Philosophi docent, nimirum, quod innumeri effectus, qui naturaliter in fieri primò pendent simul à causa efficiente prima, & secunda, postea in conseruari item naturaliter pendent à sola causa prima; vt ignis, Homo Leo &c. Dicere autem, quod huiusmodi res quando incipiant conseruari à sola causa prima amittant illam existentiam, quam immediatè antea habuerunt, & aliam acquirant: sicuti amittunt primam dependentiam, per quam ab vtraque causa pendebant in fieri, & acquirant aliam, per quam pendeant à sola causa prima in conseruari, est naturam vanam, & *frustra* operantem facere; ad quid enim tot expensis insumere in comunicandis viribus causis secundis efficientibus in ordine ad dandam existentiam suis effectibus, si immediatè post instans productionis illorum debebat eos spoliare illa existentia, & alia induere? non ne satius fuisset hanc ab initio eis tribuere, & à labore efficiendi causas secundas supersedere? valeat igitur hæc opinio, vt potè omnino improbabilis, & parum lumini rationis consentanea. Neque dicas commune proloquium esse, quod Existere rem creatam sit eam esse positam extra suas causas; quod habetur beneficio actionis: Nam hoc veritatem habet in sensu veluti materiali, quia implicat poni rem extra causas, quin sit existens: cæterum positionem eius à parte rei, seu quod idem est extractionem illius à causis suis distinctam esse ab eius existentia patet, quia potest hæc haberi realiter inuariata, ea corrupta, seu mutata in aliam.

66 Obijcies octauò effectus naturalis. V. G. ignis de exigente in primo instanti suæ productionis pendere à causa creata efficiente transit in secundo instanti in non exigentem pendere à dicta causa absque vlla sui mutatione intrinseca, ergo etiam ex dependente in primo instanti à sua causa creata, & à Deo potest sine vlla mutatione transire in dependentem à solo Deo; consequentia patet paritate; antecedens verò probatur ex eo, quia si ignis in primo instanti suæ productionis non penderet à causa creata, esset contra suam exigentiam, quod tamen non est pro tempore sequenti; ergo pro tempore sequenti transit de exigente in non exigentem.

67 Respondeo distinguendo antecedens, effectus naturalis de exigente in primo instanti suæ productionis pendere à causa secunda efficiente, transit in non exigentem per variationem exigentiæ nego: per variationem termini exigentiæ, concedo antecedens, & nego consequentiam: ad probationem verò antecedentis concesso item antecedente, distinguo eodem modo consequens; & di-

Digitized by Google

& dico duplicitèr intelligi posse effectum naturalem de exigente in primo instanti suæ productionis pendere à causa secunda efficiente, transire in tempora sequentia in non exigentem: Primò per variationem ipsius exigentiæ, quam habebat intrinsecè, & hoc non; quia eandem exigentiam, quam habebat dependendi à causa secunda in primo instanti, habet etiam pro tempore sequenti, semper enim de effectu naturali verificatur, quod exigat produci à sua causa secunda naturali. Secundò per variationem termini exigentiæ, qui est dependentia à sua causa creata, à qua exigit dependere solum quando primò producitur, & hoc verum est; unde licèt habeat semper exigentiam in dependentia à causa creata, habet tamen illam non ad semper dependendum, sed solum pro primo suæ productionis instanti; cum autem in tempore sequenti non habeatur amplius dictum instans, variatur terminus exigentiæ, invariata permanente ipsa exigentia; ex hoc autem solum deducitur dependentiam, quam habet effectus naturalis à causa secunda efficiente, dum est in fieri realiter distingui ab ea, quam habet, dum est in conseruari; quia pereunte vna, succedit alia; quod vltrò concedimus. Eodem modo respondendum est, si fiat transitus ab exigentiam, quam habet effectus naturalis V. G. ipsius in conseruari dependendi efficienter à solo Deo: dico enim illum etiam in fieri dictam exigentiam habere, non tamen exercendam pro tunc, sed pro tempore sequenti; vnde fit non exigentiam ab effectu, sed actionem qua fit, & conseruatur esse distinctam.

SECTIO QVARTA.

Vtrum actio sit in agente, an verò in passo.

68 DVplex datur actio, altera immanens, alia transiens; immanens est cuius terminus manet in agente, & de hac non procedit difficultas; constat enim eam esse in agente. Actio transiens, est cuius terminus trāsit in aliud subiectum, cuiusmodi est illuminatio, qua sol producit lumen in aere, & de hac quæritur in quo sit, num in agente V. G. in sole, an verò in passo, hoc est aere?

69 Vnica conclusio: actio secundum entitatem suam non est in agente tamquam in subiecto, sed in passo: est S. Thomæ *hic text. 20. & 23. & prima parte quæst. 28. art. 3. ad primum & quæst. 48. art. 2.* in corpore, & alibi: item Alexandri, Themistij, Philoponi, Simplicij, Auerrois, Soncinatis, Laduni, quos sequitur Suarez *disput. 48. metaph. sect. 4. Contra Scotum in quæstionib. 13. quæst. 1.* Antonium Andream *lib. de suæ principiis cap. de actione*, Caietanum, Mautum, & alios.

70 Probatur primò ex Arist. *quibus à text. 20. ad 23.* probat actionem agentis esse in passo, quemadmodum doctio, qua est docentis actio in discipulo. *Tertio physic. text. 18.* hæc definit actionem: Esse actum huius in hoc; hoc est in passo proueniente ab agente, illudque denominare Agens: item *3. de anima text. 24. & 26.* ait, quod actus agentis in eo, quod patitur, atque disponitur inesse.

71 Ad hoc argumentum respondent aduersarij quamlibet actionem constare ex duplici fieri actione, quarum altera sit in intrinseca agentis, altera verò passo, ita vt ab vtraque denominatio adequata proueniat; quo posito dicunt, quod quando Aristoteles docet actionem esse in passo, loquitur de illa fieri actione, quæ est ei intrinseca, quia quo stat dari alteram in ipsi agente?

72 Sed contra est primò superfluè, & absque necessitate ponitur illa fieri actio in agente, cùm ei sufficiat virtus operatiua vt completa ad hoc, vt incipiat, & prosequatur actionem suam in passo.

73 Contra etiam est secundò, quia, vel ratione fieri actio immediatè procedit à virtute actiua agentis, vel ea solum, quæ est in agente, nec rum dici potest; ergo non datur hæc duplex fieri actio; maior patet; minor quoad priorem partem suadetur ex eo, quia si semel habetur, quod fieri actio, quæ est in passo, potest à virtute actiua agentis immediatè pendere, non potest assignari ad quid inseruiat illa alia fieri actio, quæ ponitur in agente; quod verò posteriorem partem minorem suadetur, tum etiam, quia sic daretur in eodem subiecto actionem, illa scilicet, quæ esset intrinseca agenti ad producendam illam, quæ est intrinseca passo; hoc autem est absurdum; nam ratio formalis in aliquo genere non debet fieri talis; per aliam rationem formalem, alias daretur processus in infinitum; tum etiam quia, sicuti actio, quæ est in passo potest immediatè pendere ab actione, quam ponitur ab aduersarijs in agente, ita potest immediatè pendere ab eius virtute operatiua sine multiplicatione dictæ actionis.

74 Probatur secundò, quia si actio transiens esset secundum entitatem suam in agente, sequeretur quod nullum agens de nouo ageret, quin intrinsecè mutaretur; sed hoc est inconueniens; ergo &c. sequela patet, quia tunc aliquid mutatur quando intrinsecè aliter se habet, ac se habebat antea; atqui omne agens ageret recipiendo actionem suam, cuius beneficio necesse esset, vt aliter intrinsecè se haberet, ac antea; ergo nullum agens ageret, quin intrinsecè mutaretur; minor verò probatur, tum quia est contra Aristotelem, *qui text. 129. Secundi de anima* docet non esse necesse, vt qui mouet, moueatur: tum etiam quia gratis, & sine vllo fundamento id asseritur: tum denique quia sequeretur, quod quoties Deus benedictus aliquid operaretur ad extra, toties intrinsecè mutaretur.

75 Verum adhoc vltimum respondent aduersarij, negando sequelam; dicunt enim, quod licet in reliquis agentibus propter suam limitationem, & finitatem concedi debeat, quod quoties aliquid operantur, debeant mutari intrinsecè: Deo tamen propter summam, & infinitam perfectionem, quæ habet, negandum est, dicendumque quod semiactio sit illi identificata; vnde est, quod absque vlla sui mutatione intrinseca operetur ad extra.

76 Sed contra est, quia de essentia actionis est esse actualem influxum efficientis causæ in effectum,

& actualem dependentiam huius ab ea, ergo implicat contradictionem, quod exiſtat abſque eo quod realiter exiſtat effectus; ſed omne id, quod eſt in Deo, eſt ſummè neceſſarium, atque exiſtere poteſt ſine creatura, & defacto exitit: ergo impoſſibile eſt, quod actiones per quas Deus operatur ad extra ſint illi identificatæ; nec diſſimulus hæc euanuatur per hoc, quod dicant Aduerſarij: non totalem actionem, ſed ſolam partem illius eſſe in Deo ab æterno: aliam verò partem eſſe in tempore in paſſo ad poſitionem effectus. Contra enim eſt, nam, quemadmodum eſt impoſſibile per illos, quod detur partialis actio in paſſo abſque eo quod detur effectus: ita debet eſſe impoſſibile, quod detur partialis actio in cauſa ſine effectu; non enim videtur eſſe maior ratio de vna, quam de altera; lioquo, vt notauit, huiuſmodi ſemiactionem in agente eſſe omnino ſuperfluam, & ad nihilum inſeruire. Maneat igitur actionem per quam agens producit aliquid ad extra, neque ſecundum ſe totam, neque ſecundum partem eſſe in ipſo Agente.

Obijcies primò Ariſt. 8. *metaph. tex. 9.* ideò negat mundum fuiſſe à Deo creatum in tempore, 77 quia alioquin Deus creando mundum mutatus fuiſſet; ſed hoc aſſerere non potuiſſet Philoſophus, niſi actionem creatiuam mundi in ipſo Deo recipiendam eſſe exiſtimaſſet, ergo &c.

Reſpondeo, conceſſa maiore, negando minorem: Philoſophus enim arguebat in Deo mutationem, 78 non quidem ex receptione actionis creatiuæ mundi in tempore creati, ſed ex receptione noui actus voluntatis, quem neceſſariò debere eſſe de nouo in Deo ad nouam mundi creationem exiſtimabat. Sed non benè; alioqui nihil in mundo fieri de nouo poſſet.

Obijcis ſecundò: actio tranſiens eſt forma, actus, 79 & perfectio agentis, ergo eſt in agente.

Reſpondeo: diſtinguendo antecedens, eſt forma, actus, & perfectio intrinſeca, nego; extrinſeca, concedo antecedens, & nego conſequentiam; actio enim eſt ſolum agentis perfectio, in quantum eſt actus extrinſecus potentiæ illius, & ſignũ virtutis, & perfectionis actiuæ, quæ in eo reperitur.

Obijcies tertiò, ſi actio eſſet in paſſo tamquam 80 ſubiecto, denominaret ipſum paſſum, agens, ſed hoc eſt inconueniens; ergo &c. ſequela probatur, quia omnis forma denominat ſubiectum in quo eſt.

Reſpondeo negando ſequelam; prout enim 81 actio eſt in paſſo, non habet rationem actionis, ſed paſſionis; quare diſtinguo probationem ſequelæ; omnis forma denominat ſubiectum, in quo eſt, ſub quacunque ratione, quam habet in ſe, nego; ſub ea ratione, ſub qua reſpicit ſuum ſubiectum, concedo; ſic albedo denominat quidem hominem album non verò accidentale; & locus denominat corpus locans terminatum, & non locatum, eodemque modo actio denominat ſubiectum in quo eſt paſſum, ſubiectum verò à quo profluit agens; & ratio huius eſt, quia denominatio agentis non ſignificat, quod ſubiectum habeat formam in ſe intrinſecè, ſicuti denominatio albi, & calidi, & quæ ſolum important inhærentiam in ſubiecto, ſed ſignificat principium extrinſecum, quod per actionem dat eſſe alteri; ſicuti cognitum terminum extrinſecum cognitionis, non verò ſubiectum cui intrinſecè ipſa inhæret.

Obijcies quartò, in paſſo eſt paſſio, ergo non 82 eſt in eo actio; conſequentia tenet, quia actio, & paſſio ſunt formæ contrariæ.

Reſpondeo: conceſſo antecedente, negando 83 conſequẽtiam, ad cuius probationem dico: actionem, & paſſionem non eſſe formas inter ſe contrarias, ſed eſſe diuerſas habitudines ad terminos quaſi relatiuè oppoſitos; ad agens, ſcilicet, & paſſum. Vbi aduerte, quod licèt potentia à quibus actio, & paſſio in caſu noſtro formaliter proſluũt, realiter inter ſe diſtinguantur, ex hoc non ſequitur, quod actus ipſi debeant ſic diſtingui, & ratio eſt, quia dicti actus non debent ſuis principijs inhærere.

Obijcies quintò: non poteſt actus vnius eſſe in 84 alio, ſed actio eſt actus agentis, ergo nequit eſſe in paſſo.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: actus vnius 85 prout vnius eſt, non poteſt eſſe in alio, concedo; non prout eſt actus vnius, nego maiorem; & conceſſa minore, nego conſequentiam in ſenſu intento. Dico enim, quod idem modus eſt actus agentis, vt ab eo proueniens; & eſt actus paſſi, vt in hoc receptus. Primo modo eſt actio, & vt ſic, vt vides, licet realiter loquendo ſit in paſſo, non denominat ipſum, ſed agens. Secundò verò modo, & eſt in paſſo, & denominat ipſum paſſum.

Obijcies ſextò: omne agens creatum, vt pote 86 imperfectum, dum agit, neceſſe eſt, vt moueatur à Deo ſuperiore mouente, ergo omne agens creatum dum agit recipit à Deo actualitatem actionis per quam agit; & ſic actio eſt in agente, ita ferè Maurus *lib. 2. philoſoph. queſt. 21.*

Reſpondeo falſum eſſe antecedens, & malam 87 conſequentiam. Falſitatem antecedentis ſuppono ex dicendis *infra*, vbi probabo agentia creata non debere à Deo recipere aliquod intrinſecè de nouo, per quod ad operandum moueantur; conſequentiæ verò prauitatem oſtendo ex eo, quia admiſſa hac motione cauſarum ſecundarum à prima cauſa, in ea non poteſt conſiſtere actio earumdem cauſarum in ſuos effectus, ſi quidem earum actio efficienter procedere debet ab illis; at vero motio hæc cum ponatur procedere à ſolo Deo mouente ipſas non niſi materialiter cauſaretur ab illis. Falſum igitur eſt ex eo, quod cauſæ ſecundæ recipiãt in ſe huiuſmodi motionem à cauſa prima, rectè deduci, quod recipiant in ſe ſuas actiones, per quas tranſeunter operantur.

Obijcies ſeptimò rationem fundamentalẽ eiuſ- 88 dem auctoris: propria perfectio virtutis actiuæ, ad quam, tamquam ad ſuum bonum vehementer inclinat, eſt determinare effectum ad hoc, vt egrediatur ab ipſa virtute actiua: ſed quod eſt propria perfectio rei debet intrinſecè recipi in illa, ergo, & determinatio effectus ad hoc, vt egrediatur ex cauſa debet intrinſecè recipi in agente. Atqui hæc eſt actio ipſius agentis ergo &c.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: propria 89 perfectio virtutis actiuæ eſt determinare cauſaliter, ſeu in actu primo effectum, ad hoc, vt egrediatur ab ipſa virtute actiua concedo, eſt determinare formaliter, ſeu in actu ſecundo, nego ma-

iorem

Digitized by Google

iorem; & concessa minore, distinguo eodem modo consequens: determinatio causalis, seu in actu primo effectus debet recipi in agente concedo; determinatio formalis, seu in actu secundo, nego consequentiam; & sic distincto subsumpto, nego vltimam consequentiam, & dico causam efficientem bifariam determinare effectum adhoc, vt à sua virtute egrediatur, primò causaliter, & in actu primo, & hoc præstat per ipsam virtutem causatiuam, quam habet in se vltimò expeditam ad agendum. Secundò formaliter, & in actu secundo; & hoc præstat per actionem suam, per quam influit in effectū transferendo illum de non esse ad esse. Iam verò propria perfectio virtutis actiuæ, quæ debet esse intrinseca, imo essentialis ipsi virtuti operatiuæ causarum efficientium est determinare effectum primo modo, non verò secundo modo; vnde non rectè infertur, ex eo quod actio sit determinatio effectus adhoc, vt existat, quod debeat esse in agente, & non in passo; si quidem, vti supra vidimus, ea non est perfectio intrinseca virtutis actiuæ, sed solum extrinseca: quod si poneremus virtutem actiuam creatam indigere motione actuali Dei, vt exeat in actum secundum: cum viderimus ad huiusmodi motionem agens creatum non se habere actiuè, sed solum passiuè, illam in se recipiendo à Deo; esset manifestè falsum subsumptum illud, in quo assumebatur determinationem hanc esse actionem causæ secundæ. Neque dicat Maurus se respondendo ad quæstionem notasse nomine actionis intelligere determinationem actualem, & efficacem adhoc, vt effectus egrediatur ab agente. Iam verò posito, quod causæ secundæ indigeant actuali motione Dei ad operandum, certum esse huiusmodi motionem esse primam determinationem actualem, quæ cum sit intrinseca agenti creato; benè deducitur actionem esse in agente, & non in passo.

86 Contra enim est; quia in sententia admittentiū dictam motionem causæ primæ necessariam esse adhoc vt causæ secundæ operentur, distinguenda est duplex prima determinatio actualis efficax, vt effectus egrediatur ab ipsis causis secundis; vna, quæ procedat à sola Dei omnipotentia, & recipiatur in causis secundis, vt perficiantur, & compleantur intrinsecè ad operandum: altera, quæ procedat ab ipsis causis secundis, nec non etiam à causa prima, & recipiantur in passo; quæ quidem determinatio licèt consequatur ad illam aliam, habet nihilominus quod sit prima respectu causarum secundarum, quatenus est id, quod primò efficienter procedit ab illis & eo mediante, secundò procedit effectus. Quo posito sic argumētor contra aduersarium: licet vtraque determinatio habeat rationem actionis, tamen ex hoc potius deducitur, actionem non esse in agente, sed in passo, ergo effugium assignatum nullum est. Consequentia est euidens; antecedens verò suadetur, quia licet vtraque determinatio habeat rationem actionis, tamen prior est actio Dei in causam secundam, sed ea non reperitur in Deo, at benè in causa secunda, vt ipse aduersarius docet; ergo ex ea deducitur actionem esse in passo, & non in agente, si quidem Creatura respectu illius se habet, vt passum, eam in se recipiendo, & non vt agens eam in se producendo, posterior verò determinatio licèt sit actio causæ secundæ: per eam tamen causa secunda mouet suum passum de potentia ad actum, illudque determinat ad effectum in se habendum; Quemadmodum igitur prior determinatio per quam Deus determinat causam secundam est in causa secunda, & non in Deo: ita hæc posterior non erit in causa secunda, sed in passo; ergo ex vtraque determinatione rectè deducitur actionem non esse in Agente, sed in passo, quod erat probandum.

87 Instabis ex eodem omnis actualitas potentiæ secundum se imperfectę, & inclinatæ ad illam actualitatem, recipi debet intrinsecè in tali potentia, sed determinare effectum, adhoc vt egrediatur ex virtute actiua est actualitas virtutis actiuæ creatæ, quæ secundum se est in actu imperfecto, ergo determinatio effectus adhoc, vt egrediatur à virtute actiua debet intrinsecè recipi in ipsa virtute actiua.

88 Respondeo potentiam actiuam creatam esse de se imperfectam, non quia aliquid illi intrinsecè desit ad operandum; sed quia est creata, atque adeò indiget cōcursu Dei; quod si intrinsecè deesset illi motio primæ causæ, quæ esset determinatiua effectus illius, vt à se egrederetur, quia dicta motio non haberet rationem actionis respectu causæ creatæ, sed solum respectu Dei, adhuc ea data non sequeretur, quod actio esset in agente, sed quod esset in passo, si quidem virtus creata reciperet in se determinationem à Deo, atque adeò se haberet, vt passum, & non vt agens.

89 Obijcies denique septimò ex eodem Mauro loco citato. Quando agens creatum agit, debet poni duplex modus, alter in ipso, qui dicitur productio actiua, alter in passo, qui vocatur productio passiua, ergo saltem partialis actio est in agente. Consequentia patet. Antecedens probatur primò, quia ordo, quo vna res producit, & altera producitur, spectat ad perfectionem vniuersi, ergo debet esse illis intrinsecus. igitur admittendus est modus vnus intrinsecus causæ, per quem constituatur producens, & alter modus intrinsecus effectui, per quem constituatur intrinsecè productus. secundò quia sic rectè explicatur differentia actionis, & passionis, & optimè hæc duo prædicamenta distinguntur. tertio denique quia simile quid habetur in Diuinis processionibus, nam in productione Verbi datur duplex generatio, vna actiua intrinseca Patri, altera passiua intrinsecè Filio realiter distincta ab actiua, ergo, & in creatis duplex modus, actionis ponendus est.

90 Respondeo, negando antecedens, & ad eius primam probationem, cōcesso enthymemate, nego secundam consequentiam; & dico duplicem ordinem inter efficientem causam, & eius effectū nos considerare posse: vnus est formalis, & relatiuus, alter fundamentalis, & absolutus, vtrumque admitto duplicatum, in causa, scilicet, & in effectu; & formalem quidem dico consistere in relationibus mutuis quibus inuicem se respiciunt. Fundamentalem verò ex parte causæ in vi productiua, & ex parte effectus in esse producto; quoniam verò ad hoc esse productum habendum nō est necessarius, nisi vnus simplex productionis modus, qui extrinsecè quidem denominet causā,

Digitized by Google

actu producentem, & effectum actu productum; idcirco conſequenter nego requiri ad ordinem hunc habendum in natura modum alium intrinſecum cauſæ: quemadmodum, neque ad habẽdum ordinem inter cognoſcentem, & cognitum requiritur modus aliquis de nouo intrinſecus ipſi cognito. Ad ſecundam verò, nego ex poſitione huius duplicis ſemiactionis modalis melius explicari differentiam actionis, & paſsionis, ac melius duo hæc prędicamenta diſtinguiſ; ſi enim hoc eſset, maximè dicendo, quod modus, qui eſset in agente creato haberet rationem actionis, ille verò qui eſset in paſso rationem paſsionis; ſed hoc dici nequit in ſententia aduerſarij; ſi quidem Agens creatum reſpectu modi ſibi intrinſeci ſe habet vt paſſum, quatenus ponitur per illum moueri, & applicari à cauſa prima ad agendum, reſpectu verò modi ſibi extrinſeci, & paſſo intrinſeci ſe habet vt Agens; quatenus ponitur per illũ mouere paſſum à carẽtia formæ ad formam: ergo etiam admiſſo hoc duplici modo, dicendum eſt, quod modus intrinſecus cauſæ creatæ reſpectu Dei ſe habeat, vt actio; reſpectu verò cauſæ creatæ, vt paſſio, & modus intrinſecus paſſo, reſpectu cauſæ creatæ, vt actio, reſpectu verò paſſi, vt paſſio. falſum igitur eſt, quod ex poſitione huius duplicis modi explicetur clariſſimè differentia actionis, & paſſionis, & meliùs hęc duo prædicamenta diſtinguantur: in ſingulis enim agnoſcenda eſt ratio actionis, & paſſionis reſpectu diuerſorum, non minus, quam in vnico modo à nobis poſito.

91 Ad Tertiam denique conceſſo antecedente, nego conſequentiam, diſparitas eſt quia in Diuinis principium producens, quale eſt Pater V. G. habet eſſentialiter per ſuam intrinſecam entitatem actu producere Filium, itavt actualis productio Filij ſit conſtitutiuum eſſentiale illius in ratione talis perſonæ Diuinæ conſiderati, quod autem eſt huiuſmodi, debet neceſſariò eſſe intrinſecum. idemque proportionaliter de perſona producta V. G. Filio dicendum eſt; hic enim eſſentialiter per ſuam entitatem habet ab Æterno Patre generari, & ſic paſſiua generatio debet ad illum intrinſecè pertinere, non minus quam ipſa filiatio, quæ ex ſe, & ex ſuis intrinſecis habet actu à Patre generari, contrà verò cauſæ ſecundæ creatæ non habent eſſentialiter, quod cauſent actu; ſed ſolum quod poſſint actu cauſare, & ideò non debent intrinſecè habere productionem actiuam, ſed ſolum virtutem cauſatiuam; quod ſi quæras cur paſſum cum non dicat eſſentialiter actionem debeat illam in ſe habere?

Reſpondeo rationem eſſe duplicem. Vna eſt 92
quia hoc ipſo quod Agens operatur dependenter à ſubiecto, eius actio debet maximè ab illo pendere; impoſſibile autem eſt quod aliqua res pendeat à ſubiecto, abſque eo quod ei inhæreat: altera quia in paſſo eſt terminus actionis, cum igitur terminus actionis media actione pendeat ab Agente: neceſſe eſt vt hæc ſit in paſſo, alioquin non poſſet actu conſtituere ſuum terminum dependentem intrinſecè, & formaliter ab ipſo Agente, tranſmutando paſſum de priuatione formæ ad ipſam formam ſuſtentandum. Quod ſi non poneretur tranſmutatiua paſſi tunc actio deberet poni in ſuo termino proximo tanquam in ſubiecto ſiuè inhæſionis, ſiuè adhæſionis iuxtà ſuperiùs dicta.

Obijcies octauò: ex Quiros *diſp. 61. nu. 30.* putante actionem tranſeuntem eductiuam poſſe recipi in agente: ſic. non implicat cauſa eſſentialiter determinata ad inferendum effectum extrinſecum de ſe indifferentem, ſed tunc actio tranſiẽs identificabitur cum agente; ergo erit in illo. Rursùs: ad rationem eductionis ſufficit ſi terminus pendeat à ſubiecto abſque eo quod ipſa actio ab illo dependeat; ergo in hoc caſu non eſt neceſsè, vt recipiatur in paſſo, ſed in agente, quod denominat. 93

Reſpondeo falsò id putare Quiros: & ad priorem probationem, concedo tonum; ſed non ſumus in caſu, quia nos loquimur de actione, quæ propter indifferentiam cauſæ, & effectus diſtinguitur modaliter ab illis. & hanc propriè in tranſeuntem, & immanentem diuidimus. Ad poſteriorem verò aio; implicare agens terminum dependentem à ſubiecto producere per actionem independentem à dicto ſubiecto. Conuinceretur enim ſimul operari dependenter, & independenter ab illo ratione vnius, eiuſdemque operationis. 94

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMAQVARTA

DE CAVSA MATERIALI.

SATIS de materia prima secundum se supra disputauimus; nunc verò de eadem quatenus causa est, agendum superest. quoniam verò ratio causæ materialis non solum competit ipsi materiæ primæ, sed etiam cuicunque alij subiecto, ex quo educitur forma realis, siue hæc substantialis sit, siue accidentalis, siue demum modalis: idcircò, quę de ea dixerimus, cæteris etiam subiectis materialiter causantibus applicanda sunt videlicet Angelo, animæque rationali respectu suarum intellectionum, volitionum, atque habituum; quantitati respectu primarum qualitatum, & similibus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Causa Materialis, & quid causet.

1 PRima Conclusio: causa materialis rectè hic *secundo Physic. tex. 28.* ab Arist. definitur, cum dicitur: esse Id ex quo aliquid fit cum insit.

Dicitur (id) quod se habet loco generis, & significat materialem causam debere esse aliquid reale positiuum.

Dicitur (ex quo aliquid fit) per quas particulas genus causandi proprium huius causę ostenditur; nulla enim, si rigorosè loquamur, est id, ex quo fit compositum, nam efficiens est potiùs id, à quo fit; finis verò propter quod fit, forma autem id, quo aduenientę in materiam, resultat compositum, seu id, per quod ipsum compositum fit ex materia; Porrò hic modus loquendi significat ex parte causæ materialis quamdam indeterminationem, & incompletionem, ratione cuius est determinabilis, atque complebilis per formam.

Dicitur denique (cum insit) ad innuendum causam materialem debere existere in re, cuius est causa, in quo licet conueniat cum forma; differt tamen à materia transeunte, cuiusmodi est lignum respectu ignis, qui ita ex ligno fit, vt tamen in eo lignum minimè insit; Dupliciter autem causa materialis in alio potest existere; Primò, ita vt natura sua, & essentialiter ordinetur ad illud cõstituendum in genere vnius entis per se; Secundò, ita vt licet non ordinetur ad illud sic causandum, sit tamen in illo tanquam quid perfectibile: primo modo si explicetur definitio competit soli materiæ substantiali per ordinem ad substãtiale compositum, quod simul cum forma constituit in genere entis per se. si verò secundo modo, complectitur omne subiectum, quod simul cum forma compositum aliquod in genere constituit.

2 Iam verò verba definitionis, licet secundum se præscindant à primo, & secundo modo; tamen si putemus causam materialem à nobis definiri in ordine ad obiectum Physicæ, constat debere intelligi primo modo, ita vt definitio verificari possit de sola materia prima, quam solam vt causam materialem compositum substantiale sibi vẽdicat. Atque hic obiter notarem duo: Primum est malè Quiedum *contro. 8. punct. 1. num. 1. & 2.* explicare hanc vltimam particulam non referendo illam ad ipsam materiam, sed ad particulam (aliquid); ita vt sensus sit: causam materialem esse ex quo aliquid fit, quod illi insit, quatenus significet id, quod fit ex causa materiali, ei ineſſe debere media passione: malè, inquam; primò, quia vt rectè notat Giattinus ex textu græco *tam lib. 2. tex. 28.* quam *lib. 1. tex. 82.* vox illa, cum insit, explicatur per participium, ex quo inexistente fit aliquid; cum autem id, ex quo inexistente fit aliquid sit materia, sequitur quod ad ipsam materiam, & non ad particulam, aliquid, referatur; Secundò quia si sic dicta particula explicaretur non competeret materiæ in ordine ad compositum, sed benè in ordine ad formas, quas ipsa causat; sed hoc videtur absurdum; ergo &c. sequela patet, quia totum non ineſt materiæ, sed forma, ob quod dictam sequelam rectè concedit, ipse Ouiedus: minor verò suadetur, quia, vti notabam, hic Aristoteles agit primò, & per se de causis obiecti Physici, quod est substantiale compositum; ergo diminutè processisset si causam materialem definisset ita, vt definitio de ea in ordine ad ipsum compositũ immediatè verificari minimè potuisset: cum præsertim reliquarum causarum definitiones sic tradat, vt in ordine ad illud verificentur, & maximè definitionem causæ formalis, quam sic assignat *hic tex. 28.* Est ratio ipsius, quod quid erat esse; hoc est, est ratio per quam compositum habet esse. Per quæ, Ouiedi fuga remanet occlusa dicentis; quod, vt exactè res definiatur, non debeat definiri in ordine ad omnia extrema, ad quæ dicit ordinem: sed sufficit si explicetur per ordinem ad aliquid, per quod possimus totam naturam definiti perfectæ cognoscere; quamuis enim hoc verum sit, quando omnia sunt paria, falsum tamen est si disparia sint, quod euenit in casu nostro, tum quia causa materialis ex se magis principaliter respicit totum, quam formam, si quidem hanc, non nisi in ordine ad constituendum illum, sustentat, & causat: tũ etiam quia, vti dicebã, Philosophus per respectũ ad compositum substantiale agebat de causis; debebat igitur illas definire ita, vt statim ad eius cognitionem nobis ingerendam inseruirent.

Notarem secundò, malè Arriagã *in suo 2. cursu disput.* 3

disput. 8. phys. num. 1. asserere dictam particulam (cum insit) significare rem causatam debere esse vnitam cum materia solum connaturaliter, & exigitiuè non autem essentialiter, & in actu secundo: eo quod de potentia, inquit, absoluta dari potest causa materialis sine vnione sui cum forma, quam materialiter causat. Contrà hoc enim facit, quia inintelligibile est formam sustentari à materia, & illi vnitam non esse, præsertim in sententia eorum, qui vnionem ex natura rei distinctam inter materiam, & formam dari negant.

4 His verò ita constitutis, quod tradita definitio à nobis explicata, sit rectè tradita, probatur facilè: quia ex vna parte primò competit materiæ primæ in ordine ad causandum substantiale compositum: secundò verò competit quibuscunque aliis causis materialibus in ordine ad sua composita, quæ simul cum formis suis constituunt; ex alia verò rectè explicat modum causandi proprium causæ materialis ita, vt de nulla alia causa verificari possit: ergo est rectè tradita.

5 Secunda Cõclusio materia causat verè, & propriè formas materiales substantiales. est Suarez *disp. 17. metaph. sect. 3.* & communis contra Auicennam, Maiorem, & Albertum, quos sequitur Zabarella *lib. de ortu, & inter. cap. vlt.* nec non etiã Lessius *lib. 3. de summo bono a num. 49.*

6 Probatur: materia influit esse in formas materiales, quæ ideò materiales appellantur, quia educuntur de eius potentia, & fiunt, ac conseruãtur ab Agẽte dependenter ab illa, saltem in sententia Thomistarum existimantiũ animas perfectorũ animalium esse indiuisibiles, & nihilominùs materiales: ergo hæc est illarum causa; Ex quo deducitur primò eam etiam causare verè, & propriè eas formas accidentales materiales, ac modos item materiales, quæ immediatè, recipiuntur in illa, militat enim pro omnibus eadem ratio materialitatis.

7 Deducitur secundò materiam non causare materialiter verè, & propriè animam rationalem; quia hæc cum spiritualis sit, neque in essendo indiget materia, neque dependenter ab illa producitur, quibus non obstantibus potest admitti sententia Fonsecæ *5. metaph. cap. 2. q. 1. sect. 3* docentis animam rationalem, quando est in corpore, pendere à materia secundum quid, inquantũ neque informationis exercitium, neque huius speciei complementum habere potest sine ipsa materia, atque adeò his rationibus admitti potest, quod aliquo modo, & secundum quid ab ea causetur.

8 Tertia Conclusio: materia est propriè causa compositi, & quidem tanquam effectus per se primò, & principaliter intenti: est contrà Oniedum *controu. 8. phys. punct. 1. n. 8.* Arriagam, & alios quos sequitur Quiros *in suo curso disp. 54. n. 12.*

9 Probatur autem Conclusio, quo ad primam partem. Primò ex Arist. qui hoc *lib. 2.* agens de causis substantialibus compositi inter illas enumerat materiam, & *8. metaph. tex. 12.* vbi substantias omnes generabiles docet, omnia quatuor genera causarum habere. Secundò eadem pars probatur ratione, quia compositum constat ex materia tanquam ex parte perfectibili à qua totaliter dependet; ergo materia est eius causa. Tertiò denique à pari quia forma est vera causa cõpositi; ergo & materia. Negat hanc consequentiam Quiros *in suo curso disp. 54. sect. 1. n. 2.* quia inquit materialis causa solum dicitur causare effectum, à quo adequatè distinguitur; per quod differt à causa formali, & assimilatur efficiẽti. Sed contrà ad hominem, quia ideò putat hic Auctor causam formalem verè, & propriè causare compositum, vt habet *sect. sequenti*, quia verè, & realiter communicat illi aliquod esse. viuens enim, inquit, habet suum esse à forma vitæ: aliunde verò à dicta forma inadæquatè distinguitur. Sed hoc idem de materia verificatur. Viuens enim non minus habet suum esse essentiale à forma vitæ, quam à materia; & aliunde inadæquatè inter se distinguuntur; ergo si forma est vera causa compositi, materia quoque erit huiusmodi.

Eadem Conclusio, quo ad secundam partem probatur etiam: quia ideò materia causat formã, vt compositum substantiale, ex vtraque parte resultet, ad quod tanquam ad finem vltimum vtraq; ordinatur. quin imò in causalitate compositi infacto esse tanquam in adæquata materiæ causalitate, cæteræ causalitates eiusdem materiæ comprehenduntur, in quantum finis vltimus in quem omnes aliæ ordinantur, est ipsum compositum in facto esse; Atque hæc est ratio quare materia duplex genus causæ non constituat; alterum, scilicet, respectu formæ, & alterum respectu compositi; quia, nimirum, ad hoc, vt vnum genus causæ sit distinctum ab alio, debet nõ quomodocunque, & inadequatè, sed totaliter, & adæquatè ab illo cõdistinguitur verò hic vnum ordinatur ad aliud; quinimo includitur in alio, quia in hoc, quod est causare compositum in ratione subiecti omnis alia materiæ causalitas necessaria in formas sufficienter inuoluitur. 10

Obijcies primò: contrà primam conclusionem materia duplicem rationem causæ materialis essentialiter diuersam exercet, vnam per ordinem ad formas materiales, quas sustentat, alteram per ordinem ad compositum, quod vna cum illis constituit; sed definitio tradita solum secundam rationem explicat, non verò primam, dum dicit est id ex quo fit aliquid, hoc est compositum, cum insit: ergo non est admittenda. 11

Neque dicas rationem primam esse inadæquatam, & ordinari ad secundam, in eademque includi; Contrà enim est quia potest rectè intelligi, quod materia causet compositum absque eo quod causet formam, cum qua compositum constituit, vt patet in homine qui, ita causatur à materia, vt tamen eius anima rationalis ab ea minimè sustentetur; ergo falsum est quod actio causandi formam includatur in ratione causandi compositum. 12

Respondeo rectè dictum esse, quod quamuis materia in ordine ad formam, & compositum duplicem rationem causandi materialiter exerceat, quia tamen ratio causandi formam materialem est ordinata ad causandum compositum: hinc fiat, vt per ordinem ad illud intelligatur tota ratio causandi materialiter sufficienter explicata; Neque ratio in contrarium habet vim. Primò quia multi putant non posse dari materiam purè receptiuam, & non sustentatiuam alicuius saltem for- 13

Digitized by Google

formæ. Secundò quia admisso, quod dicta materia sit possibilis, de facto tamen omnis illa, quæ in mundo est, imò omnis causa materialis, quæ scilicet causat aliquod compositum per modum partis perfectibilis, re ipsa, est sustentativa; & hoc sufficit vt descriptio ab Aristotele assignata, & à nobis tradita, quatenus explicat sufficienter naturam omnium causarum materialium, quæ in hoc earum ordine reperiuntur. Denique ad id quod dicitur de causa materiali hominis, aio: eã esse talem, vt nisi esset sustentativa dispositionũ ad animam rationalem necessariarum, nec non etiam cæterarum formarum substantialium materialium siuè antecedentium, siuè consequentiũ dictam animam, non posset simul cum illa compositum humanum constituere.

14 Obijcies secundò contrà secundam conclusionem: Non est necesse ponere in rerum natura modum causandi materialiter formas materiales, illas sustentando; sufficit enim dicere, quod illas solum recipiat; ergo materia non causat materialiter. Verè, & propriè formas substantiales materiales; consequentia patet; antecedens probatur, quia si necesse esset, id colligeretur ex eo quod videamus formas materiales substantiales non posse produci, neque conseruari extra materiam; sed hæc ratio non est sufficiens; ergo &c. maior est certa, minor verò confirmatur ex eo, quia etiam videmus animam rationalem nõ posse naturaliter produci extra corpus, & tamen hoc indicium non est sufficiens ad dicendum, quod sustentetur à corpore, sed solum, quod recipiatur in illud; ergo neque erit ad hoc sufficiens iudicium, quod videamus cæteras formas materiales non posse naturaliter produci, neque conseruari extra materiam. Solum enim conuincit esse conditionem sine qua non, respectu productionis, & conseruationis illarum.

15 Respondeo, negando antecedens; tum quia, lumine naturæ notum est à causis secundis nihil fieri ex nihilo: tum etiam quia alioquin anima rationalis non differret à reliquis formis materialibus, saltem quantum ad primam productionem. Ratio verò à priori cur causa materialis admittenda sit, vt vera causa est; quia nomine causæ venit id, à quo essentialiter productio effectus dependet; atqui productio formarum materialiũ essentialiter pendet à materia, & non tanquam à conditione sine qua non, sicuti pendet productio animæ rationalis; ergo materia inter veras causas admittenda est; non quidem per hoc, quod aliquem conatum actiuum exerceat in formas, vt nonnullus existimat probabile, quia hoc est eius imperfectioni, & potentialitati valdè incongruum; sed ex eo quia peculiarem causandi rationem sustentando constituat. Neque dicas in nostra sententia, hoc ipso, quod productio animæ rationalis est communicatiua existentiæ ipsi materiæ, iam pendet essentialiter ab illa. Contrà enim est, quia non pendet ab illa tanquam à subiecto sustentante, sed tanquam à termino. Et quidem secundariò, quod addo, quia in essentia termini primarij non est omninò improbabile, quod actio creatiua recipiatur.

16 Ad antecedentis autem argumenti principalis probationem concessa maiore, nego minorem, & ad eius confirmationem dico, quod si haberet vim hic modus argumentandi, probaret etiam, neque necesse esse ponere in rebus creatis vim effectiuam formarum materialium perfectorum animalium; quod probo eodem prorsus argumẽto, quo aduersarij in re nostra vtuntur; siquidẽ vim effectiuam harum formarum ponimus in rebus creatis ex eo, quod videamus equum V. G. esse necessarium ad generandum equum, dum semine mediante equam fœcundat, & pullum suum in vtero complere, ac postea parere facit; sed hoc non sufficit; nam etiam videmus naturaliter hominem esse necessarium ad generandum hominẽ, & semine mediante complere matrem ad formãdum, & edendum fœtum; & tamen certum est hominem Patrem non habere vim effectiuam animæ rationalis, quia hæc cum sit spiritualis creatur immediatè à Deo; sicuti igitur hic modus argumentandi in ordine ad causam efficientem formæ substantialis animalium perfectorum est ineptus, ita, & in ordine ad materialem formarum materialium. Quemadmodum ergo dicimus in hoc casu indicia illa, quæ reperiuntur in Brutis esse sufficientia ad probandam eorum actiuitatem in formas substantiales perfectorum animalium, quia non habetur aliqua ratio in cõtrarium, cum habeatur in ordine ad concedendã hominibus virtutem productiuam animæ rationalis; vnde fit illa indicia in hominibus quoad hoc esse fallentia: ita dicendum erit in casu nostro; & quidem cum multa maiori ratione; non solum quia habemus ex parte animę rationalis spiritualitatem, quæ excludit à se dependentiam à materia; sed etiam, quia, licet videamus eam indigere materia ad hoc, vt connaturaliter producatur; at non ad hoc vt posteà conseruetur; quod signum est indigentiam illam à materia in suo fieri prouenire solum ex eo, quod cũ sit semiens perfectiuum, essentialiter ordinatum ad compositum substantiale vna cum sua comparte perfectibili constituendum; Deus, posito quod operari vult, vt auctor naturæ, non debet nisi ad exigentiam alterius compartis illam creare.

Obijcies tertiò: causa materialis est causa intrinseca, sed materia respectu formæ non est causa intrinseca; ergo materia non causat formam materialiter. maior patet ex dictis; per hoc enim forma, & materia ab efficiente, & fine distinguntur, quia sunt causæ intrinsecæ composito; illæ verò extrinsecæ, minor patet, quia forma, vt vidimus non componitur ex materia. igitur materia non est pars eius intrinseca. 17

Respondeo concessa maiore; negando minorẽ, ad eius probationem dico: quod non solum appellatur causa intrinseca illa ex qua constat, & componitur effectus, sed illa etiam, quæ esse debet intimè præsens, atque coniuncta effectui ad hoc, vt causare possit illum, in quo sensu rectè dicitur materia causa intrinseca formæ.

Denique contrà tertiam Conclusionem obijcies quartò: materia non dicit relationem prædicamentalem ad compositum; ergo non est eius causa; consequẽtia patet ex dictis de Relatione, vbi vidimus inter causam, & effectum relationẽ prædicamentalem intercedere antecedens probatur. Relatio prædicamentalis esse debet inte- 18

rer-

Digitized by Google

terminos realiter, & adæquatè diſtinctos, materia autem includitur in compoſito vt pars eſſentialis illius; ergo &c.

Reſpondeo, conceſſo antecedente; negando conſequentiam cum ſua probatione vniuerſaliter accepta, per nos enim tunc ſolum prædicamentalis Relatio inter cauſam, & effectum reperitur, quando ſunt cætera requiſita; inter hęc autè in ſententia multorum eſt adæquata diſtinctio terminorum.

19 Obijcies quintò: materia non eſt ſubiectum compoſiti; ergo non eſt cauſa compoſiti; conſequentia probatur, quia materia non niſi ſe ſubijciendo cauſare poteſt; antecedens patet, quia materia ſolius formæ eſt ſubiectum.

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens, materia non eſt ſubiectum compoſiti illud in ſe recipiés, concedo; non eſt ſubiectum illud conſtituens tãquam pars perfectibilis, nego antecedens, & cõſequentiam, ad eius probationem dico, quod materia cauſat compoſitum ſe ſubijciendo formæ, quæ eſt eius effectus non vltimatus, hoc autem eſt ſufficiens ad verificandam propoſitionem illam, in qua dicitur, quod materia cauſat, vt ſubiectũ, ſiquidem præbet ſe, vt quid perfectibile compoſito.

20 Obijcies ſextò: materia nõ eſt cauſa ſui ipſius, ergo neque compoſiti, conſequentia tenet, quia compoſitum includit materiam ipſam tanquam partem ſui.

Reſpondeo, negando conſequentiam; ad cuius probationem dico, quod licet compoſitum, materiam tanquam ſui partem includat, diſtinguitur tamen realiter inadæquatè ab illa: ſufficit autem hæc diſtinctio inter cauſam intrinſecam, & eius effectum.

21 Inſtabis: materia, vel cauſat compoſitum in ratione totius, vel cauſat illud in ratione partis; ſed non poteſt dici primum, quia ſic cauſaret ſeipsã; ergo ſecundum. ſed hoc nihil aliud eſt, quam eſſe cauſam ſolius formæ, compoſitum enim ſumptũ in ratione partis, vel forma eſt, vel materia; ergo propriè materia non eſt cauſa compoſiti, ſed ſolius formæ.

22 Reſpondeo, conceſſa maiore; negando minorem; ad cuius probationem, nego quod materia cauſaret ſe ipſam, falſum enim eſt vniuerſaliter, quod id quod cauſat aliquid totum, cauſet omnes partes illius totius; vt patet ex agentibus naturalibus, quæ licet totum effectum ſubſtantialem ſimpliciter producant; non tamen eius materiam item ſimpliciter producere cenſentur; in caſu autem noſtro dico, quod materia cauſat compoſitum in ratione totius tanquam pars componés; ſicuti igitur ex eo, quod ſit pars totius non valet inferre, quod ſit pars ſui ipſius: ita neque ex eo, quod ſit cauſa compoſiti licet inferre quod ſe ipſam cauſet.

23 Obijcies ſeptimò: ſi materia eſſet cauſa materialis compoſiti, etiam forma deberet eſſe cauſa materialis eiuſdem; ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. minor patet; ſequela probatur, quia in tantum materia eſt cauſa materialis totius, in quantum eſt eius pars; ſed etiam forma eſt pars illius; ergo &c.

Reſpondeo nonnullos putaſſe materiam, & formam quatenus ſunt cauſæ intrinſecæ componentes compoſitum media vnione propriè non eſſe cauſas, ſed tantum partes compoſiti, inter quos eſt Oviedus *controu. 8. pun. 1. n. 8.*

Sed contrà eſt, quia Ariſtoteles vti vidimus, ex communi ſenſu Philoſophorum definit cauſã materialem per ordinem ad compoſitum; ergo ſignum eſt, quod reſpectu illius habeat veram rationem cauſæ, alioquin non definiſſet eam ſecundum quod verè, & propriè cauſa eſt; quod nõ eſt ſuſpicandum de tanto Philoſopho. 24

Confirmatur, quia ipſe expreſsè *ſecundo Phyſic. text. 1.* docet: partes alicuius totius habere rationem cauſæ materialis; ergo &c. 25

Reſpondendum igitur eſt, cauſam materialem alicuius compoſiti ſumi dupliciter: Primò pro ea, quæ componit tanquam pars perfectibilis, recipiendo in ſe compartem perfectiuam; Secundò pro ea, quæ quomodocunque aliud componit ſiue comparetur ad compartem, vt perfectibile ad perfectiuum, ſiue non; ſatis enim eſt ſi in ordine ad formam totius perfectibilis ſit; primo modo ſumpta ſoli materiæ competit, at ſecũdo modo, competit cuicunque rationem partis habenti, ſiue demum in ſe ſit forma, ſiue materia. Quare ad argumentum, diſtinguo ſequelam: forma deberet eſſe cauſa materialis compoſiti, ſi loquamur de cauſa materiali primo modo accepta, nego; ſi verò de ea accepta ſecundo modo, concedo ſequelam; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. ad probationem ſequelæ dico materiam eſſe cauſam materialem compoſiti primo modo, nõ præcisè quia eſt eius pars, ſed quia eſt eius pars perfectibilis per aliam cõpartem; hæc ratione autem forma non eſt cauſa materialis, quia habet rationem perfectibilis ſolum reſpectu formæ totius, perfectiui verò reſpectu alterius compartis; colligitur hæc reſponſio ex D. Th. hic vbi ait partes ſiuè integrantes, ſiuè eſſentiales dupliciter conſiderari poſſe, Primò in ordine ad ſuppoſitum, Secundò in ordine ad naturã totius cuius ſunt partes primo modo habent rationem formæ; ſecundò verò materiæ, in quantum comparantur ad totum formaliter ſumptum, vt perfectibile ad perfectiuum. Nam totum continet formam totius, quæ eſt perfectio omnium partium; ſed forma ſubſtantialis ſic conſiderata non habet rationem perfectiui, ſed perfectibilis; non igitur reduplicatiuè ſumpta eſt cauſa materialis, ſed ſolum ſpecificatiuè in ratione partis, ſicuti dicebam. 26 27

Obijcies octauò: Pater in diuinis non eſt cauſa Trinitatis Perſonarum; ergo neque materia eſt cauſa compoſiti.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ratio diſparitatis eſt, quia Trinitas diuinarum perſonarum non eſt aliquod cõpoſitum phyſicè vnum conſtans ex perſona Patris tanquam ex parte intrinſeca; ſicuti homo V. G. eſt aliquod compoſitum phyſicè conſtans ex materia, tanquam ex parte componente: quãuis enim Diuinæ perſonæ ſint vnum, non ſunt tamen vnum niſi in natura; conſideratæ autem in ratione perſonæ conſtituunt quidem vnum numerum Ternarium; ſed hic numerus eſt ſolum vnus dependenter ab intellectu coadunante vni-

Digitized by Google

vnitates cum quodam ordine prioris & posterioris, vnde fit, vt vnitates constituentes aliquem numerum non se habeant, vt partes, neque vt causæ illius nisi obiectiuè tantum in intellectu illas coadunante in vnum, & sic homines constituentes binarium hominum verè, & realiter non sunt causa illius binarij.

SECTIO SECVNDA.

De causalitate causæ materialis.

28 PRima Conclusio: Causalitas causæ materialis non distinguitur ex natura rei ab ipsa causa materiali, & effectu suo; siue demum hoc sit forma materialis, siue compositum. est contrà Arriagam *disput. 8. physic. sect. 2.* Ouiedū, Hurtadum, Giattinum, aliosque Recentiores communiter.

29 Probatur primò in sententia illorum, qui volunt causalitatem materiæ respectu suorum omnium effectuum esse vnionem, inter quos est Fonseca 5. *metaph. cap. 2. qu. 1. sect. 4.* Conimbricenses 2. *physic. cap. 7. q. 8. art. 1.* Suarez citatus à Giattino *q. 7. art. 5.* & alijs; atqui suprà vidimus vnionem non distingui à materia, & forma; ergo neque distinguetur causalitas materiæ ab ipsa materia, & suis effectibus.

30 Probatur secundò, quia Pater. Arriaga *loco cit. num.* 15. hanc distinctionem causalitatis materialis à materia, suisque effectibus, ait, probari ijsdem rationibus, quibus probatur distinctio vnionis ab vtroque extremo; sed dictis argumentis satisfecimus supra, cum de vnione ageremus, probantes eam identificari cum suis extremis; ergo non est, cur dicamus, causalitatem materialem esse distinctam à materia, & eius effectibus.

31 Probatur denique tertiò vniuersaliter, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. atqui nulla est necessitas dicendi causalitatem causæ materialis ex naturâ rei ab ipsa causa materiali esse distinctam; ergo putandum est non esse distinctam. Maior supponitur, vt ab omnibus recepta; & minor ex argumentorum solutione clarescet.

32 Secunda Conclusio: Causalitas materiæ respectu cuiuscunque proprij effectus, siue forma sit, siue compositum consistit in actuali communicatione sui in ratione subiecti pro ipsorum effectuum indigentia quantum ad esse simpliciter, ita vt respectu formæ materialis, quæ indiget sustentari ab ea, eius causalitas sit exhibitio sui per modū subiecti sustentantis, exhibitio inquam sui, vel prima si forma materialis est in fieri, vel continuata si est in facto esse: respectu verò compositi in facto esse, quod ea indigeat tanquam parte componente perfectibili, sit eadem sui exhibitio per modum partis componentis perfectibilis; dixi (quantum ad esse simpliciter) quia anima rationalis licet in prima sui productione indigeat materia: quia tamen hæc indigentia non est quātum ad esse simpliciter, alioquin non posset extra corpus existere: hinc fit, vt materia non sit causa, sed mera conditio ad primam sui productionem naturali modo. conclusio sic à nobis explicata.

33 Probatur primò: id, per quod materia vltimò formaliter influit in suos effectus censeri debet causalitas illius, sed materia communicando se per modum subiecti pro effectuum suorum indigentia, quam in esse ab habet illius, vltimò formaliter influit in suos effectus; igitur communicatio sui in ratione subiecti pro effectuum indigentia erit materiæ causalitas. maior patet ex dictis, minor probatur. materia, per id vltimò, & formaliter influit in suos effectus, per quod de subiecto illorum in potentia intelligitur vltimò, & formaliter reddi subiectum in actu, atqui per actualem exhibitionem sui in ratione subiecti pro effectuum indigentia optimè intelligitur de subiecto in potentia fieri vltimò, & formaliter subiectum in actu; ergo &c. maior huius argumenti patet, causalitas enim causæ est illa, per quam vltimò formaliter vis causatiua causæ de potentia reducitur ad actum; minor verò probatur, quia nihil aliud assignari potest proximius hac exhibitione, per quod vltimò, & formaliter intelligatur fieri subiectum in actu; ergo per eam vltimò intelligitur de subiecto in potentia fieri subiectum in actu.

34 Probatur secundò: potentia, quam dicit materia communicandi se per modum subiecti effectibus suis pro illorum indigentia, quantum ad esse simpliciter, constituit illam in actu primo potentem causare in genere subiecti; ergo actualis communicatio sui per modum subiecti, &c. constituit eamdem materiam actu formaliter causantem; in hac igitur communicatione sui ipsius eius causalitas posita est.

35 Contrà primam Conclusionem obijcies primò: causalitas efficientis est per nos distincta tāquam modus à re à causa efficiēte, & effectu suo; ergo, & causalitas materiæ, consequentia patet paritate rationis.

36 Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, disparitas est, quia inter causam efficientem, & eius effectum nihil aliud potest assignari immediatius ipsa actione: at verò inter materiam primam, & formam materialem assignari potest aliquid proximius ipsa passione, qua mediante materia sustentat formam, & euadit pars perfectibilis compositi. hoc autem est communicatio sui secundum formæ, & compositi indigentiā. Vnde fit, vt licet respectu formæ materialis eiusque compositi causalitas materiæ importet mediatè, & radicaliter aliquod distinctum, nempè passionem, per quam veluti remotè influit in vtrumque; at non respectu compositi humani, vt considerāti est manifestum. Ex quo sequitur, quod si forma materialis, quæ prius sustentabatur à materia incipiat dependere à solo Deo in ipsa materia, hæc defectu non indigentiæ quantum ad esse, non amplius causalitatem, suam exercebit in huiusmodi formam.

37 Obijcies secundò: causalitas per quam causa efficiens producit formam materialem dependenter à materia est modus distinctus, ergo & causalitas materiæ erit modus etiam distinctus; consequentia suadetur, quia causalitas efficientis formam materialem dependenter à materia per se ipsam

Digitized by Google

ipſam pendet à materia, ergo eſt cauſalitas materiæ; ſi igitur cauſalitas efficientis eſt modus diſtinctus, etiam cauſalitas materiæ erit modus diſtinctus. omnia patent, præter primam conſequentiam, quæ ſic probatur: illa entitas eſt cauſalitas reſpectu alicuius cauſæ, quæ ſe ipſa pendet ab ea cauſa, & quæ eſt vltima poſitio effectus, ſed vtrumque habet actio productiua formę dependenter à materia, ergo eſt cauſalitas materiæ. minor huius probatur, quia actio, qua fit forma dependenter à materia, ita per ſe ipſam pendet à materia, vt ſit etiam vltima poſitio ipſius formę; ergo habet vtrumque requiſitum, vt ſit cauſalitas materiæ. ita ferè Giattinus *quæſt. 2. phyſic. art. 5.*

38 Reſpondeo, conceſſo antecedente: negando conſequentiam, ad cuius probationem, conceſſo item antecedente, nego primam conſequentiam: & ad eius confirmationem diſtinguo maiorem: illa entitas eſt cauſalitas reſpectu alicuius cauſæ, quę ſe ipſa pendet ab ea cauſa, & eſt vltima poſitio effectus, vt prouenientis ab ipſa eadem cauſa, concedo; & eſt vltima poſitio effectus, vt prouenientis ab alia cauſa, nego maiorem; & ſic diſtincta eodem modo minore, nego conſequentiam; ad probationem verò minoris dico, actionem illam, qua fit forma dependenter à materia per ſe quidem ipſam pendere à materia, ſicuti pendet ab efficiente; non tamen eſſe vltimâ poſitionem ipſius formæ vt prouenientis à materia, ſed benè, vt prouenientis ab efficiente; & ratio eſt, quia materia habet aliam rationem vlteriorẽ, quæ quidem ratio conſiſtit in actuali, & intima exhibitione ſui per modum ſubiecti, ratione cuius exhibitionis eam actu vltimò intelligitur ſuſtentare, quod cum non habeamus in cauſa efficiente: hinc dicimus, quod eius actio ſit vltima poſitio ſui effectus, atque adeò eius cauſalitas.

39 Inſtabis ex eodem Giattino: implicat concipere vnam cauſam prius prioritate cauſalitatis influere in effectum quam aliam; ſed hoc ſequitur ex reſponſione poſita: ergo &c. maior patet, quia ſic effectus pro aliquo priori intelligeretur pendere ab vna cauſa, pro quo non adhuc intelligeretur pendere ab alia, & ſic pro eodem priori intelligeretur exiſtens, & non intelligeretur exiſtens, quod repugnat; minor verò ſuaderur, quia actio eſt cauſalitas efficientis, ſed pro eo priori, pro quo intelligitur actio, non intelligitur cauſalitas materię, quia hæc cum identificetur cum materia, & cum forma neceſſe eſt, vt pro ſecundo poſteriori intelligatur, in quo actio intelligitur terminata per formam; ergo &c.

40 Reſpondeo primo diſtinguendo maiorem: implicat concipere vnam cauſam prius prioritate cauſalitatis influere in effectum quam aliam cauſam, ſi cætera ſunt paria concedo, ſi non ſunt cętera paria, vt eſt in caſu noſtro, in quo ponitur efficiens cauſare per modum diſtinctum, materia verò per ſe ipſam, nego maiorem; & ſic diſtincta minore: nego conſequentiam, ad probationem maioris dico, quod quando effectus ſe ipſo cauſatur ab vna cauſa, & ab alia per modum diſtinctum in nullo priori intelligi poteſt pendere ab vna, quin intelligatur pendere ab alia; quod euidenter apparet in caſu noſtro, nam licet prius intelligatur cauſalitas efficientis in formam, quam cauſalitas materialis: tamen pro eo priori non intelligitur forma, ſed intelligitur in poſteriori hoc eſt in termino cauſalitatis, in quo poſteriori, iam per ſe ipſam intelligitur pendere à materia: quarè ad probationem minoris; conceſſa maiore, & minore, nego conſequentiam, quia aliud eſt, quod in aliquo priori intelligatur cauſalitas vnius cauſæ abſque eo quod intelligatur cauſalitas alterius cauſæ, aliud verò quod pro aliquo priori effectus intelligatur pendere ab vna cauſa, abſque eo quod intelligatur pendere ab alia, ſed pro poſteriori. primum eſt verum, & habet locũ in noſtra doctrina; ſecundum falſum, & nullo modo ſequitur.

41 Subinſtabis: hoc ipſum videtur abſurdũ, quod ex duabus cauſis alicuius effectus, vna pro vno priori, ſit cauſa in actu ſecundo abſque eo, quod pro eodem priori ſit cauſa in actu ſecundo altera; ſed hoc ſequitur ex noſtra doctrina, nimirum quod pro eo priori pro quo efficiens producit cauſalitatem ſuam non adhuc materia intelligatur habere ſuam; ergo &c.

42 Reſpondeo diſtinguendo maiorẽ, abſurdum eſt quod ex duabus cauſis alicuius effectus vna pro vno priori ſit cauſa in actu ſecundo, abſque eo quod pro eodem priori ſit cauſa in actu ſecũdo altera: ſi neque reſpectu effectus, neque reſpectu cauſalitatis alterius cauſæ, ipſa ſit cauſa in actu ſecundo concedo: poſito quod ſaltem cauſalitatis alterius cauſæ, hæc ſit cauſa in actu ſecundo, nego maiorem; & ad minorem dico, quod licet materia pro eo priori, pro quo intelligitur cauſa efficiens actionem ſuam producere non intelligatur cauſa in actu ſecundo completa reſpectu formæ, quia hæc adhuc non intelligitur exiſtere niſi in termino actionis: at intelligitur cauſa in actu ſecundo reſpectu actionis pet quam fit forma, & hoc ſufficit ad verificandum, quod vna cauſa non poſſit cauſare ſine alia. cæterum, quia nos præter hunc influxum materiæ in actionem, agnoſcimus alium immediatiorem in formam indiſtinctam ab ipſa materia, & ab ipſa forma: ideò dicimus, quod ſi volumus ſubtiliter res diſtinguere, pro eo priori, pro quo intelligitur influxus immediatus efficientis in formam, non intelligitur niſi influxus mediatus materiæ in eãdem formam, qui ſit eſſentialiter connotatus ab immediato conſiſtente in exhibitione ſui pro exigentia formę ad hoc, vt ſimpliciter exiſtat in rerum natura.

43 Aliquid ſimile tenentur dicere illi, qui docẽt Creaturas dupliciter pendere à Deo in genere efficientis. Primò immediatè per entitatem propriam. Secundò per productionem, quæ eſt accidens rei productæ; quã doctrinã docet ipſemet Giattinus pluribus locis præſertim *q. 6. art. 2. in fine*, & primam quidem dependentiam probat ex eo, quia Creatura ſubſtantialis, vt diſtincta ab accidente habet eſſe Creaturam; ergo etiam vt diſtincta ab omni alia accidentali dependentia habet per ſuum eſſe ſubſtantiale immediatè pendere à Deo. Porrò de hac dependentia procedit eadem difficultas ſuperius à nobis facta, nam hæc vt potè identificata cum termino dependentiæ ſuperadditæ eſt poſterior poſterioritate cau-

Digitized by Google

causalitatis ipsa dependentia superaddita sine absurdo; ergo & sine absurdo poterit dependentia formę materialis à materia esse posterior dependentia efficientis.

44 Atque hæc sufficerent ad soluendam P. Giattini difficultatem nn. 33. propositam. quoniam verò ego plurimi facio in responsionibus semper faciliorem viam ostendere; Idcircò respondeo secundo, opponendo ex P. Capitino *in suis Aphorismis Philosoph. libr. distinct. 5. c. 6. sect. 2.* & alijs, actionem non esse priorem naturâ, sed in signo naturæ comitanti cum effectu, seu termino. cum quia huiusmodi prioritas solum inter causam, & effectum reperitur: tum etiam quia illud est prius naturâ alio, quod est determinatiuum illius ad existendum: actio autem non est determinatiua, sed ipsamet determinatio formalis existentiæ sui termini. quo posito distinguo aliter maiorem instantiæ Giattini: implicare concipere vnã causam prius prioritate causalitatis influere in effectum, quam aliam; si sermo sit de prioritate naturæ, concedo. si autem de prioritate rationis, nego maiorem: & sic distincta eodem modo minorem, nego consequentiam; ac dico: quod sicuti causa efficiens sine absurdo effectur prior ratione alijs causis vt vidimus, ita tenendum de eius causalitate. Quod si actio dicitur via, & tendentia ad terminum, non est quia sicuti via determinat mobile ad acquisitionem termini, ita & actio; ea enim est acquisitio ipsa, sed præcisè, quia est id, quo ponitur effectus, sicuti via id, quo acquiritur terminus. Per quæ patet responsio ad probationes, & instantiam in contrarium.

45 Obijcies tertiò: materiæ causalitas respectu formæ est passio, sed passio est idem cum actione: ergo actio est modus distinctus, etiam causalitas materiæ erit modus distinctus.

Respondeo ad maiorem: dictum illud commune indigere explicatione aliqua, cum enim nomine causalitatis veniat illud vltimum per quod causa ex actu primo transit in actum secundum, & influit in effectum: quia passio inter ea, quæ sunt necessaria ad hoc, vt materia causet formã est realiter loquendo vltima, & proximior ipsi effectui: non enim datur aliquod realiter distinctum à materia, & forma, quod sit ea proximius: ideò communiter dicitur materiæ causalitas; cũ quo tamen stat; quod si formaliter loquamur, sit assignabilis alia ratio vlterior, in qua propriè, & formaliter causalitas materiæ posita sit. quod patet ex eo, quia etiam si concipiamus siuè per possibile, siuè per impossibile formam materialẽ produci quidem per actionem independentem à materia, ita tamen vt ipsa sola sustineatur à materia, habebimus formalem causalitatem materiæ in formam sine passione; quod si dicamus, dari duplicem passionem: vnam formalem identificatam cum actione, alteram terminatiuam consistentem in termino passionis formalis, & primam quidem esse causalitatem materiæ inchoatam, & fundamẽtalem; secundam verò esse causalitatem eiusdem completam, & formalem; optimè saluamus omnia. nimirum quod materiæ causalitas sit passio, & quod non distinguatur ab ipsa materia, & effectu suo.

46 Contrà secundam conclusionẽ obijcies quarto: non potest assignari quid sit hæc communicatio materiæ per modum subiecti pro effectuum indigentia quantum ad esse simpliciter; ergo non benè assignatur pro materiæ causalitate.

Respondeo: negando antecedens; & dico, quod 47
illa pro diuersitate effectuum, qui causãtur à materia, diuersas acquirit denominationes, si enim materia causat materiales formas, eius exhibitio dicetur sustentatio, si verò compositum, appellabitur compositio per modum partis perfectibilis; cum quo tamen stat, quod respectu omnium possit etiam appellari vnio pendens, quæ per nos est indistincta ab extremis.

Instabis primo: sustentatio, receptio, & compo- 48
sitio se tenent ex parte effectus; ergo causalitas materiæ non est idem realiter cum materia.

Respondeo: distinguendo antecedens, sustentatio, &c. se tenent ex parte effectus, si passiuè sumantur, concedo; si sumantur actiuè, & subiectiuè, nego antecedens, & consequentiam; se namque subiectare recipiendo, & sustentando aliquid, item componere cum alio est propriũ eius, quod habet rationem subiecti, & partis componentis. Atque hic nota: per me causalitatẽ materiæ nõ distingui ab entitate materiæ, & formæ intimè præsentibus cum negatione impedimentorũ, &c. ita tamen vt si passiuè sumatur in recto veniat entitas formæ, & in obliquo entitas materiæ. Contrà verò si veluti actiuè accipiatur, in recto veniat entitas materiæ, in obliquo verò entitas formæ; vnde fit, vt variato effectu causę materialis, debeat omninò intelligi variari eius causalitas.

Instabis secundò: causalitas materiæ est in ra- 49
tione passiui, sed exhibitio sui per modum subiecti est per modum actiui; ergo causalitas materiæ nequit consistere in exhibitione sui.

Respondeo: concessa maiore, distinguendo minorem; exhibitio est actio grammaticalis, cõcedo; prædicamentalis, nego minorem, & consequentiam; explico distinctionem. subiectare V. G. vt subiectum, licet grammaticaliter actionem sonet, philosophicè tamen passiuam habet significationem, ideoque nihil impedit quominus sit materiæ causalitas.

Obijcies quintò: si causalitas materiæ consi- 50
steret in exhibitione sui, sequeretur, quod Deus non posset supplere eius causalitatem; sed hoc falsum esse patet ex Venerabili Eucharistia, vbi Deus conseruando accidentia sine materia supplet ipsius materię causalitatem. sequela autem maioris probatur paritate rationis; nam nõ aliã ob causam non potest Deus supplere causalitatẽ causæ formalis, nisi quia hæc exhibendo se ipsam suos causat effectus.

Respondeo: distinguendo sequelam, Deus non 1
posset supplere causalitatem materiæ in ordine ad illos effectus, qui eius causalitatem essentialiter involuunt, concedo; non posset in ordine ad illos effectus, qui eius causalitatem non involuũt essentialiter, nego sequelam. & eodem modo distincta minore, nego consequentiam. Ad probationem dico: tum materiam, tum formam habere effectus duplicis generis: quidam enim eorum causalitatem essentialiter involuunt, cuiusmodi est compositum, quod essentialiter exigit, prius

Digitized by Google

que exhibitionem ad hoc, vt resultet; item ipsa materia, quæ in ratione informati est effectus formæ; & forma item, quæ in ratione informantis, seu recepti est effectus materiæ, vtraque enim sub ea ratione, sub qua est effectus exigit essentialiter exhibitionem alterius; & materia quidē non potest informari nisi per formam: forma verò nequit recipi, nisi in materia; Porrò in ordine adhoſce effectus veriſſimum est, quod Deus non poſſit, neque cauſalitatem materiæ, neque formę ſupplere, & ſic non poteſt Deus facere cōpoſitum naturale ſine materia, neque informare, ſine forma, quia vti dicebam *huiuſmodi* effectus cauſalitatem illarum eſſentialiter inuoluunt; at verò quidam alij effectus ſunt eiuſdem materiæ, ac formæ, qui earumdem cauſalitatem non requirunt eſſentialiter, ſed optimè poſſunt intelligi ſine illa, cuiuſmodi eſt forma materialis in ratione exiſtentis, quæ licetà materia, tanquam à ſubiecto ſuſtentante dependeat: tamen eiuſdem materiæ cauſalitatem non eſſentialiter, ſed ſolum connaturaliter inuoluit, & in ordine ad effectus huius ſecundi generis optimè poteſt Deus ſupplere concurſum veriuſque cauſæ in genere cauſæ efficientis ſicuti de facto ſupplet in ſpeciebus Euchariſtiæ venerabilis concurſum cauſæ materialis, probatio autem ſequela aduerſariorum procedit ſolum de effectibus primi generis.

51 Obijcies ſextò cum quibuſdam Scotiſtis; poſſe optimè ſuſtineri cauſalitatem materiæ eſſe poſitam in eo, quod ſit ſubiectum, ex quo forma & compoſitum hoc modo dependeat; item cum alijs; quod ſit id, quod materia præſtat ſuo effectui; ergo ita dicendum eſt.

Reſpondeo negando antecedens, quo ad vtramque partem; ratio negationis, quo ad priorem eſt quia eſſe ſubiectum idem eſt; ac eſſe cauſam materialem, vt de ſe patet, cauſalitas autem materiæ eſt id, quo mediante cauſa materialis cauſat; aſſi adeò id, quo mediātē ipſa materia eſt ſubiectum, ratio verò poſterioris eſt, quia cauſalitas cauſæ eſt id, quo mediante cauſa aliquid præſtat effectui; non verò id, quod præſtat, hoc enim habet potius rationem effectus, quam cauſalitatis.

Atque ex his patet primò, quid dicendum ſit 53 de cauſalitate cuiuſcunque ſubiecti reſpectu cōpoſitorum ſuorum, atque formarum, quas in ſe ſuſtentando recipit. Patet ſecundo falſam eſſe ſententiam Mauri dum *lib. 2. queſt. philoſophic. 14. verſus inſecutur ſecundo* docet: cauſalitatem materiæ reſpectu formarum materialium eſſe ipſam exiſtentiam eo quod forma per exiſtentiā pendent, & ſuſtentantur à materia: cum enim exiſtentia ſit vltimus actus; & cauſalitas ſit actus medius ſeu penultimus; implicat, quod materiæ cauſalitas in formam ſit exiſtentia. neque ratio adducta habet vim. nam forma pendet, & ſuſtentatur à materia per exiſtentiam tanquam per terminum ſuſtentationis, & dependentiæ, non autem tanquā per viam, cuiuſmodi debet eſſe eius cauſalitas.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA

DE CAVSA FORMALI.

EX dictis de cauſa materiali facilè quid dicendum ſit de cauſa formali conijci poteſt.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit cauſa formalis, & quarum rerum cauſa ſit.

1 PRima Cōcluſio. Cauſa formalis rectè dicitur eſſe; Ratio, propter quam compoſitum habet eſſe, ita ferè Ariſt. hic *text.* 28. cuius deſcriptionis sēſus eſſe poteſt, quod cauſa formalis propriè eſt illa, cuius beneficio compoſitum habet vt ſit in aliqua determinata ſpecie; licet enim illa non ſit tota eſſentia compoſiti, eſt tamen id, per quod formaliter habet compoſitum hanc potius determinatam eſſentiam, quam aliam; vbi aduerte, quod ſi particula illa, compoſitum, prō ſolo ſubſtantiali accipiatur, ſoli etiam formæ ſubſtantiali tradita definitio conueniet: ſin autem etiam compoſitum accidentale includat, ad formas quoque accidentales ſe extendet, in ſumma pro diuerſa acceptione compoſitorum diuerſæ formarum generibus non ſolum phyſicis, ſed etiam metaphyſicis tradita deſcriptio aptari poteſt; quæ cum benè naturam formæ explicet, eāque à quacumque alia re ſufficienter diſtinguat exiſtimanda eſt rectè eſſe tradita.

Secunda Concluſio. Cauſa formalis, ſi eſt ſubſtantialis, eſt verè, & propriè cauſa ſui ſubiecti non autem ſi accidentalis eſt: nam ſic eſt eius cauſa ſecundum quid; cum quo tamen ſtat, quòd vtraque ſic verè, & propriè cauſa ſui compoſiti, quod ſimul cum ſubiecto conſtituat. 2

Tres partes habet Concluſio; & probantur quo ad ſingulas; Et prima quidem procedit in ſententia Thomiſtarum volentium materiam nō habere propriam exiſtentiam, ſed per exiſtentiā ei vendicatam à forma reddi formaliter exiſtentem, ſic enim euidens eſt formam verè, & propriè per ſui communicationem dare illi eſſe, ſed 3

quod

Digitized by Google

quod subsistat, & propriè illud dicitur, est verè, & propriè causa illius; ergo &c.

4 Quod secundum hanc partem probatur, habetur, quia forma accidentalis non reddit suum subiectum formaliter existens; ergo non causat illud esse, & propriè quidem illud aliquo modo causat, quatenus ipsa forma activa dat alis verè informatum subiectum, illudque determinat ad talem speciem accidentalem compositum v. g. illud album, si est albedo, dealbat, si est dealbatio, &c. ergo causa accidentalis est aliquo modo causa sui subiecti, quod idem dicendum est de forma substantiali, cùm quamvis habeat non propriam existentiam, sed dependentem ab illa. Tertia denique pars suadetur ex eo, quia forma intrinseca componit totum tanquam pars principalis illius, quatenus est perfectiua alterius compartis, siue demum sit substantialis, siue accidentalis; ergo est verè, & propriè causa totius, & quidem per se primò intenti; ad hoc enim instituta est forma à natura, vt simul cum materia constituat compositum.

Obijcies primò causa formalis est ratio propter quam compositum habet esse; sed neque forma est ratio materiæ, neque materia est compositum respectu formæ; ergo forma non est causa formalis materiæ.

5 Respondeo definitionem illam tradi eam esse per ordinem ad effectum vltimatum, & adæquatum causæ formalis, cuiusmodi est compositum, vt dicemus; non autem per ordinem ad effectum inadæquatum, & non vltimatum illius, qui est materia; cæterum cum materia habeat à forma non solum existentiam, sed etiam determinationem, vt ad hanc potius, quàm ad aliam speciem determinatè pertineat, optimè dici potest in ordine ad ipsam materiam forma, ratio propter quã materia sit, non quidem secundum essentiam, sed secundum determinationem, & existentiam.

6 Obijcies secundò: Arist. 2. *physic. text.* 31. ait totum, & speciem habere rationem causæ formalis vtique respectu suarum partium; ergo potius ipsa est causa formalis suæ formæ, quam effectus illius in genere causæ formalis.

Respondeo: formam posse sumi dupliciter. Primò metaphysicè; Secundò physicè. Metaphysicè accepta est tota essentia totius abstractè sumpta, vt humanitas respectu hominis; sumpta verò physicè est pars perfectiua eiusdem essentiæ, totius; quo posito aio, quod quando Aristoteles docuit totum se habere, vt formam sumpsit formam metaphysicè, in quantum est, quid perfectum, atque adeò respicit partes distributiuè acceptas tanquam materiam, & consequenter tãquam effectum earum in genere causæ formalis eum quo stat, quod totum physicè sumptum sit effectus formæ physicæ, quatenus ex ea tanquam ex parte perfectiua constat; Nomine verò speciei, & essentiam metaphysicam philosophus intellexit, vt plures interpretes putant; hæc, etiam si sit simplex, vt in Angelis, sabeni respectu suppositi se habet vt forma; si autem significatio formam physicam, vt alij malunt, nulla superest difficultas.

7 Obijcies tertiò ex Oviedo *controuers. 9. physic. punct. 1.* Forma quatenus in actu secundo cõponit totum, neque est causa materiæ, neque vnionis, neque denique sui ipsius; ergo non est causa alicuius, quod includit compositum; ergo neque ipsius compositi. Probo secundam consequentiam, nam cætera patent, quoniam tenus est causa, quatenus illa, quæ formaliter dicit, sunt causata; ergo eatenus recipit esse à causa, quatenus illud recipiunt ea, quæ formaliter includit; sed nihil quod formaliter includit, recipit esse à forma; ergo forma non est causa compositi.

Respondeo, concessa antecedentia, loquendo saltem de forma accidentali respectu materiæ, & concessa etiam primâ consequentia, nego secundam; ad cuius probationem distinguo primum antecedens, totum est causatum extrinsecè quatenus illa, quæ formaliter includit, sunt causata, concedo, eatenus est causatum intrinsecè, nego; & sic distinguo consequens; ergo eatenus recipit esse à causa extrinseca, quatenus illud recipiunt ea, quæ dicit formaliter concedo, eatenus recipit esse à causa intrinseca, nego consequentiam; & concessa minore sub sumpta, nego vltimam consequentiam; & dico; quod hic modus argumentandi negatiuè à partibus ad totum valet, ad concludendum, quod aliquid non sit causa extrinseca totius, quia cum hæc non possit causare illud præ sui exhibitionem necesse est, vt causet verè, & propriè aliquid illius ad hoc, vt consecutus esse verè, & propriè eius causa; non autem valet ad concludendum, quod aliquid non sit causa intrinseca totius, quia ad hoc solum requiritur, quod se exhibeat, vt partem ad illud constituendum; & recte. non enim forma distingui debet ab eo, quod immediatè dat, sed sufficit, si distinguatur ab eo, quod ex suo esse dato resultat, quod est compositum physicum ab illa dependens, tanquam à parte perfectiua, per se, & ex intrinsecis suis ordinata ad alteram eq partem perficiendam. per quod saluatur personalitatem Verbi respectu Christi Domini, eiusque humanitatis non se habere, vt formam.

Obijcies quartò: ex eodem *num. 9.* forma, ex eo, quod componat totum, præstat tantum terminare vnionem; sed esse terminum vnionis non est propriè esse causam; igitur forma ex eo, quod componat compositum, non est propriè eius causa, maior patet, minor probatur paritate reliquorum terminorum actuum vitalium, relationum, & quorumcunque respectuum; nec non etiam ratione, tum quia terminus, vt terminus nullum genus causalitatis ex quatuor assignatis à Philosophis dicit, tum etiam quia si forma media vnione aliquid causaret; id deberet esse, quod media vnione immediatè attingit, quod est materia; sed hanc non causat; ergo &c.

8 Respondeo distinguendo minorem, præstat tantum terminare vnionem quomodocunque, nego; præstat tantum terminare vnionem debito modo; ita, scilicet, vt ex ea, & alia comparte resultet aliquod totũ physicum concedo maiorem; & sic distinguo minorẽ: esse terminum vnionis quomodocunque non est propriè esse causam, concedo, esse terminum vnionis debito modo, vt ex se, & ex alia comparte resultet aliquod totum physicum, nego minorem, & consequentiam ad illud

ris probatione patet responsio ex dictis: nam ex vna parte termini actuum vitalium, & relationum non terminant modo debito, vt ex eis tanquam ex partibus resultet cum aliqua alia comparte aliquid totum physicum, sicuti terminus formæ vnionem: ex alia verò, forma cum media vnione non se habeat, vt causa extrinseca, non sequitur, quod debeat causare id, quod respicit tanquam terminum vnionis, sed bene id, quod ex se, & ex eo, quod respicit tanquam terminum, immediatè resultat, quod est totum, atque hæc ex ipsomet Ouiedo; quantum enim ad id, quod vltimo loco contrà nostram sententiam inferebat, quod, scilicet, sic duplex genus causandi materialiter haberetur, vnum respectu formæ, alterum respectu compositi, supra sufficienter responsum est.

SECTIO SECVNDA.

De causalitate causæ formalis.

9 PRima Conclusio. Causalitas formæ non distinguitur modaliter ab ipsa forma, & effectu, qui per illam causatur.

Probatur ex dictis de causalitate materiæ in ordine ad suos effectus, militat enim par ratio.

Confirmatur ex sententia eorum, qui volunt causalitatem formæ esse vnionem, quæ intercipitur inter formam, & materiam, sed hæc non distinguitur ab extremis; ergo neque causalitas formæ à forma, & suis effectibus.

10 Secunda Conclusio. causalitas causæ formalis est actualis sui communicatio per modum actus pro effectum suorum indigentia, ita vt respectu materiæ sit informatio respectu compositi dici possit compositio per modum partis perfectiua. Patet ex his, quæ de materiæ causalitate diximus, & probauimus.

11 Obijcies primò: compositio per Arist. hic *text.* 31. habet rationem causæ formalis; ergo non est causalitas formæ.

Respondeo negando consequentiam, vna enim, & eadem res secundum diuersas formalitates habere potest rationem formæ, & rationem causalitatis, sic actio est forma agentis in quantum illud denominat agens; & est eiusdem causalitas, quatenus est id, quo mediante producit effectū; sic dicere possumus, quod se habeat compositio respectu partium componentium; prout enim hæ possunt aliquid componere videtur esse instar totum actus, in quantum illas actuat in esse compositi; quatenus verò est illarum exhibitio ad compositum, est earum causalitas.

12 Obijcies secundò: causalitas formæ distinguitur à causalitate materiæ, sed si consisteret in exhibitione formæ, non distingueretur; ergo &c. minor probatur; quia iam consisteret in entitate causæ formalis, & in entitate effectus illius, sed inter effectus nihil aliud est nisi materia, & compositum, quæ æque ingrediuntur in conceptum causalitatis materiæ; ergo &c. neque dicas causalitatem formæ dicere in recto suum effectum formalem, & in obliquo ipsam formam, quia etiam causalitas materiæ potest sumi, ita vt dicat in recto ipsam formam, & in obliquo ipsam materiam; ergo &c.

Respondeo: distinguendo maiorem, causalitas formæ distinguitur à causalitate materiæ realiter, nego; formaliter, concedo; & sic distincta minore; nego consequentiam, ad redargutionem dico, vtramque causalitatem posse sumi ita vt in recto dicat causam, & in obliquo effectum suum; cuius quo stat, quod differant formaliter ratione diuersi generis causarum, quemadmodum enim per aduersarios eadem entitas actionis est causalitas causæ efficientis, & materialis sub diuersa ratione considerata, quamuis secundum vtramque, sumatur semper in recto; ita & per nos entitas formæ, & materiæ.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Deus exercere possit per se ipsum immediatè munus causæ materialis, vel formalis.

CVm Deus sit primum efficiens, & vltimus finis, ac exemplar rerum creaturarum: 13 esti est illi genus causæ, efficientis exemplaris, atque finalis competere, sicuti etiam propter eandem rationem genus causæ formalis extrinsecæ: Num autem genus quoque causæ materialis, vel formalis intrinsecæ, dubium est pro quo.

Cōclusio est negatiua, dico enim implicare cōtradictionē Deū per se ipsum immediatè munus causæ materialis, vel formalis exercere posse. Dixi (per se ipsum immediatè) quia cum creaturæ vtrumque genus exerceant cum dependentia ab ipso, certum est dici aliquo modo posse Deum quoque mediis illis huiusmodi causarum causalitates exercere. Conclusio sic explicata est communis, & eam docet Suarez *disput. 22. metaph. sect. 1. num. 19.* contrà Fonsecam Cabeudū Vadingum, & alios quos citat Suarez Lusitanus, & Quiros putantes Deo non repugnare immediatum exercitium causæ materialis. est etiam contrà alios existimantes conuenire illi posse munus causæ formalis.

Nostra assertio quo ad munus causæ materialis probatur primò, à Quiros *in suo cursu disp. 54. sec. 4. n. 26.* sic: Causa materialis exercet suū munus, vt pura potentia præcedens effectum solo titulo recipiendi perfectionem, quam nec formaliter, nec eminenter habet; sed repugnat, quod Deus præcedat effectum aliquem modo non præhabenti illum, nec formaliter, nec eminenter; ergo repugnat Deo munus causæ materialis. Confirmatur ex his, quę habet eadem *disp. 4.* causalitas materialis arguit causam esse recipientem aliquid ab alio, atque adeò non præhabentem nobilitatem effectus à se, sed ab alio, sicuti pauper, quia se habet, vt accipiens diuitias, non debet illas continere, sed solùm dimes.

Verùm hæc ratio non conuincit, quia posset dici, quod licèt causa materialis respectu actionis transeuntis se habeat, vt pura potentia præcedens effectū solo titulo recipiendi perfectionem, quę

nec

nec formaliter, nec eminenter habeat: at non respectu actionis immanentis, beneficio cuius eadem res produceret in se formam aliquam, quam eminenter contineret, vt patet in intellectu, qui in ordine ad intellectiones, quas recipit non se habet, vt pura potentia, quia illas eminenter, seu virtualiter præhabet. sic autem fore Deum recipiendo in se aliquam formam, quam per suam Omnipotentiam in se ipso produceret. Per quæ patet responsio ad confirmationem, nam licèt causa materialis in ordine ad formas, quas ab extrinseco recipit, se habeat, vt accipiens aliquid ab alio; atque adeò vt pauperem non præhabentem diuitias, quas expectat à diuite: at non in ordine ad formas, quas ab intrinseco in se producit, & sibi immanenter causat. cur ergo dici nequeat, quod Deus non priori modo, sed posteriori munus causæ materialis exercere valeat. Hac igitur ratione posthabita.

16 Probatur secundò à nobis efficaciter conclusio, quia Deus est id, quo nihil melius excogitari potest: sed melius est, quod ille perfectissimo modo in sua simplicitate præhabeat, quid quid perfectionis quælibet forma intrinsecè afferre ipsi possit; ergo respectu nullius formæ potest comparari Deus, vt quid perfectibile & potentiale: atqui in hoc causæ materialis essentia posita est; ergo implicat Deo causæ materialis exercitium. Neque dicas, quod quamuis illa formæ perfectionem eminenter contineat, non implicet tamen, quod illam formaliter acquirat. Contrà enim est, quia duplex continentia eminentialis excogitari potest, vna imperfecta, quam habet intellectus V. G. respectu sui actus, quem elicit, vel aqua respectu frigoris, quod in se producere valet, &c. quæ consistit in eo, vt non excludat omnem complebilitatem, vt patet ex dictis entibus, quæ licet dictarum formarum perfectiones eminenter contineant, adhuc tamen complebilia, & perfectibilia sunt per dictas formas. altera verò perfecta, quam habet Deus respectu omnis formæ producibilis, quæ in eo posita est, vt præhabeat perfectionem illarum secundum omnem modum excogitabilem, quem demptis impefectionibus afferre possunt. Hanc autè eminentialem continentiam excludere à Deo omnem capacitatem ad huiusmodi formas recipiendas constat ex eo, quia constituit eum, vt actum purissimum, nullam dicentem potentialitatem in ordine ad aliquid intrinsecum realiter à se distinctum recipiendum, atque adeò reddit illum omninò incapacem acquirendi in se vllam formam, ita vt implicet contradictionem illam acquirere posse, sicuti implicat esse, & non esse actum purum.

17 Iam verò, quo ad munus causæ formalis intrinsecè, sic etiam suadetur nostra conclusio. Omnis forma intrinseca, vel substantialis est, vel accidentalis; sed implicat, quod Deus respectu alicuius entis munus formæ substantialis, vel accidentalis exerceat; ergo &c. minor quæ sola probatione eget, suadetur: quia forma substantialis est essentialiter ordinata ad faciendum vnum per se in ratione naturę cum subiecto, quod informat; atque adeò debet esse essentialiter incōpletum quid, & semiens; alioquin non esset ratio cur ex Angelo V. G. & ex anima rationali vel eius corpore non posset fieri vnum per se. cū igitur Deo repugnet essentialis ordo ad constituendum cum aliqua creatura vnum per se, sicuti repugnat illi ratio semientis, & incompletio: hinc fit, vt munus formæ substantialis implicet exercere. Multò verò magis munus formæ accidentalis ei repugnabit, quia hæc habet essentiam substantiæ seruitio mancipatam, & ideò ab Aristotele appellatur, entis ens, quasi verò ens diminutum, quod ex suis intrinsecis est addictū, & subordinatum alteri tum in essendo, tum in operando; hæc igitur imperfectiò à Dei essentia longissimè remouenda est.

Obijcies primò; Aristoteles *lib. de causis* ait: causam primam adiuuare secundam in causando; sed non adiuuaret nisi cum materia exerceret munus causæ materialis, & cum forma munus causæ formalis; ergo &c. 18

Respondeo, concessa maiore, negando minorem; vt enim verificetur Deum adiuuare causam materialem, & formalem, quando causant, non est necesse, vt in eodem genere concurrat cum illis, sed sufficit si non solum earum entitates, sed etiam causalitates, & effectus tunc ab illo dependeant in genere efficientis dando eis effectiuè illud esse, quod ipse habēt in se, & quod suis causalitatibus, atq; effectibus in genere causæ materialis, atque formalis communicant; & quidem in hoc etiam sensu intelligēdus est D. Dionysius, dum *libide Diuinis nominibus cap. 4.* omne genus causæ etiam materialis, & formalis Deo tribuit. solum enim intendit, quod omnis causa in causando ab ipso Deo pendeat, eique subordinetur necesse sit, at non in eodem genere secundum proprietatem, quando genus illud imperfectionē impræscindibiliter importat, sed ad summum secundum metaphoram, vt quando dicitur, quod Deus sit forma omnium rerum, & omnia sustentet, atque viuificet, vt benè aduertit Suarez *disp. 22. metaph. sect. 1. num. 29.*

19 Obijcies secundò: Dici communiter à Theologis solet: Humanitatem Christi Domini specialiter sustentari à verbo, eique inexistere. iam igitur persona verbi exercet respectu illius munus causæ materialis.

Respondeo: negando consequentiam. Ratio negationis est, quia per illas loquutiones Theologi solum significare intendunt personalitatem Verbi vltimò terminare humanitatem, reddendo illam per se subsistentem, & non indigentem alia, siuè propria, siuè aliena subsistentia.

Obijcies tertiò: Deus de facto respectu accidentium in Eucharistia causalitatem immediatā causæ materialis supplet; respectu verò gratiæ sanctificātis causalitatem causæ principalis; ergo in his munus causæ materialis exercet. antecedens suadetur, quia ex vna parte in Eucharistia per se facit respectu quantitatis id, quod præstabat materia panis. ex alia verò, substantia animæ, vt elevata sustentat materialiter gratiam, atque adeò vt causa instrumentalis Dei. Consequentia verò claret; quia vna causa non potest supplere vicem alterius, nisi exercendo munus illius intra idem genus, sicuti etiam intra idem genus causa principalis aliquid vt suū instrumētum respicere potest. 20

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo: conceſſo antecedente, negando conſequētiā ad cuius probationem, nego aſſumptum; & quantum ad accidentia Euchariſtica, dico: Deum in genere cauſæ efficientis ſupplere poſſe influxum cauſæ materialis reſpectu illorum; cum enim in ſua Omnipotentia eminenter effectus omnium cauſarum creatarum præcontineat, poteſt efficiendo cauſare totum id, quod illæ cauſant; dummodo ſpecialis repugnantia ex parte rei cauſatæ non intercedat; quod addo, ne quis putet poſſe Deum in genere efficientis fieri partem eſſentialem compoſiti naturalis. Quod verò attinet ad cauſalitatem principalem reſpectu gratiæ ſanctificantis dicetur cum de potentia obedientiali interim aio animam per ſuam vim naturalem, quo ad intrinſeca ſuſtentare gratiam; atque adeò non ſe habere propriè, vt inſtrumētum paſſiuum Dei reſpectu illius: dici tamen eleuari quia cauſat id, quod non niſi à Deo, vt agente ſupernaturali obtinere poteſt, atque adeò vt cauſam principalem in diuerſo genere illum reſpicit.

Obijcies quartò: natura Diuina comparatur ad relationes, vt cauſa materialis virtualis; ergo genus cauſandi materialiter non includit imperfectionem; & ſic poteſt competere realiter, æque formaliter Deo reſpectu alicuius formæ creatæ.

Reſpondeo; nonnullos, inter quos eſt Quiros *diſputat. cit. num.* 28. negare antecedens, putantes cauſam materialem virtualem imperfectionem impræſcindibiliter abſolutè importare. Me verò illud concedere, eò quod putem imperfectionem, quam dicit hoc cauſandi genus, tota quanta eſt ex actuali diſtinctione à ſuo effectu prouenire quod patet ex eo, quia illa per realem identitatem excluſa nulla remanet in cauſa potentialitas; atque perfectibilitas, ſed ſola conditionalis capacitas ad vtramque imperfectionem habendam ex ſuppoſitione, quod ea diſtingueretur à forma, quam cauſat. Porrò hoc puritati actus minimè repugnare patet ex veritate multarum conditionalium propoſitionum impoſſibilium, quæ ſine abſurdo in præſentia verificantur de Deo, non obſtante, quod ſi per impoſſibile earum conditio purificaretur, ab eo puritatē actus excluderent. Iam verò ita rem ſe habere in caſu noſtro ſuadetur, quia illa ratio dicitur in Deo cauſa virtualis alterius, quæ ſi realiter diſtingueretur ab illa, eam produceret. vt patet ex Dei immutabilitate, quæ dicitur cauſa virtualis æternitatis non obſtante, quod ex parte rei, & obiecti ne virtualis quidem diſtinctio inter illas habeatur. Quod ſi inter diuinam naturam, & perſonalitates huiuſmodi diſtinctionem concedimus, non oritur ex eo, quod virtualem cauſalitatem reperiri inter eas agnoſcimus. Sed quia de illis termini contradictorij verificari debent. Per quæ patet reſponſio ad obiectionem, conceſſo enim antecedente, diſtinguendum eſt primum conſequens iuxtà dicta, & neganda ſecunda conſequentia.

DISPV-

DISPVTATIO DECIMASEXTA

DE CAVSA FINALI.

1 AGimus hic de Fine non latè, & metaphysicè sumpto, quod est id vltimum, quod principio, seu initio cuiuscunque rei finitæ opponitur, atque respondet; in qua acceptione mors dicitur vitæ finis, & nox diei; sed de fine propriè, & rigorosè sumpto, qui est vnum ex quatuor generibus causarum, quem Agens in agendo sibi proponit.

SECTIO PRIMA.

Quid sit finis, & num sit causa realis.

2 PRima Conclusio: Finis rectè definitur esse id, cuius gratia cætera fiunt, ipsum verò nullius. est Arist. *primo Ethicorũ cap.* 2. vbi dicit: Finẽ esse, quem per se ipsum, & propter quem alia volumus. colligitur etiam ex his, quæ habentur 2. *Physic. tex.* 29. vbi hęc habet: Finis est id, cuius gratia, vt ambulandi sanitas. interrogãti enim propter quid ambulat: dicimus, vt sanus sit, & ita loquuti opinamur assignare causam. idem ferè habetur 5. *metaph. tex.* 2. & 2. *metaph. tex.* 8. Porrò traditæ definitionis sensus est, quod finis est, qui propter se ipsum amatur, cætera verò propter illum. Quoniam verò obiectum motiuum amoris est bonitas: hinc fit, vt finis necessariò debeat in se aliquam bonitatẽ habere, vt ad sui amorẽ efficientẽ causã excitet. Cõclusio autẽ sic explicata.

Probatur, quia per hanc descriptionem optimè 3 finis distinguitur à cæteris causis, & intelligitur in suo esse constitutus: cuius munus est mouere causam præsertim efficientem alliciendo illam ad sui consequutionem.

Secunda Conclusio: finis absolutè loquendo est 4 verè, & realis causa: non tamen necesse est, vt talis sit in se, ita vt veram, & realem habeat entitatem; sed sufficit, si sit huiusmodi in ordine ad causandum suos effectus. ita Suarez *disp.* 23. *metaph. sect.* 1. contrà Hurtadum, & alios, apud ipsũ *disputat.* 8. §. 16.

Tria dicit Conclusio; & probatur quò ad sin- 5 gula; & Primò quidem quò ad primum ex omnibus Peripateticis, qui inter physicas, & reales causas sine vlla exceptione finem enumerãt. quin etiam probatur ex ipso Aristotelè, qui *primo de partibus animalium cap.* 1. finem causarum principium appellat. idem sentiunt Plato *in Phedone* Socratem sequens, & cæteri omnes Philosophi.

Probatur deindè Conclusio quò ad secundam 6 partem: quia finis, dum actu mouet agens ad operandum, multoties non existit; imò potest dari casus, in quo contradictionem implicet, vt si quis nostrum V. G. existimans posse bonis operibus in Angelum conuerti, hoc intuitu cum virtute viuat; ergo non est necesse, vt finis in se veram, & realem habeat entitatem.

7 Probatur denique quò ad tertiã partem; quia efficiens verè, & realiter nullo intellectu de hoc cogitante operatur propter finem, & ab eo mouetur ad operandum, ita vt, nisi illum intenderet, talem operationem de facto minimè exerceret; licèt posset illam exercere ex alio fine; ergo finis in ordine ad suos effectus causandos est vera, realis, & physica causa. probo consequentiam, quia mouendo efficientem verè influit in eius effectum licèt non per suum esse physicum, at per illud, quod intentionaliter habet; ad quod quamplures respiciendo cum veritate dicunt: finem esse causam moralem. nisi enim voluntatem agentis moueret, non causaret effectum suum.

Confirmatur: quia finis est principium per se 8 influens in operationes agentis, & hæ per se ab illo in esse dependent; ergo est realis illarum causa: sed non est in se talis, vt probatum est; ergo per ordinem ad illas causandas. Atque hic obiter ad omnes æquiuocationes tollendas nota: sufficere, ad veram, & realem causam, quod effectus realis per veram, & realem dependentiam ab ea dependeat; quod habet locum in casu nostro; posito enim quod finis existat obiectiuè in mente operantis, rectè intelligitur: quomodo influxus ille realis intentionaliter emanare possit ab ipso fine per hoc, quod physicè, & realiter procedat ab efficiente excitato ab eius bonitate ad operandum.

Obijcies primò: Omnis causa est Principium, 9 sed finis non est Principium; ergo finis non est causa. minor patet, quia finis opponitur principio. non igitur est idem cum illo.

Respondeo: distinguendo maiorem: omnis causa est principium sub ea ratione, sub qua est causa concedo; sub qua est effectus, nego maiorem; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam. Dico enim, quod finis sub diuersa ratione est causa, & effectus, causa quidem in intentione, quatenus mouet agens finaliter ad operandum, effectus verò in exequutione, quatenus in genere causæ efficientis fit, vel acquiritur ab Agente; quamuis igitur non sit principium in exequutione, est nihilominus tale in intentione. Ad minoris probationem dico principium, & finem opponi, si secundum eandem rationem accipiantur, non autem, si secundum diuersã, vt est in casu nostro, in quo causa finalis est principiũ in intentione, & finis, hoc est, vltimum in exequutione.

Obijcies secundò: quod non est reale secundũ 19 enti-

entitatem suam non potest esse tale in ordine ad causandum; sed finis, vt diximus, non semper secundum suam entitatem realis est; ergo &c. maior probatur: quod est reale in ordine ad causandum, debet habere virtutem, & potentiam causatiuã realem; sed quod non est reale secundum entitatem, nequit habere virtutem, & potentiam realẽ causatiuam; ergo quod non est reale secundum entitatem, non potest esse tale in ordine ad causandum.

11 Respondeo: negando maiorem; ad cuius probationem distingue maiorem illam; Id, quod est reale in ordine ad causandum, debet habere virtutem, & potentiam causatiuam realem: semper in se, & intrinsecè, nego maiorem, vel in se, vel apprehensam, concedo maiorem; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam. Dico enim quod ad causandum finaliter sufficit, finis, qui debet operari propter finem apprehendat in illo aliquam bonitatem: secundum hanc enim obiectum illud constitui potest sufficienter potens causare finaliter; siquidem potest mouere potentiam appetitiuam ad se consequendum, vt constat ex eo, quo quis mouetur ad consequendum honorem, vel dignitatem, vel diuitias, quas non habet; vel ad Hircocerdum conquirendum.

12 Obijcies tertiò: si finis esset causa, maximè mediorum, sed hoc est falsum; ergo &c. minor probatur, quia media sunt causa ipsius finis, vt ambulatio, sanitatis; ergo finis non potest esse causa mediorum, esset enim causa suæ causæ, & per consequens sui ipsius.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem, distinguo antecedens: media sunt causa finis in eodem genere causæ finalis, in quo sunt eius effectus, nego; in diuerso genere scilicet in genere causæ efficientis, concedo antecedens, & distinguo eodem modo consequens: finis non potest esse causa mediorum in genere causæ efficientis, nego consequentiam; non enim est absurdum, vt patet ex Arist. hic, quod duo in diuerso genere sint sibi inuicem causæ; & consequenter, quod idem sit causa sui ipsius remotè, in quantum scilicet, secundum aliquam rationem est causa suæ causæ.

13 Obijcies quartò: finis eo modo est causa, quo modo mouet sed mouet metaphoricè ex Aristot. 1. *de gen. tex.* 55. ergo est causa solum metaphoricè.

Respondeo: distinguendo maiorem: eo modo est causa, quo modo mouet efficienter, nego maiorem: quomodo mouet realiter concedo, & distincta eodem modo minore, nego consequentiam. Aristoteles autẽ loco citato voluit solum, quod finis metaphoricè in genere efficientis moueret; in quantum habet similitudinem cum efficiente, cui propriè, & absolutè competit mouere actu, non negauit, quod idem finis finaliter moueat, ac realiter mouens agens

[illegible]

SECTIO SECVNDA.

Quotuplex sit finis.

14 FInis Primò diuidi potest, vt ex 2. *metaph. cap.* 2. colligitur, in finem Vltimum, & Non vltimum; Vltimus ille est, in quem vltimò tendit intentio operantis: Non vltimus verò ille, in quẽ ita sistit, vt illum etiam amet propter aliud, vt si quis V. G. adhibeat media ad sanitatem acquirendam propter studium; in isto casu sanitas erit finis non vltimatus, studium verò vltimatus; quid quid sit verum sanitas in hoc casu formaliter cõsiderata habeat simul rationem medij atque finis. Atque hìc aduerterem huiusmodi diuisionem, intelligendam esse secundum quid, & quò ad nos. Simpliciter autem ille existimandus erit finis Nõ vltimatus, in quem intendit agentis intentio, vt sit in finem vltimum ordinabilis; Vltimus verò ille, ad quem omnia natura sua ordinabilia sunt, cuiusmodi est solus Deus Optimus Maximus.

15 Secundò ex primo Ethicorum *cap.* 2. finis diuiditur in eum, qui est operatio, & in eum, qui ex operatione resultat; Primi generis est illa actio, quæ ita per se intenditur, vt non relinquat post se opus, ad quod ipsa natura sua ordinetur; cuiusmodi est contemplatio veritatis, quæ secundum se expetibilis est; Secundi generis autem est opus illud, quod ad aliquam operationem consequitur, cuiusmodi est ignis, qui consequitur ad ignosationem, & domus ad ædificationem.

16 Tertiò diuiditur in formalem, & obiectiuum; Formalis est assequutio alicuius boni, quod intenditur: Obiectiuus autem est ipsum bonum, quod assequutione ipsa consequimur; sic respectu mercatoris assequutio pecuniæ est finis formalis, pecunia verò, quam ille consequitur, obiectiuus.

17 Quartò finis diuiditur in eum, qui fit, & in eum, qui obtinetur; Qui fit, intenditur, vt efficiendus, vt sanitas respectu ægroti. Qui verò obtinetur, iam præsupponitur, & solum intenditur obtinendus, sicuti sunt diuitiæ respectu auari.

18 Quintò finis, vel est operis, vel operantis: Operis est ille, in quem ex natura sua, & intrinsecè opus ordinatur, Operantis verò ille, ad quem opus ordinatur non ex se, sed solùm ex agentis intentione, atque extrinsecè; finis primi generis respectu studij est sapientia; secundi verò generis est honor V. G. vel diuitiæ. idem contingit quando quis ex motiuo V. G. obedientiæ imperat sibi actum internum misericordiæ, hic enim actus habet pro fine intrinseco ipsius misericordiæ honestatem, quia ad illam essentialiter ordinatur. pro extrinseco verò honestatem obedientiæ, cuius intuitu operans illum operatur.

19 Sextò denique finis diuiditur in finem, cuius gratia, & in finem, cui, vt colligitur ex 2. *de anima tex.* 37. & 38. Finis, cuius gratia, qui etiam dicitur finis, qui, est illud ob cuius consequutionem agens operatur; Finis verò, cui, est subiectũ illud, cui procuratur, & intenditur finis, cuius: sic sanitas est finis, cuius, ambulationis; æger verò in cuius commodum acquiritur ipsa sanitas, appel-

latur

fatur sibi, cui, potest nihilominus contingere, vt vterque in vnam coeant entitatem; vt notat Quiros *disput. 55. nu. 2.* vtrique autem finis definitio à nobis tradita adaptari potest, in quantum finis, cuius, est id, cuius adipiscendi gratia agens operatur: cui verò id, cuius gratia, & in cuius commodum adeptionem finis, cuius, intendit agens; Videntur autem horum habere veram essentiam causæ finalis dubitant Philosophi. Gabriel, Ochamus, Henricus, & alij intendunt finem, cui, esse propriè finem, non autem, cuius; contrà verò Salas solum finem cuius existimat habere veram rationem finis.

20 Nostra Conclusio est, quod neque finis, cuius; neque finis, cui, secundum se sumpti absolutam causæ finalis essetiã habẽt, sed quod ex illis simul sumptis, atque coniunctis; & quatenus cum mutua relatione considerantur, resultat vnus integer, & adæquatus finis; ita sanctus Thomas *prima, secundæ quæst. 1. art. 8.* Suarez *disput. 28. sect. 2.* & alij.

21 Probatur, quia ille censendus est absolutus, & adæquatus finis, qui absolutè mouet agens ad operandum, sed huiusmodi est solum conflatum ex vtroque fine; & quatenus finis, cuius, & finis cui, cum mutua proportione considerantur; ergo &c. maior patet; minor probatur, quia mercator V.G. non mouetur ad mercaturam exercendam neque propter se ipsum, præscindendo à lucro, atque diuitijs, quas intendit; neque propter lucrum, ac diuitias vt sic, & in abstracto, sed propter illas à se possidendas, & quatenus sunt sibi bonum, atque conueniens: ergo conflatum ex vtroque fine est illud, quod absolutè mouet agẽs ad operandum, & quia huiusmodi conflatum fine vnione haberi non potest, ideò Recentiores vnionem hanc appellant finem, quo. Vide Arriagam *disput. 8. physic. n. 50.* idem etiam censeo de fine formali, & obiectiuo, mouent enim, quatenus integrant, & componũt vnum adæquatum finem, non verò cum præcisione vnius ab alio.

22 Obijcies tamen primò: finis, cuius, dirigitur in finem, cui, & propter illum amatur; ergo potius habet rationem medij, quam finis.

Respondeo: medium, vt medium habere hoc vniuersaliter, vt dirigatur in finem consequendum, & sic ideò esse bonum operanti, quia affert aliud bonum à se distinctum, siuè demum sit honestum, siuè delectabile, in ordine ad quod bonum consequendum ipsum medium dicitur esse vtile; quoniam verò finis, cuius, seu, qui, non est bonus fini, cui, quatenus afferat illi aliquam aliam bonitatem distinctam à sua; ideò non habet rationem medij respectu finis, cui, non enim amatur finis cuius, quia est vtilis ad aliquid aliud bonum consequendum, sed propter bonitatem, quã habet in se. sic igitur distincto antecedente, nego consequentiam.

23 Obijcies secundò: id solum absolutam essentiam finis habet, ad quod omnia diriguntur: sed huiusmodi est solus finis, cui; ergo &c. maior patet, minor probatur, quia etiam ipse finis, cuius, ad finem, cui, dirigitur & ordinatur.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem, nunquam enim ad finem, cui, omnia dirigerentur, nisi ille sumeretur cum ordine ad finem, cuius; quis enim mercator V.G. exerceret propter se ipsum mercaturam, nisi lucrum, & diuitias ibi speraret, atque promitteret; ad minoris igitur probationem dico, finem, cuius, non dirigi in finem, cui, tanquam in bonum intentum, sed tanquam in id, cui bonum indistinctum ab ipso fine, cuius, intenditur; & hinc est, quod aliqui dicant finem, cuius, non inuenditi propter finem, cui, sed ipsi fini, cui; atque adeò duas hasce res inter se comparatas sub diuersis rationibus esse sibi inuicem fines: Potentiam V.G. propter operationem exequendam, & operationem propter potentiam à se perficiendam, & sic potentiam ipsam respicere tanquam suum adæquatum finem, non operationem, sed se ipsam, vt per operationem actuatam, atque perfectam.

Quæres hic, quis finis magis nos moueat ad 24
sui amorem finis, cuius; an verò finis, cui.

Respondeo ex Suarez cum distinctione; & si quidem finis, cuius, est bonum particulare; tunc aio finem, cui, magis à nobis amari, eo quod magis ratione sui dirigitur, magisque terminat voluntatis actum, quam ipse finis cuius: quare si hic absolutam dilectionem finis, cui præsupponit in subiecto, vt aliquando contingit, tunc induit rationẽ primi medij; At verò si finis, cuius, est summũ, & increatũ bonum. tunc dico magis trahere ad se intentionem agentis, quam trahat ad se finis, cui, alioquin quando Deum consequi intenderemus, magis nos ipsos, quam Deum amaremus; quod fine inordinatione voluntatis fieri nequit; & iure quidem, nam vltimus finis debet cæteros peculiares fines absorbere, & ita intentionem agentis terminare, vt potius ipsum agens ad se, quam se ad ipsum agens ordinet, atque dirigat.

SECTIO TERTIA.

Quæ, & qualis sit vis causatiua finis.

LOquimur hic propriè de fine in ordine ad 25
agentia per intellectum; ex hoc autem quid sit dicendum de eo per ordinem ad cætera agentia facilè constare potest; sit igitur.

Prima Conclusio: Vis causatiua finis est bonitas ipsius finis ab agente apprehensa, vt sibi conueniens. est Arist. *hic text. 25. & 21.* vbi ait, finem esse id, quod est optimum. item primò Ethicorũ *cap. 1. & 7. met. cap. 2.* vbi docet bonum, & finem esse idem.

Probatur: illa censenda est vis causatiua finis, 26
quæ est motiuum formale, propter quod agens mouetur ad operandum, qua acquisita quiescit; sed huiusmodi est sola bonitas finis ab agente apprehensa, vt sibi conueniens; ergo &c. maior patet ex definitione finis, qui esse dicitur cuius gratia agens operatur; minor verò probatur, tũ quia nemo intendens ad malum operatur, vt cõmuniter tanquam quid certum supponitur, tum etiam quia sola bonitas est illa, in quam voluntas tanquam in proprium obiectum formale tendit per actum prosecutionis, & volitionis: circa malum enim non nisi fuga, odio, & nolitione versatur.

Digitized by Google

27 Obijcies, voluntas cum sit potentia libera, potest tendere in malum per actum prosequutionis; ergo vis causatiua finis non est sola eius bonitas; antecedens probatur, quia potest quis aliquam negationem cognitam, vt in se est desiderare V. G. non esse simpliciter, in qua nulla potest esse ratio bonitatis; ergo &c.

Respondeo, distinguendo antecedens: voluntas potest tendere in malum sub aliqua ratione boni apprehensum, sicuti tendit in peccatum, concedo antecedens: potest tendere in malum apprehensum, vt malum, nego antecedens; In hoc enim voluntas nostra non habet libertatem secus inordinatissima esset, & sibi ipsi repugnans; quia eius finis est, vt per eam homo sibi conuenientia quærat, fugiatque contraria, qualia mala sunt; ad probationem antecedentis dico; negationes illas ex motiuo formali alicuius bonitatis solū desiderari posse, vt negationem pœnæ ex commodo propriæ personæ, cui opponitur pœna; quin immo ipsum quoque non esse simpliciter dico, desiderari aliquando, vel ex eo, quod commodum aliquod falsò in eo apprehendatur, vel ex eo, quia aliquod graue incommodum per illud vitari credatur; quod quidem incommodum, quia putatur maius esse malum ipsi naturæ, quam non esse; hinc fit, vt ex amore eiusdem naturæ, non esse simpliciter appetatur. qua in re commodum naturæ, vti videtis, est formale motiuum desiderij; non esse autem non nisi materiale, & potius, vt medium concupitum, nisi quis in ipso non esse aliquid boni falsò apprehenderet.

28 Obijcies iterum: sicuti bonum honestum, vel delectabile est intrinsecum fini, ita & bonum vtile est intrinsecum medio; ergo sicuti vis causatiua finis est bonitas ipsius finis, ita & vis causatiua mediorum erit bonitas ipsorum. non igitur quoties quis operatur propter finem vis causatiua finis erit bonitas ipsius, sed vel finis, vel mediorum.

Respondeo nonnullos velle bonum vtile non esse intrinsecū medijs; sed immeritò quia proportio illa, quam media habent cum fine, & conducibilitas ad illum assequendum non potest esse illis extrinseca. quare, concesso antecedente, nego consequentiam; ratio negationis est, quia licèt quando quis adhibet medium mouetur à bonitate vtili, quam cognoscit in illo, quia tamen illa motio vltimò resoluitur in bonitatem, quam in se habet finis; si quidem, ideò vult medium voluntas, quia vult finem: idcircò motiuum formale illius censetur esse bonitas ipsius finis; tota enim ratio cur inducitur ad medium eligendum est, quia vult efficaciter finem, atque adeò bonum vtile iam est volitum formaliter per ordinem ad bonum delectabile, siue honestum. Non negauerim tamen idem realiter habere posse respectu eiusdem actus voluntatis in ordine ad diuersos terminos rationem finis, & mediorum, vt quando quis amat medicinam propter sanitatem, & propter delectabilitatem intrinsecam, quam in se habet. Item concederem, quod si quis in ipsa aptitudine, quam cognoscit in medio conquiescat, verè tunc respiciet illam, vt finem, siquidem ex sic in ratione boni, vel honesti, vel delectabilis eam apprehendit. At verò si quid aliqui repræsentabitur quidem, vt bonum, sed cū præcisione num sit vtile, vel honestum, aut delectabile: nō poterit illud amare nisi amore quodā tertio, qui neque sit finis, neque mediorum, vt docet Suarez *p. 2. tract. 6. disput. 1. n. 108.*

Secunda Conclusio: neque cognitio bonitatis finis, neque possibilitas eius, neque relatio conuenientiæ, quam agens concipit, intercedere inter se, & finem ipsum, sunt ratio formalis quantumuis inadæquata causæ finalis, sed solum conditiones, sine quibus non. 29

Conclusio habet duas partes; Prima est quod nullum ex tribus dictis habeat rationem formalem motiuam saltem inadæquatam causæ finalis; Secunda quod sint conditiones sine quibus non causandi finaliter: & quidem quo ad primam partem Probatur quia illa est ratio formalis causādi in fine, quæ habet vim mouendi voluntatem ad consequendum finem, & ob cuius consequutionem mouetur agens ad adhibenda media; sed hæc est solum bonitas finis; agens enim nō operatur gratia cognitionis finis, vel possibilitatis illius, vel relationis, quam in eo concipit; sed solius bonitatis ipsius finis, vt de se patet, neque mouetur ad media adhibenda ad consequendam cognitionem, vel possibilitatem, vel relationem eiusdem; ergo nullum ex his continet rationem formalem causæ finalis. 30

Secunda verò pars, quod ea se habeant, vt conditiones, sine quibus non, probatur etiam, descendendo ad singula, & primò loquendo de cognitione; quia voluntas quando amat sanitatem, & propter eius consequutionem sumit pharmacum, sustinet combustionem &c. licèt non intendat cognitionem, sed bonitatem sanitatis, non posset tamen hanc intendere, nisi eam intellectus per cognitionem ipsi proponeret: nil enim volitum, quin præcognitum; & hinc est, vt dicant communiter Philosophi cognitionem finis se habere ad voluntatem sicuti se habet approximatio, & applicatio obiecti ad potentiam; quod dictum habet veritatem etiam si supponamus cognitionem concurrere efficienter ad actum voluntatis; nam hic non consideratur à nobis quomodo realiter loquendo, & omnibus pensatis cognitio se habeat, sed solum quomodo se habeat in genere causæ finalis, & respectu eius cuius gratia voluntas operatur; Quoad possibilitatem finis, sic; quia nisi finis existimaretur possibilis, non moueretur voluntas ad illius consequutionē; quamuis enim circa rem impossibilem cognitam, vt impossibilem possimus inefficaciter affici: at non actu efficaci eam absolutè volendo, ac procurando; nisi apprehendamus esse possibilem; Tertiò denique quantum ad relationem, suadetur Conclusio, quia nos nisi agnoscamus conuentiam, & proportionē inter finem, & nos ipsos, non possumus operari gratia finis; atqui hæc proportio, atque conuentia semper cognoscitur à nobis cū aliqua Relatione rationis, quam fingimus inter finem, & nos ipsos; ergo huiusmodi Relatio se habet de facto, vt conditionem ad hoc, vt finis causet finaliter. 31

Obijcies primò: Cognitio est id, quod ex parte obiecti distinguit inter se essentialiter appetitus; ergo est ratio formalis finalizandi. Consequentia tenet, quia obiectum appetitus est 32

bo-

Digitized by Google

bonum: finis autem, & bonum, idē sunt ex Arist. *lib. 1. Aethic.* Antecedens probatur ex D. Thoma *p. par. q. 80. art. 7.* vbi docet, quod appetitus naturalis sensitius, & rationalis differunt inter se penes hoc, quod naturalis feratur in bonum incognitum, sensitius autem in bonum solō sensu cognitum, rationalis verò in bonum cognitum per intellectum.

33 Respondeo: negando antecedens; ad cuius probationem dico Sanctum Thom. non loquutū esse formaliter, quasi verò bonum, vt incognitum sit obiectū appetitus naturalis, &c. hoc enim esset manifestè falsū, sed materialiter, in quibus esse incognitū est conditio obiecti appetitus naturalis, esse verò cognitum cognitione sensitiua cōditio obiecti appetitus sensitiui: esse denique cognitum per intellectum, obiecti appetitus rationalis cognitis igitur non est id, quod ex parte obiecti distinguit essentialiter potentias, sed est conditio, seu potius signum distinctionis, vel id, per quod bonum applicatur illi potentiæ, cui est proportionatum. Interim notanda obiter ea verba D. Th. in obiectione citata sequi conos nonnulli Recentiores, omnia agentia tàm cognoscitiua, quàm non cognoscitiua agere propter finem, cum hoc tamen discrimine, quod cognoscitiua intendant illum appetitu elicito, non cognoscitiua verò appetitu inato nulla præuia cognitione. frustra enim referretur definitio, si diceretur finis esse id, cuius gratia cognitū aliquid fit. nisi forte recursus fiat ad Auctorē naturæ, qui appetitu elicito, & per infinitam sapientiam directo vna cum agentibus non cognoscentibus concurrit, eaque in suos fines sapientissimè dirigit.

34 Instabis posita cognitione finis actionis boni proportionati, bonum illud tacitè mouet appetitum sensitiuū, & ea sublata non amplius mouet: igitur cognitio videtur esse ratio motiua talis appetitus.

Respondeo: concesso antecedente; negando consequentiam, sic posita approximatione, ignis calefacit lignum, & ea sublata à calefactione desistit, & tamen approximatio est vera conditio, non autem vis causatiua ignis; id autem solum existimandum est habere rationem virtutis causatiuæ in causa, quo primo posito, illa constituitur potens ad causandum; huiusmodi autem est sola bonitas respectu causæ finalis, vt vidimus.

Obijcies secundò: finis causat pro vt est in 35 actu; ergo pro vt cognitus, cognitio igitur est in illo ratio motiua; antecedens patet, quia ipse dat actualitatem effectui causat igitur secundū actualitatem; prima consequentia probatur, quia sæpè finis, quando, scilicet, non existit, nullam aliam actualitatem habet, quam obiectiuam.

Respondeo, distinguendo antecedens: finis causat prout est in actu, si ly, prout, reduplicat rationem formalem finalizandi, nego: si denotat conditionem, concedo antecedens: & distincto eodem modo primo consequente, nego vltimam consequentiam; ad probationem antecedentis dico: solum agens rigorosè, & propriè loquendo dare actualitatem effectui: finem verò non nisi mediāte actione agentis; quod autem sic det esse, sufficit, si actualitatem habeat obiectiuam, tanquā conditionem sine qua non, hoc est vt habeat cognitionem circa se versantem, ratione cuius de eo verificari possit, quod obiectiuè existat, quamuis de cætero dicta cognitio non ingrediatur in virtutem causatiuam, seu motiuam illius, sed solum se habeat vt eius applicatiua. Atque hic pro maiori declaratione notarem: esse obiectiuum seu intentionale sumi posse dupliciter: Primò pro esse ipsius cognitionis, obiectum aliquod cognoscentis. Secundò pro ipso obiecto siuè verò, siuè facto à dicta cognitione repræsentato. Porrò cum hoc secundo stat vis causatiua finis, cum primo verò ratio conditionis, sine qua non.

Obijcies tertiò: Diuersitas specifica cognitionum sufficit ad diuersificandos specie actus amoris eiusdem bonitatis; ergo cognitio est ratio formalis finalizandi; consequentia patet, quia actus specie diuersi specificātur etiā ab obiectis habētibus rationes formales specie diuersas. antecedēs probatur, quia eadē bonitas cognita per sensū amatur amore sensitiuo, cognita verò per intellectū amatur amore rationali; amor autē sensitiuus, & rationalis essentialiter differunt; ergo &c. 36

Respondeo: distinguendo antecedens: diuersitas specifica cognitionum, per se, & ratione sui, sufficit ad diuersificādos specie actus amoris eiusdem bonitatis; nego antecedens: per accidens, & ratione alterius, concedo antecedens; & nego consequentiam; Ratio enim finalizandi per se, & ratione sui diuersificat actus. Ad probationem antecedentis distinguo maiorem, eadem bonitas, materialiter sumpta, cognita per sensum, amatur amore sensitiuo, & cognita per intellectum amore rationali; concedo maiorem; sumpta formaliter, nego; & concessa minore nego consequentiam in sensu intento; aio enim, quod appetitus sensitiuus, & rationalis differunt essentialiter penes sua obiecta formalia; atque adeò quod licèt eadem bonitas sensitiua materialiter sumpta ab vtroque attingatur; diuersimodè tamen pertinet ad vtrumque; ad rationalem quidem pro vt stat sub vniuersalissima ratione boni; ad sensitiuum verò pro vt continetur sub bono sensibili; sic eadem albedo V. G. à potentia visiua, & à sensu cōmuni, imò etiam ab intellectu percipitur, non quia diuersimodè dictis potentijs applicetur; sed quia diuersimodè applicata sub alia, atque alia ratione formali ad dictas potentias pertinet. 37

Tertia Conclusio, non tantum vera, atque realis bonitas, sed etiam apparens, & existimata potest esse sufficiens ad causandum finaliter; est Sanct. Thom. 1. 2. *quæst. 8. art. 1.* & colligitur ex Arist. 2. *Phys. tex.* 31. vbi cum dixisset; quod id, cuius gratia, optimum, & finis aliorum vult esse: sic subdit: differt autem nihil, idem dicere bonum, vel apparens bonum. 38

Et probatur, quia experientia constat sæpè hominem moueri ad inquirēdum aliquod, quod apparet quidem bonum, ac delectabile, re vera tamen est malum, & iniucundum; sicuti etiam adhibere aliquando ad finem obtinendum media, quæ apparent quidem vtilia; potius tamen inutilia sunt, atque impertinentia. & ratio à priori huius rei est, quia cum causa finalis causet, vt cognita, res autem in cognoscendo perinde moueat, si talis est, ac si tantum esse talis existimatur; quatenus idem omnino iudicium de illa fertur ab intel- 39

Digitized by Google

tellectu, eodemque modo voluntati proponitur: hinc fit, vt sufficiat in ea bonitas apprehensa; hæc enim posita ex naturali quadã sympathia, quæ est inter voluntatem, & intellectum statim intelligitur apta mouere voluntatem, & causare posse finaliter.

40 Obijcies primò: quando bonitas est ficta, iam haberur à cognitione; igitur saltem in eo casu vis causatiua finis erit cognitio.

Respondeo distinguendo antecedens: habetur à cognitione in genere causæ veluti efficientis, concedo; in genere causæ formalis, nego antecedens, & consequentiam, iuxta ea, quæ diximus in logicis, cùm de ente Rationis fictitio.

41 Obijcies secundò voluntas specificatur à bonitate finis, sed specificatiuum potentiæ realis debet esse reale; ergo &c.

Respondeo concessa maiore: distinguendo minorem: specificatiuum primarium potentiæ realis debet esse reale, concedo: secundarium, nego minorem; & ad consequentiam dico; specificatiuum in ordine ad quod primò & per se ordinatur voluntas, est bonum reale; quia verò ipsa est potentia intentionalis, sequens ductum intellectus, vt potè cæca; hinc fit vt sicut intellectus potest secundariò specificari ab obiecto fictitio, atque chymerico: ita voluntas à bonitate ficta, & apparenti.

42 Obijcies tertiò; tria in fine aliquo considerare possumus Primò bonitatem finis, Secundò id cui applicatur dicta bonitas, Tertiò denique applicationem ipsam. Iam verò quamuis id cui applicatur bonitas, imò, & applicatio ipsa bonitatis possint esse ficta, atque chymerica: rectè tamen dici potest bonitatem, quæ subiecto applicatur semper esse realem, & nunquam fictitiam: sed sic dicendo falsa est nostra Conclusio; ergo &c.

Respondeo; concessa suppositione, negando maiorem: Ratio negationis est, quia aliquando non minus subiectum bonitatis, quam ipsa bonitas ipsi applicata fictitia est, vt si quis existimaret dari quartam Personam Sanctissimæ Trinitatis à Spiritu Sancto procedentem, & eã amaret præcisè quatenus talis persona est, & quatenus à Spiritu Sancto procederet; In hoc enim casu non solum subiectum, & applicatio essent fictitia, sed etiam ipsa bonitas, quæ moueret ad amorem. Idem contingitur casu, quo quis mouetur ad videndam intellectualiter chymeram, quam possibilem putet; in hoc enim casu visio esset finis, cuius gratia homo mouetur, sed visio hæc secundum suam rationem formalem bonitatis. effet chymerica, nam moueret quatenus haberet vltimam rationem differentialem visionis chymeræ secundum quam supponimus esse fictitiam, & impossibilem; ergo &c.

(†) · † · (†)

SECTIO QVARTA

De effectibus causæ finalis.

DVo operationum genera in ordine ad finem 43
considerari possunt, de quibus potest quæri: an sint eius effectus: Primum est earum, quæ directè tendunt in ipsum finem, vt est cognitio, quia primò illum cognoscimus, amor, quo illum amamus, desiderium, & intentio, qua illum efficacius volumus, eius consequutio, gaudium denique, & fruitio de eo iam adepto. Secundum verò earum, quæ versantur directè circa media, cuiusmodi est primò consensus, quo voluntas sibi solum complacet in medijs; secundò consilium, quod imperat inquisitionem, quam facit intellectus, vt medium aptius ad finem in casum consequendum, inueniat. tertiò est electio, qua voluntas medium certius ab intellectu inuentum amplectendo cæteris præfert. quartò est Imperium, quod aliquicum vsu confundunt, & est actus, quo voluntas potentiam exequutricem determinat ad mandandum exequutioni medium præelectum; quintò denique sunt operationes potentiarum inferiorum, quibus eadem media adhibentur. imò, & media ipsa, quatenus assumuntur, efficiuntur, & applicantur ad finem consequendum; ad hoc secundum genus pertinere videntur de quibus omnibus dubitari potest, an sint effectus causæ finalis; Pro decisione autem sit

Prima Conclusio. Prima cognitio finis non 44
est effectus eius in genere causæ finalis propriè, sed in genere causæ, vel efficientis, vel aliquo modo formalis extrinsecè; dixi propriè, quia 45
omne obiectum dici potest aliqua ratione finis operationis, quæ est ad ipsum.

Probatur autem Conclusio, quo ad vtramque partem; Et quidem quo ad primam patet, quia cognitio finis non potest dici, quod fiat gratia ipsius finis, & propter illum; cognitio prima V. G. Diuinarum non est illarum gratia, neque propter illas, siquidem multi diuinitas cognoscunt, quas tamen nolunt. Quo ad secundam verò probatur; quia, vt suprà vidimus, quod cognoscitur, per se loquendo, producit species in potentia cognoscitiua, quibus concurrit ad cognitionem sui; præterea cognitionem ipsam specificando determinat ad quamdam certam speciem, in qua de facto est; ergo etiam finis in ordine ad sui cognitionem habebit rationem causæ, tum efficientis, tum formalis extrinsecæ.

Secunda Conclusio. Primus amor, desiderium, 45
& intentio finis, item enim consequutio, gaudium, atque fruitio de illo iam adepto sunt illius effectus in genere causæ finalis. Est Suarij *disput. 23. metaph. sect. 3.* contra Vasquez *tom. 1. p. 2. disput.* & Giattinum *in phys. quæst. 8. artic. 4.* & Quiros qui *disp. 55. n. 33.* putat solam exequutionem mediorum esse propriè effectum causæ finalis.

Probatur, quia omnes dictos actus homo exer- 46
cet propter bonitatẽ ipsius finis formaliter sumptã, & illius gratia, in quantum ab ea mouetur, & allicitur ad operandum; ergo finis in ordine ad hos actus habet essentiam causæ finalis, sunt igitur dicti actus eius effectus in genere causæ finalis.

Ter-

Digitized by Google

47 Tertia Conclusio. Omnes actus à nobis supra enumerati, qui directè versantur circa media, sunt effectus causæ finalis, sicuti & media ipsa.

Probatur etiam, quia omnes supra dicti actus fiunt à nobis bonitate finis allecti; ergo ab illo causantur. non est igitur cur negentur esse effectus causæ finalis. Hoc idem confirmat, quod dicimur loquendo de ipsis mediis: nam hæc cum eligantur ex electione, sunè de novo fiant, sunè facta iam applicentur à bonitate finis dependenter ergo &c.

Contra dicta obijcies primò: finis respectu primi actus amoris non est id, cuius gratia; igitur respectu illius non habet rationem causæ finalis. Antecedens probatur, quia esse id, cuius gratia aliud nihil est, quam esse id, quod volitum, & amatum, est causa cur aliud propter ipsum amentur. Sed finis respectu primi actus amoris non supponitur amatus; ergo &c.

Respondeo: negando antecedens, nam sola prædicta amoris est id, ratione cuius finis exercet primò vim suam causatiuam, vt patet ad probationem; nego vniuersalitèr expositionem illã: esse enim id, cuius gratia propriè est esse id, cuius bonitate excitatus homo aliquem actum exercet, non tendentem in aliud, sed in ipsa eius bonitate sistentem, agere itaque gratia finis non est agere propter finẽ amatum iam, sed propter eius bonitatem cognitam, siuè quæ hanc primò antecedit, siuè quæ iam supponitur amata.

Instabis ex Giatt. *loc. cit.* illud est effectus finis, quod fit gratia finis; sed amor finis non fit gratia finis; ergo &c. maior patet, minor probatur, quia vox illa, gratia finis, potius significat amorem, quam bonitatem; ergo amor finis non fit gratia finis. antecedens huius suadetur ex eo, quia bonitas est ratio formalis obiectiua voluntatis; ergo bonitas finis non est ratio constituens vltimò causam finalem, nisi intelligatur amata, & sic vox illa, gratia finis, significat non solum bonitatem, sed amorem.

48

49 Hæc consequentia probatur, quia causa finalis debet habere modum diuersum causandi à modo specificandi, quem habet, vt obiectum specificans voluntatem; sed quando voluntas fertur per amorem in finem, finis comparatur ad dictum actum per modum specificatiui tantum; ergo bonitas finis non est ratio constituens vltimò causam finalem, nisi intelligatur amata.

50 Respondeo: concessa maiore, negando minorem. ad cuius probationem, nego antecedens, in quo assumitur, quod vox, gratia finis, significet potius amorem, quam bonitatem; si enim hoc verum esset, sequeretur, quod ipse amor finis se haberet, vt ratio formalis causæ finalis in actu primo, saltem partialis, vna cum bonitate ipsius finis mouens; si quidem quando definitur finis, id cuius gratia, definitur secũdum rationem formalem finalizandi, & non secundum conditiones, sine quibus non, vt patet. hanc autem sequelam esse absurdam patet. Primò, quia sic noster amor constitueret finem in ratione finis, quod non esse dicendum patet ex Deo, qui de se habet vt sit vltimus finis noster antecedenter ad quæcunque nostrum actum amoris; ita vt omnes nostros amores, hoc solo nomine, quod sit vltimus noster finis, sibi sufficientissimè vendicet. Secundò etiam patet ex eo, quia quando æger sumit Medicinam propter sanitatem acquirẽdam, aliud non intendit, quam habere in se sanitatem, quod ex eo constat, quia intellectus ne partialiter quidem reflectit supra amorem, quo voluntas in ipsam sanitatem fertur; deberet autem reflectere, si esset eius motiuum, vt de se patet; ergo &c. Tertiò denique, quia si amor haberet rationem formalem motiuam causæ finalis, vel se haberet vt finis, qui, vel vt finis, cui; neutrum dici potest; ergo &c. minor probatur, quia amor finis nõ habet in se bonitatem, nec intenditur tanquam forma acquirenda per media volita; ergo non se habet, vt finis quo deinde finis, cui, est id, cui amamus, & volumus finem, qui; nos autem, neque adæquatè quidem amamus, & volumus nostro actui amoris finem, qui; ergo &c. sic ostensa falsitate illius antecedẽtis, in quo assumebatur, quod vox, gratia finis, significabat non solum bonitatem, sed etiam amorem finis. Ad probationem in cõtrarium, concedo antecedens, quod scilicet bonitas est ratio formalis obiectiua voluntatis; nego tamen consequentiam, quod scilicet bonitas finis non sit ratio constituens vltimò causam finalem, nisi intelligatur amata. & ad huius confirmationem distinguo maiorem; causa finalis debet habere modum causandi diuersum à modo specificandi, quem habet, vt obiectum specificans voluntatem: diuersum realiter nego; diuersum formalitèr, & ratione, concedo; postea negata minore dico causam finalem ex parte obiecti posse eadem formalissimam rationem bonitatis siuè honestæ, siuè delectabilis constitui in ratione specificandi voluntatem, & in ratione causandi finaliter; cum quo tamen, quod ex parte modi concipiendi, diuersitatem habeat; siquidem cum hujusmodi sumpta, vt specificatiua dicit, quod tribuat illi speciem, seu sit id, in ordine ad quod eius essentia determinatur: sumpta verò vt causatiua finaliter, dicit, quod illam ad se alliciat, & ad se moueat, constat autem, quod quando voluntas fertur per amorem in finem, finis comparatur ad dictum actum vtroque modo, in quantum per suam bonitatem, & allicit ipsam voluntatem ad sui prosequutionem, & actum ipsum prosequutionis specificat, vt sit potissimùm hac, quam in alia specie.

51 Instabis ex eodem: ita se habet obiectum voluntatis ad voluntatem, sicuti cætera obiecta ad potentias, quarum sunt obiecta; sed obiecta cæterarum potentiarum, respectu actionum earum, non se habent vt fines; ergo neque obiectum voluntatis respectu actus amoris. maior videtur certa; minor verò probatur, quia nemo dicit se videre hominem gratia ipsius hominis; sed potius gratia alterius rei.

52 Respondeo: primo negando maiorem. ad cuius disparitatis est, quia solum obiectum formale voluntatis est bonitas vt sic, at obiecta formalia cæterarum potentiarum sunt aliæ rationes vt color, sonus, verum &c. propter illarum diuersitatem; quare cum idem sit bonum, ac finis; obiectum voluntatis cum ab illa per primum actum amoris attingatur, vt bonum; necesse est, etiam vt attingatur quoque vt finis, quod cæterarum potentiarum obiecta minimè habent. Res-

53 Respondeo secundò: transeat maior; nego minorem; & dico: quod obiecta omnium potentiarum formaliter sumpta sunt quoddam bonum naturale respectu illarum, in quod illæ ferantur, non secus, ac cætera agentia, quæ naturaliter propter finem operantur. Ad minoris probationem dico; quod, qui videt hominem, dici optimè potest hominis ipsius gratia eum videre, in quantum homo, qui videtur, sumitur in ratione visibilis, quod est quoddam bonum in quod potentia visiua naturaliter inclinat.

54 Obijcies secundò ex Vasquez *loc. cit.* amor in nobis directus in finem non aliter causatur ab obiecto, quam actus amoris in bruto; sed obiectum in bruto non exercet propriè rationem finis: ergo neque in nobis per actum amoris illum attingentibus; maior patet, quia in vtroque casu actus immediatè tendit in obiectum, in Bruto quidem necessariò, in nobis verò operantibus cum aduertentia, liberè; minor verò suadetur, quia bruta non operantur propriè propter finem, quia non attingunt proportionem, quam habet media in finem.

55 Respondeo: distinguendo maiorem; amor in nobis directus in finem non aliter causatur ab obiecto, quam actus amoris in Bruto, spectata substantia causalitatis concedo, spectato modo causalitatis nego; & sic distincta minore, nego consequentiam: Ad probationem maioris dico; diuersitatem modi consistere in eo, quod Brutum amat obiectum bonum necessariò, & sub ratione boni particularis; nos verò liberè, & sub ratione boni vniuersalis. Ad minoris verò confirmationem dico: non solum Agentia libera, sed etiam necessaria, agere propter finem, vt rectè probat Philosophus 2 *physicor. text.* 49. & sic quoad substantiam in operando finaliter conuenire. Quoniam verò inter illa intercedit discrimen notabile quo ad modum quatenus determinatio ad finem in agentibus liberis fit cum indifferentia per appetitum rationalem, qui dicitur voluntas; in cæteris verò per appetitum naturalem, ideo agentia libera dicuntur in rigore agere propter finem, quia se ipsa ad finem mouent, cætera verò minus rigorosè; si quidem, licèt ipsa sua actione, & motu tendant in finem, quia tamen non habent dominium suorum actuum, sed ductu naturalis inclinationis mouentur ad finem; ideo censentur quasi ab alio mota tendere in finem; Ex quo deducitur, quod si Deus denegaret concursum Petro ne liberè amaret finem: Petrus in tali casu non diceretur in rigore agere propter finem, licèt obiectum ab eo amatum exerceret veram, & propriam rationem causæ finalis in omni rigore respectu illius amoris; aliud enim est, quod obiectū sit in rigore causa finalis, aliud verò, quod agens in rigore agat propter finem, sunt enim hæ rationes diuersæ, vt dictum est.

56 Obijcies tertiò: ex eodem Giattino *loco cit.* quando eligimus media, considerando solū proportionem ipsorum cum fine, & non reflectendo, num ipsa electio sit proportionata ad dictum finem consequendum, tunc electio non est gratia finis; ergo non est effectus causæ finalis; antecedens probatur, quia id, quod fit gratia finis debet cognosci, vt tale ad aliud; debet enim amari vt bonum vtile; sed hoc fieri nequit, nisi ipsa electio reflexè cognoscatur, vt vtilis in ordine ad finem; ergo quando eligimus media non reflectendo supra ipsam electionem, tunc electio non fit gratia alterius, & per consequens non est effectus causæ finalis.

Respondeo, negando antecedens ad cuius probationem, nego maiorem; quia, vti dixi, vt aliquid censeatur fieri gratia finis, sufficit, si propter bonitatem illius fiat. quod si ad effectum causæ finalis constituendum necessaria esset dicti effectus cognitio in ratione vtilis ad illam consequendam; crederem, quòd valdè rari effectus huius causæ numerari possent, & Primò quidem deberent excludi omnes actus interni, siue intellectus, siue voluntatis, qui circa media exercentur, cuiusmodi per D. Th. sunt consensus, vsus, consilium, & Imperium: si enim electio mediorū, quia non reflexè cognoscitur, vt vtilis ad finem, non est effectus causæ finalis. neque erūt tales reliqui actus assignati, cum nō cognoscantur reflexè quādo exercentur; saltem regulariter loquendo. 57

Ex quo vlteriùs colligo, neque actus externos, qui sunt circa media inter effectus causæ finalis numerandos esse per hunc auctorem, quia dicti actus quantum est de se, sunt indifferentes, vt ex hoc vel illo fine pendeant; sed determinatur prout faciunt vnum cum actibus internis, à quibus eliguntur, vel adhibentur, vel imperantur. quare si actus interni in rigore non sunt effectus causæ finalis: neque erunt externi, & sic apparet, quod stante doctrina Giattini, nullus nunc sit actus neque internus, neque externus, qui sit propriè effectus causę finalis, nisi reflexè cognoscatur. quod quam sit absurdum, nemo non videt. 58

59 Obijcies quartò: si consequutio finis esset effectus causæ finalis: sequeretur quod idem esset causa sui ipsius; sed hoc est inconueniens; ergo &c.

Respondent aliquid ad hoc, distinguendo sequelam: idem esset causa sui ipsius sub eadem ratione negant: sub diuersa concedunt; & dicunt, quod finis quatenus est id, cuius gratia agēs operatur, & quatenus existit in intentione, est causa sui ipsius prout exequutioni mandatur, & existit à parte rei; sed quidquid sit de hac responsione.

60 Respondeo ego: consequutionem finis, quia fit humano modo, præter materialem actum, quo homo finem consequitur, dicere etiam actum voluntatis, quo vult illum consequi, & actum intellectus, quo consequutionem imperat; si igitur finis non est causa consequutionis materialis, quia sic esset causa sui ipsius; satis nobis erit, si sit causa actus voluntatis, & intellectus, qui in consequutione formaliter includuntur; ex hoc autem nego consequentiam; finem, scilicet, esse causam sui ipsius.

61 Obijcies quintò: voluntas adepto fine cōquiescit; ergo gaudium, & fruitio non sunt effectus finis in genere causæ finalis antecedens præter quam quod admittitur communiter ab omnibus, patet ex Arist. 1. *de gener. text.* 35. vbi habetur: adepto fine, agentis actionem cessare.

Respondeo, distinguendo antecedens: voluntas adepto fine conquiescit, vitali quodam modo, con-

Digitized by Google

concedo antecedens; mortuo modo, nego antecedens, & consequentiam; quies mortua est cessatio à quacunque operatione: vitalis verò est actio, quæ circa finem habitum exercetur; cuiusmodi est gaudium, atque fruitio. Ad probationē igitur antecedentis dico Aristotelem *loc. cit.* non loqui de cessatione cuiuscunque operationis, sed de illius tantum, quę ad consequutionem finis cum ordinetur, est essentialiter imperfecta, & veluti via ad ipsum finem obtinendum.

62 Objicies sexto: ex Quiros *num. 33. cit.* Effectus finis est, qui fit, vt obtineatur finis: at per se nihil fit, nisi media; vt patet in Deo finem aliquē intendente: ergo sola mediorum exequtio est effectus causæ finalis.

Respondeo negando maiorē. quidquid enim fit, alliciente per se ad id bonitate finis, est effectus causę finalis. Ad probationem in contrarium ex Deo desumptam dico: eam non habere vim eò quod actus Diuini immanentes cum identificentur cū ipso Deo, in se ipsis nullo modo causabiles sunt; alias dicam nostras intellectiones, & volitiones in nobis non causati in genere causæ efficientis, eò, quod hoc modo nimimè causātur in Deo.

SECTIO QVINTA.

Quænam sit causalitas finis.

63 COmmuniter Recentiores docent causalitatem finis in metaphorica motione positam esse; Porrò quidnam sit huiusmodi motio metaphorica, non constat inter illos. PP. Conimbricenses *2. physic. cap. 7. q. 22.* docent primò positam esse in eo, quod finis cognitus ab intellectu proponendo suam bonitatem voluntati illam ad se alliciat, & ad sui amorem prouocet, atque inuiret; alij verò secundò in eo, quod qualitatem aliquam realem in voluntate nostra producat, quæ quidem qualitas quamcunque operationem eiusdem voluntatis antecedat. Quidam tertiò metaphoricam motionem consistere dicunt in primo actu amoris, quo voluntas diligit ipsum finem. Alij denique quartò volunt esse idem omninò cum actione ipsa agentis, quæ licèt absolutè loquendo vera & non metaphorica motio dicenda sit, quia est vera actio; & licèt vera sit, ac propria ipsius finis causalitas, in quantum est id, per quod causa finalis verè, & propriè influit in suum effectum: dicitur tamen metaphorica respectu finis; quia, sicuti mouere alium est proprium causæ efficientis, ita motio in significatione propria accepta est dictæ causæ causalitas; nihilominus tamen sicuti risus metaphoricus, quando tribuitur prato aliquid reale in eò importat nempè floriditatem: ita & motio metaphorica tributa causæ finali.

64 Prima Conclusio causalitas finis non consistit in ratione metaphorica primis tribus modis explicata.

Probatur; quia causalitas finis, vt etiam cuiuscunque alterius causę illa est, quia posita implicat non poni effectum: sed posita propositione bonitatis, vel qualitate, quam fingunt Aduersarij produci in voluntate ab ipso fine; potest voluntas non operari propter finem: ergo neque propositio bonitatis, neque qualitas illa impressa est causalitas causæ finalis. Quantum verò attinet ad primum actum amoris, quod non possit esse causalitas reliquorum actuum, qui sunt ad finem constat ex eo, quia etiam stante dicto actu amoris possunt non poni reliqui actus, vt sæpe contingit: ergo causalitas finis non consistit in motione metaphorica tribus primis modis explicita.

65 Secunda Conclusio causalitas finis est Ratio metaphorica quarto modo sumpta, scilicet efficiētis actiō, quatenus fit gratia finis, & propter illius bonitatem.

Probatur primò ex Aristot. qui hic *lib. 2. t. 19. & 31.* ait finem esse id cuius gratia aliquid fit, & propter quod Agens aliquid agit; ergo effectio, seu actio agentis in quantum est propter finem: est id, per quod finis causat, & consequenter est eius causalitas, cum præsertim per illam optimè intelligatur causa finalis formaliter cōstituta in actu secundo.

66 Probatur secundò, quia non alia ratione finis influit in effectum, nisi quatenus effectus fit ab Agente propter illum; ergo eius influxus aliud nihil est; quam actio agentis, quatenus est propter ipsum finem; Quoniam verò influxus causæ in effectum est idem omninò cum eius causalitate, hinc fit vt agentis actio sit causalitas finis.

67 Confirmatur, quia non potest assignari aliquid aliud, in quo hæc finis causalitas posita sit, ergo in agentis actione consistit; Consequentia patet, antecedens verò probatur: tum quia in agentibus per cognitionem antecedenter ad actionem, per quam fit effectus, non datur nisi cognitio finis, & eius allicientia, seu vt aliqui dicunt actio illius in voluntatem, & primus actus amoris circa illa, quæ omnia causalitatem finis respectu mediorū vt vidimus, antecedunt; tum etiam quia in agentibus sine cognitione antecedenter ad ipsam actionem, non datur, nisi principium efficiens, in quo causalitatem finis non posse consistere, luce clarius est; post actionem verò agentis non est nisi effectus causæ finalis; ipsa igitur agentis actio, quatenus est propter finem, erit causalitas finis.

68 Obijcies primò: contrà primam Conclusionem; saltem respectu primi actus amoris attractio illa, & allicientia, qua bonitas finis attrahit, & allicit voluntatem, existimanda est finis causalitas; ergo &c. antecedens probatur, quia vera est ista causalis: ideò voluntas amat finem, quia ab eius bonitate mota est, atque allecta.

Respondeo, negando antecedens; impossibile enim est, quod finis prius quam fiat aliquid propter ipsum, intelligatur causa in actu secundo. Ad probationem antecedentis dico: allicientiam illam, & motionem, qua antecedenter ad actum amoris bonitas finis intelligitur ad se trahere eo volentatem, esse aliquid constituens causam finalem solum in actu primo proximè potentem causare; vel esse conditionem prærequisitam ad causandum. & in hoc sensu causalem illam habere veritatem.

Digitized by Google

69 Obijcies secundò: Primus actus amoris est id, quo posito voluntas adhibet media ad obtinendum finem; ergo primus actus amoris est causalitas ipsius finis; antecedens probatur: verum enim est dicere, quod in tantum volumus, & adhibemus media ad obtinendum finem, in quantum illum amamus.

Respondeo: primum actum amoris circa finē dupliciter considerari posse. Primò quatenus sit gratia finis. Secundò quatenus est aliquid necessariò requisitum ad voluntatem explicitam mediorum habendam, seu consultationem, electionem, & vsum illorum; Primo modo est effectus causæ finalis, Secundò verò est conditio prærequisita in ordine ad cæteros effectus; sicuti est cognitio in ordine ad primum actum, in quantū nisi finis ab agēte amaretur, nō posset illud mouere ad diuersos actus circa media exercendum. his autem prænotatis: Ad argumentum, concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio negationis est, quia illa sola censenda est finis causalitas, qua posita finis formaliter constituitur, vt causa in actu secundo; posito autem primo amoris actu intelligitur solum completè potens causare media; quamuis enim ponamus, dictum actum esse de se efficacissimum: quia tamen, hoc non obstante, possunt per diuinam omnipotentiam non produci media, nec adhiberi; hinc fit, non posse consistere causalitatem finis in huiusmodi actu: & per hoc patet responsio ad probationem antecedentis.

70 Obijcies tertiò contrà secundam Conclusionem: per nos actiones agentis sunt effectus causæ finalis; ergo nequeunt esse causalitates eiusdem.

Respondeo, distinguendo antecedens: actiones agentis grammaticaliter sumptæ sunt effectus causæ finalis, concedo; prædicamentaliter acceptæ; nego antecedens, ac consequentiam; & dico actionem agentis V.G. actum amoris posse considerari primò quatenus est actus vitalis, & sic grammaticaliter est actio; secundò quatenus importat influxum agentis in dictum actum; siuè demū hic influxus sit modus ab eo distinctus, siuè non; & sic est actio prædicamentalis, & causalitas tum agentis, tum finis. Quoniam verò possunt ab intellectu identidem duo diuersi, imo & oppositi fines voluntati proponi, vt sciamus à quonam potiùs voluntas moueatur ad opus; optimus est recursus ad modum tendendi illius. si enim ita tendit ad vnum ex illis duobus finibus, vt nisi ille obijceretur, ipsa non operaretur è contrà verò, si alter: tunc ille potius, quam hic eius finis censendus erit.

71 Obijcies quartò: finis aliquando non existit, ergo eius causalitas nō potest esse actio. cōsequētia valet, quia actualis causalitas actualem causam sibi vendicat. antecedens autem est nostra doctrina.

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam, & eius distinguo probationem: causalitas actualis immediata concesso quod sibi vendicat actualem causam mediata nego; Porrò finis causalitas, quæ est actio, cum ita sit à fine, vt nisi agens propter ipsum finem ageret, nullo modo esset ab illo, existimanda est quod solum mediatè sit causalitas finis; quod autem mediatè procedit ab alio potest illo realiter non existēte, à quo procedit, optimè intelligi existere.

Instabis: ex hac doctrina videtur sequi, quod finis causet mediante causa efficiente, sed hoc est inconueniens; ergo &c. minor patet, quia sic finis nunquam esset causa immediata, sed solum mediata. 72

Respondeo: dupliciter aliquam causam intelligi posse aliquo mediante causare: Primò ita, vt non attingat per causalitatem suam immediatè effectum, sed alio mediante; Secundò ita, vt licèt per suam causalitatem immediatè attingat effectum, ratio tamen, cur id faciat, sit, quia aliqua alia causa in eiusmodi effectum influat. finis autē causat effectus suos mediatè, non quidem primo, sed secundo modo; quia in tantum causat finaliter, in quantum agens ab illo mouetur, seu in quantum est id, propter quod agens operatur; igitur eo ipso, quod effectus dicitur causari, ab efficiente propter finem, intelligitur finis eundem effectū immediatè causare immediatione opposita primo modo mediationis.

Obijcies quintò: res non solum in fieri, sed etiam secundum suam essentiam, imò postquam facta est, potest esse propter finem; non benè igitur assignatur pro causalitate finis actio agentis, quatenus est propter finem. 73

Respondeo nos huc vsque loquutos esse de causalitate causæ finalis respectu agentium liberè propter finem; cæterum non negamus dari aliquos effectus, qui essentialiter sunt ad fines suos, & multas etiam res in suo esse à suis finibus dependere. Vnde est quod benè Auersa *quæst. 15. sect. 5. sua Philosophiæ* causalitatem adæquatā causę finalis assignans dicat: esse ordinationem cuiuscunque rei in suum finem, siuè demum huiusmodi ordinatio sit ipsamet essentia rei; siuè sit actio, per quam res illa fit propter finem; siuè sit eiusdem rei conseruatio; siuè demum sit entitas ipsius rei, quæ conseruatur, posito quod se ipsa conseruetur, & non per modum distinctum.

Obijcies sextò: actio externa, qua exequimur medium, V.G. sumptio medicinæ, est de se indifferens, vt fiat propter hunc, vel alium finem, videlicet propter acquisitionem sanitatis, vel propter delectationem, quam quis in dulci illa potione apprehendit; ergo causalitas finis non potest in ea consistere. cōsequentia suadetur, quia causalitas est influxus causæ in effectum; ergo sicuti implicat, quod detur causalitas indifferens ad hunc, vel illum effectum: ita quod detur indifferens ad hanc, vel illam causam. 74

Respondeo: nonnullos negare antecedens, putant enim actionem, quæ fit propter vnum finem dicere essentialem ordinem ad illum; verum hoc habet difficultatem: tum quia actus imperatus est indifferens, vt ab hoc, vel ab illo alio imperante procedat: tum etiam quia in sententia eorum, qui eodem modo discurrunt casu, quo Deus vnā propter aliud velit, si hæc aduersariorum solutio vera esset; sequeretur quod actio, qua Deus per gratiam efficacem excitat peccatorem ad pœnitentiam esset essentialiter cōnexa cum fine Dei, qui esset actus pœnitentiæ, quod esse absurdum patet, quia sic tolleret libertatem, in quantum nō

pos-

Digitized by Google

posset coniungi cum negatione pœnitentiæ; atq; adeò principium proximum operationum non esset liberum, sed determinatum ad vnum. Melius igitur respondendum videtur distinguendo antecedens: actio externa, qua exequimur medium est de se indifferens, vt fiat propter hunc, vel illum finem materialiter considerata, concedo; actio externa prout imperata à volitione interna, nego antecedens; & consequentiam ad cuius probationem dico, quod quamuis illa externa actio materialiter sumpta, sit indifferens, vt fiat ex hoc, vel illo fine: tamen si accipiatur quatenus subest imperio voluntatis ordinatis illam ad vnum potiùs finem, quam alium; amittit indifferentiam, imo est ita determinata ad hunc, vt implicet cõtradictionem respicere alium; sicuti implicat contradictionem, vt ille actus voluntatis à quo moraliter informatur, desinat esse amor huius finis, & incipiat esse amor alterius.

75 Instabis: ex dictis sequitur, quod actio externa materialiter accepta non sit effectus causæ finalis, sed hoc videtur absurdum. nam de ea verificatur, quod fiat gratia finis; ergo &c.

Respondeo: distinguendo maiorem, sequitur quod actio externa materialiter sumpta non sit effectus immediatus causę finalis concedo; non sit mediatus, nego maiorem; & sic distincta minore: ad consequentiam dico: sumptionẽ pharmaci esse effectum solum mediatum, ac remotũ sanitatis, & ideò posse esse non propter illam, quia essentialis connexio solum reperitur inter causam, & causalitatem effectus immediati, cuiusmodi in casu nostro est volitio ipsius sanitatis, electio medij, & similia. cæterum sicuti ipsa sũptio pharmaci materialiter considerata causatur sine absurdo à volitione sanitatis in genere efficientis, non obstante, quod ab alia volitione specie diuersa causari possit: ita & à bonitate sanitatis in genere causæ finalis.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA

DE IDEA.

QVOD à Græcis Idea, à Latinis propriè exemplar, & imago appellatur; & significat in rigore id, cuius imitatione Agens intellectuale regulariter operatur exterius, vel quasi exterius, vt secundum quod intellectuale est, ex arte operetur.

SECTIO PRIMA.

An, & quid sit Idea.

§ DAri autem Ideas indubitatum est tum apud Philosophos, tum apud Theologos, vnde Boetius *lib. 3. de consol. met. 9.* Deum alloquens. Tu cuncta superno ducis ab exemplo pulchrum, pulcherrimus ipse, mundum mente gerens. Hinc etiam Aguſt. *lib. 1. retract. cap. 3.* docet mundum intelligibilem, hoc est Ideam, quẽ posuit Plato, esse rationem sempiternam atque immutabilem, qua Deus mundum sensibilem creauit, quam qui esse negat, (inquit) sequitur, vt dicat, Deum irrationabiliter fecisse, quæ fecit; ex quibus verbis deducitur necessitas admittendi Ideas, quę oritur ex modo operãdi agentium intellectualium, quæ cum scientia, & cognitione eorum, quæ facienda sunt operari debent, vt patet ex humanis artificibus qui prius quam rem artefactam exequantur, eam mente præconcipiunt, & ex illa præcognitione postea, dum rem efformant, diriguntur, alioquin sine consilio, & ratione operari crederentur.

2 Porrò duplex distingui solet exemplar: externum alterum, alterum internum: prioris generis est templum V. G. cæra formatum, ad cuius similitudinem cæmentarius fabricatur verum tẽplum: posterius verò est idolum illud tẽpli, quod mente præconcipit is, qui artificialis structuræ dicti templi inuentor extitit. Quoniam verò externum per accidens se habet ad exequendum opus, quod fit ab agente intellectuali, & est tantũ adminiculum ad hoc, vt internum, quod simpliciter est necessarium efformetur ab eo, qui opus artefactum exequutioni mandat; hinc fit, vt de solo interno nobis in hac disputatione sermo sit, in qua de eo quærimus primò quid sit.

Vnica Conclusio: Idea est forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. ita D. Thom. *quæst. 3. de ver. art. 1.* quam accepit ex D. Aguſt. 12. *de ciuitate cap. 15.* ex hac autem descriptione tria ad constitutionẽ Ideæ esse omninò necessaria deduco, Primum est vt illa sit forma quædam, à qua ita procedat effectus, vt illam imitetur, eique similis esse censeatur. Secundum vt hæc imitatio non temerè, & casu accidat, sed consilio, & ex intentione agentis, respectu cuius Idea debet esse forma, procedat; Tertium denique, vt illa non sit forma naturalis, cui ex determinatione naturæ sæpè effectus similes euadunt, sed intellectualis, quam ex determinatione agentis imitetur effectus. Ex quibus sequitur Ideam propriè reperiri solum

Digitized by Google

intelligit ſe intelligere eam, intelligit Ideam, vel rationem domus. Deus autem non ſolum intelligit permultas res per eſſentiam ſuam, ſed etiã intelligit ſe intelligere multa per eſſentiam ſuã; ſed hoc eſt intelligere plures rerum rationes, vel plures Ideas eſſe in intellectu eius, vt intellectas. hæc Sanctus Thomas; ex quibus deducitur, quod in eius ſententia non res intellecta, ſed intellectio, quæ verſatur circa rem ipſam ſit Idea. ſimiliter Eugubinus *lib. 1. de perenni Philoſophia cap. 12.* refert ex Plutarco; Socratem, & Platonem voluiſſe Ideas conſiſtere in cogitationibus Dei, & ex Philone ſeriem Idearum eſſe ipſam Dei ſapientiam, & ex Thiſmegiſtro, & Caldeis: Ideas eſſe Patris cogitationes: nullum verò ex antiquis inuenies, qui aliam rationem Ideæ in conceptu obiectiuo conſtituat diſtinctam ab ea, quæ conſiſtit in conceptu formali, ſed quid quid ſit de auctoritate.

14 Probatur Primò aſſertio; ex eo, quia Idea debet complere, & determinare in genere cauſæ efficientis agens intellectuale ad operandum. igitur debet proportionari his, quæ complent, & determinant agentia naturalia in genere efficientis; ſed hæc ſunt formæ intrinſecè inhærentes ipſis agentibus naturalibus, non autem extrinſecæ; ergo Idea debet eſſe forma intrinſeca agentibus intellectualibus inhærens, cuiuſmodi eſt ſolus conceptus formalis; & non obiectiuus. Primum enthymema huius argumenti probatur ex Ariſt. 12. *metaph. tex. 24.* vbi ſic: cum autem mouens in naturalibus quidem homo, ignis, &c. in his verò, quæ à mente hoc eſt ab arte fiũt ipſa forma ſcilicet Idea &c. & rectè id quidem, Idea enim complet Artificem ad hoc, vt ſit proximè potens efficere opus ſuum, ſicuti calor complet ignem ad hoc, vt ſit proximè potens calefacere; ſubſumptum verò eſt manifeſtum, quia forma caloris V. G. eſt intrinſeca, & non extrinſeca igni, & forma ferri intrinſeca ipſi ferro, & vniuerſaliter forma omnis complens agens naturale, intrinſeca eſt ipſi agenti; iam verò vltima conſequentia videtur ſequi euidenter ex dictis; ergo &c.

15 Probatur ſecundò; ex iis, quæ attribuuntur cõmuniter Ideæ ab auctoribus: hæc autem ſunt, quod ſit cauſa operis faciendi, ſit id, cui aſſimilari debeat opus ipſum faciendum, ſitque menſura, & regula veritatis illius; vnde D. Thomas in Metaphyſicis docet veritatem rerum naturalium conſiſtere in conformatione, quam habent ad diuinas Ideas; artificialium verò in cõformatione, quam habent ad Ideas Artificum humanorum; Sed hæc omnia melius ſaluantur ſi dicamus Ideas in ſolo conceptu formali conſiſtere, & non in obiectiuo; ergo &c. Probatur minor, ſupponendo, quod id, quod tanquam obiectum ſibi proponit Artifex creatum, dum artificioſe operatur, per ſe loquendo, non diſtinguitur realiter ab ipſo opere faciẽdo, vt aduerſarij doctiores vltro concedunt, inter quos eſt Ouiedus *loco citat. nu. 8.* & rectè, nam realis diſtinctionis nulla eſt neceſſitas, vt patet ex eo, quod ſi quis ſaltem diuinitus illud ipſum opus, quod facturus eſt præcognoſceret, rectè poſſet ex arte illud poſtea efficere. Quod ſi humanus Artifex nunquam eandem numerò rem faciendam concipit: præterquam quod ex imperfectione ipſius Artificis proueniat, & non ex ratione Ideæ, vt ſic: ſufficit dicere, quod præconcipiat per ſe eandem rem in ſpecie, vel in confuſo, ſeu vagè ad hoc vt noſtra ſuppoſitio vera ſit. Ea autem admiſſa, ſuadetur minor à nobis aſſumpta, quia, cæteris paribus, melius ſaluat rationem cauſæ præſertim in genere efficientis, ad quod genus Idea reducitur, qui ponit illam realiter diſtinctam ab effectu; quam qui eam cum illo identificat. dicere autem quod in hoc aſſimilatur fini, quatenus eſt intentionalis; atque adeò vt apprehenſa poteſt in ſe ipſam vt exiſtentem influere, eſt inuehere nouũ modum cauſandi efficienter circa ſeipſum ſine vlla neceſſitate. quod facit Ouiedus *loc. cit. num. item* 8. præterea melius ſaluatur ſimilitudo inter extrema realiter diſtincta, quam inter diſtincta ſolum per intellectum; quia non tam propriè idem dicitur ſimile ſibi ipſi, etiam ſi pro diuerſo ſtatu accipiatur, quam alteri realiter à ſe diſtincto. Denique ratio menſuræ, ac regulæ non ſolum melius ſaluatur in re realiter à menſurato, ac regulato diſtincta, ſed etiam videtur nullo modo cum diſtinctione rationis poſſe conſiſtere; eò quod nihil poteſt verè, & propriè eſſe menſura, ac regula ſui ipſius. Sed ſi dicatur conſiſtere in conceptu obiecto, ponitur diſtinctio rationis; melius igitur ſaluantur illæ proprietates Ideæ, ſi aſſeramus eam ſolum conſiſtere in conceptu formali, & non obiectiuo.

SECTIO TERTIA

Soluuntur obiecta, contra prædicta.

16 OBijcies primò: 7. *metaphyſicæ tex.* 25. Ariſtoteles appellat Ideam, quod quid eſſe rei, & primam ſubſtantiam, & *tex.* 20. poſtea quam dixit, ſanitatem ex ſanitate fieri, & domum ex domo, ſubdidit: quodammodo fieri ex vniuoco, quemadmodum quæ natura ſunt; ſed hæc dicta non poſſunt de conceptu formali verificari; ſed ſolum de obiectiuo; ſolus enim hic eſt quidditas, & eſſentia, & prima ſubſtantia rei efficendæ, & vniuocè cum illa conueniens; ergo ratio Ideę conſiſtit in conceptu obiectiuo per Ariſtotelem. Confirmatur quia 3. *p. qu.* 24. *art.* 3. aſſeritur Chriſtus Dominus eſſe cauſa exemplaris noſtræ iuſtificationis, & Pater Cæleſtis in Euangelio nobis proponitur imitandus.

17 Reſpondeo Philoſophum Ideam ſæpè appellare ipſum, quodquid eſſe rei; quod intelligendũ eſt expreſſiuè ſolùm, ac repræſentatiuè, non autẽ verè, & realiter, in quantum Idea exprimere, ac repræſentare debet rei faciendæ quidditatem, nõ autem quia eſſe debeat realiter, & entitatiuè eiuſdem rei eſſentia. Eam præterea appellat ſubſtantiam, quia primum, quod exiſtit de opere faciendo eſt Idea. quoniam verò ſanitatis Idea debet ſanitatem exprimere, & Idea domus, domum repræſentare; hinc fit, vt ſæpè etiam ab Ariſtotele Idea ipſa pro Ideato accipiatur; ſicuti imaginem Ceſaris, non rarò Ceſarẽ appellare conſueuimus;

Digitized by Google

hoc nomen per accidens in nobis se habet, & potest oppositum euenire. vnde si in Deo, ne idem sit causa sui ipsius, dicitur ab auctoribus tertiæ sententiæ, Idea in conceptu formali consistere, idem dici debet in nobis.

7 Iam verò minor principalis Argumenti, in qua est difficultas, probatur sic: quia obiectum diuinæ cognitionis est duplex; alterum primarium, & est ipsa essentia Diuina: alterum secundarium quod sunt Creaturæ; sed Ideæ Diuinæ in neutro obiecto consistere possunt; ergo &c. maior patet; minor probatur, & quidem, quod Ideæ diuinæ non sint Creaturæ ipsæ ab æterno existentes in intellectu Dei patet primò ex Sanctis Patribus, Dionysio, Iustino martyre, Eusebio Nazianzeno, & alijs, locis citatis à Suarez præsertim verò, ex D. August. *lib. 83. quæst. 46.* vbi Ideas huiusmodi vocat æternas, atque incommutabiles, quarum participatione fit, vt sit quid quid est, quoquo modo est, atque opinari eas esse aliquid extra Deum sacrilegium esse; & *tract. primo* in Ioannem exponens illud: quod factum est, in ipso vita erat: docet id verificari ratione Ideæ, quæ est ipsa vita Dei, vnde D. Thomas 1. *part. quæst.* 15. *art.* 1. Idea, inquit in Deo nihil est aliud, quam Dei essentia.

8 Porrò in assignanda ratione huius rei laborat Theologi. Fasolus *tom.* 2. *comm. supra artic.* 1. *cit.* ex Molina, & Arrubale idcirco, dicit, Creaturas non esse Ideas in Deo, quia quantumuis cõsiderentur, vt obiectiuè existentes in mente diuina, sunt distinctæ in Deo vt effectus diuinæ causalitatis; nequeunt igitur esse Ideæ respectu Dei, sed illas in eo præsupponunt, tanquam causas exemplares, ad quarum imitationem habent illud esse distinctum, atque creatum. Ego verò hanc aliam assignarem cum Suarez 1. *parte tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. Idea est regula, & mensura operationis externæ artificis, sed diuina operatio non regulatur, neque dirigitur à Creatura, sed solum à sua essentia, quæ est prima regula, & mensura omnis rectitudinis; igitur creaturæ non possunt respectu Dei habere rationem Ideæ.

Probatur nunc eadem minor quò ad secundã partem, quod scilicet neque diuina essentia, vt ratione distincta à conceptu formali sit Idea in Deo: probatur, inquam, quia de ratione Ideæ est, vt formaliter contineat rem Ideatam secundum suam propriam rationem, vel per conuenientiam entitatiuam, quæ dicitur in essendo, vel saltem per conuenientiam intentionalem, quæ appellatur in repræsentando; sed essentia diuina secundum se neutro modo continet res creatas formaliter secundum proprias rationes illarum; ergo essentia diuina secundum se non potest habere rationem Ideæ. maior nõ indiget probatione, Idea enim debet esse forma, quam imitetur effectus; minor verò suadetur; quia ex vna parte formalis continentia, quæ per conuenientiam intentionalem, seu in repræsentãdo habetur, est propria cognitionis; ex alia verò parte diuina essentia in essendo infinitè distat à Creaturis, & minorem habet cum illis proportionem, & similitudinem, quam quælibet Creatura cuilibet comparata; sicuti igitur repugnat, quod quælibet creatura sit Idea cuiuslibet V. G. Angelus hominis, & homo lennis, & leo canis, &c. multo magis implicabit quod diuina essentia in essendo considerata, sit Idea Creaturarum.

Per quod patet, nullam esse Granadi disparitatem ad hoc argumentum, dum dicit: quod licèt 9
comparatione Artificis Creati Idea debeat esse maximè similis Ideato: eò quod finitam, ac limitatam scientiam habeat: id tamen non sit necesse respectu Dei, qui cum sit infinitæ sapientiæ, ac perspicacitatis, in sua essentia quantumuis valdè dissimili creaturis, inueniatur modum, quo singulæ fiat producendæ, & hoc ideò, quia Diuina Essentia est Pelagus omnis entitatis à qua emanant omnes rationes entis, quæ inueniuntur in rebus Creatis.

Contra hoc enim facit Primò, quia in eo, 10
quod est esse Pelagus, seu originem omnũ Creaturarum, si præscindas ab earundem continentia intentionali formaliter sumpta, Deus nõ constituitur, nisi per hoc, quod eas eminenter in se tãquam in causa efficiente contineat, Sed eminentialem continentiam ad rationem Ideæ minimè sufficere constat ex eo, quia lumen solis, V. G. licèt eminenter contineat, calorem, non potest tamen dici Idea caloris, quia, scilicet, secundum se nec formaliter, nec repræsentatiuè illum exprimit; nullus enim intellectus quãtumuis perspicacissimus, ad similitudinem luminis valet sibi calorem efformare; ergo &c.

Neque dicas: ex eo, quod Deus perfectiori 11
genere continentiæ Creaturas contineat, quam lumen calorem; hinc fieri, vt ille sit Creaturarũ Idea, non autem lumen caloris. siquidem ex eo magis sequitur oppositum; sublimius enim genus continentiæ Creaturarum in Deo arguit, quod ipse in suo esse magis distet, à Creaturis, quam Creaturæ ipsæ inter se, quodque secundũ nullum gradum proprium illas formaliter exprimere valeat. Quare per hoc conuincitur à fortiori Diuinã essentiam in ratione obiecti nõ posse esse Creaturarum Ideam; Quod si homo dicitur ad similitudinem Dei factus, est quia in essendo specialem habet cum Deo conuenientiam, quatenus intellectiuus est.

Contra eandem Granadi responsionem facit 12
secundò, quia artis excellentia non attenditur penes hoc, quod in re dissimili arte factis, speculetur modum, quo illa sint faciendã, sed penes hoc quod eius beneficio ideatum omni perfectiori modo, quo potest, suam imitetur Ideam; quare cum ars Diuina non valeat Creaturas producere iuxta modum perfectionis diuinæ essentiæ, secundum se consideratæ: hinc fit, vt qui Ideas Diuinas in essentia Dei sumpta per modum obiecti constituit, potius Diuinæ arti detrahat, quam illã extollat.

Secunda Conclusio: Ratio Ideæ ita in solo cõ- 13
ceptu formali posita est, vt non sit alia ratio posita in obiectiuo. Est expressa sententia D. Th. qui 1. *parte quæst.* 15. *art.* 2. sic habet: Deus intelligit multa, non solùm secundum quod in seipsis sũt, sed etiam secundum, quod intellecta sunt, quod est intelligere plures rationes rerum. sicuti artifex dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum; dum autem intelligit formam domus, vt à se speculatam, ex eo quod

intel-

Digitized by Google

Respondeo, negando consequentiam; disparitas enim est, quia finis causat alliciendo, atque adeò eius ratio causandi debet se tenere ex parte allicientis, quod est obiectum, in se continens allectiuum, quod est eius bonitas, Idea verò causat perficiendo agens intellectuale in ratione Agentis intellectualis ex arte; adeoque necesse est vt se teneat ex parte ipsius agentis, cuius est forma, & imitetur formas naturales, quæ quia complent agentia naturalia sunt illis intrinsecæ.

24 Obijcies quintò: Templum in carta formatū ad cuius similitudinem cæmentarius verum Templum fabricatur, est conceptus obiectiuus; sed huiusmodi templo sic descripto competit tota idæ definitio, si cognoscatur; ergo idea consistit in conceptu obiectiuo.

Respondeo: negando minorem, idea enim esse debet forma, quam effectus ex necessitate, & proximè; non autem per accidens & remotè imitetur, posito quod Agens intellectuale operari velit; Templum autem illud descriptum neque est simpliciter necessarium ad veri templi constructionē; neque proximè imitabile; oportet enim, vt cæmentarius prius formet in mente cognitionem illius, vt postea operetur; illa igitur cognitio, quam acquirit quamque ex necessitate, & proximè imitatur effectus, non autem templum illud habet veram rationem Ideæ.

25 Obijcies sextò: Conceptus formalis causatur, & regulatur ab opere faciendo; ergo Idea consistit, in conceptu obiectiuo, qui est ipsum opus faciendum, & non in formali; consequentia patet, quia Idea est causa, & regula operis faciendi; sed conceptus formalis, quippè imago illius in repræsentando, ab eo causatur, & regulatur; ergo &c.

Respondeo: distinguendo antecedens; conceptus formalis speculatiuus causatur, & regulatur ab opere faciendo transeat; conceptus practicus, nego antecedens, & consequentiam; ad cuius probationem eadem distinctione respondeo eius maiorem, & minorem distinguendo, & dico duplicē dari posse cognitionem rei faciendæ vnam speculatiuam, quæ ipsam tantum supponat, & exprimat: alteram practicam, quæ secundum regulas artis obiectum sibi formet, eiusque partes disponat, vt illud ponat à parte rei. Iam verò licèt prior conceptus causetur, & reguletur à suo obiecto: posterior tamen potius regulat, & causat suum. Quod si ab eo dicta cognitio specificatur; parum refert, vt pater ex actione, quæ licet à suo termino specificetur causat tamen, vt quo, ipsum terminum potius, quam causetur ab illo. præterea si dicta cognitio practica indiget speciebus ad hoc vt ab intellectu producatur: quia tamen huiusmodi species non supponuntur productæ ab ab obiecto, neque propriè illius, hinc fit, vt non inducant proximitatem in ipso obiecto respectu ipsius cognitionis, quo ad causandam, & regulandam illam: ster igitur, quod ipsa sit causa, & regula operis faciendi, non verò opus faciendum sit causa, & regula illius.

26 Obijcies septimò: si idea consisteret in cōceptu formali: posset etiamquis dicere eam consistere in specie impressa obiecti; sed hoc est absurdum; ergo &c.

Respondeo, negando sequelam: disparitas huius rei esse potest; quia species impressa est solū similis obiecto virtualiter, in quantum est semen illius respectu cognitionis. Idea verò similitudinem formalem cū obiecto habere debet; vnde est vt essentia Diuina secundum se possit esse species impressa Creaturarum respectu intellectus diuini: non autem Idea earumdem. Linquo iam speciem per se ipsam non esse operatiuam ad extra, neque institutam ad dirigendas operationes Agentis, sed tantum ad complendam proximè potentiam cognoscitiuam illius.

27 Obijcies octauò: ex Ouiedo *n.6.* Id quod Artifex intendit imitari est conceptus obiectiuus; 11 ergo in eo consistit ratio Ideæ; Antecedens probatur, opus efficiendum, vt sit iuxta id, quod ex vi exemplaris intenditur, non debet esse simile cognitioni, neque artifex intendit imaginem depingere similem cognitioni, sed obiecto eius; ergo &c.

Confirmatur, quia experientia constat, quod quando pictura est similis obiecto apprehenso dicimus factam esse iuxta Ideam artificis; & hæc tantum examinamus, non verò num sit similis cognitioni.

28 Respondeo, distinguendo antecedens iuxta superius dicta: id quod intendit artifex imitari remotè, concedo. proximè, nego antecedens, & consequentiam; ad probationem antecedentis, nego assumptum, quo ad vtramque partem; ad id verò quod de artificis intentione dicitur. respondeo eum vix distinguere inter cognitionem, & rem cognitam; sed, si nos velimus philosophicè rem dimetiri, debemus asserere eum directè efficere rem cognitam similem cognitioni, quam de ea iuxtà regulas artis formauit. Ad confirmationem denique ductam ex experientiā, aio quod quando probare volumus num pictura iuxta ideā Artificis facta sit, sicuti non possumus in medium adducere eius cognitionem; & ei opus artefactū conferre: ita neque possumus adducere exemplar internum, quod est dictæ cognitionis obiectum, sed solum externum, quod est vtriusque similitudo; vnde cum per ipsum Ouiedum idea non consistat in externo exemplari, sed in interno; nō video, quo modo hac ratione ille vti contra nostram sententiam potuerit; dixerat enim paulo ante *n. videlicet* 3. circa medium quod, cum respiciens exemplum externum ex vi illius intendit effectum ei similem producere, non solùm concipit imaginem illam, quam videt, sed aliam sibi similem per intellectum proponit, quam, ductus cognitione externæ, quam videt, eiusque speciebus adiutus, sibi confingit, & in hac prolixè docet ideam consistere; sicuti igitur non valet per ipsum; ex eo, quod videamus picturam factam, esse similem prototypo externo, inferre Ideam Artificis cōsistere in externo prototypo, & non in interno: ita neque per nos, quod consistat in interno, & non in eius cognitione.

Obijcies nonò: ex eodem *nu. 6. & 7.* vix alia 29 qua similitudo, aut certè nulla reperiri potest inter cognitionem, & opus, ex vi illius productum; ergo cognitio non potest esse forma, quam Agens intendit imitari. Antecedens probatur; quia si qua esset, maximè esset illa secundum, quā

dici-

Digitized by Google

dicimus operationem externam esse conformem legi, non quia sit legi similis; neque quia sit exequutio ipsius formalis legis, sed quia est obiectū quod respicit lex, realisque positio obiecti, quod lex poni præcipit; sed hoc non sufficit, vt cognitio dicatur exemplar operis faciendi; ergo &c.

Respondeo, distinguendo antecedens: nulla similitudo, quo ad entitatem reperitur inter cognitionem, & opus, ex vi illius productum, concedo; quo ad expressionem, & repræsentationem, nego antecedens, & consequentiam; dico enim, quod licèt in entitate cognitio, & opus sint dissimilia; in quantum illa est ens speciale, hoc verò materiale: non potest tamen negari quin cognitio sit species expressa, & formalis repræsentatio dicti operis, quatenus illud habet pro obiecto suo; Ad probationem antecedentis nego maiorem, opus enim artefactum diuerso modo est cōforme legi seu præcepto artis; ac sit conforme cognitioni illi, à qua artifex in eo faciendo dirigitur, & suam potentiam exequtricem ex eius directione gubernat; est enim conforme legi, in quantum exequitur, quod lex præcipit, obseruando in se regulas, quas illa præscribit: at verò est conforme cognitioni per hoc, quod expressiuè, & repræsentatiuè illi conformatur; quemadmodū enim diuersa sunt præcepta operis faciendi, ac cognitio, quam artifex attendendo ad dicta præcepta de eo sibi intrinsecus format: ita diuersa est conformitas, quam habet opus cum præceptis, ab ea, quam habet cum cognitione, quæ immediatè ipsum operantem dirigit.

SECTIO QVARTA

Ad quod genus causæ pertineat Idea.

80 EX dictis constat Ideam respectu sui Ideati habere veram rationem causæ, siquidem in illud verè influit esse positiuum, ac reale; quærenti enim cur Ideatum tale esse habeat, & non aliud? rectè respondebimus propter talem Ideam, in quantum ex eius vi habet, quod tale sit; Porrò ad quod genus causæ ex quatuor communiter assignatis pertineat, dubium est; & quidem quod neque causa materialis sit, neque formalis respectu operis faciendi constat, tum quia non recipit neque sustentat in se illud, tum etiam, quia non potest intrinsecè tanquam pars ad illud constituendum pertinere; quidam existimant esse causam finalem; sed perperam, non enim respectu illius dici potest, quod sit id cuius gratia; quis enim operatur circa opus aliquod per se primò, vt Ideam operis consequatur? vtrum verò sit causa efficiens, vel formalis extrinseca dubium est. pro qua re sit.

31 Prima Conclusio: Idea si consideretur per ordinem ad Agēs intellectuale, habet respectu illius rationem causæ formalis.

Probatur, quia sic considerata verè intellectū Agentis informat, & respectu ipsius Agentis se habet quemdmodum habent se formæ cæterę naturales respectu agentium naturaliter operantiū, quæ illa constituunt in potentia ad operandum.

Secunda Conclusio: Idea respectu Ideati habet rationem causæ efficientis. Est contra Caietanum, & alios qui volunt respectu illius Ideam esse formam extrinsecam; Nobiscum tamen sentiunt Scotus *in 1. distinct. 2. quæst. 2.* Sanctus Bonauentura *in 3. distinct. 14. quæst. 1.* Suarez *disput. 25. sect. 2.* Ruuius, Perenius, & alij, quibus fauet Sanctus Thomas *in primo distinct. 2. quæst. vnica.* 32

Probatur primò: ex Arist. *7. metaphys. tex. 23.* vbi habet: quodammodo sanitatem ex sanitate accidit fieri (vtique efficienter;) & domum ex domo, quæ sine materia, eam, quæ habet materiam; & post pauca concludit: faciens igitur, & vnde conualescendi motus incipit, si ab arte, forma est in anima. Artis autem nomine, hic intelligit non solum artis præcepta, sed etiam Ideam per quā vltimò artifex in esse artificis constituitur, vt patet Textum illum legenti. 33

Probatur secundò ratione; quia illa forma, quę vltimò complet Agens in esse Agentis est principium agendi ipsius in ordine ad opus. Sed Idea est forma vltimò complens Agens intellectuale in ratione agentis intellectualis; ergo est principium agendi illius in ordine ad opus efficiendū; & per consequens respectu eiusdem operis habet rationem causæ efficientis. Maior patet inductione facta per omnes formas naturales, quæ complent agentia naturalia in ratione Agentis. minor verò probatur, tū ex Aristot. *12. metaph. tex. 23. cit.* tum etiam, quia Agens etiam si multa præditus arte sit, nunquam tamen intelligetur vltimò completum ad artificiosè operādum, nisi Ideam operis faciendi supponatur mēte concipere. 34

Ex his autem colliges: causalitatem Ideæ esse ipsammet operationem Agentis quatenus fit ab artifice regulato per ipsam Ideam; & Ratio huius rei est, quia nullo alio modo idea influit in opus efficiendum, nisi dirigendo actiones Agentis intellectualis; directio autem non distinguitur realiter, sed ad summum ratione tantum ab actione directa, & cognitione directiua, in quantum directio non stat sine vtraque. 35

Obijcies: Idea confert speciem, ac similitudinem operi faciendo; ergo pertinet ad genus causæ formalis saltē extrinsecæ respectu ipsius operis consequentia tenet; quia res beneficio formæ habet, quod sit in determinata specie. 36

Respōdeo, distinguēdo antecedēs: Idea cōfert efficienter specié, & similitudinē operi faciendo, concedo; confert formaliter, nego antecedens, & consequentiam; Ad cuius probationem dico verum quidē esse, quod effectus, formæ beneficio formaliter habeat, vt sit in specie determinata, vt V.G. Homo animæ rationalis beneficio habet, quod sit homo, at verò si loquamur efficienter id habet beneficio efficientis, vt in casu nostro, Patris, ac Matris, à quibus etiam, si in similitudinem naturæ procedat, nemo tamen dixerit, quod in genere causæ formalis extrinsecę ab illis dependeat. sic Ideatum habet quidem ab Idea solùm efficienter, vt in tali determinata, specie reperiatur, non tamen formaliter; & licèt procedat in similitudinem illius, est tamen illius

Digitized by Google

effectus in genere ſolius cauſæ efficientis, ſi rigorosè loqui velimus; cum quo ſtat, quod ſi minus rigorosè, atque impropriè loquamur, poſſit dari aduerſarijs id, quod dicunt.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA

DE CAVSIS PER ACCIDENS.

HVc vſque egimus de cauſa per ſe: in poſterum de cauſa per accidens breuiter diſſerendum. Ea eſt: vti ſupra vidimus: A qua, vt à tali per ſe, & directè non pendet effectus, & ei accidit ab illa cauſari, ad differentiam cauſę per ſe, quæ cum ex ſe intendat effectum, hic per ſe, & directè pendet ab illa.

SECTIO PRIMA

Quid, & an ſit cauſa per accidens.

1 CAuſa per accidens poteſt eſſe duplex; altera, quæ ſe teneat ex parte cauſæ; altera verò quo ſe teneat ex parte effectus; Prior dicitur res illa, quæ cum cauſa per ſe alicuius effectus contingenter, & per accidens coniungitur; cuius generis eſt muſica reſpectu ædificij, ſi contingat cæmentario, qui ædificat, eſſe muſicum; Vbi obiter nota, quod coniunctio per accidens, atque contingens debet ſe tenere ex parte cauſæ per ſe, non autem ex parte ſubiecti; quaſi verò cauſa per accidens reperiri debeat contingenter in ſubiecto, in quo eſt cauſa per ſe; hoc enim non eſt neceſſarium; poteſt ſiquidem euenire caſus, in quo etiam ſi res aliqua per ſe ſit in aliquo ſubiecto, dicatur tamen cauſa per accidens reſpectu effectus, qui ſit à tali ſubiecto; Poſterior verò, quæ, ſcilicet, ſe habet ex parte effectus, dicitur illa, quæ producit effectum, ad quem non eſt natura ſua ordinata, ſed ad alium potius, cum quo tamen rarò, & contingenter ille alius coniungitur; cuiuſmodi eſt ignis reſpectu ruinæ domus, quæ nitebatur lignis, quæ ab eo comburuntur. talis enim ruina reſpectu ignis comburẽtis ligna, eſt effectus per accidens, in quantum rarò, & contingenter cum lignorum combuſtione coniungitur, quæ eſt effectus per ſe eiuſdem ignis; qui idcirco debet dici cauſa per accidens ipſius ruinæ. De cauſa per accidens huius ſecundi generis nos in hac diſputatione loquimur; nam illa primi generis, valde materialiter ſe habet ad productionem effectus. ſit igitur.

2 Prima Concluſio: cauſa per accidens ex parte effectus rectè deſcribitur eſſe illa, quæ præter intentionem cauſat aliquem effectum, qui rarò, & contingenter cum effectu per ſe ab ipſa cauſa intento coniungitur. ſumitur ex Ariſtot. hic *tex.* 39.

Probatur autem, & explicatur Concluſio. Tres habere debet conditiones effectus ad hoc, vt ſit reſpectu alicuius cauſæ caſualis, ſeu fortuitæ; atque adeò ad hoc vt cauſa illa cenſeatur illum cauſare per accidens; Prima vt ſit coniunctus cũ effectu per ſe illius cauſæ: Secunda vt præter eiuſdem cauſæ intentionem eueniat. Tertia vt rarò contingat; quæ enim ſemper, vel vt plurimum eueniunt *ex primo Poſterior*: per ſe fieri exiſtimantur; ſed omnes haſce conditiones deſcriptio cauſæ per accidens à nobis aſſignata tribuit ſuo effectui, in ordine ad quem ſortitur eſſentiam cauſæ per accidens: ergo &c.

3 Ex his autem, quæ in hac probatione diximus obiter collige; Deum non poſſe dici cauſam per accidens reſpectu alicuius effectus; nunquã enim contingere poteſt in mundo effectus, qui præter eius intentionem ſaltem permiſſiuam eueniat, ſecus Deus temerè, & ſine conſilio operaretur, vt infert Sanctus Auguſtinus *lib. 83. queſt. 24.*

4 Secunda Concluſio: datur in rerum natura cauſa per accidens ex parte effectus.

Probatur, quia experientia conſtat multos effectus caſuales accidere, qui à ſuis cauſis minimè intenduntur, ſed eueniunt ex eo, quod cum effectibus per ſe illarum cauſarum per accidens ſunt coniuncti; huiuſmodi ſunt inuentio theſauri reſpectu coloni vineam excolentis, & percuſſio hominis reſpectu lapidis deſcendentis ad centrum, & alia multa ſimilia; ergo &c,

5 Obijcies primò: Ariſt. hic *tex. 66.* ait quod nihil ſecundum accidens eſt prius ipſis, quæ per ſe ſunt; ergo effectus caſuales prius ſunt à cauſa per ſe, quam à cauſa per accidens; ſed ſi hoc eſt omnis cauſa per accidens inuenit iam effectum ſuum productum à cauſa per ſe; ergo ex Ariſt. colligitur non dari cauſam per accidens.

Reſpondeo: ſenſũ verborũ Ariſtotelis nõ eſſe, quod ad cauſam per accidens præſupponi debeat alia cauſa per ſe reſpectu effectus fortuiti, diſtincta ab ipſa cauſa per accidens; ſi enim ita res ſe haberet, verè tollerentur è medio cauſæ per accidens. ſenſus igitur eſt, quod cauſa ad hoc, vt rationem habeat cauſæ per accidens debet per prius ordinari ad aliquem effectum per ſe cauſãdum, & in ordine ad illum habere rationem cauſæ

Digitized by Google

se per se; deindè verò requirere rationem causæ per accidens, ex eo, quod cum effectu per se reperiatur coniunctus effectus casualis. ex hoc autem non sequitur casualem effectum habere causam sui per se. nego igitur primam consequentiam.

6 Obijcies secundò: in rerum natura non datur effectus, qui respectu suæ causę adæquatæ sit per accidens, & casualis; ergo non datur causa per accidens respectu effectus; consequentia tenet, antecedēs probatur, non datur effectus, qui respectu suæ causæ adæquatæ rarò, & contingenter eueniat; ergo &c. antecedens huius enthymematis suadetur, quia causa adæquata inuentionis thesauri V. G. non est sola fossio, sed est etiam absconsio auri in tali loco, & ad tantam profunditatem, in quo, & ad quantam sit fossio; positis autem hisce causis necessariò, & semper non autē rarò, & contingenter sequitur inuentio thesauri; ergo non datur effectus, qui respectu suæ causæ adæquatę rarò, & contingenter eueniat.

7 Respondeo primò: concesso antecedente, distinguendo consequens: ergo non datur causa per accidens adęquata, concedo consequentiam; causa per accidens inadæquata, nego consequentiam; & dico quod inuentio thesauri licèt si ad totam causarum suarum combinationem referatur, censeri debet effectus per se; tamen si tantummodo per ordinem, vel ad solum fossorem, vel ad solū absconsorem auri consideretur, dici debet effectus per accidens; in quantum huiusmodi causæ per se consideratæ non sunt natura sua ad thesauri inuentionem ordinatæ, sed fossor quidem ad cultum campi, absconsor verò ad auri occultationem.

8 Respondeo secundò, & melius, negando antecedens, ad eius probationem dico, quod etiam si effectus sit necessariò coniunctus cum sua causa adæquata: non adhuc sequitur, quod sit effectus per se respectu illius. potest enim euenire casus, vt defacto euenit in inuentione thesauri, in quo causa adæquata suppositionē cōtingentem inuoluat, in quantum causæ partiales illam complentes non ordinantur natura sua ad producendum talem effectum, sed contingenter concurrāt: vnde fieri, earum concursus contingens est, vtpote qui certam, & definitam causam sui in vniuerso non habeat: ita etiam contingens erit effectus per quæ patet responsio ad instantiam, quæ fieri potest in contrarium, ductam ex Eclypsi; licèt enim hæc non sit per se à suis causis intenta, quia tamen prouenit ab illis vt habentibus determinatam causam simultanei sui concursus: ita vt regulariter cum earum effectu per se coniuncta sit. hinc est vt non censeatur casualis atque fortuita.

SECTIO SECVNDA

De Casu, & Fortuna.

CAsus si latè sumatur idem est cum causa per accidens respectu effectus: si verò præsè, est eius species. de illo autem hoc secundo modo considerato sit. 9

Prima Conclusio: Casus est causa per accidens ex parte effectus in ijs, quæ operantur propter finem sine consilio, & electione. Colligitur ex Arist. hic *tex.* 61. vbi aduertè casum non esse peculiarem quandam causam natura sua ad casuales effectus producendos ordinata, vt quidam ex antiquis Philosophis existimabant, sed esse quamcunque causam naturalem per se producentem aliquem effectum, cum quo per accidens, & præter eius intentionem aliquis alius effectus sit cōiunctus. 10

Secunda Conclusio: Fortuna est causa per accidens ex parte effectus in ijs, quæ agunt propter finem cum consilio, & electione, cuius effectus præter intentionem eorum, & raro contingit. sumitur ex eod. Arist. *tex.* 52. 11

Vbi nota, per hoc distingui casum à fortuna, quod si casus præsè, & rigorosè sumatur est in ijs, quæ consilio, & ratione carent; fortuna verò versatur in solis intellectualibus, & liberis. Atq; hic etiam aduertunt aliqui; dupliciter intelligi posse fortunam in Agentibus intellectualibus operari: vel quod ipsa sit, quando operantur intellectuales causæ, & ex earū operatione aliquid præter ipsarum intentionem accidat, quod contingenter cum effectu per se coniunctum sit: vel quod sit etiam fortuna quando circa intellectuales personas aliquis effectus contingit, præter intentionem causæ operantis, quamuis de reliqua causa operans sit merè naturalis; & quidem licèt vtroque modo sumi possit fortuna, nihilominus, tunc solùm appellanda est fortuna, quando effectus fortuitus aliquid boni, vel mali substantijs intellectualibus affert; vnde est vt fortuna non possit esse indifferens, sed vel bona dicenda sit, vel mala; Ad quod alludens Philosophus 2. *physic. tex.* 56. fortuna, inquit, bona quidem dicitur, cum bonum aliquod euenit; mala autem, cum malum aliquid; Prosperitas verò fortunæ, & infortunium cum magnitudine habent hæc. 12

Obijcies primò: Diuus Augustinus *initio libri primi suarum retractat.*: se accusat, quod aliquando fortunæ nomen vsurpauerit: & plures ex antiquis Patribus nefas esse Christianis docent fortunam nominare; non datur igitur fortuna.

Respondeo rectè veteres Patres vetasse christianis vsurpare nomen fortunæ, ne, scilicet, suspicarentur Gentiles eos credere illam esse Deam quandam, quæ, vt ipsimet somniabant, omnia inferiora suo arbitratu gubernaret, Dei prouidentiam è mundo tollētes; cæterum ponere fortunā, & eius nomen vsurpare, secundum sensum Peripateticorum, nullum est inconueniens.

Obijcies secundò: quando aliquis aleis ludit victoriam intendit; & si vincit dicitur fortunatus; fortunæ igitur effectus non est necesse, vt præter agentis intellectualis intentionem eueniat. 13

Respondeo eum, qui intendit effectum aliquē per actionem, quæ contingentem, & accidentalē connexionem cum eo habet, non dici fortunatum, sed sortem habere; sors verò est causa per accidens in cæteris cum fortuna conueniens, & solùm per hoc ab illa discrepans, quod eius effectus casualis, qui per accidens cum effectu per se coniunctus est intenditur ab Agente: contra verò effectus fortuitus.

14 Ex his autem colliges casum, & fortunam ad genus causæ efficientis reuocandos esse, vt patet ex Arist. hic *tex.* 61. & 66. & probari potest, tum ex eo, quia vtraque est causa, vt vidimus in ijs, quæ agunt propter finem; agere autem propter finem est solius efficientis; tum etiam quia ad nullum aliud genus reuocari possunt commodè.

15 Confirmatur id, quod dicimus; quia quemadmodum fossor respectu fossionis est causa efficiens per se, ita etiam est causa per accidens respectu inuentionis Thesauri: in ordine ad quam cum habeat rationem fortunæ; sequitur euidenter fortunam esse causam efficientem, quod ipsum proportionaliter de casu dici debeo.

SECTIO TERTIA

De Fato.

16 PVtabant Stoici, vt videre est apud Ciceronem *lib.* 1. *de diuinatione* omnia, quæ in mundo fiunt, inenitabili quadam necessitate fieri; atque adeò omnem contingentiam effectuum, hominumque libertatem tollebant è medio: Id autem, quod huiusmodi necessitatem inducebat in rebus creatis Fatum appellabant: Verum (si vim nominis spectes) potius ipsam necessariam connexionem effectuum cum causis suis, quam id, quod illam inducebat, Fatum nuncupare debuissent. dicitur enim à fando quasi effatum, seu fictum quid; quod propriè non est à quo aliud effatum est, sed potius id, quod ab aliquo effatum est.

17 Verum hoc leue; illud potius notarem, non satis inter eos constitisse, quidnam esset hoc quod huiusmodi fatalem necessitatem rebus induceret. Quidam enim ex coordinatione causarum secundarum, prout astrorum aspectibus cælorumque motibus subdebatur, emanare volebant, & sic Fatum definiebant: Causarum colligationem ex astrorum motibus, & vi efficaciam trahentem. Quam quidem efficaciam non modo non subdi Dei Imperio, ac dispositioni; sed ipsum Deum ipsum, eiusque voluntatem sibi subdere affirmabant. Alij verò, ipsi Deo adscribebant, siue quia putabant eum ex necessitate naturæ operari, ita vt suo naturali impetu creata omnia secum raperet; siue quia credebat, quod, licèt esset agens liberum, omnia tamen ad libitum decernebat, ita vt absolutam necessitatem rebus induceret.

18 Hæc autem Stoicorum sententia secundum vtramque sectam ab Ecclesia Catholica, & à Christiana Philosophia iure damnatur; vnde de Fato sic accepto rectè Gregorius *hom.* 10. *epiphaniæ* dixit: Absit à fidelium cordibus, vt Fatum esse aliquid dicant; putamus enim multos dari effectus fortuitos, & contingentes, qui à suis proximis causis sic producuntur, vt potuerint absolutè loquendo non produci, alioquin non daretur in nobis liberum arbitrium; Non negauerim tamen, quod ea, quæ ad inferiores causas relata, contingentia sunt, atque fortuita, si referātur ad Deum erunt certò præuisa, & in fines suos infallibiliter ordinata; & sic quantū adhoc, quod omnia, quæ in mundo aguntur diuinæ prouidētiæ certò subiaceant, & à Deo præuisa, & præordinata sint, Fatum ponere; non modo non esse absurdum; quin imò esse valde sacris scripturis, ac rationi consentaneum: vnde Augustinus *lib.* 1. *de Ciuit. Dei cap.* 1. Propterea, inquit, si quisquam res humanas Fato Dei tribuat, quia ipsam Dei voluntatem, & potestatem Fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat, quod addidit ne à nobis præberetur Ethnicis ansa errandi, qui in hoc cum Stoicis sentiebant, de Fato autem sic accepto sit.

19 Vnica Cōclusio: Fatum rectè describitur: Immobilis, seu infallibilis ordinatio causarum secundarum ad effectus diuinitus præuisos; sumitur ex D. Th. 1. *par. qu.* 116. *art.* 3. & 4.

20 Ex quo deducitur Fatum esse ipsas causas secundas; atque adeò quæ fiunt immediatè à Deo, vt est creatio, & gubernatio ipsa vniuersi, non subdi Fato. Porrò causarum secundarum dispositio dupliciter considerari potest: Primo modo secundum se, & sic non habent connexionem omnino infallibilem cum effectibus suis; non solùm quia earum quædam liberæ sunt, & casuales, sed etiam, quia causæ ipsæ necessariæ possunt ex absoluta, saltem, Dei potentia, & voluntate, impediri, ne suos sortiantur effectus. Secundo modo prout subduntur diuinæ præscientiæ, ac prouidentiæ omnia in suos fines iuxta cuiuslibet rei naturam dirigentis; & sic immobilitatem & necessitatem acquirunt; non quidem absolutā, & rebus ipsis intrinsecam, quæ libertati repugnat, & contingentiæ, sed conditionatam, & extrinsecam, se tenentem ex parte Dei, diciturque necessitas ex suppositione consequente determinationem causæ; in quo sensu dicimus hanc conditionalem esse veram: si Deus præscinit peccatum Petri, id futurum erit.


21 Queres an omnes effectus creati prouenientes à causis secundis subdantur Fato.

Respondeo affirmatiuè, quia fatum est dispositio illa, quæ est in causis mediis prout subsistant diuinæ prouidētiæ; sicuti igitur nulla datur causa secunda, quæ diuinæ prouidentiæ non subdatur, ita neque datur aliquis effectus; adeò vt etiā peccata ipsa aliquo modo subdi Fato Dei permissiuè dixerim, in quantum certò, & infallibiliter sunt à Deo præuisa, & in finem à se intentū permissa. In quo sensu Augustinus docet melius Deū existimasse de malis bene facere, quam mala nulla esse sinere; malè igitur Caietanus *prima parte quæst.* 116. *art.* 2. asserit Fatum esse causam tantummodo contingentium effectuum; dummodo inter hos, etiam necessarios non enumeret, quatenus per ordinem ad diuinam voluntatem absolutam, ita sunt, vt potuerint non esse.

Quæ-

Digitized by Google

22 Quæres ſecundò: ad quod genus cauſæ reducitur Fatum? Reſpondeo propriè, & rigorosè loquendo, Fatum ſecúdum, quod infallibilitatem importat non pertinere ad aliquod genus cauſæ, quia dictam infallibilitatem ſumit multoties ex ſuppoſitione effectus futuri, quem diuina præſcientia in ſua infallibilitate fallibilem præſupponit; minus tamen rigorosè dicerem reduci ad genus cauſæ efficientis, quia licèt ex collectione omnium cauſarum effectus abſolutè dependeat: efficiens tamen eſt id, quod cæteras in executione ſecum trahit. Linquo diuinam prouidentiam, quæ cauſas fallibiles in ſuos fines certò, & infallibiliter dirigit, ſi ad aliquod genus cauſę reducenda eſt, ad nullum aliud, quam ad genus cauſæ efficientis commodius videtur poſſe reduci.



FRA

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS

DE PASSIONIBVS CORPORIS NATVRALIS.

POstquam egimus cum Aristotele de natura, quæ est ratio formalis secundum quam corpus naturale spectat ad Physicam,& de principijs,ac causis eiusdem corporis: incipimus cum eodem de eius passionibus disputare, quæ sunt moueri, esse in loco, in tempore &c.

DISPVTATIO DECIMANONA

DE MOTV IN COMMVNI.

1 PRæcipua Passio corporis naturalis est mobilitas. natura enim definitur Principium primum motus,& quietis, vnde Aristoteles de eius passionibus acturus Tertiò *lib. Physic.* incipit disserere de motu; & quia motus est in infinitum diuisibilis, à *tex.* 24. eiusdem *lib.* instituit quæstionem de infinito, tractaturus postea *lib.* 4. *de loco, & tempore.*

2 Hæc eadem à nobis cum eodem ordine in præsenti tractatu disputabuntur, solùm discrepabimus in eo, quod de pertinentibus ad motum, nimirum de eius speciebus, deque eius vnitate, ac contrarietate, quæ Philosophus in quintum librum distulit, nos ne materias seiungamus, immediatè post ipsũ motum differemus; acturi igitur de motu, quid per hanc vocem intelligamus, omittimus, est enim adeò clarum, vt si illud explicare conemur, tenebras potius, & obscuritatem ei videamur afferre. Tantum itaque lectorem admonebimus: nomine motus in præsentia non modo transitum localem à nobis significari; sed etiam quemcunque alium, quo subiectum physicum de vna forma, seu quasi forma transit in aliam.

SECTIO PRIMA.

An detur Motus.

3 CONclusio est affirmatiua; quæ adeò patet ad sensum, vt Diogenes nullo alio argumento vsus sit contra Zenonem, qui illum negabat, nisi motu ipso, per aliquod, scilicet, spatium paululum tacitus deambulando, Aristoteles verò dixerit, infirmitatem esse intellectus de eo dubitare:

4 Obijcies tamen primò: ex Zenone probando, quod saltem motus localis, qui præcipuus est inter cæteros, non detur: Quod in quolibet *instãti* assignabili totius temporis quiescit, non mouetur. sed omnia in quolibet instanti assignabili tẽporis cuiuscunque quiescunt; ergo nihil in mundo mouetur; maior patet, quia in quolibet *instãti* totius temporis quiescere idem est, ac semper quiescere, & consequenter nunquam moueri. minor constat ex eo, quia in instanti non potest esse motus localis.

Respondeo: distinguendo maiorem: Quod *in* quoli-

Digitized by Google

quolibet instanti totius temporis quiescit, non mouetur pro quolibet instanti; concedo: non mouetur pro tempore, quod inter quælibet instantia assignabilia mediat; nego maiorem; & concessa minore; distinguo eodem modo consequens; & nego vniuersaliter maioris probationem. Ratio autem negationis est, quia motus localis dicet non fit in instanti, est tamen in tempore. Quare equus currens per horam V.G. dicet in quolibet instanti assignabili illius horæ non cucurrit, cucurrit tamen in partibus intermedijs.

5 Objicies secundò: si daretur motus localis: mobile pertransiret, quando mouetur, infinitum spatium; sed hoc est impossibile: quia infinitum pertransiri non potest; ergo &c. Sequela probatur, quia posito, quod mouendum sit mobile V.G. per miliare, prius debet pertransire medietatem illius miliaris, quam totum miliare: & rursus, prius medietatem medietatis, quam medietatem ipsam, & sic in infinitum, quia miliare est in infinitum diuisibile.

6 Respondeo distinguendo sequelam: sequeretur quod mobile deberet pertransire infinitum spatium, quatenus infinitum est, nego: quatenus finitū est, cōcedo; & distincta eodē modo minore, nego consequentiam: & dico quod miliare habet quidem, quod infinitum sit quo ad diuisibilitatē, at quo ad extētionē finitū est. Porrò mobile quādo per illud mouetur, non pertrāsit illud quā ad diuisibilitatē diuidēdo, videlicet, vel assignādo omnes eius partes, in quas est diuisibile; sed quā ad solā extensionē, coexistendo successiuè omnibus eius partibus diuisibilibus in infinitum per vnicum motum continuum, item in infinitum secundum partes suas diuisibilem.

7 Objicies tertiò: si daretur motus, nunquam mobile velocissimum apprehendere posset mobile tardissimum à se per aliquod spatium distās: sed hoc est contra experientiam; ergo &c. Sequela probatur: distet Callias V. G. qui tardissimè mouetur, ab Achylle cursore velocissimo per vlnam, & incipiant ab hoc instanti versus eandē partem, V.G. orientem versus se mouere tum sic: Dum Achylles mouetur per vlnam illam, vel Callias mouetur etiam ab extremo vlnæ, in quo supponebatur existere, vel non: secundum est cōtra suppositum; ergo primum: iam igitur in fine vlnæ Calliam Achylles non apprehendet; ibi enim non inuenit eum. ponamus igitur, quod quando Achylles reperitur in fine vlnæ, distet ab eo Callias per mediam vlnam; Quoniam verò, dum ipse Achylles dimidium vlnę pertransire debet, eodem tempore supponitur Callias se mouere; in fine dimidiæ vlnæ, neque reperietur Callias ab Achylle; & sic nunquam poterit ab illo apprehendi; quia dimidium vlnæ non est minus diuisibile in infinitum per partes proportionales, qnam sit integra vlna; ergo &c.

8 Respondeo: negando sequelam; Ad eius probationem dico: illam procedere ex suppositione falsa, & impossibili: quod, scilicet, mobile spatiū aliquod pertransiens, debeat omnes illius spatij partes assignare; quare ad hoc vt videre possimus, quo loco, & tempore apprehendere possit Calliam Achylles: statuere debemus quantum superet illum Achylles in velocitate, & quantum tēporis idem insumat ad transeurendam vlnam. ponamus igitur, quod Achylles sit duplo velocior Callia in motu, & quod Callias per vnam Aue vlnam illā cōficiat; hoc præsupposito dico: Quod in fine secundæ vlnæ Achylles illum comprehendet. cum enim hic sit duplo Callia velocior, si Callias per spatium vnius Aue vnā vlnam pertrāsit, duas eodem tempore Achylles cōficiet, illam, scilicet, priorē, per quam initio motus distabat à Callia, & posteriorem istam, per quam moueri supponitur tunc ipse Callias.

9 Objicies quartò: motus non potest produci; ergo non datur: consequentia patet, quia quod datur de nouo in mundo, producibile est. Antecedens probatur, nam quod producitur, per motum produci debet: si igitur motus esset producibilis, concedendus esset motus ad motum, & cum non sit maior ratio de productione huius motus, quam de alterius productione: deberet admitti processus in infinitum in productionibus motuum.

Respondeo: negando Antecedens, & eius distinguo probationem: quod producitur tanquam terminus, concedo, quod per motum producatur; quod producitur tanquam via, nego: sic enim satis est, si motus ipse, qui se habet, vt via ad terminum, sit sibi, vt quo & vt quod respectu suæ productionis.

10 Objicies quintò: si quis motu saltem recto moueretur: vel moueretur in loco in quo est, vel moueretur in loco, in quo non est; neutrum dici potest: ergo saltem motus rectus negandus est; maior patet, minor probatur: non. Primum, quia de essentia motus recti est, quod per eum mobile deferat locum in qno est: neque secūdum, quia non potest aliquis moueri vbi non est: ergo &c.

Respondeo: negādo minorem, dico enim mobile moueri motu recto in loco, in quo est, dum mouetur. Ad probationem in contrarium: dico de essentia motus recti solum esse, vt per eum mobile, quando incipit moueri deferat locum, in quo erat, quando quiescebat.

SECTIO SECVNDA

Traditur, & explicatur Definitio motus.

11 VNica Conclusio rectè motus ab Arist. *lib. 3. physic. tex. 6.* definitur cum dicitur: Actus eius, quod in potentia existit, prout huiusmodi, hoc est, vt communiter exponunt interpretes, Actus entis in potentia, prout in potentia, quam definitionem omnes quidem admittunt; sed non omnes eodem modo illam interpretantur.

12 Dicitur primò (Actus) quæ particula habet se loco generis, per quod motus conuenit cum cæteris formis, quæ actus suorum subiectorum appellantur; Verum verò sit actus primus, vel secundus, dubium est; Verum quæstio videtur esse de nomine; qui enim appellant illum actum primum, nomine actus primi ipsam formæ productionem intelligunt, in quātum est quidam actus formam ipsam antecedens, quæ forma, quia ad sui productionem consequitur: eam actum secundum esse dicūt; Qui verò malunt illum appellare actum secundum cum Arist. 2. *de Anima tex. 2.*

pu-

Digitized by Google

putatur actum primum esse virtutem operatiuam, cui operatio ipsa tanquam actus secundus correspondet; ex quo patet, quod in rigore philosophico motus appellandus est potius actus secundus, sed imperfectus. Perfectus enim est terminus ad quem illius. Neque obstat, quod in textu greco motus à Philosopho, Endelechia, aliquando dicatur; quia licèt propriè nomen hoc perfectum actum, significet: vsu tamen obtinuit, vt pro omni actu siuè perfecto, siuè imperfecto accipiatur.

13 Dicitur secundò: (Entis) per quod denotatur subiectum mobile, vt docet Aristoteles hic à *text. 11* omne enim, quod mouetur, debet esse ens reale positiuum, quoniam verò id, quod adueniens alicui transferendo illud de potentia ad actum, se habet respectu illius, vt actus: hinc fit vt rectè motus dicatur actus entis.

14 Dicitur tertiò: (*in potentia,*) intellige tu, passiua, non quidem ad ipsum motum recipiendum respectu cuius subiectum iam est in actu, sed ad terminum, ad quem motus. Porrò subiectum aliquod dupliciter concipi potest esse in potentia ad perfectam aliquam formam: Primò quatenus est sub priuatione talis formæ, quo pacto dicitur esse in potentia habitualiter, & in actu primo; Secundò quatenus est in acquisitione, & via, seu potius tendentia ad illam, & sic dicitur esse in potentia ad eandem formam actualiter, & in actu secundo. Motus autem est actus constituens subiectum in potentia ad formam perfectam non primo, sed secundo modo, per quod distinguitur etiam ab ipsis potentijs, siuè actiuis siuè passiuis, quæ constituunt subiectum in potentia habitualiter; Iam verò huiusmodi tendentia quam dicit essentialiter motus, implicitè inuoluit in suo conceptu, tum terminum à quo discedit mobile, tum terminum ad quem tendit, verùque enim de suo conceptu tendentia importet.

15 Dicitur quartò, (quatenus huiusmodi;) seu quod idem est, (prout in potentia), quæ reduplicatio ponitur, ne quis existimet non esse de essentia motus constituere subiectum, in quo est, in actuali tendentia ad terminum, sed ad summum esse eius conditionem; quod quidem falsum est; nam sicuti est de essentia actus perfecti ponere subiectum in termino ad quem motus, & de essentia potentiæ habitualis facere, vt illud nondum moueatur: ita & de essentia motus est ponere subiectum modo quodammodo inter puram potentiam, & actum perfectum, vt eius beneficio mobile partim sit in potentia & partim in actu; ac reducatur formaliter ad actum de illa potentia, quam habebat ad ipsum moueri, & per quam in esse mobilis habitualiter constituebatur; definitio autem sic explicata.

16 Probatur ex impugnatione cæterarum definitionum, quas alij tradiderunt; Nam quidam definiere motum esse alteritatem, alij inæqualitatē, alij verò esse quoddam non ens, quidam denique, quod esset exitus de potentia in actum non subito; & quidem quantum ad tres priores explicationes patet eas non esse bonas: quia si motus esset, vel non ens, vel inæqualitas, vel alteritas: sequeretur quod omne nō ens, vel omne inæquale, vel denique omne dissimile alteri semper moueretur; quod est saltè falsum; quantum verò ad quartam constat ex eo, quia exitus est quædam species motus: subiti, verò notio in sui definitione admittit tempus, est enim instans, quod est indiuisibile in tempore; tempus autem definitur per ipsum motum ex Aristotele: ergo &c. Confirmatur Conclusio ex eo, quia definitio sic à nobis explicata rectè declarat, & distinguit motus essentiam; adeò vt Simplicius admirabilem eam esse dixerit.

Quod autem tradita explicatio sit ad mentem 17
Philosophi, euidenter colligitur ex *text. 15. lib. 3. physic.* vbi hæc habentur; Et motus actus quidem aliquis esse videtur imperfectum, causa autem est, quoniam imperfectum est ipsum possibile, cuius est actus motus, & ob hoc iam difficile est accipere, quod ipsum sit: aut enim in priuationem necesse est ponere, aut in potentiam, aut in actum simplicem. horum autem nullum videtur esse posse; relinquitur igitur dictus modus actum quidem quendam esse, talem autem actum, qualem diximus. sic Aristoteles.

Obijcies tamen primò: Tradita definitio com- 18
petit formæ substantiali, atque adeò alteri à definito; ergo &c. Antecedens probatur, quia forma substātialis est actus materiæ, vt materia est; ergo est actus entis in potentia prout in potentia. Probatur consequentia, quia materia, vt materia essentialiter dicit esse potentiam.

Respondeo: negando antecedens; & ad eius probationem, concesso antecedente, nego consequentiam; Ad huius autem confirmationem dico: aliud esse materiam esse potentiam, aliud verò esse in potentia: Primum est prædicatum materiæ essentiale; Secundum verò accidentale, quod tādiù potest de materia respectu formæ prædicari; quandiù habet aliquod per quod sub forma illa positiuè, & formaliter non potest intelligi; siuè demum hoc sit priuatio talis formæ, siuè tendentia ad illam: posito autem quod ipsa materia intelligitur sub dicta forma, iam incipit habere prædicatum illi oppositum, quod scilicet, respectu illius iam sit in actu; idemque dici proportionaliter potest de materia rerum artefactarum.

Instabis forma seminis est substantialis, & ta- 19
men constituit subiectum in potentia, prout in potenia ad formam illius rei, cuius est semen; ergo nulla responsio.

Respondeo: negando antecedens; seminis enim forma, licèt ratione sui sit subordinata formæ rei, cuius est semen, in quantum eius intuitu à natura producitur: quia tamen de se non ponit materiā in qua est, formaliter in actuali tendentia ad formam illam, sed tantum dispositiuè, ratione, scilicet dispositionum, quas requirit, & per modum habitus; hinc fit, vt potius dicenda sit constituere subiectum in actu, quam in potentia.

Obijcies secundò: Vna pars motus semper cō- 20
stituit subiectum in actuali tendentia ad alias partes subsequentes; motus igitur non est actus entis in potentia ad formam vltimam; Antecedēs probatur, quia motus successiuus est diuisibilis in infinitum. Confirmatur, quia in ordine ad illam rem motus constituit subiectum in potentia, quæ non est simul cum ipso motu in tali subiecto, sed

aliæ

Digitized by Google

aliæ partes motus subsequentes sunt huiusmodi; non autem forma, quæ per motum acquiritur: vt patet in calefactione, quæ, cum successiua sit, quando est in subiecto secundum vnam partem, non est in illo secundum alias: semper autem simul est in eodem subiecto cum parte caloris, quæ per ipsam acquiritur.

21 Respondeo, distinguendo antecedens: vna pars motus constituit subiectum in actuali tendentia ad alias, tanquam ad absolutam perfectionem subiecti, nego: tanquam ad aliquid ex suo genere essentialiter imperfectum, transeat antecedens; & nego consequentiam; Ratio negationis est, quia motus est essentialiter actus imperfecti tendentis ad perfectum: vt apertè colligitur ex Arist. hic *text.* 10. quoniam verò partes motus subsequentes sunt eiusdem rationis cum antecedente: hinc fit, vt pars antecedens non possit ad illas comparari, vt motus; sed comparari debeat sic ad solam formam, quæ est absolutè mobilis perfectio; non negauerim tamen quod, si sermo sit de motu in ratione successiui, vt sic, & de partibus eius determinatis, concedi potest antecedens, & negari consequentia, aliud enim est loqui de motu, vt motus est, aliud verò de motu quatenus est successiuus.

22 Ad confirmationem etiam respondeo distinguendo maiorem: in ordine ad illam rem motus constituit subiectum in potentia, quæ non est simul cum ipso motu, siuè realiter, siuè ratione, concedo: quæ non est realiter tantum, simul, nego maiorem. Ad minorem autem dico, quod licèt verum sit, quod quando in subiecto est vna pars motus, non sit alia subsequens; non tamen negandum est, quod pro eo signo, pro quo intelligitur esse motus in subiecto, non intelligatur in eo esse forma, seu quicunque alius terminus eiusdem motus, sed solùm pro sequenti signo; hoc autem sufficit ad verificandum, quo pacto motus constituat subiectum in potentia ad formam; sic enim optimè intelligitur, quod sit tendentia, & actus imperfectus respectu subiecti. Quamuis igitur simul simultate temporis motus, & terminus reperiantur in subiecto: semper tamen in illo prius saltem prioritate à quo rationis concipitur esse motus, quam forma; in quantum est tendentia ad illam; pro eo autem priori licèt subiectum actuetur ab ipso motu: quia tamen non ita perfectè actuatur, vt per eum eius potentia compleatur, sed potius ita, vt eo mediante perfectum recipiat actum; hinc fit, vt per motum dicatur constitui in potentia ad actum perfectum.

23 Obijcies tertiò: gradus remissus alicuius formæ est actus imperfectus, constituens subiectum in potentia formaliter ad intentiorem graduum; ergo hæc definitio competit alteri à definito.

Respondent quidam, concesso antecedente, negando consequentiam. putant enim motum dici actum imperfectum in quantum est forma imperfecta non perficiens totam potentialitatem subiecti, & in quantum reliquit illud in potentia ad vlteriores partes sui. Quod totum verificetur de gradu remisso qualitatis; vnde non est mirum, si hic respectu intentioris habeat rationē motus. ita ferè Albertus 2. *Physic. cap.* 3. cū alijs.

Sed non rectè, siquidem vel gradus remissus 24
formæ V.G. caloris, vt vnum habet rationem motus secundum se, vel quatenus connotat alios gradus immediatè subsequentes. Primum dici nequit: alioquin quoties in subiecto reperiretur calor, vt vnum, deberet dictum subiectum moueri ad calorem, vt duo. Neque secundum, tum quia per accidens est, quod primus gradus connoter post se de facto introductionem secundi, potest enim secundus sæpè non introduci, & sic per accidens remissus haberet rationem motus: tum etiam, quia si post quam introductus est primus gradus, per decem horas mobile quiesceret, & postea inciperet acquirere secūdum gradum, in tali casu sequeretur, quod in fine decimæ horæ deberet dici, quod moueretur; haberet enim calorem, vt vnum connotantem immediatè post calorem, vt duo, in quo per Aduersarios ratio calefactionis consisteret; nihilominus tamen supponitur subiectum per totam decimam horam quieuisse, & incipere moueri vndecimæ initio.

Respondeo igitur, distinguendo antecedens, 25
quo ad vtranque partem: gradus remissus alicuius formæ est actus imperfectus, secundum suam essentiam, & secundum vltimam differentiam nego: secundum suam veluti materialitatem, & rationem indiuidualem, concedo hanc partem antecedentis: præterea, constituit subiectum in potentia ad intensiorem gradum, scilicet, in actuali tendentia nego; in potentia habituali, concedo; & nego consequentiam. Per hoc enim 26
gradus remissus alicuius formæ essentialiter differt à motu, quia motus secundum suam differētialem rationem est actus imperfectus reductiuè pertinens ad sui termini prædicamentum, ita vt essentialiter constituat subiectum, in quo est in actuali tendentia ad ipsum terminum; at verò gradus remissus, si secundum essentiam suam consideretur est actus perfectus, per se pertinens ad prædicamentum: imperfectus autem solùm materialiter; in quātum non habet omnes illas partes, quas habere potest, præterea constituit subiectum simpliciter in actu; & secundum quid in potentia habituali ad vlteriores gradus.

Obijcies quartò: cum Ouiedo *contron.* 12. *punct. 6. num.* 4. motus est, per quod formaliter subiectum actu recipit, & actu causat terminum; ergo motus non constituit formaliter subiectum in potentia ad ipsum terminum; cōsequentia patet, quia hoc ipso, quod motus est id, per quod formaliter subiectum actu recipit, & causat terminum, iam est ipsa formalissima actuatio termini in subiecto; ergo constituit illud in actu, & nō in potentia.

Confirmatur, quia ex vi actionis terminus, vel est actu receptus, & causatus à subiecto, vel non; si est actu receptus, & causatus; ergo iam, posita actione, subiectum non est in potentia, sed in actu ad terminum. Secundum autem non videtur dicendum.

Respondeo: antecedens falsum esse in mea 27
sententia, qua sustinui subiectum non nisi per se ipsum tanquam per rationem formalem recipere, & causare formam: Quod si dicamus cum contraria sententia causalitatem materialem esse

Digitized by Google

modum, non illicò sequitur id, quod in antecedente assumitur, verum esse; quia multi sunt, qui putant motum formaliter nō reddere subiectum actuatum forma : sed reddere illud tendens ad formam actu in se habendam, beneficio vnionis. sic Giattinus *q. 10. art. 1.*

28 Verum ego ab huiusmodi sententiarum diuersitate præscindendo, dato antecedente, negarē adhuc consequentiam; ad cuius probationem dicerem, quod ex eo, quod motus esset id, per quod formaliter subiectum actu causaret terminum nō benè deducatur, quod sit formalissima actuatio termini in subiecto, nam causalitas semper intelligitur, vel simul, vel aliquo modo prior termino causato ; Contra verò actuatio formæ intelligitur aliquo modo posterior ipsa forma; pro eo autem priori iam potest habere rationem mutationis, cuius beneficio subiectum constituatur in potentia, seu tendentia ad terminum in posteriori habendum. Per quæ patet responsio; ad confirmationem dico enim, quod in mea sententia ex vi actionis terminus non est actu formaliter receptus, & causatus à subiecto : in sententia verò aliorum dicerem, quod etiam si ex vi actionis realiter sumptæ terminus esset receptus, & causatus à subiecto, at non ex vi actionis acceptæ formaliter in ratione motus ; quia sub hac ratione subiectum constituitur solùm in transitu de potentia habituali ad actum perfectum.

29 Obijcies quintò : ex eodem *nu. 5.* Verba illa (quatenus in potentia) non sunt apud Aristotelem ; Sic enim ipse definiuit motum : Est actus eius, quod potentia est, quatenus tale est, hoc est quatenus potentia in recto. Sed ens, quod est potentia in rectò est mobile ; ergo melius definitur motus cum dicitur est actus mobilis quatenus mobile existit, quam definitionem habemus apud Aristotelem *3. Physic. text. 16.*

Respondeo, quod licèt in Tex. Græco non sint formaliter illa verba (quatenus in potentia) : sunt tamen æquiualenter, dum dicitur motus esse actus entis in potentia tale, quæ reduplicatio est supra verba antecedentia cadat, eundem sensum præbet, ac quatenus in potentia. Quantum verò ad id, quod in definitione (potentia) veniat in recto, dico falsum esse; quia vt benè notat Giattinus in Græco textu habetur datiuus æquiualens nostro ablatiuo ; cui ad tollendam æquiuocationem, in quam Ouiedus incidit, addita est particula, (In.) Quod denique ad definitionem illam spectat, in qua motus ab Aristotele dicitur esse Actus mobilis quatenus mobile existit : Dico, eam nōn esse reijciendam : præferetur tamen illi prior à nobis assignata, quia prior est à causa formali, ea verò à materiali; & illa se habet, vt principium hæc verò, vt Conclusio, quia infertur ex illa, eamque supponit; cum enim per hoc mouens distinguatur à mobili ; quod mouens sit ens in actu, mobile verò ens in potentia : hoc ipso, quod motus est actus entis in potentia quatenus in potentia, sequitur, quod sit actus mobilis quatenus mobile est.

SECTIO TERTIA

An tradita definitio motus de se competat instantaneo.

MOtus Instantaneus est ille, qui fit in instanti; & hoc ideò, quia subiectum, quod mouetur non acquirit eius terminum per partes, sed totum simul ; cuiusmodi est illuminatio, intellectio &c. Successiuus verò est ille, qui fit in tempore, eò quod subiectum, quod per illum mouetur non acquirit eius terminum simul, sed per partes, cuiusmodi est calefactio. Constat autem successiuum venire absolutè nomine motus, eique traditam definitionem tum in rei veritate, tum etiam ex mente Aristotelis competere. Et rectè id quidem; nam, vt ait P. Ioseph Agustinus *prima part. qu. 10. art. 1. diff. 1. n. 3.* motus hic semper est admixtus cum priuatione termini, ad quem tendit, saltem secundum partem, & inadequatè : dum enim durat nunquam est totus terminus in subiecto ; Vtrum autem competat motui instantaneo, qui ab Aristotele dici solet mutatio, hoc in præsentia quærimus, & quidem bifariam, Primò in rei veritate, de quo in sectione præsenti, Secundò ex mente Philosophi ; de quo in sequēti; pro præsenti autem. 30

Nostra Conclusio est: Definitio motus de se competit motui non solùm successiuo, sed etiam instantaneo. Est expressa sententia D. Thom. hic *3. phys. lect. 2.* & *5. phys. lect. 7.* Suarij *disp. 49. metaph. sect. 2. num. 10.* Toleti *2. physic. quæst. 1.* Rubij *cap. 3. trac. 1. q. 2.* & communis, apud Philosophos; vt docet Arriaga *disp. 12. phys. sect. 5.* quidquid in contrarium dicāt Recētiores quidam sequuti Zabarellam, Fonsecam, Pererium, Conimbricenses, & alios.

Probatur Primò Conclusio ; motus instantaneus est propriè actus entis in potentia, prout in potentia; ergo ei competit definitio: antecedens probatur applicādo ei singulas definitionis particulas. Et Primò quidem, ille est actus, quia verè subiectum actuat, in quo reperitur. Secundò est actus entis in potentia, quia non constituit formaliter subiectum, in quo est sub termino vltimò, in ordine ad quem tale subiectum dicebatur esse habitualiter in potentia sed constituit illud in via, atque tendentia ad terminum; vnde non solùm non aufert ab eo formaliter potentialitatem, quin imò illam ei affert in quantum est de se formaliter actus imperfectus, medius inter potentiam habitualem, & actum perfectum. 31

Probatur Secundò : expugnando aduersariorum fundamentum ; In tantum enim illi negant motum instantaneum sub hac definitione comprehendi : in quantum videtur mobile per eum nōn constitui in potentia ad formam ex eo quia in eodem instanti simul cum eo obtinet ipsam formam; Sed si hæc ratio haberet vim, probaret etiam, quod neque motus successiuus comprehenderetur sub hac definitione ; ergo &c. maior ex doctrina illorum ; minor verò probatur : motus successiuus, vel sola ratione ratiocinata, vel modaliter à suo termino distinguitur; ergo pro eodem 32

Digitized by Google

dem tempore, pro quo illic est in subiecto semper in eodem subiecto reperiri debet eius terminus. Quod etiam confirmatur ex eo, quia motus aliud nihil est, quam acquisitio termini, implicat autē dari acquisitionem rei sine re, quæ per ipsam acquiritur, vt patet ex calefactione; hæc enim impossibile est, quod secundum aliquam sui partem sit in aqua V.G. absque eo, quod proportionaliter pars caloris illi correspondēs in eadem aqua cum ea coniungatur; ergo si ex eo, quod motus instantaneus simul est in eodem instanti in subiecto cum forma, inferunt illum non constituere subiectum in potentia ad eamdem formam sequitur, quod neque motus successiuus constituat subiectum in potentia ad suum terminum, semper enim simul cum illo reperitur.

33 Dices motum successiuum esse actum entis in potentia, quia non dat subiecto totam formam perfectam, sed semper, quandiu est, relinquit illud cum reali priuatione subsequentis partis formæ.

Contra tamen est primò, quia licèt hoc, quod dicunt Aduersarij concedi possit de singulis partibus motus distributiuè sumptis: falsum tamen est si fermo sit de toto motu totaliter accepto; quod sic probo sumendo calefactionem, vt posita, quæ duret V.G. per horam. Calefactio ista secūdum se tota non constituit subiectum in potentia ad vlteriores partes formæ, sed dat subiecto formam perfectam; nam quemadmodum quilibet pars illius dat partem formæ sibi correspondentem: ita tota dabit totam formam; si igitur verum esset aduersariorum effugium saltem motui successiuo sumpto secundum se totum non competeret tradita definitio. Porrò hoc Argumentum adeò illos vrget, vt non audeant negare consequentiam; neque tamen ex hoc improbabilitatem suæ sententiæ colligunt, nam motus totus totaliter sumptus cum non mutet speciem, retinere debet essentiam motus.

Contra secundò, quia si motus successiuus ratione formæ imperfectæ, quam affert subiecto deberet dici actus entis in potētia sequeretur, quod partes illius non constituerent subiectum in potentia ad partes formæ sibi correspondentes, sed ad partes formæ correspondentes partibus subsequentibus ipsius motus; sed hoc dici nequit; ergo &c. sequela probatur, quia per Aduersarios motus constituere debet subiectum in potentia ad formam seu terminum cum reali priuatione ipsius formæ; partes autem motus simul sunt cū partibus formę sibi correspondentibus, & solùm 34 sunt coniunctæ cum primione partium formæ correspondentium sequentibus partibus eiusdem motus; ergo in ordine ad has partes formæ constituunt subiectum in potentia. Minor verò probatur, quia ad illas partes formæ debent constituere subiectum in potentia partes antecedentes, respectu quarum sunt acquisitæ, sed sunt acquisitæ solùm respectu partium sibi correspondentium formæ, non autem respectu illarum, quæ correspondent subsequentibus partibus motus hę enim partes formæ subsequentes formaliter acquiruntur nō per partes motus antecedētis, sed per illas, quæ sibi proportionaliter correspondent; ergo &c. Atque ex his remanet occlusa fuga dicentium calefactionem, vt vnum, secundum partes distributiuè acceptas semper esse coniunctam cum negatione caloris, vt vnum, & hoc sufficere ad intentum; verum ex dictis constat non sufficere, siquidem quælibet pars distributiua calefactionis, vt vnum, non habet pro termino calorem, vt vnum collectiuè, sed solam distributiuam partem sibi correspondentem; non igitur stat cum negatione sui termini.

Obijcies primò: motus instantaneus non constituit subiectum in potentia ad terminum, siue formam; ergo non comprehenditur sub definitione tradita; antecedens probatur, constituit subiectum in potentia ad terminum est formaliter carere termino, sed motus instantaneus non constituit subiectum in carentia termini; ergo non constituit illud in potentia ad terminum; maior videtur certa, minor probatur, quia motus instantaneus est in subiecto simul cum termino. 35

Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem, distinguo maiorem: constituit subiectū in potentia habitualiter est formaliter carere termino concedo; actualiter nego; Quod si quæras, quid sit subiectum constitui in potentia ad terminum actualiter: dico, quod formaliter importet discedere à priuatione termini & accedere ad ipsum terminum motus ideò igitur motus constituit subiectum in potentia, quatenus facit, vt subiectum pro eo signo, pro quo illum habet, neque intelligatur habere carentiam termini, neque terminum, atque adeò ab vtroque præscindat; non quomodocunque, sed duplici connotatione; altera, qua connotet priuationem in recedendo; altera verò, qua connotet terminum ad quem immediatè post obtinendum; quidquid sit de reliquo num realiter sit simul cum motu terminus in subiecto, an non? sufficit enim prioritas rationis, vt motus intelligatur cōstituere subiectum in via, & per consequens in potentia actuali ad terminum.

Obijcies secundò: si mutatio instantanea haberet rationem motus definiti, sequeretur, quod subiectum in eodem instanti moueretur, & quiesceret; sed hoc implicat; ergo. Minor patet, sequela probatur, & quidem, quod moueretur in eo instanti, posito quod instantaneam mutationem cum subiret, est nostra doctrina; quod verò pro eodem instanti quiesceret: probatur, quia in posteriori signo ad mutationem intelligeretur esse sub forma in facto esse, quemadmodum igitur sufficit ad rationem motus si intelligatur fieri formæ: ita ad rationem quietis sufficere debet factum esse eiusdem formæ, quod est in secundo signo rationis. 36

Respondeo, negando sequelam, ad eius probationem dico subiectum in illo instanti temporis realis debere absolutè dici, quod moueatur, nō autem, quod quiescat. Ad probationem secundæ partis aio, quod ad hoc, vt aliquod censeatur quiescere, non sufficit, si intelligatur sub forma in facto esse quomodocunque; sed requiritur etiā quod absolutè habeat tunc negationem motus. Et ratio huius rei est, quia nos quietis nomine intelligimus vel priuationē ipsam motus, vel permanentiam in termino iam acquisito per motū 37 quam eadem priuatio comitetur; interueniens in-

instanti etiam si sit factum esse formæ, quia tamen est simul cum fieri, hinc est, quod neque negatio motus sit, neque permanentia in termino per ipsum motum acquisito. hoc autem totum ex Aristot. confirmatur, qui 6. *physic. text.* 30. Id propriè quiescere dixit, quod eodem modo se habet nunc sicuti prius: quod de subiecto motus instantanei neque pro illo instanti reali, pro quo mouetur, verificari potest, neque pro secundo signo rationis, pro quo intelligitur esse primò sub forma in facto esse.

38 Instabis: saltem deberet dici, si instantanea mutatio daretur: quod in eodem instanti reali subiectum haberet, & non haberet formam, quodque moueretur, & non moueretur; non haberet quidem formam, & moueretur pro priori signo: haberet verò formam, & non moueretur pro posteriore, sed hæc sunt contradictoria; ergo &c.

Respondeo, negando sequelam; ad eius probationem dico, quod pro eo instanti ea verificari debent de subiecto, quæ affirmatiua sunt, scilicet, quod moueatur, quodque habeat formam: non autem negatiua nisi cum addito. quia negatio est malignantis naturæ, &, vt veritatem habeat, necesse est, vt pro nullo signo rationis in eo instanti reali contento subiectum sit sub affirmatione. Porrò addita, quæ negatiuas propositiones verificarent essent hæc: subiectum quantum est ex vi formæ non mouetur pro illo instanti: quantum est ex vi motus non habet formam, quas responsiones inuiti adhibere debent Aduersarij, si contra eos fiant huiusmodi argumenta; atque hæc pro prima dubitatione; pro secunda verò sit

SECTIO QVARTA

Ne tradita motus definitio in sententia Aristotelis competat motui instantaneo.

39 CONclusio est affirmatiua, & est Sancti Thomæ *loc. cit.* Simplicij 3. *phys. comm.* 4. 5. 6. 7 & 8. vbi docet Philosophum in definitione motus agere de motu prout ab instantaneo, & successiuo præscindit, & solum *lib.* 5. mutationem instantaneam à successiua distinguere, est etiã Themistoclis, Auerrois, Philopoli, Buridani, Ferrariensis, Zimaræ, Pauli Veneti, & aliorum contra quàm plurimos Recentiores.

40 Probatur primò: ex *text.* 1. *huius* 3. *libri*, vbi hæc habet Aristoteles; Quoniam autem natura quidem est principium motus, & mutationis, methodus autem nobis de naturæ est? non latere hos oportet quid sit motus; necessarium enim est, ignorato ipso, ignorari etiam naturam. ex quibus verbis formo sic argumentum: motum illum intendit hic Philosophus definire, quo ignorato, ignoratur natura. Sed ignorato solo motu successiuo natura non ignoratur; ergo non intendit hic definire solum motum successiuum; minor probatur, quia non solùm ex notione motus successiui deuenimus in cognitionem naturæ, sed etiã ex notione instantanei; quare si quis motum omnem successiuum ignoraret, mutationes verò instantaneas, vt illuminationem, visionem &c. cognosceret, optimè naturæ cognitionem haberet; reuera enim hæc est causa harum mutationum; ergo &c.

41 Neque dicas mutatione instantanea ignorata ignorari naturam, non quia ea sit verus motus à natura proueniens, sed quia est terminus motus successiui, cuius principium est natura: Ne id dicas, inquam, quia, potest dari secundum se instantanea mutatio, quæ non sit terminus motus successiui; & eam fuisse agnitam ab Aristotele fatentur ipsimet Aduersarij. Neque iterum addas, quod sicuti in eadem definitione Aristoteles non definiuit solùm motum prouenientem à natura, ita neque omnem; Contra enim est, quia si non definiuisset Philosophus omnem motum, cuius naturæ est Principium non seruasset ordinem doctrinæ, cum enim *lib.* 2. dixisset naturam esse essentialiter principium motus: fuisset mancus in eo, quod non adæquatè in tertio de omni illo motu egisset, cuius natura est principium; at verò per hoc, quod ab vniuersalioribus tradendo definitionem motus prout præscindit à naturali, & violento, inceperit: præstat id, quod initio Physicæ pollicitus est; nam ad habendam scientiam de specie, sicuti est motus naturalis à nullo alio melius incipitur, quam à definitione generis.

42 Neque denique dicas: Aristotelem non intendisse ignorato motu à se definito ignorari omninò naturam; sed solùm magna ex parte; quod constat ex eo, quia natura est etiam principium quietis, quam si quis cognosceret, adhuc naturæ cognitionem haberet. Contra tamen, quia hoc est vim inferre textui, contradictorium penè sensui attribuendo, idem enim est dicere solùm magna ex parte ignorari, ac simpliciter, & absolutè cognosci; Neque id, quod dicitur de quietè habet vim; quies enim cum sit perseuerantia in esse habito per motum, nequit cognosci absque eo, quod motus ipse cognoscatur.

43 Probatur secundò, *ex prædicamento qualitatis, & ex 5. metaph. text.* 18. vbi dicitur, quod motus est quaneus, & continuus manum per accidens. Neque dicas Philosophum hic loqui solùm de continuitate subiectiua, quam scilicet habet motus ratione subiecti, cuius beneficio mensuratur loco, non autem de successiua, per quam commensuratur tempori. Ne id dicas, inquam, quia ideò subiectiua continuitas per accidens in sua sententia competit motui, quia potest haberi conceptus motus sine illa, sed etiam haberi potest sine successiua; ergo &c.

44 Minorem huius probatur, quia si daretur ages potens subito producere in subiecto vnã formã, & ab eo contrariam expellere, tunc haberetur conceptus motus; reuera enim subiectum illud de vno contrario in aliud mutaretur; ergo &c. Quod si motus localis non potest esse in instanti, id oritur ex speciali sua differentia, quatenus eius beneficio mobile debet coexistere prius vni deinde alteri parti spatij maioris se, atque adeò quando 12. *metaph. text.* 26. dicitur, quod tempus sit passio motus, in rigore de latione verificetur, minus verò rigorosè de cæteris, quatenus, scilicet, tempus est aliquo modo eorum extrinseca mensura. Confirmatur etiam ex 1. 2. 5. *libri tertij*, vbi

Digitized by Google

vbi concludit Aristoteles tot esse species motus, quot sunt entis, atqui dari species entis indiuisibilis etiam in prædicamento qualitatis cõcedũt Aduersarij, negant verò dari speciem motus indiuisibilis in sententia Aristotelis; quam verò id rectè faciant ipsi viderint; certè asserere, quod dicta definitio competat motui instantaneo de se, non verò de mente Philosophi, consistere nequit absque eo, quod concedatur in eius sententia definitionem esse æquiuocam.

45 Probatur denique tertiò: ex 2. *physic. tex.* 29. & *ex* 5. *metaph. tex.* 5, vbi Arist. definiens causam efficientem, ait: eam esse principium vnde motus; sed causa efficiens non solùm est Principium motus successiui, sed etiam instantanei mutationis, nomine ergo motus in eius definitione, non solùm successiuus, sed etiam instantaneus debet venire. Et sic falsum est nusquam Aristotelem sub nomine motus instantaneam mutationem comprehendere; Minor huius argumenti patet ex doctrina Aduersariorum. volunt enim actus visionis illuminationis, &c. ex eo, quod sint in instanti, operationes appellari, non verò motus: cum constet principium operationum esse causam efficientem.

46 Obijcies Primò: Aristoteles hic *tex.* 1. ait motum, de quo agere aggreditur, esse de genere continuorum; sed solus motus successiuus, non autem instantaneus est huiusmodi; ergo solùm successiuum definit.

Respondeo: Philosophi verba loco citato esse hæc: videtur autem motus continuorum esse; ex quibus patet, eum loqui iuxta communem vulgi captum, qui motum semper cum aliqua continuatione, atque successione apprehendat, no quod successiuus maximè est sensibilis; Iam verò illud dictum asseruit, vt rationem afferret, quare post motum de infinito ageret: quia scilicet infinitum apparet in continuo; Quod autem in hoc non ex propria sententia loquutus sit, patet ex initio *tex.* 2. immediatè sequentis, vbi sic subdidit: ad hæc autem sine loco, & vacuo, & tempore impossibile est, esse motum; manifestum autem est vacuum in eius sententia maximè impedire motum adeò, vt motus in vacuo non posse fieri existimauerit.

47 Obijcies Secundò: Idem 3. *de anima tex.* 28. docet: sentire, & intelligere non esse motus, cuius rei rationem reddens ait: motus enim erat actus imperfecti; ergo &c.

Respondeo: vnum ex præcipuis locis Aristotelis, qui nobis faueat, esse hunc, quem pro se citant Aduersarij; ibi enim expressè dicitur, quod sentire sit alia species motus; Pro qua re sciendum: nomen motus à Philosopho sumi dupliciter: Primò prout præscindit à successiuo, & instantaneo; Secundò verò pro solo motu successiuo, eo quod maximè in illo motus imperfectio appareat, in quantum ita constitutum subiectum, in tendentia ad formam, vt dum ipse est in subiecto semper in eo realiter carentia alicuius partis formæ reperiatur; propter quod speciali quadam ratione motum istum appellare solet idem Philosophus actum imperfecti.

48 Quoniam verò sentire, & intelligere cum sint in instanti, hoc non habent, sed in eodem instanti pro quo sunt in subiecto, illi afferunt totam formam: hinc est, vt ab eo dicantur non esse motus, scilicet, successiui, quia non sunt realiter actus imperfecti, benè tamen esse alias species motus in genere sumpti, hoc est instantanei; audi Philosophum; videtur autem sensibile ex sensitiuo, quod potentia est sensitiuum actu facere, non enim patitur neque alteratur, Vnde alia est hæc species motus; motus enim actus erat imperfecti, simpliciter autem actus, qui perfecti est alius est; Ex quo habes manifestè per Aristotelem mutationem instantaneam esse speciem motus in communi quamuis non habeat imperfectionem motus successiui.

Obijcies Tertiò: Idem 5. *metaph. tex.* 8. & 9. 49
expressè negat generationem & corruptionem esse motus; sed hæc sunt instantaneæ mutationes; ergo instantanea mutatio per Aristotelem non est motus.

Respondeo Philosophum *lib.* 5. citato primò distinxisse motum propriè dictum à quacunque alia mutatione, & quatuor illi conditiones assignasse; quarum Prima est, vt eius subiectum sit quid completum, & hoc aliquid: Secunda, vt sit inter terminos positiuè contrarios, V. G. inter calorem & frigus. Tertia, vt subiectum eandem sub vtroque extremo denominationem retineat. Quarta dénique, vt fiat in tempore, & successiuè; quas conditiones non participant, nisi motus ad quantitatem, qualitatem, & locum. quando igitur ipse negat generationem, & corruptionem esse motus, inquitur solùm de motu propriè dicto, qui cum sit species quædam imperfectissima motus: hinc est, vt absolutè sibi nomen generis vendicauerit; ad eum planè modum, quo Bruta animantia animalis nomen absolutè prolatum communiter sibi vendicant. quod autem in hac sola acceptione generationem, & corruptionem à ratione motus excluserit patet ex eo, quia nullã aliam ibi rationem assignauit de hoc, nisi quia eorum subiectum non sit ens completum.

Obijcies Quartò; Idem 9. *meth. tex.* 11. hæc 50
habet: Omnis enim motus imperfectus, extenuatio, disciplinatio, ustio, ædificatio; hæ enim sunt motus, & imperfecti profecto, non enim simul ædificat, & ædificauit, &c. Videt autem, & videt simul idem est, & intelligit, & intellexit huiusmodi igitur appello operationem, illam autem motum. Ex quibus patet: mutationẽ instantaneam ab Aristotele appellari operationẽ, & negari dicendum esse motum non propter aliam rationem, nisi quia est simul in subiecto cum forma.

Respondeo: mirari me aduersarios vim facere 51
in hoc textu, quem Typographus admonet nunquã fuisse à Latinis Philosophis consideratum, sed à nescio, quo Kiriaco Strazza Florentino operi Aristotelico inserutum; sed demus Aduersarijs, hęc verba fuisse Aristotelis: dico illis à Philosopho negari motibus instantaneis rationem motus propriè dicti, qui ex eo, quod successiuè formam afferat subiecto, appellatur simpliciter actus imperfecti, non autem illis negari rationem motus in communi; quod patet ex eo, quia cum successiuos motus numerasset, addidit hæc verba: (hæc enim sunt motus, & imperfecti perfecto) manifestè innuens

nuens alios dari motus, qui non sint subiectiue imperfecti actus, eo modo, quo sunt motus successiui; Atque ex his constat explicatio ad illa verba, quæ desumuntur ex 10. *lib. moral. cap.* 4. vbi Aristoteles negat voluptatem esse motum, quia in tempore, inquit, fit omnis motus, & subdit: moueri nisi in tempore quidpiam non potest: voluptatem autem affici potest; quod enim in ipso nunc fit totum quoddam est; loquitur enim hic etiam de motu prout fit inter extrema, inter quę est aliquod medium, quod ab Agente finitæ virtutis prius tempore transeundum est, quam ad aliud extremum perueniat, quod fidem Philosophus 6. *physic. tex.* 40. probat omne, quod fit, fiebat, atque adeò omne fieri esse in tempore, in eadem acceptione sumit fieri hic, in qua accepit motum eodem *lib.* 6. *tex.* 37. cum docuit, quod omne, quod mouetur in tempore, mouetur.

SECTIO QVINTA

Quomodò motus distinguatur ab actione, & Passione.

52 VNica Conclusio: motus, actio, & Passio non distinguuntur inter se realiter, sed sola ratione ratiocinata. vbi nota me hic solùm agere de actione eductiua, quæ fit dependèter à materia præexistente: non verò de creatiua, quæ neque cum motu, neque cum Passione coniuncta est. Conclusio autem sic explicata est communis.

53 Probatur Primò: ex Aristotele, qui hic *lib.* 3. *à tex.* 13. *ad* 23. exemplis probat, quo pacto possit idem actus per diuersos respectos habere rationem motus, actionis, & passionis. celebre est illud vix, qua itur Thebis Athenas, & Athenis Thebas, quæ licèt sit realiter idem spatium: sub vna tamen ratione considerata conducit Thebas, sub alia verò Athenas. sic se habet actus ille, qui licèt sit vna entitas: si tamen consideretur, vt via ad terminum dicetur Motus: si verò, vt ab Agente prouenies, & tendens in passum vocabitur Actio: si denique quatenus in subiecto recipitur illudque Agenti subijcit, Passio appellabitur.

54 Probatur Secundò: Per vnum eundemque motum realiter eam mobile, quam motiuum eo, quod erat in potentia fit in actu: & motiuum quidem fit actu mouens, mobile verò fit actu motum; ergo vnus idemque motus est actus mouentis, & mobilis; sed actus mouentis est actio, mobilis autem passio, ergo actio, & passio secundum rem sunt vnus motus, sed differunt ratione, in quantum idem est actus Agentis, vt à quo; patientis verò, vt in quo; sicuti via est via, quia ascendimus, & descendimus; licèt prout ascensus est differat à se prout consideratur, vt declivis.

Quoniam verò nostra assertio duas habebat partes, Vnam, quod motus actio, & passio sint idè realiter: Alteram, quod ratione ratiocinata inter se distinguantur.

55 Probatur Tertiò: specialiter, quo ad vtramque in particulari; Equidem quo ad Priorem sic: repugnat actionem eductiuam reperiri in aliquo subiecto, quin intelligatur subiectum illud subire aliquam mutationem præcisè ex vi entitatis dictę actionis, quam in se recipit, & quin aliquid patiatur: pati enim aliud nihil est, quam Agentis actionem sustentare; ergo hæc tria sunt idem realiter, consequentia videtur certa, quia ex positione solius modi actionis in subiecto circumscripta quacúq; alia entitate siue modali, siue reali habentur illa tria; ergo &c. Quoad verò posteriorem partem sic: hæc tria constituuntur in suo esse per rationes formales essèntialiter distinctas; ergo ratione ratiocinata inter se distinguntur: consequentia patet. Antecedens verò probatur: quia motus in suo formali conceptu dicit transitum subiecti, quod mouetur ex priuatione ad formam; vnde tria essentialiter connotat: subiectum priuationem, & terminum ad quem: Actio verò eductiua licèt terminum, ad quem, in suo conceptu includat, dicit tamen formaliter esse actum Agentis, & operationem illius; & sic, vel non connotat essentialiter priuationem, vt patet in actione conseruatiua, vel si eam connotat, habet etiam, vt sit via: per quam terminus ab Agente procedit: motus enim est solùm via, per quam mobile tendit ad terminum; Passio denique dicit de formali ipsam actionem Agentis, quatenus recipitur in subiecto, ab eoque dependet; & sic ad rationem actionis addit solùm ordinem ad subiectum.

Atque ex his satisfactum remanet quæstioni illi, qua quæri solet, quo nam modo motus à suo proximo termino distinguatur: patet enim, distingui modaliter, nam cum identificetur cum actione & passione, quæ modaliter distinguntur à termino; sequitur manifestè illum etiam ab eo hac ratione distingui. 56

Obijcies tamen primò: contra primam partem Conclusionis; motus non distinguitur realiter à termino; ergo non est idem realiter cum actione. Consequentia patet. Antecedens probatur ex Aristotele 3. *physic. tex.* 4. vbi docet motum non esse præter res, hoc est non distingui realiter à suo termino. 57

Respondeo, negando Antecedens: ad Aristotelem dico motum non esse præter res, non quia à rebus modaliter non distinguatur, sed quia nō facit distinctum prædicamentum, sed ad illud sui termini reducitur.

Obijcies Secundò: non sunt idem agere, & pati; neque docere, & discere idem sunt; ergo actio, & passio non sunt idem motus. 58

Respondeo; concesso antecedente, negando consequentiam; Disparitas est, quia actio, & passio, doctrina, & disciplina dicuntur in abstracto: agere verò, & pati docere, & discere in concreto; quare applicantur ad terminos secundum quos inter se differunt, & idò non valet consequentia; adeum planè modum, quo dicimus; eamdem esse distantiam inter duo extrema, non autem esse eadem inter se ipsa extrema distantia.

Obijcies Tertiò: Ea, quæ ita se habent, vt vnum remaneat, altero pereunte, plusquam ratione distinguuntur; sed motus, & actio ita se habent; ergo &c. minor probatur, quia post primum instans; 59

illu-

Digitized by Google

illuminationis aeris, remanet in aere actio solis conseruatiua luminis, non tamen in illo remanet mutatio instantanea, per quam de tenebroso factus est illuminatus; & ratio est, quia mutatio illa durauit tantum per instans: ergo &c.

Respondeo, distinguendo maiorem: ea quæ ita se habent, vt vnum remaneat altero pereunte secundum id, quod dicit in recto pluſquam ratione distinguuntur, concedo maiorem; altero pereunte secundum id, quod dicit connotatiuè, & in obliquo, nego maiorem; & eodem modo distincta minore, nego consequentiam. ad minoris probationem aio, quod vt motus constituat formaliter subiectum in transitu de priuatione ad formam, connotare debet in obliquo essentialiter priuationem illam immediatè antea præcessisse in eo subiecto, in quo ipse reperitur; post instans autem illuminationis, cum actus ille, qui est actio illuminatiua non possit amplius connotare priuationem luminis immediatè antea præcessisse in aere hinc est, vt non sit amplius conceptibilis sub ratione motus; in quo casu, vt videtis, perit motus non secundum id, quod in recto dicebat, nam hoc erat entitas actionis, sed solùm secundum id, quod dicebat connotatiuè, & in obliquo, seu extrinsecè, beneficio cuius rationem motus participabat.

60 Obijcies Quartò: si motus distingueretur pluſquam ratione à termino: sequeretur, quod quando mobile acquireret formam, moueretur duplici motu; sed hoc est inconueniens, sic enim daretur motus ad motum, quod est contra Aristotelem; ergo &c. sequela probatur, quia moueri est aliter se habere, sed mobile tum per receptionem entitatis motus, tum etiam per receptionem entitatis formæ aliter se haberet, si motus realiter distingueretur à forma; ergo moueretur duplici motu.

61 Respondeo, negando sequelam; ad eius probationem distinguo maiorem; moueri est aliter se habere, siuè per actum perfectum, siuè per actū imperfectum, nego maiorem, est aliter se habere per solùm actum imperfectum, qui sit fieri, via, & tendentia ad actum perfectum, concedo; & distincta eodem modo minore, nego consequentiā, dico enim quod motus Physicus non facit quomodocunque subiectum aliter se habere, siuè per fieri, siuè per factum esse tei, alioquin etiam ex sententia Aduersariorum sequeretur mobile, moueri duplici motu ratione ratiocinata distincto. Sed facit aliter se habere per solùm fieri termini. vnde si Deus creant formam extra materiam, & postea illam in materiam introduceret, moueretur quidem ipsa forma localiter; materia verò neque localiter, neque per fieri ipsius formę; sed solùm per factum esse, ac proinde nō moueretur motu physico, qui essentialiter dicit esse actum imperfectum: cæterum si nomine motus Physici intelligamus actum, qui tantum dicat imperfectionem quamdam formalem ratione subiecti de priuatione ad formam quomodocunque siuè per fieri, siuè per factum esse ipsius formæ transeuntis: non debet negari posse formam perfectam habere aliquam rationem motus quādo primò in materiam introducitur. Vnde est, vt materia censeatur mutari per receptionem animæ rationalis; quod sustinent etiam illi, qui ponunt vnionem distinctam; tam casu, quo ipsa vnio miraculosè sine concursu materiæ crearetur, dicunt nihilominus, quod materia in tali casu mutaretur quatenus de priuatione transiret ad formam, sic expressè Giattinus q. 6. *physic. art.* 1. *versus impugnatur*; cæterum quando Philosophus negat dari posse motum ad motum, loquitur de motu, qui ex sua entitate sit modus, & actus imperfectus, seu causalitas.

Obijcies Quinto: contra secundam partem Conclusionis: constitutiuum motus est ordo ad subiectum, sed constitutiuum passionis etiam in ordine ad subiectum positum est; ergo motus, & passio ne formaliter quidem inter se distinguuntur; minor patet; maior probatur, quia idem est constitutiuum, ac distinctiuum, sed motus per solum ordinem ad subiectum à creatione distinguitur; ergo per dictum ordinem etiam constituitur. 62

Respondeo: distinguendo maiorem constitutiuum adæquatum motus est ordo ad subiectum nego: inadæquatum concedo; & conceſſa minore distinguo eodem modo consequens: ad maioris autem probationem dico: quod radicaliter quidem motus per solùm ordinem ad subiectum à creatione distinguitur: at formaliter per totum hoc, quod sit actus per quem subiectum transeat à priuatione ad formam.

Obijcies Sextò: per eandem potentiam formaliter non solùm secundum id, quod dicit in recto, sed etiam secundum id, quod in obliquo habet subiectum, quod sit mobile, ac passibile; idem igitur formaliter sunt motus, & passio. 63

Respondeo: negando antecedens, subiectum enim est formaliter mobile, in quantum est imperfectè actuabile, & ponibile in via, & tendentia ad terminum: at verò est passibile, in quantum est potens, vt sic, Agentis actionem recipere, ac proinde præscindendo ab ordine ad priuationem, quam dicit essentialiter motus, qui ex hoc habet, vt sit tendentia subiecti ad formam; at verò passio constituitur per hoc, quod sit receptio actionis in subiectum, seu receptio, qua subiectum Agentis actionem in se recepit.

Obijcies Septimò: tam Actio, quam Passio inuoluit vtrumque respectum, ad Agens, scilicet, & ad subiectum: ergo actio, & passio non distinguntur inter se Ratione. Consequentia patet, antecedens probatur ex Aristotele, qui definit actionem esse actum huius in hoc: ideſt actiui in passum, passionē verò per actum huius ab hoc: ideſt passi ab Agente. 64

Respondeo, distinguendo Antecedens: tam actio, quam passio inuoluit vtrumque respectum, diuerso modo, concedo; eodem modo, nego antecedens; & consequentiam. Diuersitas autem consistit in eo, quod actio dicit explicitè signanter, & in rectò ordinem ad Agens, implicitè, verò exercitè, & in obliquo ordinem ad subiectum; Contra verò passio dicit explicitè, signatè, & in recto ordinem ad subiectum, implicitè verò, exercitè, & in obliquo ordinem ad Agens; Hoc autem rectè colligitur ex definitionibus ab Aristotele traditis, in quibus actio dicitur actus Agentis in passo; passio verò actus patientis ab Agente proueniens.

In-

Digitized by Google

65 Instabis, si tradita distinctio esset vera, sequeretur, quod actio, & passio essent ex parte obiecti vna formalitas: sed hoc est absurdum; ergo &c. minor patet, quia sic non possent constituere duo prædicamenta; sequela verò probatur, quia vtraque ex parte obiecti importaret vtrunque ordinem; differentia enim impliciti, & expliciti se tenet ex parte cognitionis.

66 Respondeo: data sequela, negando minorem, cum sua probatione; dico enim, quod cum diuersitas Prædicamentorum accidentium sumatur ex diuerso modo afficiendi substantiam; sequitur consequenter, quod si eadem formalitas ex parte obiecti diuersimodè substantiam afficiat: possit ad diuersa prædicamenta pertinere; Iam verò hanc diuersimodam afficientiam in casu nostro haberi, patet ex Agente, & passo ab vnica illa formalitate denominatis, quæ tamen inter se valdè diuersas habere debent conditiones; dixi: data sequela maioris, quia ab aliquo posset probabiliter negari, & dici, quod actio importet ordinem quidem ad Agens intrinsecè, ordinem verò ad subiectum connotatiuè solùm, & extrinsecè; Contrà verò Passio ordinem ad subiectum intrinsecè; ordinem verò ad Agens connotatiuè, & extrinsecè; In qua via certum est actionem, & passionem esse duas formalitates ex parte obiecti; neque ex hoc sequi, quod actio connotatiuè tantum, & extrinsecè esset accidens; quia habere potest intrinsecè rationem accidentis etiam si extrinsecè accidat subiecto suo, vt patet ex cognitione creata, quæ licèt sit intrinsecè accidens, extrinsecè tamen denominat obiectum cognitum.

SECTIO SEXTA

In quonam prædicamento sit motus.

67 PLotinus *lib. 5. Eneidum cap. 15. & 16. & 5. de gradibus entis cap. 5.* putauit: motum vndecimum prædicamentum constituere à decem alijs contradistinctum. Alij verò etiam contra communem sensum Philosophorum, maluerunt illum ad Prædicamentum, vel Quantitatis, vel Passionis reuocandum esse.

68 Nostra tamen Conclusio est: Motum non cõstituere peculiare prædicamentum, sed ad prædicamentum sui termini proximi reducendum esse.

Conclusio, quò ad primam partem, præter quam quod communiter recipitur, est expressè Aristotelis, qui tantum decem prædicamenta vbique cognouit; motus verò tractationem in post prædicamenta remisit: quoad secundam verò partem probatur Primò ex eodem Philosopho, qui hic *tex. 4.* docet, motum non esse præter res; & huius rei, rationem reddens, mutatur enim, inquit, semper id, quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum; quorum verborum sensus est, quod ad hæc quatuor prædicamenta sit per se motus, & extra ipsa motus minimè reperiatur.

69 Probatur secundò ratione, quo ad primam partem: Id quod prædicamentum aliquod per se constituit, vel est substantia, vel habet se per modum perficientis ipsam substantiam; & sic esse debet necessariò actus, qui absolutam aliquam perfectionem importat, sed motus neque substãtia est, neque habet se per modum perficientis substantiam formaliter; ergo &c. Maior patet, minor probatur, quia motus constituit subiectũ in via, & tendentia ad terminum; ideòque dicitur esse actus entis in potentia formaliter; atque adeò non comparatur ad subiectum, vt absoluta illius perfectio, sed vt via ad id, quod ei perfectionem adducit. Quo ad secundam verò partem probatur etiam, quia omne imperfectum ad prædicamentum sui perfecti reducendum est, vt patet ex partibus substantiæ, quæ reducuntur ad prædicamentum substantiæ, & ex differentijs essentialibus generum, quæ in latere prædicamenti suorum generum collocantur; sed motus est quid imperfectum, vt probatum est, quod ordinatur ad terminum tanquam ad absolutam eius perfectionem, in quantum est illius fieri, & incoarctio; ergo reducendus est ad prædicamentum sui termini. Verum Hìc obiter nota, non sufficere qualemcunque imperfectionem ad impediendũ, ne aliqua res peculiare constituat prædicamentum, alioquin nullum ens creatum esset in recta linea prædicamentali ponendum, cum semper aliquam inuoluat imperfectionem in conceptu suo; sed requiri imperfectionem in ordine ad subiectum, ad quod denominandum primò, & per se talis res ordinatur.

Obijcies primò: Actio, & Passio constituunt diuersa prædicamenta; ergo & motus; non enim potest huius rei disparitas assignari. 70

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; Ratio disparitatis est quia actio vt actio, comparatur ad Agens, vt eius actus secundus constituens illud absolutè, & formaliter in ratione Agentis, quæ quidem ratio absolutam aliquam perfectionem importat subiecto, quod ab ea Agens denominatur; Dare enim esse alicui, est perfectio aliqua. Sic etiam se habet passio respectu subiecti, quod ab ea dicitur passũ; non enim constituit illud in via ad terminum, sed absolutè ponit sub actione Agentis: motus verò subiectum, in quo est ponit in transitu, & in actuali tendentia ad formam, ita vt quantum est de se, non excludat imperfectionem absolutam subiecti. vide D. Thomam *3. physic. sect. 3.* vbi ait: Motum dupliciter considerari posse: vno modo, vt est actus imperfectus, & sic reduci ad prædicamentum termini, qui est actus perfectus; altero modo, prout est in hoc ab alio, vel ab hoc in aliud; & sic constituere prædicamentum Actionis, & Passionis.

Obijcies Secundò: motus constat determinato genere; ergo non est in prædicamento sui termini; Confirmatur, quia motus non accipit prædicationem dicti termini; ergo &c. 71

Respondeo: motum constare determinato genere, quod tamen sit commune omnibus prædicamentis: eius enim est actus præscindens à perfecto, & imperfecto; quare nego consequentiam. Ad confirmationẽ verò aio, quod id, quod reductiuè est in prædicamento, non potest semper accipere prædicationem illius in recto, vt patet ex subsistentia, quę non appellatur substantia, sed modus substatialis.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMA

DE SPECIEBVS MOTVS.

EX eo, quod motus sit in prædicamento sui termini, deducendum videtur, quod quemadmo-
1 dum ens diuiditur in decem summa genera, ita & motus; cum præsertim Aristoteles *lib.* 11. *metaph. cap.* 8. dicat tot esse species motus, quot entis, & *lib.* 12. *t.* 19. in omnibus prædicamentis tria requiri mutationis Principia; Verum hoc rectè procederet, si nos de motu in communi prout motum per se, & motum per accidens sub se continet, ageremus; siquidem, tum ad relationem, tum ad actionem, & passionem, datur motus per accidens vt dicit D. Th. 5. *phys. lect.* 1. in quo etiam sensu loquutus est Aristoteles locis citatis, nempè de motu prout ad motum per se, & ad motum per accidens se extendit; Quoniam verò nos hic agimus de speciebus motus per se; ideircò alia via procedere debemus, vt huiusmodi species assignemus.

SECTIO PRIMA.

Quot sunt species motus per se.

2 PRima Conclusio: Rectè diuiditur motus per se in communi in motum propriè dictum, & in mutationem propriè dictam. vbi nota vtriq; speciei apponendam esse dictam restrictionem. si enim motus, & mutatio non accipiantur propriè, inuicem confunduntur; siquidem vterque vtramque appellationem promiscuè habere potest.

Conclusio est Aristotelis; & probatur ex di-
3 scursu, quem ipse facit 5. *metaph. tit.* 7. vbi ex eo, quod motus in communi sit transitus de vno extremo in aliud, quatuor combinationes notat in huiusmodi transitu posse concipi; Prima est ex subiecto in subiectum. Secúda ex non subiecto, in non subiectum. Tertia ex non subiecto in subiectum; & Quarta ex subiecto in non subiectum. Quid autem in his combinationibus nomine subiecti intelligat Aristoteles, non omnes conueniunt.

4 Quidam dicunt: Intelligere aliquid conflatum ex ente in actu, in quo recipiatur mutatio, & ex termino à quo, vel ad quem; qui tamen affirmatiné significetur; quodcunque autem ex prædictis desit, dicunt, haberi non subiectum; vnde inferũt generationem substantialem non esse transitum de subiecto in subiectum, quia recipitur in materia prima, quæ non est ens actu.

Contra verò Ruuius *lib.* 5. *phys. cap.* 1. vult:
5 subiectum hoc loco non dici id, cui forma in hæret; sed vniuersalius pro omni eo, quod tanquam quid positiuum designatur, & nomine non subiecti id, quod tanquam quid negatiuum: vnde cõfundit subiectum cum terminis mutationis. Probabilius videtur dicendum cum alijs; nomine subiecti in dicta diuisione venire subiectum sensibile, quod dicitur esse hoc aliquod, seu subiectũ denominationis, quatenus est sub termino, à quo, & sub termino ad quem, & nomine non subiecti defectum dicti subiecti.

6 Ex quibus deducitur, quod secunda combinatio, cum ex parte vtriusque extremi importet defectum subiecti denominationis, sit impertinens ad propositum; quia motus debet necessariò esse in subiecto, quod per ipsum moueatur. Vt autẽ nos reliquas combinationes ex mente Philosophi explicemus, sciendum est: quod mutatio ex non subiecto in subiectum, vel ex subiecto in non subiectum tunc habetur, quando non manet idem subiectum sensibile, & denominationis, quod sub vtroque extremo simpliciter ostendi possit; mutatio verò ex subiecto in subiectum, quando sub vtroque extremo dictum subiectum idem remanet; Porrò in mutatione substantiali nunquam manet idem sensibile subiectum sub vtroque extremo. quando enim ex ligno generatur ignis; duplex motus concipi potest: alter generationis, quo fit ignis, alter corruptionis, quo destruitur lignum; in neutro autem habetur idem subiectum sensibile, & denominationis sub vtroque extremo, vt patet: ignis enim, qui generatur, & est subiectum denominationis generationis, solum habetur in tesmino, ad quem, non verò in termino, à quo, ipsius generationis; & lignum, quod corrumpitur, & est subiectum denominationis talis motus, solùm habetur in termino à quo, non verò in termino, ad quem, ipsius corruptionis. Contra verò in mutatione accidentali semper manet idem subiectum sensibile, & denominationis, sub vtroque extremo; nam quando ferrum ex frigido fit calidum, idem subiectum denominationis nempè ferrum habetur sub vtroque extremo; & ideò dicitur calefactio motus ex subiecto in subiectũ; idemque sentiendum est de cæteris motibus, quibus forma aliqua accidẽtalis acquiritur, vel etiam deperditur, semper enim in ijs manet idem subiectum denominationis, nempè idem substantiale compositum sub vtroque extremo.

Ex quibus patet rectè motum in communi di-
7 uidi in duas species, in motum scilicet accidentalem, & substantialem: vt enim constat ex dictis, tres illæ combinationes assignatæ ita se habent, vt duæ sint ad substantiam, & vna ad accidens; rectè igitur motus in communi diuiditur in duas dictas species. Quod autem ad accidens dicatur

Digitized by Google

motus propriè dictus; ad substantiam verò mutatio propriè dicta, illa potest esse ratio; quia de conceptu eius, quod propriè moueatur, est quod præsupponatur esse ad motum, & in termino, ad quem, motus concipiatur in eodem esse perdurare; Quod suadetur ex motu *locali*, qui est omnium præcipuus, atqui hoc non est reperire in generatione, & corruptione substantiali, vt vidimus, sed solùm in mutatione accidentali: ergo &c.

8 Confirmatur, quia ad motum propriè dictum, vt patet ex dictis supra, quatuor conditiones requirit Aristoteles. Prima vt subiectum eius sit, quid completum. Secunda vt sit inter terminos positiuos determinatam habentes oppositionem, vt sunt V. G. calor, & frigus, albedo, nigredo, &c. Tertia vt fiat in tempore. Quarta denique, vt subiectum eandem sub vtroque extremo denominationem retineat; sed hæc omnia non competunt, nisi motui ad accidens; ergo rectè motus ad accidens dicitur motus propriè dictus; Porrò motus ad substantiam idcircò appellationem mutationis propriè dictæ sortitus est, vt à motu propriè dicto, qui etiam mutatio minus rigorosè dici potest, distinguatur.

9 Secunda Conclusio: Motus propriè dictus rectè describitur: *Transitus subiecti actu completi ab vno termino positiuè significato ad alterum terminum item positiuè significatum, ita vt mobile sub vtroque extremo eamdem retineat denominationem*: Mutatio verò propriè dicta rectè dicitur: Transitus vnius rei ab vno extremo in aliud, ita vt desit aliqua ex conditionibus motui propriè dicto assignatis; Est etiam Aristotelis. Pro cuius probatione aduerto privationem, quæ sæpè est terminus motus ad accidens, debere explicari semper termino affirmatiuo dicendo: Aerem ex tenebroso fieri luminosum: non autem negatiuo, ex non illuminoso; & hoc ideò, vt aliqua contrarietas ad motum necessaria significetur; Vnde fit, vt motus propriè dictus definiatur esse transitus subiecti actu completi ab vno termino positiuè significato in alterum item positiuè significatum; Ratio verò huius dicti est, quia quando termini explicantur negatiuè: vt cum dicimus: Ex non albo fit album, vel Ex calido fit non calidum, videtur esse mutatio propriè dicta vel ex non subiecto in subiectum, vel ex subiecto in non subiectum; quamuis verè sit transitus ex subiecto in subiectum, quia idem subiectum sensibile, & denominationis sub vtroque extremo permanet; Iam verò quod motus propriè dictus dici possit, quod sæpe fit inter terminos positiuos determinatam habentes contrarietatem, etiam si forma positiua non habeat contrarium positiuum; vt est forma luminis, V. G. suaderi potest ex eo, quia idem subiectum, vt est sub vno termino siuè positiuo, siuè priuatiuo contrariatur aliquo modo sibi ipsi, quatenus est subiectum.

10 Tertia Conclusio: Duæ species assignatæ motus differunt inter se essentialiter.

Probatur, quia hæ duæ species motus, ita se habent, vt vna sit ad substantiam, alia verò ad accidens; sed motus ad substantiam, & motus ad accidens differunt inter se essentialiter; ergo & dictæ duæ species assignatæ.

11 Obijcies primò: Aristoteles *lib. 5. phys. tex. 1.* diuidit motū ex parte mobilis tripliciter: aliud, inquiens, mouetur per accidens, aliud per partē, & aliud per se, *tex. verò 2.* diuidit eumdem motum ex parte mouentis tripliciter eodem modo: in per accidens, per partem, & per se; ergo diuisio motus in motum propriè dictum, & mutationem propriè dictam non est rectè tradita.

Respondeo, concesso antecedente: negando consequentiam. Ratio est, quia Aristoteles *cap. 1 lib. 5.* tres diuisiones motus adducit, quarum Prima est ex parte mobilis. Secunda ex parte mouentis. Tertia ex parte termini motus. Quoniam verò motus specificatur, vti dicemus, à termino: hinc fit, vt tertia sit formalis diuisio constituens diuersas species motus, & de ea fieri soleat mentio; nam reliquæ duæ non solùm se extendunt ad motum per accidens, sed etiam ita se habent, vt Prior sit veluti materialis, Posterior verò extrinseca ipsi motui, vtpotè sumpta ex parte mouentis; vtrumque patet explicando terminorum vtriusque diuisionis; moueri enim per accidens dicitur id, quod accidentaliter coniungitur mobili per se, sic album dicitur per accidens calefieri, mouere verò per accidens dicitur id, quod accidentaliter coniungitur cū mouente per se, & sic Musicus dicitur per accidens ædificare; Deinde moueri secundum partem dicitur id, cuius aliqua pars mouetur, licèt denominatio cadat supra totum: vt cum dicitur Homo sanari, cuius oculus curatur: mouere autem secundum partem, cuius aliqua pars Agens mouet, sic Homo dicitur percutere eadem manu tantum percutit; Denique moueri per se primò dicitur id, cui per se primò conuenit motus, vt corpori corruptibili generatio, vel alteratio: mouere verò per se primò dicitur id, quod neque ex accidente, neque ratione partis, sed ratione sui mouet: sic Ædificator dicitur per se primò ædificare, & Musicus per se primò canere, &c. Ex quibus colligitur duas hasce diuisiones non esse sufficientes ad constituendas species motus in communi, de quo agimus.

Instabis: etiam tertia diuisio videtur sumi ex parte subiecti; dum diuidit motum in transitum ex subiecto in subiectum, & ex non subiecto in subiectum, vel è contra; ergo &c.

Respondeo, distinguendo antecedens: & quidem dicta diuisio materialiter, & veluti secundum corticem spectatur; videtur sumi ex parte subiecti, concedo: nego tamen si considereur formaliter, & secundum medullam. Dico enim quod quamuis materialiter in ea nominetur subiectum, hoc fit, vt terminum motus indagemus. nam si subiectum denominationis remanet idem sub vtroque extremo, signum est, quod mobile habeat pro termino formam accidentalem; si verò non remanet idem, signum est, quod habeat pro termino formam substantialem; & sic diuisio sumitur per ordinem ad terminum motus.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA

Quot sunt species motus propriè dicti?

15 EX tradita diuisione constat species mutationis propriè dictæ esse duas; Generationem, quę est transitus de non subiecto in subiectum; & corruptionem, quæ est transitus de subiecto in non subiectum; Quot verò sint species motus propriè dicti ex Aristotelica diuisione colligi nequit; nàmomnes huiusmodi motus conueniunt in eo, quod sint transitus de subiecto in subiectum; Pro quęstionis igitur resolutione sit.

16 Vnica Conclusio, motus propriè dicti species sunt tantum tres: ad Quantitatem, scilicet, ad Qualitatem, & ad locum. Est expressa sententia Aristotelis, qui 5 *metaph. tex.* 18. & 11. *metaph. cap.* 10. id asserit; quem sequitur D. Thomas 5. *metaph. lect.* 1. & *alibi*; Duo dicit Conclusio: Vnũ, quod ad hæc tria prædicamenta dantur, tres species motus propriè dicti: Alterum, quod ad alia prædicamenta nulla detur alia.

17 Probatio autem quo ad primum: quia ad hæc tria prædicamenta datur transitus per se ex subiecto in subiectum, ergo &c. Antecedens probatur, & primum quantum attinet ad motum ad quantitatem; subiectum enim quando augetur, est completum, & retinet eandem denominationem sub vtroque extremo, & motum illum efficit in tempore, & à minore quantitate transit ad maiorem; qui termini licet rigorosam contrarietatem non habeant; habent tamen incompossibilitatem in subiecto, & determinatam repugnantiam sufficientem ad constituendum motum propriè dictum. Idem videre est in motu ad qualitatem, & locum; Pro quibus noto duo: Vnum est, non esse necesse, vt motus ad quamcunque speciem qualitatis sit propriè dictus, scio enim dari aliquas qualitates, ad quas non potest esse dictus motus. Alterum, quod licèt vnus locus secundum se non sit oppositus alteri, tamen ratione mobilis sufficientem habet oppositionem, in quantum idem mobile in duobus locis simul esse non potest.

Quantum verò ad secundum eadem Conclusio
18 probatur; Et Primò quod motus propriè dictus non detur ad Relationem, certum est; quia nunquam natura quando agit, intendit primò, & per se relationem producere; vnde est vt Philosophus sæpè dicat ad relationem esse motum per accidens; Secundò, quod non detur ad Actionem, Passionem, & Quando, patet, ex eo, quia hæc tria prædicamenta sunt idem realiter cum motu; ad motum autem impossibile est, quod detur motus. Quod denique ad duo reliqua prædicamenta non detur, probatur, quia ex vna parte Situs est ordo partium corporis respectu loci exterinseci, qui ordo ex eo, quod mobile nouum acquirat locũ, secundum sui partes in illo consurgit; quare motus, qui est ad situm, est primariò ordinatus ad locum: Ex alia verò Prædicamentum Habitus positum est in eo, quod subiectum ab illo denominetur esse vestitum, armatum, &c. quæ quidé Denominationes, non nisi ad motum localem, vel subiecti, vel vestis, vel vtriusque consequuntur. vnde est, vt ad motum, quæ primariò est ad locũ, secundariò, & per accidens pertineant. Cum igitur motus in communi, qui in motum propriè dictum, & mutationem diuiditur sit solum motus per se: hinc sit vt neque ad hæc duo prædicamenta detur motus propriè dictus. 20

Obijcies primò: quantitas est ingenerabilis, & incorruptibilis; ergo non potest per motum propriè dictum acquiri. 19

Respondeo, concesso antecedente: nego consequentiam. Ex eo enim, quod non possit generari, neque corrumpi solùm sequitur, quod non possit per motum propriè dictum de nouo produci, non autem, quod non possit de nouo acquiri; aio igitur, quod sicuti potest quis acquirere nouum locum absque eo, quod illum de nouo producat, ita etiam poterit per motum propriè dictum nouam quantitatem acquirere.

Obijcies Secundò: qui mouetur motu locali, ad hoc vt sedeat, vel Armis se induat, primò, & per se intendit esse in tali situ, & armatus; ergò termini per se harum actionum sunt situs, & habitus. 21

Respondeo; concesso antecedente: distinguendo consequens: termini per se harum actionum sunt situs, & habitus ratione operantis concedo; ratione operis nego consequentiam; Ille dicitur per se terminus ratione operis, seu motus ad quẽ ipse motus natura sua, & intrinsecè, ac immediatè ordinatur; Ille verò terminus per se ratione operantis; ad quem motus extrinsecè solum, & ex Agentis intensione dirigitur, cuiusmodi sunt situs, & habitus respectu motus localis; Porrò motus per se est solùm ad terminum per se ratione operis. 22

Quæres hic num successio, & continuitas sint de essentia, vel saltem proprietates motus propriè dicti. Pro responsione suppono, successionẽ in motu consistere in eo, quòd habeantur plures partes motus, quarum vna sit post aliam; quod si istæ partes ita se habeant, vt sine interpolatione, & intermissione, vna alteri succedat; non solum motus erit successiuus, sed etiam continuus. 23

His prænotatis ad quæsitum respondeo, negatiuè; & ratio est, quia successio, & continuitas ex duplici capite prouenire potest motui. Primò ratione subiecti. Secundò ratione termini; sed neutra competit motui propriè dicto essentialiter, vel tanquam proprietas; ergo etc. minor probatur, & quidem, ea, quæ illi competit ratione subiecti, diciturque subiectiua, & materialis, non solùm motui, sed etiam alijs formis competit per accidens. vnde est, quod ea, quæ sunt in subiecto ab Aristotele dicantur esse extensa per accidens; successio verò illa, atque continuitas, quæ habetur à latitudine intensiua, seu diuisibilitate termini non est ita motui propriè dicto necessaria: vt si concipiamus, terminum esse indiuisibilem, vel, si diuisibilis est, totum simul acquiri; continuo conceptus motus propriè dicti destruatur; ad huc enim remanet ratio transitus de subiecto in subiectum; iam verò nulla alia successio, et continuitas competere potest motui. licèt igitur motus propriè dictus continuus semper sit, & suc- 24

Digitized by Google

desiuus : veraque tamen illi competit per accidens, hoc est per aliud, non autem primò, & per se, ita vt vel sit de eius essentia, vel ex eius essentia profluat.

25 His tamen non obstantibus, nomine Motus apud Philosophos, communiter venit successiuus, nomine verò Mutationis, Instantaneus. Ratio huius potest esse duplex: Vna, quia homines communiter imaginantur motum, vt fluxum quédam importantem successiuam partium suarum continuitatem, vnde Philosophus 3. *physic. text.* 20. dixit: quod sine tempore impossibile est esse motum; et alibi motum videri esse de genere continuorum: Altera ratio esse potest, quia instantaneæ mutationes, quæ sunt ad accidens, semper sunt inter terminos, quorum vnus est positiuus, alter negatiuus, vt patet in illuminatione, etc. Si enim essent inter terminos vtrunque positiuum: hi exercerent inter se contrarietatem, atque adeò subiectum paulatim, et successiuè temporis ex vno in alium pertransiret: vnde fit vt eiusmodi motus instantanei imitentur naturam mutationis substantialis, quæ est vel de non subiecto in subiectum vel de subiecto in non subiectum: nomine mutationis, et non motus, absolutè loquendo denominari soleant.

DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA

DE VNITATE MOTVS PROPRIE DICTI.

1 TRiplicem vnitatem in motu propriè dicto, sicuti etiam in cæteris rebus considerare possumus; Genericam, Specificam, et Numericam, de quibus in præsenti disputatione tractabimus.

SECTIO PRIMA

Vnde nam sumatur Vnitas Generica, & Specifica motus propriè dicti.

2 VNica Conclusio. Motus suam Genericam, et Specificam vnitatem à sola vnitate generica, et specifica termini ad quem proximi desumit.

3 Explicatur Conclusio: Plura sunt, quæ ad motum concurrunt: Primum est mouens; Secundum mobile; Tertium terminus à quo; Quartum medium; Quintum terminus ad quem; Qui quidem est duplex: Alter remotus, et vltimus. Alter verò proximus, et intrinsecus; sic remotus terminus calefactionis est ignis V. G. proximus verò, calor; Dico igitur: motum tum genericam, tum specificam vnitatem à solo termino ad quem, proximo desumere, ita vt illi motus esse idem genere, seu prædicamento censeantur, quorum termini ad quem genericè seu prædicamento conueniunt: illi verò idem esse specie, quorum termini, ad quem, sunt eiusdem speciei: Et quāuis verum sit, quod motus in sua essentia etiam per ordinē ad subiectum, et ad terminum, à quo, constituantur, cum illa respiciant essentialiter: dico tamen, quod hæc non faciunt ad eorum essentiam specificandam, et coarctandam ad hoc potius, quam ad aliud genus, vel speciem; hoc enim munus sibi vendicat solus terminus, ad quē, proximus; Conclusio sic explicata est Aristotelis 3. *physic. cap.* 5. et

4 Probatur Primò; quia ab eo desumit motus suam genericam, et specificam vnitatem, à quo specificatur, et in ordine ad quod suam essentiam desumit: sed solus terminus, ad quem, proximus est huiusmodi; ergo etc. maior patet; minor probatur: ab eo specificatur, et per ordinem ad id desumit motus suam essentiam, à quo accipit nomen, et definitionem: sed hoc est solus terminus ad quem; vt patet ex eo, quia calefactio sumit definitionem à calore, et motus localis à loco, et dealbatio ab albedine; neque aliquis ex his motibus definiri posset sine expressa termini, ad quem, proximi mentione; ergo et cætera. Ex quo sequitur, posse dari casum, in quo duæ actiones differant specie, et tamen motus, qui cum illis identificantur sint eiusdem speciei. Ratio huius rei est: quia eadem entitas in ratione actionis specificatur ab Agente; in ratione verò motus à termino ad quem; atqui possunt duæ entitates habere terminos ad quem eiusdem speciei. Agētia verò essentialiter diuersa, vt patet ex duabus calefactionibus, quarū vna fit à sole, alia ab igne; ergo etc.

Probatur Secundò: motus non potest suam entitatem genericam, aut specificam desumere à motore; quia hic non ingreditur eius conceptū essentialem; neque à mobili, quia materialiter se habet ad motum; neque à medio, quia hic, per accidens se habet; neque denique à termino, ad quem, remotoiquia id quod dat essentiam est ille terminus, ad quem intrinsecè, essentialiter, & proximè motus ordinatur; restat igitur, quod suā entitatem genericam, & specificam desumat motus à termino, ad quem, proximo tantum. 5

Obijcies Primò: motus propriè dictus per hoc 6

di-

distinguatur à mutatione, quod sit transitus de subiecto in subiectum: ergo terminus à quo sufficiens est ad specificandum, & diuersificandum motum.

7 Respondeo, concessa antecedente; negando consequentiam: quia transitus de subiecto in subiectum proprie denotat motum, qui est ad accidens, transitus verò de nō subiecto in subiectum, cum qui est ad substantiam, quarum differentia, etiam si explicetur per terminum à quo, re vera tamen sumitur ex termino ad quem, ex forma scilicet substantiali, vel accidentali.

8 Obijcies Secundò: *Aristot. 5. metaph. tex. 4.* ait: *Mutationem magis denominari ab eo, in quod, quam ex quo moueatur: ergo terminus à quo concurrit ad specificandum motum.* Confirmatur ex *7. metaph.* vbi agens de vnitate specifica motus ait: Species autem, qui ex eodem specie in idem specie, vt ex albo in nigrum.

9 Respondeo ly (magis,) & ly (quam) in *tex. 4.* non esse accipienda comparatiuè, vt faciunt aduersarij, sed absolutè, ita vt sensus sit, quod mutatio debeat denominari à termino ad quem, & non à quo. Ad confirmationem verò dico: quod ex eo, quod motus, qui sunt ex eodem termino in eundem, sint eiusdem speciei non valet *inferre*, quod si non sint ex eodem termino, differant specie, nisi aliunde colligatur.

10 Obijcies Tertiò: motus ex albo in nigrum, transeundo per viride differt specie à motu illo, qui ex albo in nigrum fit per rubrum; ergo medium dat motui specificationem.

11 Respondeo: si ponamus rubrum, & viride non esse colores mixtos ex albedine, & nigredine, sed omnino simplices, & specie ab vtroque differre: colores illos non habere rationem medij, sed esse terminos proximos motus facientes illos differre inter se essentialiter: sic medium nullam facere essentialem differentiam; sed tantum accidentalem.

12 Obijcies Quartò: motus aquæ, quo ex frigida fit tepida, differt essentialiter à motu eiusdem, quo ex calida fit tepida: sed huiusmodi differentia non prouenit, nisi ex terminis, à quo specificantur motus: ergo &c.

13 Respondeo: supposito, quod tepiditas sit aggregatum ex calore & frigore remissis, concessa maiore, negando minorem: motus enim ille, quo aqua ex frigida fit tepida habet pro termino ad quem formam caloris; ille verò, quo ex calida transit in tepidam formam frigoris.

14 Obijcies Quintò: sint duo motus ad eundem terminum, quorum alter sit circularis, alter rectus; illi motus procul dubio inter se essentialiter differunt: ergo non sufficit vnitas specifica termini, ad quem, ad specificationem motus, sed requiritur etiam medium.

15 Respondeo primò: negando antecedens, si physicè, & rigorosè loquamur: concedo autem, si loquamur mathematicè, & minus rigorosè. Et Ratio est, quia curuitas, & rectitudo à mathematico per se, à physico verò per accidens considerantur.

16 Respondeo cum alijs secundò, concesso antecedente, negando consequentiam: Ratio negationis est, quia motus super lineam curuam est acquisitio loci curui immediatè, & motus super lineam rectam, acquisitio immediata loci recti: Vnde non est mirum, si hi duo motus essentialiter specie differant; Neque dicas; ergo motus per medium frigidum differt specie à motu per medium calidum: nego enim consequentiam, quia frigiditas, & caliditas non se habent vt termini acquisibiles per motum localem, sicuti curuitas, & rectitudo, quibus motus ipsi conformantur; sic etiam motus naturalis, & violentus, qui sunt ad eundem terminum in specie, non differūt inter se specie in ratione motus, sed ratione subiecti, quia naturalitas, & violentia non sunt termini acquisibiles per illos motus, sed supponūtur in subiectis.

Obijcies Sextò: aliquando termini, ad quem, 17
sunt eiusdem speciei, & motus, qui sunt ad illos, differunt specie; ergo &c. antecedens probatur dupliciter. Primò, quia quantitas bipalmaris potest esse terminus, ad quem, augmentationis, & diminutionis; qui motus differunt specie. Secundò quia media regio aeris est terminus motus sursum, dum vapores ad illam ascendunt, & est terminus motus deorsum, si ponamus lapidem descendere ex concauo Lunæ; sursum autem, & deorsum inuoluunt specificam differentiam.

Respondeo: terminum ad quem, ad hoc vt 18
possit specificare motum, debere sumi non materialiter, sed formaliter; Porrò quidam termini, ad quem, sunt, qui formaliter accipi possunt sine vlla connotatione terminorum, à quo; cuiusmodi sunt qualitates: alij verò absque eo, quod in ordine ad terminum à quo considerentur, earū formaliter haberi non potest; & huiusmodi sunt quantitas, et locus; Quare distinguo antecedens: termini, ad quem, sunt eiusdem speciei materialiter, et entitatiuè, et tamen motus differunt specie, concedo: formaliter, nego antecedens; et distinguo eodem modo consequens: nō sufficit terminus, ad quem, materialiter sumptus aliquando, concedo; formaliter acceptus, nego consequentiam.

Instabis: ergo in his casibus terminus, à quo, 19
ingreditur formalem motus specificationem; sed hoc est contra Conclusionem: ergo etc.

Respondeo: distinguendo primum consequens 20
terminus à quo ingreditur per se, et immediatè, nego consequentiam: mediatè, et per accidens concedo. In quantum, scilicet, nequit aliter haberi formalis ratio termini ad quem. Nos autem in Conclusione loquimur considerando motum absolutè, et secundum se præscindendo ab eo, quod aliquando per accidens contingit.

Obijcies Septimò: Volatus, Natatus, et Mo- 21
tus progressiuus, etiam si fiat ad eundem terminum, differunt inter se essentialiter: ergo etc.

Respondeo, distinguendo antecedens; Volatus, 22
Natatus etc. si sumantur ratione modi tendendi, concedo; si sumantur in ratione tendentiæ, nego antecedens; et consequentiam; et dico quod in membris præsertim vitalibus duplex specificatio attendi potest; altera, quæ desumitur à termino, ad quem dicunt ordinem, et relationem, competens illis ratione tendentiæ, et sic: altera quæ desumitur à ratione sui proprij modi, quo tendunt in terminum, competens illis absolutè, et secundum se consideratis cum præcisione ab ipso termino;

minio; Volatus igitur Naratius, et Motus progressivus ad eundem terminum differunt quidem inter se essentialiter ratione posterioris specificationis, et quatenus reduplicatiuè sumuntur secundum proprias rationes; non autem ratione prioris.

SECTIO SECVNDA

Vtùm nam vnitas numerica motus desumenda sit.

23 PRima Conclusio ad vnum numero motum requiritur vnitas numerica mobilis.

Probatur, quia vnum numero accidens non potest naturaliter in pluribus subiectis reperiri; motus autem comparatur ad mobile sicuti accidens ad subiectum: quod si Aristoteles hic *text.* 23. docet motum, quo à Citharedo prima, et vltima corda citharæ pulsantur, esse vnum numero, agit de motu immanente in manu Citharedi, non autem de transeunte, qui fit in cordis.

24 Obijcies: cadet Petrus ex Turri, et in medio motus moriatur; tùc motus Petri vsque ad Terram erit vnus numero; et tamen mobile non erit idem, quia Petrus viuus, et mortuus differunt numericè.

25 Respondeo ad antecedens: quod si ponamus subiectum inhæsionis motus esse tantum Petri Corpus, falsa erit secunda pars antecedentis; sin autem dicamus subiectum inhæsionis esse totum compositum, falsa erit prima pars; motus enim ille non erit vnus numero, sed duplex; sicuti etiã duplex est propter eandem rationem ille motus, quo mouetur lignum partim viride, et partim siccum: quod si ponamus tum Animam, tum Corpus Petri habere suum specialem motum distinctum: dicendum erit, motum Corporis perseuerare vnum; Animę verò ad eius corruptionem diuersificari, cum incipiat fieri alius motus in forma cadauerica.

26 Obijcies: motus progressiuus Animalis est vnus numero, et tamen recipitur in pluribus pedibus ergo etc.

27 Respondeo: motum progressiuum esse vnum per comparationem ad Animal, quod semper in motu illo monetur: multiplicem autem ratione pedum, seu partium eiusdem, quorum vnus vno tempore, alius verò alio mouetur.

28 Secunda Conclusio: Præter subiectum, ad vnũ numero motum, requiritur etiam Vnitas numerica termini ad quem.

Probatur, quia motus, vt motus, habet rationem viæ; via autem vna est, quæ ad vnum terminum ducit. Confirmatur, quia sicuti ad vnitatem genericam, et specificam vnitas generica, et specifica termini, ad quem, est necessaria; ita numerica ad numericam.

29 Obijcies Primò: sit mobile bipalmare, quod secundum vnum palmum calefiat, et frigefiat secundum alterum: vtique duo isti motus erunt vnũ continuum, et tamen habent duos terminos, ad quem: ergo etc.

30 Respondeo ad antecedens; quod sicuti formæ per duos illos motus productæ non continuantur secundum se in illis duobus palmis subiectis, sed solùm per accidens, et ratione subiecti; ita dicendum erit de ipsis motibus: quod scilicet, per accidens, et non per se sint continui, ratione, scilicet, subiecti: nego igitur consequentiam.

31 Obijcies Secundò: descendat lapis ex concauo Lunæ in profundum maris, hic pro termino ad quem, habebit ignem, aerem, et aquam; et tamen vnico motu mouebitur; ergo etc.

32 Respondeo, distinguendo primam antecedentis partem: pro termino, ad quem, habebit ignẽ, aerem, et aquam, ita vt huiusmodi termini materialiter tantum sint diuersi, concedo; ita vt formaliter inter se differant, nego antecedens, et consequentiam: licèt enim ignis, et cæteræ entitates inter se differant: à grauitate tamen lapidis, tanquam vnus locus deorsum respiciuntur; vnde fit, vt secundum proprias rationes nõ se habeãt, vt termini formaliter acquisibiles per motum illum deorsum.

33 Obijcies Tertiò: si foraretur Terra per diametrum ab vna superficie ad aliam, et lapis bipalmaris per foramen descenderet, vtique hic cum perueniret ad centrum: secundum priorem palmum vltra centum progrederetur; minimè verò secundum posteriorem: hoc posito sic argui potest: in tali casu, motus prioris palmi esset vnus numero, et tamen duos haberet terminos, vnum deorsum ex eo, quod appropinquaret centro, alterum sursum ex eo, quod à centro recederet; ergo etc.

34 Respondeo: motum illum prioris palmi lapidis esse duplicem propter dictam rationem; quare neganda est prior antecedentis pars, ex his autem duobus motibus vnus esset naturalis, quo lapis descenderet ad centrum ipsum, alter verò violentus.

35 Tertia Cõclusio: ad vnitatem numericam motus successiui requiritur vnitas numerica temporis.

Probatur & quidem, si sermo sit de tempore intrinseco patet, quia huius vnitas consistit in eo, quod partes motus, cum quo identificatur, sine vlla interruptione sibi inuicem succedant: sine hoc autẽ iã motus est interruptus, ac multiplex: sin autem de extrinseco: probatur, quia si motus aliquis correspondeat primæ, & decimæ horæ diei V. G. absque eo, quod correspondeat horis intermedijs, impossibile est quod sit continuus, sine continuatione autem non stat eius vnitas numerica; ergo &c.

36 Obijcies: ad vnitatem numericam temporis non requiritur vnitas numerica motus, ergo neque vice versa; antecedens probatur, quia calefactio, & frigefactio possunt ita continuari, vt vni tempori, & non pluribus interruptis correspondeant.

37 Respondeo: distinguendo antecedens; si loquitur de tempore extrinseco, cõcedo; sin autem de intrinseco, nego antecedens, & consequentiã. Quantum verò attinet ad extrinsecum, disparitas est; quia motus non est mensura temporis extrinseci, sicuti hoc est mensura motus.

38 Quarta Conclusio: ad vnitatem numericam motus est etiam necessariò vnitas numerica moueris; Est Arist. 8. *metaphys. ex.* 49.

Pro-

Probatur autem, quia motus est idem realiter cum actione; sed ad vnitatem numericam actionis requiritur vnitas numerica motoris; actio enim dicit essentialem ordinem ad Agens, quod est idem realiter cum motore; ergo &c.

39 Obijcies Primò: actio qua Sol illuminat Mundum, est vna, & tamen Agens est duplex, Deus scilicet, & Sol; ergo &c.

40 Respondeo: distinguendo secundam antecedentis partem; & tamen Agens est duplex, materialiter, concedo; formaliter, nego antecedens, & consequentiam; Deus enim, & Sol, in quantùm simul agunt producendo eundem terminum, habet rationem vnius Agentis formaliter sumpti. Per quod patet, quod quando multi trahunt nauem, nil obstat, quo minus ille motus sit vnus numero.

41 Obijcies secundò: Aristot. hic tex. 34. ait: tria sunt numero, circa quæ dicimus motum vnum, quod, in quo, & quando, nullam faciens de motore mentionem; ergo &c.

Respondeo: Philosophum hic nullam fecisse mentionem de vnitate motoris, vel quia id distinctè in libro 7. & 8. vel quia considerauit motum in ratione viæ; vt sic enim, cum non dicat ordinem ad motorem, ab eius vnitate formaliter nō dependet; Vnde nisi obstaret realitas, quam habet cum actione communem, vtique posset vnitatem suam numericam sub diuersis motoribus cōseruare. atque ex his deducitur nihil aliud ad vnitatem numericam motus, præter quatuor dicta, requiri. 42

Cæterum de contrarietate motuum nihil dicendum occurit, cum constet eam per ordinem ad terminos physicè contrarios totaliter, & adæquatè desumendam esse. 43

DISPVTATIO VIGESIMASECVNDA

DE INFINITO.

1 POst motum Aristoteles agit de Infinito, & probat non dari à parte rei in rebus permanentibus saltem materialibus, contra antiquos æxistimantes aerem, vel aliud simile Corpus esse Infinitum; Dixi (in rebus permanentibus &c.) quia cum ipse posuerit mundum ab æterno, certum est, quod in successiuis illud admiserit; hos quid de eo sentiamus in hac disputatione aperiemus.

SECTIO PRIMA

Quid, & quotuplex sit Infinitum, & auditur Infinitum syncategorematicum.

2 INfinitum propriè dicitur: Id, quod termino, ac fine caret; diuiditur autem in Categorematicum, & syncategorematicum; & vtrumque in permanēs, & successiuum, Categorematicum permanens illud est; Cuius omnes partes, vel simul actu existunt, vel simul actu existere possunt, ita vt simultas non quidem ex parte essentiæ, sed ex parte existentiæ se teneat; huiusmodi essent Infiniti homines, vel infiniti Angeli omnes actu existentes. Categorematicum verò successiuum, cū partes simul permanenter habere nequeat: illud erit; Cuius omnes partes in ratione infiniti illud constituentes, vel actu iam extiterint, vel aliquādo verificari possit, quod extiterint; cuiusmodi est motus ab æterno, siuè fingatur fuisse de facto, siuè ponatur potuisse esse; Syncategorematicum autem Permanens est: Cuius aliquæ partes, atq; hæ quidem finitæ, vel simul actu existunt, vel simul actu existere possunt: ita tamen vt semper aliæ, atque aliæ in infinitum remaneant in potētia, quæ addi possint vlterius ad existentes. Successiuum autem illud; Cuius omnes partes, neque vnquam extiterint, neque aliquando verificari poterit, quod extituræ sint, sed tantum aliquæ, atque hæ quidem finitæ, ita tamen, vt aliæ, atque aliæ in infinitum existere successiuè consequenter possint.

3 Vnde oritur, quod genus hoc infiniti syncategorematici infinitum in potentia, seu finitum in infinitum dici soleat, quatenus, scilicet, essentialiter habet, vt partim sit actu, partim verò potētia; Et quidem secundum, quod actu est, finitum, secundum verò, quod est in potentia, infinitum; ad differentiam Categorematici, quod quia totum postulat esse actu, infinitum in actu dici cōsueuit. Atque hìc intelliges harum denominationum significationes, nam sicuti terminus Categorematicus ille est, qui solus per se significat; ita infinitum Categorematicum dicitur id, quod per se tale est; Contrà verò sicuti terminus syncategorematicus per se non significat, nisi alteri termino coniungatur: vnde est quod consignificatiuus dici solet: ita infinitum syncategorematicum per se infinitum non est, sed per additionem eorum, quæ in potentia continet.

4 Sed infinitum Categorematicum multiplicitèr sumi potest; Et Primò, quidem secundum essentiam in omni genere entis, cuiusmodi est solus Deus benedictus, qui licèt formaliter nullas habeat partes, quippè indiuisibilis; at eminenter,

ter, & virtualiter illas habet quatenus infinitis perfectionibus creatis æquivalet, & est in omni genere interminatus. Secundò moraliter, & in genere moris, & huiusmodi fuerunt opera Christi Domini, quæ ex hypostatica vnione humanitatis cum verbo infinitam æstimabilitatem, & per consequens valorem actu infinitum consequuta sunt.

Tertiò sumi potest infinitum Categorematicum secundum durationem, seu extēsionem successiuam continuā, huiusmodi esset motus Cœli, si ab æterno fuisset. Quartò secundum magnitudinem, seu extensionem continuam permanentem, cuiusmodi esset linea, seu Trabs, quæ Oriētem versus in infinitum extenderetur; Quintò secundum multitudinem, sicuti essent infiniti Angeli, vel formicæ. Sextò secundum intensionem, vt calor infinitè intensus. Septimò denique secundum essentiam in aliquo certo, ac determinato genere entis, cuiusmodi esset species impressa infinitæ perfectionis essentialis. Nos verò relictis in præsentia tribus prioribus generibus infiniti Cathegorematici, quæ ad rem præsentem minimè faciunt, de quatuor posterioribus disputabimus; priusquam autem ad singula descendamus, operæ pretium est vtriusque infiniti definitiónem tradere, vt eorum essentię planius innoteſcant: pro quo sit.

6 Prima Cōclusio: infinitū Categorematicū rectè describitur ab Aristotele 3. *Physic. tex.* 62. cū dicitur esse: Id, cuius aliquid semper extra, vel vt *tex.* 57. cuius aliquid accipientibus semper est aliquid extra accipiendum. Non quod extra totum infinitum aliquid accipiendum sit eiusdem infiniti, sed quod quantacunque detractione finitarum partium facta, semper extra illas aliquid aliud accipiendum sit, ex ijs scilicet, quæ actu insunt infinito.

7 Quæ definitio, ne de infinito syncategorematico verificari possit, intelligi debet de toto aliquo existente & de acceptione partium eiusdem rationis non communicantium inter se æqualium, vel maiorum secundum eam rationem, secundum quam fit diuisio, ita vt Trabs illa V.G. censeatur infinita cathegorematicè, ex qua secundum longitudinem accepta possint detrahi palmi non tot, quin plures, & illa hominum multitudo sit infinita, ex qua centum homines V.G. & post centum, mille, & post mille, decem millia, & post hæc centum millia hominum; & sic in infinitum, absque eo, quod multitudo exhauriatur, detrahi possint, ad differentiam infiniti syncategorematici, quod ita secundū quod est actu finitū est, vt ex eo, quod habeat in potentia semper possit vlterius, & vlterius crescere in infinitum: Conclusio sit explicata.

8 Probatur, quia his definitionibus rectè natura infiniti categorematicè nobis innotescit, & à quacunque alia re sufficienter distinguitur. Confirmatur ex impugnatione definitionis, quam de infinito tradiderunt antiqui, vt patet ex Aristot. *tex.* 62. *cit.* quæ erat huiusmodi: Infinitum est illud, cuius nihil est extra: vel enim eius sensus est, quod infinitum habet omnia, quæ ad sui perfectionem requiruntur. & sic definitio tradita ab antiquis competit etiam rei finitæ, posito quod huic nihil desit eorum, quæ ad sui perfectionem pertinent: vel quod extra ipsum nihil penitus remaneat, ita vt omnia ad sui constitutionem pertineant: & sic solo aggregato ex Deo, & Creaturis omnibus ratio infiniti cōpetere posset; Vnde si omnes homines, & Angeli possibiles simul actu existerent, rationem infiniti Categorematici minimè haberent, nisi etiam Deus ipse, nec non etiā omnes aliæ creaturæ possibiles eis adiungerentur; quod est manifestè falsum.

Obijcies: Infinitum est quoddam totum; sed totum ex Aristot. 3. *physic. tex.* 62. est id, cuius nihil est extra; ergo non benè definitur infinitum: id cuius semper est aliquid extra. 9

Respondeo: infinitum dupliciter considerari posse. Primò in ratione infiniti, vt sic; Secundò in ratione talis infiniti includentis has, vel illas partes; Primò modo habet potius rationem partis siquidem vt sic est indeterminatum, & indifferens ad hoc, vt cum his, vel illis partibus finitis existat: at verò Secundo modo importat rationem totius; sed definitio procedit de eo primo modo considerato. 10

Obijcies iterum: ex Angulo rectilineo possunt extrahi finiti in infinitum Anguli rectilinei minores, & minores; sed quilibet rectilineus quantumuis minimus demostratur ab Euclide in 3. esse maior Angulo contingentiæ, de illo ergo Angulo rectilineo, quem patet esse finitum verificabitur definitio infiniti Categorematici; quod scilicet, sit id, ex quo extrahi possunt partes eiusdem rationis non communicantes æquales, imò maiores vnicertæ nempè angulo contingentiæ secundum eam rationem, secundum quam fit diuisio. 11

Respondeo, negando vltimam cōsequentiam: dico enim angulum contingentiæ non esse eiusdem rationis cum Angulo rectilineo; Consistit enim in inclinatione duarum linearum, quarum vna sit linea curua circuli: altera verò recta ipsū circulum tangens. Quoniam verò curua qua talis est, semper magis ad rectam inclinat, quam quæuis alia recta imaginabilis: hinc fit, vt quilibet angulus rectilineus sit maior quolibet angulo contingentiæ; quamuis enim constare possit longioribus lineis, hæ non considerantur à Mathematicis, sed solum earum inclinatio. 12

Secunda Conclusio: Infinitum syncategorematicum rectè describitur esse id, quod ita secundum quod est actu, finitum est: vt secundum quod est in potentia, semper sit aliquid extra. Porrò huius Conclusionis explicatio, & probatio patet ex dictis. 13

(†) .†. (†)

SECTIO SECVNDA

An detur infinitum Syncategorematicum & un Categorematicum, & quid de harum positibilitate Doctores sentiant.

14 PRima Conclusio: datur infinitum Syncategorematicum. Est communis. Angeli enim, & homines ita creati sunt à Deo in certo quodam, & finito numero, vt potuerint nihilominus plures, & plures in infinitum creari; idemque dicendum de cæteris rebus: scio tamen non nullos existimasse dari in omnibus speciebus numerum maximum finitum individuorum, vltra quem Deus non possit maiorem numerum facere eademque docuisse de quantitatibus finitis, dari scilicet extensionem finitam maximam, vltra quam non possit diuinitus dari maior extensio finita.

15 Vt autem hi videantur recedere ab errore Ioannis Huss. Vuiclephi, Abailardi, & aliorum, qui damnati fuerunt in Concilio Constantiensi sess. 15. & in alijs Conciliis, eo quod asserebant Deum ad certum tatum aliquem numerum posse producere Animas, & non vltra: addunt Deum post illum numerum finitum maximum posse adhuc producere numerum actu infinitum in-

17 diuiduorum ad illam speciem pertinentium: non verò finitum maiorem, & post illam maximam quantitatem finitam posse producere quantitatem actu infinitam, non verò finitam maiorem.

16 Verum contra hos omnes facit, quia post productionem maximi numeri hominum V. Gr. vel remanent possibiles alij homines, vel non: secundo dici nequit sine præiudicio Diuinæ Omnipotentiæ, quæ sic illimitata valde angustis concipitur, dum existimaretur non posse naturam semel applicabilem vlterius, & vlterius multiplicare, sed solum vsque ad certum terminum: Inde enim consequeretur Deum non posse vlterius, & vltra illas in infinitum mouere Cœlos, & Mundum ab cum suis generationibus conseruare, absque eo quod priftinus motus, & generationes reproduceret; Sin autem dicatur primum, videlicet post productionem maximi numeri adhuc restare alios homines possibiles, cum fic, Creet Deus ex illis alios, vnum aliquem hominem, & hoc modo addat; profecto præcedens numerus hominum

18 dicta creatorum erecta, & quidem finito non finitum additum finito non facit infinitum: ergo ille numerus non erat maximus finitorum, siquidem datur maior.

17 Ad hoc Argumentum Respondent aliqui primo non posse à Deo creari vnum solum hominem ex numero illo infinito, nisi simul cæteros

18 reliqui infinitam multitudinem componentes, quia inquiunt, quilibet alius supponit esse de familia infinitorum. Sed contra est primo, quia non potest assignari, quam maiorem connexionem habeat hic homo cum infinitis remanentibus, quam non habeant alij numerum finitum maximum componentes, vt ille non possit existere sine alijs infinitis, illi verò possint non solum sine illis, sed etiam quilibet à parte rei in existendo separari. Hæc enim maior connexio non potest consistere nisi dicatur homines illos infinitos essentialiter ab his alijs hominibus finitis differre, quod Aduersarij, absque eo, quod incidant in errorem Vuiclephi concedere nequeunt.

Respondent alij secundo posse quidem creari à Deo vnum aliquem hominem ex illa infinita multitudine possibilium, sed hunc non esse aptum ad componendum aliquem numerum cum præcedentibus, atque adeo numerum illum maximum hominum per additionem huius hominis de nouo creati non reddi maiorem.

Sed contra est, quia vel hic homo supponitur esse eiusdem speciei cum cæteris, quos quouis productos, vel diuersæ vnumquis dicatur semper sequitur, quod posse cum illis accipi ad maiorem numerum componendum; ergo &c. minor probatur; & quidem supponitur esse eiusdem rationis, ac speciei, res est euidens; non potest enim assignari ratio cur notiones individua hominum V. Gr. reddant numerum nouenarium, decem verò non possint constituere numerum denarium. Posito enim numerum finitum maximum, quem tu assignas, esse V. Gr. nouenarium. Sint autem diuersæ rationis, præter quam quod non sumus in casu, arguo sic: res diuersæ rationis possunt componere numerum aliquem, vt patet ex elementis quæ quamuis differant specie, reddant tamen numerum quaternarium & ex Planetis, qui septenarium.

19 Dicere autem diuersitatem in eo consistere, quod habeat repugnantiam ad coalescendum cum alijs in eundem numerum, videtur nugatorium, sic dicere impugnatur, nihil aliud importat vna

20 vnitas cum aliquibus alijs vnitatibus certum quendam numerum componere, nisi quod accipiatur ab intellectu numerante simul cum illis, sed nulla res indiuisa potest habere in hoc repugnantiam: ergo &c. maior patet, numerus enim completur per intellectum accipientem ordinatim plures vnitates cum negatione vlterioris vnitatis; minor verò probatur, quia huiusmodi repugnantia, vel fundatur in perfectione, vel in imperfectione, non potest dici primum, siquidem Deus ipse licet in omni perfectione absolutissimus, non tamen habet repugnantiam ad constandum numerum vna cum creaturis, si enim ponamus nouaginta nouem creaturas esse, à parte rei recte dicere quis potest, omnia entia realia, quæ sunt à parte rei esse centum connumerando inter hunc numerum ipsum Deum. Neque potest dici secundum, quia negationes, & entia rationis sunt imperfectissima, & tamen non solum inter se, sed etiam cum rebus positiuis conflare possunt numerum. Si quis enim cognouit hora præterita quinque obiecta positiua, quinque verò negatiua & quinque chymerica recte potest nunc dicere se cognouisse quindecim obiecta, ex quo patet repugnantiam ad coalescendum cum alijs vnitatibus in vnum numerum non fundari in imperfectione. Ratio à priori est, quia vnitates de se sunt indifferentes ad constandum hunc vel illum numerum, & expectant in hoc collectione intellectus, sed intellectus æquè bene potest has, & illas colligere; ergo &c.

Respondent denique alij tertio, hominem illi addi-

additum maximo numero finitorum reddere totum constatum illud infinitum; quod probant ex eo, quia huiusmodi constatum ex illo homine, qui est de familia infinitorum, & ex maximo numero finito hominum, nō potest esse finitum; aliquin numerus ille non fuisset maximus finitorū: neque finitum in infinitum, quia totum ponitur esse actu; ergo erit infinitum.

21 Verum hæc responsio multo minus toleranda videtur: qui enim fieri potest, vt numerus finitus hominum per additionem vnius hominis euadat infinitus; cum lumine naturæ constet, quod finitum additum finito non possit facere infinitum; neque probatio habet solidtatem supponit enim dari numerum finitum, maximum, quod à nobis negatur tanquam absurdum, hoc autem ne videamur gratis asserere, argumentum, in quo hi fundamur adducimus, vt postea dissoluamus: sic enim procedit.

22 Collectio sine fine specierum numerorum possibilium, quales sunt numerus binarius, ternarius, quaternarius &c. est chimerica; ergo inter numeros finitos datur maximus, antecedens probatur, quia esset collectio specierum numerorum finitorum, & non esset; & quidem quod esset, supponitur; agimus enim de speciebus numerorum finitorum; Quod verò non esset, suadetur, quia in tali collectione includeretur numerus infinitus, quia includeretur aliquis numerus habens in se tot vnitates, quot sunt in tota collectione species numerorum; sed huiusmodi species esset infinita, hoc ipso, quod non datur vltima maxima ergo &c.

23 Pro responsione aduerto, omnes species finitorum numerorum non esse finitas, quia quacunque assignata potest intellectus numerando procedere vltrius in infinitum, neque esse infinitas categorematicè propter rationem in argumento factam; inter eas enim darentur vna, in qua species finitæ maiores, & maiores in infinitum comprehenderentur, & sic non esset collectio finitarum tantū; ergo dicendum est species numerorum finitorum, in dicta collectione comprehensorum esse finitas in infinitum. Quo posito ad argumentum.

24 Respondeo, distinguendo antecedens; collectio sine fine specierum numerorum possibilium categorematicè acceptarum est chimerica, concedo; syncategorematicè, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis dico; collectionem illam esse specierum finitarū in infinitum, eo quod syncategorematicam infinitatem importat; ex hoc autem non sequitur in dicta collectione haberi finitum maximum, vt patet, neque includi numerum categorematicè infinitum, quilibet enim assignabilis est finitus; eo quod quandiu non possunt species collectionis categorematicè sumi; implicat quod in ea detur numerus constans ex tot vnitatibus, quot sunt in dicta collectione numerorum species, sed quilibet assignabilis erit finitus, vt melius patebit ex infra dicendis.

25 Secunda Conclusio; neque in magnitudine, neque in multitudine, neque in intensione, neque in perfectione creata essentiali datur, de facto infinitum Categorematicè, ita communiter omnes, paucis exceptis, qui partes quantitatis ante assignationem distinctas esse existimantes, tum eas, tum indiuisibilia copulatiua earum actu infinita esse concedunt, quamuis alij, qui sunt in eadem sententia hoc ipsum mordicus negent, quā benè tamen id faciant, videant ipsi.

Probatur autem Conclusio nostra, quia corpora, vel sublunaria sunt, vel cœlestia; nulla enim ratio dari alia corpora conuincit, sed sublunaria finita sunt; tum quo ad numerum, tum quo ad extensionem, cœlestibus namque corporibus continentur; Cœlestia autem quod infinita non sint, patet ex ipsorum motu circulari, qui determinato tempore finitur, quod contrà eueniret, Infinita enim distantia, quam Cœli includerent, si essent infiniti, non nisi infinito tempore esset pertransibilis; Quod verò, neque numerus Angelorum sit infinitus à Theologis probatur; & patet ex choris, & Hyerarchijs in quibus ordine perfectissimo dictus numerus distinctus est; Infinitus enim videtur respuere ordinem, vt ex dicendis forsan constabit, quod denique neque qualitas infinitè intensa, neque creatura infinitè perfecta de facto detur, probari potest ex eo, quia Philosophantibus nobis nullum inditium id asserendi occurrit, loquendo naturaliter, vtrum enim gratia creata Christi Domini sit infinita, Theologorum est statuere. 26

Obijcies; sit subiectum palmare vniformiter frigidum, vt vnum: in qualibet eius parte extensa proportionali erit vtique vnus gradus frigoris, sed ex eo possunt extrahi in infinitum partes proportionales extensæ ergo & infiniti gradus frigoris & quidem æquales inter se non communicantes, siquidem omnes essent primi gradus datur igitur de facto infinitum in actu. 27

Respondeo, distinguendo primum consequens, extrahi possunt infiniti gradus frigoris æquales inter se secundum eam rationem, secundū quā non fit diuisio, concedo; secundum eam rationem, secundum quam fit diuisio, nego primam, & secundā consequentiam. Quo enim infinitas partium æquidium arguit infinitatem actu in aliquo toto, quando secundum eam rationem, secundum quā reipsa illud diuiditur, reipsa æqualitatem, at in casu nostro lignum palmare V. G. diuiditur secundum extensionem: æqualitas verò partium quod ad solam intensionem frigiditatis attenditur. 28

Verùm hæc sunt omnibus communis, quod controuersum est in hac materia de infinito actu, & categorematicè sit possibile, nec ne deinceps aliter, quia constat omnia in natura determinata esse, sed solum per absolutam Dei potentiam. 29

Prima sententia ad affirmat, & pro se citat omnes antiqui Philosophi, ante Aristotelem, ex quibus omnis Philosophia deinde ad posteros dimanauit, quod patet ex Cælum. 33. & ex 3. phys. tex. 31. vbi numeratur pro hac sententia Pythagoras, & Plato, sed vere 29. Anaxagoras, & Democritus tex. eorum 64. Parmenides, & Melissus, idem sensit ipse Aristot. ex parte; qui, cum vbiuerit mundum fuisse ab æterno, tum quo ad entia permanentia, tum quo ad successiua, & Animas hominum im- 30

mor-

mortales, neque transmigrabiles, vt defendunt Auicenna, & alij. Nec sequitur admisit infinitum actu tum in successiuis, tum in permanentibus immaterialibus, licet id negauerit rebus permanentibus materialibus, atque in quidem de facto, & naturaliter concedebant infinitum categorematicum. Post illos infinitum huiusmodi de possibili tuetur Mayronnes in 1. *distinct.* 19. *quæst.* 1. *& distinct.* 43. *quæst.* 1. Ochamus *in* 1. *distinct.* 44. *quæst. vnica & in* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 8. Adam: *in* 3. *distinct.* 23. *quæst.* 10. *art.* 2. *dub.* 2. Baconius *in* 1. *distinct.* 23. *quæst.* 1. *art.* 3. *& distinct.* 46. *quæst.* 1. *art.* 2. Argentina *in* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. Holkot *in* 2. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 3. Arimínensis *in* 1. *distinct.* 44. *quæst.* 4. Aliacensis *ibidem quæst.* 13. *art.* 3. *punct.* 2. 31 *disput.* 1. *quæst.* 3. Maior *in* 1. *distinct.* 44. *quæst.* 3. Alfonsus *in* 3. *distinct.* 15. *quæst.* 1. Graiadeus 3. *phys. quæst.* 8. & ex nostra societate Vasquez 1. *phys. disp.* 26. Fasolus *item* 1. *parte quæst.* 7. *art.* 4. *dub.* 12. Hurtadus *disput.* 13. *physic. sect.* 2. Arriaga *disput.* 23. *physic. sect.* 14. Oniedus *controu.* 14. *physic. punct.* 4. Comptonus *disput.* 46. *physic. sect.* 4. & plures alij.

31 Secunda verò sententia negat diuinam Omnipotentiam infinitum Categorematicum efficere posse; & eam defendit Ægidius in 1. *dist.* 43. Ioannes de Neap. *lib. variar. quæst. qu.* 1. *punct.* 3. Hæneus *in* 1. *distinct.* 14. *quæst.* 6. Paludanus *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 4. Capreol. *in* 1. *distinct.* 44. *quæst.* 1. *art.* 2. Caetanus *in primam partem quæst.* 3. *art.* 3. & 4. Ferrarien. 2. *contra g. cap.* 81. Albertus *in summa prima parte tract.* 19. *quæst.* 76. *quæstiunc.* 2. his adde Bonauenturam, Henricum, Riccard. Aureol. Durand. qui vt transfuga priorum Castra deseruit, Marsilium, Petrum de Aquila, & Auersam *quæst.* 24. *sect.* 2. ex nostris autem, qui id negant est Fonseca 2. *metaph. cap.* 2. *quæst.* 1. *sect.* 3. Valentia *in* 1. *partem quæst.* 7. *art.* 3. & 4. Suarez *in metaph. disp.* 30. *sect.* 27. *n.* 16. Conimbricen. 3. *physic. cap.* 8. *quæst.* 2. *art.* 3. Toletus 3. *physic. quæst.* 6. Ruuius *quæst.* 3. Quiros *in suo cursu disp.* 63. *sect.* 3. Confalonerius *affert.* 27. & alij perdocti.

32 De Sancto Thoma nihil attinet dicere; ille enim Aristotelis vestigia sequutus, qui in hac materia valdè fuit dubius, vtrumque probabiliter existimans, modo vni, modo alteri contradictionis parti adhæsit, nam 1. *par. quæst.* 7. *an.* 3. & 4. negatiuam partem expressè tuetur, licèt hoc neget noster Alamanius *p.* 2. *summ. Philos. q.* 18. *art.* 2. *At* 2. *contrag. cap.* 81. ait infinitatem actualem Animarum non repugnare principijs ab Aristotele positis, & 1. *parte quæst.* 46. *art.* 2. concedit mundum, non solùm quo ad entia permanentia, sed etiam quo ad successiua potuisse esse ab æterno quæ sententia, vt rectè notat Durandus *in* 2. *disput.* 1. *quæst.* 3. *n.* 24. cum Tolet. 8. *phys. quæst.* 2. infinitatem in numero, & in alijs generibus entis de quibus controuertitur secum necessariò trahit: vnde est, quod ipse Sanctus Doctor *opus* 21. *de æter. mundi* respondens obiectioni de infinitate animarum, quæ contra mundum ab æterno fieri 33 solet, ait adhuc non esse demonstratum, quod Deus non possit facere, vt sint entia infinita actu; linquo eundem *quæst.* 2. *de veritate art.* 10. præsentem controuersiam de possibilitate infiniti dum ex professo exagitatu[illegible] vtrumque quæstionis partem determinate, & solum soluere vtriusque partis obiecta: ex quibus patet non recte auctores secundæ sententiæ pro se Diuum Thomam citare.

Iam verò quid nobis de tota hac controuersia de possibilitate infiniti Categorematicè sentiendum sit; per partes declarabimus, agentes primò de magnitudine, secundò de multitudine, tertiò de intensione, quartò denique de essentiali perfectione.

Sed prius reprobanda videtur sententia Arriagæ *in physic. disp.* 23. *sect.* 1. docentis infinitum in quantitate tum continua, tum discreta posse habere terminos vltimos constitutionis ex vtraque parte, quod probaquitur 4. ex eo, quia inter hominem, & lapidem claudantur infinitæ species animalium inæquales inter se, respectu quarum homo est vltimus, quia illarum perfectissimus; & lapis primus, quia earundem imperfectissimus, atque hoc quidem contra id, quod à reliquis omnibus tanquam euidens receptum fuerat, vt rectè notat Giattinus *quæst.* 22. *art.* 1. quamuis enim nō bene definiatur, infinitum esse: Id, quod fine caret; eo quod punctum in linea, & instans in tempore, vt potè indiuisibilia neque principium habeant, neque finem, sed ipsa potius sunt principia, & fines partium, vel antecedentium, vel subsequentium: nihilominus tamen hoc est de prima notione infiniti, vt ita contineat quantitatem, vel formalem, vel virtualem, vt ex ea parte, qua infinitum est careat termino. Verum hoc ipsum est quod negat Arriaga *n.* 6. dicendo: essentiam infiniti consistere in eo, quod ex vno termino constitutionis ad alium successiuè peruenire nequeat, quod est importare solam carentiam termini acceptionis. Porrò hoc ipse callidè præstat, vt scilicet, facilè solidas difficultates, quæ contra infinitum Categorematicum fiunt, declinare possit, præsertim eas, quæ probant, quod si infinitum Categorematicum esset possibile: posset dari vnū infinitum in ratione infiniti acceptum maius alvero; quod ipse libenter, admittit contra communem etiam Philosophorum omnium sensum; sed de hoc aliàs, nunc verò contra id, quod de infinito terminato asserit: & Primò quidem, quia idem possemus dicere de diuinis attributis, quod scilicet, omnipotētia vtrinque habeat terminos, vltra quos se minimè possit extendere, & nihilominus sit infinita, eo quod successiuè pertransiri non possit, quo quid absurdius?

Contra secundò, quia hoc ipsum de æternitate dici posset, quod nimirum in æternitate à parte ante assignari possit primus annus inter quē, & præsentem infinita duratio comprehēdatur, atque adeò, si in illo primo anno fuisset creatus Angelus, iam nunc infinito tempore duraret; sed ex hoc sequitur, quod nos etiam incipiendo ab hoc anno possemus peruenire ad annum, in quo infinito tempore vixissemus, & sic dari posset tēpus infinitum à parte ante, & à parte post, quod tamen claudatur terminis, imò etiam ab alio maiori, & maiori ex vtraque parte superetur; quo quid absurdius? Nec satisfacit huic instantiæ Arriaga *num.* 7. dicendo se nolle omne infinitum posse habere terminos, sed solum aliqua infinita posse, seu potius *non esse* contra rationem infiniti eos habere. Non satisfacit (inquam) quia

terminos inuexit in infinitum, vt falsaret nos esse absurdum concedere vnum infinitum maius alio: sed negando illi terminos id concedere cogitur in æternitate tum à parte ante, tum à parte post acceptæ, vt de se patet: ergo &c. Limque dãdam esse disparitatem, quia in tempore non potest dari infinitas vtrinque terminata: potest verò in alijs rebus.

35 Contra denique tertiò, quia non est conceptibilis magnitudo duobus terminis conclusa, quin sit successiuè pertransibilis per aliquod determinatum, & finitum spatium temporis alioquin indigeret æternitate interminata, quãuis velocissimus ponatur cursor super eam moueri. quo nil absurdius; & rectè, hoc ipso enim quod spatium sit conclusum terminis, euidenter deducitur, quod principium, & finem suæ extensionis habeat; æquè nihil aliud est esse in tempore pertransibile; ergo &c.

36 Ad fundamentum Arriagæ respondeo: distinguendo: vel enim ille intendit probare auctor, quod infinitum in perfectione categorematicè sumptum claudatur terminis, vel quod infinitum in numero; sed neutrum probat; ergo &c. Maior patet, quia non nisi hæc duplex infinitas in hac multitudine specierum considerari potest. Minor verò suadetur, quo ad primum; quia inde euidèter deduceretur hominem habere infinitatem categorematicam in perfectione, & lapidem in imperfectione; quod est apertè falsum; Et rectè id quidem, quia à lapide ad hominẽ non fit ascẽsus per species, quarum vna superet aliã æqualiter, sed tantum proportionaliter; ita vt immediatè post hominem non fit assignabilis aliqua species inter quam, & ipsum hominem non possit assignari proximior, & proximior in infinitum proportionaliter in perfectione inæquales. Sicut dicimus probando distantiam inter palmum, & vlnam non esse categorematicè infinitam; ergo argumentum non probat, infinitum categorematicum in perfectione terminis claudi. quod verò neq; id probet de infinito in numero, quę erat secunda pars minoris principalis, suadetur etiam ex eo, quia ad numerum conficiendum materialiter se habet, quod prima vnitas sit in entitate sua imperfectior alijs, & vltima illis perfectior, vel è contra. Æquè enim numerum denarium V. G. constituunt decem individua, si sint æqualis perfectionis: & si inæqualis, quod primo loco numeretur, quod est perfectum vt tria, secundò verò, quod est perfectum vt septem; tertiò autem, quod vt duo, & sic de reliquis; ergo in illo numero infinito specierum, quæ inter hominem, & lapidem intercipiuntur homo, & lapis non se habent, vt termini constitutionis illum terminãtes magis, quam quilibet aliæ duæ species; sed solùm, vt termini acceptionis à quibus possumus numerationem incipere. Maneat igitur infinitum ex ea parte, qua infinitum est essentialiter importare negationem termini. Vnde fit, vt implicet dari infinitam multitudinem adæquatè numerãtam, vel infinitum corpus figura aliqua siuè rotunda, siuè quadrata &c. figuratum; hæc enim omnia terminationem important. His ergo pro quæstionum sequentium intelligentia præsuppositis sit.

SECTIO TERTIA

An per absolutam Dei potentiam dari possit infinitum actu secundum magnitudinem.

SOlùm hic quæritur: an Deus possit per omnipotentiam suam efficere corpus aliquod categorematicè infinitum in extensione V. G. Columnam, quæ Orientem versus nullum habeat terminum, sed vlterius, & vlterius in infinitum procedatus quidquid sit deindè si versus Occidentem sit terminata. 37

Conclusio est affirmatiua. Probatur primò ratione fundamentali: quidquid non inuoluit implicantiam contradictionis potest à Deo fieri, vt omnes Catholici DD. defendunt, atque supponunt vno excepto Francisco Victoria, quem suppresso nomine Palatius *in 1. dist. 42.* acriter impugnat, & reprehendit sed infinitũ in actu secundũ magnitudinẽ cõtradictionẽ nõ implicat; ergo &c. minor probatur quia si implicat, vel ratione infinitatis vt sic simpliciter, & hoc dici nequit; siquidem sequeretur, quod neque in Deo reperiri posset infinitas, vel ratione magnitudinis; & hoc neque dici potest, quia hæc secundum se est aliquid reale per se positum in prædicamento; vel denique ratione coniunctionis vtriusque; & hoc multò minus; siquidem neque extensio infinitari; neque infinitas extensioni repugnat; quinimò inuicem se adiuuant, atque inferunt; ita vt extensio licèt finita sit, partes tamen in infinitum diuisibiles essentialiter requirat: Infinitas verò quo ad spatium extensionem saltem virtualem in suo conceptu inuoluat. Porrò vim huius argumẽti examinabimus inferius suo loco, disputationem ex professo de ea instituentes. 38

Confirmatur; quia infinitas quo ad spatium, quæ dicitur immensitas, stat cum substantia indiuisibili, vt patet in Deo, posito quod hic in spatijs imaginarijs reperiatur; ergo stare etiam potest cum re, extensa, & diuisibili; consequentia probatur, quia res indiuisibilis, vt sic, indiuisibile spatij sibi vendicat; & non aliam ob causam infinito spatio diuisibili coexistere potest, nisi quia virtualem habet extensionem; ergo cum quantitas habeat formalem extensionem rectè poterit cum infinitate, cum aliud non obstet, copulari; Confirmatur iterum: quia extensio, vt extensio est non dicit terminationem; infinitudo verò quatenus infinitudo in ordine ad spatium non importat indiuisibilitatem; ergo poterunt extensio infinita, & diuisibilitas inuicem esse coniuncta 39

Dices infinitatem actu repugnare magnitudini quatenus est quid creatum, si enim quantitas esset infinita, iam esset Deus, quia huic soli potest competere infinitas. 40

Sed contra est, & ad huius instantiæ euidentem solutionem pono id, quod habet D. Th. *quolibeto 9 qu. est. 1. art. 1.* vbi sic ait: Videtur irrationabiliter dici, quod quidam dicũt: quod Deus nõ potest facere esse infinitum in actu, quia esse infinitum repugnat facto, in quantum est factum, sci- 41

Digitized by Google

scilicèt, vel creare, vt creatum; Cuius dicti rationem assignant subdit: nihil enim prohibet illud quod est infinitum per vnum modum, superari ab alio plurib⁹ modis; sicuti si esset aliquod corpus infinitum secundum longitudinem, finitum verò latitudine, esset minus corpore longitudine & latitudine infinito; Dato autem, quod Deus faceret aliquod corpus infinitum in actu, corpus quidem hoc esset infinitum quantitate dimensiua, sed de necessitate haberet naturam speciei terminatam, & esset limitatum, ex hoc ipso, quod esset res materialis; vnde nō est æquale Deo, cuius esse, & essentia est modis omnibus infinita: hæc Sanctus Doctor; per quæ patet responsio ad instantiam contra primam nostram probationem.

42 Probatur secundò: datur infinitum syncategorematicum in extensione vt vidimus; Deus enim data quacunque finita magnitudine, semper potest facere aliam maiorem, & maiorem in infinitum; imò etiam illam eandem augere per additionem partis ad partem in infinitum. Quod si hoc 3. *libro Physic. tex.* 69. Aristoteles videtur id negare, dum docet continuum non posse esse infinitum versus maius: ideò negat, quia cum putauerit Deum ex necessitate naturæ operari: censuit consequenter, quod si aliquod maius Cœlo fuisset possibile, fieri omninò debuisset à Deo. vnde subiungit, (quantum enim contingit potentia esse, & actu contingit tantum esse) scilicet tanta est magnitudo in actu, quanta est in potētia; quod maximè pro nobis facit contra Aduersarios, qui admittūt continuum posse fieri à Deo maius, & *maius in infinitum*, crescendo per partes æquales, & negant posse de facto fieri actu in infinitū. Sed quidquid sit de hoc redeamus ad probationē; Datur infinitum syncategorematicum in extensione; ergo dari potest in eadem extensione categorematicum, consequentia probatur, quia omnia argumenta, quæ militant contra hoc (vno, aut altero excepto, quod vrgetur à Sancto Thoma ex intentione Dei agentis desumpto, de quo infra) militant etiam contra syncategorematicum, sed illis non obstantibus conceditur syncategorematicum; ergo concedendū, etiam est Categorematicum; minor, & consequentia patēt; maior probatur argumento hoc principali: Infinitum syncategorematicum solùm differt à Categorematico penes diuersum modum essendi, requirit enim syncategorematicum actum permixtum potenti: Categorematicum verò actum totaliter completum; Cœterum in infinitate, vt sic omninò conueniunt; atqui omnia argumenta, quæ fiunt contra infinitum in actu, seu Categorematicè secundum magnitudinem, militant contra illud ex hoc præcisè, quia continet infinitam magnitudinem, vt sic; ergo dicta argumenta non minus impugnant infinitum syncategorematicū, quam Categorematicum.

43 Maior huius argumēti principalis probatur: quia infinitum syncategorematicum in magnitudine, (& idem dici potest de alijs generibus infiniti in numero, & in extensione) continet intrinsecè tantam infinitatem in eo genere, in quo est infinitum: quantam cōtinet infinitum in actu; Quod suadetur: ex eo, quia si per impossibile tota Columna *infinita* syncategorematicè poneretur in actu eius extensio attingeret intrinsecè, & in se veram, ac propriam infinitatem, vt de se constat; sed hoc non haberet ex impossibilitate suppositionis; ergo rationem huius infiniti iam antecedēter habebat: minor huius probatur, quia dicta suppositio impossibilis per Aduersarios nihil aliud ponit repugnans illi columnæ infinitæ in potencia, nisi solam actualitatem præcisè; non enim vult Columnam illam augeri, sed solum, quod illa eadē, quæ includebat potentialitatem; spolietur dicta potentialitate, & ponatur realiter in actu; sed hoc neque formaliter, neque consequenter eius magnitudinē auget; sed solùm mutat modum essendi illius, transferendo illam secundum se totam ex modò essendi potentiali ad modum essendi actualem: ergo hoc quod est attingere intrinsecè dictam columnam infinitam extensionem, non habetur ex impossibilitate suppositionis: minor huius, quæ indiget probatione, clarescit dupliciter, primò à priori sic: columnæ actualitas supponit eiusdem magnitudinem, seu extensionem possibilem tanquam suum necessarium fundamentum; actualitas enim rei non est, nisi eius existentia, quæ intelligitur aduenire essentiæ indiuiduali tantæ, vel tantę magnitudinis; secundò à posteriori, quia quam extensæ sunt res possibiles, tam semper sunt extensæ actuales, & ideò res est tantæ magnitudinis in actu, quia est tantæ magnitudinis in potentia; suppositio igitur illa, neque formaliter, neque consequenter columnæ magnitudinem auget secundum se consideratam.

Minor verò principalis, in qua assumebatur; 44
argumenta, quæ fiunt contra infinitū in actu secū dū magnitudinē, militare cōtra syncategorematicū ex eo præcisè, quod est infinitū, vt sic: probatur in hunc modum: nam argumenta principalia impugnantia infinitum actu in magnitudine colligunt probare illud esse finitum, & infinitum, infinitum vt supponitur: finitū quia posset ei fieri additio, & posset dari vnum maius alio, in quātum posita columna actu infinita versus Orientem, & finita versus Occidentem, posset versus hanc partem maiorari, imò posset etiam alia à Deo creari, quæ tum versus Orientem, tum versus Occidentem esset infinita; sed hoc idem argumentum fieri potest contra columnam infinitam in potentia, ex eo præcisè, quod infinita sit; nam de columna, quæ versus Occidentem, iam est actu finita, & crescit in infinitum Orientem versus, quæri potest, vtrum si ei versus Occidētem fieret additio centum palmorum, vel etiam alterius extensionis syncategorematicè infinitæ: vtrum, inquam, esset maior se ipsa sine illis additis, nec ne? & idem argumentum vrgeri, quod scilicet, Columna syncategorematicè infinita esset simul finita, & infinita; ergo hæc argumenta militant contra infinitam extensionem, vt sic, siquidem, vt vidimus contra singulas eius species eque procedunt.

Ad hoc argumentum respondent aliqui Primò, negādo partes, quas infinitum syncategorematicum continet esse infinitas; quod sic euincūt: Non est possibilis tota collectio partium finitarum maiorum, & maiorum, quæ addita quantitati 45

fini-

Digitized by Google

finitæ existenti non extrahat illam à finitate; ergo infinitum syncategorematicum secundum id, quod dicit in potentia, non constat ex partibus simpliciter infinitis: & sic argumentum quod deducitur ab infinito syncategorematicè nullius est; Hęc secunda consequentia patet. Prior verò probatur, quia quantitas illa finita potest crescere in infinitum, vt nunquam euadat simpliciter infinita; ergo est infinita syncategorematicè. Primum verò antecedens suadetur, quia si tota illa collectio partium finitarum maiorum & maiorum esset possibilis: vel finita est, vel infinita: Neutrum dici potest; ergo &c. Minor hæc probatur: non finita, alioquin daretur quantitas finita maxima, quia tota collectio partium, non nisi centum, vel mille V.G. palmos additos quantitati præexistenti contineret; neque infinita, quia iam redderet quantitatem præexistentem, cui additur, simpliciter infinitam, contra suppositum, loquebamur enim argumentum de illis partibus quantitatis, quæ poterant ita addi quantitati finitæ præexistenti, vt eam non extraherent à ratione quantitatis finitæ; ita ferè Giattinus *quæst. phys. art.* 1.

46 Verum hoc argumentum facilè solui potest, si dicamus: dupliciter intelligi posse infinitum syncategorematicum non constare ex partibus infinitis. Primò quia non possit habere partes simul existentes actu, & hoc verum est: Secundò quasi verò non sit id, cuius aliquid accipientibus ex his, quæ habet in potentia non sit semper aliquid extra accipiendum: & hoc est falsum: si quidem de ratione infiniti syncategorematici est, vt si secundum partes, quas habet in potentia successiuè sumatur, exhauriri nō possit. Quod sufficit ad meum intentum.

47 Quare ad argumentum positum concesso antecedente, nego veranque consequentiam. Et ad prioris probationem, distinguo antecedens: quantitas finita ita potest in infinitum crescere, vt nunquam euadat simpliciter infinita: si intelligatur fieri additio partium finitarum tantùm cōcedo, si intelligatur fieri additio infinitarum, quamuis singulæ finitæ sint, nego antecedens; & eodem modo distinguo consequens; ergo quantitas illa finita est infinita syncategorematicè; si intelligatur illi fieri additio partium finitarum tantùm concedo, si infinitarum, nego consequētiam; Et dico argumentum procedere à secundum quid ad simpliciter, & ideò non habere vim: siquidem ex eo, quod non sit possibilis tota collectio partium finitarum maiorum, & maiorum in infinitum, quæ addita extensioni finitæ non extrahat illam à finitate, colligit, infinitum syncategorematicum non includere in potentia partes infinitas, cum sufficiat ad colligendum oppositum, quod tota collectio addita priori extensioni constituat illam simpliciter infinitam; nam infinitum extensiuum syncategorematicum est tale, vt si extensioni finitæ, quam habet actu addantur simul, & collectiuè omnes extensiones maiores, & maiores, quas potest successiuè recipere euadat infinitum categorematicum. Quamuis igitur verum sit in statu possibilitatis non dari totam collectionem partium extensarum finitarum maiorum, & maiorum, quæ additæ extensioni finitæ existenti non reddat ipsam infinitam; cum hoc tamen stat absolutè loquendo dari in illo fieri collectionē, differentium partium, quæ si simul adderetur priori extensioni finitæ, redderet illam categorematicè infinitam; atqui hæ sunt infinitæ siquidem sunt aptæ infinitam extensionem facere, & sunt illæ eædem quas infinitum syncategorematicum dicis in potētia; ergo &c.

Ex quo deducitur infinitum syncategorematicum in magnitudine continere intrinsecè tantam infinitatem in potentia quantam infinitum categorematicè in actu, licèt non eodem modo; quod erat probandum. 48

Secunda Responsio sumitur ex Mauro *in phys. quæst.* 34. vbi sæpè docet collectionem omnium partium infiniti syncategorematici non esse æqualem collectioni omnium partium categorematici, atque adeò falsum esse: infinitum syncategorematicum continere tantam infinitatem in potentia, quantam in actu categorematicum; assumptum probat hoc discursu; Æqualia sunt, quæ possunt ita existere, & coaptari, vt inuicem congruant; sed collectiones partium horū dorum infinitorum non possunt ita existere, & comparari, vt inuicem congruant; ergo collectio omnium partium infiniti Categorematici non est æqualis collectionis omnium partium syncategorematici; minor patet, quia nostrum argumentum procedit etiam dato, quod Categorematicū sit impossibile; maior verò probatur, quia ea, quæ non possunt existere, neque possunt coaptari inter se, neque inuicē congruere; atqui ex Axiomate 8. Euclidis: Æqualia sunt, quæ sibi mutuo congruunt; ergo &c. 49

Sed huius quoque responsionis falsitas conijci etiam potest ex leuitate sui fundamenti, ad quod Respondeo negando maiorem; posse enim nos concipere æqualitatem inter duo præscindēdo ab eorum possibilitate: constat primò ex doctrina huius auctoris, quam eadem quæstione tradit, dum assumit omnes numeros septenarios esse eiusdem speciei, & rationis, quia sibi mutuo congruunt, collectis igitur duobus septenarijs, quorum alter sit hominum, alter verò chimerarum, huiusmodi numeri erunt æquales; ad eum planè modum, quo ex illo principio ipsemet colligit duo infinita Categorematica, in magnitudine fore æqualia: ergo falsum est, quod æqualitas solùm inter res, quæ possunt ita existere, vt sibi mutuo congruant; concipi possit. Constat secundò ex prima, & secunda hora diei, quæ existere non possunt ita vt sibi mutuo congruant, si quidem essentialiter existentia vnius habet excludere existentiam alterius, & tamen vna est æqualis, alteri; ergo &c. 50

Constat denique tertiò, quia si concipiantur duæ lineæ parallelę ex vtraque parte infinitæ, vtique de his sic cōceptis affirmari posset æqualitas; quare rectius æqualia, vt sic, definiri debēt. Ea, quæ si simul existerent siuè per possibile, siuè per impossibile: inuicē congruerent. nō enim hic agimus de æqualibus, vt relatiuis, sed absolutis: cuiusmodi sunt binarius numerus hominū possibiliū, & binarius possibilium Angelorum in ratione binarij, sed hac posita definitione æqualiū 51

re-

Digitized by Google

redè negatur collectionem omnium partium infinitè syncategorematicè esse æqualem collectioni omnium partium Categorematici, quando præsertim est vnum, & idem quod sunt per possibile, sunt per impossibile de potentia transeuntes ad actum ergo &c.

52 Tertiò denique responsio est communis, qui idcò negant argumenta, quæ sunt contra Categorematicum militare, contra syncategorematicum quia dicunt partes Categorematici debere sumi collectivè, at verò partes syncategorematici nō nisi distributivè accipi posse.

53 Sed contra hoc etiam facit, quia nos non negamus eorum, quæ sunt essentialiter syncategorematicè infinita, cuiusmodi est divisibilitas continui, vel æternitas à parte post, non posse sumi partes, quas habent in potentia collectivè, sed distributivè tantum, ita vt assignata quacunque collectione, semper sit assignabilis alia maior, & maior in infinitum absque eo, quod vsquam deuenire possit ad aliquam, vltra quam non possit dari maior: quia putamus neque per Diuinam Omnipotentiam huiusmodi infinita syncategorematica posse euadere categorematica: nihilominus tamen non videtur negari posse de huiusmodi infinitis etiam verificari, quod sint id, cuius aliquid accipientibus ex his, quæ habent in potentia, semper sit aliquid accipiendum vltrius: sed hoc sufficit, vt inuicem comparari possint, vel idem etiam sibi, facta suppositione impossibili, quod ex syncategorematico transiret in Categorematicum; ergo argumentum partis & totius: maioris, & minoris æquè militat contra syncategorematicum.

83 Dices cum Giattino *art.* 4. in responsione ad
54 primum: Totum & pars: plus, & minus non posse verificari de ijs rebus, quæ collectiuè accipi non possunt, eo quod comparatio partis ad totum dicit terminationem ipsius totius, & comparatio maioris ad minus terminatam acceptionem ipsius maioris: aliter non staret comparatio; sed in infinito syncategorematico; non possunt accipi rationes totius, & maioris, quia est quid essentialiter indeterminatum, & per modum vnius inacceptibile, & impossibile; ergo fieri non possunt dictæ comparationes, quæ optimè sunt in Categorematico quippè toto existente.

Contra tamen est, quia ratio infiniti syncate-
55 gorematici stat cum vnitate ipsius infiniti: dicimus enim generationes hominum constare vnum infinitum syncategorematicum, & generationes Leonum aliud item duos montes duorum lapidum esse duo infinita syncategorematicè, quia possūt accipere plures, & plures partes in infinitum; ergo stabit etiam cum totalitate eiusdem infiniti. Consequentia patet, quia omne, quod est vnū, secūdum quod vnum est, habet suam totalitatem, per quam constituatur in se, & distinguatur à quocunque alio; quemadmodum igitur in sententia auctoris *art.* 3. rectè dici potest, quod omnes, & singulæ generationes Hominum videntur à Deo absque eo, quod voces (omnes, & singulæ) significent collectiuè: sic etiam rectè dici poterit, quod tota multitudo Generationum videatur, absque eo, quod totalitas collectionem significet. Quod si quæras; quid ergo significat? dico significare duo, vnum de positiuo, alterum de negatiuo; & de positiuo quidem: quamlibet generationem hominum, nulla exclusa: de negatiuo verò, quod non possint simul omnes existere ex suppositione, quod sint essentialiter syncategorematicè infinitæ; vides quomodo Totalitas non importet necessariò collectionem à parte rei.

Ad rationem autem in contrarium, nego com- 56
parationem partis ad totum, & minoris ad maius dicere terminationem in toto, & in maiore, vt constat ex linea infinitè extensa iam, sunè extendibili, quæ incipiat ab hoc puncto; potest enim comparari cum prima vlna viciniori puncto, vt totum ad partem, quamuis ponatur versus maioritatem carere termino; liquet communiter dici à nobis Deus posse facere totum id, quod non implicat, & videre totum tempus, quod in æternitate à parte post existere potest, absque eo, quod collectio aliqua significetur, atque hoc quo ad secundam probationem.

Denique tertiò Assertio nostra ad 57
homines contra eos, qui defendant dari spatium imaginarium extra Cœlum Empyreum, illudque volunt esse intercapedinem realem absolutam, ac locum quendam metaphysicum, seu capacitatem quamdam, ac vacuitatem negatiuam replebilem corpore: sic: Spatium hoc imaginarium est infinitum actu, quo ad extensionem negatiuam; ergo non est, aut negatur infinitum actu, quo ad extensionem positiuam. Antecedens probatur, quia spatium imaginarium habet actu in se intrinsecè extensionem aliquam. Sed non finitam, neque finitam in infinitum; ergo infinitam actu; maior non videtur posse rationabiliter ab Aduersarijs, cum quibus disputamus, negari, quia putant dictum spatium vndique diffusum extra Cœlum; minor probatur, quia non potest dici, quod dicta negatiua extensio sit finita; sic enim esset vndique terminata, & sicuti versus mundū hunc habet illum pro termino: ita versus partes alias quascunque alios mundos deberet habere, qui illam vndique terminarent, ne vlterius 58
excurreret, post quos quæri posset, verum dentur aliqua spatia, & sic inferro, vel quod in mundis detur processus in infinitum, quod per Aduersarios est absurdum: vel quod aliquod spatiū imaginarium non sit actu finitum secundum extensionem, quod à nobis intenditur.

Neque potest dici, quod dicta extensio sit finita in infinitum, quia quanta esse potest tota est actu, sit autem actu quidem finita esset: infinita verò potentia, cum eius actualitas non possit auferri nisi per aduētum corporis replentis illā; iam sequeretur manifestè dari actu corpus infinitè extensum; dicendum igitur est, quod spatiū illud extensionem habeat actu infinitam. Consequentiam verò primi enthymematis probo sic, quia solemne argumentum, quod fit ab istis Aduersarijs contra infinitum actu, quo ad positiuā extensionem est: Quod si daretur dicta extensio tot contineret palmos, quot vlnas: in quantum tam vlna, quam palmi eius essent infiniti, quod videtur illis absurdum, eo quod cum quælibet vlna constet ex pluribus palmis, numerus pal-

mo-

morum, pluries superare deberet numerum vlnarum atquì hoc idem argumentum fieri potest contra negatiuam extensionem actu infinitam spatij imaginarij, &, ea non obstante, dicta negatiua extensio conceditur ab Aduersarijs; ergo non est cur negari ab illis debeat infinitum actu quo ad positiuam extensionem. probo minorem, nam maior, & consequentia non indigent probatione: licèt hæc nomina Palmus, & Vlna primò, & per se positiuam extensionem significent, non est tamen cur non possint applicari extensioni illi imaginariæ, sicuti applicantur hæc Nomina: Spatium, Capacitas, Extensio, quę primò, & per se imposita sunt ad quid reale positiuũ significatiuum; quare sic arguo: in illo spatio imaginario cõsiderare possumus capedinẽ vlnę, & capedinem palmi, eo quod ipsum est quædam extensa capacitas. peto igitur: vel palmi eius sũt tot, quot vlnæ, vel plures? & vtrumuis dixeris iisdem impugnationibus te vrgeam; quibus me vrgere credis: nam si dicis primum; ergo numerus palmorum non superat vlnarum numerum, sin autem secundum, ex duobus igitur numeris infinitis non est absurdum, quod vnus sit maior altero.

Respondent ad antecedens, spatium imaginarium esse quidem infinitum actu, quo ad actualitatem, non autem quo ad determinationem; & per hoc putant soluere argumentum; id autem sic explicant. Spatium imaginarium duo habet suam, scilicet, actualitatem absolutam, & suam extensionem. Primum, cum non recipiat ab actualitate rei negatæ, sed potius per illam de per se habet independenter ab ea: at verò secundum recipit à re, quam negat; & quia hæc in casu nostro non est, quo ad extensionem determinata; siquidem positiua extensio corporis esse potest maior, & maior in infinitum: hinc fit, vt ipsum spatium imaginarium remanat, quo ad extensionem indeterminatum, nam determinatio solùm consequitur ad propriam, & positiuam existentiam.

59

Contra tamen est primò, quia implicat aliquod infinitum esse actu, quo ad actualitatem, & non quo ad determinationem; ergo nulla responsio; antecedens probatur, quia determinatio, quæ cadere potest in infinitum actu, non potest esse ratio termini, hic enim infinito repugnat, sed sola ratio indiuiduationis, cuius beneficio sit hoc, & non aliud; sed indiuiduatio, vel non distinguitur ab existentia rei, vel ab ea supponitur tanquam ab vltima perfectione indiuidui existentis; igitur si spatium imaginarium ponitur quo ad actualitatem à parte rei, debet etiam poni quo ad determinationem.

60

Confirmatur, quia indeterminatio, quam obtinet dictum spatium à corpore, quod in eo existere potest, solùm facit, vt in illo nequeat assignari aliqua finita & determinata extensio, quin possit alia maior, & maior in infinitum assignari; sed hæc potius inest ad infinitatem Categorematicam siquidem ab ea essentialiter exigitur; ergo &c.

61

Contra est secundò, quia in tantum per Aduersarios spatium imaginarium non est infinitum actu, quo ad determinationem, in quantum determinatum illius, quod est plenum, non est infinitum categorematicè, sed hoc non obstat; ergo &c. minor probatur, quia tunc solùm obstaret, quando plenum esset determinatiuum intrinsecum dicti spatij; sed ipsum est tantummodo determinatiuum extrinsecum; ergo &c. maior patet, quia determinatiuum extrinsecum syncategorematicè infinitum non infert per locum intrinsecum infinitatem syncategorematicè in re determinata, vt patet primò ex Diuina Omnipotentia, in sententia Aduersariorum, cuius determinatiuum est syncategorematicè infinitum, in quantum Deus non potest facere infinitas creaturas, sed finitas in infinitum, & tamen ipsa est actu infinita; Secundò ex eo, quia si daretur potentia intellectiua, quæ suas cogitationes posset intensiores, & intensiores in infinitum efficere, hæc esset categorematicè infinita; minor verò probatur quia determinatiuum intrinsecum alicuius rei non est nisi duplex: vel enim est terminus, qui facit ne vltra id, cuius est determinatiuum se extendat vel est eiusdem rei essentia, aut indiuiduatio, cuius beneficio res habet, vt sit potius hæc, quam altera; at verò neutro modo extensio positiua est determinatiua spatij imaginarij: non primò, quia respectu illius non se habet, vt quid indiuisibile faciens ne vlteriùs se extendat; Terminus autem primi generis vtrunque habere debet; Neque secundo modo, quia extensio positiua corporis non est essentia ipsa, neque ipsa indiuiduatio spatij imaginarij, sed solùm id, per ordinem ad quod ipsum sumit essentiam suam, sed hoc est esse determinatum solùm, extrinsecè, vt patet in alijs rebus; ergo &c.

62

Contra denique est tertiò, quia falsum est, determinationem non posse competere rebus negatiuis, sed solùm consequi ad positiua, nam eo modo competit determinatio alicui, quomodo cõpetit existentia; sed existentia competit rebus negatiuis per Aduersarios independenter à positiuis; ergò & determinatio: maior probatur, quia existentia supponit determinationem, quæ in casu nostro non est finitas spatij, sed est eius indiuiduatio. Iinquo, quod si spatium imaginarium esset syncategorematicè infinitum, quo ad determinationem, sequeretur, quod quo ad extẽsionem suam partim esset actu, & partim in potentia, atque adeò secundum id, quod esset in potentia, iam esset repletum à corpore actu existente, & categorematicè infinito, Iinquo etiam actualitatem spatij debere cadere supra ipsum spatium iam determinatum quantum ad suam extensionem, sed de hoc re- dibit sermo cum de in- finito in mul- titudi- ne.

63

(†) † (†)

SEC-

SECTIO QVARTA

Soluuntur sex obiecta contra infinitum Categorematicum in extensione.

64 OBijcies Primò: Omne corpus est terminatum superficie, atque figura; figura enim, ac superficies terminatiua censentur esse passiones quantitatis trinę dimensę; sed implicat infinitum in extensione habere terminum positiuum, ac figuratum esse; ergo implicat corpus infinitè extensum.

Respondeo: maiorem esse veram: si sermo sit de corpore finito, non autem loquendo de infinito; habere igitur superficiem terminatiuam, atque figuram est proprietas solius finitæ quantitatis; atque hinc obiter colliges neque circulum, neque quadratum, neque animal, neque arborē, actu infinita esse posse. hæc enim vel figuræ sunt, vel figurationem esentialiter requirūt. idem est asserendum de esse in loco; est enim proprium solius corporis finiti. Vnde corpus infinitum si daretur verè, & propriè non esset in loco; non enim ambiri posset superficie, sed solùm impropriè, in quantum repleret spatium infinitum imaginarium.

65 Obijcies Secundò: Omne corpus est in se determinatum; sed infinitum est indeterminatum; ergo nullum corpus potest esse infinitum; Confirmatur, quia omnis forma substantialis cum sit in se determinata, determinata etiam requirit accidentia; inter quæ est quantitas; non potest igitur cum infinita quantitate coniungi.

66 Respondeo, distinguendo maiorē: Omne corpus est in se determinatum, quo ad prędicata sua quidditatiua, & quo ad certam speciem concedo. quo ad extensionem intra illam speciem contentam, nego maiorem: & distinguo eodem modo minorem; Infinitum est indeterminatum in extensione concedo: in suis prędicatis quidditatiuis, nego minorem, & consequentiam; Ad confirmationem autem respondeo; quod sicuti esse tisliter omnis forma substantialis, quo ad prædicata sua quidditatiua, est determinata: ita determinatiua quantum ad hoc requirit accidentia; quia verò aliqua est quantum ad extensionē indeterminata, idcircò coniungi potest cum quantitate infinita.

67 Instabis: extensio est prædicatum quidditatiuum quantitatis, si igitur forma substantialis potest cum infinita quantitate coniungi, coniungi etiam poterit cum accidente indeterminato quātum ad sua prædicata quidditatiua.

68 Respondeo, distinguendo antecedens: extensio metaphysicè, & formaliter sumpta est prædicatum quidditatiuum quantitatis concedo: sumpta physicè, & materialiter, nego antecedens; & consequentiam explico: Formaliter sumpta est extensio vt sic, quæ non dicit nisi limitatam perfectionem entis: Materialiter verò est tanta, vel tanta, quod est quid contingens respectu quantitatis essentiæ.

69 Obijcies Tertio: implicat dari minimum magnitudinis; ergo, & maximum, sed hoc est infinitum; ergo &c.

Respondeo, concesso antecedente: nego consequentiam; quia ne detur minimum obstat essentia quantitatis, quæ est diuisibilis in infinitum, per partes minores, & minores; at in maximo, & infinito corpore eadem quantitatis essentia optimè consistit; quælibet enim magnitudo stat cum potentia ad hoc vt in infinitum diuidi possit. 70

Obijcies Quartò: si Deus creare posset infinitum actu secundum magnitudinem posset etiam creare corpus, quod omnia spatia imaginaria occuparet. sed hoc est inconueniens; siquidem tunc non posset aliquid vlterius creare Deus; nō enim haberet spatium vbi illud collocaret; ergo &c. 71

Respondeo: transeat sequela, nego minorem cum sua probatione, dico enim quod dato corpore illo infinito (de quo dixi, transeat, quia solum contendo ratione infinitatis secundùm Trinam dimensionem acceptæ non implicare, quid quid sit si aliundè implicet) Dato inquam dicto corpore, Deus creare posset tum Angelos, qui nullum occupant spatium, tum cætera corpora, penetratiuè cum infinita illa magnitudine se habentia, quod si vellet, vt hæc existerent impenetrata, deberet, vel cōdensare partes aliquas prioris corporis, vel eas annihilare; ex quo patet vlterius per creationem corporis infiniti vndequaque non exhauriri Dei omnipotentiam. 72

Instabis primò: Deus non potest communicare suæ creaturæ immensitatem suam; ergo non potest creare corpus omnia spatia imaginaria replens. 73

Respondeo, distinguendo antecedens; non potest Deus communicare creaturæ immensitatem eo modo, quo est in ipso Deo, & secundum omnem rationem, quam in eo participat, concedo: diuerso modo, & secundum rationem veluti generica, nego antecedens, & consequentiam; Deus enim est immensus independenter ab alio; & ita, vt necessariò ex principijs suis intrinsecis ei competat immensitas; at verò corpus infinitū esset immensum dependenter ab ipso Deo, & sine exigentia intrinseca immensitatis; Sic, qui dicunt potuisse fieri à Deo creaturam ab æterno, attributum æternitatis creaturæ illi concedunt; Quod si verum est, quod attributum sapientiæ & bonitatis, ne cum dependentia quidem potest à Deo communicari creaturæ, est peculiaris ratio de his, quia, scilicet, infinita bonitas infinitam perfectionem in omni genere entis inuoluit: infinita verò sapientia infinitam immaterialitatem, & rationem actus puri, quod vtrunque repugnat creaturæ. 74

Instabis secundò, si Deus crearet corpus omnia spatia imaginaria replens; huiusmodi corpus esset immobile, sed omne corpus est essentialiter mobile; de eo igitur duo contradictoria verificarētur; minor patet, quia natura, quæ est Principium motus, est de essentia cuiuscunque corporis naturalis; maior verò probatur, quia per motum localem, debet à mobili deseri aliquis terminus à quo, & acquiri de nouo terminus aliquis ad quem, sed tale corpus iam occuparet omne spatium; ergo nullum terminum deserere, nullūq; acquirere de nouo posset. 75

Digitized by Google

76 Respondeo: distinguendo sequelam, huiusmodi corpus esset immobile secundùm quamlibet sui partem distributiuè sumptam nego; esset immobile secundùm se totum, concedo; sic distincta eodem modo minore, nego consequentiã. Corpori enim naturali, vt patet ex Cœlo, sufficit si secundùm partes suas mobile sit, hoc autem haberet infinitum corpus secundum partes suas distributiuè sumptas se mouendo; Quod si neque secundum partes huiusmodi corpus se mouere posset nihil refert: Distinguo enim alio modo sequelam, corpus hoc esset immobile per se, & ratione sui, nego, esset immobile per accidens, & ratione infinitatis, cui coniunctum est concedo: & sic distincta minore; nego consequentiam; Per accidens enim pars illa Terræ, quæ reperitur in centro mundi est localiter immobilis, vt taceam de creatura permanente creata ab æterno in sententia multorum.

77 Instabis tertiò: quando implicat actus secundus, implicat etiam actus primus: ergo si implicat corpus infinitum moueri; implicabit etiam esse mobile.

78 Respondeo: actum primum eodem modo implicare, quo implicat actus secundus, non autem diuerso modo; sic corpus in ratione infiniti non est mobile, quia implicat infinitum moueri, at in ratione corporis mobile est, dicèt per accidens postea non moueatur.

79 Quæres hic obiter, si corpus esset infinitum secundùm longitudinem tãtùm, vt columna, posset ne localiter moueri?

80 Respondeo: dupliciter corpus posse esse infinitum secundum longitudinem, Primò versus vtrasque partem, Secundò versus vnam tantummodo; Primò modo esset infinita columna versus Orientem, & Occidentem protensa, quæ tum ex parte Orientali, tum ex parte Occidentali nullum haberet terminum, sed vtrimque in infinitum excurreret: Secundò verò illa columna quæ inciperet quidem ab vno puncto versus Occidentem V. G. sed in infinitum versus Orientẽ protenderetur; Vtrouis autem modo infinitum sit corpus, dico non posse moueri neque ab Oriẽte ad Occidentem, neque ab Occidẽte ad Oriẽtem, quia, vt supra rectè dicebamus, ad motum localem rectum requiritur, vt terminus à quo deseratur, & acquiratur de nouo terminus ad quẽ, corpus autem vtrimque extensum neque ex parte Orientis, neque ex parte Occidẽtis habet spatium, quod acquirat; Infinitum verò ex vna tantum parte licèt Occidentem versus habeat spatium ad quod peruenire posset; quia tamen versus Orientem est infinitum, non potest ex ea parte locum vacuum discedendo relinquere.

81 Et hinc fit, vt immobilitas existimanda sit proprietas finiti, vt docet Aristoteles, *tum 3. Physic. tex. 48, tum 1. Cœli tex. 38.* dicens impossibile esse infinitum moueri omninò, cui accinit D. Th. *1. par. q. 7. art. 3. in corp.* atque hæc loquendo de motu recto, sin autem loquamur de circulari, constat ex eodem Arist. *1. Cœli tex. 39.* vbi sic ferè discurrit: Implicat corpus aliquod moueri circulariter, nisi in se circulare sit, sed corpus infinitum nequit esse circulare sicuti neque triangulare, aut quatrangulare &c. quia sic esset figuratum, atque adeò finitum; nam figura ex D. Thoma loco citato est, quę termino, vel terminis compræhenditur; non negauerim tamen vtrunq; infinitum versus septentrionem, & meridiem aut sursum, vel deorsum rectà posse moueri secundùm se totum, quia secundùm istas dimensiones supponitur esse, hinc inde finitum, ac terminatum, infinitum autem, qua infinitum, est immobile; & hic est modus solidè discurrendi de infinito extensiuo, non autem illo in quo admittitur infinitum ex vtraque parte, terminatum, atque adeò vnam maius alio ex ea parte qua infinitum est.

82 Cæterum si fingatur columna infinita versus Orientem, finita verò versus Occidentem moueri circulariter, quiescendo secundùm extremum suum in centro A. à quo incipit extendi, rectè deducitur, quod si ab illo puncto ducantur duæ lineæ facientes angulum, & in infinitum protrahantur debeant infinitè distare: & sic columna quantumuis ad breuissimum tempus mota fuisset, infinitum spatiũ confeciisset, quod implicat. quod si quis putet hoc nõ implicare; dicam ego sic columnam infinitam posse sine absurditate moueri.

83 Obijcies quintò: si Deus posset infinitam magnitudinem creare, huiusmodi magnitudo esset simul finita, & infinita: sed hoc implicat; ergo &c. sequela probatur, creet Deus virgam infinitam versus Orientem finitam autem Occidẽtem versus, incipientem à puncto A. tum sic, si nõ potest illam versus Occidentem mouere Deus: eam corrumpat, & de nouo reproducat, ita vt terminetur ad punctum distans per palmum à puncto A, vicinius ad Occidentem; iam talis linea esset infinita vt supponitur: esset autem finita, quia non solum ex parte Occidentis esset terminata, sed etiam ex parte Orientis, vbi restaret spatium palmare vacuum, quod in secunda productione occupatur ex parte Occidentis; ergo &c.

84 Respondeo, negando sequelam; ad eius probationem nego, Deum reproducere posse lineam illam actu habentem omnem priorem suam extensionem, quia ad idem prorsus punctum A. terminetur, ad quod in prima sui productione terminabatur, Ratio huius est, quia non solùm formalis motus, sed etiam virtualis infinito ex ea parte, qua infinitum est repugnat, cum ex vtroque eadem omninò sequantur absurda; atquì reproductio, quam ponunt Aduersarij, esset virtualiter eius motus. per eam enim acquireretur, & deperderetur spatium aliquod ab infinito; ergo &c. Ex quo vlterius sequitur prædictam virgam, si ad illud numero spatium compararetur, habere essentialem connexionem cum eo puncto determinato A; ita vt, ne in prima quidem sui productione ab alio puncto siuè remotiore, siuè viciniore incipere potuerit. Porrò hanc essentialem connexionem ad huiusmodi spatium dictæ virgæ partes finitæ, licèt per se non habeant, per accidens tamen, & ratione infinitatis, in qua sunt, illã habent, quamuis de reliquo eadem partes distributiuè sumptæ, in ipsa infinitate permutari possint, ita scilicet, vt palmus, qui fuerat primus, sit secundus, &c. sine vlla absurditate.

Ob-

Digitized by Google

85 Obijcies sextò: sit linea infinita ex vna tantũ parte, & ex ea parte qua finita est fiat detractio centum vlnarum: tum, sic, vel quod remanet est adhuc infinitum; vel non; neutrum dici potest; ergo &c. maior patet, minor probatur. Non potest dici primum, quia id, quod remanet est pars totius conflati, ex eo, quod remanet, & ex vlnis detractis; pars verò non potest esse æqualis toti, totum autem infinitum erat; ergo quod remanet infinitum esse nequit; Neque secundum; quia sequeretur, quod infinitum ex solis finitis partibus constaret, quod est impossibile: nam finitum additum finito, non facit infinitatem.

86 Respondeo: negando minorem. dico enim: quod remanet esse infinitum; ad eius probationẽ distinguo propositionem illam: Quod remanet est pars totius conflati sumpti in ratione finiti simul, & infiniti, concedo; sumpti solum in ratione infiniti, nego, sic enim quod remanet est totum infinitum. distinguo postea sequentẽ propositionem: pars non potest esse æqualis toti simpliciter, quatenus scilicet totum est simul finitum, & infinitum concedo; Pars infinita non potest esse æqualis toti sumpto solum quatenus infinitum est, nego; & ad subsumptum dico, quod finitum in creatis nihil aliud est, quam finitum infinities replicatum. vnde impossibile est assignare infinitum sine partibus finitis, & infinitis. Compositum autem ex finitis partibus, & infinitis est simul finitum, & infinitum; Infinitum ex ea parte, qua eius partes nullum habent terminum, & quatenus est formaliter cõpositũ ex partibus infinitis finitũ, verò ex ea parte qua habet terminũ, & constat ex finitis partibus; Pro vt igitur illa linea simul esset finita, & infinita esset, quid totũ constans ex eo, quod remanet, & ex eo, quod ablatum est: at quatenus infinita est vt sic, non constat ex eo, quod est ablatum; hoc enim est finitum, quare ne tota linea finita sit; Constare debet ex infinitis vlnis.

87 Et huius rei ratio à priori est, quia partes quantitatis continuæ esse debent eiusdem naturę cum toto, & cum illo aliquam habere proportionem, sic partes lineæ esse debent lineæ, & nõ puncta: partes verò superficiei non, nisi superficies, partes denique corporis corpora. Pari igitur ratione partes extensionis infinitæ esse debent infinitæ; additio igitur, vel detractio finitarum rerum se habet ad infinitum veluti additio punctorum ad lineam, linearum ad superficiem, superficiei ad corpus; quæ neque maioritatem, neque minoritatem faciunt cum ijs, quibus addũtur, vel demuntur; Ex quo vlteriùs deduci potest quodlibet finitum in infinito aliquo comprehensum esse partem integrantem illius, quia eo ablato licet non maneat adęquatè infinitum illud, sicuti erat prius: retinet tamen suam essẽtiam in ratione infiniti; & hoc est; quod dicunt aliqui, nihil finitum nisi infinities replicetur constituere infinitum reduplicatiuè sumptum, benè tamen constituere illud specificatiuè consideratum.

88 Instabis: sit linea ex vtraque parte infinita, quæ diuidatur in suas partes, tota vtique erit maior singulis partibus, vt de se patet, sed tota sumitur vt infinita; ergo infinitum vt infinitum est maius alio infinito.

Respondeo, distinguendo maiorem: tota erit 89
maior singulis sumptis in ratione finiti, seu ex ea parte, qua finitæ sunt, concedo: sumptis in ratione infiniti, & ex ea parte qua sunt infinitæ, nego maiorem; & concessa minore: distinguo eodem modo consequens: infinitum vt infinitum est maius alio infinito sumpto in ratione finiti concedo; in ratione infiniti, nego consequentiã; vnde est quod infinitum dici possit minus alio infinito solum ex ea parte, qua finitatem habet.

SECTIO QVINTA

Sex alia obiecta contra infinitatem continuam diluuntur.

OBijcies septimò; Dentur duæ lineæ Parallelæ ex vtraque parte infinitæ, ex quarũ altera auferatur vlna, tum sic: Prius istæ lineæ erant æquales; sed nunc non sunt æquales; ergo vna est maior altera; & sic habemus vnum infinitum maius altero. 90

Respondeo: concesso casu negando maiorem: 91
si propriè de æqualitate loquamur; quia vt rectè docet Scotus, æqualia dicuntur quorum eadem est mensura: quare æqualitas propriè mensurabilitatem, & finitatẽ importat: at si loquamur minus propriè, & largè, concedo: æqualia enim largè sumpta sunt ea, quæ ita se habent, vt quidquid est in vno, sit in alio, & nihil vltra; Atque hæc est æqualitas negatiua, in quo sensu æqualitate sumpta dico illam lineam, ex qua detractio facta est non esse amplius vnam, sed duplicem; vlna enim ablata se habebat vt vnio vtriusque, quod si duæ istæ lineę sumantur vt vnum, & cum altera parallella comparentur, hæc erit maior illis sumptis in ratione finiti, seu ex ea parte qua finitæ sunt: nõ autem ex ea, qua sunt infinitæ: vel erit maior entitatiuè, & non quantitatiuè, in quantum habebit aliquid, quod non est in vtrisque illis; & ratio huius rei est, quia vlna, in qua illas duas lineas superat, non facit eam maiorem in ratione infiniti, sed finiti; sicuti punctum additum lineæ non facit illam magis extensam, sed terminatam.

Obijcies octauò: duæ columnæ ex vtraque 92
parte infinitæ simul sumptę sunt maiores quam vna; ergo vnum infinitum est maius alio; antecedens probatur: tum quia plures palmi sunt in ambabus, quam in alterutra: tum etiam, quia vna est pars binarj columnarum.

Respondeo, distinguẽdo antecedens; sunt ma- 93
iores eo modo, quo sumuntur simul concedo: diuerso modo, nego antecedens, & consequentiam, ad antecedentis probationem dico, quod duę istę columnæ, neque realiter, neque per intellectum cum fundamento in re sumi possunt simul, ita vt faciant vnam longitudinem maiorem ea, quę est in alterutra. ad hoc enim vt duo possint saltem intelligi cum fundamento in re coire in vnam longitudinem, essentialiter exigunt habere terminos, de ratione enim talis vnionis est, vt ibi incipiat vna, vbi definit altera; hoc autem duæ istę columnæ non habent; sumi igitur simul possunt, vt vnum in longitudine solùm per intellectum temerè, & sine fundamento in re; ex quo sequitur, quod vnum infinitum solum fictè, & ex suppositione impossibili sit maius alio in ratione

Digitized by Google

infiniti; cum quo stat, quod absolutè loquendo sit æquale. sequela igitur illa absurda de maioritate, & minoritate infiniti non sequitur ex ipso infinito, sed ex impossibili suppositioni, quod infinita longitudo ex vtraque parte alteri coniungatur, & fiat maior.

94 Obijcies nonò: Creet Deus duas columnas infinitas, si potest, incipientes à puncto A. quod sit centrum Terræ, facientes angulum, quarum altera ad Orientem, altera verò tendat ad meridiē. tum sic: Distantia, quæ inter istas duas lineas intercipitur est simul finita, & infinita secundum latitudinem; sed implicat vnam, & eandem rem secundum eandem rationem simul esse finitam, & infinitam; ergo implicat non solum ista distantia, sed etiam vtraque illa columna, ex qua necessariò sequitur; non potest igitur Deus facere infinitum actu secundum magnitudinem; omnia de se patent præter maiorem, quæ probatur sic: ex vna parte huiusmodi distātia clauditur vtrinque duabus illis columnis; ergo finita est; spatiū enim quod vtrinque est terminatum finitum est; ex alia verò parte, vt ex *vigesima octaua primi Euclidis* habetur, & assumit Aristoteles 1. *Cœli tex.* 35. lineæ facientes angulum, quo magis protrahuntur, magis distant: sed huiusmodi columnæ protrahuntur in infinitum; ergo infinitè distant ad inuicem.

Hoc argumentum multi ex ijs, qui infinitum
95 Categorematicum in extensione negant putāt nihil concludere, inter quos est Giattinus, qui *initio articuli quarti* illud soluit dicendo: quod supponat falsum in eo ipso sensu, in quo vim intendit facere, & rectè id quidem, nam ex *quarto axiomate lib. primi Euclidis*, duæ rectę lineę non comprehendunt spatium; ergo est de subiecto nō supponente quærere, num spatium comprehensū duabus illis lineis sit finitum, an verò infinitum; deberet enim supponi duci tertiam lineam trāsuersam, vt de subiecto quæsiti constaret; sed hæc tertia linea non potest supponi ducta inter datas illas lineas, nisi assignantur puncta in ipsis lineis; inter quæ intercurrere debet: hoc autē ipso, quod assignentur huiusmodi puncta in lineis, hæ non possunt sumi secundum quod infinitè recedunt à centro Terræ; ergo non potest rectè colligi, quod spatium sit infinitum; sic enim ad hoc colligendū argui deberet: Quo magis puncta linearum facientium angulum recedunt à puncto A. eo maior est linea transuersa, quæ intercurrit; sed aliqua puncta recedunt infinitè; ergo &c. Cuius argumenti minor est falsa in sententia docente Categorematicum infinitum esse essentialiter interminatum, vt de se patet; ergo &c.

Verum Aduersarij respondere possunt, se non
96 loqui de spatio ab Euclide intento: hoc est de area terminata, sed de distantia, quam possē concipi inter duas rectas lineas infinitas, siuè facientes angulum, siuè parallellas, certum est, saltem in sententia spatium imaginarium concedētium. Porrò de ea quæritur, an sicuti quælibet pars vnius lineæ distributiuè accepta distat à qualibet parte alterius spatio finito; ita tota linea sumpta secundum quod infinita est infinito spatio distet à tota.

97 Ideò respondetur ab alijs secundo spatium illud siue mauis distantiam, licet secundum partes distributiuè sumptas finitum sit secundum latitudinem esse tamen infinitum collectiuè acceptum ex ea parte qua claudi non potest aliqua linea; Ad probationem in contrarium distinguunt antecedens: spatium hoc clauditur vtrobique duabus illis columnis, secundum quod finitum est concedunt, secundum quod est infinitum negant antecedens, & consequentiam. ratio negationis est, quia columnæ illæ licet secundum partes distributiuè sumptas determinent spatia particularia: tamen secundum se totę vt sic, cum sint infinitæ neque claudunt, neque terminant propriè spatium illud, sed vlteriùs, ac vlteriùs in infinitum illud dilatant, atque adeò infinitum reddunt; semper igitur in hac via negandum est absolutè columnas illas esse terminos distantiæ interpositæ quatenus infinitæ, quia respectu illius non sunt extrema quædam determinata, vltra quæ nō magis pateat dicta distantia; sed indeterminata in infinitam magis, ac magis per infinitum recessum declinantia, huius rei exemplum esse potest infinita distantia, quæ inter Deum, & negationem reperitur, quę quidē distantia, quia ex parte vtriusque extremi infinitatem importat, & quidem ex parte Dei infinitatem perfectionis, ex parte verò negationis infinitatem imperfectionis, si cum Deo comparetur: hinc fit, vt dici possit esse inter terminos infinitate distātes: eodem modo discurrunt hi de distantia illa collectiuè sumpta, quæ inter duas hasce columnas reperitur, respectu cuius dictæ columnæ dici possunt termini illam infinitantes, non autem illam determinantes.

Instabis primò: omnia spatia distributiuè sūpta 98
inter dictas columnas sunt terminata; ergo & totum spatium collectiuè acceptum.

Respondetur, negando consequentiam. In ma- 99
teria enim de infinito non valet argumentari à sensu distributiuo ad collectiuum, vt fortasse valet in finitis rebus; & ratio huius est, quia non potest in infinito per omnia fieri distributio; sic etiam in sententia Aduersariorum: potest Deus in hoc instanti omnes Angelos distributiuè sūptos creare, non autem potest omnes collectiuè acceptos.

Instabis secundò: totum spatium collectiuè 100
sumptum est inter duas illas columnas; ergo clauditur ab illis, & per consequens est finitum.

Respondetur dictum spatium propriè neque 101
esse extra, neque intra columnas, quia hæc prædicata competunt rebus per ordinem ad terminos determinatos, atque finitos. spatium autem hoc nullos huiusmodi terminos agnoscit: ad sūmum igitur dicendum est, quod negatiuè sit extra columnas, quod idem valet, ac dicere illud non esse intra.

Instabis tertiò: inter istas columnas potest alia 102
excitari, diuidens distantiam illam in duas partes finitas, item & secunda, & tertia, & quarta in infinitum, tota igitur illa distantia, quę intercipitur finita est.

Respondetur ab his auctoribus, negando an- 103
tecedens propter absurdum, quod infertur in cōsequentia; verum si res ita se habet poterat negari ab initio casus, nam hęc secunda columna, quę negatur in medio duarum precedētium excitari

posse,

Digitized by Google

posse, poterat esse vna ex illis duabus, & eodem modo distare ab altero sicuti nunc tertia.

104 Melius igitur respondendum videtur tertiò, negando casum, & dicendum, quod quamuis non implicet posse creari à Deo infinitam columnam, vel plures etiam parallellas; implicat tamen posse creari plures inuicem inclinatas angulum facientes, Porrò hæc implicantia non procedit ex ipsis columnis infinitis secundum se spectatis, sed ex tertio quodam infinito, quod ex earum inclinatione procederet, importans vtrinque terminationem; neque hoc mirum Aduersarijs videri debet, cum ipsi passim dicant, Deum posse facere omnia indiuidua, & magnitudines finitas distributiuè, non autem simul, & collectiuè. quod igitur ipsi dicunt de omnibus, dicam ego de magnitudinibus infinitis inuicem inclinatis, & aptis in aliquo puncto se intersecare; ne scilicet detur spatium infinitum simul, & finitum; quod nõ minus implicat, quam chimæra, quam ne cogamur concedere, negamus posse à Deo coniungi naturam hominis, & naturam equi in vnam naturam quantumuis concedamus posse vtranque secundum se sine vlla repugnantia fieri.

105 Obijcies decimò: Infinitum essentialiter habet ex Aristotele 3. *physic.* 58. vt careat medio; sed si daretur linea infinita ex vtraque parte, haberet medium; implicat igitur infinitum secundum longitudinem; minor probatur, medium est id, quod æquè distat ab extremis, sed assignata quacunque parte huius lineæ, hæc infinitè, & per consequens, æquè distabit ab extremis eiusdem lineæ; ergo &c.

106 Respondeo, concessa maiore; negando minorem. ad cuius probationem, nego item minorem. res enim ex ea parte, qua est infinita non habet extremum, & sic falsum est, partem illam mediã æquè positiuè ab extremis lineæ infinitæ distare, cæterum quia in extensione infinita nullum punctum designari potest, quod magis vergat ad vnũ extremum, quam ad aliud, in hoc sensu quodlibet punctum infinito centrum est loquendo de centro negatiuè.

107 Obijcies vndecimò: non potest assignari quot nam palmi sint in linea infinita: si enim assignẽtur infiniti palmi, cum ibi etiam sint infinitæ vlnæ: vel palmi non erunt plures, quam vlnæ, & sic pars erit æqualis toti: vel plures, & sic vnum infinitum erit maius alio.

108 Respondeo: in linea infinita assignato quocũque numero partium finitarum æqualium vni certæ, & determinatæ, ad hoc vt omnes æquiuocationes tollantur, respondendum esse non esse tot quin plures: sicuti de facto in infinita extensione syncategorematicè tenentur respondere Aduersarij; cæterum non solum infiniti palmi, sed infinities infiniti in infinita linea reperiũtur; indiuisibiliter tamen, ita, scilicet, vt nunquã possit assignare finem vnius, & initium alterius infinitatis; Neque ex hoc inferas velim esse etiã in infinita linea infinitas longitudines: quia vna longitudo infinita ex omnibus illis infinities infinitis palmis seu vlnis constare debet; sicuti de facto constat finita longitudo ex infinities infinitis partibus proportionalibus in potentia ad æqualitatem palmorum cũ vlnis dicetur postea.

Obijcies vltimò: sit linea vtrinque infinita, Orientem, & Occcidentem versus, poterit sine dubio illam Deus in certo puncto diuidere; diuidat igitur in puncto A, V.G. & postea lineam, quæ erat versus Orientem ponat versus Occidẽtem, vel parallellam, vel penetratam cum linea Occidentali; tum sic: vel datur certum punctum, in quo si fiat diuisio duæ istæ lineæ sunt æquales, vel in quocunque fiet, semper erunt æquales, neutrum dici potest, ergo &c. minor probatur, quia non potest dici primum; Verè enim punctũ illud esset medium lineæ infinitæ, infinito autem repugnat medium, neque secundum, quia sic, si facta diuisione auferretur palmus ab vna linea, & alteri adderetur vtique hæc fieret longior, illa breuior; sed idem eueniset, si prima diuisio in illo determinato puncto facta esset; ergo &c. 109

Respondeo primò: cum Riccardo *in* 1. *dist.* 43. *art.* 1. *qu.* 5. negando alteram partem dictæ lineæ in duas partes sectæ posse alteri parti superponi, quia superpositio hæc partis Orientalis Occidẽtali, vel positio eiusdem versus Occidentem fieri debet per motum, vel formalem, vel virtualem, quem infinito repugnare vidimus. 110

Respondeo secundò: dato casu cum Maiore, *in* 1. *dist.* 44. *quæst.* 3. ad quartum dicendo prædictã lineam vtrinque infinitam in quolibet puncto secetur secari semper in duas medietates æquales; Deus igitur ab eo prorsus puncto Orientalem lineam reproducere deberet, in quo facta est diuisio; neque valet instantia contra hoc, quod, scilicet sicuti si facta diuisione auferretur palmus ab vna linea, & alteri adderetur; hæc vtique fieret maior: ita etiam si prima diuisio in illo determinato pũcto facta esset: negarem enim ego paritatem; ratio disparitatis esset, quia in prima diuisione palmus ille consideratur addi, vel demi quantitati infinitæ, vt infinita est; non enim designatur aliud punctum, vel alia pars maior in ipsis lineis, in ordine ad quam dictus palmus comparetur; vnde est vt non censeatur facere maioritatem, si relinquatur vni parti infinitæ, neque minoritatem si dematur; finitum enim additum infinito, vt infinito se habet sicuti punctum ad lineam, quod non reddit illam magis extensam: at in secunda diuisione palmus ille consideratur addi, vel demi quantitati infinitæ sumptæ quatenus finita est; cum iam supponatur facta designatio per priorem diuisionem. 111

Respondeo ego tertiò: admisso etiam casu, & ad argumentum dicendo dari certum punctum, in quo duæ istæ lineæ sint æquales; In cæteris verò inæquales esse plus minusue, prout alia puncta à dicto puncto recedunt; ad id autem, quod addebatur: ex hoc, scilicet, sequi quod punctum illud sit medium lineæ infinitæ; infinito autem repugnare medium. 112

Respondeo: dictum punctum esse quidem medium, non positiuè, quia sic supponeret extrema in dicta linea, sed negatiuè quatenus, scilicet, dicit quod quidquid est, vel quantum in vna linea; esse in altera ex diuisis, & nihil vltra; Habere autem medium hoc modo repugnat quidem ei, quod semel est infinitum non autem ei quod est infinitum pluries, vt accidit in nostra linea, quæ ponitur esse bis infinita, ex vtraque scilicet parte; 113

sic

Digitized by Google

fic enim vni eius parti infinitę versus finitatem intelligitur sine vllo absurdo fieri additio, vel detractio ad hoc vt ad punctum medium pertingat,& vt tot habeat partes finitas ab infinitate ad finitatem suam descendendo : quot habet altera; Vlterior ratio huius est, quia hæc partiũ correspõdentia pertinet ad infinitum materialiter sumptum,& quatenus est hoc numero infinitum, & non aliud, siuè dicta correspondentia sumatur comparatiuè ad aliud infinitum , siuè ad spatium, in quo existit ; siuè denique ad cognitionem,quam Deus de dicta linea infinita habet.

SECTIO SEXTA

An Deus possit facere infinitum actu in multitudine.

114 Conclusio est affirmatiua,& patet ex rationibus, quas pro infinito in extensione attulimus; Ac præterea ex eo, quia huiusmodi infinitũ Aristoteles,qui mundum extitisse ab æterno existimauit, admisit defacto, volens infinitas circulationes primi mobilis esse transactas,& infinitas generationes rerum corruptibilium defacto extitisse; vnde Thomistæ, qui cum D. Thoma putãt mundum etiam quo ad successiua potuisse fieri ab æterno, admittunt infinitum in multitudine depossibili, quod ipsum deberent facere omnes,qui putant partes quantitatis esse actu distinctas;cum enim hæ non sint finitæ, aliàs quantitas non esset in infinitum diuisibilis, quod suppono falsum; neque infinitæ syncategorematicè,quia non ita se habent per Aduersarios, vt aliæ distinguantur actu,aliæ verò potentia, sed omnes actu:sequitur, quod sint infinitæ categorematicæ.

115 Probatur tamen vlteriùs nostra Conclusio sic: Defacto priuationes formarum absentium, quæ reperiuntur in vna , eademque portione materiæ sunt categorematicè infinitæ , quo ad multitudinem; ergo infinitum categorematicè in multitudine negatiua non implicat; neque igitur implicabit in positiua multitudine ; Antecedens huius argumenti probatur , quia multitudo illa priuationum , quæ est in vna materia non est finita: correspondere enim debet multitudini formarũ, quę possint à Deo per totam ęternitatem de potentia dictæ materię educi, quæ finita est in infinitum ; Tot enim sunt priuationes in materia, quot in ea successiuè possunt existere formæ;neq; est finita in infinitum , quia non ita se habet, vt partim sit actu,partim verò potentia;ita, scilicet, vt,secundum quod est actu, finita sit, secundum verò,quod est in potentia infinita,sed potius oppositio modo,nam sicuti in vna materia nõ est nisi vna tantum forma substantialis , ita in ea tota collectio omnium priuationum formarum possibilium actu reperitur,vnam si demas,quæ est præsenti formæ opposita , ex hoc autem sequitur dictam collectionem esse categorematicè infinitã, sicuti esset multitudo omnium hominum possibilium,si simul existeret, vno dumtaxat excepto.

. Prima verò consequentia est euidens. nam id, quod nemine cogitante datur defacto nullam dicit implicantiam; Secunda verò,qua assumebamus, infinitum actu in multitudine positiua non implicare.probatur,quia omnia argumenta, quæ fieri possunt contra dictam multitudinem positiuam, retorqueri possunt contra multitudinem illam priuationum actu in materia existentium, vt ex singulis , quæ obijciuntur constare potest; sed his non obstantibus datur infinitum in hac multitudine;ergo non est cur negetur in illa. 116

Aliqui Respondent primò : non valere argumentum à multitudine negatiua categorematicè infinita ad positiuam ; Primò quia infinitum in negationibus potius tollit , quam ponat infinitatem. Secundò, quia dictum infinitum non debet occupare spatium, Tertiò, quia neque debet produci à Deo,atque adeò non requirit cadere sub certam intensionem creantis ; Quartò denique quia ei non potest fieri addictio, nec detractio in ratione infiniti , at verò hæc de infinito in multitudine positiua verificari nequeunt,imò oppositа maximè vrgent. 117

Contra tamen singula;& primò contra primũ, quia licet infinita multitudo priuationum excludat infinitam multitudinem rerum positiuarum: non tamen excludit se ipsam ; quia sicuti priuationes habent suum reale esse abusiuum independenter ab intellectu , vt hic supponimus : ita & multitudinem,& numerum conflare possunt,de quo nobis sermo est in Argumento. 118

Secundò cõtra secundum. Quia neque infinitum in multitudine positiua necesse est , vt occupet spatium , sufficit enim ad intentum Conclusionis,quod nobis concedatur à Deo creari posse infinitam multitudinem Angelorum , vel etiam hominum penetratiuè se habentium. 119

Tertiò contra tertium,quia infinitum positiuũ cadere potest sub certam Dei intensionem , hoc est sub determinatam voluntatem infallibili cognitione directam in aliquem finem à se intentum,vt, scilicet, eius potentia, vel sapientia manifestetur ; Neque enim necesse est, vt cadat sub certam intensionem numeri, aut mensuræ , sicuti neque necesse est , vt cadat hoc modo multitudo priuationum sub scientiam eiusdem. 120

Quartò deniq; contra quartum. quia infinito priuationũ formarum substantialium existenti in materia aliqua concipi potest, quod addatur infinitum priuationum formarum accidentalium, quæ in eadem numero materia reperiuntur (hæc enim est additio in ratione infiniti per Aduersarios) & de toto illo conflato quæri vtrum sit maius infinito priuationum formarum substantialium solitariè sumpto nec ne? ergo &c.

Respondent alij secundò,quod priuationes,licet habeant suam existentiam abusiuam in materia : propriè tamen loquendo, non habent ratione infiniti categorematicè , quia non habent ex se determinationem vllam,aut numerabilitatem, sed tantum id participant à formis,quibus opponuntur,quæ syncategorematicè infinitæ. 121

Sed contra hoc, dictum est sectione præcedenti cum de spatijs imaginarijs ; & vlteriùs impugnatur ex eo,quia actualitas cum sit vltimus actus essentiæ indiuiduæ, nequit aduenire , nisi rei nume- 122

Digitized by Google

merabilis, æque de se determinatæ. Implicat igitur priuationes omnes habere actualitatem, & existentiam suam abusiuam in materia, & non habere in illa suam numerabilitatem, & determinationem.

123 Replicabis ex Gianino *quæst. 12. art. 4. in responsione ad obiectionem quintam*: Duplicem posse dari actualitatem: Alteram perfectam, Alteram imperfectam; Perfecta est eorum entium, quæ talia habent prædicata, vt per se accipi possint. Imperfecta, eorum, quæ per se accipi nequeunt. sed sunt essentialiter alligata in suo cõceptu ad aliquid possibile, à quo si præscindas, nullus restat conceptus, quo possint accipi, vt distincta ab alijs. Hoc posito sic auctor discurrit: licet actualitas perfecta plurium, & plurium individuorum infinitum assumibilium constituat collectionem ad infinitum categorematicum necessariam, vt patet in Angelis infinitis positis à parte rei: at verò actualitas imperfecta plurium individuorũ in infinitum assumibilium, quæ sunt essentialiter alligata in ordine ad terminos solum syncategorematicè possibiles; non sufficit vt collectiuè dicta individua accipi possint, quin collectiuè eorum termini accipiantur, atqui actualitas priuationum plurium; & plurium in infinitum acceptibilium est imperfecta, quia priuationes ipsæ sunt essentialiter alligatæ, ad formas reales solũ syncategorematicè possibiles, vel futuras; ergo quamuis omnes priuationes formarum possibilium actu sint in materia, non inde sequitur eas esse categorematicè infinitas; sed solum syncategorematicè; quemadmodum etiam propter eandem rationem sunt huiusmodi Decreta diuina, siuè ea ponantur adæquatè Deo intrinseca, siuè inadæquatè; ita vt compleantur per connotationem ipsarum creaturarum volitarum.

124 Verũ huius discursus basis, quæ est maior propositio ruinosa videtur, atque adeò neganda; vt constat ex eo, quia, si, siuè per possibile, siuè per impossibile darentur à parte rei tot cogitationes, quot sunt individua alicuius infiniti essentialiter syncategorematici, V. G. quot sunt dies per totã æternitatem à parte post extituri, ita se habentes, vt vna cogitatio vnum diem haberet pro obiecto primariò, alia verò alium: proculdubio dictæ cogitationes essent infinitæ categorematicè; & tamen haberẽt actualitatem imperfectam, quatenus per se accipi minimè possent: sed essent essentialiter alligatæ in ordine ad terminos, solum syncategorematicè possibiles, quales essent dies æternitatis à parte post à quibus si præscinderes nullus restaret conceptus, quo posset accipi vna cognitio, vt distincta ab alia: ergo licèt verum sit multitudinem priuationum in materia habere suam actualitatem imperfectam modo dicto: dum ponitur tota quanta est à parte rei, non potest negari, quin sit infinita categorematicè, cũ non sit maior ratio de vna, quàm de alia.

125 Confirmatur id quod dicimus de diuina Omnipotentia, quam omnes fatemur esse infinitam categorematicè, licet secundum aliquos sit essentialiter alligata in suo cõceptu ad creaturas possibiles, quas dicunt Aduersarij infinitatem syncategorematicam essentialiter importare; & ita alligata, vt si aliqua ex eis euaderet impossibilis, ipsa quoque impossibilitaretur: ergo hæc alligatio in ordine ad terminos syncategorematicè possibiles sine quibus res actualis cõcipi nequeat non præiudicat rationi infiniti categorematici; Quarum denique ad id, quod dicitur de Decretis; Quid tum si concedamus ea formaliter accepta, & quatenus sumuntur ratione inter se distincta, esse categorematicè infinita?

SECTIO SEPTIMA.

Septem Obiectionibus contra infinitum categorematicum in multitudine respondetur.

126 OBIICIES Primò: si Deus posset creare infinitum in numero, posset etiam creare omne creabile; sed hoc implicat: ergo &c. sequela patet, minor probatur, tum quia Omnipotentia Dei, iam exhaurireturꝛ tum etiam quia darentur à parte rei infinitæ creaturæ perfectiores, & perfectiores, atque adeò aliqua in finitè perfecta in suis quidditatiuis prædicatis.

127 Respondeo: transeat sequela, quam rectè quis negare posset propter rationes, quæ ad probandam illam afferuntur: quæque non militant contra multitudinem infinitam in aliqua certa specie constitutam: sed quidquid sit: transeat, inquam, sequela: nego minorem; & ad primam eius probationem dico: non esse absurdum, quod omnipotentia Dei exhauriatur per productionem termini sibi adæquati, sicuti neque est absurdum, quod potentia generatiua Patris in Diuinis exhauriatur per generationẽ Verbi; imquo Deum in tali casu exercere posse potentiam suam conseruando id, quod creatum est nunc totaliter, nunc partialiter prout ei placuerit. Ad secundam verò aio, quod si in tota collectione creaturarum possibilium datur vna infinitè perfecta in essentia, dabitur proculdubio quando Deus crearet omne creabile, sin minus, non dabitur, & ratio est quia iam non supponeretur possibilis.

128 Instabis: ex Quiros *disp. 83. sect. 3.* extensior erit Dei omnipotentia, si ita constituatur potens, vt quantumuis multa faciat, plura tamen semper habeat facienda. Sed si posset facere infinitum non posset plura facere, & multò minus si posset facere omne creabile; ergo hoc Deo negandum est.

129 Respondeo: negando maiorem, quia sicuti extensior est illa potentia, quæ potest decem effectus V. G. tum successiuè, tum simul producere, quam illa, quæ successiuè tantum: ita & omnipotentia Dei dum potest non solum finitas creaturas successiuè in infinitum creare, sed etiam infinitas simul. Imquo minorem esse falsam vt videbimus infra.

130 Instabis: ex eodem *ibid. n. 14.* non potest Deus producere omnia individua vnius speciei; ergo neque infinitum in numero. Consequentia patet; antecedens probatur: quodlibet individuum habet posse producere sibi simile, non minus quàm homo habeat esse animal rationale; ergo implicat

Digitized by Google

cat producere omnia, quia quodlibet est grauidum aliorum.

131 Respondeo primò: dato antecedente, negando consequentiam. sub vna enim specie sicuti sunt infinities infinita syncategorematica, ita & categorematica.

Respondeo secundò: negando antecedens. & ad eius probationem dico in eo casu quodlibet ex illis indiuiduis habere virtutem producendi sibi simile, sed non posse illam in actum secundū reducere, quia inuenit effectum suum à solo Deo productum iam.

132 Obijcies secundò: non potest Deus determinatè cognoscere quot vnitates præcisè requirantur ad numerum actu infinitum; ergo non potest illum creare; antecedens patet, quia ablatis quibuscunque vnitatibus ex infinita multitudine, adhuc numerus remanet infinitus.

133 Respondeo: transeat antecedens; nego consequentiam; antecedens enim illud si quid probaret, probaret etiam Deum non posse creare aliquam quantitatem finitæ extensionis, si quidem neque potest determinatè cognoscere quanta extensio præcisè requiratur ad constituendam illam, sicuti igitur satis illi est, si cognoscat quātæ extensionis esse debeat quantitas illa finita, quam de facto facere vult, ita sufficit ad infinitum hominum V. G. creandum cognoscere, quos nam homines efficere velit, dummodo sint tot, vt aliquid accipientibus semper sit vlteriùs in infinitum accipiendum.

134 Objcies tertiò: Deus clarè, distinctè, & determinatè cognoscere debet id, quod facit; operatur enim per intellectum, sed infinitum creatum in numero non potest hac ratione cognoscere; ergo non potest illud efficere; minor probatur, quia Deus non cognoscit res aliter, ac sunt in se; sed infinitum in se est quid confusum, indistinctum, & indeterminatum; non potest igitur Deus illud clarè, distinctè, & determinatè cognoscere.

135 Respondeo distinguendo maiorem: Deus clarè, distinctè, & determinatè cognoscit id, quod facit, claritate, distinctione, & determinatione se tenente ex parte suæ cognitionis, concedo: se tenente ex parte obiecti, nego maiorem; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam; Ad minoris probationem distinguo maiorem; Deus non cognoscit res aliter, ac sunt in se alteritate se tenente ex parte obiecti, concedo, si quidem Deus cognoscit obiectum esse in se tale, quale re vera est: alteritate se tenente ex parte cognitionis, nego; siquidem ille meam cognitionē dubiam, ineuidentem, & falsā cognoscit certō, verè, & euidenter; quare, concessa minore, nego consequentiam.

136 Instabis: quod est in se indeterminatum creari non potest; sed infinitum est huiusmodi; ergo &c. maior probatur, quia creatio, cum sit quædam actio, debet necessariò ferri in aliquod determinatum.

137 Respondeo, distinguendo maiorem: quod est in se indeterminatum, ex eo quod careat termino, non potest creari, nego maiorem: ex eo quod non sit hoc potius, quam aliud, concedo maiorem; & distingno eodem modo minorem; infinitum est indeterminatum ex eo, quod careat termino, concedo: ex eo quod non sit hoc potius, quam aliud, nego minorem, & consequentiam; & ad minoris probationem dico: sufficere ad creationem, si ea feratur in aliquod determinatum, secundo modo; sic si crearentur infiniti homines, actio creatiua Dei ferretur ad hos homines, & non ad alios.

Objcies quartò: si daretur infinitum in numero hoc foret numerabile; sed numerabilitas implicat infinito, vt de se patet; ergo &c. maior probatur, quia numerus essentialiter dicit numerabilitatem. 138

Respondeo, distinguendo maiorem: si daretur infinitum in numero, quod rigorosam numerationem haberet, concedo fore scilicet numerabile, quod impropriè haberet rationem numeri: in quantum scilicet numerus significat multitudinem, nego maiorem: & concessa minore, distinguo eodem modo consequens. ad maioris probationem dico: multitudinem infinitam non esse rigorosè numerum, quia vt habet Aristot. 5. *metaph. tex.* 18. numerus est essentialiter multitudo quædam finita, at verò minus rigorosè posse dici numerum ratione multitudinis, non autem ordinis, quem haberent inter se partes: sicuti etiam quatenus constaret ex vnitatibus discretis, si non collectiuè: at distributiuè, sumptis numerabilibus in infinitum. 139

Objcies quintò: si daretur infinita multitudo, contineret etiam multitudinem finitam, sed hoc implicat; ergo &c. sequela patet, infinita enim hominum multitudo necessariò continere debet numerum quaternarium, V. G. senarium, octonarium; &c minor probatur, quia nihil potest cōtinere in se id, quod formaliter negat, sed infinitum negat formaliter finitum; ergo &c. 140

Respondeo: multitudinem finitam dupliciter sumi posse: Primò Materialiter, quatenus dicit scilicet vnitates, ex quibus constat, siue cum illis habeantur aliæ, siue non. Secundò formaliter, quatenus dicit extremam vnitatem connotantem negationem infiniti, seu vlterioris numeri; quibus positis distinguo maiorem. si daretur infinita multitudo contineret in se multitudinem finitam formaliter sumptam, nego: materialiter, concedo; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam. sic, numerus centenarius formaliter sumptus negat quinarium sumptum formaliter, at materialiter illum in se includit; per quæ patet Responsio ad Probationem. 141

Objcies sextò: si daretur infinitum in numero, sequeretur, quod vnum infinitum esset maius altero, etiam sumpto in ratione infiniti; sed hoc est absurdum, quia sic infinitum minus, iam haberet terminum; ergo &c. sequela probatur, quia si daretur infinitum hominum, vtique infinitum oculorum esset duplo maius illo, etiam si in ratione infiniti vtrunque sumatur. 142

Respondeo: negando sequelam, ad cuius probationem distinguo antecedens, infinitum oculorum esset duplo maius infinito hominum, entitatiuè, & materialiter, concedo: formaliter, seu, quod idem est, quantitatiuè, & veluti intensiuè: nego antecedens, & consequentiam; siquidem infinitū in ratione infiniti consideratur formaliter, & quantitatiuè nō autem entitatiuè, & materialiter; 143

ex-

Digitized by Google

explico distinctionem. Maioritas formalis, seu quantitatiua importat in maiori excessum in plus respectu rei, quæ minoritatem habere dicitur; hunc maioritatem habet numerus denarius respectu quinarij, quia ex ea parte, qua quinarius augetur, à denario superatur, & hæc maioritas connotat necessariò terminationem in re, quæ dicitur minor, quæque idcirco æquari esse infinita. At maioritas materialis, seu entitatiua hûc excessum in plus non importat, eo quod res, quæ deberet excedere, est incapax huiusmodi excessus, & sic neque plurificari, neque augeri potest, sed tantum alia, atque alia entia recipere, quæ illam maiorem quidem non reddant, sed se habeant respectu illius ad eum planè modum quo puncta ad extendendam lineam; vel sicuti albedo additæ quantitati, quæ non faciunt maius id, cui additur, nisi materialiter; atque hæc maioritas, & minoritas, ut videtis, neque excessum in maiore, neque defectum in minore, & per consequens in neutro terminationem importat; vnde non est absurdum, quod competat infinito, & sic defacto dicimus, quod quamuis Deus solitariè sumptus infinitus sit; si tamen vna cum creaturis sumatur, erit solum maior se ipso materialiter, & entitatiuè, non autem intensiuè, & formaliter; quasi verò & ipsum excedat per hoc, quod creaturas supra se importet.

144 Ex quibus patet, quàm malè Arriaga *disp. 13. sect. 1. n. 2.* dicat hac responsione fieri quæstionẽ de nomine: & se nihil aliud velle, quàm quod cõcedatur in infinito hominum plures esse oculos, quàm homines. nam quandiu ita conceditur hoc, vt non sequatur in infinito hominum terminatio, nihil ab eo concluſum est, vt patet.

145 Ad idem argumentum Respondeo secundò alio modo negando sequelam; & ad eius probationem dico: infinitum oculorum esse duplo maius infinito hominum, non quidem ex ea parte, qua infinitum est, sed ex ea, qua est finitum, quatenus in numero hominum vna tantummodo infinita multitudo: at in numero oculorum duplex continetur. Vbi aduertè quod quæcunque multitudo infinita cogitari rectè potest habere suũ terminum, ac principium versus minimum in descendendo: hoc est incipiendo, à quacunque vnitate assignabili, quæ est in illa multitudine, in qua intelligatur terminari, & finiri exterę omnes vnitates infinitæ, non minus, quàm in linea infinita ex Oriente, finita verò ex Occidente omnes partes eius infinitæ puncto vltimo Occidentali terminantur; sicuti igitur versus Occidẽtem dictæ lineæ fieri potest additio, ita ad quamcunque vnitatem numeri infiniti addi potest, siue finitum quid, siue infinitum, quod faciat solùm maius quantumuis formaliter, dummodo ex ea tantum parte, qua numerus ille finitus erat, intelligatur maiorari.

146 Instabis: infinitus numerus hominum continet in se infinitos etiam binarios, ternarios, &c. ergo falsum est, quod infinitum oculorum sit duplo maius infinito hominum.

147 Respondeo, distinguendo antecedens: infinitum hominum continet infinitos binarios &c. ita vt infinitudo intelligatur primò, & per se numerum binarium afficiens nego antecedens; sic enim solas afficit vnitates) continet infinitos binarios, ita vt infinitudo secundariò, & veluti per accidens numerum illum binarium, & quemcunque alium finitum afficere intelligatur. concedo antecedens; posito enim quod sint in aliqua infinita multitudine infinitæ vnitates, sequitur consequenter, quod sint infiniti senarij, denarij, &c: sic nego consequentiam, quia infinitas oculorum primò, & per se intelligitur supra numerum binarium cadere; vnde sequitur, quod si ex infinito hominum, Deus destruat infinita individua, 148
eorum infinitum destrueret: non sic autem si infinitos oculos ex illa multitudine destruere vellet, remaneret enim adhuc infinitum, vel dextrorum, vel sinistrorum.

Obijcies sepcimò: si infinito oculorum dextrorum fiat additio, vel finitorum, vel etiam infinitorum sinistrorum, tota multitudo indiuisibiliter sumpta conflata ex dextris, atque sinistris collectiuè acceptis, erit maior sola multitudine infinita dextrorum; sed hæc est infinita; ergo vnum infinitum est maius altero; maior probatur, tum quia multitudo illa constans ex dextris, atque sinistris est totum quid respectu dextrorum solitariè acceptorum; totum autem est maius sua parte: tum etiam quia esse vnum maius alio consistit in eo, quod dicat totum id, quod dicit alterum, & præterea aliquid aliud. sed hoc verificaretur de multitudine ex dextris, sinistrisque conflata respectu dextrorum solitariè acceptorum, ergo &c. 149

Placuit mihi olim respondere huic argumento distinguendo maiorem; multitudo ex dextris oculis sinistrisque conflata erit maior sola multitudine infinita dextrorum, maioritate impropria, concedo: propria, nego maiorem: & concessa minore, distinguendo eodem modo consequens; ad primam maioris probationem dicebã: esto, quod multitudo illa ex dextris, sinistrisque oculis conflata verè, & propriè se habeat, vt totum: distinguo minorem totum est maius sua parte maioritate siue propria, siue impropria, concedo; maioritate semper propria, nego minorem, & consequentiam in sensu negato; maioritas propria importat excessum in maiore, & terminum in minore: impropria verò solam alietatem infert in maiore, quod scilicet dicat alia, & alia, quæ correspondet maioritati entitatiuæ, non autem quantitatiuę, de quibus supra.

Ad secundam verò probationem eiusdem minoris negabam absolutè maiorem: ad hoc enim vt vnum dicatur propriè maius alio, non sufficit si habeat aliquod, quod non habeat illud, respectu cuius debet dici maius, sed requiritur præterea, vt in hoc excedat, atque adeò connotet terminum in minore. Quoniam verò infinitum, quia infinitum est non habet terminum: hinc fit, vt si aliquid ei addatur, per hoc non fiat maius: additio igitur vt sic non infert maioritatem. aliud igitur est, quod multitudo oculorum dextrorum facta sinistrorum additione, contineat alios, atque alios, quos prius nõ continebat; aliud verò quod contineat plures; aliud etiam est, quod si ab eadẽ multitudine dextrorum centum, vel mille auferas, quod illa multitudo non contineat eos om- 150

Digitized by Google

nes oculos, quos antea continebat: & aliud quod non contineat tot, quot continebat antea; Verum siquidem est facta additione illa, quod contineat alios: falsum verò quod contineat plures: detractione autem facta verum quidem est, quod non contineat omnes illos, quos continebat antea, falsum verò quod non contineat tot quot antea concinebat, sed planius respondendum videtur in præsentia iuxtà doctrinam paulò ante traditam.

151 Respondeo igitur secundò aliter distinguendo maiorem: multitudo illa indiuisibiliter sumpta ex dextris, sinistrisque constans est maior, qua infinita est, nego maiorem, qua finita est, concedo; & sic distinguo minorem: tota illa multitudo est infinita, ita vt habeat etiam finitatem aliquam, concedo; ita vt nullam habeat finitatem, nego minorem, & consequentiam; Omnis enim infinita multitudo inuoluit essentialiter quemlibet numerum finitum distributiuè sumptum, & sic dicit in suo conceptu non solùm infinitatem, sed etiã finitatem; quamuis igitur dicta oculorum multitudo quatenùs dicit præcisam infinitatem non possit habere maius, & in plus crescere: Potest tamen quatenùs finitum numerum inuoluit cui immediatè intelligatur fieri additio. Iam probationes maioris solùm conuincunt, quod multitudo illa indiuisibiliter sumpta quatenùs sumitur, vt finita, & infinita sit maior infinita multitudine oculorum dexterorum sumpta etiam vt finita simul, & infinita, in quantum singulis numeris finitis illius intelligitur facta esse additio finitorum, vel infinitorum sinistrorum quod nullam importat absurditatem, vt patet ex duplici linea infinita; quarum altera est infinita ex vna tantum parte, altera verò ex duplici parte.

SECTIO OCTAVA

Septem reliquis obiectionibus contra infinitum in multitudine satisfit.

152 OBijcies octauò: si Deus potest facere infinitum in numero: creet infinitos homines, & vni det vnum obolum alteri duos, tertio autẽ tres, quarto quatuor, & sic deinceps per omnes homines excurrendo: tum sic; vel aliquis ex his hominibus posset assignari, qui haberet infinitos obolos, vel nullus; neutrum dici potest: ergo &c. minor probatur, non enim dici potest primum: tum quia in infinito numero ex ea parte qua infinitum est daretur vltimus; huiusmodi autem esset ille homo, qui intelligeretur totam illam infinitam collectionem vltimò complere: tum etiam quia hic homo vno tantum obolo alium hominem superaret, vnitas autem non facit infinitatem; vnde hic alius infinitos etiam haberet obolos; idemque dici posset de tertio immediatè sequente, & cum non sit maior ratio de his, quam de omnibus sequeretur, quod quilibet ex illa hominum infinitate infinitos obolos haberet, quod manifestam inuoluit implicantiam, quia ex alia parte quilibet homo haberet finitos obolos; supponimus enim primo homini datum fuisse vnum, & duos secundo, &c.

Probatur deinde eadem minor quo ad secundam partem quod scilicet dici nequeat quod ex his hominibus non sit aliquis, qui infinitos obolos habeat, quia obolorum numerus crescit æqualiter cum numero hominum; sed numerus hominum ponitur esse infinitus; ergo &c. 153

154 Respondent aliqui (dato casu) ad maiorem dicendo: nullum hominum in infinita illa multitudine posse determinatè assignari, qui infinitos obolos habeat, quia vt benè probat argumentum, infinitus numerus ex ea parte qua est infinitus, non potest habere vltimum; sed omnes illos, qui assignantur habere finitos, non negant tamen hi in tota illa multitudine collectiuè, atque indiuisibiliter sumpta aliquem indeterminatè reperiri, qui infinitos habeat obolos; licèt de reliquo nullus distributiuè sumptus sit assignabilis, qui hanc habeat infinitatem, sed quilibet determinatus suum inferiorem finitè excedet. neque hoc mirum videri debet (inquiunt) quia in materia de infinito non valet argumentari à distributiuo ad collectiuum, quamuis igitur quilibet assignatus finitè distet ab inferioribus suis, & alios superiores habeat tota tamen collectio infinita est, neque alium hominem respicit supra se, sed quid quid sit de huiusce responsionis probabilitate.

155 Respondeo ego, dictum casum posse cum Aduersarijs esse impossibilem, adeoque negandum, ratio est, quia supponit in multitudine infinita collectiuè sumpta ordinationem numericam primi, secundi, tertij, &c. determinatè reperiri posse, quod est manifestè falsum, quia hæc ordinatio prouenit ab intellectu multitudinem aliquam cognoscente, ita vt omnes vnitates quæ in ea sunt ordinatè percurrat incipiendo ab vna quadam certa vsque dum aliam vlteriorem non inueniat. Porrò hic modus cognoscendi, infinito repugnat, inuoluit enim in suo obiecto, necessariò terminum versus maioritatem, atque adeò finitatem ex ea parte, qua infinitum esse supponitur. non enim concipi potest, quod intellectus aliquis, etiam si sit diuinus, omnes illas vnitates ordinet absque eo, quod aliqua saltem vicenali successione infinitam multitudinem, quæ ex eis constat, ascendendo percurrat, & ad finem vsque perueniat; quare tenendum est infinito in numero repugnare omnem ordinationem primi, secundi, tertij &c. cadentem supra totam collectionem indiuiduorum, ex quibus constat; quamuis non repugnet ordinatio, quæ supra singulas collectiones finitas in infinitum acceptibiles cadat. P. Giar. 4rr. 4. fatetur posita hac sententia, pauciora contra infinitum fieri posse argumenta: subdit tamen illam non euadere difficultatem à se propositam, nempè quod duo inter se realiter inadæquabilia non essent, neque maiora, neque minora respectu tertij; quod sic euincit: Posito infinito Angelorum A; & infinito Angelorum B. neutrum respectu alterius esset maius, & minus sed si Deus ab infinito A auferret mille Angelos, certè infinitum B. esset maius, quàm idem, ablatis à se mille illis Angelis, atqui hoc infinitum minus ipso B. non esset minus infinito A. respectu cuius nec erat maius, nec minus ab initio ipsum B. ergo &c.

Ve-

Digitized by Google

156 Verùm respondeo ad hanc instantiam constat ex dictis quam sicuti infinitum A. Angelorum in tali esse minus sit ipso considerato secùndùm quod finitum est, ita esset minus infinito B. Angelorum atque adeò falsum est in mea sententia sequi, quod duo lineæ se realiter inæqualia non sint neque maiora, neque minora respectu tertij secundùm eam rationem, secundùm quam inæqualia sunt.

157 Item secundò idem auctor, sicut infinita multitudo non posset habere ordinem; sequeretur, quod non posset cognosci collectiuè, neque posset à Deo sciri esse infinitam, sed hoc repugnat; ergo &c. minor patet, sequela probatur esse infinitum non potest sciri per hoc, quod sit multitudo, sed quod sit multitudo sine fine: sed finis accipi non potest, nisi in ordine ad aliquã coordinationem. finis enim in illa multitudine tunc esset, quando post alia individua accepta daretur vnum aliquod, vltra quod non essent alia vltrius acceptibilia; ergo nisi multitudo infinita ordinem habere posset, non posset videri per modum vnius in ea non dari vltimum.

158 Respondeo, negando sequelam: ad cuius probationem prætmitto, quod licèt nomen infiniti sit grammaticaliter negatiuum, quoniam significat id, quod non habet finem. Philosophicè tamen est positiuum, siquidem importat tantam perfectionem, vt in ea ratione, in qua res est infinita, non sit per acceptationes finitas in infinitum exhauribilis. Contrario modo se habet nomen finiti, licèt enim sit grammaticaliter positiuum, Philosophicè tamen est negatiuum, significat enim id, quod non extenditur vlteriùs: quo posito distinguo maiorem: esse infinitum non potest sciri, nisi per hoc, quod sit multitudo sine fine: sine fine positiuè concedo, sine fine negatiuè nego; non enim infinitum primò, & per se constituitur per negationem finis, sed per quandam perfectionem positiuam sufficientem, vt successiuè accipientibus ex ea semper sit vlteriùs accipiendum: ex quo sequitur, quod ad cognoscendum infinitum Categorematicum satis sit hanc sufficientiam rei, seu multitudinis existentis, aut existibilis cognoscere: quare concessa minore, distinguo consequens: nisi multitudo infinita ordinem habere posset, non posset videri per modum vnius in ea non dari vltimum, hoc est non dari sufficientiam illam positiuam nego: non dari vltimum hoc est negationem finis, transeat consequentia.

159 Quoniam verò adhuc instare posset Aduersarius, quod quemadmodum, quia ad essentiam positiuam hominis consequitur negatio equi, ad adæquatam eius penetrationem requiritur cognitio dictæ negationis: ita quia ad essentiam positiuam infiniti consequitur negatio finis: ad eius perfectam penetrationem coordinationis eius cognitio necessaria sit; Ideircò concessa absolutè probationis maiore distinguo minorem: finis accipi non potest nisi in ordine ad aliquam coordinationem, hoc est affirmari non potest de aliqua re, nisi affirmetur aliqua coordinatio inter partes illius rei, concedo: hoc est non potest negari de aliqua re, nisi affirmetur aliqua coordinatio partium illius rei, nego. Iam verò sicuti coordinatio partium requiritur ad habendum finem, non tamen ad habendam negationem finis: ita cognitio dictæ coordinationis requiritur ad cognoscendam rem habentem finem, non verò ad cognoscendam rem carentem fine, cuiusmodi est multitudo infinita, quare nulla est consequentia.

Sed contrà instabis tertiò; non potest cognosci negatio finis absque eo, quod cognoscatur finis; ergo neque poterit cognosci negatio finis absque eo quod cognoscatur coordinatio partium rei, quæ cum dicta negatione concipiuntur. 160

Respondeo: perpetuam æquiuocationem esse in particula (cognosci) nam aliquando sumitur pro apprehendi, aliquando verò pro affirmari. In secundo sensu, falsum est antecedens, & consequentia; vt patet: In primo autem sensu vtrumque verum, sed nihil fauet Aduersario; ex eo enim non rectè deducitur, quòd infinita multitudo posse in rei veritate partes coordinatas habere, quemadmodum neque ex eo, quod quis negando terminum in perfectione Diuina, apprehendit dictum terminum, rectè inferret possibilitatem eius; Quod si denique dicas quartò ad nostrum intentum sufficere coordinationem intellectualem partium, & non esse necessariam realem: huiusmodi autem coordinatio hoc ipso quòd apprehendatur, iam habetur. 161

Contra enim est, quia dupliciter potest apprehendi coordinatio partium multitudinis infinitæ, primò in actu signato tantum, secundò in actu exercito. Ita vt per illam apprehensionem etiã fiat; & quidem si apprehenderetur secundo modo, concedo quod haberetur: at in casu nostro apprehenditur tantum primo modo, cognoscendo in confuso illam, sicuti nos facimus quando eam impossibilem, & repugnantem esse dicimus. 162

Atque ex his rectè etiam deducitur malè non nullos supponere ad collectiuam cognitionem habendam requiri, quod ex parte obiecti intellectus concipiat relationes quasdam primi, & vltimi; quas cum non possit concipere in multitudine infinita, inferunt postea, non posse à Deo infinitam multitudinem collectiuè cognosci; & per consequens neque creari; negandum enim est, quòd supponunt; cum ad collectiuam collectionem multitudinis categorematicè infinitæ habendam sufficiat, quod intellectus omnia individua simul simultate se tenente non solùm ex parte cognitionis, sed etiam ex parte obiecti exprimat, seque in hoc illis conformet, ea repræsentando sicuti sunt, hoc est, vt omnia attingat absque vllo ordine prioris & posterioris; quod si ad collectiuam collectionem multitudinis finitæ requiruntur relationes primi, & vltimi: hoc oritur ex imbecillitate nostræ cognitionis, quæ multitudinem distinctè attingere collectiuè non posset, nisi paulatim procedendo, & individua in ea contenta numerando. 163

Obijcies nonò: Creet Deus infinitos homines, singuli habentes obolum, quos deponant: sequeretur ex vna parte, quod posset deinde vnusquisque duos, vel tres, vel quemcunque alium numerum finitum accipere: ex alia verò parte, quod non posset; sed hoc implicat; implicat ergo infinitus numerus; sequela probatur, & quia 164

Digitized by Google

dem quod posset, patet, tum quia in infinito numero obolorum reperiuntur infiniti binarij, ternarij, quaternarij, &c. eorundem: tum etiam quia si singuli homines duos habuissent obolos; potuisset vtique vnusquisque duos accipere: at infinitum, neque augetur ex eo quod in vnoquoque fuerant duo oboli: neque minuitur ex eo, quod vnusquisque vnum habuerit; ergo &c. quod autē non possit: patet ad sensum, quia infinitum obolorum per vnitates suas infinito hominum adæquabatur; Impossibile igitur est sine noua additione quod per binarios, vel ternarios eidē adæquetur; quod si non posset, quæro quot homines remanerent sine obolis: finiti ne an infiniti? non primum quia homines illi essent pars dimidia eorum, qui acceperunt singuli binos obolos: vnde sequeretur quod tota hominum multitudo finita esset: neque secundum, quia sequeretur quod nullus ex illis hominibus infinitis, quorum singuli singulos obolos habebant, haberet obolos.

165 Respondeo: quod si successiuè homines illi ponantur obolos, quos reliquerunt accipere, poterunt in quouis numero finito illos sumere, absque eo quod aliquando obolorum infinitas exhauriatur; sin autem ponantur simul accipere: dico casum esse impossibilem; & ratio valde notanda in hac materia est, quia infinitum, qua infinitum est non potest habere partes nisi infinitas, finitum enim additum finito non facit infinitatem: Iam verò partes infinitæ duobus modis se habere possunt: primò ita, vt distributiuè sumptæ suam retineant infinitatem, atque adeò independenter à toto, in quo existunt esse possint infinitæ: huiusmodi in extensione aliqua infinita verinq; sūt duæ illæ partes, quæ ex prima illius diuisione resultant, quælibet enim secundùm se sumpta suam habet infinitatem, etiam si infinitas totius destruatur; huiusmodi etiam est in numero infinito oculorum infinitis dextris, sinistrisque constato infinitas dextrorum, vel sinistrorum soliariè acceptorum secundo modo ita, vt infinitas primo, & per se cadat solùm supra totum: supra partes verò, non alio modo, quam vt in illo toto existentes, & collectiuè acceptas.

166 Iam verò infinitum, quod constat ex partibus primo modo infinitis, tot infinitates habet, quot sunt in eo partes, quæ distributiuè sumptæ suam retineant infinitatem; vnde si hæ sunt duæ, optimè potest concipi infinitum illud habere rationem dupli; sin autem tres, tripli, &c. at verò infinitum, quod constat ex partibus infinitis secundo modo in ratione infiniti se habet, vt quid indiuisibile, atque adeò caret omninò dimidio; siquidem hoc, neque finitum esse potest, neq; infinitum vt constat ex dictis: quare in ratione infiniti vel totum poni, vel totum tolli debet; hinc fit vt si casus in argumento ponatur ita, vt binarius infinitorum hominum creetur ita, vt singuli obolum habeant: corrupto vno infinitorum hominum, poterit Deus ex illis omnibus obolis dare binos singulis hominibus reliquis, sine vllo absurdo; at quia oboli ponuntur semel infiniti, sicut homines, hinc fit vt nequeant habere rationem dimidij, neque singulis hominibus bini simul dari possint. propter eandem rationem non potest Deus lineam, quæ est ex vna tantum parte infinita diuidere in duas medietates: siue enim hæ ponantur esse finitæ, siue infinitæ sequi aliquod impossibile necesse est.

Iam verò rationes, quibus probatur posse omnes homines, quotquot velint ex illa infinitis 167
obolis accipere nullam habeat vim: ea quod etiam in infinito hominum infiniti binarij, ac ternarij reperiuntur, & licèt infinitum constans ex singulis obolis collectiuè sumptum ex ea parte, qua infinitum est, non sit minus illo alio ex binarijs obolorum composito, est tamen minus illo, si distributiuè sumatur; vel ex ea parte, qua intelligitur finitatem habere; quod si denique finiti homines tantum ponerentur accipere binos obolos: sinus ex illa infinitate, vt posset vtique in tali casu remanerent tot homines sine obolis, quot binos acceperunt; vnde oboli ex ea parte, qua finitatem haberent, essent postea hominibus pauciores.

Ex his sequitur dari posse multitudinem se- 168
mel infinitam, hoc est cum vna tantum infinitate afficiente per se primariò tantum modo vnitates: dari etiam posse multitudinem bis infinitam, scilicet cum duplici infinitate afficiente primò, & per se numerum hominum, & sic de cæteris; quæ quidem multitudo in ratione infiniti simpliciter non esset maior multitudine semel infinita vt sic, sed solùm in ratione multitudinis infinitæ bis, vel ter replicatæ, vnde oculi in infinito numero hominum non sunt plures quatenus infinito, sed quatenus bis infiniti, sicut duæ lineæ infinitæ non sunt longiores vna linea infinita, sed sunt solùm infinita longitudo bis replicata; cuius rei ratio est, quia infinitum formaliter sumptum nequit, vt supra vidimus, sed tantùm materialiter.

Instabis: non potest dari quantitas finita con- 169
tinua, quæ habeat partes in potentia semel infinitas; ergo neque multitudo cum vna tantùm infinitate in actu.

Respondeo, negando consequentiam. Dispa- 170
ritas est tum quia continuum non componitur ex indiuisibilibus: at verò multitudo infinita hominum ex indiuisibilibus vnitatibus infinities replicatis conflata est; tum etiam quia diuisio continui procedere debet in infinitum per partes proportionales minores, & minores ita, vt quælibet pars sit adhuc infinitum diuisibilis, quod non est necessarium ad multitudinis infinitæ conceptum habendum.

Instabis iterum: in duabus infinitis multitudi- 171
nibus simul acceptis non sunt nisi infiniti binarij, sed idem habetur in multitudine semel infinita; ergo etiam in hac vna multitudine possumus inuenire medium falsum negatiuè.

Respondeo, distinguendo maiorem: non sunt 172
nisi binarij infiniti duplici infinitate affecti: & per se infiniti concedo: vna tamen infinitate affecti, & per accidens infiniti nego maiorem: & sic distincta minore, nego consequentiam. Ratio huius rei est, quia in multitudine semel infinita infiniti binarij, per infinitatem non illorum propriam, sed vnitatum infinitarum sunt infiniti; quatenus, scilicet, sunt inclusi in vna multitudine infinita: contra verò infiniti binarij multitudinis bis infinitæ; atque hinc sequitur infinitum bina-

rio-

rorum in multitudine semel infinita inclusorum esse æqualem infinitum, quia cum non habeat infinitatem propriam binariorum quæcumque binariorum participet imperfecto modo infinitatem, unde fit non posse illis perfectè adæquari, ita videtur correspondere. Hoc est, quod dicunt alij multitudinem semel infinitam continere essentialiter, seu fundamentaliter infinitos binarios; at multitudinem bis infinitam actu continere formaliter, & sic infinitum binariorum in multitudine semel infinita contineri, non autem esse semel infinitum, nec aliunde à ratione finitis: ad eum planè modum quo quinquaginta binarij non sunt aliud à centum ternariis. Est autem differentia in eo, quòd datis centum vicibus centum vnitatibus possint simul colligi quinquaginta binarij, at verò datis collectiuè vnitatibus semel infinitis binarij ex eis non possint simul, nisi distributiuè, & syncategorematicè.

173 Obijcies decimò: omnis multitudo est in aliqua specie multitudinis; species autem multitudinis sunt secundùm species numerorum, sed nulla species numeri est infinita; ergo nonest dabilis multitudo actu infinita.

174 Respondeo transeat maior; sed nego omnes species multitudinis esse species numerorum: non enim omnis multitudo est numerus; bene tamen omnis numerus est multitudo: ratio est, quia numerus dicit multitudinem quandam, habentem determinationem ac finitatem, vt pote numerabilem; multitudo verò dicit solam pluralitatem absque vlla determinatione, seu ordine, vnde D. Th. *super illud Philosophi in metaph.* Multitudo finita, numerus; hinc habet, si esset multitudo infinita non esset numerus, quia quod infinitum est numerari non potest: quantitas igitur discreta dividi rectè potest in multitudinem infinitam, & finitam, tanquam in duas species primò diuersas.

175 Instabis: ex Manso *quæst.* 34. omnis multitudo infinita debet esse talis, vt in ratione multitudinis sit eiusdem speciei cum qualibet alia multitudine infinita; sed hoc repugnat multitudini infinitæ; ergo ipsa quoque repugnat: maior probatur paritate finitæ multitudinis, nam omnes numeri septenarij V. G. in ratione septenarij sunt eiusdem speciei inter se, quia si sibi inuicem superponantur mutuò congruunt: ergo à pari; minor verò suadetur, quia est de ratione cuiuslibet multitudinis, vt per quamlibet additionem, vel ablationem varies speciem: sed nulla infinita multitudo per quamlibet additionem, vel ablationem variat speciem, quia semper remanet infinita; ergo &c.

176 Respondeo: concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem distinguo maiorem: est de ratione cuiuscunque multitudinis finitæ, vt per quamlibet additionem, vel ablationem varier speciem, concedo; cuiuscunque multitudinis, tam finitæ, quàm infinitæ, nego maiorem; & concessa minore, nego consequentiam. Ratio autem disparitatis est, quia multitudo finita per quamlibet additionem, vel ablationem varies speciem non autem infinita, petenda est ex propijs rationibus finitatis, & infinitatis: diuersus enim

specifica saltim habetur inter ea, quæ sub vno genere notabiliter differunt: duæ autem multitudines finitæ per quamlibet additionem, vel ablationem vnitatis, differunt notabiliter, quia vltimo competunt per negationem vlterioris vnitatis; vt patet in ternario, qui differt à quaternario per hoc, quod dicat negationem plurium vnitatis, quam quaternarius includit, non est igitur mirum si per quamlibet additionem, vel ablationem varietur species: secùs verò multitudo infinita in ratione infinitatis constituitur: nihilò per rationem quòd in positiuis confestim, (vt supra innuimus,) ob insufficientiam intellectûs accipiamus semper aliquid vltra accipiendum; sic ideò per quamcunque additionem, vel ablationem finitorum non differt notabiliter à seipsa, vt abundantia similis, eo quod suæ habent illa finita, sine non habeat, eandem patientem consensum videtur non minus quàm homo sine habeat, sine oculo habeat manum, vel pedem; sic aureus numisma regiæ opes non variat notabiliter, contra verò mendici substantiam; vnde Poeta, Paupertas impulit, est numerare pecora.

Obijcies vndecimò: Deus creare potest infinitos homines: creet illos hinc versus Græciam; & versus eandem partem creet infinitos mundos, vel mundos incipientes ab eodem puncto à quo incipit hominum infinitudo tunc; vel hæc illi occupabunt, & adæquabunt totum spatium, quod occupant manus seu mundi vel minus spatium: non primum, quia spatium quàm minimum est spatium, quod homines suis manibus seu mundis occupant, quod ab eadem linea occupari nequeat secundum, quia cum supponamus tum homines, tum mundos exhoc incipere puncto; post infinitam hominum lineam erit spatium ab illis minimè occupatum, & sic dicta linea terminata varinquerie.

Respondeo, non posse fieri à Deo infinita corpora extensa in ordine ad locum, sed debere omnia simul esse compenetrata; & ratio huius recte ex proposita obiectione colligetur: nunquam enim huiusmodi corpora spatio infinito proportionari possunt; quia non est assignabilis aliqua infinita multitudo, quæ occupare possit spatium hinc versus Occidentem infinitum, quin possit assignari alia maioris quantitatis in infinitum: vnde, cum qualibet infinita multitudo sit impropportionata infinito spatio, non poterit in illo reponi. Vlterior autem ratio huius est, quia spatium infinitum exigit res infinitas maiores, & maiores in infinitum inassignabiliter, quare non continet solam vnam infinitam multitudinis partium æqualium non communicantium, sed plures, & plures in infinitum; sicuti in palmo non sunt decem, aut centum, aut mille multitudines infinities paruum proportionalium assignabiles, sed etiam infinities infinitæ.

Instabis primò: corpus ratione suæ molis est essentialiter localis extensionis exigitiuum, non possunt igitur fieri infinita corpora in eo statu, in quo illis repugnet id, quod essentialiter exigunt.

Respondeo, distinguendo antecedens: corpus ratione suæ molis est essentialiter exigitiuum lo-

ca-

cali extensionis, simpliciter, & absolutè loquendo, concedo antecedens: facta aliqua suppositione, quod scilicet, in infinita multitudine reperiatur, nego antecedens, & consequentiam; Actualis enim extensio est exercitium passionis corporum, quod potest à Deo per miraculum impediri integra remanente earum essentia, sic per negantes infinitum quilibet homo distributivè acceptus est ens reale, & collectivè cum alijs consideratus evadit ens chymericum, & impossibile, quod videtur admirabilius.

181 Instabis secundò: ideò infinita multitudo individuorum discretorum in spatio nequit extendi, quia non potest dicto spatio proportionari; sed hæc ratio militat etiam in magnitudine: ergo &c.

182 Respondeo, negando minorem; disparitas est, quia in infinita multitudine continentur infinita individua singula habentia determinatam magnitudinem: at in magnitudine infinita partes, quæ continentur, singulæ sunt magnitudinis indeterminatæ, maioris, & minoris in infinitum; Atque hæc est etiam ratio à priori, cur infinita extensio potest habere partes coordinatas tum in ordine ad se, tum in ordine ad locum, non verò infinita multitudo.

183 Subinstabis: ex hac sequitur, quod in spatio infinitè extenso sunt plures infinitates palmorum. possunt igitur in illo corrumpi palmi semel infiniti, remanentibus alijs; sed hinc colligitur spatium illud à palmis corruptis occupatum esse finitum: ergo &c.

184 Respondeo, distinguendo antecedens: in spatio infinito sunt plures infinitates palmorum: per se, nego; per accidens, concedo; ratione scilicet partium majorum, & majorum in infinitum assignabilium in dicto spatio contentarum: hinc ergo consequentia: infinitas enim spatij primò & directè considerata est unum quid constans ex partibus indeterminatis in maioritate, quæ cum igitur infinita multitudo partium determinatarum non sit concipienda ordinatè in infinita extensione, una scilicet post aliam; sequitur separabilis ab alia, sed voluti iuxta mixta partibus majoribus & majoribus indeterminatis, eum iustè ratio petenda est ex eo, quod infinitudo spatij est de se indeterminata quoad partes suas in maioritate, ex quo deducitur non posse concipi unam determinatam multitudinem infinitam partium illius: sic enim partes iam in maioritate essent determinatæ. Quoniam verò hæc ratio non militat in duplici multitudine infinita oculorum ex dextris sinistrisque constata V. G. quidem determinata est, tum in se, tum in partibus suis: ideò possunt oculi dextri remanente sinistrorum infinitate hinc abire.

185 Instabis tertiò: individua materialia etiam, si compenetrata fuerint, habebunt inter se ordinem prioris & posterioris; quia erunt extensa in ordine ad se etiam compenetrata. semper igitur infinitum montium V. G. plus in ordine ad se extenderetur, quam infinitum hominum: & sic infinitum hominum erit simul finitum, & infinitum.

186 Respondeo, negando antecedens; quamvis enim quilibet homo in infinitate hominum comprehensus distributivè sumptus suarum partium ordinationem habeat in ordine ad se ita, scilicet, ut caput sit unum immediatè quidem collo, & hoc mediante pectori, &c. tamen comparatus cum alio homine eiusdem multitudinis finitæ ordinationem non habebit, sed quilibet erit immediatè cum quolibet penetrandus ita ut neque in ordine ad se dicti hominum ullam extensionem faciant, ex quo ulterius deducitur non posse dari infinitum in numero individuorum in ordine ad spatium sine penetratione individuorum in ordine ad se, quia extensio quoad se constituitur extensione locali, quare si localis extensio implicat eo, quod sequatur unum infinitum extendi plus quoad se, quam aliud infinitum. hic enim vel illis eosdem præstat modo repugnare videtur, qui localis, ut de se patet.

187 Instabis quartò: infinita linea dividi potest in infinita individua discreta remanentia, ubi prius erant quando continuitatem faciebant; ergo infinita individua materialia possunt in spatio collocari.

188 Respondeo, negando antecedens: Ratio est, quia si linea illa dividerentur in infinita individua hæc deberent esse determinatæ magnitudinis: at verò linea infinita hoc ipso infinitas partes indivisibiles; sicut rursus illas continet, ut harum sit indeterminatæ magnitudinis maioris, & minoris in infinitum: unde sicut Deus non potest dividere quantitatem finitam in infinitas partes, quia in dicta quantitate partes continet, ut hæc sit indeterminatæ paruitatis seu nequæ, propter eandem rationem quantitatem infinitè extensam in partes actu infinitas dividere potest.

189 Inde hinc colliges primò neque posse Deum dimensionem infinitam in palmo quantacumque divisibiliter concludere, ponendo, scilicet, secundum palmum supra primum, & tertium supra secundum in infinitum penetrantes; sic enim illa linea infinita non solùm haberet partes determinatæ magnitudinis, sed etiam ultimo dividi partes haberet omnes collectivè à Deo assignatas, quod non minus repugnat infinito in extensione, quàm quantum continue finitæ magnitudinis, negandi ergo sunt casus de extensione infinita sive hominum, sive lapidum, vel aliarum in linea positorum, sicuti etiam illis, quibus alter palmus albus sit, alter verò niger in infinitum, ponunt omnium in extensione esse divisibile in partes æquales ordinatas tam, atque assignatas, quod manifestè repugnat.

190 Colliges secundò: quod si Deus in vno palmo lineæ infinitos palmos quantitatis actu distinctos compenetratos poneret, non posset postea illos omnes extendere ita, ut extensionem faciant infinitam, quod ab illos extendere collectivè, licèt distributivè possit. ratio est, quia extensio hæc palmorum collectivè sumptorum constaret ex partibus determinatæ magnitudinis, quod implicat infinitæ extensionis palmi enim infiniti in ordine ad spatium infinitum habent se sicut puncta in ordine ad lineam: non negaverim tamen, quod sicuti infinita puncta arguunt,

& in-

Digitized by Google

& infinitum extensionem finitam: ita infiniti palmi iam extensi extensionem infinitam. at, sicut infinita puncta non possunt esse secundum se vnũ extra aliud, ita neque infiniti palmi solitariè accepti infinitam extensionem componere.

191 Obijcies duodecimò: Deus ad hoc vt faciat infinitum in numero, cognoscere debet quot vnitates creare debet; sed ad interrogationem factam per quot, respondemus per tot; omne autẽ tot finitum est; ergo & omne quot finitum erit; quia idem sunt quot, & tot; nisi quod vnum est interrogatiuum, alterum responsiuum. idem argumentum fieri potest contra extensionem infinitum per particulas tantum, & quantum, nam sicuti tot, ita tantum videtur finitatem importare, & per consequens omne quantum.

192 Respondeo particulam (quot) posse sumi dupliciter: primò ita, vt petat assignationem termini, ac finitatis; quia omnia, quæ sunt de facto finem habent: secundò, vt petat modum, ac proprietatẽ multitudinis simpliciter, vt si petas quot creaturæ sunt possibiles? quot cogitationes erunt per totam æternitatem? iam verò in hoc secundo sensu si accipiatur dicta particula, vera est maior: quia sic sumpta nullam ponit determinationem in multitudine, sed tantum commensurationem cognitionis cum ea ita, vt nullum individuum multitudinis infinitæ fugiat cognitionem creantis, sed falsa est minor: nam per particulam tot respondemus ad quot primo modo sumptum. ad interrogationem enim quot sunt species numerorum? quot sunt creaturæ possibiles? nullus respondet tot; sed omnes respondemus (infinitæ) idem dicendum est de particulis tantum, & quantum in ordine ad extensionem infinitam. Nõ negauerim tamen, quod tum tot: tum tantum, accipi aliquando possunt ita, vt non importent assignationem termini; sed ipsum modum rei, de qua agitur, qui de facto habetur, siue finitus sit, siue infinitus; in quo sensu diximus: quot sunt entia possibilia, tot esse à Deo factibilia, & rem quanta est in potentia, tantam esse in actu. In hac autẽ acceptione, nego omne tot importare finitatem, accipitur enim sic verbaliter solùm, ac responsiuè: non autem determinatè vt notauimus. Per quæ patet responsio ad multas petitiones, præsertim ad eam, qua quæritur: vtrum in extensione aliqua infinita tot sint palmi, quot vlnæ; ad quam affirmatiuè respondeo, quia tot, & quot, non important in petitione finitatem aliquam, secus petitio esset de subiecto non supponente: sed importat modum, & proprietatem multitudinis palmorum, & vlnarum; cum autem in extensione infinita tum palmi, tum vlnæ sint multitudinis indeterminatæ, hinc fit, vt tot sint palmi, quot vlnæ.

193 Obijcies decimotertiò: accepta vna vnitate in multitudine infinita, vel datur aliqua alia vnitas infinitè distans ab accepta, vel nulla; si aliqua; ergo infinita multitudo ex vtraque parte habet terminum; si nulla; ergo omnes finitè distant ab vnitate accepta. non ergo sunt infinitæ.

194 Respondeo omnes distributiuè, & seorsim distare finitè ab accepta, simul verò, & collectiuè distare infinitè, quia distant per infinitas vnitates, quibus omnis infinita multitudo coalescit, quæ responsio adhibenda est ab Aduersarijs, si argumentum transferatur ad infinitum syncategorematicum hominum, vel etiam cogitationum, quæ per totam æternitatem à parte post sunt extituræ.

Obijcies decimoquartò: Repugnat numerus finitus omnium maximus; ergo repugnat numerus infinitus. antecedens est certum, alioquin vnitas huic numero finito superaddita, illũ constitueret infinitum: consequentia verò probatur, quia numerus maior, repugnante numero minore, repugnat; quia debet illum necessariò continere. sed numerus infinitus est maior numero finito omnium maximo; ergo hoc repugnante, illum quoque repugnare necesse est. Ita ferè Aldrete. 195

Respondeo, concesso antecedente: negando consequentiam; ad cuius probationem distinguo maiorem, numerus maior repugnat repugnante numero minore sub quacunque hypotesi considerato, nego: considerato sicuti necessarius est ad constitutionem maioris, concedo; & distinguo eodem modo minorem. numerus infinitus est maior finito omnium maximo importante hypotesim non necessariam ad constitutionem infiniti concedo; necessariam, nego minorem, & consequentiam; & dico numerum maiorem debere quidem continere minorem, sed non sub quacunque hypotesi consideratum. sed consideratum solùm sicuti necesse est ad constitutionem maioris; cùm agitur numerus finitus in ratione omnium maximi non sit necessarius ad constitutionem infiniti; sed solùm in ratione finiti maioris, & maioris, hinc fit, vt eius implicantia non reddat implicantem multitudinem infinitam. ad eum planè modum, quo numerus quinarius maximus omnium contentorum sub denario licèt implicet: non tamen reddit implicantem denarium quamuis maior sit ipso quinario. 196

SECTIO NONA

An Deus possit facere infinitum actu in intensione.

NOn quærimus in præsentia verum Deus omnem qualitatem infinitare possit, quia hoc præter quam quod nihil facit ad disputationem præsentem: nimis in longum illam protraheret. Ad affirmatiuam ergo quæstionis partem sustinendam sufficit defendere, quod Deus possit vnam, aut alteram qualitatem infinitè intensam V. G. calorem infinitæ intensionis producere: quidquid sit deinde si alias propter peculiarem aliquam rationem non possit, cuiusmodi censentur esse colores medij, qui, quo magis intenduntur: eo magis ad extremorum naturam, accedunt; deinde, si rectitudo est qualitas, constat eam non posse intendi, quia in indiuisibili posita est. idem esto iudicium de velocitate, & tarditate motus, modo sint qualitates eius. velocitas enim ad hoc, vt non haberet aliam supra se maiorem, deberet necessariò esse instantanea, quod implicat. his autem prænotatis sit. 197

Vni-

198 Vnica conclusio. Potest Deus per absolutam suam Omnipotentiam facere qualitatem aliquã infinitè intensam: est Fasoli *loco citato dub. 12. num. 59.* Maioris, & aliorum: Ratio sumitur ex Dei Omnipotentia, & ex factibilitate obiecti; nec non etiam, quia non videtur esse maior ratio cur dari possit infinitum categorematicè in extensione, & in numero, non autem in intensione.

199 Obijcies primò: in qualitate infinita sunt omnes gradus, seu modi possibiles intensionis; ergo nulla alia neq; finita, neque infinita qualitas esset dabilis, si infinitum in qualitate daretur; sed hoc videtur absurdum; ergo.

200 Respondeo, distinguendo antecedens; in vna qualitate infinita sunt omnes gradus, seu modi possibiles intensionis: omnes intensiuè, & quantitatiuè possibiles, concedo. omnes entitatiuè, & simpliciter, nego antecedens, & consequentiam. licèt enim Deus producta infinita aliqua qualitate non posset producere aliam maiorem illa; tamen, vt benè notat Gabriel, producere posset aliam infinitam. imo infinitas alias qualitates intensiuè infinitas eiusdem speciei. Hoc idem argumentum faciunt quidam, contra infinitam multitudinem sic; si Deus posset creare multitudinem infinitam in aliqua certa specie hominum V. G. aut formicarum: vel ad ponendam dictam multitudinem esset necessarium creare omnia individua possibilia illius speciei; vel non: primum dici nequit, quia ex multitudine omnium hominum possibilium V. G. si demantur decem, ad huc illa remanet infinita: neque secundum tũ quia Deus deberet præintelligere quot individua essent necessaria ad illam multitudinem infinitam ponendam: tum etiam quia non datur nisi vnum infinitum syncategorematicè individuorum possibilium sub vna specie; ergo saltem non posset Deus facere aliud infinitum individuorũ, quæ essent eiusdem speciei: Ad quod breuiter respondendum: non esse necesse, quod Deus crearet omnia individua illius speciei; & ad priorem probationem dicendum, quod sicuti ad creandã quantitatem finitam non est necesse Deum præintelligere quanta extensio sit præcisè necessaria ad extentionem finitam: sed sufficit, quod ad hanc, vel ad illam se determinet, ita in nostro casu, ad posteriorem verò negandum est assumptum, quod patet ex eo, quia causæ naturales causare possunt effectus finitos in infinitum, & tamen diuersa est series effectuum causabilium ab vna causa, à serie eorum, qui causari possunt ab alia. idem cum proportione dicendum de qualitate infinitè intensa.

201 Obijcies secundò: si Deus produceret infinitam grauitatem in lapide posito in concauo Lunæ: hic in instanti deberet in terram descendere, sed motus localis nequit fieri in instanti; ergo &c. minor patet, probatur maior non enim potest assignari alius motus, qui posset infinitæ grauitati adæquatè correspondere.

202 Respondeo, negando maiorem; ratio negationis est, quia motus localis in instanti fieri nequit: ad maioris probationem dico actum infinitæ grauitati correspondentem esse motum velociorem, & velociorem in infinitum, ad hoc ergo, vt lapis ille moueretur deorsum in tali casu deberet à Deo determinari ad faciendũ motum suum cum tanta, vel tanta velocitate. sic dicunt ipsimet Aduersarij, quod actus correspondens potentiæ infinitæ, quam habet Deus ad mouenda corpora sit motus eorundem velocior, & velocior in infinitum prout voluerit; non autẽ motus infinitæ velocitatis, quia hic esset instantaneus, atque adeò impossibilis.

Instabis: quo maior est virtus motiua, eo velociorem motum efficit cæteris paribus; ergo grauitas infinita efficit motum infinitæ velocitatis. 203

Respondeo, negando consequentiam; quia non est semper verum, quod æqualis proportio inter potentiam, & actum seruanda sit: sic potẽtiæ sunt vniuersales in ordine ad obiecta; possunt enim se extendere ad hęc, & illa: quod repugnat singulis actibus; hi enim ita specificantur à suis obiectis: vt non possint respicere alia. præterea Dei Omnipotentia est actu infinita, & tamen per Aduersarios infinitum actum efficere nequit. 204

Obijcies tertiò: si daretur virtus motiua infinita, hæc nullum motum de se posset efficere; ergo non esset virtus motiua; sed hoc implicat; ergo. Antecedens probatur, quia de se esset indeterminata ad faciendum motum cum tanta, vel tanta velocitate. 205

Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem, concedo quod dicta virtus de se indeterminata foret: ex hoc tamen non sequitur, quod nullo modo motũ aliquem efficere posset; siquidem posset vel à Deo saltem, si in agentibus necessarijs reperiretur, vel ab ipso agente maximè si hoc esset liberum, determinari. 206

Obijcies quartò: si Deus facere posset infinitam virtutem in mouendo; vel hæc esset æqualis diuinæ virtuti, quam ad mouendum corpora Deus habet, vel minor: neutrum dici potest; ergo &c. probatur minor; non potest dici æqualis, quia Deus semper est magis potens, quam creatura, neque minor, quia posset ipse Deus producere illum virtutis excessum, in quo in mouendo virtutem illam infinitam superat, & illi eam addere, & sic infinito, qua infinitum est fieri possit additio. 207

Respondeo: virtutem illam non posse dici simpliciter æqualem diuinæ virtuti, tum quia esset essentialiter dependens ab illa: tum quia diuina virtus est essentialiter potentia producẽdi omne creabile, & sic est illimitata simpliciter in genere potentiæ, in quo posita est ratio Omnipotentiæ: creata verò esset infinita solùm quo ad vnam speciem effectus producendam. quibus positis dico: nullum esse inconueniens non posse Deum mouere velocius, quàm posset creatura hæc, quæ virtutem infinitam haberet. quantũ autem ad excessum respondetur: excessum illum diuinæ virtutis à Deo produci non posse, quia consistit in formali ratione potentiæ diuinæ, seu omnipotentiæ, quæ est incomunicabilis creaturæ, intelligitur enim esse veluti passio diuinæ essentiæ. 208

Obijcies quintò: si daretur virtus motiua infinita: deberet ei correspondere mobile infinitum; 209

Digitized by Google

tum; sed infinitum est immobile; ergo.

210 Respondeo, negando sequelam: sufficit enim si correspondeat illi mobile finitum indeterminatæ magnitudinis, maius scilicet, & maius in infinitum, quod motu velociori, ac velociori moueri possit.

Objicies sextò: implicat substantia creata infinita; ergo, & infinitum accidens: consequentia 211 probatur, quia accidentia dicunt intrinsecum ordinem ad substantiam.

212 Respondeo, distinguendo antecedens: implicat substantia infinita creata simpliciter, transeat: infinita aliquo modo, scilicet quo ad receptiuitatem, nego antecedens, & consequentiam. ex illo enim antecedente solum sequitur, quod non possit secundum intensionem.

213 Instabis; ex vna parte omnis qualitas habet essentialiter esse receptum, & subiectum limitatum: ex alia verò omne subiectum finitam habet capacitatem; ergo implicat qualitas infinitè intensa.

214 Respondeo, ad primam antecedentis partem esse receptum in subiecto arguere solùm finitatè essendi simpliciter, siue essentiæ in genere entis: non autem infinitatem in intensione excludere: ad secundam verò dico, quod licet subiectum capacitatem naturalem habeat finitam: obedientialem tamen infinitam habet, in quantum, vt notat Diuus Thomas, prout substat diuinæ Omnipotentiæ nunquam eius capacitas expleri potest: sic distincto antecedente, nego consequentiam. quod si quis contenderet omnem creaturæ capacitatem quantumuis obedientialem esse limitatam, rectè hic posset conuinci ex capacitate animæ rationalis in ordine ad gratiam sanctificantem, quam cõstat posse in homine augeri in infinitum. Linquo posse etiam dici qualitatem illam dependere à solo Deo in genere efficientis, & non à subiecto in genere causæ materialis.

215 Objicies septimò: probando quod saltem habitus infinitè intensus dari nequeat: quia si daretur deberet tribuere potentiæ, in qua est, infinitã facilitatem adoperandum; sed hoc implicat; ergo. maior patet, minor probatur, quia huiusmodi infinita facilitas solum consisteret in eo, quod illa potentia nullo adhibito conatu deberet operari, atqui implicat, quod agens operetur sine aliquali conatu; ergo &c.

216 Respondeo, concessa maiore: negando minorem, ad cuius probationem, nego item maiorem; & dico quod infinita illa facilitas posita esset in eo, quod potentia in qua huiusmodi habitus existeret positis pluribus, & pluribus impedimentis in infinitum, & paucioribus in infinitum requisitis cum minori, & minori conatu posset operari quantum voluerit.

217 Objicies octauò: probando quod saltem qualitas habens contrarium nequeat infinitè intendi. sit infinitum frigus V. G. in subiecto, in quo calor infinitus produci debeat: tum sic: qualitas habens contrarium debet successiuè produci, sed infinitum, secundum quod infinitum est, nequit produci successiuè; ergo non est dabilis infinitus calor.

218 Respondeo, admisso casu, distinguendo maiorem: qualitas habens contrarium debet successiuè produci, si finita est, concedo: si infinita, nego maiorem: & concessa minore, nego consequentiam. non enim valet argumentari à sensu composito ad diuisum.

Objicies nonò: gradus qualitatis sunt inter se 219 cũ aliqua hetherogeneitate saltem ordinis ordinati: ergo non potest qualitas infinitè intendi. cõsequentia probatur, quia sicuti datur aliquis gradus in tota intensione illa, qui habet rationem primi, & aliquis qui habet rationem secundi: ita deberet dari alius, qui haberet rationem vltimi: vltimum autem infinito repugnat.

Respondeo: quosdam esse, qui putant gradus 220 qualitatis habere omnimodam homogeneitatẽ, ad quos accedentes dicere possemus, quod etiam si sunt hetherogenei dictã hetherogeneitatem intra latitudinem octo gradum seruent. incipiendo autem à nono essent homogenei; Iuxta alios autem dicendum est dictam hetherogeneitatem ordinis non importare in gradibus actualem distinctionem; atque adeò stare posse cum infinitate intensiua. vnde sicuti in extensione infinita partes essent indeterminatæ magnitudinis, sic etiam in infinita intensione essent indeterminatę intensionis, ita vt non haberetur maior ratio, cur debeat esse prima pars latitudo octo graduum potius, quam centum, vel mille graduum.

Objicies decimò: faciat Deus duas qualitates 221 eiusdem speciei infinitè intensas, ex quibus componat vnam tertiam; in hoc casu daretur vnum infinitum maius alio: hæc enim tertia esset maior illis duabus; ergo &c.

Respondeo: ex duabus qualitatibus infinitè in- 222 tensis non posse resultare tertiam intensionem ex ea parte, qua qualitates illę sunt infinitæ; sicuti ex lineis infinitè extensis resultare nequit linea magis extensa ex ea parte, qua infinitam habent extensionem.

Objicies vndecimò: qualitas infinitè intensa, 223 si daretur, esset in termino intensionis, alioquin posset magis intendi; sed quod in termino est, finitum est, atque determinatum; ergo qualitas illa esset finita, & infinita quantum ad maioritatem.

Respondeo ex Auersa; terminũ dupliciter su- 224 mi posse: Primò pro determinato quodã fine, seu pro vltima quadam parte, aut extremo: Secundò pro maximo, & summo intensionis, sicuti infinita linea dicitur esse in termino extensionis, quia ea maior esse non potest: qualitas ergo infinitè intensa non primo, sed secundo modo esset in termino, ideoque non posset magis intendi. in hoc ergo sensu concessa maiore, negandum est deinde id, quod hoc modo est in termino finitum esse, & determinatum; est enim infinitum, ac sine termino, terminatum verò solùm quantum ad hoc, quod sit distinctum ab alijs, quæ non sunt ipsum; quare nego consequentiam.

†

Digitized by Google

SECTIO DECIMA

Vtrum Gratia habitualis Christi Domini sit infinitè intensa.

225 PRo explicatione huius difficultatis certum est primò, in Christo fuisse gratiæ habitualis plenitudinem. Iuxta illud Ioannis primo: plenum gratiæ, & veritatis; & paulo post; De plenitudine eius omnes accepimus. Certum secundò dictam plenitudinem non solum se tenere ex parte subiecti, quatenus, scilicet, Christus habuit tantum gratiæ, quantum illi satis fuit ad hoc vt suo munere fungeretur (quomodo dicitur B. Virgo gratia plena, & Stephanus plenus gratia: modo scilicet proportionato muneri, & dignitati ipsorũ) sed etiã ex parte ipsius gratiæ, in quantum habuit illam secundum totam latitudinem ipsius possibilem de lege ordinaria, vt esset vniuersale principium gratificationis in humana natura; secundum illud *ad Ephes. primo*: Gratificauit nos in dilecto filio suo. Certum tertiò gratiam Christi in aliquo sensu dici posse infinitatẽ quandam moraliter loquendo habere: an verò etiam physicè, videlicet, sumpta secundum entitatem, & realitatem suam fuerit infinitè intensa, seu, quod idem est, habuerit infinitatem cathegorematicam intẽsiuam, hoc est, quod controuertimus in præsentia.

226 Conclusio est affirmatiua, & eam docet Scotus *in 3. distinct. decimatertia quæst. 4. vbi §. ad primam ait*: non repugnare diuinitus gratiam intensam infinitè actu. §. *verùm quantum ad secundum* eam de facto ponit in Christo, *19. distinct. vigesima* §. *contra illud*: docet in Christo reperiri summã gratiam habitualem. In eadem sententia est Almainus *in 3. distinct. 13. quæst. 1.* Maior, Victoria, Maldonatus, & alij quos citat, & sequitur Petrus Hurt. *disput. 48. §. 15.* in cuius fine affirmat Ragusam asserere hanc opinionem apud Recentes esse valde cõmunem, contra quam plures Recentiores, quos sequitur Vadingus *disp. 5. dub. 6.*

227 Probatur conclusio vnico argumento, quia gratia infinitè intensa non implicat contradictionem; ergo de facto data in Christo Domino, consequentia hæc probatur ex dignitate, & excellentia vnionis hypostaticę, quæ, cum sit infinita substantialiter, videtur non nisi gratiam habitualem infinitè intensam tanquam proprietatem sibi proportionatam, ac debitam vendicare; quẽadmodum enim ex essentia diuina emanant attributa, quorum vnumquodque est infinitum in perfectione: ita ex persona diuina vnita humanitati debet oriri exigentia in ipsã humanitate habẽdi gratiã, cæteroſq; habitus illam consequẽtes infinitè intensos, quibus ornaderet natura Verbo digna. Confirmatur ex Suarez, qui *disp. 22. sect. 1.* putat propterea solum gratiam simpliciter infinitam Christo negandam esse, quia huiusmodi infinitas impossibilis est, cui etiam assentitur de Lugo *disput. 16. sect. 6.* ergo &c.

228 Obijcies primò: ex Vasquez: Data quacunque gratia potest intensiuè crescere, & maiorari; ergo etiam si infinitum in intensione non repugnet alijs qualitatibus, repugnat tamen gratię habituali. consequentia patet, constat enim non posse vnum infinitum esse maius alio formaliter. antecedens verò probatur, quia data quacunque gratia, homo, dum benè illa vtitur, meretur apud Deum eius augmentum, & sic fit Deo gratior; ergo &c.

229 Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem, nego assumptum, quia meritum ordinatur ad præmium possibile, sed quod illa gratia intensiuè augeatur est impossibile, vt supponimus, ergo &c. dicendum igitur esset in tali casu, quod homo ille vel mereretur gratiam aliam, quæ esset substantialiter perfectior præcedente, vel mereretur aliam, quæ numericè tantum ab illa differet, quæq; si esset infinita, redderet hominem illis infinitè gratum Deo.

230 Obijcies secundo: ex Vadigno: nullum ens creatum asserendum est esse categorematicè infinitum, nisi, aut certa auctoritate, aut ratione, ad id adigamur. Quod enim potest fieri per finitum non debet per infinitum. Sed nulla auctoritate, aut ratione probatur gratiæ Christi habitualis infinita intensio; ergo asserendum est, eam esse finitè intensam; minor quoad auctoritatem quidem liquet; quoad rationem verò probatur, quia si qua esset, maximè propter vnionem ad verbum. hanc autem rationem nõ valere, constat primò, quia humanitas Christi propter vnionem non exegit habere omnem perfectionem possibilem in ordine naturæ; ergo neque in ordine gratię. constat secundò, quia ad vnionem sufficit, si gratia fuerit summa possibilis de lege ordinaria, sicuti etiam ad munus Redemptoris peragendum.

231 Respondeo: concessa maiore, negando minorem; ad cuius priorem probationem dico, dari multas auctoritates scripturarum, ex quibus valde probabiliter dicta gratiæ infinitas colligi potest; præsertim ex illa Ioann. *tertio*: Quem misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum. nimirum ipsi Christo: nam de alijs sanctis dicitur: vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Inquo eos nimis auarè se gerere cum Christo, cui nihil voluit donatum à Deo, nisi quod Reuelatum est in scripturis. ad posteriorem verò cõcessa causali. Ad eius primam rationem in cõtrarium dico, quod sicuti Christus non fuit vniuersale principium in ordine naturæ; sed benè in ordine gratię; ita non debuit habere omnem perfectionem possibilem in ordine naturæ: sed benè debuit illam habere in ordine gratiæ; cum præsertim omnis perfectio possibilis in ordine naturę potius fuisset illi impedimento ad obtinendum finem, quem intendebat. Ad secundã verò: quòd, cum Christi vnio ad Deum substantialis fuerit summa possibilis; non solum de lege ordinaria, sed etiam extraordinaria necessum erat, vt eius gratia habitualis fuerit summa possibilis de omni lege.

232 Instabis: si attendamus meritum vnionis hypostaticę, non solùm vna gratia infinitè intensa debebatur Christo, sed multiplex, & multiplex in infinitum. sed nos ex hoc non colligimus huiusmodi multiplicitatem infinitam gratiarum infinitè intensarum dari de facto in Christo; ergo ne-

Digitized by Google

neque colligere debemus dari in eo vnã gratiam infinitè intensam. ita doctus quidam Recentior.

233 Respondeo, negando absolutè maiorem: illud enim debebatur Christo, quod ipse exigebat. sed non exigebat illam multiplicitatem gratiarum infinitè intensarum, quia dicta multiplicitas non ei asserebat formalem perfectionem, sed tantùm materialem, sicuti neque in sententia aduersariorum exigit multiplicitatem gratiarum finitarum propter eandem rationem: contrà verò gratia infinitè intensa importat perfectionem formalè omnium maximam.

234 Obijcies tertiò: si gratia habitualis Christi esset infinitè intensa: etiam eius visio beata esset huiusmodi; sed hoc repugnat; ergo &c. sequela patet, quia visio correspondet gratiæ. minor verò probatur, quia visio illa comprehenderet Deũ, cognosceret enim in Deo omne possibile, quod est signum diuinæ comprehensionis. Deum autem comprehendi visione creata certum est implicare.

235 Respondeo, quod si ex visione infinita Dei sequatur eius comprehensio, neganda est maior, propter specialem rationem, quæ est in visione, quæ immediatè, & quidditatiuè Deum attingit; & ad eius probationem dicendum, quod vbi non est specialis repugnantia, verum quidem est, gloriam debere correspondere gratiæ: at vbi est illa gratia solũ exigit, vt Deus conferat illam habenti, gloriam in gradu valdè excellenti ad libitum tamen suum. Verum autem verè ex infinita visione Dei sequatur comprehensio communiter respondetur negatiuè, quia ad comprehensionem requiritur infinitus cognitionis in omni genere, debet enim esse actus purus, vt nos suo loco dicemus.

236 Obijcies quartò: si gratia habitualis Christi fuisset infinitè intensa: etiam alij habitus virtutum fuissent huiusmodi; sed hoc est absurdum, quia sic debuisset ille semper actus infinitè intensos elicere, & sic infinitè dolere de offensis Dei, atque adeò repente mori, quia dolor infinitè intensus adimit vitam; ergo &c.

237 Respondeo: concessa sequela, ad minorem dico, quod Christus illos virtutum actus infinitè intensos, qui erant vitæ contrarij, vel non elicebat: vel; si eliciebat, certum erat, quòd miraculosè à Deo ad eorum præsentiam conseruarentur in vita, sicut de facto conseruabatur.

238 Objicies quintò: hæc sententia videtur esse contra Diuum Thomam, qui *in 3. dist. 13. quæst. 2. decima tertia, & de veritate quæst. 29. articulo 3. & sæpe alibi* docet; In terminis gratiam habitualem Christi esse simpliciter finitam; ergo &c.

Respondeo: Diuum Thomam hanc assertionem fundare in sententia philosophica, quod infinitum categorematicum in intensione repugnet, quam sententiam nos suprà eiecimus. scio nonnullos suspicari S. Tu. *quæstione vltima de anima* in ea opinatum esse sententiam, & negare solum gratiam Christi infinitatem in omni genere: concedere verò illi infinitatem in genere gratiæ; sic enim habet: Gratia habitualis potest dupliciter considerari, vno modo, secundùm quod est quoddam ens, & sic necesse est quod sit ens finitum: est enim in anima Christi, sicut in subiecto, anima autem Christi est creatura quædam habens capacitatem finitam. vnde esse gratiæ cùm non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum. Alio modo potest considerari secundùm propriam rationem, gratiæ, & sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur, quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & nõ datur ei secundum certam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet. Hæc ille. verum horum auctorum expositio est violenta: quia gratia secundum propriam rationem gratiæ considerata est capax moralitatis; quare ingenuè fatendum est S.D. non stare pro nostra sententia.

SECTIO VNDECIMA.

Vtrum dabile sit infinitum categorematicum in perfectione essentiali, & de creatura omnium perfectissima.

DVpliciter infinitum in essentia summi potest 239
Primò in toto genere entis, pro eo, scilicet, quod, vel formaliter, vel eminenter omnem perfectionem possibilem continet, dicitur que infinitum simpliciter. & huiusmodi est solus Deus benedictus. Secundò in certo, & determinato quodam entis genere, quod, ad differentiarum prioris, dici potest infinitum secundùm quid, vel ex parte de quo sit.

Vnica conclusio infinitum creatum in aliquo 240
certo genere essentialis perfectionis non repugnat. Est Auersæ *quæst. 24. de infinito sect. 9.* licet ipse alia infiniti genera esse à Deo factibilia mordicus neget.

Probatur ex eo; quia nulla potest huius rei 241
implicantia afferri, posito, enim quod sit dabilis virtus motiua infinita, quid repugnat, quod eam aliquod ens substantiale requirat, vel saltem alia quam aliam proprietatem infinitè intensam. duæ inde cur Deus non possit speciem aliquam intentionalem creare, quæ de sui essentia habeat posse vel omnia entia materialia intra hominem repræsentare, vel saltem hoc intellectum non arguit creaturas omnes possibiles.

Dices primò, quod huiusmodi species esset 242
Deus: Contrà tamen est, quia ex vna parte iam dicta species haberet certum, & coarctatum esse 242
intra determinatos fines speciei: ex alia verò esset essentialiter dependens à Deo. non ergo esset Deus.

Dices secundò, quia huiusmodi species esset 243
comprehensiua Dei, quod includit contradictionem.

Contrà etiam est; quia species hæc non repræ- 244
sentaret omnia possibilia in Deo viso, quod de essentialiter ad comprehensionem Dei requiritur, sed repræsentaret possibilia omnia in se ipsis.

Obijcies primò: huiusmodi creatura infinita 245
in essentia excessu finito species sub eodem genere contentas superaret; ergo esset finita, & infinita.

Respondeo, negando antecedens: ita enim es- 246
set infinita: vt nulla alia posset assignari in ea

Digitized by Google

illa collectione specierum, quæ non distaret ab ea infinitè, licèt illæ de reliquo inter se finitè distarent.

247 Objicies secundò: cuilibet speciei versus maioritatem perfectionis addi semper potest maior, & maior perfectio; ergo nulla potest esse perfectionis infinitæ: cõsequentia tenet. probatur antecedens, quia inter quamlibet speciem creatam, & naturam diuinam est infinita distantia perfectionis; ergo data quacunque specie, semper in natura diuina remanet alia ratio, propter quam possit participari ab alia specie perfectiore. cuicunque igitur speciei versus maioritatem maior perfectio addi potest.

248 Respondeo: si hoc argumentum haberet vim, probaret etiam, quod præter creaturas omnes possibiles, deberent dari multæ aliæ, quia inter illas, & Deum adhuc daretur infinita distantia: distinguo ergo antecedens: cuilibet speciei versus maioritatem addi potest maior perfectio in eodem determinato genere perfectionis debitæ nego: in diuerso genere transeat antecedens, & distinguo eodem modo cõsequens: nulla creatura potest esse perfectionis infinitæ in alio atque alio genere, atque adeò in omni genere entis cõcedo: in certo ac determinato genere nego consequentiam. Ad probationem antecedentis dico quod inter quamlibet speciem creatam, & diuinam naturam est infinita distantia perfectionis in alio, atque alio genere; in eo autem genere determinato in quo species illa creata est infinita, licèt Deus infinitè distet à dicta specie: in hac tamen distantia non est in eodem genere ab aliqua alia creatura imitabilis, quia ab ea distat per esse independens in dicto genere, & per hoc quod quamcunque aliam infinitatem in eodem genere à se habeat dependentem. licèt igitur fieri posset alia creatura perfectior illa infinita: erit tamen secundùm excessum in diuerso genere perfectionis. hoc autem non arguit in priori finitatem secundum omnem rationem entis, sed solùm secundum aliquam rationem particularem.

249 Objicies tertiò: si esset dabilis creatura infinita in perfectione essentiali vnius generis, & alia in perfectione essentiali duplicis generis in infinitum: sequeretur quod esset dabilis creatura infinita in omni genere, excepta independentia, per quam vnicè differret à Deo; sed hoc non est cõcedendum: ergo &c.

250 Respondeo, negando sequelam; quemadmodum enim in sententia negante dari posse infinitum in perfectione essentiali non valet argumentari ex eo, quod detur creaturæ in essentiali perfectione nobiliores, & nobiliores in infinitum: non valet, inquam, ergo datur aliqua infinitè perfecta. ita neque in mea sententia, in qua admitto creaturas infinitè perfectas in certo quodam, ac determinato genere essentiali; & ratio negationis esse potest, quia independentia in Deo, vel sumitur positiuè, vel negatiuè: si positiuè importat infinitatem in omni genere: sin autem negatiuè huiusmodi infinitatem consequitur. quare inuoluit manifestam implicantiam, quod detur aliqua creatura infinita in omni genere perfectionis excepta perfectione independentiæ.

251 Objicies quartò: saltem creabilis esset à Deo creatura perfectissima negatiuè, quo scilicet perfectior creari non posset; sed hoc non videtur dicendum: ergo &c.

Respondeo: P. Arriagam *disput. 13. sect. 3.* ad- 252
mittere possibilitatem perfectissimæ creaturæ, sicuti etiam imperfectissimæ. verum alij probabilius eam negant, etiam si infinitum admittant, sicuti est Fasolus *1. parte quæst. 7. art. 3. & 4. dubitat. 11. num. 14.* Hurtadus, Ouiedus, & alij, cum quibus sentio: Ratio, quæ me mouet, est, quia de ratione perfectissimæ potentiæ est, vt nullus assignari possit effectus ab ea procedens ita perfectus, vt non possit ab alio perfectiore superari, nã positis duabus potentijs effectiuis quarum altera vendicet sibi determinatum effectum, licèt infinitè perfectum, vltra quem non possit se extendere: altera verò non vendicet sibi huiusmodi effectum, sed quocunque assignato possit semper perfectiorem, & perfectiorem in infinitum producere: non est dubium quin hæc posterior potentia sit nobilior, atque adeò Deo potius attribuenda, quam illa. Ex quo fit vt si descendatur à Deo ad creaturas, nulla ex his assignabilis sit, ita Deo proxima, vt inter illam, & Deum proximior, & proximior in infinitum assignari non possit. ratio sumitur ex Capreolo, cum enim versus Deum ponatur infinitas, ad infinitum ex ea parte, qua infinitum est, non potest per aliquod finitum immediatè perueniri: omnis autem creatura finita est, saltem secundùm aliquam rationem considerata.

Instabis primò: ex Arriaga: Potest Deus pro- 253
ducere perfectissimam creaturam, quam potest; sed si hæc producatur, non potest dici, quod nõ sit omnium perfectissima; ergo erit perfectissima omnium. maior negari non potest, quia est propositio identica, atque adeò verissima; minor suadetur, quia si dicta creatura non est omnium perfectissima; ergo non produxit Deus perfectissimam, quam potuit.

Respondeo: maiorem esse de subiecto non 254
supponente atque adeò negandam, quia Deus non potest creaturam omnium perfectissimam producere. semper enim est assignabilis alia perfectior, quam ipse potest producere, & hoc etiam si posset omnia entia permanentia collectiuè creare, qualibet enim creatura assignata, semper assignabilis esset perfectior, & perfectior in infinitum, quæ illam superaret. eodem modo negandus est similis modus argumentandi in numeris sic: potest Deus producere maximum numerum finitum, quem potest; sed posito quod illum producat, non potest dici, quod non sit omnium finitorum maximus; ergo datur numerus finitus maximus, vltra quem alius maior numerus finitus non sit dabilis. hanc consequentiam negat Arriaga. cur igitur non neget, & illam? Neq; dicat disparitatem esse, quia numerus finitus maximus repugnat, non verò perfectissima creatura. contrà enim est: nam cum ex ea assignatur aliqua limitatio in diuina Omnipotentia, æque eam repugnare existimandum est.

Instabis secundò: non potest excogitari crea- 255
tura, quæ sit vnione hypostatica perfectior; ergo defacto datur perfectissima creaturarum:

Respondeo: negando antecedens, & hoc siue 256
se-

Digitized by Google

sequamur sententiam eorum, qui putant naturam angelicam, hypostaticam vnionem superare, eo quod licèt haec supernaturalis sit: tamen non est quid completum, neque principium operationū spiritualium, sicuti est Angelus: sive sequamur sententiam oppositam, quam supra innuimus. & ipsam vnionem hypostaticam, quae est in Christo, consideremus. cum enim vna specificetur ab extremis, hoc ipso, quod potest dari creatura substantialis perfectior, & perfectior homine in infinitum, poterit consequenter dari vnio hypostatica nobilior, & nobilior in infinitum ea, quae de facto datur in Christo.

257 Instabis tertiò: in collectione omnium creaturarum possibilium non possunt omnes esse simul excedentes, & excessae, sed solum illae, quae intermediant; ergo datur perfectissima, quae sit excedens, & non excessa, & imperfectissima, quae non sit excedens, sed excessa.

258 Respondeo: hoc ipso, quod negatur inter creaturas possibiles dari perfectissimam, & imperfectissimam, de necessitate debere concedi omnes distributiuè acceptas esse simul excedentes, & excessas; eo quod nulla assignabilis est, quę non intermediet, ita vt habeat inferiores, & superiores se. fallacia apparet, si applicetur argumentum numeris finitis, & cogitationibus Angelorum futuris per totam æternitatem à parte post. certum enim est non dari numerum ascendendo, qui ita excedat alium, vt non excedatur ab alio, idemque videre est in cogitationibus dictis.

259 Instabis quartò: collectio omnium creaturarum possibilium summam habet propinquitatem cum Deo, quia inter ipsam, & Deum non est excogitabile aliquod ens Deo propinquius. sed hanc propinquitatem non habet collectio creaturarum sumpta, secundum omnes species, neque secundum duas, vel tres. constat enim speciem formicae magis distare à Deo, quam speciem hominis. ergo hanc summam propinquitatem habet ratione vnius speciei, quae erit procul dubio perfectissima.

Respondeo: argumentum soluentium esse, si lo- 260
quamur de numeris finitis sit: collectio omnium numerorum finitorum summam habet propinquitatem cum multitudine infinita. sed hanc propinquitatem nō habet sumpta secundum omnes species numerorum; ergo secundum vnam, quae erit maxima finitorum. concessa ergo maiore distinguenda est minor: summam propinquitatem cum Deo non habet collectio creaturarum sumpta secundum omnes species distributiuè cōcedo: non habet sumpta secundum omnes collectiuè, nego minorem, & consequentiam. quamuis enim inter collectionem omnium creaturarum, & Deum reperiatur infinita distantia, ratione perfectionis diuinae incommunicabilis ipsis creaturis: est tamen summa propinquitas ratione perfectionis diuinae communicabilis, eo quod nulla possibilis est creatura extra dictam collectionem, quae possit nobiliorem perfectionem participare, cum quo tamen stat, quod in dicta collectione nulla sit assignabilis creatura, ita Deo propinqua, vt non possint in infinitum assignari aliae, & aliae, illa propinquiores.

Instabis: sumamus vnam aliquam determina- 261
tam creaturam in hac collectione contentā V.G. equum; tum sic. Deus in hoc instanti videt omnes species gradatim excedentes hāc creaturam; ergo iam cognoscit illam, quae ita excedit alias, vt à nulla alia excedatur.

Respondeo, negando consequentiam: ratio est 262
quia Deus non aliter videt in instanti hoc res, quam sint in se. cum ergo creaturae gradatim excedentes equum ita se habeant, vt nulla sit, quae non habeat aliam, & aliam viciniorem Deo in infinitum: hinc fit, vt licet Deus in hoc instanti omnes videat: nullam tamen videat, quae ita excedat aliquas, vt ab alijs non excedatur.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMATERTIA

DE LOCO.

1 NON solùm ex occasione motus agimus hic de loco, quatenus motus sit in loco, sed quia esse in loco est vna ex præcipuis affectionibus corporis naturalis. videmus enim omnia corpora in vniuerso certum, ac determinatum sibi vendicare locum. verùm Locus duplex: alius physicus, alius metaphysicus. Physicus, qui ab alijs appellatur locus extrinsecus est quid reale positiuum, ad quod per se loquendo inclinant corpora locata. Methaphysicus verò, qui ab alijs dicitur locus intrinsecus, est spatium illum determinatum, quod occupatur à locato, quodque est quid negatiuum siue reale, siue fictitium, vndique diffusum, in quo loco dicimus esse vltimam sphæram. quamuis autem locus physicus methaphysicum saltem in obliquo importet: non tamen è contrà, vt ex dicendis constabit. Porrò nos hic de loco physico propriè agimus, consequenter verò de methaphysico.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Locus.

2 TRia sunt in hac controuersia antiquorum placita. Primum est eorum, qui essentiam loci in aliquo intrinseco rei locatæ cõstituerunt; siue demum hoc aliquid esset materia, siue forma; & hæc vel substantialis, vel accidentalis. Secundum dicentium locum esse spatium seu interuallũ, quod à corpore locato occupatur, quod quidem interuallum quidam volebant esse quid positiuum, quidam verò alij quid negatiuum cum spatijs imaginarijs identificatum. Tertium denique est Arist. volentis locum esse superficiem non quidem extimam, seu conuexam, sed intimam, & concauam illius corporis, quod corpus aliquod, videlicet locatum, in se immobiliter continet; quibus prænotatis, sit.

3 Prima Conclusio: locus non potest esse aliqua res intrinseca corpori locato, siue demum huiusmodi res sit materia prima, vti censebat Plato, siue forma aliqua substantialis, aut accidentalis, vt alij.

4 Probatur, quia locus debet à corpore abeunte relinqui, & à corpore succedente acquiri; instar vasis, quod quia successiuè liquores in se recipere debet, non potest intrinsecè ad eorum constitutionem pertinere.

Confir. quia materia, & forma substantialis sunt de essentia rei locatæ: atqui res locata, quoties mouetur, mutat quidem locum, non autem essentiam suam: formæ verò accidentales intrinsecè inhærentes licet ad essentialem illius constitutionem non pertineant: in ipsis tamen ratio loci consistere non potest, secus daretur naturaliter transmigratio accidentis de subiecto in subiectum, quod absurdum esse in libris generationis declarabimus. si quidem supponimus in eodem loco plura corpora successiuè existere posse.

5 Secunda Conclusio: locus physicus non est spatiũ, seu interuallũ, quod à re locata occupatur

Probatur, quia spatium hoc, in quo loci essentia ponitur, vel est aliquid reale positiuum trinè dimensum, vt putabant antiqui Academici, contrà quos *Arist. 4 rex.* 8. vel aliquid negatiuũ, quod communiter dicitur spatium imaginarium in quo mundus hic situs est, quodque in infinitũ extra mundum protenditur, & intelligeretur in mundo ipso remanere vacuum, si corpus aliquod auferretur ab illo: sed neutrum dici potest; ergo &c. maior patet: minor verò quo ad priorem partem probatur sic: quia si spatium hoc est quid reale, vel substantia est, vel accidens: non substantia, quia hæc iam esset corporea, & per consequens trinè dimensa, vnde daretur corporum penetratio, posito, quod in tali spatio corpora naturalia reperirentur: neque accidens, quia vel poneretur esse sine subiecto, vel de vno subiecto in aliud transmigrare. Linquo iam quod hoc ens reale debuisset à Deo creari, & in spatio aliquo reponi. Probatur verò minor quo ad posteriorem partem, quia spatiũ imaginarium ex suppositione, quod detur, vel est negatio spatij realis, quæ per aduentum corporis locati omnino tollitur: & sic huiusmodi spatium non potest esse locus, quia locus per se uerat cum re locata: vel est quid negatiuum veluti subsistentiale, & inamouibile, & in eo essentiam loci physici consistere non posse sic probo: Locus physicus ille censendus est, ad quem corpora naturalia positiuè inclinant, & extra quem violenter detinentur; sed huiusmodi nõ potest esse spatium imaginarium; ergo maior patet ex cõmuni omnium sensu, qui locum physicum seu naturalem ignis V. G. concauum Lunæ, piscium verò aquam, lapidum autẽ terræ centrum, auium denique aerem propter dictam rationem esse putant. minor verò probatur, quia lapis V. G. quando tendit deorsum non intendit illam partem spatij imaginarij, quę deorsum est, primariò acquirere, sicuti neque ignis quando sursum ascendit; cuius rei ratio illa est, quia partes spatij imaginarij, quantum est de se, peculiarem aliquam allicientiam respectu corporum minimè habent, sed ad omnia recipienda

in-

Digitized by Google

indifferentes sunt. Dixi in spatijs imaginarijs, modo dentur in mundo, essentiã loci physici non consistere: puto enim in aliquo sensu ea appellari posse locum saltem per intellectum; & imaginationem nostram, in quantum à locato occupantur, atque replentur.

7 Tertia Conclusio: locus est superficies, seu vltimus terminus corporis continentis immobilis: ita Philosophus *lib. 4. text. 40.* & patet ex impugnatione aliarum sententiarum, & ex explicatione ipsa, quæ est huiusmodi.

8 Dicitur primò: Superficies, quia locatum, ad hoc vt sit in loco, debet ambiri à alio corpore, hunc autem ambitum non nisi superficiei corporis ambientis beneficio obtinere potest; & hinc est vt recte loci primariò quidem superficiei tribuatur, secundariò verò corpori, cuius illa est superficies. Dicitur secundò: Superficies corporis continentis, non autem superficies contenti, quia illa superficies, quæ est locus coexistit, & coincidit cũ superficie corporis locati; id autem quod continet aliud debet esse extra, ac circa ipsum contentum, & per consequens maius illo, quod propriè non competit nisi corpori, cuius superficies habet rationem loci: atque hæ duæ particulæ in tradita descriptione habent se loco generis, & explicant id, quod de materiali, siue etiam in recto competit loco; in quo ipse locus assimilatur vasi. Dicitur tertiò Immobilis, quæ particula explicat vltimam rationem constitutiuam loci, & distinctiuam illius à vase, & à quocunque alio, quod non est locus; hæc autem est immobilitas; locum enim in sola superficie corporis continentis non posse consistere, patet ex eo, quia potest aliquid retenta superficie continentis corporis mutare locum, vt cum piscis à rapido flumine transportatur; & è contrà permutata superficie corporis continentis in eodem loco perseuerare; vt cum turris flante vento persistit immobilis. ad hoc ergo vt superficies corporis continentis habeat rationem loci, debet aliquid aliud in obliquo, & tanquam essentiale connotatum importare; hoc autem est certa, & determinata distantia ad partes mundi fixas; nimirum ad centrum terræ, ad polos cæli &c. vnde eius immobilitas desumitur; & hinc est, vt etiam si piscis intra eandem fluminis superficiem transportetur: nihilominus censeatur mutare locum, secundum id quod locus dicit de formali; quia, nimirum dum rapitur, eãdem distantiam ad partes mundi fixas non potest retinere: contrà verò turris, flante vento, in eodem loco esse censeatur, quia, scilicet, etiam si alias atque alias aeris superficies mutet: eandem semper distantiam connotat ad partes fixas.

9 Atque ex his colliges, vt aliquod corpus sit in loco physico tria omnino necessaria esse. Primum est superficies alicuius corporis, corpus locatum continentis. Secundum est cauitas quædam, quæ dicta superficie circumscribatur, & occupetur à locato, ita vt vacua esset, si neque illo, neque alio corpore repleretur. & hæc communiter appellatur spatiũ imaginarium. Tertium denique est immobilitas dicta. Colliges etiam sex esse loci physici proprietates: Quarum prima est, vt locus rem locatam contineat, non quidem, vt quod (continens enim, vt quod, est corpus cuius est terminus) sed solùm vt quo, in quantum est illa superficies corporis locantis, quæ cum superficie locati compenetratur. Secunda vt locus non sit intrinsecus ipsi locato. Tertia, vt neque maior sit, neque minor locato, sed ei æqualis, æqualitate non dimensionis, quæ reperitur inter duo corpora mutuo congruentia secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, sed æqualitate solius continentiæ, quæ consistit in congruentia secundũ solã longitudinẽ, ac latitudinẽ, in quantum superficies continentis atq; cõtenti mutuo sibi correspondeant, & non se excedant. Quarta, vt locus possit à locato deseri. Quinta, vt habeat aliquam ex illis sex positionum differentijs, Sursum, Deorsum, Ante, Retro, Dextrum, Sinistrum; quæ omnes per se quidem, & ab intrinseco competunt animali; dum eius partes inter se comparantur: per quandam verò analogiam, & proportionem ad ipsum animal etiam alijs rebus. non negauerim tamen quod in vniuerso, secundum se totaliter accepto, dentur duæ positiones sursum, deorsum, ita vt sursum sit id quod magis appropinquat cælo, deorsum verò id quod magis appropinquat centro terræ. Sexta denique est, vt locus locatum conseruet, quod loco naturali, quatenus contradistincto à violento, competere debet. Vnde est, quod locus dicatur attrahere ad se locatum, non quidem per modum causæ efficientis, aliquid in locato ipso producendo; sed per modum termini, ac finis, tanquã id, ad quod locatum inclinat. Malè autem aliqui sentiunt numerando inter conditiones loci immobilitatem; siquidem hæc non est proprietas, sed eius essentialis differentia, seu potius tota ratio formalis, vt constat ex dictis.

SECTIO SECVNDA

Affruuntur, & soluuntur Obiectiones.

HVc vsque diximus locum physicum duo importare. vnum de materiali, & hoc esse superficiem corporis continentis: alterum verò de formali, & hoc esse immobilitatem. Cõtrà id quod de materiali importat.

Obijcies primò: Arist. *in prædicam. cap. de quanto* enumerat locum inter species quantitatis distinctas à superficie: ergo locus non est superficies. Respondeo Philosophum ibi nomine loci intellexisse spatium illud reale, in quo antiqui essentiam loci positam esse ducebant. neque hoc mirum videri debet, non dum enim propriã de loco sententiam docuerat, quod præstitit in physicis. 10

Obijcies secundò: si mundus versus Orientem à Deo propelleretur, mutaret vtique locum; nullam tamen acquireret superficiem, sed solùm diuersis spatijs imaginarijs coexisteret; ergo locus non est superficies. Respondeo, quod sicuti in tali casu motus ille mundi non esset dicendus verè, & propriè localis, ita mundus ipse per illum non mutaret locum physicum actu, sed solùm potentia, in quantum si extra cælum, corpus aliquod 11

Digitized by Google

quod fluidum ipsum continens creatum fuisset, in diuersa parte talis corporis, mũdus per motũ illũ reperiretur.

12 Obijcies tertiò: Annichilet Deus Cælum Lunæ, vtique ignis remanebit in eodem loco, in quo prius erat; sed in hoc casu ignis non erit in superficie alicuius corporis continentis; ergo. Respõdeo, distinguendo maiorẽ: ignis remanebit in eodẽ loco, potẽtia, in quo prius erat, cõcedo: remanebit actu, nego; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam. ad essendum in eodẽ loco physico potentia sufficit, si dicat eandem distantiã ad partes mundi fixas, quã antea habebat, & exigat superficie alicuius corporis contineri.

13 Obijcies quartò: nauis, quæ est partim in aqua: partim verò in aere, est in duplici superficie, sed non est in duplici loco; ergo locus non est superficies. Respondeo, quod nauis sicuti secundum diuersas partes in duplici superficie reperitur, ita & secundum diuersas partes in tali casu est in duplici loco partiali: cæterum sicuti ex aere, & aqua fit vnum in ratione continentis nauem, ita ex eorum superficiebus resultat vnum in ratione loci adæquati.

14 Obijcies quintò: locus non est in loco; ergo non datur. antecedens probatur, quia sic daretur processus in infinitum: consequentia verò patet, nam si datur; quidquid est, alicubi debet esse. Respondeo primò: concesso antecedente, negando consequentiam. ad cuius probationem dico axioma illud debere verificari de corporibus naturalibus, non autem de eorum terminis, cuiusmodi est locus. his enim sufficit, si sint in illis tanquam in suis terminatis. Respondeo secundò, distinguendo antecedens: locus non est in loco, per se, concedo: per accidens nego antecedens, & consequentiam. locus enim ratione corporis, cuius est superficies, dici potest, quod in loco sit: neque dicas, quod sicuti superficies potest esse locus per se, ita etiam esse possit per se locata: ne id dicas, inquam, nam ratio essendi in loco primo, & per se competit corpori locato, quod propriè ambitur, & continetur à locante per locum.

15 Obijcies sextò: flante vento mutatur superficies corporis continentis turrim, & tamen turris locum non mutat; ergo. Respondeo, distinguendo secundam antecedentis partem: & tamẽ turris locum non mutat secundum id, quod locus dicit de materiali, nego; secundum id, quod dicit de formali, concesso antecedente, nego cõsequentiam. Atque hæc contrà rationem materialem loci. contrà verò formalem.

16 Obijcies septimò: non potest explicari quid sit ista determinata distantia ad partes mundi fixas, quam locus connotat de formali, & in ordine ad quam eius immobilitas desumitur. neque asferri potest ratio, cur potius illam dicat ad partes fixas, quam ad mobiles mundi; ergo &c.

Respondeo, negando antecedens, quo ad vtrãque partem; & ad primam dico, aliquos nomine distantiæ intelligere spatium illud imaginarium, seu intercapedinem, quæ inter locum, & partes mundi fixas intercedit, quam putant connotari ab illa superficie, quæ habet rationẽ loci, inobliquo: nullum enim absurdum esse dicunt, quod aliquid reale, cuiusmodi est locus, completur per connotationem alicuius entis negatiui, sicuti de facto completur ratio vnius &c. Alios verò nomine distantiæ intelligere positiuum aliquod corpus, vnde dicunt, quod ideò distantia, quæ inter Cæsarem V. G. & Titium intercedit, dicitur esse decem, vel viginti vulnarum, quia nimirum corpus, quod inter illos intercipitur sit ibi decem, aut viginti vulnarum. vtraque sententia est probabilis, posito præsertim quod intercapedo illa negatiua adhuc reperiatur in mundo nullo intellectu cogitante; Sed in hoc differunt duæ istæ sententiæ, quod prior optimè saluat quo pacto flante vento turris sit in eodem loco formaliter sumpto, accepta hac identitate secundùm omnem philosophicum rigorem: in quantum eadem numero intercapedo inter illam, & partes mundi fixas reperitur: at posterior hoc saluare non potest: sed solùm dicit, quod flante vento turris illa sit in eodẽ loco formaliter solũ, hoc est per equiualẽtiã, sicuti equus grãdis factus dicitur idem, qui erat parvulus. Iuxtà hanc ergo posteriorem sententiam, si loquamur in omni rigore philosophico, in quo ne Aristoteles quidẽ, quãdo de loco egit, loquutus est: turris flante vento neque formaliter, neque materialiter est in eodẽ numero loco, quandoquidem mutat, in tali casu, tum superficiem continentem, tum realem, & positiuam distantiam non quidem actiuè, sed passiuè. sed si iuxta communem sensum philosophicum loqui volumus, dicendum erit eam esse in eodem loco; quia corpus, quod inter ipsam, & partes mundi fixas de nouo intercipitur est eiusdem rationis cum præcedenti, in quantum inæquali distantia à partibus fixis illam constituit.

17 Quantum verò attinet ad posteriorem antecedentis partem, dico quod ideò per ordinem ad partes mundi fixas, non autem mobiles, immobilitas loci desumi debet: quia aliter sequeretur, quod locatum inuariata remanente superficie in qua est, & ipso immobili perseuerante: nihilominus mutaret locum, ad motum partium mundi, quæ mouerentur. præterea posito, quod idem mobile cum eadem velocitate, qua mouentur partes illæ se moueret: permaneret in eodem loco formaliter, eo quod eandem distantiam ad illas connotaret, quod vtrumque absurdum esse, euidens est. nihil autem horum sequitur dum immobilitas per ordinem ad partes mundi fixas desumitur.

18 Obijcies octauò: Dum mouetur sol per circulum, quem æquatorem appellant: semper seruat eandem distantiam à centro, & à polis mundi, & tamen mutat locum formaliter; ergo identitas loci non potest sumi ex eo, quod retineatur eadem distantia ad partes mundi fixas. Respondeo primò cum illis, qui volunt connotatum essentiale loci esse distantiam negatiuam: distinguendo antecedens: sol semper seruat eandem distantiam à centro, & à polis mundi: scilicet, æqualem concedo: eandem, scilicet, ita vt per eãdem numero viam, & per eandem partem spatij distet à polis, & à centro mundi; nego antecedens & consequentiam. Respondeo secundò iuxta alios, distinguendo alio modo antecedens; semper seruat eandem distantiam à centro, & à polis

mun-

Digitized by Google

mundi ita vt variet distantiam, quam dicit ab aliis partibus mundi fixis V. G. ab hoc, vel ab illo monte, ab hoc, vel illo rego, & concedo ita vt retineat eadem distantiam etiam ab hisce partibus, nego antecedens, & consequentiam. Immobilitas enim loci sumi debet non solùm per ordinem ad centrum, & polos mundi, sed etiam per ordinem ad partes alias immotas eiusdem mundi.

19 Instabis primò: moueat Deus fixas omnes mundi partes, & immobilem relinquat aliquam turrim; in tali casu turris hæc perseueraret in eodem loco; & tamen non connotaret eandem distantiam ad partes mundi fixas, quam antea connotabat; ergo falsum est, quod res locata quando non seruat eandem distantiam ad partes mundi fixas, non sit in eodem loco.

Respondeo: negando, quod in tali casu turris illa in eodem loco physico remaneret, mutaret enim locum saltem respectiuè ad vniuersum; non quidem actiuè per motum proprium, sed passiuè, ad motum, scilicet, alterius, quod miraculosè fieri non repugnat; cum quo tamen stat posse concedi eam non mutare locum non solùm mechaphysicum, vt de se patet, sed neque physicum; cuius rei ratio posset esse, quia immobilitas loci desumenda est à partibus mũdi fixis, posito quod dentur defacto huiusmodi partes; quod si non dantur, debent aliquæ aliæ in spatijs imaginarijs desumi, quæ omninò concipiantur immotæ, ad quas turris illa eandem omninò distantiam proculdubio diceret, quando partes mundi fixæ supponerentur moueri.

20 Instabis secundò: si totus mundus vna cum turri Orientem versus propelleretur, ex vna parte huiusmodi turris localiter moueretur: ex alia verò non mutaret locum; si quidem eandem distantiam ad partes mundi fixas retineret. ratio ergo formalis loci non benè sumitur per connotationem ad partes fixas. Respondeo primò: quod sicuti in tali casu mundus mutaret locum solùm potentia, ita etiam turris illa, quæ, posito quod moueatur vna cum toto mundo, comparatur ad illum, tanquam ad vas quoddam mobile, & non ad locum. Respondeo secundò: in eo casu turrim mutare locum in quantum nõ eadem via, nec per eandem intercapedinem connotaret distantiam illam ad partes mundi, qua via, & per quam intercapedinem connotabat dictam distantiam antecedenter ad motum. adde eam etiam habere diuersam distantiam à punctis imaginarijs fixis spatij, vti notauimus.

21 Obijcies nonò: moueatur nauis ab Oriente, in Occidentem; & cum æquali velocitate in ipsa naui moueatur homo ab Occidente in Orientem, in tali casu talis homo per motum localem mutaret alium, atque alium locum; & tamen seruaret eandem semper distantiam ad partes mundi fixas; ergo falsum est, quod mutetur locus tunc solùm, quando variatur distantia ab ijsdem partibus. Respondeo, negando huiusmodi hominem in casu posito alium, atque alium locum acquirere, sed dico eum semper in eodem loco formaliter perseuerare. neque mirum id videri debet, cum neque illa operatio seu motus pedum habeat veram rationem motus localis, ex eo quia per illam nullus locus de nouo acquiratur in mundo.

22 Obijcies decimò: vas constituit corpus illud, quod in se continet in aliqua determinata mundi parte cum connotatione tantæ, vel tantæ distantiæ ad partes mundi fixas; ergo vas habet veram essentiam adæquatè loci. Respondeo: diuerso modo vas constituere contentum corpus in aliqua determinata mundi parte, ac constituat locus; quia vas ita illud constituit, vt sit natura sua institutum ad ipsum corpus, quod continet, transferendum per se de vno loco in alium: contrà verò locus non est ad hoc comparatus, sed solùm, vt locatum in aliqua determinata mundi parte constituat. Vas ergo si consideretur, vt vas, non per se, sed per accidens habet constituere corpus contentum, ita vt dicat determinatam distantiam à partibus fixis: at locus vt locus est, hoc per se sibi vendicat.

23 Obijcies vndecimò: Aristoteles *lib. 4. physic. tex. 32.* verba faciens de vltima sphæra ait: Propter hoc maximè in loco putamus esse, quia semper est in motu. sed vltima sphæra neque ambitur superficie corporis continentis, neque immobiliter existit; ergo falsa tota definitio motus. Respondeo Philosophum citato loco loquutum esse iuxta modum, quo vulgares homines loqui solent. Quare Vicomercatus ex tex. Græco aduertit dictionem, maximè, nõ esse coniungendam cum dictione, esse. Sed potius cum dictione, putamus. cæterum vltima sphæra non est in loco physico, quia non ambitur alio corpore; & quamuis per Aristotelem semper circumuoluatur: mouetur tamen motu locali improprio, & minus rigorosè sumpto; siquidem ad motum localem proprium, & rigorosum pertinet transferre subiectum secundum se totum de vno loco in alium, cuiusmodi non est motus circularis, quo mobile mouetur solùm secundum partes. vnde Philosophus agens de ijs, quæ circa centrũ mundi mouentur; dixit, ea in se ipsis, & in eodem loco, in quo sunt solùm moueri: ex quo deducitur, quod si vltima sphæra circulariter moueretur, solùm singulæ eius partes mutarent locum, in quantum non seruarent eandem distantiam à punctis fixis, seu partibus spatij imaginarij: contra verò ipsa secundum se tota illam seruaret.

SECTIO TERTIA

An detur vbi intrinsecum à loco, & locato distinctum.

24 FOrmalis ratio, quare locatum sit in hoc loco potius, quam in alio, est sine dubio ipsa præsentia, qua locatum ipsum, denominatur formaliter præsens huic loco, & non alteri. hæc autem præsentia dupliciter sumi patet. Primò respectiuè prout posita est in quadam relatione siue reali, siue rationis, quæ inter locum, & locatum intercedit: Secundò absolutè pro ratione fundandi, seu proximo fundamento dictæ relatio-

Digitized by Google

tionis: cuius beneficio habet locatum, vt in eo consurgat relatio ad locum. De præsentia autem hoc secundo modo sumpta, dubitamus quid sit: multi enim existimant esse modum quendam realem ex natura rei, seu nemine cogitante, à loco, & locato distinctum, per quem locatum, quod de se erat indifferens ad essendum potius hic, quã alibi, formaliter; & intrinsecè determinatur ad vnum locum, & ab illa indifferentia remouetur. vnde illum appellant communiter, vbi intrinsecum, ad differentiam vbi extrinseci, de quo hactenus loquuti sumus. in hac sententia est Suarez *disp. 51. sect. 1. num. 17.* Vasquez 1. *par. disput. 188. cap. 7.* Pereryus *lib. 13. cap. 9.* Hurtadus *disp. 14. physicæ sect. 2.* Auersa, Arriaga, & alij quos sequitur Giattinus *quæst. 12. artic. 2.* Quiros *in suo cursu disp. 64. sect. 2.* & quamplures alij.

25 Contrà verò alij volunt consistere in ipsa entitate rei locatæ, & entitate loci, prout se inuicem connotant indistantes. ita sine dubio Sanctus Thomas *secundo contra gentes cap. 13. & qu. 6. de potentia art. 6. & 1. parte quæst. 110. art. 3. & 3. physic. lect. 5. & 5. met. l. 9.* & sæpè alibi cui cõcinũt ferè omnes antiqui Peripatetici cum Thomistis, & Gregorio *in 2. dist. prima quæst. 4. art. 1.* & suis Nominalibus. in eadem sententia ex nostris est P. Fonseca. *5. met. cap. 15. qu. 3.* Coninch. *de sacram. quæst. 13. art. 4. dub. 1.* Prępositus *prima parte quæst. 52. dub. 1. & 2.* Fasolus 1. *par. quæst. 10. articulo primo nu. 24.* & alij, cum quibus sit.

26 Nostra vnica conclusio: Nõ datur vbi intrinsecum, qui sit modus, seu res, vt putat Arriaga *disput. 13. sect. 10.* à loco, & locato distinctus, sed quodlibet corpus constituitur hic, & non alibi per entitatem suam in hoc potius loco, quam in alio existentem.

27 Probatur primò: ex Aristotele, qui non solùm de huiusmodi vbi intrinseco distincto nullam prorsus mentionem fecit, cum tamen ei sæpius oblata esset occasio, præsertim vbi ex profecto egit de loco, eosque confutauit, qui in aliqua entitate intrinseca locato, loci essentiam positam esse dicebant; sed etiam illud expræsè negauit, quod ptæstitit hic *tex. 104.* vbi ait, quod Sophystæ accipiunt diuersè Coriscum in Lycæo esse, & Coriscum in foro; & hoc ex eo quia alibi, & alibi est. Cũ igitur aduersarij dicant, quod locatum ex eo, quod alibi sit, acquirat diuersum vbi intrinsecum: volunt consequenter Coriscum in Lycæo, & in foro esse diuersum, quod per Arist. est Sophystarum more discurrere: Item 1. *met. tex. 59.* docet: Mobile minus mutari per motum localẽ, quã per cæteros motus: quia scilicet per illos acquirit aliquod accidens sibi intrinsecum, per motum verò localem, non nisi locum extrinsecum.

28 Neque dicas cum Suarez mobile per motum localem non dici ab Aristot. diuersificari, neque moueri intrinsecè, eo quod vbi intrinsecũ, quod per motum acquirit, solùm modaliter, & non tãquam res à re ab eo distinguitur; Ne id dicas in quam; quia, vt communiter docent Doctores, Philosophus omnia accidentia non nisi modaliter distincta esse à suo subiecto existimauit; non enim ille imbutus erat doctrinis, quas ex venerabili Eucharistia hausimus; quare neque intrinsecè mobile per alterationem aut per augmentationem diuersificari existimare debuisset; vnde est quod P. Vasquez quamuis sit in sententia opposita, loco citato, dicat Aristotelem cum, Diuo Thoma valde probabile esse huiusmodi vbi intrinseca distincta negasse. Idem colligitur ex 3. *phys. tex. 6. & 5.* vbi docemur, quod motus localis est ad locum tanquam ad terminum, sicuti augmentatio est ad quantitatem, & alteratio ad qualitatem, sed huiusmodi motus non alios agnoscunt terminos per eos acquisitos, præter dictos; ergo neque per motum localem mobile acquirit alium terminum, præter locum.

Probatur secundò: Nulla est necessitas multiplicãdi hæc vbi intrinseca distincta. omnia enim benè saluari possunt per entitatem loci, & locati, cum connotatione indistantiæ applicationis, &c. igitur vbi intrinsecum distinctum non est admittendum. Antecedens probatur: quia potissima ratio, cur Aduersarij inuexerunt hoc vbi distinctum, est indifferentia, quam habet locatũ ad essendum in hoc potius loco extrinseco, quã in alio, vt patet ex Arriaga, Quiros, & alijs cõmuniter; sed ad tollendam huiusmodi indifferẽtiam, non est hoc vbi necessarium; ergo &c. maior patebit ex eorum argumentis. minor probatur dupliciter; & prior quidem probatio sic procedit. Etiam res creata indifferens est ad hoc vt sit præsens huic potius tempori, quam alteri: & tamen per maiorem partem Aduersariorum huiusmodi indifferentia non tollitur per modum distinctum, sed dicunt: quod ideò res hæc creata huic determinato tempori, & non alij præsens est, quia causa applicatur ad operandum hoc potius tempore, quam alio; ergo neque necessarium est vbi distinctum ad tollendam indifferentiam loci, cum possimus æque benè recurrere ad causam applicantem. 29

Neque dicas rem creatam determinari sufficienter ad essendum præsentem huic potius tempori à propria, & à temporis existentia (his enim positis necessariò ratio præsentiæ in vtrisque consurgit) contrà verò, etiam si locus, & locatum existant, posse ea non esse præsentia. Ne id dicas, inquam, quia potest etiam haberi existentia, tum temporis, tum rei creatæ, & non haberi præsentia, vt si elapsa hora res creata incipiat existere, certum est, quod non erit illi horæ præsens. Quod si addas vtriusque existentiam debere esse simul, & correspondere eidem tempori imaginatio: Prætet quam quod idem dici patet de existentia loci, & rei locatæ, quatenus eidem spatio imaginario indiuisibili secundum suas superficies, in quibus se penetrant, in mea sententia correspõdere etiam debent, & sic simul quoad locum accipi, sicuti accipiuntur à te simul quoad tempus: Vrgeris, quia vel assignas pro ratione id, quod est in quæstione, (quærenti enim cur res creata sit præsens huic tempori, & non alteri? respondes, quia existit simul cum illo) vel quæstionem non soluis, sed illam transfers in alios terminos, quatenus adhuc explicandum remanet cur res creata cum ex se sit indifferens ad existendum hoc, ve illo tempore; defacto hoc determinato tempore existit? 30

Neque iterum dicas tempus esse fluidum, atq; 31

adeò

Digitized by Google

adeò sine mutatione rei, quæ est in tempore, posse tolli eius indifferentiam? at verò spatium esse permanens, & ideò sine mutatione mobilis non posse acquiri. Nec dicas, inquam, tum quia fuit ditas temporis vt sic non potest esse adæquata ratio cur Cæsar V. G. in hoc potius, quam in alio instanti producatur: tum etiam, quia sicuti sufficit successiua temporis mutatio ad tollendã indifferentiam rei temporaneæ. ita ad tollendam indifferentiam, quam habet mobile ad existendum in hoc vel illo spatio, sufficit eiusdem mutatio, vel de non esse ad esse, vel de vno loco in alium; ergo par ratio in vtrisque.

32 Posterior verò probatio illius minoris, in qua necessitas vbicationis ad tollendam indifferentiã negabatur, procedit sic: In priori naturæ ad productionem huius potius, quam alterius præsentiæ, debet intelligi ex parte rei creatæ aliqua determinatio ad hanc potius, quam aliam præsentiam exigendam; sed hæc determinatio habetur sine entitate, aut modo superaddito, alias confici posset argumentum de hac secunda entitate, vel modo superaddito, & postea de tertia, & sic in infinitum procederemus; ergo ad tollendam illam indifferentiam non est necessaria entitas, vel modus superadditus. Neque dicas in eo priori intelligi iam ipsam præsentiam ex natura rei distinctam: Quia si intelligitur, vel intelligitur esse pro illo priori, vel pro posteriori sequente, quatenus est prioritas à quo, & non in quo. non primum, quia in priori naturæ ad productionem effectus ea solùm concipi debent existere, quæ constituunt vim causatiuam causæ productiuæ; implicat autem, quod ipse effectus sit constitutiuus suæ causæ productiuæ; ergo &c. neque secũdum, tum quia considerata res creata in eo priori secundum ea, quæ illi conueniunt pro eo priori, debet esse determinata ad vnam potius præsẽtiam, quam aliam habendam; alioqui si ex ipsa præsentia determinaretur, non esset ratio cur in fine motus, quo mouetur intra huius aulę parietes, non posset naturaliter habere vbi Indicum, vel cæleste: tum etiã quia hoc determinatiuum in eo priori ad connotandum hoc determinatum vbi pro posteriori, non potest esse nisi connotatio motus antecedẽtis, & indistantiæ ab hoc spatio. sed hæc sufficiunt ad constituendam rem creatam præsẽtem huic loco; ergo sine vbi superaddito res creata potest fieri formaliter præsens alicui loco.

33 Confirmatur, quia duplicem præsentiam ad locum considerare possumus: successiuam, & permanentem. Conuenimus autem cum Aduersarijs præsentiam successiuam ad locum importare modum quendam substantiæ mobilis superadditum, qui est motus localis, cuius beneficio mobile successiuè spatio diuisibili coexistit; dubium autem est de præsentia permanente, quam nihil distinctum formaliter importare euincitur ex eo, quia si mobile aliquod per præsentiam successiuam à puncto A. deferatur ad punctum B. hoc ipso, quod intelligitur carere vlteriore præsentia successiua, circumscripto quocunque alio de nouo producto, sufficienter intelligitur esse præsens puncto B. ergo corpus non fit præsens alicui loco formaliter per aliquam entitatem de nouo productam, sed per solam substantiam cum connotatione indistantiæ à dicto loco.

P. Giattinus *in obiectione secunda* proponit sibi 34
dictum argumentum sub hac forma: si intelligamus Petrum, motum antecedentem, & negationem cuiuscunque vbi supernaturalis, ac motus consequentis, implicat Petrum nõ esse in tali loco; ergo per hæc sufficienter Petrus existit in hoc loco, & non per modum superaddicum. Et respondet distinguendo consequens: per illa existit sufficiter, concedo; formaliter nego. positis enim illis, datur, inquit, adæquata causa necessaria, vt ponatur modus, per quem Petrus sit hic; non autẽ formaliter per illa sine modo ponitur; additque esse malum modum arguendi ex sola positione causæ necessariæ negare dari effectum.

Verum contrà hanc responsionem facit, quia, 35
vel illa omnia habent rationem causæ efficientis ad ponendum Petrum in tali loco, vel rationem causæ formalis. non primum, quia non implicaret contradictionem, habitis illis omnibus, non esse Petrum in tali loco. quia inter illa omnia non includitur decretum Dei de concurrendo: atqui non implicare auctor negare videtur, dum admittit antecedens, quod implicet. & rectè: non enim est intelligibile dari illa omnia, & non dari Petrum in illo loco. quod si quis putaret cum illis omnibus sine vbicatione superaddita Petrũ fore nusquam: inter ea enumeret absessum negationis sui in illo spatio, vel eam solùm ponat pro connotato supra entitatem loci, atque locati, modo infrà explicando, & sentiet proculdubio nobiscum. quod, scilicet, nè per absolutam quidem Dei potentiam dari possit entitas Petri cum illis connotatis absque eo, quod Petrus sit in tali loco; non igitur dici potest primum. sin autem dicatur secundum, quod nimirum, illa omnia habeant rationem causæ formalis, iam habeo intentum, nimirum, quod illa assignata sint determinatiuum formale, cur Petrus sit in tali loco, & non requiratur modus distinctus; ergo &c.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur obiecta in contrarium.

OBijcies igitur primò: implicat esse in subiecto aliquam actionem sine termino intrinseco à se distincto; sed motus localis, qui est in corpore, est actio quædam, & sæpè est exercitium potentiæ motiuæ illius; aliquem igitur terminum corpori intrinsecum à se distinctum habere debet. sed hic terminus nequit esse, nisi vbi distinctum; ergo &c. Respondeo, distinguendo maiorem: & si quidem sermo sit de actione prædicamentali, concedo; de grammaticali nego; & ad minorem dico: actionem, qua mouetur corpus ad locum, non esse institutam ad producendum aliquid, sed potius ad vnum cum alio coniungendum, corpus, scilicet, cum loco; vnde non est necesse, vt sit prædicamentalis, habeatque terminum à se distinctum productum in corpore. Quod adeò verum est, vt meliores ex Aduersarijs censeant, vbi intrinsecum non esse

esse terminum intrinsecum motus localis, sed per aliam actionem distinctam produci debere. Eadem responsio adhibenda est, si argumentum transferatur ad motum ipsum localem quatenus motus est. cum enim hic sit motus grammaticalis, hoc est non productiuus, sed loci acquisitiuus, sufficit illi, quod essentialiter habeat transferre locatum ex vno spatio in aliud, siue reale, siue imaginarium. Propter quod neque est necesse vt ex motu locali corporis resultet terminus positiuus successiuè productus, qui in quiete remaneat.

37 Instabis ex Giat. quæst. 5. a. mobile, vt actu moueatur de loco ad locum requirit aliquod intrinsecum à se distinctum nimirum motum localem; ergo etiam aliquid requirere debet, vt actu sit in termino dicti motus; hoc autem erit vbi modus. Respondeo, negando consequentiam. disparitas autem est, quia in motu mobile occupat spatium maius se, ratione temporis, in quo mouetur, quod facit vt semper sit in alijs, atque alijs partibus loci; quod mobile non nisi per aliquid à se distinctum præstare potest. at siti quiete occupat solùm spatium æquale sibi, ad quod præstandum non indiget alio à se distincto, quia hoc per se ipsum exequi potest. Vbi nota motum localem non esse rationem formalem essendi in loco, in quo est successiuè, sed solius successiuitatis, seu translationis ex vno in alium locum, quia etiam successiuè mobile constituitur in loco per suam entitatem, vt indistantem à loco, connotando tamen motum, vt dantem illi successionem. Per quod patet responsio ad fundamentum quo Quiros, & probat. vbi distinctum, quia nimirum motu locati sumus præsentes loco, hoc enim falsum est, si cui etiam id, quod addit; hoc est, quando quiescit mobile, durare motum localem non sub denominatione motus, sed actionis. quasi verò instans motus localis non sit essentialiter fluens, & inconseruabile.

38 Obijcies secundò: dantur in mobili fundamentum propinquitatis, & distantiæ ab aliquo corpore. sed hoc nequit esse motus localis; quia quando primò creata sunt corpora, habuerunt fundamentum propinquitatis ad locum, in quo fuere creata: neque potest esse eius creatio, vel entitas ipsius, quia hæc semper sunt eadem, siue in hoc, siue in alio loco mobile existat: ergo haberetur in mobili aliqua forma accidentalis, quæ sit fundamentum propinquitatis ad vnum locum, & distantiæ ab alio. sed hæc est vbi; ergo &c. Respondeo: propinquitatem, & distantiam formaliter sumi posse dupliciter: Respectiuè, & Absolutè. fundamentum respectiuum est ipsa locatio mobilis in tali loco, eo quod respectus locati ad locum resurgit ex eo, quod locatum est in tali loco. fundamentum verò propinquitatis, & distantiæ absolutæ, vel est motus localis mobilis, vel libera Dei voluntas creandi illud in hoc potius, quam in alio loco: quamuis igitur mobile retineat eandem entitatem inuariatam quoad intrinseca, potest respicere, modo vnum modo alium locum determinatum, sicuti retenta etiam eadem entitate quoad intrinseca inuariata, potest respicere hoc determinatum tempus vt præsens, quod potest, vt futurum, si antea à Deo creatum fuisset.

Obijcies tertiò: Aduersariorum Achillem; 39 mobile est indifferens, vt sit potius huic loco præsens, quam alteri: ergo debet per aliquid determinari; non nisi per modum distinctum, quod sit vbi. siquidem quidquid aliud assignatur insufficiens est ad huiusmodi determinationem afferendam; ergo &c. Respondeo: concesso enthymemate, negando subsumptum; ad cuius probationem dico: mobile efficienter quidem determinari ad hunc potius locum ab applicatione suæ substantiæ ad talem locum: formaliter verò ab ipsa substantia, quatenus dicit applicationem præhabitam inuariatam, vel etiam indistantiam. Porrò applicatio substantiæ, vel fit per productionem substantialem illius, vel per adductionem de loco ad locum. Vtro autem ex his modis fiat, semper est sufficiens ad reddendum mobile efficienter præsens tali loco. Hac eadem responsione vtuntur Aduersarij, si ex eis quæras cur, cum mobile sit indifferens ad sibi producendum hoc potius vbi intrinsecum, quam aliud, de facto tamen hoc sibi producit? respondent enim, quia hoc exigit eo ipso, quod vel Deus vult illud in hoc loco producere, vel ipsum à suo motu hic relictum fuit.

Instabis primò: applicatio mobilis ad hunc 40 potius locum, siue fiat per motum, siue per creationem est indifferens vt sit potius hic, quam alibi; ergo dicta applicatio erit insufficiens ad tollendam indifferentiam à mobili. consequentia patet; antecedens euincitur. quia, tum, hic numero motus: tum hæc numero actio creatiua, æquè benè possunt fieri hic, & alibi.

Respondeo: negando antecedens, quoad vtram- 41 que partem, & ad prioris partis probationem dici probabiliter potest pro modo cum Quiros; hûc numero motum localé esse essentialiter additum huic spatio, eo quod habet rationé valoris, & applicationis mobilis ad illud, & non ad aliud. Ad posteriorem verò aio, quod actio productiua, licèt secundum se considerata, æquè benè esse possit hic, & alibi: ad essendum tamen, potius hic determinatur ab ipsa causa efficienta, in quantum hæc est applicata ad operandum in hoc determinato spatio, & non in alio. Porrò ad huiusmodi applicationem habendam, si causa est libera, supposita sui præsentia, determinabitur à se ipsa, sin autem est necessaria, à sua limitata virtute necessaria, quæ positis ponendis, si non adsit impedimentum, debet necessariò agere ad tantâ, vel tantam distantiâ; & in hanc, & illam materiâ determinatè: idé cũ proportione dici potest de motu ipso locali; etiã si enim admittamus eum esse indifferentem ad hoc, vt fiat in hoc, vel illo spatio: ad essendum tamen potius in hoc determinatur à mobili, quod seipsum mouet, vel si ab alio mouetur, etiam ab illo alio; & ideò ad priorem antecedentis partem, dixi initio, pro modo sustineri posse motum localem, esse essentialiter additum spatio, in quo sit, quia ad nostram sententiam sustinendam hoc asserere non est necesse.

Instabis secundò: actio creatiua Dei non po- 42 test determinari à limitata præsentia ipsius Dei, quia Deus est vbique; neque à creatura, quæ per ipsum producitur, quia hæc est indifferens ad essen-

Digitized by Google

essendum hic, vel alibi; ergo determinari debet ab vbi intrinseco. Respondeo: maiorem aduersariorum partem sustinere per vnicum vbi omnia, quæ sunt in corpore vbificari. quare cum hoc vbi, non intelligatur existere, nisi in posteriori naturæ ad ipsum corpus creatum, debet ipsi etiã assignare à quo nam determinetur in eo priori actio creatiua, vt sit potius hic quam alibi. verũ quidquid sit de hoc: dico ego actionem creatiuam Dei ad hic potius quam alibi existendum, & creandum mobile, determinari à voluntate Dei applicante omnipotentiam suam inadæquatè prout, scilicet, huic determinato loco correspondet, quod igitur præstat in creaturis limitata virtus, per quam determinantur ad agendum solum vbi ipsæ præsentes sunt: præstat in Deo voluntas, quæ illimitationem immensitatis, atque omnipotentię in operando veluti restringit, atq; determinat ad hic, & nunc operandum.

43 Instabis tertiò: cuicunque voluntati Dei efficaci debet correspondere suus effectus ad extra; ergo & huic, qua vult vti omnipotentia sua inadæquatè prout huic loco correspondet, sed effectus hic non potest esse entitas creaturæ, quia hæc per aliam voluntatem volita fuit: neque loci, vt de se patet; ergo erit entitas vbi distincti.

44 Respondeo effectum correspondentem ad extra illi voluntati esse complexum reale ex loco, & locato; seu, quod idem est, effectum formalem, qui tribuitur à loco ipsi locato, qui quidem effectus formalis, seu realis collectio, præter entitatem loci, & entitatem rei productæ, importat discessum negationis eiusdem rei ab illo loco. Pro quo sciendum ante productionem alicuius corporis in aliquo spatio, siue reali, siue imaginario, in illo spatio reperiri carentiam illius corporis aptam tolli, efficienter quidem, per eiusdem corporis applicationem: formaliter verò per ipsammet entitatem corporis prout connotantem dictam applicationem. quãdo igitur corpus creatur hic, præter entitatem eius habetur discessus suæ carentiæ, quæ erat hic: ita tamen vt eiusdem carentiæ, quæ in alijs locis reperiuntur, remaneant à parte rei, donec per aliam applicationem mobile incipiat in illis locis existere. sicuti igitur quando creatur corpus hic, illa eadem carentia corporis, quæ erat hic intelligitur tolli in ratione carentiæ illius, vt sic, per entitatẽ corporis productam, vt sic: ita intelligitur tolli in ratione carentiæ corporis efficientis hoc spatium, per ipsam entitatem corporis, huic spatio per sui productionem applicatam. Hinc vlterius dici potest: corpus distare ab hoc spatio, præter entitatem corporis, & spatij, importare carẽtiam eius in dicto spatio existentem, atque adeò distantiam compleri per aliquod negatiuum: cõtrà verò corpus esse huic spatio indistãs, seu potius in illo existens, præter entitatem corporis, & spatij connotare dictum spatium eius priuatione spoliatum, quod est indistantiam compleri per aliquod positiuum. Per quæ facilè multa Aduersariorum quęsita soluuntur: Nam esse vnũ corpus compenetratum cum alio corpore est ita existere hoc & aliud corpus, vt ab eodem spatio excludãt carentiam sui. Vnum autem distare ab altero est, ea ita existere, vt non solùm in spatio, in quo existit vnum, sit alterius carentia, & è contrà: sed etiam immediatè post. Vnum denique corpus esse intermedium inter duo corpora est, ita existere corpus in spatio carente vtroque corpore, vt habeat extrema opposita compenetrata, seu contigua locis illorum corporum. Vt igitur vnde discessimus reuertamur. dico effectũ correspondentem voluntati Dei volentis producere corpus hic, esse conflatum ex corpore, & spatio, cum intima præsentia, quæ rectè explicaretur per hoc quod corpus absoluerit carẽtiam sui ab hoc spatio, & non ab alio.

Instabis: quando Cæsar non existit, falsum est, quod eius carentia sit vbique, est enim nullibi; ergo nulla responsio. Antecedens probatur, si esset vbique sequeretur, quod quando Cæsar existit hic, non tolleretur eius carentia, quæ existeret Romæ. Sed hoc implicat: nam simul existeret Cæsar, & eius carentia; ergo &c. 45

Respondeo: negando antecedens, ad cuius probationem, concessa sequela maioris, nego minorem, & ad eius probationem in contrarium dico, quod sicuti res, & eius negatio, vt contradictionem exerceant debent sumi in ordine ad idem tempus, ita & in ordine ad eundem locum. quare Cæsar existens Panormi, & eius negatio, existens Romæ non sunt contradictoria.

Obijcies quartò: mobile esse præsens huic loco, non est dari in mundo eius substantiam, & locum; ergo aliquid positiuum ab his distinctũ, ergo datur vbi distinctum. Respondeo: distinguendo antecedens, non est dari in mundo eius substantiam, & locum distributiuè, concedo: non est dari in mũdo eius substantiam, & locum collectiuè, nego antecedens; & sic distinguo primum consequens: ergo aliquid positiuum distinctum, ab his distributiuè sumptis concedo; collectiuè acceptis, nego primam, & secundam consequentiam. dico ergo quod mobile esse præsens huic loco non est dari in mundo mobile, & locum quomodocunque, sed realem collectionẽ vtriusque, quæ quidem realis collectio rectè explicatur per hoc, quod habeantur in mundo hæc duo connotata: applicatio mobilis ad hunc locum, & recessus carentiæ eiusdem mobilis à dicto loco. his enim habitis statim intelligitur resultare in mobili denominatio præsentis huic loco, quæ est realis, & de nouo proueniens. Sicuti igitur in sententia negantium inter materiam, & formam vnionem modaliter distinctam: Animum D. Petri esse vnitum corpori non est dari in mundo animam, & corpus distributiuè, sed collectiuè, connotando, scilicet, indistantiam cum dispositionibus &c. ita & in casu nostro. Vnde sic formari potest argumentum, quo superfluitas huius præsentiæ modaliter distinctę probatur: Si intelligamus corpus, & spatium existentia in mundo, ita vt corpus dicat suam applicationem causalem factam, vel per motum localem, vel per creationem ad hoc spatium, cum recessu suæ carentiæ à dicto spatio: habebimus corpus huic spatio præsens. sed ad hoc, non requiritur aliquis alius modus superadditus supra entitatem corporis, & spatij cum connotatione applicationis, & recessus carentię, quæ habebatur in spatio: ergo &c.

In-

Digitized by Google

47 Instabis: si verà esset tradita doctrina, sequeretur, quòd partes intrinsecæ præsentis corporis ad locum A. essent corpus, & locus A. tantum: sed hoc est absurdum; ergo &c. minor probatur, quia sicuti datur in mundo corpus, & locus A. ita datur corpus, & locus B. ergo sicuti corpus esset presens loco A. ita deberet esse presens loco B.

Respondeo, negando minorem; ad cuius probationem, distinguo antecedens: sicuti datur in mundo corpus, & locus A: ita datur in mundo idem corpus, & locus A. diuerso modo, concedo eodem, nego antecedens, & consequentiam. diuersitas consistit in eo, quod in loco A. non habetur carentia illius corporis, sicuti habetur in loco B. quod si quæris cur hic habetur, non verò ibi? Respondeo: quod si causam quæris efficientem, est applicatio: si verò formalem, entitas corporis, quæ vt dictam connotat applicationem, est sufficiens forma expulsiua suæ carentiæ à loco A. positus quam à loco B.

48 Instabis iterum: motus antecedens est necessarius ad existentiam præsentiæ: & non est necessarius ad existentiam; vel mobilis, vel loci; ergo mobile, & locus non sunt præsentia. Respondeo: distinguendo secundam partem antecedentis: non est necessarius ad existentiam mobilis, vel loci distributiuè sumptorum, concedo: collectiuè nego antecedens, & consequentiam, in sensu intento ab aduersarijs.

49 Instabis denique: mobile dũ recedit à termino à quo amittit aliquid, vel ergo hoc est quid positiuum, vel negatiuum. vtrumuis dicas, in termino ad quem aliquod positiuum illi oppositum acquirere debet. sed hoc est vbi modaliter distinctum; ergo &c. Respondeo mobile recedens à termino à quo deperdere formam positiuam illud afficientem, & constituentem in illo loco, & acquirere in termino ad quem aliam similem formam. nego tamen eam esse vbi intrinsecum aduersariorum, vt patet.

50 Obijcies quintò: esse hic, & non alibi, est denominatio intrinseca, sed ea non desumitur ab entitate rei locatæ; igitur ab vbi intrinsecò modaliter distincto: maior probatur: tum quia ad hoc vt res incipiat de nouo esse hic, debet intrinsecè mutari; hoc autem non esset necesse, si esse hic denominationem extrinsecam importaret: tum etiam quia si esset extrinseca denominatio, maximè desumeretur à superficie loci. sed sæpè, hac remanente, res locata dependit denominationem essendi hic, & è contrà; ergo &c. minor verò probatur etiam, quia remanente eadem rei entitate cum eisdem accidentibus, quæ prius habebat, incipit de nouo habere denominationẽ essendi hic, quam antea non habebat.

51 Respondeo, distinguendo maiorem: esse hic, & non alibi est denominatio intrinseca, connotatiua, concedo: absoluta, nego: & sic distinguo minorem: huiusmodi denominatio non desumitur à sola entitate rei locatæ, concedo minorem: non desumitur ab entitate rei locatæ, quatenus connotat hoc spatium priuatum negatione sui, nego minorem, & consequentiam. probatio autem minoris procedit solùm posito, quod dicta denominatio absolutè ab entitate rei locatæ desumeretur; ex quo sequitur admitti posse vbi intrinsecum; indistinctum tamen à locato, & à loco.

Obijcies sextò: si non daretur vbi distinctum daretur motus localis sine vllo termino, consequens est absurdum; ergo. sequela probatur posito, quod corpus aliquod in spatijs imaginarijs moueretur; ibi enim nullum realem locum acquireret. 52

Respondeo, negando sequelam; motus enim localis, licèt non habeat terminum, qui per illũ producatur, habet tamẽ terminum, qui per illum acquiritur, cuiusmodi est locus; ad probationem respondeo; motum qui fit in spatijs imaginarijs propriè nõ esse localem, & etiam si localis esset, dico per illum acquiri locum occupatũ, seu methaphysicum, cuiusmodi est spatium ipsum imaginarium; motui enim locali sufficit, si quantum est de se, sit adductiuus mobilis ad locum physicum, siue demum huiusmodi locus sit actu, siue potentia, neque hoc mirum videri debet; ipse enim non est productiuus sui termini, sicuti sunt cæteri motus, sed solum adductiuus subiecti ad ipsum terminum, vnde fit eum non habere tantã connexionem cum termino actuali, quantum reliqui motus exigunt.

Obijcies septimò: Angelus coexistit loco extenso per vbi distinctum; ergo, & corpora. 53

Respondeo, negando antecedens: Angelus enim vel per suam solam substantiam, vel per aliquem modum, quem locabilitatem appellant, loco diuisibili coexistit; quem quidem modum non esse vbi intrinsecum patet ex eo, quia hoc in sententia aduersariorum est essentialiter affixum huic loco determinato, & non alteri, at verò modus iste, quem ponimus in Angelis, est de se indifferens ad essendum in quolibet spatio, quod habeat eandem commensurabilitatem cum priori.

Obijcies octauò: quando Deus vult ponere vnum corpus in diuersis locis, necessariò id præstare debet producendo in eo vbi diuersa; ergo &c. Respondeo, negando antecedens: Id enim Deus efficit, vel reproducendo illud corpus, vel producendo in eo aliam atque aliam extensionem localem, per quam applicatur ad diuersa loca. 54

Obijcies nonò: sæpè perit vbi, & remanet entitas locati, & loci; ergo vbi ab vtrisque distinguitur. Respondeo, distinguendo antecedens: perit vbi secundum id, quod dicit de positiuo nego. secundum id quod dicit de negatiuo connotato concedo; & nego consequentiam. quando enim locatum discedit à loco aliquo, & accedit ad alium deperditur eius carentia in eo, ad quem accedit, & acquiritur ab eo, à quo recedit, beneficio realis applicationis. 55

SEC-

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

Quid sit spatium imaginarium.

56 TOcus physicus magnam habet cum spatio imaginario connexionem; hoc enim non solùm est de se indifferens quodcunque corpus in se recipere. sed etiam est vltima ratio, vnde eandem immobilitas loci desumatur, cum eadem per absolutam Dei potentiam non solùm omnia, quæ in mundo sunt, sed etiam mundum ipsum posse motu recto moueri, quod, quia Philosophus existimauit implicare: idcirco non nisi per ordinem ad partes mundi fixas immobilitatem loci explicauit. Rectè igitur de spatio imaginario, agentes de loco, instituimus quæ-
ca stionem. Pro cuius decisione suppono: nomine spatij imaginarij nos intelligere cauitatem, seu capacitatem quandam infinitè diffusam, tum secundum longitudinem, tum secundum latitudinem, tum etiam secundum profunditatem aptam in se corpora, nec non etiam spiritus continere: quæ cauitas has habeat conditiones; primò quod sit fixa, permanens, & immobilis etiam respectu diuinę Omnipotentiæ. Secundò quod sit æterna tum à parte ante: tum à parte post. Tertiò denique quod constet ex partibus veluti heterogeneis, quas dum res positiuę occupant, diuersis in locis esse existimentur, his positis.

57 Prima sententia vult spatium imaginarium esse quid omninò ab intellectu confictum, atque chimericum. Ita Vasquez. Hurtadus, Arriaga, & Ouiedus. Sed contrà est primò, quia Deus potest ponere corpus extra Empyreum. sed hoc corpus, nemine cogitante, esset in spatijs imaginarijs, sicuti defacto est totus mundus; ergo spatium imaginarium non est quid chimericum. cõsequentia patet, quia ad summum non nisi depẽdenter ab intellectu fingente, ens reale potest existere in ente chimerico: Contrà etiam est secundò, quia est controuersia inter Theologos nũ Deus sit in spatijs imaginarijs. supponitur igitur ab eis non esse quid fictum; alioquin irridendi essent non minus, quam si quærerent num Deus est in Hircoceruo, vel in Chimera. Tertiò denique à priori ostenditur dari spatium imaginariũ trinè dimensum immobile, quod sit primum receptaculum omnium corporum; quia Omne corpus ad existendum indiget spatio trinę dimensionis, quod tantum sit, quantum est ipsum, siue alio corpore circumdetur, siue non. semper enim debet occupare spatium sibi æquale, ita vt si nullum habeatur, vel si habeatur quidem, sed sit minus, repugnet corpus cum sua ibi extensione reperiri. datur igitur spatium hoc. Quod verò sit immobile &c. suadetur etiam, quia siue ab eo recedant, siue succedant alia corpora in ipsum, debet idem omninò perseuerare, alioquin corpora sua loca secum transferrent; & si independenter à corporibus partes spatij moueri possent: posset euenire casus, in quo mobile quantumcunque moueretur nunquam relinqueret terminum suum à quo, nec acquireret terminum ad quem, vel simul in vtroque existere posset, quæ sunt manifestè absurda. non est igitur spatium imaginarium quid fictitium, atque chimericum, sed independens omninò ab intellectu.

58 Secunda sententia ex diametro opposita priori est antiquorum, putantium spatium imaginarium esse quid reale positiuum vndique diffusum, in se cætera corpora recipiens.

59 Sed contrà hanc sententiam est primò, quia fide constat nihil à Deo fuisse creatum ab æterno. Secundò, quia etiam certum est extra Cælũ Empyreum nullum dari corpus. Quod si dicas esse accidens; contrà tertiò, quia accidens nõ potest naturaliter existere sine subiecto. quod si replices hoc subiectum non necessariò esse corpus, contrà quartò, quia si Deus annichilaret omnes substantias, imò omnem creaturam, adhuc darentur spatia imaginaria; ergo &c.

60 Tertia sententia huic affinis est volentium spatium imaginarium esse quidem molem quandam corpoream realem, & positiuam vndique diffusam; non tamen actu existentem, sed possibilem. Sed contrà est primò, quia spatium imaginarium est quid actu, & in eo est de facto mundus, & esset etiam corpus illud, quod à Deo extra Empyreum crearetur; ergo non est moles quædam positiua possibilis. Contrà secundò, quia spatiũ imaginarium opponitur spatio reali. moles autem possibilis est eadem numero, ac existens. Quod si dicas vt possibilis est opponitur cum se ipsa, vt existente: Cõtrà tertiò, quia vt possibilis importat negationem existentiæ; ergo nullum datur extra Cælum spatium imaginarium. Quod si addas illud consistere in negatione existentiæ dictæ molis. Contrà est quartò, quia si crearetur à Deo dicta moles, non posset esse in loco, neque secundum se totam, neque secundum sui partes, quia non esset negatio eius, in qua consistit per se spatium imaginarium. consequens autem videtur absurdum. nam de vna parte huius molis dici posset, quod esset hic, de alia quod esset ibi; ergo &c. Ex quo deducitur falsam etiam esse sententiam eorum, qui putant spatium imaginarium esse negationem rei locatæ; hæc enim negatio ad aduentum rei, quam negat discedit. & sic nulla res in spatijs imaginarijs existeret.

61 Quartò Quiros *disput. 64. nu. 3.* Definit spatium imaginarium esse carentiam superficiei realis corporis continentis immobilis, ad similitudinem extensionis realis conceptam. Quod probat ex eo, quia eo ipso, quod concipimus non dari locũ realem, statuimus imaginarium. Sed contrà est, quia aliud est spatium imaginarium: aliud verò locus imaginarius: nomine enim loci intelligimus superficiem &c. per spatium verò intercapedinem negatiuam, quæ illa superficie comprehenditur. Addit postea hic auctor *num. sequenti*: spatium imaginarium consistere in carentia vniuersali omnium corporum. & paulò post: huiusmodi carentiam non esse corporis tantum secundum se, sed vt immobilis seu vbicati. Quæ omnia quam malè cohæreant inter se, facilè quilibet aduertere potest.

62 Quinta sententia docet spatium imaginarium consistere in vbicatione intrinseca possibili, hæc enim sola est spatium, quod imaginamur. Contrà tamen est primò, quia satis supra impugnauimus sententiam admittentem vbicationem intrinsecã mo-

modaliter distinctam à re locata, & loco. Contrà secundò, quia admissa hac vbicatione illa dum est possibilis non datur à parte rei; sed spatia imaginaria dantur à parte rei in his enim dicitur mundus existere imò Deus ipse, vti dicemus; ergo &c.

63 Sexta sententia est eorum, qui spatia imaginaria ponunt in negatione vbicationis realis; quod probat Giattinus ex eo, quia si Deus annichilaret aerem, qui replet hanc aulam, eius parietes per eandem distantiam inuicem distarent, quæ prius distabant. sed non distarent per spatium positiuum; ergo per negatiuum, quod sit negatio existentiæ vbicationum possibilium. Sed contrà hoc facit primò, quia ipse dū arguit contrà Arriagam, docentem spatium imaginarium non esse negationem corporis eo quod non destruitur per positionem corporis in eo spatio; videtur illi negare hoc ipsum, quod in argumento assumit, asserendo spatium imaginarium non remanere cum spatio reali, eo quia per spatium imaginarium non intelligimus spatium plenum corpore, sed corpore vacuum. Verum P. Giattinus sententiam suam modificat, dicendo spatia imaginaria, prout à realibus distincta, esse quidem negationem aliquam vbicationis realis, sed indeterminatè vel hanc, vel illam. vnde quia in hoc aere V. G. datur negatio vbicationis alterius corporis, adhuc verificatur dari spatium imaginarium, & sic licèt ex positione alicuius vbicationis tollatur negatio illi oppositæ: quia tamen remanet negatio oppositæ alij, ideò restat simpliciter spatium imaginarium, & hoc ex suppositione, quod non destruitur per aduentum spatij realis positiui.

64 Sed contrà hoc facit secundò, quia nomine spatij imaginarij nos intelligimus capacitatem quandam negatiuam, intra se corpora recipientem, quæ ad aduentum, & recessum successiuum corporum eadem numero perseueret, ad eum planè modum, quo hospitium remanet idem numero, siue hospites in eo existant, siue discedant. iā verò hæc non posse conuenire negationi alicuius vbicationis realis indeterminatæ: Probatur, tum quia huiusmodi negatio per aduersarios, qui non admittunt aliud spatium imaginarium, tantum recipitur in corpore, atque adeò non potest intelligi, quod in se corpora recipiat: tum etiam, quia vel loquimur iuxta modū Aristotelis, quod scilicet omnes priuationes vbicationum sunt vnum numero cum subiecto: & sic omnia corpora quantumuis mouerentur semper putāda essent in eodem numero spatio imaginariò, quia semper esset idem subiectum negatiuum: vel, si volumus quamlibet habere suam vnitatem numericam, posito quod Petrus, qui erat domi, discedat, & postea reuertatur: reuersus, in alio spatio imaginariò putandus esset, distincto ab eo, in quo erat ante discessum, (quod nemo concedet) quia habet diuersam numero vbicationem ab ea, quam habuit antea. Quod si Respondeat, ideò se posuisse spatium imaginarium in negatione vbicationis realis, quæ sit hæc, vel illa indeterminatè. Contrà est tertiò, quia sic etiam sequeretur, quod siue Petrus existat domi, siue discedat, & eat ad forum: semper esset in eadem parte spatij imaginarij, quia verum est, quod indeterminatè negationem huius, vel illius vbicationis habeat in vtroque loco. Quod si replicet eandem partem spatij confici ex negationibus indeterminatis vbicationum differētium inter se numero: illas autem, quæ constituunt Petrum in domo, & in foro, differre specie. Contrà quartò, quia hæc diuersitas specifica vbicationum non potest desumi, nisi ex diuersis partibus veluti heterogeneis spatij imaginarij, quibus res positiuæ, & reales diuersimodè correspondere possunt: ergo repugnat, quod eadem pars spatij sit hęc per ordinem ad vbicationes indeterminatas, numericè differentes. si enim hæ differunt numero, per hoc, quod eidem parti spatij imaginarij sunt affixæ: quomodo hęc pars spatij imaginarij erit hæc, per hoc quod illas differentes numero indeterminatè respiciat?

65 Posset quis ad hoc vltimum respōdere: aliquas vbicationes distingui numero per hoc, quod petant eodem modo, & eadem distantia ab omnibus alijs vbicationibus distare: alias verò distingui specie per hoc, quod petant inter se diuersimodè distare per aliam, atque aliam distantiam.

66 Sed contrà hanc responsionem facit: Primò, quia ea non potest vti Giattinus, siquidem illam impugnat expressè *loco citato versu rationabiliter alij*. Contrà secundò, quia sic tollerentur è medio spatia imaginaria, quæ putantur necessaria ad hoc vt vna res intelligatur esse hic, alia verò ibi cum immobilitate se tenente ex parte spatij. In hac enim sententia totum hoc explicari potest absque eo, quod fiat recursus ad spatia imaginaria, vt de facto explicatur ab Arriaga *disp. 14. physic. sect. 13.* vbi docet vbicationes in re esse tam absolutas, quam albedinem, ac nigredinem; & de essentia cuiuscunque esse fundare tantam, vel tantam distantiam. Contrà vtranque tamen sententiam facit tertiò, quia sic, rem esse hic, importaret, quod exigat tanta distantia à cæteris locis distare. sed hoc est falsum: tum quia experientia constat, quod quando nos concipimus rem aliquam esse hic, non cogitamus de cæteris locis, seu vbicationibus distantibus: tum etiam quia si per impossibile omnes aliæ vbicationes implicarent præter eas, quæ constituunt res in hoc determinato spatio: adhuc haberemus rem aliquam esse hic, absque exigentia tantæ, & tantæ distantiæ à cęteris locis. Contrà denique quartò, quia admissa tota hac sententia adhuc necesse est fieri recursum ad diuersa spatia imaginaria; ergo &c. Probatur assumptum: nam quod duo corpora vbicata inter se distēt, non habetur præcisè ex vbicationibus specie diuersis. nam possunt illas habere, & nihilominus non distare, casu quo, vel vtrumque, vel alterutrum replicetur, & sic replicata, reponantur simul in eodem loco; ergo semper necesse est recurrere ad spatiū imaginarium dicendo, quod tunc distent, quando neque in spatio imaginariò, in quo est vnum sit aliud, neque in spatijs immediatè post. ex quibus omnibus rectè deducitur, etiam si dētur vbicationes intrinsecæ, modaliter distinctæ à rebus vbicatis, spatium imaginarium admittendum esse, & non posse consistere in earum carentijs distributiuè acceptis.

67 Aliter explicat P. Comptonus sententiam ponen-

Digitized by Google

nemtum spatia imaginaria in negationibus realibus vbicationum positiuarum. Supponit enim primò non dari negationes rerum locabilium toto orbe diffusas, quæ de se sint à loco absolutè, sicuti & res ipsæ quibus opponuntur. Supponit secundò, quod quemadmodum res ipsæ sunt in loco per vbicationes distinctas, ita & earum negationes per negationes ipsarum vbicationum positiuarum; & quod sicuti hę habent partes heterogeneas certo loco affixas, ita earum negationes; ita vt nullæ duæ alicuius negationis partes sint omninò similes, cum petat vna esse in vno loco, alia in alio, eo prorsus modo, quo partes vbicationis positiuæ. Supponit demùm tertiò negationem cuiuscunque vbicationis esse vbique, seu vndique diffusam, vbicunque nō est vbicatio positiua opposita, at non esse amouibilem, nisi ab eo loco, in quo potest poni dicta vbicatio, vbi autem hæc non potest poni illam esse inamouibilem, quia non potest tolli, nisi per formam oppositam. sic negationem vbicationis cōtinentis Petrum Panormi V.G. licèt sit toto orbe diffusam, non esse amouibilem, nisi Panormi, quia vbicatio opposita, vt supponimus, non potest existere nisi Panormi. His positis dicit Comptonus: spatium imaginarium adæquatè sumptum conflari ex omnibus negationibus nō tollibilibus. quod probat ex eo, quia dictæ negationes habent conditiones spatij imaginarij nimirum heterogeneitatem, & immobilitatem, seu inamissibilitatem, vt patet ex dictis.

68 Sed contrà hanc quoque explicationem facit Primò, quia spatium imaginarium in quo esset Ciuitas Panormitana esset aggregatum negationum omnium vbicationum, quæ non possunt esse Panormi, & sic non posset concipi Panormus hic independenter ab omni alia vbicatione, quatenus non potest concipi negatio absque re cuius est negatio; atqui ipse Comptonus *numero* 8. hoc putat absurdum, dum ait: esse contrà conceptum communem omnium, qui rem esse hic concipiunt independenter ab omni alia vbicatione, ita vt si omnis alia impossibilis esset: adhuc res posset concipi esse hic; ergo &c. Contrà est secundò, quia negationes hæ inamouibiles vbicationum, vel ponuntur per se stantes, vel informantes negationes rerum positiuarum absolutarum; neutrum ex his facit pro spatio imaginario posito ab auctore; ergo &c. maior patet ex sufficienti partium enumeratione. non enim potest dici, quod informent ipsas res positiuas absolutas quia respectu illarum, sicuti nullus locus potest esse inacquisibilis: ita nulla negatio vbicationis inamissibilis. minor ergo probatur, quoad primum, quia si dictæ negationes essent per se stantes, non possent vbicare negationes rerum absolutarum V. G. Ignis, Leonis &c. quia nullo modo eas afficerent, nec ad eas pertinerent; sed hoc est contrà secundum suppositum traditum ab auctore *sect. 2. nu. 4.* ergo &c. Adde negationes debere conformari rebus positiuis, quarum sunt negationes, posito quod non detur spatium imaginarium, in quo intelligantur existere. sed vbicationes non sunt per se stantes; ergo neque earum negationes. Quo ad secundum verò eadem minor suadetur; quia si negationes vbicationum intelligerentur informare negationes rerum positiuarum absolutarum, falsum esset eas esse inamouibiles. Quemadmodum enim negatio Petri V. G. potest discedere à loco A. Panormitano per aduentum Petri Panormum, ita poterit ab eodē loco recedere negatio vbicationis Romanæ, Mexicanæ, Gallicanæ, &c. quæ negationem Petri in loco A. existentem informare intelligebantur, & ab illa pendere. Priuatio enim formæ in subiecto non solum per aduentum formæ destruitur, sed etiam per destructionē ipsius subiecti, vt de se patet.

Dicet fortasse Comptonus: Adueniente Petro Panormum, discedere à loco Panormitano corpus aliquod, & succedere consequenter negationem illius, quæ, cum eodem modo, ac negatio Petri, informetur negationibus vbicationum Romanæ, Mexicanę, Gallicanę, &c. iam censentur dictæ negationes æquiualenter in dicto loco perseuerare. Quod si in loco Panormitano nullum corpus præexistere supponamus: iam remanent negationes aliorum corporum, quæ ibi possunt esse, similibus negationibus dictarum vbicationum affectæ. semper igitur habebitur in illo loco negationes vbicationum inamouibiles. 69

Sed contrà hoc facit primò; quia sic falsum esset spatium imaginarium esse fixum, permanēs, & inamouibile secundum omnes sui partes. sed hoc est contrà id, quod auctor docet *sect. 2. nu. 2.* ergo &c. sequela maioris probatur: quia vel spatium imaginarium Panormitanum constat ex solis negationibus vbicationum afficientibus negationem Panormitanam Petri: vel ex omnibus negationibus collectiuè sumptis vbicationū afficientibus omnes negationes rerum absolutarum, quæ possunt esse Panormi in illo spatio. vel ex omnibus distributiuè acceptis. non primum, neque secundum; quia sic spatium non esset inamouibile, nec omninò fixum, vt patet. tertium verò multo minus sustineri posse videtur, quia sicuti illa distributio non stat cum identitate numerica negationum: ita neque cum identitate numerica spatij imaginarij. nisi supponamus spatium imaginarium esse contràdistinctum à dictis negationibus, & veluti rationem aluei fluminis, qui siue hanc siue illam aquam contineat, idē numero immobiliter est. 70

Contrà etiam est secundò quia, quomodocunque ponantur negationes vbicationum non tollibiles: non posse eas habere rationem spatij imaginabilis suadetur ex eo, quia spatium imaginarium est receptaculum omnium vbicationum, & corporum, quæ per ipsas vbicantur; ergo erit etiam receptaculum omnium negationum vbicationum; non igitur est idem cum illis. prima consequentia, quæ sola probatione eget, euincitur, quia ideò admittimus spatia imaginaria distincta ab vbicationibus realibus, quia hæ non possunt intelligi esse, nisi præintelligatur dari spatium proportionatum ad illas capiendas; quod tantum sit, quantæ sunt ipsę, quoad longitudinem, latitudinem, & profunditatem. sed eadem ratio militat de earum negationibus, siquidem hæ supponuntur extensæ secundum trinam dimēsionem, & habere partes vbicationibus realibus 71

Digitized by Google

per oppositionem correspondentes; ergo sicuti illæ indigent spatio, in quo recipiantur, ita negationes illarum.

72 Ad hoc Argumentum dupliciter respondet Comptonus *sect. 3. num. 1.* Et primò quidem, quod idem argumentum in omni sententia fieri potest, quidquid tandem dicatur esse spatium imaginarium. secundò verò, quod cum negationes vbicationum non amouibiles sint fundamentum ipsum, & quasi capacitas aliarum rerum, ideò nō sunt in aliquo tanquam in loco, sicuti neque vbicationes indigent alijs vbicationibus, per quas locentur. Sed contrà primam responsionem est, quia dictum Argumentum fieri quidem potest contrà omnes eas sententias, quæ ponunt spatium imaginarium consistere in aliquo, quod non sit per se primò, sed veluti per accidens, inamouibile, sicut illud ponit hic auctor, qui refundit inamouibilitatem spatij in implicantiam, quam habent vbicationes addictæ suis locis ad existēdum alibi; ex hoc enim quidenter deducitur, quod, quantum est de se, sint amouibiles à spatio, in quo sunt, & defacto in sententia eorum, qui dicunt vbicationes posse diuinitus replicari alibi V. G. Romanas, Panormi, Lugdunenses, Messanæ &c. nulla negatio vbicationis datur inamouibilis. Vnde fit vt indigeant non minus, quam vbicationes ipsæ spatio imaginario omninò fixo, vt in eo recipi intelligantur. Per quę patet impugnatio secundæ responsionis. dictæ enim negationes, etiam si darentur, haberent repugnātiam ad essendum primum fundamentum, & primam capacitatem, quam res creatæ supponunt ad existendum hic, vel alibi. Atque hæc satis de aliorum sententijs.

73 Modo sit nostra vnica Cōclusio: spatium imaginarium est quid negatiuum, & inane, cuius partibus omnia, quæ in mundo sunt, correspondent, quin etiam, & ipse mundus, & possent quoque omnia alia possibilia correspondere, si crearētur; quod quidem per hoc ab alijs negationibus differt, quia importat de se capacitatem quandam, & aptitudinem, ad capienda corpora, non quidem positiuam, quia non est quid reale positiuū, sed negatiuam, quæ rectè explicatur per non repugnantiam.

Atque hæc quidem sententia est expresè P. Fontanæ *lib. 5. metaph. cap. 5. quæst. 1. sect. 1. & cap. 13. quæst. 7. sect. 1.* Conimbricensium *4. physic. cap. 5 quæst. 1. artic. 2. 3. & 4.* Toleti *4. physic. quæst. 3.* Auersæ *quæst. 27. de loco sect. 2.* & aliorum.

74 Probatur ex impugnatione aliarū sentētiarū; & Confirmatur ex eo, quia spatium imaginarium, ex vna parte est suo modo à parte rei independens ab intellectu. sed non est quid positiuum; ergo quid negatiuum: ex alia verò, nullius rei positiuæ potest esse negatio, alioquin esset mobile, vtpotè per aduentum dictæ rei destruibile, quod quidem manifestam inuoluit repugnantiā. siquidem illa res eodem tempore existeret, & nō existeret, existeret, vt supponimus, quia destrueret suā negationē non existeret, quia nullibi haberet capedinē suā, in quā recipi posset; nā per suum aduentum eam destruxisset. ergo &c.

75 Contrà hanc conclusionem. Obijcies primò: Omnis negatio alicuius rei positiuæ est negatio; sed spatium imaginarium per nos nullius rei positiuæ negatio est propter rationem dictam; ergo non est negatio. Respondeo maiorem esse veram, loquendo de cæteris negationibus, veluti accidentalibus, de quibus loquuntur auctores, quæ cum sint destruibiles, alicui enti positiuo debent opponi, vt directè destrui aliquando possint. At spatium imaginarium est negatio quædam veluti substantialis, & inamouibilis; siquidem est fundamentum possibilitatis omnium creaturarū maximè corporearum. hæ enim, si non daretur spatium earum capax, non possent à Deo creari saltem extensæ. Vnde fit vt non solùm nullius rei positiuæ non sit exclusiua: quinimo omnes in se admittit, & recipit, ac veluti penetratiuè cum illis coexistit.

Instabis: de prima notione negationis realis est, 76
vt sit exclusiua rei positiuæ: ergo nulla responsio.

Respondeo, distinguendo antecedens: vt sit exclusiua à se rei positiuæ, concedo, vt sit exclusiua rei positiuæ à parte rei, & à rerum natura, nego antecedens, & consequentiā. Dico enim de ratione negationis physicę, vt sic esse excludere à se quamcunque rationem entis realis positiui: at non esse de ratione dictæ negationis excludere à rerum natura aliquod ens positum; hoc enim est proprium negationum amouibilium, & veluti accidentalium. Iam verò spatium imaginarium, licèt hoc secundum non habeat, quia est quid negatiuum substantiale, & inamouibile: habet primum, siquidem excludit à se omnem rationem entis realis positiui. alioquin non esset 33
necessarium simpliciter, ita vt nulla potestate, nō solùm secundum se totum, sed neque secundum aliquam sui partem destrui posset à Deo. Per hoc enim quod repleatur corpore nō desinit esse suo modo, sed tunc dicitur plenum, quia veluti compenetratur cum corpore illo; diceretur autē inane, & vacuum si ab omni prorsus corpore relinqueretur.

Obijcies secundò: Hoc spatium dicitur communiter imaginarium; ergo non est à parte rei, consequentia, probatur à Quiros *loco cit. n. 3.* paritate aliorum conceptuum, quos tunc putè imaginarios censemus, quando sine realitate sunt, vt patet ex diuitijs imaginarijs. 77

Respondeo, negando consequentiam cum sua probatione. Disparitatis ratio est, quia nos hoc spatium appellamus imaginarium non quia putamus non esse suo modo à parte rei, sicuti sunt cæteræ negationes reales: sed quia cum non habeamus species proprias illius, imaginamur illud ad modum corporis tenuissimi, trinè dimēsi, eiusque dimensiones cum dimensionibus quantitatis, quibus correspondere debent, veluti confundimus, ac permiscemus.

Obijcies tertiò: si daretur spatium imaginarium permanens negatiuum, etiam daretur spatium successiuum item negatiuum; sed hoc est absurdum; ergo &c. minor patet *ex 4. phys. text.* vbi Aristoteles huiusmodi spatia successiua reijcit, sequela verò probatur, quia non minus est necessaria intercapedo permanens ad res permanentes capiendas: quam successiua ad res successiuas. si enim motus cęli non habuisset spatium successiuum sibi proportionatum ex eo tempore, ex 78

quo

quo cæpit, vsque ad tempus, in quo faciendus est non potuisset existere.

Respondeo: concessa sequela, propter rationem; quæ in eius probatione affertur: nego minorem. quod si huiusmodi spatia videtur Philosophus reijcere: hoc facit iuxta sensum antiquorum, contrà quos pugnabat, qui putabant nō solùm spatia imaginaria permanentia, sed etiam successiua esse realia positiua. Quod si contendas implicare continuum successiuum, siue negativum sit, siue positivum esse ab æterno. videas quomodo contrarium rectè defendat Oviedus *in physic. controu. 19. punct. 3.*

79 Obijcies quarto: ex Vasquez: Si spatium imaginarium esset nihilum, sequeretur, quod idem esset dicere mundum esse in spatio, ac esse in nihilo: sed hoc est absurdum; ergo &c. sequela maioris patet. minor verò probatur: tum quia sic etiam dici posset, quod esset nullibi, tum etiam quia æquè dici posset sum esse in quouis alio nihilo V.G. Cœcitate, Tenebris &c.

Respondeo, distinguendo sequelam: idem esse dicere mundum esse in spatio, ac esse in nihilo tanquam in subiecto, vel loco positiuo, negotinō quam in capedine negativa sibi æquali, concedo sequelam; & sic distincta minore, nego consequentiam. Ad minoris probationes distingua priorem sequelam: dici posset mundus, quod esset nullibi, hoc est non esset in aliquo loco positiuo, concedo; non esset in aliqua parte spatij imaginarij nego; quia sic verè est alicubi & potest defacto demonstrari pars spatij cum eo componentis, distincta à reliquis, quas mundus defacto non occupat. Posteriorem verò sequelam absolutè nego, quia non dico ego, quod 83 quod liber negatiuum sit spatiū, sed illud solùm, quod habet opacitatem, & aptitudinem ad recipienda in se corpora, cuiusmodi non sunt cæcitas, tenebræ &c. sed sola spatia imaginaria.

80 Obijcies quinto: ex Iosepho Augustino *in 1. part. quæst. 8. art. 2. dissertat. 2. n. 31.* Nulla negatio habet extensionem actualem etiam abusiuam ratione sui præcisè, seu secundum se, sed solum ratione subiecti, vel spatij realis, in quo reperitur. sed extra cælum nullum est subiectum, aut spatium reale, in quo reperiatur illa negatio: ergo extra cælum non datur spatium imaginarium negatiuum extensum: minor patet, maior probatur inductione: in tantum enim carentia luminis V.G. in hoc aere est extensa, quia subiectum, in quo est, habet extensionem. vnde si hic aer à Deo poneretur in punctō; carentia luminis, quæ in ipso est, eius conditionem sequeretur, & rediqeretur in punctum. & sic de cæteris; &c. & ratio à priori est, quia cum negatio nihil sit, non potest habere rationē sui aliquid, quod postulet esse prima, aut secunda, aut tertia pars eius.

81 Respondeo, distinguendo maiorem: Nulla negatio amouibilis, & veluti accidentalis habet extensionem actualem ratione sui, concedendo: si sermo sit de negatione inamouibili, & veluti substantiali: nego maiorem; & concessa minore, nego consequentiam: ad maioris probationem dico: tenebras, & cæteras negationes, quæ, facta inductione, adduci possunt, esse amouibiles, & veluti accidentales, quia quantumque consequantur aliquæ. Harum essentias ponimus, vt negatio equinitatis, essentiam hominis, tamen ad existentiam Harum, essentiarum existunt, & ad earum corruptionem corrumpuntur, & pereunt: at spatium imaginarium est negatio veluti substantialis, hoc est per se stans, & non indigens subiecto, & est omnino inamouibilis, ita vt neque per Dei potentiam secundum aliquam sui partē destrui possit. Vnde nō est paritas. Ad rationem à priori dico: huiusmodi negationem ex se esse quidem nihilum, quatenus opponitur enti positivo, non verò quatenus excludit à se omnem realitatem, tum positiuam, tum abusiuam. quod autem non est nihilum hoc 84 secundo modo, sciri potest habere suam essentiam, & individuationem abusiuam: ita & partes, quarum una sit prima, alia secunda, alia tertia. Aliud quoque argumentum addit Augustinus ad suam opinionem confirmandam sc: Si extra cælum esset illud spatium negatiuum: sequeretur, quod in qualibet eius parte esset negatio muscæ V.G. in nulla enim eius parte esset musca, & sic carentia muscæ haberet etiam infinitam, & immensam extensionem priuatiuam; & idem dici posset de carentia cuiuscunque minimi corporis, imo, & spiritus, sed hoc videtur absurdum. ergo &c. Respondeo, quod quemadmodum in eius sententia in qualibet parte mundi est defacto negatio muscæ, & quia mundus potest crescere in infinitum, dicta negatio sine absurditate potest etiam in infinitum extendi, & idem dici debet de eadem quacunque alia carentia, siue corporis, siue spiritus: ita etiam dicam ego, nullum esse absurdum, quod in qualibet parte spatij imaginarij sit defacto negatio eiusdem muscæ, siue cuiuscunque alterius minimi corporis, aut spiritus; quia per 85 accidens ad extensionem spatij, in quo sunt dictæ negationes extenduntur.

SECTIO SEXTA

An Deus sit in spatijs imaginarijs.

82 Conclusio est affirmatiua contrà Scotum, Vasquez, Tartaretum, Ricardum, Marsilium, Gillium, Fasolum, Granadum, Quiedū, Mancęū, Taonerum, locis citatis à Recupito *to. 1. in 1. part. lib. 4. quæst. 13. num. 1.* & à Comptono *in physic. disp. 33. sect. 4. num. 1.* defenditur tamen à Maiore Soto, Gaietano, Suarez, Fonseca, Molina, Valencia, Lessio, Arriaga, Rainaudo, Arrubale locis citatis ab eodem Comptono *ibi num. 3.*

83 Probatur primō: ex ijs scripturis, & Patribus, qui dicunt Deum esse extra omne spatium reale. *Iob. 11.* Excelsior Cælo, profundior Inferno est. *3. Reg. 8.* Cælum, & Cæli Cælorum non capiunt. Augustin. *lib. de cognitione vere vitæ cap. 25.* Deus, inquit, vbique est in omnibus, & extra omnia. *lib. 12. de ciuit. cap. 5.* docet Deum esse extra mundum in infinitis locis. vbi alios mundos creare potuerat. laudatque philosophos id sentientes; Dionys. *de Diuin. nomin. cap. 1.* Magnus, inquit, Deus nominatur à magnitudine ipsius, quā extra omnē

magnitudinem superfusa, & super extensa omnẽ locum continet. & sic passim alij Patres.

84 Dices primò: Gillium, Fasolum, & alios concedere quidem Deum esse extra spatium reale, sed negare esse in spatijs imaginarijs: Respondeo hos differre à nobis solùm in modo loquendi, quia hoc communiter, & nihil aliud, intelligere volunt auctores, dum quærunt num Deus sit in spatijs imaginarijs: Hoc est, num sit extra omne spatium Reale. Vnde consequentius loquuntur Vasquez, Granado, Argentina, & alij, qui hoc ipso, quod negant Deum esse in spatijs imaginarijs, negant consequenter eum esse extra mundum.

85 Dices secundò: in citatis scripturis sermonem esse de excessu in ratione dignitatis, & excellentiæ; non verò in ratione quantitatis virtualis, & magnitudinis veluti extensiuę. Sed contrà est, quia voces (non capiunt, & excelsior est) sonant magnitudinem, quæ habetur ratione immensitatis, non autem excellentiam. eodem modo sonant dicta Patrum. Audi ad hoc propositum Dionysium *de Diuinis nominibus cap. 8*: In Cælo est acq; interra, in mundo, circa mundum, supra mundũ, & supra Cælum. Ecuis potest hæc non explicare de magnitudine virtuali, qua Deus sit extra totum orbem?

86 Dices denique tertiò: scripturas, & Patres exponendos esse de præsentia aptitudinali, non actuali. quatenus si quid extra mundum crearetur, ibi Deus existeret. Sed contrà quia posse esse extra spatium omne positiuũ nõ est esse defacto. sic hoc docent scripturæ, & Patres, dum dicunt Deum esse extra omnia; ergo absque eo quod rectus verborum sensus distorqueatur, hæc explicatio non habet locum.

87 Ex quibus colliges malè Arriagam *disput. 14. sect. 121* docere Deum esse in spatijs imaginarijs (quæ tamen supra negauerat) per hoc præcisè, quod habeat tantam immensitatem, ratione cuius nequeat produci, aut concipi producta aliqua res, cui Deus eo ipso non sit intimè præsens sine sui mutatione, etiam si eam neque produceret, neque cognosceret. Siquidem eodem modo verum esset dicere: Deum nunc creare omne creabile per hoc præcisè, quod habeat talem potentiam, ratione cuius nequeat produci, aut concipi producta res aliqua, in quam illà sine sui mutatione non influat, etiam si eam neque cognosceret, neque per intimam præsentiam penetraret. Quod quam sit absurdum nemo non videt. cæterum hic auctor, ita confusè loquitur de hac re; vt volens nolens spatia imaginaria concedere videatur, vt patet ex his, quæ habet *in 2. editione loco citato à num. 121*.

88 Probatur secundò nostra sententia ratione, quia, esse, in, non sumitur à nobis prout significat locationem; ita vt quando dicimus eum esse in spatio imaginario sensus sit, quod in eo contineatur & concludatur; hoc enim est manifestè falsum: sed prout importat præsentiam, & existentiam in ipso spatio, ita vt vbicunque sit spatium, ibi sit Deus, quod ita se habere, suadetur ex eo, quia Deus in spatijs imaginarijs potest creare alium mundum, distantem ab hoc mundo mille millia passuum, vel igitur ante quam illud crearet erat ibi, vel non; si primum habeo intentum: si autem dicatur secundũ: Arguo primò, ergo iam Deus distaret à seipso, ac motus vel replicatus esset, quia supponimus in spatio inani interiecto inter vnum, & alterum mundum non reperiri; siquidem dictum spatium est imaginarium. ponere autem hanc veluti diuisionem in substantia Deitatis videri debet omnibus, meo iudicio, valde absurdum. Arguo iterum, quia spatium imaginarium habet immensitatem negatiuam; ergo potest Deus per suam immensitatem positiuam illi actu correspondere; ergo dicendũ est, quod actu correspondeat. antecedens, & prima consequentia patent. secunda verò probatur: non minus Immensitas Dei debet actu correspondere omni capacitati tum positiuę, tum negatiuæ: quam æternitas omni durationi tum positiuæ, tum negatiuæ, sicuti enim de ratione æternitatis est omnem durationem continere: ita & de ratione immensitatis replere omne replebile. cum igitur spatia imaginaria sint replebilia, & capacia immensitatis Dei, non possunt non habere in se actu præsentem ipsum Deum. Et quidem in mea sententia, qua pono spatia imaginaria realia abusiua, non videtur esse difficultas asserere Deum actu esse in illis. Contrà verò in sententia negante dari huiusmodi spatia; & tamen multi sunt in ea, qui id asserant, vti paulò ante notauimus. vtrum autem rectè, breuiter à nobis examinandum est. videtur enim impossibile, quod dicunt. nam hoc ipso, quod spatium imaginarium non datur, quomodo potest Deus esse in illo? quì enim fieri potest, vt aliqua res sit præsentialiter in eo, in quo non est vllo modo?

89 Iam verò illi sic suam explicant opinionem, dicendo: duplicem dari præsentiam, vnam absolutam, alteram respectiuam: Absoluta respicit spatium possibile: Respectiua spatiũ actuale. quoniam verò Deus ratione suę immensitatis est extra mundum vbicunque potest esse aliquod corpus: ideò dicitur esse in spatijs imaginarijs; non quidem præsentia respectiua, quasi verò actu sint dicta spatia, sed absoluta, in quantum est, vbi est possibile spatium reale, & non est, quamuis non illud imaginemur esse; ita vt sensus sit: Deum esse vbicunque nos imaginamur esse spatium, quamuis re vera non sit dictum spatium. Vnde sic arguunt. omnis præsentia connotat aliquod spatium. igitur, & præsentia Dei extra mundũ, sed hoc spatium nequit esse reale, aut proprium, aut abusiuum; ergo imaginarium, quod quidem non est, sed potest esse. Verum ego hunc philosophandi modum probare non possum. nam si semel admittatur Deum actu esse extra Cælum profectò debet dari ly extra, alioquin non esset extra. Deinde si asseritur esse ibi, vbi nos imaginamur aliquod spatium, seu vbi potest existere, & reperiri corpus aliquod; non potest negari, quin detur capacitas replebilis ab ipso Deo, & ab ipso corpore creabili, quæ quidem capacitas explicatur à nobis per illas particulas ibi, vbi. Alioquin si dicta capacitas non esset extra Cælum, quomodo posset intelligi Deus esse ibi per suam immensitatem, aut corpus ibi posse creari?

Con-

Digitized by Google

90 Confirmatur, quia si non obstante, quod non dentur spatia imaginaria, Deus esset extra Cælum, & per suam immensitatem, vbi nos imaginamur spatium aliquod ibi existere: vel particulæ (ibi, vbi) significant aliquod actu distinctum à Deo: vel non. si primum habemus intentum. Secundum dici non posse euincitur ex eo, quia dictæ particulæ, de actuali non deberet, nec possent aliud importare, nisi ipsam immensitatem Dei. & quidem virtualiter, & eminentialiter multiplicem, pro multiplicitate, ac diuersitate punctorum, & partium spatij, in quibus possunt singula corpora creari à Deo. Sed hanc non possent importare sine spatio negatiuo reali abusiuo; ergo &c. maior probatur; & quidem quod dictæ particulæ aliquid importare debeant de actuali, siue positiuum, siue negatiuum, videtur certum. nam debet esse id, cui ipse Deus secundum suam substantiam, & corpus, quod creabitur correspondere possunt, & habere in ordine ad illud intimam præsentiam ad inuicem. quoniam verò extra Cælum nihil actuale neque proprium, neque abusiuum præter immensitatem Dei in sententia aduersariorum reperitur: sequitur quod dictæ particulæ solum ipsam possint, & debeant importare. sed non adæquatè sumptam, & quatenus est in se vna; alioquin non esset maior ratio cur hic potius diceretur, quã ibi; ergo inadæquatè, atque adeò vt virtualiter multiplicem, pro multiplicitate, & diuersitate punctorũ, & partium spatij imaginarij in quibus singula corpora à Deo creari possunt. Minor verò principalis suadetur ex eo, quia multiplicitas virtualis partium eminentialiter diuersarum immensitatis Dei debet sumi per ordinem ad aliquod extrinsecum, vt de se patet. hoc autem nullum aliud potest esse præter spatium imaginarium; siquidem, ex vna parte res creatæ sunt indifferentes ad essendum hic, vel alibi: ex alia verò earum vbicationes non nisi per ordinem ad diuersas spatij imaginarij partes diuersificari possunt. Quod confirmatur ex eo, quia si per aliquid aliud maximè per ordinem distantiæ, & propinquitatis, quam habent ad inuicem, vt dicunt aliqui, sed hunc non sufficere suadetur, quia si Deus totum mundum versus Orientem per milliare propelleret, in hoc casu omnia corpora, quæ in eo continentur, suam propriam vbicationem, quam antecedenter habebant, retinere deberent, quia eandem inter se distantiam seruant post motum, quam antea seruabant, sed hoc est euidenter falsum. ergo dicendum est non posse concipi dictas particulas (ibi, vbi) absque eo, quod dentur ex parte obiecti spatia imaginaria.

Ex quibus sequitur malè præsentiã absoluram, 91
& respectiuam à Recentioribus explicari; siquidem in rei veritate absoluta est id, per quod res formaliter dicitur esse hic, vel ibi: relatiua verò est relatio siue realis, siue rationis, quæ intelligitur aduenire rei per hoc, quod sit præsens huic potius loco, quam alteri; cuius beneficio respicit ipsum locum, in quo est. Quoniam verò, vbi intrinsecum supponit semper spatium capax recipere corpus, quod eius beneficio vbicatur: hinc fit, vt nulla possit dari præsentia absoluta in eo sensu, in quo Recentiores eam vsurpant.

DISPV-

DISPVTATIO VIGESIMAQVARTA

DE RERVM EXISTENTIA NVSQVAM.

1 OMne quod est, præsens esse alicui loco siue spatio, si loquamur naturaliter, est plusquam certum; verum autem per absolutã Dei potentiam contingere posse oppositum, id est, quod in præsentia examinabimus.

SECTIO PRIMA.

An possit diuinitus creatura esse, & esse nullibi.

2 CONclusio est negatiua, quam docet Suarez *lib. 4. de Angel. cap. 3. n. 5.* Arrubal *disp. 123. cap. 1.* Molina *quæst. 92. art. 1. disp. unica memb. 4.* Coninch. *3. par. quæst. 75. art. 4. disp. 1. n. 27.* Bubalus *quæst. 52. de Ang. art. 1. quæst. 2. diff. unica.* Hurtadus *de anima disput. 12. sect. 6.* Arriaga *in physic. disp. 14. sect. 4. n. 72.* Quiros *disp. 64. n. 16.* Comptonus *phys. disp. 33. sect. 5.* contra Vasquez *1. parte disp. 188. nu. 25.* Monacæum *disp. 1. cap. 8.* Meratiũ *1. par. disp. 19. sect. 1. num. 6.* Quiedum *contrau. 15. 1 phys. punct. 7.* Franc. Alphonsum *disp. 22. num. 78.* & alios; Est etiam ex parte, contrà Cardinalem Pallauicinum *Assert. Theolog. lib. 9. de Angelis cap. 25.* distinguentem inter res corporeas, & spirituales, & negantem id de corpore: concedentem verò de spiritu.

3 Probatur autem nostra assertio primò auctoritate: nam Hilarius *cap. 5. in Matt.* omne, inquit, quod creatum est, alicubi est. quod si dicas Hilarium loqui de facto, & de potentia ordinaria. quid dices ad August. qui *lib. de immort. animæ cap. 1.* sic habet: Quidquid est, nusquam esse non potest; & in *epist. 47.* ad Dardanum: Tolle, inquit, spatia locorum corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquã erunt, non erunt. Tum sic: Ablatio spatiorum localium non consideratur in ordine ad solã potentiam ordinariam, sed in ordine ad quamcunque potentiam, etiam extraordinariam: ergo & negatio existentiæ corporum, quæ infertur à dicto Doctore consideratur etiam in ordine ad potentiam extraordinariam; alias consequentia irridenda esset. Diuo Augustino concinit Cicero *quæstionum Tusculanarum lib. 1. initio* vbi disputans cum Attico, qui mortuos esse miseros dictitabat. Vbi, inquit, sunt ij, quos miseros dicis, aut quem locum incolunt? si enim sunt, nusquam esse non possunt. ad quod cum Atticus sic respondere introducatur: ego verò nusquam esse illos puto: reassumit Cicero: Igitur ne esse quidem: quam consequentiam Atticus non est ausus negare, sic enim respondit: prorsus isto modo, & tamen miseros ob id ipsum quidem; quia nulli sunt. ex quibus apparet illos Philosophos, quorum personam Atticus contrà sententiam Tullij sustinebat, minus absurdum duxisse asserere animos rationales esse mortales, quam post mortem esse, & esse nullibi.

4 Probatur secundò: Nulla res creata existere potest, cui Deus non sit intimè præsens. Vndè Scholastici communiter cum Magistro in *1. dist. 37.* docent Deum esse in rebus omnibus per essentiam, per potentiam, & per præsentiam; ergo nulla res creata existere potest, & nullibi esse. Antecedens, quod sit verum etiam in ordine ad potentiam extraordinariam, & absolutam Dei docet Vasquez, qui licet sententiam nostræ contrariam teneat: tamen *1. par. disp. 28.* asserit esse veritatem Catholicam Deum esse intimè præsentem omni creaturæ de necessitate, ita vt non sit illi liberum esse in vna potius, quam in alia ex suppositione, quod ei dederit existentiam. Idem que tenet Quiedus *puncto 8. nu. 3.* consequentia verò euincitur; si creatura nullibi esset, careret omni præsentia, sed nulla creatura potest carere præsentia in ordine ad Deum; ergo nulla potest existere, & esse nullibi.

5 Ad hoc Argumentũ respõdet primò Quiedus, negando consequentiã, & ad eius probationẽ dicit sequelam maioris esse veram loquendo de præsentia superaddita; quare, concessa minore, negat consequentiam; quia, inquit, creatura non constituitur Deo præsens per præsentiam superadditam, sed per suam entitatem, & per immensitatem Dei; quod probat dupliciter. Primò, quia in tantum vna res creata constituitur præsés alteri per præsentiam superadditam, in quantum potest esse modo præsens, & modo absens illi. sed creatura respectu Dei non potest ita se habere; ergo &c. Secundò, quia eandem intimam præsentiam habet Deus cum Petro existenti Matriti, ac habet cum eodem existenti Toleti; ergo Petrus non fit illi præsens per præsentiam Matritanam, & Toletanam, sed per suam substantiã.

6 Sed contrà est; & admitto, quod creatura illa constituatur præsens Deo per suam substantiam, & per immensitatem Dei; non autem per præsentiam modaliter distinctam, quam supra multis argumentis absolutè reieci: sed arguo sic: vel substantia dictæ creaturæ, quæ per te est nullibi, ita præsens est immensitati Dei, vt vbicunque sit hæc, sit etiam illa, vel non ita præsens est. non primum, quia creatura illa esset vbique, & sic nõ esset nullibi; ergo secundum, sed ex eo deducitur, quod sit alicubi; ergo &c. probo hanc minorem subsumptam. illa creatura, quæ est quidem præsens

Digitized by Google

sens immensitati Dei, sed non ita illi congruit, vt vbicunque sit immensitas Dei, sit ipsa. debet illi esse præsens secundum quod inadæquatè, & veluti partialiter Dei immensitas accipitur; ergo debet esse illi præsens secundum quod correspondet alicui spatio determinato siue reali, siue imaginario. cum enim immensitas Dei in se sit perfectissimè vna, & indiuisibilis, non nisi per ordinem ad diuersa spatia in plures partes virtuales potest à nobis distingui, ac inadæquatè considerari; non enim de ea verificari potest, quod sit nullibi. si igitur illa creatura Dei immensitati inadæquatè correspondet necessariò erit aliqubi. quemadmodum enim æternitas Dei inadæquatè accepta limitatur per ordinem ad hoc, vel illud tempus, & non per ordinem ad creaturam existentem vt sic, ita & immensitas. Neque rationes in contrarium aliquid contrà nos euincunt. Ad priorem enim dico, quod licèt creatura non possit esse modo præsens, modo absens immensitati Dei adæquatè consideratæ, quia hæc omnia replet. potest tamen esse illi præsens, & absens si inadæquatè sumatur; prout dicit diuersas virtualitates. & defacto sol mane est præsens immensitati Dei prout correspondet Orienti, absens verò eidem prout correspondet Occidenti; contrà verò vesperi est præsens illi prout Occidenti respondet, absens verò prout Orienti.

7 Ad posteriorem verò distinguo antecedens; eandem intimam præsentiam habet Deus cum Petro existente Matriti, ac habet cum eodem existente Toleti: sumpta intima Dei præsentia secundum se, concedo: considerata prout est virtualiter multiplex, & secundum vnam virtualitatem correspondet Matriti, secundum verò aliam Toleti, nego antecedens, & consequentiam. vide Arriagam *in sua 2. editione a num. 142.*

8 Respondet secundò Cardinalis Pallauicinus *nu. 90.* duplicem dari præsentiam Dei ad creaturas. alia est, vt sic loquar, continentialis, per quam Deus est intimus creaturæ, vt conseruans, & dans illi totum esse, & totam perfectionem, quæ intimitas præcedit omne vbi, & ad eam sequitur, vt vbi est creatura sit Deus, vt continens tanquam causa totam perfectionem vbicationis creatæ, & ab hac præsentia non potest se eximere creatura. Alia præsentia est ratione propriæ immensitatis, cuius beneficio Deus dicit respectum ad omnem creatam vbicationem, & hæc præsententia non est in creatura in eo priori, in quo suam vbicationem præcedit, nec esset in re, quæ existeret nusquam. ex quo sequitur de essentia omnis creaturæ solùm esse, quod coexistat diuinæ immensitati materialiter acceptæ, prout hæc identificatur cum diuina Omnipotentia, quæ continet esse creaturę, non autem formaliter prout est immensitas.

9 Sed contrà hanc ingeniosissimam responsionem facit Primò, quia Deus, vt conseruans creaturam, & dans illi totum suum esse totamque perfectionem, non exigit esse illi intimè præsens, vt patet ex sole, qui licèt conseruet lumen in terra, & det illi totum esse totamque perfectionem, quam habet, non est tamen illi intimè præsens, vt de se patet. quod si dicat Deum propter nobiliorem modum operandi supra causas secundas vendicare sibi intimam præsentiam cum creaturis; Contrà secundò, quia præter quam quod, hoc gratis asseritur: est argumentum, nam sicuti Deus, non potest proximè producere, & conseruare creaturas, nisi per omnipotentiam, neque potest illas intuitiuè cognoscere, nisi per sapientiam, &c. ita neque potest illis præsentari nisi per immensitatem; ergo malè distinguitur duplex præsentia Dei ad creaturas.

10 Quod si respondeat dari etiam præsentiam Dei ad creaturas, quoad tempus, quæ habetur per æternitatem. Contrà est tertiò, quia sicuti non potest dari creatura existens, quamuis spiritualis sit, quæ non sit præsens æternitati Dei formaliter sumptæ: ita neque, quæ non sit præsens immensitati Dei, item formaliter consideratæ. quia sicuti non est perceptibile aliquid creari quin vel fuerit ante principium nostri temporis vel cum ipso principio, vel post illud. vt ipse fatetur, ita dicam ego neque esse perceptibile aliquid existere, quin vel sit intra mundum, vel extra mundum, seu in spatio aliquo imaginario, siue reali, siue fictitio. Quod si addat hoc prouenire, ex eo, quia non possumus aliquid concipere, nisi ad modum rei quatæ, quæ essentialiter est connexa cum loco; Ego etiam addam rem absolutam ab omni tempore neque esse perceptibilem à nobis, eo quod nihil concipere possumus, nisi ad modum eorum, quæ defacto semper concipimus, & videmus fieri in tempore. ex quo sequitur eodem modo esse inintelligibile dari duas existentias ita disparatas, vt neque sint simul, neque altera alteram præcedat, quoad tempus: ac quoad locum. ideoque sicuti ex inintelligibilitate illarum infertur à Cardinali non posse aliquid existere, & nunquam existere: ita ex inintelligibilitate harum inferri debet non posse aliquid quantumuis spirituale existere, & nusquam existere.

11 Quantum denique ad id, quod *nu. 90.* dicit differre vbi à duratione, quia ponere durationem est dare esse rei, at ponere in loco rem, non est dare illi esse: non videtur mihi procedere: qui enim ponunt rem posse esse, & simul posse esse nunquam: negant assumptum; & dicunt, quod ponere durationem non sit dare esse rei. siquidem putant coexistétiam cum tempore esse modum quendam superadditum rei existenti vt sic: non minus, quam sit præsentia ad spatium. ex quo sequitur in horum sententia dare esse rei impedire negationem existentię, per quam res ipsa existit; non verò negationem durationis ejus. nulla igitur est disparitas assignata. scio non nullos concedere in his paritatem, atque adeò asserere, quod quemadmodum res creata potest spoliari omni vbicatione: ita & omni duratione importante coexistentiam ad tempus. sed ego arguo ad homines contrà supra dictos auctores, qui vnum concedunt, & alterum negant: quorum aliqui illud etiam assignant pro disparitate: quia, scilicet, res creatæ maiorem habent connexionẽ cum tempore, quam cum loco, quod ex eo probant, quia potest Deus rem, quæ nunc est Patauii, immediatè post istud nunc ponere Romę, nõ transferendo illam per medium: at non potest eandem rem, quæ existit nunc transferre illam

im-

Digitized by Google

immediatè post in annum sequentem non transferendo illam per montes intermedios. sed hęc disparitas nulla est. in tantum enim non potest hoc posterius fieri à Deo; potest tamē prius; quia; Immediatè post hoc nūc habetur Roma existēs, cui res illa fieri potest præsens: at non habetur existens subsequens annus. Vnde nil mirum est si non possit immediatè post illud instans res illi fieri præsens.

12 Tertia denique responsio ad argumentum principale traditur à non nullis alijs, sic distinguentibus primum antecedens: nulla res creata existere potest cui Deus non sit intimè præsens, vel ratione sui, vel ratione actionis conseruatiuæ, per quam eam conseruat, concedunt; ratione sui tantum, negant antecedens, & consequentiā. dicunt enim, quod licèt quando res creata existit alicubi, Deus sit illi præsens, tum ratione sui, tum ratione actionis, per quam illam conseruat: at casu, quo dicta res existeret nullibi, Deus esset illi tantum præsens ratione actionis conseruatiuæ, non verò ratione sui.

13 Verum hæc responsio, præter quam quod videtur recedere à communi Theologorum sensu, volentium Deū necessariò per se ipsum creaturis omnibus esse præsentem: Impugnatur primò, quia in tantum ni auctores negant Deum per se ipsum esse præsentem creaturæ existenti nullibi, in quantum putant, quod præsentia essentialiter importet ordinem ad locum, videlicet, quod vbi est vnum, ibi sit aliud. sed hæc ratio probat, quod Deus neque per actionem conseruatiuam possit esse præsens creaturæ existenti nusquam; quia si est illi præsens per actionem, ergo multo magis erit ei actio præsens, atque adeò in eodem loco cum illa, quod est contrà suppositum; ergo &c. Quod si dicant actionem, per quam creatura illa existens nullibi conseruatur à Deo, non esse ipsi creaturæ positiuè præsentem, sed tantum negatiuè indistantem. Contrà est secundò, quia sic falsum esset, quod ratione illius Deus esset intimè præsens dictæ creaturę; ad summum enim esset ei negatiuè indistans. Contrà etiam est tertiò, quia positiua indistantia non sufficit actioni conseruatiuæ ad conseruandam creaturam alicubi existētem; ergo neque sufficiet indistantia negatiua eidem actioni conseruatiuę ad conseruandam creaturam nullibi existentem. Antecedens huius patet, quia actioni conseruatiuæ non satis est, vt positiuè non distet à re conseruanda, sed debet de necessitate totam eius entitatem, & singulas eius partes permeare, alioquin illam minimè cōseruare poterit. Consequentia verò suadetur, quia indistantia positiua dicit totum id, quod dicit negatiua, nimirum negationem distantiæ; ergo si positiua non sufficit, neque sufficiet negatiua.

Quod si respondeant positiuam indistantiam
14 præter negationem distantię importare extreitatem, quatenus ea, quæ se immediatè consequuntur, ita se habent, vt vna sit extra aliam, quæ extreitas à distantia negatiua minimè importatur, atque adeò non esse mirū si hæc sufficiat ad actionem conseruatiuam: non verò illa. Contrà est quartò, quia extreitas positiua, cum non tollat in casu nostro negationem distantiæ, non deberet impedire munus conseruādi, atquì impedit; ergo signum est, quod actio conseruatiua ad exequendum munus suum requirat intimam præsentiam, & positiuam compenetrationem cum re conseruanda; quæ cum non haberi possit sine existentia in loco: manifestè deducitur, nullam rem creatam existere posse nullibi. Et confirmatur, quia non potest assignari, cur extreitas positiua impediat, nisi quia requiritur intima præsentia ad actionē, quę per extreitatem excluditur. Quod si denique adiungas ex discursu facto solùm euinci hāc intimam præsentiam requiri solùm ex suppositione, quod res creata sit alicubi. Contrà est quintò, quia si semēl habemus sufficere negatiuam indistantiam inter conseruationem, & rem conseruandam; etiam si res conseruanda existeret alicubi, posset conseruari per actionem nullibi existentem, quia iam essent negatiuè inuicē indistantes. sed hoc videtur absurdum. minus enim ad eam dicta actio pertineret, quam si illā immediatè positiuè consequeretur. Ex quibus deducitur, quod ad hoc, vt actio conseruatiua creaturam conseruet, debet de necessitate esse illi positiuè præsens, & non quomodocunque, sed eam permeare, atque adeò in eodem spatio, in quo est illa, existere. Sequitur etiam ex dictis, quod nulla res creata faciens compositionem in ratione actus, & potentiæ cum alia re, possit diuinitus existere nullibi; nam nulla res potest facere compositionem cum alia in ratione actus, & potentiæ, nisi sit realiter illi vnita per vnionem informatiuam. sed hęc vnio non potest haberi nisi inter extrema inuicem præsentia, & simul compenetrata; atque vt sic dicam inuiscerata, magis, quam actio, & terminus eius; ergo cum huiusmodi præsentia, & compenetratio necessariò dicat existentiam in eodem loco, sequitur quod nulla res creata faciens compositionem cum alia in ratione actus, & potentiæ, possit diuinitus existere nullibi.

Probatur denique tertiò assertio nostra principalis. loquendo in specie de corpore. Quia si posset corpus diuinitus existere nullibi: vel ibi existeret extensum, vel inextensum. vtrumuis dixeris, sequitur quod existat alicubi; ergo &c. maior patet ex sufficienti partium enumeratione. minor probatur, & si quidem dicas, quod existat extensum, sic arguo: extensio importat positiuam extreitatem vnius partis ab alia. sed hęc haberi nequit sine locali presentia dictarū partium ad locum, in quo, vbi est vna, non debeat esse alia; ergo si corpus illud existeret extensum, iam esset alicubi: sin autem velis, quod existat inextensum. sic etiam vrgeo: corpus inextensum haberi nequit sine compenetratione suarum partium; atqui compenetratio partium dicit essentialiter præsentiam illārum in eodem loco; ergo si esset inextensum esset alicubi.

Respondet ad hoc Ouiedus *nu.* 6. de huiusmodi corpore philosophandum esse, ac si in rerum natura non existeret, atque adeò non habere 15
partes neque extra partes, neque intra. Quare dicendum est, quod sit inextensum negatiuè, non verò positiuè. ad probationem incontrarium responderi potest distinguendo maiorem. corpus in extensum positiuè haberi nequit sine penetratione suarum partium concedendo; Inextensum negatiuè negando maiorem, & concessa mi-

no-

Digitized by Google

nore; nego consequentiam in sensu intento.

16 Sed contrà est: si de hoc corpore ita philosophandum esset, ac si non existeret, negare possemus de eo actualem dependétiam à Deo, vnionem inter eius materiam, & formam &c. quæ sũt manifestè falsa. quemadmodum igitur ex suppositione, quod existat, debet actu dependere à Deo: ita ex suppositione, quod habet partes extensiuas debet actu habere illas copulatas, atque coniunctas. vel igitur habet illas sibi inuicem præsentes, vel non: si primum, iam est positiuè in extensum; quod tu negabas. si verò dicatur secundum *inintelligibile* est, vnam non esse extra *aliam*. non solùm extreitate negatiua, sed positiua, quod sic probo. Nam extreitas negatiua dicit solùm, quod vna non sit intra aliam: positiua verò, quod vna sit immediatè post aliam, & consequenter ad illam. sed hoc ipso, quod partes intelliguntur inuicem vnitæ per vnionem extensiuam, & non penetratæ, necesse est, vt intelligantur, quod vna sit immediatè post aliam sine interruptione; ergo &c. minor probatur, & quidem quod debet intelligi vna immediatè post aliam patet, quia hic est effectus formalis vnionis extensiuæ, vti dicemus. Tum est argumentum: ita est vna immediatè post aliam, vt non possit verificari, quod sint inuicem compenetratæ; ergo debet verificari, quod vna sit præcedens, & alia subsequens in ordine ad locum, atq; adeò quod habeant positiuam extreitatem, quod erat probandum.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiecta contrà prædicta.

17 OBijcies primò: ex Oniedo *puncto* 7. Præsentia est accidens quoddam superadditum creaturæ, productum per actionem distinctam ab ipsa creatura; ergo poterit Deus posita actione productiua creaturæ suspendere actionem, qua producenda erat eius præsentia. antecedens patet, consequentia probatur, quia actio ex vi cuius creatura producitur est prior actione, ex vi cuius producitur præsentia illi inhærens; ergo ad summum à posteriori tantum pendet ab illa, & non à priori. sed dependentia à posteriori potest suppleri à Deo; ergo poterit Deus creaturã nullibi conseruare. Respondeo primò hoc argumentum habere vim contrà eos, qui ponunt vbi intrinsecum modum, per quem res creatæ sunt præsentes. & quidem si daretur hoc vbi, certum est, quod per actionem distinctam ab actione, per quam produceretur creatura regulariter produci deberet; cum autem in mea sententia non detur: nullum est hoc argumentum. nego enim maiorem, & dico quod per ipsissimam actionem per quam res creatur sit præsens huic, vel illi spatio in quantum Deus vtitur inadæquatè Omnipotẽtia sua prout dicto spatio, in quo vult ponerè creaturam, correspondet; quod si prior intelligitur esse creatura, quam esse in hoc determinato spatio, hæc prioritas est rationis tantum. & in subsistendi consequentia in quantum non valet argumentari: Existit creatura; ergo est in hoc spatio. Contrà verò valet: Creatura est in hoc spatio; ergo existit; ad eum planè modum, quo non valet argumentari est animal; ergo est homo vel leo &c. valet autem è contrà est homo, vel leo &c. ergo est animal: quare quemadmodum ex hac prioritate non sequitur, quod animal possit existere sine omni differentia, ita neque quod creatura existere possit sine omni præsentia.

Respondeo secundò: admissa sententia præsẽtiam in modo constituente, concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationem, concesso integro enthymemate, nego minorem subsumptam vniuersaliter. licèt enim id verum sit casu quo res, quæ à posteriori dependet, non habeat connexionem essentialem cum eo, à quo dependet; falsum tamen est, si habeat; vt patet Primò ex homine, qui pendet à posteriori à negatione identitatis cum equo; & tamen non potest Deus in hoc illi dispensare: Secundò ex actione, quę licet pendeat à posteriori ab effectu suo; non potest tamen Deus huiusmodi dependentiam supplere, faciendo vt existat sine illo: Tertiò ex vnione modo, quæ etiã à posteriori à termino vniendo dependet, à quo non potest diuinitus separari. Quartò denique ex linea, quæ licèt fiat per actionem distinctam à curuitate, vel rectitudine sua, quas recipit tanquam modos superadditos. & actio per quam fit sit distincta ab actione per quam rectificatur, vel curuatur. nihilominus ne per absolutam quidem Dei potentiam potest existere quin vel curua sit, vel recta; ergo &c. 18

Instabis contrà hoc: Rectitudinem in linea esse coordinationem vbicationum localium; itẽ & curuitatem; & ideò non posse lineam vbicatã extensiuè vtraque carere diuinitus: Contrà verò posse si omni vbicatione spolietur. Respondeo assumptum esse falsum, vt patet ex eo, quia in diuinissima Eucharistia caput Christi Domini retinet suam figuram curuam, & Brachium suam rectam &c. quas figuras habent in Cælo; quis hoc negare audebit? & tamen carent dictę partes coordinatione vbicationum in ordine ad locum. falsum igitur est dictas passiones lineæ consistere in mera coordinatione vbicationum localis. vide Quiros *disput.* 50. *sui cursus sect.* 2. *n.* 8. vbi docet figuram consistentem in partibus continuatis non constitui ex vbicationibus. 19

Instabis: iterum nequit assignari vnde oriatur huiusmodi essentialis connexio, quam habet creatura à posteriori cum aliqua præsentia, hac, vel illa indeterminatè; ergo &c. 20

Respondeo, negando antecedens: Res enim siue finita, siue infinita sit debet necessariò tantumdem spatij sine realis, siue imaginarij occupare; ita vt sicuti est essentialiter connexa cum finitate, vel infinitate, ita & cum occupatione tantundem spatij siue realis, siue imaginarij, cui intelligatur præsentari. Quemadmodum igitur implicat, quod res quadripalmaris retinẽdo extensionem suam quadripalmarem, in spatio palmari collocari diuinitus possit, vti dicemus: ita multo magis, quod res existens, existere possit nullibi, hoc est in nullo spatio, neque reali, neque imaginario. Linquo instantiam ex duratione

Digitized by Google

ne desumptam, quam benè vrget Arriaga *in 2. editione.*

21 Obijcies secundò: ex Patribus docentibus Deum ante Mundi constitutionem fuisse nullibi; Tertullianus enim *lib. contra Praxeam c. 5.* ait Deū fuisse sibi, & mundum, & locum. Et Augustinus *in psalm. 112.* Deum habitasse in se; ergo esse nullibi potest competere creaturæ. consequentia probatur, quia ideò Deus post mundi creationem debet esse in mundo, quia in illum agere debet. atqui potest creatura esse, & non agere; ergo &c. Respondeo: Patres quando dicunt; Deum ante mundi cōstitutionem fuisse nullibi, intelligendos esse de spatio reali, & positiuo: nō autem de imaginario. quod constat ex eo, quia disputabant contrà eos, qui dicebant mundum non habuisse principium; alioquin sequeretur, quod Deus ante mundum fuisset nullibi; quam sequelam illis Patres concedebant. ex ea autem non sequi Deum tunc non fuisse in spatijs imaginarijs constat ex eo, quia multi ex Patribus docent Deum etiam post creationem mundi esse nullibi, inter quos August. *lib. 83. quæst. qu. 20.* Deus (inquit) non alicubi est, quod enim est alicubi continetur loco. In ipso igitur potius sunt omnia, quam ipse alicubi. & Chrisost. *hom. 5. in Epist. ad Colossens.* ait: Deum esse nusquam, ac passim alij: volentes exprimere Deum non contineri, neque concludi aliquo loco; sed potius omnem locum in se continere: quemadmodum igitur ex eo, quod Patres doceant post mundi creationem Deum esse nusquam, non sequitur quod ipsi negent eius præsentiam in spatio reali: ita ex eo, quod doceant ante creationem mundi esse nusquam, non negant eius præsentiam in spatijs imaginarijs.

22 Obijcies tertiò: ex Cardinali Pallauicino *lib. 9. cita. n. 86. & 89.* in tantum est impossibile, quod aliquod corpus sit nusquam, in quantum omne corpus est essentialiter institutum ad agendum in alia, non est enim gratia sui, sed felicitatis alienæ, ad quam inseruit, agendo tantum transeuntes, ad quod est necessaria vbicatio ad limitandam actionem, & ponendam vicinitatem inter passum, & agens; sed res spirituales sunt institutæ propter actiones immanentes, quæ non exigunt propinquitatem, & limitationem: quia sunt determinatę ad vnicum subiectum quod est simul agens, & recipiens; ergo res spirituales de potentia absoluta possunt esse nullibi.

23 Respondeo, negando maiorem: quamuis enim verum esset corpus omne esse essentialiter institutum ad agendum in alia (de quo potest esse dubium) non inde fit, quod si non esset sic institutum, posset absolutè esse nullibi. sed ad summum, quod quantum ex hoc capite non exigeret esse alicubi: supra enim satis probauimus: hoc ipso, quod res aliqua habet esse, sibi determinare necessario spatium siue reale, siue imaginarium, in quo sit; Et quidem hoc ipsum debere dici à Cardinali patet ex eo, quia alioquin, quemadmodum non obstante, quod corpus est essentialiter institutum ad agendum in alia potest diuinitus saltem ab omni actione cessare: ita etiam posset diuinitus esse nullibi. posito enim quod solum ad agendum vbicationem requireret; cessante fine, iam cessare deberent ea, quæ sunt ad finem; sed hoc non conceditur; ergo &c. Maiore autem negata, totum corruit argumentum; nam quamuis substantiæ spirituales propter actiones immanentes institutæ sint: nihilominus tamen hoc ipso, quod sunt, debent spatium, siue reale, siue imaginarium occupare. & multo magis quatenus immanenter operantur; quia sic debent cum sua propria operatione compenetrari.

Obijcies quartò: Ex eo, quod res sit, & nullibi sit, non sequitur contradictio; ergo hoc diuinæ Omnipotentię non est negandum. 24

Respondeo, negando antecedens quamuis enim esse, & esse nullibi non sint contradictoria formaliter: sunt tamen radicaliter, non minus, quam assensus, & dissensus, seu amor, & odiū efficax de eodem obiecto. Ratio est, quia cum spatium omne tum reale, tum imaginarium cōcipiatur esse conceptaculum cuiuscunque rei, quæ existit: hoc ipso, quod res esset, & nullibi esset; iam esset, & non esset. sicuti affirmatio intellectiua ad præsentiam negationis eiusdem obiecti.

Ex dictis sequitur implicare etiam contradictionem, vt res sit, & nunquam sit: seu quod in idem recidit, vt res sit, & non sit præsens alicui tempori siue vero, siue imaginario. De quacunque enim re existente vnum ex his tribus verificari debet: aut fuit, aut est, aut erit. quæ sententia sufficienter ex dictis remaneat probata; præsertim ex argumento ducto ex Dei præsentia. siquidem vnumquodque sicuti se habet ad spatium loci, siue realis, siue imaginarij ita & ad spatium temporis siue realis, siue imaginarij: quare sicuti nulla creatura potest se subtrahere à Dei præsentia, prout correspondet per immensitatem spatio loci: ita neque poterit se subtrahere ab eiusdem præsentia prout correspondet per æternitatem spatio temporis; & ratio vlterior huius rei esse potest, quia Deus non habet maius ius in res creatas quatenus est omnipotens: ac habeat quatenus est immensus, & æternus. Vnde sicuti nulla creatura potest ab eius omnipotentia se subtrahere, existendo independenter ab illa: ita neque poterit se subtrahere ab eius immensitate, & æternitate existendo absque eo, quod comprehendatur ab illis. 25

Suppetūt etiam pro hac nostra sententia confirmanda duo alia argumenta, quæ possunt similiter applicari sententiæ de spatio loci. quorum primum sit hoc: vel ad creationem huius creaturæ præcessit realiter eius negatio, vel non præcessit; si primum; ergo eius creatio fuit in aliquo determinato tempore, quando, scilicet, ex positione dictæ creaturæ eius negatio realiter desijt esse suo modo. sin autem dicatur secundum; ergo existimandum est eius creationem fuisse ab æterno, atque adeò eam fuisse præsentem Deo per totam æternitatem à parte ante. semper igitur verificatur huiusmodi creaturam non fuisse nusquam, & sine vlla duratione. Secundum verò: vel huiusmodi creatura potest destrui à Deo; vel non. secundum non videtur dicendum; ponimus enim eam non esse ex suis intrinsecis indestructibilem, neque ab extrinseco ex aliquo decreto 26

facto

Digitized by Google

facto à Deo eam conseruandi per totam æternitatem; ergo primum. ponamus ergo quod de facto destruatur. possibili enim posito in actu nullum sequitur absurdum; iam tunc succederet eius negatio, quæ esset præsens V. G. huic instanti cum non fuerit præsens instantibus præteritis; ergo iam ipsa creatura fuit præsens instantibus præteritis, & est præterita instanti præsenti. & sic fuisset nunquam ex suppositione, & non fuisset, vt probatur; quod implicat.

27 Neque dicas: rem, & eius negationem prout præscindunt à tempore non repugnare; & sic creaturam illam, quæ est, & non est in tempore, non excludere negationem sui quandiu est: neque illam per sui destructionem ponere. Ne id dicas, inquam, quia sic de huiusmodi creatura verificari possent contradictoria illa; quod scilicet esset, & non esset. quia iam eius esse non excludit negationem sui. ex quo manifestè deducitur creaturam nunquam existentem manifestam inuoluere contradictionem, siquidem existeret, & non existeret.

28 Neque iterum addas huiusmodi creaturam non potuisse creari à Deo, nisi ab æterno, neque ex suppositione, quod sic creata est potuisse destrui per totam æternitatem propter absurda, quæ inferuntur à nobis. Contrà enim est, quia posito, quod fuit creata ab æterno; ergo iam coextitit tempori imaginario, quod fuit ante mundum, & coextitit tempori reali, quod fluit durante mundo. falsum igitur est, quod huiusmodi creatura sit, & sit nunquam, de ea enim iam verificatur, quod fuerit, quod sit, & quod futura est. Atque hæc pro præsenti controuersia sufficiant. solum aduerto dicta argumenta posse etiã fieri contra creaturam nullibi, posito quod carẽtiæ rerum sint in spatijs, in quibus res ipsę non sunt, ad eum planè modum, quo carentiæ formarum ponuntur à Peripateticis esse in subiectis, quæ illis carent.

DISPVTATIO VIGESIMAQVINTA

DE REPLICATIONE EIVSDEM CORPORIS localiter extensi in pluribus locis.

1 IN præsenti controuersia tum Antiquorum, tum Recentiorum Theologorum ingenia se mirificè exercuerunt, arrepta enim occasione ex his, quæ fides Catholica docet de Venerabili Eucharistia, in qua, cum credamus Corpus Christi modo indiuisibili existere, & sub speciebus consecratis longè dissitis contineri; gradum sibi fecerunt, vt quærerent, an possit idem Corpus Christi Domini, & per consequens aliud quodcunque corpus modo diuisibili in pluribus locis existere, non quidem naturaliter; lumine enim naturæ constat vnum corpus in vno, eodemque instanti non posse esse, nisi in vno tantum loco sibi adæquato. sed per miraculum, & de potentia extraordinaria Dei.

SECTIO PRIMA.

Vtrum possit idem Corpus per absolutam Dei Potentiam esse simul in pluribus locis circumscriptiuè.

2 CONclusio est affirmatiua, quam tenet Scotus, Ochamus, Alensis, Maior, Marsilius, Soto, Bellarminius, Suarez, Valentia, Cardinalis de Lugo, Coninch, Hurtadus, Arriaga, Oniedus, Conimbric. Rubius, & alij, quos citat, & sequitur Comptonus *disp. 35. sect. 3.* cõtra Bonauenturam, Durandum, Henricum, Capreolum, Herueum, Complutenses, Vasquez, Masium, & alios, quos citat, & sequitur Mazziotta *in scholast. quæst. tom. 1. quæst. 5. sect. 2. nu. 7.*

Probatur autem nostra sententia, primò, quia nulla potest afferri huius rei implicantia, vt ex argumentorum solutione patebit; sed ea, quæ non implicant possunt fieri à Deo; ergo &c.

3 Probatur secundò: de facto Christus circumscriptiuè à die suæ Ascensionis semper in Cælo fuit; & erit vsque ad finem mundi ad dexteram patris sedens, iuxta illud *psalm. 109.* Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, quæ vltima verba videtur explicare Paulus *1. ad Corinthios 15.* sic: Donec tradiderit Regnũ Deo, & Patri, & euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem, quod Apostoli dictum postea dilucidauit Augustinus. Relatus *in cap. 1. hæresis de consecrat.* donec, inquiens, finiatur sæculum, sursum est Dominus Iesus. Atquì certum est post Ascensionem apparuisse in Terris Paulo. vt ipse Testatur *1. ad Corinth.* citata, vbi sic: Visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus, nouissimè autem tanquam abortiuo visus est, & mihi; ergo eodem tempore Christus fuit bilocatus, videlicet in Cælo, & in Terra.

4 Dices primò: huiusmodi apparitionẽ ministerio alicuius Angeli factam fuisse, sicuti in veteri testamento scimus Deum Angelorum ministerio, eius personam gerentium, sæpè Patribus apparuisse. Sed contrà est, quia eodem modo Apostolus loquitur de apparitione sibi facta à Chri-

Digitized by Google

à Christo, ac de cæteris apparitionibus, quas ibi recenſet. Atqui de fide eſt Chriſtum Dominum in propria perſona cum reali, & viſibili ſua exiſtentia poſt reſurrectionem apparuiſſe illis diſcipulis, de quibus loco citato fit mentio; ergo ſic etiam cenſendus eſt apparuiſſe Paulo.

Dices ſecundò: apparuiſſe quidem in propria exiſtentia, ſed in Cælo tantum exiſtentem, & ſpecies ſui in Paulo producentem: Contrà tamè eſt, quia Chriſtum non ex Cælo, ſed ex aere prope terram apparuiſſe Paulo pluribus oſtendit Bellarminus *lib. 3. de Euchariſt. cap. 3.* tum ex reali lumine, quod refulſit; tum ex voce, quæ ab omnibus audita eſt; tum denique ex eo, quia ſi Paulus Chriſtum in cælis vidiſſet, ſciuiſſet proculdubio quis nam eſſet; atque adeò eum non interrogaſſet; Quis es Domine? lege D. T. 3. *par. quæſt. 57. art. 6. ad 3.* vbi hoc, quod dicimus expræſsè docet. Ex quibus etiam apparet nullam quoque ſpeciem probabilitatis habere, quod Chriſtus in propria quidem perſona venerit ad Paulum, ſed modo indiuiſibili exiſtens, ſicuti in Euchariſtia. nam ſic nec loqui, nec videri potuiſſet abſque plurium miraculorum additione, quæ ſine ingenti neceſſitate non eſt ponenda. 5

Dices denique tertiò: Chriſtum apparuiſſe Paulo, ſine ſui replicatione, deſerendo Empyreũ ad modicum tempus. neque hoc eſſe cõtrà ſcripturas, quæ ſolùm ſignificare volunt, cæleſtem locum eſſe proprium, & permanens Chriſti domicilium; cum quo tamen ſtat, quod potuerit ad breuiſſimum tempus ex Dei diſpenſatione inde abeſſe. quod confirmatur ex eo, quod communiter docent Patres; videlicet Chriſtum Dominum in die aſſumptionis Virginis ad Terras deſcẽdiſſe, vt eam honorificentiſſimè in Cælum deduceret. Neque enim putandum eſt Chriſtum tunc ſe replicaſſe; alioqui, vel ſibimet Chriſtus Dominus occurriſſet, vel ceſſaſſet Virginem Matrẽ deducere, priuſquam ad tronum eius peruenus eſſet: ita fere Mazziotta *queſt. citata lect. 5. n. 109.* 6

Sed contrà eſt; & quidem quantum ad illarum ſcripturarum interpetrationem, in quibus agitur de Chriſti commoratione in Cælo, dico: eam eſſe violentam, quia ſcripturæ non ſolùm notant Chriſtum in Cælo poſt Aſcenſionem commorari, ſed quod hæc commoratio vſque ad diem Iudicij non ſit interrumpenda, vt euidentius patet ex Actorum 3. vbi ſic: Quem oportet Cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium; non quod ex tunc incipiat commorari in terris; ſed quod iterum ſit reuerſurus ad Cælum: atqui ſi Cælum ipſe aliquando antea deſeruiſſet hæ ſcripturæ non haberent veritatem; ergo &c. Neque dicas primò interruptionem illam quando apparuit Paulo fuiſſe modicam. parum autem pro nihilo reputari? ne id dicas (inquam) quia multi Patrum dicunt breuiſſimum quoque fore tempus Iudicij. Vnde fit, vt neque debuiſſent ſcripturæ aſſerere Chriſti commorationem in Cælo per deſcenſum eius ad iudicandum interrumpendam eſſe. Neque iterum addas. Deſcenſum Chriſti ad Paulum, & ad Virginem fuiſſe occultum, at illum in die Iudicij omnibus manifeſtum: Siquidem per hoc, quod Chriſtus deſcendit occultè, non tollitur quin commoratio- 7

tionem Cæleſtem interruperit. falſum igitur eſſet quod Cælum eum ſuſcepiſſet vſque ad Iudicium. Ex quibus patet rectè Valentiam *tom. 4. diſput. 6. quæſt. 3.* dixiſſe: eos qui vim huius argumenti nõ ſentiũt, loca relata ſcripturæ violentiſſimè interpetrari. cum præſertim ſine vllo abſurdo eodem modo philoſophari poſsimus de deſcenſu Chriſti ad Virginem ſuſcipiendam in die Aſsumptionis eius, dicendo quod ipſe ſe replicauit quoadusque illam in ſuo ſolio collocauerit. ſic enim neque Chriſtus Dominus ſibi occurriſſet, quia toto tempore ad Patris dexteram conſidebat. neque ceſsaſſet Virginem deducere, priuſquam ad Tronum ipſi paratum peruenisset, vt conſideranti patet; ergo &c.

Probatur denique tertiò: quia fide ſanctum eſt, idẽ numero Chriſti Corpus eſſe in Cælo, & in Terris, vbicunque habetur hoſtia conſecrata; & in Cælo quidẽ eſt circumſcriptiuè, in Euchariſtia verò definitiuè; ergo multo magis poteſt idem numero corpus eſſe diuinitus in pluribus locis circumſcriptiuè. Conſequentia patet, quia replicatio eiuſdem corporis in duplici loco, in quorum altero ſit definitiuè, in altero circumſcriptiuè, importat connaturalem quidem exiſtẽtiam in vno loco, in quo eſt circumſcriptiuè: at verò in altero ſupernaturalem, ex duplici capite, videlicet, & quia ibi eſt replicatum, & quia exiſtit ibi per præſentiam indiuiſibilem, minimè ſibi connaturalem. Atquì ſi in hoc alio ſolùm exiſteret replicatum cum propria diuiſibilitate: haberetur ſuparnaturalitas ex vno tantum capite; ergo ſi poteſt Chriſti Corpus eſſe in vno loco circumſcriptiuè: in alijs definitiuè: multò magis poterit eſſe circumſcriptiuè in pluribus. plus enim eſt exiſtere in pluribus, in vno diuiſibiliter, in alio indiuiſibiliter, quam diuiſibiliter in vtroque. 8

Ad hoc Argumentum ſoluendum mira ſunt, quæ congerit Mazziotta *d. n. 80.* ſummam reſpõſionis dicit attuliſſe Capreolum ad mentem S. T. *in 4. diſt. 10. art. 3. ad primum Scoti.* Reſpondet igitur negando conſequentiam. Diſparitas autem cur Corpus Chriſti poteſt eſſe præſens diuiſibiliter Cælo, & indiuiſibiliter pluribus ſpeciebus, non autem poteſt eſſe præſens diuiſibiliter pluribus locis: eſt, quia indiuiſibiliter exiſtens eſt ibi præſens per accidens. at vbi exiſtit diuiſibiliter eſt præſens per ſe. ideò autem idem corpus non poteſt eſſe præſens per ſe pluribus locis, quia quando eſt per ſe præſens loco, comprehenditur à loco per aliquid ſui, videlicet ratione ſuarum dimensionum; ſed non comprehenderetur ratione illarum, ſi ratione earum poſſet eſſe alibi; ergo implicat eſſe præſens per ſe pluribus locis. poteſt autem eſſe præſens pluribus locis in vno per ſe, in cæteris per accidens; ſiquidem dum eſt præſens per accidens loco, non comprehenditur ab illo per aliquid ſui, hoc eſt ratione dimensionum ſibi intrinſecarum, ſed ſolùm ratione extrinſecarum, videlicet panis, conuerſi in ipſum Corpus Chriſti, ſub cuius dimenſionibus eius ſubſtantia ſuccedit ſubſtantiæ panis. ſatis igitur erit Chriſti Corporis ſi ratione illarum dimensionum non poſſit eſſe extra ſibi ꝯtum locum, in quo ſunt ſpecies, quamuis de- 9

cx.

carere poterit esse extra ratione sui.

10 Sed contrà hanc responsionem facit primò, quia falso nititur fundamento: supponit enim rem comprehendi per se loco circumscriptiuè, essentialiter importare, quòd ne diuinitus quidem possit esse circumscriptiuè extra dictum locum. Quod falsum esse patet ex eo, quia esse circumscriptum, & terminatum loco, solùm importat ita secundum partes suas correspondere partibus loci, & toti loco secundum se totum: vt non possit esse extra illum connaturaliter. Quare licet corpus ratione suarum dimensionum habeat, vt comprehendatur ab vno loco, non tamen sequitur, quod non possit ratione earundem diuinitus ab alio simul circumscriptiuè comprehendi. dimensiones enim, ratione quarum dicitur comprehendi ab vno, se habent tanquam materia circa quam respectu illius, non verò tanquam forma comprehensionis. ad eum planè modum, quo equus ratione suæ entitatis dicitur comprehendi à Michaele, cum quo stat, quod ratione eiusdem entitatis possit etiam à Gabriele eodem tempore comprehendi.

Contrà secundò: dato quod Corpus per se
11 existens in loco circumscriptiuè non possit existere per se in alio item circumscriptiuè ratione dimensionum suarum, posita sententia eorum, qui dicunt huiusmodi dimensiones non distinguí realiter ab vbicationibus intrinsecis, quibus vna pars corporis est extra aliam, vt tenet Arriaga *disp. 14. physic. sect. 7. num. 118.* quia per hoc sce auctores idem erit dicere: corpus per se existens in vno loco diuisibiliter, non posse per se existere in alio item diuisibiliter, ac vbicationes intrinsecas non posse poni in diuersis spatijs; sed hoc non obstante, adhuc absolutè loquendo verificatur idem corpus posse diuinitus diuisibiliter existere in pluribus locis; ergo &c. Contrà
12 tertiò, & admitto pro modo dimensiones corporis ab vbicationibus partium eiusdem corporis ita distingui, vt ratione illarum non possit corpus diuinitus constitui in pluribus locis. Sed hoc non obstante adhuc stat idem corpus esse posse in pluribus locis circumscriptiuè: ergo. Probo subsumptum: quia dimensiones illæ, ratione quarum corpus est circumscriptiuè in vno loco, iam nihil aliud sunt, quam actualis extensio corporis partium in ordine ad locum; sed nó implicat posse idem corpus habere diuinitus plures actuales extensiones proprias, vnam ratione cuius comprehenderetur ab vno loco, & aliam ab alio; ergo, dato & non concesso, quod ratione illarum dimensionum, quibus comprehenditur ab vno loco circumscriptiuè, non possit comprehendi ab alio item circumscriptiuè: adhuc idem corpus poterit esse circumscriptiuè per se in pluribus locis. maior huius patet. non enim dictæ dimensiones sunt ipsa quantitas, alias Corpus Christi Domini in Eucharistia careret propria quantitate, quod non conceditur. minor verò probatur; quia in hac possibilitate dantur plures actuales extensiones varias, eiusdemque corporis proprias; & defacto corpus Beatum quando vult existere indiuisibiliter, in multorum sententia, corrumpit sibi illam extensionem, quam prius habebat, & quando iterum vult existere diuisibiliter, profectò non eandem numero, sed aliam sibi producit. quod verò possit diuinitus plures simul ex eis idem corpus habere in diuersis locis, patet tum quia non potest afferri huius rei implicantia: tum etiam à fortiori, quia Corpus Christi defacto habet simul vnum modum existendi diuisibiliter in Cælo, & alium existendi indiuisibiliter in Eucharistia. quanto magis igitur poterit habere duplicem modum existendi diuisibiliter in dupplici loco? Quod denique in tali casu idem corpus esset in pluribus locis circumscriptiuè, patet etiam, quia stat vnitas numerica corporis cum multiplicitate suarum extensionum, sicuti stat cum multiplicitate accidentium quibus informatur. Atque hoc verum est non solùm intelligendo nomine corporis substantiam corpoream affectam quantitate, sed etiam intelligendo substantiam corpoream quantam, affectam extensione actuali. Quemadmodum enim homo habens plures artes, in omni rigore est vnus artifex: ita corpus pluribus propijs extensionibus actualibus præditum, esset idem corpus, ratione quarum verè esset in pluribus locis. Neque dicas, quod in tali casu non 13
esset per se in pluribus locis circumscriptiuè, sed per accidens. Ne id dicas, inquam, quid enim intelligis quando dicis, non esse per se in loco in tali casu? vel enim, quod non sit per suam substantiam immediatè, sed per formam accidentalem, quæ sit actualis extensio; & sic nullum corpus etiam si naturaliter existeret, esset in loco per se, sed per accidens; vel secundò, quod non sit per aliquod sibi proprium; & hoc est falsum si supponimus illam aliam extensionem non esse alterius, vel denique, quod ex suis principijs intrinsecis non inclinet ad illam, & hoc est verum, sed tamen supponitur semper in quæstionibus in ordine ad diuinam Omnipotentiam, huiusmodi est hæc, quam præmittimus. Hanc viam inire mihi placuit, vt ostenderem quot vanis aduersariorum opinio fatiscat, nam dum cæteros sistendo in numerica entitate dimensionum eiusdem corporis, tanquam illi potentiæ assignare discrimen, erit diuinitus posse replicari idem corpus cum omnibus aliis accidentibus absolutis, quæ sunt in illo, & non poterit replicari cum isdem numero dimensionibus. quid enim habent repugnantiæ ad huiusmodi replicationem dimensiones illius?

Contrà denique est quartò: quamuis Corpus 14
Christi in diuinissima Eucharistia sit per accidens in loco circumscriptiuè, hoc est ratione specierum sacramentalium, sub quibus existit: tamen est per se ibi in loco definitiuè, non, quasi verò hunc modum essendi in loco, ex suis intrinsecis exigat, sed quia quamuis illum habeat miraculosè, non tamen ratione alterius habet, sed sibi immediatè à Deo tribuitur. Atqui hoc non obstante ex suppositione, quod si in vno loco definitiuè, posset esse in aliis, in quibus omnibus Eucharistiæ sacramentum veneramur; ergo poterit etiam diuinitus esse per se in pluribus locis circumscriptiuè, quod negatur, omnia patent præter consequentiam, quæ sic suadetur. Corpus Christi in Eucharistia non minus terminatur, & comprehenditur loco definitiuè per se, & ratione sui,

Digitized by Google

sui, modo paulò ante explicato, quam terminetur, & comprehendatur per se, & ratione sui circumscriptiuè; ergo si potest esse in pluribus locis definitiuè, sine implicantia; poterit quoque esse in pluribus circumscriptiuè. alioquin dicet hæreticus neque definitiuè posse.

15 P. Mazziotta *num. 90.* negat Corpus Christi esse per se in loco definitiuè in Eucharistia. Rationem huius rei assignat, quia, inquit, quod est definitiuè in loco, non dicit solùm esse totum in toto, & totum in qualibet parte spatij, sed duo præterea exigit. Primò vt per se sit in loco, id est ratione suæ quantitatis seu virtutis, alioquin esset in loco per aliud; deinde, vt sit in loco commensurato suæ quantitati seu virtuti. Sed Corpus Christi in Eucharistia non est ratione suæ virtutis, in loco, sed ratione eius, quod in ipsum conuersum est, neque definitur in loco illo specierum, sub quibus est; cum simili modo sit alibi; ergo &c.

16

Sed contrà est, quia licet Corpus Christi Domini sit in loco specierum ratione eius, quod in ipsum conuersum est, quatenus illi succedit, & eius vices gerit in ordine ad species: quatenus tamen est definitiuè in loco, non est ita: alioquin substantia panis debuisset esse definitiuè in loco specierum ad hoc, vt ratione dictæ substantiæ, quæ in Corpus Christi conuersa est, definitiuè existeret in loco. Quare dicendum est, quod sic existere definitiuè in Eucharistia competit Corpori Christi per se, hoc est non ratione alterius. Sed ratione modi miraculosi, immediatè sibi à Deo communicati, atque adeò proprij, non minus, quam censemus Beatos in Cælo per propriam sanctitatem, & beatitudinem constitui sanctos, & beatos.

17

Prima igitur conditio requisita à Mazziotta, vt aliquid dicatur esse per se in loco definitiuè, iam habetur in casu nostro; quod si hæc propositio ei non placet; do aliam, & est quod ratione potentiæ obedientialis habet, vt sit capax ad essendum in pluribus locis; porrò hæc potentia est identificata rei, cuius est potentia, atque adeò valdè propria illius: ergo &c. Quod autem neque desideretur secunda conditio constat, quia, licèt Corpus Christi Domini, quando existit sub aliquibus speciebus non sit in loco commensurato suæ virtuti, qua potest existere sub alijs speciebus: est tamen in loco commensurato suæ virtuti, qua defacto existit sub illis numero speciebus: & hoc sufficere ad essendum in loco definitiuè paritate sumitur. quia alioquin nullum corpus esset per se in loco circumscriptiuè. siquidem nunquam est in loco commensurato suæ extensioni locali, quæ siue naturaliter, siue supernaturaliter habere potest. nam corpus bipalmare V. G. ita circumscribitur loco bipalmari, vt possit per raritatem occupare locum quadripalmare. atque adeò locus bipalmaris non commensuratur extensioni, quam potest habere. cum igitur, hoc non obstante, dicatur corpus illud esse per se in loco circumscriptiuè. dicendum quoque videtur Corpus Christi existens sub vna hostia, esse ibi per se in loco definitiuè, quamuis miraculosè possit esse sub alijs. alioquin quando Angelus constituetur in loco angustiori, quem sua sphæra adæquata requirit: neque censendus esset existere definitiuè in loco, neque alio modo.

SECTIO SECVNDA.

Examinatur mens Diui Thomæ.

Obijcies primò: Auctoritatem S. T. qui multis in locis docet implicare vnum corpus esse simul localiter in duobus locis. vt in *4. dist. 44. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 4. 3. par. quæst. 75. art. 1. ad 3. quodlibeto 3. quæst. 1. art. 2.* vbi ex professo quærit vtrum Deus possit facere idem corpus esse simul localiter in duobus locis, & negatiuè respondet, & *in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 1.* assignat disparitatem cur nullum corpus possit esse simul in diuersis locis circumscriptiuè: possit verò Corpus Christi esse simul in Cælo, & in Eucharistia. 18

P. Comptonus *disp. 33. physic. sect. 3. num. 2.* ait Sotum, & Caietanum asserere sanctum Doctorem loquutum esse tantum de potentia Dei ordinaria, non verò de absoluta. Sed contrà est, quia Sanctus Th. expresè se declarat loqui de potentia extraordinaria Dei. vnum, aut alterum locum ad hoc probandum adducerem. etenim *in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 4.* sic habet: Vnum corpus esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum, quamuis miraculosè possit fieri, quod duo corpora sint in eodem loco. *in 3. verò quodlibet. quæst. 1. art. 2.* post quam negatiuam suam conclusionem probauit, sic concludit; Vnde ponere, quod sit localiter in hoc loco, & tamen sit in alio loco est ponere contradictoria esse simul. vnde secundum præmissa hoc à Deo fieri non potest. Non negauerim tamen dictam exposition horum Auctorum optimè quadrare rationi, qua in summa ille vtitur ad probandum Christum non posse esse in duobus locis modo extenso. sic enim habet *quæst. 75. art. 2.* Nihil potest esse vbi prius non erat nisi, vel per loci mutationem, vel per alterius conuersionem in ipsum. quod principium non est adæquatum, vt patet, spectata Dei absoluta potentia, atque adeò falsum: est tamen verum, attenta Dei potentia ordinaria, & secundum modum operandi rebus creatis congruentiorem. Hac igitur ratione cum S. Thomas vsus sit in summa, & non ea, quod diuideretur à se ipso, & quod esset, & non esset in loco. videtur probabile, quod in summa mutauerit sententiam, & huiusmodi bilocationem solùm in ordine ad legem ordinariam negauerit. 19

Respondeti potest secundò D. Th. loquutum esse iuxta sua principia, quod scilicet accidentia sumant suam individuationem à subiecto, in quo sunt. Quare sicuti per ipsum implicat contradictionem, quod duo accidentia solo numero distincta simul sint in eodem subiecto: ita quod per duas vbicationes simul idem corpus in duplici loco constituatur. Sed contrà est primò, quia si hæc ratio haberet vim; probaret etiam, quod neque Corpus Christi Domini posset esse sub speciebus Eucharisticis definitiuè in pluribus locis, siquidem etiam modus indiuisibiliter exi-

existendi sub his numerò speciebus non potest, nisi numericè distingui ab illo alio modo esse indiuisibiliter existendi sub alijs. Contrà etiam est secundò, quia in sententia D. T. diuersa loca quæ sunt, diuersitatem specificam imo contrarietatem habent. vt constat ex *dict. to. Ethicor. c. 4.* vbi sic: Non enim est idem secundum speciem pertransire hanc lineam, & illam quamuis enim omnes lineæ in quantum huiusmodi sint eiusdem speciei; tamen secundum quod in contrario situ, seu loco constituuntur, accipiuntur vt specie differentes secundum diuersitatem locorum. Ex quibus patet, quod vbicationes, in sententia S. D. non differunt numerò, sed specie: atque adeò quantum est ex hoc capite possunt esse simul in eodem subiecto.

19 Responderi potest tertiò exponendo D. T. quod quoties negat idem corpus non posse diuinitus simul esse in duobus locis, circumscriptiuè, non agit de corpore secundum se, sed prout affecto ea ratione, per quam ponitur formaliter in loco, quo minimum est præsentia sui ad determinatam partem fixam spatij. Cum enim supra probauerimus partes spatij esse etiam diuinitus immobiles: impossibile est, quod corpus ita sit præsens pluribus partibus spatij inter se distantibus, vt eadem præsentia, per quam est præsens vni parti, sit præsens alteri. sic enim iam ipsæ partes spatij distantes deberent fieri inuicem præsentes, quod implicat. nam licet corpus non præsentaretur vni loco per illam eandem præsentiam, per quam est formaliter in alio, sed per aliam: hoc ipso tamen quod præsentaretur cum illa, iam sequeretur, quod deberet secum transferre illam partem spatij, cui illa præsentia correspondet, & sic destrueretur essentia loci, quæ per immobilitatem vltimò constituitur. Ex hoc autem rectè deducitur, quando aliquod corpus, quod erat in vno loco, replicatur in alio, debeat indispensabiliter replicari sine præsentia, quam habebat ad primum locum: idcircò autem huiusmodi præsentiam D. T. appellauit nomine dimensionū quantitatiuarum, quia constat duplici dimensione extensiua: vna quæ est in corpore extenso: altera quæ est in loco, cui corpus præsens est. Totum hoc colligo *ex dict. 44. citata*, vbi sic discurrit S. T. Quamuis resistentia, qua mobile resistit mouenti per contrarietatem, quam habet ad talem motum, ratione inclinationis ad contrarium naturæ, possit à mouente infinitæ virtutis totaliter superari: non tamen resistentia, qua mobile resistit, ex hoc quod habet contrarium locum; nisi auferatur ab eo esse in tali loco, vel situ. sicut enim album resistit nigro ratione albedinis. & tanto magis quanto albedo magis distat à nigredine: ita corpus resistit alicui loco per hoc, quod habet locum oppositum, & tanto maior est resistentia, quanto est distantia.

20 Verum contrà hanc explicationem facit, quia sic neque corpus definitiuè existens in loco replicari posset.

Respondeo tamen concedendo sequelam, si corpus definitiuè existens in vno loco sumatur secundum quod dicit definitionem, quam habet ab illo loco; sic enim importat præsentiam ad locum, quam replicari posse supra monstrauimus implicare. Porrò hanc responsionem esse ad mentem D. T. docet ipsemet Mazziotta, *loco citato n.* 90. vbi probat eodem modo implicare corpus esse per se in pluribus locis, siue tandem circumscriptiuè, siue definitiuè sit in illis.

Instabis: idem S. T. 3. *par. quæst.* 81. *art.* 1. post quam probauit, quod Dominus suum corpus in vltima cœna cum cæteris discipulis sumpserit; Respondens ad secundum, in quo dicebant nihil posse esse in se ipso: id autem quod manducatur necessariò debet esse in manducante: Docet Christum fuisse in se ipso ratione specierum Sacramentalium, sub quibus fuit, quod fieri non potuisset, si corpus eius fuisset in sanctissima Eucharistia secundum proprias dimensiones: ergo pari. S. T. quod non solùm implicat vnum corpus bilocari, habendo in singulis locis vtramque præsentiam: sed etiam habendo proprias dimensiones. Respondeo negando consequentiam. quamuis enim non potuisset fieri, vt Christi corpus retinendo proprias dimensiones fuisset in ore, & stomaco Christi: hinc tamen non sequitur, quod non potuisset esse diuinitus alibi. 21

SECTIO TERTIA.

Expendantur cæteræ obiectiones.

OBijcies secundò: Implicat idem corpus esse simul indiuisum in se, & diuisum à se. sed hoc sequeretur, si posset bilocari; ergo &c. minor probatur, quia ex vna parte huiusmodi corpus ponitur vnum; ergo esset indiuisum in se. ex alia verò ponitur correspondere diuisis, atque inter se distantibus locis; ergo esset à se diuisum. Respondeo primò hoc argumentum si quid probaret, euinceret etiam neque Corpus Christi posse esse in Cælo, & in hostia consecrata, nec vno, nec pluribus. 22

Respondeo secundò: Concessa maiore, negando minorem, quod scilicet huiusmodi corpus esset à se diuisum, quia diuisio substantialis negationem identitatis importat, & ad probationem in contrarium, dico: posse vnum, & idem corpus beneficio duplicis productionis, vel duplicis vbicationis modaliter distinctæ, correspondere diuisis, atque inter se distantibus locis. In quo casu esset quidem dictum corpus diuisum à se, non quo ad se, siue substantialiter, quasi verò esset duplex substantia; sic enim implicaret: sed quo ad locum; quia esset vna numero substantia in duplici loco, in quo nulla apparet implicantia.

Instabis: Casu quo huiusmodi corpus replicatum, sibi recta linea per morum fieret obuium; ex vno capite deberet secum penetrari, quia idem non potest repugnare sibi ipsi: ex alia verò minimè, quia iam æquialeret duobus corporibus. Sed hæc implicant; ergo. Respondeo, negando, quod deberet secum penetrari. ad probationem in contrarium distinguo assumptum: idem sumptum secundum eandem prorsus partem non potest repugnare sibi ipsi, concedo: sumptum secundū diuersas partes nego; & dico quod licèt si res replicata esset indiuisibilis, vt Angelus, vel anima 23

Digitized by Google

ma rationalis, & sibi obuia fieret deberet secum penetrari, & replicationem amittere, eo quod hæc non haberetur, nisi consisteret diuersitas loci: præsertim si replicaretur per distinctũ vbi: posito tamen quod res est diuisibilis, dico quod repugnet sibi ipsi ratione diuersarum partium. quemadmodum enim nisi mea dextra manus obsistit sinistræ, ne intret in locum illius: ita casu, quo idem homo fieret sibi obuius dextrum latus pariter sibi sinistro resisteret, illudque à suo loco repelleret. Ridiculum autem est quærere, posito, quod via esset angusta; quis ex eis deberet locũ alteri cedere. aliqui enim dicunt, quod qui posterior fuit productus: contra, fac simul productos fuisse. melius ergo dicerem, hoc determinandum esse ab ipso homine. arcanis negotijs, alijsque circumstantijs, quæ ei in duplici illo loco occurrunt.

24 Obijcies tertiò: si corpus aliquod posset bilocari, sequeretur quod simul excederet, & non excederet vnum locum. Sed hoc implicat, vt de se patet; ergo &c. sequela maioris probatur, & quidem quod non excederet illum patet, quia ei congrueret, ita vt quot essent partes corporis: tot essent partes illius loci, & quantum protenderetur totum corpus: tantumdem protenderetur totus locus, alioquin non esset locus adæquatus illius. quod verò illum excederet probatur, quia iam esset in alio loco, ad quem non se extenderet locus ille. Respondeo, negando sequelam; quoad illam partem, quod excederet, cuius distinguo probationem, esset in alio loco per easdẽ numero partes, quibus commensuratiuè coexisteret priori loco, concedo: esset per alias numero partes, nego antecedens, & consequentiam: & dico quod tunc corpus diuinitus bilocatum excederet vnum ex illis locis, quando non per easdem numero partes, sed per alias alteri loco corresponderet. dum autem non res ita procedit in casu nostro, non est censendum, quod excedat. Ex quo deducitur, quod si corpus palmare replicaretur in tribus locis palmaribus immediatis: non posset absolutè loquendo dici maius corpore bipalmari non replicato. quia ad maioritatem cõstituendam requiritur excessus in partibus, qui non habetur in corpore illo palmari. Neque ratio Suarij incontrarium habet vim. Quod, scilicet, sicuti corpus bipalmare, beneficio penetrationis, occupans spatium palmare est illi æquale: ita, & in nostro casu: nego enim suppositum; quẽadmodum enim corpus palmare in triplici loco positum non est maius singulis locis: ita neque bipalmare positum in vno loco palmari est illi æquale; & ratio est, quia sicuti ad maioritatem pluralitas: ita ad æqualitatem requiritur æqualitas partium, quæ non habetur in casu nostro.

25 Instabis: si corpus palmare in duplici loco palmari positum neutrum ex illis excederet: sequeretur, quod causa formali, & diuisibili minimè crescente, cresceret, saltem quoad numerum, eius effectus formalis; sed hoc repugnat; ergo &c. sequela probatur, quia causa formalis existendi in loco circumscriptiuè est extensio actualis quantitatiua; sed ea non crescente posset corpus palmare esse in duplici loco palmari; ergo &c. Respondeo, negando sequelam; ad cuius probationẽ distinguo maiorem: causa formalis inadæquata est extensio, concedo: adæquata, nego maiorem: & concessa minore; ad consequentiam dico, rationem formalem, cur corpus coexistat alicui loco diuisibili non esse solam extensionem quantitatiuam, sed etiam præsentiam ad talem locũ, vnde fit, vt sufficiat multiplicatio præsentiarum ad hoc vt idem corpus possit esse in pluribus locis, siue demum dictæ præsentię multiplicentur per reproductionem eiusdem corporis, siue per productionem plurium vbicationum modalium, parum refert.

Obijcies quartò: ex Mazziotta *num.* 42. locus 26
est terminus rei locatæ; ergo res locata, quamdiu est in vno loco, non potest esse in alio. Consequentia patet, quia si poset. iam esset terminata ab vno loco, vt supponitur: & non esset terminata ab illo, eo quod esset extra illum: Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; ad probationem incontrarium dico: locum esse terminum rei locatæ connaturaliter solùm, quia ita continet illam, vt hæc ex vi causarum naturalium, quãdiu est in eo loco non possit esse alibi. cum quo stat, quod respectu diuinæ Omnipotentiæ possit. Vnde fit vt non ita terminetur ab vno loco, quin diuinitus possit esse alibi.

Instabis: corpus locatum, in vno loco habet 27
duplicem terminum vnum intrinsecum per quẽ in se terminatur: alterum extrinsecum, qui est superficies, qua continetur à loco, sed non obstante, quod huiusmodi termini sint simul compenetrari, non potest per absolutam Dei potentiam corpus esse simul alibi cum suo termino extrinseco; ergo neque poterit cum intrinseco. Respondeo, concessa maiore; distinguendo minorem: non potest corpus locatum in vno loco esse simul alibi cum suo termino extrinseco considerato præcisè quatenus terminus est alterius corporis, locatum in se continentis, nego: considerato in ratione loci, cõcedo minorem, & nego cõsequentiam. Dico enim, quod si terminus extrinsecus corporis locati considereretur, vt quædam superficies alterius corporis, certum est, eam quoque posse bilocari per replicationem corporis, cuius est terminus intrinsecus; Atque adeò posse corpus locatum in vno loco esse simul alibi cum suo termino extrinseco: at si consideretur prout est locus quidam importans præsentiam ad superficiem spatij imaginarij sibi correspondentẽ: sic accepta non potest, quia sic omnimodam immobilitatem importat. per quod patet disparitas inter terminum intrinsecum, & extrinsecũ corporis locati. Intrinsecus enim sub nulla ratione huic determinato spatio imaginario addictus est: contrà verò extrinsecus.

Instabis: iterum ex eodem Mazziotta *loco ci-* 28
tato. Angelus existens in sua sphæra adæquata vlnari V. G. est totus in vno palmo illius vlnæ, & tamen nõ est in illo tanquam in loco; sed nulla alia huius rei ratio esse potest, nisi quia Angelus tunc se extendit vltra illum palmum: ergo locus essentialiter importat negationem rei locatæ in alio loco. Respondeo, distinguendo secundam partem maioris; Angelus existens in vlna non est in uno eius palmo, tanquam in loco adæquato, concedo; inadæquato nego. & con-

cessa

Digitized by Google

cessa minore, distinguo consequens: locus adæquatus essentialiter importat negationem rei locatæ in alio loco, eò modo quo est adæquatus, concedo: eo modo quo non est adæquatus nego. Dico enim locum dupliciter posse intelligi esse respectu rei locatæ adæquatum; primò naturaliter, secundò obedientialiter. adæquatus naturaliter importat essentialiter hoc & indispensabiliter: quod res locata non possit existere simul naturaliter intra & extra ipsum. Adæquatus verò obedientialiter importat, vt res locata ne per absolutam quidem Dei potentiam existere possit simul extra ipsum. Iam verò palmus ille loci, vtrò modo est locus adæquatus respectu Angeli? unde non est mirum, si Angelus sit de facto connaturaliter extra illum, at verò idem palmus spatij respectu ligni palmaris est locus adæquatus naturalis, ad quem constituendum sufficit, si non sit dimensus, assignabilis aliquis status connaturalis dicto ligno, in quo sit simul extra illum locum cum quo stat, quod supernaturaliter posse alibi reperiri.

29 Obijcies quintò: respectu corporis loci vel daretur locus adæquatus obedientialiter, ita scilicet, vt ne miraculosè quidem posset esse extra illum, vel non daretur: neutrum dici potest: ergo &c. maior patet; minor probatur: si primum, deberet assignari num locus iste esset duplex, vel triplex tantum, & cur non posset amplius multiplicari? sin autem dicatur secundum, ergo idem corpus posset esse circumscriptiuè in infinitis locis, & sic omnia spatia imaginaria replere: sed hoc videtur absurdum: ergo &c.

Respondeo, concessa maiore: negando minorem, & eligo secundum membrum, quod scilicet, non detur numerus certus locorum in quibus idem corpus possit simul diuinitus reperiri, ita vt non sint assignabiles plures, & plures alij loci in infinitum, in quibus simul replicari possit. hoc ipsum enim tenemur asserere de locis, in quibus Corpus Christi definitiuè sub speciebus consecratis existit: non enim sunt, nec quia possint esse plures. alioquin posset dari casus, in quo Sacerdos legitimè verba consecrationis supra debitam materiam proferret, & nihilominus non conficeret Eucharistiam. Ad probationem in contrarium, distinguo sequelam: idè corpus posset esse in infinitis locis circumscriptiuè, 31 si quidem non repugnet ratione infinitatis, concedo: sin autem repugnet ex hoc capite, nego, idemque dicendum, quoad repletionem in toto spatio imaginario.

30 Instabis: ex Complutensibus *in lib. phys. disp. 9. dub. quæst. 8.* corpus vnũ quantum potest esse circumscriptiuè in vno loco non est aliud formaliter, quam habere vim ex se, & se ipso replẽdi locum: ergo posse replicari in pluribus locis non erit aliud formaliter, quam habere vim ex se replendi plura loca. igitur posse replicari in infinitis, erit formaliter habere vim ex se infinitam: sed hoc implicat in corpore finito: ergo &c. Antecedens patet: prima verò consequentia probatur: nam sicuti ex eo, quod vnum corpus vnũ locum replet, rectè arguimus esse in illo vim dictum locum replendi; ita ex eo, quod plura replent, est etiam debitum dicere, habere in se vim plura illo replendi, cætera patent.

Respondeo, concesso antecedente; negando 31
primam consequentiam: ad cuius probationem, nego paritatem disparitas est, quia sicuti replere de facto vnum locum competit corpori naturaliter, æque adeò ex suis intrinsecis: sic posse eundem locum replere etiam ex suis intrinsecis, & supernaturaliter ei comperta necesse est: ergo è contra, sicuti replere de facto plura loca simul nõ competit illi naturaliter, sed miraculosè: ita posse replere dicta loca, non nisi per absolutam Dei potentiam illi conuenire. sic ex eo quod videamus solem connaturaliter producere lumen, vt acto. V. G. rectè arguimus ex suis intrinsecis, & se ipso habere vim illud producendi: & tamen si videremus eum per miraculum producere lumen 32
vt centum, non benè deduceremus illum ex se, & se ipso habere vim producendi dictum lumen adeo intensum. non negauerim tamen quod ad hoc, vt vnũ corpus in pluribus locis replicetur, à Deo supponenda est in eo potentia quædam obedientialis, cuius beneficio Dei voluntatem exequi valeat. verum hæc potentia nullam aget infinitatem in ipsa creatura, quamuis per eã eleuari possit à Deo ad infinita cathegorematicè facienda, quia est potentia quædam incoata, & fundamentalis, & non nisi adiuta, & eleuata per potentiam Dei extraordinariam reduci potest ad actum.

Obijcies sextò: ex *Mazziotta nu. 46.* Vbi est 32
ratio actualis, actu collocans locatum in loco: sicuti vnio actu vniens extrema; ergo sicuti vnio non potest actu existere, & actu non vnire extrema, ita neque vbi existere potest, & actu non collocare corpus in loco. Atqui sic existeret: posito quod est vnum corpus, & duo sunt loca, ab illo repleta; ergo &c.

Respondeo, negando subsumptum: ratio negationis est, quia dualitas locorum non opponitur formaliter, nisi cum vnitate loci: non verò cum vnitate corporis; ergo ex pluralitate locorum non benè arguitur vnum corpus non posse simul in illis reperiri. & ratio vlterior huius rei esse potest, quia corpus replicatum in duobus locis nõ dicit, nisi duplicem præsentiam ad dicta loca, siue eam habeat per duplex vbi intrinsecũ, siue per duplicem actionem productiuam sui in illis locis positam. Quemadmodum igitur non implicat, quod idem corpus sit vnitum cum pluribus formis naturaliter inter se repugnantibus, vt cum summo calore, & summo frigore: ita neque, quod sit præsens pluribus locis adæquatis.

Instabis: ex eodem *nu. 68.* ex communi om- 33
nium sententia: vnum, & idem corpus non potest diuinitus simul rectum, & circularem figuram habere; ergo neque simul duas præsentias ad duo loca diuersa consequentia euincitur, quia non maiorem oppositionem habent inter se illæ figuræ, quam præsentiæ ad duo loca separata. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationem nego assumptum. vt patet ex corpore Christi Domini, quod licèt non possit vtraque figura diuinitus circumscribi: potest tum esse in pluribus locis in vno

definitiuè, in alio circumscriptiuè, seu (vt ipse Mazziotta admittit) in vno per se, in alio per accidens. Ratio disparitatis est, quia figuræ circularis essentialiter habet ponere omnes partes lineæ circularis æquè distantes à centro: Contrà verò figura rectilinea habet essentialiter ponere partes lineæ rectæ non æquè distantes à centro. Hæc autem est manifesta contradictio, quæ non habetur, si idem corpus ponatur in duplici loco, vt de se patet. Addo etiam, quod quemadmodum implicet quidem vnum corpus habere simul figuram rectam, & curuam in vno loco, non tamen in diuersis locis: ita implicabit vnum corpus in vno tantum loco existens, habere præsentiam ad duplicem locum: non verò si in duplici illo loco collocetur.

34 Obijcies septimò: si posset idem numero corpus miraculosè bilocari: sequeretur, quod in vno posset moueri, in alio quiescere; in vno amare Deum, in alio cum odio habere; in vno assentiri alicui obiecto, in alio dissentire; in vno summè frigefieri, & in alio summè calefieri: in vno vulnerari, & ægrotare, in alio non habere vulnus, & benè valere. Denique in vno viuere, & in alio mori. Sed hæc videntur implicare contradictionem; ergo implicabit etiam, quod idem numero corpus possit diuinitus bilocari.

35 Respondeo hanc obiectionem existimari à Soto, Mazziotta, & alijs, qui sunt nobis contrarij nullius roboris esse: dicendo distinguendum esse inter rationes, seu prædicata accidentalia, conuenientia corpori bilocato independenter ab hoc, vel illo loco, in quo existit, & rationes seu prædicata accidentalia respectiua competentia corpori ratione loci determinati, in quo est: vt habere hanc præsentiam, hanc passionem, hanc actionem transeuntem, &c. & siquidem sermo sit de prioribus rationibus, & prædicatis accidentalibus: hæc, aiunt, debere in vtroque loco competere corpori: cum enim horum prædicatorum possessio non conueniat illi ratione huius potius, quam illius loci, implicabit habere vnum illorum in vno loco, & non alio. Contrà verò si agatur de formis, & prædicatis accidentalibus posterioris generis: has dicunt non solùm posse, sed etiam debere competere corpori bilocato in vno loco tantum, & non in alio; eo quod corpus, prout est in loco præsens, differat à se ipso prout est præsens alteri: differentiæ namque ita se habent, vt vna excludat aliam.

36 Iam verò quamuis hæc doctrina negari rationabiliter non possit, loquendo de accidentibus secundi generis; si tamen sermo sit de accidentibus primi generis, non ita facile admittitur à nostratibus, præsertim ab ijs, qui sibem despectu omnipotentiæ Dei omnes prorsus formas, & rationes accidentales, etiam ipsas vbicationes intrinsecas in ordine ad replicationem absolutas à loco esse existimant. Quamobrem nos, vt confusionem vitemus, hanc quæstionem seorsim per plures sectiones examinandam esse putamus.

SECTIO QVARTA

An accidentia connexa cum vno loco, vel cum corpore, vt ibi existente debeant comitari corpus in alio loco replicatum.

PRima Conclusio: Corpus, siue per vbicationes modaliter distinctas vbietur, siue per reproductionem substantialem sui in dictis locis, nó potest ne per absolutam quidem Dei potentiam in vtroque loco vtramque vbicationem, seu reproductionem habere. & quidem quantum ad vbicationem id docet cum Arriaga, Oviedus *in phys. controu. 15. puncto 10. §. 1. n. 3.* vbi addit: omnium doctorum consensu hoc dictum approbari, quamuis pauci sint recensiores, qui oppositum teneant, dicendo posse diuinitus vbicationem Romanam, quæ Petrus V. G. est præsens Romæ, replicari cum ipso Petro Panormi, sumpta pariter ab vnione integrali partium quantitatis, & subsistentia. Sed hoc esse manifestè falsum patet ex eo, quod si vbicatio Romana modus V. G. posset replicari, iam deberet habere indifferentiam, & capacitatem ad recipiendam Panormitanam præsentiam modalem; sed non habet: tum quia nullum habemus huius rei fundamentum: tum etiam, quia hoc ipso, quod eius essentia constituit in præsentando corpus Romæ, necesse est, vt dictam indifferentiam, & capacitatem essentialiter à se excludat. Alias dicam ego, de essentia hominis esse, habere in vno loco rationalitatem cum indifferentia, & capacitate habendi in alio irrationalitatem. quo quid absurdius? Porrò hæc ratio, cum non militet contrà vnionem integralem partium quantitatis, quæ in multorum sententia per vnionem distinctam materiæ primæ vniuntur, licèt per se ipsam dictis quantitatis partibus vniatur nec non etiam contrà subsistentiam creatam modum in ordine ad aliquam naturam terminandam per vnionem distinctam, licèt simul terminet propriam per se ipsam: hinc fit vt negandum omninò sit etiam diuinitus posse præsentiam modalem, per quam corpus constituitur in vno loco, transferri simul cum illo in alium.

Quod verò attinet ad primam productionem substantialem, per quam corpus positum est hic, verum simul cum corpore posse transferri alibi, ex suppositione, quod alibi per etiam substantialem productionem reponatur, videtur esse maior difficultas, siquidem illa actio est indifferens ad essendum hic, vel alibi. non apparet igitur esse repugnantia in eo, quod simul cum corpore bilocetur. Verum hoc potest intelligi dupliciter primò considerata actione illa secundum se, & prout est productiua sui termini, & sic certum est non haberi in hoc repugnantiam. Secundò quatenus est connexa essentiale, ad hoc vt corpus potius hic, quam alibi constituatur, sub qua consideratione non solùm dicit entitatem suam indifferentem, sed etiam præsentiam ad hunc locum, cum negatione seu exclusione præsentiæ ad alium, sicuti diximus cum de vbi indistincto; Atqui dū

cor-

Digitized by Google

corpus est hic per vbi indistinctum, connotans actionem, qua productum est hic, necesse est, vt dicta actio dicat negationem sui in alio loco: ergo &c. Confirmatur: nec corpus in alio loco simul cum actione conseruatiua sui in hoc loco replicari. Quæro per quid remaneat in præcedenti loco formaliter, non per se ipsum, neque per actionem conseruatiuam, quia ambo sunt indifferentia ad esse hic, & alibi: ergo per actionem quatenus connotat negationem sui alibi implicat: igitur vt in casu à nobis posito dicta actio biocetur.

39 Secunda Conclusio. Rationes illæ, seu prædicata accidentalia, quæ competunt vbi corpori existenti in vno loco, & sunt essentialiter connexa cum altero corpore, approximato eidem loco, non possunt diuinitus comitari prius corpus, quod in alio loco distanti bilocatur, nisi etiã ibi replicetur corpus posterius, quod si connaturaliter tantum prædicata illa cum altero corpore sint connexa, non poterunt connaturaliter comitari prius corpus sine posteriori: poterunt verò miraculosè. Patet id quod dicimus: nam hoc ipso quod forma illa habet essentialem connexionem cum illo alio corpore, quoad præsentiam implicat, quod possit in vno loco existere, & non esse illi præsens: at verò si tantum connaturaliter illi connexa est: vtique non implicabit contradictionem existere alibi sine illo. Deus autem sicuti non potest dispensare in contradictorijs, ita potest facere quidquid contradictionem non implicat. Verum autem actio transiens sit essentialiter connexa cum suo principio, à quo procedit, an solùm connaturaliter, res est dubia. Qui enim dicunt posse diuinitus dari actionem in distans, videntur necessitati ad dicendum consequenter, quod saltem per absolutam Dei potentiam actio, qua hic Panormi ignis A. V. G. calefacit lignum B. possit comitari dictum lignum, quod Messanæ reproducitur, absque eo, quod ibi ignis A. reproducatur. Verum, etiam admissa actione in distans, potest oppositum sustineri dicendo, quod actio in distans sit diuersæ essentiæ, & rationis ab actionibus naturalibus per hoc, quod hæ importent connexionem essentialem, quoad immediationem, & præsentiam cum suo principio, quam non importat illa. Quod confirmari posset, tum quia illa actio est de ratione supernaturalis: tum etiam, quia cum actio de facto sit essentialiter actuale exercitium agendis cum indistantia operatis, impossibile est, quod illi copetere possit aliquis actus primus, qui sine hoc actu secundo consistere valeat, vt patet ex actione, quæ procedit à Deo, quam implicat non esse immediatè coniunctam cum ipso Deo. Sed quidquid sit de hoc. Illud quod in hac re mihi valdè displicet est dictum Ouiedi *controuer. 15. puncto 10. num. 9.* docentis hoc posse contingere etiam naturaliter. Atque adeò, stante miraculo replicationis ligni B. Messanæ, posse connaturaliter ibi replicari calefactionem ignis A. quæ fit Panormi, absque eo, quod Messanæ replicetur ipse ignis. Quod enim hoc sit apertè falsum probatur efficaciter, quia sic de igne Panormi existente verificaretur, quod naturaliter calefaceret lignum Messanæ positum. Sed hoc videtur incredibile, etiam si dicatur, quod hoc non contingat, nisi ex suppositione eiusdem actionis, quam Panormi exercet in eodem ligno sibi præsente; Et ratio esse potest, quia quoties aliqua res vendicat sibi aliquid connaturaliter, toties vbicumque res illa existit, illud ipsum habere ex suis principijs intrinsecis connaturaliter exposcit; ita vt non solùm exigentia, sed etiam terminus exigentiæ in illis locis ei debeatur; atqui actio vendicat sibi connaturaliter immediationem cũ sua causa efficiente; ergo vbicumque existat non solùm exigentiam præsentiæ illius, sed etiam ipsam eius præsentiam exposcit. maior, quæ sola probatione eget, patebit; nam ex quo ignis vendicat sibi connaturaliter calorem, si replicatur, exigit connaturaliter, vt simul cum ipso replicetur, & calor ac in vniuersum quoties replicatur subiectum aliquod, exigit connaturaliter, vt simul cum eo replicentur virtutes, & accidentia sibi debita, vt ipse met Auctor affirmat. cum igitur actio non minus exigat præsentiam causæ, à qua proficiscitur, quam substantia suas virtutes, & accidentia perfectiua: dicendum est, quod contrà eius inclinationem, & contrà id, quod connaturaliter exposcit, replicaretur distans ab ipso agente.

Obijcies: ex Ouiedo *num. 9.* vt actio pendeat à suo principio, tantum indiget esse illi approximata. Sed etiam si sit in vno loco distans, verificatur, quod sit ei in alio approximata; ergo non est cur ab eo non pendeat. Confirmatur: eatenus distantia potest esse impedimentum, ne actio pendeat ab agente, quatenus approximationem impedit. Sed iam non impedit, quia iam habetur approximatio in alio loco; ergo &c. Respondeo distinguendo maiorem: vt actio pendeat à suo principio connaturaliter, tantum indiget esse illi approximata quomodocunque, nego: approximata determinato quodam modo, videlicet, vt vbicunque existat, sit ab eo indistans, concedendo; & concessa minore, distinguo consequens: non est cur ab eo non pendeat, vbi est approximata, concedo. vbi non est approximata, nego consequentiam. Ad confirmationem verò concessa maiore, distinguo minorem: distantia, quæ est inter ignem existentem Panormi, & calefactionem Messanæ replicatam, non impedit approximationem Panormi, concedo. non impedit Messanæ, nego minorem; & ad consequentiam dico: ex hoc solùm sequi actionem illam calefactiuam ligni posse existere connaturaliter Panormi, & non Messanæ.

Instabis ex eodem: Approximatio actionis ad suum principium est solùm conditio ad substantiam actionis. Sed hæc est omninò eadem, siue replicetur, siue non; ergo eandem conditionem requirit suo replicetur, siue non: sed non replicata requirit approximationem in vno loco tantum: ergo etiam replicata. Respondeo ad maiorem: saltem naturaliter non dari substantiã actionis, quæ non sit hic, vel alibi: quare sicuti approximatio existens hic, est conditio ad substantiam actionis existentem hic: ita existens alibi, erit conditio ad substantiam actionis existentem alibi.

alibi; ex quo sequitur, quod quamuis actio bilocata sit omninò eadem; ad hoc tamen, vt connaturaliter in vtroque loco existat, debet in vtroque esse suo principio approximata; & ratio huius est quia, sicuti vt existat res connaturaliter debet vbicunque existit suas habere virtutes, & accidentia perfectiua: ita etiam suas conditiones, quas naturaliter exigit.

Subinstabis: ex eodem *num.* 10. si hoc esset: sequeretur, quod actio indigeret duplici approximatione ad suum principium, nó ratione sui, sed ratione duplicis præsentiæ ad duplicem locum, sed duplex illa præsentia non indiget duplici approximatione actionis ad suum principium: ergo neque actio ratione dupplicis præsentiæ. omnia patent, præter *minorem*, quæ sic suadetur. præsentiæ actionis bilocatæ tantum exigunt approximationem cum principijs, à quibus ipsæ procedunt, & non cum principio actionis, quam afficiunt: ergo &c.

42 Respondeo, distinguendo maiorem: indigeret dupplici approximatione ratione dupplicis præsentiæ tanquam causæ, seu rationis formalis, ob quam ipsa actio constituatur indigens, nego; tanquam conditionis sine qua non: concedo; & concessa minore, distingue eodem modo consequens. & dico verum quidem esse: actionem bilocatam non indigere dupplici approximatione ad suum principium propter dupplicem præsentiam, tanquam propter dupplicem rationem formalem, ob quam constituatur indigens approximatione; quia hoc habet ratione suæ quidditatis, & essentiæ, vt vbicunque sit, immediatè ad suum principium consequatur. Ex quo fit, vt numero præsentiarum seu locorum, in quibus actio reperitur, debeat correspondere numerus approximationum ad suum principium ab ipsa actione exactarum, positis dictis præsentijs tanquam conditionibus.

43 Objicies iterum: Potest effectus pendens in conseruari à sua causa, existere in duplici loco, etiam si in vno tantum sit approximatus actioni conseruatiuæ, & hoc quidem connaturaliter, vt docet idem Oviedus *loco citato n. 9.* ergo etiam connaturaliter poterit actio diuinitus existens in duplici loco esse in vno tantum loco approximata suo principio. consequentia patet, quia non minus effectus indiget in conseruari sua conseruatione, quam actio suo principio, à quo pendet: ergo &c.

44 Respondeo, negando antecedens; dico enim quod non solùm connaturaliter effectus diuinitus replicatus non potest in vno loco existere sine sui cõseruatione, sed ne per absolutam quidem Dei potentiam. rationem huius rei rectè affert Gisbertus *quæst. 12. art. 5. in 4. petitione*, quia nimirum terminus vt existens essentialiter, & immediatè præscindibiliter exigit penetrari cum actione, per quam ab agente dependet, ita vt habeat illam intrinsecè præsentem in eodem loco. alioquin posset quis dicere dari diuinitus posse solùm actionem Romæ ab agente profluentem, & effectum Panormi causatum, quo nil absurdius. Ex quo rectè deducitur: neque diuinitus posse vnionem modum, qui in vno loco habet extrema sibi præsentia, replicari in alio loco sine ipsis extremis. alioquin posito, quod Petrus existeret Panormi, per hoc, quod replicaretur eius corpus Messanæ, & eius anima Catanæ, & eius vnio Siracusis, iam esset totus Petrus replicatus, & per consequens eius materia in pluribus locis anima rationali informata, & ipse potens vitaliter operari in ijsdem locis; quæ omnia quam sint absurda, nemo est, qui non videat.

Atque ex his patet primò, quod si vnum corpus Panormi existens agat in aliud corpus, vel patiatur ab illo, non possit replicari in alio loco cũ actione, vel passione illa, nisi simul replicetur in eodẽ loco illud aliud corpus, in quod agit Panormi, vel à quo patitur. Patet secundò, quod si Petrus existens Panormi videret pratum vel audiret symphoniam, & replicaretur Messanæ: non posset ibidem connaturaliter replicatus habere visionem, seu auditionem illam, quia species visibiles, & sonoræ, à quibus actus illi visionis, & auditionis pendent, conseruantur ab obiectis Panormi existentibus. Vnde nisi huiusmodi obiecta Messanæ etiam replicentur, vel nisi Deus supplens munus illorum miraculosè conseruet in oculis, & in auribus Petri replicati species illas, aut sine dictis speciebus concurrat ad dictos actus illius, non poterit ibi habere actum visionis prati, & auditionis symphoniæ Panormi existentium. 45

SECTIO QVINTA.

Verum implicet contradictionem, quod accidentia absoluta, quæ habet corpus replicatum in vno loco non habeant in alio.

46 COnclusio est negatiua, quam communiter docent Auctores nostræ principalis affectionis. Dico enim, quod ea accidentia, quæ non dependent à loco, neque ab agente in illo constituto; possint saltem per absolutam Dei potẽtiam conuenire corpori replicato *in* vno loco, & non in alio V.G. Lignum replicatum potest esse Panormi summè frigidum, vel album: non verò Messanæ; sed potius ibi summè calidum, vel nigrum. est contrà Masium *4. physic. quæst. 5. cap. 5.* & nonnullos alios Thomistas.

47 Probatur, quia conflatum ex corpore, & huiusmodi accidẽtibus, quod habetur in vno loco, est concretum quoddam. Atqui nulla est implicantia in eo, quod ex huiusmodi concreto replicetur à Deo subiectum in alio loco, non verò forma: ergo saltem diuinitus id potest fieri. maior patet, minor probatur, quia si qua esset repugnantia maximè esset ex eo, quia idem corpus haberet, & non haberet illa accidentia. Sed hoc nó sequitur, nam ad hoc vt verificetur negatiua, deberet corpus nullibi illa habere; cum enim negatio sit malignantis naturæ: hoc ipso, quod corpus alicubi habet aliquid, sicuti de eo absolutè verificatur, quod illud habeat. ita absolutè falsificatur, quod non habeat.

48 Objicies cum Vasquez, Petrum esse album: est aliquid independens à loco: ergo vbicunque erit Petrus, necesse est, vt sit albus.

Re-

Digitized by Google

Respondeo: etiam per Vasquez Petrum existere, est aliquid independens à loco; et tamen Petrum existere hic dependet à tali loco. Sic licèt Petrum esse album sit aliquid vtcunque independens à loco: tamen esse album hic pendet ab hoc loco. non igitur implicat, quod non sit albus alibi. eodem modo Petrum Diuinum licèt non pendeat à loco, quod sit vnitum humanitati: tamen in mari non est illi vnitum, neque in cerevisia extra Eucharistiam, ergo etc.

49 Dices: ex eo, quod Petrum esse album, non pendet ab eo, quod sit prudens: ridiculum est dicere: Petrus est albus, si est prudens; non verò si non est prudens: ergo cum esse album, sit independens à loco, ridiculum erit etiam dicere: Petrus est albus Panormi; non verò si est Romæ. Respondeo, negando consequentiam; disparitas est, quia esse album non est ita independens à loco, vt vnum aliquem locum indeterminatum, naturaliter loquendo non requirat: at esse album ita est independens ab esse prudenti, vt nullam speciem prudentiæ naturaliter exigat. cæterum licuit esse album stare potest cum prudentia, vel cum negatione prudentiæ. ita esse album Panormi stare potest cum albedine vel cum negatione albedinis Romæ. Atque hæc in ordine ad diuinam Potentiam. Quid autem facere debeat Deus vt Auctor naturæ, posita miraculosa replicatione corporis in ordine ad huiusmodi accidentia, vt declaramus; sciendum est: duo genera accidentium posse nos in hac contingentia considerare. Vnum, eorum, quæ præsupponuntur in corpore in vno loco existente, antequam replicetur in alio. Alterum verò eorum, quæ acquirit post quam replicatum est. de vtroque autem singillatim agendum.

SECTIO SEXTA.

An omnia accidentia absoluta, quæ supponitur habere Corpus in vno loco: posita possa eius miraculosa replicatione in alio debeant connaturaliter cum eo replicari.

50 CONclusio est affirmatiua, quam docent nonnulli, quos suprà nomine cluæ Gratianus. Est tamen primò contrà Arriagam *disp.* 10. *num.* 146. & 147. vbi ait, quod licèt naturaliter loquendo ea accidentia absoluta, quæ sunt de naturali, et debita perfectione subiecti, ad huius replicationem replicari debeant, non tamen cætera, ac sic si Petrus existens Panormi habeat actum cognitionis, vel amoris, vel etiam habitum virtutis, et miraculosè replicetur Mediolani; connaturaliter loquendo non debet cum illo replicari ille actus, et habitus. est etiam secundò contrà ipsum Gratianum *quæst.* 12. *art.* 5. in responsione *ad secundam petitionem*. vbi ait, ea accidentia, vel formas, quæ faciunt ad perfectionem subiecti debere connaturaliter replicari: non autem ea, quæ subiectum minimè perficiunt. nostra verò sententia est: etiam accidentia huius certi generis, quæ scilicèt subiectum nulla ratione perficiunt, imò et inficiunt, ac deturpant, esse connaturaliter loquendo replicanda.

Probatur, et primò quidem quantum ad accidentia perfectiua, naturaliter debita subiecto, res est euidens. Nam subiectum, vbicumque est, suum naturale complementum exposcit, quia habet appetitum innatum, vt sit in se completum, neque perfectum; ita vt ex necessarijs nihil sibi desit. Sed formæ, et accidentia perfectiua naturaliter debita subiecto sunt naturale complementum, et perfectio ipsius subiecti; ergo vbicumque est subiectum, connaturaliter dictas formas, et accidentia, exposcit. Innaturaliter ergo, et contra eius inclinationem se gereret Deus, si illud replicando, non simul cum eo huiusmodi formas replicaret. Quod verò attinet ad alias formas, et accidentia, quæ perficiunt quidem subiectum, sed non sunt de naturali, et debita eius perfectione, vti sunt habitus scientifici; cognitiones veræ etc. Probatur etiam ex dicto principio: quia hoc ipso quod huiusmodi accidentia sunt perficientia, et ornantia subiectum; ita inclinat subiectum ad ea habenda, vt acquisierit ius ad illa; ergo violentia ei inferretur si sine illis, alibi reponeretur. Quamuis enim potiori inclinatione ad illas priores formas, quæ sunt suum naturale complementum feratur, quam ad has posteriores: fertur tamen, licet minus principaliter, ad illas. Vnde sicuti si spoliaretur illis, quando existit in vno tantùm loco ad nutum Dei beneplacitum, esset miraculum; ita etiam si existeret in duplici loco, et in altero tantùm haberet illas. 51

Denique quoad formas, et accidentia quæ subiectum minimè perficiunt; imò, et inficiunt, neque deçdant, quod scilicèt debeant vna cum subiecto connaturaliter replicari. Probatur, quia quotiescumque forma, et subiectum sunt inter se realiter vnita; toties Deus, si vult se gerere, vt Auctor naturæ, non debet illa dissociare, nisi ad exigentiam alterius creaturæ illorum dissociationem exigentis. Atqui in casu nostro forma inficiua, et subiectum supponuntur esse realiter inter se vnita, et in replicatione subiecti nullum habetur agens creatum, quod eorum dissociationem exigat, vti suppono; ergo Deus illa dissociando miraculosè, et non vt auctor naturæ se gereret, et sic debet connaturaliter huiusmodi accidentia vna cum subiecto replicare. Minor probatur, quia si qua causa eorum dissociationem exigeret: maximè causa productiua subiecti, quæ debet illi inclinationem oppositam ad eam formam: sed dicta causa iam cessit iuri suo, hoc ipso, quod eius exigentia victa fuit à causa contraria, quando hæc introduxit in subiectum illam formam ergo causa productiua subiecti minimè audienda est, et multo minus subiectum ipsum, quod succubijt, huiusmodi formam in se admittendo. 52

Probatur secundò eadem tertia pars conclusionis ad hominem contra Gratianum; qui *loco citato* indiscriminatim loquitur de omni actu cognitionis, et amoris, et de omni habitu, quod debeant connaturaliter replicari ad replicationem subiecti sui. Nam mulier ex his actibus, et habitibus nō sunt formè perfectiuę sui subiecti. Cognitiones enim fallę certum est, quod non perficiant hominem, neque habitus erroris, inuidentię etc. ergo etiam si cæterę formę non sint perfectiuę subiecti, imò ipsum imperfectum reddat; 53

debent

debent connaturaliter vna cum eo replicari. Rursus *in responsione ad primum quæstum post sextam petitionem*. ait, formam caloris debere vna cum aqua replicari, quia licet non sit perfectio aquæ: est tamen perfectio positiuè actuans ipsam materiam. sed si hoc est, nulla forma, aut accidens reperitur, quod non debeat ad replicationem sui subiecti replicari. Siquidem hoc ipso, quod se habet, vt forma, semper habet rationem perfectiui subiecti sui. ergo vana fuit illa distinctio inter accidentia, & formas, quæ faciunt ad perfectionē subiecti, & quæ non faciunt. nam omnia in aliquo sensu iam faciunt, & sic replicari debent.

54 Reprobatur denique tertiò, quia si illæ formæ, quæ subiectum non perficiunt, non deberent connaturaliter cū subiecto replicari; ponamus, quod Petrus Panormi claudus sit, & surdus, atque deformis; ergo si replicaretur Messanæ, Deus teneretur, connaturaliter loquendo, eum replicare sine huiusmodi formis accidentalibus illum defectibus. sed hoc videtur falsum. nam ex eo, quod Deus miraculosè replicet Petrum, non tenetur illum replicare sine defectibus, quos habebat, quando non erat replicatus. sic enim, si fuisset ægrotus, deberet illum replicare sanum; si deformis pulchrum, quia inter hæc non datur aliquid medium. At qui hæc prima fronte apparent improbabilia.

55 Objicies primò: sit lapis in medio aere descendens Panormi, si replicaretur Messanæ super terrā, vtique non exigeret replicari cum illo motu, quē habet Panormi; sed motus ille est forma, quæ facit ad perfectionem subiecti. ergo falsum est, quod omnia accidentia, & formæ facientes ad perfectionem subiecti, debeant vna cum subiecto connaturaliter bilocari. Respondeo concessa maiore: distinguo minorem; motus ille, est forma, quæ facit ad perfectionem subiecti: & est forma omnino absoluta, nego; & est connexa cum altero corpore existente Panormi, concedo minorem: et nego consequentiam. dico enim, quod in tantùm lapis Panormi mouetur deorsum, in quantum supponitur esse in aere: vnde cum motus ille fiat, vt graue sit infra leue, erit saltem connaturaliter connexus cum ipso aere, qui cum supponatur minimè cum lapide bilocari Messanæ; quinimò habetur ibi lapsis subrus leue; hinc fit, vt non debeat descensus ille vna cum lapide replicari.

Propter eandem ferè rationem, si lapis Panormi supponatur radijs solis expositus, et Messanæ replicetur subtus terras, vbi solis radij penetrare non possunt, quamuis forma luminis sit suo modo perfectiua lapidis, non peteret connaturaliter cū eo Messanæ replicari, quia neque per eandem actionem conseruari ibi potest à sole, neque per diuersam, vt de se patet.

56 Objicies secundò, si in replicatione corporis omnia accidentia eius essent connaturaliter replicanda: maximè id esset propter vnionem, quā cum illo corpore habent; sed hæc ratio nulla est. ergo etc. Minor probatur, nam ex eo quod vnum extremum sit vnitum alteri, non benè colligitur, quod vbicumque est vnū, ibi sit alterum; sed sufficit vt alicubi simul sit cum illo, quod constat tum ex anima rationali, quæ, quamuis sit vnita propriæ intellectioni, non tamen trahit illam ad pedem, et ad cætera membra, in quibus ipsa est, sed eam solùm habet in capite: tum etiam ex Verbo diuino, quod licet sit vnitum hypostaticè humanitati: non tamen eam trahit vbicumque ipsum est.

Respondeo concessa maiore, loquēdo de vnione informatiua, de qua nobis sermo est in præsentia: nego minorem; ad cuius probationem distinguo assumptum, ex eo quod vnum extremum sit vnitum alteri, non ideo vbi est vnum, ibi debet esse alterum: si aliquid obstat, concedo; si nihil obstat, nego; & dico quod quoties vnum est alteri informatiuè vnitum, vbicumque est vnum, debet esse alterum; si nihil obstat, sicuti vidimus nihil obstare in casu nostro. Per quæ patet responsio ad duplicem confirmationem assumpti; & quidem ad priorem ductam ex animā rationali, eiusque intellectione dico, obstare aliquid: ideo enim intellectio nō comitatur animam in cæteris partibus corporis, quas ipsa informat, sed solùm est illi præsens in capite, quia est operatio quædam aliqualiter pendens à phantasmatibus, quæ sunt solùm in capite, in quo est organum imaginationis, et phantasiæ. vnde fit, vt nonnisi in capite ipsam animam comitari debeat. Quod si dicta organa in cæteris membris existerent: non esset, cur in illis anima rationalis intellectiones suas non haberet. Ad posteriorem verò aio, ne humanitas sit vbicumque est Verbum diuinum, cui vnita est: obstare, quod ea non habeat vllam rationem formæ respectu Verbi. vnde est, vt Verbum non exigat, vbicumque est habere illam. Potius enim Personalitas Verbi est illa, quæ complet naturam humanam. Vnde potius hæc requirit, vt vbicumque sit, habeat vnionem ad Verbum, et non è contra. Quod si ponatur vna forma in pluribus locis exiget quidem illa in dictis locis vnionem cum subiecto, non quatenus perfectiua est subiecti, vt sic, sed quatenus modus existendi extra subiectum est sibi innaturalis. Contra verò modus existendi Verbi diuini sine natura humana, est maximè illi connaturalis. adeo vt vnio ad illam fuerit miraculorum maximum. Vnde neque ex hoc capite Verbum exigit vbique habere vnionem cum natura humana.

Objicies tertiò: si corpus aliquod æque primo 58
crearetur à Deo in duobus locis; dicis exigere in vtroque loco accidentia perfectiua: at non eadem numero, sed æquè benè distincta numero in vtroque loco exigeret. Ad accidentia verò non perfectiua minimè inclinaret, et sic non esset, cur deberet illa in vtroque loco participare. Sed eædem rationes militant, casu quo supponitur corpus ante replicationem in vno loco productum; ergo etc.

Respondeo ad maiorem: et quoad priorem eius 59
partem dico, quod etiam si supponatur corpus indifferens ad hæc numero accidentia perfectiua, vel alia, in omni casu exigeret habere eadem, et non distincta numero, quia ipsum inclinat quantum potest ad vnitatem. vnde sicuti ipsum est idē numero in duplici loco, ita requirit eodem modo accidentia; multiplicatio enim numerica eorum est maior exorbitantia à lege naturæ, quam replicatio, posita replicatione subiecti, vt de se patet. loquendo autem de accidentibus infectiuis subiecti, quæ Deus ad libitum tribueret illi, in vno

loco

SECTIO SEPTIMA.

60 CONCLUSIO affirmativa contra Quindos. Probatur primò quia huiusmodi formæ accidentales, quæ adueniunt corpori postquam est in duobus locis replicatum, reperirent illud, ac si esset duplex, & ac si esset duæ res realiter inter se distinctæ, atque distantes: ergo cessat ratio cur dictæ formæ dum producuntur in illo in vno loco, debeant illud in alio loco comitari.

61 Probatur secundò: Idem lignum replicatum sit æquè primò applicatum in vno loco V. G. Panormi agenti maximè calefactiuo; Messanæ verò agenti maximè frigefactiuo. Profectò hoc lignum Panormi redderetur summè calidum, & Messanæ verò summè frigidum. Sed si huiusmodi qualitates deberent in vtroque loco lignum connaturaliter comitari, sequeretur, quod dictum lignum deberet esse connaturaliter cum Panormi tum Messanæ summè calidum, & summè frigidum: cum igitur hoc connaturaliter repugnet, vt de se est manifestum, sequitur, quod summus calor, qui acquiritur Panormi, non debeat Messanæ replicari, neque summus frigus Messanæ habitus, replicari Panormi.

62 Dices primò in tali casu lignum non fore summè calefaciendum, & frigefaciendum, quia fortius ex illis agentibus impediet alterum, ne suum producat effectum, eodem prorsus modo, ac si essent vnibo applicata ligno in eodem loco. Sed contra est (inquit Masius) quia nunc fortius agens impediret debilius, quando vnum esset intra sphæram activitatis alterius. Quomodo enim potest intelligi, quod hoc agens impediatur ab illo, si illud non potest extendere actionem suam ad locum, vbi est hoc? Verum ad hoc facilè responderi posset ab aduersarijs, dicendo, quod ad hoc vt vnum agens alterius actionem in aliquod passum impedit, non sit necessarium, vt alterum agens sit intra sphæram activitatis illius: sed sufficit, vt passum sit intra sphæram activitatis vtriusque, nam actio impedienda est in eo, in quo fieri debet huiusmodi actio: est autem passum: non verò agens. quare cum supponatur passum applicatum esse intra sphæram activitatis vtriusque, non est mirum si vnum ex his agentibus, alterum impedire possit. Sed contra hanc responsionem facio, quia hoc passum per replicationem tam æquinalet duobus passis, quam sunt pro eodem loco Panormitanum, non occupat locum Messanensem. Ita prorsus est præsens agenti calefactiuo Panormi non est præsens frigefactiuo Messanæ; & sic falsum est, quod passum præsens in vno loco sit intra sphæram activitatis vtriusque: non igitur fortius agens potest impedire debilius.

63 Dices secundò cum Giattino *in responsione ad primum fundamentum*: Capacitatem subiecti per replicationem non auferre materiam, quam quemadmodum ligamen id vno loco non potest simul esse calidum in summo, & frigidum in summo, quia non est capax nisi octo graduum primorum quidditatiuè, ita neque in duplici loco. Sed contra est ad hominem, quia ipse, *in responsione ad primum fundamentum quinti, versic. Tertiò*, docet, quod si Deus poneret lapidem vt g. Messanæ in aere, Panormi verò infra argentum viuum, seu plumbum liquefactum, conaretur liquidus descendere, & ibi descendere. Item *in responsione ad primum quintum*, docet, quod si eadem libra plumbi esset applicata per tres vbicationes diuersis partibus eiusdem lancis, vna grauitaret, ac si essent duo libræ. Quibus positis sic arguo. Si capacitas subiecti per replicationem non euaderet maior, non posset idem lapis simul descendere, & descendere, atque adeo (vt idem auctor fatetur) etiam per eandem rectam lineam eodem tempore moueri duobus motibus contrarijs, idemque dicendum de capacitate libræ plumbi in ordine ad recipiendam in se ponderositatem actualem duarum librarum. verumque enim non solùm prædicti modum, sed recipit in ordine ad recipiendas qualitates, tum in ordine ad agendum, tum denique in ordine ad resistendum: quamuis non esset replicatum: non quod eius virtus, & capacitas intensiuè augeatur (est enim eadem numero in duplici loco) sed quia augetur extensiuè, quatenus duplicem occupat locum. Vnde corpus sic replicatum exigit a Deo duplicem concursum tum in ordine ad agendum, tum etiam in ordine ad patiendum, seu recipiendum, vt si verè esset duplex: & quidem pro hac sententia multi citantur à Comptono *sect. 3. num. 4.* sed præcipuè Maior *in 4. dist. 10. quæst. 4. ad quartum*, vbi sic concedo, quod Thersites tantum pondus portare potest in pluribus locis, quantum Aiax in paucioribus: & quod gutta aquæ multoties replicata localiter ferre posset nisi naues, quibus Græci etiam Troiam applicuerunt. & quod vnus puer posset sufficere exercitui Xerxis, vel Darij per positionem in pluribus locis: sic ille. Verum in his posset aliqua disparitas assignari in accidentia absoluta, quæ corpus bilocatum post replicationem suam acquirit in vno loco, non exigere habere in alio: nimirum quod vna numero virtus in duplici loco posita, æquiualeat duplici. At ex hac positione quod accidentia, quæ acquirit in vno, exigat etiam in alio habere, nulla est disparitas assignata; eo quod dicta exigentia supponere, necessariò debet in subiecto existere in vno loco tan-

natum virtus in quantum requireret ad illa omnia accidentia causanda, & non esset alibi replicatum, ut sic inæqualitas à Gratino assignata cum effectu tollatur.

64 Objicies primò: Corpus bilocatum exigit connaturaliter in posteriori loco habere omnia illa accidentia absoluta, quæ in priori loco ante bilocationem habebat, ergo exiget etiam habere illa, quæ post bilocationem in illo loco acquirit. Respondeo concessa antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est; quia quando corpus quod in uno loco antea existebat primò, replicatur in alio: ex una parte habet ius secum transferendi suas omnes affectiones, quia facta sunt propriæ illius, & ex alia parte nequit habere in natura aliquid, quod ex suppositione replicationis eius, iure reclamet in contrarium: nam corpora circumstantia, quæ videlicet sunt circa locum, in quem replicari debet, licet ratione quo per motum localem sine replicatione illum locum occuparet, non exigerent, ut unum primo nudaretur affectionibus suis: ita neque casu, quo ibi incipit esse per bilocationem, eadem prorsus modo se habent in ordine ad illa corpora, sive præsentia sint uno modo, sive alio. At verò si postquam aliquid est bilocatum illa accidentia, quæ acquirit in uno loco, acquisierit simul in alio: posito quod lignum Panormi esset proximum ingenti calefactivo Messanæ verò ingenti frigefactivo, perturbaretur ordo, quem natura inter agentia, & passa constituit, qui est, ut à corporibus longè distantibus, quæ non possunt extendere actionem suam ad locum pugnæ, quæ est inter agens, & passum, nullatenus adiuvari possint; quem quidem ordinem perturbari probo ex eo, quia si lignum calidum ut quatuor v. g. esset quidem Panormi vicinum calefactivo, ut octo, Messanæ verò frigefactivo, item ut octo, & qualitates, quæ acquirit in uno loco, exigeret in alio, sive supponamus Panormi calefieri, & Messanæ frigefieri, sive non, semper ab uno contra aliud adiuvaretur, & quidem ut calefieret, & frigefieret: per calorem Panormi acquisitum, & Messanæ replicatum, resisteret Mamertino frigefactivo, & è contrà calefactivo Panormitano per frigus Messanæ acquisitum, & replicatum Panormi: si verò neque calefieret, neque frigefieret, ab utriusque agentis oppugnatione se liberaret, vel saltem ab oppugnatione alterius si vel frigefieret tantùm, vel tantùm calefieret. Unde fit, ut agentia, quæ sunt circa corpus replicatum in duobus locis, exigat à Deo, ne qualitates, quas in uno loco acquirit, replicentur in alio: & quia hoc est in bonum totius naturæ, ut scilicet eius ordo seruetur, eorum exigentia prævaleat contra ius, quod acquiritur beneficio unionis informativæ. Linquo corpus hoc ipso, quod per replicationem acquisivit ius æquivalendi duobus corporibus in natura, amisisse illud quod habuit respiciendi omnia accidentia, quæ ubique habet instar unius corporis.

65 Instat Quiedus n. 7. & cum eo Quiros *loc. cit. num.* 28. Frigiditas petit negationem caloris in hoc subiecto: ergo si occupat subiectum Messanæ, petit, ut calor nullibi subiectum ipsum informet. Item frigiditas petit corruptionem illius caloris: ergo petit, ne alicubi existat calor illi quod enim alicubi est, corruptum non est. Repugnat igitur lignum bilocatum esse calidum in uno loco, & in alio frigidum. Respondeo ad priorem instantiam distinguendo antecedens: petit negationem caloris in hoc subiecto, prout subiectum est hoc tum formaliter, tum virtualiter concedo, prout est hoc solùm formaliter, & virtualiter aliud, nego antecedens, & consequentiam, quia subiectum alibi replicatum, licèt sit formaliter, & idem ac est Messanæ est tamen virtualiter aliud. Frigiditas verò petit negationem caloris in subiecto prout est Messanæ, atque adeo prout virtualiter illi ibi, non verò prout est virtualiter à se distinctum. Per quæ patet responsio ad posteriorem instantiam: dico enim frigiditatem petere corruptionem caloris, non qualitercumque, sed *in subiecto*, quod non est virtualiter distinctum, & aliud ab eo, quod est in loco, ubi exercetur frigefactio. Quare cum supponamus hanc exerceri Messanæ, hinc fit, 66
ut frigiditas non petat corruptionem caloris; quem habet lignum Panormi, ubi existit, ut virtualiter à se distinctum, nego itaque consequentiam.

Objicies secundò: si posset corpus in duplici 66
loco replicatum, habere contraria accidentia in diuersis locis, sequeretur, quod posset in utroque loco naturaliter simul moueri duplici motu: sed absurdum est, quod posse corpus naturaliter duplici motu simul moueri, ergo &c. sequela probatur, quia vtrobique haberet grauitatem suam: ergo posset vtrobique in aere, vtrobique descendere. Minor etiam suaderur, quia vni corpori vni debetur motus naturalis. Respondeo concessa consequentia, distinguo minorem, absurdum est, quod possit idem corpus naturaliter duplici motu simul moueri, non posita eius replicatione in duplici loco, concedendo ea posita, nego minorem, & ad eius probationem dico vni corpori non bilocato deberi vnum motum, at bilocato deberi duplicem. non quod velim dari maiores vires in corpore ad duos illos motus peragendos, sed quia existimo, quod esse eadem vires replicatæ exigunt à Deo duplicem concursum in vtroque loco ad duos illos motus peragendos, sicuti supra vidimus.

Objicies 3. Si posset homo bilocatus acciden- 67
tia, quæ acquirit in vno loco naturaliter non habere in alio, sequeretur quod in vno loco posset esse saturin altero ieiunus, in vno bene se habere, in altero ægrotare; denique in vno viuere, & altero mori; sed hæc omnia sunt absurda, ergo &c. Respondeo priorem sequelam negari à Gratino *in responsione ad quæsitum post pet. 6.* vbi sic quod si quis replicatum in vno loco comederet cibus in ventriculo deberet connaturaliter replicari etiam in alio loco eo quod cibus in ventriculo est aliquid spectans ad complementum viuentis, est enim alimentum proximum potentiæ digestiuæ. quare eius venter non posset plus cibi in duobus locis capere, quàm in vno. Contra verò vas replicatum potest plus in duobus locis capere, quam in vno, & sic potest esse naturaliter Roma plenum aqua, Florentiæ verò vino. Sed contra est, quia præter quam quod verè vas completur corpore, quod in se continet, atque adeo vtrique diuersæ paritas distinguendum est de com-

ple-

complemento; & siquidem initio replicationis inuentus fuisset homo satur, concedo, quod debuisset replicari vna cum cibo contra verò si postea cibum sumpsit; nam si ratio complementi hoc exigeret: sequeretur, quod aqua replicata, quæ in vno loco natiuam frigiditatem, repellendo à se calorem acquisitum exigeret eandem frigiditatem habere in alio, etiam si in lebete superposito ardentissimæ fornaci longo tempore existeret; quod quam sit naturæ ordini repugnans nemo non videt. Addo quod ipse immediatè post docet, posse hominem replicatum amittere in vno loco, per vulnus acceptum, vnionem continuarium partium, & non in alio, quia, scilicèt, ibi dispositiones ad continuationem requisitæ perseuerant. quod si vulnus est lethale, cessare in loco vulneris vnionē inter materiam, & formam non verò in alio. Quo posito sic arguo; cum vnio continuatiua partium quantitatis; tum substantialis, quæ est inter materiam, & formam, sunt aliquid spectans ad complementum viuentis: non minus, quam cibus in ventriculo: & tamen per ipsum neutra, dum existit in loco, in quo non fuit acceptum vulnus, exigit replicari in alio loco; ergo neque cibus similem replicationem exposcet propter rationes dictas. Respondendum igitur est ad obiectionem: concedendo duas priores sequelas: tertiā verò moderando; & siquidem per particulam (*mori.*) significetur cessatio vnionis inter corpus, & animam, concedenda est; quia cum in vno loco homo possit deperdere dispositiones necessarias ad hoc, vt anima informet corpus, quas in alio conseruare potest, defectu agentis contrarij; hinc fit vt in vno loco possit eius anima remanere vnita corpori, in alio verò minimè. Verum autem in hoc loco dicendus sit mortuus? quæstio est de nomine, sed videtur potius absolutè negādum, quia nomine mortui intelligimus illud animal, quod ita vixit alicubi, vt postea nullibi viuat, quod non verificaretur de hoc homine.

38 Obijcies quartò, si corpus in duplici loco replicatum posset naturaliter plures qualitates in vtroque loco recipere, quàm reciperet in vno tantùm; sequeretur etiam, quod plus posset agere in vtroque loco, quàm in vno tantùm. sed hoc videtur absurdum. ejus enim virtus actiua per replicationem minimè creuerit. Respondet Suarez triplicem considerari posse actionem transeuntem prouenientem à corpore replicato. Prima est productio alicuius formæ, ad quam non requiritur motus localis, vt productio caloris &c. & per huiusmodi actionem dicit, quod possit agens replicatum producere connaturaliter plures effectus; quia ad agendum plures effectus non requiritur maior virtus: sed applicatio pluribus passis, quæ iam per agentis replicationem habetur. Secunda actio est, quæ fit per leuitatem, & grauitatem; vt si lapis esset replicatus in duplici lance duplicis libræ, quantum est de se, veramque lancem deorsum propelleret, propter eandem rationem, quia scilicèt cum duplici passo applicatus sit, procul dubio duplicem exhibebit impulsum. Tertia denique esset per impulsum, quæ fieret per motum localem cum quodam conatu agentis, & talem motum dicit non posse fieri; nisi iuxta vires, quas habet agens in vno loco; & sic, si posset equus non replicatus trahere pondus vt quatuor tantùm, replicatus non posset duo pondera vt quatuor trahere, sed duo vt duo, vel vnum vt quatuor, quia non supponeretur habere tot spiritus vitales: quot essent necessarij ad pondus vt octo pertrahendum. Sed contra, quia eadem videtur esse ratio de duobus casibus præcedentibus, ac de tertio: nam sicuti in tertio habetur resistētia mobilis, quæ superāda est: ita in primo habetur resistēria pelli, quæ vincenda est, v. g. frigoris, quando debet produci calor, de quo ipsemet mentionē facit, & in secūdo resistentia medij, quæ etiam vinci debet, sicuti etiam vinci debet resistentia ejusdem medij, quando mobile bilocatum naturaliter duplici motu in eius sententia moueretur ad suum locum naturalem. ergo sicuti in primis casibus, non obstante dicta resistentia, potest agens multiplicatum efficere plures effectus quam si non esset multiplicatum: ita & in tertio casu. Neque dicat maiorem esse rationem, quia in tertio supponitur agens agendo deperdere spiritus vitales, atque defatigari. Contra enim est, quia hoc per accidens se habet. Fac enim quod non deperdat, quid fiet? Linquo quod replicatum in duplici loco potest in vtroque plures spiritus vitales habere, quàm si non esset replicatum. Si enim in vtroque duplum cibi sumit, quam in vno, vtique habebit in vtroque plus virium, quàm in vno tantùm. Melius igitur respondendum absolutè videtur in omni casu: agens replicatum efficere posse plures effectus connaturaliter, quàm si non esset replicatum. & ad instantiam de consumatione spirituum, & defatigatione dici potest, quod vel loquimur de spiritibus, quos in prima sui replicatione animal transtulit ad locum, in quo replicatum fuit, vel de alijs, quos procedente tempore acquisiuit. Si de prioribus, dico quod sicuti, si in vno loco laborāte, in vno illos deperdit, & non in alio: ita non, nisi duplici æquali labore in vtroque loco eos insumere potest. Sin autem de posterioribus dico, quod cum huiusmodi non replicentur, non poterunt ad plus laborandum vtrobique inseruire. sed in eo tantùm loco, in quo acquisiti fuerant.

89 Quæres hic, quid mihi videatur de responsione, quam dat Cajetanus *num.* 20. ad difficultatem illam, qua quæritur: Num si Petrus onustus in vno loco omni pondere, quod sustentare valet, replicetur in alio, simili onustus pondere: num in quam, sustentabit illud, an cedet? Respondeo: eam mihi displicere: ait enim quod non cedet, eo quod contra actionem supernaturalem immediatè, & per se nihil valeant agentia naturalia, porro in posteriori loco retinetur Petrus actione supernaturali; neque ideò eius vires augentur, quia sustentaret pondus illud solùm per affixionem sui in illo loco. Contra enim euidenter: quia actio illa bilocatiua Petri, est supernaturalis, tamen quoad *modum*, non verò quo ad substantiam, quare sicuti non reddit Petrum in illo loco impassibilem, inuulnerabilem, & immortalem, ita neque non grauatum illo pondere. Grauatur igitur, sed quia duobus æquiualet, ideo vtrumque sustentare valet.

SECTIO OCTAVA.

An idem sentiendum sit de actibus intellectus, & voluntatis hominis replicati, ac de cæteris accidentibus absolutis à loco.

90 CONclusio est affirmativa. Dico enim, quod si homo ante replicationem habet in vno loco aliquem actum intellectus, vel voluntatis, debet replicatus, connaturaliter loquendo, habere illum in alio loco. Quod si post replicationem incipit illum habere, non exigit, vt in vtroque loco sibi replicetur. Probatur eisdem rationibus, quibus superiores conclusiones probatæ sunt. non enim videtur esse maior ratio de his actibus, quàm de reliquis formis accidentalibus materialibus, cum præsertim in nobis dependeant aliquo modo ab organo corporeo, quod vt plurimum ab extrinseco obiecto immutari solet saltem occasionaliter.

91 Obijcies primò: si homo replicatus non exigeret actus intellectus, & voluntatis, quos elicit in vno loco, habere etiam in alio loco: sequeretur quod in vno posset naturaliter amare vnum obiectum, & in alio illud odio habere. in vno ei assentiri, & in alio dissentiri. sed hæc repugnant: ergo &c. Minor videtur certa, sequela probatur paritate, quia enim lignum replicatum: calorem, quem acquirit in vno loco, non exigit habere in alio: sit, vt in vno loco possit esse intensè calidum, & in alio intensè frigidum.

92 Respondeo: multos ex nostris auctoribus cõcedere sequelam propter paritatem rationis, inter quos est Comptonus *disput. 35. sect. 6. num. 1.* Coninch. *quæst. 75. art. 4. dub. 3.* Sed melius respondendum iudico distinguendo sequelam: & si quidem sermo sit de amore, & odio omninò efficaci, & de assensu, & dissensu omninò absoluto, nego. si sermo sit de amore, & odio aliqualiter inefficaci, & de assensu, & dissensu aliqualiter conditionato: concedo sequelam; & sic distincta minore, nego consequentiam; & dico, quod sicuti in vno, & eodem loco possumus habere simplicem complacentiam, & displicentiam eiusdem obiecti. ita in duplici amorem, & odium aliqualiter efficacem, quo v. g. velimus in vno loco consequi obiectum, quia illud in eo loco existimamus nobis conducere: in alio verò disiungi ab eodem, quia ibi apprehendimus illud esse nobis nocium: vnde ponamus media apta ad vtrumque. Verumtamen neuter actus erit omninò efficax, quia per amorem efficacem omninò, ita disponitur amans ad quærendam obiecti coniunctionem: vt ex modo tendendi implicitè profiteatur se exclusurum quantum potest eius absentiam, & remotionem. cum autem alibi existens possit eam excludere, & non excludat, sequitur manifestè quod repugnet amor, & odium omnino efficax de eodem obiecto etiam in diuersis locis. Idem proportionaliter dicendum de assensu, & dissensu in eandem veritatem. Si enim sint actus aliqualiter conditionati. V. g. quoad probabilitatem, vel quoad motiua diuersa, quæ in diuersis locis proponuntur: dico posse haberi ab homine bilocato. Contrà verò si sint omninò absoluti propter rationem modo dictam. Per quæ patet disparitas inter huiusmodi actus, & contrarias qualitates v. g. frigus, & calorem intensum. vna enim ex his qualitatibus non excludit à subiecto, vbicumque reperitur, contrariam qualitatem, quia non habet oppositionem ad illam ratione obiecti, vti dicemus infra.

Obijcies secundò. Homo bilocatus, si in vno loco posset habere actum voluntatis liberum, & 93
in alio eius negationem: sequeretur, quod in vno posset peccare, & in alio posset non peccare. sed hoc videtur absurdum. nam posito quod mortaliter peccauit, si postea ab eo tollatur replicatio, non potest assignari, num esset inimicus Deo, nec ne? ergo &c.

Respondeo concessa sequela, loquendo de 94
actu physico peccati, de quo paulò post; nego minorem. Ad cuius probationem dico: quod ille homo cessante eius replicatione esset inuisus, & inimicus Deo. quia esset in peccato habituali sibi relicto ab actuali præterito. & si quidem hic homo cessaret esse in eo loco, in quo non peccauit, & remaneret in eo, in quo peccauit, res esset facilis intellectu. At si opposito modo se haberet, aut si secum ipse penetraretur, licet videatur difficilis; tamen eodem modo discurrendum esse patet ex eo, quia quamuis Petrus v. g. replicatus, pro vt erat Panormi, non elicuit actum peccaminosum: elicuit tamen pro vt erat Messanæ, siue ergo postea Panormi existat solùm, siue Messanæ ante pœnitentiam, semper erit inuisus Deo. Ratio à priori est, quia ius dominij Dei petit, vt creatura teneatur vbicumque sit, eius præcepta seruare. Sic Rex terrenus, si haberet dictũ Petrũ sibi subditum, & cognosceret quod in alio loco, in quo est replicatus, contra regnum suum, & vitam machinaretur, vtique illum iustè puniret in regno suo, licet ibi fidelem, & obsequentem sibi esse cerneret. quia nimirùm ius regium id exigebat, vt in neutro loco Petrus Regi pararet insidias. ita & in casu nostro. atque ex his sequitur, quod si Petrus habuisset in vtroque loco replicatam gratiam sanctificantem, per hoc, quod in vno loco peccaret, deberet illam in vtroque loco dependere, & per consequens in vtroque esse Deo inuisus, & inimicus, quidquid in contrarium dicat Comptonus *sect. 6. cit.*

Instabis: Petrus bilocatus, sicuti potest in 95
vno loco habere voluntatem peccaminosam furandi: ita in alio voluntatem honestam non furandi. ergo sicuti in vno loco peccabit, sic in alio merebitur. non est igitur, cur in alio amitteret gratiam; Respondeo negando antecedens: dico enim implicare contradictionem, quod Petrus dictas habeat voluntates, quamuis in duplici loco replicatus. Ratio est, quia actus vt sit meritorius, & placens Deo, debet ex modo tendendi in obiectum esse talis, vt voluntas implicitè

pro-

Digitized by Google

profiteatur se quantum potest grauem malitiam, & grauem etiam Dei displicentiam detestari, & quodvis potius malum subire, quàm honestati, & seruiendi Dei eam præponere. ergo implicat, quod cum hoc actu sit simul in voluntate Petri, quamuis alibi commorantis alius actus, qui hic, & nunc præferat malitiam honestati. quemadmodum implicat, quod simul cum actu contritionis, quo homo detestatur peccatum supra omne malum, habeatur in eadem voluntate actus peccaminosus.

95 Obijcies tertiò, si vera esset tradita doctrina: sequeretur, quod Petrus bilocatus quidquid vult in vno loco, deberet necessariò velle in alio; sed hoc est contra superius à nobis dicta; ergo &c.

Respondeo, distinguendo sequelam, quidquid vult physicè in vno loco debet necessariò velle etiam physicè in alio, nego: debet necessariò velle moraliter, concedo sequelam: & sic distincta minore, nego consequentiam. Ex tradita enim doctrina solùm sequitur non esse necesse, vt illos actus vitales etiam si sint formaliter liberi, quos exercet Petrus in vno loco, habeat replicatos in alio. cum quo tamen stat, quod si sunt grauiter mali, in vtroque loco per eos constituatur Petrus inuisus, & inimicus Deo: si verò sunt meritorij, in vtroque fiat Deo gratus, & acceptus. Et hoc significat, quod in distinctione dicebam, quod, *scilicèt*, quidquid vult in vno loco possit physicè non velle in alio: non tamen potest non velle moraliter.

Instabis: gratis asseritur, & sine vllo fundamento, quod si homo peccat in vno loco physicè modo explicato, hoc est producendo ibi actum peccaminosum, peccet moraliter in alio, licet ibi nullum actum peccaminosum physicè producat; ergo &c.

96 Respondeo, negando antecedens. Vt autem id declarem, suppono cum Suario *Tomo 3. in 3. partem disp. 48. sect. 6. versus atque hinc probabile fit*. Inter actus vitales contrarios efficaces v. g. odiũ & amorem; assensum absolutum, & dissensum esse tantam repugnantiam vt nè diuinitus quidem possint esse in eodem subiecto, & loco simul. ex quo deduco cum eodem Suario *loco citato*. neque posse esse in eodem subiecto in diuersis locis replicato. ita vt in vno habeat Petrus v. g. vnum actum, in alio verò actum illi contrarium: quod sic euinco: licet posset homo actum, quem haberet in vno loco, non habere in alio: tamen ille actus essentialiter haberet actu excludere à subiecto alibi existente actum sibi oppositum. ergo ne diuinitus quidem, possunt esse dicti actus contrarij in eodem subiecto bilocato. Consequentia est euidens. probatur antecedens, quia oppositio, quam habent huiusmodi actus, non oritur solùm ex incompossibilitate formali, sicuti est oppositio frigoris, & caloris vt octo v. g. quia ad hanc tollendam sufficeret bilocatio subiecti, vt de se patet: sed maximè oritur ex eorum obiectis, in quantum eadem potentia per vnũ actũ destruit sibi obiectum alterius actus. vnde fit, vt quamuis subiectũ sit replicatum: tamen propter sympatiã, quam habet ad se ipsum, beneficio vnius actus, quem in vno loco exercet, reddat sibi impossibilem actum oppositum, per quem debet attingere obiectum contrarium. ergo vnus actus ex his existens in Petro in vno loco essentialiter habet actu excludere ab eodem Petro alibi existente actum sibi oppositum. Antecedens huius ethymematis, & eius consequentia confirmatur dupliciter: Primò, quia quamuis Angelus in duobus locis inadæquatis existat. v. g. In primo, & vltimo palmo suę sphæræ adæquatæ, non potest tamẽ ne per absolutam quidem Dei potentiam in primo palmo habere actum amoris omnino efficacis, & in altero actum odij item omninò efficacis circa idem obiectum. In primo habere voluntatem efficacem mouendi se ad locum omninò distantẽ, & in vltimo voluntatem omninò efficacem non se mouendi. ergo huiusmodi actus omninò contrarij essentialiter habent se inuicem excludere à subiecto in diuersis locis existente. quod si dicas in hoc casu actum, quem exerceret Angelus in primo palmo debere illum informare, vt existentem in reliquis partibus suæ sphęræ, atque adeò vt existentem in vltimo palmo, & sic propter incompossibilitatem formalem excludere oppositũ: Contra est, quia sic diuinitus dicti actus possent esse simul. sed non possunt, alioquin Angelus in sua sphæra existens posset simul amare, & odio habere Deum, mereri, & demereri; ergo &c.

Idem confirmatur secundò, quia quamuis actus imaginationis, & appetitus resideant in diuersis partibus bestiæ, si tamen imaginatio repræsentabat obiectum, vt bonum appetitui, & ideò faciebat vt appetitus illud efficacitèr amaret, postea verò incipit repræsentare ei dictum obiectum, vt malum: necessariò mutabitur actus appetitus in oppositum, videlicet de amore in odium. quia mutatur in eo casu obiectum illius oppositum ex bono, scilicèt in malum, & hoc nonnisi propter sympatiam, quam habet vna pars animæ irrationalis existens in parte bestiæ ad aliam existẽtem, in alia. quanto minus igitur propter sympatiam, quam habet eadem anima rationalis omninò indiuisibilis existens in vno loco ad se ipsã existentẽ in alio loco, admittere poterit actus habentes inter se oppositionem ex ipsis obiectis prouenientem. 97

His autem suppositis, sic vlteriùs procedo ad probandum, quod anima in vno loco ponens actũ peccaminosum, etiam in alio loco peccare moraliter existimanda sit. quia ipsa in vno loco existens poterat elicere actum efficacem omninò cõtrarium ex parte obiecti actui peccaminoso, ad quem alibi quasi completam indifferentiam habebat, & sic impedire se ipsam ne ibi peccaret. Posito igitur quod hoc non fecit, non est mirum, si in hoc loco existens censeatur moraliter peccare, & sic amittere gratiam, & incurrere Deĩ odibilitatem, quamuis actum peccaminosum physicè non eliciat in hoc loco. Ex quo etiam deducitur, quod dum in vno loco meretur, etiam si in alio loco eum actum meritorium non exerceat physicè: censeatur tamen moraliter illum exercere, & sic gratiam ibi consequi. quod sic explicarem: nam dum est in eo loco, in quo habet expeditam libertatem ad merendum, potest in alio tripliciter se gerere. Primò eliciendo actum omninò contrarium actui meritorio efficiendo.

Digitized by Google

do. Secundo eliciendo actum contrarium illi actui, quo voluntas se determinaret ad non ponendum actum meritorium. Tertiò denique habendo se remissiuè ad se ipsam, videlicèt, remittendo se ad id, quod ipsa alibi determinabit; & siquidem primo modo se gerat certum est nullũ esse meritum in vtroque loco: at si, vel secundo, vel tertio modo se haberet, si in vno loco haberetur actus meritorius physicè; in alio haberetur moraliter, & sic in vtroque loco correspondereret meritum, non quidem diuersum, sed illud idem omninò, quod acquiritur in eo loco, in quo actus elicitur meritorius. quatenus Deus teneatur in illo casu eandem numero gratiam in vtroque loco replicare, eamque animæ hominis merentis vbique existenti infundere.

99 Sed cõtra hoc vrgebis primò: nõ potest explicari quomodo voluntas Petri Panormi existens, possit operari circa ea obiecta, quæ ei proponuntur Messanæ in ordine ad merendũ, vel demerendum. ergo nulla est doctrina tradita. Antecedens probatur, quia vel dicitur, quod replicanda sit Messanæ eadem numero cognitio obiectorum, quam habet Panormi; vel quod alia similis sit ei tribuenda, alioquin voluntas Messanæ posita ferretur in incógnitum: atqui vtrumuis dicatur, semper sequitur, quod idem iudicandum esset de actibus ipsius voluntatis meritorijs, vel demeritorijs, quos exercet Panormi, ergo &c. Respondeo, negando antecedens: ad cuius probationem nego minorem. Dico enim quod ad hoc vt Petri voluntas Messanæ constituta; operetur circa obiecta, quæ ei proponuntur Panormi, non est necesse, vt aliquam cognitionem habeat Messanę; sed per eandem cognitionem existentem Panormi tantùm, est sufficienter illuminatum, ne feratur in incognitum; & hoc propter sympathiam, quam ad se ipsam habet. quod probo paritate eorum; quæ in hac materia à Doctoribus conceduntur, vt videre est apud Suarez *loco citato*, Giattinum *in fine articuli quinti versu quinto*, & *alios*. Quemadmodum enim Petrus Messanæ constitutus potest loqui, & quæ videt, & cognoscit Panormi. quamuis Messanæ non habeat eorum obiectorum visionem, aut cognitionem: ita poterit velle, aut nolle Messanæ ea obiecta, quæ Panormi tantùm cognoscit, quia ad vitalium actionum correspondentiam non est necessaria identitas loci ipsarum potentiarum. si quidem defacto exclusa omni replicatione oculus, & lingua in eodem homine distant inter se, & tamen quod videt oculus, lingua naturaliter enarrare potest.

100 Vrgebis secundò: Potest occurrere, saltem per Dei potentiam, quod dum voluntas est expedita Panormi ad merendum, vel demerendum, impediatur Messanæ ad liberè operandum circa ea obiecta, quæ sibi proponuntur Panormi. Sed in hoc casu neque physicè, neque moraliter Messanæ mereretur, vel demereretur; ergo remanet difficultas, quod Panormi peccaret, & amitteret gratiam. Messanæ verò non peccaret, & gratiam conseruaret. sed hæc videntur absurda; ergo &c.

101 Respondeo: Coninch. *quæst. 15. dub. 3.* existimare saltem de potentia Dei absoluta, hominem in duobus locis constitutum posse in vno mereri, & esse in gratia, in alio verò peccare, ac amittere gratiam; & consequenter in vno saluari, & in alio damnari Comprobum verò *disp. 35. sect. 6.* addere, quod supposito replicationis miraculo, hæc possint connaturaliter euenire. ego autem existimo, vtrumque esse falsum: puto enim hæc implicare contradictionem, etiam si subiectum ponatur in duplici loco constitutum: non minus quam idem esse in vno loco hominem, & in alio non hominem. suadetur hoc primò ex absurdo, quia si hic homo in duplici loco positus esset, vel eius anima (si corpus obsisteret), & postea recta linea sibi obuius fieret, & intra se ipsum veluti intrando vnum tantummodò locum occuparet: cessaret eius replicatio, vt omnes docent. Sed sic idem omnino esset inimicus, & amicus Deo, dãnaretur, & beatur, quod implicat, ergo &c. neque dicas cum Comprobo, quod sicuti eadem anima bilocata in duobus corporibus existens non posset secum penetrari propter obsistentiam corporum, ita neque in nostro casu, ille homo posset penetrari secum ipso propter repugnantiam, & obsistentiam formarum virtualiter, seu formaliter contradictoriarum, quas habet. Contra enim est, quia semper in bilocatione habentur formæ virtualiter saltem contradictoriæ, nimirum *præsentiæ* ad diuersa loca; & tamen ex hoc non sequitur, quod homo bilocatus non possit ad suum naturalem statum redire amittendo replicationem. ergo à pari, &c. Posito autẽ quod aliqua ex formis oppositis cessare debeat, non est maior ratio, cur vna potius cesset, quam alia. Linquo probabilius videri negare, quod homo bilocatus possit simul esse inimicus, & amicus Deo, quam non posse ad suum naturalem statum redire, & ex constituto in duplici loco incipere esse in vno loco tantùm; ergo &c.

Suadetur secundò ex ratione amicitiæ, & inimicitiæ. Hæc enim sunt formæ omninò absolutæ, ita vt quandiù existunt vbicumque sit amicus, repræsentetur amabilis voluntati amantis, & vbicumque sit inimicus, appareat odibilis voluntati odientis; siquidem hi actus ex modo tendendi implicitè profitentur respicere personam secundũ se præscindendo ab hoc, vel illo loco. Quis enim non videat, quod qui esset dispositus ad amandum aliquẽ in vno loco, & odio habendũ illũ in alio, non esset censendus absolutè amicus illius, sed solùm dimidiatè, atque adeò insufficienter. Idemque putandum de odio habente. ergo dicendum est, quod dicti actus habeat oppositionem ex obiectis suis prouenientem, atque adeò non possint pro eodem tempore eidem subiecto competere, præsertim si hoc subiectum est immultiplicatum, cuiusmodi est Deus. Ex quo vlteriùs fit, quod cum homo per actum peccaminosum debeat cõstitui Deo absolutè inuisus. & per actum meritorium Deo absolutè gratus; implicat, quod in duplici loco constitutus non habeat in vtroque partem ad sui odibilitatem, & amabilitatem, alioquin ex his, quæ operaretur in vno loco, absque eo quod esset eorum conscius in alio loco existens penderet sua integra salus, & interitus, etiam prout est in alio loco. quod cum videatur maximè repugnans, & contra dictamen rectæ rationis: dicendum omninò censeo, quod ex suppositio-

102

positione miraculosa bilocationis Petri v.g. Deus neque per absolutam suam potentiam facere posset, vt saltem ea, quæ pertinent ad meritum, & demeritum sui, ipse Petrus vtrobique non cognoscat, & non sit expeditus ad libere circa ea operandum modo dicto.

103 Vrgebis tertiò ex Masso 4. *phys. quæst.* 9. *cap.* 5. Homini replicato potest Deus in vno loco illi tentationes grauissimas permittere, quibus impossibile esset moraliter quod non consentiret, grauiter peccando: in alio verò loco eidem homini efficacissimum auxilium tribuere, quo adiutus certissimè non solùm malis suggestionibus resistere, sed etiam multum apud Deum mereretur. ergo id posset in vno loco mereri, & in alio demereri. Respondeo: casum esse implicatorium colligi aperte ex dictis. & ratio est, quia vt auxilium, quod in vno loco datur homini replicato, sit efficax ad non peccandum, debet esse tale, vt illum non solùm à peccato contineat prout est in alio loco, sed etiam ab actu voluntatis habente oppositionem rationem sui obiecti cum eo actu, quo resistere debet tentationi. Vt autem sit efficax ad merendum in vno loco debet esse tale, vt excludat in alio loco actum oppositum, siue etiam peccaminosum merito repugnantem.

DISPVTATIO VIGESIMASEXTA

DE COMPENETRATIONE PLVRIVM CORPORVM in eodem Loco.

1 NON posse plura corpora naturaliter loquendo, & de lege ordinaria in vno eodemque loco existere nemo est, qui neget. Quamuis enim experientia dicatur constare: vas plenum aqua nummos in se aureos recipere posse, retenta tota aqua, quam prius habebat, & quod vas calido cinere plenum tantumdem aquæ capiat quantum caperet, si nihil prorsus cineris haberet: vel hac perexagerationem dicuntur, vel si ita reuera sunt; dicerem tum aurum, tum cinerem (præter quam, quod sint corpora valdè porosa, & multum aeris contineant, qui ad ingressum aquæ recedit, & dat illi locum) habent præterea virtutem resolutiuam multarum partium aquæ in vapores; atque adeò non est mirum, si vasa eodem prorsus modo appareant se habere in dictis casibus, ac antea. Tunc quo in primo casu labra vasis, vtpote sicca, coercere aquam, ne diffluat; vnde ipsa in tumorem attollitur supra ipsa labra: In secundo verò non solùm partes aquæ resolui propter cineris siccitatem, atque calorem, sed etiam partes cineris propter frigiditatem, & humiditatem aquæ euanescere. vnde fit, vt nulla habeatur in dictis casibus, neque in alijs naturaliter occurrentibus penetratio corporum. num autem haberi possit virtute diuina, hoc est, quod in præsentia controuertimus.

SECTIO PRIMA.

Num per Dei potentiam absolutam plura corpora esse possint in eodem loco.

2 CONclusio est affirmatiua. & eam docet S. T. *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. *art.* 2. Scotus item *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 16. §. *Respondeo ergo* Suarez *to.* 2. *in* 3. *part. disp.* 48 *sect.* 5. Salas 10. *in primam* 2. *tract.* 2. *disp.* 14. *sect.* 19. Bernardinus Mazziotta 10. 1. *quæst.* 8. *sect.* 2. Arriaga *disp.* 14 *sect.* 3. Oniedus *controu.* 15. *punct.* 11. & alij contra Boetium, qui *lib. de Trinitate* ait, locum cunctis rebus esse diuersum, & nullo modo fingi posse locum esse vnum. atqui si diuinitus plura corpora possent esse in eodem loco iam hoc modo fingi posset esse vnum locum illorum; ergo &c. Idem etiam docet Durandus *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 6. vbi probat suum sententiam nõ repugnare dictis scripturæ, & Patrum auctoritati, cui accinit Palundanus *ibid. quæst.* 3. dicens Durandi opinionem esse probabilem.

3 Probatur autẽ primò ab aliquibus: fide constat Christum nascendo ex Virgine, virginei corporis integritatem non violasse. ergo cum illo Christi corpusculum se penetrauit: item quãdo resurrexit, à sepulcro exiuit, relicto lapide sicuti erat prius. Vndè August. *serm.* 138. de tempore. Quomodo, inquit, de sepulcro exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus salua virginitate processit. Denique ianuis clausis post resurrectionem ingressus est ad locum, vbi erant discipuli congregati. Porrò hæc scripturarum testimonia ita clara aliquibus videntur, vt absolutè dicant ex eis conuinci nostram sententiam esse de Fide. Sed responderi posset, in his casibus Dominum de termino à quo transisse in terminum, ad quem, non attingendo medium; ad eum planè modum, quo docent Thomistę Angelos posse relinquere vnum locum, & acquirere alium distantem, non transeundo per spatia intermedia.

Hanc expositionem impugnat Mazziotta *nu.* 33. Primò, quia est impossibile, quod aliquid trãseat ab vno extremo ad aliud nõ attingendo medium distans. Secundò quia dato quod huiusmodi transitus sit possibilis non erat accommodatus ad id, propter quod Christus ianuis clausis ingressus est ad discipulos; ad ostendendam enim gloriam sui corporis, & veritatem nostræ resurrectio-

4

rectionis, melius erat se cum ianua penetrare. Tertiò denique quia Patres ex huiusmodi compenetratione alia fidei nostræ mysteria probant. Siquidé Hilarius ex ea colligit non esse impossibile Filium Dei ex Patre generari sine vlla Paternæ substantiæ diminutione, sicuti sine vlla fractione exiuit de tumulo &c. Sed nulla mihi ex his rationibus videtur efficax. Nã primã assumere falsum colligitur ex omnibus ijs, qui tenent de facto ita se mouere posse Angelos. nimirum ab extremo ad extremum non transeundo per media non communicantia, nec non etiam ex illis alijs, qui licet doceant non posse id fieri virtute naturali; at fatemur posse supernaturaliter, & de potentia absoluta, eo quod nulla in hoc apparet implicantia contradictionis. Ad secundam verò nego huiusmodi trãsitum ab extremo ad extremum, relictis ianuis intactis, non fuisse accommodatum ad ostendendam gloriam habitam à corpore Christi, & à nostris corporibus post resurrectionem habendam. magis enim gloriosum, & magis amabile donum videtur esse corporis glorioſi, ita in hoc instanti esse in vno loco, v.g. in cælo: vt immediatè post, sine vllo motu successiuo, & transitu per corpora intermedia: possit esse in terra. Sic enim imitaretur modum operandi intentionalem intellectus nostri, qui ex cognitione vnius obiecti potest transire in cognitionem alterius nullo modo de intermedijs obiectis cogitando. Ad tertiam denique aio, locum illum Hilarij non esse rationem, sed exémplum, & explicationem mysterij generationis Verbi. quod quidem exemplum adhuc oi poterit adaptari, etiam si dicamus, Christum non se penetrasse cum ianuis; adhuc enim verificatur, quod sicuti nihil perdiderunt ianuæ per apparitionem Christi: ita neque Pater per Verbi generationem. Melius ergo mihi tradita explicatio impugnanda videtur ex eo, quod quoties veritas scripturarum stat cum aliquo minori miraculo, non est recurrendum ad maius. sine vlla enim necessitate illud plus confingeretur. Siquis enim diceret, quod quando Christus Cæcum natũ illuminauit, eius informes oculos annihilauit, & alios ex nihilo illi creauit: vtique irridendus esset. cum stet veritas illuminationis cæci per hoc, quod eandem numero substantiam informem oculorum miraculosè efformauerit, producendo in ea qualitates ad videndum necessarias, & expellendo contrarias. At qui ex vna parte stat veritas scripturarum per hoc, quod Corpus Christi motu successiuo, sed miraculosè penetrando se cum medio egressus sit ex vtero Virginis, & sepulcro, & cœnaculum sit ingressus: Ex alia verò parte, maius miraculum est, quod motu instantaneo ex vno termino in alium, non pertransito medio, se mouerit, vt de se patet. ergo ex suppositione, quod huiusmodi compenetratio corporum non implicet contradictionem, vt inferius probabimus: explicatio de transitu ab extremo ad extremum sine medio non est admittenda.

5 Addo locum *ex 4. ad Hebræos.* vbi sic: Habemus Pontificem, qui penetrauit cælos. Quamuis enim apud Latinos ex vi significationis vocis (Penetrauit) vt benè notat Quiedus *controu. 15. puncto 11. num. 6.* significetur solùm, quod Christus ad intimas cæli partes peruenit: quia tamen hoc fecit beneficio subtilitatis, quæ est vna ex quatuor dotibus glorioſi corporis: & hæc communiter explicatur à Doctoribus, quod sit in ordine ad penetrationem corporis glorioſi cum quovis alio corpore in eodem loco: hinc fit vt nisi Apostolus explicetur de vera penetratione in sensu philosophico accepta, magnam vim, ac violentiam patiatur.

Probatur secundò ex mysterio diuinissimę Eucharistiæ, in quo fide constat quantitatem panis, & quantitatem Corporis Christi in eodem loco simul esse, ergo non implicat plura corpora penetratiuè in eodem loco existere. negat consequentiam Durandus; disparitas est (inquit) quia Christus in Eucharistia existit modo indiuisibili, atque adeò, quamuis sit ibi localiter extensus, nõ verificatur, quòd duo corpora in eo loco penetratiuè simul existant. nam quæstio non procedit de qnacumque præsentia plurium corporum in eodem loco, sed de eorum præsentia cum extensione locali, & extreitate suarum partium in ordine ad dictum locum. Contra tamen est: nam licet totum hoc verum sit, tamen argumentum procedere potest à pari; quod sicuti non implicat vnum, ita neque alterum, cum præsertim maiorem repugnantiam videatur habere corpus ad existendum modo indiuisibili, quam existendum modo diuisibili. licet vtroque modo debeat simul esse in eodem loco cum alio.

Tota tamen difficultas huius controuersiæ videtur posita in eo, vt declaretur quomodo corpus quantum extensiuè in vno loco, possit admittere aliud corpus extensum, ita vt in eodem loco simul existant. siquidem existere extensiuè in loco est habere partes extra partes in ordine ad locum, adeoque ita quantitatiuè illum occupare, atque replere, vt secundum partem suam impleat partẽ loci, & secundum se totum impleat totum locum. ergo videtur implicare, quod admittat aliud extensiuè existens in eodem loco. nam sequeretur, quod locus ille fuisset à primo corpore adæquatè occupatus, atque repletus, vt supponitur: & non fuisset occupatus, neque repletus. siquidem iam admitteret in se aliud corpus.

Et quidé illi, qui in quantitate, præter vbicationes modales, quibus vna eius pars ponitur in vno loco, & alia in alio, negant dari modum quẽdam positiuum, qui sit actualis extensio, & impenetratio, facilè à proposita difficultate se expediunt, dicendo, quod in eo instanti, in quo corpus quantum beneficio suæ vbicationis quantitatiuæ occupat locum aliquem sibi adæquatum. exigit connaturaliter, ne in eodem instanti aliud corpus aliam vbicationem acquirat, beneficio cuius eundem locum occupat, & quia Deus potest supra, imo contra rerum naturalium exigentiam operari: hinc fit, vt possit ea non obstante producere in alio corpore dictam vbicationem, & sic illud reponere penetratiuè cum eo corpore, quod dictum locum occupare supponitur. Ita Arriaga *disp. 14. physic. sect. 7. num. 118.* Quiros *in suo cursu disp. 63. sect. 1. n. 4. & 5.*

Verùm ego putarem siue dentur, siue non dentur vbicationes moraliter distinctæ, admittendam esse extensionem localem tanquam modum quẽdam

Digitized by Google

dam permanentem ab illis distinctum, cuius beneficio corpora habent, vt sint tanta, vel tantæ extensionis. quod probo ex eo, quia corpus eum eadem numero extensione v. g. vinari est indifferens ad essendum in hoc potius loco, quam in alio. ergo in quantitate præter vbicationes, quibus vna pars locati correspondet vni parti loci, & alia, alij, datur quidam modus positivus, qui sit actualis extensio in ordine ad locum. Consequentia patet, quia vbicationes vendicant sibi hoc, vel illud spatium determinatum, neque sunt indifferentes ad essendum hic, & alibi. antecedens verò suadetur, quia videtur esse contra communem sensum, & existimationem prudentum, quod quoties homo mouetur, toties mutet extensionem suam; ita vt alia sit extensio, quam habebat domi ab ea, quam habet in foro, & rectè id quidem, cum enim extensio sit veluti proprietas consequès quantitatem, cuius beneficio redditur corpus aptum replere hunc, vel illum locum indifferenter: non sinit æquum eam cum vbicationibus modalibus identificare, quæ facilè deperduntur, & non possunt comitari corpus, quod afficiunt, quando transit ex vno loco in alium, sicuti debet illud posse comitari extensio.

10 His contra Arriagam, & alios recentiores, qui eum sequuntur consideratis: Adhuc de huiusmodi extensione locali corporum duplex est sententia; prior probatur à Mazziotta *tom. 1. quæst. 8. sect. 3. num. 24.* & est, quod eius beneficio corpus nihil aliud habeat formaliter, quam occupare quantitatiuè locum, eumque ita replere, vt secundum se totum correspondeat toti loco, & secundum partem, parti ipsius loci. Habet verò consequenter eiusdem extensionis beneficio exigere cuiuscumq; alterius corporis distantiam, & expulsionem ab eo loco, in quo est, contra quam exigentiam cum Deus de absoluta potentia facere possit hinc fit, vt possit etiam facere, vt plura corpora extensa in eodem loco diuinitus se penetrent. quare auctores huius sententiæ eodem modo discurrunt de extensione locali, ac auctores præcedentis de vbicatione quantum ad effectum excludendi aliud corpus extensum ab eodē loco; vtrique enim putant hoc esse quid consequens ad extensionem, & connaturaliter tantùm ab ea exactum; quemadmodum ipsa actualis extensio in ordine ad locum est quid consequens quantitatem, & connaturaliter tantùm illi debita. vnde fit, vt in diuinissima Eucharistia Corpus Christi ita sit quantum, vt careat extensione locali. Quare vtrique ad rationem dubitandi concesso antecedente, negant consequentiā: quod scilicèt implicet, quod corpus extensiuè existens in vno loco, admittat in eo aliud corpus extensum; & ad probationem consequentiæ negant ex hoc sequi, quod locus ille non adæquatè fuisset occupatus, & repletus à primo corpore, hoc ipso, quod caperet posterius corpus. nam adæquatè repleri, & occupari à primo corpore solùm significat ita continere illud, vt secundum se totum correspondeat toti corpori, & secundum partem parti eiusdem corporis, adeo vt diuisibiliter congruat, & neque excedat, neque excedatur. cum quo tamen stat; quod licèt connaturaliter respuat repleri, & occupari ab alio corpore, habeat tamen potentiam obedientialem ad hoc; ad eum planè modum, quo materia prima habet potentiam obedientialem ad recipiendum in se calorē in summo, & frigus in summo, non verò naturalem.

Verum contra hunc philosofandi modum facit: quia extensio localis essentialiter importat, vt vna sui pars sit actu extra aliam in ordine ad locum. ergo & plures extensiones essentiales habebunt, vt vna sit actu extra aliam in ordine ité ad locum. igitur impossibile est, vt plura corpora localiter extensa, retinēdo extensiones suas, possint esse in eodem loco penetrata. Antecedens patet ex doctrina ipsius Mazziottæ, quam sæpè tradit *sect. 3. & 4. quæstionis citatæ*; & suadetur ex eo; quia alioquin sequeretur, quod Corpus localiter extensum posset existere indiuisibiliter totum in toto, & totum in qualibet parte. quod manifestam inuoluere implicantiam constat, eo quia localis extensio importat modum existendi diuisibiliter, qui contradictoriè opponitur modo existendi indiuisibiliter, non quidem oppositione formali, sed virtuali, quia ambo sunt modi positiui existendi, vti suppono. sequelam sic ostēdo: si localis extensio non importaret essentialiter, vt vna sui pars actu sit extra aliam in ordine ad locum: iam vna pars corporis extensi posset esse in loco alterius simul cum illa; ergo & omnes partes, cum non sit maior ratio de vna, quàm de omnibus alijs. Haberemus igitur corpus extensum in sensu composito cum extensione locali totum in vna parte sui loci. Sed hoc concesso non potest negari, quin posset etiam cum sua extensione in qualibet parte sui loci diuinitus existere. Si enim non repugnat eius extensio ne sit totum in vna parte: quomodo repugnabit, ne sit totum in alia. poterit ergo esse totum in qualibet parte loci. Ad essendum verò totum in toto loco tantùm abest, quod repugnet eius localis extensio, vt potius inclinare videatur, vt de se patet. ergo si extensio localis non importat essentialiter vt vna sui pars actu sit extra aliam; corpus localiter extensum posset diuinitus existere totum in toto loco, & toto in qualibet parte loci, quod erat probandum.

Posterior verò consequentia manifestè sequitur ex discursu posito: nam plura corpora localiter extensa supponuntur per plures locales extensiones extensa esse. ergo si plures extensiones essentialiter habent, vt vna sit extra locum alterius: etiam plura corpora extensa eius beneficio id habebunt. Prior autem consequentia, quæ sola probatione eget, suadetur, quia si non maiorem, & saltem non minorem vim debet habere vna extensio totaliter sumpta in ordine ad excludendam a loco, in quo est, aliam extensionem numero à se distinctam: quam sumpta secundum vnam sui partem ad excludendam aliam sui partē à loco illius vnius partis. actualis enim extensio ideo est debita corporibus, ne si penetrentur ab alijs corporibus, facilius corrumpantur; quæ ratio si militat, vt partes eiusdem corporis extensi se excludant ab eodem loco, quia possunt affici accidentibus contrarijs; multo magis militare debet in distinctis corporibus extensis. Si igitur extensio localis de suo conceptu essentialiter

12 im-

importat, vt vna pars sui sit actu extra aliam, etiã importabit essentialiter vna extẽsio, vt sit actu extra aliam extensionem.

13 Ad hoc argumentum responderi potest. Primò negando primam consequentiam: disparitas videtur esse, quia extensio localis dicit essentialiter extreitatem requisitam ad actu occupandum locũ diuisibiliter. quoniam verò hanc extreitatem non potest aliter habere, nisi ratione suarum partium: hinc fit, vt essentialiter etiam importet, vt vna sui pars actu sit extra aliam in ordine ad locum: at verò non dicit essentialiter extreitatem respectu alterius extensionis localis, quia ipsa non constituitur ex illius partibus in ratione extensionis localis, ac proinde poterit cum alia extensione locali in eodem loco coalescere. ex eo enim quod duo corpora suis extensionibus localibus affecta, se inuicem penetrarent, non tolleretur, quo minus quodlibet ex eis haberet extreitatem suarum partium, quibus loci partibus correspondaret. Contra tamen est, primò, quia ad videndum num eodem modo opponatur vna pars vnius extensionis in ordine ad excludendam aliam partem eiusdem extensionis à loco proprio: ac vna extensio ad excludendam aliam distinctam extensionem à loco item proprio notandus est finis prioris oppositionis; & siquidem militat eodem modo pro posteriore, dicendum est, quod sicut essentialiter opponitur pars parti eiusdem in ordine ad proprium locum: ita & vna extensio alteri extensioni in ordine ad proprium. atqui vidimus finem atque militare pro vtraque extreitate; consistit enim in eo, quod facilius à contrarijs corpora seueantur, & habeant vndè possint reparare iacturam, quam agendo, & patiendo fecerunt. ergo dicendum est, quod sicut vna pars essentialiter excludit aliam partem eiusdem extensionis à loco proprio; ita vna extensio aliam extensionem, itaque à proprio. Contra est secundò, quia ridiculum videtur asserere, quod si duo palmi extensionis localis sint inter se vnius, non possint esse in vno palmo loci: contra verò si sunt diuisi possint. vnio enim non affert eis maiorem repugnantiam, in ordine ad locum, quam de se haberent sine illa: ergo &c. Cõtra denique tertiò supponamus, quod duo ligna palmaria in loco palmari se penetrent, & quod Deus postea producat vnionem continuatiuam inter illa, cuius beneficio euadat vnum lignum bipalmare: ita tamen vt minimè concurrat ad motum, quo vnum ex illis in vicinum palmum loci debeat pertransire; in tali casu iam lignum illud bipalmare existeret in loco palmari, sine extreitate suarum partium in sententia aduersariorum. Sed hoc vidimus non esse concedendum. ergo dicendum, quod sicut duæ partes eiusdem corporis extensi: non possunt in eodem loco penetratiuè existere, ita neq; quod duo corpora possint.

14 Responderi potest secundò ex Mazziotta *num.* 30. duas extensiones palmares actu componentes vnam extensionem bipalmarem, dupliciter accipi posse: Primò quatenus sunt vnitæ, & extensionem bipalmarem componunt vt sic. Secũdò quatenus ita sunt vnitæ, & ita extensionem bipalmarem componunt, vt hæc sit apta sine vlla sui mutatione correspondere duobus palmis loci. si Primo modo accipiantur, negatur non posse inuicem penetrari. Contra verò si accipiantur secundo modo conceditur, quod vnus palmus essentialiter importet esse extra alium palmum. Quoniam verò hoc idem dici potest de duabus extensionibus palmaribus non componentibus vnã: inde deducitur, vt duo corpora extensa palmaria, absolutè loquendo possint inuicem penetrari, occupando vnum locum palmarem, licet non possint casu quo debeat occupare locum duorum palmorum, & quia quæstio non procedit in secundo, sed in primo sensu: ideo argumentum non habet vim.

Sed contra hanc responsionem facit primò, 15
quia doctrina Mazziottæ à *n.* 24. est, quod corpus extensum prout existens quãtitatiuè in loco, formaliter importet ita occupare quantitatiuè locũ, illumque replere, vt secundum totum correspondeat toti loco immediatè, & secundum partem, parti eiusdem loci: sed corpus extensum bipalmare, sic veluti complicatum existés in loco palmari, non correspondet secundum vnam partem vni parti loci, sed secundum duas vni, vt de se patet. ergo huiusmodi corpus absolutè loquendo non existeret in loco quantitatiuè. neque igitur duo corpora palmaria in loco palmari compenetrata sic in loco existerent; quod est id, quod intendebat Durandus ab ipso Mazziotta *num.* 2. citatus, nimirum implicare contradictionem duo corpora simul esse in eodem loco; si quantitatiuè existant, & cum sua extensione locali. Contra secundo, sic etiam corpus extensum centum palmorum posset poni ita, vt occuparet vnum palmum loci per hoc, quod suas centum partes haberet simul in illo palmo penetratas; quo posito, quæro de hoc corpore. an illa extensione centipalmari esset extensum in ordine ad se tantùm, an verò etiam in ordine ad locum. non primum, quia supponimus huiusmodi corpus præter quãtitatem, quæ reddit illud extensum in ordine ad se, habere etiam extensionem localem; neque secundum, quia extensio localis illa est, quæ facit vltimo congruere partem locati cum parte loci, ità ut neque extẽsio locati excedat extensionem loci, neque excedatur ab illa. Sed hoc non appareret in casu nostro; ergo &c. Neque dicat extensioni locali satis esse, quod eius beneficio possit locatum coextẽdi adæquatè loco, non verò quod actu coextendatur. Contra enim est tertiò, quia sit in extensionibus localibus daretur processus in infinitum; nam si beneficio huius primæ extensionis corpus centipalmare habet solùm potentiam ad occupandum locum centum palmorũ deberet expectare secundam extensionem, vt illum occuparet actu; in qua vel procederet doctrina, quæ processit in prima: vel non. si secunda cum non possit assignari maior ratio de vna, quam de alia sequitur, quod prima extensio sit vltima actualitas localis occupationis, & non potentia. si verò primum iam deberet dari tertia, & post tertiam, quarta, in infinitum. quia cum qualibet corpus centipalmare posset diuinitus existere in loco vnius tantum palmi. Contra denique est quarto, quia si corpus habens extensionem centipalmarem potest diuinitus constitui in palmo loci: sequeretur quod potest etiam constitui inpun-

cto.

Digitized by Google

ctio non enim ob aliam causam potest ipsa quantitas poni à Deo in puncto, nisi quia & est radix actualis occupationis localis; & in ordine ad divinam potentiam non sibi determinat certum spatium, sed potest in minori, & minori collocari. Iam verò sequelæ implicantiam nemo non videt sic enim eadem res esset localiter extensa, & localiter inextensa, quod apparet ex terminis implicare.

16 Atque hæc circa priorem philosophandi modum de extensione locali, ab vbicatione rerum materialium distincta. Posterior verò est eorum qui censent huiusmodi extensionem esse vltimum quendam actum corporum quantitatiuè existentium; cuius beneficio vna pars corporis extensi habet formaliter excludere à spatio, quod occupat, quamcumque aliam partem extensam, & vnum corpus extensum quodcumque aliud corpus item extensum; & ideo quidam apud Arriagam *sect. 7.* hunc modum appellarunt actualem impenetrationem, alij verò corpulentiam, alij grossitatem, quam habet corpus quantum, ratione cuius non potest cum alio in eodem loco, ne per absolutam quidem Dei potentiam consistere; & quidem quod extensio localis sit huiusmodi, constare facile potest ex dictis, siquidem ex vna parte illa est modus quidam ab vbicationibus partium corporearum nomine cogitante distinctus; ex alia verò vna eius pars etiam in ordine ad diuinam Potentiam, non potest esse simul cum alia in eodem loco, vti probauimus: cum igitur in ordine ad hoc non dicat potentialitatem: rectè deducitur quod sit vltimus quidem actus corporum extendiuè existentium, cuius beneficio vna pars corporis habet formaliter excludere à spatio, in quo est aliam partem, & vnum corpus, aliud quodcumque corpus.

17 Verum ex his videtur sequi implicare contradictionem, quod duo corpora possint esse simul in eodem loco. Quod quidem verum est, si agamus de corporibus extensis reduplicatiuè, seu in sensu composito vna cum suis quantitatiuis extensionibus: non verò si loquamur de illis specificatiuè, & in sensu diuiso. Quemadmodum enim in sententia plurium non distinguentium extensionem localem corporum ab eorum vbicatione, impossibile est, quod idem corpus eadem numero extensione possit esse in duplici loco: nihilominus tamen loquendo de corpore extenso absolutè affirmatur ab eis, quod per absolutam Dei potentiam possit: intelligendo hoc in sensu diuiso ab extensione, quam habet in vno loco: ità dicendum videtur, quod duo corpora extensa possint diuinitus in eodem loco penetratiuè existere, quamuis ad hunc effectum sit necessarium, vt alterum eorum sua extensione locali priuetur. Vndè patet solutio difficultatis initio propositæ; dicendum enim est corpus quantitatiuè extensum, in vno loco, posse in eodem loco stare cum alio corpore, item quantitatiuè extenso, dummodo, vel vnum, vel alterum sua extensione quantitatiua diuinitus spolietur. Atque hæc est responsio Paludani, Ioannis de Neapoli, & aliorum communiter, vt testatur Mazziotta *num.* 42. & 47. dicentium duplicem dari extensionem in quantitate alteram partium in ordine ad se: alteram in ordine ad locum. Porrò in penetratione corpora quanta retinere quidem priorem, quæ est de essentia quantitatis, amittere verò posteriorem, quæ est eorum accidens.

Sed contra hoc in hunc ferè modum instari potest ex ipso Mazziotta ibi: Quando quæritur de existentia plurium corporum in eodem loco, sermo est de loco diuisibili: sed implicat, quod vnum corpus spoliatum extensione locali existat in loco diuisibili: ergo hic modus philosophandi de extensione locali non coheret cum eo, quod dicimus posse diuinitus duo corpora esse simul in eodem loco. Maior patet, minor probatur, quia licet Christus Dominus in Eucharistia spoliatus sua extensione locali, existat in loco diuisibili; tamen existit modo indiuisibili, atnos quando agimus de existentia plurium corporum in eodem loco diuisibili, agimus de existentia illorum modo diuisibili, ergo cum modus hic existendi diuisibiliter in loco sit localis extensio: implicat, quod vnum corpus spoliatum extensione locali, existat in loco diuisibili. 18

Respondere, concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem concessa maiore, & minore negarem consequentiam; dicere enim posset aliquis, quod licet illud corpus esset diuinitus spoliatum propria extensione locali; extenderetur tamen per extensionem alterius corporis. vnde in loco illo diuisibili vnica quidem esset extensio localis, sed duplex corpus extensum, in hoc autem nullam esse repugnantiam, contradictionis; quia vna extensio primo & per se est exclusiua alterius extensionis: secundario verò corporis illam habentis. in præsentia autem non esse aliam extensionem, cui posset prima illa extensio repugnare. Hic tamen modus respondendi non videtur solidus. Supponit enim quod forma modalis possit diuinitus communicari subiecto non proprio, quod negatur à multis. Melius ergo respondendum videtur ad minoris illius probationem. Corpus continuum dupliciter posse loco diuisibili diuisibiliter coexistere. Primo, ita vt habeat vnam partem correspondentem vni parti loci, & aliam alij; cum positiua repugnantia formali ex parte vtriusque partis ad admittendam quamcumque aliam extensionem in loco sibi correspondente. Secundo ità, vt in dictis partibus nulla habeatur formalis repugnantia ad hoc, sed sint de se indifferentes ad existendum siue in vno loco simul cum alia extensione, siue in distinctis. Cum autem effectus formalis localis extensionis sit facere, vt corpus continuū primo modo loco diuisibili diuisibiliter coexistat: non verò secundo modo: hinc fieri, vt nulla habeatur implicantia in eo, quod ponitur à nobis corpus locali extensione spoliatum, existere diuisibiliter in loco diuisibili. non enim ponitur sic existere, nisi secundo modo tantùm, videlicet sine repugnatia formali ad rem extensam localiter in eodem loco admittendam.

Quod si quæras quid debeat Deus facere ad sic extendendum corpus in loco diuisibili. Respondeo facile, tria omnino. Primum est spoliare illud extensione quantitatiua. Secundum non redigere in punctum actionem constructiuam, quæ 19

simul cum illo erat diffusa per spatium diuisibile, vti in eo casu dictum corpus exigeret, sed dilatará per idé spatiú eá retinere, sicuti erat antea. Tertiò denique mouere ipsum corpus cum dicta actione conseruatiua ad locum, qui ab alio corpore suam extensionem quantitatiuam conseruãre, repletur. His enim positis habebitur plurium corporum in eodem loco diuisibiliter existentiú penetratio, quæ esset quidem miraculosa ob tria præcedentia enumerata, non verò formaliter ratione sui: siquidem illis positis connaturaliter cõsequeretur, cum extensio quantitatiua, quæ est in vno corpore, non habeat de se, nisi aliam quantitatiuam extensionem, à loco, in quo existit essentialiter excludere.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiectiones contra hunc tertium modum diffindendi penetrationem corporum ex Arriaga, & Mazziotta desumpta.

20 OBijcies primò ex Arriaga *loco citato nu.* 218. vbi probat non dari in quantitate præter vbicationis modum positiuum, qui sit actualis impenetratio, sic: Positis vbicationibus modalibus corporum, præciso quocumque alio, intelligimus rectè illa corpora esse extensa, & impenetrata, ergo modus extensionis a nobis explicatus est chimæricus. Consequentia patet. antecedens suadetur, quia ipsa quantitas exigit, ne naturaliter eum ipsa, alia quantitas penetretur. Quod confirmatur ex eo, quia eo ipso, quod intelligimus subiectú affectú súmo calore, intelligimus illud naturaliter carere frigore; neq; ad hoc est necessarius alius modus positus, qui sit frigoris exclusiuus.

21 Respondeo argumentú non habere vim cõtra negantes dari vbicationes modaliter distinctas, sed neq; contra eas cõcedentes, à quibus distinguendú est antecedens. Positis vbicationibus corporú, & præciso quouis alio rectè intelligimus corpora esse extensa, & impenetrata, extẽsione sufficienti, & improportionata corporibus quantis, concedo: extensione sufficienti, & proportionata nego antecedens, & consequentiã ad probationé antecedentis distinguo assumptú; ipsa quantitas exigit radicaliter, ne alia quantitas cũ ipsa penetretur, concedo formaliter, & nego. Dico n. quantitatem esse radicem extensionis localis, atq; adeo ex ea pullulare in corporibus modalé extẽsionẽ, beneficio cuius vna pars corporis habet primario, & positiuè expellere à se aliã partẽ. Quoniã verò ex hoc oritur, vt partes eiusdé corporis vbicationes expoſcant, quibus diuersis partibus loci correspondeant: hinc fit, vt licet corpora quatenus dicuntur vbicationibus affecta, intelligantur extẽsiuè nõ tamen per extensionẽ illi sufficientem, & proportionatam, quia hæc deberet esse immediatè profluens ex eorum quantitate, & per modũ permanentis in eis resideret, necnon etiã deberet esse ratio próxima, cur diuersis partibus corporis diuersæ vbicationes correspondeant, quæ omnia nõ possũt conuenire extẽsioni illi, quã intelligunt habere corpora beneficio vbicationum suarum vt sic.

22 Ad cõfirmationẽ verò aio: quod quemadmodũ subitania ignis exigit naturaliter carere frigore: nihilominus tamẽ exigit per prius habere per modũ permanentis, & independenter ab vbicatione formã caloris, ratione cuius excludat à se ipsum frigus; ita quãtitas exigit quidé naturaliter negationem penetrationis, nihilominus tamen exigit per prius habere per modum permanentis; & antecedenter ad vbicationem extensionem modum, beneficio cuius à se penetrationem excludat.

23 Objicies secundò ex eodé ibid. Impenetratio est formaliter aliquid negatiuum; ergo non potest esse modus aliquis positiuus; sed ad summũ ab aliquo positiuo, nempè à quantitate exigit. Cõsequentia patet: antecedens probatur, quia impenetratio est carentia vbicationis alterius quãtitatis in eodé loco. Respondeo distinguendo antecedẽs: impenetratio secúdú modũ significãdi est aliquid negatiuũ, concedo: secundú rem significatam; nego antecedens, & consequentiã. Dico n. quod licet ex modo significandi impenetratio importet negationem pluriũ extensionum corporearũ in eodé loco: secúdum rẽ tñ significatã importat ipsissimã extensionem corporum, quam volumus esse formam modalem positiuã, beneficio cuius habet corpus positiuè repugnare, vt in eo loco, in quo est vna eius pars, sit alia pars, & per consequens in eo loco, in quo est ipsum, aliud corpus existat ex quo patet falsitas probationis antecedentis: impenetratio enim nõ est in re veritate carẽtia vbicationis alterius quantitatis, sed forma positiuè repugnans alteri quantitati, ad quam consequitur illius carentia. ad eam planè modum, quo figura curua est forma repugnans figuræ rectæ, ex qua sequitur negatio rectitudinis.

24 Objicies tertiò ex Mazziotta putante extensionem esse quidem modum ab vbicatione distinctũ, sed posse diuinitus stare simul cum alia extensione in eodem loco, sic: Quoties duo ita se habent, vt vnum sit prius, aliud posterius, & inter se non habent essentialem connexionem, potest saltẽm diuinitus id, quod est prius, esse, etiam si non sit id quod est posterius. Sed corpus vt extensum dicit duo, vnum quidditatiuè, atque adeo prius, nimirum occupare, & replere locum, eique esse immediatum; alterum consequenter, vt quid posterius, nimirum distare ab alio corpore, & expellere illud ab eodem loco, & primum non est essentialiter connexum cum secundo. ergo non implicat, vt corpus extensum extensione quantitatiua existens in loco, admittat in eodé loco aliud corpus alia extensione quantitatiua item extensum. maior patet, quia communiter docent Doctores, quod licet non possit diuinitus poni forma in subiecto sine effectu suo formali primario, quia hic est ipsa forma communicata subiecto: potest tamen poni sine effectu secundario. quia hic est aliquid consequens ad formam subiecto communicatum, & regulariter non est cum ea essentialiter connexus. sic licet non possit esse in subiecto calor intensus absque eo, quod reddat subiectum intensè calidum: potest tamen esse diuinitus in illo cum intenso frigore, quia exclusio frigoris est effectus formalis eius secundarius, minor verò patet exemplo intensi caloris; sicuti enim hic exclusionem frigoris consequenter importat, & suus essentiali connexione cum illa ita corpus in loco extensum extreitatem alterius corporis ab eodé loco. Ita ferè Mazziotta *qu.* 8. *cit. n.* 20. *ad* 25.

Ref-

Digitized by Google

Respondeo, concessa maiore, negando minorē.
25 Dico enim quod replere, & occupare locum diuisibilem cum repugnantia essentialiter importat distare ab alio corpore diuisibili, & expellere illud ab eodem loco; ad cum planè modum, quo habere figuram circularem essentialiter importat habere negationem figuræ rectilineæ. Ad probationem minoris, nego paritatem. disparitas est, quia effectus primarius quantitatiuæ extensionis est replere, & occupare locum diuisibilem, ita vt eius beneficio corpus extensum habeat formaliter secundum vnam partem sui correspondere vni parti loci, & alij secundum aliam. sed hoc dicit essentialem connexionem cum distantia, & extreitate vnius partis corporis ab alia: ergo dicit etiam essentialem connexionem cum distantia & extreitate vnius corporis ab alio, vti supra probauimus. At verò effectus formalis primarius caloris intensi non est essentialiter connexus cum negatione frigoris, sed connaturaliter tantùm, vti supponimus.
26 Obijcies quartò ex eodem *n.* 48. Ita se habet extensio in ordine ad se, quæ est essentia quantitatis, ad extreitatem localem, sicut se habet extreitas localis in ordine ad expulsionem alterius quantitatis à loco, in quo ipsa est. Sed potest diuinitus existere extensio in ordine ad se sine extreitate locali, vt patet ex Christi Domini Corpore existente in Eucharistia. ergo poterit etiam diuinitus existere in loco extreitas localis sine expulsione alterius corporis, suam extreitatem localem habentis ab eodem loco. Maior, quæ sola indiget probatione suadetur, quia ea ratione, qua extensio in ordine ad se dicit tanquam rationem sibi consequentem extreitatem localem: ita etiam extreitas in ordine ad locum dicit expulsionem alterius Corporis à loco, in quo est, tanquam rationem sibi consequentem. Respondeo, negando maiorem, ad cuius probationem dico: expulsionem alterius Corporis sumi posse dupliciter in casu nostro: Positiuè, & Negatiuè. primo modo sumpta non distinguitur ab ipsa extreitate, seu extensione in ordine ad locum, atque adeo nō est quid consequens ad illam. Secundo verò distinguitur quidem, sed extreitas est illi essentialiter connexa, ita vt implicet contradictionem poni, quin ponatur in eodem loco, in quo ipsa est, negatio cuiuscumque alterius extreitatis. non se se habet extensio partium in ordine ad se cū extreitate, seu extensione locali. est enim solùm contingenter, non verò essentialiter cum illa connexa. Hoc posterius patet ex Diuinissima Eucharistia: prius verò ex essentia, & ratione extreitatis: est enim impenetrabilis etiam per intellectum à negatione alterius extreitatis in eodem loco.
27 Obijcies quintò ex eodem *n.* 49. quidquid est se ipso distinguitur ab alio, quod non est ipsum, non verò per aliud, quod ad ipsius constitutionem non ingreditur. Sed Corpus extensum in ordine ad locum non dicit se ipso actualem occupationem loci; ergo non distinguitur ab alio corpore extenso per hoc, quod distet ab illo, occupando locum distinctum, sed poterit ab illo distingui, occupando eundem prorsus cum illo maior patet, quia idem est constitutiuum rei, ac distinctiuum. Minor verò probatur; nam actualis occupatio loci est ratio consequens corpus extensum, & se habet ad eius extreitatem, vt actus secundus ad actum primum. Respondeo, concessa maiore, negando minorem, vt patet ex eo, quia corpus extensum est illud, quod habet partes extra partes in ordine ad locum. ad minoris probationem distinguo assumptum; actualis occupatio loci est ratio consequens ad Corpus extensum ex modo concipiendi, concedo: ex parte obiecti, nego antecedens, & consequentiam. si enim esset ratio consequens, posset dari Corpus habens formalem extensionem, & nullum occupare locum diuisibilem, quod non videtur concedendum. Dico igitur, quod quemadmodum ex modo concipiendi imperfecto homo est ratio consequens ad Animal rationale, ita actualis occupatio loci ad corpus extensum.

Obijcies sextò: non implicant duæ qualitates 28
contrariæ in summo esse simul in eodem subiecto; ergo neque duę extensiones in eodem spatio. Consequentia patet, quia non minus duæ qualitates contrariæ se expellunt ab eodem subiecto: quam duo corpora extensa ab eodem loco: ergo &c. Respondeo, negando consequentiam; cum sua probatione. ratio disparitatis est, quia effectus formalis vnius qualitatis contrariæ non importat essentialem connexionē cū carentia alterius qualitatis in eodem subiecto. Contra verò effectus formalis vnius extensionis importat carentiam alterius in eodem spatio: vndè sicuti non valet argumentari a simultate contrarjarum qualitatum in vno subiecto, ad simultatem duarum figurarū oppositarum, item in eodem subiecto; ita neque ad simultatem duarum extensionum in eodem loco.

SECTIO TERTIA.

Percurruntur cetera obiectiones Principalem Conclusionem impugnantes.

OBijcies septimò: ratio formalis extreitatis, 29
atque distantiæ vnius corporis ab alio, est quantitas, sed implicat remanere causam formalē, & non haberi eius effectum formalem. ergo implicat duo corpora quanta in eodem loco compenetrari. Respondeo negando maiorem: dico enim quod quantitas (vti ex dicendis constabit) est radix distantiæ, & impenetrationis corporū, quatenus exigit extensionem localem, vt quemadmodum habet partes extensas in ordine ad se: ita eas habeat in ordine ad locum. Quod verò localis extensio vnius corporis formaliter expellat à loco proprio aliam extensionem alterius: non probat P. Oniedus *punctis* 21. *citato num.* 3. & 4. patet enim, quod illam expellat in genere efficientis per impræsionem impulsus, ex vi cuius corpus acquirit præsentiam in spatio distincto, ab eo, quod occupatur à corpore dictum impulsum imprimente, vel per immediatam productionem præsentiæ in loco distincto. Ratio, qua mouetur est, quia formalis oppositio non potest intelligi, nisi in ordine ad aliquod tertium cōmune, à quo opposita se expellant, sed nullum commune assignabile est, à quo duo corpora extensa se expel-

Digitized by Google

lant. quia si quod esset, maximè esset spatium imaginarium, quod est quid chimericum, nam corpora non sunt realiter in spatio, vt ipse alibi probat; ergo erit oppositio in genere efficientis. Sed contra est primò, quia iam nos probauimus supra cõtra illum, spatia imaginaria esse quid reale abusiuum, atque adeò à parte rei suo modo independens ab intellectu. Corruit ergo fundamentalis ratio ad negandam huiusmodi oppositionem esse in genere causæ formalis. Contra secundò, quia sicuti nos supra docuimus non dari vbicationes modaliter distinctas à corporibus vbicatis, ita infra docebimus, neque dari impulsum, seu virtutem impressam, ratione cuius vnum corpus aliud moueat; ergo neque quantum est ex hoc alio capite hæc sententia procedit. Contra denique tertiò, quia si productio impulsus, vel vbicationum obstaret, quod vnum corpus excludat à loco, in quo est, aliud corpus: sequeretur quod corpus quandiù est in loco suo, deberet huiusmodi impulsum, vel vbicationem in corporibus circumsistentibus producere, imò & vna eius pars in cæteris partibus; sed hoc falsum esse experientia compertum est, non enim semper inuicem corpora impelluntur, neque vnum alteri vbicationem producit; ergo &c.

30 Obijcies octauò: implicat duas quantitates successiuas esse simul in eadem duratione temporis. ergo implicabit etiam, quod duæ quantitates permanentes simul sint compenetratæ in eodem spatio loci. antecedens videtur certum. consequẽtia verò suadetur, quia in tantùm duæ quantitates successiuæ non possunt esse simul in eadem duratione temporis, quia quantitas successiua dicit essentialiter ordinem prioris, & posterioris in suis partibus in ordine ad tempus. sed etiam quantitas permanens dicit ordinem prioris, & posterioris in suis partibus in ordine ad locum; ergo, si implicat primum, implicabit etiam secundum. Respondeo negando antecedens: puto enim non solùm de absoluta Dei potentia; sed etiam naturaliter posse plures quantitates successiuas esse simul in eadem duratione temporis extrinseci; experientia enim constat in spatio eiusdem horæ innumeros ferè motus in mundo fieri, qui omnes eidem horæ correspondent: Disparitas est, quia spatium temporis est mensura extrinseca durationis rerum; atque adeò hoc ipso quod ponitur in rerum natura plura entia creata successiua, quæ simul naturaliter durent, sequitur euidenter, quod eadem duratione temporis naturaliter concludãtur. At verò spatium loci continet in se, & concludit locatum, atque adeo saltèm naturaliter ad multiplicationem entium, quæ sunt in loco multiplicari debet. Cur autem debeant etiam in ordine ad diuinam potentiam multiplicari, ita vt implicet plura corpora extensa in eo simul esse? patet ex dictis. Atque hæc loquendo de tempore extrinseco; quod si in argumento sermo sit de intrinseco, cum quo quilibet motus identificatur: concesso antecedente, distinguo consequens: Implicabit, quod duæ quantitates permanentes simul sint compenetratæ in eodem loco: si ambæ affectę sint sua extensione locali, concedo: si altera saltẽ non sit huiusmodi, nego; ad cuius probationem dico: tempus intrinsecum quantitatis successiuæ assimilari extensioni locali, non verò quantitati eam exigenti. ratio est, quia quantitas permanens potest redigi in punctum, quod non competit tempori intrinseco quantitatis successiuæ. quare argumentum factum, est potius pro nobis, dum putamus, quod implicet duas extensiones locales esse posse compenetraras in eodem spatio loci.

Obijcies nonò: Casu quo miraculosè duo corpora in eodem loco se penetrarent, ex vna parte possent inuicem agere, & pati, posito quod haberent contrarias qualitates, vt summum frigus, & summum calorem. ex alia verò non possent, quia non essent debitè applicata ad agendum. Ad debitam enim applicationem requiritur corporum contiguitas, quæ nulla esset in eorum penetratione; atqui posse, & non posse inuicem agere implicat contradictionem; ergo penetratio corporum implicabit. 31

Respondeo: data maiore, ad minorem dico, quod tunc posse, & non posse contradictionem inuoluunt, quando non posse importat negationẽ potentiæ, quã posse ponit. In casu autẽ nostro corpora compenetrata, si non possent inuicem agere, & pati, non orietur ex defectu qualitatum cõtrariarum, ratione quarum constituuntur potentiis, sed ex defectu conditionum, quæ ad agendum necessariæ esse supponuntur. quare negatur consequentia. Dixi, transeat ad maiorem: scio enim Arriagam *loco citato n.* 120. velle, quod corpora illa eodem modo inuicem agerent, & paterentur, ac si penetrata non essent. Ad probationem in contrarium dico, quod quando Philosophi requirunt inter agens, & passum approximationem: hoc non faciunt ad excludendam miraculosam compenetrationem; sed ad excludendam actionem indistans.

Obijcies decimò: si duo corpora grauia in medio aeris compenetrarentur, non posset assignari; num deberent connaturaliter moueri deorsum, nec ne? sed hoc est absurdum. ergo &c. Respondeo negando maiorem, puto enim, quod sibi relicta deberent connaturaliter moueri ad centrum; & quidem velocius, quam si non essent penetrata. Primum patet, quia non posset assignari ex quo capite eorum motus naturaliter repugnaret. Secundum verò constat ex eo, quia maiori impetu descenderent, atque adeo aer scindendus minus illis resisteret, ad eum planè modum quo minus resisteret ponderi extensiuè grauiori. 32

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMA SEPTIMA

DE VACVO.

33 VACVVM in duplici acceptione sumi potest. Primò largè pro spatio carente omni corpore, in quo sensu spatia imaginaria extra Cœlum dicimus esse vacua, vel etiam pro carente aliquo saltem corpore determinato: vnde crumenam carentem pecunia dicimus esse vacuam. Secundo strictè, & sic acceptum significat intercapedinem illam, quæ ita ambitur à loco physico: vt à nullo prorsus corpore occupetur, & repleatur. Iam verò nos in hac secunda acceptione cum Aristotele de vacuo post tractationem de loco disputamus; & rectè id quidem, est enim quædam species, licet imperfecta, loci, vt de se patet.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Vacuum, & an naturaliter dari possit.

34 PRima Conclusio: Vacuum rectè describitur, cum dicitur: Locus carens corpore. ita Arist. *hic tex. 60. & 61.*

Pro explicatione aduerte: dupliciter adhuc vacuum strictè sumptum sumi posse primo adiectiuè, & in concreto. Secundo in abstracto, & substantiuè. primo modo pro subiecto dicit superficiem corporis ipsum vacuum continentis, quę est veluti vacuitatis subiectum: pro forma verò vacuitatem ipsam, seu quod idem est contẽti corporis priuationem. Secundò verò modo dicit in recto ipsam vacuitatem, & in obliquo superficiẽ, à qua vacuitas hæc circumuoluitur: primo modo sumitur à nobis cum dicitur esse locus carẽs corpore; quotiescumque enim aliqua priuatio, vel etiam forma aliqua accidentalis definitur in concreto, loco generis ponitur subiectum, in quo illa est; loco verò differentiæ forma ipsa, siue hæc priuatio sit, siue non; vnde dicimus Cæcum esse animal carens visu, album verò quod habet albedinem: Iam si secundo modo sumeretur: posset etiam optimè definiri: Vacuitas, seu carentia corporis à superficie alicuius corporis immobiliter contenta, quod præstitit idem Arist. *tex. 66.* cum ipsum vacuum appellauit non ens, seu corporis negationem, quod idem est cum negatiua distantia.

35 Secunda Conclusio: Neque de facto, neque de possibili datur naturaliter vacuum in rerum natura dico naturaliter, nullum enim est dubium, quin de potentia absoluta Dei fieri possit.

Est Arist. & communis contra antiquos; quorũ aliqui illud inter vnum, & aliud corpus, ad hoc vt ipsa corpora moueri possent, necessarium esse censebant alij verò illud intra quodcumque corpus admittebant, vt condensationem, & rarefactionem saluare possent.

36 Probatur tamen Conclusio, quia Natura maximè abhorret à vacuo; adeo vt omnem moueat lapidem, & contra omnium corporum inclinationem operetur, ad hoc vt illud impediat. non igitur potest dari naturaliter. Consequentia patet: antecedens probatur primo multis experientijs. Quarum prima ducitur à vitreis cucurbitulis, quibus Medici ad auriendum sanguinem, vti consueuerunt, in quibus quando aer, virtute ignis antea rarefactus, incipit condensari, ac minorem locum occupare: ne detur vacuum: caro sursum in orbem attollitur; & sanguis confluit, imò humores ex remotioribus corporis partibus aduocantur ad dictum vacuum impediendum. Secunda à fistula, cuius vnam extremitatem, si aquis immergas, ex altera ore attrahas aerem, qui in ipsa fistula reperitur, paulatim senties aquam naturalis grauitatis obditam, ad impediendum in ea vacuum sursum ascendere; vnde ortum habuere machinæ illæ, quibus ex profundissimis puteis aquæ paruo labore exhauriuntur. Tertia sumitur ex follibus, quorum orificium, vnde aer ingreditur, si clauseris; potius eorum latera disrumpes, quam ea attolles, ac ab inuicem separabis, & hoc ne vacuum inter illa creetur. Quarta ex phiala vitrea occlusissima plena partim aqua, partim aere, quam si prius ad ignem admoueas, aeremque in ea conclusum calefacias: deinde verò super eius orificium aliquod corpus frigidum reponas, statim ac aer incipit frigefieri, ac condensari, videbis, iuxta mensuram condensationis aquam sursum ascendere. & locum aeris in ipsa phiala occupare. Quinta: sume phialam plenam aqua, angustum foramen habentem, si illam inuertas experieris aquam non descendere, & hoc non aliam ob causam, nisi quia in locum aquæ nequit ingredi aer ad impediendum vacuum, quod intra phialæ latera deberet dari, si aqua defluere, atq; hinc ortum habuit fictilis illa Clepsidra, qua irrigantur horti, quæ licet multa parua foramina subtus habeat: si tamen aqua repleatur, & magnum foramen, quod superius in ea est instar oris obstruatur: aqua per inferiora foramina minimè descendet; quo ad vsque foramen superius reclusa-tur. Sexta denique ex vase aqua pleno deduci potest, quod si brumali tẽpore sub dio ponatur, & aqua, quam continet, congeletur, procul dubio frangitur, si os occlusum habet: frangitur, inquã, ad præbendum aditum aeri, qui occupare debet locum prius ab aqua non dum congelata occupa-

tum,

tum, ne admittatur vacuum, per quæ omnia experimenta remanet probatum antecedens principalis argumenti.

39 Ratione etiam idem antecedens probatur secundò, quia ex vna parte vacuum impedit operationes naturales (nulla enim ratione posset Sol V. g. illuminare aerem, si locus, qui nunc occupatur ab igne, vacuus esset, neque ignis posset calefacere manum, si inter ignem, & manum daretur vacuum: ex alia verò parte ad agendum natura maximopere inclinat, adeò vt, esse propter operari rebus naturalibus tribuat. ergo iure abhorret à vacuo. Et in hoc sensu explicata ratio, quã impugnat Arriaga *sect. 11. num. 158.* quod scilicèt natura abhorret otiosum solidissima est: Contra eam enim non facit prior eius ratio, quod scilicèt, vacuum nihil cum sit, non est propriè otium naturæ. Siquidem per illud, otium in corporibus naturalibus, ne inuicem agant, & patiantur, inducitur: Neque posterior, quod scilicèt extra Cœlum detur naturaliter in spatijs imaginarijs hoc otium. Contra quod facit, quia ibi non dantur corpora, quæ inuicem agere, & pati debeant. vnde non est mirum, si huiusmodi spatia dentur naturaliter. Confirmatur, quia non solùm pulchritudini vniuersi Orbis, sed etiam eius vnitati, atq; integritati vacuum aduersatur; ergo non est, cur natura illud admittat.

38 Denique primum antecedens suadetur tertio, quia sublunaria corpora valdè indigent cælestiũ corporum influsu, vt inde regantur, & conseruentur. Sed vacuum huiusmodi influxum impediret. ergo sublunaria corpora debent omnem conatum adhibere ad vitandum vacuum. est discursus Aristotelis, qui primo *Meteoro summa 1 cap.* dixit: oportere mundum hunc inferiorem contiguum esse latioribus superioribus, vt inde regatur, & gubernetur.

39 Patet. Arriaga huic etiam rationi dupliciter aduersatur. Primò, quia licèt admisso vacuo corpora cælestia non possent influere per lineam rectam: tamen possent oblique mediis corporibus collateralibus. Secundò etiam, quia cælestia corpora non semper influunt in sublunaria; ergo non est, cur per aliquod breue tempus natura vacuum permittere nequeat.

40 Hac ratione sic impugnata, procedit auctor suam afferre à priori *num. 159.* quæ est huiusmodi: repugnat duo corpora inuicem penetrari, sed hoc sequeretur ex vacuo; ergo &c. minorem probat, quia Deus initio mundi creauit tantam materiæ quantæ sufficit ad replendum totum hoc spatium sublunare; ergo admisso vacuo deberet vna materia se compenetrare cum alia: verum hæc ratio nullius videtur esse momenti, quemadmodum enim exclusio vacui, quando corpus aliquod mouetur, non sequitur corporum compenetratio, quia corpus circumstans, per condemnationem recipit illi partem sui loci: ita casu quo daretur vacuum, posset corpus ipsum vacuum circumstans, v. g. aer item per condensationem recipere in partem sui loci v. g. lapidis qui spatium illud antea occupabat. Neque efficaciores sunt impugnationes, quas contra communem rationem hic auctor adducit.

41 Ad priorem respondet Giattinus *quæst. 13. art.* 1. negando assumptum, eo quod omne agens agit semper per lineam rectam, siue directa sit, siue reflexa, vt patet in lumine &c. & ratio est, quia linea recta est determinata, & omnium breuissima. Deinde addit, quod etiam si aliquo modo Cœlum influeret per corpora collateralia, tamẽ corpora, quæ essent infra vacuum: priuarentur actione directa, quam debet natura plurimi facere.

Verum hæc responsio, nisi melius explicetur, non procedit. Nam Cœlum est figuræ circularis continens intra se omnia hæc inferiora: posito igitur, quod hoc cubiculum v. g. sit vacuum, non solùm linea recta Cælum respiciet tectum, sed etiam parietes, & pauimentum ipsum. ergo ex eo, quod Cœlum debet per lineam rectam influere in hæc inferiora, non sequitur negandum esse naturaliter vacuum.

Addendum igitur videtur vlterius, quod licèt 42
Cœlum omnes partes locorum sublunarium per lineam rectam respiciat: hoc tamen præstet per diuersas sui partes v. g. per superiorem partem tectum cubiculi, per orientalem parietem A., per occidentalem parietem B. & cæt. quoniam verò eius influentiæ in hæc inferiora non æquè procedunt ab omnibus eius partibus, sed maximè ab astris, quæ non possunt, nisi ex vna parte agere in locum per lineam rectam: hinc fiat, vt vacuum, eius actionem impediret.

Ad posteriorem verò idem Giattinus ait, quod quamuis breui tempore ponamus durare posse vacuum, melius est eo tempore corpora naturalia pati aliquam violentiam, quam priuari maximo emolumento publico, nempè influxu Cælorum, qui ad eorum operationes necessarius est.

Verum Arriaga supponit, quod eo breui tem- 43
pore corpora cælestia non influant. quomodo igitur pro eo tempore publico emolumento ratione vacui priuarentur? Melius ergo respondendum putarem, quod si idcirco posset dari vacuum ad breue tempus, quia non continenter corpora cælestia influunt in inferiora; sequeretur, quod tandiù hæc inferiora admitterent vacuum, quandiù non deberent in ea influere superiora. Hoc antè esse manifestè falsũ patet, quia hoc fieri nõ posset, ab illis, absque eo, quod ex vna parte haberent hunc naturalem instinctum sentiendi, vt ita dicam, influxus Cælorũ, & eorum carentias; & ex alia vim naturalem ad excludendum à se vacuũ, posito quod illud ad modicum tẽpus admisissent. æqui neutrum inferiora corpora habent, sed neque habere possent, sine maxima superfluitate. ergo cum natura abhorreat à superfluis, tutius fuit illis concedere, vt vniformiter, & semper vacuũ à se excluderent, quam hoc modo, vt aliquando illud admitterẽt, aliquando verò non. Et quidem quando deberent recipere influentias illud à se excluderent: contra verò quando non deberent, non excluderent.

SECTIO SECVNDA,

Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium.

OBijcies primò cum antiquis. Nisi daretur 44
vacuum, tolleretur motus localis, sed hoc est absurdum; igitur sequela probatur, quia qui-

do

do mobile moueretur, non posset recipi in vacuo, quia non daretur: ergo deberet recipi in pleno; sed ex hoc, vel compenetratio corporum, vel totius mundi mutatio sequeretur; eo quod dum corpus plenum cederet mobili locum, deberet assignari aliud corpus, quod cederet etiam locum pleno illi, & rursum aliud quod cederet huic tertio, & sic vsque ad vltimam sphæram procedendum, quæ deberet etiam ipsa versus spatia imaginaria se dilatare, vt cedere posset locum corpori aduenienti.

Respondeo negando sequelam; ad cuius probationem dico, quod ex eo quod mobile recipiatur in pleno, neque corporum penetratio, nec motus totius vniuersi sequatur; & ratio est, quia plenum, in quo mouetur mobile, cuiusmodi est aqua, vel aer, v. g. ad eius aduentum parumque condensatur, & ad eius discessum in pristinum statum per rarefactionem redit.

45 Obijcies secundò: vacuum est necessarium omninò ad hoc vt fiat augmentatio, condensatio, & rarefactio; ergo non debet negari.

Respondeo negando antecedens. Augmentatio enim fit ex eo quod alimentum delatum in poros corporis excludat ex eis aerem, vel humorem, & ipsi corpori adgeneretur dilatando poros. Condensatio autem, ac Rarefactio propriè fiunt per productionem raritatis, ac densitatis.

46 Obijcies tertiò, dum oleum in lucerna turrita, quæ, scilicèt, est ad instar turris, flammam alit, relinquit vacuam superiorem partem dictæ lucernæ; ergo datur vacuum. antecedens patet ex eo, quia illuc non potest ex aliqua parte ingredi aer, alioquin oleum funderetur.

Respondeo lucernas turritas pro nobis facere, quæ licet orificum inferius habeant: infusum tamen oleum non effundunt, ne earum fastigia vacua relinquantur. in casu verò, quo oleum paulatim flamma consumitur; præter quam quod eius partes superiores caloris vi ad replendum lucernæ fastigium attenuantur, & sic maiorem occupat locum aliquid etiam aeris ex orificio paulatim ingreditur: vt constat ex sono, quem audimus, dum lucernam inuertimus, vt oleum licno approximemus.

47 Obijcies quartò experientiam de dolio, quod tot libras olei capit, siue cũ vtribus illud recipiat, siue sine vtribus. quando igitur sine vtribus capit oleum, retinet vacuum locum ab vtribus occupabile.

Respondeo, negando consequentiam. Oleum enim, in vtribus maximè condensatur ex eo, quia in illis magis premitur, quam cum est in dolio, & sic minorem occupat locum, vndè nõ est mirum, si dolium vna cum oleo possit etiã vtres, quibus continetur, capere.

48 Obijcies quintò, dentur duo solida corpora perfectè plena æqualis magnitudinis, ac vnum alteri totum simul descendendo superponantur: tum sic: In vltimo instanti terminatiuo motus duo illa corpora se tangere debent; ergo ante illud instans, ex vna parte inter se distabant. ex alia verò neque intercedebat aer, neque corpus aliud inter ea, ergo dabatur vacuum. Prior consequentia quo ad primam partem certa est: quo ad secundam verò probatur sic, quia si interceßisset aer: hic vel discessisset in instanti contactus, vel ante illud instans. non in instanti, motus enim localis fieri debet in tempore; ergo in antecedenti tempore, & sic aer, qui erat in medio solidi corporis prius tempore, debet relinquere medias partes illius, quam extremas; ergo iam in illo priori temporis, mediæ partes vacuæ extitissent: supponimus enim solida illa esse inflexibilia, & secundum omnes sui partes se tangere simul.

Respondeo, in tali casu duo illa corpora non posse se tangere. Remanebit enim aliquid 49
aeris inter ea ad impediendum vacuum, qui quidem aer cõtra naturam propriam erit suotus graue, illudque sustentabit, non secus, ac aqua remanet in clepsidra propter eamdem rationem supra leue, hoc est, aerem; & condensata ponderosissimas substentat naues. Aliqui sunt qui respondent semper inter duo corpora solida aerem, vel aquam intercedere; & sic numquam dari solidorum contactum, quod confirmant ex Arist. 2. *de Anim. text.* 103. Sed nulla est necessitas id asserendi, cum præsertim ibi philosophus dubitatiuè tantùm, nõ autem assertiuè loquatur. Atque ex his colliges, quod planum superpositum, si vel totum simul, vel ex vna tantùm parte esset eleuandum, & disiungendum ab inferiore, in eius eleuatione aer intermedius attenuaretur ad replendum spatium illud, donec exterius aer occurreret; quod si nihil aeris inclusum esse inter illa duo corpora supponamus: vel non posse adeo attenuari, vt repleat totum vacuum, quod imminet: dico in tali casu nulla vi naturali huiusmodi plana inuicem posse se iungi, nisi forte per morum reptationis, quo vnum successiuè elaberetur, & ab alio secederet.

Obijcies sextò: Scindatur alta silex vnico ictu 50
simul in duas partes: in tali casu prius tempore aer ingreditur partes sibi viciniores, quam remotiores silicis: ergo in his ad minimum tẽporis dabitur naturaliter vacuum.

Respondeo primò, negando casum de simultanea scissione: dico enim quod sicuti percussio, quæ illam antecedit fit per motum localem. ita, & ipsa scissio; & sic aer successiuè, iuxta successionẽ scissionis partes illas silicis ingreditur. semper enim in huiusmodi corporibus aliqua flexibilitas reperitur.

Respondeo secundò, admisso casu, & concesso antecedente: nego consequentiam. ratio negationis est, quia ex partibus, quę scinduntur oxhalationes aliquæ tenuissimæ statim ad impediendum vacuum secernuntur, vt ex odõre sulphureo, & ex vapore, qui cernitur in lapidicinis constare potest; eademque responsio est adhibenda exemplo desumpto ex euulsione claui in pariete, vel in ligno defixi.

Atque ex his colliges modos, quibus natura impedit vacuum, esse tres: Primus est resistentia, qua vnum corpus in vacuo ab alio diuelli non potest. Secundus est rarefactio, vel condensatio: Tertius motus localis.

Quæres tamen hic primò, qua virtute mouentur corpora ad impediendum vacuum? 51

Respondeo, quod si ad propria loca moueantur motus ille prouenit a virtute sibi intrinseca: si autem extra proprium locum, a virtute motiua illius ageris, quod trahit corpus illud, in cuius loci

vt

Digitized by Google

vt succedat, consequès corpus mouetur. quod probatur ex eo, quia aqua dum trahitur per fistulam grauitat; vnde maiorem vim, atque conatum in attrahente requirit. Malè igitur aliqui in huiusmodi motibus recurrunt ad Deum, qui eos, vt auctor naturæ, se solo, producat sine enim necessitate id fieri non debet, malè etiam alij recurrunt ad intelligentiam, cui asserunt Deum specialiter commisisse, vt impediret vacuum accommodat ius est enim naturis rerum, quod hæc virtus in ipsis corporibus naturalibus relideat. Porrò motus, quo corpora extra propria loca ad impediendum vacuũ mouentur, quamuis sit violentus illis secundum naturam propriam consideratis. Est tamen ijsdem naturalis, si considerentur, vt partes vniuersi, quare dum aqua vi grauitante imminente vacuo inclinat ad motum sursum, primò, & per se inclinat ad bonum vniuersi. Secundariò, & per accidens ad malum proprium, cui præferendum est bonũ commune. Ex hoc autem non rectè deducitur, aquam moueri, tunc sursum per virtutem electiuã naturalem sibi intrinsecam. sic enim non experiremur, quod in huiusmodi motu grauitaret; liquo quod eidem corpori duæ virtutes motiuæ aliquo modo contrarię competerent.

52 Quæres secundò: datur ne in corporibus qualitas, quæ appelletur adherescentia ab eisdem corporibus distincta.

Respondeo negatiuè. Sufficit enim, vt corpora per se ipsa absque alia qualitate superaddita exigant contiguitatem, vt scilicet post vnum corpus, sit aliud immediatè vsque ad vltimam sphæram. Vndè fit, vt si agens, quod mouere localiter debet vnum corpus, non habeat vim mouendi aliud consequens, vel saltem illud rarefaciendi, non possit primum illud corpus mouere.

53 Quæres denique tertiò, possit ne aliquod aliud agens præter Deum, virtute sua naturali inducere vacuum. Respondo negatiuè: si enim aliquod posset, maximè esset Angelus, sed hic non potest, quia ad tractionem vnius corporis non potest Angelus impedire, ne sequatur aliud; quamuis enim ille multa possit facere contra exigentiam naturæ particularis, vt montes discindere, fluminia exicare, &c. at non contra exigentiam totius naturæ. Cuiusmodi esset penetratio corporũ, motus sursũ totius terrestris globi &c. inter quæ numeranda est diuunctio illa corporum, ex qua sequatur vacuum.

SECTIO TERTIA.

An aliquis motus fieri possit in vacuo.

54 ANtiqui propter motum localem ponebãt vacuum, contra quos Arist. *hic text. 66.* probat vacuo motum localẽ maximè impediri. Huius dicti occasione quærimus in præsentia: an aliquis motus possit in vacuo fieri ex suppositione, quod ipsum detur. & quidem si sermo sit de motu alterationis, aut generationis, videtur certum, quod possit posito quod agens, & passum se tangant, & quod concurrat Cœli ad omnes, & singulas rerũ inferiorum actiones non sit necessarius, quod secundum supponendum semper est in tota hac dubitatione. Dubium verò remanet de motu locali, non quidem spirituum (quia hi non requirunt corpus medium, per quod transeant) sed rerum corporearum. Et primò quidem grauium, & leuium, quæ motu naturali mouentur, cuiusmodi sunt elementa, & mixta carentia sensu. Secundo de motu locali proiectorum. Tertiò de animalium, de quibus loquimur, facta suppositione, quod potentia motiua localis, quæ de facto est in rebus, in illis remaneat; & quod à Deo adhærescentia corporũ impediatur: alioquin certum est nullum ex dictis moueri posse in vacuo, casu quo cum alio corpore adhæresceat. His autem prænotatis sit

Prima conclusio. Grauia, & leuia non possunt 55
se localiter mouere in vacuo: Est Aristot. & Probatur, quia grauia non mouentur, nisi vt sint infra leuia, & leuia non nisi vt sint supra grauia, at in vacuo cessat huiusmodi finis, quia in illo neque corpus leue est, neque graue, sed solùm illud, quod moueri deberet. ergo &c.

Dices: Sit vacua media regio aeris, & in ea 56
existat lapis, vtique hic deberet descendere, vt esset infra aerem, in infima regione contentum.

Contra tamen est, quia lapis ille, si est cum aere suprema regionis coniunctus, iam est infra omnia leuia, cum quibus quodam modo facit vnum, atque hoc ei sufficit, vt patet ex ligno, quod naturaliter supernatat aquis violenter in aere detentis; neque verum est lapidem illum esse in tali casu supra aerem infimæ regionis. aer enim hic se haberet respectu illius, ac si esset extra vltimã sphæram in spatijs imaginarijs; corpora namque naturalia ordinem superioris, & inferioris quo ad locum seruare debent, posita mutua contiguitate, & vnitate vniuersi; hac verò dissoluta non est cur amplius illum quærant. Alioquin poparamus, quod dum lapis ille mouetur in vacuo annihilet Deus omnia alia corpora, quæro, sisteret ne, an adhuc moueretur lapis, posita annihilatione illa? Vtique dicendum est, quod non, alioquin infinito tempore deberet moueri. Quod si lapis ille non ponatur cum aere supremæ regionis coniunctus; iam in vacuo ita se habebit, sicuti se haberet si esset in spatijs imaginarijs, in quibus, vt de se patet, non moueretur. ergo neque in tali vacuo, assumptum patet, quia vires supremæ, & infimæ regionis nihil agere possent in illum: vnde non esset, cur vacuum illud lapis relinqueret: locum enim proprium naturalia corpora quærũt ad hoc, vt fugiant ab actione contrarij. Ex quo deducitur, quod si lapis poneretur esse immediatus infimæ regioni, deberet descendere. dummodo aer collateralis in eius locum succederet.

Confirmatur conclusio, quia in vacuo non sũt 57
positionum differentiæ sursum, & deorsum, neque esset maior ratio, cur grauia versus istam potius partem, quam versus illam se moverent: neque certum haberent terminum sui motus; vt Arist. docet. ergo.

58 Dices iterùm: quidam aiunt inclinationem grauium, & leuium non esse, vt vnum sit infra, aliud supra, in ordine ad seruãdam in vniuerso simmetriam, & proportionem, quam imaginamur, sed esse ad tales partes spatij imaginarij: præscindendo à quocumque alio extrinseco; ita vt terra de se talem præsentiam ad talem partem spatij exigat, aer verò talem, & sic deinde de cæteris, &c.

sine

Digitized by Google

siue demum sint alia corpora, siue non; sed in hac sententia non est cur grauia, & leuia non moueantur in vacuo naturaliter. ergo non est certum grauia, & leuia nõ posse moueri naturaliter in vacuo. probo minorem, quæ sola probatione eget. nam ex vna parte moueretur propter finem. quamuis enim graue v.g. non moueretur in vacuo, vt esset infra leue; at moueretur vt determinatum spatium, ad quod naturaliter inclinat, sibi vendicaret: ex alia verò, dum per accidens in motu respicerent alia corpora sibi obuia, eorum virtus de se esset sufficienter determinata ad tantum vel tantum motum; ergo &c.

59 Respondeo, quod admissa ista sententia discursus factus rectè procedit: verum omnes illam reijcere debent, tum, quia nullam speciem probabilitatis habens, recedit à communi, tum etiam, quia multas absurditates secum trahit, quas eius sectatores necesse est, vt deuorent, ne concludantur. Quarum prima est, quod Deus non potuisset creare hunc mundum, nisi in eo prorsus spatio imaginario, in quo illum creauit, ex suppositione, quod non voluisset inferre toti rerum vniuersitati violentiam, nam si fecisset vt spatium imaginarium, quod correspondet centro terræ, corresponderet Polo Artico v.g. terra inclinaret per suam grauitatem ad locum illius Poli, aer verò, & ignis supra ipsum polum; & sic tota mundi machina confunderetur. Secunda, quod si Deus moueret totum mundum versus orientem linea recta: Terra non inclinaret amplius ad centrum mundi, sed moueret se naturaliter ad locum, spatio imaginario, quod occupabat antea correspondentem, etiam si locus hic à corporibus terræ valde contrarijs, esset repletus, vnde cessaret, ratio cur deberet appetere talem locum, quia in eo melius conseruaretur magis remota à suis contrarijs: Tertia denique, quia si entia de se absoluta, qualia sunt Cœlum, & elementa &c. essent ex intrinsecis suis connexa cum determinatis locorum spatijs: dici consequenter deberet, quod essent etiam sic connexa cum determinatis spatijs temporum. atque adeo, quod Deus hunc mundum ad eius exigentiam creauit, quando illum creauit. ita vt vim ei intulisset, si per vnam horam tantum, eius creationem distulisset. valeat igitur hæc sententia quę sine necessitate sic ligat manus Deo operãti, vt acutori naturæ, vt sua potentia extraordinaria, quasi semper contra exigentiam Creaturarum in his, & similibus casibus, vti deberet.

60 Quod si dicas Deum creando hunc mundum, & quid futurum foret prævidendo: dedisse inclinationes corporibus ad spatia imaginaria diuersa. Contra etiam est, quia sic Deus non se gessisset, vt auctor naturę, quia dedisset rebus inclinationes, quas ex suis principijs non exegissent; quare occlusisset nobis viam rerum essentias inuestigandi. quemadmodum enim non benè argueremus ex eo, quod videremus terram inclinare ad locum in cẽtro mundi, quod ex suis principijs intrinseis huiusmodi inclinationem haberet: ita neq; ex eo, quod illam videremus esse frigidam, & siccam, possemus securè deducere, quod eius natura has qualitates exposceret. eodẽque modo dubitabũdi esse deberemus de qualibet re creata. Vnde omnis ratio, & methodus acquirendi scientias de rebus naturalibus nobis penitus interdiceretur, quia nos ab effectibus ad causas, & à manifestioribus ad occultiora progredi discurrẽdo solemus.

Secunda Cõclusio: Si proiecta mouẽtur à medio, certum est non posse moueri in vacuo, in quo nullum est medium: quod si mouentur à virtute impressa valde probabile est neque posse moueri. 61

Hoc Probatur, quia huiusmodi virtus esset agens necessarium; vnde imitaretur naturam grauitatis, & leuitatis quantum ad determinationem ad motum, cum tanta vel tanta velocitate faciẽdum. Sed grauia, & leuia sumunt suam determinationẽ à medio, vt videbimus. ergo cũ in vacuo nullum sit medium, virtus impressa nullum haberet determinatiuum sui motus; sine determinatiuo autem, motus, vt de se patet, fieri nequit.

Teatià Conclusio. si animalia à Deo viua conseruarentur in vacuo, vtique possent non solum caput agitare, pedemque &c. membra mouere, sed etiam motum similem motui progressiuo edere. 62

Probatur, quia ex vna parte animalia non mouerentur ad hoc, vt sint supra, vel infra leue; & maior ratio, cur potius in istam, quam in aliam partem vacui moueantur, & hic potius, quam alibi sistant, prouenire potest ex eorum appetitu: ex alia verò parte habemus vnde illorum motus suã determinationẽ desumant indepẽdenter à medio, scilicet, à libertate vel ab appetitu eorumdẽ; potest enim homo, vel equus velocius se mouere in aqua, quã in aere, prout ei placuerit. ergo &c.

Obijcies: tamen primo: *Aristoteles 2. Cœli sect. 27.* probat Cœlum esse rotundum, quia si haberet angulos, anguli monendo se facerẽt vacuum, quod ille infert, tanquam absurdum, sed idem eueniret si animal moueretur in vacuo. ergo &c.

Respondeo, Philosophum existimasse extra Cœlum nullum dari spatium imaginariũ capax corpore, debuisset enim Deus (vt pote iuxta suam sententiam agens necessarium) ab æterno illud creare. ideoque tamquam absurdum intulit, quod si Cælum esset rectilineum, supra illud esset vacuum, scilicet spatium capax corpore; inquantum spatium illud, quod occuparetur ab vno angulo Cœli, per motum ipsius Cœli relinqui deberet. hoc autem per nos non est absurdum. 63

Obijcies secundò: Si Animal mouere posset pedes in vacuo; iam efficeret nouum vacuum; sed hoc est naturaliter impossibile; ergo &c. 64

Respondeo duplicitèr accipi posse, quod animal moueat pedes in vacuo. primo ita, vt moueatur super superficiem corporis vacui, scilicet supra pauimentũ hoc v.g. posito quod hæc aula esset vacua: Secundo in ipsa vacuitate nullum tangendo corpus. primo modo certum est nõ posse animal se mouere in vacuo, nisi à Deo adhereſcentia corporum impediatur. at secundo modo optime posset; posito enim, quod poneret vnum pedem in vacuitate, pes ille non esset cur descenderet, quia non reperiretur supra leue, sed ibi sisteret; ac si supra corpus solidum existeret: vnde posset animal alium pedem postea mouere, siue ascendendo, siue descendẽdo ad libitum; & sic deinceps. Neque refert, quod animal mouendo se relinquat vacuum illud spatiũ, in quo prius erat: Non enim hoc vacuum est id, quod refugit natura, sed solum illud, quod ex corporum separatione resultat.

Digitized by Google

65 Obijcies tertiò: in motu animalium progressiuo debet concurrere grauitas terræ, qua pedes eleuati deprimatur. ergo nō potest fieri in vacuo talis motus. consequētia patet, constat enim ex dictis in vacuo nō posse grauia, & leuia se mouere.

Respondeo ad antecedens, quod sicut eleuatio pedum potest fieri ab anima per solam neruorum contractionem, ita & illorum depressio fieri poterit ab illa per eorumdem neruorum relaxationem, absque eo, quod terræ grauitas se immiscat. nego igitur antecedens.

SECTIO QVARTA.

Vtrum motus grauium, & leuium si fieret in vacuo, fieret in instanti.

66 VNum ex præcipuis argumentis, quibus vtitur Arist. contra antiquos, qui vacuum propter motum requirebant est illud, quod *text. 62.* prosequitur. eius vis in eo consistit; Motus leuium, & grauium in vacuo fieri nequit. non rectè ergo ex motu necessitatem vacui intulerunt antiqui. assumptum probat, ex eo, quia motus grauium & leuium si fieret in vacuo, fieret vtique in instanti; sed hoc est absurdum; ergo grauia, & leuia non possunt moueri in vacuo.

Quod quidem Argumentum aliqui existimant absolutè loquendo nullam habere vim, sed fieri ab Arist. ad homines cōtra antiquos, ex eo, quia ipsi totalem causam velocitatis, ac tarditatis motus existimabant esse resistentiam medij; sed hoc non videtur posse sustineri, quia antiqui ex vna parte ponebant vacuum necessarium esse ad motum localē: ex alia verò parte admittebat ipsum motum localem fieri necessario in tempore, nec esse posse in instanti; alioquin non hoc intulisset contra eos Philosophus tamquā absurdū, sed eius absurditatem patefecisset. non igitur est vere simile, eos determinationem motus à resistentia medij pleni sumendam esse voluisse; nimis enim insipienter, & sine vlla coherentia loquuti essent; & confirmatur, eo quod non potest aliud principium assignari ab ijsdem antiquis positum, ex quo inferri posset motus in instāti, nisi solum vacuum: si enim posset, vtique Arist. fecisset mentionem illius, idque reprobasset; ad hoc igitur, vt vis huius Aristotelici argumenti perpendatur, sit.

Prima Conclusio. grauia, & leuia si moverentur in vacuo, ex eo quod moverentur motu locali, moverentur in tempore.

67 Probatur, quia motus localis est essentialiter successiuus, neque censendum est quod ratio successionis in illo à resistentia positiua medij prouenial, atque adeo si in spatio, in quo mobile mouetur, nullum daretur medium, quod positiue resisteret, dum ab eo scinderetur, debeat mobile in instanti absolute loquendo totum percurrere spatium, hoc enim manifestè falsum esse constat ex motu circulari Cali, qui, etiam si fiat sine vlla medij resistentia, fit tamē necessario in tempore. ratio igitur successionis in motu locali prouenit ex eo, quod ipse ponere debet mobile in spatio maiori se, & si quidē mobile mouetur secūdū sè totum, in spatio maiori se, considerato secundum se totum: sin autem secundum partes vt cælum, in spatio maiori secundum quamlibet partem, secundum quam mouetur, cum ergo impossibile sit vt in eodem instanti aliquod ens non replicatum esse possit in loco maiori se, erit etiam impossibile, quod motus localis fiat in instanti.

Confirmatur Conclusio, quia distantia spatij siuè pleni, siuè vacui non potest in instanti pertransiri, alioquin mobile simul esset in termino à quo, & ad quem; quin etiam in medio talis spatij, quod euidenter est falsum; debet igitur in tempore superari.

Secūda Cōclusio. Grauia, & leuia si mouerētur in vacuo virtute propria, ex alia parte mouerētur in instanti. dixi virtute propria, quia certum est quod si moverentur vel ab Angelo, vel à Deo absolutè loquendo moverentur in tempore. 68

Pro explicatione aduerte, conclusionem istam esse hypoteticam, & conditionalem: ad veritatem autem huiusmodi propositionū, vt constat ex logicis, non requiritur veritas singularū partium: sed sufficit veritas solius illationis, seu connexionis antecedentis cum consequēti, vnde hæc propositio vera esse censetur: si lapis esset homo vtique esset animal. quia licet consequens falsum sit: sequela tamen vera est. Ad verificandam igitur nostram Conclusionem conditionalē sufficit probare veritatem sequelæ, quod scilicet, posito, quod moverentur in vacuo grauia, & leuia, moverentur in instanti, quamuis de reliquo consequēs à nobis falsum esse, & omnino impossibile existimetur, quod, scilicet, motus localis fiat in instanti, vt in præcedēti conclusione demonstrauimus. ex quo fit nihil contra nos concludere aduersarios, dum absolute rationibus positiuis conātur ostēdere, motū omnē localē siue in vacuo, sine in pleno sēper debere esse in tēpore; hoc enim nos vltro concedimus, & tamquā absurdū cū Aristotele inferimus oppositū, ad probandū quod in vacuo motus grauium, & leuium fieri nequeat.

Conclusio autem sic explicata probatur, quia si leuia, & grauia mouerētur in vacuo: vtique mouerētur illa eadē virtute, qua nūc de facto mouētur in pleno, sed hæc totā suā determinationē ad mouēdum tanta, vel tāta velocitate desumit in pleno per proportionē ad medium, ita vt quo mediū est crassius, & magis resistit, eo motū faciat tardiorē: & quo subtilius est, &, minus restit, eo velociorē illum efficiat. igitur, & in vacuo determinationē suam per proportionē ad ipsū vacuū accipiet. ita vt qualis est proportio medij vacui ad plenū in crassitudine, & tenuitate, talis proportio inter motū, qui ab ea fit in vacuo, & motū, qui in pleno fit quoad velocitatē, & tarditatē reperiatur: sed inter crassitiē pleni, & tenuitatē vacui nulla datur proportio, nulla igitur erit proportio inter velocitatē motus, qui fit in vacuo, & tarditatē motus, qui fit in pleno: si igitur motus qui fit in pleno à virtute motiua grauiū, & leuiū est in tēpore: motus, qui fieret ab eadē virtute in vacuo, fieret in instanti. 69

Atq; hic est integer Arist. discursus, quo probatur cōtra antiquos vacuū nō modo nō esse necessariū ad motū naturalē, sed ex eius positione cū omnino destructi: si quidē sequeretur, quod deberet fieri in instāti, quod est cōtra eius effectū. Probemus nunc singulas argumēti propositiones: Et quidē maior ex se patet. supponimus enim grauia, & leuia per suā virtutē naturalē gravitatē sc. & levitatē debere moueri, quia si moverētur per aliā virtutē v. g. ab Angelo nō esset dubium ea moueri debere in 70

tem-

nationem Angeli. Minor verò probatur; quia virtus motiua grauium, & leuium est determinata ad mouendum in pleno tantùm. Siquidem mouetur graue, vt sint infra loca, leue autem ad hoc, vt sint supra grauia; neque ad aliud inseruit illis motiua virtus, nisi vt ad propria loca tendant, in quibus conseruentur, atque quiescant: ex quo sequitur totam suam determinationem eorum virtutem desumere per ordinem ad plenum, quantum ad velocitatem, & tarditatem: alioquin determinaretur ab aliquo sibi simpliciter impossibili, cuiusmodi esset vacuum; & per hæc patet veritas primæ consequentiæ; illi verò subsumpta probatur ex eo, quia medium plenum est ens materiale, vacuum autem est non ens, inter ens autem materiale, ac non ens in ratione tenuitatis, ac densitatis nulla est proportio: Secunda verò consequentia patet; posito enim quod velocitas, & tarditas motus per ordinem ad medium, in quo fit, sumenda est: sicuti inter plenum, & vacuum, nulla est proportio: ita etiam nulla erit inter velocitatem motus, qui fit in vacuo, & tarditatem eiusdem, qui fit in pleno: vltima denique consequentia euidens est. Supposito enim, quod motus, qui fieret in vacuo, non fieret infinito tempore, nulla alia ratione intelligi potest, quod non habeat proportionem cum eo, qui fit in pleno, nisi quia fieret in instanti. Tempus enim finitum, ad aliud tempus item finitum aliquam semper proportionem habet. Summa igitur rationis Aristotelicæ hæc est: quod cum virtus motiua grauium, & leuium determinetur ad velocitatem, vel tarditatem motus à resistentia medij: dum in vacuo nulla est resistentia, nulla consequenter erit determinatio. Vnde si in illo hæc virtus moueret, proculdubio sine vlla determinatione moueret, & per consequens in instanti.

71 Confirmatur, quia motus grauium, & leuium in vacuo non posset fieri in tempore determinato, neq; in tempore indeterminato; fieret igitur, si fieret, in instanti: consequentia patet. antecedens quoad primam partem probatur: quia virtus grauium, & leuium est essentialiter determinata ad mouendũ in pleno; ergo indiuisibiliter, tum à distantia terminorum, tum etiam à pleno determinari debet ad faciendum motum in tanto, vel tanto tempore determinato. Atqui in vacuo nullum adest plenũ. ergo non posset in eo motus determinari ad hoc, vt fiat in tanto, vel tanto tempore determinato. Idem verò antecedens quoad secundam partem probatur etiam, quia motus ille, si fieret, esset in se determinatus, vnde haberet terminos suæ inceptionis, ac desitionis, quibus clauderetur. ergo illi determinatum tempus correspondere deberet. Si igitur fieret non fieret in tẽpore indeterminato.

72 Dices motiuam virtutem grauium, & leuium non habere determinatiuum ad mouendum in vacuo simpliciter loquendo: at ex suppositione quod moueret, illud haberet: siquidem dicta suppositio inuoluit, quod ea virtus motiua esset ordinata ad talem motum, atque adeo quod esset potentia simpliciter ad mouendum in vacuo.

Contra tamen est. quia argumentum procedit de ea virtute motiua, quæ actu est in elementis sine determinatiuo ad mouendum in vacuo, & probat, quod si hæc cum sua indeterminatione persistens, moueret in ipso vacuo, vtique moueret in instanti, quantum est ex vi indeterminationis, quam habet; licèt quantum est ex vi motus localis moueret necessariò in tempore.

73 Dices item: in illa suppositione vel supponimus virtutem motiuam elementorum posse mouere in vacuo, vel non posse: si primum, iam mouerent in tempore: si secundum iam collimus motum. Vnde si quis, hoc non obstante, motum cum illa coniungeret, solùm ex illa suppositione sequeretur, quod elementa mouerentur in vacuo, & non mouerentur: non autem quod mouerentur in tempore, & in instanti.

Contra tamen est, quia disiunctiua illa propositio non rectè adhibita est in argumẽto. nã enim particulam (vel) secundo loco positam debere cadere supra integram propositionem, vt patet ex summulis, quare dico, nos in hac disputatione cũ Arist. non supponere virtutem motiuam elementorum posse mouere in vacuo, sed probamus eam non posse; ex eo quod, si posset, deberet mouere in instanti, quia moueret sine determinatiuo. Ad probationem autem secundæ partis: admitto ex ea suppositione sequi, quod elementa moueretur, & non mouerentur, si mouerentur in vacuo sine determinatiuo. Sed non potest negari, quin sequatur etiam quod mouerentur in tempore, & in instanti. ex eo quod nulla determinatione ederet motum; non enim minus repugnat moueri, & non moueri, quam moueri in tempore, & in instanti, & si ex aliqua suppositione impossibili prior cõtradictio potest sequi: non videtur, cur ex aliqua alia non possit sequi, posterior, sicuti posse cõcedunt defacto aduersarij, posito quod mobile, quod moueretur, haberet infinitam grauitatem, vel leuitatem. Non minus autem connexa est virtus motiua indeterminata cum hoc, quod est mouere in instanti: quam virtus infinita: posito quod motũ localẽ ederet in sua indeterminatione persistens.

SECTIO QVINTA

Satisfit obiectionibus in contrarium.

OBijcies primò ex Giattino *quæst. 13. art. 2.* Etiam si verum sit, quod grauitas, & leuitas sint determinatæ ad motum in pleno, & non in vacuo: ex hoc solùm sequitur, quod elementa in vacuo mouerentur in tempore sine virtute determinata ad motum. Sed hoc non est moueri in instanti; ergo &c. maior patet, minor probatur, quia ex eo, quod ego non habeam virtutem determinatam ad volandum, malè inferres, quod volarem in instanti; ergo &c. 74

Respondeo, distinguendo sequelam, & siquidẽ grauitas, & leuitas ita supponuntur determinatæ ad motum in pleno, vt non accipiant à pleno determinationem velocitatis, & tarditatis: concedo: sin autem accipiant à pleno dictam determinationem, nego sequelam. & sic distincta minore, nego consequentiam; & dico, quod si supponeremus tantùm, quod grauitas, & leuitas haberent determinationem ad mouendum in pleno, & non in vacuo: ex eo quod elementa moverentur in vacuo, verum quidem est, quod solùm sequerentur, quod mouerentur sine virtute mouendi.

di non verò quod moueretur in instanti. Sed vos alterum cum Philosopho asseritis quod sumant a pleno determinationem ad celeritatem, vel tanta mensura temporis, tantae properationi vacuum autem quod nullam habet proportionem cum pleno quamuis subtilissimo, nullam debet facere tarditatem. Sed vos dicitis quod non habet proportionem ad aliquem motum velocem; & quia deducimus, quod ex tenuitate vacui sequitur nullam habere proportionem ad quemcumque motum, quia quantumuis subtilis sit plenum, semper habet proportionem ad motum velocem, quia quantumuis subtilissimum sit plenum, semper habet aliquam proportionem ad motum velocem. Ex hac deductione vltima infertis, huiusmodi motum fieri in vacuo debere esse instantaneum. Quando ergo in conclusione dicitis quod si grauia, & leuia moverentur in vacuo virtute propria, vtique moverentur in instanti? permittimus aduersarijs in suppositione quod grauitas, & leuitas inclinant ad mouendum, non solum in pleno sed etiam in vacuo, sed vlterius asserimus istamibus cæteris, sicuti sunt, eas non posse de facto mouere in vacuo, quia cum proportionem velocissimi motus à subtilitate medij desumant; si moverentur in vacuo, vtique moverentur in instanti. Ad quæ pariter responsio ad probationem minoris: Dico enim quod licet, ex eo quod habeas virtutem ad volandum, malè inferetur simpliciter, quod volares in instanti, ex facta suppositione, quod haberes virtutem talem, & quod secundū proportionem subtilitatis medij, ita velocius moueretur &c. deducemus quod si volares in vacuo volares in instanti vacuum.

75 Obijcies secundò eum eodem Argumentum Aristotelis recte procedit contra antiquos, qui ponebant vacuum tanquam vnicam causam motus grauium, & leuium, patet ex *text. 64.* vbi sic: Si enim est cuiuscumque simplicium corporum, latio aliqua natura vt ignis quidem sursum, terræ autem deorsum, & ad medium; manifestum est, quod vacuū non erit causa lationis. Cuius igitur causa erit vacuū? sic ille. Posito autē quod vacuū sit vnica causa motus, & non corporis natura benè procedit, quod motus fieret in instanti: nam si plenum quanto est subtilius, eo minorem causat tarditatem in motu. Certè vacuum, quod nullam habet proportionem cum pleno quamuis subtilissimo, nullam debet facere tarditatem. At verò si aliunde ponamus causam determinatam motus, nempè grauitatem, & leuitatem, dicimus illam secundum se facere tantam velocitatem determinatam, cum impedita non est. Cum verò est impedita facere minorem, & minorem, pro maiori, & maiori impedimento à medio crassiore prouenire.

Respondeo Antiquos, vt notat Adamantius *prima secundæ summæ philosoph. quæst. 21. art. 4.* posuisse vacuum hac de causa, vt non impediretur motus: causam autem non impeditiuam, certum est non esse causam producitiuam, & effectiuam per se effectus, sed ad summum per accidens tanquam remouens, prohibens; Ex quo deducimus fuisse eos putasse vnicam causam motus grauium, & leuium fuisse vacuum, & non corporum naturas, & qualitates. Nec Aristoteles aliud dicit *loco citato*, ibi enim ostendere volens contra Antiquos vacuum non esse causam motus, vt remouens prohibens, probat id ex eo, quia ignis mouetur natura sua ad habendum positionem sursum, terra verò ad habendum suam positionem deorsum, atqui in vacuo nulla datur huiusmodi positio. Ait deinde Philosophus *text. 60.* his verbis: Amplius nullus vtique poterit dicere propter quid deferatur hoc illuc, aut vbique: cur enim magis hoc quam illuc ferretur, aut quiesceret, aut in infinitum necesse fuerit ferri? Ubi est, quod cum partes vacui sint omnes indifferentes positionum sursum, & deorsum non est ratio, cur mobile magis quiescat in vna parte quam in alia. Ex his autem aperte infertur, contra eos qui vacuum non esse causam motus, vt corporis prohibens: sed potius esse causam negationis motus, vt prohibens ipsum motum. Cum quo stat, quod si per impossibile non repugnaret, motus ex vi illius deberet fieri in instanti, quia cum vacuum remoueret omne prohibens, vt redderet ipsum motum omnino improportionatum cum quouis alio, qui fieret in pleno quantumuis tenuissimo. Proportio enim motus ad motum quoad velocitatem esse debet, sicuti proportio medij ad medium quo ad subtilitatem. Cum igitur nulla detur proportio spatij vacui cum pleno nulla erit proportio motus qui fit in vacuo ad motum, qui fit in pleno quantumuis tenuissimo: ex quo fit grauitatem, & leuitatem non esse causas determinatiuas motus independenter à medio vt melius constabit ex dicendis inferius.

Objicies tertiò motus grauium, & leuium in vacuo habet vnde determinationem suæ successionis desumat ergo non erit in instanti. Consequentia tenet, antecedens probatur, quia in vacuo est distantia negatiua terminorum à quo, & ad quem; quæ quidem distantia est diuisibilis, sed hæc est sufficiens determinatiuum successionis, vt patet ex motu animalium in vacuo: ergo &c. 76

Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem concessa maiore, nego minorem. Illa enim distantia est quidem principium exigitiuū successionis in motu, at non est sufficiens determinatiuum illius, vt in tanto, vel tanto tempore fiat motus. Vnde fit vt etiam motus animalium si fieret in vacuo sine determinatione aliqua appetitus eiusdem animalis, deberet fieri in instanti.

Instabis primò diuisibilitas spatij non solum est principium exigitiuum successionis motus, sed etiam causa non minus quam resistentia medij: ergo adhuc in vacuo motus erit successiuus. 77

Respondeo distinguendo, antecedens: est causa successionis inadæquata, concedo, adæquata nego antecedens, & consequentiam nego enim quod sicuti resistentia medij sine distantia spatij vnde est sufficiens causa determinatiua successionis motus, ita neque diuisibilitas ipsius spatij, seu distantia terminorum, sine ordine ad resistentiam ipsius medij; quamuis igitur verum sit, quod successio vt sic, & in genere competat motui grauium, & leuium non ratione resistentiæ medij, sed ratione spatij: determinationem tamen velocitatis, & tarditatis, quod scilicet sit tanta, vel tanta velocitatis habent per ordinem ad resistentiam medij, & hoc non nisi, quia potentia illorum motu-

ua

ua est determinata ad mouendum in pleno tan-
tum
78 non stabit secundò: siquidem dissonum ipsum
eum in toto posse sufficiens non causam determina-
ret velocitatis, possit una deinde tarditatis, vel grauitatis
in medietate; qua in prius fuerit desecata à toto
ad patimonium debitum medij in duas partes;
quarum una prædicta resistendo primo motus lu-
pidis instanti spatio determinato, alia verò resi-
stentia reliqua aeris, quæ sola ad variationem me-
dij vacui integra remanet, poterit, inquam,
hoc dicamus: ex una parte autem sequitur absur-
dum: ex alia verò equidem soluimus, quo pacto
motus in vacuo non fiat in instanti, sed in tempo-
re determinato ergo &c.

Respondeo negando, quod ex huiusmodi dicto
nullus sequatur absurdum: sequeretur enim quod
virtus aliqua naturaliter habere posset determi-
nationem ad illum actum, ad quem naturaliter de-
terminata non est. & qui naturaliter sibi est im-
possibilis, quod manifestum inueniet repugnan-
tiam: Sequela patet, quia grauia, & leuia non sunt
naturaliter ordinata ad mouendum in vacuo? &
tamen iam haberent ad talem motum determi-
nationem.

79 Instabis secundò: virtus motiua debet sibi taxare
motum sibi possibilem, præscindendo ab impedi-
mento sed crassities medij est impedimentum vel
localis motus: ergo virtus motiua præscindendo
a crassitie medij debet sibi taxare motum in
tanta determinata distantia.

Respondeo, distinguendo maiorem: præscin-
dendo ab impedimento, quod est impedimentum
tantùm concedo: ab impedimento, quod habet
rationem eius determinandi, nego. & distinctio
eodem modo minoris nego consequentiam, ac di-
co, medium non esse impedimentum tantùm, sed
esse præterea determinatiuum virtutis; vt secun-
dum proportionem, quam habet vnum medium
ad aliudium crassitie, vel tenuitate, virtus illa pro-
ducat motum tardiorem, vel velociorem alio.

80 Instabis quartò: Calor est ordinatus à natura
ad agendum in tempore, propter resistentiam, quã
habet à frigore, & tamen si miraculosè auferretur
frigus à passo, vtique calor ageret in ipsum passũ.
ergo etiam grauitas & leuitas sint ordinatæ à
natura ad mouendum in pleno: ablato pleno ha-
bebunt determinationem sufficientem ad mouen-
dum in vacuo. Respondeo hanc instantiam esse
contra aduersarios; nam sicuti calor, ablata resi-
stentia frigoris, ageret in instanti in passum, ità
leuitas, vel grauitas, sublata resistentia medij, mo-
uerent in instanti. Currit enim paritas, cũ quo stat
quod, quia calefactionon dicit essentialiter suc-
cessionem, possit miraculosè fieri in instanti. Contra
verò motus localis propter contrariam rationem
de facto autè experientia compertum est, quod
illæ causæ, quæ semper operamur naturaliter cum
resistentia contrarij, eque adeo in tempore non
ita se habent, vt morari tempus quam ad totam
suam actionem explendam insumunt, diuidant
sibi cum contrario suo in duas partes, quarum vna
precisè respondeat latitudini graduali suæ vir-
tutis actiuæ cum latitudine graduali effectus pro-
ducendi comparati (ouem g. produci debeat
vnus gradus qualitatis, & virtus agentis est inten-
tionis producat illum in minori tempore, contra
verò si est remissior in maiori) altera verò cor-
respondeat obsistentiæ contrarij, ita vt hac per ab-
solutam Dei potentiam cessante, adhuc causa ha-
beret ex se determinationem ad producendum
suum effectum in tanto tempore determinato, sim-
ta proportionem virtutis sui: ergo neque id di-
endum est de elementis virtute sui naturali se
mouentibus in pleno, sed potius quod quæ admodi
cumque causæ sine obsistentia contrarij operantur
tur in non tempore, ita, & elementa sine obsisten-
tia medij, etiam in non tempore moperetur. Quod
si dicas disparitatem in eo esse, quod operatio in-
stantanea cæterarum causarum non implicat con-
tra verò motus localis in instanti grauium, & le-
uium. Contra est: non enim solùm sequitur,
quod non sit faciebilis huiusmodi motus in va-
cuo non autem quod si fieret, non fieret in instanti:
vel quod pro casu miraculoso de vacuo debuerit
natura esse sollicita, & dare grauitati, & leuitati,
vt ex propria limitatione graduali præscindendo à
resistentia medij sibi cederent, vt suum motum,
in tanto, vel tanto tempore facerent in tãto spa-
tio. rationabilius enim philosophamur, si dicamus
eã se gessisse cũ dictis qualitatibus, sicuti se gessit
cũ reliquis qualitatibus actiuis, operãtibus cũ re-
sistentia, quibus non assignauit latitudinem tempo-
ris, correspondentem præcisè suis gradibus, &
quia dictæ qualitates non indigent tempore ad
producendos suos effectus, præscindendo à resi-
stentia contrarij: ideò, hac miraculosè ablata, eos
produceret in non tempore: Contra verò grauis-
tas, & leuitas, quia indigent tempore ad causan-
dos motus suos: ablata medij obsistentia, eos non
causent: quod si causarent absque eo quod aliqua
alia causa, medij resistentiam suppleret, determi-
nando tempus: causarent illos in instanti. Atque
hæc videtur esse ratio, quæ non solùm omnes ad-
uersariorum conatus infringere facile potest; sed
etiã nostrã sententiã facili negotio propugnare.

Obijcies quartò: si annihilaret Deus in hoc
instanti aerem, qui est in hac aula: vtique corpo- 81
ra, quæ circumstant, accurrerent ad impedien-
dum vacuum per motum localem, qui fieret in
tempore. atqui huiusmodi corpora iam moueretur
in vacuo, falsum igitur est, quod grauia, &
leuia debeant se mouere in vacuo in instanti.

Respõdeo quidquid sit de sequela quã aliqui re
ctè negant, dicendo grauia, & leuia posse moue-
re se ad impediendum vacuum successiuè, posi-
to quod non dum vacuum factũ sit, sed immi-
neat periculũm; at si ponatur vacuum fieri in
instanti, cum ex vna parte in instanti non sit mo-
tus localis: ex alia verò corpora non possint po-
stea se mouere in illo vltimo instanti, vtique non
occurrerẽt ad impediendum illud pro tempore se-
quenti. Quidquid, inquam, sit de illa sequela: di-
stinguo ego minorem: in tali casu corpora, quæ
circumstant, mouerentur in vacuo in tempore, per
se, nego. per accidens, concedo: & distinguo eo-
dem modo consequens, ac dico, quod nos in con-
clusione loquimur solùm de motu per se, & non
per accidens. tunc dico aliquod Corpus per se
moueri in vacuo, quando existens secundum se to-
tum in eodem vacuo moueretur in illo per ac-
cidens verò, quando partim existens in pleno, &
par-

Digitized by Google

partim in vacuo; in se quidem totaliter mouetur: at in vacuo non nisi ratione partis, secundum quã in illo reperitur. porrò motus per se grauium, & leuium ideo fieri nequit in vacuo, quia nullam habet determinationem; hæc autem ratio cessat in motu per accidens. partes enim, quæ sunt in vacuo, dici possunt, quod moueantur iuxta determinationem velocitatis, & tarditatis, quam habent à partibus, quę mouentur in pleno, vnde est, quod per accidens grauia, & leuia ad impediendum vacuum moueri possint in illo.

82 Obijcies quintò: Natura non dedit vim animalibus mouendi se in vacuo, sed solùm in pleno; & tamen illa in eo moueri possunt; ergo etiã si virtus motiua grauium, & leuium sit ordinata ad motum in pleno, poterit etiam mouere in vacuo in tempore aliquo. consequentia patet paritate rationis. antecedens verò quoad secundam partem est nostra doctrina: quoad primam autem patet ex eo, quod Deus, & natura nihil faciunt frustra.

Respondeo, distinguendo primam antecedentis partem: natura non dedit animalibus vim mouendi se in vacuo, sed solùm in pleno per se cõcedo. siue per se, siue per accidens, nego antecedens, & consequentiam; quam distinctionem adhibeo ad illud axioma commune: & dico naturam per se quidem tribuisse virtutem animalibus mouendi se in pleno: quoniam verò eadem virtus sufficiens est ad mouendum in vacuo; quia habet vnde determinetur: nimirum ab eorum appetitu: hinc fit, vt per accidens tribuerit eisdem etiam vim ad mouendum in ipso vacuo. at verò, quia vis, quam eadem natura tribuit grauibus, & leuibus, est insufficiens propter indeterminationem ad mouendum in vacuo, hinc fit, vt moueri non possint, & ex suppositione quod mouerentur, illorum motus esset instantaneus.

83 Obijcies sextò: Non possunt duo contradictoria verificari de eodem subiecto; cum igitur de grauibus, & leuibus, si mouerentur in vacuo verificaretur, quod mouerentur in tempore, falsum erit asserere, quod mouerentur in instanti.

Respondeo: aliquos negare consequentiam. stante enim moueri in tempore, & in instanti non esse contradictoria, cum vtraque propositio affirmatiua sit, contradictoria verò esse moueri in tempore & non moueri in tempore. Sed non rectè, nam argumentum non curat de contradictorijs formalibus, qualia sunt moueri in tempore, & non moueri in tempore, sed sufficit illi, quod non possint verificari de eadem re contradictoria virtualia qualia sunt moueri in tempore, & in instanti: quare distinguo antecedens, non possunt duo contradictoria de eodem subiecto verificari simpliciter, concedo: facta aliqua impossibili suppositione, nego antecedens, & consequentiam. sicuti enim pono, quod lapis retinendo essentiam suam esset v.g. homo; vtrumque videtur sequi, quod scilicet, esset sensitiuus, & insensitiuus: esset quidem ratione humanę naturæ nõ esset ratione essentiæ lapidis, cui repugnat sensitiuitas: ita, posito quod motus grauium, & leuium fieret in vacuo: vtrũque simul sequeretur, quod scilicet fieret in tẽpore, & in instanti: in tẽpore quidẽ quia esset motus localis: in instanti verò quia nullam haberet determinationẽ quoad velocitatem.

Obijcies septimò: virtus motiua in instanti nõ est dabilis, ergo neque dabilis est motus localis in instanti, si igitur grauia, & leuia mouerentur in vacuo: mouerentur in tempore & non instanti. 84

Respondeo, concesso integro entimemate. distinguendo secundum consequens: non mouerentur in instanti, sed in tempore, quantum attinet ad virtutem motiuam, concedo; non mouerentur in instanti ex eo, quod eorum motus careret determinatione, nego consequentiam. mea enim conclusio est, vt, dixi, hypothetica, & solùm sequelæ veritate requirit, de consequentis veritate nihil curando. absolutè igitur verum est, quod neque detur, neque dabilis sit virtus ad mouendum in instanti: at si grauia mouerentur in vacuo, ista virtus esset huiusmodi, & sic se ipsam perimeret.

DISPVTATIO VIGESIMA OCTAVA

DE TEMPORE.

1 QVemadmodum res naturales habent, vt sint in loco, ita etiam quod sint in tempore, ideoque de eo agendum. quamuis autem valdè difficile sit explicatu, in quo temporis essentia posita sit; adeo vt dixerit Augustin. *lib.* 11. *Confess. cap.* 14. quid sit tempus, si nemo ex me quærat scio: si quærenti explicare velim, nescio. nihilominus tamen certum est apud omnes, tempore nos metiri rerum durationes: quare, vt eius essentia probè cognoscatur à nobis, prius, quid sit rerum duratio, quæ tempore mensuratur, discutiendum est. Verum durare to sumi potest bifariam, primo pro determinatione, per quam res; hoc potius tempore, seu instanti existit, quã alio, v.g. quæ acceptione res, quæ existit per vnicum instans suam habet durationem, per quam est præsens huic instanti, & distat à quolibet alio. Secundò pro permanentia in esse, in quo sensu ad habendam denominationem durantis requiritur, quod ita res habeat nunc esse, vt illud antea habuerit. quare res, quæ durat per vnicum instans, non potest dici in hoc secundo sensu durare. Iam verò de vtraque duratione quæri potest, quomodo distinguatur ab existentia rei durantis. si igitur.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

An duratio pro vt importat determinationem ad existendum hoc potius tempore seu instanti, quam alio, distinguatur ex natura rei ab existentia rei durantis.

2 CONclusio est negativa. Quam docet D. T. teste Hurtado *Disp. 17. metaph. sect. 4.* Item Scotus *in secundo dist. 2. quæst. 2.* Okamus, Grabiel, Valentia, Suares, Vasquel, Molina, Pererius, Toletus, Hurtadus, & Ouiedus, locis citatis à Compton *disp. 38. sect. prima n. 2.* Contra Bonauent. Comimbric. Rubium. Murficam, & Arriagam, quos citat & sequitur idem Compt. *loco citato n. 2.* existimantes durationem esse modum quendam superadditum rei duranti; ex quibus aliqui volunt esse modum essentialiter successiuum, siue sit rerum permanentium, siue successiuarum: alij verò dicunt, quod, licet rerum successiuarum sit successiuus; permanentium tamen est permanens. At verò Cardinalis de Lugo nouiter putauit durationem non distingui ab actione, ex vi cuius entitas redditur existens; sed voluit, quod omnis actio esset essentialiter successiua, ita vt res, quæ durat in tempore ex vi partium actionis, qua cõseruatur, determinetur formaliter ad existendum in diuersis partibus temporis determinati, quæ verò durat per instans ex vi actionis, qua fit, determinetur ad existendum in determinato illo instanti.

3 Probatur, primò Conclusio contra eos, qui volunt durationem rerum permanẽtium, esse permanentem, & totam simul: quia in tantum ponitur ab aduersarijs duratio distincta à re: quę durat: in quatum res est indifferens ad correspondendum huic, vel illi tempori, seù instanti, sed per durationem permanentem huiusmodi incommodum non vitatur; ergo superflua, & ad nihil inseruiens huiusmodi duratio censenda est. omnia patent, præter minorem, quæ suadetur ex eo, quia duratio hoc ipso, quod permanens est, iam est de sè indifferens ad correspondendum huic vel illi tempori, seù instanti, potest enim æque coexistere tempori hexterno, hodierno, ac crastino. ergo est insufficiens formaliter determinare rem durantẽ ad correspondendum potius huic, quam illi tempori: & sic per durationem permanentem incommodum indifferentiæ rei durantis minimè vitatur.

4 Confirmatur: quia hęc duratio distincta permanens dupliciter fingi potest. Primo vt ita existat hodie, & cras, vt possit existere hodię, & non existere Cras. Secundo, quod sit essentialiter existens tum hodie, tum Cràs. ita vt ne per absolutam, quidem Dei potentiam, posito, quod existit hodie, possit non existere Cras. Primo modo est superflua; si quidem ipsa creatura potest sic existere sinè illa. Secundo verò implicat contradictionem, in quantum se eximeret à perfectissimo dominio Dei, quod habet in creaturis, vt ad libitum suum illas pro quolibet instanti destruere valeat; vt ex dicendis forte constabit; & vlterius implicat ex eo, quia esset vltima forma determinatiua creaturę ad correspondendum determinato tempori, vt supponitur: & non esset, quia creatura habens illam hodie, non esset durans cras, vt de se patet, quare requireret existentiam diei crastini ad habendam denominationem durantis. sed hoc idem habere posset creatura, secluſa huiusmodi duratione; ergo etiam hac tamquam superflua est ableganda.

Probatur secundò absolutè cõtra durationem 5
modaliter distinctam à re quæ durat: siue demum ponatur permanens, siue successiua. Quia gratis, & sine vlla necessitate inuehitur hic modus in mundum; ergo est omninò reijciendus. Confirmatur ex omnibus his, quæ diximus; negando dari vbicationẽ modaliter distinctam à re vbicata. nã validius impugnant durationem, si quidem posito, quod detur existentia simultanea, quoad tempus, loci, & rei locandæ, potest res non esse in loco; at posito, quod habeatur existentia simultanea, quoad tempus, rei durantis, & temporis, implicat rem non correspondere illi tempori, & non durare in illo. ergo si non obstante illa maiori indifferentia, quam habet res locata, vt sit præsens determinato loco, non est necessaria vbicatio modaliter distincta ad determinandam rem locatam in tali loco; multo minus erit necessaria duratio modaliter distincta ad determinãdam rem durantem, ad tale tempus.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur argumenta in contrarium.

OBijcies primò: quoties duo sunt ex vtraque 6
parte indifferentia ad existendum simul, vel separatim: toties ad hoc, vt simul existant, debet dari aliquod determinatiuum formale. Sed ita se habent res durans, & tempus siue reale, siue imaginarium, in quo durat. ergo requiritur aliquod determinatiuum formale, quod est duratio. minor patet, quia Res durans, & tempus hodiernum, cui correspondere supponitur, ita se habent, vt vnum possit existere sine altero, maior verò probatur, quia si vtraque entitas potest separatim existere. ergo simul existere, aliquid aliud importat præter existentiam vtriusque.

Respondeo; solutionem huius argumenti facili negotio apparere ei, qui meam doctrinam de vbicatione indistincta percepit; quidquid enim ibi dixi de præsentia rei in loco, si proportionaliter applicetur ad præsentiam rei in tempore, tota hæc difficultas euanescit. quare ad obiectionem. Respondeo distinguendo maiorem, quoties duo sunt indifferentia ad existendum simul, vel diuisim: toties, vt simul existant, debet dari aliquod determinatiuum formale, quod se habeat, vt accidens intrinsecum illis superadditum, nego: quod se habeat vt cõnotatum aliquod singulis exstrinsecum, concedo; & concessa minore: distinguo eodem modo consequens. ergo requiritur determinatiuum formale, quod sit durare importans supra entitatem rei durantis aliquod extrinsecum connotatum, concedo: importans accidens modale intrinsecum, nego consequentiam. Ad probationem maioris, concesso antecedente, distinguendum est eodem modo consequens

Digitized by Google

sequens, quo supra. Decipiuntur autē aduersarij in eo, quod existiment ad tollendam indifferentiam, quam habet res aliqua ad existendum hodie, requiri modum quendam ei intrinsecum, cuius beneficio correspondeat tempori hodierno; quod falsum esse patet ex eo, quia per hoc precisè, quod intelligamus Deum initio diei hodiernæ illam rem creare, & vsque ad finem illius eam conseruare, circumscripto quocumque alio, rectè concipimus dictam rem durare hodie. etiam si tum res cum sua conseruatione, tum hodiernus dies sint idifferentia, secundū se ad existendum, & non existendum simul. sufficienter enim intelligitur huiusmodi indifferētia tolli in genere quidem efficientis per ipsum Deum, volentem rem creatam hodie existere; in genere verò causę formalis per ipsam rem, connotantem diem hodiernum sine negatione sui, reliquos verò dies tum antecedentes, tum subsequentes, cum huiusmodi negatione.

7 Instabis: nisi detur duratio modus, non potest explicari per quas entitates verificetur me hodie existere. sed hoc est inconueniens, ergo &c. maior probatur, quia vel verificatur per existentiam meam, & per existentiam temporis hodierni, vel per aliquid aliud. non secundum: quia hoc aliud non posset esse, nisi duratio modus: neque primum, quia eadem est existentia mea, per quam dicor existens hodie, & existens cras; rursus tempus hodiernum est idem, siue ego hodie existam, siue non. ergo per existentiam meam, & temporis hodierni non habetur coexistentia mea, & temporis hodierni. si enim hodie non durarem, adhuc haberetur existentia mea, & existentia diei hodierni, & non daretur coexistentia mea, & diei hodierni. Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem dico: me hodie existere verificari per existentiam meam, & per existētiam diei hodiernæ, non quomodocunque sumptas; sed ita, vt ab hodierno die intelligatur excluſa carentia mei, quæ non intelligitur excluſa à cæteris diebus tum antecedentibus, tum subsequentibus. quare ad probationem in contrarium dico: eandem esse existentiam meam per quam dicor, existere hodie, & cras & eandem existentiam temporis hodierni, sed non eodem modo. diuersitas autem modi consistit in eo, quod ipsa eadem existentia si ponitur hodie, excludit ab hodierno tempore negationem sui, non verò à tempore crastino. contra verò, si ponitur tempore crastino. per quæ patet responsio ad illud vltimum sophisma; si hodie non durarem, & durarem cras, haberetur existentia mea, & existentia diei hodiernæ: & non daretur coexistentia vtriusque. Distinguendum enim est illud conditionatum: haberetur existentia mea, & diei hodiernę: ita vt existentia mea excluderet à die hodierna carentiam sui, nego, ita vt non excluderet, concedo, & nego consequentiam. Hoc ipsum dicunt alij, dum respondent: casu, quo non daretur coexistentia mei, & diei hodiernæ falsum esset, quod haberetur existentia mea, & existentia diei hodiernæ. particula enim, &, est copulatiua. In eo autem casu esset verum, quod haberetur negatio existentiæ meę, & existentia hodierna, quia horum duorum daretur compositio, & illorū disiunctio.

Subinstabis: non est maior ratio cur res, quæ durat, intelligi debeat excludere carentiam sui ab ea differentia temporis, in qua intelligitur durare, & non intelligi debeat differentia temporis excludere carentiam sui à re durante: ergo nulla distinctio. antecedens probatur, quia tum res durans, tum tempus in quo durat, sunt entitates reales habentes de sè carentias sibi oppositas. 8

Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem dico, quod quemadmodum tum materia tum forma sunt entitates reales, & tamen in generatione, forma intelligi debet excludere carentiam sui à materia, & non è contra. ita & in casu nostro, eo quod militat par ratio. nam quemadmodum materia est veluti hospitium, & conceptaculum formarum, quę in illa sunt: ita & tempus, rerum, quę de nouo producuntur. vnde comparatur ad illas sicuti receptiuum ad receptibile.

Obijcies secundo: Creet hodie Deus Angelum, certe verum est dicere, quod heri Angelus non fuit. cum sic: si non daretur duratio distincta, non posset assignari quid plus entitatis facere debuisset Deus supra eas entitates, quas defacto fecit, si creasset Angelū heri. sed hoc est absurdum: ergo &c. minor patet, quia ad habendam diuersam denominationem est necessaria diuersa entitas. sequela verò maioris probatur, quia per nos Angelus existens heri consistit in entitate Angeli, & entitate diei hexternæ, sed Deus vtraque fecit, ergo non posset assignari, quid amplius facere debuisset. 9

Respondeo, negando sequelam maioris; dico enim, quod Angelus existens heri est aliquod ens connotatiuum, distinctum realiter ab eo, quod est Angelus existens hodie. si ergo Deus voluisset Angelum existentem heri, debuisset potius facere illud ens connotatiuum, quam hoc aliud. Porro illud ens connotatiuum importat conflatum ex Angelo, & die hexterno, quod non habetur hoc ipso, quod Angelus creatus est hodie. Ad probationem sequelæ; distinguo antecedens: Angelus existens heri consistit in entitate Angeli, & entitate diei hexternę quomodocumque acceptis; nego; acceptis cum proportione requisita ad faciendum illud ens connotatiuum, concedo antecedens; & nego consequentiam, quod si quęras in quo huiusmodi proportio consistat, dico eā consistere in indistantia vtriusque extremi, quæ recte explicatur per hoc, quod à die hexterna excluſa fuisset illa negatio Angeli, quā defacto habuit, ex eo, quod Deus hodie, & non heri illum creauit. Stomacum autem moueret, si vlterius, quis inquireret, quid heri facere debuisset Deus ad excludendam dictam negationem ab heri, quod non fecit creando Angelum hodiè. nam per nihil aliud excluditur formaliter negatio alicuius entis positiui, nisi per positionem eiusdem entis. posito igitur, quod Deus voluisset excludere negationem Angeli ab heri, debuisset heri illum, & non hodie creare.

Atque ex his patet, etiam responsio. Ad illud aliud simile sophisma. quod est huiusmodi: si quis hodie roget Deum, vt eum cras conseruet. non posset assignari, quid in hac rogatione peteret, nisi daretur duratio crastina modaliter ab hodierna

Digitized by Google

dierna distincta. Sed hoc est absurdū; ergo &c. sequelam probant, quia non esset, quod existeret dies crastinus, neque quod ipse existeret. vtrumq; autem supponitur ab eo, qui dictas preces fundit, præsertim si habuerit reuelationem diem crastinum independenter à suis precibus extiturum esse, ergo &c. Respondendum est enim, hunc hominem petere existentiam illius entis connotatiui, quod dicit in recto eius existentiam, & in obliquo diem crastinum cum intima præsentia, seù negatione distantiæ vtriusque. quod rectè haberi potest, etiam si nullam intrinsecam mutationem subeat hodie, qui beneficium illud obtinet.

10 Obijcies tertiò. Si Deus nihil creasset præter vnum Angelum: hic Angelus, si non daretur, duratio modus, nulla facta mutatione in rerum natura, hodie perduraret. Sed hoc est absurdum, ergo &c. Maior patet; minor probatur: non potest assignari per quid haberetur noua hæc denominatio (Angelus durat hodie) quod antea nō habebatur. Nam, vel hæc noua denominatio est positiua; & hoc non, quia aliquid aliud produci deberet hodie; quod non posset esse, nisi duratio modus. vel est negatiua, & hoc neq; quia aliqua negatio esset de nouo, quæ prius non erat. Sed non potest haberi de nouo negatio, nisi aliquid positiuum corrumpatur, vel non ponatur; quod non esset, nisi talis duratio temporis; ergo &c.

Respondeo, distinguendo sequelam maioris: Si non daretur duratio modus, nulla facta mutatione in rerū natura, Angelus perduraret: nulla facta mutatione temporis realis cōcedo, imaginarij nego sequelam; & sic distincta minore, nego consequentiam, & dico quod sicuti per te etiam si Deus nihil omnino creasset, neque Angelum, neque aliud quidpiam, adhuc nulla facta mutatione in tēpore reali, sed solùm in imaginario, verum esset dicere quod Deus, hodie tātùm coexistit diei hodierno, & non antea, neque postea. ita, & in casu nostro. Ad minoris verò probationem. nego assumptum: dico enim denominationem hanc: Angelus durat hodie, in eo casu esse positiuam, secundum id, quod importat in recto; negatiuam autem secundum id quod dicit in obliquo; quod idem tenentur asserere illi, qui ponunt durationē distinctam. Siquidem non possunt eam ponere omnino absolutam, alioquin non esset ratio, cur Deus durationem hodiernam non posset producere, seu conseruare die crastino, & sic facere, vt res die Veneris v.g. dicatur durare die Iouis. Quoniam verò positiuum quod dicit dicta denominatio in mea sententia est indifferens ad existendū heri, & hodie: tota diuersitas sumenda est ex negatiuo, quod importatur in obliquo, quod habetur de nouo in casu nostro. & ad rationem in contrarium dico: Tempus imaginarium cum partibus suis non esse negatiuum per exclusionē existētiæ alicuius entis positiui à parte rei. Sed per exclusionem cuiuscumque rationis positiuæ à seipso, sicuti diximus de spatio imaginario. vndè est, quod ad hoc, vt detur de nouo aliqua eius pars, non sit necesse, vt aliquod positiuū corruptatur, sed sufficit si corrūpatur pars alia ipsā præcedēs. ea.n. corrupta, statim debet intelligi sequi alia, & hac corrupta sequi alia ininfinitū; & quidē in impedibilitèr, propter rationes, quas cū egimus de spatio imaginario assignauimus. atq; hæc potest esse maior ratio pro ijs, qui cum concedant dari vbicationē modalitèr distinctam, negant dari durationē; quia nimirū cum spatium imaginarium secūdum omnes sui partes sit fixum ad hoc, vt intelligetur res alicubi, necesse est, vt fiat mutatio in ipsa re, at verò tēpus imaginarium est quid essētialiter fluidum, ac successiuum, quarè vt res dicatur correspondere vni potius parti dicti tēporis, quam alijs, sufficit, si ea immota habeatur mutatio in ipso tempore, ita ferè Hurtadus *in metaph. disp. 57. sect. 3.* Neque dicas cum Comptono *loco citato n. 7.* quod saltèm in prima productione rei necessarium sit aliquod determinatiuum, cum potuisset res æquè benè produci alio tempore. Contra. n. est, sufficientissimum namque determinatiuum illius est eius causa efficiens vltimo completa ad operandum. Præcisè. n. per hoc, quod Deus producat aliquam rē in hoc instanti secluso quouis alio, rectè intelligitur res illa esse præsens huic instanti.

Obijcies quartò. Deus hodie vult Antichristum esse futurum, & crastinum diē esse futurum, & tamen non vult eos esse futuros simul. ergo, si vellet simul esse futuros, vellet aliquid distinctum ab ipsis. 11

Respondeo, concesso antecedēte, distinguo cōsequens: vellet aliquid distinctum ab ipsis distributiuè acceptis concedo: collectiuè sumptis nego. Quod si queres quid importet hæc collectio, dico importare, quod ita sit volitus Antichristus, vt excludat à die crastino negationem sui. & per hoc fiat illi præsens, atquè indistans.

SECTIO III.

An duratio pro vt importat permanentiam rei in esse iam habito, distinguatur ex natura rei ab eius existentia.

12 DVratio pro vt importat perseuerantiā rei in esse iam habito. Per hoc maximè distinguitur à duratione, prout dicit determinationem rei ad coexistēdum cum hoc potius spatio temporis, quam cū alio; quod eius beneficio ita res est nunc, vt antea fuerit. Quare id quod existit solùm per instans nō potest dici hac duratione durare, licèt dicatur durare duratione in coexistentia consistente, quatenus de necessitate correspondet alicui certo instanti tēporis siuè realis, siuè imaginarij.

Iam verò hanc durationem pro vt à præcedēti distinctam suppono rectè diuidi in increatam, & creatam: prior soli Deo competit, & dicitur propriè æternitas ex intrinsecis principijs illi prouenientes, de qua nobis in præsentia non est sermo. Posterior verò propriè competit creaturis. Quoniam verò aliquæ earum permanentes sunt: aliquæ successiuæ; & rursus permanentium, hæ quidē natura sua, & ab intrinseco sunt corruptibiles: illę verò item natura sua incorruptibiles, hinc fit, vt duratio creata primo in permanentem, & successuam diuidi possit, permanens est, qua res ita secundum se tota simul existit, vt antea extiterit, siquè sit diuisibilis in plures partes, siuè indiuisibilis

lis. Successiua verò illa, qua res, quæ plures habet partes non existit tota simul secundum illas omnes, sed secundum vnam partē post aliam. Deindè verò permanēs diuiditur in æuum, quod rectè describitur: duratio rei permanētis ex natura sua (non autem vndequaque) incorruptibilis, & in eam, quæ cum proprio careat nomine rectè dici potest duratio rei permanentis ex natura sua, & ab intrinseco corruptibilis. Porrò duratio successiua in continuam, & discretam subdiuiditur: continua est successio eiusdē entitatis numericæ, sicuti est successio motus solaris, qui sine vlla interruptione durat: discreta verò est collectio quędam, vel plurium rerum indiuisibilium sibi inuicem succedentium sicuti sunt v. g. plures intellectiones, aut volitiones, quarum vna succedit alteri, vel plurium durationum successiuarum, vt plurium horarum, dierum, vel mēsium. ex quo patet diuisionē illam, qua duratio in communi diuiditur in æternitatem, æuum, & tēpus; non esse adæquatam, nisi tēporis nomine veniat non solùm omnis successiua duratio, sed etiam permanēs rerum corruptibilium, vti in ea diuisione ipsum nomē temporis communiter à Philosophis vsurpatur.

His autēm prænotatis. id quod quærimus est, an duratio creata, pro vt importat permanentiam rei in esse acquisito, sit modus superadditus ipsi rei habenti tunc esse.

13 Conclusio est negatiua: Puto enim huiusmodi durationem esse etiam ens connotatiuum, dicēs in recto rem existentem nunc, & connotans in obliquo ipsam rem antea etiam fuisse. Hoc autem non est intelligendum, quasi verò eadem res existens sit connotans. & connotatum sui ipsius. Id enim repugnare videtur; sed quatenus eadem res existens nunc, in ratione connotati sumatur, pro vt correspondet tempori, seu instanti antecedēti; in qua acceptione certum est distingui plusquam ratione à se ipsa. Porrò hæc correspondentia ad tempus hoc, neque debet accipi quatenus importat determinationem ad existendum hoc potius tempore, quam alio; sed quatenus præcisè significat coexistentiam in tempore antecedenti, siuè tempus illud antecedens fuerit hoc, siuè aliud, siquidem duratio, de qua loquimur, solùm importat de formali rem existentem in aliquo tempore præsenti, ita vt fuerit existens in tempore, seu instanti antecedenti, absque eo quod sit determinatiua, quantum est de se, ad hoc, vel illud, siuè tempus, siuè instans; quamuis huiusmodi determinationem præsupponat. Iam verò conclusio sic explicata, sequitur ex dictis in præsenti disputatione.

Et probatur, quia non est maior ratio, cur duratio pro vt importat determinationem ad existendum hoc potius tempore, quam alio, possit saluari in ente connotatiuo indistincto secundum id, quod dicit in recto à re, quæ durat; & non possit saluari in huiusmodi ente duratio, pro vt dicit perseuerantiam in esse: ergo sicuti saluatur illa, ita, & hæc. Consequentia est certa. antecedens verò ex solutionibus argumentorum patebit.

Obijcies primò, existentia rei permanētis est permanēs, sed eius duratio est successiua, ergo duratio rei permanētis non est eadem realitèr cum eius existentia: maior patet: minor probatur, quia alia est duratio, qua lapis v. g. durabat heri, à duratione illa, qua durat hodie, & ideò hodie dicitur magis durare.

Respondeo, concessa maiore, distinguo minorem: eius duratio secundum id, quod dicit in recto est successiua, nego: secundum id, quod connotat in obliquo, cōcedo minorē; & distinguo eodē modo consequēs. Ad minoris autē probationē dico, quod duratio, qua lapis hodie durat, distinguitur à duratione, qua durabat heri, secundum id, quod connotat in obliquo tantū, hoc est secūdum diuersum tēpus, cui coexistit hodie, & per ordinē ad ipsum tēpus etiam dicitur hodie magis durare, quā heri; quatenus videlicèt maiori tēpore coexistit hodie, quam coexisterit heri: ex quo obitèr aduerte durationem rei permanētis secundum sua intrinseca sumptā esse totam simul, & permanētē formalitèr loquēdo. secundum verò extrinsecum connotatum, sc. secundum tēpus, quod connotat, esse successiuam. Dixi (loquendo formalitèr, quia si loquamur virtualiter, quatenus, nimirum, coexistit tēpori siuè reali, siuè imaginario, cōcipi potest, vt successiua virtualiter, atq; extēsa, & diuisibilis; & consequēter vna maior alia secundū proportionē vnius tēporis maioris, ad aliud minus.

Instabis: duratio animæ rationalis, qua hodie durat secundū intrinseca sua non est illa, qua durabit per totā æternitatē à parte post. Ergo nulla distinctio: antecedēs probatur, quia si eadē esset, iā esset tota simul, & per consequēs infinita, sed hoc est inconueniens. ergo &c. 15

Respondeo, negando antecedēs; ad eius probationē eadē distinctione respondeo, qua supra: iam esset tota simul quoad intrinseca: concedo, quoad extrinseca, nego sequelam. Ad id autem quod addebatur de infinitate dico, quod huiusmodi duratio dicitur infinita solùm extrinsecè ratione tēporis, cui est coextitura. indè sicuti nūc non correspondet infinito tēpori, ita infinita nunc dici non potest; non solùm intrinsecè: sed ne extrinsecè quidē; sicuti neq; per totam æternitatē dici vnquam poterit extrinsecè infinita: siquidem nunquam verum erit dicere, quod anima aliqua, quæ in tempore creata fuerit, infinito tempori coexiterit à parte post.

Obijcies secundò: Materia habet propriam durationem à duratione formæ contradistinctam; & tamen per nos non habet propriam existentiam. Ergo duratio non est idem realitèr cum existentia rei durantis: antecedens quo ad primam partem probatur ex eo, quia materię duratio est æuiterna, in quantum ipsa incorruptibilis est: at duratio formæ est temporanea, siquidē forma materialis corruptibilis est. 16

Respondeo: negando antecedens, si propriè, & rigorosè de duratione loqui velimus; ad cuius probationem dico durationem materiæ dici æuiternam, non formalitèr, quasi verò ipsa materia vna numero duratione sub formis generalibus, & corruptibilibus semper duret; sed æquiualenter in quantum per plures durationes, quas successiuè acquirit nouas formas substan-

14 tia-

Digitized by Google

tiales in se recipiendo, aquiualet rei, quæ semper est sub vnica existentia, vt v.g. Angelo, animæ rationali &c.

17 Obijcies tertiò: in primo instanti productionis rei permanentis habetur existentia, & non habetur duratio. ergo duratio non est eadem cum existentia.

Respondeo, distinguendo secundam antecedentis partem: non habetur duratio secundum id, quod ipsa dicit in recto, nego: secundum id, quod dicit in obliquo, concedo antecedens; quia in eo instanti re vera non potest connotare sè immediatè antea præextitisse; si quidem tunc primò supponitur existere, quare nego consequentiam.

18 Instabis: illa existentia est indifferens, vt pro tempore sequenti ad primum instans productionis connotet, vel non connotet, se immediatè antea fuisse, quia deperdi potest post instans dictæ productionis; ergo debet per aliquod distinctum determinari; sed non nisi per durationem ex natura rei à se distinctã; duratio igitur distinguitur realiter ab existentia.

Respondeo, concesso antecedente: distinguendo primum consequens: debet per aliquid distinctum determinari, in genere causæ efficientis, concedo: in genere causæ formalis, nego consequentiam, cum entimemate consequente. Dico enim, quod existentia rei creatæ efficienter determinatur à Deo, qui illam vult pro tempore sequenti ad instans productionis conseruare, siue hoc faciat ad exigentiam alicuius rei creatæ, siue non: formaliter autem res creata se ipsa determinatur; quatenus connotat tempus, cui defacto post instans creationis coexistit ita, vt immediatè antea extiterit, exclusis sui negationibus tum ab ipso tempore: tum ab instanti præcedente.

19 Obijcies quartò: quod Angelus v.g. dicatur nunc durare, cum antea non duraret, est determinatio intrinseca, atque realis; ergo non potest haberi sine noua mutatione reali intrinseca ipsi Angelo, consistit igitur in productione alicuius noui modi, qui dicatur duratio.

Respondeo distinguendo antecedens; quod Angelus dicatur nunc durare, cum antea non duraret, est denominatio intrinseca, & realis secundum id, quod dicit in recto, concedo: secundum id quod connotat in obliquo, nego vniuersaliter, & absolutè antecedens. cum vtraque consequentia. Duratio enim Angeli, quę nunc est v.g. secundum id, quod dicit in recto non est noua, quia ponitur immediatè antea fuisse: est autem noua solum secundum id, quod connotat in obliquo, quod quidem connotatum quia aliquando est tempus reale: aliquando verò tempus imaginarium; hinc fit vt ipsa etiam duratio secundum connotatum suum aliquando realis non sit, sed solum imaginaria.

20 Obijcies quintò: Res successiua secundum sè non potest habere conceptum durationis; ergo per aliquid distinctum durare debet: consequentia valet; antecedens probatur, quia ad durandum requiritur præsentia eiusdem rei durantis; sed res successiua secundum se constat ex partibus præteritis, atque futuris, quæ nequeunt esse præsentes, ergo &c.

Respondeo, negando antecedens, ad cuius probationem distinguo maiorem: ad durandum requiritur præsentia eiusdem rei permanenter, hoc est secundum omnes partes collectiuè sumptas, nego: sic enim permanentia tantummodo durare possunt. requiritur præsentia eiusdem rei, siue permanenter, siue successiuè: concedo maiorem, & sic distiguo secundam partem minoris: præteritum, & futurum non possunt esse præsentia, successiuè, nego; permanenter, concedo minorem. sed nego consequentiam. vbi aduerte præteritum, & futurum sumi posse dupliciter. primò materialiter secundum id, quod præteriti ac futuri denominationes suscipit: secundò formaliter in ratione præteriti, ac futuri, quæ rationes per negationem actualis existentię complentur. primo modo sũpta possunt esse præsentia, videlicet successiuè coexistendo sine vlla prorsus interruptione rei siue permanenti siue successiuæ, reali vel imaginariæ; secũdo verò modo minimè; ad sed argumẽti solutionem sufficit, si possint esse præsentia primo modo. 21

Obijcies sextò: nulla pars motus successiui ita existit; vt antea præextiterit. ergo nulla res successiua secundum se durare potest.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Res enim successiua non dicitur durare in eo sensu quasi verò secundum partes, secundum quas existit, immediate ante præextiterit: sed quatenus existit secundum aliquas partes, quę faciunt vnum diuisibiliter cum alijs, quæ antecedenti tempore præextiterunt. eius igitur duratio in successione partium sine aliqua interruptione posita est. 22

Instabis: potest haberi in hoc instanti miraculosè loquendo eadem entitas motus successiui, absque eo, quod habeatur eius successio; igitur successiua duratio ab ipsa rei successiuę existentia plusquam ratione distinguitur.

Respondeo: multos esse qui negant antecedens, de quibus Mazziotta *quæst. 8. n. 53. & 54.* sed ego, dato antecedente, loquendo de entitate motus calefactionis, frigefactionis, & aliorum qui non sunt ad locum: distinguo consequens: duratio successiua ab existentia rei successiuę plusquã ratione distinguitur secundum id, quod duratio ipsa importat in obliquo, concedo. secundum id, quod dicit in recto, nego consequentiam. successiua duratio connotat in obliquo negationem simultatis partium rei durantis, quæ in casu posito non haberetur, eo quod, sublata diuinitus qualitate contraria, causa efficiens sine contrarietate in eodem instanti ageret quantum posset.

Obijcies septimò substantia per aliquid distinctum habet suas partes extra partes in ordine ad locum, scilicet per quantitatem, ergo & calefactio etiam partes suas extra partes in ordine ad tempus per aliquod distinctum habere debet; non nisi per durationem, ergo &c. 23

Respondeo, negando primam consequentiam: disparitas patebit ex dicendis de quantitate, & præterea ex eo, quia successionem partium motus possumus attribuere ipsi agenti, quod motum efficit vel ex eo, quia non potest simul superare resistentiam formæ oppositę, vel ex eo, quia etiam si posset, non vult, sed vtitur virtute sua inadæquatè; & hinc est, vt idem numero motus possit,

Digitized by Google

nunc maiorem, nunc minorem durationem habere; & modo tardior, modo velocior esse, iuxta agentis applicationem vel libitum; quia maioritas, & minoritas durationis à maioritate, vel minoritate temporis siue realis siue imaginarij tamquam à connotato dependet; & per consequens ille motus dicitur velocior, cuius multę partes cum paruo tempore coexistunt: ille verò tardior cuius pauciores partes coexistunt cum longo tempore.

24 Obijcies octauò: Deus potest hodie eundem numero motum cœli, qui fuit heri reproducere, non autem potest etiam reproducere idem tempus, quod fuit heri; sed tempus hesternum nihil aliud fuit, quam duratio motus hesterni, duratio igitur distinguitur ab existentia rei successiuæ.

Respondeo, distinguendo secundam partem minoris: non potest reproducere idem tempus, quod fuit heri, formaliter sumptum, in ratione temporis, concedo; entitatiuè, nego minorem: & distinguo eodem modo consequens. dico enim ad hoc, vt motus cœli induat rationem temporis importare debere coexistentiam ad tempus imaginarium, quod heri fuisse concipitur. hoc autem est, quid omnino necessarium, in suo fluxu inuariabile, & eadem velocitate decurrens, nec per aliquam potentiam, licet infinitam, imo & diuinam, est reproducibile. vnde non est mirum, si motus cœli sumptus formaliter in ratione talis determinati temporis, non possit diuinitus reproduci.

25 Obicies nonò: Nisi ponatur aliquis modus distinctus, qui sit duratio explicari nequit vnde oriatur maior vel minor velocitas in re successiua; ergo &c.

Respondeo, negando antecedens. efficienter enim, vti dixi, oritur vel, ex inadæquata applicatione virtutis motiuę, vel ex eiusdem limitatione in ordine ad superandam resistentiam contrarij, vel ex aliquo alio impedimento: formaliter verò ex correspondentia motus ad minus vel maius tempus, quę quidé correspondentia posita est in mera coexistentia motus, & temporis. vti supra dictum est.

SECTIO QVARTA.

Quid sit Tempus.

26 VNica Conclusio: Rectè tempus definitur cum dicitur: Est numerus motus secundum prius, & posterius: ita Philosophus *lib. 4. physic. tex. 101.*

Explicatur definitio: dicitur primò (numerus) dupliciter autem sumi potest numerus. primò in abstracto, vt Ternarius, Quaternarius &c. & hic dicitur numerus numerans. quia scilicet illo nos res numerare solemus. secundo in Concreto pro rebus illis, quas numeramus, siue demum hę siue inter sè actu distinctę: vt duo homines, tres equi &c. siue solú potentia, vt duo palmi ligni bipalmaris continui. Porrò numerus sumptus in concreto subdiuiditur in numeratum, & numerabilem, numeratus, sunt ipsæ res numeratæ iam, & saltem per intellectum distinctæ inter sè, atque collectę, numerabilis verò sunt eędem res numerabiles: vel saltem vna, & eadem res distinguibilis in plures partes, quatenus secundum illas numerabilis est; iam verò numerus in tradita definitione debet in secunda acceptione sumi, siue demum sit actu numeratus, siue potentia tantum. Tempus enim, nil aliud est, quam duratio successiua motus distinguibilis in plures partes, sicuti defacto distincta est duratio circularis motus primi mobilis in annos constantes ex duodecim mensibus, menses verò in quatuor hebdomadas, constantes ex septem diebus, dies verò in viginti quatuor horas, quarum quęlibet constet ex quatuor quadrantibus, quorum quilibet ex quindecim minutis componatur.

Dices, de ratione temporis est, vt sit mensura cæterarum durationum; ergo est numerus, numerans, & non numeratus. Confirmatur ex Aristotele *tex. 110.* vbi docet, tempus esse vnum respectu omnium numerabilium.

Respondeo, antecedens verum esse de tempore vniuersali, & extrinseco, de quo *loco tit.* loquutus est Aristoteles: hoc enim debet esse certissima durationum omnium regula: quoniam verò id, quo cætera mensuramus, per prius debet à nobis mensurari (ideo enim clepsydra horaria v.g. est apta mensurare durationem studij quia prius fuit in sè à nobis mensurata hinc, fit vt per prius conueniat tempori esse numerum numeratum, quam numerantem, licet numerus numerans in concreto sumatur.

Dicitur secundo (motus) ad significandum realem durationem successiuam cuiuscumque motus, habere rationem, & essentiam temporis, vnde est vt ipsamet duratio motuum dicatur tempus intrinsecum respectu sui ipsorum, ad differentiam temporis extrinseci, vt clepsydræ, horologij &c. inter quæ ex communi consensu principem locum sibi vendicat motus primi mobilis, vt potè inuariabilis regulatissimus, atque notissimus; quo omnes alios particulares motus regulare, & mensurare solemus; ob quod tempus vniuersale dici solet à philosophis ad differentiam temporum particularium. 27

Dies ex Aristotele *4. physic tex. 13.* habemus: idem numero tempus reperiri in toto mundo, præterea *tex. 132.* docet: tempus non esse multiplex, sed vnum; falsum igitur est quod particula illa, motus, in definitione posita pro quocumque motu successiuo accipi debeat. 28

Respondeo, Philosophum *locis cit.* vsurpasse nomen temporis ad significandum solum motum primi mobilis, qui etiam tempus extrinsecum appellatur, vti diebam, & est cæterorum mensura, per hoc autem non negamus, quod eadem duratio primi mobilis si cum suo proprio motu comparetur, appellari possit tempus intrinsecum respectu sui ipsius.

Dicitur tertiò (Secundum prius & posterius) quæ particulę explicant vltimam temporis differentiam illudque à quacumque alia re sufficienter distigunt: pro earum autem intelligentia, sciendum primò est: motum ad tria posse comparari, per ordinem ad quæ omnia habet, vt sit extensus, & per consequens numerabilis: primo comparari potest ad subiectum diuisibile, in quo 29

ipse

Digitized by Google

ipse motus existit tanquam accidens in subiecto; sicuti enim subiectum, quod mouetur, habet partes, ita & motus, per quem mouetur, habere debet partes ad illius extensionem coextensas; ita vt vna eius pars vni parti subiecti, altera verò alteri correspondeat: Secundo ad formam, quæ per ipsum acquiritur. sicuti enim si forma, v. g. qualitas, suos habet gradus intensionis, ita & motus alterationis suas habere debet partes illis gradibus correspondentes; est enim acquisitio partium formæ, vnde quot partes in forma, quæ acquiritur, reperiuntur: tot illis æquales esse debent in motu per quem acquiritur. atque hic nomine formæ nō solùm venit qualitas, sed etiā quantitas, imo & spatium ipsum, in quo fit motus localis; quantam enim extensionem hoc habet; tantam habere debet motus ille, quo mobile ei successiuè coexistit. Tertiò denique comparari potest motus ad durationem aliquam extrinsecam successiuam, siue realem, siue imaginariam, per ordinem ad quam partes habet extensas priores, & posteriores cum quadam successione, ita vt quando vna producitur, non producatur alia, sed ibi inuicem omnes in existendo sine vlla interruptione succedant, sic si fiat v. g. motus calefactionis tempore vnius horæ, priores partes huiusmodi motus habent, quod correspondeant prioribus partibus prædictæ horæ, posteriores autem posterioribus eiusdem.

30 Sciendum secundò: inter has tres extensiones, seu numerabilitates, quas habet motus, hoc discrimen intercedere, quod priores duæ extensiones totæ simul participari possunt à motu; ita vt in vno, & eodem instanti simul habeat plures partes correspondentes pluribus partibus subiecti; & in vno item, ac eodem instanti plures etiam habeat partes iuxta pluralitatē partium intēsiuarum formæ. sic instantanea illuminatio est extensa, & numerabilis iuxta extensionem, ac numerabilitatem tum partium subiecti, tum etiam partium intensiuarum luminis, quāuis de cætero fiat in instanti, & tota simul. At tertia extensio non est hoc modo, sed essentialiter requirit successionem in partibus motus, quas extendit, itaut quādo existit vna, non existat alia; sed successiuè sine vlla interruptione vna in existendo sequatur ad aliam.

31 Sciendum denique tertiò, quod particulæ illæ in definitione positæ (numerus motus) se habent vt genus respectu triplicis huius extēsionis motus; hic enim numerabilis est, tum ratione illarum partium, quas habet, ex eo, quod ad extensionem subiecti coextenditur: tum ratione earum, quas habet ex eo, quod partibus sui termini correspōdet: tum denique ratione illarum, quas à successiuitate sibi vendicat: quoniam verò vltima temporis differentia in eo consistit, quod motus habeat partes extensas, ac numerabiles extensione, ac numerabilitate huius tertij generis: hinc fit vt vltimę definitionis particulæ (secundum prius, & posterius) solam hanc extensionem seu numerabilitatem motus significent. Quamuis enim prius, & posterius, vt colligitur ex Arist. *hic tex.* 99. possit etiam habere aliquo modo motus per comparationem ad subiectum, & ad formam, ita vt illa pars motus dicatur prior, quæ priori parti siue subiecti, siue formæ correspondeat: illa verò posterior, quæ posteriori: absolutè tamen loquendo habet hæc per comparationem ad successionem, seu ad tempus extrinsecum, siue reale, siue imaginarium. vnde concluditur, quòd idem sit dicere: tēpus est numerus motus secundū prius, ac posterius: ac tēpus est extensio motus secundum quod successiuā partiū durationē importat, in quātū aliæ prius, aliæ verò posterius sine vlla interruptione producātur, quatenus secundū dictas partes est numerabilis, & distinguibilis ab anima.

Atque ex hac explicatione colligitur ratio à priori, cur Deus non possit idem numero tempus reproducere, etiamsi in multorum sententia reproducere possit eundem numero motum cæli: 32
ratio enim est, quia hoc numero tempus v. g. hęc dies sumit ecceitatem suam, & numericam extensionem per comparationem ad partes hasce numericas temporis imaginarij, quæ cum ita concipiantur à nobis fluere, vt irreproducibiles, & irreuocabiles censeantur: hinc fit, vt neque hæc dies quatenus his partibus correspondet, neque quodcumque aliud tempus reale idem numero reproduci possit à Deo: Contra verò quia hic motus non completur secundum suam vnitatem numericam per ordiaem ad aliquod fluens irreproducibile: hinc fit vt possit idem numero diuinitus reproduci.

Obijcies primò. Duratio successiua extrinseca siue realis, siue imaginaria, per comparationem 33
ad quam motus successiuus inducit rationem temporis, formaliter tempus est. ergo tempus explicatur à nobis per ordinem ad tempus; sed hoc est inconueniens; ergo. Primum enthymema videtur certum. Subsumptum probatur, quia sic daretur processus in infinitum in explicatione temporis, siquidem hoc secundum tempus per comparationem ad tertium explicandum esset. Tertium verò per ordinem ad quartum, & sic in infinitum.

Respondeo: concesso antecedente, distinguo cō. sequens. ergo tempus explicatur per ordinem ad tempus: eiusdem rationis, nego: diuersæ rationis, concedo consequentiam: tempus enim intrinsecum, & particulare explicatur per ordinem ad vniuersale, & extrinsecum. hoc verò per comparationem ad tempus imaginarium: quod, quia concipitur, vt maximè inuariabile, irreproducibile, & eadem semper velocitate transcurrens: censetur esse prima regula, à qua cætera tempora regulari, atque conformari debent, ideoque non requirit, vt per ordinem ad aliud tempus explicetur. Prima enim regula in al quo genere est sibi vt quo, & vt quod, in ratione regulæ, quia non indiget regulari ab alio; sic igitur distincto consequente, distingub eodem modo subsumptum, ad cuius probationem nego ex nostra sententia sequi, quod detur processus in infinitum; deuenien-dum enim est ad tempus imaginarium, ibique sistendum.

Obijcies secundò: si Sol moueretur duplo velocius, ac mouetur nunc, æquali motu moueretur, ac nunc: non tamen æquali tempore, sed in 34
tali casu haberet eandem numerabilitatem secundum prius, & posterius. Ergo ratio temporis non consistit in numero motus secundum

prius

prius, & posterius: maior patet, quia ex vna parte æqualitas motus localis, ex spatij æqualitate desumitur; sed Sol mouendo se duplo velocius, equale spatium pertransiret, integram circulationem conficiendo; ergo moueretur æquali motu: ex alia verò parte nunc circulationem absoluit viginti quatuor horarum spatio, duplo igitur velocius si moueretur, spatio duodecim horarum illam conficeret. non igitur æquali tempore: minor verò probatur, quia nulla pars talis motus existeret simul cum alia parte, sed omnes successiuo quondam ordine prioris, & posterioris producerentur.

Respondeo concessa maiore, distinguo minorem: haberet eandem numerabilitatem secundum prius, & posterius entitatiuè sumptam, concedo minorem sumptam formaliter per comparationem ad partes alicuius successiuæ durationis extrinsecæ, siue realis, siue imaginariæ, nego minorem; & distinguo eodem modo consequens. Ad probationem autem minoris dico, quod etiam si partes motus solaris in casu posito non existant simul: quia tamen non correspondent æquali durationi, siue reali, siue imaginarię, cui antea correspondebant; hinc fit, vt non censeantur durare æquale tempus: sicuti enim quantitas temporis, per comparationem ad durationem extrinsecam successiuam desumitur; ita etiam eius æqualitas, vel inæqualitas per comparationem ad æqualitatem, vel inæqualitatem durationis, item extrinsecæ desumenda est.

SECTIO III.

Vtrum tempus pendeat ab Anima.

35 VNica conclusio. Tempus in esse temporis, prout ab Aristotele definitum est, necessariò connotat animam, seu, quod idem est, intellectum; Dixi (prout ab Aristotele est definitum), quia si accipiatur prout est quædam successiua duratio secundum partes priores, & posteriores, haberi potest sine vlla connotatione ad intellectum, vt patet ex duratione cælestis motus, quæ etiam si per impossibile nullus intellectus de ea cogitaret: adhuc tamen existeret à parte rei.

Probatur autem conclusio. quia tempus pro ut ab Aristotele definitur, est numerus numerabilis partium motus secundum prius, & posterius. atqui numerabilitas haberi non potest sine ordine ad potentiam numerantem, quæ est solus intellectus, sicuti neque potest haberi visibilitas, vt sic sine ordine ad potentiam visiuam, quæ est oculus, igitur neque tempus prout definitur ab Aristotele sine connotatione, & ordine ad animam, seu intellectum haberi potest; in quo sensu dixit Aristoteles *lib. 4. tex. 131.* si anima non esset possibilis, tempus non esset possibile.

36 Obijcies primò: si tempus in esse temporis necessariò connotaret animam, seu intellectum; vti que dependeret ab ipso intellectu. sed sic esset ens rationis, ergo &c.

Respondeo, distinguendo sequelam: dependeret ab intellectu, eo quod ipse intellectus tribueret illi aliquod esse intrinsecum, nego; dependeret ab intellectu, eo quod in ordine ad illum eius essentia explicanda foret, concedo sequelã, & distinguo eodem modo minorem: esset ens rationis, si haberet esse intrinsecum ab intellectu, concedo: posito quod solùm habet, quod per ordinem ad intellectum explicetur, nego minorem, & consequentiam: defacto enim ens vt intelligibile est, explicari nequit, nisi per ordinem ad intellectum ipsum, & tamen nemo dixit esse ens rationis.

Instabis saltem tempus vniuersale, scilicèt motus primi mobilis, quod est actu distinctum ab intellectu in dies, horas, menses, & annos, videtur esse ens rationis: ergo &c. Antecedens probatur, quia secundum tales diuisiones actu pendet ab anima, & quidem intrinsecè, quia ipse nullam in se diuisionem agnoscit, est enim vnus motus continuus. 37

Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem dico, quod etiam si huiusmodi tempus vniuersale, in quantum est actu numeratum in partes, actu pendeat ab intellectu, actu illum numerãte: quia tamẽ ipsum in se numerabile est hoc modo, ac distinguibile; imo etiã diuinitus diuisibile in plures huiusmodi partes in infinitum: hinc fit vt intellectus illud distinguens nullum efficiat ens rationis, siquidem hoc esse debet aliquod implicans, vt patet ex logicis, quod autem vnus dies sit distinctus ab alio, nullam inuoluit implicantiam contradictionis. hic tamen obiter aduerte, quod sicuti tempus vt sic, non importat essentialiter actualem numerationem: ita neque indiget actuali existentia intellectus.

38 Obijcies secundò: si tempus inesse temporis penderet aliquo modo ab anima, maximè in hoc penderet, quod esset ab illa mensurabile, consequens falsum est: ergo & antecedens sequela patet ex dictis: minor verò probatur ex eo, quia potius dicendum est, quod anima pendeat ab ipso tempore in mensurandis cæteris rebus, quam tempus ab illa.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem dico: quod ad hoc vt tempore vtatur anima ad cætera mensuranda, debet prius ipsum tempus mensurare, vt patet ex Clepsidra, qua pro horologio vti solemus, quæ, nisi prius mensuretur, non poterit cæterarum esse mensura; & hic fit vt prius cõpetat tempori ratio mensuræ passiuæ, quã actiuè, vt Aristoteles de eius essentia verba faciens hic *tex.* 102. ait. Tempus, inquiens, est, quod numeratur, & non quo numeramus, & *tex. verò* 110. Tempus autem, numerus est, non quo numeramus, sed qui numeratur. quod si aliquando tempore cætera omnia mensurari dixit, loquutus est de eo, quod consequenter, & tanquam proprietas illi competit.

39 Quæres hic primò: quænam sunt ea, quæ tempore mensurantur?

Respondeo, quod primò, & per se tempore mensuratur motus, & ea omnia, quę successiuè acquiruntur, quia sola hæc habent partes ipsi tempori propriè correspondentes: Secundariò autem & per accidens etiam mensuratur tempore ipsa quies, & cætera permanentia, præsertim corruptibilia in quantum ipsi successioni temporis coexistunt; & permanent in suo esse, quandiu durat tempus aliquod determinatum.

Quæ-

Digitized by Google

Quares secundò : quid] sit prædicamentum quando.

Respondeo: non esse aliquod distinctum à re, quæ durat, & ab ipso tempore, in quo durat, sed importare coexistentiam vtriusque, seu præsentiam rei, quæ dicitur esse in tempore: præsentiam inquam, ad tempus determinatum, seu quod idem est ad partē aliquam successiuam motus primi mobilis. vtrum autem denominatio hæc essendi in tempore sit tantùm extrinseca, vel potius partim intrinseca sit, partim extrinseca, dicens in recto rei durantis existentiam, & in obliquo connotans tempus illud, in quo durare dicitur, leuis est controuersia; & parui momenti.

DISPVTATIO VIGESIMANONA

DE QVANTITATE QVOAD SVAM ESSENTIAM.

1 HÆc est meta disputationum, de quibus in Physica vniuersali agere nobis proposuimus, quæ tantùm habet difficultatis, vt ab omnibus, qui eam attigere, quantumuis doctissimis, insuperabilis ingenij humani viribus existimetur. nos verò more nostro ea, quę circa hanc materiam hucvsque dicta sunt rutinabimus, & si quid displicuerit confutare conabimur. quæ verò placent laudabimus, ac pro nostra virili parte, quatenus opus fuerit confirmabimus.

SECTIO PRIMA

Quænam sit formalis ratio quantitatis.

2 QVantitatem dari luce clarius est; in quonam verò eius essentia posita sit, valdè difficile, atque obscurum, præsertim loquendo de continua permanente; de qua plures sunt sententiæ, quas oportet singillatim expendere, & tandem nostram sententiam propugnare, quod per sequentes subsectiones præstabimus.

SVBSECTIO PRIMA.

Numerantur variæ Philosophorum de hac re opiniones.

PRima est Scoti *in prædicamentis disp.* 17. Capreoli *in 2. dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 3. Soncinatis 5. *met. quæst.* 21. Iauelli *quæst.* 25. & aliorum existimantium rationem formalem quantitatis esse diuisibilitatem in partes integrales, atque consimiles ad differentiam rerum spiritualium, & substantialium compositorum, quorum illæ quidem sunt penitus indiuisibiles, hæc verò diuisibilia sunt in partes essentiales Heterogeneas, in materiam, scilicèt, & formam.

Secunda est Caietani *Cap. de quanto*, & Alberti Magni *tract.* 3. *cap.* 1. ponētium quantitatis essentiam in ratione mensuræ, siuè actiuè, qua cætera mensuramus, siuè passiuè, quæ mensuretur ab alijs.

Tertia est Aureoli *in secundo dist.* 12. *quæst.* 2. *ar.* 4. Durandi *in primo dist.* 20. *quæst.* 1. & aliorum, qui volunt essentiam quantitatis consistere in eo, quod ipsa tribuat substantiæ materiali, cæterisque rebus quantis multitudinem partium integraliū.

Quarta, multiplicitatem quidem partium agnoscit in substantia independenter à quantitate, quia tamen existimat huiusmodi partes nullam habere ex se coordinationem, sed quamcumque debere esse cuicumque immediatè coniunctā, hinc censet rationem formalem quantitatis consistere in ordinatione partium substantiæ in ordine ad se; ita scilicèt, vt prima pars determinata substantiæ, quantitatis beneficio, habeat quod vniatur, immediatè quidem, secundæ parti: mediante verò secunda, tertiæ, & sic de cæteris, quam quidem ordinationem extensionem in ordine ad se, seù partium in toto auctores appellant: ad differentiam extensionis in ordine ad locum, seu partium in loco, quæ posita est in eo, quod eius beneficio plures partes rei quantæ extra se inuicem positæ, ita occupent locum, & spatium diuisibile, vt vna correspondeat vni parti loci; altera verò alteri, sine qua extensionem in ordine ad se posse consistere: patet ex venerabili Eucharistia, in qua, singulas partes Corporis Christi Domini constat inter se non esse confusas: sed seruare illam connexionem, & ordinem in se, quam requirit corpus humanum: vt caput v.g. sit vnitum pectori mediante collo, manus verò humeris, medijs brachijs, pedes autem immediatè quidem tibijs, illis verò medijs genibus, &c. licet de reliquo omnes illæ partes vni, & eodem indiuisibili hostię correspondeant, atque adeo careant extensione in ordine ad locum, habeantque solùm illam in ordine ad se; quod est in causa, ne auctores huius sententiæ dicant in huiusmodi extēsione in ordine ad locum quantitatis essentiam esse positam. Ex vna enim parte cōstat Christi Domini Corpus in Eucharistia quantitate prædituin esse: seçus enim neque ibi organizatum esset, neque in membra varia distinctum, & sic prorsus inepcum, vt anima informaretur, quod asserere videtur temerarium: ex alia verò parte ibi Christus extensionem in ordinem ad locum nō habet, cum reperiatur modo indiuisibili, ergo &c. Iam verò inter eos, qui in extensione partium in or-

dine

dine ad se rationem formalem quantitatis constituit est Fonseca *quinto met. cap. 13. qu. 1. sec. 2.* Conimbricenses *1. phys. c. cap. 2. quæst. 2.* Paulus Venetus, Maior, Albertus, & alij Recentiores.

Quinta denique sententia est Suarii *disp. 40. sect. 4.* Ruuij *1. physic. cap. 3. quæst. 2.* Auersę *quæst. 22. sect. 2.* & aliorum, existimantium essentiam quantitatis non consistere in quacumque extensione partium in ordine ad se, sed in certa quadam, atque determinata, quæ sit radicale principium extensionis in ordine ad locum, & impenetrabilitatis.

SVBIECTIO SECVNDA.

Rejcitur prima, & secunda sententia.

3 PRima Conclusio. Neque in diuisibilitate in partes integrales, neque in ratione mensuræ, quantitatis essentia posita est.

Probatur, quia prius est quantitatem aliquam habere extensionem partium, quam in illas esse diuisibilem, & secundum illas siuè mensuratiuã, siue mensurabilem; quin imo duo hęc prædicata diuisibilitas, scilicet, & mensurabilitas, seu mensuratiuitas, ipsam rem extensam tamquam passiones consequuntur; in quantum non potest intelligi res aliqua diuisibilis, seu mensurabilis, nisi præintelligatur extensa in partes, in quas diuidi, ac mensurari possit. Ad summum igitur ratio diuisibilitatis, atque mensurę erit proprietas quantitatis, nam essentia rei semper est prima radix omnium, quæ in ea reperiuntur.

4 Obijcies primò Arist. 5. *met. cap. 15.* definit quantitatem per diuisibilitatem. ait enim quantum esse id, quod est diuisibile in ea, quæ insunt quorum vtrumque, aut vnumquodque vnum quid aptum est esse, ergo essentia quantitatis in diuisibilitate consistit.

Respondeo, duplicem dari diuisibilitatem: alteram radicalem: alteram formalem: Prima est ipsa quantitatis essentia. Secunda verò eius proprietas; porrò si definitionis verba explicentur de prima: definitio erit essentialis; sed nihil cõtra nos, qui solùm negamus formalem diuisibilitatem esse essentiale constitutiuum vltimum quãtitatis. Sin autem exponantur de diuisibilitate formali, dicendum illam esse descriptionem, per proprietatem, traditam. obiter autem hic aduerte quantitatem dici (diuisibilem in ea, quæ insunt) vt notetur partes in illas non virtualiter, quemadmodum elementa in mixto, sed secundum entitatem, & realitatem suam reperiri: dici etiam (quorum vtrumque, aut vnumquodque vnumquid aptum est esse) vt notetur quantitatem semper in duas, vel in plures partes esse diuisibilem, quarũ vnaquęque post diuisionem vnum completum indiuiduum remaneat, quomodo non remanent materia, & forma substantialis etiam si per impossibile inuicem separata existant.

5 Obijcies secundò: Cælum est quantum, & tamen, cum sit incorruptibile, non potest diuidi. Prętetea dantur corpora omninò indiuisibilia, vt sunt Atomi. diuisibilitas igitur non videtur esse passio quantitatis.

Respondeo: Cælum, secundum quod quantum est, diuidi optimè posse; nisi huiusmodi diuisio ei repugnaret ratione incorruptibilitatis, quam habet beneficio substantialis formę: Atomum etiam dico de se esse diuisibilem licet, defectu agentium naturalium diuidi nequeat, vt infra docebimus: nego ergo consequentiam.

Obijcies tertiò: Substantiæ materiales, earumque qualitates sunt diuisibiles, ergo diuisibilitas non est passio quantitatis. 6

Respondeo: duplicem dari diuisibilitatem: alteram physicam, & quantitatiuam: alteram entitatiuam, & metaphysicam. Physica est aptitudo, vt aliquid per interpositionem alicuius corporis secetur in partes de se sensibiles, & localiter extensas, ob repugnantiam, quam habent duo corpora, vt sint simul, & in eodem loco: entitatiua verò est aptitudo, vt aliquid diuidatur in plures partes, eo quod vna pars potest existere separata ab alia, & non ratione impenetrabilitatis. quibus positis, ad antecedens dico substantias materiales, earumque qualitates esse diuisibiles entitatiua, ac metaphysica diuibilitate, non autem physica, & quantitatiua, eo quod si spoliarentur quantitate non possent per interpositionem corporis quanti diuidi in duas partes, quia penetrarentur cum illo. Contra verò si sint prædita quantitate. quamuis non negem eidem quantitati etiam entitatiuam primo, & per se posse competere. sic qnando gutta aquę à reliqua separatur per attractionem beneficio huiusmodi diuisibilitatis habetur, in quantum scilicèt eius vnio facilè dissoluitur.

Instabis: substantia materialis, quando reperitur sub quantitate, diuisibilis est non solùm entitatiua, sed etiam quantitatiua, & physica diuisibilitate. ergo nulla responsio. 7

Respondeo, distinguendo antecedens: secundario, & ratione alterius: scilicet quantitatis; cõcedo: primò, & per se, nego antecedens, & consequentiam. esse enim physicè diuisibile primo, & per se soli competit quantitati: cæteris autem rebus materialibus, non nisi eius beneficio, atque adeo secundariò.

Hanc autem doctrinam de diuisibilitate applica rationi mensuræ siue actiuæ, siue passiuę: etenim hæc, si radicalis est: est, ipsa extensio partium: sin autem formalis; sumi potest vel in actu primo, vel in actu secundo, & quidem in actu primo est ipsa eadem extensio vt comparabilis per modum, vel mensuræ, vel mensurati cum aliquo alio, & hanc dicimus esse proprietatem. in actu verò secundo est actualis ipsa commensuratio cũ alio, quæ est exercitium proprietatis. 8

SVBSECTIO TERTIA.

Confutatur tertia sententia.

SEcunda Conclusio. Quantitatis essentia non consistit in eo, quod ipsa tribuat multitudinem partium integralium ipsi substantiæ materiali, vel alteri rei quantæ. Est contra tertiam sententiam, sed defenditur communiter. Probatur autem, quia triplici modo intelligi potest, quod quantitas tribuat formaliter partes substãtiæ materiali, vel alteri rei quantæ. Primò quo ad entitatem 9

Digitized by Google

ipsam. Secundo quo ad denominationem partium. Tertiò quo ad separabilitatem illarum; quatenus scilicet vna non nisi quantitatis beneficio possit ab alia separari; sed nullo ex his modis quantitatem tribuere partes substantiæ cõstat, quia non potest dici, quod tribuat primo modo, tum quia partes substantiæ sunt substantia, quantitas autem accidens est; tum etiam quia materialis substantia etiam vt contradistincta à quãtitate habet dictas partes, quas eãdem numero retineret, si quantitatem mutaret. Neque secundo; tum quia pars substantiæ antecedenter ad quantitatem non erat tota substantia, alioquin substantia sub quantitate non haberet, nisi partem illam: Tum etiam quia materia v. g. in priori naturæ ad aduentum quantitatis intelligi potest hæc cum his numero partibus, & non cum alijs; & sic illas habere nequit quantitatis beneficio. Neque denique tertio, quia hæc substãtiæ pars antecedẽter ad quãtitatem non habebat connexionem necessariam cũ alijs partes; poterat igitur independẽter à quantitate separari ab illa entitatiua separatione; ergo &c.

10 Obijcies primò: D. Thomas 4. *contra Gentes*, *cap.* 65. ex mente Aristotelis docet substantiam remota quantitate, esse indiuisibilem; ergo quantitatis beneficio per Aristotelẽ substãtia habet partes.

Respondeo, distinguendo antecedens: substantia remota quantitate, est indiuisibilis, indiuisibilitate quantitatiua, & physica, concedo; entitatiua, & metaphysica nego antecedens, & consequentiam: sicuti enim datur duplex diuisibilitas, vt modo vidimus; ita etiam duplex indiuisibilitas admittenda est; quarum prior illa scilicet, quę opponitur diuisibilitati quantitatiuæ, competit entibus materialibus independenter à quantitate consideratis. Posterior verò, quæ diuisibilitati entitatiuę repugnat, substãtijs spiritualibus, quę carent omnino partibus.

11 Obijcies secundò ex Arist. 8. *met. tex.* 3. Prima compositio est ex actu, & potentia, sed si substantia materialis independenter à quantitate suas haberet partes: hoc falsum esset, ergo &c. Minor probatur, quia si substantia haberet partes, prius esset materiam, & formam secũdum se sumptas ex propriis partibus esse compositas: quam simul acceptas constituere compositum substantiale, quod ex actu, & potentia constat.

Respondeo Philosophum *loco cit.* loqui de prima compositione in ordine intentionis, in quantum omnis alia compositio, siue fiat ex substantia, & accidente, siue ex partibus substantialibus integralibus ordinatur ad compositum substantiale primò, & per se constituendum. Sunt qui etiam ad hoc argumentum respondent Aristotelẽ loquutum fuisse de prima compositione physica, & essentiali, non autem de prima integrali, quæ fit ex partibus integralibus; potest etiam dici fermonem esse de compositione, qua peracta adhuc partes remanent actu inter se distinctæ.

SVB SECTIO QVARTA.

Improbatur quarta sententia.

12 TErtia conclusio. Ratio formalis quantitatis non consistit in extensione partiũ in ordine ad se, & sic eius formalis effectus nõ est ordinatio partium substantiæ materialis in toto. Est Suarij *loco cit. sect.* 4. *n.* 75. cæterorumque quartæ sententiæ.

Probatur efficacissimè conclusio vnica ratione. Ordinatio partium in ordine ad se competit alijs rebus independenter à quantitate; ergo non est ratio formalis quantitatis. Consequẽtia valet; implicat enim reperiri in aliqua entitate essentiã alicuius rei absque eo, quod in illa entitate sit ea res, cuius habetur essentia. antecedens verò suadetur dupliciter.

Primò quidem, quia partes substantiæ, præcisã quantitate habent extensionem in ordine ad se; ergo &c. Antecedens probatur, quia huiusmodi extensio partium in ordine ad se importat duo vnionem partium, & coordinationem; & quidem quod dictam vnionẽ habent independenter à quãtitate conceditur ab aduersarijs, eo quod vnio hæc est substãtialis est, & antecedẽter ad ipsam quantitatem. Quod verò habeant coordinationem probatur, quia coordinatio hæc consistit in eo, quod in homine v. g. eius caput sit vnitum pectori mediante collo; hoc autem tria importat. Primò quidẽ vnionem immediatam capitis cum collo. Secundò, vnionem item immediatam colli cum pectore. Tertiò denique negationem immediatæ vnionis inter caput, & pectus. Iam duo priora haberi independẽter à quantitate patet ex eo, quod aduersarij existiment, quod si ab humano corpore miraculosè à Deo tolleretur quantitas, omnes eius partes vnirẽtur inter se immediata vnione; ergo hoc quod est caput immediatè esse vnitũ collo, & collum pectori, non est formalis quantitatis effectus.

Tertium autem est formaliter quid negatiuum, quia est negatio immediatæ vnionis substantialis inter caput, & pectus, atque adeò impossibile est, vt in eo positus, sit formalis quantitatis effectus; sed potius credendum est, quod sit negatio quædam, ab ipsamet essentia substantiæ materialis profluẽs, ab eaq; exacta in priori naturę ad quãtitatis effectũ.

Dices; quod licèt hoc tertium explicetur per quid negatiuum; re vera tamen est positiuum quid, dans secundæ parti, scilicet collo, rationem medij inter caput, & pectus, atque adeò in hoc consistere effectum formalem, & essentiam quantitatis. 13

Contra tamen est primò, quia immediata vnio inter partes substantiæ est quid positiuum substantiale, licet à partibus indistinctũ, vt patet ex vnione inter materiã, & formã; ergo negatio immediatę vnionis formaliter habetur per aliquod negatiuũ.

Contra est secundò, quia, posito quod tres illæ partes sint immediatè inter se vnitæ, si intelligatur tolli immediata vnio inter primã, & tertiã; iã secunda incipiet habere rationẽ medij inter vtrãque partem, ergo secundã esse mediũ inter dictas partes formaliter completur per quid negatiuũ.

Contra denique tertiò, quia dato quod sit positiuum quid, ex hoc sequitur, quod quantitas esset id, per quod formaliter partes substantiæ mediatè inter se vniantur, atque adeò esset vnio formaliter illas mediatè vniens, hoc autem esse impossibile patet ex eo, quia sic omnes partes mediatæ substantiæ facerent inter se vnum per accidens, media scilicet quantitate.

Suadetur secundò primum antecedens. Extensio actualis in ordine ad locum habet partes extensas in ordine ad se independenter à quantitate tanquã à forma; ergo hoc, quod est habere partes extensas in ordine ad se non est effectus formalis quantitatis; & per nonsequens eius ratio formalis in ordinatione partium quoad se minimè consistet. Probatur antecedens: extensio actualis quoad locum est modus quidam, qui naturaliter consequitur quantitatem antecedens formaliter illam extensã in ordine ad locum; habet igitur partes ordinatas 14

Digitized by Google

in ordine ad locum, ita vt vna correspondeat vni parti loci, altera verò alteri; ergo habet etiam partes ordinatas in ordine ad se? antecedens, & prima consequentia certa sunt. Secunda verò probatur, quia per omnes Philosophos ordo partium in ordine ad se, consistit in eo, quod prima v. g. sit vnita, immediatè quidem secundæ, & hac mediante tertiæ, atque adeò est essentialiter, & intrinsecè inhibitus in ordinatione ipsa partium in ordine ad locum, vt de se manifestum est.

15 Dices: extensionem actualem quo ad locum esse idem realiter cum quantitate; eadem enim quantitas sumpta secundum se, est extensio in ordine ad se; pro vt verò habet in se densitatem, & raritatem, est etiam extensio in ordine ad locum.

Contra tamen est, quia ex hoc dicto sequeretur, quod Christus Dominus in venerabili Eucharistia, vel careret densitate, & raritate in suis partibus corporis, vel si illas haberet, esset in loco circumscriptiuè; vtrumq; autem absurdum esse manifestum est.

Respondebis: Corpori Christi Dñi in Eucharistia additum esse quendam modum supernaturalem impedientem, ne ipsum sit in loco circumscriptiuè.

16 Sed nō bene, quia posita forma in subiecto, eius effectus formalis nullo modo impedibilis est in illo subiecto; neq; enim mihi concedes in tua sententia, quod posita quantitate in materia, Deus possit auferre ab ipsa materia ordinem omnium partium quo ad se: ex eo enim sequeretur, quod nō obstante quod anima rationalis informaret corpus humanum, posset Deus facere ne resultaret homo: si igitur effectus formalis quantitatis raritatem, & densitatem habentis, per se est actualis extensio substantiæ in loco circumscriptiuè, dum quantitas illa non cessat informare substantiam, nullus modus poterit dictam actualem extensionem ei auferre.

Neq; dicas ad præsentandum effectum extensionis 17
circumscriptiuè in loco requiri vt quantitas cōnoteret in subiecto negationem modi illius miraculosi, cuius beneficio corpus sit totum in toto, & totum in qualibet parte: Nolo dicas, inquam, quia sic dici possent oēs effectus formales impedibiles à Deo esse, atq; adeò animā rationalem etiā si corpus organicū informaret, non cōstituere hominē, nisi cōnotando negationē modi miraculosi in subiecto dictū hominē impedientis, quo nihil est absurdius. Stet igitur extensionē actualem in ordine ad locū esse aliquid plusquā ratione distinctū à quantitate, eaque carere Corpus Christi Domini, dum existit in hostia cōsecrata, vt communiter docet Theologi.

Objicies tamen primò Aristotelem 1. *physic. text.* 18
15. apertè significat, omnem substantiam extendi per quantitatem, ergo extensio partium in ordine ad se est effectus formalis quantitatis.

Respondeo Philosophū *loc. cit.* loqui de extensione actuali in ordine ad se non qualicumque, sed de ea, quæ est principium impenetrabilitatis, huiusmodi non est ordinatio partium substātiæ præscindens à quantitate.

Objicies 2. Si substantia præcisa quātitate esset 19
extensa in ordine ad se, sequeretur, quod esset etiā impenetrabilis ité in ordine ad se; sed hoc est inconueniens: ergo &c. sequela patet, quia impenetratio partiū aliud nihil est, quā ordinata illarū vnio, & si quidē huiusmodi vnio ordinata est in ordine ad locū, erit impenetratio quoad locū: si autē quo ad se erit impenetratio quo ad se: minor verò probatur, quia si substantia præcisa quantitate esset impenetrabilis quo ad se, esset eiā impenetrabilis quo ad locū: at hoc falsum esse, constat, ex eo, quia impenetrabilitas quo ad locū est passio quātitatis, quare si substantia ex se illā haberet, superflua esset quātitas. Sequela verò huius postremi argumenti probatur, quia res eodē modo potit esse in loco, quomodo est in se ipsa: si igitur substantia est impenetrabilis quoad se, erit etiā in ordine ad locū.

Respōdeo data sequela, quæ in rigore absolutè neganda est, quia impenetrabilitas propriè est repugnātia, quæ duo corpora nequeunt esse simul in eodē loco; quod non habetur, nisi beneficio quātitatis: nego min. ad cuius probationē nego sequelā. Et distinguo antecedēti probationis eius: res eo modo potit esse in loco, per se semper, quomodo est in se ipsa, nego: sine per se, sine per aliud, concedo: & sic eiā distinguo consequēs: si substantia quo ad se est impenetrabilis est eiā quoad locū, per aliud; hoc est per quātitatē, & per eius actualē exēsionē, concedo per se, & immediatè, nego cōseq. & dico quod licet eveniat fieri, quod eodē modo res potit esse in loco quomodo est in seipsa, ita sc. vt sint in se partes habeat ordinatas, eandē potest ordinationē in loco, non tñ est necesse: vt hoc sectūdū habeat per seipsā, sed potest habere per aliquid aliud: sic substātia materialis potit quidē ex se ordinationē partiū in loco, sed id obtinet quantitatis beneficio, quare si aduersarius ordinationē partiū in ordine ad se impenetrationē appellat, non est cū eo valde contendēdū: si autē intendat illā ipsam impenetrationē quo ad se esse formale principiū impenetrationis quo ad locū, est illi resistēdū: hoc n. vti dicemus, habet substantia media quātitate. Cæterum hūc modū argumentandi esse fallacem patet ex centis exemplis, præsertim contra eosdem aduersarios, qui illud soluere tenentur in sua sententia, qua dicunt substantiā seipsa habere partes inordinatas, atq; cōfussas: siquis n. sic argumentaretur: res eo modo potit esse in loco, quomodo est in se: quare si substātia in se partes habet confusas, eodē modo posset illas habere in loco; falsum profecto contra illos inferret: falsum igitur & illi inferunt contra nos.

Objicies 3. Si substantia haberet partes coordi- 20
natas quoad se, sequeretur, quod etiam haberet figuram, æqualitatem, inæqualitatem, magnitudinē, & cæteras quantitatis proprietates, sed hoc est absurdum, ergo &c.

Resp. distinguendo sequelā, haberet figurā, æqualitatē, &c. propriè loquēdo, & secundū id, quod hæc nomina ex vi suæ impositionis significant, nego impropriè, & per quamdam accomodationem, concedo sequelā, & distincta eodē modo minore, nego cōsequentiā: ac dico, quod ex prima nominis impositione figura terminationē quantitatis significat: æqualitas autē, & inæqualitas similitudinē, ac dissimilitudinem quoad longitudinem, latitudinē, & profunditatē, quæ inter duas quātitates reperiuntur &c. At minus rigorosè loquendo, aliis etiā rebus eadem nomina accomodari possunt. sic si Deus humanum corpus quantitate spoliaret, & totum in qualibet parte loci eodem modo relinqueret extensum, sicuti erat prius; in tali casu eius terminatio dici posset impropriè figura, eiusque extensio minus rigorosè æqualis, vel inæqualis alteri corpori; verum hæc non esset propietas illius, quia sicuti ei localis

illa

illa extensio non debetur: ita neque ea, quæ ad talem extensionem consequuntur, sunt verò proprietates quantitatis, quæ per se est localis extensionis principium.

SVBSECTIO QVINTA.

Defenditur quinta sententia, & solvuntur obiecta quæ de illa fiunt in Contrarium.

21 QVarta Conclusio: Quantitatis Essentia posita est in extensione in ordine ad se, non quacumque, sed illa, quæ sit radicale principium extensionis eius in ordine ad locum, atque impenetrabilitatis.

Probatur quoad singula, & primò quod dicat extensionem partium quo ad se patet ex eo, quia illam etiam dicunt cætera entia materialia, multo magis igitur eam dicet quantitas; quoniam verò quantitatis essentia debet aliquid aliud præter dictam extensionem includere, ideo secundò dixi, quod debet esse radicale principium localis extensionis, atque impenetrabilitatis; quia cæteræ extensiones in ordine ad se non sunt huiusmodi. Impenetrabilitatis autem nomine hic intelligo localem extensionem circumscriptiuam, quæ reddit Corpus, in quo est, inepcum ad admittendum intra se, & in eodem loco, in quo est aliud Corpus similiter extensum: addidi, verò radicale, quia formale principium puto esse eius Metaphysicam proprietatem: valde autem familiare est Philosophis rerum essentias, vtpote ignotas, per notas proprietates explicare; sic essentiam leonis dicunt esse animal illud, quod habet in se radicale principium rugitus, seù, quod est Rugibile radicaliter. Iã verò per hoc, quod quãtitas sit hæc peculiaris extẽsio, quo ad se, satis intelligitur essentialiter Metaphisicè constituta, & à quacumque alia re sufficiẽter distincta. Nos enim ex extensione circumscriptiua in loco, & impenetratione venimus in cognitionem quantitatis. Sed eius essentiam ponere in ipso actuali exercitio extensionis, & impenetrationis vetamur Fidei debemus igitur illam ponere in eius exigitiuo principio.

22 Obijcies primò. Extensio in ordine ad se competit per nos alteri a quantitate; ergo non rectè assignatur, vt essentia illius.

Respondeo: Concesso antecedente, distinguo Consequẽs: nõ rectè assignatur, vt quãtitatis essentia adæquata Concedo; inadæquata, & veluti generica, vt nos facimus, nego Consequentiam. dicimus enim quantitatis essentiam non esse positam in qualicumque extensione in ordine ad se, sed in ea solum, quæ est principium localis extensionis, & impenetrabilitatis, & per consequens actualis impenetrationis iuxta suprædicta.

23 Obijcies secundò. Substantia materialis est extensa in ordine ad se, & est principium exigitiuum localis extensionis, & impenetrationis, ergo extensio in ordine ad se a nobis assignata nõ est quantitatis essentia.

Respondeo: distinguendo. Secundam partem antecedentis: substantia est principium exigitiuum localis extentionis, & impenetrationis, mediatè, hoc est media quantitate concedo: immediatè, & ratione sui, nego antecedens, & consequentiam. quantitas enim est ex se radicale principium extensionis localis, & impenetrabilitatis. Materialis verò substãtia est solum immediatum principium exigitiuum ipsius quantitatis.

Obijcies tertiò: ordinatio partium est relatio, 24
ergo non ingredietur Conceptum essentialem quantitatis.

Respondeo, distinguendo antecedens: ordinatio partium formaliter sumpta, transeat; quod sit relatio, fundamẽtaliter acceptã, nego antecedens, & Consequentiam, quia quantitatis essentia consistit solum in illo ordine partium fundamentaliter, & non formaliter considerato.

Obijcies quartò: substantia materialis indepẽdẽter à quantitate, potest saltẽ miraculosè esse 25
extensa quo ad locum, atque impenetrata: non benè igitur per ordinem ad actualem extensionem quoad locum, atque impenetrationem essentia quantitatis explicatur.

Respondeo, distinguendo antecedens: substantia materialis independenter à quantitate potest solum miraculosè esse extensa quo ad locum, atque impenetrata, per extensionem, & impenetrationem quantitatiuam; nego per entitatiuam, 25
concedo antecedens, & nego consequentiam. dico enim quod Deus auferendo à substantia materiali quantitatem, si vellet illam extensam & impenetratam cum alijs corporibus conseruare, duo deberet miracula facere; vnum est impedire ne dicta substantia secundum omnes sui partes confluereret in punctum spatij, quod æquè distaret à partibus remotissimis spatij ab ea antea occupatis, alterum verò impedire ne alia corpora in spatium illud intrarent: si quidem dictum spatium tunc se haberet, ac si a nullo prorsus corpore esset occupatum, atque adeò indueret rationem vacui, non obstante quod ab ea substantia repleretur; quia ea tunc se haberet vt spiritus, qui cum locum non occupet, per sui præsentiam non impedit vacuum: ex quo fit dictam substantiã in eo casu non fore extensam, & impenetrabilẽ extẽsione & impenetrabilitate quãtitatiua, si quidẽ hæc dicit formalẽ exclusionẽ partiũ suarũ ab eodẽ loco, formalẽque repugnantiam ad penetrandum se cum alio corpore quantitatiuè extenso.

Instabis: Ideo quantitas exigit extensionem lo- 26
calem, & impenetrationem; quia est extensa in ordine ad se. sed etiam substantia est huiusmodi. ergo &c.

Respondeo: negando Causalem illam. Ideo enim quantitas exigit localem extensionem immediatè, quia est extensa peculiari quadam ratione in ordine ad se, quæ à nobis optimè dici potest formalis extensio quantitatiua, quæ cum in se ignoretur, explicatur per hoc, quod sit principium exigitiuum, seù radicale extensionis localis, & impenetrabilitatis formalis.

Obijcies quintò: effectus formalis primarius 27
quantitatis est reddere subiectum, in quo est, impenetrabile cum alio simili subiecto. ergo quantitas non est radicale principium impenetrabilitatis, sed est ipsa formalis impenetrabilitas.

Respondeo, impenetrabilitatem posse sumi dupliciter: primo pro principio ex quo oritur illa

Digitized by Google

vis, seù facultas, quam habet vnum Corpus, ad excludendum aliud corpus à spatio in quo est: vnde fit vt ipsa formalis vis, & energia appellatio postea debeat impenetratio actualis; siue demum corpus, illa effectum habeat aliud corpus cinctse, quod excludat à spatio, in quo est, siue non. Secundò pro ipsa vi seù forma vltimò repugnante ad essendum in eodem loco cum alio corpore: in qua acceptione corpus existens in vacuo licèt dicatur actu impenetrabile cum alio corpore: non tamen dicitur actu impenetratum cum illo, quia non actu excludit à spatio, in quo est, aliud corpus. Iam verò ad antecedens dico, essentiam formalem primarium quantitatis esse quidem sedere subiectum impenetrabile primo, modo non verò secundo modo, cum quo stat quod esse possit radicale principium ipsius impenetrabilitatis secundo modo accepte. nego igitur consequentiam.

SECTIO SECVNDA.

An quantitas distinguatur realiter à substantia, Caterisque accidentibus.

28 CONclusio est affirmatiua, & communis, si paucos Nominales excipias vt Okamum, Gabrielem, Maidrem, Albertum de Saxonia, & quosdam alios, cit. à Suario *disp. 40. sect. 2. numero 21.*

Probatur primò ex Aristotile qui *primo phys. tex. 15.* vbi de numero principiorum, disputat, arguens contra Melissum, qui vnum esse rerum naturalium principium, & quidem infinitum volebat, hæc habet: Quantum itaque aliquid est, quod est, Infinitum enim in quanto est, substantiam autem infinitam, aut qualitem, aut passionem esse non contingit nisi secundum accidens, si simul & quanta aliqua sint: Infiniti enim ratio quanto vtetur, sed non substantia, neque quali, si igitur, & substantia est, & quantum: duo & non vnum est, quod est. si verò substantia solum sit, non infinitum est, neque magnitudinem habebit vllam) Cuius argumenti vim hanc esse docet P. Toletus in eundem Textum: Infinitum nullius ratione inest nisi quantitati, nam substantia corporea, & qualitas item corporea non dicuntur infinita nisi secundum quantitatem, & consequenter per accidens; quod patet ex eo, quia definitio Infiniti per solam quantitatem traditur, quod si esset dum Melissus ponit principium esse vnum quantum: & quantitas, quippe accidens, non stat sine substantia necessariò ponit substantiã, & quantitatem; non ergo vnum principium, sed duo erũt, quod si substantiã tantum constituat, non erit infinita, cum desit illi quantitas. Quibus positis, dico pro Conclusione argumentor. Nisi Aristoteles existimasset, quantitatem esse accidens realiter distinctum à substantia, male contra Melissum ex infinitate principij numerum binarium principiorum intulisset: potuisset enim illi statim respondere Melissus, quantitatem idem realiter esse cum substantia, adeoque infinitatem principij nequaquam inferre realem multiplicitatem principiorum, de qua erat controuersia, sed ad summum formalem quam vtcumque ei hic Philosophus concedere potenat, salua sua sententia abs-

surditate, præterea Aristotelis sententia in hac rẽ patet ex *5. met. cap. 13. vbi ait*: Musicum, & album non esse quanta per se, sed per accidens; quod si albedo, & musica idem realiter essent cum quantitate, falsum omninò dixisset. Item ex *secundo de Anima tex. 65. ex 3. met. tex. 37. & 7. met. tex. 8. & sæpè alibi.*

Probatur Secundò: si quantitas non esset accidens realiter distinctum à substantia, & ab alijs accidentibus, vel identificatur cum materiali substantia, siue hæc sit sola materia, siue forma materialis, vt volunt aliqui; vel, vt alij malunt, identificatur etiam cum accidentibus Corporis naturalis: sed neutrum dici potest: ergo &c. maior patet: minor verò quo ad primam partem probatur quia in diuinissima Eucharistia post Verba Consecrationis, vt communiter docẽt Patres, & Concilia, remanet realiter quantitas panis, & non panis substantia dependitur: ergo dici nequit, quod cũ sola materia sit corpus, siue etiam cũ forma quantitas identificetur. probatur etiam quo ad secundam partem eadem minor, quia si identificaretur etiam cum omnibus alijs accidentibus, sequeretur, quod tot essent quantitates in vno corpore substantiali, quot essent in eodem partes essentiales & accidentia, hoc autem absurdum esse probatur, quia ex eo sequeretur dari defacto naturaliter penetrationem plurium quantitatum trine dimensiuarum, atque adeo plurium corporum mathematicorum in lapide cum v.g. materia suam haberet quantitatem trine dimensiuam formam suam, suam Ità frigiditas, cæteraq; qualitates suas peculiares haberent, quæ omnia essent in eodem spatio atque loco; consequens autem hoc falsum est, quia sic possent consequenter plura corpora vt lignum v.g. lapis &c. se inuicem penetrare, atque in eodem loco reperiri, quod est contra experientiam.

29 Dices primò: impenetrationẽ consequi quantitatem eandem, & completam, quæ in vno adæquato individuo reperitur, non autem partialem, quæ cum accidentibus, vel cum partibus substantialibus materialibus, ad vnum completum individuum spectantibus, identificatur atque ex eo fieri, vt hæ possint inuicem penetrari; non autem plura corpora plures completas quantitates habentia.

Contrà tamen est, quia gratis asseritur, & sine vllo fundamento doctrina hæc: si quidem, vel hæc impenetratio oritur ex sola substantia rei, vel ex solis eiusdem rei accidentibus, vel denique ex coniunctione accidẽtium cum ipsa substantia. Primum dici nequit, quia in diuinissima Eucharistia, in qua nulla est substantia Panis, non deberet impenetratio reperiri, atque adeo duæ hostiæ consecratæ inuicem se penetrarent, quod est contra experientiam: Neque potest dici secundum, quia accidentia iam inter sè, & vna cum substantia penetrantur in corporibus naturalibus: neque denique tertium, tum quia in Eucharistia, in qua non est coniunctio ista accidentium panis cum eiusdẽ panis substantia, nulla impenetratio deberetur: tum etiam quia vnio illa atque coniunctio accidentium cum substantia, non potest assignari, quid addat præter effectum formalem, & rationem to-

Dices

Digitized by Google

30 Dicet secundò: ex Sacramento Eucharistiæ non posse nos arguere ad probandum quantitatē esse distinctam à materia, & aliis accidentibus, quia Deus ad occultandum nostris sensibus mysterium hoc, supplet miraculosè in omnibus, atque naturæ rerum minimè se extendunt, sic ferè Arriaga *disp. 6. metaph. sect. prima.*

31 Hinc Pater Gisbertus *quæst. 5. art. prima* docet præstindendo à miraculo Eucharistiæ dari rationem satis bonam, ex naturis rerum desumptam, cur quantitas, quam ipse impenetrabilitatem appellat, sit realiter distincta à materia prima, sic: Ideo dedit natura impenetrabilitatem Corporibus, ne facilè corrumperentur ab oppositis, si compenetrari possent cum illis: ergo potius natura debuit reddere impenetrabilia cum formas accidentales, cum substantias materiales, vt pote corruptibiles, quàm materiam, quæ est incorruptibilis, atqui formæ non potuerunt huiusmodi prædicatum habere, alioquin non possent esse actu in eodē subiecto: ergo debuit dari accidens distinctum cum à materia, tum ab huiusmodi formis, quod redderet Corpora naturalia impenetrabilia.

32 Verum ad hoc respondet facilè potest, cōcedo antecedens distinguendo Consequens: & quidē si formæ essent dicti prædicati capaces, cōcedo, posito quod sint incapaces, quamvis debēt posse plures informare idē numero subiectū, negocōsequētiā; ad rationē verò in cōtrariū ex materiæ incorruptibilitate desumptam dicendum, quod licet ea sit incorruptibilis; tamen est essentialiter ordinata ad Compositum corruptibile constituendum, vnde secundum sua prædicata debuit se eius exigentiæ accomodare: quare cum compositum ex vna parte huiusmodi prædicatum intrinsecè exigeret: ex alia verò non posset dictum prædicatum identificari cum formis, quas poterat in se habere, sequitur necessariò, quod debuerit illud in sè admittere ipsa materia non solum in bonum sui compositi, sed etiam in bonū formarum, quas recipit; si quidem ipsa est primum subiectum, in qua agentia naturalia operantur, & cui communicantur formæ omnes materiales, quæ à dictis agentibus producuntur.

33 Deinde, quod dicta impenetrabilitas non sit eadem formis substantialibus materialibus identificata, idem Gisbertus probat tripliciter. primò quia in sententia probabili manent elementa formaliter in mixto, ita vt in eadem materia sint simul mixti, & formæ elementorum compenetratæ, item in alia sententia in viuentibus præter animas dantur formæ partiales. falsum igitur est quod impenetrabilitas sit cum forma substantiali materiali identificata. Secundò quia non esset cur vna aqua non posset cum alia aqua penetrari, siquidem fortè aquæ nihil sibi timere, posset à forma alterius aquæ, quia respectu illius cessat tota ratio impenetrabilitatis à cōtrarietate desumpta; & sic omnia corpora eiusdem speciei possent inuicem penetrari. Tertiò denique quia non esset maior ratio, cur natura dedisset potius hoc prædicatum impenetrabilitatis formis substantialibus, & non accidentalibus; 34 quia vtique vtile fit, quin imo magis indigere videntur accidentalem, quæ immediatè à contrarijs corrumpuntur, quam substantiales, quæ secundario ad eorum corruptionem desinunt esse.

Verum nulla ex his tribus rationibus videtur efficax, non prima quia admissis illis duabus opinionibus, quæ à doctioribus Recētioribus confitentur; dici potest, quod quemadmodum formæ elemētares propter subordinationē, quā habent ad formam mixti, licet sint radicale principium primarum qualitatum in summo: in mixto tamen illas minimè producant, vt dent locum dispositionibus mixti, quibus propriæ sunt contrariæ. & quemadmodum formæ partiales propter eandem subordinationem quam habent ex suis extrinsecis ad formam viuentis, licet sint, de se radicale principium quarumdam etiā qualitatum: tamē ijs quandiu sunt in viuente naturaliter priuantur, vt dent locum dispositionibus viuentis, quibus suæ sunt oppositæ: ita dici potest, quod licet eædem formæ substantiales sint de sè radicale principiū actualis extensionis impenetrabilis: tamen propter essentialem subordinationem quam habent ad formam totalem, quandiu cum illa sunt eam minimè producant; sed solius formæ principalis extensione actuali impenetrabili gaudeant. & sic nulla habetur penetratio Corporum naturæ repugnans, si quidem etiam illi, qui ponunt quantitatem distinctam dicunt, quod si ea spoliaretur extensione actuali impenetrabili, connaturaliter penetraretur cum alia quantitate: cur igitur idem in nostro casu dici non posset? neque Secunda ratio ducta ex compenetratione omnium corporum eiusdem speciei est efficacior. nam licèt forma aquæ v.g. nihil possit timere ab alia forma aquæ atq; adeo ex hoc capite nō deberet vna aqua non posse penetrari cum alia: quia tamen vna forma aquæ potest esse in materia habente qualitates ipsi formæ aquæ valde contrarias; hinc fit vt natura debuerit ab huiusmodi etiam penetratione cauere, ne quid sibi accideret mali.

35 Neque denique tertia ratio aliquid euincit ex formis accidentalibus ducta. facilè enim assignari potest disparitas, cur quantitatem natura cum formis substantialibus potius, quam cum accidentalibus identificarit. quia nimirum, ex vna parte forma substantialis sicuti est prima radix ipsarum formarum accidentalium: ita debuit esse radix ipsius extensionis actualis impenetrabilis. nomine autem quantitatis nos huiusmodi radicem intelligimus: ex alia verò parte in vno subiecto dantur plures formæ accidentales, & quidem aliquando minimè inuicem subordinatæ; vnde plures exigere deberent actuales extensiones impenetrabiles, & sic corporū mathematicorū penetratio naturaliter danda esset. ex quibus patet nullam huc vsque assignatam esse rationem præscindendo à mysterio Diuinissimæ Eucharistiæ, qua probetur quantitas distingui realiter à materia prima, vel à forma substantiali materiali. Vna vel altera videretur adhuc restare examinanda. & Prior quidē deducitur ex homine, qui quātus est, & tamē eius anima vtpotè indiuisibilis nō potest esse idem cum quātitate, Ad quam dici posset, vel quod dentur formæ partiales, ex quibus in homine ob defectum formæ principalis emanent extensio localis impenetrabilis: vel si negantur dictæ formæ, quod quantitas in homine

sumat

sumat rationem partium ordinatarum in ordine ad se ex materia prima, rationem verò principij extensionis localis, & impenetrabilitatis ab anima, quæ sicut potest esse productiua caloris naturalis, & aliarum qualitatum materialium; non obstante quod spiritualis sit, ita & localis extensionis.

Altera ratio quę adducitur ab eodē Giattino in fine articuli est huiusmodi. si quātitas idētificaretur cum substantia, sequeretur, quod substantia esset immediatè tangibilis. sed hoc est absurdum; ergo &c. sequela maioris probatur, quia corpus redditur formaliter tangibile per impenetrabilitatem, siquidem hæc est ratio proxima tactus, sine qua corpus non esset tangibile. Sed huiusmodi tangibilitas identificaretur cum substantia, posita identitate quantitatis cum ipsa substantia, ergo &c. minor verò, in qua subsumebatur, absurdum esse concedere substantiam esse immediate tangibilem probatur: tum quia in reliquis sensibus substantia materialis, non est immediatè sensibilis per se, sed mediis accidentibus, nempè per colorem, saporem, odorem, sonum, &c. ergo neque debet esse in sensu tactus. tum etiā quia vera esset hęc propositio: precisè per accidētia Panis Corpus Christi non esset tangibile, quia in hac sententia tangibilitas panis, non haberetur præcisè per accidentia panis, sed maximè per eius substantiam, quæ nisi miraculosè suppleretur à Deo in Eucharistia: accidētia panis, quę post trāsubstantiationem remanēr, nō possent tangi. quod videtur esse contra sensum Catholicorum, qui totam sensibilitatem tribuunt accidentibus, quæ remanent, & non miraculo.

36 Verum nequæ hæc ratio quidquam probat. Primo in Sententia eorum, qui volunt formalem impenetrabilitatem esse distinctam, nemine cogitante à quantitate, & identificari cum ipsa extensione locali rerum materialium. quare ad argumentum: Iuxta hanc Sententiam, quam nos tuemur, facilè responderi potest negando, sequelam maioris. & ad eius probationem negari minor, ac dici: posita identitate quantitatis cum substantia rei corporeæ, adhuc impenetrabilitatem, quæ est ratio proxima tactus, distingui nemine cogitante à substantia, vtpotè identificata cum actuali extensione in ordine ad locum eiusdem substantiæ. Sed fac impenetrabilitatem identificari cum quātitate. Responderi potest secundo: negando alia via sequelam maioris; & ad eius probationem negari item maiorem, ac dici esse falsum rem reddi formaliter tangibilem per impenetrabilitatem, & quidem in sententia Ouiedi in *Phys. Contro. 15. punct. 12. num. quarto* docētis, quod quātitas actiuè tantū penetrationi resistit per impressionem impulsus, res videtur certa: in aliorum verò sententia dici potest impenetrabilitatem non esse rationem formalem tactus, sed benè rationem prærequisitam ad illam. quod rectè colligitur ex his quæ docet D. Gregorius. *Hom. 26. in Euangelio, vbi sic*: Et corrumpi necesse est, quod palpatur, idest, tangitur, & palpari non potest, quod non corrumpitur. Iam verò si impenetrabilitas esset ratio formalis tactus, id falsum esset, si quidem Cœlum, licet sit incorruptibile, tangi posset vtpotè impenetrabile. quod Sanctus Doctor negat & rectè id quidem. sufficienter enim prouisum est tactus, si dicatur obiectum eius esse primas quatuor qualitates, nec non etiam molliticm, & duriticm. quæ impenetrabilitatem quantitatiuam supponunt, quod si miraculosè daretur ignis quantitate spoliatus, & cum eo se penetrare homo, sicuti fatetur hic auctor, quod huiusmodi ignis ageret in ipsum hominem, ita consequenter fateri debet, quod sentiretur ab illo; alioquin non satis prouisum esset homini à natura, si ita eum constituisset, vt posset quidem damnificari à contrarijs, non autem sentire posset damnum, quod pateretur. 37

Cum ergo simus destituti, præscindendo à mysterio Eucharistiæ, ratione aliqua ad probandum quantitatem pluſquam ratione à substantia rerum corporearum, eorumque accidentibus esse distinctam: mirum est, quod Aristoteles eam sic distinctam esse pluribus in locis affirmet. non obstante quod illo principio identidē vtatur, videlicet nō esse multiplicanda entia sine necessitate.

Pro dissolutione huius difficultatis dico tria. 38
Primum est: Præscindendo à Mysterio Eucharistiæ, non potest lumine naturali cognosci quantitatē esse ex natura rei distinctā ab extensione locali impenetrabili, sed potius dici deberet, quod esset idem realiter cum illa, nomine quantitatis dictam extensionē intelligendo. Probatur, quia in tantum nos inter illa duo distinctionē pluſquam rationis constituimus, inquantum fide constat in Eucharistia Corpus Christi Domini esse quantum, & non esse extensum localiter, neque impenetrabile. ergo, præscindendo ab hoc mysterio, non relinquitur nobis via ad probādum quantitatem, & extensionem localem impenetrabilem esse inter sè pluſquam ratione distincta.

Dico secundo: stando in solo lumine naturę, rectè potest à nobis cognosci extensionem localem impenetrabilē esse distinctam pluſquā ratione à substantia rei corporeę, eiusq; accidentibus.

Probatur: quia experientia constat idem Corpus modo occupare maiorem locum, modo minorem. quamuis autem hoc non habeatur sine deperditione & acquisitione alicuius qualitatis de nouo: facili negotio probari potest non posse extensionem localem impenetrabilem, ab huiusmodi qualitatibus realiter non esse distinctam, sicuti de facto probatur ab illis, qui inter dictam extensionem, ac raritatem, & densitatem, realem distinctionem agnoscunt.

Dico denique tertiò: quoties Aristoteles docuit, quantitatem esse distinctam pluſquam ratione à substantia corporea cæterisque accidentibus eius, loquutus est de quantitate prout existimabat esse eandem realiter cum actuali extensione corporea. neque enim putandum est eum aliter de his duobus philosaphatū esse, quam fuerit philosopharus de substantia, & subsistentia inter quas nullā agnouit distinctionē ex natura rei quā nos ex Mysterio Incarnationis apertissimè deducimus, sicuti ex Mysterio Eucharistiæ dictam distinctionem inter quantitatem, & localem extensionem impenetrabilem inferimus. 39

Vtrum autem etiam ex huiusmodi mysterio rectè deducatur quantitatem esse quoque distinctam realiter à substantia materiali siue corali, sue 40

par-

partis videtur remanere adhuc indecisum quia semper dici potest cum Arriaga, & alijs Deum ad occultandum Eucharistiæ miraculum supernaturaliter operari, ne vna hostia consecrata penetretur cum alia hostia item consecrata, vel etiam cum alijs substantijs corporeis, quo miraculo circumscripto, debere vtique connaturaliter secui compenetrationem eo quod in hostia consecrata non sit substantia panis, cum qua identificari quantitatem, nobis constat ex illo principio: non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

41 Hanc Arriagæ philosophandi rationem multis impugnat Giattinus *articulo primo citato versus finem*. Summa rationis est, quia Deus solum nobis reuelauit post consecrationem sub speciebus panis esse Corpus Christi, & non substantiam panis, non autem se facturum alia miracula. ergo non debemus asserere, Deum hoc aliud miraculo, quo impediatur compenetratio, etiam facere. neq; ratio occultandi mysterium eucharisticum aliquid conducit. Primò quia non reuelauit Deus se nolle, vt nobis pateat hoc mysterium; sed ex natura rei nobis non patet, quia datur ibi quantitas: secundò quia neque nobis admissa penetratione, dictum mysterium pateret: solùm enim euidenter agnosceremus non esse quantitatem; non verò ibi esse Corpus Christi; quare viso priori miraculo, posset quis negare posterius.

42 Sed contra est; & quidem incipiendo ab hoc vltimo, quia quis esset adeò ingenio refractarius, ac concumax, qui si videret species panis, & vini, quæ prius impenetrabiles erant cum alijs corporibus post prolationem verborum consecrationis penetrari cum illis, dubitare posset verba illa fecisse quod significant, & posuisse Corpus, & sanguinem Christi sub dictis speciebus? Licet enim hoc non pateret ad sensum immediatè, pateret tamen mediatè, non minus quam pateat ex ligno factum esse ignem, potius quod videantur in eius materia accidentia ignis. Præterea constanter nego, Deum non reuelasse, se nolle, vt hoc mysterium nobis pateat, & eius occultationem ex natura rei prouenire. Quando enim illud appellauit mysterium fidei, significauit se facturum esse omnia miracula, quæ ad illud nostris sensibus exlandum necessaria erant supponit. Rectè enim Gregorius *hom. 26. in euangelia*. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Quamuis ergo verum sit, quod quantum ad substantiam rei reuelatæ Deus nobis reuelauerit sub speciebus panis, post consecrationem esse solum Corpus Christi, & nõ substantiam panis: tamen quantum ad modum, quo dixit dictum corpus sub speciebus illis manserum, videlicet tanquam mysterium fidei, reuelauit etiam illo penetrabilitatem esse, quæ sequutura connaturaliter fuisset, impedimentum. ex quibus patet nullam etiam esse rationem, quam à priori ad negandum hoc miraculum. Giattinus assignans causam, videlicet quia Deus vt auctor naturæ tenetur non decipere nos; alioquin redderemur incerti de omnibus experientijs, quas naturaliter habemus; atque adeò ne decipiamur, debemus esse certi in experientia de impenetratione Eucharistiæ, quod inter species consecratas detur quantitas panis, quæ est impenetrabilitatis principium. Concesso enim antecedente, neganda est consequentia; ratio negationis est, quia satis nos præmonuimus verbis ipsius Christi, ne illi experientiæ credamus; sicuti etiam ne credamus experientiæ sensuum affirmantium intellectui nostro, potius ibi esse substantiam panis, quam Corpus Christi, dixi iam, verba, quibus nos Christus hac de re admonuit fuisse ea, quibus Eucharistiam fidei mysterium appellauit. Nunc verò, vlteriùs addo, quod etiam si eam sic non appellasset, sufficienter tamen id præstitisset per hoc, quod instituit hoc Sacramentum per modum cibi, ac potus; quia hoc ipso, quod aliquid est manducabile, & potabile necessariò debet esse cum alijs corporibus impenetrabile, alioquin penetrando se cum dentibus v.g. & lingua non posset attrahi faucibus, & in stomacum descendere. Frigida autem est impugnatio, qua auctor hanc responsionem premit dicendo, quod hoc euincit quidem Eucharistiam non debere penetrari cum alijs corporibus, non autem debere calefieri, frigefieri, & pati alias alterationes. Contra enim est euidenter, tum quia si species panis non possent humectari, vtique non possent deglutiri: tum etiam quia de ratione cuiuscumque rei manducabilis, & potabilis est, vt possit alterari, quia debet esse apta ad nutritionẽ, quæ non fit sine alteratione cibi, & potus. Ex quo igitur Christi Caro Eucharistica verè est cibus, & eius sanguis Eucharisticus verè est potus: debet habere necessariò aptitudinem, vt quatenus est sub speciebus alterari valeat.

Iam verò ex toto hoc discursu rectè colligitur, 43
quod etiam si quantitas esset identificata cum substantia rerum corporearum nihilominus Eucharistia ex vi institutionis suæ eodem prorsus modo in ordine ad sensus nostros se haberet, sicuti de facto se habet: eum hac tamen differentia, quod si sit distincta, multo pauciora miracula debeant fieri à Deo ad Christi præsentiam in ea occultandam: Contra verò innumera, si est indistincta; præsertim ea, quæ requiruntur, vt tot accidentia existant sine subiecto; & nullam habendo realem vnionem inuicem, sint coniuncta; & vt ab agentibus naturalibus independenter ab aliquo subiecto multa ex eis producantur; ac ea, quæ sunt contraria productis corrumpantur. quod sine virtute creatiua fieri non posse certum est: ita vt illi, qui distinctionem realem inter quantitatem, & substantiam panis non agnoscunt, velint quod quando approximatur ignis v.g. hostiæ consecratæ reuera nihil in illam agat; sed Deus ad eius præsentiam producat in ea calorem, & siccitatem, independenter ab omni subiecto, idemque asserat de cæteris agentibus naturalibus, quę videntur aliquid in ipsa Eucharistia operari. quæ omnia miracula vitantur, si dicamus quantitatem esse distinctam à substantia, & in ea recipi, ac coniungi cætera accidentia, & agentia naturalia dependenter ab illa tanquam à subiecto educere accidentia, quæ producunt, & expellere ea, quæ corrumpunt. ita vt miraculum solum sit seruare ipsam quantitatem sine subiecto, & sub illa Christum quandiu species consecratæ durant; quo miraculo posito, cætera deinde connaturaliter fiant.

Quare pensatis omnibus probabiliter mihi videtur affirmatiua sententia nimirũ ex mysterio Eucharistiæ etiam colligi quantitatem esse distinctã

pluſ-

plusquam ratione à substantia materiali, siue hæc sumatur inadæquatè pro sola materia, vel pro sola forma, siue adæquatè pro vtraque. Probatur autem hoc duplici ratione, quarum prior est hęc; Quotiescumque videmus aliquod opus miraculosum in mundo fieri: toties si possumus aliqua quæ in eo occurrunt sustinere, quod naturaliter contingant, quatenus vires naturæ non superant: vtique id debemus. Sed in hoc opere miraculoso Eucharistiæ occurrunt multa: nimirum existentia extensionis localis impenetrabilis, coniunctio, & ligamen accidentium, actio agentium naturalium, & cætera huiusmodi, quæ sustineri possunt, quod connaturaliter fiant; ergo ita dicere debemus. Cõsequentia est certa, & maior patet, quia miracula, cum sint veluti vulnera legis naturalis, strictè quãtum fieri potest interpretanda sunt, atque adeò quoties possumus saluare aliquod esse opus naturæ, & non miraculum, vtique id debemus. Minor verò suadetur, quia ad sustinendum quod supradicta connaturaliter fiant duo poni debent: vnum principaliter, nimirum, quod quantitas sit distincta ex natura rei à substantia corporea; alterum minus principaliter, videlicet, quod eadem quantitas sit de se subiectum immediatum cæterorum accidentium, quæ sunt in composito. sed neutrum ex his duobus naturæ vires superat, quo minus naturaliter detur: ergo aliqua, quæ occurrunt in opere eucharistico, quæ ab aduersarijs miraculosa censentur; sustineri rectè possunt, quod connaturaliter fiant. Maior huius est pluspquam certa, & minor expressè conceditur ab Arriaga *loco citato num. 9.* & rectè id quidem: sicuti enim non superat vires naturæ per aduersarios substantia materialis, quæ sit identificata cum quantitate: ita neque easdem vires superabit substantia, quę sit distincta ab ipsa quantitate, & in ea tanquam in subiecto immediato cætera accidentia recipiat.

Dices cum eodem Arriaga *num. 10.* nos ignorare, vtrum substantiæ naturales materiales, quæ de facto habentur, sint prioris generis, an posterioris? cum igitur sustineamus tanquam principium solidum non esse multiplicanda entia sine necessitate, debemus vtique asserere huiusmodi substantias esse prioris generis, & non posterioris. Respondeo, concesso antecedente; negando consequentiam, dico enim haberi à nobis sufficiẽtem necessitatem secundum quid multiplicandi hęc entia. eam autem esse ne tot miracula in Eucharistia multiplicare cogamur. Quamuis enim æqualiter videatur nobis prohiberi multiplicatio entium, ac multiplicatio miraculorum sine necessitate; & siue ad vitandam multiplicationem miraculorum multiplicemus entia naturalia, siue ad euitandam multiplicationem entium naturalium multiplicemus miracula; necessitatem aliquam ad vnum, vel alterum faciendum semper videamur habere; maior tamen est necessitas, quæ, cæteris paribus, nos premit, vitandi miraculorum multiplicationem, quam multiplicationem entium naturalium; quia per miracula derogatur iuri communi, seu naturali, quod non fit per multiplicationem entium naturalium; quare necessitas multiplicandi miracula in Eucharistia debet prævalere contra duo: contra multiplicationem entium, hoc est ipsorum miraculorum, et contra exorbitantiam à lege naturę: at verò necessitas multiplicandi entitates substantiæ, et quantitatis contra vnum, hoc est contra solam entium multiplicationem. ex quo deducitur sufficientem esse necessitatem multiplicandi entia naturalia, negationem multiplicitatis miraculorum: non verò esse sufficientem necessitatem multiplicandi miracula, negationem multiplicationis entium naturalium. Quoniam verò si dicamus quantitatem esse realiter distinctam à substantia rerum materialium, & habere in se virtutem sustentandi reliqua accidentia, multiplicamus entia naturalia: Contra verò si dicamus eam esse à substantia indistinctam multiplicamus miracula: hinc fit, vt debeamus sustinere quod sit distincta. quidquid tandem sit, quod Deus ex vi institutionis Eucharistiæ se obligauerit ad dicta miracula peragenda, si necessitas id postulabit.

Vrgebis primò: hunc discursum valere, quando cętera sunt paria: at verò in casu nostro esse disparia, quia pauca sunt miracula, quę debent fieri in Eucharistia, si comparentur cum multitudine innumera rerum naturalium quæ debent habere quantitatem realiter distinctam.

Sed contra est, quia ex suppositione quod fuerint possibiles duæ species materiæ primę, vna, quæ vel sit identificata cum quantitate, vel saltem exigat habere formas se eum identificatas, altera quæ sit à quantitate distincta, et tales exigat formas habere. Hoc ipso, quod Deus initio mundi se determinauit ad hanc posteriorem speciem materiæ creandam, sufficienter prouidit innumerabili multitudini rerum naturalium; præsertim si sustineamus Deum initio sola quatuor elementa creasse, et ex eis postea cętera corpora produxisse. At verò dicendo, quod se determinauit ad priorem speciem, debemus consequenter asserere, quod innumera miracula quotidie faciat. cum singulæ hostiæ siue de nouo consecrentur, siue postquam consecratæ sunt alterentur, siue demum corrumpatur quamplures miraculosas actiones requirant. Linquo multiplicationem entium naturalium, quam nos ponimus ad pluralitatem miraculorum vitandam non addere, nisi quantitatem distinctam à substantia; contra verò multiplicationem miraculorum, quam debent ponere aduersarij in Eucharistia, si quantitas non distinguitur à substantia importare quam plurima miracula essentialiter distincta, vt satis constat ex dictis.

Vrgebis secundò: si, ne multiplicentur miracula in Eucharistia, dicimus quantitatem esse realiter distinctam à substantia rerum corporearum: sequerentur, quod decretum Dei de facienda Eucharistia debuisset præcedere decretum de creanda quantitate distincta. Sed hoc est absurdum; ergo etc. sequela probatur, quia ad præeligendam hanc potius materiam, quę est distincta à quantitate, quam illam, quę est indistincta, debuisset Deus regulari à decreto Eucharistiæ. minor verò suadetur, quia decretum Eucharistię fuit post præuisum peccatum Adę, atque adeò factum fuit post decretum de creatione mundi, non ergo præcessit. Sed contra est, quia ad faciendum decretum de creanda quantitate distincta, potuit esse sufficiens determinatiuum præuidere, quod, si illud fecisset; casu quo postea se determinasset ad instituendam Eucha-

Digitized by Google

charitatem eam facturus fuisset sine tot tantisque miraculis, quæ facere debuisset, si determinasset creare quantitatem indistinctam. quare nego sequelam maioris, cum sua probatione.

Urgebis tertiò. Ergo quis ad negandum quam plurima miracula posset dare naturis rerum vires aliquas, & facultates, quibus dicat operationes miraculosas naturaliter fieri?

Respondeo negando consequentiam. Aliud enim est multiplicare entia naturalia materialiter, aliud formaliter. Tunc multiplicantur entia naturalia materialiter, quando constat quidem dari in rerum natura multiplicem virtutem formaliter, & dubitatur solùm, verum hæc sit vna realiter, an multiplex, nihilominus tamen asseritur esse multiplex: tunc verò multiplicantur formaliter, quando non constat dari in rerum natura virtutem, seu facultatem, & nihilominus huiusmodi virtus, seu facultas in mundum inuehitur. Iam verò, ad tollendam multiplicationem miraculorum, rationabiliter prior multiplicatio entium naturalium admitti potest; non verò posterior; & ratio disparitatis est, quia prior multiplicatio tendit solùm ad tuendum ordinem naturæ, non autem ad destruendum ordinem supernaturalem; ad quem ordinem destruendum tendit posterior. nam si rationabiliter ad negandam v. g. Resurrectionē mortui esse miraculosam inuehereiur in mundum virtus quædam naturalis, quę mortuos resuscitare posset: ita & ad tollendum quodcumque aliud miraculum inuehi posset similis virtus naturalis; & sic ordo supernaturalis miraculorum penitus excluderetur, quod non accidit, quando constat dari quidem in rerum natura duplicem virtutem, sed ad tollendam nimiam miraculorum multiplicationem asseritur, inter vtramque realem distinctionem intercedere. Adhuc enim remanet locus virtuti supernaturali, quæ nimirum sit supra omnes alias naturales, & se extendat ad id, ad quod illæ se extendere non possint. Porrò in casu nostro multiplicantur entia naturalia materialiter tantùm; constat enim dari in rerum natura substantias rerum materialium, & constat etiam dari in eis principium exigitiuum extensionis localis impenetrabilis, habens virtutem immediatè recipiendi, & sustentandi cætera accidentia, & solùm, cum dubio num ea sint realiter inter se distincta, ad tollendam nimiam multiplicationem miraculorum essentialiter inter se diuersorum, statuitur, quod sint distincta. In quo nullum ordo miraculosus præiudicium patitur.

Atque hæc potest esse vna ratio, qua probetur ex suppositione mysterij Eucharistiæ nobis innotescere quantitatem, prout importat principium extensionis localis, & impenetrabilitatis, nec non etiam recipiendi in se immediatè, & sustentandi reliqua accidentia esse realiter distincta à rerum corporearum substantia.

Altera verò, qua hoc ipsum probetur, sic breuiter proponi posset: Extensio localis Impenetrabilis est modus quantitatis illam determinans ad tantum, vel tantum spatium occupandum. Sed implicat modum existere non existente in rerum natura re, cuius est modus; ergo cum in diuinissima Eucharistia existat extensio localis impenetrabilis quantitatis, prius necesse est in eadem Eucharistia dictam quantitatem existere. atqui fide constat in ea non existere substantiam panis; ergo substantia, & quantitas plus quam ratione inuicem distinguuntur. Omnia quæ in hoc argumento assumuntur, & deducuntur mihi videntur certa, præter maiorem, quæ duas habet partes. Altera est, quod extensio localis impenetrabilis sit modus. Altera verò, quod sit modus quantitatis. Et quidem si prior pars subsistit, posterior videtur esse euidens. Nam si dicta extensio est modus nullius alterius debet esse, quam eius, quod est radicale principium illius, & quod illam immediatè exigit. Sed hoc est quantitas, ergo &c. Prior igitur pars suadetur primò, quia extensio localis impenetrabilis ex solo mysterio Eucharistiæ innotescit nobis distincta à quantitate. Defacto enim, qui hoc mysterium ignorarunt, putarunt eam esse idem omnino cum quantitate. at qui ad hoc mysterium saluandum sufficientissima est modalis distinctio, ergo &c. Secundò quia extensio actualis impenetrabilis nihil aliud debet facere, nisi determinare quantitatem in ordine ad tantum, vel tantum locum impenetrabiliter. Sed ad id præstandum sufficit modalis entitas; ergo &c. Tertiò denique quia extensio localis impenetrabilis est essentialiter actuale exercitium extendi quantitatem localiter, nō minus quam vnio est actuale exercitium vniendi; ita vt ne per absolutam quidem Dei potentiam possit quantitas illam habens redigi in punctum. Sed in hoc consistit essentia entitatis modalis; ergo extensio localis impenetrabilis est modus, quod erat probandum.

Dices primò: Defacto extensio localis partis conuexæ Cæli Empyrei non excludit actu aliquod aliud corpus à loco, quod ab ipso Cælo Empyreo occupatur; ergo falsum est, quod huiusmodi extensio sit actuale exercitium extendendi impenetrabiliter quantitatem. Consequentia patet. Antecedens suadetur, quia immediatè post partes conuexas Cæli Empyrei sunt spatia imaginaria, quæ à nullo corpore occupantur, cui sua impenetrabilitate resistat cælum; ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens; extensio actualis Empyrei non excludit actu aliquod aliud corpus, actualitate se tenente ex parte corporis, quod excludatur, concedo: actualitate se tenente ex parte sui, nego antecedens; & consequentiam, ad cuius probationem dico: ad verificandum, quod extensio localis impenetrabilis cæli Empyrei sit actuale exercitium excludendi aliud corpus, non est necesse, vt existat corpus, quod actu excludatur, sed sufficit, si, ea existente, implicet cælū Empyreū esse penetrabile cū alio corpore posito, quod existat. sic in sententia eorū, qui volunt naturam subsistentem per propriā substātiam non posse subsistere per alienam: subsistentia propria quamuis sit entitas modalis, atque adeò actuale exercitium excludendi subsistentiā alienā nam natura: non pendet tamen ab eo, quod actu existat aliena subsistentia, quam excludat, sed etiam si nulla existeret; ipsa tamen suam modalem essentiam retineret.

Dices secundò. Si quis assereret quantitatem iden-

identificari cum accidentibus materialibus, eluderet hoc argumentum, quia actualis extensio in Eucharistia non existeret sine sua quantitate, cuius est modus; at qui hoc asseri potest sine absurdo: ergo &c. maior patet: minor probatur: quia si non posset, maximè quia videmus formas accidentales materiales inuicem compenetrari. Sed hæc experientia conuincit solùm formas accidentales posse compenetrari cum alijs formis diuersæ speciei v. g. calorem cum albedine, dulcedine, & similibus; non autem cum alijs eiusdem speciei v.g. calorem cum alio calore. hoc autem sufficit ad saluandam impenetrabilitatem formarum accidentalium; ergo &c.

Respondeo: concessa maiore; negando minorem, ad cuius probationem concessa item maiore, negat minorem Comptonus *disp. 9. met. tex. 3.* ad cuius falsitatem conuincendam dicit primò plurimos ex aduersarijs admittere intensionem qualitatis fieri per gradus omnino homogeneos, atque adeò solo numero distinctos. Sed ad hoc dici potest, in sententia aliorum gradus esse heterogeneos. ait secundò duas species visibiles, numero tantum diuersas, esse posse in eadem parte aeris, & oculi, atque adeò inter se penetrari. Addit denique tertiò dari in oculo duas visiones duorum obiectorum numero distinctorum, & visionem directam, & reflexam eiusdem obiecti, quę omnia differunt solo numero. Sed ad hęc dici potest, species, & visiones, reliquosque actus vitales esse accidentia intentionalia: aduersarios autem loqui de realibus, prout ab intentionalibus distinguuntur. Præterea esse accidentia respectiua dicentia ordinem, seu respectum ad obiecta, sicuti sunt relationes, quæ ideo possunt numericè in eodem subiecto multiplicari. aduersarios autem loqui de accidentibus absolutis, vt de calore, frigore, &c. Quare melius responderetur: quod licet experientia constet plures formas accidentales reales absolutas eiusdem speciei non posse inuicem penetrari: negandum tamen hoc sufficere ad saluandam impenetrabilitatem propriam quantitatis. quod probo ex eo, quia si sufficeret posito quod duo darentur corpora, quæ nō haberent formas accidentales numero distinctas, sed tantùm specie; sequeretur quod deberent dicta corpora inuicem penetrari; eo quod deesset respectu illorum impenetrabilitas quantitatiua posita ab aduersarijs. Sed hoc est absurdum; ergo non potest dici impenetrabilitatem quantitatiuam identificari cum accidentibus per ordinem ad alia accidentia eiusdem, & non diuersæ speciei. Sequela maioris ex doctrina aduersariorum patet; minor verò suadetur, quia sic non posset assignari, cur elementa dissimbola non penetrarentur inuicem. ea enim carent qualitatibus eiusdem speciei, vt de se patet. falsum igitur est sufficere impenetrabilitatem prouenientem ex qualitatibus numero distinctis ad saluandam quantitatiuam impenetrabilitatem. Ratio autem à priori, cur non sufficiat est, quia dictæ qualitates sunt impenetrabiles per accidens, in quantum scilicet, vendicant sibi semper subiecta numero distincta, quæ sunt per se impenetrabilia, quod quia non habent qualitates distinctæ specie, ideo hæ apparent penetrabiles. illæ verò minimè.

Dices denique tertiò extensionem localem impenetrabilem, quæ in speciebus Eucharisticis cernitur, non esse illam, quæ profluebat à quantitate panis, & vini, sed aliam essentialiter diuersam, similem illi, quam haberet substantia materialis spoliata extensione à quantitate procedente, quando Deus vellet illā conseruare in spatio diuisibili, & impedire in genere efficientis, ne penetraretur cum alio corpore. sed sic dicendo nostra ratio corruit: ergo &c.

Respondeo negando antecedens, quia cum non habeamus vllum iudicium id asserendi, temere discurremus, eademque temerarium posset dicere cætera accidentia prout non remanere in Eucharistia, sed Deum in genere efficientis supplere in ordine ad sensus nostros totum id, quod ipsa accidentia facerent. quod nullo modo dicendum esse constabit ex alibi disputandis.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur argumenta contraria.

OBijcies primò. Potentia, quam habet ignis ad producendum in se calorem, non distinguitur realiter à substantia ignis, quamuis distinguatur realiter ab ipso calore. idem dicendum de potentia, quam habet aqua ad producendum in se frigus, sic etiā potētiæ vitales distinguuntur realiter à suis actibus, non autem à substantia animæ, vt arguit Arriaga *num. 9.* sed quantitas est potentia, quam habet substantia quanta ad producendam in se extensionem actualem impenetrabilem. ergo quantitas non debet distingui realiter ab ipsa substanita quanta.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem. Si enim quantitas esset potentia, esset in specie qualitatis, & non constitueret distinctum prædicamentum ab illa, quod falsum est. Dico igitur quantitatis essentiam consistere in eo, quod si substantię communicetur, tribuat illi tamquam effectum suum formaliter primarium quandam peculiarem ordinationem partium, quæ cum non possit à nobis explicari, prout est in se, explicatur per aliquid à posteriori, nimirum per hoc, quod exigat proximè extensionem localem impenetrabilem. Quoniam verò argumentum adhuc potest instaurari, si dicat aduersarius se non facere vim in eo, quod quantitas sit formaliter potentia; sed in eo tantùm: quod est radix, & principium immediatum localis extensionis. quemadmodum potentia calefactiua, quæ ignis producit in se calorem, est radix, & principium immediatum ipsius caloris: vnde sicuti hæc potentia, & quæuis alia similis non distinguitur à substantia, cuius est potentia: ita non est, cur quantitas distinguatur à substantia, cuius est quantitas: Ideo nego consequentiam, & paritatem. Disparitas inter quantitatem, & huiusmodi potentias constare potest ex dictis, quia ad ponendam in igne potentiam calefaciendi se reperiret distinctam à substantia ignis, nullum haberemus supernaturale mysterium, quod nobis id foret. vnde cum nulla etiam appareat in rerum natura necessitas multiplicandi huiusmodi entitas

Digitized by Google

debemus asserere eam realiter identificari, at verò ad constituendam quantitatem realiter distinctam à substantia, habemus fundamentum in mysterio Eucharistiæ. Vtrum autem ex eodem mysterio colligatur, quod in elementis potentia reducendi se ad pristinum statum primarum qualitatum, ab eorum substantia distinguatur, videbimus cum de primis qualitatibus elementorum in lib. de Generatione.

Objicies secundò ex Lynceo *lib. 3. metaph. tract. 4. cap. 3.* Duo Angeli sunt penetrabiles naturaliter in eodem loco: at non per aliquod accidens absolutum, quod sit principium penetrabilitatis suæ superadditum eorum substantijs. ergo neque duo corpora quanta erunt naturaliter impenetrabilia per aliquod accidens absolutum, illorum substantijs superadditum, quod sit principium impenetrabilitatis eorum. Antecedens patet, consequentia suaderur à fortiori, quia impenetratio est mera negatio, penetratio verò est quid positiuum. implicat autem plura esse necessaria ad negationem ponendam, qnam ad ponendum ens positiuum.

Respondeo, quod si hoc argumentum, aliquid suaderet: probaret etiam, quod forma, per quam corpora redduntur formaliter, & proximè impenetrabilia, non sit aliquod ab eorum substantia distinctum, quemadmodum neque forma, per quã redduntur Angeli proximè, & formaliter penetrabiles, est ab illis distincta. Quod tamen falsum esse patet ex mysterio Eucharistiæ, in quo videmus Christi Domini Corpus realiter existere, & tamen carere dicta forma. Ad argumentum igitur concesso antecedente, nego consequentiam. Ad cuius probationem dico: impenetrationem quantitatiuam non importare meram negationem penetrationis, sed positiuam repugnantiam, quam in se habent corpora, ne simul occupent idem spatium; in quo sensu certum est esse aliquid positiuum. Contra verò cum duo Angeli in ordine ad penetrandum se inuicem dicta positiua repugnantia careant, sequitur, quod eorum penetratio, pro vt carentiam dictæ repugnantiæ includit, sit aliquid negatiuum. Vnde neganda est in hoc sensu maior. quod si loquatur de impenetratione, prout dicit meram negationem duplicis præsentiæ in eodem spatio, & de penetratione, prout dicit duplicem præsentiam item in eodem spatio: dico non esse absurdum, quod plura requirantur ad illam negationem inducendam, quam ad hoc positiuum, quia illa inducitur à forma positiua repugnante, hoc autem à negatione dictę formę. sic ad habendam simultaneam existentiam duplicis formæ accidentalis in eodem subiecto, sufficit negatio positiua oppositionis in dictis formis: ad habendam verò negationem simultaneæ existentiæ, sępè requiritur positiua oppositio in dictis formis: et tamen simultanea existentia est positiua. contra verò eius negatio.

Objicies tertiò. Si quantitas non identificaretur cum accidentibus, sed esset subiectum illorum: non posset, denominare accidentia quanta; sed denominat; ergo etc. maior probatur, quia omnis denominatio sumitur à forma.

Respondeo negando maiorem: ad cuius probationem, nego vniuersaliter assumptum, vt patet ex forma, quæ dicitur materiata, seu sustentata, quamuis neque materia, neque substentatio sint formæ respectu illius. quod si non sit sermo de vera forma physica, sed de eo, quod in denominatione se habet vt perfectiuum: dico quantitatem in denominandis accidentibus quantis, et impenetrabilibus se habere, vt formam respectu illorũ, quia ea est, quæ huiusmodi denominationes illis tribuit.

Objicies quartò. qualitas non sit intensa per aliquod accidens à se distinctum. ergo neque substantia materialis, neque qualitates eius fiant extensa per quantitatem à se ipsis realiter distinctam.

Respondeo negando consequentiam. ratio negationis affertur ab Albertino *in prædicamento quantitatis disp. 3. quæst. 2. num. 14.* quia scilicet intensio est de intrinseca perfectione qualitatis; extensio autem est substantiæ materiali eiusque accidentalibus extrinseca perfectio, vnde est, quod earum partes extrahat, & vnam ponat extra aliã.

Objicies quintò. substantia addita raritate fit magis quanta; ergo quantitas identificatur cum raritate.

Respondeo negando antecedens, substantia enim per additionem raritatis fit solùm magis extensa in ordine ad locum; non autem magis quãta, et quidem connaturaliter tantùm; nam de cætero Corpus Christi in diuinissima Eucharistia est rarum in aliquibus partibus, in alijs verò densum: et tamen non est ibi extensum localiter. ex quo deducitur actualem extensionem in ordine ad locum distingui etiam ex natura rei à raritate, et densitate.

Objicies sextò. si quantitas distinguitur à materia, initio creationis, vel fuit producta in materia extensa, vel inextensa. neutrũ dici potest: ergo etc. Maior patet, quia inter materiã extensam, vel inextẽsam nõ datur mediũ. Minor verò probatur. non enim dici potest primum, quia iam materia non esset quãtitate: neque secundum, quia quãtitas in re indiuisibili producta fuisset. ergo etc.

Respondeo: hoc argumentum propriè habere vim contra actualem extensionem quo ad locum, in nostra sententia, non autem contra quantitatẽ ipsam. quare concessa maiore, nego minorem: dico enim extensionem illam fuisse productam in materia extensa quidem realiter per ipsam extensionem. at inextensa formaliter, pro priori naturę, pro quo tanquam causa materialis illam intelligitur præcessisse, in materia, inquam, inextensa, non quidem negatiuè, quasi verò negationem extensionis in eo priori habuerit, sed præcisiuè solùm, in quantum non intelligitur extensa illo priori.

Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMANONA

DE COMPOSITIONE CONTINVI.

NOmine Continui venit omne id, quod constat ex partibus integralibus inter se vnitis, extensionem aliquam facientibus, siue demum hæc extensio sit in ordine ad se, siue in ordine ad locum; siue permanens, siue successiua; siue rei materialis, siue spiritualis, siue denique substantiæ, siue accidentis. Quamuis enim hoc loco principaliter agamus de compositione quantitatis; quia tamen, quantum ad hoc, cætera, quæ diximus, cum illa conueniunt: quidquid de ea specialiter dicendum erat, melius ad vniuersum genus continuorum applicandum videtur. illud interim notando quod, cum extensio localis rerum materialium sit continuum quoddam, maximè omnibus nobis notum, ab illa præsertim exempla, & argumenta ad nostras sententias confirmandas eruemus. quod alij quoque faciunt, dum de continui compositione disputant. Quidquid verò de ea statuitur, De reliquis continuis intelligendum erit.

SECTIO PRIMA.

Vtrum continuum componatur ex solis indiuisibilibus.

1 PRo decisione notandum. Indiuisibile quantitatiuum esse duplex. Alterum physicum: Alterum mathematicum. Physicum est, quod licèt partes habeat; tamen in eas propter nimiam paruitatem diuidi naturaliter nequit: quamuis possit diuinitus; Mathematicum verò est illud, quod cum nullas habeat partes, ne per absolutam quidem Dei potentiam, potest in eas diuidi: & hoc propriè opponitur rei diuisibili, atque de eo nobis sermo est in præsentia, dum quærimus, num quantitas ex indiuisibilibus componatur; quoniã verò res aliqua secundùm tres dimensiones concipi potest diuisibilis; scilicet secundùm longitudinem, secundum latitudinem, et secundùm profunditatem, quę trina dimensio collectiuè accepta facit corpus quantum: indiuisibile autem mathematicum negationem alicuius dimensionis necessariò importat: hinc fit, vt huiusmodi indiuisibile sit etiam triplex. Primum dicitur punctum, quod cum careat omnino partibus, secundum nullam dimensionem est diuisibile. Secundum linea, quæ est longitudo latitudinis, ac profunditatis expers, atque adeò diuisibilis solum in longum. Tertium superficies, quę licet secundum longitudinem, & latitudinem diuisibilis sit; habet tamen negationem profunditatis. ex quo deducitur, quod linea, et superficies, secundum eam tantùm rationem existimanda sunt esse indiuisibilia mathematica, secundum quam non admittunt diuisibilitatem: Secundum verò, eam secundum quam diuisibilia sunt, rationem quantitatis physicę habere ne dubita: quę cum ita sint: idem est in præsentia quærere, an quantitas componatur ex indiuisibilibus, ac an linea cõponatur ex partibus, quæ ne secundum lõgitudinem quidem diuisibiles sint in infinitum, atque adeò constet ex solis punctis iuxta se positis, et an superficies ex solis lineis, ac denique an corpus ex solis superficiebus. Affirmat hoc Zeno, quem sequuntur Pitagoras, Democritus, Leucippus, et Scoicorum grex. negat verò Aristoteles *6. Physic. & lib. de lineis insecabilibus*, et sæpè alibi docens, quamlibet partem assignabilem in continuo semper esse vlterius, et vlterius in infinitum diuisibilem; ita scilicet vt numquam possit aliquis eam diuidendo, peruenire ad aliquod indiuisibile mathematicum.

Nostra conclusio est cum Aristotele, quem sequuntur communiter Philosophi, atque Theologi locis citatis à Recentioribus probari autem solet dicta conclusio argumentis partim physicis, et partim mathematicis. Et physicis quidem probatur dupliciter. 2

Primò *ex 6. physic. text. 1. & 2. sic*: Punctum additum puncto non facit extensionem, ergo quantitas non componitur ex indiuisibilibus. Consequentia patet, nã si ex indiuisibilibus constaret, corpus mathematicũ in pũcta vltimo resolueretur. Antecedẽs probatur, quia si duo pũcta faciunt extensionẽ, vel ita faciunt, vt aliquid inter ea intercedat: vel vt nihil intercedat: primum dici nequit. tum quia sic non facerent continuationem, vnum enim distaret ab alio: tum etiã quia de eo, quod intermediat, recurrit quæstio, num diuisibile sit, an indiuisibile? Si secundum dicatur, scilicet nihil intercedere: vel ea, sunt simul in eodem prorsus loco: vel vnum est immediatè post alterum. si simul, ergo cum vnum non sit extra alterum, non poterit cũ illo facere extensionem. Si vnum est immediatè post aliud: vel copulantur communi termino, et sic non sunt indiuisibilia, quia præter se ipsa habeant terminũ communẽ: vel vnũ tangit aliud, et hoc neq; quia, vel illud tangit secundũ se totũ, vel secundũ partẽ, nõ secundũ partẽ, alioquin nõ esset omnino indiuisibile, sed constaret ex partibus, de quibus rediret difficultas, an essent indiuisibiles. ergo secundum totum; sed eà, quę se tangunt secundum se tota adęquatè penetrantur; ergo punctum additum puncto non facit extensionem. Iam verò hoc argumentum contra partes diuisibiles 3

in

in infinitum non habere vim, sic ostendo: nam partes lineæ v.g. ita faciunt extensionem, vt inter illas aliquid intercedat nimirum punctum, in quo tanquam in communi termino se virtualiter tangunt. idemque dicendum de partibus superficiei, inter quas intercedit linea, & de partibus corporis, inter quas intercedit superficies. vnde in hac sententia partes diuisibiles ratione sui neque adæquatè, neque inadæquatè se penetrant, quia se virtualiter tangunt, seu continuantur beneficio eiusdem indiuisibilis, quod est finis vnius partis, & principium alterius.

4 Dices principium illud: Quod ea, quæ se tangunt secundum se tota, adæquatè penetrantur ad inuicem, verum esse loquendo de corporibus habentibus partes extra partes. ex quibus posteriores non possunt se tangere cum prioribus, nisi compenetrentur cum partibus intermedijs; cum autem puncta supponantur omnino indiuisibilia, vtique poterunt se tangere secundum se tota, absque eo quod inuicem penetrentur; sufficit enim quod secundùm se tota contigua sint.

Sed contra est primò, quia duo penetrari ad inuicem adæquatè nihil aliud importat, quam esse in eodem prorsus loco. at qui hoc ipso, quod se tangunt secundum se tota, iam sunt in eodem prorsus loco; alioquin si vnum non est in loco alterius, quomodo tanget illud secundum totum? profectò aliquid illius minimè tangatur necesse est, videlicet illud, ad cuius locum aliud minimè se extendit, ergo principium illud: quod ea, quæ se tangunt secundum se tota, adæquatè penetrantur ad inuicem, vniuersaliter verum est; siue sermo sit de rebus habentibus partes extra partes, siue indiuisibilibus.

5 Contra est secundò, quia hoc ipso quod intellectus attingit intentionaliter aliquod obiectum secundum se totum, non potest illud obiectum non esse intentionaliter in ipso intellectu secundum se totum; ergo à pari, hoc ipso, quod vnum indiuisibile tangit realiter aliud secundum se totum, neq; poterit indiuisibile tactum non esse realiter in illo secundum se totum; sed hoc fieri nequit absque eo, quod sit in loco ipsius ergo &c. Contra denique tertiò quia malè dicitur, quod ad saluandum duo indiuisibilia adæquatè se tangere, sufficiat quod adæquatè sint contigua: explicatur enim idem per idem, nam vox illa contigua deducitur à continuo, quod idem significat, ac tango me cum alio,

6 Dices iterum. Si non possent duo puncta se tangere absque eo, quod se compenetrarent. malè Clauius *in scholio propos. 16. lib. 3. Elementorum* demonstraret contra Peletarium, quod contactus lineæ rectæ cum circulari esset quantitas; sed hoc non est dicendum, ergo &c. Sequela probatur, quia circulus supra rectam lineam constitutus, eâ non nisi in puncto contingit. ergo, si punctum lineæ, & punctum sphæricì se penetrarent, iam eorum contactus, non esset quantitas: Sed est quantitas; ergo non se penetrant.

7 Respondeo: distinguendo sequelam: sequeretur quod malè Clauius demonstraret, quod contactus lineæ rectæ cum circulo esset quantitas; loquendo de contactu effectiuè accepto, nego; si loquamur de contactu formaliter considerato, concedo sequelam. & sic distincta minore; nego consequentiam. dico enim, quod quando Clauius contra Peletarium probat contactum circuli cum linea recta esse quantitatem, loquitur de angulo contingentiæ, qui efficitur ex illis lineis de tangentibus in puncto spatij per hoc, quod punctum vnius penetrat se cum puncto alterius; non verò de ipso contactu formaliter sumpto, quatenus præcisam iuncturam dictarum linearum importat. atque hæc pro prima ratione.

Probatur secundò *ex 6. Physic. à tex. 21.* in hunc modum: si linea constaret ex punctis: sequeretur: quod mobile tardissimum eodē prorsus tēpore, ac velocissimum, æquale spatium percurreret; quod sic ostendo: sint duæ lineæ viginti punctorum v. g. super quarum alteram mobile tardissimum: super alteram verò velocissimum simul se mouere incipiant: tunc peto, pro eo tempore, pro quo velocissimum mobile acquirit vnum punctum spatij, tardissimum, vel se mouet, vel non se mouet. Secundum dici non potest: supponimus enim ambo se simul mouere continuè: ergo primum; deinde sic, vel acquirit per talem motum aliquid maius puncto, vel minus, vel punctum tantum, quemadmodum supponimus velocissimum acquisiuisse: non primum, velocius enim mobile tardissimum, velocissimo se moueret: neque secundum, quia non datur aliquid minus puncto; ergo tertium. cum igitur non sit maior ratio de acquisitione vnius puncti, quam cæterorū: sequitur quod eodē prorsus tempore spatium viginti punctorum mobile velocissimum, & tardissimum percurrerent. Plures responsiones huic argumento adhibere conantur aduersarij, quos expendere necesse est in sequentibus sectionibus; igitur. 8

SECTIO SECVNDA.

Expenditur prima responsio.

9 REspondet primò Ouiedus *in physic. contr. 17. puncto 9. §. 1. num. 2.* argumentum contra ipsum Aristotelem retorquendo sic. Ponamus quod spatium, quod Aquila percurrit vno quadrante, Testudo integrum mensem insumat ad illud percurrendum: Tum sic: tot partes spatij percurrit Aquila, quot Testudo, & tot partes habet motus vnius quot alterius. vtriusq; denique motus est continuus, & non interruptus. Vnde ergo habent partes motus Aquilæ, vt correspondeant quadranti, minimè verò partes omnes motus Testudinis; sed integro mensi respondent? Subdit postea Ouiedus: Peripateticos hanc instantiam soluere, dicendo, quod, cum vnum infinitum non sit maius alio; hinc fiat, vt quamuis partes motus Aquilæ, & Testudinis sint æquales, nihilominus tamen partes motus Aquilæ congruant cum quadrante. Partes verò motus Testudinis cum mense. Contra quod sic ipse insurgit; quia licet verum sit vnum infinitum formaliter acceptum non esse maius altero: Falsum verò, si materialiter consideretur; alioquin cum quadrans horæ sit pars mēsis, pars esset æqualis toti, quod repugnat.

10 Verum quamuis ego non inficiar Aristotelicos contra hoc argumentum se tueri per diuisibilita-

tem

tem in infinitum eiusçumque partis, quantumuis minimæ, siue motus, siue spatij percurrendi, ad quã non possunt recurrere Zenonistæ, qui omne continuum ex indiuisibilibus putant esse conpositum. Dico tamen eos vlteriùs ad solutionem addere; quod licet tam sit diuisibilis in infinitum in partes proportionales quadrans; quam mensis; semper tamen partes proportionales mensis, maiores sunt partibus proportionalibus quadrantis. Vnde sit, vt saluetur, quomodo pars non sit æqualis toti, vt patet: vlteriùs autem sic euincitur ab ijsdem etiam saluari, quomodo partes motus Aquilæ sint æquales quadranti; Testudinis verò mensi, quamuis vtriusque motus partes proportionales æquales sint inter se. Ponamus quod Aquila sit millies velocior testudine; tum sic: in eadem mensura temporis, in qua Aquila millesimam partem spatij assignati percurrit; Testudo, quia est millies ea tardior, millesimam illius millesimę partis ab Aquila superatæ pertransiet, siquidem illa pars millesima spatii ponitur à nobis diuisibilis in partes minores, & minores in infitum. non est igitur mirum, si motus vtriusque sint æquales, vtpote percurrentes eandem numero distantiam. & tamen totus motus vnius correspondeat quadranti, alterius verò mensi. Porrò hanc responsionem adhiberi non posse à Zenonistis est euidens. nam posito quod spatium percurrendum constet mille indiuisibilibus; pro ea mẽsura temporis, pro qua Aquila millesimam partẽ superat, non poterit Testudo superare minorem, quia illa iam est indiuisibilis. ergo si mouetur, superabit æqualem; cum autem hoc idem dici debeat de cæteris nongentis nonaginta nouem partibus illius spatij, apertè sequitur in sententia Zenonistarum, quod mobile tardissimum eodem prorsus tempore, ac velocissimum idem, vel æquale spatium pertransiret.

SECTIO TERTIA.

Expenditur secunda responsio.

11 REspondent alij secundò: quod ideo indiuisibilia mobilis velocioris maius spatium eodem tempore percurrunt, quam indiuisibilia tardioris, eo quod saltent ab extremo ad extremum, non transeundo per medium; quod ita explicant: sit cursor velocissimus cõstans quatuor punctis, A. B. C. D. hic in eodem instanti acquiret spatium quatuor punctorum sibi immediatum. E. F. G. H. tardissimus verò eiusdem magnitudinis cursor vnum tantùm indiuisibile spatij de nouo acquiret in illo instanti, & tria veteris retinebit. cæteri verò cursores medij, qui neque velocissimi sunt, neque tardissimi, vel tria, vel duo indiuisibilia spatij de nouo in vno instanti temporis acquirent, pro vt ad velocissimum, vel ad tardissimum, plus, minus accedent.

12 Quod si ab his auctoribus quæras: quo modo, indiuisibile A. cursoris velocissimi possit in vnico instanti transire ad spatium E. non obstante quod immediatè ante transitum, fuerit per tria indiuisibilia, videlicèt per B. C. D. distans à dicto spatio: Respondent ideò esse, quia iam medijs illis tribus indiuisibilibus dictis, cum quibus faciebat continuationem, erat applicatum illi spatio E. ad eum planè modum, quo partes agentis remotiones passo sufficienter intelliguntur applicari passo ad agendum immediatè in illud, mediis partibus proximioribus eiusdem agentis.

Contra hanc responsionem insurgit Ouiedus 13
n. 9. sic: vel applicatio mobilis ad spatium acquirendum debet esse in eodem instanti reali, in quo mobile acquirit spatium cum prioritate solùm naturæ, vel debet esse in instanti præcedente temporis cum prioritate reali. neutrum saluat hunc motum instantaneum mobilis velocissimi, ergo &c. maior patet; minor probatur. non primum, quia sic indiuisibile A. non intelligeretur, ne mediatè quidem applicatum spatio E., siquidem in eo instanti, in quo mouetur, cum ponatur moueri simul cum cæteris indiuisibilibus antecedentibus nempè B. C. D., medijs quibus facienda est applicatio; hæc indiuisibilia tunc verè non sunt in spatio intermedio, sed sunt in spatio consequenti, quod acquirunt. Neque secundum, quia antecedenter ad motum indiuisibile A. non occupat spatium E. ergo indiuisibile B. non est tunc applicatum spatio F. neque indiuisibile C. spatio G. neque indiuisibile E. spatio H. quod spatium in instanti subsequenti debent occupare.

Verum ad hoc facilè responderi potest ab ad- 14
uersarijs: pro vltimo indiuisibili A. sufficere applicationem in instanti antecedenti habitam ad spatium D. medijs prioribus indiuisibilibus, cum quibus continuatur; pro penultimo verò, & alijs duobus, præter dictam applicationem immediatam totius mobilis ad totum spatium, necessariam etiam esse applicationem in eodem instanti, quo mouentur ad sua spatia particularia pro priori naturæ ad eorum acquisitionem habendam. Ratio disparitatis esse potest, quia id, secundum quod mobile incipit primo moueri, est vltimum indiuisibile, quod magis distat à spatio acquirendo. cum igitur indiuisibile A. sit vltimum, quando primo mouetur, non potest præsupponere in aliquo priori aliquod aliud indiuisibile ante ipsum acquisisse iam spatium suum. Contra verò indiuisibile B, in eo instanti, in quo acquirit spatium F. præsupponit in priori naturæ indiuisibile A., à quo incipit motus, esse in suo spatio E. & per hoc intelligitur sufficienter approximatum ad acquirendum ipsum spatium F., quod iam acquirit in signo posteriori naturæ. Propter eandem autem rationem in eodem signo posteriori intelligitur approximatum indiuisibile C. suo spatio G. quod 6
iam acquirit in tertio signo naturę, in quo cum intelligatur approximatum indiuisibile D. suo spatio H. hinc fit, vt in quarto signo naturæ hoc indiuisibile intelligatur occupare ipsum spatium H.

Iam verò hanc responsionem nulla alia ratione, 15
impugnat Ouiedus, nisi quod ea inducat applicationem quamdã chymericam, partim præteritam, partim præsentẽ, quam ex proprio cerebro ad fugiendã vim arguméti, respondẽs sibi confingit. Sed ego iam rationẽ à priori disparitatis assignati, cur vltimum indiuisibile solam approximationẽ in instanti antecedenti requirat, cætera verò in eodem instanti, in quo sua spatia consequatur. Disparitatem autem, quę adducendo rationem, affertur, ne-

que

quo hymeries existimenda est neque ex propria
cendo nõsita, aliquin, sm Gotteani modi adm-
usta solutio de qua paulò post talis habenda est.

16 Hac igitur Quaedi impugnatione posthabita, bissimam prædictam responsionem impugno. Primò quia tribuit virtutem quandam rebus naturalibus quam nullus sine exanclquit sive ex rationibus phylosophis in eis agnoscit, quæ consibilis in eo, quod possint ab vno extremo in aliud diduari se transferre, non transeundo per medium non communicans. Quam quidem virtutem quidam aliqui Theologi concedant Angelis: multi tamen illam eis penegant. Quoniam verò hoc facit eius aduersarij, quia aliter non possunt continui compositionem ex indiuisibilibus sustinere; quia eorum sententia sit absurda, & ruinosa, quę tali sustentaculo nititur, manifestè deducitur.

17 Impugnatur secundò, quia si vera esset: sequerebus, quod in Aquila volatu nos videremus illa, aequè primò relinquere, totaliter spatium, in quo est, ac acquirere simul & totaliter spatium sibi sequens sibi immediatum; sed hoc est manifestè contra experientiam, qua cernimus eam per partes relinquere spatium, in quo est, & per partes acquirere spatium immediatum, ad quod mouetur; ergo hęc responsio de motu simultaneo pluriumindiuisibilium corporis velocissimi non procedit. minor, & consequentia patent; sequela verò suadetur, quia si verum est, quod cursor quatuor punctorum ob summam velocitatem in eodem instanti relinquit totum spatium sibi æquale, quod prius occupabat, & acquirit aliud immediatum; hoc idem dicendum erit, quod faciat cursor mille punctorum; & hoc idem, cursor centum millia punctorum, cuiusmodi supponimus esse Aquilam.

18 non enim maior ratio huius rei assignari potest.

Dices primò, hoc ipso, quod cursor constat pluribus punctis, quam quatuor, non potest simul se transferre in spatium immediatum sibi æquale, quia vnum indiuisibile summè velox non potest, nisi tria puncta spatij saltando præterire. Sed contra est primò, quia sicuti vltimum punctum A. cursoris constantis ex quatuor punctis intelligitur, mediis tribus antecedentibus B. C. D. debitè approximatum spatio E. quod est primum indiuisibile loci acquirendi, ita et vltimũ indiuisibile cursoris constantis mille punctis, debet intelligi medijs nongentis nonaginta nouem punctis debitè applicatum ad primum indiuisibile spatij mille punctorum, immediatè post acquirendi. Si qua enim esset disparitas, maximè quia, ad hoc posterius requireretur maior velocitas, sed hoc est falsum, si loquamur de maiori velocitate intensiua: si autem de maiori extensiua est verum, & habetur in casu nostro, vt constat exemplo agentium naturalium, quæ in quamcumque sint magnitudine hoc ipso, quod partes remotiores mediis proximioribus sũt debitè applicatæ ad agendum, agunt simul cum illis in quacumque maxima distantia: etiam si sit centum millia milliariorum. atque hoc quidem exemplum eò censeri debet efficacius, quia illo vtuntur aduersarij, vt vidimus, ad probandam applicationem medijs indiuisibilibus præcedentibus sufficere, vt consequens indiuisibile possit saltando suum spatium sibi vendicare.

19 Contra etiam est secundò: quia si verum esset, quod indiuisibile cursoris velocissimi non posset, nisi tria puncta spatij saltando præterire sequeretur, quod cursor velocissimus in eadem mensura temporis non posset superare cursorem quantumuis tardissimũ, nisi proportione quadrupli: ita videlicet, vt si in hoc quadrato tardissimum mille indiuisibilia percurrat, velocissimum non possit amplius, quam quatuor mille percurrere, sed hoc est euidenter falsum, non possit ex cursu solis in eadem enim mensura temporis, in qua ipse plus quam centum millia milliariorum conficit, Testudo vix vnum digitum spatij pertransire potest; ergo &c. Probo sequelam: pro eo instanti, pro quo indiuisibile A. cursoris velocissimi saltat tria indiuisibilia spatij occupati ab indiuisibilibus B. C. D. & occupat quartum, quod est E. indiuisibile A. tardissimi non quiescit in hac sententia, non agnoscente motum, sed acquirit vnum indiuisibile spatij immediatè sequentis: ergo pro quolibet instanti, pro quo tardissimum acquirit vnum indiuisibile, velocissimũ acquirit tria ergo cũ in mille instantibus tardissimũ pertransierit mille indiuisibilia, velocissimũ non poterit, nisi quatuor millia pertransire, quod esse manifestè falsũ nemo non videt.

Dices secundò: non supposuisse in argumento Aquilam esse velocissimam omnium in cursu, & ideo inculisse, quod deberemus eam cernere simul relinquere totum spatium, in quo antea erat, & simul acquirere totum spatium subsequens. Sed falsum esse suppositum patet ex primo mobili, quod est multo velocius ipsa Aquila. 20

Sed contra est primò, quia doctrina plurium ex aduersarijs est primum mobile esse ita velox in motu, vt non possit dari aliud corpus illo velocius. Tum sic: In hac sententia tale primum mobile deberet vnico instanti totam suam circulationem se mouendo complere; quia ex vna parte est velocissimum omnium: & ex alia est debitè applicatũ secundum singulas partes consequentibus partibus spatij. Contra etiam est secundò, quia & si Aquila non est omnium velocissima: tamen in hac sententia, quo velocior est tardissimo mobili, eo plura indiuisibilia spatij in eodem instanti pertransire debet, quam tardissimum. ergo licèt non possit pro eodem instanti, quo Testudo acquirit vnum indiuisibile secundum se totam transferre in locum sibi proximum, poterit ad minus transferre simul totum caput, vel totum rostrum; sed nos videmus tum caput eius, tum rostrum, successiuè acquirere spatium, quod occupare debent & non simul; ergo hæc responsio contradicit experientiæ. Neque dicas: In instanti non posse percipi motum, sed percipi solùm quando post ipsum motum per aliquod temporis spatium mobile quieuit; Ne id dicas inquam, quia motus tunc debet percipi, quando existit, tum etiam quia, licet quando per motũ instantaneum acquiritur vnum indiuisibile spatij, nõ discernatur, quia terminus est imperceptibilis, si tamen multa millia indiuisibilium spatij per eum pertransirentur: non esset cur ratione termini ad quem adeò distantis à termino à quo, non deberet percipi: sic si per instantaneam illuminationem obiectum acquirit indiuisibile luminis, non percipitur illuminatum: contra verò si acquirit lumen, vt duo, vel vt tria, percipitur. 21

SEC-

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Expenditur tertia responsio.

22 REspondet tertiò Arriaga *disp. 16. sect. 11.* & cum eo Ouiedus *loco citato à num. 12.* & alij Recentiores ex Galeno, & Vallesio locis ab eisdem citatis. Ideo vnum mobile velocius alio moueri: quia paucioribus morulis instantaneis motum suum, quiescendo, interrumpit: Contra verò quod tardius mouetur, per plura temporis instantia quiescit, & motum suum interrumpendo veluti fessus respirat, ac iterum illum prosequitur.

23 Contra hanc responsionem, quæ celebris est, faciunt multa, sed tria præsertim.

Quorum primum est; quia certum est, cælum centies, & millies velocius moueri, quam ingentem lapidem descendere ex altissima turri demissum, adeò vt Clauius *lib. 1. sphæræ* doceat, quod si aliquis lapis tanta velocitate moueretur, vt spatio vnius Aue totum orbem terræ septies circumiret: adhuc punctum quodlibet æquatoris in conuexo firmamenti positum velocius moueretur; quod si vera esset responsio de morulis: sequeretur, quod dictus lapis in aere sæpesimè deberet sistere, & motum suum interrumpere. Atqui hoc falsum esse patet; quia non potest assignari causa huius interruptionis motus per morulas, ergo &c.

24 Pater Ouiedus *à num. 12.* causam dicit esse, quia sæpius debet producere impulsum in aere ad hoc, vt sibi locum cedat; quam responsionem sic explicat: Mobile, quod in casu nostro est aer in eo instanti, in quo impulsum recipit non mouetur; ex quo fit, vt neque ipse lapis moueatur. nullum enim corpus moueri potest, nisi moueatur aliud, in cuius locum debet succedere, benè tamen lapis dicto aeri tunc imprimit totam intensionem impulsus, quam potest. Vnde in secundo instanti lapis incipit moueri, & nullis morulis motum suum intertumpit, quandiu durat in aere impulsus sufficiens ad hoc, vt lapidi non resistat. Quoniam verò impulsus (inquit) est qualitas natura sua citò transiens, quando primo ita languescit, vt nō possit amplius mouere aerem, vt cedat locum lapidi descendenti: tunc primò interrumpit lapis motum suum, vt iterū imprimat nouum impulsum ipsi aeri, in qua morula non solùm lapis, sed etiam aer ipse quiescat necesse est, postquā morulā lapis motum suū prosequitur, donec iterum ab aere resistente impediatur, cui impedimento consulit iterum producendo in eo impulsum in ea maiore intensione, qua potest. Et sic procedit vsque ad finem motus.

25 Sed contra hanc solutionem arguo primò. quia data qualitate impressa, quam infra negabo, & dato præterea, quod lapis pro eo instanti, pro quo producit illam in aere, neque ipse, neque aer moueatur, de quo potest esse dubium: si dicta solutio consisteret; sequeretur, quod Cælum, et lapis descendens per aliquod notabile temporis spatium deberent æquali velocitate moueri: sicuti etiam æquali velocitate per idem temporis spatium deberent moueri deorsum corpus magis graue, & minus graue. Sed hoc est falsum. ergo etc. Minor patet, quia, licet dici vtcumque posset, quod cælum, et lapis, vel corpus magis graue, et minus graue, vel denique velocissimum, ac tardissimum imperceptibili æquali velocitate moueantur: nemo tamen probabilitate aliqua hoc poterit sustinere, quod per notabile temporis spatium vig. pen vnum, vel duo Aue id contingat. Sequela verò minoris suadetur. quia quandiu durat in aere impulsus sufficiens productus à lapide lapis nulla morula motum suum interrumpit: nam, vti dicebat auctor, tunc lapis sistit, quando euanescit in aere impulsus. Vnde fit, vt lapis debeat morari ad illum in eo iterum causandum. At qui motus nullis morulis interruptus debet esse æqualis velocissimo quia in hac responsione motuum inæqualitas ex solis morulis prouenit; siquidem sine morulis, sicuti vnum mobile requirit v. g. decem instantia ad conficiendum spatium decem punctorū: ita totidem instantia ad æquale spatium conficiendum requirit aliud quodcumque eiusdem magnitudinis; ergo quandiu in aere durat impulsus sufficiens, ne resistat lapidi descendenti, lapis tanta velocitate mouebitur ad centrum, quanta primum mobile circa centrum. atqui impulsus in aere durat per notabile, et sensibile temporis spatium; nam licet sit qualitas natura sua citò transiens minimè in ictu oculi euanescit; sed durat per aliquod tempus, vt patet ex lapide sursum à robustiore brachio proiectum, in quo certum est tandiu durare impulsum, quandiu durat ascensus, cum igitur ingens lapis è turri descendens valdè intensū impulsum producat in aere: sequitur, quod per multum tempus æquali velocitate moueretur, ac cælum, nec non etiam corpus magis graue, ac minus graue, quod erat probandum.

Contra eandem solutionem arguo secūdò: quia 26
ex ea etiam sequeretur, quod lapis è turri descēdens, ante quam motum suum incoharet, deberet tanto tempore immotus in aere persistere quantum requiritur ad hoc, vt omnes partes aeris existentis in spatio, per quod motus dirigitur successiuè recipiant impulsum; atque adeò si lapis debet descendere v. g. per vnum miliare debet tandiu sistere in aere initio motus quandiu necesse est, vt successiuè totus ille aer recipiat dictū impulsum. Sequelam probo ex doctrina, quā ipse Ouiedus *à medio numeri 13.* tradit, vbi notat: non solùm lapidis motum interrumpi ex eo, quod aer immediatus in hoc instanti, impulsum, ex vi cuius mouendus est, primò recipiat, sed etiam ex eo, quod id contingat parti alij remotiori aeris. quia, inquit, immota remotiore parte aeris, propinqua moueri non potest, etiam si ex se sufficientem impulsum habeat, vt moueatur; immota verò propinquiori lapis iam consistit immotus. ex quo infert posse lapidem pluribus instātibus in aere suspensus quiescere. ego verò addo, eum debere tandiu, quandiu necesse est, vt totus aer pertranseundus successiuè recipiat dictum impetum, si vera est eius doctrina: quod sic euinco. Per Ouiedum immota parte aeris B. remota lapidi non potest moueri pars proxima A. et ideo non solū in primo instanti, in quo pars A. impulsum recipit, debet quiescere lapis, sed etiam in secundo, in quo recipit illum pars remota B. Tum sic, etiam immota parte C. aeris, vicina parti B. sed remo-

mo-

Digitized by Google

motiorē à lapide non poterit moueri pars B; ergo lapis nō solùm in secundo, sed etiam in tertio instanti, in quo recipio impulsum pars C. quiescere debet. Rursus immota parte D. vicina parti C. non poterit moueri pars C ergo lapis non solū in tertio, sed etiā in quarto instāti quiescere debet, in quo pars D. impulsum suum acquirere debet: quae ratio cum militet pro omnibus partibus aeris, per quas transire debet lapis, remotioribus, & remotioribus vsque ad terrā: sequitur quod lapis tantū temporis immotus in aere expectare debet ad inchoandum motum suum, quantum est necessariū, vt omnes dictae partes aeris successiuè impulsum recipiant. Huius meae enthymematis consequentia est euidens: antecedens constat paritate, ex quo victoriosè deduco, quod non solùm multum temporis deberet lapis persistere immotus, antequam suum motum inchoaret: sed etiam quod numquam illū inchoare posset. nam cum impulsus sit quidlibet ad modicum durans, prius quam vltima pars aeris reciperet impulsum suum, inciperet corrumpi in prima parte, atque adeò lapis deberet rursū dictū impulsum in eadem prima parte producere, quae cum videret corrupta in secunda, deberet pro alio instanti in secunda producere, & secundā in tertia, & tertia in quarta vsque ad vltimam partem aeris. Rursus propter eandē rationem lapis tertiò deberet imprimere impulsum in parte sibi vicinior: & sic in infinitum, quae omnia quā sint absurda nemo est, qui non videat. ea autem, ex sententia ponente continuum constare ex partibus diuisibilibus in infinitum nullo modo sequuntur, si quis hoc teneat, quod possit aliqua pars aeris tam parū moueri, vt non sit necesse, quod alia subsequens moueatur, vt patet.

27 Secunda impugnatio tertiae responsionis sic procedit: Si tarditas motus ex interpositis morulis proueniret: sequeretur, quod aquila velocissimè volans post quodlibet instans motus plusquam decies centum mille instantia in quiete consumeret; sed hoc est absurdū; ergo &c. Sequela patet, quia velocitas aquilę est ad minimum decies centies millies tardior motu primi mobilis: ergo aquila vt à primo indiuisibili spatij transiret, ad secundum deberet decies centena millia instantia quiescendo interponere. Minor verò probatur, quia homo acutissimè videt: & in debita distantia constitutus, percipit aquilam post primum instans, dum prædā sequitur semper moueri, & nunquā quiescere: deberet autem eam potius videre quiescentē: absurdum autem est communem sensuum experientiam sine vlla necessitate deserere; ergo &c.

28 Ad hoc respondet Quiedo §. 3. *à numero* 29. supponendo motum nō percipi sensu externo. sed tantùm per discursum cognosci, ex cognitione sensationis præsentis, et memoria præteritae deductū. Videndo enim nunc hæc extrema cū hac distātia, & in memoriā reducendo me immediatè antea eadem vidisse cum alia distantia: infero corpus illud motum esse. Quietem verò percipi per cognitionem eiusdem permanentiae in eodem spatio. quo posito ait: disparitatem cur in motu morulis interrupto, motum potius discernamus, quā morulas esse, quia ex omnibus motibus, quamuis innumeris morulis interruptis, resultat vna maior distantia mobilis ab alijs corporibus, quae distantia, cum fit sensibilis, inducit nos in cognitionem motus, at verò ex omnibus morulis interruptis à diuersis motibus nō fit vna maior permanentia in eodem spatio, ratione cuius possint dictę morulę percipi.

Contra hanc autem responsionem arguo primò. Falsum supponit motum nō percipi sensu, sed per discursum, eo quod video hoc extremū cum hac distantia, & recordor immediatè antea fuisse cum diuersa distantia. ea ratio est, quia aliud est cognoscere corpus moueri, & aliud motum esse. Porrò per recordationem diuersę distantiæ ab ea, quam ecce nunc, solum colligo corpus motum esse, non autem nunc moueri. quia cum non videā corpus successiuè percurrere spatium, sed percurrisse, bene cognosco illud fuisse in motu, non verò sub illo esse. 29

Arguo secundò dando, quod motus nonnisi per discursum percipiatur à nobis. Eo motus est magis, vel minus perceptibilis, quo maior, vel minor est diuersitas distantiæ, quam modo habet mobile, ab ea, quam antea habebat; sed in aquilæ volatu per notabile temporis spatium, quasi nulla haberetur diuersitas distantiæ ab ea, quam habebatur antea, posita opinione morularum: ergo per notabile tēporis spatiū potius aquila deberet cognosci, quod quiesceret, quā quod moueretur. Maior cōtinet verba auctoris *loc. cit.* Minorē probo, supponendo: notabile temporis spatium quatuor, vel quinque millionibus instantiū cōprehēdi, vel dicat aduersarius aliquem alium determinatū numerum, tum sic: motus aquilæ est ad minimum decies centies millies tardior motu primi mobilis. ergo in spatio quinque millionum instantium temporis, aquila suo perpici volatu non poterit superare, nisi quinque, vel ad summum sex indiuisibilia spatij loci: quia inter motum, quo acquirit vnum indiuisibile loci, & motum, quo acquirit aliud, debet quiescere spatio vnius millionis indiuisibilium temporis, aliter motus primi mobilis non esset decies centies millies illo velocior, vt supponebamus. atqui diuersitas distantiæ constantis sex indiuisibilibus spatij loci est quasi nulla: ergo in volatu Aquilę per notabile temporis spatium quasi nulla haberetur diuersitas distantiæ à reliquis corporibus, ab ea, quam Aquila habebat antea. omnia patent, præter sub sumptum, quod suadetur, quia ad notabile temporis spatium coagmentandū ponebamus requiri quinque milliones instantium: ergo ad notabile spatiū loci componendum impossibile est, quod sufficiant sex indiuisibilia loci: quod si tot sufficiunt pro vno, etiam tot, vel paulò plura pro alio sat erunt. Hoc autem sustineri non posse ab hoc auctore, patet, quia non aliter ab eo defenditur singulas motus Aquilæ interruptiones non cognosci à nobis, cum per eas Aquila in eodē spatio loci persequeretur, nisi quia imperceptibiles sunt propter breuitatē, quā durant. 30

SECTIO QVINTA.

Motus rotæ morulas exterminat.

31 TErtia denique impugnatio morularū ducitur ex motu rotę super axē suū circulari-

R. P. Ioseph Polizzij Philosoph. tom. 2.

oulariter se moueatis sic. Si ideò motus Testudinis esset tardior motu Aquilæ, quia quibusdam momentis interrumpitur: sequeretur, quod quando rota aliqua ferrea, vel lapidea circulariter super axẽ circũuolueretur, partes illius vicinores axi deberẽt discontinuari à partibus remotioribus eiusdem axi, & sic rota rota discontinuari, atque dissolui, sed hoc est euidenter falsum: ergo &c. Sequela probatur designando prius in rota duos circulos, habentes idem omnino centrum, quod habet rota, quorũ vnus minor sit, vtpotè vicinus cẽtro, alter verò maior, vtpote remotus ab eodẽ cẽtro, deinde sic arguo, in motu rotę, quodlibet punctũ maioris circuli velociùs moueretur quolibet pũcto circuli minoris, quia eodẽ tempore, quo tota rota per motum ab eodem puncto ad idem punctũ redit, vterque circulus suum spatium conficit. Cõstat autem maius esse spatium occupatum à maiori circulo eo, quod occupatur à minori: ergo in eodem tempore quodlibet punctum maioris circuli maius spacium conficiat, necesse est. Nihil autem aliud est vnum alio moueri velociùs. Porrò si tarditas motus consisteret in eo, quod momẽtis interrumperetur: sequeretur, quod in motu rotæ aliquando moueretur circulus superior, circulo inferiore per momẽtas quiescente; & si ducatur linea recta à centro ad circumferentiam rotæ, eius punctum, quo linea pertransiret per circulum superiorem, moueretur quiescente puncto, quo transiret per circulum inferiorem: ergo necessariò rota illa deberet discontinuari, atque dissolui. quamuis enim si poneretur constare ex materia flexibili, intelligi posset, quod remanente continuatione secũdum diuersas partes inflecteretur, atque adeò in seipsa conquereretur; à nobis tamen ponitur esse lapidea, seu ferrea, vel cuiuscumque alterius materiæ flexibilitatis expertis, siue de facto, siue
32 de possibili, & ea posita argumentamur.

Prima responsio est eorum, qui dicunt hoc argumentum æquè pugnare contra sententiam Aristotelis, ac Zenonis. atque adeò malè Aristotelicos illud pro se contra Zenonistas assumere. Sed contra est ad euidentiam. Siquidem Aristotelis sectatores cũ teneãt motũ esse diuisibilem in partes minores, & minores in infinitum, nunquam possũt in eas angustias se conijcere, vt cogantur concedere, quod in eadem mensura temporis quamcumque minima, in qua aliqua pars circuli maioris in motu rotæ mouetur, pars æqualis minoris circuli vel debeat æqualiter moueri, vel omnino quiescere. Etenim respondent, partem minoris moueri semper ad motum maioris, sed motu tardiore. At Zenonistæ cum ponant motum sicuti etiam quodlibet aliud continuum in partes minimas, & indiuisibiles resolui: cogũtur dicere, quod quando pars minima circuli superioris minimam partem motus conficit: pars minima inferioris, vel debeat omninò quiescere, vel æqualiter se mouere, quia
33 nõ datur pars motus, quæ sit minor minima.

Secunda responsio est concedentium circulum inferiorem in motu rotæ discontinuari à circulo superiore. ita tamen, vt immediatè post vnionem, deperdiram, iterũ illã recuperet. & hinc fieri, vt rota nõ appareat ad sensũ disrupta, atque confracta.

Sed contra est primò, quia ponamus regulã ferream palmarẽ secundum vnũ extremitatẽ fixam esse clauo in pariete, secundum verò alterã circulariter moueri, in ea partes superiores deberẽt discontinuari ab inferioribus, quia his immotis illæ circulariter mouerentur per aliquod tẽporis spatium. Sed hoc est falsum, tum quia nulla vis proportionata applicatur ad faciendã huiusmodi discõtinuationẽ: tum etiã quia partes superiores regulę statim ac scissæ essent, deberẽt decidere in terram. Quod si dicas hoc impediri ab vnione, quæ iterum consurgit. Contrà est secundò: quia posita discontinuatione non potest assignari causa productiua dictæ vnionis, siquidem partes ferri non sunt viscosæ sicuti partes corporum fluidorũ, quę hoc ipso, quod sunt inuicem immediatè approximatæ, inter se vniuntur, & faciunt vnum corpus. Constat enim partes ferri nonnisi magno fabrorũ labore, muicè vniri posse, si tamen possunt. falsum igitur est post diuisionem partium rotæ iterum consurgere inter eas vnionem.

Tertia responsio est asserentium: quodlibet pũctum circuli minoris in rotæ se habere, vt centrum respectu aliquorum punctorũ circuli maioris: quia neque ab illis distat. sed centrum circuli per hoc, quod maneat immotũ, dũ totus circulus circumuoluitur, non discõtinuatur à reliquis pũctis: ergo nõ est mirũ, si neq; circulus inferior, dũ manet immotus, discõtinuetur à circulo superiori se mouente.

Sed contra est primò, quia quamuis verum sit, quod quodlibet punctum assignatum in inferiori circulo, habeat aliqua puncta in superiori, à quibus æquè distet: non tamen dici potest, quod æquè distet ab omnibus: alioquin superior circulus duo centra haberet: vnum commune cum inferiori, alterum in ipsius inferioris periferia, quod implicat. ergo pũctum in inferiori assignatum, non æquè distabit ab omnibus punctis superioris. Sed ab aliquibus plus, ab aliis verò minus. atqui in motu circulari rotæ quodlibet pũctũ circuli superioris, succedit in locum cuiuslibet eiusdem circuli: ergo punctum in inferiori assignatum, quod in quiete ab aliquibus punctis superioris distabat plus, in motu distabit minus. vel è contra ab aliis, à quibus minus, distabit plus; quod sine discontinuatione, & scissione rotæ fieri nequit.

Contra etiam est secundò: quia iuxta sententiã 35
de momentis, quam impugnamus, in motu rotę circulus minor, & omnia eius puncta debent aliquantulum quiescere, dum mouetur circulus maior cũ suis punctis. Sed per hoc, quod punctum in minoribus assignatũ, æquè distet ab aliquibus punctis circuli maioris, & se habeat respectu eorum vt centrũ, non sequitur, quod motis illis, possit manere immotum, absque discontinuatione rotę: ergo nulla responsio maior, & consequentia patent, minor probatur, quia ad hoc, vt punctum aliquod verè quiescat, non sufficit, si retineat eandem distantiam ab aliquibus punctis determinatis, sed debet retinere eandem ab omnibus partibus mundi fixis. Atqui per hoc precisè quod punctum inferioris circuli se habeat respectu aliquorum punctorum superioris, vt centrum, non sequitur quod dum rota circumuoluitur, ipsum retineat eandem distantiam ab omnibus partibus mundi fixis; ergo per hoc non effugitur discontinuitas rotæ. Minor, quę sola probatione egebat, patet, quia in motu circulari rotæ solum punctum,


quod

Digitized by Google

quod ſe habet, vt centrum ipſius rotæ retinet eandem diſtantiam ab omnibus partibus mundi fixis, quia ſupra ipſum circumuoluitur tota rota; quodvis autem aliud punctum, quamuis ſe habeat, vt centrum non ſolùm reſpectu aliquorum punctorum, ſed etiam reſpectu integri circuli excentrici in rota formati, neque adeò æquè ſemper diſtet à diſtinctis punctis, ſeu à periferia circuli non habentis idem centrum cum ipſa rota; non erit immunis à motu per hoc, quod habeat rationem centri. cuius rei ratio à priori eſt, quia in motu illo circulari rotæ huiuſmodi punctum non exercet munus centri, ſicuti neque illud exercet ipſum centrum rotæ, ſi ipſa rota, vel linea recta traheretur ſupra planum, vel ſupra illud volutaretur. & ideò in dictis motibus non quieſceret. Huic argumento poteſt adaptari reſponſio eorum, qui dicunt in motu rotæ dari duplex centrum; Alterum magnitudinis: Alterum motus; et rotam ſæpè mutare centrum motus, ita vt puncta circuli minoris ad locum, vnde diſceſſerant, reuertantur, et ſic ſæpè eundo, & redeundo in eadem menſura temporis, tantum ſpatij confician, quantum puncta circuli maioris.

36 Sed contra hanc ſolutionem facit primò; Quia non poteſt mutari centrum motus in rota, niſi hæc aperatur axi aliquanto laxius, vt ipſimet aduerſarij fatentur. ſic enim ſubſalire poteſt in motu. fac igitur nihil ſpatij inter rotam, & axem relinquatur, atque adeò quod idem in ea ſit centrum motus, quod ſcilicet motis cæteris non mouetur, et centrum magnitudinis, quod æquè à periferia diſtet. Iam rota hæc ſoluitur cuneiformis. Contra etiam eſt ſecundò, quia data hac variatione centri motus, tam pertinet hæc variatio ad circulum maiorem, quam ad minorem; non enim poteſt aſſignari maior ratio, cur ad hunc potius, quam ad illum: ergo dum regreditur punctum minoris circuli, debet etiam regredi punctum maioris, quod directè illi reſpondet; nequit ergo per hunc regreſſum ſaluari, quod tantundem ſpatij conficiant puncta circuli maioris, quantum puncta minoris.


37 Quartò denique reſponſio eſt Quiedi *num.* 33. Ad cuius intelligentiam ſupponit primò ex indiuiſibilibus componentibus continuum quædam eſſe res, et notari ſigno A. quidam modos, modijs quibus indiuiſibilia res vniuntur, et notari ſigno O. igitur ait, vt quodlibet ſimile ſibi modus diſtinctum occupet ſpatium. ſupponit ſecundò, neque indiuiſibilia res, neque indiuiſibilia modos vniri inter ſe immediatè, ſed res modis modis, quæ ſint rationes vniendi, æquè ideò inter indiuiſibilia res ſemper haberi medium indiuiſibile, modum, quod ea ex aliquo latere reſpondeat. Supponit denique eorum aliquos eſſe, num indiuiſibile eſſe immediatum alteri, vel non eſſe, nihil immediatè alteri. Indiuiſibilia enim res, licèt aliquando poſſint eſſe in compoſitione continui ſibi immediata, at non immediatè inter ſe vniri, ſed ſolùm cum ſuis indiuiſibilibus modis, nam hi nomine vnionis immediatæ venit illa, quæ eſt inter extrema, quæ ſuapte ſe ſine modo diſtincto vniuntur, ſine denique vnum ex extremis ſit modus, ſine res. Quibus poſitis docet compoſitionem continui, v. g. ſuperficiei conſtantis ex indiuiſibilibus hac ratione conſtituitam eſſe,



Vt videlicet primo loco detur linea B. quæ, poſito, quod conſtet quinque punctis primum ſit res, ſecundum modus, tertium res, quartum modus, quintum, denique res. Dabitur deinde linea inferior conſtans punctis eodem modo ordinatis, notata littera D. quoniam verò hæ lineæ debent ex vna parte inter ſe vniri, vt conficiant ſuperficiem; et ex alia neque indiuiſibilia res lineæ ſuperioris vniri poſſint ſe ipſis cũ indiuiſibilibus rebus lineæ inferioris: neque indiuiſibilia modi modis: Ideo datur tertia linea in ordine ſecunda notata littera C. quæ debet ita conſtare quinque punctis, vt primum ſit modus, ſecundum res, tertium modus, quartum res, quintum modus; ſic enim primi duo puncta res extremarum linearum vnientur mediante primo puncto lineæ mediæ: item ſecunda, medio ſecundo, et ſic component ſuperficiem. in qua compoſitione illud aduertendum eſt, quod punctum A. lineæ C. eſt quidem immediatum octo punctis, tribus quidem lineæ ſuperioris A. O. A totidemque lineæ inferioris A. O. A. et duobus ſibi collateralibus O. O. ſed non eſt immediatè, et per ſe vnitũ niſi ſolis quatuor O. O. O. O. ex quibus deducit auctor *numero* 38. quod ſi per vnicum inſtans moueatur linea ſuperior nempè B. immota, inferiore, hoc eſt D. Indiuiſibile A. inferioris adhuc manebit immediatum duobus primis indiuiſibilibus lineæ ſuperioris A. O. et fiet ſolùm diſtans à tertio A. quia per motum primum indiuiſibile A. ſuperioris ſuccedit in locum indiuiſibilis O. et O. in locum A. conſequentis; ſed ante motum tum O. tum A. lineæ ſuperioris erant immediata indiuiſibili A. lineæ inferioris, ergo per motum indiuiſibile A. inferioris lineæ non fiet diſtans, niſi à poſteriori indiuiſibili A. Quoniam verò per hanc diſtantiam nulla deperditur vnio. Siquidem ſit inter extrema non immediatè per ſe vnita. Hinc ſit, vt nulla ſciſſio in rota contingat, dummodo eius motus duret per vnum tantum inſtans, eo quod mota linea ſuperiori per vnum indiuiſibile ſpatij immota permanente inferiore nulla earum vnio corrumpetur. Quomodo autem per plura indiuiſibilia ſpatij poſſit circulus inferior rotæ quieſcere, ſuperiore ſe mouente ſine diſcontinuatione ſic idem Quiedus oſtendit, ſi circulus inferior eodem tempore cum ſuperiore mouereture, vtique ſuperiori præibit. quia habet


bet minus spatij percurrendum. ergo si post instantaneam quietem circulus inferior simul cum superiori per aliquot indiuisibilia mouebitur: non solùm recuperabit excessum, quem habebat punctum circuli superioris respectu puncti circuli inferioris: sed etiam illud in aliquo indiuisibili superabit. ergo hoc facto, circulus inferior poterit rursùs per aliquod instans quiescere, & deinde rursùs ad recuperandam directionem deperditam aliquantulum moueri, & sic deinceps vsque ad finem motus; pluribus indiuisibilibus spatij poterit inferior circulus quiescere sine vlla rotæ discontinuatione, ac diuisione.

38 Impugnatur hæc responsio à Giattino *quæst. 15. art. 3.* quadrifariam primò, quia sequeretur ex ea, quod linea directa constans ex tribus primis punctis A.O.A. linearum B.C.D. occuparet in eodem instanti, quo rota mouetur maius spatium, quam trium indiuisibilium; sed hoc intelligi nequit, absque eo quod puncta illa inflarentur, vel simul in duplici loco existerent, vt de se patent; ergo etc. sequelam probat, quia quando tria illa puncta erãt collocata perpendiculariter vnum super aliud occupabant spatium trium indiuisibilium: at verò si A. superior moueatur persistente A. inferiori, occupabunt lineam rectam quidem, non tamen perpendicularem, sed obliquam, semper autem recta obliqua est maior perpendiculari, vt patet ex hoc Triangulo,



in quo linea recta obliqua est opposita angulo recto: perpendicularis verò acuto, atque adeò illa maior hac minor, ex Euclide 1. *elemento propos.* Sed ad hoc responderi potest ex doctrina, quam tradit Oviedus *num.* 39. quoties in motu circulari rotæ quiescit aliquis circulus quiescunt omnes, qui sunt sub illo versus centrum: et quoties mouetur, mouentur omnes, quæ sunt supra illum versus peripheriam, vnde in primo instanti motus, in quo mouetur circulus intimus, quiescunt omnes circuli inferiores, et ita inflexio fit inter puncta circuli primi, et secundi, remanentibus omnibus inferioribus circulis in quiete, atque adeò linea à puncto secundi circuli vsque ad centrum cum sua rectitudine perseuerat. Postea verò dum mouetur secundus circulus cum primo, et quiescit tertius, et omnes inferiores; fit alia inflexio lineæ inter punctum secundi, et punctum tertij circuli, deperdita priore inflexione inter primum, et secundum, et sic quasi successiuè descendit inflexio à circumferentia ad centrum per vnicum tantum punctum. vnde fit vt apparere non possit. Qua doctrina posita, ad Giattini argumentum negarem sequelam, ad cuius probationem concessa maiore, nego minorem; et dico, quod quando in primo instanti mouetur; adhuc supposito quiescunt duo indiuisibilia consequentia, videlicet O. et A. postea verò quando mouetur O. simul cum A. superiore quiescit quidem A. inferior, et sic nunquam datur linea recta obliqua constans tribus punctis, sed solùm duobus. Quoniã verò hæc obliquitas oritur solùm ex eo, quod punctum superius occupat spatium, quod occupabat punctum sibi collaterale: quemadmodum ex his duobus punctis primi circuli comparatis cum O. secundi, nullus Angulus resultabat: quia erant sibi immediata vt in neque ex A. in quiete, et ex eodem A. in motu comparato cum interiori O. poterit resultare angulus, quia militat eadem ratio immediationis. Quod si dicas sufficere, ad argumentum, quod ex A. et ex O. in quiete resultet vna linea, et ex A. in motu, et ex O. in quiete resultet alia: nego quod subsumis. tunc enim sufficeret, quandiu dicta linea posset esse basis trianguli ad demonstrationem seruientis; sed linea duorum punctorum nequit esse basis trianguli, quia hoc ipso, quod super eam duæ lineæ rectæ erigentur, non facient inter se angulum: vna sibi vendicaret vnum punctum dictæ lineæ, altera alterum; et sic lineæ essent sibi immediatæ, et non facerent aream, quam vendicat sibi essentialiter omnis figura. ex quo sequitur, quod punctum additum puncto semper facit lineam æqualem.

Secunda Giattini impugnatio sic procedit. Vel 39
linea intermedia, nempe C. mouetur, vel quiescit non quiescit, vt patet: si mouetur, non poterit moueri, nisi per dimidium punctum, quod implicat. ergo. Sequela probatur, si enim ea moueretur etiam vno indiuisibili spatij, fieret hæc figura.




In qua duo essent absurda: primum quod singulæ lineæ transuersæ constantes tribus punctis, quæ sunt quinque, non essent amplius rectæ, sed circulares. nam per tria puncta non posita in directum duci potest circulus. Secundum absurdum, quia destrueretur suppositio, quod in omni recta linea post punctum tres, sequitur modus, quem videretur in hac figura, prima linea recta transiens constaret ex A. et duobus OO. perpendiculariter duis. Secunda ex O. et duobus A. item perpendicularibus.

Sed respondetur, quod dicta linea C. in primo 40
instanti motus rotæ non moueatur, includitur tamen postea vna cum linea B. superiore, sed negatur sequela, nimirum moueri per dimidium punctum, et confecta tali figura linearum à centro ad circumferentiam ductarum. Concessa etiam vtraque sequela, nimirum quod dictæ lineæ transiæ

se non retineret in motu illo rectitudinem suam: nec non etiam quod post punctum res aliud punctum res, et post punctum modus, aliud punctum modus succederet. Nego hæc esse absurda. Non primum quia haberetur inflexio, neque secundum quia cum dicta inflexio fiat violenter, eam tollat suppositionem Quiedi, in qua supponis, quod alternatim punctum res, et punctum modus sese insimul sequebantur, quando continuum nullam violentiam patiebatur, quod non habetur in dicto motu.

41 Tertia impugnatio, sic procedit per hanc Quiedi responsionem nihil soluitur de motu lineæ circulariter se mouentis circa idem punctum tanquam centrum. Sit enim recta



42 quæ constet v.g. centum digitis, et intelligatur mouere circa punctum A. ita vt circumdescribat in puncto C. id describet etiam circulum alium in puncto B. quod est eo minus primi digiti, certè circulus à puncto C. designatus erit plusquam centuplus respectu circuli designati à puncto B. vt demonstratur ab Euclide lib. 10. ergo ad hoc vt punctum B. transeat vnum indiuisibile spatij; punctum C. debet transire plusquam centum: et consequenter deberet circuire recta A.C. plusquam per centum indiuisibilia. nihil igitur facit doctrina tradita, quæ solùm saluat curuitatem per vnum indiuisibile.

42 Ab hac etiam impugnatione facilè se expediet Quiedus concedendo antecedens; nimirum circulum designatum à puncto B. esse centuplo minorem respectu circuli designati à puncto C. et concedendo etiam primam consequentiam, quòd ad hoc vt punctum B. traiiciat vnum indiuisibile spatij, punctum C. debeat circumire plus quam centum. sed distinguet quod inde inferatur. ergo deberet circumiri A.C. plusquam per centum indiuisibilia. et si quidem hæc curuitas intelligatur fieri successiuè ita vt quando succedit curuitas in secundo indiuisibili, deperdatur illa, quæ erat in primo, et quando aduenit in tertio, deperdatur illa, quæ erat in secundo, et sic de ceteris, concedo. Sin autem dicta curuitas intelligatur debere haberi simul in eodem instanti, negabit secundam consequentiam simul cum tertia, in qua inserta est doctrina Quiedi, quæ solùm saluat curuitatem per vnum indiuisibile, nihil facere ad motum rectitudinem. Dico enim, quod Quiedus recte huic obiectioni respondens fundo in suis principiis, quod scilicet quasi successiuè deperdatur inflexio à circumferentia ad centrum corrupta in parte superiori lineæ, dum denuo in parte inferiori consurgit. Vnde fit, vt innumeris inflexionibus tran-


ob

seuntes successiuis, nunquam linea nobiliter maneat inflexa.

Quarta denique Gianzini impugnatio est huius 43
modi: Ponamus hanc rectam lineam A.B. quæ moueatur à centro ad circumferentiam virtute Angelica suam rectitudinem in motu circulari seruare, in tali casu sine vlla curuitate moueretur, et quidem tardius iuxta centrum, velocius verò iuxta peripheriam, ergo etc. Sed facilè respondetur Quiedus: huiusmodi lineam neque virtute Angelica, neque diuina posse moueri circulariter, quia inflectatur, quia hoc ipso quod non flectitur necesse est frangatur, ac diuidatur, ne sequatur aliquid omnino repugnans.

His igitur impugnationibus posthabitis, Quie- 44
di responsionem ego impugno. Primò, quia si linea constaret ex punctis rebus, et punctis modis alternatim positis, sequeretur, quod superficies constaret huiusmodi lineis, et corpus superficiebus ex dictis lineis coagmentatis componeretur. hoc autem esse absurdum probo ex eo, quia sic non possemus diuidere vnam superficiem in duas partes, quin corrumperetur, dissoluantur & redigantur ad indiuisibilia lineæ illæ, quæ sunt immediatæ diuisioni; sed hoc est manifestè absurdum, ergo &c.

Probo sequelam, detur superficies constans 45
octo lineis, & quælibet ex dictis lineis cõponatur ex septẽ punctis, certũ est ex huius superficiei diuisione posse resultare duas superficies, quarum vna quæq; constet quatuor lineis tũ sic ex lineis diuisioni proximis vna continebit tria, altera quatuor indiuisibilia modos, quæ si non sunt extrema linearum suarum, non solùm erunt vniones indiuisibilium rerum; ex quibus ipsæ lineæ componuntur: sed etiam eorum, quibus lineæ ipsis immediatè constant, vt patet ex hac tabella.



Vbi vides, quod in quarta linea quam pono proximã diuisioni factæ in B. duo puncta media modorum non solùm sunt vniones trium punctorum rerũ eandem quartam lineam constituentes; sed etiam sunt vniones vnius et duo puncta media res lineæ tertiæ cũ duobus punctis rebus lineæ quintæ. simile quid dicendum de indiuisibilibus mediis modis quintæ lineæ; non solùm enim sunt vniones indiuisibilium rerum, quibus constat ipsa quinta linea: sed etiam quibus indiuisibilia res sextæ lineæ vniuntur cum indiuisibilibus rerum quartæ. & in vniuersum quodlibet punctum modus dummodo nõ sit extremum, semper est in medio quatuor punctorum rerum, quorum duo pertineant ad eam

lineam

lineam, quam constituit. Tertium ad lineam immediatè antecedentem: quartum ad immediatè consequentem, respectu quorum omnium se habet, vt vnio dicta puncta inter se nectens. Ex his sequi per diuisionem illam dissolui lineas immediatas ipsi diuisioni in hunc ferè modum demonstro. Per diuisionem denuò, & discontinuata est quarta linea à quinta linea, vt suppono; ergo puncta media modi, quæ erant in quarta, & vniebant puncta res tertiæ, cum punctis rebus quintæ iam pereunt, & similiter pereunt puncta media modi, quæ erant in quinta, & vniebant puncta res quartæ cum punctis rebus sextæ. Consequentia hæc patet. nam implicat existere vnionem absque eo, quod exerceat actuale munus vniendi. atqui posita diuisione indiuisibilia modi linearum ipsi diuisioni immediatarum, non amplius exercèt munus vniendi indiuisibilia res linearum antecedentium cum indiuisibilibus rebus linearum consequentium. nam post diuisionem neque tertia linea remanet vnita cum quinta, neque quarta cum sexta. ergo indiuisibilia media modi quartæ, & quintæ linæ iam pereunt. Cum ergo hæc eadè indiuisibilia sint vniones, quibus puncta res ipsam quartam, & quintam lineam componebant tsequitur, quod hæ lineæ, quæ erant diuisioni proxime remaneant iam dissolutæ, & in indiuisibilia reducta, quod erat probandum.

46 Neque dicas primò: indiuisibilia res, quibus constabat quarta linea, adhuc remanere vnita cum indiuisibilibus rebus tertiæ, sicut, & indiuisibilia quintæ cum indiuisibilibus sextæ. Contra enim est, quia per hanc vnionem bene dicta indiuisibilia res possunt esse remanti linearum sibi perpendicularium, easque componere, non autem possunt esse partes linearum transuersarum, quartæ, scilicet, & quintæ, quas antea componebant, quia carent iam vnionibus, quibus inuicem continuabantur.

47 Neque iterum addas post diuisionem statim resultare, inter puncta illa res alias vniones: quia sic posset defendi in motu rotæ circulos inferiores à superioribus discontinuari, sed statim postea continuationem de perdicam per nouam vnionis productionem recuperari, quam sententiam ipsemet Quietus impugnat ex eo præcipuè, quia non potest assignari causa productiua dictarũ vnionum. Partes enim rotæ ferreæ, vel lapideæ non sunt ita fluxæ sicuti partes aquæ, v. g. quæ, hoc ipso quod inuicem approximantur, vniuntur inter se. Quod idem argumentum militat contra productionem vnionum inter indiuisibilia res dictarum linearum: quia si puncta ferrea discontinuari possent per approximationem continuari possent hoc ipsum lineæ ferreæ, nec non etiam superficies, atque adèo possis duobus ferreis corporibus inuicem approximatis deberehc inter se vniri, quod experientia constat esse falsum.

48 Impugnatur secundò. Quieti responsio: quia ex ea sequitur, quod tot instantibus temporis deberet circulus rotæ axi proximus ad minimum expectare ad incipiendum motum suum, postquã circulus maximus ab axe remotissimus motum suum incohauit, quot sunt puncta, quæ inter se, & dictum circulum intercedunt: quia, vt vidimus, in sententia auctoris, nonnisi per vnum indiuisibile potest haberi linearum inflexio: hæc debet quasi successiuè descendere à circumferentia ad centrum, & corrumpi in parte superiore, dum fit in inferiori. Sed hoc esse impossibile patet, quia sicuti est valde sensibilis distantia quo ad locum, quæ beneficio punctorum intermediorum habetur inter huiusmodi circulos: ita non minus sensibilis deberet esse distantia temporis, quæ intercideretur inter motum vnius circuli, & motũ alterius, cum tot instantia intercurrant inter dictos motus: quot puncta intercipiuntur inter vnũ, & alterum circulum: & sic deberemus experiri in motu rotæ, quod partes eius axi proximæ tardarent aliquantulum temporis ad inchoandum motũ suum, atque adeò quiescerent, dum partes eius remotissimę ab axe mouerentur. hoc autem falsum esse patet ad sensum: quia videmus rotam secundum omnes sui partes simul inchoare motum suum; ergo &c.

49 Impugnatur tertiò: quia quotiescunq; rota aliqua super axem ferreum collocata ab homine circumuoluitur, motus incipit à partibus vicinioribus axi; ergo impossibile est, quod dictę partes tanto tempore quiescant, dum partes remotissimę sunt in motu. Consequentia videtur certa: antecedens verò suadetur, quia homo, qui rotam voluit sicuti medio axe ferreo illam mouet, ita mouet partes axi remotiores medijs proximoribus, quia per has impetus peruenit ad illas. ergo motus incipit à partibus vicinioribus axi, & postea ad remotiores transit. Quamuis autem hęc prioritas non sit temporis, sed solùs naturæ, atque causalitatis. Argumentum tamen conuincit, quod si inter motum vnius, & alterius circuli intercurreret tempus: prius tempore deberet moueri rota hęc secundum partes axi proximas, quam secundum remotas.

50 Impugnatur denique quartò: quia ad saluandũ hunc circuli motum nam 99. ducor hanc regulã tradit: Quod scilicèt, quoties quiescit in motu circulari aliquis circulus, quiescunt omnes, qui sunt sub illo immediatiores centro, & quotiescunq; mouetur, mouentur omnes, qui sunt supra illum à centro remotiores. Tum sic: ad primum motum instantaneum primi circuli maximi quiescit secundus circulus, & reliqui inferiores. Quare punctum A. superioris circuli, quod erat directum puncto A. inferioris, factum est illi collaterale. In secundo instanti potest vel mouetur circulus secundus, vel non mouetur. Neutrum dicit posse in sententia auctoris. ergo rota eius machina dissoluitur. Probo minorem: si non moueatur; ergo iam punctum A. superioris circuli, quem motum suum prosequi supponimus, distabit per duo indiuisibilia à puncto A inferioris, eo facto est discontinuatio, quia in tantum auctor continuationem per distantiam vnius indiuisibilis tuetur, quia intercipitur inter vtrumque indiuisibile modus, quod non posset sustineri, si A. superius & A. inferius inciperent distare per duo indiuisibilia. Falsum est igitur quod non moueatur. Probo nunc falsum esse, quod moueatur; quia si non mouetur, vel mouetur versus illam partem, versus quam primus circulus motũ suum inchoauit, vel versus contrariam partem, vel versus vtramque. Primum dici non potest, quia retineretur in secũ-

do

Digitized by Google

eodem instanti inflexio illa, quæ acquisita fuerat in primo instanti; & sic daretur in linea à centro ad circumferentiam data duplex inflexio: vna inter punctum A. circuli primi, et punctum A. circuli secundi. Altera inter punctum A circuli secundi, et punctum A. circuli tertij: quia sicuti in primo instanti ad motum primi circuli, quiescente secundo, facta est prima inflexio: ita eodem pariformiter in secundo instanti, dum ad motum secundi circuli quiescit tertius, debet haberi secunda simul cum prima. Contra id, quod auctor dedit *dicto num. 39.* nimirum quod dum mouetur secundus circulus cum primo, et quiescit tertius circulus cum reliquis, fit inflexio lineæ inter punctum secundi, & tertij circuli: illa tamen quæ antea facta erat, deperditur, et punctum secundi circuli fit rectum respectu puncti primi circuli in eadem adhuc lineam. Falsum enim hoc est. Neque potest dici secundum, quod scilicet circulus secundus moueatur versus contrariam partem, quia sic in secundo instanti punctum A. primi circuli distaret à puncto A. secundi per tria indiuisibilia, æque adeò minùs magis continui distantia haberetur. Probatur sequela. Nam in primo instanti punctum A. primi per hoc, quod motum est immoto puncto A. secundi distauit ab illo per vnum indiuisibile. ergo, sicuti si in secundo instanti idem A. primi prosequeretur motum suum, immoto persistente A. secundi, distaret ab eo per duo indiuisibilia: ita distabit per tria hoc ipso, quod ita in eodem secundo instanti prosequitur motum suum, vt A. secundi in eodem instanti moueatur versus contrariam partem. Plus enim sic recedunt ab inuicem, quam si hoc persisteret in quiete. Neque denique potest dici, quod versus vtramque partem indiuisibile A. secundi circuli moueretur; sic enim præter quam quod in eodem instanti moueretur motibus contrarijs, ante, et retro: sequeretur præterea, quod esset simul in duplici loco adæquato, hoc est in duplici indiuisibili, anteriore, scilicet, et posteriore versus quod motu illo instantaneo moueretur. Hoc autem sine eius replicatione, vel inflatione haberi minimè potest.

51 Neque dicas sustineri posse, quod in secundo instanti motus rotæ, primus circulus quiescat, vt expectet, vt moueatur secundus; & sic puncta vtriusque sibi directè correspondeant sicuti ante motum: Contra enim est tum quia falsum esset, quod quoties moueretur circulus inferior, moueretur etiam superior: tum etiam quia sic tanta velocitate moueretur vterque circulus; nam inter motum instantaneum vnius, et motum instantaneum alterius vnum instans quietis interciperetur; atque adeò tota solutio euaderet vana. Valeat igitur hæc quarta Oniedi speculatio circa morularum explicationem.

SECTIO SEXTA.

Expenditur quarta, & vltima Responsio de punctis inflatis.

52 PAter Giattinus *quæst. 15. Physic. art. 4.* ait Cardinalem Delugo nouam quandam excogitasse viam, & rationem, qua compositio continui ex partibus indiuisibilibus constans cum experientia; & tarditate motus rectè componeretur, quam tamen viam esse antiquam quidem, verùm *loco citato num. 137.* et ab omnibus fere Recentioribus, vt improbabilem reiectam esse: continuum constare ex punctis indiuisibilibus, diuisibiliter tamen locatis, per hoc, quod quodlibet ex eis habeat suum peculiare vbi tale quidem indiuisibile, sed virtualiter diuisibile, in quantum occupat spatium diuisibile, quod occupari potest à pluribus, et pluribus vbicationibus minoribus, & minoribus in infinitum multiplicabilibus: sic multi dicunt Angelum esse in vna spatij parte, quod realiter diuidi non potest in partes, æquales tamen minoribus, et minoribus vbicationibus, quibus se Angelus in spatio minori, et minori in infinitum succedendo locare potest. Porrò ex huiusmodi punctis sic extensis quo ad locum, solum continuum permanens constare defendit hæc sententia. Cæterum vult continuum successiuum componi ex instantibus non solùm secundùm se, sed etiam in ordine ad spatium temporis omninò indiuisibilibus, alioquin, si æquiualerent pluribus minoribus, non posset Deus pro quolibet instanti assignabili illa destituere, sed eorum durationem expectare deberet. His positis, ad solutionem de motuum tarditate, et velocitate accedentes, dicunt, quod tunc punctum velocissimè mouetur, quando in quolibet instanti temporis, pro quo mouetur, producit in se nouam vbicationem occupantem spatium imaginarium æquale, ei quod antea occupabat, ita tamen, vt spatium de nouo acquisitum nihil cum præcedenti communicet: quod vbicationes, quas pro quolibet instanti motus producit, acquirunt spatia imaginaria, quæ inuicem in aliqua parte communicent: punctum illud non mouebitur velocissimè. Porrò maior, vel minor velocitas à partibus maioribus, vel minoribus, in quibus spatia imaginaria acquisita, et relicta communicant, pendenda erit, ita vt quo pars, in qua dicta spatia communicant est maior, eò motus sit tardior; quo verò minor, eò sit velocior.

Hinc ad principale argumentum respondent; 53
negando, quod si linea constaret ex punctis mobile tardissimum eodem prorsus tempore, ac velocissimum equale spatium percurreret. et ad eius probationem admittunt dari duas lineas æquales, super quas mobile tardissimum, et velocissimum in eodem instanti motum suum incipiant: sed addunt velocissimum in quolibet instanti mutare spatium adæquatum puncti illius lineæ supra quã mouetur. Tardissimum verò si millies tardius est, nonnisi millesimam partem spatij, quod occupatur à primo puncto suæ lineæ relinquere potest, vnde fit, quod velocissimus cursor multò citius superabit suam lineam, supra quam mouetur, quã tardissimus suam.

Hanc responsionem ex nullo alio capite deferendam esse Oniedus *num. 40.* existimat nisi 54
quia non dantur huiusmodi indiuisibilia spatium diuisibile occupantia. Caterum putat per eam solui, tum argumentum, quod ex velocitate, et tarditate motus procedit, tum cætera, quæ contra continui compositionem ex indiuisibilibus fieri solent.

Ve-

Digitized by Google

Verum huic ego auctori parcendum puto, quia totus est in defendêdo sententiam Zenonistarum. Giattinum verò, qui profitetur Aristotelem sequi, et ingeniosè Zenonis argumentis se opponit, multa nouiter afferendo, quomodo excusem, ignoro, dum dicto *art.* 4. affirmat hanc sententiam facilè soluere omnia absurda, quę contra Zenonistas fieri solent, et nihil aliud habere incommodi, quam quod admittat aliquod nouum apud Philosophos, et Aristotelicis principijs de continuò repugnans.

55 Nam quod attinet ad religionem, qua se teneri profitetur in sequendis principijs Aristotelicis circa compositionem continui traditis, puto eam in superstitionem vergere, posito quod habeatur modus eius demonstrationes soluendi, quia saltè ex hoc manifestè deducitur dicta principia non esse solida, nec talia, vt non possint maxima probabilitate negari, sicuti negantur à Lugo demonstrationes, et argumenta, quę ex illis Philosophus desumit. Quantum verò ad nouitatis scrupulum spectat eximendus ille esset existimo, quia in re adeò abstrusa, in qua quot capita, tot, vt ita dicam, sunt sententiæ non solùm venia, sed laude etiam dignus est, qui Gordiani nodi solutionem inuenit.

56 Ego verò oppositum censeo: dico enim cum Arriaga *sect.* 10. hanc sententiam nullam speciē probabilitatis haberę, et quidem in mea opinione, qua nego vbi distinctum, qcs est euidens, quemadmodum etiam in opinione eorum, qui inter extensionem localem, et vbicationem modū, distinctionē realem agnoscunt; ex quo vanitas huius sententiæ conijci potest, dum fundamentis adeò ruinosis innititur. Eis tamen inconcussis relictis, dictam sententiam impugno multipliciter.

57 Primò quia tribuit rebus materialibus modum existendi in loco, rebus spiritualibus proprium, per hoc enim res spirituales maximè à materialibus differūt, quod habeant modū existēdi indiuisibiliter, totæ in toto, et totæ in qualibet parte. Contra verò res materiales diuisibiliter.

Respondet Giattinus non repugnare rebus materialibus, spectata natura rei, modum existendi indiuisibiliter, alioquin Corpus Christi Domini non posset sic existere in Eucharistia.

58 Sed contra est, quia aliud est, quod rei materiali non repugnat ex natura rei actu existere indiuisibiliter in loco: et aliud quod illi ex natura rei nō repugnet exigentia ad existendum hoc modo in loco. Primum tantum esse verum ex mysterio Eucharistiæ comprobatur; cum quo stat, quod secundum sit euidenter falsum, eo quod oppositum Philosophi à posteriore demonstrant, inductione facta per omnes substantias materiales addita ratione à priori, quod debent commensurari spatio. Ridiculum autem est dicere hanc inductionem fieri de materialibus concretis constantibus ex pluribus punctis: non autem de ipsis punctis: quia conditiones, quas nos videmus in toto, tribuimus singulis eius partibus, nisi militet in eis specialis ratio partis, sic quia videmus ignem esse calidum, & siccum, singulas eius partes quantumuis minores, & minores, dicimus esse tales &c. Iam non militare specialem rationem in indiuisibili materiali ad hoc, vt occupet indiuisibiliter spatium diuisibile patet ex eo, quia si specialis ratio haberetur: maximè quia indiuisibile est. Atqui rectè stare conceptum indiuisibilis sine exigentia occupandi diuisibile spatium est euidens ex terminis; nam huiusmodi exigentiam sibi vendicant substantię spirituales ob perfectionem spiritualitatis, quam habent, non verò quia indiuisibiles sunt, vt sic. ergo etiam ex terminis euidens erit indiuisibilibus materialibus repugnare exigentiam naturaliter occupandi spatium diuisibile. Alioquin quomodo à substantijs spiritualibus diuersificarētur; quamuis enim eorum vbicationes essent multò minores virtualiter vbicationibus Angelorum, parum referret, quia magis, & minus non differunt specie. Neque dicas cum eodem Giattino, ea diuersificari per hoc, quod sunt natura sua ordinata ad constituendam rem materialem, & exigunt quantitatem naturaliter, hoc est impenetrabilitatem ab inuicem, quæ prædicata certum est rei spirituali minimè conuenire. Contra enim est, quia implicat, quod duo essentialiter differant inter se præcisè per hoc, quod vnum ordinetur ad constituendum aliquid, non verò alterum. Nam si in cæteris prædicatis conueniunt, debent etiam in eo ordine conuenire, quia sicuti dictus ordo ponitur imbibitus in prædicatis quidditatiuis vnius, ita debet poni imbibitus in prædicatis alterius, hoc ipso, quod dicta prædicata ponuntur esse similia. Cum igitur indiuisibilia materialia à substantijs spiritualibus essentialiter differant, debet assignari in eis aliquod peculiare prædicatum, ratione cuius ordinentur ad rem materialem constituēdam, quod non habent Angeli, & non sufficit assignare solum ordinem. Atque hæc contra priorē diuersitatem assignatam. Contra posteriorem verò insurgo dupliciter: primò ad hominem, quia ipsemet Auctor *art.* 1. *eiusdem quæstionis* 15. proponit sibi vnum contra dictum tertium sic: impenetrabilitas oritur ex extensione partium in ordine ad se; ergo cum materia habeat dictam extensionem, est impenetrabilis. Ad quod respondet, distinguendo antecedens: oritur ex extensione partium, tanquam ex prima radice, concedo formaliter, nego antecedens, & consequentiam: quia inquit ex eo, quod dentur partes inter se coordinatæ, exigunt ne vna sit intra aliam localiter. Tum sic: punctum non habet partium extensionem in ordine ad se. ergo non est prima radix impenetrabilitatis. Falsum igitur est, quod exigat quantitatem,

59 Insurgo secundò argumento ducto ex natura rei; nam prima notio quantitatis est eam habere partes extensas; & eius essentia completur per hoc, quod dicta extensio sit principium impenetrabilitatis; ergo impossibile est, quod punctum exigat quantitatem; consequentia patet; quia nullum subiectum exigit formam, cuius est incapax. Sed punctum hoc ipso quod nullas habet partes est incapax recipere formam plures partes extensas habentem, quia dictæ partes essentialiter ordinantur ad extendendas partes subiecti. ergo impossibile est, quod punctum exigat quantitatem. Confirmatur, quia si quantitas consisteret in eo præcisè, quod eius beneficio subiectum quantum exigeret, vt in eo spatio, in quo est ipsum, non sit aliud: sequeretur, quod non repugnaret substantiæ spiri-

tuali

Digitized by Google

tual i esse quantam. Non enim implicat, quod detur Angelus talis perfectionis, vt exigat, quod in eo spatio, in quo ipse est, nullus alius Angelus existat. Debet igitur quantitas importare essentialiter multiplicitatem partium, eo quod subiectū, quod illam exigit, multas habet partes, quæ penitus inuicem ab eodem spatio se excludere. quod non habetur in indiuisibilibus.

60 Eadem sententia impugnatur secundò; quia dat ansam asserendi, quod corporum quantitas eorumque materia, & qualitates sint indiuisibilia secundum se tota; loco tamen diuisibili coexistentia, quod est omnem permiscere philosophiā; & spiritualia cum rebus materialibus confundere assumptum probatur, quia ex vna parte modus hic indiuisibiliter loco diuisibili coexistendi, posito, quod rei materiali non repugnet, melius est illū entibus materialibus perfectioribus toti scilicet quantitati & toti materiæ, eiusque qualitatibus quam imperfectioribus, sicuti sunt puncta, concedere: ex alia verò parte quemadmodum ipsi, ad argumentum de diuisione indiuisibilium suorum tumidorum, atque inflatorum, respondent: ita etiam quis respondere posset ad argumenta, quę ex diuisione corporum fierent: & sic asserere posset, vel quod ad diuisionem continui idem indiuisibile materiæ vlnaris v. g. vel qualitatis intensæ, & beneficio diuisionis in diuersis locis discōtinuis reperiatur: vel quod aliud indiuisibile sub extensione partis iā abscissæ à Deo producatur: & alia ridicula temerè, & sine fundamento effingere.

61 Impugnatur etiam tertiò dicta sententiā quia non soluit argumentum, ductum à maiori velocitate circulorum exteriorum rotæ, comparata cum minori interiorum eiusdem: quod sic probo; si in motu rotæ pro quolibet instanti punctum A. circuli superioris moueretur velocius puncto A. circuli inferioris per hoc, quod acquireret vbicationem virtualiter maiorem ea, quam acquirit punctum A. inferioris: sequeretur, quod in primo instanti motus A. hæc puncta non sibi ex æquo perpendiculariter correspondarent, sicuti sibi correspondebant immediatè antea quādo erant in quiete; sed hoc admisso remanet insoluta difficultas: ergo &c. sequela patet; quia hæc duo puncta, ut suppono, cum suis spatiolis recta via ad centrum sibi respondebant: at verò cum in primo instanti plus spatii acquirat superius, quàm inferius, sequitur, quod non amplius ex æquo sibi respondeant; sed per aliquantulū spatii superius præcedat. inferius minus verò probatur, quia si hęc duo puncta haberent vbicationes, tū formaliter, tū virtualiter indiuisibiles, et cōsequenter indiuisibilia spatia imaginaria occuparent: ex eo, quod vnum in primo instanti moueretur, & alterum quiesceret, sequeretur discontinuatio, & comminutio totius rotæ. Sed idem sequitur etiam si ambo moueantur, ponitur quod inferius acquirit minus spatii, quā superius, imo multò magis; quia in ea sententia differet per spatiū indiuisibile, in hac verò per diuisibile in infinitū: ergo in hac sententia remanet insoluta difficultas de motu rotæ, quod erat probandū.

62 *Dices primò*: In quiete à punctis inferioribus rotæ minus spatii occupari, quam à superioribus, & ideo cum in motu hanc diuersitatem seruent, non discontinuari. Sed contra est: ponamus enim ex aliqua materia homogenea fieri rotam: tum sic; hæc materia antequam formaretur in rotā habebat puncta æque inflata, atque ideò æquales vbicationes, tum formaliter, tum virtualiter sumptas habentia; sed ex eo, quod formetur in rotam, eæ puncta non mutant inter se situm, & habitudinem, alioquin partes in formatione discontinuarentur: ergo falsum est puncta inferiorum circulorum in rota quiescente minus spatij occupare, quam superiora; quamuis enim concederē, quod in formatione rotæ puncta terminatiua conuexæ superficiei rotæ mutarent figuram, ad hoc, vt dictam superficiem sine cauitatibus, & asperitatibus componerent: at hoc dici nequit de punctis in crassitie ipsius rotæ contentis, quæ cum in rotæ fabrica nullā vim patiantur, non est, cur in angustiori loco concludantur. de his autem argumentum procedit. Adde, quod ita Rota, lignea, vel lapidea formari potuit, vt punctum, quod respectu alterius puncti modo est inferius, fuerit superius, absque eo quod aliquam mutationem intrinsecam sortita fuerint.

Dices secundò cū Giattino: quod ideo inferiora puncta in motu rotę non discontinuantur à superioribus, quia vtraque occupant æquale spatiū imaginarium, quod in quiete occupabant, cum hac sola differentia, quod superiora plus acquirunt de nouo spatio, & plus de veteri relinquunt v.g. tertiam partem. Contra verò inferiora minus v. g. decimam. Sed contra, quia si moueretur recta lignum palmare habens duos digitos profunditatis, & digitus superior moueretur per vlnam, inferior verò per semivlnam; quis non censeret in hoc casu partem inferiorem discontinuari à superiori? & tamen vtraque pars occuparet æquale spatium imaginarium, quod in quiete occupabat: nimirum palmum longitudinis, & digitum profunditatis: ergo per hoc præcisè quod puncta superiora, & inferiora rotę occupent æquale spatium, quod in quiete occupabant, non potest saluari, in motu quin discontinuentur.

Impugnatur denique quartò eadem sententia, 63
quantum ad id, quod affirmat Giattinus per eam difficultates mathematicas facilè soluit. Nam quamuis ponat vbicationes punctorum formaliter indiuisibiles: necesse est, vt concedat spatium imaginarium per ordinem, ad quod dictæ vbicationes diuersificantur, esse formaliter diuisibile, nemo enim negare potest, aliam realiter, et nemine cogitante, esse partem spatij imaginarij, quæ repletur à terra: aliam, quæ replebatur ab aere aliam, quam ab igne, aliam denique quæ à Cęlo. rum sic: vel hoc spatium constat punctis finitis imaginarijs, omninò indiuisibilibus, vel partibus diuisibilibus, & diuisibilibus in infinitum. non potest dici secundum, alioquin omnes difficultates, quę fiunt contra continuum Aristotelicum, soluendę essent in hac sententia, quam eius patroni, vt ab illis se liberarent, inuexerunt in scholas; ergo dicendum est primum, sed hoc ipso, quod spatium imaginarium constat ex punctis vbicatis per vbicationes, neque formaliter, neque virtualiter diuisibiles, fieri possunt contra illā argumenta petita ex mathematicis, quæ paulo post adducemus contra Zenonem. ergo hęc sententia non vitat difficultates ex mathematica depromptas. Omnia patent præter subsumptum, quod suadetur ex eo, quia spatium imaginarium est continuum parmanens, vt patet. Atqui ideò hæc sententia dat punctis


positiuis vbicationes virtualiter diuisibiles in infinitum, quia putat, quod si haberent vbicationes omnino indiuisibiles, non solùm non possent solui argumenta physica, sed neque mathematica, quæ fiunt contra continuum permanens: ergo hoc ipso, quod spatium imaginarium constat ex punctis vbicatis per vbicationes omnino indiuisibiles fieri possunt contra illud argumenta petita ex mathematis, ex quo discurs u colligo, quod dicta argumenta fieri etiam possunt contra continuum permanens positiuum, quod sic euinco: dato quod spatia imaginaria nihil sint in se (quod supra probauimus falsum esse) nemo tamen negare potest, nullo alio modo nos diuersitatem vbicationũ, earumque distantias, et vicinitates explicare posse, nisi confugiẽdo ad spatia imaginaria. Quæ enim restaret nobis via probandi vbicationem Romanam diuersificari à Panormitana, & ab aduersarijs negaretur spatium imaginarium, cui correspondet Roma esse aliud ab eo cui correspondet Panormus. Hoc quod dicimus rectè confirmat Arriaga *loco cit. subsect. prima* auctoritate eorum, qui hæc indiuisibilia inducta nouerunt, dum assumunt rem indiuisibilem posse esse in spatio diuisibili: iam igitur diuisibilitatem continui per ordinem ad diuisibilitatem spatij explicant, & rectè, non enim aliunde colligere possunt hanc vbicationem esse maiorem, illam verò minorem, nisi per hoc, quod vna maius spatium imaginarium, alia minus occupet. His positis sic deduco contra eorum continuum permanens positiuum argumenta mathematica habere vim. Si cuicunque puncto spatij imaginarij suum peculiare indiuisibile continui cum sua vbicatione respiciat ad dictum punctum spatij correspondens, vtq; contra huiusmodi continuũ permanens militarent argumenta mathematica de pyramide, circulo, diametro quadrati, & similibus, vt ipsi faciẽtur; ergo militabunt etiam dum vbicationes virtualiter diuisibiles in ordine ad dicta puncta spatij explicare cogantur. Quemodo enim, si spatium imaginarium ponerẽtur diuisibile in infinitum, deberet concedi spatium reale hoc pacto diuisibile, ita dum illud ponitur constare, & punctis, hoc in dicta puncta sahem virtualiter diuisibile, esse concedendum est,

64 Dices: spatium imaginarium constare etiam ex punctis indiuisibilibus habentibus vbicationes suas formaliter indiuisibiles, & diuisibiles virtualiter, eo quod spatium imaginarium nihil est aliud nisi conflatum vbicationum possibilium, vel negationum illarum. Sed contra est, quia iam non supra probauimus opinionem eorum, qui ponunt spatium imaginarium esse vbicationes possibiles, vel earum priuationes sustinere minime posse, & rectè idcirco dem: vbicationes enim possibiles non distinguuntur ab existentibus, & si quam distinctionem habẽt sunt nobis minus notæ, quam illæ, atque adeò sunt inepta ad hoc, vt per ordinem ad illas reale spatium explicetur à nobis. Priuationes verò vbicationum cum nihil sint in se, suam habent cognoscibilitatem, & distinctionem ab ipsis terminis quos negant, vnde non possunt esse id, in ordine ad quod diuersitas vbicationum explicetur; potius enim dici debet, quod sunt id, quod in ordine ad ipsas vbicationes diuersas explicari debeat.

SECTIO SEPTIMA.

Percurruntur cætera argumenta mathematica contra continuum permanens ex indiuisibilibus constans.

PRimum sic procedit. Si linea constaret ex punctis diameter in quadrato esset æqualis costæ, quod, præter quã quod sit contra sensum, est etiam contra decimam nonam primi, & centesimam decimam septimam decimi Euclidis; sequela verò probatur: fiat quadratum A. B. C. D. cuius singula latera sint decem punctorum, ducaturque in eo diameter ab angulo A. ad angulum D. tunc si ex singulis punctis costæ A. C. ducantur lineæ ad singula puncta alterius costæ B. D. vtique istæ lineæ totam quadrati aream opplebunt, & per consequens totam diametrum occupabunt, & omnia eius puncta dum super eam pertranseunt, assignabunt. atqui non possunt assignare plura puncta quã decẽ, totus igitur diameter ex decẽ punctis per Zenonẽ constabit; atque adeo erit æqualis costæ. 65




Ad hoc respondet Arriaga *subsect. 5. n. 114,* 66
115. singulas lineas directas ductas à costa in costã assignare in diametro distincta puncta eo, quod cũ linea illa diametralis nõ descẽdat recta inferius sed cũ aliqua inclinatione, necesse est, vt linea ducta à costa in costã aliquãdo trãseat per duo pũcta diametri; ex quo patet maioritas diametri supra costã. Sed cõtra hãc responsionẽ facit primò, quia sic diameter deberet esse duplo maior ipsa costa, quod ad sẽsũ patet esse falsũ; sequela probatur, quia non esset maior ratio, cur ex lineis ductis à costa, aliquæ transire debeant per duo puncta diametri, aliæ verò per vnũ tantũ. eadẽ n. proportione, quæ in secando diametrũ, prima se habet ad secundã, eadẽ, secunda se habet ad tertiã, & tertia ad quartã, & sic de reliquis. Atqui posito quod omnes dictæ lineæ trãsirent per duo pũcta diametri, ipsa esset viginti punctorũ, ergo duplo maior. Contrà: quia ex eadẽ responsione sequeretur, diametrũ nõ esse lineã rectã, sed vndosã, quod est contra essentiã lineæ diametralis; sequela probatur, quia recta linea est, quæ ex æquo iacet inter puncta sua. Sed si aliqua linea ducta à puncto vnius costæ ad punctum alterius, duo eius puncta occuparet, diameter iam nõ iacẽret ex æquo inter sua pũcta. Siquidẽ illa duo puncta interiacẽret ex æquo inter pũcta lineæ rectæ, quæ ducta fuisset ab vna costa ad illam, non verò inter puncta, quæ ab vno angulo quadrati via recta tendunt ad punctum anguli oppositi, atque adeò essent extra horum ordinem. linea igitur ex eis constans cum per ea à dicto ordine recedat, iam erit obliqua.

Ne-

Digitized by Google

69 Neque dicas cum Arriaga *num.* 125. lineã diametralem simul descendere, & simul accedere ad oppositum latus, & sic habere aliqua puncta linea resta versus aliud latus, & alia versus partem inferiorem. Nequeo enim descendere via media. Contra enim est, siquidẽ hoc ipso quod duo puncta diametri penetrarentur cũ vno puncto lineæ, ductæ à costa ad costã, iam penetrarentur inter se; ergo nõ possent extendere ipsam diametrum, neque versus aliud latus, neque versus inferiorem partem: & sic diameter iam remaneret æqualis costæ, quod intendebat argumentum. vel si dicta puncta diametri, per quę transit secta illa linea remanent inuicem impenetrata, impossibile est, quod vnum vnico puncto indiuisibili illius lineæ penetretur, vt do se patet. Ex quo eadem numero linea mensurę, quę est diameter respectu vnius quadrati, posse esse costam respectu alterius nulla intrinseca variatione in suis punctis habita. Iam verò neque alio modo impugnatur responsio Oviedi, dum *puncto 10. numero 8.* ait lineam diametralem non distinguiꝫ à lineis ductis à lateali ad lateralem. Sed ex punctis in his contentis componi cõmunicando in aliquo puncto cum qualibet, et cum aliquibus in duobus, & ratione huius excessus cuadere maiorem costa. Impugnatur enim sic. Ponamus quod supra quadratum perfectè planum, & cuius area constet decem lineis, superponatur cylindrus diametraliter. Hic vtique tanget in linea ipsum quadratum, & hæc linea erit diameter quadrati, quæ quidem linea vtique distinguetur à lineis ductis à latera li ad lateralem quadrati. tum sic, vel aliqua duo puncta huius lineę occupabũt spatium vnius puncti alicuius lineę ex his, quibus constat area quadrati: vel non. si primum ergo iam se inuicem penetrabunt, & sic non facient extensionem, neque per ea diameter cuadet maior costa, si verò dicatur secundum, idem omnino sequitur, nam ex totidem punctis constabit diameter, ac costa: tot enim sunt puncta costæ, quot sunt lineę aream quadrati occupantis; sed diameter haberet tot puncta, quot sunt hæ lineę; ergo ex tot punctis constaret, ex quot constat costa. atque adeò illi esset æqualis.

70 Ex eodem quadrato fieri solet alia demonstratio contra Zenonistas non minus euidens, quam prior, quæ sic procedit: si linea constaret ex punctis, sequeretur, quod linea diametralis quadrati esset duplo maior costa, cuius oppositum est euidens ad sensum. videmus enim, quod si ex duabus lineis lateralibus quadrati fiat vna recta linea hæc erit multò maior linea diametrali. quod etiã demonstrat Euclides *lib. 3. propos. vlt.* sequela probatur, quia sit quadratum,




cuius diameter sit A.D. si à punctis omnibus lineæ A.C. ad omnia puncta lineæ A.B. ducantur rectæ lineæ, & sic etiam ab omnibus lineæ C. D. ducantur rectæ ad omnia puncta lineę B.D. singulę lineæ ductæ attingent singula puncta lineæ diametralis. Sed hę lineæ sunt tot, quot sunt puncta, ex quibus constant duæ lineæ laterales quadrati, ergo diameter ex tot punctis constabit, ex quot constant lineæ laterales, & sic erit æqualis illis, & duplo maiór qualibet earum, quod erat probandum.

Duplicem responsionem huic demonstrationi affert Oviedus *loco citato num.* 7. ait enim primò: eã æquè militare contra continuum Aristotelis. Secũdo verò dicit has lineas non posse duci, quin inter se communicent in aliquo puncto lineæ diametralis, quę est minor duabus lineis lateralibus trianguli simul acceptis.

Sed vtraque facilè infringitur. Et quidem contra primam satis dictum est suprà, & amplius dicetur inferius cum de diuisibilitate in infinitum continui. Quamuis enim, tum in duabus lineis lateralibus quadrati, tum in linea diametrali per ductionem illarum linearum transuersalium totidem assignentur puncta, semper tamen inter vnum & aliud punctum lateralium est maior distantia, quam inter vnum, et aliud punctum diametralis, vnde fit, vt hæc sit minor vtraque illa. Contra secundam autem faciunt argumentum, quod paulò ante adduximus contra Arriagam, quia si in vno puncto diametri duæ aliquæ ex illis lineis ductis conuenirent, iam duæ illæ non essent rectæ, quia neutra interiaceret ex æquo inter sua puncta extrema, sicuti vidimus.

Tertia demonstratio sumitur ex circulis sic. si linea constaret ex punctis sequeretur, quod circulus maior esset æqualis circulo minori, quod est manifestè absurdum. Hoc autem sic ostendo: sit circulus mille punctorum A. intra quem sit alius circulus B. minor v. g. decem punctorum descriptus supra idem centrum C. tunc si ex quolibet puncto circuli maioris A. ducantur rectæ lineæ ad centrum C. vtique hæc transibunt per circulum minorem B. atqui non possunt rectę istæ lineæ dictum circulum minorem pertransire, nisi assignando totidem puncta, quot sunt ipsę lineę, igitur ex tot punctis hic minor circulus constabit, ex quot constat circulus A. maior, & consequenter illi erit æqualis. minor, quæ sola probatione eget, demonstratur *ex 13. axiomate lib. 1. elementorum* Euclidis, vbi sic: duę rectæ lineæ non possunt habere idem commune segmentum, hoc est non possunt in vnam lineam coire, neque se in pluribus punctis tangere, nisi in vno tantùm, porrò si per minorem circulum B. assignando pauciora puncta illæ rectæ lineæ pertransirent, vtiq; in illis punctis se contingerent, haberentque segmentum illud, seu lineam, quæ est à peripheria minoris circuli B. ad centrum C. commune, quod est impossibile. 72

Digitized by Google



73 Ingenuè fatetur Quiedus num. 5. non posse aliter huic argumento satisfieri, nisi negando principium illud Euclidis, quod, scilicèt, duæ rectæ lineæ non habeant commune segmentum; dici enim debet, quod ex illis mille lineis, multæ, quando pertingunt ad minorem circulum, coincidant in aliquod punctum commune illius circuli, & postea recta via procedit ad centrum. Subdit tamen hic auctor, quod quamuis negatio dicti principij totam Geometriam everat, quatenus, quam plures eius demonstrationes eidem principio nituntur. Nihilominus tamen Mathematici nullam habent firmam demonstrationem, qua illud probent, neque est adeò per se notum, vt non possit aliquis de eo dubitare.


74 Ex his, quę dicit hic auctor in hac responsione hoc vltimum probare non possum. Dico enim, quod nisi dictum principium esset firmum, & euidens, non posset sustineri Geometriam esse scientiam. scientiæ enim habent principia certa, vel ex se euidentia, vel ex euidentibus deducta. Quare falsum existimo Mathematicos dictum principium contra aliquod refractarium ingenium, illud negâs, probare non posse. duo ego adducam argumenta: primum sumitur ex notione rectæ lineæ, quam definimus esse illam, quę ex æquo sua interiacet puncta. Ponamus ergo quod à punctis A. D. immediatis circuli maioris protrahantur duæ rectæ inter se immediatæ, quę coincidant in punctum B. circuli minoris, & habeant postea commune segmentum B. C. tum sic: linea D. C. vsque ad punctum B. est recta, & non coincidit cum linea A B. in aliquo puncto, sed constat punctis occupantibus distinctum spatium ab eo, quod occupatur à punctis A. B. ergo esset etiam recta, si à puncto B. vsque ad punctum C. constaret similibus punctis, hoc est non coincidentibus, sed occupantibus distinctum spatium ab eo, quod occupatur à punctis componentibus lineam B. C. quatenus est segmentum lineæ A. B. C. Hęc consequentia patet, quia linea incipiens à puncto D. si, sicuti constat punctis distinctis vsque ad B. ita etiam constaret distinctis vsque ad C. interiaceret ex æquo inter puncta; & quidem quod vsque ad B. sic interiaceat, supponitur; quod verò à B. vsque ad C. interiaceret etiam sic, probatur paritate segmenti D. B. ergo tota esset recta. Omnia hæc videntur certa. quare in hunc modum concludo. non datur vna linea rectior alia, sed omnes æquè sunt rectę; nam rectitudo consistit in indiuisibili, atque adeò vel tota ponitur, et facit lineam rectam, vel tota auferetur, et relinquit lineam curuam. Atqui hæc posterior linea D. C. à me constructa, non habens cõmune segmentum cum linea A. C. sed extendens se semper ad latus illius per puncta, distinctum spatium occupantia, recta est, vt vidimus: ergo dicta linea D. C. habet commune segmentum cum linea A. C. & non sic semper extendit ad latus illius, non erit recta.

Dices si hæc ratio procederet, sequeretur, quod 75
hæ duæ lineæ non possent coincidere in centrum, sed hoc est apertè falsum; ergo &c. Probatur sequela, quia in discursu facto ad hoc, vt linea ducta à puncto D. sit recta, debet semper constare ex punctis lateralibus lineæ A. B. Sed sic iam deberet esse parallela; ergo non potest coincidere cum illa in puncto C. quin euadat obliqua. Respondeo sequelam esse verissimam, quamuis consequens falsum sit. quare concessa sequela maioris, & minore, distinguo consequens: ratio assignata, non procedit, absolutè concedo, non procedit ex suppositione opinionis admittentis continuum constare ex indiuisibilibus, nego consequentiam; & dico quod in tantum verum est lineas rectas, ductas à circumferentia ad centrum, se tocare in centro: in quantum circumferentia constat ex partibus diuisibilibus in infinitum, quare non possunt ex ea duci duę rectæ lineæ, quarum vna sit immediatè post aliam, eique parallela, sed inter vnam, & aliam semper debet intercedere spatium diuisibile, quod spatium ipsæ lineę, seruando suam rectitudinem, superare possunt, dum protrahuntur. Vnde non est mirum, si ita ductæ possint rectæ, vt in centrum coincidant. At verò si circumferentia circuli constaret ex punctis iam ex duobus punctis immediatis proxmis possent duæ lineæ, quæ hoc ipso, quod per vnum indiuisibile inclinarent, cum supponatur non habere inter se spatium aliquod, vel diuisibile, vel indiuisibile quod superent, necessariò deberent suam amittere rectitudinem, vel si eam seruarent, quantumcumque deflecterent, retinere deberent, quia siue inclinarent, siue non inclinarent; iam essent rectę.

Alia ratio posset esse, quia si plures rectæ lineę, 76
ductę à circulo maiori ad centrum, possent coincidere in vnum punctum circuli minoris in nostro casu, in quo circulus maior ponitur mille puncto rum, minor verò decem: iam in quolibet puncto minoris centum lineę coincidere nt. Sumamus ergo duas extremas harum centum linearum, cum sic: hę non possunt habere commune segmentum B. C. ergo adhuc stat in robore demonstratio. Consequentia patet; antecedens probatur, quia illæ duæ lineæ iam quo magis protraherentur versus B. eo minus distarent. cum enim inter se à principio distent, et debeant coincidere in B. debent paulatim distantiam illam superare; ergo in puncto B. iam faciunt angulum A. B. D. sed lineæ rectæ facientes angulum, si rectè protrahantur ex alia parte alium similem angulum constituere debent. vt demonstrant Mathematici, et rationis lumen ostendit; ergo lineæ A. D. vltra B. non possunt retinere rectitudinem suam, habendo commune segmentum B. C.

Quarta demonstratio deducitur ex Pyramide. 77
seu Triangulo in hunc ferè modum: Sit linea A. B, quę sit per aduersarios quatuor punctorum, super quam constituatur triangulus A. B. C. cuius latera

tera æquilia ſint octo punctorum: tunc ex omnibus punctis lateris A. C. ducentur octo lineæ ad omnia puncta lateris oppoſiti C. B. iam prima linea, quæ à ſuperiore trianguli parte duceretur, poſſet eſſe ad minimum vnius puncti, et quia quo magis lineæ facientes angulum protenduntur, eo magis diſtant inter ſe, ſecunda linea erit duorum punctorum, tertia trium, quarta ante quatuor, quinta verò quinque punctorum, maior ſcilicet ipſa baſi A. B. quod impoſſibile eſt, nam linea hæc A. B. cum magis diſtet ab angulo C. quàm quinta linea, neceſſe eſt vt ſit ea maior, vt oſtendit Euclides.



78 Ad hoc argumentum reſpondet primò Quiedus *loco citato num. 3.* negando dari poſſe Triangulum aut Pyramidem, cuius lineæ laterales maiorem habeant longitudinem, quam eius baſis. quod probat, poſita ſententia, quod linea conſtet ex punctis, ad euidentiam: ſed in hoc actum agit, quia iam hoc ipſum probatum fuerat demonſtratione noſtra. Potius debuiſſet oſtendere, hoc non eſſe inconueniens. Sic enim, contra ipſum non reclamaret primò Geometria, quæ demonſtrat dari poſſe triangulum, cuius laterales lineæ ſint maiores baſi, neque ſecundò reclamaret perſpectiua, quæ docet viſionem fieri per hoc, quod obiectum tranſmittat ſpecies ſui in potentiam viſiuam ad longam diſtantiam per lineas quaſdam coni figuram reddentes, ita vt in centro oculi terminentur, & apicem pyramidis ibi conſtituant, conſtat autem ſæpè diſtantiam inter obiectum, quod videtur, & pupillam eſſe pluſquam centies maiorem ipſo obiecto, quod ſe habet, vt baſis coni. Neque denique reclamaret certiò ipſa experientia, qua quotidie cernimus conos longiſſimos ſupra breuiſſimas baſes eſſe conſtructos, et vlnares virgas poſſe ita in angulum cõformari ex parte ſuperiori, vt ex inferiori nonniſi per dimidium palmum inter ſe diſtent.

79 Reſpondet ſecundò Arriaga *num. 148.* non quamlibet lineam, ductam ab vno puncto lineæ pyramidalis ad aliud oppoſitum, eſſe maiorem ſuperiore linea; quia cum dictæ lineæ ſimul inferius deſcendant, et elongentur inter ſe, inde eſt vt habeant aliqua puncta recta linea, verſus inferiorem partem, & alia verſus latera. Sed contra eſt: quia cum hæc ratio militet pro omnibus dictis lineis, nulla deberet dari linea major alia in pyramide; ſed omnes tranſierſales, ductæ ex vno puncto vnius lateris ad aliud oppoſitũ alterius deberẽt eſſe æquales, quia nõ poteſt aſſignari potior ratio de aliquibus, quam de omnibus. Contra etiã eſt ſecundò; quia ſi huiuſmodi lineæ non eſſent rectæ, ſed vndoſæ, vti ſupra probauimus de lineis rectis, quæ ducuntur ab vno latere quadrati ad aliud tranſeuntes per eius diametrum.

Vltima demonſtratio ſumitur *ex propoſitione 10 primi Euclidis*, quæ probat, quod omnis recta linea diuidi poteſt bifariam, hoc eſt in duas partes æquales; atqui ſi linea conſtaret ex punctis in ſententia eorum, qui dicunt eſſe eam indiſſerentem, vt conſtet ex punctis paribus, vel imparibus: aliquando non poſſet hoc modo diuidi: in ſententia verò Ouiedi, exiſtimantis eam neceſsariò conſtare ex imparibus, nunquam poſſet diuidi hoc modo, vt ſæpè docet, præſertim *puncto 2c. num. 2.* ergo &c. 80

Pater Arriaga, quem poſtea ſequutus eſt Ouiedus, dixit primò non demonſtrari in mathematica huiuſmodi propoſitionem. Sed facile principia, quibus nititur, negari poſſe. Contra tamen eſt, quia ſic magna pars demonſtrationum mathematicarũ, quæ huic propoſitioni nituntur, corrueret: & in paralogiſmum declinaret, quod aſſeri minimè debet, niſi afferendo principium, quo vtuntur Mathematici ad dictam propoſitionem probandam, et eiuſdem principij incertitudinem oſtendendo quod neuter eorum præſtat. 81

Addit ſecundò, ex Ariſtotelicis, eos qui ponũt lineam conſtare ex partibus diuiſibilibus, et punctis, non poſſe huic propoſitioni acquieſcere. quia data linea palmari v. g. dum diuiditur, punctum medium, vel ad vnum, vel ad alium ſemiplanum peruiqere debet; et ſic non poteſt fieri diuiſio in partes æquales. Nos verò, qui ſolas partes diuiſibiles in continuo ponunt, magis recedere ab Euclide, quam Zenoniſtas, quidem negant lineas, de quibus agit Euclides. 82

Sed contra eſt, quia illi, qui volunt continuũ ex partibus diuiſibilibus, et indiuiſibilibus conſtare, dicunt indiuiſibilia non reddere illud maius. atque adeò in diuiſione lineæ palmaris etiam ſi punctum medium ex parte vnius ſemipalmi, et non ex parte alterius ſe teneret: adhuc tamen diuiſio facta eſſet in duas partes æquales. Illi verò, qui negant in continuo dari indiuiſibilia, et Ariſtotelis doctrinam profitentur, dicunt ſe loqui in ſenſu reali, adeoque exiſtimant dari identificata cum partibus diuiſibilibus, et ab illis, ſolùm ratione diſtingui, per quod profitentur Euclidis demonſtrationes, et mathematicam vniuerſam rectè ſaluare. 83

SECTIO OCTAVA.

Soluuntur obiectiones contra compoſitionẽ continui in partes diuiſibiles in infinitum.

OBijcies primò Ariſt. *primo Topic. cap. 14.* docet ita ſe habere punctum in linea, ſicuti vnitas in numero, ſed numerus componitur ex vnitatibus; ergo linea ex punctis. 84

Reſpondeo ad maiorem: Philoſophum ibi cõparare vnitatem cum puncto in ratione principij, quatenus, ſicuti vnitas eſt principium numeri, ita punctum lineæ: non autem in ratione partis componentis: quare nego conſequentiam.

Obij-

Digitized by Google

85 Objicies secundò ex eodem 1. poster. rex. 30 dia: betur: punctum esse de substantia, seu essentia lineæ; linea ergo constat ex punctis.

Respondeo; Philosophum, vel loqui in mente veterum sententiam; non enim propriam adhuc statuerat: vel de linea quatenus terminata est: sub qua ratione dicit essentialiter terminos, vel denique, si de linea secundum se docere, quod punctus sit de eius essentia: non quidem tanquam eius pars, sed tanquam id, in quod partes eius, quæ necessariò continuari debent, inuicem copulantur, in quo sensu dicimus vnionem esse de essentia compositi.

86 Objicies tertiò: Quantitati vt sic, non repugnat componi ex indiuisibilibus; ergo quantitas continua componitur ex illis. Consequentia tenet: antecedens probatur, quia numerus est quædam species quantitatis, & tamen constat ex vnitatibus, quæ sæpè materialiter sumptæ, semper verò formaliter consideratæ indiuisibiles sunt.

Respondeo: transeat antecedens, nego consequentiam; ratio disparitatis est, quia partes continui facere debent extensionem non interruptam, quæ ab indiuisibilibus haberi nequit: at partes quantitatis discretæ, seu numeri, solùm faciunt multitudinem. Vndè sufficit, si quæuis distinctam habeat in se numerabilitatem, quidquid sit deinde num sit indiuisibilis.

87 Objicies quartò; ad punctum non potest sequi immediatè linea in infinitum diuisibilis; ergo sequitur punctum; linea ergo componitur ex punctis. Vtraque consequentia est certa. Antecedens probatur, quia linea est diuisibilis in partes priores, & posteriores, quæ quidem posteriores, nonnisi mediis prioribus, sequuntur ad punctum; numquam igitur linea immediatè sequitur ad punctum.

Respondeo distinguendo antecedens. Ad punctum nō potest sequi immediatè linea sumpta adæquatè, ita scilicèt, vt omnis eius pars assignabilis immediatè coniungatur puncto, concedo antecedens: non potest sequi immediatè linea sumpta inadæquatè, ita scilicèt, vt inter punctum, & illam absolutè consideratam nihil intercipiatur, nego antecedens, cum vtraque consequentia. Ad antecedentis autem probationem dico, quod de quantitatis essentia est, vt immediatè post punctum, ita sequatur aliquod diuisibile, vt ipsum possit in infinitum diuidi in partes immediatiores, & immediatiores ad ipsum punctum. Id ipsum alij dicunt, dū respondent ad punctum nō sequi immediatè lineā secundum se totam, seu determinatè sumptam, sed sequi solùm partem illius indeterminatam.

88 Objicies quintò; tempus componitur ex instantibus; ergo linea ex punctis. Consequentia est certa, quia tempus est, quid extensum, atque continuum, & per solam successiuitatem à linea, quæ est quantitas permanens, distinguitur. Antecedens probatur, tum quia Deus immediatè post vnum instans potest creare vnum Angelum, qui cum sit indiuisibilis, non potest creari, nisi in instanti: tum etiam quia nihil aliud temporis existit præter instans: ergo non habet alias partes, præter instantaneas.

Respondeo negando antecedens: ad priorem eius probationem dico, quod si verum est Angelū non posse à Deo creari in tempore; Deus immediatè post instans, neque potest illum creare, sed debet aliquantulum temporis minoris, & minoris, in infinitum expectare ad creandum illum. ad posteriorem verò aio: antecedens illud, quod communiter vsurpatur intelligendum esse, ita vt sensus sit, quod partes temporis successiuè, & non simul existant; in nunc autem, nonnisi indiuisibile continuatiuum earum, scilicet instans, existere possit: quare negatur consequentia.

89 Cæterum tempus, et quodvis aliud continuum successiuum, componi ex partibus diuisibilibus in infinitum, & non ex solis indiuisibilibus, ex suppositione eorum, quæ de continuo permanente demonstrauimus, est manifestum. Nam pone mobile moueri super lineam aliquam. Tum sic: si tempus, quo mouetur, constaret ex solis instātibus: in primo instanti motus, vel superauit partem diuisibilem lineæ, vel indiuisibilem. Secundum dici non potest, alias in secundo instanti aliam partē indiuisibilem dicendum esset, quod superauit, & in tertio aliam, atque adeò linea constaret ex pūctis. ergo dici debet primum. Sed hoc esse impossibile sic euinco: diuidatur hęc pars lineæ bifariam, in partem priorem, et posteriorem v. g. in A. B.

A ——— B ———

Nec non diuidatur etiam pars illa mobilis, quæ totam hanc partem lineæ acquisiuit, in duas similes partes C. D.

C ——— D ———

Peto, in eo instanti motus vel D. fuit simul in spatio A. B. & hoc non tum quia in eodem instanti fuisset in spatio maiori se; tum etiam quia penetrata fuisset cum parte C. quæ in eodem instanti supponimus acquirere spatium A. quod erat vicinum mobili: vel fuit tantùm in spatio A. & hoc neque; quia, præter quam quod penetrata fuisset cum parte C., falsum esset, quod mobile per illum motum instantaneum acquisiuisset spatium A. B. nam cum B. sit pars remotior debuisset occupari à parte mobilis D. quæ erat vicinior spatio superando, & non à parte C. quę erat remotior alioquin multo maiora sequerentur absurda: vel denique fuit tantùm in spatio B. absque eo, quod fuerit in spatio A. & hoc multo minus sustineri potest, quia iam dicta pars transiuisset de loco, in quo erat ante instans, ad locum B., non transeundo per locum mediū, quod erat A. Stet igitur ex suppositione quod continuum permanens non constat ex indiuisibilibus, esse euidens, neque ex eis constare continuum successiuum.

90 Duplex autem difficultas circa hoc occurrere potest. Vna est; quomodo ens successiuum possit esse præsens. cum enim habeat partes priores, & posteriores, quæ se inuicem excludant in existendo, secundum nullam illarum videtur posse habere rationem præsentis. Sed hæc difficultas procedit ex falsa intelligentia præsentiæ, quasi verò essentialiter dicat simultatem partium quantum ad esse; quod falsum esse constat ex eo, quod applicatur indifferenter rebus diuisibilibus. Dicimus enim (præsenti anno Petrus Romam iuit:

hora

Digitized by Google

hora præsens est dicit finis &c. Hanc etiam significationem habet particula nunc, dicimus enim, (nunc scribo, nunc loquor) &c. quæ actiones successiuæ sunt. Potest igitur res successiua secundum partes suas esse præsens, etiã si nullas partes simul habeat.

91 Altera difficultas est, quo modo partes fluentes, quarum aliquę sunt præteritæ, aliquæ futuræ, faciant vnum cum parte præsenti: Ea verò nullo alio modo solui potest, nisi dicendo, vnum in ratione successiui posita identitate mobilis, & identitate mouentis, haberi per negationem interruptionis partium, quæ fluunt. Sola enim interruptio illis obesse potest ne vnam successionem componant; quoniam verò ipsa interruptio est negatio successionis: hinc fit, vt negatio interruptionis sit quid positiuum, ab ipsa successione partium indistinctum. quod satis explicatur per hoc, quod in recto dicat ipsas partes. in obliquo verò fluxũ cõtinuatum earum prouenientem ab eodem principio, & in eodem subiecto receptum.

92 Obijcies sextò: quando existit instans temporis, vel existit aliqua pars temporis, vel nulla pars temporis existit. Neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur, quia si existit aliqua pars temporis; ergo hæc est indiuisibilis, si nulla pars existit; ergo instans additum tempori reddit tempus illud maius, quia plus est existere in parte temporis, & in instanti eius sequenti, quam in parte temporis tantùm.

Respondeo nonnullos docere, quod in instanti temporis existit pars temporis indeterminata. Sed contra hoc facit, quia indeterminatio non tollit a parte temporis diuisibilitatem; sed impossibile est, vt in instanti habeatur pars temporis diuisibilis; ergo &c.

93 Melius igitur negandum videtur in instanti temporis existere aliquam eius partem, nisi loquamur de partibus impropriè, pro omni eo, quod quomodocumque pertinet ad constitutionem totius; ad rationem autem in contrarium distinguo consequens: instans additum tempori reddit illud maius entitatiuè, concedo, quantitatiuè nego consequentiam; & ad probationem dico, plus esse entitatiuè existere in parte temporis, & in instanti terminatiuo illius, quam in parte temporis tantùm: at non est plus quantitatiuè, quia indiuisibile additum tempori, vel est continuatiuum, vel terminatiuum. Si continuatiuum extendit illud, in quo tantum in quantum est medium, quo continuatur cum alia parte successiua. Si terminatiuum illud tantùm complet, & terminat.

94 Obijcies septimò: Si Cælum Lunæ, & Mercurij, quæ se inuicem tangunt ab aliqua linea à centro terræ ad Empyreum ducta perforarentur: sequeretur, quod eorum superficies duo puncta in vnum immediatè post alterum in dicta linea assignarent. Sed si hoc esset: linea iam constaret ex punctis; ergo verè ex illis constat. Minor patet, sequela probatur, quia superficies illa Cælorum cum sint indiuisibiles secundum profunditatem, nõ possunt in linea assignare, nisi puncta; aequinumerè possunt assignare vnum; ergo duo, & quidem immediatè, vnum post alterum. Maior huius argumenti certa. Minor probatur, quia vni, & eidem rei indiuisibili non potest, nisi vnum indiuisibile correspondere, &c.

Respondeo negando sequelam maioris, ad eius probationem, concessa maiore, nego minorem; & dico quod cum superficies illæ Cælorum se tangentium indiuisibiles sint: non possunt facere extensionem secundum profunditatem, atque adeò sunt inuicem penetratæ, & vni eidemque indiuisibili puncto lineæ correspondent: quare nego quod vni, & eidem indiuisibili extrinseco non possint plura indiuisibilia correspondere; de facto enim lineis ductis à circumferentia ad centrum vnum punctum, quod in centro est, correspondet.

Obijcies octauò. Rotetur sphæricum super perfectè planum, vtique designabit in illo lineam; sed huiusmodi linea constat ex punctis; ergo &c. maior patet, minor probatur, quia huiusmodi linea constat ex ijs secundum quæ planum tangitur à sphærico, quod rotatur; sed planum non potest tangi à sphærico, nisi per puncta; ergo illa linea constat ex punctis: maior huius argumenti certa est. Minor probatur, quia nisi tangeretur per puncta maximè per lineam tangeretur. Sed hoc est impossibile: quia nulla pars lineę sphęricæ, vt demonstrant Mathematici potest congruere, & adæquari per contactum lineæ rectæ; ergo &c. 95

Respondeo concessis maioribus, negando minores omnium trium argumentorum: & ad id, quod Mathematici demonstrant dico, quod licèt verum sit, quod nulla pars lineæ circularis congruere possit per contactum lineæ plani permanenter, & in quiete; falsum tamen est, quod non possit in motu, & successiuè: quare in casu rotationis sphæricì super planum asserendum est duo ista corpora in lineis se tangere.

Instabis: Theodosius *lib. 1. sphæricorum elementorum propos. 3.* ostendit perfectè sphæricum non tangere planum nisi in puncto: posito autem quod trahatur sphęricum super planum, non verò roteatur, & quod sic tractum in plano lineam per contactum designet; est argumentum: Punctum non potest tangere, nisi in puncto, sed punctum sphærici tracti tangendo planum designat in eo lineã; ergo punctum sphærici sola puncta plani tangendo lineam formant. linea igitur ex solis componitur punctis. 96

Respondeo Theodosium cum reliquis Mathematicis ostendere solùm, quod sphęricum, quando est in quiete tangat planum in puncto; non autem quando est in motu: quo præmotato, & admisso casu ad argumentum distinguo maiorem: Punctum in quiete nõ potest tangere, nisi in puncto, concedo maiorem, in motu, nego; & concessa minore nego consequentiam. Ratio disparitatis inter contactũ qui fit in motu, & illum, qui fit in quiete, est quia punctum, & quodcumque aliud mobile, quando quieuit, coexistit spatio æquali sibi: at in motu semper coexistit spatio maiori se, quod sæpè docet Arist. & experientia constat èx lapide palmari, qui si dejiciatur ex turri centum palmorum omnibus illis palmis, dũ mouetur coexistit: Porrò spatium maius cui punctum coexistere potest in motu non est nisi linea; sphæricum igitur dum trahitur super planum lineam designabit. Quoniã verò huiusmodi coexistẽtia habetur beneficio solius

Digitized by Google

ais motus, imitabitur ipsum in successione: quare quemadmodum nulla pars motus est assignabilis, quæ successiua non sit: ita punctum partibus lineæ plani solùm successiuè coexistet in motu: punctis verò eiusdem lineæ, instantibus assignabilibus inter partes motus.

97 Obijcies nonò: inter primum punctum terminatiuum lineæ, & reliqua puncta collectiuè sumpta, quæ in ea sunt, vel intercedit aliquod diuisibile, vel non, neutrum dici potest: ergo &c. Maior patet, minor probatur; non enim dici potest primum, quia illud diuisibile continet puncta, quibus vniuntur partes, in quas diuidi potest; puncta autem illa sunt intra collectionem punctorum. neque secundum, quia si aliquod diuisibile non intercedit iam tota linea ex indiuisibilibus coagmentatur.

Respondeo: concessa maiore, negando minorē. Dico enim puncta, quę sunt in linea, cum non possint actu collectiuè sumi, ita vt omnia suam habeant determinatam entitatem, sicuti ex dicendis patebit: sumi posse collectiuè solùm quatenus sunt in potentia, quo pacto includunt in suo conceptu ipsam lineam, quæ est realis illorum actualitas, quæque sumi debet ad hoc, vt dicantur ipsa puncta, quæ sunt in potentia, accipi collectiuè; cum igitur inter primum punctum, & totam lineam, quæ ad illud consequitur non intercedat aliquid aliud; hinc fit vt inter ipsum, & reliqua puncta collectiuè sumpta, nihil diuisibile intercipi dicamus. Ex quo non sequitur lineam ex solis pūctis esse compositam; sed potius quod componatur ex partibus, quæ cum in infinitum diuisibiles sint essentialiter: impossibile est, quod colligantur omnes termini, qui ex earum diuisibilitate resultare possunt, quin in tali collectione ipsæ etiam inuoluantur.

SECTIO NONA.

Quo modo actus meritorius durans per aliquod tempus non mereatur præmium infinitum in sententia Aristotelis.

98 OBijcies 10. supponendo per continuationē liberā actuū bonorū, qui exercentur à iustis, augeri meritū, & consequenter præmium, ita vt quo magis durat actus, magis meritorius sit, & maius præmium ei debeatur. quo posito, est argumentum: Si continuum non constaret ex indiuisibilibus: sequeretur quod breuissimo tempore habitus charitatis intenderetur infinitè in homine iusto. Consequens est apertè falsum: ergo &c. Sequela probatur, quia in singulis instantibus temporis, pro quo duraret ejus actus bonus v.g. charitatis deberet promereri partes determinatas habitus gratiæ, æquales vni certę non communicantes; sed hęc instantia sunt infinita, quia tempus, licet breuissimum, per nos est diuisibile in infinitum; ergo &c. Minor, & consequentia huius patent. maior verò suadetur, quia in singulis instantibus durationis actus boni, secundum se spectatis, habetur liberum obsequium, non minus quā in primo instanti productionis; ergo & nouum augumentum gratiæ adequatè distinctum à reliquis, quia hoc se habet, vt præmium: illud vt meritum. In sententia autem Zenonis hoc non sequitur, quia instantia per eum, ex quibus duratio finita componitur, nō sunt infinita, sed finita; atque adeò etiam si in singulis aliqua pars finita præmij responderet, totum præmium ex dictis partibus resultans non esset infinitum.

Ad hoc argumentum respondent aliqui primò, 99
negando actui meritorio pro singulis suę durationis instantibus correspondere præmium; & ratio est, quia præmium debet dari huic actui, vel pro eius substantia, vel pro eius duratione. atqui pro substantia datum est in primo instanti initiatiuo, quando primò fuit elicitus: & siue parum, siue multum duret, semper est idem; pro duratione verò datur in tempore, quod inter instantia continuatiua intercipitur, in quo propriè est duratio; ergo non datur pro singulis suæ durationis instantibus.

Sed contra est, quia signato quocunque instanti 100
durationis, verum est dicere: ita nunc existit actus bonus, vt potuerit non existere, etiam si illud instans sit continuatiuum, & non initiatiuum durationis eius; ergo pro eo instanti exerceretur libertas distincta ab ea, quæ in præcedentibus partibus temporis exercita fuit. atqui actus bonus cum libertate exercitus ab homine iusto, habet rationē noui obsequij, atque adeò noui meriti. igitur correspondere ei debet nouum præmium: omnia patent, præter primum antecedens, quod suaderi potest ex eo, quia signato quocunque instanti illius durationis, ita Deum amat voluntas, vt possit non amare, imò & odio habere; ergo ita tunc existit actus, vt potuerit non existere.

Respondent alij secundò continuationi actus 101
correspōdere nouum præmium, tam pro partibus, quā pro instantibus continuatiuis; & pro partibus quidem correspondere illi partes intensiuas gratiæ habitualis: pro instantibus verò indiuisibilia continuatiua partium intensiuarum eiusdem habitus. Quoniam verò partes durationis actus, & indiuisibilia continuatiua illis intermista non faciunt durationem infinitam: ita neque partes extensiuæ charitatis, & indiuisibilia copulatiua eis intermista, infinitam reddent intensionem gratiæ: vnde nec præmium erit infinitum.

Sed contra hanc etiam responsionem facio primò, 102
quia pro libera conseruatione actus quantūuis instantanea aliquod diuisibile præmium dabitur dum est: ergo falsum est, quod pro singulis instantibus continuatiuis non mereatur homo, nisi indiuisibile præmij. Consequentia patet, antecedens verò suadetur: quia si homo iustus per aliquod tempus cessaret ab actu, & postea eundem actum, vel alium similem liberè reproduceret, nisi dictus actus duraret tantum per instans, aliquid tunc mereretur præmium diuisibile; ergo dum idem liberè conseruat, si non æquale, vt vult Petrus Hurtadus *disp.* 143. *sect.* 15. at proportionale meretur debet; & ratio à priori est, quia conseruatio voluntaria rei, moraliter loquendo, parum differt à noua productione eiusdem rei. Vnde dici solet beneficium creationis; nō multo plus, quam beneficium conseruationis æstimandum esse, eo quod conseruatio est continuata quędam creatio.

Contra etiam est secundò, quia indiuisibile 103
con-

Digitized by Google

continuatiuum gratiæ non cadit sub meritum distinctum à partibus diuisibilibus eiusdem gratiæ: quia ex suppositione, quod quis habet aliquem gradum gratiæ, hoc ipso, quod mereatur alium connaturaliter illi debetur indiuisibile gratiæ, quod verumque gradum continuet: ergo non potest hoc indiuisibile habere rationem præmij distincti. Neque dicas quod sicuti indiuisibile durationis actus, etiam si connaturaliter debeatur partibus durationis, est tamen distinctum meritum à partibus: ita & indiuisibile continuatiuum gratiæ; Ne id dicas, inquam, quia argumentum concedit, quod etiam si dictum indiuisibile continuatiuum durationis actus debeatur partibus ipsius actus, mereatur tamen præmium diuisibile distinctum à præmio partium; ergo paritas nulla est.

104 Contra denique tertiò; quia ex hac responsione sequitur, quod tantum præmij mereretur actus excellentioris virtutis pro instanti durationis, quantum meretur actus virtutis minus excellentis. Quod si dicas cum aliquibus Thomistis, de quibus Quiedus *in primam secundæ tract. 9. de merito contr. 3. puncto 5. num. 64.* Solum actum charitatis, aut ex motiuo charitatis imperatum esse meritorium gratiæ, & gloriæ. Contra est, tum quia hæc opinio ferè nihil probabilitatis habet, tum etiam quia argumentum potest transferri ad diuersos actus eiusdem charitatis, quorum vnus sit intensissimus, alter verò remississimus; vterque enim pro instantanea duratione indiuisibile præmij mereretur, quod videtur absurdum.

Respondent alij tertiò: nullam actionem nostram durare posse per instans, sed necessariò per aliquod tempus, siue determinatum, siue indeterminatum duraturam esse. quo posito negant actui bono respondere singulis iustantibus suæ durationis partem aliquam determinatam præmij. Volunt enim totam durationem simul sumptam, & indiuisibiliter acceptam sibi determinatum præmium vendicare.

105 Sed contra hanc responsionem etiam facit; primò, quia nulla assignari potest implicantia in eo, quod actus aliquis voluntatis duret per vnicum tantum instans, quo posito redit argumentum factum: nam pro singulis instantibus contentis in sequenti duratione potest voluntas cessare ab actu; ergo in singulis liberè illum conseruat, & consequenter in singulis aliquid præmij diuisibilis mereretur. Contra etiam facit secundò: quia dato, quod actio libera, posito quod sit necessariò per aliquod temporis spatium duratura sit, eo tamen finito pro quolibet instanti sequentis temporis cessare potuit, & sic pro quolibet aliquid merebitur præmij; nisi igitur negetur, voluntatem pro quolibet instanti assignabili durationis actus liberè producti habere potentiam completam cessandi ab illo, semper stabit difficultas. Sed quomodo hoc habeat veritatem difficilè probatur. Noster Conink *secunda secundæ disp. de merito dub.* 10. *à numero* 166. ait, voluntatem hoc ipso, quod se determinauit ad actum in instanti, quemdam veluti impulsum sibi producere, quo se determinat per certum aliquod tempus dictum actum conseruare, quo conatu corrupto, necessariò debere postea in aliquo instanti aliũ similem impulsum in se causare, vt vlteriùs conseruationem dicti actus prosequatur, vsque ad aliud determinatum tempus, & sic deinceps, donec nolit vlteriùs actum illum conseruare: Quoniam verò hæc instantia, in quibus hoiusce conatus sibi producit, finita sunt; ideò præmium illis correspondens erit finitum.

Sed contra est: quia sine vlla probabilitate huiusmodi conatus ad soluendam difficultatem inuehuntur, nec satis explicari possunt, quid tandem sint; num scilicèt, distincti ab actu, qui conseruatur, an indistincti; & quidem non posse dici, quod sint indistincti, patet, alioqui semper haberentur, nec successiuè vnus post alium, durante eodem numero actu, producerentur. Tinquo, quod sic nunquam actus definere posset. Quod verò non possit dici, quod sint distincti, suadetur ex eo, quia nihil aliud voluntas in se ipsa producit, nisi actus suos vitales, & his mediantibus habitus. At hi conatus, seu impulsus, neq; actus vitales esse possunt, alioquin redibit difficultas, quomodo liberè conseruetur, & dabitur processus in infinitum; neq; possunt esse habitus, quia non durarent ad tam modicum tempus; ergo &c. 106

Melius ergo videtur mihi dicendum, quod sicuti aliud est præmiũ quod respondet substantiæ actus boni, & aliud, quod respondet eius durationi, & permanentiæ in esse iam habito: ita alia est libertas, quæ requiritur ad ponendam à parte rei substantiam illius, & alia ad ponendam eius durationem. Quamuis enim non possit quis velle durationẽ sui actus, absque eo quod, vel tunc velit eius substantiam, vel supponatur eam antea voluisse: at potest velle substantiam actus, & non durationem illius: cuius rei ratio à priori, esse potest, quia diuersa sunt motiua, quæ debet proponere intellectus pro duratione ab ijs, quæ proponit pro substantia. Vnde, sit vt non repugnet dari in voluntate actum liberum, qui duret per vnicum indiuisibile instans, quatenus voluntas acquiescat motiuis propositis ab intellectu ad ponendum actum; non autem illis, quæ ad eum conseruandum illam alliciant. 107

Iam verò dupliciter potest voluntas se determinare ad durationem actus boni. Primò signatè, per actum, qui habeat pro obiecto explicito ipsã durationem, dicatque volo v. g. perseuerare per horam in hoc actu amoris Dei. & sic cum duratio se habeat per modum obiecti etiamsi esset infinita, diceretque voluntas, volo in infinito tempore amare Deum: non potest transfundere infinitatem valoris in actum illum. Quamuis enim instantia, in ea duratione contenta sint finita in infinitum, quia tamen respiciuntur indiuisibiliter ab actu illo, non transfundunt in illum infinitatem suam; ad eum planè modum, quo quando quis elicit actum misericordiæ, quo vult dare pauperi aureum nũmum, nõ meretur præmium infinitum, licèt partes proportionales aurei illius sint finitę in infinitum propter eandem rationem. 108

Secundò, potest voluntas se determinare ad durandum in actu bono v. g. charitatis exercitè absque nouo actu ex parte sui, per hoc præcisè, quod intellectus proponat ipsi voluntati, ex vna parte motiua aliqua eam allicientia ad continuationem actus; & ex altera alia motiua à dicta continuatione illam auertentia; ipsa verò voluntas 109

Digitized by Google

tas defacto, & in actu exercito perseueret in actu. porrò hæc perseuerantia adhuc dupliciter se habere potest. Primò, ita vt moraliter nouum exercitium libertatis importet, quod tunc accidit, quando post liberam actus productionem ex parte intellectus, aliquod nouum motiuum voluntati proponitur, eam alliciens ad cessandū ab actu. Secundò ex vi antiqui exercitij libertatis, quo ab initio se determinauit ad actum; & si quidē hoc secundo modo se habeat voluntas, non augebitur eius meritum, neque aliquid præmij merebitur supra antiquum ratione continuationis actus, quia ab initio exercitè ad vtrumque se determinasse supponitur, hoc ipso, quod admisit illa motiua suadentia vtrumque, hoc est substantiam actus, & tantam, vel tantam durationem eius. Vnde ab initio habuit determinatos gradus gratiæ valori illius actus correspondentes. Si verò voluntas se habeat primo modo: augebitur quidem eius meritum. Sed iuxta numerum nouorum exercitiorum libertatis, vt v. g. pro singulis mereatur vnum gradum gratiæ. quoniam verò hoc nouum libertatis exercitium haberi non potest pro omnibus instantibus durationis actus collectiuè acceptis, sed solùm pro omnibus distributiuè. Hinc fit, vt importet potentiam, quæ defacto non reducitur ad actum, nisi quibusdā vicibus determinatis pro certis instantibus v.g. decèm, vel viginti, vel triginta, &c. Ex quo apparet: hominem iustum per nullam finitam durationem actus meritorij, quātumuis ad multum tempus mereri præmium infinitè intensum gratiæ habitualis, & gloriæ. Hoc enim non correspondet, nisi in finitis exercitijs finitæ libertatis, saltem moraliter distinctis, quæ haberi non possunt iuxta sententiam Aristotelis.

110 Obijcies ex Oniedo *tract. 9. in primam secundæ contro. 3. puncto 5. numero 60.* & si daremus actum non posse durare per instans, sed necessariò per aliquod tempus siue determinatum, siue indeterminatum conseruandum esse; non potest reddi ratio, cur transacto eo tempore voluntas non possit pro quolibet instanti consequente eum destruere; ergo pro quolibet instanti consequente merebitur homo aliquid diuisibile gratiæ, atque adeò gratiam infinitè intensam. Consequentia patet. probatur antecedens, quia ex vna parte voluntas pro quolibet consequenti instanti habet eandem cognitionem, quam ab initio habuit, eademque principia, ex vi quorum constituitur indifferens: ex alia verò actus æquè pendet ab illa, & æquè destruibilis est; ergo nulla potest reddi ratio, cur pro quolibet instanti sequente eum voluntas destruere nō possit.

Respōdeo: solutionem, quam supra tradidimus, non inniti eorum opinioni, qui volunt actum vitalem non posse durare per instans, sed necessariò debere per aliquod tempus conseruari: quamuis enim hæc opinio falsa sit: adhuc posita nostra solutione, non sequi in sententia Aristotelis ex duratione actus boni debere dari præmium infinitè intensum, sic ostenderem. Quando assumitur in antecedente huius obiectionis: nullam posse reddi rationem, cur voluntas, postquam produxit actum, non possit pro quolibet instanti illum destruere, vel loquitur de potentia remota voluntatis: & in hoc sensu verum est antecedens, sed consequentia falsa, quia ad meritum non sufficit libertas remota, vt de se patet: vel loquitur de proxima, & in actu secundo, & sic negandum est antecedens; & ad eius probationem, concesso integro antecedente, nego consequentiam; & in hunc ferè modum arguo: vel illa cognitio, quam ab initio habuit, voluntas constituebat illam proximè liberam in ordine ad solam substantiam actus, & non ad eius conseruationem: vel in ordine ad vtramque. si primum etiam si in sequentibus instantibus illa cognitio conseruetur: voluntas non erit completè libera ad conseruandum in dictis instantibus actum suum. cum enim nil possit esse volitum, quin sit præcognitum: impossibile est, quod voluntas possit se determinare ad volendum perseuerare in actu cum sola cognitione, qua complebatur ad ponendam, vel non ponendam substantiam eius; sed indiget vbertius noua cognitione, quæ ostendat illi commoda, & incommoda conseruationis ipsius actus: si verò eligatur secundum, quòd scilicèt, cognitio initio habita constituebat voluntatem proximè potentem non solùm circa substantiam actus, sed etiam circa eius conseruationem; ergo dicendum, quod voluntas ad vtrumque initio se determinauit respiciendo conseruationem sui actus tanquam obiectum volitum, quod certum est non transfundere infinitatem in ipsum.

Instabis: siue dicamus, quod illa cognitio initio habita, esset sufficiens ad solam substantiam actus ponendam, siue etiam ad eiusdem conseruationem; non potest negari, quin pro instantibus sequentibus ad primam actus positionem possint haberi aliæ cognitiones, beneficio quarum voluntas compleatur ad perseuerandum, vel non perseuerandum in actu. ergo adhuc stat non posse reddi rationem, cur pro quolibet instanti sequenti voluntas non possit suum actum bonum destruere: consequentia patet. antecedens verò probatur; quia si cognitio erat sufficiens ad solam substantiam, potuit ei addi pro tempore sequenti alia cognitio complens illam ad liberam perseuerantiam. si verò erat sufficiens ad vtrumque, potuit pro tempore sequenti addi alia, quæ exercitium dictæ perseuerantiæ dissuaderet, cui si voluntas præberet assensum: actum suum minimè conseruaret; ergo &c. 111

Respondeo, distinguendo antecedens; non potest negari, quin pro instantibus sequentibus distributiuè sumptis possint haberi aliæ cognitiones, quarum beneficio compleatur voluntas ad perseuerandum, vel non perseuerandum in actu, concedo: pro instantibus sequentibus collectiuè acceptis, nego antecedens, & consequentiam; & ad antecedentis probationem dico: verum quidem esse post instans productionis actus haberi posse alias, atque alias cognitiones complentes voluntatem ad liberè perseuerandum in actu: has tamen cognitiones de facto semper esse finitas, eo quod pro solis instantibus sequentibus distributiuè sumptis diuersificari possunt. Vnde fit, vt quandiu voluntas perseuerat in actu, nō possit circa dictam perseuerantiam facere de nouo, nisi finita exercitia libertatis, quibus finiti gradus gratiæ, & gloriæ tamquam præmium correspondeant.

Insta-

Digitized by Google

112 Instabis iterum: Stante eadem numero cognitione indifferenti circa solam substantiam actus boni, voluntas postquam liberè posuit ipsum actum, potest vlteriùs liberè illum conseruare. ergo non est, cur, pro quolibet instanti assignabili consequente ad instans productionis, voluntas non exerceat libertatem sufficientem ad nouum meritum. Consequentia patet; probatur antecedens; prima illa cognitio quandiu durat, repræsentat voluntati motiua tum ad prosequutionem, tum ad fugam obiecti; ergo quandiù durat dicta cognitio, voluntas est completè potens ad illud prosequendum, vel fugiendum; non obstante igitur quod posuit actum amoris: potest vlteriùs proximè illum liberè conseruare non ponendo actum odij.

Respondeo, negando antecedens, vt patet ex dictis; ad cuius probationem concesso assumpto, nego primam consequentiam, quia ad hoc, vt voluntas esset completè potens ad odium obiecti, nõ deberet habere actum amoris illius: quandiù enim hic perseuerat, propter incompossibilitatem essentialem, quam habet cum illo, reddit voluntatem absolutè, & omnibus pensatis, impotentem odio habere dictum obiectum. Necesse est igitur, vt prius cesset ab actu amoris, quam quidem cessationem potest illa velle dupliciter directè, & indirectè; & siquidem velit directè, debet illi representari, hic, & nunc vt bona: si verò indirectè, sufficit, si ei representatur aliud obiectum disparatum, circa quod velit exercere libertatem suã, & non possit absque eo, quod cesset ab actu præcedenti. Ex quo sequitur, quod vt liberè ipsa voluntas de nouo se exerceat circa continuationẽ actus, semper noua cognitio ex parte intellectus haberi debet. Quare si pro quolibet instanti assignabili nouum libertatis exercitium poneret, pro quolibet noua cognitio intellectus in intellectu haberi deberet, quæ ostenderet illi nouas conuenientias, & disconuenientias, quæ in quolibet instanti de nouo occurrerent; quod repugnat.

113 Instabis tertiò: in quolibet instanti assignabili potest intellectus apprehendere nouum motiuum ad cessandum ab actu. Iam verò possibili posito in actu, cum nullum sequatur absurdum, faciamus quod apprehendat, in tali casu pro singulis instantibus haberetur nouum exercitium libertatis; ergo & nouum præmium.

Respondeo, distinguendo antecedens: in quolibet instanti assignabili distributiuè sumpto intellectus potest apprehendere nouum motiuum, concedo: in quolibet collectiuè accepto, nego; Porrò vt ex possibili posito in actu nullũ sequatur absurdum, debet poni quomodo est possibile; nimirum quod in aliquibus determinatis instantibus defacto apprehendatur ab intellectu nouum motiuum, quamuis potuerit apprehendi in pluribus, & pluribus in infinitum. Neque dicas, hinc sequi in cæteris instantibus durationis actus sui, voluntatem neque liberam esse, neque mereri. nego enim consequentiam; non enim valet argumentari à secundùm quid ad simpliciter, vt si quis dicat, in hoc instanti non datur nouus mundus. ergo in hoc instanti non datur mundus; quia potest dari aliquis, vt defacto datur, qui fuerit antea creatus; ita dicam ego, quamuis verum sit in cæteris instantibus non haberi nouum exercitium libertatis; falsum tamen est, voluntatem in illis non operari liberè, quia hoc ipso, quod initio quadrantis v. g. se liberè determinauit ad continuandum actum per integrum quadrantem, ex hac libera determinatione verum est dicere, quod in singulis instantibus illius quadrãtis, liberè operetur, quantumuis non possit proximè in quolibet cessare ab actu. vt videre est in Deo, qui ab initio æternitatis se determinauit ad omnia, quæ facit in tempore, ita vt non possit mutare se, nolendo ea, quæ semel tunc voluit, & nihilominus omnia liberrimè operatur.

Instabis denique quartò: Continuatio actus honesti potest dupliciter considerari: primò quatenus est obiectum volitum; secundò quatenus est exercitium ipsius voluntatis. tum sic: licet primo modo accepta non addat nouum meritum supra actum, quo ab initio fuit volita: Addit tamen secundo modo considerata. Sed si addit iam debet correspondere illi præmium infinitum; ergo &c. maior probatur, quia continuatio actus honesti quatenus est exercitium ipsius voluntatis se habet, vt actus internus imperatus, intrinsecè, & ex obiecto honestus. Sed actus internus imperatus, intrinsecè, & ex obiecto honestus habet distinctum meritum ab imperante, vt probat Ouiedus *in primam secundæ tract. 9. controuer. 2. puncto 5.* ergo &c. minor verò suadetur ex eo, quia huiusmodi continuatio actus pro singulis instantibus induit rationem noui obsequij. 114

Respondeo primò, negando maiorem: ad cuius probationem dico, quod licèt admittamus opinionẽ Ouiedi, volentis actum imperatum ex obiecto honesto habere distinctum meritum ab actu imperante item honesto; quæ opinio à quamplurimis recentioribus improbatur, sicuti etiam quod actus exterior augeat meritum interioris: in casu tamen nostro dicta opinio non habet locum, quia duratio actus non habet honestatem aliquam ex obiecto suo adæquatè distinctam ab honestate, quam ex suo obiecto actus ipse desumit. quamuis enim distinctum sit præmium, quod datur intuitu substantiæ actus ab eo, quod datur intuitu durationis eius: hoc non ita intelligendum est, vt aliud respondeat actui, & aliud eius durationi; sed quod, aliud respondeat actui secundum se spectato, & aliud eidem actui, vt circũstantiam durationis habenti. Porrò Ouiedus *loco citato.* tunc solùm concedit actui imperato distinctum meritum ab imperante, quando honestas, quam habet ex obiecto suo, est condistincta ab honestate actus imperãtis.

Respondeo secundò, data maiore, negando minorem, cum sua probatione; nisi enim continuatio actus honesti hic, & nunc repræsentetur volãtati cum indifferentia spectãte ad hoc determinatũ instans; non induit hic, & nunc rationem noui obsequij; vnde non est mirum, si non correspondeat illi nouum præmium.

Digitized by Google

DISPVTATIO TRIGESIMA

DE DISTINCTIONE PARTIVM, EX QVIBVS Continuum componitur.

CONSTAT Partes in Continuo non distingui ratione ratiocinata tantùm, & beneficio solius intellectus; quæ enim hoc modo distinguuntur, si in rigore loqui velimus, pro statu reali sunt vnum indiuisibiliter, sicuti sunt animalitas, & rationalitas in homine; ratio coloris, & ratio disgregatiua visus in albedine, &c. Constat autem in ligno bipalmari non ita distingui partes, quia videmus beneficio diuisionis posse realiter ab inuicem separari. Vnde deducitur, quod distinguatur realiter. Vtrum autem actu, vel potentia, hoc est maximè controuersum.

SECTIO PRIMA.

An Partes in Continuo secundùm se sumptæ sint actu, an potentia distincta.

1 SVarez *disp.40.metaph.sect.5. nu.35.* Masius *sect. 2. quæst.6.* Hurtadus *disp.13.physic.sect.1.* Auersa *quæst.22.sect.6.* sequuti Durandum *in 4. dist.12. quæst.3. num.6.* Riccardum *dist.10.art.9.* Gregorium *in prima quæst. 24.art.1.* Gabrielem *in secunda dist. 1.quæst.3.notabili 3.* Maiorem *in 4.dist.22. quæst.8.* & alios: Censent partes in continuo ante quâcumque assignationem esse inter se realiter, & nemine cogitante actu distinctas: & quidem dicunt primò, eas distinctas esse, non autem inuicem diuisas, seù separatas; quia ad earum diuisionem requiritur præterea negatio vnionis inter se; vt patet ex materia, & forma vnitis, quæ licèt inter se realiter distinguantur: non sunt tamen inuicem separatæ, atque diuisæ. aiunt secundò distinctionem istam actu inter partes reperiri, per quod directè opponuntur ferè omnibus Philosophis Italis, qui putant partes in continuo solùm potentia inter se distinctas esse. Addunt denique tertiò ante quamcumque assignationem, quia facta actuali assignatione partium, certum est eas, pro vt sub tali assignatione stant, actualiter inter se distingui; contra quos sic.

2 Vnica nostra conclusio: Partes in continuo ante assignationem non sunt realiter inter se actu distinctæ, sed solùm potentia. Est Sancti Thomæ *8.physic. text.68.* & *5. met.text.84.* & *3. met. text. 49.* & *in 4. distinct.10. quæst. 1. art. 3. quæst. 3. ad primum.* Auuerrois *8.Physic.text.98.* & *5. met.text. 21.* Alexandri *9.met.text.49.* Simplicij *6. physicorum.68.* Tenistij *ibidem.* Capreoli, præterea Ægidij. Alberti Magni, Henrici, Niphi, Valesij, Albertini, & aliorum communiter contra Hispanos, quos sequitur Quiros *disp.67. sect. 1.*

3 Probatur primò ex Arist. qui *8. physic. text. 65.* docet puncta, quæ inter extrema sunt, non actu, sed potentia esse in medio, & *text. 68.* in continuo (inquit) insunt quidem infinita dimidia, sed non actu, sed potentia; vnde concludit: quare dicendum ad interrogationem, si cõtingit infinita transire (illud scilicèt quod mouetur,) aut in tempore, aut in longitudine, quod est quidem sic, est autẽ non sic: actu nanque non sunt, non contingit: potentia autem contingit; per quod patet solutio Zenonis argumentum, qui ex diuisibilitate continui in partes in infinitum, inferebat non dari motum: ex eo, quia si daretur, deberet mobile infinita dimidia pertransire, & *3. met. text.49.* quæ duo, inquit, actu sunt, nunquam actu sunt, sed si potentia, duo sunt, erunt vnum. & *5. met. text.31.* ait, continuum ex pluribus inexistentibus potentia non actu & *3. de anim. text. 29.* longitudinem continuã appellat actu indiuisibilem: diuisibilem verò potentia. denique *9. met. text.12.* ait, dicimus autem potestate, vt in ligno, imperfecto, scilicet, Mercurius & in toto dimidium eo quod auferri possit.

4 Dices cum Ruuio, & alijs Docloribus Hispanis partes in continuo dici à Philosopho non esse actu, sed in potentia, quoad solam diuisionem, in quantum non existunt in illo actu diuisæ: non autem quoad distinctionem; cuius interpretationis veritas confirmari potest ex *3. met. text.49.* vbi docet substantiam partes materiam scilicet, & formam non esse actu in composito, sed solùm potentia, vtique quoad diuisionem; siquidem materia, & forma, non potentia, sed actu se habent, dum sunt in composito, inter se distinguuntur.

5 Contra tamen est primò, quia diuersimodè se habent ea, quæ faciunt vnum per continuationẽ: ac ea, quæ faciunt, vnum vt actus; & potentia. hæc enim cum sint essentialiter diuersa, non possunt dici esse hoc aliquid actu, nec quatenus sunt idem cum toto; vnde si in eo considerentur secundùm se, etiam si realiter distinguantur ab inuicem, potentia solùm dici possunt hoc aliquid. partes verò quantitatis, vt sunt actu hoc aliquid, satis est, si habeant proprias, & reales entitates, vnitiones inter se distinctas: quidquid se deinde, vel vnum tertium componant, atque constituant; adhuc non erunt entia completa, atque adeo nobile quid. Sed hoc non concedit Philosophus. ergo in eius sententia non sunt actu distinctæ.

6 Contra est secundò, quia stante aduersariorum opinione, Arist. non rectè soluisset Zenonis argumentum, quo probat mobile in motu infinita dimidia pertransire, siue enim huiusmodi dimidia separata sint, siue distincta, parum refert. Semper enim

enim esse infinita, quæ sic, quod motus infinitus diuidia actu distincta pertransire posset: videtur etiam posse illa pertransire, si separata ab inuicem esse; quod enim possint maiorem extensionem efficere diuisa, quammodo se tangerent, quã distincta. At verò in nostra sententia ratio illud argumentum soluit, cui nullam relinquit dubitationem. Partes enim, quæ potentia distinguuntur, quia nullam habent in sua entitate propriam determinationem, idcirco extensionem finitam seu tempore pertransibilem intelligi recte possunt, quod constituant.

7 Contra denique tertiò, quia Arist. 3. *physic.* 4 *text.* 56. cum infinitum actu negasset, & sibi ex hac conclusione obiecisset quantitatem non fore in infinitum diuisibilem; huic obiectioni respondet: eam solùm in potentia esse infinitam non autem actu, nullam faciens de diuisione, seu distinctione partium mentionem; quam tamen in hoc argumento facere debuisset, vt plenè ei satisfaceret; ergo &c.

8 Probatur secundò ratione, si partes omnes in continuo essent actu distinctæ: vel essent finitæ, vel finitæ in infinitum, vel denique infinitæ; nullum ex his dici potest, ergo &c. maior patet ex sufficienti enumeratione: minor verò probatur. Non enim dici potest primum, quia si actu essent finitæ, iam non possent dictæ partes diuidi in plures, illo numero finito; & per consequens essent indiuisibiles: Neque dici potest secundum, quia numerus finitus in infinitum est partim actu, partim in potentia, & secundum id, quod est actu, finitus est, secundùm verò id, quod est in potentia infinitus; in quantum actu potest magis, & magis augeri, vnde infiniti syncategorematici nomẽ accepit. sed partes si sunt actu distinctæ, cum non sit maior ratio de his, quam de illis, omnes actu distinctæ esse debent; non autem partim actu, & partim potentia: ergo earum numerus non potest dici, quod sit finitus in infinitum. Neque denique potest dici tertium, quod scilicet, sit actu infinitus: primò, quia hoc expresè negatur ab Arist. Secundò quia partes istæ infinitam facerent extensionem, quod est contra sensum, ad infinitam enim extensionem efficiendam tria requiruntur in partibus, primò extensio, secundò infinitas, tertiò denique æqualitas. & quidem quod partes istæ, si distinguerentur, haberent duo priora requisita conceditur ab aduersarijs, quod verò haberent tertium, suadetur Primò, quia si partes istæ essent inter se inæquales ablato excessu partium maiorum, hæ iam essent minoribus æquales. tum sic; vel hæ partes, quæ ex maioribus detrahuntur, distinguebantur ab excessu, vel non: si primum iam igitur omnes erant æquales. nam idem argumentum fieri potest de partibus cum excessu illo comparatis: si secundum, ergo non omnes partes erant actu distinctæ, quod est oppositum aduersariorum sententiæ. Suadetur secundò, quia numerus partium æqualium in continuo omnis est actu, sed non est finitus; ergo infinitus: Maior in sententia aduersariorum videtur certa. 21 *Minor* probatur, quia assignato quocumque numero partium æqualium semper est assignabilis alius maior v. g. si diuisus est palmus in quatuor partes æquales, potest etiam diuidi in octo itẽ æquales, si in octo potest in sexdecim, & sic in infinitum. non enim datur pars in quantitate, quæ in duas medietates æquales diuidi nequeat: numerus igitur partium æqualium in continuo non est finitus quoad diuisionem, æquus igitur quoad distinctionem quærens probandum.

9 Pater. Hurtadus *disp. 21. physic. sect. 4.* docet cum Aristotele, in continuo duo posse genera partium considerari: quædam enim sunt determinatæ ad certam magnitudinem, & has dicit semper esse numero finitas v. g. in homine septẽ dari palmos, in milliari mille passus &c.

Quædam verò sunt indeterminatæ, eo quod nullum habent terminum paruitatis, & has concedit esse numero infinitas: non quidem simpliciter, sed tantùm secundum quid. quod probat ex eo, quia cum huiusmodi partes sint inter se communicantes, sunt inclusæ in partibus determinatis. Vnde sicuti simpliciter non sunt aliæ ab illis, ita neque simpliciter sunt plures, nec pauciores, sed secundum quid; atque adeò secundum quid sunt infinitæ, & non simpliciter, ex quibus infert, quod quando huiusmodi partes dicuntur esse simpliciter infinitæ in quantum proportionales, est aperta terminotum æquiuocatio, quemadmodum si quis diceret infinitum secundùm quid in quantum secundum quid esse simpliciter infinitum, quia partes proportionales sunt partes secundùm quid; quantitas enim quadripalmaris est secundùm quid mille palmorum, quia hi palmi sunt inter se communicantes.

Sed contra est primò, quia infinitum secundùm 10
quid est illud, quod est partim actu, & partim potentia. Sed partes in continuo non sunt partim actu, & partim potentia distinctæ per se; sed omnes actu; ergo non sunt infinitæ secundùm quid. Contra est secundò, quia etiam loquendo de partibus, quas appellat Auctor indeterminatas, eo quod non habeant certum aliquem terminum paruitatis, illæ sunt infinitæ simpliciter, & non secundum quid; ergo nulla solutio. Antecedens probatur, quia si essent infinitæ secundùm quid, maximè, vt dicitur in argumento, quia essent inter se communicantes, & inclusæ in partibus determinatis, atque finitis. Sed primum est falsum, secundùm autem verum, sed non obstat earum infinitati simpliciter. ergo non est negandum eas fore simpliciter infinitas, & non secundùm quid. maior est auctoris doctrina. Minor probatur, quoad primam partem: quia supposita aduersariorum sententia de actuali distinctione partium in continuo: sicuti in eo datur infinitus numerus partium communicantium. ita non est negandus infinitus numerus partium æqualium non communicantium, quod sic ego suaderem. Continuum quadripalmare v. g. habet aliquam multitudinem partium æqualium non communicantium. Sed hæc multitudo non est finita; ergo infinita. maior patet, quia continuum quadripalmare habet numerum quaternarium palmorum, item octonarium semipalmorum, nec non sexdenarium quadrantium palmi, & sic de cæteris in infinitum; ita tamen, vt singuli, & sic de cæteris in infinitum; ita tamen, vt singuli vnus ex quatuor palmis non communicet cũ reliquis tribus, quibus est æqualis; ita neque vnus semipalmus cum reliquis septem semipalmis, neque vnus quadrans cum reliquis quindecim quadrantibus,

tibus,

tibus, neque vnus semiquadrans cum reliquis triginta, & vno semiquadrantibus &c. Datur igitur in continuo multitudo partium æqualium non communicantium. eam autem non esse finitam probo sic: assignato quocunque finito numero partium æqualium non communicantium in dicto continuo, semper est in eo assignabilis alius numerus maior, & maior in infinitum. v. g. si tu dicis partes æquales non communicantes esse in triginta duas, quarum vnaquæque sit octaua pars palmi. dicam ego esse sexaginta quatuor, quarum vnaquæque sit decima sexta pars palmi. & vlteriùs dicam esse centum viginti octo, quarum vnaquæque sit trigesima secunda pars palmi; & sic in infinitum. ergo numerus partium æqualium non communicantium est infinitus. non quidem syncategorematicè, vt dicebam; quia hæ partes non sunt partim actu, & partim potentia distinctæ, sed omnes actu per aduersarios, atque adeò infinitæ categorematicè. Iam verò quod non obstet infinitati simpliciter, quod dictæ partes sint inclusæ in partibus determinatis, atque finitis, quæ erat secunda pars minoris probandæ, suadetur ex eo, quia possunt partes alicuius multitudinis esse determinatæ, & finitæ quoad numerum, & tamen includere in se numerum categorematicè infinitū, vt si daretur numerus infinitus hominum, partes multitudinis oculorum essent duæ, vna dextrorū, altera sinistrorum, atque adeò essent determinatæ, & finitæ quo ad numerum, & nihilominus vtraq; includeret suum numerum infinitum categorematicum oculorum. Quod igitur partes æquales minores, & minores sint inclusæ in partibus determinatis, & finitis non obstat infinitati simpliciter earum; sicuti neque vnitatibus infinitis, quod sint inclusæ in vna multitudine infinita.

11 Dices primò: Hoc ipso quod partes indeterminatæ minores, & minores in infinitū includuntur in maioribus determinatis, atque finitis, iam sunt communicantes cum illis; ergo falsum est dari in continuo infinitas partes æquales non communicantes.

12 Sed contra est: quia ad hoc vt partes æquales alicuius continui non sint communicantes sufficit, vt inter se comparatæ, vna non habeat aliquid alterius quidquid sit si comparatæ cum alijs illarū aliquid habeant. Sic omnes dicimus quatuor palmos, ex quibus constat quantitas quadripalmaris esse partes illius non communicantes; & tamen si comparentur cum duabus bipalmaribus, in quas dicta quantitas est primo æqualiter diuisibilis includuntur in illis. sed ita se habent partes æquales minores, & minores in casu nostro; ergo &c. Linquo quod sicuti dicit aduersarius partes minores, & minores semper in maioribus includi: ita dicere potest aliquis etiam maiores includi in minoribus. non minus enim quantitas palmaris includitur in duobus semipalmis, quam duo semipalmi in quantitate palmari; ergo quantum est ex hoc capite non debet negari infinitas per se in partibus minoribus per hoc, quod in maioribus contineantur.

13 Dices secundò, si in continuo darentur partes æquales non communicantes infinitæ simpliciter; vtique assignari posset saltem aliqua ex illis, sed hoc est impossibile, nam quælibet quæ assignatur, non habet in continuo partes sibi æquales infinitas, sed solùm finitas; ergo non dantur huiusmodi partes æquales infinitę. sequela maioris videtur ex eo, quia videtur incredibile, quod detur à parte rei infinitas actualis indiuiduorum certæ cuiusdam speciei, & neque Angelus, neque Deus ipse possit falcem vnum ex dictis indiuiduis assignare.

Respondeo: hoc argumento rectè probari, vel nullas dari partes in continuo ante assignationem actu distinctas, vel si dentur debere sustineri; quod istæ partes sint indiuisibiles, atque adeò quod quantitas ex solis indiuisibilibus componatur. Hoc autem in hunc ferè modum suadetur, si dentur partes æquales in continuo actu inter se distinctę, certum est non fore finitas; nam assignato quouis numero finito maximè exorbitante v. g. triginta, vel sexaginta millionum dictarum partium, semper esset assignabilis alius maior, & maior numerus in infinitum: neque fore finitas in infinitum vti vidimus. erunt igitur infinitæ simpliciter: sed ex hoc sequitur quælibet ex illis esse indiuisibilem, nam assignata parte diuisibili minori, & minori, non habentur in continuo partes illi æquales non communicantes, nisi finitæ, vti diximus; ergo dicendum est sententiam de actuali distinctione partium, ex qua prouenit hoc manifestum absurdum, esse reiiciendam. 14

Dices denique tertiò: partes actuales non communicantes in continuo esse semper numero finitas. nam si quæras quot palmi sint in quantitate quadripalmari dicam esse tantùm quatuor, si quot semipalmi, octo tantùm, & sic de reliquis. Falsum igitur est in continuo finito, de quo loquimur, dari partes æquales non communicantes multitudine infinitas. Contra tamen est, quia quando dicis, & sic de reliquis alijs. non potest esse sensus, nisi quod quantumuis in infinitum procedas inquirendo numerum partium æqualium non communicantium in quantitate quadripalmari, semper inuenies maiorem, & maiorem in infinitum. ergo iam datur in dicta quantitate infinita multitudo partium æqualium non communicantium actu distinctarum. Quod enim numerus maior, qui in assignatione subsequitur, contineat partes proportionales, & communicantes, si comparetur cum partibus numeri minoris præcedentis v. g. octonarius semipalmorum, partes proportionales, & communicãtes respectu partium numeri quaternarij palmorum: nihil refert, vti probauimus; Et vlteriùs confirmamus, quia etiã ipsi quatuor palmi sunt proportionales; & communicantes respectu binarij partium bipalmarium, in quas quãtitas quadripalmaris primò diuidi poterat: & tamen numerus quaternarius palmorum dicitur absolutè constare ex pastibus æqualibus non communicantibus respectu continui quadripalmaris. Stet igitur, si partes in continuo sunt actu distinctæ dari debere in eo multitudinem infinitam simpliciter partium æqualium non communicantium, atque adeò deueniendum esse ad indiuisibilia. 15

Probatur denique tertiò nostra conclusio.: quia nihil est actu distinctum ab alio, quin in se sit determinatum, sed partes in continuo non sunt in se determinatæ. ergo non sunt inter se actu distin- 16

Digitized by Google

stinctę. Maior probatur, quia prius est aliquid in se ipso constitui, & postea distingui à quolibet alio. nam distingui ab alio est quid respectiuum, quod supponit absolutum. sed prædicta constitutiua rei sunt determinatiua eiusdem rei in se ipsa; & quidē, si sunt generica, determināt ipsam in ratione generis: si verò specifica, in ratione speciei: si denique indiuidualia, ad esse indiuidui: ergo nihil est actu distinctum ab alio, quin in se sit determinatum. in quo non possum non notare aduersarios, & præsertim Hurtadum *loco citato*, qui admittunt omnes partes in continuo esse actu distinctas, & nihilominus dicunt aliquas esse determinatas, alias verò indeterminatas. qui enim intelligi potest, quod aliquid sit distinctum ab alijs, & sit respectu illorum indeterminatum; cum distinctio ad rei determinationem consequatur. præterea non potest assignari per quid partes aliquæ potius determinationem habeant, & non omnes; non enim potest dici cum Hurtado, quia habent certam magnitudinem, non includere partes alterius magnitudinis. nam si quælibet pars est distincta ab alijs, iam quælibet certam habet magnitudinem, & quidem non includentem partes alterius magnitudinis, loquendo de partibus, secundùm quas ab altera magnitudine distinguitur. Sed nos redeamus ad nostrum principale argumentum, probando eius minorem sic: Partium extensarum determinatio prouenit à terminis, seu à negatione vlterioris extensionis; ad eum planè modum, quo determinatio vnitatum ad hunc vel illum numerum. Si enim data aliqua hominum multitudine siue finita, siue infinita; ego non accipiam ex ea quinque vnitates v. g. cum negatione vlterioris vnitatis, non habebo numerum quinarium hominum: item nisi accipiam sex homines cum negatione vlterioris vnitatis, non habebo senarium, & sic de cæteris numeris. atqui partes in continuo non habent ante assignationem, vel diuisionē proprios terminos, sed omnes sub cōmuni termino totius cōprehenduntur; ergo partes in continuo non sunt in se determinatæ. Hæc vltima minor, quæ sola videtur egere probatione; suadetur: quia si quælibet pars assignabilis ante quācumque assignationem haberet in se proprium terminum, non posset cum alia componere vnum cōtinuum; alioquin sequeretur, quod esset in se vnū indiuiduum completum, & determinatum, vt supponimus; et non esset, quia adhuc admitteret determinationem, & complementum in ordine ad illud tertium, quod componit. ergo partes in continuo non habent ex se proprios terminos, sed sub communi termino totius comprehenduntur: ex quo obtinent, quod solùm à partibus aliorum continuorum actu realiter distinguantur. Confirmatur vlteriùs id, quod dicimus, quia in tantùm putamus materiam primam, & formam substantialem esse entia incompleta, quia alioquin essent apta compositum substantiale constituere; sed hoc esse incompletum non possumus concedere partibus, quæ sunt in continuo, quia videmus, quod si inuicem separentur, sunt entia completa; ergo debemus illis tribuere in continuo indeterminationem, cuius beneficio fiant aptæ componere vnum continuum, & ineptæ se ipsis esse indiuiduæ, quā quidē indeterminationem non possumus sustinere, quod habeant in composito materia, & forma, quia cum de se sint essentialiter diuersa: ex sua essentia determinantur, vt hæc sit forma, illa materia.

Dices primò, ideò partes in continuo non esse indiuidua completa, quia inter se vniuntur ad dictum continuum componendum. Sed contra est, quia vt sint aptæ componere vnum per se in ratione continui, debent necessariò habere aliquam incompletionem, vti vidimus, sed hæc incompletio non potest esse in illis in ratione entis, alioquin de se essent semientia; ergo erit in ratione indeterminationis. Quod si replices: sufficere incompletionem in eo genere, in quo est totum. v. g. duobus palmis ad componendam quantitatem bipalmarem sufficere incōpletionem, qnam singuli distributiuè sumpti habent respectu quantitatis bipalmaris: Contra etiā est, quia si sufficeret hęc incompletio sequeretur, quod nullum daretur ens per accidens, siquidem ex quibuscumque indiuiduis inter se vnitis. v. g. ex Angelo, & ligno: ex lapide, & ferro &c. posset resultare vnum ens per se, seu vnum indiuiduū naturale, quia in ordine ad totum, quod componerent, suam incompletionem haberent. 17

Quod si denique addas hoc esse proprium eorum tantùm, quæ faciunt vnum extensiuum, vel intensiuum, vt etiam si in se sint indiuidua completa in entitate, & determinata, adhuc tamen possint componere aliud indiuiduum maius, vel intensius, si inter se vniantur, contra est: tum quia nemo potest rerum naturas ad libitum suum confingere in ijs, de quibus est controuersia, absq; nota petitionis principij. Tum etiam quia, cum natura amet vnitatem in indiuiduis, & multiplicitatem in eis fugiat, quantum potest: si possumus saluare partes in continuo non esse distinctas; vtique debemus, quatenus congruentius ad inclinationem naturæ discurrimus. Sed possumus, vti patebit ex solutione argumentorum; ergo debemus. 18

SECTIO SECVNDA.

Proponuntur, & soluuntur obiectiones in contrarium.

Obijcies primò: Arist. 1. *met. tex.* 18. definit, quantitatem esse diuisibilem in ea, quæ insunt. & 5. *physic. tex.* 26. docet continuum esse illud, cuius partes communi termino copulantur; & 1. *Ethic. cap.* 13. loquens de partibus animæ ait, vtrum autem distinctæ sint, vt corporis partes, & omnia diuisibilia: an ratione tantùm duæ sint: re autem separari nō possint &c. nihil ad propositum refert; denique 1. *physic. tex.* 53. ex eo, quod principium per Melissum esset continuum, infert illud non esse vnum, sed multiplex; ergo per Aristotelem partes in continuo sunt actu distinctæ. 19

Respondeo explicando singulos textus. Docet primò Philosophus quantitatem esse diuisibilem in ea, quę insunt, non quidem tamquam actu distincta, sed tamquam distincta solùm potentia, licet de reliquo actu insint quo ad entitatem: Ait præterea continui partes communi termino copulari; qui quidem terminus non sit, neque intelli- 20

Digitized by Google

ligi possit, nisi facta assignatione aliqua, ac distinctione ipsarum partium. Primo verò Ethicorum appellat partes animæ gradus ipsos animæ sensitiuæ, & rationalis, de quibus dubitat, vtrum in homine faciant vnum diuisibiliter, vt partes corporis, quæ possunt inuicem separari: an verò indiuisibiliter; ita vt sola ratione distinguantur. Verum hoc dubium docet ibi ad moralem Philosophum non pertinere. Denique contra Melissum, ex eo quod principium sit quantum, vel infert præter principium, quod est quantitas, dandum esse aliud quod sit substantia; vel infert principium illud quantum, non esse omnino vnum, sed multiplex, saltem potentia, facta scilicet assignatione.

21 Obijcies secundò: Quantitatis partes ita se habent, vt vna sit extra aliam: ergo actu realiter distinguuntur; Consequentia probatur, quia nihil est extra id, cum quo identificatur.

Pro explicatione aduerte; quod licet partes quantitatis nõ sint inter se realiter distinctę actu, sunt tamen realiter distinctæ potentia: hæc autem realis distinctio potentialis duobus modis reduci potest in actum. primò per realẽ diuisionẽ, cuius beneficio illæ, quæ erant in potentia partes, fiunt tota quædam indiuidua completa, non amplius habentia rationem partium; ad aliquod enim indiuiduum extensum completè constituendum duo necessariò requiruntur: vnum in recto, quod est entitas eius, quam entitatem partes habebant in continuo ante diuisionem: alterum in obliquo: scilicet terminum negationem vlterius extensionis importantem, quamquidem negationem per diuisionem de nouo acquirunt. Secundò potentialis illa distinctio reduci potest ad actum per assignationẽ; assignando scilicèt, & distinguendo partes, quæ sunt in continuo. Potrò hæc assignatio fieri potest tripliciter, primò intrinsecè per informationem, cum scilicet vna pars informatur aliqua forma, qua non informatur alia: secundò extrinsecè per contactum, vt cum tangimus istam, & non illam aliam partem. Tertiò denique extrinsecè per intellectum, vt cum partes illas determinatè sumimus, comparando vnam ad alterã, vel vnam, & non alteram considerando, quibus positis.

22 Respondeo ad argumẽtum, quod si in eo sermo
23 sit de partibus realiter actu distinctis, vel per diuisionem, vel per assignationem, concedo totum: nihil enim sequitur contra nos. Si autem de partibus ante quamcumque assignationem, & diuisionem: distinguo antecedens, quantitatis partes ita se habent, vt vna sit extra aliam, extreitate reali potentiali; concedo antecedens; extreitate reali actuali, nego antecedens, & consequentiam. quemadmodum enim vna distinguitur ab alia, ita est extra illam. Probationem verò consequentiæ eodem modo distinguo: nihil est extra id, cum quo identificatur extreitate potentiali, nego; actuali concedo. Ratio autem huius rei est, quia dum aliqua pars potentialiter solum est extra aliam, non terminatur termino distincto, aut proprio; atque adeò ad illam extenditur, & cum ea confunditur, atque identificatur.

23 Obijcies tertiò: Ea quæ ita se habent, vt vnum possit realiter ab alio separari, non sunt vnum, & idem realiter inter se. sed partes quantitatis separari possunt ad inuicem; ergo &c.

Respondeo, distinguendo maiorem: ea quæ ita se habent, vt vnum possit realiter ab alio separari, non sunt vnum realiter inter se indiuisibiliter, concedo maiorem; non sunt vnum diuisibiliter, nego; & concessa minore, distinguo eodem modo consequens. Dico enim dupliciter duo esse posse vnum, & idem realiter inter se: indiuisibiliter, & diuisibiliter. vnum indiuisibiliter sunt conceptus obiectiui inadęquati, qui à parte rei in vna entitate reali indiuisibiliter reperiuntur. huiusmodi sunt conceptus substantiæ, animalis in vno eodemque homine, quorum vnus, ne per absolutam quidem Dei potentiam sine alio existere potest: vnum diuisibiliter illa sunt, quæ licèt à parte rei realem, & actualem inter se distinctionem non habeant; quia tamen habent potentialẽ, hinc fit, vt vnum non solùm concipi, & assignari, sed etiam existere possit contradistinctum ab alio; & hoc modo sunt vnum partes quantitatis. quamuis autem repugnet, vt idem acquirat distinctionem à se ipso, hoc est ab eo, cum quo est idem indiuisibiliter: at nulla est repugnantia, posito quod sit idem diuisibiliter cum illo. 24

Obijcies quartò: Distinctio sequitur entitatem; 25
sed partes ante quamcumque assignationem, seu diuisionem, peculiarem habent entitatem: ergo etiam ante quamcumque assignationem, inter se distinguuntur: maior patet; Minor probatur, quia diuisio non est productio entitatis partium; quemadmodum igitur post diuisionem partes suam habent peculiarem entitatem, ita etiam illam habẽt, antequam assignentur, ac diuidantur.

Respondeo. Quod si sermo sit de entitate rerũ 26
heterogenearum, quarum vnaquæque non est diuisibilis in infinitũ in partes item heterogeneas, sed in se habet id, per quod à cęteris omnibus distinguatur: vera est absolutè maior. Sed argumentum nihil concludit, quia partes quantitatis sunt homogeneæ diuisibiles in infinitum in alias eiusdem rationis. Posito igitur, quod maior loquatur de entitate homogenea: illam distinguo sic: distinctio sequitur entitatem homogeneam, quomodocumque sumptam nego maiorem: entitatem homogeneam proprijs terminis terminatam, seu negationem vlterioris extẽsionis dicentem, concedo: & distinguo eodem modo minorem: partes quantitatis ante quamcumque diuisionem, seu assignationem, suam habent peculiarem entitatem, ad alias partes extensam, & sine proprio termino cõcedo: suam habent peculiarem entitatem terminatam, & cum negatione vlterioris extensionis, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem autem minoris distinguo antecedens; diuisio non est productio entitatis partium quomocumque sumptarum, concedo: si sumantur partes, quatenus terminatæ, & quatenus debent negationem vlterioris extensionis importare; nego antecedens, & consequentiam. beneficio enim diuisionis, & assignationis habent partes, vt terminationem propriam acquirant, & negationem vlterioris extensionis importent. duæ igitur guttæ aquæ, quando sunt separatæ, non ratione suarum entitatum, vt sic distinguuntur inuicem, sed multò magis ratione propriæ terminationis, quam si amittent; realem

Digitized by Google

sed distinctionem etiam amittant, necesse est. Quamuis enim in statu separationis se ipsis distinguebantur: ad constitutionem tamen sui ipsarum vtriusque entitas, & propria vtriusq; terminatio cõcurrebat. Obiter tamen nota hic me dixisse, quod maior est absolutè vera, loquendo de entitatibus rerum heterogenearum, quarum vnaquæque non est diuisibilis in infinitũ in partes heterogeneas; nam si habet heterogeneitatem diuisibilem in infinitum, se habet sicuti res homogenea. Vnde fit, vt licet omnes partes pyramidis habeant heterogeneitatem; quia tamen hæc non consistit in indiuisibili, sed est vlteriùs, & vlteriùs in infinitum diuisibilis, ideo eius omnes partes distinguuntur solùm potentia, non actu.

27 Instabis. Vnio non est indistinctio, sed diuisio solam tollit vnionem inter partes; ergo illas iam supponebat distinctas. Maior patet: quia materia, & forma in composito sunt vnitæ, & tamen realiter inter se distinguuntur.

Respondeo, distinguendo maiorem: Vnio non est indistinctio in rebus heterogeneis; concedo: quia hæ ex heterogeneitate ipsa habent, vt inter se distinguantur, & proprio termino terminentur; vnio non est indistinctio, in homogeneis. nego maiorem; & distinguo eodem modo minorem, diuisio solam tollit vnionem inter partes heterogeneas, concedo: inter partes homogeneas, nego minorem; quia inter illas tollit etiam indistinctionem, & sic nego consequentiam. maioris autem probatio, cum procedat de rebus heterogeneis, non facit ad rem.

28 Obijcies quintò; quæ sunt idem actu realiter inter se, ita se habent, vt quidquid affirmatur de vno, affirmetur etiam realiter de altero: sed partes quantitatis non se habent hoc modo; ergo actu realiter distinguũtur; Maior videtur certa. Minor probatur primò, quia de orientali parte Cæli v. g. nunc affirmatur, quod sit in oriente, quod tamen nunc de occidentali verificari non potest absque eo, quod per miraculum in duobus locis esset replicata. Secundò quia de quantitate capitis verificatur, quod sit rotunda v. g. oculata, aurita, de quantitate verò pedis, quod sit longa, sine oculis, ac sine auribus. ergo &c.

29 Respondeo distinguendo maiorem: quæ sunt actu idem realiter inter se, ita se habent, vt quidquid affirmatur de vno, affirmetur etiam de altero: ante quamcumque assignationem vnius, & vlterius, concedo: facta assignatione, nego; & sic distincta minore: nego consequentiam. ad minoris verò probationem dico, quod hoc ipso quod cõcipitur vna pars Cæli, vt correspondes vni determinato loco, & altera alteri, iam fit in eis extrinseca assignatio. Ad illud autem de capite, & pede dico, quod sicuti ex eo, quod vna pars sit alba, altera nigra ratione intrinsecæ assignationis inuicem distinguuntur multò magis caput, & pes propter diuersitatem accidentium, quam habent. vniuersaliter igitur notandum est, quod quoties de aliquibus partibus continui verificantur prædicata contradictoria, semper sumũtur, vt actu distincte, non minus, quàm animalitas, & rationalitas, quando de illis verificatur, quod altera sit perfectibilis, & altera non.

Obijcies sextò: minor est distinctio inter materiã, & formam, quam inter duas partes quantitatis, sed illæ actu realiter in composito distinguuntur; ergo &c. Minor patet: maior probatur; quia materia, & forma non possunt existere separatæ, quantitatis verò partes possunt.

Respondeo primò distinguendo maiorem. Minor est distinctio actualis inter materiam, & formam, quam inter duas partes quantitatis, nego maiorẽ. minor est distinctio potentialis, concedo: & cõcessa minore, nego consequentiã, quia nõ valet ab vno genere distinctionis transire ad aliud. 30

Respondeo secundò negando absolutè maiorẽ: Ad cuius probationem dico, quod posse, vel non posse duo separatim existere non semper prouenit à maiore, vel minore distinctione actuali, sed sæpè etiam à perfectione, vel imperfectione rerum, quæ inter se realiter distinguuntur. 31

Obijcies septimò: quæ ita se habent, vt vnum realiter existat, altero non existente, actu realiter inter se distinguuntur. sed quando existit vna pars motus, seu temporis, nõ existit alia pars; ergo partes motus, & temporis actu realiter inter se distinguũtur: cum igitur motus, & tẽpus sint quantitas continua successiua: nulla autem sit maior ratio de partibus continui successiui, quam de partibus permanentis. sequitur, quod etiam partes quantitatis permanẽtis sint actu realiter inter se distinctę. 32

Respondeo primò: si argumentum hoc haberet vim, probaret partes motus, & temporis non posse facere vnum continuum. nam, quæ ita se habẽt, vt vnum existat, altero non existẽte, non possunt non esse actu diuisa. 33

Quod si, respondeant id verum esse loquendo de permanentibus, & non de successiuis.

Contra est; quia si in successiuis ad faciendam cõtinuationem sufficit negatio interruptionis partium, cur eadem negatio non erit sufficiens ad faciendam indistinctionem?

Respondeo secundò, distinguendo maiorẽ: quę ita se habent, vt vnum realiter existat, altero non existente, si illa duo permanentia sunt, cõcedo maiorẽ, quod actu realiter inter se distinguãtur, quia entia permanentia, cum sit tota simul, negationem vlterioris extensionis in se continent, atque adeò nequeunt ad ea, quæ non existunt, se extendere: si illa sunt successiua, vel successiuorũ naturã imitantur, nego maiorẽ; satis enim est, si realiter potentia ad inuicẽ distinguantur: sic concessa minore; nego consequentiã. Et dico, quod de continuo successiuo discurrendũ est proportionaliter, ad quantitatẽ permanentem, exceptis his, per quæ inuicem inter se differunt. sicuti igitur in quantitate permanente nulla pars est assignabilis, quæ propriũ habeat terminum, per quõ ab alia sequenti distinguatur: ita etiã in successiua in ea enim partes sine vlla interruptione sibi inuicem succedunt, & præsens ad futurum extenditur, atque hac ratione illam integrant. & sic partes quantitatis successiuæ existẽtes cum non existentibus per communem terminum, & successiuam, ac continuatam existentiam diuisibiliter identificantur. 34

Obijcies octauò. Comburatur successiuè filũ: tunc partes omnes illius ita se habebunt, vt prima sit causa efficiens secundæ partis, secũda verò tertiæ, tertia autem quartæ in infinitum: ergo in tali casu omnes partes erunt realiter inter se actu distin- 35

stinctæ.antecedens videtur euidens, consequentia probatur, quia nihil potest causare se ipsum in genere præsertim causæ efficientis.

36 Respondeo,concesso antecedente,negando cõsequentiam, & eius distinguo probationem,nihil potest causare seipsum,si ponitur esse indiuisibile id, quod causare debet,concedo : si ponitur diuisibile,nego:rectè enim id, quod diuisibile est,potest intelligi, quod se ipsum causet secundũ diuersas partes proportionales:non quidem per se,sed per accidens ratione scilicet alicuius successiui ; quod in eo est,cuius naturam in causando imitatur.Porrò ad hoc causandi genus,nõ sequitur inter causã, & effectum realis relatio,quia hæc cõsurgit posita reali distinctione actuali inter fundamentũ,& terminũ.Idẽ tenẽtur dicere aduersarij:nã positis partibus actu distinctis accepta quacũq; parte fili cõbusti,ita se habet, vt prima eius medietas sit causa secũdę,&sic nũquã est assignabilis pars,quę secũdũ priorẽ medietatem nõ sit causa, & secundũ posteriorẽ non sit effectus. omnes igitur quotquot tenemus,cõtinuũ esse in infinitũ diuisibile,debemus dicere,quod in dictis casibus nõ possit assignari causa quin includat rationem effectus respectu sui ipsius inadæquatè acceptæ.vt rectè notauit Giattin. *in 3. arg.art.2.cit.* quãuis non rectè postea in 5. probet argumentum, quod ducitur à partibus entis successiui,quarum vna existit non existente alia,nam si res benè perpendatur,eadem ratio militat in casu de combustione fili.

37 Obiicies 9.si partes in continuo actu realiter nõ distinguerẽtur; sequeretur,quod si proijceretur in mare aquæ gutta:totum mare,quod prius erat, deperderetur: & aliud totum constans ex illa gutta, & mari præcedente de nouo resultaret;sed hoc videtur inconueniens ; ergo &c.

38 Respõdeo distinguẽdo sequelã:sequeretur quod totũ mare,quod prius erat, deperderetur secundùm entitatẽ suam, nego: secundũ terminationẽ,secũdũ quã aliud totũ de nouo resultaret,cõcedo sequelã; & distincta eodẽ modo minore,negatur cõsequẽtia. Dico autẽ quod proiecta aquæ gutta in mari, vtriusq; entitas remaneret quidẽ:at periret vtriusq; terminatio saltẽ ex parte,quia ex vtraq;entitate vnũquid de nouo resultaret; quia verò hoc insẽsibiliter euenit : hinc fit, vt moraliter loquendo mare censeatur esse idem, ac fuerat prius,quod ipsum tenentur dicere aduersarij;vt de se patet.

39 Obijcies decimò : continuum est actu totũ aliquod integrum,atque compositum;ergo actu cõstat ex partibus.antecedens patet,consequentia probatur;quia sicuti totum integrum, ita & compositum ad partes componentes relationem importat.

40 Respondeo aliquos negare antecedens propter rationẽ, quæ affertur in probatione consequẽtię, ac velle, cõtinuũ esse totum aliquod integrũ,&cõpositũ solũ potentialiter in sensu thi diuisorio,quãtũ resolui potest in plures partes,quãuis si actu resoluatur,nõ sit actu totum continuũ,neq;cõpositũ. Alios verò cõcesso antecedẽte,negare cõsequẽtiã, quia existimant quod ad hoc,vt aliquod sit totum compositũ, & totũ integrale sufficiat, si partes habeat realiter potentia distinctas, sic dicunt lapidẽ v.g.esse realiter actu mixtũ,etiã si virtute tantũ in se elementa contineat:ad probationẽ consequẽtię aiunt,relationẽ illã esse rationis, quę tunc cõsurgat,quando partes cõcipiuntur ,vt quid distinctũ à toto.Probabilius videntur respõdere priores,inxta quorum responsionẽ aduerte,quod hæ,& similes propositiones.Continuũ est actu aliquod totũ, est actu compositum,habet actu partes,&c. si particula, actu,se tenet ex parte copulę, veritatẽ habent, sin autẽ ex parte prædicati falsæ sunt.siquidẽ sũpę in primo sensu significant continuum actu esse cõpositum,seu totum quid potentiale; in secundo verò sensu significant illud esse compositum,& totum quid actuale, quod sine actuali partium distinctarum compositione haberi nequit.

Obiicies 11. nisi partes ante diuisionẽ in continuo essent actu distinctę sequeretur,quod neq;essẽt distinctæ potẽtiæ;sed hoc est falsum,& contra neo. ergo &c.Sequela probatur. quia in potentia solũ habent,vt facta diuisione possint esse tota quædam actualia, in quantum per realẽ diuisionem non remanẽt,vt partes.ergo iam non essent distinctæ potentia ad essẽdũ partes, sed potius ad essẽdũ tota. 41

Respondeo,negando sequelã:ad eius probationẽ dico,quod illi,qui tenent ad intrinsecam identitatẽ partium tollendam, sufficere assignationẽ realem ; quatenus partes prout substant illi assignationi intrinsecè realiter distinguuntur : qui,inquã,hoc tenent, negant assumptum, & dicunt,quod partes, quæ ante assignationẽ erant in potẽtia partes,post assignationẽ dum intelliguntur vnitæ, & continuũ componere actu,fiunt actu partes, licèt remaneant adhuc in potentia tota quędam,cuius potentiæ actualitatem solius diuisionis beneficio consequãtur.Qui verò malunt,nullam assignationem sufficere ad intrinsecam partium distinctionem,quia putant huiusmodi assignationem semper extrinsecè se habere ad rationem intrinsecę identitatis, etiam si beneficio formę intrinsecæ habeatur. Hi concesso antecedente, negant consequentiam, & dicunt, quod illę, quæ erant in toto partes potentiales ante diuisionem, atque adeò non actu distinctæ,facta postea diuisione,fiunt partes actuales, non quidẽ in eo sensu, quasi verò remaneant partes,sed in alio,quatenus scilicèt, connotat se præfuisse in toto. Esse igitur partẽ potentialem dicit solũ esse in potentia ad hoc,vt in illã resolui possit totum,non autem vt fiat pars actualis,actualiter totum aliquod componens. partes igitur quantitatis,dum stant sub ratione potentialitatis,sunt cõponentes:quatenus verò per diuisionem potentialitatem amittunt,partes resolutoriæ dici possunt. Vtraque responsio suam habet probabilitatem ad loquendi modum pertinentem. 42

Obijcies duodecimò : quantitatis partes non sunt actu idem indiuisibiliter ; ergo actu realiter distinguuntur. 43

Respondeo, negando consequentiam,ad distinctionem enim actualem,non sufficit,vt duo sub aliqua ratione non sint idem: sed requiritur, vt sub nulla ratione,neque diuisibiliter, neque indiuisibiliter identificentur.

Obijcies decimotertiò. Non possunt duo individua completa diuersæ speciei vniri in vnam speciem; ergo neque duo individua completa eiusdem speciei, vt duæ aquæ v. g. in vnum individuum. 44

Respondeo negando consequentiã. Disparitas est,quia diuersitas speciei semper obstat,ne individuum

Digitized by Google

dum vnius confunderetur cum individuo alterius: at verò diuersitas individuorum non semper. quando enim individuum in se habet, vt includat in se plura individua eiusdem rationis in potentia, ratione solius proprij termini distinguitur ab alijs. Quare si illum amittet in vnam entitatem, cum alijs eiusdem rationis committebatur.

45 Obijcies vltimò. Potest Deus vnam partem vnius quantitatis reproducere, & continuare cum alijs; si autem partes non distinguerentur à toto, in tali casu eadem partium diuersis totis identificarentur; sed hoc esse absurdum patet ex eo, quia sic etiam tota ipsa essent idem inter se, quæ enim sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

Respondeo aliquos negare sequelam; possunt enim dicere dictam partem non identificari in tali casu cum toto illo extraneo, quia identificatio pertinet ad intrinseca rei, hæc autem non variantur vllo modo per replicationem quoad locum, sed nō bene, nam illa pars prouè reproducta est in toto illo extraneo, constat esse distincta à toto, cuius erat naturaliter pars, siquidè valdè distat ab illo, vt iam suppono; sed quid si dicerent dictam partem ab vtroque toto distingui, quia à per replicatione, sufficientem habet assignationem, ratione cuius sit ab vtroque distincta? Melius tamen concessa sequela, negarem minorem. Ad probationem autem dicerem, ex hoc non sequi tota illa esse eadem inter se, & ratio est, quia terminus, qui identificantur in casu nostro, replicationis beneficio se habet, vt multiplex, & imitatus vniuersale, quod propter communitatem, quæ respicit inferiora, etiam si identificetur cum illis, non infert identitatem eorum inter se: sic natura diuina licet identificetur cum personis, non tamen ex eo aliter inter se distinguuntur.

SECTIO TERTIA.

Expenditur quædam sententia media de distinctione partium in continuo.

46 Pater Maurus *lib. 2. quæstionum philosophicarum quæst. 40.* nouam quandam circa hoc mihi notam opinionem, quam dicit esse Aristotelis, Themistij, Simplicij, Alberti, S. T. Scoti, & aliorum primæ notæ auctorum: re vera tamen haud scio, an aliquando eis in mentem occurrerit, vel nos debeamus. Ea est, continuum constare ex partibus actu distinctis solùm finitis, quæ tamen hæc dividibilia in infinitum in alias partes minores, & minores, existentes potentialiter actu.

47 Priorem partem huius assertionis probat ex eo, quia: si quæ partes in continuo non distinguerentur actu: sequeretur, quod in homine caput non distingueretur à pedibus, & in anno dies præsens non distingueretur à futuro. Posteriorem verò sic, quia si in continuo non deuenimus ad partes, quæ non constarent ex partibus actu distinctis, sed solùm distinctis potentia, sequeretur infinitum actu, & continuum esse multitudo multitudinum, & infinitæ partes actu pertransiri possent vna post aliam, sed vtrumque est absurdum, ergo &c.

48 Nostra verò sententia est, quod præscindendo à designatione partium, non dantur in continuo partes finitæ actu distinctæ, constantes ex infinitis potentia distinctis, sed omnes potentia distinguuntur.

Probatur primò, destruendo fundamentum primæ partis, quia ideò caput in homine est distinctum à pedibus, & vna manus ab altera, quia habent designationem intrinsecam: cum enim informentur diuersis dispositionibus, vna pars habet quoddam signum, seu terminum peculiarem, ratione cuius contradictoriè opponitur alteri, & vt sic distinguitur ab illa. Itemque cum proportione dicendum de die præsenti, atque futuro, hoc ipso quod concipiamus per intellectum die præsentem vt præsentem, iam designatus ille terminus, ratione cuius contradictoriè opponitur futuro, vt futuro, vnde non est mirum, si sic acceptus distinguatur ab illo, præscindendo enim ab hac designatione totus annus imò, & totum tempus est vnum continuum successiuum, vt diximus.

50 Probatur secundò, directè dictam sententiam impugnando sic. in continuo homogeneo præscindendo à quacumque designatione, non est maior ratio, cur quædam partes actu distinguantur, quædam potentia; ergo cum non possint omnes actu distingui, dicendum est, omnes distingui potentia. Negat auctor antecedens, & maiorem rationem fundat in eo principio, quod res perfectiores æquiualent pluribus, imperfectiones verò paucioribus. non est igitur, cur non possit dari magnitudo æquiualens magnis, & minoribus, ex quibus componatur potentia, non actu? quo posito disparitatem assignat, dicens, quasdam partes esse ita magnas, vt repugnet limitationi continui, quod detur aliquid ipsis æquales, ideoque dari actu distinguibile in continuo: quasdam verò ita esse paruas, vt non repugnet limitationi continui, quod detur aliquid illis æquiualens, ideoque dari in continuo distinguibile potentia.

51 Sed contra hanc disparitatem facit: quia partes quantuis maiores, & minores. Hoc ipso, quod sunt in continuo, datur ipsum continuum illis æquiualens, & in eo pars maior est æquiualens assignatæ, ergo falsum est dari in continuo partes aliquas actu distinctas. Consequentia patet, ideò per se dantur, quia repugnat limitationi continui dari aliquid æquiualens illis, sed non repugnat, ergo &c. Antecedens verò suadetur, quia æquiualentia hæc non importat continentiam virtualem, qualis est alia, per quam Cælum æquiualet sublunaribus, & homo brutis, & bruta plantis, & plantæ rebus inanimis, & denique mixtum elementis, in sententia eorum, qui negant elementa contineri formaliter in mixto. Sed importare debet continentiam formalem, cuiusmodi est illa, secundum quam materia, & forma continentur in toto composito. ergo partes, quantumuis maiores, & maiores, hoc ipso quod sunt in continuo, datur ipsum continuum eis æquiualens. Antecedens huius, in quo sita videtur difficultas, probatur ex eo, quia æquiualentia, quam habent partes maiores, quas Maurus esse dicit actu distinctas in continuo, ad partes minores distinctas potentia, non importat continentiam virtualem illarum, sed formalem. sed hanc continentiam habent totum respectu partium maiorum, ergo &c. Maior huius, quia sola diuiget probatione, suadetur, sumendo vnam ex partibus finitis maioribus, quas

aduersarius dicit esse finitas, & inuicem distinctas in continuo, tum sic: hæc pars non est indiuisibilis, alioquin continuum constaret ex indiuisibilibus, sed diuisibilis in plures partes minores; ergo æquiualentia, quam habens partes maiores in continuo ad partes minores potentia distinctas, est formalis, non virtualis.

52 Ad antecedens huius vltimi enthymematis ex doctrina huius auctoris dupliciter respõderi posse videtur. Primò ex his, quæ habet in *Corollario* 30. vbi ait Deum, qui disponit omnia in numero, pondere, & mensura, ponere numerũ partium actualium in continuo, iuxta numerum designationum, quas videt posse fieri à causis secundis in tali continuo, ex quo sequitur, quod nulla pars ex his, quæ in continuo actu distinguuntur, possit diuidi in plures minores, alioquin Deus falleretur, & quod latuisset illum huiusmodi diuisio.

53 Verum hæc responsio impugnatur. Primò, quia ridiculum est credere, quod Deus debeat ortaro continuo directus à scientia, quam habet de designationibus, quæ possunt in illis fieri à causis secundis; ita vt quo plures sunt huiusmodi designationes factibiles, eo plures partes distinctas in continuo producat. cum præsertim designabilitas sit quid consequens ad rationem continui, nõ minus quam mensurabilitas.

54 Impugnatur secundò, quia vel hæc scientia, quæ debet dirigere Deum ad ponendas in continuo partes actu distinctas, est scientia simplicis intelligentiæ, vel est scientia visionis. non primò, quia sicut causæ secundæ possunt esse perfectiores, & perfectiores in infinitum, præsertim Angeli: ita & designationes possibiles plures, & plures in infinitum, & sic partes actu distinctæ essent infinitæ, non finitæ. neque posterius; quia saltem daretur posse aliquod continuum, in quo Deus nullam videat faciendam esse à causis secundis designationẽ partiũ, & sic hoc continuũ nullas haberet partes actu distinctas, quamuis in alijs, in quibus auctor concedit dari partes actu distinctas. Nec dicat, hoc ipso, quod in pars tãtæ extensionis v.g. dimidij palmi sit actu distincta in vno continuo, eam debere esse actu distinctã in ceteris alijs, similes partes eiusdem extensionis habentibus: Nec id dicat, inquam quia non potest assignari vllam connexionem habere partes vnius continui cum partibus ceterorum in hoc, vel quid influat pars illa distincta in reliquas similis magnitudinis, quod illas similiter distinguat: ergo &c.

Impugnatur tertiò, quia si hæc responsio vera esset, sequeretur, quod distinctio partium finitarum in continuo penderet ex libera voluntate
55 Dei volentis se conformare cum designationibus factibilibus causarum secundarum. Falsum igitur est eas distingui ex no quod sint ita magnæ, vt repugnet limitationi continui quod detur aliquid illis æquiualens.

Impugnatur denique quarto supponendo hanc distinctionem actualem partium finitarum, quam
56 ponit auctor in continuo esse intrinsecã, non extrinsecam. Tum sic: non potest explicari, quid Deus ponat in partibus, quas actu distinguit, non enim potest dici, quod ponat determinationem extrinsecam, quia sic verum esset dicere, quod nulla partes in continuo essent actu distinctæ intrinsecus, neque quod ponat aliquam formam in vna & aliam aliquam in alia, quia hoc etiam gratis asseritur, & non facit, quod partes illæ ex se, & per suam entitatem distinguerentur ad inuicem; ergo falsum est hãc distinctionem partium actualium, iuxta numerum designationum factibilium, à Deo factam fuisse in continuo.

Ad illud idem antecedens responderi potest secundò cum distinctione sumpta ex his, quæ docet idem auctor *in responsione ad primum, & secundum* sic: pars, quæ actu distinguitur ab aliis est diuisibilis in alias partes minores, retinendo eandẽ actualitatem nego; mutando actualitatem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia pars quæ actu distinguitur ab alijs, ita est distinguibilis in partes, quas cõtinet, vt mutare debeat actualitatem. Verum hæc actualitatis mutatio potest intelligi dupliciter. primò quantum ad terminationem, ita scilicet, vt remaneat entitas partis, sed mutet terminationem; & sic ex vna actu fiat multiplex actu. Secundò quantum ad entitatem, ita scilicet, vt loco illius succedãt aliæ æquiualentes illi, actu distinctæ, etiam quoad entitatẽ ab ea. Et quidem intellecta priori modo hæc actualitatis mutatio, continet procul dubio veritatem; sed nõ fauet aduersario, quia stat cum continentia formali partium potentia distinctarum. Quare ipse eam posteriori modo intelligit, vt videre est locis citatis, & melius ex responsione ad quintum; vbi docet, quod quando partes, quæ erant separatæ, ita continuantur, vt non remaneant in continuo actu distinctæ non retinent eandem actualem entitatem, sed loco illarum succedit noua entitas actualis illis æquiualens, sicuti loco florum succedunt fructus, & loco seminis, ex quo procreatur animal; succedit ipsum animal. Vbi obiter nota ex his deduci, dari per hunc auctorem naturaliter transubstantiationem, deperditionem, scilicet, partium præcedentium, & productionem nouæ entitatis; quæ loco illarum succedit. Sed reuertamur ad institutum nostrum. Si ei obijcias; ergo quando gutta aquæ diuiditur in duas partes, quæ in ea non erant prius actu distinctæ, datur noua productio harum partium; distinguit hoc consequens, dum respondet ad sextum argumentum in hunc ferè modum: Datur noua productio harum partiũ reducendo potentiam, in qua erant, in actum, cõcedo. non reducendo potentiam, in qua erant, in actum, nego. quia (inquit) sicuti non est absurdum, quod ex nõ rana fiat rana, & ex non calido calidũ, eo quod in his trãsmutationibus reducitur in actũ potentia, in qua rana, & calor erant prius: ita in casu nostro, non erit absurdum, quod ex transmutatione gutte aquæ in guttulas, quæ in potentia continebat, detur harum guttularum noua productio. Sed contra hunc modum philosophãdi facit, quia sic sequeretur, quod guttulæ illæ ex diuisione guttæ resultantes, fierent de nouo non solùm secundùm formas, quas habent, sed etiam secundùm materiam primam, sed hoc est absurdum; ergo &c. In hunc ferè modum tibi obijcis in quadam instantia post responsionem ad sextũ. Et respondet, distinguendo sequelam maioris: illæ gutta

guttulæ etiam secundùm materiam acceptæ fierent de nouo per eductionem, concedo: per creationē, nego sequelam, & sic distincta minore, negat consequentiam. Dicit enim partes materiæ harum guttularum educi ex potentia aquæ diuidendæ, quemadmodum cæteras formas materiales, de potentia suorum subiectorum, & ideò non creari nec præcedentem annihilari. Sed cōtra est primo, quia si partes materiæ, quæ sunt materia harum guttularum educerentur ex materia aquæ diuidendæ, non essent eiusdem rationis cum materia præcedēte, quia non essent subiectum primum, nam fierēt dependenter ab illa materia, tamquam à subiecto primo, & sic hæ guttulæ aquæ non solùm different specie à gutta diuisa, sed etiam different secundū materiam ab alijs corporibus naturalibus, vnde neque possent facere vnam continuam aquam, neque ab alijs agentibus naturalibus transmutari. quo quid absurdius?

58 Contra secundò, quia si materiæ harum duarū guttularum educuntur ab aliqua materia: vel educuntur ex materia illius partis aquæ, quæ in eas diuiditur, vel ex materia aliarum partium eiusdē aquæ. Sed neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur: non enim dici potest primum, quia sic gutta illa per diuisionem fieret duplo maior. nam existeret eius materia, & materia duarum partiū, in quas diuisa est. Nam id, ex quo aliquid educitur, pro eo instanti reali, pro quo illud educitur, debet existere simul cum illo, siue demum per eādem, siue per distinctam existentiam existat, vt de se patet. Neque secundum: quia si à materia alia, tum, maximè ab illa cæterarum partium aquæ; sed hoc est falsum, quia gutta hæc, sicuti ipse sustinebat, supponitur à reliquis alijs guttis aquæ esse diuisa, & solitaria existere. ergo materiæ guttularum, in quas gutta ponitur diuidi, non possunt educi ab alia materia aquæ, & rectè: nil enim vetat, guttam illam existere separatam ab alijs, & postea diuidi.

59 Ad hoc argumentum, ex doctrina, quam *loco citato* tradit Auctor, respondetur concessa maiore, eligendo secundam partem; & ad eius probationē in contrarium dicendo, non posse ex aliquo continuo discontinuari vllam partem, quæ non constet ex pluribus partibus actualibus, atque adeò guttam illam non constare solùm ex illis duabus guttulis, quas in potentia continebat, sed ex alijs etiam partibus actu distinctis, ex quibus educantur guttulæ illæ.

60 Sed contra hanc etiam responsionem facit primò, quia sic continuum non esset diuisibile in partes actu distinctas numero finitas. Siquidem dato quod aliquod continuum constaret centum partibus v.g. actu distinctis, & non pluribus: non posset diuidi in omnes istas centum, neque vna ex illis à reliquis separari. Iam igitur non solùm continuum non esset diuisibile in partes, quas cōtinet potentia, sed neque in illas finitas, quas cōtineret actu. quod gratis omninò dici patet ex ratione, quam idem auctor assignat, quia nimirum si vna tantùm pars, inquit, quæ esset in continuo actu distincta à cæteris, separaretur ab illis: hoc ipso crearetur. Cum nihil in illa esset, quod antea existebat. Hoc enim falsum esset, nam hæc pars cum ponatur actu distincta à reliquis. non solùm secundùm entitatem aliam, sed etiam secundi terminationem existebat in continuo. Totum igitur, quod in ea esset post diuisionem, antea existebat, & sic non creatur. Contra etiam est secundò, quia etiam si in illa gutta aquæ diuidenda, dentur aliæ partes actu distinctæ: tamen partes, quę secundùm entitatem ex diuisione immediatè de nouo resultant, si educerentur: ex illa parte educi deberent, quæ eas in potentia continebat, quæque illis æquiualebat. Sed nullæ ex partibus actu distinctis, quę prius erant in aqua, & post diuisionem remanent, continebat dictas partes in potentia, neq; eis æquialebat. sed sola illa, quæ ex diuisione in eas transmutata fuit; ergo non est magis impossibile, quod huiusmodi particulę aquę ex parte transmutata educantur, quam quod educantur ex reliquis partibus, cum quibus postea coexistunt. Contra denique est tertiò, quia vel hę partes, quæ educuntur de nouo, faciuntque vnum continuum cum alijs partibus, quæ antea existebant in gutta aquæ, vel, inquam, hę partes post cōtinuationem remanent actu distinctę ab illis, vel non: quodcumque dicatur, est falsa disparitas assignata ab aduersario, ergo &c. Minor, quoad primā partem probatur, quia si remanent distinctæ: falsum est, quod quando partes sunt adeò paruæ, vt non repugnet limitationi continui, quod detur aliquid ipsis æquiualens, distinguantur in continuo solùm potentia; nam quęlibet ex his duabus particulis est minor qualibet parte, quæ supponebatur distincta in gutta aquæ ante diuisionem. Probatur etiam quoad secundam, quia si non remanent distinctæ, falsum est, quod ideò partes, quæ erant in gutta, distinguebantur inter se, quia ita erant magnæ, vt repugnaret limitationi continui, quod daretur aliquid ipsis æquiualens, iam enim pars illa maior, quę ex particula educta, & ex parte, ex qua ea est educta resultat, æquialet soli parti, ex qua illa educta est. ergo hæc, ex qua educta fuit, non debebat realiter distingui à cæteris. vides quo modo illa disparitas inter partes distinctas actu & inter partes distinctas potentia in continuo corruit per se ipsam.

Occasionem huius absurdæ opinionis, vt colligitur ex dictis, sumpsit auctor eo, quod viderit 61
Aristotelem cum cęteris, quos ipse initio pro se citauit, dixisse partes in continuo non existere actu, sed potentia, eo modo, quo dixit elementa non existere actu in mixto, sed potentia; & formas materiales non existere actu in materia, sed potentia. vt ipse fatetur respondendo ad sextum. sed aduertere debuisset, eundem modum loquendi diuersis rebus accommodatum, facere diuersum sensum. Eadem enim propositio; Hic est Cæsar: dicta de ipso Cæsare, habet vnam significationem, aliam verò dicta de eius statua, & aliam de volumine eiusdem. sic aliud significat contineri in potentia, dictum de forma, aliud dictum de elementis; aliud denique dictum de partibus continui. Dictum enim de formis significat, quod præexistit earum causa materialis, ex qua educi possint. Dictum verò de elementis, quod præexistant in mixto virtutes eorum: quæ sunt veluti semina, seu dispositiones, quæ ita disponunt materiam ad illa, vt etiam si haec non præoccuparet ab alio agente exterinseco, ex corruptione mixti, in ea ele-

Digitized by Google

elementa resultent. Dictum verò de partibus cõtinuis neutrum horum significat; sed solùm quod sint in eo secundùm entitatem non verò secundùm terminationem, atque distinctionem actualem. quemadmodum igitur malè quis argueret ex paritate propositionis, quod sicuti ignis aer &c. sunt in ligno. ita sint in eo marmor, aurum, Bos, Leo. & reliqua mixta; sic non minus ille malè arguit in casu nostro.

62 Atque ex his colliges: multò minus ferendam esse eorum sententiam, qui ponunt continuum esse secundùm se totum essentialiter indiuisibile: dici tamen diuisibile potentia, in quantum beneficio diuisionis petit eius substantia, vt producantur de nouo plures substantiæ, quæ simul acceptæ illi æquiualeant. Vnde concedunt ad diuisionem ligni bipalmaris in duas partes perire entitatem substantialem ligni, quæ prius erat, vt cõtradistincta ab omnibus accidentibus v.g. à diuisione, & negatione diuisionis; & duas alias entitates substantiales de nouo produci, quæ priori destructæ æquiualeant. Hæc enim opinio innumera absurda, quę ex illa sequuntur, deuorare debet: videlicet, quod quoties gutta aquæ separaretur à mari, & quoties de nouo illi coniungeretur: toties deperderetur tota entitas substantialis maris, & alia de nouo produceretur, non solùm secundùm formam substantialem aquę, sed etiam secundùm materiam primam. Deinde cum hæc separatio, & coniunctio guttæ fieri possit naturaliter à causis secundis valdè imbecillibus, atque debilibus sequeretur etiam quod omnia ferè entia naturalia haberent virtutem producendi, & corrumpendi totum mare secundùm substantiam suã. Tertiò est contra experientiam, nam nos in nobis ipsis experimur pedem non esse idem indiuisibiliter cum capite, & cum reliquis corporis membris. Linquo cętera absurda, quæ cuilibet occurrere facilè possunt.

SECTIO QVARTA

Expenditur quædam alia sententia media Patris Giattini.

63 ALiam viam aggressus est hic auctor defendendi distinctionem partium in continuo: cum enim *quæst.* 15. *physic. art.* 2. pluribus argumentis probasset, eas non esse solùm potentia distinctas, de quibus satis egimus supra: postea *articulo* 5. in eius quidem titulo profiteatur, se velle defendere sententiam ponentem in continuo partes actu distinctas. in conclusione tamẽ paucis explicatis, sententiam moderatur. Dico inquiens, partes in continuo esse quidem actu distinctas, sed imperfectè, & indeterminatè, si precisè ab omni modo, seu determinatione intrinseca, vel extrinseca accipiantur.

64 Porrò huius conclusionis sensus apertè colligitur ex his, quæ habet in secundo aduertendo, vbi docet dupliciter partes in continuo determinari posse: primò intrinsecè, secundò extrinsecè. Intrinsecè determinantur, inquit, quoties habent tales modos continuatiuos partium, qui tamen modi sint inter se vnitiui alioquin non essent actu partes, sed tota eosdemque modos, ait, se supponere esse intrinsecè constitutiuos partiũ aliquarum finitarum, quę sint minima quædam physica ipsius continui, quæ licet habeant partes in infinitum; diuisibiles (sic puto legendum, non verò indiuisibiles, vt ibi dicitur.) indiuisibiliter tamen afficiantur, ac determinentur ab illis modulis. Ex quibus deducitur, se in conclusione sustinere, in continuo dari aliquas partes numero finitas perfectè, & determinatè actu distinctas: eas scilicet, quę à distinctis modis eas vnientibus indiuisibiliter afficiuntur; cæteras verò quę præscindunt ab omni modo, hoc est, quæ à dictis vnionibus actu distinctis minimè afficiuntur, neque ab aliqua forma extrinsecè eas distinguente, & determinante, esse quidem actu realiter distinctas, sed imperfectè, & indeterminatè.

Et quidem quantum ad priorem partem, quod 65
scilicet, in continuo secundùm se considerato non dentur partes numero finitę actu distinctę perfectè, & determinatè in præcedenti sectione, ago- 82
do contra Maurum, satis probaui. Et vlteriùs confirmo, sumendo vnam ex partibus finitis, quæ dicitur esse in continuo perfectè, & determinatè actu distincta ã reliquis. cum sit: Non minus hęc pars est diuisibilis in alias partes, quam sit diuisibile ipsum continuum: præterea non minus partes dictæ partis sunt vnibiles inter se, quàm reliquæ continui partes; ergo si semel admittimus beneficio modorũ vnitiuorũ dari in continuo aliquas partes perfectè, & determinatè actu distinctas, debemus admittere, quod dentur omnes, cum non sit maior ratio de his, quam de illis; vel si id negamus, debemus sustinere, vnionem vnientem vnã partem cum alia non esse sufficientem ad distinguendum perfectè inter se dictas partes.

Præterea vnio hęc indiuisibiliter afficiens par- 66
tem diuisibilem est materialis, & indiuisibilis, atque adeò virtualiter coextensa parti. Cur ergo hoc non potest dici de ipsa parte. Denique si indiuisibiliter afficit ipsam partem, necesse est, vt ei tribuat indiuisibiliter suum effectum formalem; quod est impossibile, alioquin dicta pars, deberet secundùm omnes sui partes esse immediatè vnita cum alia comparte, & sic stantibus dictis vnionibus, impossibile esset, quod diuisibiliter esset extensa loco. nam vbi esset vna eius pars necessariò deberent existere cæterę, quæ omnia sunt adeò manifèste falsa, vt non appareat, cur in eis vlteriùs immorandum sit.

Quantum verò attinet ad posteriorem partem: 67
quod scilicet partes in continuo, quæ non afficiuntur distinctis modis, sint quidem actu distinctæ: sed imperfectè, & indeterminatè.

Impugnatur dupliciter: primò ex eo quia actualis distinctio partium pugnat cum indeterminatione illarum. ergo partes in continuo præcisè ab omni modo superaddito non sunt actu distinctę indeterminatè. Consequentia patet, antecedens probatur; quia actualis distinctio, vel supponit, vel ponit determinationem earum rerum, inter quas est.

Respondet auctor; distinguendo antecedens; 68
& siquidem sermo est de actuali distinctione perfecta partium, concedit pugnare cum indeterminatione. At verò loquendo de imperfecta, negat antecedens, & consequentiam, & ad probationem an-

antecedentia dicit posse aliquid habere actualitatem in ordine ad aliquod prædicatum sibi identificatum, & esse in potentia in ordine ad aliud, quod non habet in se. Sic centum vnitates sunt quidem actu in ratione entitatum, non verò habet determinationem in ordine ad hunc, vel illum numerum. eodem ferè modo continuum habet esse actu aliquid indifferens de se ad multas partes finitè in infinitum, ad nullam tamen ex eis determinationem habet.

69 Sed contra est, quia licèt verum sit, quod aliquod possit habere actualitatem in ordine ad vnũ prædicatum, & potentialitatem, seu indeterminationem in ordine ad aliud; tamen impossibile est, quod in ordine ad idem prædicatum habeat vtrũque. Hoc autem sequi in eius sententia suadetur ex eo, quia hoc ipso quod partes dicuntur ex se actu distinctæ, sed indeterminatè; actualitas, & potentialitas sumuntur in ordine ad ipsam distinctionem; ergo in ordine ad vnum, & idem prædicatum. per quod patet disparitas, quæ inter casum nostrum, & inter centum vnitates reperitur, quia hæ dicuntur habere actualitatem in ordine ad suam propriam entitatem: potentialitatem verò in ordine ad recipiendam formam numerum infra centenarium contentorum.

70 Instat: Partes, seu prædicata realia, quæ sunt in ligno palmari v.g. per se, & præscindendo ab omni modo acceptę, sunt distinctæ quasi radicaliter, & aptitudinaliter. Sed distinctio radicalis, & aptitudinalis est actu aliqua distinctio; ergo iam sũt actu distinctæ; non perfectè propter indeterminationem; ergo imperfectè, & incompletè.

71 Sed contra hoc facit primò; quia præsens quæstio, vt Auctor expressè habet *in fine secundi animaduertendi*, non consistit in partibus finitis determinatè distinctis, sed in partibus intrinsecè indeterminatis, de quibus siue admittantur actuales modi intrinseci continuo, siue non, restat difficultas. sed ipse iã concedit se inter has partes nõ nisi radicalem, & aptitudinalem distinctionem agnoscere. quod est formalissimè idem, quod defenditur ab Italis asserentibus partes in continuo de se non esse actu distinctas; sed solùm potentia. malè igitur profitetur *toto articulo* 2. eos impugnare; & *in titulo art.* 5. Hispanorum partes defendere. Verbis enim tantùm illis conformatur; dum distinctionem, quam potentialem appellant Itali, actualem nominat, & hanc fatetur inter partes continui reperiri. quare in rei veritate nostram sententiam sequitur, & verbis tantùm contrariam profitetur; dum dicit: partes in continuo esse actu distinctas; sed imperfectè.

72 Contra etiam est secundò: quia nec argumentum, quod affert habet veritatem; falsa enim est eius minor, videlicet distinctionem aptitudinalem, & radicalem esse actu distinctionem aliquam. Aptitudinalis enim distinctio non est nisi aptitudo, quam habent partes continui ad actualem distinctionem recipiendam, sicuti ergo aptitudo ad loquutionem non est actu aliqua loquutio, neque aptitudo ad peccãdum est actu peccatum aliquod, neque aptitudo ad calefactionem, actu aliqua calefactio. ita neque aptitudo ad distinctionem est actu aliqua distinctio. Et rectè id quidem. Quamvis enim hæ omnes aptitudines sint actu; præcisè tamen per hoc: earum termini non sunt actu. vnde ex eo, quod partes in continuo actu habeant aptitudinalem distinctionem, nullo modo possunt dici quod sint actu distinctæ.

73 Contra denique est tertiò: quia per hoc, quod dictæ partes dicantur esse in continuo actu distinctæ cum addito, hoc est incompletè, & imperfectè magis implicatur sententia. Nam distinctio realis actualis non suscipit magis, & minus, quemadmodum suscipit calor v. g. & cetera qualitates intensibiles, quæ, si sunt in gradu remisso, dicuntur esse incompletè, & imperfectè in subiecto; Contra verò, si sint in gradu intenso. consistit enim dicta distinctio in indiuisibili, ex duobus enim prædicatis, vel vnum actu realiter est aliud, vel non: si primum dicta prædicata non distinguuntur realiter actu; si verò secundum distinguuntur absque eo, quod in hoc detur magis, & minus.

74 Respondet id verum esse, si à parte rei detur vnum, & alterum per se accepta. falsum verò quando datur vnũ, & alterum non per se accepta, sed in ordine ad diuersos modos determinationis.

Sed hæc responsio facilè impugnatur ex eo quia partes, de quibus loquimur, non ponuntur, nisi sub vno determinationis modo, quo totum continuum constituitur. Considerantur enim cum præcisione à diuersis determinationibus, quas habere possunt; ergo de facto non sunt vnum, & alterum. neque per se acceptæ, neque non per se acceptæ, atque adeo ne imperfectè quidem distinguuntur inter se. Quamuis distinguantur à partibus aliorum continuorum. Quare ad summum, si comparatio fiat inter partes vtriusque continui, potest habere veritatem quod asseritur; videlicèt quod partes vnius, & partes alterius sint vnum, & alterum non per se acceptæ, sed ratione ipsorũ continuorum, in quibus includuntur. Neque dicas, quæstionem procedere de partibus cum præcisione ab omni modo ipsos determinante, atque adeò præscindendo ab eo, quod ad hoc, vel illud continuum spectent: Contra enim est primò, quia falsum esse hoc, quod assumitur, patet ex communi consensu omnium, qui præsentem instituunt controuersiam sub his ferè terminis: an partes in continuo sint actu, an verò sola potentia distinctæ. quare supponunt primò eas sub communi termino totius comprehensas esse, & postea quærunt, quo modo inter se distinguantur. Contra etiam, est secundò, quia partes consideratæ cum præcisione ab eo, quod ad vnum continuum pertineant, vel ad plura, præscindunt ab eo, quod sint vnum, vel plura, atque adeò falsum est, vt sic acceptæ distinguantur inter se, sed imperfectè. Atque hæc contra sententiam Patris Giattini. Quoniam verò ille *art. 2. eiusdem quæstionis decimiquintæ* aliquas proponit rationes, quibus probare conatur partes in continuo nõ esse potentia distinctas, sed actu, operæ pretium est illas expendere, pro quo sit.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

Proponuntur, & soluuntur rationes, quibus Pasen Giattinus quæst. 15. art. 2. probat.

Partes in continuo esse actu distinctas.

79 OBjcies primò. Hæc entitas palmi, modo diuisa ab aliis, quando ante diuisionem cõponebat indiuiduum bipalmare v. g. vel non erat hęc numero, quæ nunc est: vel erat hæc numero. primum dici non potest; ergo secundum; sed sic iam distinguebatur ab alio palmo; quia verificabatur de ea, quod non esset alius palmus: ergo partes in continuo ante quamcumque assignationem inuicem distinguuntur. omnia patent præter minorem, quæ sic suaderetur: si entitas palmi in continuo bipalmari non erat hæc numero, quæ nunc est facta diuisione; sequeretur; quod nunc esset dē nouo producta, quia indiuiduatio rei idētificatur cum entitate eiusdem rei: consequens est absurdum; ergo &c.

76 Respondeo, concessa maiore, nego minorem, & ad eius probationem distinguo sequelam: sequeretur, quod esset de nouo producta, quantum ad entitatem, nego. quantum ad terminationem, concedo; & sic distincta minore, nego consequentiam. Ad confirmationem verò sequelæ dico; indiuiduationem rei non identificari cum entitate rei indeterminatæ, sed cum entitate rei determinatæ; cum enim sit vltimum distinctiuum rei, debet in eo necessariò vltimam determinationem importare. Quoniam verò alia erat terminatio, quam habebat palmus, quando erat in quantitate bipalmari, & alia, quam post eius diuisionem habet: hinc etiam fit, vt aliam, atque aliā indiuiduationem sortiatur.

77 Instabis primò ex eodem. entitas terminationis, quam palmus post diuisionem acquirit, supponit entitatem eius determinatam iam; ergo independenter ab illa, entitas palmi erat iam per se ipsam determinata, & consequenter indiuidua. Consequentia patet; antecedens probatur, quia illud est determinatum, quod habet aliquod prædicatum, per quod distinguitur ab omni alio; sed entitas terminationis supponit in entitate palmi prædicatum aliquod, per quod distinguitur ab omni alio; ergo supponit illam determinatam iam. maior patet; minor probatur, quia entitas palmi se ipsa habet esse talem entitatem, quam essentialiter respicit entitas huius numero terminationis. Hæc enim, cum sit modus, essentialiter ordinatur ad rem, cuius est modus, & non ad aliam; ergo entitas talis modi supponit in entitate palmi capacitatē, & aptitudinē se recipiēdi; sed hæc capacitas est prædicatum, per quod ab omni alio entitas palmi sufficienter distinguitur; ergo &c.

78 Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem concessa maiore, nego minorem, & ad eius confirmationem distinguo antecedens: entitas palmi se ipsa habet esse talem entitatem, quam essentialiter respicit entitas huius numero terminationis: ita vt se ipsa etiā habeat esse talē entitatē, quā essentialiter respiciat entitas alterius, & alterius terminationis diuersæ rationis, concedo: quam essentialiter respiciat entitas huius numero terminationis, & non alterius diuersæ rationis, nego antecedens, & sic distinguo eodem modo primum consequens. entitas talis modi supponit entitatem palmi aptam, & capacem ipsam recipiendi, ita vt supponat illam etiam aptam, & capacem recipiendi aliās, concedo: ita vt non supponat illam sic capacem, nego consequentiā; & ad subsumptum dico, quod si palmus ille haberet capacitatem recipiendi solam hanc terminationem, & non alias: haberet vtique prædicatum, per quod ab omni alio vltimò distingueretur, atque adeò illa terminatio supponeret entitatem eius vltimò determinatam, & per consequens indiuiduam. Verum non ita se res habet in casu nostro. Palmus enim ille quantum est de se, est indifferens ad hanc, vel illam aliam terminationem habendam; nam si existit seiunctus ab omni alio, habet hanc, si verò cum alio palmo quantitatem constituit bipalmarem, habet aliam terminationē diuersæ rationis. Si verò cum duobus palmis, cōstituit tripalmarem, aliam, & sic in infinitum. vnde fit, vt capacitas recipiendi illam terminationem non sit prædicatum, per quod palmus ab omni alio sufficienter vltimò distinguatur. Quemadmodum neque capacitas, quam habet animalitas recipiendi rationalitatem, est prædicatum, per quod ipsa sufficienter ab omni alio distinguatur; eò quod cum dicta capacitate stat etiam in ea capacitas recipiendi rugibilitatem, hinnibilitatem, & cæteras suas differentias, cum quibus distinctas species constituat.

79 Præterea quod huiusmodi capacitas in nostro casu non sit prædicatum sufficienter indiuiduans entitatem palmi assignati, confirmatur ex eo, quia non obstante dicta capacitate adhuc hic palmus, est indifferens ad essendum indiuiduum cōpletum, vel incōpletum. Si enim non continuatur cum alia quantitate, vtique se ipso est vnum indiuiduum completum; quod si continuetur, erit incompletum, quatenus ex ipso, & ex quantitate, cui continuatur tanquam ex partibus resultat tertia quędā entitas indiuidua alterius cōtinui; si cōtinuetur cū quadā quātitate eiusdē indiuidui incōpletū, respectu huius continui; si verò cū illa, respectu illius; si cum illa alia, respectu illius tertij in infinitum. Cum igitur capacitas, quam habet palmus quantitatis, respectu huius terminationis non sit sufficiens constituere illum indiuiduum, neque completum, neque incompletum: non est mirum, si ad eius adæquatam indiuiduationem huiusmodi terminationem necessariam esse dicamus. ita enim ratione terminationis actualis diuersam rationem indiuidui continui sortiatur. Atque hac posito quod ad indiuiduandum continuum necessaria sit terminatio positiua. si enim putemus, quod per negationem vlterioris extensionis sufficienter terminari essentialiter intelligatur. dicendum est, quod terminatio positiua indiuiduatum continuū præsupponat; atque adeò quod palmus ligni prius natura sit se ipso hoc indiuiduum, vel vnitus cum secūdo palmo, sit indiuiduū bipalmare &c. & possit ab hac, vel illa terminatione positiua respiciatur.

80 Instabis secundò ex eodem ibidem. Sit entitas ligni bipalmaris in vno palmo alba, in altero nigra. Palmus, qui vnitur albedini non vnitur ni-

mi-

Digitized by Google

gredini, & qui nigredini, non albedini; ergo duo illi palmi sunt duæ entitates. Antecedens patet, quia lignū est partim albū, & partim nigrū. Consequentia probatur, quia quælibet habet suum prædicatum, quod non identificatur cum alio; siquidē vna pars habet, quod sit causa vnionis cū albedine: altera quod sit causa vnionis cū nigredine. ergo sūt duæ entitates. quod autem sint huiusmodi ante vtriusque qualitatis receptionē suadetur ex eo, quia antecedenter ad vtramq; qualitatē dabatur in primo palmo actualis potētia ad vnionē A. cū albedine quæ non erat in secundo palmo, & in secundo actualis potētia ad vnionē B. cū nigredine, quę nō erat in primo. Vnio enim est modus essentialiter sibi notans hanc numero entitatem, & non aliam.

81 Respondeo: duos illos palmos ligni antecedenter ad informationē duarum illarum qualitatum fuisse duas entitates potentia, vnā actu posita verò informatione esse duas actu. & ad probationē in contrarium dico, quod antecedenter ad vtramque qualitatē tum in primo, tum in secūdo palmo illius quantitatis dabatur potentia ad vnionem A. cum albedine, & ad vnionem B. cum nigredine: quia vterq; palmus poterat albus, vel niger fieri: quādo autem dicitur, quod vnio, vpote modus essentialiter sibi vendicat hanc entitatem. vndè impossibile videtur, quod in palmo B. detur potentia ad vnionem A. cum albedine; committitur fallacia. Siquidem vnio ad albedinem, quæ respicitur à potentia, quam habet quantitas bipalmaris, est etiam bipalmaris, & habet partes potentia distinctas, sicuti ipsamet quantitas bipalmaris; vnde quando vnus tantùm palmus illius quantitatis fit albus; Primò ponitur distinctio in partibus vnionis per hoc, quod vnus eius palmus producitur, non verò alter. Deinde verò in ipsa quantitate beneficio dictę vnionis. Nec refert, quod hic palmus quantitatis respiciat hunc numero palmum vnionis, & non alium, quia sicuti nulla est absurditas in eo, quod post assignationem hic palmus quantitatis non sit alius, neque quod hic palmus vnionis non sit ille alius palmus vnionis: ita nulla erit, quod facta assignatione hic palmus quantitatis respiciat hunc palmum vnionis, & non alium; & ille illum, & non alium.

82 Objicies secundò ex eodem Giattino *in impugnatione* 5. Designatio extrinseca nō mutat intrinsecè rem, sed solùm denominat illam extrinsecè. ergo quando de quantitate bipalmari video vnū palmum tantum: si hic non distinguitur actu ab alio, tota entitas bipalmaris denominabitur visa, & non visa. Sed hæc sunt contradictoria; ergo dicendum est, quod partes actu inter se intrinsecè distinguantur. omnia patent, præter subsumptum, quod sic probatur: si non essent contradictoria, maximè quia dictæ denominationes inadequatè bipalmarem illam quantitatem afficerēt. Sed hæc ratio nulla est; ergo sunt contradictoria. minor suadetur; quia hæc inadæquatio, vel se tenet ex parte solius visionis. & hoc non; quia verè attingeret totam quantitatem bipalmarem, vel etiam se tenet ex parte obiecti, & sic iam actu dantur partes in dicta quantitate; quod suadetur ex eo, quia id, quod non habet actu aliud, & aliud, nō potest per suam entitatem actu saluare duo contradictoria per inadæquationem. Inadequatio enim intrinseca obiecto est quod partim videatur, & partim non.

Respondeo: negando subsumptū, ad cuius probationem, concessa maiore, nego minorē; & ad eius probationem dico inadæquationem illam sc. tenere ex parte obiecti, prout stantis sub visione tanquam sub causa formali. Ad rationem in contrarium, distinguo sequelā: actu darentur partes in illa quantitate, prout vna est affecta visione, alia non, concedo. præscindendo à visione, nego; & ad confirmationē dico, quod id, quod nō habet aliud, & aliud, neque formaliter, neq; virtualiter verissimum est, quod non potest per suam entitatem actu saluare duo contradictoria per inadæquationem, at quod habet aliud, & aliud saltem virtualiter, seu potētia, optimè potest. Et ratio huius est, quia inadæquatio orta ex forma extrinseca eius virtualitatem, atque potentialitatē reducit ad actum, secundum. vti diximus cum de præcisione; vbi ostendimus, quod intellectus ex his, quæ sunt vnum indivisibiliter potest ex parte obiecti cognoscere vnum, & non aliud; atque adeò beneficio inadæquationis rectè saluari potest, quod totum cognoscatur, & non cognoscatur absque vlla contradictione: quæ omnia multò maiorem habent probabilitatem in casu nostro, in quo partes quantitatis sunt vnum divisibiliter tantùm. 83

Instabis: sunt possibiles cognitiones finitæ in infinitum, quę specificentur à diuersis partibus proportionalibus vnius quantitatis palmaris; ergo iam habetur inadæquatio sufficiens ad huiusmodi partes actu distinguendas. Consequentia patet, quia actu dictæ cognitiones specificantur ab illis. Respondeo: negando consequentiam; quemadmodum enim cognitiones illæ finitę in infinitum sunt possibiles; ita inadæquationes ab eis prouenientes. atque adeò distinctiones in partibus. Ad probationem consequentiæ dico dictas cognitiones non specificari à partibus proportionalibus quantitatis palmaris actu, actualitate existentiæ: sed solùm actu actualitate essentiæ. 84

Subinstabis: ad actualem distinctionem partium sufficit, quod cognitiones possibiles specificentur actu ab ipsis partibus actualitate essentię; ergo iam habemus partes actu distinctas. Antecedens probatur, quia non possunt haberi essentię distinctæ cognitionum illarum, quin habeantur obiecta earum inter se distincta. distinguuntur enim per ordinem ad obiecta, vt supponimus. 85

Respondeo primò distinguēdo consequens: habemus partes actu distinctas ex se, nego, beneficio diuersarum cognitionum, quę specificantur ab illis, concedo. dico enim quod quando nos quærimus num partes continui sint inter se distinctę, loquimur de distinctione intrinseca, qua partes per se ipsę distinguantur ad inuicem. quidquid sit num ab extrinseco, & quatenus subsint diuersis connotatis distinguantur. Hoc enim ipso, quod dictæ cognitiones non supponunt distinctionem in illis, sed faciunt; iam victoria stat pro me. qui solum dico partes de se in continuo non esse distinctas. Verum autem ex hoc sequeretur partes in continuo esse infinitas, est alia quæstio. posset autem dici quod essent, sed actuali entitate ex- 86

Digitized by Google

trinseca, quę cum formaliter habeantur ab ipsis cognitionibus possibilibus: quemadmodum ipsæ sũt infinitæ sincathegorematicè, ita & partes in continuo, quatenus ab earum essentijs intelliguntur affici. Ex quo responderi potest secundò ad argumentum distinguendo antecedens ad actualem distinctionem essentialem partium sufficit, quod ab eis specificentur actu, actualitate essentiæ, cognitiones possibiles, concedo: ad actualem distinctionem existentialem, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod si consideremus essentiam partium ligni palmaris, &c. sunt indifferentes ad hoc, vt sint inter se existentialiter distinctæ, vel indistinctæ. Atque adeò in statu possibilitatis habent vtramque distinctionem, scilicèt, & indistinctionem. & quidem actu actualitate essentiæ, quia hęc actualitas nihil aliud importat, quam possibilitatem ad vtrumque quemadmodum enim aer in statu possibilitatis habet esse simul pro eodem statu tenebrosus, & luminosus, quia habet simultatem potentiæ ad vtrumque: ita & partes continui; cum quo tamen stat quod dictæ partes actualitate existentiæ non sint distinctæ inter se; & ratio huius vlterior est, quia cognitiones illæ diuersæ cum sumantur actu actualitate essentiæ, & non existentiæ, non possunt transfundere in ipsas partes distinctionem actualem importantem actualitatem existentię, sed solius essentiæ, hoc est possibilem. Quare illud assumptum: Non possunt haberi essentiæ distinctæ cognitionum illarum, quin habeantur obiecta earum inter se distincta, in statu possibilitatis, seu secundùm essentiam, verum est: in statu actualitatis, & secundùm existentiam falsum.

87 Obijcies tertiò: prædicata, quæ in hoc ligno palmari sibi taxant terminationes finitæ in infinitum, quibus successiuè terminari potest hoc lignum, sunt de facto omnia actu ita, vt nullum ex eis sit in potentia; ergo lignum palmare habet prædicata sathegorematicè infinita.

Respondeo, concesso antecedente negando cõsequentiam: quia prædicata ligni palmaris, quæ respiciuntur à diuersis terminationibus, quas potest habere lignum non multiplicantur quoad intrinseca ad multiplicationem dictarum terminationum, sed solùm quoad extrinseca per eadem .n. prædicata formalissimè accepta, quorum beneficio lignum palmare habet, quod possit terminari vna adæquata terminatione palmari, habet, quod possit terminari duplici semipalmari quadruplici quartæ, in infinitum, atque adeò sicuti terminatio palmaris non requirit in quantitate palmari infinita prædicata, ita neq; cęterę terminationes. Atq; hæc satis: reliquæ enim obiectiones quas auctor affert, videri possunt in secunda sect. soluta.

SECTIO SEXTA.

Quomodo partes quantitatis continuæ sint diuisibiles.

88 COnstat ex dictis quãtitatem continuã cõstare ex partibus in infinitũ diuisibilibus, nullamq; eius partem quantũuis minimam assignabilem esse, quæ secundum se spectata non possit saltẽ à Deo ita vlterius diuidi, vt etiã si per totã ęternitatẽ fiat diuisio, numquã tñ ad partes, quæ amplius diuidi nequeãt, perueniatur. quomodo autẽ se habeãt huiusmodi partes, hoc est, quod in hac Sect. quærimus

Sciendum igitur primò quantitatis partes; alias esse æquales, alias verò proportionales. æquales sũt, quæ mutuo non se excedunt, sed sibi cõgruũt, inter quas sæpe datur vna certa, & determinata, quæ sit veluti regula, & mẽsura cæterarũ. sic quatuor palmi cẽsentur partes æquales ligni quadripalmaris, quia & sibi cõgruunt, & vni certæ, & determinatæ parti, nẽpè palmo, qui est omniũ mẽsura correspondent. proportionales sunt, quæ inter se æqualitatem nõ seruant, sed proportionẽ dimidij, vel dupli, vel tripli, &c. vt si quantitas quadripalmaris, in duas partes, bipalmares diuidatur: bipalmares verò in duos palmos, palmi autem, in duos semipalmos, & sic in infinitum: omnes hæ partes inter se proportionem haberẽt, non æqualitatem. 89

Sciendũ secundò: partes suæ æquales, siue proportionales, vel esse cõmunicantes, vel esse nõ cõmunicantes: cõmunicantes ita se habent, vt vna sæpe aliquid alterius includat: quod si nihil alterius in se habeat; tunc huiusmodi partes nõ cõmunicantes erũt, vt si quantitas bipalmaris in duos palmos diuidatur, duo isti palmi partes æquales non cõmunicantes dicentur: quod si ita in plures palmos fiat diuisio, vt secũdus cõstet ex medietate vtriusq; non cõmunicantis; tertius verò ex vnò quadrante primi ex tribus quadrantibus secundi in partes æquales cõmunicãtes, diuisio facta erit: idẽ de proportionalibus dicendũ est. Si enim prius quantitas illa bipalmaris in duos palmos, & hi in quatuor semipalmos, & quilibet semipalmus in duos quadrantes diuidantur: partes hæ proportionales erũt communicantes, quia partes subsequẽtis diuisionis semper ex partibus, in quas facta est diuisio antecedens, extrahuntur. Sin autẽ quantitas illa bipalmaris ita diuidatur, vt primo sumatur vnus palmus, secundo ex palmo, qui remanet, semipalmus. Tertio ex semipalmo remanente quarta pars palmi, & sic infinitũ, diuisio hęc fiet in partes nõ cõmunicantes respectu saltẽ primi palmi, quia pars quæ de nouo accipitur, nihil habet cõmune cum partibus antecedenter sumptis: his verò prænotatis, 100

Prima conclusio sit: quantitas non est diuisibilis in infinitũ in partes æquales non communicantes. 101

Probatur, quia data qualibet quantitate finita v.g. mille vlnarum, si ex ea extrahantur plures, & plures partes æquales vni certæ, & determinatæ v.g. palmo, tãdem tota illa quantitas exhauriretur, vt de se patet, secus si ex ea possent palmi finiti in infinitum extrahi absque eius absumptione, infinita esset existimanda.

Obijcies primò *ex 16. prop. lib. 3. Euclidis*. Demonstrat Clauius quemlibet angulum rectilineũ, qui scilicet duabus rectis lineis continetur, esse quouis angulo contingentiæ maiorem. Nomine autem anguli contingentiæ intelligimus illam interçapedinem, quæ intercipitur, inter periferiam circuli, & rectam lineam exteriorem, non perpendiculariter, sed ex transuerso ductã super illam; circulum in puncto tangentem. posita autẽ huius demonstrationis veritate, est argumentum. Ex angulo rectilineo extrahi possunt in infinitum partes non communicantes maiores vna certa, & determinata parte, scilicet angulo contingentię; 102

Digitized by Google

gentiæ; ergo quantitas est diuisibilis in infinitum in partes æquales non communicantes. Consequentia patet: quia angulus rectilineus est aliqua quantitas. Si ergo ex eo sunt extrahibiles, partes non communicantes in infinitum maiores vna certa, & determinata parte, multò magis erunt extrahibiles partes æquales, ergo erit diuisibilis in infinitum in partes æquales, non communicantes. Antecedens verò probatur ex eodem Clauio *loco citato*, vbi demonstrat, quòd quilibet angulus rectilineus est diuisibilis in infinitum in alios rectilineos maiores, & minores non communicantes, sed quilibet ex his minoribus, & minoribus est, vt dicebamus, maior angulo contingentiæ; ergo ex angulo rectilineo extrahi possunt in infinitum partes non communicantes maiores vna certa, & determinata, scilicet angulo contingentiæ, qui supponitur pars prioris anguli rectilinei.

103 Respondeo admissis ijs, quæ à Clauio *loco citato* demonstrantur: distinguendo antecedens argumenti. Ex angulo rectilineo extrahi possunt partes non communicantes maiores vna certa, & determinata, quæ sit diuersi generis à toto, concedo antecedens; maiores vna certa, & determinata, quæ sit eiusdem generis cum toto, nego antecedens, & consequentiam. Quando enim dicimus, quod quantitas non sit in infinitum diuisibilis in partes æquales, non communicantes, loquimur solùm de partibus eiusdem generis, non autem de partibus diuersi generis; Pro explicatione nota, quod partes eiusdem generis cum toto esse debēt aliquotę, scilicet, quæ sæpius replicatę, vel adęquent, vel excedant ipsum totum. at diuersi generis sunt aliquantę, quæ videlicet etiam si in infinitum multiplicentur nunquam poterunt pertingere ad quantitatem totius. Quoniam verò angulus contingentiæ respectu anguli rectilinei ita se habet, vt quantumcumque multiplicatus non possit illum, neque pertingere, neque superare (si enim posset decies v. g. multiplicatus: posset etiam angulus aliquis rectilineus, qui esset decima pars præcedentis anguli, ipsi angulo contingentiæ adęquari. Contra id, quod demonstrat P. Clauius:) hinc est, vt pars diuersi generis, seu aliquanta respectu rectilinei censeatur. Pars, inquam, diuersi generis, non quidem in ratione quantitatis, vt sic, sed in ratione figuræ, secundùm quam ficuti punctum ad lineam, ita ille ad rectilineum angulum comparatur.

104 Obijcies secundò: sit columna aliqua alta decē palmos, palmum verò rotunda, nunc si huiusmodi columna secundùm altitudinem in infinitum diuideretur, vtique omnes partes, in quas fieret diuisio, essent palmares secundùm rotunditatem: ergo quantitas diuidi potest in infinitum in partes æquales non communicantes.

Respondeo, quod, quando à nobis negatur quātitati diuisibilitas in infinitum in partes æquales, non communicantes, sensus est, quod secundùm eam dimensionem secūdùm quam proximè fit diuisio secundùm eamdem ipsa quantitas non possit habere huiusmodi partes æquales: at verò in præsenti casu diuisio columnæ fit secundùm altitudinem; æqualitas verò attenditur secundùm latitudinem, seu rotunditatem: nego igitur consequentiam.

Obijcies tertiò: Sit quantitas bipalmaris, vtique 105
hæc diuidi potest in duas partes æquales non communicantes; deinde verò in quatuor item æquales scilicet semipalmos, postea in octo, quarti vnaquęque sit quarta pars palmi, & sic in infinitum. Poterit igitur finita quantitas diuidi in infinitum in partes æquales non communicantes.

Respondeo concesso antecedente: distinguendo consequens; finita quantitas diuidi potest in partes non communicantes æquales vni certæ parti à principio assignatæ, nego: diuidi potest in partes non cōmunicantes æquales indeterminatæ in magnitudine; concedo consequentiam. Nostra verò conclusio loquitur solùm in eo casu, quo ante extractionem determinetur quantæ magnitudinis esse debeant singulæ partes, quæ ex quantitate aliqua finita extrahantur, & dicit, quod tunc, solùm finitę, non autem infinitæ possint esse.

Secunda conclusio, quantitas est diuisibilis in 106
infinitum in partes tum æquales communicantes cum etiam proportionales, siue demum hæ communicantes sint, siue non cum altera, quæ diuisa est.

Probatur quia ex linea v. g. bipalmari potest quis prius detrahere palmum; deinde ex quantitate, quæ remanet, semipalmum; tum ex semipalmo remanente quadrantem; rursus diuidere potest quadrantem, qui restat in duas partes, & harum alteram in duas alias, & sic in infinitum: cuius rei ratio illa est, quia quælibet medietas licèt minima, est pars quantitatis, & extensa, et per consequens diuisibilis, alioquin quantitas ex indiuisibilibus componeretur. Ex quo patet, quod eadem quantitas licèt finita sit diuisibilis in infinitum in partes proportionales. quod si quælibet, quæ extrahitur simul cum remanente bifariam diuidatur in infinitum, constabit ipsam quantitatem esse sic diuisibilem in partes proportionales communicātes; si denique medietas, quæ accipitur à parte remanente coniungatur cum medietate partis immediatè ante detractæ, v. g. posito quod linea bipalmaris bifariam sit diuisa in duos palmos; si semipalmum remanentis palmi cum semipalmo detracti coniunxeris, & quadrantem illius cum tribus partibus huius, & sic in infinitum: habebis, lineam illam esse diuisibilem in infinitum in partes æquales communicantes.

Obijcies tamen primò: si quælibet quantitas es- 107
set hoc modo diuisibilis, sequeretur, quod quantitas minor esset æqualis quantitati maiori. pares enim partes haberent: consequens est absurdum; ergo, &c.

Respondeo negando sequelam: licèt enim quoad numerum partes in vtraque quantitate æquales sint, scilicet finitæ in infinitum: si tamen in diuisione tum maioris, tum minoris seruetur eadem proportio; semper partes, in quas diuiditur maior, maiores erunt extensiue illis, in quas diuiditur minor.

Obijcies secundò: si quantitas hoc modo esset 108
diuisibilis, posset Deus rosę folio finitos in infinitum mundos contegere; quia posset ipsum folium secundùm profunditatem, quam habet, in infinitum diuidere eius longitudine, latitudineque relicta.

Respondeo, concedendo totum argumentum;

Digitized by Google

quàuis.n.hoc rudioribus impossibile iudicetur; tamen in rei veritate plura his, atque maiora fieri possunt à diuina Omnipotentia, posita diuisibilitate in infinitum quantitatis.

109 Obijcies tertiò; Quantitas, si diuidatur à Deo, non potest diuidi, nisi in partes determinatas, atque finitas; falsum igitur est, eam esse diuisibilem in infinitum.

Respondeo, concesso antecedente, negando cõsequentiam. Ratio negationis sumitur ex diuersa ratione actus, & potentiæ: actus enim secundus, quemadmodum est diuisio, debet in casu nostro semper ad determinatum effectum terminari, alioquin quantitatis essentia destrueretur; at verò primus actus, quemadmodum est potentia ad diuidendum, potest aliquid omninò indeterminatum respicere. sic nostra visio terminari necessariò debet ad visibilia determinata: potentia verò visiua respicit omnia visibilia in communi indeterminatè sumpta. eodem modo quantitas, posito quod diuidatur, in partes determinatas diuidenda est, diuidi tamen potest semper vlteriùs, & vlteriùs in infinitum.

110 Obijcies quartò: quantitas potest diuidi in partes minores, & minores in infinitum; ergo etiam in partes æquales non communicantes. antecedens patet ex dictis. Consequentia probatur, quia pars minor maiorem supponit. maior autem includit totum id, quod requiritur ad faciendam æqualitatem cum minore.

Respondeo, distinguendo antecedens. Potest diuidi in partes minores, & minores, ita vt omnis terminus, à quo, diuisionum, sit maior omni termino, ad quem, concedo. ita vt sit minor illo, nego antecedens, & consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod licet semper verum sit, quod partes maiores contineant in se id, quod est æquale minoribus, quia tamen hæ possunt in infinitum minorari, hinc est, quod in tali diuisione affirmari nequeat, quod diuidatur quantitas in partes æquales vni certæ determinatæ, quæ quidem partes non communicantes sint.

111 Obijcies quintò: Si quantitas est diuisibilis in infinitum: vel potest diuidi in omnes sui partes, vel non potest. Neutrum dici potest; ergo maior patet. minor probatur quoad primam partem, quia si posset, sequeretur illam esse ex indiuisibilibus compositam; quod probatur, quia posito quod facta sit diuisio in omnes partes, sumo vnam ex his partibus, & peto, num hæc pars sit diuisibilis in alias, nec ne? si primum. igitur quantitas illa non fuit defactò diuisa in omnes sui partes: adhuc enim diuisibilis est, contra suppositum; sin autem secundum dicatur; ergo illa pars, & alia omnis, in qua facta est diuisio, indiuisibilis est. Probatur nunc minor illa quoad secundam partem, quia si quantitas non potest diuidi in omnes sui partes, sequeretur primò, quod non esset diuisibilis in infinitum, facta enim diuisione v.g. in centum partes, non esset amplius diuisibilis, & sic constaret ex indiuisibilibus: sequeretur secundò, quod frustratoria esset illa potentia ad infinitam diuisionem, non enim haberet posset defacto actum sibi correspondentem.

112 Pro responsione nota, partes omnes, in quas diuidi potest quantitas, sumi dupliciter posse, collectiuè, & distributiuè. primo modo sumuntur ita, vt nulla remaneat amplius vlteriùs diuisibilis. vndè est, quod sic expleatur tota diuisibilitas quantitatis. Secundo verò ita vt semper multæ sint assignabiles partes, in quas de facto non diuidatur: quibus positis.

Respondeo ad argumentum: quantitatem diuidi posse in omnes sui partes distributiuè sumptas, 113
non autem collectiuè; si enim sic diuidi posset, vera esset sequela probationis minoris quoad primam partem, totumque argumentum, quod in ea fit, haberet vim: quia procedit de diuisione partium collectiuè sumptarum. Ad probationem igitur secundæ partis minoris, respondeo, distinguendo primam sequelam: non esset diuisibilis in infinitum in omnes partes collectiuè sumptas, concedo: in omnes distributiuè acceptas, nego sequelam. Ex hac autem diuisibilitate, quam nos quantitati tribuimus, sequitur, eam posse diuidi vlteriùs, & vlteriùs, & non in tot partes, quin in plures; falsum igitur est, quod habita diuisione in centum partes v.g. ea non sit vlteriùs diuisibilis. Ad secundam verò sequelam dico, quod ad hoc, vt aliqua potentia non sit frustra, satis est, si ei defacto actus inadæquatus correspondere possit, sic diuisibilitati quantitatis in infinitum correspondet quæcumque diuisio non in tot, quin in plures partes, quod idem patet in potentijs naturalibus, siue actiuis, siue passiuis, nec non etiam in omnipotentia Dei.

Instabis primò: posito in actu nullum 114
sequitur absurdum; si igitur quantitas est in infinitum diuisibilis, si supponatur actu diuisa in infinitum, nullum absurdum deberet sequi; atqui sequitur; ergo &c.

Respondeo, distinguendo antecedens: Posito in actu, eo modo, quo est possibile, nullum sequitur absurdum, concedo: diuerso modo, nego antecedens, & consequentiam. Quantitas enim ita potest in infinitum diuidi, vt quacunque determinata diuisione data, possit dari alia maior. non autem ita, vt data aliqua diuisione, non amplius diuisibilis sit; & hinc est, quod à Diuo Thoma, continuum dicatur habere quidem potentiam ad diuidi, non autem ad diuisum esse.

Instabis secundò: Si quantitas potest diuidi in 115
omnes sui partes distributiuè sumptas; diuidatur in illas à Deo: nunc sumo vnam ex his partibus, & arguo sic: vel hæc est diuisibilis in alias, vel non; si primum ergo falsum est, quod quantitas illa diuisa sit in omnes sui partes distributiuè sumptas, si secundum; ergo constat ex indiuisibilibus; recurrit igitur argumentum contra distinctionem.

Respondeo, negando suppositum; idem enim 116
est dicere, diuidatur quantitas in omnes partes distributiuè sumptas, ac asserere: diuidatur in partes in numero finito in infinitum; quod repugnantiam involuit, quia ly in infinitum, importat potentialitatem ad vlteriorem diuisionem. propter eãdem rationem negandæ sunt hæ, & similes propositiones, seu supposita. Diuidat Deus quantitatem palmarem vtg. in tot partes, in quot potest? Diuidat illam in omnes, siue distributiuè, siue collectiuè sumptas, in quas est diuisibilis, &c.

Im-

Digitized by Google

implicant enim ex eo, quia ita potest Deus quæcumque quantitatem defacto diuidere, vt eius partes vlteriùs, & vlteriùs relinquat diuisibiles in infinitum.

117 Instabis tertiò: implicat, quod Deus diuidere non possit quantitatem in tot partes, in quot potest: vel igitur illę sunt amplius diuisibiles, vel non primum dici non potest, quia sic non potuisset in tot, in quot potest; ergo secundum, sed sic partes essent indiuisibiles; ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: & si quidem verbum, posse, sumatur in vtraque parte eodem modo, concedo: si sumatur diuerso modo, nego antecedens, & dico quod diuersimodè sumitur à nobis potentia ad diuidendum, dum Deo conceditur, ac sumatur, dum ei negatur. Conceditur enim ita, vt semper vlteriùs, & vlteriùs in infinitum possit diuidere. negatur verò ita, vt aliquando actus adæquatus diuisionis dictæ potentiæ correspondeat. Vndè fit, vt sine vllo absurdo dici debet, quod illæ partes, in quas Deus possit quantitatem continuam diuidere, semper vlteriùs diuisibiles sint.

118 Obijcies sextò: Deus cognoscit omnes partes, in quas quantitas est diuisibilis: sumpta igitur vna ex his partibus, peto: vel hęc est vlteriùs diuisibilis, vel non: si primum; ergo Deus non cognouit omnes partes, in quas illa quantitas erat diuisibilis; sin autem dicatur secundum. ergo quantitas non constat ex partibus in infinitum diuisibilibus.

Respondeo, distinguendo antecedens: Deus cognoscit omnes partes, in quas quantitas est diuisibilis, eo modo, quo diuisibilis est, concedo; diuerso modo, nego antecedens: quoniam verò quantitas non est diuisibilis in partes aliquas, ita vt non possit in alias plures; sed ita, vt possit in plures, & plures in infinitum, hinc est, vt hoc etiam modo Deus illam cognoscat. Ad petitionem igitur respondeo: partem illam esse vlteriùs diuisibilem, & hoc etiam modo à Deo fuisse cognitam. Hoc ipsum est, quod alij dicunt: Deum cognoscere omnes partes, in quas quantitas est diuisibilis, distributiuè sumptas, non autem collectiuè; Atque hic aduerte, quod Deus per cognitionem suam nullo modo designat partes neq; collectiuè, neque distributiuè designatio enim, cum in suo conceptu distinctionem inuoluat, habet se vt quædam extrinseca diuisio. quod autem illas Deus collectiuè minimè designet, constat ex eo, quia si sic designaret, iam ad indiuisibilia perueniret; quod verò neque distributiuè probatur, quia partes omnes, si distributiuè sumantur, important potentialitatem ad designationem: vnde implicat, quod distributio adæquata habeat actualitatem. Quare si quæras, num numerus partium assignabilium, quas Deus in continuo videt, sit finitus, an infinitus? Respondeo esse infinitum syncategorematicum, quia continuum ita est diuisibile in aliquas partes actu, vt semper vlteriùs remaneat in potentia in alias diuisibile. 119

DISPVTATIO TRIGESIMA PRIMA

DE INDIVISIBILIBVS CONTINVI.

HÆC est vltima difficultas, quæ in continui compositione sese offert examinanda. num scilicèt dentur in continuo indiuisibilia quædam; & posito quod dentur, quomodo à partibus diuisibilibus distinguantur: realiter ne, an solùm per intellectum: denique ex suppositione, quod realiter distinguantur, num actu se ipsis, vel potius potentia, sicuti diximus de partibus, quæ ad actualem distinctionem obtinendam, diuisionem aliquam, seu designationem expectant.

SECTIO PRIMA

Quid, & an sint indiuisibilia in continuo.

1 PRima conclusio. Indiuisibile, vt ipsum nomen indicat; est id, quod negationem diuisibilitatis, in suo conceptu essentialiter inuoluit. Quoniam verò secundùm triplicem dimensionem aliquid esse potest diuisibile, secundùm longitudinem, secundùm latitudinem, & secundùm profunditatem: hinc fit, vt triplex sit indiuisibile. primum est punctum, quod secundum omnem dimensionem indiuisibile est. Secundum linea, quæ licet diuisibilis sit secundum longitudinem, est tamen secundùm latitudinem, & profunditatem indiuisibilis. Tertium superficies, quæ versus solam profunditatem indiuisibilis cum sit; in longum; & in latum diuisibilitatem admittit. Quodlibet autem horum, vel terminatiuum est, quod scilicet se habet, vt terminus continui, vel copulatiuum, quod se habet, vt medium, in quo partes continui coniunguntur. Verum dicta omnia indiuisibilia tot tantasque difficultates secum afferunt, & quæstiones adeò inexplicabiles, vt quidam ea omnia negare decreuerint, asserentes, non solùm puncta, vt quidam, aut lineas, vt alij, sed etiam superficies, si concipiantur, vt quid positiuum, esse mera figmenta, & entia rationis. ita Durandus *in secundo dist. 2. quæst. 4.* Gregorius *quæst. 2. art. 1.* Hokamus *in logica in prædic. quantit.* & *in tract. de sacra*

Digitized by Google

sacra Eucharistia c.1.§ 2. & alij de schola Nominalium, quos sequuntur Aresius *primo de gen. disp. 2. quæst. 23.* Auersa *quæst. 22. sect. 2.* & subobscurè Vallesius *contr. 23. Physic.* qui omnes docent, punctum nihil aliud esse, quam negationem longitudinis: lineam verò vlterioris latitudinis: superficiem denique negationem vlterioris profunditatis; & vniuersim dari indiuisibile terminatiuum idem esse, ac nullo iam modo vlteriùs continuum protendi; dari verò continuatiuum, idem, ac neutram medietatem, seu partem vlteriùs progredi. Contra quos sit.

2 Secunda conclusio: Puncta linearum & superficies sunt entia realia positiua: est expressa sententia Aristotelis, qui passim hæc indiuisibilia tanquam vera entia supponit: & lineam, ac superficiem inter species quantitatis enumerat; cui non solùm Peripatetici omnes assentiuntur, sed etiam antiquiores Philosophi, & præsertim Plato. Est etiã omnium Mathematicorum, qui se iam demonstrasse dari hæc indiuisibilia existimant, dum sphæricum in puncto, & cylindrum in linea perfectè planum in quiete tangere probant; his addè fere omnium doctissimorum Theologorũ placita, qui plures quæstiones ex suppositione horum indiuisibilium tum in tempore, tum in magnitudine pertractant. Plures verò alias nulla alia ratione, nisi ad indiuisibilia recurrendo resoluunt. Iam contra omnium horum sensum ire est potius singularitatis notam incurrere, quam Philosophi nomen acquirere; atque hæc potest esse prima ratio conclusionis.

3 Probatur verò secundò: quia nisi darentur hæc indiuisibilia, tolleretur continuitas corporum, sed hoc est contra communem sensum: pro compertò enim habemus corpora in se esse continua, ergo &c. sequela probatur; quia continua sunt, vt habet Arist. *6. physic. tex. 1.* Quorum vltima vnum sunt, seu vt habetur *3. physic. text. 26.* Quorum partes eodem communi termino copulantur, sed vltimum hoc, seu hic communis terminus nequit esse, nisi aliquod positiuum indiuisibile; ergo nisi darentur indiuisibilia positiua, continuitas corporum tolleretur. Minor probatur, & quidem quod debeat esse indiuisibile; quia alioquin non posset esse vltimum, sed semper in eo esset assignare aliquid vlterius, & vlterius versus partes, quas continuat; neque posset esse earum terminus, si quidem non simpliciter, ac secundùm idem, sed secundùm aliam, atque aliam sui partem vtique parti continui communis esset; vnde in eo etiam deberet dari continuitas, & sic oporteret assumere terminum communem partibus suis inquirere in infinitum. hoc igitur indiuisibile est: Quod verò sit positiuum constat ex eo, quia si punctum continuatiuum partium lineæ esset sola negatio vlterioris extensionis vnius partis, ita & alterius esset, quare dicta linea non esset continua; quidem eius partes non communi termino sibi mutuò cohærerẽt, sed potius ad inuicem per distinctos terminos distinguerentur.

4 Neque dicas: Philosophum in definitione continui loquutum esse de vltimis, seu extremis terminatiuis, quæ partes continuationem facientes debent habere communia, non autem de continuatiuis. Nec id dicas, inquam, quia præter quam quod huiusmodi expositio est contra omnes fere interpretes: est expresse contra Aristotelis mentem, qui in prædicamentis, *Cap. de quanto*, reddens rationem, ob quam numerum esse quantitatem continuam neget: hæc habet: [Partium enim numeri nullus est communis terminus, ad quem copulantur partes eius; vt quinque sint, si sunt denarij partes ad nullum terminum communem copulantur quinque: & quinque, sed semper discreta sunt, & tria, & septem ad nullum communem terminum copulantur.] Et rationem reddens, quare linea, superficies, & corpus, & tempus, & locus sint continua, post pauca subdit: [linea verò continua est, est enim sumere communem terminum punctum, ad quem partes eius copulantur: & superficiei lineam, plani namque partes ad aliquem communem terminum copulantur, similiter autem, & in corpore habes sumere communem lineam, vel superficiem, ad quam pars corporis copulantur. Est autem talium tempus, & locus. Præsens enim tempus copulatur ad præterium, & futurum] Ex his vides eum in definitione continui loquutum esse de vltimis, & extremis non quidem terminatiuis, sed copulatiuis; cum præsertim, neque linea circularis, neque tempus, quod, in eius sententia extitit ab æterno; neque superficies corporum, vti dicemus infra, habeant extrema terminatiua.

Probatur tertiò negatis indiuisibilibus, corpora nequeunt esse contigua, quod sic ostendo: idem *Arist. 6. physic. tex. 1.* Contigua definit esse ea, quorum vltima simul sunt, sed vltima hæc contiguorum non possunt esse nisi indiuisibilia; ergo nisi darentur indiuisibilia, corporum contiguitas tolleretur. Minor probatur, tum quia in contiguis præter indiuisibilia, numquam assignari potest primum, aut vltimum; tum etiam quia ea dicuntur simul esse secundùm locum ab Arist. *physic. tex. 22.* quæcumque in vno loco sunt primo: hoc est vt bene Diuus Thomas interpretatur, proprio, & non communi: sed plura diuisibilia in eodem loco primo, hoc est proprio, naturaliter esse non possunt. sic enim corporum penetratio in rerum natura danda esset; ergo vltima corporum, quæ simul, & in eodem loco primo esse debent; non possunt esse, nisi indiuisibilia: recte igitur Diuus Thomas *5. physic. lect. 5. in text.* ait. Tangere autem, inquit, dicuntur, quorum sunt vltima simul: vltima autem corporum sunt superficies, & vltima superficierum sunt lineæ, & vltima linearum sunt puncta. Si igitur ponatur, quod duæ lineæ se tangant in suis punctis, duo puncta duarum linearum se tangentium continebuntur sub vno puncto loci continentis. hæc ille. Atque hic obiter nota discrimen inter contactum adæquatum, & inadæquatum. Adæquatus enim est, cum duo corpora ita se tangunt, vt in eo, in quo se tangunt non possint tangi naturaliter ab alio corpore, huiusmodi est contactus in superficie. At in puncto, vel in linea est inadæquatus; quia duo corpora in eis possunt tangi ab alio corpore, absque penetratione.

Rursum aduerte indiuisibilia, tum ad continuanda, tum ad terminanda, nec non etiam ad contigunda, seu tangenda corpora necessaria esse; atque adeò non solùm terminatiua, sed etiam co-

pu-

pulsiua, siue actu, siue potentia admittenda es-
se. quoniam verò continuitas etiam reperitur in
successiuis, dari quoque debere in illis sua indiui-
sibilia positiua, de quibus Aristoteles agit 6.
phys. text. 24. vbi sic; Necesse est autem ipsum
nunc quod non per alterum; sed per se, & primo
dicitur, indiuisibile esse, & in omni tempore
tale in esse: Quam propositionem postquam pro-
bauit sic text. 29. concludit: quod igitur sit aliquid
in tempore indiuisibile, quod dicimus esse ipsum
nunc, manifestum est,

7 Probatur denique quartò conclusio. Si perfe-
ctè sphæricum esset in quiete, super perfectè pla-
num, illud vtique tangeret in puncto; cum igitur
non sit maior ratio de puncto, ac de lineis, & su-
perficiebus, concedendum est omnia ista indiui-
sibiliũ genera dari à parte rei. Cõsequẽtia patet;
antecedés præter quã quod demonstretur cõmuni-
ter à Mathematicis, Theodosio lib. 1. sphæric. prop.
1. Euclide 3. elemc. prop. 16. Clauio ibid. cæt. & aliis,
est etiam Arist. 3. de Cœlo text. 69. & 1. de anim.
text. 23.

8 Dices primò cum Aresio 1. de gen. disp. 2. quæst.
23. & aliis: perfectè sphæricum à Deo fieri non
posse. vnde casus positus est impossibilis: sed il-
lud negare Dei omnipotentiæ, non videtur ho-
minis philosophi; cur enim dato corpore, cuius
partes non æque distant à centro, non potest Deus
ex partibus excedentibus tollere excessum, om-
nesque vt æquè distent efficere? imò ad mathema-
ticam demonstrationem de tactu in puncto, neque
totum hoc requiritur, sufficeret enim si corpus il-
lud secundùm aliquam minimam sui partem ha-
beret rationem sphæræi, & secundùm eam plano
superponeretur. quod si neque hoc concedatur,
sed dicatur sphæram ex diuersis planis rectis fa-
cientibus inter se angulos constare: nec sic effugi-
tur difficultas; cum enim lineæ facientes angulum
se tangant in puncto, si sphæricum ponatur su-
pra planum, in angulo iam tanget illud in puncto;
quod si dicatur, neque posse dari perfectè planum,
eodem ferè modo hoc dictum impugnandum est,
sufficere, scilicet, quod secundùm aliquam partem
sui detur perfectè planum. 1inquo argumentum
transferri posse ad Cilindrum, & planum, atque
adeò euincere quod falsem dentur lineæ; & su-
perficies.

9 Dices secundò: admisso sphærico, illud tange-
re planum in parte indeterminata minore, & mi-
nore in infinitum.

10 Contra tamen est primò, quia (præter quam
quod huiusmodi responsio inferius impugnabi-
tur) pars, ex eo quod sit indeterminata non a-
mittit per aduersarios diuisibilitatem, alioquin
darentur indiuisibilia; ergo dicendum absolutè
est, sphæricum tangere planum in parte diuisibi-
li, atque adeò quod habeat in sua circumferentia
aliquam partem planam, per quam plano adequa-
tur, ad hoc vt illud tangat, quod esse absurdum
ostendunt Mathematici ex eo, quia sequeretur,
quod lineæ, quæ ducerentur ab eius centro ad cir-
cumferentiam, iam non omnes essent æquales;
extremę enim partes plani semper magis distant à
centro, quam mediæ, adeoque lineæ, quæ ad par-
tem illam planam sphæræi ducerentur, inæquales
inter se essent: quod autem huiusmodi lineæ duci
possint, patet ex eo, quia alioquin, ne vna qui-
dem posset contra mathematicorũ omnium sensũ,
eorumque postulatum.

Contra etiam est secundò: quia vt sphæricum 11
tangat planum, debet determinatam partem aeris
excludere, quæ erat in loco contactus; tanget igi-
tur determinatam plani partem, non autem inde-
terminatam; Consequentia tenet, quia pars aeris
exclusa commensuratur illi parti plani: antece-
dens verò in quantum assumit, quod debeat pars
aeris excludi à sphærico, conceditur ab aduersa-
rijs, no penetrationem corporum admittere com-
pellantur; in quantum verò dicit partem illam
determinatam esse probatur: tum quia sicuti à
sphærico huiusmodi pars excludi potest, ita etiam
à Deo annihilari poterat, & consequenter deter-
minatè cognosci, tum etiam quia pars illa exclu-
sa est per scissionem: videt igitur Deus quantum
aeris ibi desit, vbi scissio facta est. Tum denique
quia reliquæ partes plani contectæ ab aere; deter-
minatę sunt; ergo & pars detecta determinata erit,
quia si à determinata quantitate partem auferas
determinatam, id quod remanet determinatum
erit.

Atque ex his improbata remanet eorum sen- 12
tentia, qui putant sphæricum super planum con-
stitutum debere de necessitate in aliqua modica
sui parte se penetrare cum illo. Ex hoc enim
sequitur debere omnia corpora inuicem pentrari
secundùm se tota. nam si exterior pars sphærici
potest penetrari cum exteriori parte plani, cur nõ
poterit cum interiori eiusdem, quæ consequitur
immediatè post exteriorem, cum hæc sit eiusdem
rationis cum illa, nec illa sine suis interioribus
partibus, quibus constat, sumi possit: & quia est
par ratio de cæteris, manifestè sequitur ex hoc,
sphæricum debere se totaliter penetrare cum pla-
no, & quodlibet corpus cum quolibet.

Dices tertiò: sphæricum tangere planum in 13
aliquo negatiuo, non quidem in obliquo connota-
to: sic enim integra remaneret difficultas de
positiuo, quod tangeretur in recto, sed verè, &
propriè: in quantum esset negatiuè indistans à
plano, neque illud tangeret positiuè, neque in
parte aliqua, neque in puncto.

Contra tamen est primò, quia non potest assi- 14
gnari per quid sphæricum sit indistans à plano;
ergo falsum est, quod illud negatiuè tangat. con-
sequentia tenet, quia per aduersarios tactus nega-
tiuus per istam indistantiam saluatur, antecedens
verò probatur, quia vel sphæricum est indistans à
plano per aliquam sui partem, & sic pars sphæri-
ci complanaretur plano, quod esse absurdum, vi-
dimus supra; vel per aliquod indiuisibile sui, &
sic darentur indiuisibilia: dicere autem quod sit
indistans secundùm se totum, est aduersari valdè
manifestis. globus enim non tangit planum for-
maliter secundùm omnes, & singulas sui partes,
nam secundùm illas iam ambitur aere, sed ad
summum secundùm aliquam, quæ est iuxta planũ
ipsum.

Contra etiam est secundò, quia globus per hũc 15
contactum vel scindit aerem, qui cooperiebat
planum, vel non scindit. secundum dici nequit,
quia verè globus distaret à plano, intercederet
enim aer inter vtrumque corpus; ergo primum;

tum

tum sic: vel scindit aerem in parte diuisibili, vel indiuisibili. vtrumuis dicatur semper positiuè, scilicèt, per aliquod positiuum, non autem negatiuè erit indistans: & quidem si in parte diuisibili, sphæricum tanget planum in parte diuisibili, sin autem in indiuisibili, non est, cur negentur indiuisibilia.

16 Contra denique tertiò: quia hoc negatiuum, non est nisi negatio, quæ sequitur immediatè post planum, & sphæricum, & inter ea intercipitur. Quæro igitur vel primo, hæc est negatio vlteriorís extensionis horum duorum corporum: verè enim immediatè post sphæricum est negatio sphærici, & immediatè post planum negatio plani. Verum duplicem hanc negationem non impedire, quo minus vnum corpus secundùm aliquod positiuum, siue diuisibile, siue indiuisibile alterum tangat, probatur ex eo, quia neque impedit quo minus vnum existat miraculosè penetratum cum altero, integra enim remanente hac vtriusque corporis negatione, potest Deus compenetrare sphæricum cum plano, atque adeò positiuè ponere vtrumque corpus in eodem loco: multò minus igitur impediet immediatam sequelam, & contactū positiuum.

17 Vel secundò est negatio quædam vtriusque, hoc scilicèt modo, vt immediatè post planum sequatur non solùm plani, sed etiam sphærici negatio inquabus contactus. Et hoc neque dici potest; siquidem vbi reperitur duplex hæc negatio, vel est etiā negatio cuiuscumque alterius corporis, vel nonq sed immediatè post planum sequitur aliud corpus, scilicèt aer, & post aerem ex vna parte sphæricū, & ex alia planum: non potest dici secundum, vt mox videbimus; neque primum, quia sic daretur spatium à negatione omnium corporum occupatum, atque adeò daretur naturaliter vacuum, quod quam sit absurdum concedere, nemo non videt.

18 Dices vltimò, non posse globum ita coniungi plano, vt sit penitus immediatè post illud, sed debere aliquantulum ab eo distare, ita vt aliqua modicissima pars aeris intercedat; & hoc propter vtriusque figuræ improportionem. Ex hoc autem sequitur, quod non se tangant. quando enim duo se tangunt, nihil mediat inter illa. nam etiam si se tangant inadequatè, sicuti est in casu nostro, licet inter omne spatium diuisibile mediet aer; in aliquo tamen indiuisibili illorum nihil mediare debet.

19 Contra tamen est primò, quia posito quod globus aereus ingentis magnitudinis super aliquod planum descenderet ex hac opinione sequeretur, quod deberet in medio aere nullo adhuc impidiente consistere, & à motu suo deorsum cessare: quid si non cessaret? quid si à Deo superplanum illud remoto aere crearetur? profectò resiliret in tua sententia; sed faciamus, quod nollet Deus ad motum illum resilientiæ cum illo concurrere, non nè planum in puncto contingeretur. ita sanè.

20 Contra est secundò: quia si improportio figurarum obstaret contactum inter planum, & sphæricum, duo igitur plana, quæ proportionantur quoad longitudinem, & latitudinem iam se tangerent, & sic dantur superficies positiuæ: quoniam verò etiam Cilindrus proportionatur plano secundùm longitudinem, si ei quoque superponatur, tanget illud positiuè in linea, & sic etiam linea est concedenda. Pro punctis denique positiuis.

Contra sit tertiò, quia improportio figurarum non obstat, quò minus vnum corpus immediatè sequatur ad aliud; ergo ratio, ob quam inter planum, & sphæricum admittendus sit aer, nihil concludit. Antecedens probatur, quia anguli ad verticem alterni, qui resultant ex diuisione figuræ quadrilateræ, facta per duas lineas diametrales se mutuo secantes, maiorem habent improportionē inter se, quam habeant planum, & sphæricum. Sed illi anguli alterni, maiore hac improportione non obstante, se immediatè sequuntur; ergo multò magis si sphæricum plano superponatur, sequetur immediatè post illud. *Maior* probatur, quia anguli alterni, qui sunt ad verticem, & ex illa diuisione resultant, secundùm omnes suas partes, a se inuicem mutuo recedunt, quod non euenit in casu nostro; nam licet sphæricum per suas partes circulares recedat à partibus plani: partes tamen plani quantum est de se non recedunt, neq; elongantur à sphærico; sed æquè protenduntur, ac complanantur. Minor verò probatur, quia corpus figuræ quadrilateræ, si diuideretur à Deo in quatuor partes ad modum crucis ex diametris se secantibus designatas: tunc certè poterunt quatuor istæ partes esse inuicem immediatè, occupando eidem omnino locum, quem ante diuisionem occupabant; nam diuisio neque aliquam extensionem illis addidit, neq; abstulit, sed neque necessitatem illis imposuit admittendi aliquid aeris intermedij: tum quia potuerunt à Deo discontinuari absque eo quod localiter mouerentur, tum etiam, quia, si potuerunt se immediatè sequi per continuationem, cur non etiam per contiguationem? ergo &c.

Obijcies primò: Res materialis non potest esse indiuisibilis; sed punctum est quid materiale. ergo non datur. Minor patet, maior probatur, quia res materialis per hoc distinguitur à spirituali, quod scilicet partes habeat, illa verò sit indiuisibilis.

Respondeo, negando maiorem; ad cuius probationem dico, quod res materialis à spirituali nō distinguitur per hoc solum, quod habeat partes, sed etiam per hoc, quod ad partes pertineat, siue demum sit in se diuisibilis, siue indiuisibilis. Punctum itaque etiam si indiuisibile sit, ad continuandas, ac terminandas partes rei diuisibilis pertinet, atque adeò est materiale. Spiritualis enim res neque partes habet extensas permanentes, neque ad illas extendendas, seu terminandas pertinet.

Obijcies secundò: Non datur instans in tempore; ergo neque indiuisibilia in quantitate permanente; consequentia tenet ex paritate rationis, quam omnes admittunt. antecedens verò probatur: si daretur in tempore instans, vel desineret esse, dum est, vel desineret esse postquam est: non primum quia sequeretur idem simul esse, & non esse. neque secundum, quia post instans sequitur tempus; quod autem indiuisibile est, desinere nequit in tempore: hoc enim est essentialiter diuisibile.

Respondeo, negando antecedens, ad eius probationem dico: instans desinere esse dum est, & ne-

Digitized by Google

nego sequelam illam, quod scilicet simul esset, & non esset: quia illa desitio non est extrinseca, scilicet per suum non esse, sed intrinseca, scilicet per suum vltimum esse, sicuti etiam est eius inceptio per primum esse.

24 Obijcies tertiò: Nulla est necessitas ponendi indiuisibilia; ergo non dantur. antecedens probatur, quia si qua esset, maximè ad continuandas partes quantitatis, & ad quantitatem ipsam terminandā, sed partes possunt se inuicem cōtinuari, & quantitas etiam se ipsa terminari, ex eo quod non vltra se extenderet; ergo &c.

Respondeo negando antecedens; ad eius probationem, cōcessa maiore, nego minorem; partes enim quantitatis nō possent inuicem continuari, nisi eorum extrema essent vnum indiuisibiliter, vt docet expressè Aristoteles in definitione continui; deinde neque quantitas ipsa vllos haberet terminos positiuos, nisi desineret in indiuisibili.

25 Obijcies quartò Aristotelis quędā loca, quibus videtur sentire, quod nō dentur indiuisibilia. 3. *enim de anim. tex.* 25. ait pūctū negatiuè cognosci. 3. *verò met. tex.* 13. docet, superficiem non esse verè in corpore solido. 8. *denique met. tex.* 14. cum de punctis mentionem faciat: ait, vtpotè puncta, (si sint quidē) vbi etiam negat, ea posse generari, atque corrumpi; hæc autem omnia videntur innuere, quod indiuisibilia in eius sententia non dentur.

26 Respondeo, Philosophum semper, & vbique de indiuisibilibus tanquā de veris entibus loquutum esse: iam verò 3. *de anima* dixit, punctum negatiuè cognosci, vel quia propter summam eius imperfectionem per negationem omnis diuisibilitatis definitur, quemadmodum definitur materia per hoc, quod neque sit quid, neque quantum &c. vel quia ipsum sicuti cętera duo indiuisibilium genera negationem diuisibilitatis in suo conceptu in obliquo connotatam essentialiter inuoluit; quando verò negat, vel dubitat, dari superficiem, aut punctum, loquitur de illis actu distinctis, vel separatis, num scilicet dentur actu distincta ante assignationem in continuo, vel ab ipso continuo separata? non solùm autem punctis 8. *met. citato*, sed etiam ipsi albedini negat Philosophus generationem, quia ibi loquitur de subiecto denominationis, & solum vult, quod id, quod per albefactionem secundùm quid generatur; & id, quod per indiuisibilia terminatur, sit solum corpus.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo indiuisibilia distinguantur à quantitate.

27 CElebris est in præsenti cōtrouersia Gregorij Ariminensis sententia *in 2. dist. 2. qu. 2. art. 2. concl. 3.* vult enim hic auctor indiuisibilia, punctū, scilicet, lineam, ac superficiem esse idem omnino, & quidem indiuisibiliter cum corpore mathematico trinam dimensionem habente: tamen beneficio, quarumdam negationum connotatarum formaliter distinguantur; quod vt explicent Recentiores, aiunt, quantitatem trinè dimensam plura prædicata, veluti entitatiua, & physica continere, quorum primum esse potest longitudo, secundum autem latitudo; tertium verò profunditas, quartum denique ratio termini, seu copulę; quę omnia licèt in se, & intrinsecè realiter indistinguibilia sint, extrinsecè tamen, vel per intellectum, vel per contactum distinguntur; si ergo quantitas, secundùm quod omnia dicta prædicata includit, accipiatur à nobis, dicunt eam adæquatè sumi, & essentiā corporis trinam dimensionem habentis constituere; sin autem secundùm, quod aliquod ex dictis prędicatis continet cum aliorum pręcisione, volunt accipi inadæquatè, & induere rationem indiuisibilis sic si sumatur prout longa, & lata est cum præcisione profunditatis, est superficies; si verò prout longitudinem habet, à latitudine, ac profunditate præscindentem est linea: si denique prout solam habet rationem termini, vel copulæ cum præcisione à longitudine, latitudine, atque profunditate, per illos est punctū. Quę sententia licèt plausu multorum Recētiorum, & quidem doctissimorum excipiatur, vt ait P. Fonseca 5. *met. cap. 13. quæst. 6. sect. 3.* contra illam tamen sit.

Nostra conclusio: Indiuisibilia pluſquam 28
ratione à quantitate trinè dimensa, eiusque partibus distinguuntur, est expressa sententia Sancti Thomæ *quæst. 28. de verit. art. 1. ad 10. & opus. 35. cap. 2.* & alibi; Scoti *in secundo dist. 2. quæst. 9. & dist. 1. quæst. 3.* Alensis, Capreoli, Hispalensis, Ianduni, Soncinatis, Burlæi, Soti, Caietani, Scaligeri, & vt idem Fonseca *loco cit.* testatur omnium, fere Thomistarum, ac Scotistarum consensu defenditur, quod magnam affert nostræ sententiæ probabilitatem; his adde Suarium *disp. 40. met. sect. 5.* Conimbricenses 5. *phys. cap. 2. quæst. 1. sect. 2.* Ruuium *cap. 2. tract. de compos. continui*, Masiū *qu. 1.* Hurtadū *disp. 15. phys. sect. 9.* & quantū attinet ad superficiē, & lineam, Fonsecam ipsum *loco cit. sect. 4.* & alios. vbi aduerte, me in præsentia non decernere vtrū dicta indiuisibilia sint actu à corpore trinè dimenso, eiusque partibus distincta, vel solùm potentia: hoc enim inferius examinabitur. Solùm enim intendo, ea distingui realiter, siue actu, siue potentia. Ad quod probandum quatuor afferam rationes, quas, ne fastidium longitudine causem, distinctis sectionibus comprehendā, sit igitur.

SECTIO TERTIA.

Proponitur, & defenditur prima ratio realis distinctionis indiuisibilium à partibus quantitatis.

29 ASsertio nostra probatur primò in hunc ferè 29
modum; Quotiescumque duo ita se habent, vt id, quod realiter, & nemine cogitante, conuenit vni, non possit alteri realiter, & nemine cogitante conuenire: toties illa duo realiter inter se distinguuntur: sed vni indiuisibili realiter, & nemine cogitante, conuenit aliquid, quod nequit competere realiter corpori mathematico, eiusque partibus; ergo indiuisibilia nemine cogitante distinguuntur à quantitate trinè dimēsa, & partibus eius,

R. P. Iosephi Eolizij Philosophiæ 2.

Digitized by Google

30 Maior videtur ex se nota, & patet hoc discursu: quia ea, quæ sunt idem diuisibiliter per hoc, vt supra innuimus, differunt ab ijs, quæ sunt idem indiuisibiliter, quod illa ita se habent, vt non quidquid realiter verificatur de vno, possit etiam de alio verificari, quare de capite dicitur, quod sit rotundum, quod non potest de pedibus affirmari. de vna parte maris affirmatur, quod sit tranquilla, de alia verò quod sit tempestate vexata: at ea, quæ sunt idem indiuisibiliter, non item, quia nihil aliud sunt, quam conceptus quidam inadæquati vnius, & eiusdem entitatis indiuisibiliter acceptæ, & indiuisibiliter in illa existentes: ita vt eadem entitas identicè, & secundùm se tota vtrumque habeat, non autem per partes, vt scilicet vnus conceptus vni, & alter alteri parti correspondeat; vnde est quod quidquid competit realiter vni ex illis conceptibus, realiter etiam alteri competat, necesse est; sic quia animalitas in homine indiuisibiliter cum eius rationalitate identificatur, si realiter verificatur de animalitate illa, quod sit substantia, corporea, sensibilis, realiter etiam totum hoc debet poße de rationalitate verificari, & si de hac rursus affirmatur, quod discurrat, sit intelligens &c. affirmari etiã de animalitate realiter id debet.

31 Neque dicas, quod sicuti in diuinis: licet persona Filij sit idem realiter cum natura diuina: de persona tamen Filij affirmatur, quod realiter producatur: de natura verò negatur; ita & in humanis idem possit accidere: ne id dicas, inquam; quia virtualis distinctio in rebus creatis æquiualet actuali distinctioni solùm in ordine ad intellectum, & quoad ea, quæ prout subsistant cognitionibus inadæquatis conueniunt illis; quare quidquid conuenit vni rationi à parte rei, & alteri conueniat in sensu reali, necessum est: at verò virtualis distinctio inter naturam diuinam, & personalitates æquiualet actuali non solùm in ordine ad intellectum; sed etiam quo ad produci, & non produci, communicari, & non communicari: quod Deo competit ob summam eius bonitatem, & infinitam perfectionem, ratione cuius eius natura ita exigit communicari pluribus, vt debeat esse vna simplicissima entitas, omnem cõpositionem à Deo excludens, & hinc est, quod licet personalitati Verbi competat realiter productio, non tamen competit naturæ diuinæ.

32 Minor verò principalis argumenti probatur, quia si plano sphæricum superponatur, ita vt in illo quiescat, puncto plani, in quo fit tactus realiter, & nemine cogitante, competit, quod penetretur cum puncto sphærici: sin autem eidem plano superponatur aliud planum: vtriusque superficiei realiter etiã cõpetit, quod sint simul, & in eodẽ loco primo, sed hæc non possunt, neque de ipsis corporibus, neque de eorum partibus realiter, & nemine cogitante verificari; ergo &c. Maior patet ex dictis, neque ab aduersarijs negatur: Minor verò constat ex eo, quia sphæricum non potest penetrari cum plano, neque secundùm se totum, quia sic daretur penetratio corporum: neque secundùm aliquam sui partem, quia iam omnes partes quantitatis se inuicem penetrarent; siquidem non est maior ratio de vna, quàm de alijs, atque adeò totum sphæricum posset se cum toto plano compenetrare, & per consequens omnia corpora ad inuicem. 33

Ad hoc argumentum respondent aduersarij, distinguendo maiorem principalem: quotiescumque duo ita se habent, vt id, quod realiter conuenit vni, non possit competere alteri, tum adęquatè, tum inadæquatè sumpto, concedunt, quod ista duo distinguantur realiter: alteri sumpto solùm adęquatè, negant maiorem, & distinguunt eodem modo minorem: vni indiuisibili realiter conuenit aliquod, quod non potest realiter conuenire corpori mathematico, eiusque partibus tum determinatis tum indeterminatis adęquatè acceptis, concedunt; acceptis inadæquatè, negant minorem, & consequentiam; quam distinctionem ad omnes probationes accommodant, & in specie ad probationem minoris, concessa maiore, distinguunt minorem: Se inuicem penetrare, & simul esse in eodem loco primo non potest realiter de partibus corporis adæquatè sumptis verificari, concedunt: non possunt de illis acceptis inadæquatè, negant minorem, & consequentiam; & ad minoris probationem dicunt, quod sphæricum neque se penetret cum plano secundùm sui partem determinatam, neque secundùm indeterminatam adæquatè sumptam, quia indeterminatio non tollit diuisibilitatem: sed secundùm partem indeterminatam inadæquatè acceptam tantùm: ex hoc autem non sequitur, quod idem sphæricum habeat partem aliquam planam, ad quam possint plures lineę à centro inæquales duci, neque quod vel secundùm se totum, vel secundùm aliquam sui partem adæquatè sumptam, possit se cum eodem plano penetrare, quia adæquare se plano, & esse in eodem loco, ac se penetrare cum illo secundùm partem indeterminatam inadæquatè sumptam aliud nihil est, quam quod hæc munia præstet, secundùm quod præcisè habet rationem termini, præscindendo à longitudine, latitudine, ac profunditate, quam inuoluit; vnde non rectè ex hoc postea deducitur, quod secundùm quod hęc omnia includit, seu quod idem est secundùm partem adæquatè sumptam, illa eadem præstare possit; eodem ferè modo respondent, si argumentum ad lineas, & superficies transferatur.

Contra igitur hanc responsionem facit primò: quia dum aduersarij dicunt indiuisibilia idem esse realiter cum partibus corporis indeterminatis inadæquatè sumptis, aliud nihil asserunt, quam quod ipsa indiuisibilia sint partes corporis, prout hæ indiuisibiles sint; & non prout diuisibiles. qua in responsione, vt benè notat P. Fonseca *loco citato sect. 3.* petunt principium. hoc enim est, de quo dubitatur, sine ne indiuisibilia identificata indiuisibiliter cum corpore, & eius partibus? quod in hac responsione liberè assumunt. 34

Cõtra est secundò, quia quotiescũq; affirmamus duo aliqua idẽ esse realiter, neutrius ratiõẽ formalẽ explicare, seu, quod idẽ est, specificare solemus: vt cũ v.g. significare volumus actionẽ, & passionẽ idẽtificari inter se realiter, nõ dicimus passionẽ quatenus est actus patientis, idẽ esse realiter cũ actione; sed absolutè hoc pronunciamus, cuius rei ratio potest esse, quia specificatio rationis formalis eorum, de quibus cõtrouertimus, vtrum inter se idẽtificetur, potius ad eorũ distinctionẽ, quã 35

ad

ad eorum identitatem, exprimendam facit; sed aduersarij quando affirmant, indiuisibilia esse idē realiter cum partibus corporis, eorum rationem formalem specificant. Dicunt enim ea identificari cum dictis partibus indeterminatis inadæquatè sumptis. nam si ex eis quæras, quidnam sint indiuisibilia formaliter sumpta? tibi respondent, esse partes corporis indeterminatas inadæquatè acceptas: distinctio igitur illa, quam nostro argu-
36 mento adhibent, illud non soluit, neque ad rem nostram facit.

Dices, quod quando illa duo, quæ affirmamus idem esse realiter, se habent vt totum, & partem, rationem formalem illorum in dicta affirmatione specificare solemus; & sic dicimus: partem esse idem realiter cum toto inadæquatè sumpto, totum verò esse idem realiter cum partibus collectiuè acceptis; iam verò hoc ipsum accidit in casu nostro, dum agimus de indiuisibilibus, & de corpore mathematico.

37 Sed non benè: primò, quia hoc fieri solet in illis propositionibus de toto, & partibus, vt notetur in qua suppositione accipiantur voces illæ. totum enim si adæquatè sumitur, realiter distinguitur à se ipso inadæquatè considerato: quare explicari debet quo pacto vox illa supponat, vt veritas, vel falsitas propositione appareat. præterea vox partes, si sumatur suppositione copulatiua identificantur cum toto: sin autem distributiua, distinguuntur realiter ab illo: At verò hoc non accidit in casu nostro; siquidem indiuisibilia in tua sententia non possunt sumi in aliqua suppositione, in qua realiter à quantitate ipsa distinguantur. Non benè secundò, quia indiuisibile, cum sit per se formalitas quædam inadequata quantitatis, nequit comparari ad illam, nisi vt pars metaphysica; etiam si negationem extrinsecè connotet, sicuti ratio animalis v. g. ad hominem, licèt connotet exercitium
2 sentiendi; sed quando animalitatem cum homine identificamus, non explicare solemus rationem formalem illius; ergo &c. vt autem ad principalē responsionem redeamus.

38 Contra est tertiò, quia sphæra tangit planum in aliquo determinato, non igitur tangit illud secundùm partem indeterminatam. Consequentia videtur certa; antecedens verò patet ex dictis *supra Sect.* 1. & vlteriùs confirmatur primò, quia id, in quo sphæra tangit planum, id, inquam, totum quantum est, à quocumque alio quod est in plano sufficienter distinguitur; ergo tangit illud in aliquo determinato. Consequentia patet, quia prius habet res vt sit in se determinata, quam ab alio aliquo distincta. Antecedens verò probatur, quia id, cui realiter competit aliquid, quod non
c competat item realiter alteri, sufficiēter distinguitur ab eo, cui tale aliquod non competit; sed ei, in quo sphæra tangit, planum competit realiter aliquid, quod partibus plani, & cuicumque alteri, quod in plano est, de facto non competit; ergo &c. Maior huius argumenti videtur certa: minor verò probatur, quia ei, in quo sphæra tangit planum realiter competit penetrari cum ipso sphærico, quod nulli alteri ex jis, quæ sunt in plano realiter competit; ergo id erit sufficienter à quocumque alio, quod est in plano distinctum.

39 Confirmatur secundò: quia potest Angelus se totum colligere in illo puncto contactus, quod est in plano; hoc enim Angelo denegare, posito quod admittantur indiuisibilia in rebus materialibus, videtur ridiculum. Ex hoc enim sequeretur, quod magis se attenuare posset ens materiale, ad indiuisibilia scilicet, perueniendo, quam spirituale. Hoc igitur præsupposito, sic argumentor. videt Deus determinatè tum id plani, quod coexistit Angelo: tum etiam id, quod ei non coexistit, quia in eo, cui coexistit actionem conseruatiuam Angeli exercet; ergo determinatè cognoscit illud plani quod etiam probatur ex eo; nam velit ipse Deus totum planum, quod Angelo coexistit annihilare, & conseruare solum id, in quo Angelus inuenitur, si aliunde non repugnat: vtique hoc plani determinatum in se remaneret; ergo etiam per contactum sphærici erat antea determinatum: atque in hoc, vt verbis vtar P. Suarij *disp.* 40. *sect.* 5. *num.* 13. euidentissimè refellitur responsio de tactu indeterminato.

Confirmatur denique tertiò: quia pars siue determinata, siue indeterminata sit, semper est diuisibilis; si igitur contactus sphærici, & plani sit in aliqua parte indeterminata, iam sit in aliquo diuisibili, quod est apertè falsum, etiam per aduersarios. 40

Ad hoc vltimum respondent distinguendo antecedens. Pars siue determinata, siue indeterminata sit, si adæquatè sumatur, est diuisibilis, concedunt: si sit indeterminata, & sumatur inadæquatè, negant antecedens; & eodem modo distinguunt consequens. Volunt enim diuisibile inadæquatè sumptum induere naturam indiuisibilis. 41

Contra tamen est: quia vel hæc pars indeterminata inadæquatè sumpta, est idem realiter indiuisibiliter cū parte indeterminata sumpta adæquatè; vel non. si dicatur secundum habemus intentum, manifestè enim sequitur indiuisibilia pluſquam ratione à quantitate distingui: nomine enim quantitatis venit illa pars indeterminata, quæ trinam habet dimensionem; sin autem primum: est argumentum, quia quoties duo sunt idem realiter indiuisibiliter: quidquid realiter competit vni, & alteri competat realiter necesse est, quare si parti corporis indeterminatæ, sumptæ adæquatè competit diuisibilitas, hæc etiam realiter competit parti inadæquatè sumptę. rursus si de hac verificatur realiter, quod sit id, in quo sphæricum tangit planum, debet hoc etiam de illa realiter verificari. quod si non verificatur, signum est, quod realiter saltem potentia inuicem distinguantur. 42

Dices, partem indeterminatam inadæquatè acceptam, sumptam in ratione indiuisibilis duo inuoluere. Vnum intrinsecè, & hoc est ipsa quantitas, realiter quidem secundùm omnes dimensiones considerata; formaliter verò secūdùm aliquas ex dimensionibus, vel secundùm rationem termini, vt sic. Alterum extrinsecè, & hoc est aliqua negatio extrinseca, exclusiua, vel omnium, vel aliquarum tantùm dimensionum: eadem enim pars indeterminata quantitatis, quatenus comparata ad aliquod extrinsecum, dum exercet rationem, vel solius termini, vel longitudinis, vel etiam latitudinis, habet essentiam, vel puncti, vel lineæ, vel superficiei: quare ad argumentum respondebis: partem inadęquatè sumptam quoad 43

Digitized by Google

intrinseca quidem, esse eandem indiuisibiliter eum parte indeterminata: quam extrinseca verò distingui ab ea plusquam realiter, scilicet, numquam non ens ab ente.

44 Sed non satisfacit primò, quia pars hæc inæquata, secundùm id, quod importat de positiuo, realiter est diuisibilis, vt tu dicis: Sed planum non tangitur à sphærico in aliquo negatiuo, vt supra probatum est, sed in hoc, quod pars hæc indeterminata importat de positiuo; ergo iam tãgitur per te in aliquo diuisibili, à quo tu tantopere refugiebas. Confirmatur, quia quando planum tactum à Cilindro exercet tationem solius longitudinis, vtique per illam entitatem realiter loquendo, per te, dictam rationem exercet, quę habet latitudinem, & profunditatem sibi indiuisibiliter identificatam; ergo planum realiter loquendo, tangitur à Cilindro in latitudine, & profunditate, quam habet. Consequentia patet, quia in illa entitate tangitur, quę omnes istas rationes sibi indiuisibiliter identificatas habet.

45 Non satisfacit secundò, quia per te pars indeterminata terminatur ad indiuisibilitatem puncti per negationem omnis dimensionis, quam extrinsecè connotat; ergo illa negatio deberet in se ad hoc præstandum determinationem habere: sed non habet. ergo &c. Omnia patent, præter subsumptum, quod sic probatur: quia si ista negatio omnis dimensionis, quæ in exercitio contactus extrinsecè connotatur à ratione termini, quę est in plano, haberet determinationem in se: huiusmodi determinatio in eo maximè consisteret, quod ea non esset etiam negatio illius rationis positiuę termini, quæ in contactu illo exercetur à plano, sed hoc admisso sequitur rationem positiuam puncti, seu termini esse realiter à cæteris dimensionibus plani distinctam; ergo &c. Maior videtur certa: minor probatur, quia impossibile est, quod negatio vnius rationis positiuæ sit, nomine cogitante, separabilis à negatione alterius rationis positiuæ, quæ rationes illæ positiuæ sint inter se realiter etiam separabiles, siue demum negatio illa intrinseca sit, siue extrinseca; hoc enim parũ refert, vt patet inductione; ergo si negatio extrinseca omnis dimẽsionis plani est realiter separabilis à negatione rationis positiuæ termini, quæ est in plano, manifestè sequitur, omnes dimẽsiones distingui realiter à ratione positiua termini, quæ in plano reperitur. Confirmatur, quia exercere rationem solius termini, infert in exercitio realiter negationem omnis dimensionis, & non termini, licet extrinsecè; sicuti igitur hoc duplex negationum genus extrinsecè est realiter separabile; ita & rationes positiuę illis oppositæ, quæ intrinsecè sunt in quantitate.

46 Non satisfacit tertiò: quia si negatio omnis dimensionis est extrinseca plano: peto, cui nam est intrinseca? profectò non alteri, nisi sphærico, cui planum in suis dimensionibus non adæquatur: quod si dicas intrinsecam esse contactui, iam contactus præter planum, & sphæricum in distantia nihil aliud importat. Cum autem dicta negatio non sit intrinseca plano, erit intrinseca sphærico: tunc sic, sphærico est intrinseca negatio omnis dimensionis plani, & tamen est intrinseca ratio positiua termini, quæ est in plano, siquidem secũdum hanc penetratur cum sphærico; ergo hæc ratio positiua termini, quæ est in plano, realiter distinguitur à cæteris dimensionibus eiusdem: Id enim, quod realiter fit cum negatione alicuius, necesse est vt realiter distinguatur ab illo.

SECTIO QVARTA

Proponitur secunda ratio.

PRobatur secundò nostra conclusio principaliter 47
quia quando dicunt aduersarij, sphæricum tangere planum in parte indeterminata inadæquatè sumpta terminus (inadæquatè) vel distrahit rationem partis indeterminatæ, vel relinquit; si distrahit; ergo idem est dicere partem indeterminatam inadæquatè acceptam, ac dicere hominem lapideum; sicuti igitur homo lapideus realiter à vero homine distinguitur: ita pars hæc indeterminata inadæquatè sumpta, quam aduersarij dicunt esse indiuisibile, distinguetur realiter ab omnibus partibus diuisibilibus quantitatis. Sin autem relinquit; vel ita relinquit, vt addat aliquid, vel itave demat aliquid abilla; si addendo, relinquit ergo sicuti illa indeterminatè sumpta erat diuisibilis, ita erit, & inadæquatè. Sin autem relinquit, aliquid ex ea detrahendo, vel detractio ista fit realiter, vel tantùm formaliter, & per intellectum; si primum, iam igitur punctum, quod in partis inadæquatione consistit, realiter à partibus diuisibilibus distinctum erit: si verò dicatur secundum; ergo realiter quidquid competit puncto, secundùm suam realitatem sumpto, conuenire etiam debet realiter partibus diuisibilibus, sicuti ex eo, quod actio, & passio sint idem realiter, & solùm formaliter distinguuntur, quidquid realiter competit vni, realiter etiam alteri conuenire debet. sed hoc repugnat ergo &c.

Atque hic obiter nota, quod si aduersarij re- 48
spondeant, partem indeterminatè sumptam, vt sic, præscindere à diuisibilitate, & indiuisibilitate; esse autem diuisibilem, si adæquatè sumatur; indiuisibilem verò si inadæquatè, ijsdem ferè argumentis impugnari possunt, & illo præsertim, quo ex eis quæritur, num pars hæc indeterminata inadæquatè sumpta, in qua per illos fit contactus, sit realiter à reliquis partibus plani indeterminatis distincta, sine actu, sine potentia: an verò sit idem realiter cum illis indiuisibiliter? si primum, habemus intentum: sin secundò, iam sequitur, quod sphæricum tangat planum in aliquo, quod realiter diuisibile sit: vel si est indiuisibile, concluditur aliquid indiuisibiliter sumptum realiter esse simul diuisibile, & indiuisibile, quod implicat.

Ad argumentum principale respondent aduer- 49
sarij, particulam, inadæquatè, distrahere rationem partis indeterminatæ, extrinsecè solùm, secundùm quod pars indeterminata realiter distinguitur à parte inadæquatæ, atque adeò nullam esse paritatem de homine lapideo, ibi enim, additum distrahit intrinsecè; hoc autem sic explicant. Pars indeterminata intrinsecè quidem omnes dimensiones realiter includit; potest tamen accipi inadæquatè, scilicet secundùm vnam dimensionem, & non secundùm aliam, separando saltem extrinsecè illas ab inuicem. hæc autem separatio duobus modis haberi potest. Primo per intellectum

ſtum, concipientem vnam dimensionem sine alia: ſecundò realiter per ordinem ad aliquod extrinſecum connotatum; quando, ſcilicet illa pars cõparatur ad aliquod extrinſecum, ſecundùm vnam dimensionem, & non ſecundùm aliam. Atque hæc eſt realis præcisio, habeturq; per denominationẽ extrinſecam. in hunc modum, inquiunt, ſi animalitas, quæ eſt in homine compararetur ad exercitium ſentiendi, præſcindit realiter extrinſecè à rationalitate, quia homo dum ſentit, animalitatẽ exercet, non rationalitatem; ſimiliter cum idem homo comparatur ad equum, eius animalitas, ſecundùm quam eſt ſimilis equo, diuiditur ab eius rationalitate, ſecundùm quam eſt ei diſſimilis.

50 Sed contra eſt primò, quia quando planum tangitur à Cilindro in linea: peto quid ſit id, ad quod pars indeterminata plani comparatur ſecundùm longitudinem, & non ſecundùm latiendinem, & profunditatem? Reſpondebis, eſſe Cilindrum. Sed Cilindrus eſt quid poſitiuum, non negatiuum, & quidem non minus intrinſecè habens identificatas indiuiſibiliter cæteras dimensiones cum ſua longitudine, quam planum. Quomodo ergo per ordinem ad illum pars determinata plani induit rationem lineæ? Dices beneficio contactus. ſed contactus realis eſt, & nemine cogitante, & non importat aliud præter dictas longitudines simul, & in eodem loco primo. Si igitur longitudines iſtæ ſunt indiuiſibiliter identificatæ cum cæteris dimensionibus, implicat, quod cæteræ dimensiones realiter non ſint simul. Confirmatur, quia quando dicitur, quod pars indeterminata comparatur ad aliquod extrinſecum, ſecundùm vnam dimensionem, & non ſecundùm alias, non eſt ſermo de comparatione, quę fit per intellectum, ſed de reali; ſed realiter per tr dimensiones omnes ſunt vnum indiuiſibiliter non ſolùm in entitate, ſed etiam in formalitate: quia eſſentia, & formalitas ſecundùm ſe ſumpta vnius rei, vna eſt, & ſolùm beneficio noſtri intellectus inadæquatè concipientis illam plurificatur, & in plures conceptus inadæquatos diſtinguitur; ergo impoſſibile eſt, quod pars indeterminata realiter cõparetur ad aliquod extrinſecum ſecundùm vnam dimensionem, & non ſecundùm aliam.

51 Contra eſt ſecundò, quia animalitas, & rationalitas in homine poſſunt dupliciter conſiderari: primò ſecundùm ſe, quatenus ſcilicèt ſunt vna, & indiuiſa perfectio, à qua diuerſæ operationes exercentur. ſecundò quatenus præcisè reſpondent, ſeu reſpondere poſſunt conceptibus inadæquatis, quos de ſingulis formar intellectus. Iam verò ſi primo modo conſiderentur, quidquid ſimpliciter exercetur ab vna, etiam exercetur ab alia. vnde verò quis poteſt affirmare, quod animalitas hoc modo ſumpta eſt principium diſcurrendi, & rationalitas ſentiendi. Solùm autem ſecundo modo conſiderata ab inuicem diſtinguuntur, vt non quidquid prædicatur de vna, ſumpta ſub vno nomine, & ratione, verificari poſſit de altera; & ratio diſparitatis eſt, quia enunciatio conſtans ex illis priori modo conſideratis, ſolùm reſpicit id, quod eſt actu in obiecto abſolutè: at verò ſi conſtet illis poſteriori modo, attingit quidem eamdem rem, ſed inadæquatè, ratione cuius inadæquationis non quidquid competit vni, ſub vno nomine & ratione, competit alteri ſub alio item nomine, & ratione. Falſum igitur eſt, quod animalitas diſtinguitur realiter extrinſecè à rationalitate per exercitium ſentiendi. Exercitium enim diuerſarum operationum ſolum præbet fundamentum intellectui concipiendi inadæquatè principium, à quo habetur iſta diuerſitas; & per conſequens diſtinguendi vnam rationem ab alia; & hinc fit, vt huiuſmodi realis diſtinctio quoad extrinſeca, ſit impertinens ad præſentem difficultatem.

Contra denique eſt tertiò, quia neque exemplum de ſimilitudine, & diſſimilitudine, quæ competunt homini per comparationem ad equum, eſt ad rem; quia etiam ratio ſimilitudinis, & ratio diſſimilitudinis, poſſunt dupliciter conſiderari: primò ſecundùm ſe, & independenter ab intellectu. ſecundò quatenus præcisè reſpondent cõceptibus inadæquatis, quos de ſingulis format intellectus: primo modo nullam important diſtinctionem actualem in homine; per eandem enim indiuiſibilẽ formalitatem obiectiuam realiter ſumptam homo eſt vni, & eidem equo ſimilis, ac diſſimilis. nam ſimilitudo, & diſſimilitudo eſſe poſſunt, vt defacto ſunt in caſu noſtro, termini impertinentes, qui ſcilicet neque ſe includunt, neque excludunt ab inuicem: nam ſimilitudo importat in extremis, quod vnum ſit conceptibile, vt inſtar alterius, diſſimilitudo verò quod vnum ſit conceptibile, vt differens, ſeu diuerſum ab alio: at verò ſecundo modo diſtinguũtur quidem, ſed tantùm per intellectum, non realiter. Simile quid non poteſt dici in caſu noſtro, vt de ſe patet; ergo &c. 52

SECTIO QVINTA.

Affertur tertia Ratio.

PRobatur tertiò noſtra concluſio: Quotieſcumque duo ita ſe habent, vt alterum eſſentialiter includat rationem oppoſitam, ac deſtructiuam rationis alterius; toties illa duo debent realiter ab inuicem diſtingui. Sed corpus trinè dimenſum, & eius indiuiſibilia includunt rationes inter ſe oppoſitas, & ſe inuicem deſtruentes; ergo &c. Maior patet, quia vnumquodque habet à natura, vt per illam ipſam entitatem, quam habet in ſe, poſitiuè à ſe excludat omne id, quod eſt ſuæ rationis formalis deſtructiuum; & hinc eſt, vt quia ratio rationalitatis eſt oppoſita, & deſtructiua hinnibilitatis: equus poſitiuè à ſe entitatem hominis excludat, itavt nequeat cum eo identificari. Minor verò probatur, quia corpus trinè dimenſum dicit eſſentialiter diuiſibilitatem ſecundùm longitudinem, latitudinem, atque profunditatem: punctum verò importat indiuiſibilitatem trinam, illam diuiſibilitatem excludentem, ſed diuiſibilitas, & indiuiſibilitas ſunt rationes ad inuicem oppoſitæ, ac ſe deſtruentes; ergo &c. Maior huius argumenti conſtat ex dictis. Minor autem probatur, quia eo ipſo quod aliquid eſt diuiſibile, negatur de eo, quod indiuiſibile ſit: & è contra, poſito quod aliquid ſit indiuiſibile, neceſſariò ſequitur, quod careat diuiſibilitate: quare dum aſſerimus, quod partes quantitatis ſunt in infinitum diuiſibiles, hoc ipſo Zenonis ſententiam excludimus, 53

Digitized by Google

mus volentis eam ex indiuisibilibus esse compositam, & dum Angelos indiuisibiles esse credimus, omnem diuisibilitatem formalem per hoc ab illis remouere censemur; quę consequentię, nisi rationes diuisibilitatis, & indiuisibilitatis essent oppositæ, & inuicem repugnantes, non essent necessarię; & posset aliquis, concessis antecedentibus, illas negare. His consonant dicta S. Augustini *de instanti temporis lib. 11. confessionum cap. 15. vbi sic.* Si prędsens tenditur; diuiditur in præteritum, & futurum; præsens autem nullum habet spatium, & *cap. 26.* Non metior præsens, quia nullo spatio tenditur, & denique *cap. 28.* Quis neget præsens tempus carere spatio, quia in puncto præterit. Ex quibus claret, idem diuisibile, & indiuisibile non posse in vnam entitatem coalescere.

54 Confirmatur, quia punctum secundùm suam rationem formalem, vel includit in se diuisibilitatem, vel ab ea præscindit, sicut animal formaliter sumptum præscindit à rationalitate, vel denique dicit in se positiuam illius negationem, seu exclusionem. Primum asserere, quàm sit absurdum, nemo non videt: si dicatur secundum; ergo sicuti potest animal retenta propria ratione animalis cum rationalitate coniungi: ita punctum, retenta sua formali indiuisibilitate fieri diuisibile, atque adeò simul esse diuisibile, & indiuisibile; at hoc est contra communem conceptum Philosophorum, ex alterius affirmatione negationem alterius necessariò inferendam esse existimantium. Quod si tertium eligant: & dicant, punctum dicere in suo conceptu positiuam diuisibilitatis exclusionem, vt verè dicere tenentur, quærendum ex eis est: an negationem istam dicat realiter, & nemine cogitante; an verò solùm beneficio intellectus illud abstrahentis à diuisibilitate, seu adæquatione partium indeterminatarum? Secundum sustinere nequeunt, sequitur enim ex eo, non dari indiuisibilia à parte rei, sicuti ex eo, quod vniuersale acquirere debet negationem singularitatum beneficio intellectus abstrahentis, dicimus illud non dari à parte rei. quare sicuti quidquid est in mundo est singulare: ita concedere deberent, quod quidquid tangitur à sphærico in plano sit diuisibile. Si autem eligant primum, videntur sentire nobiscum: realiter scilicet punctum à re diuisibili esse distinctum.

55 Ad argumentum respondent nonnulli primò; quod quando vnum includit rationem formalem intrinsecè oppositam alteri, tunc distinguitur realiter intrinsecè ab illo altero: sin autem includat rationem formalem solùm extrinsecè oppositam, distinguitur quidem realiter, sed extrinsecè. Iam verò indiuisibile solùm extrinsecè, & quoad exercitium includit negationem diuisibilitatis, per quæ patet responsio ad confirmationem. Dicunt enim punctum dicere negationem diuisibilitatis realiter quidem, sed extrinsecè connotatam.

56 Contra tamen est primò: quia sicuti dupliciter aliquid esse potest diuisibile: primò formaliter per intrinsecam partium multiplicitatem, secundò virtualiter per hoc, scilicet, quod licèt sit indiuisibile in se, rei tamen formaliter diuisibili coexistit, quod appellari potest diuisibile quoad exercitium seu extrinsecè: ita dupliciter aliquid rationem indiuisibilis habere potest: Primò formaliter per intrinsecam exclusionem partium à se. Secundò virtualiter per hoc scilicet, quod licèt habeat partes, rei tamen formaliter indiuisibili coexistit. Sed punctum plani vtronis modo dicatur esse indiuisibile, sequitur, quod intrinsecè includat rationem formalem oppositam rei diuisibili, atque negationem omnis dimensionis; ergo &c. Maior patet, paritate rationis; minor probatur, & quidem, si primo modo, res est manifesta. Sin autem secundo modo probatur ex eo; quia id, cui coexistit illud plani, quod per se est indiuisibile virtualiter; & quoad exercitium non est aliud quam punctum sphærici; ergo iam punctum sphęrici est formaliter indiuisibile; importans intrinsecè negationem omnis dimęsionis. ad eum plane modum, quo corpus humanum per ordinem ad quod anima rationalis est diuisibilis virtualiter, intrinsecè formalem extensionę, ac diuisibilitatę participat. Punctum igitur sphęrici includit intrinsecè rationę formaliter oppositam rei diuisibili, eiusque negationem. Cum autem non sit maior ratio de vno, quà de altero: sequitur, quod idem dici debeat de puncto ipsius plani, quod erat probandum.

57 Contra est secundò: quia quando dicitur, quod pars indeterminata plani in contactu sphærici rationem indiuisibilis exercet: constat huiusmodi exercitium ad aliquod ex quatuor causarum generibus pertinere: vel igitur pertinet ad genus causæ efficientis; & hoc non, tum quia planum in illo tactu nihil operatur, tum etiam quia figurę non sunt inuicem actiuæ, ac passiuæ, vel ad genus causa finalis, & hoc neque; quia exercere rationem indiuisibilis in hoc genere est allicere agens ad indiuisibile; sed non allicit, vt de se patet; ergo &c. vel ad genus causæ formalis; & ex hoc sequitur dari indiuisibilia, quæ quoad intrinseca sint rebus diuisibilibus opposita, nam causa formalis siue intrinseca sit, siue extrinseca, semper debet formaliter, & intrinsecè præhabere illam rationem, quam dicitur exercere; sic anima rationalis, quia in coniunctione cum corpore exercet rationem formæ, dictam rationę intrinsecè, & essentialiter participat; sic etiam operatio nostri intellectus, quia, ex eo quod terminatur ad obiectum exerçet rationem cognitionis, ipsa intrinsecè, & essentialiter est cognitio; vel denique ad genus causæ materialis, & ex hoc idem omninò sequitur; nam etiam causa materialis intrinsecè, & essentialiter requirit eam rationem, quam exercet. sic quia materia prima quando coniungitur cum forma exercet rationem potentiæ, seu perfectibilis; colligunt Philosophi quod intrinsecè, & essentialiter sit huiusmodi. Posset autem quis asserere stante aduersariorum doctrina, quod realiter loquendo intrinsecè quidem sit actus, & perfectio, & solùm quoad exercitium habeat rationę potętię, & perfectibilis, quia sicuti non repugnat, quod diuisibile sit quoad exercitium indiuisibile, ita posset dari casus, in quo materia quoad exercitium esset forma, & forma materia. & quidem sine absurdo, nam sicuti ratio indiuisibilis per aduersarios quoad exercitium efficit solùm extrinsecè rem diuisibilem: ita dicet aliquis, quod ratio formæ rationem materiæ possit extrinsecè efficere.

Con-

58 Contra denique est tertiò, quia per hoc, quod homo exerceat actus sensitiuos, nõ sequitur, quod eius animalitas distinguatur realiter extrinsecè à rationalitate; ergo neque ex eo quod pars indeterminata plani exerceat rationem indiuisibilis, sequitur, quod realiter extrinsecè distinguatur à se ipsa vt diuisibili: consequentia patet ex doctrina ipsorum aduersariorum; antecedens verò probatur, quia exercitium operationum non inducit in earum principio realem distinctionem, sed solam distinguibilitatem rationis, vt patet in Deo, cuius potentia per hoc, quod facit hominem, non distinguitur realiter à se ipsa efficiente equum; ergo &c. Dices, exercitium diuersarum operationum inducere distinctionem quidem realem; non intrinsecam, sed extrinsecam. bene; sed distinctio realis extrinseca non est, nisi distinctio virtualis, seu fundamentalis rationis, quæ appellatur hoc modo, in quantum est fundamentum actualis distinctionis rationis ratiocinatæ; ex eo enim, quod intellectus cernat exercitia diuersarũ operationum oriri ab vno principio, habet sufficiens fundamentum concipiendi vt multiplex illud ipsum principium. Distinctio autem fundamentalis, realis quidem est, & actualis quantum ad perfectionem, & virtualitatem, quam importat, non autem quantum ad distinctionem, alioquin infallibiliter sequeretur dari vniuersale formaliter à parte rei; siquidem per comparationem ad extrinseca haberi posset independenter ab intellectu ista realis distinctio, quæ per nos est distinctio virtualis, & fundamentum distinctionis rationis. Atque hęc, vt opinor, est radix totius æquiuocationis, in qua, sententia Gregorij fundatur, confundit enim distinctionem realem cum fundamentali.

59 Aliter respondet P. Giattinus *quæst. 15. artic. 1. in solutione primæ obiectionis*: dicendo indiuisibilia in continuo realiter quidem esse entitatem corporis trinè dimensam, sed formaliter, & inadęquatè acceptam: quod si quæras per quid formaliter constituantur? Respondet in recto quidẽ intrinsecè importare eandem entitatem trinè dimensam; in obliquo verò, & extrinsecè diuersa, vbi in ordine ad quæ dicta entitas accipi potest. sic longitudo est entitas corporis accepta in ordine ad duas vbicationes sibi immediatas, sed maximè distantes, latitudo eadem entitas accepta in ordine ad duas alias distantes quidem inuicem, sed minus quam præcedentes. Punctum denique ipsa etiam eadem entitas corporis accepta, non quidem in ordine ad diuersas vbicationes inter se distantes, sed solùm in ordine ad aliquod vbi immediatum. atque adeò cum præcisione ab omni diuisibilitate.

60 Sed contra hanc responsionem facit primò; quia si huiusmodi explicationes essent veræ, sequeretur, posse dari corpus, quod neque longitudinem, neque latitudinem haberet, quia dantur defacto multa corpora, quę non possunt accipi in ordine ad quatuor vbicationes sibi immediatas, quarum duæ sint magis distantes inter se; duæ verò minus. vt patet ex corpore quadrato, siue rotundo; falsum igitur est, quod longitudo sit entitas corporis in ordine ad duas vbicationes sibi immediatas inter se remotiores aliis, & latitudo eadem entitas in ordine ad alias duas minus inter se remotas.

Contra etiam est secundò; quia neque veritatẽ habet id, quod dicitur de puncto formaliter accepto: nam potest corpus concipi cum ordine ad aliquod vbi immediatum, & tamen concipi in ratione diuisibilis; si nimirum intelligatur illud vbi esse diuisibile, & corpus ei commensurari. Sic enim habebimus conceptum corporis formaliter, vt diuisibilis, etiam si per impossibile dari possent alię vbicationes, in ordine ad quas accipi debeat, vt induat rationem *linex*, & superficiei. Ex quo deducitur: tertia impugnatio, quia præscindendo à connotatione quarumcumque vbicationum immediatarum, potest haberi conceptus dictorum indiuisibilium, si nimirum sequendo communem *Mathematicorum* sensum dicamus, punctum esse id, cuius pars nulla est: longitudinem autem fluxum puncti: latitudinem verò fluxum *linex* versus eam partem, versus quam indiuisibilis est, hoc est per transuersum. 61

Quartò denique contra est, quia per hoc præcisè quod sphęricum tangit planum, iam se penetrat cum illo in puncto; & per hoc præcisè quod Cylindrus tangat ipsum planum, iam se penetrat cum illo in linea; denique per hoc, quod duo plana se tangunt, iam penetrantur in superficie; ergo præscindendo ab vbicationibus dictis habentur indiuisibilia, & quidem realiter. 62

Respondet ex his, quę habet ad secundam obiectionem, negando, contactum importare vllam penetrationem extremorum corporum se tangentium, sed solùm significare, quod corpora illa ita sint proxima, vt salua eorum figura magis approximari non possint, nisi penetrentur. Sed contra etiam est, quia Aristoteles definit contigua; hoc est, ea quæ se tangunt, esse illa, quorum extrema sunt simul. Verum ad hoc respondet: Philosophum intelligendum esse in sensu formali, non reali; ita vt sensus sit contigua esse, quæ habent sua extrema distincta inter se entitatiuè, quæ tamen entitates sunt simul, hoc est fictitali conceptus acceptæ non habent distare, sed existere simul, simultate immediationis. Sed hanc explicationem falsam esse, constat ex eo, quia sic iam haberemus in contactu sphærici, & plani posse concipi duo puncta: vnum sphærici, alterum plani, quę essent immediata: vnum post alterum sine absurditate, & absque eo, quod spatium reale in contrarium reclamaret. Cur igitur non poterunt dicta puncta dari à parte rei, quemadmodum concipiuntur à nobis, hoc est simul, simultate immediationis? Profectò nulla videtur huius rei ratio in contrarium assignabilis. Vides quomodo ex negatione indiuisibilium realium aduersarij ad admittendam quantitatem constantem ex indiuisibilibus redigantur? 63

SEC-

SECTIO SEXTA.

Propugnatur quarta Ratio.

64 PRobatur denique quartò nostra principalis conclusio de reali distinctione indivisibilium à partibus continui sic: Iaceat columna, quæ Cylindrus à Mathematicis appellatur, in medio plani; iam, vt illi demonstrant, huiusmodi columna tanget planum illud in linea: tum est argumentum. Impossibile est, quod ista linea identificetur realiter identitate indiuisibili cum vtraque parte plani, seu cum alterutra illarum; ergo realiter erit ab vtriusque distincta. Cum autem non sit maior ratio de linea, ac de reliquis indiuisibilibus, ex hoc sequitur, omnia indiuisibilia distingui plusquã ratione à quãtitate. omnia patet præter primũ antecedens, quod probatur quo ad primam partem sic: si linea hæc identificaretur indiuisibiliter cum vtraque parte superficiei plani, sequeretur, quod etiam ipsæ superficiei partes essent inter se indiuisibiliter identificatæ; sed hoc, præterquam quod sit contra omnes, dum asserunt partes quantitatis esse vnum diuisibiliter, est etiam contra experientiam, qua videmus partes illas posse de facto existere inuicem separatas; ergo &c. Sequela verò huius argumenti probatur, quia in eo casu ea, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Intelligibile autem non est, quo pacto vtraque pars plani indiuisibiliter identificetur cũ illa linea, & quod distinguantur realiter inter se. Ponamus enim quod fiat diuisio peto de illa linea: nonne vtraque pars post diuisionem coniuncta, an non? si primum, igitur reperiri poterit naturaliter vna res in duobus locis distantibus; si secundum, vel remanet coniuncta cum altera tantùm parte, & sic habemus quod non erat idem indiuisibiliter cum ea, à qua existit separata: vel fuit corrupta, & sic cum neutra parte erat eadem indiuisibiliter; ea enim quæ ita se habent, vt vnum realiter pereat, altero remanente, impossibile est, vt identificentur indiuisibiliter.

65 Probatur nunc primum antecedens quoad secundam partem: tum quia, neque assignari potest maior ratio, quare cum vna potius, & non cum alia parte plani linea lucis indiuisibiliter identificetur: tum etiam quia non esset communis terminus, ratio enim termini communis consistit in eo, quod non pertineat potius ad vnam, quam ad aliam partem, sed æquè vtramque respiciat.

66 Respondent primò, dictam lineam identificari indiuisibiliter cum ea parte plani: cum qua quinis pro suo arbitratu concipiet, quod identificetur.

67 Sed contra est primò: quia iam identitas indiuisibiliter sumpta rei indiuisibilis cum diuisibili esset ad libitum. Faciamus ergo quod vnus concipiat lineam illam identificari cum parte dextera superficiei: alius verò cum sinistra: quid tum? identificabitur ne cum vtraque, an ab vtraque simul distingueretur? Respondebis fortasse, quod respectu vnius identificabitur cum vna, respectu verò alterius, cum altera parte. Sed hoc dici nequit, quia quod duo identificentur, vel non identificentur indiuisibiliter, non pendet à nostro intellectu, sic enim dicere possem, animalitatem, & rationalitatem in homine respectu Thomistarum solùm per intellectum: respectu verò Scotistarum ex natura rei distinguj; secundum se autem habere ad hæc indifferentiam.

Contra secundò, quia diuidat Deus planum in illa linea, in qua fit tactus cum Cylindro, tunc sic: linea illa erat quid reale ante diuisionem: peto igitur hoc reale vbi nam est? si dicas esse in vtraque parte plani: iam igitur id, in quo tangebat Cylindrus, erat diuisibile quo ad latitudinem: si in neutra; ergo corruptum est; si denique in alterutra, iterum quæro, cur potius in vna, quam in altera? Profectò dices, quia Deus ita voluit, & sic habes lineam ab vtraque parte plani realiter potentia fuisse distinctam, ea enim quæ ita se habent, vt saltem per absolutam Dei potentiam possum existere separata, non sunt idem indiuisibiliter. 68

Respondent secundò lineam illam esse extrinsecè duplicem; & alteram quidem identificari indiuisibiliter cum parte dextra plani: alteram verò cũ sinistra. hoc n. ipso quod Cylindrus per contactũ diuidit extrinsecè superficiẽ plani in duas partes, qualibet ex illis sumi potest inadæquatè, prout scilicet dicit rationem termini, longitudinem inuoluentis, in qua posita est essentia lineæ. 69

Contra tamen est primò: quia supra vidimus non posse Cylindrum tangere planum in vna parte superficiei indeterminata, nunc autem asseris eum tangere in duabus partibus, dextra scilicet, & sinistra. 70

Contra secundò, quia extrinseca diuisio superficiei plani in duas partes, sicuti supponis entitates partium in ipsa superficie, ita etiam deberet supponere entitates linearum ibi, vbi dicta diuisio fit à Cylindro. Sed ex hoc sequitur manifestè totam superficiem planam non esse æquè potentem, sed eius partes esse inuicem penetratas, nam sub linea Cylindri stat duplex linea superficiei, & per consequens duplex pars indeterminata eiusdẽ superficiei, occupans spatium vnius lineæ, seu partis, quod fieri nequit sine mutua compenetratione, ac replicatione. 71

Contra denique est tertiò, quia si argumentum transferatur ad punctum plani sphærico in quietati, non admittes hanc solutionem; non enim responderi potest, punctum illud esse extrinsecè duplex, quia sphæricum non diuidit planum in duas partes, sed tantummodo punctum in eo designat; de hoc igitur puncto quæritur, sit ne indiuisibiliter identificatus cum omnibus partibus, in quas planum illud est diuisibile per angulos rectilineos ab eodem puncto ductos: an verò diuisibiliter? & sic recurrit argumentum. 72

SECTIO SEPTIMA

Asseruntur, & soluuntur obiecta contra realem distinctionem indiuisibilium à partibus continui. primo ad, quod ex rerum superfluitate assumitur.

OBijcies primò: Res creatæ se ipsis sunt terminatæ; ergo non dantur indiuisibilia terminativa distincta à quantitate. Quod si terminativa non dantur: neque admittenda erunt continua-

Digitized by Google

tinuitas; quia indiuisibile quod est continuitatum earum partium est terminatum singularum. nulla igitur indiuisibilia distincta dandaquod probatur ex anima rationali, & Angelo, qui habent terminos ab eorum substantia indistinctos.

74 Respondeo, & proprie loquamur de terminis negando antecedens. Ad cuius probationem dico, neque Angelos, neque animam rationalem habere terminos, aut terminatos esse, sed tantummodo habere finitatem, & solùm esse finitos. ratio enim habendi terminos, non prouenit ex finitate rei, vt sic, sed ex finitate; quatenus est cum materialitate, seu diuisibilitate coniuncta; hoc enim ipso, quod res est diuisibilis, habet partes communi termino copulatas, atque adeò terminatas.

75 Instabis, Corpus, præscindendo à superficie, quæ illud terminat, adhuc est se ipso terminatum, superfluum igitur est ei distinctam superficiem tribuere.

76 Respondeo distinguendo antecedens; adhuc est se ipso terminatum terminatione sibi insufficienti, concedo: sufficienti, nego antecedens, & consequentiam. quia Corpus siue positiua superficie esset tantummodo negatiuè terminatum, sicuti sunt anima rationalis, & Angelus, quæ terminantur se ipsis. Verum hæc negatiua terminatio, rebus quidem spiritualibus est sufficiens, quæ cum sint totæ in toto, & totæ in qualibet parte spatij, quidquid realiter verificatur de earum terminis, imporatis secundùm id, quod dicunt de positiuo, verificatur etiam de illis: atqui quod rebus corporeis non sufficiat, earum materialitas, seu diuisibilitas impedit. hæc enim est in causa, ne illæ sint indiuisibiliter in loco; vnde fit, vt quædam de earum terminis affirmentur, quæ de illis realiter affirmari non possint; vt quod sint indiuisiles, quod se penetrent, & cætera huiusmodi.

77 Instabis secundò: infinitas, vt patet in Deo, & linea infinita, non distinguitur à re, cuius est
19 infinitas, ergo neque distingui debet finitas a re finita; sed terminus non est, nisi finitas, seu finis quantitatis; ergo indiuisibile terminatiuum non distinguitur realiter à quantitate.

78 Respondeo concesso antecedente, distingnendo primum consequens: neque distingui debet finitas, à re finita, si finitas sumatur pro limitatione, ad
20 certum genus entis, quæ essentialiter competit Creaturis, concedo. si pro positiua terminatione, nego consequentiam; & ad subsumptum dico: indiuisibile terminatiuum esse finem, non quidem limitantem quantitatem ad certum genus entis. Hoc enim ex se habet quantitas independenter ab illo, sed esse finem positiuè illam terminantem, ne vlteriùs progrediatur; quare nego vltimam cõsequentiam.

79 Instabis tertiò: Indiuisibilia formaliter saluari possunt per hoc, quod constituantur per negationes diuisibilitatis. igitur non est, cur positiuè distinguantur à quãtitate; antecedens probatur, quia
22 de facto punctum definitur esse id, cuius pars nulla est, consistit igitur in negatione omnis partibilitatis.

Respondeo, negando antecedens: ad cuius probationem dico punctum differre à cæteris, per suã entitatem positiuam, ad quam, quia consequitur negatio omnis extensionis; per hanc à nobis, vt potè per aliquid notius, eius essentia explicatur, idem dici potest de linea, & superficie.

Instabis quartò: sufficit quantitati, vt sic per se 80
ipsam terminata; frustra igitur ponuntur distincti termini.

Respondeo negando antecedens; sicuti enim nõ sufficit substantiæ esse subsistentem per se ipsam, hoc est, sine modo distincto; seu vt alij loquuntur 81
negatiuè, in quantum non sit in alio tanquam in subiecto, sed requirit positiuè modum quendam, quo substantialiter terminetur, ita nec quantitati,

Instabis quintò: indiuisibilia cõpulatiua, vel 81
ponuntur absoluta, hoc est indifferentia ad vniendum has numero partes, vel relatiua, idest essentialiter ordinata ad has numero partes, & nõ alias vniendas. non primum, quia nihil inseruirent ad vniendum, & sic per aliquid aliud deberet fieri cõtinuitas; neque secundum, quia in productione 82
successiua qualitatis existit indiuisibile copulatiuum in hoc instanti. v. g. non dum existente parte sequenti. Implicat autem existere vnionem sine terminis. sic ferè Giattinus *quæst.* 15. *art.* 7.

Respondeo: vtrumque probabiliter sustineri 82
posse; & primo quidem quod sint absoluta, nego tamen non inseruire ad continuationem, quia licet non sint id, quo partes vniuntur: sunt tamen id, in quo. ideo autem in diuisione huiusmodi indiuisibilia pereunt, quia non est maior ratio, cur vnam potius partem sequantur, quam aliam. Cæterùm partes in se ipsis cum eo immediatè, & eo mediante inter se copulantur positis ponendis. vti diximus de materia, & forma. Dici potest secundò, quod sint relatiua; ad probationem verò in contrarium, concesso assumpto, dicendum: indiuisibile copulatiuum non esse verè, & 83
propriè vnionem. non enim est intrinsecum partibus, & ideò posse existere existente vna parte, dummodo connotet immediatè post extituram aliam. Sed quia sequitur in hac via in instanti antecedente, motum sequentem esse determinatum 83
ad existendum. quod non videtur adeò probabile: ideo prior via est tutior, & sequenda.

SECTIO OCTAVA.

Soluitur secunda obiectio ducta ex actuali indistinctione partium in continuo.

OBijcies secundò: ea, quæ sunt vnita per vnionem à seipsis distinctam, inter se actu realiter distinguuntur; sed si indiuisibilia darentur, omnes partes continui essent vnitæ inter se per distinctas vniones; ergo omnes inter se actu distinguerentur. maior patet; minor probatur, quia entitas rei diuisibilis realiter distingui debet ab entitate rei indiuisibilis.

Respondeo, distinguendo maiorem: ea, quæ sunt 84
vnita per vnionem actu realiter distinctam à seipsis, concedo quod actu realiter inter se distinguantur: per vnionẽ distinctã solùm potẽtia, nego maiorem: & distincta eodẽ modo minore, nego consequentiam; minoris autem probatio si procedit,

dit, facta assignatione vera est, sed nihil concludit, quia loquimur de partibus secundùm se sumptis: si verò procedit de partibus ante assignationem; distinguenda est quantum ad ly (realiter) actu, nego; siue actu, siue potentia, concedo. Sicuti enim aquæ gutta, quæ est in mari ante quamcunque assignationem diuisibiliter identificatur cum tota aqua maris, & solùm potentia actu realiter ab illa distinguitur. ita etiam identificatur indiuisibile continuatiuum cum partibus, quas continuat, quia non est propriè illarum vnio.

85 Instabis primò: nihil potest identificari cum eo, cuius oppositum essentialiter includit: sed indiuisibile essentialiter includit indiuisibilitatem, quæ est opposita diuisibilitati; ergo nequit identificari cum quantitate.

86 Respondeo, distinguendo maiorem, nihil potest identificari indiuisibiliter cum eo, cuius oppositū essentialiter includit, concedo: diuisibiliter, nego maiorem; & data minore. nego consequentiā in sensu negato. nil enim impedit, quo minus id, quod est extensum in se, contineat aliquid per idētitatem, quod facta postea sufficiente designatione, induat naturam indiuisibilis, ad cum planè modum, quo quantitas bipalmaris identificatur cum quantitate palmari, quā postea rationem propriam palmaris quantitatis, vel per diuisionē, vel per assignationem habere incipiat; sicuti etiā angulus rectilineus identificatur cum angulo contingentiæ, qui postea &c. dixi (data minore) quia indiuisibile dupliciter sumi potest: in potentia, & in actu, si primo modo sumatur, sicut ipsum est in potentia, ita indiuisibilitatem suam solùm in potentia habet, si verò secundo modo; habet quidem tunc actualem indiuisibilitatem, sed sic iam est actu realiter distinctum à quantitate trinè dimensa, cum qua, quando erat in potentia, identificabatur.

87 Instabis secundò: ideò rugibilitas non potest cum animalitate, quæ est in equo, identificari, quia altera habet adnexam negationem alterius, sed hoc pacto se habent diuisibile, & indiuisibile; ergo nequeunt ante assignationē ad inuicem idētificari.

88 Respondeo, hoc argumentum maximè urgere aduersarios, qui nolunt indiuisibilia identificari diuisibiliter cum quantitate. Sed quidquid sit, distinguo ego causalem maioris; ideo rugibilitas non potest identificari cum animalitate, quæ est in equo, quia altera habet adnexam negationem alterius quomodocumque; nego maiorem; habet adnexam talem negationem, quę sit impeditiua actualis vnitatis, concedo; & distincta eodem modo minore. nego consequentiam. dico enim, quod etiam si vnum dicat negationem alterius, potest tamen aliquando cum illo diuisibiliter idētificari, vt patet in duabus aquis, quarum altera, licet habeat adnexam alterius aquæ negationem; possunt tamen simul coire in vnam aquam, sic indiuisibilia copulatiua cum quantitate trinè dimensa se habent; negationes enim, quas inuoluunt, solùm impedinnt ne sint vnum indiuisibiliter: non autem ne sint vnum diuisibiliter. Quoniam verò Rugibilitas, quæ est in leone, ex vna parte non potest facere vnum cum animalitate, quæ est in equo, nisi indiuisibiliter, ex suppositione quod faciat: ex alia verò negatio, quam inuoluit impedit, ne hac ratione fiant vnum, hinc est, vt nullo modo possit identificari cum illa.

Instabis tertiò: modus non potest identificari cum re, cuius est modus, sed indiuisibilia copulatiua, & terminatiua sunt modi ipsius continui; ergo &c. Respondeo primò negando abſolutè maiorem, vt colligitur ex communi sensu eorum; qui modos admittunt, inter quos Suarez in metaphysicis disp. 12. sect. 1. expresse docet, aliquos modos habere realem identitatem cum rebus, quarum sunt modi. Quoniam verò instare potest aduersarius, se non loqui de identitate reali, prout opponitur distinctioni, quæ est inter rē, & rē. Sed prout apponitur distinctioni ex natura rei, quæ est independenter ab intellectu, dicturque in casu nostro modalis ab eodē Suarez disp. 7. sect. 1. n. 26.

Ideò respondeo secundò potest: indiuisibilia actu à quantitate distincta verē esse res potentes diuinitus existere sine ipsa quantitate, vel si sunt eius modi, nō esse tales, quia sint naturaliter veritatis, sed quoad dependentiam in existendo ab illa.

Respondeo denique tertiò potest, dando aduersarijs quod sint verē, & propriè modi. Quare si in maiore sermo sit de indiuisibilibus terminatiuis, vltrò concedo ea non identificari, sed actu modaliter distingui à continuo, vt dicetur inferius: si verò loquamur de copulatiuis, distinguo maiorem. Modus non potest identificari cum re cuius est modus: si pertineat intrinsecè ad constitutionem illius, nego: posito quod illam supponat in suo esse constitutam, atque completam, concedo maiorem; & concessa item minore, nego consequentiam. Dico enim quod quemadmodum substantialis vnio in sententia eorum, qui volunt esse modum distinctum ab extremis, quia est constitutiua compositi, non distinguitur ab ipso composito, ita indiuisibile copulatiuum, quia est constitutiuum continui, non distinguitur ab ipso continuo; per quod differt à terminatiuo, quod cum supponat continuum in esse continui constitutum; ideo ab illo distinguatur necesse est.

Subinstabis: licèt indiuisibilia continuatiua partium sint constitutiua continui ex dictis partibus constantis; tamen non sunt constitutiua dictarum partiū; ergo actu ex natura rei distinguuntur ab illis, ad eum planè modum, quo vnio substantialis modus actu ex natura rei distinguitur à materia, & forma.

Respondeo distinguendo antecedēs: nō sunt cōstitutiua dictarū partiū post earū assignationē, concedo: antecedēter ad assignationē, nego antecedens & consequentiā. Dico n. quod sicuti partes antecedēter ad assignationē nō habēt indiuiduationē distinctā ab indiuiduatione totius: ita hoc ipso quod indiuisibilia non distinguūtur ex natura rei à toto, neq; distinguentur à partibus antecedenter ad assignationē. Ad exemplū verò desumptū ex vnione, quæ est inter materiā, & formā, nego paritatem: disparitas est, quod materia, cū sit diuersę rationis à forma, quemadmodum non potest cum illa identificari, ita neque vnio cum vtriusque.

Quod si instes quartò: etiā indiuisibilia cōtinuatiua sunt diuersæ rationis à partibus; ergo non poterunt identificari cum illis. Respondeo distinguendo antecedens: sunt diuersæ rationis à par-

Digitized by Google

partibus, ita vt quatenus continuatiua sunt includamus essentialiter in ipsis partibus, & ad eorum constitutionem intrinsecè pertineant, concedo: ita vt non cludantur in illis, neque ad eas intrinsecè pertineant, nego antecedens, & consequentiam. Pro explicatione nota, quod quælibet pars continui hoc ipso, quod est diuisibilis in infinitum, sicuti essentialiter includit plures partes, ita & plura indiuisibilia, quibus dictæ partes copulentur inter se, & coniungantur. vnde non est, cur partes continui respuant identificari cum indiuisibilibus, nam infinita ex eis essentialiter includere debent; & quemadmodum habent indifferentiam ad identificandum se cum alijs partibus, ita & ad alia indiuisibilia includendum, non quidem actu distincta, vti dicebam, sed potentia tantùm. ex quo apertè deducitur discrimen, quod intercedit inter vnionem substantialem modum, & indiuisibilia copulatiua. Materia enim sicuti non constat essentialiter ex formis, ita neque intrinsecè includit vnionem ad illas, quare cum vnio ad formam, eam in sua essentia constitutam reperiat, non est, cur identificari possit cum illa. Contra verò partes quantitatis essentialiter constant ex partibus.

94 Instabis quintò: Compositum substantiale distinguitur actu realiter ab vnione modo, licèt inadæquatè; ergo si in continuo darentur indiuisibilia copulatiua, deberent etiam actu realiter distingui ab ipso continuo licèt inadæquatè; sed sic iam essent actu distincta; ergo &c. Respondeo concesso antecedente: vbi obiter nota quod particula, inadæquatè, est restrictiua prouenies à consideratione intellectus sumentis vnionem sine partibus. Cæterùm si independenter à dicta restrictione sumatur compositum absolutè dicendum est non distingui actu realiter à dicta vnione. Sic explicato antecedente: nego consequentiam. ratio disparitatis est, quia compositum substantiale est quid constans ex partibus actu realiter inter se distinctis; quare sicuti actu realiter distinguitur à singulis, ita & ab vnione: at continuum non constat ex partibus actu inter se distinctis, sed potentia. vnde sicuti non actu realiter distinguitur à singulis, quia non existunt singulæ: ita neque ab indiuisibilibus copulatiuis singulorum.

95 Instabis sextò modus per hoc differt à re, quod sit minimæ entitatis: contra verò res ergo impossibile est, quod, hoc ipso quod est, non distinguatur actu ex natura rei à re, cuius est modus.

96 Respondeo distinguendo antecedens, & siquidem ponatur habere peculiarem entitatem distinctam à re, cuius est modus, concedo: sin minus, nego antecedens, & consequentiam: dico enim, quod differentia per quam modus differt à re hoc ipso quod est constitutiua illius in esse modi, iam distinguit illum actu ab ipsa re: vnde non est mirum, si sit minimæ entitatis, & actu distinguatur à re, cuius est modus. Cæterum antecedenter, sicuti non est adhuc constitutus in esse modi, ita neque est actu minimæ entitatis, sed est vna entitas continua simplex actu, ex qua possunt extrahi partes minores, & minores in infinitum, & per consequens indiuisibilia copulatiua dictarum partium. Quare non videtur esse maior difficultas in identitate actuali horum indiuisibilium cum partibus continui, quam sit ipsarum partium inter se, quia non minus repugnat, quod vna pars identificetur cum alia, quam indiuisibile cum re diuisibili, dummodo identitas sit coniuncta cum potentialitate in ordine ad actualem distinctionem.

Instabis septimò. Inter materiam, & formam 97
non datur per nos vnio distincta; ergo neque inter partes quantitatis indiuisibilia copulatiua. Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiã: disparitas assignata est à nobis *in disputatione illa sect. 5. ad obiectionem decimam*: vbi diximus nonnullos docere indiuisibilia copulatiua esse id, in quo, non verò id, quo partes vniuntur, atque adeò non habere exactam rationem vnionis, sed termini respectu partium, quas facta assignatione copulant, & ratio huius est, quia in neutra earum subiectantur, sed solùm illis adhærent. alios verò non facere vim in ratione vnionis exactæ, sed dicere, quod ideo partes cõtinui indigẽt indiuisibilibus copulatiuis ad faciendum vnum continuum, quia ex vna parte non sunt de se entia incompleta: ex alia verò non veniunt in compositionem continui inuicem se penetrando. Vnde non est mirum si seipsis non possint vniri ad faciendam continuationem; contra verò materia, & forma sunt entia incompleta essentialiter ordinata ad faciendum vnum, & illud nonnisi inuicem in eodem loco penetrata, constituunt. Cæterùm id, quod in hac obiectione assumunt aduersarij, nimirum indiuisibilia copulatiua esse modos, illis permittimus scientes rectè, & fortasse etiam probabilius sustineri ea esse res, & non modos, atque adeò diuinitus posse existere separata à corpore quanto.

SECTIO NONA.

In qua soluitur obiectio de subiecto indiuisibilium.

98 OBijcies tertiò Indiuisibilia quantitatis, si darentur, deberet à nobis assignari subiectũ, in quo reciperentur; sed hoc nequit assignari: ergo non dantur distincta: sequela patet, quia ipsa non sunt minus accidentia, quam sit quantitas; hæc autem indiget subiecto inhæsionis. Minor verò probatur, quia huiusmodi subiectum vel est diuisibile, vel indiuisibile, neutrum dici potest, ergo &c. minor probatur; non enim potest dici primum, quia indiuisibile nequit virtualiter extendi; ergo non potest recipi in subiecto diuisibili. neque secundùm, quia rursus de tali indiuisibili dubitatur, in quonam subiecto recipiatur, & sic recurrit argumentum; & processus in infinitum admittitur.

99 Respondeo, concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem dico, quod sicuti cuicunque parti quantitatis peculiaris materiæ pars correspondet, à qua initio educta fuit, & in præsentia sustentatur: ita cuicunque indiuisibili, siue continuatiuo, siue terminatiuo eiusdem quantitatis proprium indiuisibile materiæ, in quo subiectatur ibidem correspondet: Ratio autem facta contra hoc indiuisibile non procedit. Sicuti enim materia est primum subiectum omnium formarũ: ipsa verò non indiget subiecto, in quo recipiatur. Ita eius indiuisibilia licèt in se indiuisibilia quantitatis recipiant, non tamen indigent a

Digitized by Google

alio subiecto, in quo recipiantur.

100 Instabis primò: quando continuum diuiditur, deperditur indiuisibile continuatiuum, & duo de nouo determinatiua acquiruntur, & è contra quando duo, quæ diuisa erant, inuicem continuantur, amittuntur indiuisibilia eorum terminitiua; & vnum cõtinuatiuum inter ea de nouo producitur. Si igitur indiuisibilia materiæ dantur, iã hæc essent generabilia, & corruptibia, sed hoc est absurdum: tum quia non potest assignari causa corrumpens, atque producens illa: tum etiam quia, cum dicta indiuisibilia materiæ per se existant, deberent produci per creationem, & per annihilationem deperdi.

101 Respondeo ad continui diuisionem indiuisibilia continuatiua materię corrumpi, & terminatiua de nouo generari. Causam verò corrumpentem non esse, nisi agens quod diuidit. Licet non semper assignari debeat agens distinctum, quod illa corrumpat, vt accidit in coniunctione partiũ diuisarum: tunc enim per hoc præcisè, quod indiuisibile copulatiuum de nouo producatur, cessant esse terminatiua, quatenus sunt cum eo incompossibilia. Porrò causa producens est res illa, cuius sunt indiuisibilia, scilicet in casu nostro, ipsa materia, cui nullum est absurdum concedere huiusmodi actionem emanatiuam, per quam in suo esse terminetur. sicuti neque est absurdum asserere, quod ab ea emanet subsistentia, si crearetur à Deo sine illa, iuxta multorum sententiam: sic etiam causa productiua indiuisibilium quantitatis in tali casu esset quantitas. qualitatis verò qualitas. Cæterùm neque actio corruptiua indiuisibilium materiæ censenda est annihilatio, neque productiua, creatio. quia hę actiones, creatiua scilicet, & annihilatiua terminantur propriè ad entitates rerum subsistentium, non autem ad earum terminos, linquo etiam P. Suarez docere huiusmodi materiæ indiuisibilia non posse dici creari, quia producuntur per quandam resultantiam ex vi præcedentis actionis, per quam à Deo materia conseruatur: Illud hic noto: nonnullos ex nostra sententia velle hæc materiæ indiuisibilia educi, eo quia resultant ex diuisione, quæ est quoddam actionis genus dependens à materia. putant enim ad eductionem non esse necesse, vt id, quod educitur, subiectetur in ipsa materia, sed sat esse, si ipsi adhæreat, & quidem hunc dicunt esse modum eductionis proportionatum indiuisibilibus materiæ, quibus repugnat esse in subiecto inhæsionis, non autem adhæsionis. Sed hi abutuntur vocabulo eductionis, illud certum est, quod licet indiuisibilia non fiant ex materia tamquam ex subiecto sustantante, fiunt tamen ex ea præexistente iam, tamquam termini ex re terminata: & licèt tota materia ad illam actionem, per quam fiunt, non requiratur necessariò: tota tamen indiuisibilitas agit, in quantum res ab illis terminatur.

102 Instabis secundò: ex dictis videtur sequi materiam esse generabilem, & corruptibilem, sed hoc est contra Aristotelem, & ea, quæ communiter dicuntur de ipsa materia; ergo &c.

103 Respondeo distinguendo sequelam: videtur sequi materiam esse generabilem, & corruptibilem ratione sui, nego sequelam; ratione suorum indiuisibilium, concedo; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam.

Instabis tertiò: si darentur indiuisibilia materię, sequeretur, quod in vno eodemque eius indiuisibili possent simul duæ formæ oppositę reperiri, sed hoc est absurdum, quia formæ oppositæ illæ sunt, quæ in eodem subiecto esse nequeunt; ergo &c. Sequela probatur primò de formis accidentalibus, sic: sit lignum bipalmare, cuius palmus sit frigidus, vt octo: palmus verò calidus item vt octo: cum igitur in indiuisibili copulatiuo vtriusque palmi non sit maior ratio, cur vna potius, & non alia qualitas reperiatur, vel neutra, vel vtraque in eo reperitur, non potest dici, quod neutra; subiectum enim illud est vtriusque capax; ergo vtraque, sed calor vt octo, & frigus vt octo sunt duæ formæ oppositæ; ergo in vno indiuisibili in tali casu duæ formæ oppositæ simul existent. Eadem sequela posset secundò probari de formis substantialibus, posito quod ligaum illud bipalmare in vno palmo sit siccum, in altero viride. 104

Respondeo ex Suarez: negando sequelam minoris, ad eius probationem dico in illo indiuisibili continuatiuo non posse reperiri vtramque formam oppositam, siue hæc accidentalis sit, siue substantialis: sed alterutram; eam scilicet, quę vel ab agente fortiori producitur, vel si agentia sunt æqualis omnino virtutis, quæ in se perfectior est. Quod si neutrum haberi posset (licet hoc aliqui existiment impossibile, quia sempet inæqualitas perfectionis inter agentia naturalia, ac formarum essentias reperitur) ad Deum, vt auctorem naturæ spectaret determinare, quænam illarum formarum illud indiuisibile materię sibi vendicaret: quomodocumque autem id accidat, semper verè erit dicere, quod alterutra ex illis formis reponiatur in subiecto sine termino positiuo, atque adeò negatiuè, & extrinsecè, per terminum scilicet alterius qualitatis determinatæ. 105

Neque dicas: huiusmodi formas oppositas in casu posito, licèt ratione subiecti sint continuæ, esse tamen contiguas ratione suiatque adeò vel vtramque habere propriam extremum, per quod sunt simul, vel posse stare connectum sine simultate extremorum. Ne id dicas inquam, quia contiguitas, & continuitas primò, & per se, competunt corporibus quantis: formis verò siue substantialibus, siue accidentalibus, non nisi per accidens, ratione scilicet subiectorum, in quibus reperiuntur. Quoniam verò duæ istę formę oppositę habent quidem subiectum continuum, possunt dici continuæ ratione subiecti, vt patet ex Aristotele 5. Phys. cap. 4. vbi docet aliqua esse vnum continuatione ratione scilicet subiecti, in quo sunt, quæ non sunt vnius formæ, non autem dici possunt contigua, quia non habent subiecta, ratione quorum contingerent. quod si haberent (vt dicimus, de ligno illud scinderetur in eo indiuisibili) statim ex primo ligni informatio ex forma, quamnullum prius habebat terminum positiuum, remaneret proprius terminus, & quidem informatus termino illius formæ, quam habet in se. quare interim dum nulla facta est diuisio debent dici immediatè coherentes, sibique succedentes. Scio nonnullos putare indiuisibilia materialia non posse recipere qualitatem diuisibilem, quoad intensionem, sed solùm indiuisibilem, & insuper asserere indiuisibile 106

bile qualitatis posse stare cum indiuisibili quantitatis cohærentiæ, iuxta quorum responsionem argumentum propositum nullam prorsus habet vim, vt de se euidens est; sed de hoc nolo curare.

SECTIO DECIMA.

Soluitur obiectio desumpta ex concursu indiuisibilium cum re diuisibili.

106 OBijcies quartò: Si darentur indiuisibilia à quantitate distincta, vnum ex eis sit v. g. punctum determinatiuum lineæ: tum sic: vel hoc punctum tangit lineam, vel non tangit, neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur, non potest dici, quod illam tangat, quia iam se penetraret cum ea, & sic vel indiuisibile rei diuisibili adæquatur, vel res diuisibilis indeterminata inadæquatè sumpta à parte rei indiuisibilitatem induceret, quod vtrumque falsum esse patet ex supràdictis: neque dici potest, quod non tangat lineam, si enim illam non tangeret, vel continuaretur cum ea, vel esset consequenter ad illam, primum sustineri nequit, quia continua illa sunt, quorum extrema sunt vnum. punctum autem non habet extremum, alioquin esset diuisibile, vt rectè Aristoteles infert 6. *phys. tex.* 1. neque secundò, quia sic pũctum faceret lineã magis extensam.

107 Respondeo concessa maiore, negando minorẽ; dico enim quod punctum non tangit lineam, quam terminat, vniuersaliter. Quod nullum indiuisibile siue terminatiuum sit, siue continuatiuum tangat propriè quantitatem illam, quam terminat, vel continuat propter rationem, quæ assignatur in argumento. Ea enim propriè se tangunt, quę habent extrema simul: at neque indiuisibile, quatenus est indiuisibile, habet extremum, neque id, cuius est indiuisibile. Ad probationem verò dico punctum non continuari cum linea, sed esse consequenter ad illam, eique adhærere, sicuti terminus adhæret rei terminatæ; nego tamen ex hoc sequi punctum additum lineę facere extensionem. id enim quod facit extensionem, habere debet partes priores, & posteriores, ratione quarum extendatur; punctum verò est omnino indiuisibile, & nullas in se admittit partes.

108 Instabis primò: si super lineam habentem punctum terminatiuum æqualem lineam, carentem simili puncto, constituerem: aliquid esset in vna linea, cui nihil positiuum in altera correspondere: præterea si vnus Angelus duraret per horã, ita ve in vltimo instanti illius horæ primo non esset: alter verò duraret per illam ipsam horam, ita vt etiam in instanti illius terminatiuo existeret, postea verò minimè: hic secundus Angelus haberet aliquid in duratione, quod non haberet primus: nam posset aliquid operari in illo vltimo instanti, in quo primus non exiit; ergo si indiuisibile est consequenter ad rem diuisibilem, eiq; adhæret, faciet illam maiorem, & per consequẽs magis extensam.

109 Respondeo, dato antecedente, negando consequentiã, ratio negationis est, quia ad hoc, vt aliquod additum alteri faciat maius, esse debet eiusdem rationis cũm eo, cui additur; vnde est, quod argentum additum auro nõ reddat aurum maius, sed illud in sua quãtitate relinquat, nec vestis maiorem hominem faciat, nec vas aquam: sic punctum cum neque sit extensio, neque extensionem in se habeat, etiam si in infinitum multiplicetur, nunquam reddere poterit id, cui additur, magis extensum, etiam si igitur aliquid sit extra lineam terminatam, quod non est in illa, quæ intelligitur extare termino, & etiam si secundus Angelus haberet aliquid in sua duratione, quod non habet primus: attamen neque linea illa dici potest magis durare maiori vitate quãtitatiua, sed ad summum entitatiua, ratione scilicet instantis superadditi.

Instabis secundò: saltem posset aliquis dicere, 110
puncta v. g. esse eiusdẽ rationis cum linea, nõ quia linea constaret ex solis punctis; sed quia ex illis, & ex partibus diuisibilibus esset composita, & in hoc sensu puncta possent appellari partes lineæ, & instantia temporis, quæ cum non essent essentiales, essent saltem integrales. Sed sic iam puncta extenderent lineam, & instantia tempus; ergo &c.

Respondeo cum Suarez *disp. 40. sect. 5. numero* 111
25. non esse negandum, quin indiuisibilia intrinsecè ingrediantur constitutiuam quantitatis cõtinuæ. nam integra eius entitas neque ex solis partibus, neque ex solis indiuisibilibus consurgit, sed ex vtrisque simul sumptis; vnde est, quod si punctum ad lineam continuam comparetur, procul dubio includetur in illa: sin autem præcisè conferatur cum partibus eiusdem lineæ, quas continuat, sic neque illis includitur, neque in se illas includat: possunt igitur puncta dici aliquo modo componentia lineam, totaliter sumptam inquantum pertinent ad eius constitutionem, non autem dici possunt eius partes, quia hæ debent extensionẽ habere; nam pars rei quantæ, vel Aliquota est, vel Aliquanta; Aliquota dicitur, quæ finities accepta adæquat totum. Aliquanta verò, quæ est quanta, & magnitudinẽ habet, licet finities accepta, non adæquet totum, vt palmus lineę infinitæ; atqui neutrum conuenit puncto respectu lineę; ergo &c.

Instabis tertiò: Si punctum terminatiuum li- 112
neæ esset extra partes ipsius lineæ, & consequenter ad illas: & nihilominus non tangeret lineam: sequeretur, quod nihil concluderet argumentum, quo Aristoteles probat contra Zenonem lineam non constare ex punctis; sed hoc non est dicendum; ergo minor patet: sequela probatur, quia Aristotelis argumentum est hoc: si linea constaret ex punctis: puncta hæc deberent se tangere; sed hoc fieri nequit, quia vel se tangeret secundùm se tota, vel secundùm partes sui; primo modo se inuicem penetrarent, secundo modo haberent partes; ergo &c. sed si nostra doctrina vera esset, posset Zeno negare maiorẽ: & dicere quod vnum punctum in linea sit extra aliud, & omnia sint sibi inuicem consequenter, & quod nullo modo se tangant; non enim potest assignari maior ratio, cur hoc possimus nos asserere de puncto ad lineam comparato; nos autem Zenonis de puncto comparato cum alio puncto, & de linea cum linea, &c.

Respondeo, negando sequelam maioris; ad cu- 113
ius probationem, concessa maiore, quæ continet Aristotelis argumentum, negando minorem, in qua dicitur posse Zenonem contra dictum argumen-

Digitized by Google

mentum nostra responsione vti. Ratio disparitatis est, quia cum puncta per Zenonem ponantur esse partes in continuo: Continui autem partes debeant posse separatim existere, siquidem continuum est diuisibile in ea, quę insunt. necessariò in eius sententia, dicta puncta post diuisionem se tangere debent, aut ad modum tangentium in continuo se habere, quatenus eorum extremum debet esse vnum. Quoniam verò extremis carent, vtpote indiuisibilia, tũ in contactu, tũ in continuatione debent ad inuicẽ penetrari: & sic ad vtrumque sunt inhabilia. At verò nos negamus indiuisibilibus rationem partis in continuo, & solùm eis ratione termini concedimus, & quidem inproportionati ad penetrandum se cum rebus, quæ ab illis seminãtur, siquidem hę diuisibiles ponuntur: proportionati verò ad penetrandum se cum alijs indiuisibilibus eiusdem speciei.

Instabis quartò: Ea se tangunt, inter quæ nihil 114
mediat, sed inter punctum terminatiuum lineæ, & ipsam lineam nihil mediat; ergo se tangunt. Respondeo, distinguo maiorem: ea se tangũt, inter quę nihil mediat, dummodo sint, potentia tactiua, concedo; si non sunt huiusmodi, nego maiorem, & concessa minore, dico quod vt aliquid sit potentia tactiuum duo habere debet: primum est id, quod tangere, & tangi potest; secundum verò id quo; & primum quidem est res diuisibilis secundum est vltimus terminus, & extremitates dictæ rei, quoniam verò punctum neutrum habet; hinc fit, vt non possit tangere lineam.

Instabis quintò: Indiuisibile terminatiuum, si 115
datur, vel est intra, vel extra quantitatem, quam terminat. si primum penetrant cum illa. Si secundum facit extensionem. Vtrumque autem est absurdum; ergo non datur. Respondeo, indiuisibile terminatiuum esse intra rem terminatam, actiuè, & non passiuè; est enim id, intra quod est res diuisibilis; nõ verò intra ipsam rem diuisibilem. in idẽ recidit, quod alij dicunt: esse intra nominaliter, non autem aduerbialiter. Ex hoc autem neque sequitur, quod huiusmodi indiuisibilia penetrentur cum re diuisibili, alias essent intra passiuè, neque quod sint extra, quia extra rem diuisibilem, dicit solùm id, quod ab eius indiuisibili termino non continetur: non autem ipse terminus indiuisibilis, qui constituit ipsam intraneitatem, vt ita dicam, paulò aliter argumentum principale proponit P. Giattinus *quæst.* 15. *art.* 7. sic: indiuisibile quoad spatium vel occupat diuersum spatium à spatio partis diuisibilis, vel non. Neutrum dici potest; ergo non datur: non primum, quia sequeretur, quod indiuisibile additum parti faceret maius spatium, quam sola pars. Siquidem occuparet diuersum spatium, facere enim maius in aliqua ratione nil aliud est, quam addere vnum alteri eandem rationem participans. neque secundùm, quia iam penetraretur cum parte diuisibili; ergo &c.

Verum facilè respondetur ex dictis: Indiuisi- 116
bile occupare diuersum spatium à spatio partis, sed spatium indiuisibile; & ad rationem in contrarium distinguo sequelam: sequeretur, quod indiuisibile additum parti faceret maius spatium, quantitatiuè, nego, entitatiuè, concedo. Denique ad probationem dico, spatium aliquod diuisibile, duplicitèr posse considerari. primò entitatiuè, hoc est in ratione spatij, vt sic, præscindendo ab eo, quod diuisibile sit, & extensum, nec ne? secundò quantitatiuè. Hoc est in ratione diuisibilis, & extensi: quo posito aio, quod licèt spatium illud occupatum ab indiuisibili faciat maius spatiũ diuisibile primo modo acceptum, non tamèn secundo modo, quia ad faciendum spatium hac ratione maius necesse est, vt ita addatur præcedenti, vt aliquid illius connectatur, atque iungatur cum præcedenti, & aliquid recedat ab illo, at in spatio indiuisibili non habetur, nisi primum; nihil enim est in eo, per quod à spatio diuisibili recedat; ergo &c. Soliditas autem huius solutionis colligi potest ex eo, quod si dictum argumentum fiat contra ipsum Giattinum admittentem dari indiuisibilia, sed identificata indiuisibiliter cum quantitate trinè dimensa inadæquatè accepta per præcisionem intellectus, eandem facit difficultatem; dum intelligitur quantitati adæquatè sumptæ coniugi eademque solutione dissolutur, necesse est.

SECTIO VNDECIMA.

Soluitur argumentum ex Pyramide ductum.

OBijcies quintò: Si darentur puncta distincta: dari posset pyramis quadrata desinens in punctum. Sed hoc est falsum; ergo sequela cõstat ex eo, quia nulla alia assignari potest pyramidis implicantia, nisi quia non esset dabile punctum; quod à nobis vltrò admittitur. Minor verò probatur, si perfecta pyramis dari posset, sequeretur, quod pars sequens immediatè post punctum esset diuisibilis secundùm latitudinem, sed hoc est impossibile; ergo. Minor huius argumenti probatur, quia omne, quod terminat secundùm eam rationem, secundùm quam terminat, debet esse æquale rei terminatæ, ideoque punctum solũ lineam terminare potest; linea verò solam superficiem, superficies autem solum corpus, sed punctum apicis non esset diuisibile secundùm latitudinem; ergo non posset esse terminus illius partis immediatè sequentis: atqui terminus esse præsupponitur, quia tota pyramis desinit in illum. esset igitur eius terminus, & non esset, quod est impossibile. probo nunc sequelam maioris; liquet: angulares pyramidis non se tangunt, nisi in puncto apicis, siquidem cum non sint in directum positæ, non possunt habere commune segmentum ex 10. *Euclidis postulato lib. primi*; ergo lineæ illæ non se tangent ante illud punctum: ergo dicta bunc in qua- 117
cumque parte pyramidis citra punctum apicis, ergo illa pars pyramidis immediatè sequens illud punctum apicis est diuisibilis secundùm latitudinem.

Respondeo primò, concessa maiore, negando 118
minorem; ad cuius probationem, concessa sequela, nego item minorem, & eius distinguo probationem: omne quod terminat secundùm eam rationem, secundùm quam terminat, debet esse æquale rei terminatæ, si adæquatè terminat, concedo, si terminat inadæquatè, nego. Sic arenę globulus, qui sequitur immediatè post oceanum, dici potest terminus inadæquatus oceani, & punctum corporis; quando autem dicitur, quod punctum

solam

solam lineam terminans potest &c. sermo est de
218 termino, qui adæquatur rei terminatæ. Quoniam verò aduersarius instare posset: Se loqui de eo, quod adæquatè à puncto apicis terminatur. Ideo respondeo secundò huiusmodi punctum non esse terminativum, sed copulativum: quia lineæ rectæ, quæ ducuntur à basi pyramidis ad ipsum non terminantur, nec sistunt in illo, sed potius continuantur inter se, & reuoluuntur: ita vt sit potius communis terminus, quo partes eiusdem lineæ copulentur: quam specialis, in quo linea aliqua omnino consistat, & non progrediatur vlterius. Ex quo manifestè patet id, quod sequitur immediatè post punctum apicis ita, vt ei adæquetur, non posse esse partem corporis, neque superficiem, sed solam lineam. Ad probationem autem sequelæ, concedo lineas angulares pyramidis non se tangere, nisi in puncto apicis. Sed distinguo consequens, sicuti prius: ergo illa pars pyramidis immediatè sequens ad punctum apicis est diuisibilis secundùm latitudinem, & pars illa inadæquatè puncto correspondet, concedo: adæquatè nego. Dico enim quod ad punctum apicis sequitur tota pyramis immediatè, sed inadæquatè: adæquatè verò linea, siue vna sit, siue multiplex, quæ duci potest ad illud. Atque in hoc puncto sic explicato, non videtur esse maior difficultas, quam in cæteris, quę in quolibet alio corpore assignabilia sunt.

219 Respondeo denique tertiò: hoc ipsum argumentum soluendum esse ab aduersarijs, qui admittunt indiuisibilia esse partes inadæquatas quantitatis, sic: si entitas pyramidis nihil indiuisibile contineret; sequeretur, quod planum positum supra eius apicem tangeret illam in aliquo diuisibili, sed hoc est absurdum: ergo &c. Sequela patet, minor verò probatur, nam sic pyramis non desineret in punctum.

220 P. Giattinus ad quartam obiectionem ingenuè fatetur; conum, & consequenter Pyramidem desinere in punctum; sed negat ex hoc rectè colligi dari entitates indiuisibiles, sed solùm dari tales vbicationes, vt habeatur cõceptus præcisiuus in entitate diuisibili. Pyramis enim (inquit) habet talẽ figuram, vt si supra verticem intelligatur alia vbicatio ipsi proxima, faciat contactum omninò inadæquatum, adeoque habeat cõceptum puncti. Sed contra: nam conceptus est pendens ab intellectu. contactus verò independens; quæro ergo indepẽdẽter ab intellectu; Pyramis, cui superponitur planum, tangitur ne à plano in aliquo diuisibili, an indiuisibili? non primum, alioquin non esset, cur intellectus non posset concipere ibi adæquatum contactum, quod negatur; ergo secundum, & sic rectè colligitur dari à parte rei entitates indiuisibiles.

Insurges iterum: assignetur per latitudinem su-
221 perficies in medio pyramidis inter basim, & cuspidem; certum autem est omnes partes pyramidis esse inæquales, & eas quæ sunt basi propinquiores, maiores ijs, quæ sunt propinquiores cuspidi: tum sic: hęc superficies assignata, vel est æqualis vtrique parti, vel maior ea, quæ est vicinior cuspidi; non primum, siquidem sequeretur, quod partes ipsæ essent inter se æquales: neque secundum, quia remaneret aliquid superficei, quod non cooperiretur superiore parte pyramidis; vtrumque autem videtur absurdum; ergo non dantur huiusmodi indiuisibilia.

Respondeo primò hoc argumentum soluendum 122
esse ab omnibus, qui admittunt indiuisibilia, sine enim superficies illa distincta sit, siue non, semper de ea potest contemplari, vtra sit æqualis, vel inæqualis partibus, quas ea pyramide continuum, & cum quibus immediatè hinc inde continuatur, & 123
verumuis dicatur, videtur sequi idem inconueniens.

Respondeo secundò distinguendo illud, quod 123
tanquam certum supponitur in argumento primum, quod omnes partes cuiuscunque pyramidis sint inæquales, nam licèt hoc verissimum habeat de partibus determinatis: falsum tamen est loquendo de partibus indeterminatis, dico enim quod qualibet pars assignabilis, atque adeò determinata, quæ intercipitur inter basim, & cuspidem, semper habet aliquam partem indeterminatam, secundùm quam sit æqualis illi parti, cui immediatè coniungitur; dummodo hæc etiam secundùm partem indeterminatã accipiatur: itaut numquam, neque ex vna, neque ex alia parte assignabilis sit pars secundùm profunditatẽ æqualis, quæ non sit simul inæqualis, vel per excessum, si se teneat ex parte basis, vel per defectum, si se teneat ex parte cuspidis; ex quo apertè deducitur superficiem assignatam esse vtrique parti indeterminatè acceptæ æqualem, sine vlla absurditate. Iam verò quod huiusmodi partes sic acceptæ æquales sint, suadetur ex eo, quia superficies, in qua continuantur, est medium in quo illæ vniuntur; & quidem tota quanta est, vt de se patet: ergo necesse est, vt partes ipsæ ei commensurentur, alias non esset tota continuatiua. Quæ autem sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se. Neque ex hac nostra responsione sequitur, vt quidam imaginantur, lineas paralelas transuersas, quæ recta ducuntur à punctis vnius lateris pyramidis, ad puncta alterius, non esse omnes inæquales, sed aliquas æquales duci posse. Falsum enim hoc esse sic suadorem. Posito quod habetur vna linea, quæ est terminus superficiei A. v. g. assignatæ inter basim, & cuspidem pyramidis, iam non potest assignari alia illi immediata, neque versus basim, neque versus cuspidem; alioquin quantitas constaret ex indiuisibilibus. Sed inter priorem, & eam, quæ de nouo assignatur, semper aliqua pars diuisibilis superficiei pyramidis intercedere debet. Sed hæc pars, secundum quod terminatur hac secunda linea, vel est maior, vel est minor se ipsa, secũdum quod terminatur à prima: & siquidem se tenet ex parte basis, est maior, si verò ex parte cuspidis, minor; quia semper includit inæqualitatem, vti diximus: ergo falsum est, quod ex nostra responsione sequitur lineas transuersas paralelas, quę duci possunt à punctis vnius lateris pyramidis ad puncta alterius, non esse omnes inæquales, quod erat probandum.

SECTIO DVODECIMA.

Expenduntur duæ reliquæ obiectiones.

OBijcies sextò: ex indiuisibilium distinctione 124
sequitur, quod quando hostia consecrata diuiditur, de nouo indiuisibilia terminatiua in partibus diuisis producantur: tum sic: vel in istis indiuisibilibus est Christus Dominus, vel non est.

pri-

Digitized by Google

primò dici non potest, quia sic Christi Corpus incipereo esse de nouo sub nouis speciebus sine noua consecratione: secundum neque, quia iam non in tota illa hostia esset Christus, & tamen proponitur ab Ecclesia, eam à fidelibus adoranda.

125 Respondeo, in illis indiuisibilibus terminatuis de nouo productis reperiri Christum Dominum, & quidem ex vi verborum Consecrationis, per quæ reperitur in tota illa hostia; sic ex vi actionis, qua Verbum assumpsit naturam humanam Christi Domini idem Verbum imbebatur deinde partibus materiæ, quę per augmentationem aggenerabantur Corpori sacratissimo eiusdem. Hic tamen nota dicta indiuisibilia quantitatis in tali casu emanare à quantitate independenter à subiecto, supplente Deo in genere causæ efficientis munus materiæ. Quod si, quæres num sacerdos solam hostiæ superficiem terminatiuam, vel punctum, quod est centrum eiusdem consecrare possit. Breuiter cum probabiliori sententia respondeo negatiuè, & ratio est, quia Christus Dominus primò, & per se est in parte diuisibili speciorum panis, & per concomitantiam in indiuisibili. Sublato autem eo, quod per se est, auferri etiam debet, quod est per concomitantiam. Si quis autem oppositum existimaret non illico esset damnandus, quasi errorem aliquem diceret.

126 Obijcies septimò. Non potest explicari, quomodo indiuisibilia alicuius Corporis palmaris, quæ adæquatè correspondent indiuisibilibus vnius palmi loci, siue spatij imaginarij; si huiusmodi Corpus postea rarefiat, quomodo inquam, eius indiuisibilia correspondeant pluribus indiuisibilibus spatij, quam antea, quando scilicet erat densum; ergo non dantur.

127 Respondeo negando antecedens. ideò enim quando Corpus rarefit eius indiuisibilia pluribus indiuisibilibus, quàm antea correspondere videntur, quia ex vna parte ea sunt infinitia infinita, & non sunt actu, sed potentia, ex alia verò imitantur, & consequuntur ipsum Corpus, sicuti igitur Corpus rarefactum pluribus partibus loci, quam antea correspondet. & veluti multiplicatur, ac pluribus Corporibus, quo ad extensionem, æquiualet, ita eius indiuisibilia pluribus indiuisibilibus loci correspondent, & veluti multiplicantur Difficultas itaque hæc est communis, & ab omnibus, qui easdem partes agnoscunt in corpore rarefacto, soluenda est. Cæterùm si spatia imaginaria, præscindendo à modo, quo corporum condensatio, & rarefactio fiat, consideremus, de necessitate in eis assignabilia esse spatia aliqua, quæ ab indiuisibilibus occupari possint, suadetur ex eo; quia non implicat punctum vndequaque indiuisibile; ergo necessariò admittendum est spatium imaginarium, in quo ex suppositione, quod creetur à Deo, existere debeat. Idem dicendum de spatio imaginario lineæ, & superficiei. Tum sic: huiusmodi spatia imaginaria nequeunt occupari in præsentia à partibus diuisibilibus corporum naturaliter existentium, quia sicuti indiuisibile nequit existere in spatio diuisibili sine extensione virtuali, ita neque diuisibile in spatio indiuisibili sine penetratione; ergo defacto occupantur ab indiuisibilibus eorumdem corporum, atque adeò non est, cur defacto in corporibus naturalibus non dentur indiuisibilia. 128

Ad hoc autem argumentum nulla alia ratione respondent potest ab aduersarijs, nisi negando possibilitatem indiuisibilium, & dicendo ea esse omnino ficticia, atque chymerica. Sed non recte; cum quia cum per hoc dictum diuinam restringant omnipotentiam, teneantur positiuè assignare huiusmodi indiuisibilium implicantiam: tum etiam quia manifestè falsitatis redargui possunt; ergo quia defacto possunt Angeli ad indiuisibilia se redigere occupando tantum spatij, quantum occuparet punctum, vel linea, vel superficies, si daretur. Et quamuis D. Gietanus *in fine dicti articuli 7.* hoc expressè neget, inferendo ex dictis non dari vbiationem indiuisibilem in Angelo: facile redarguitur tum auctoritate, tum ratione. Auctoritate quidem omnium fere Theologorum, & præcipuè D. Th. *in 1. dist. 37. art. 2. & primâ parte quæst. 52. art. 2. in corp.* vbi postquam retulit nonnullos imaginationem eranscendere non valentes; cogitasse indiuisibilitatem Angeli ad modum indiuisibilitatis puncti, & ideò erubuisse, quod Angelus non posse esse, nisi in loco puncta li: subdit hæc verba: sed manifestè decepti sunt. nam punctum est indiuisibile habens situm, sed Angelus est indiuisibile, extra genus quantitatis, & situs existens; vnde non est, necesse quod determinetur ei vnus locus indiuisibilis, secundùm situ, sed vel diuisibilis, vel indiuisibilis, vel maior, vel minor secùndùm quod volùtariè applicat sua virtutè. Ex quo potest Angelum posse existere in spatio indiuisibili, & nullo modo à spatio diuisibili dependere: cur igitur non poterit se in indiuisibili continere; & quidè mihi verecundandum existimarè, si eâ subtilitatè, quâ alij rebus materialibus concedunt, ex aliqua mea sententia cogerer purissimis spiritibus denegare. 129

SECTIO DECIMATERTIA.

Quænam indiuisibilia actu, quæ verò potentia distinguantur à partibus continui.

PRima conclusio: Indiuisibilia copulatiua ante assignationem non distinguuntur actu à quantitate, sed solùm potentia. Explico: In medio lineæ dantur indiuisibilia copulatiua partium ipsius lineæ, quæ sunt puncta, hæc dico ante assignationem esse à partibus lineæ distincta distinctione reali, non quidem actuali, sed solùm potentiali. idem dico de lineis copulatiuis partium superficiei, & de superficiebus copulatiuis partium Corporis. Est communis ijs, qui volunt partes quantitatis non esse actu distinctas ante assignationem &c. 130

Probatur primò ex Aristotele 8. *Physic. text. 68. & 69.* vbi expressè docet indiuisibilia continuatiua non esse actu, sed potentia in quantitate. idem colligitur *ex 3. met. tex. 17. & sæpe alibi.* 131

Probatur secundò, quia indiuisibilia copulatiua ante assignationē si essent actu distincta, sequeretur, quod partes omnes quantitatis, quas copulant, essent etiam inter se actu distinctæ: quia si id, per quod inter se duo vniuntur, est actu ab vtrisque distinctum: multò magis illa duo inuicem distincta erunt, cum non remaneat illis aliud, in quo, vel per quod non distinguantur. 132

Pro-

Digitized by Google

132 Probatur tertiò ex absurdis, quæ sequerentur in Mathematicis: quòd scilicet circulus minor cum circulo maiori super idem centrum describatus, vel foret habere plura puncta quàm maior, & per consequens esset æqualis illi; vel quòd lineæ ductæ ab omnibus punctis circuli maioris deberent se tangere prius quàm ad centrum peruenirent, præterea quòd diameter esset æqualis costæ, & alia similia, vt patet; ergo &c.

133 Secunda Conclusio: Indiuisibilia copulatiua, facta assignatione competenti, actu realiter à corpore distinguuntur: dico facta assignatione competenti, quia si assignatio fieret per diuisionem, indiuisibilia illa non possent habere beneficio eius rationem actualiter continuandi, sed tantummodo terminandi, si tamen remanerent: assignatio igitur esse debet illis conueniens, atque proportionata, scilicet vel per informationem, vel per contactum; ita Arist. locis pro præcedente Conclusione citatis.

134 Probatur autem primò: quia assignatione competenti iam facta, aliqua actu realiter, & nemine cogitante, intrinsecè competunt indiuisibilibus copulatiuis, quæ realiter intrinsecè corpori quanto competere nequeunt: ergo actu realiter ab illo distinguuntur. Consequentia patet ex dictis. Antecedens probatur, quia, posito quod assignetur punctum per sphærici contactum in plano, realiter puncto illi intrinsecè actu competit, quod penetretur cum puncto sphæræ, & quod sit in eodem prorsus loco cum illo, quæ non possunt plani partibus conuenire.

135 Probatur secundò: sicut partes quantitatis factæ sufficienti assignatione ex actu indistinctis, sunt actu realiter distinctæ; ita indiuisibilia, quæ ante assignationem erant distincta potentia, post illam per realem actualem distinctionem distinguentur à partibus quantitatis, huius rei ratio esse potest, quia ante assignationem entitas realis indiuisibilis præexistit identificata diuisibiliter cum entitate partium, non minus quam præexistant ipsæ entitates partium diuisibilium inter se diuisibiliter identificatæ; ergo &c.

136 Quæres hic: sufficit ne assignatio facta per intellectum ad distinguenda actu indiuisibilia à corpore quanto.

137 Respondeo non sufficere, si agamus de actuali distinctione intrinseca. & ratio est, quia cognitio extrinsecè sumpta se habet ad dicta indiuisibilia, neque aliter in eis ponit aliquid, quod non ponat in partibus, quod sit in natura, vt illa ab ipsis partibus actu distinguuntur. Solum igitur faciet, vt dicta indiuisibilia actu realiter à partibus, distinguantur actualitate non intrinseca, sed extrinseca; quæ quidem distinctio pertinet potius ad distinctionem rationis ratiocinatæ, quam ad realem actualem; in quantum intellectus ex vna parte habet fundamentum à parte rei distinguendi, ex alia verò nullo modo in re variat, aut realitas distinguit indiuisibilia, sed eodem modo, ac prius erant illa relinquit; quod proportionaliter asserendum est de assignatione, quam idem intellectus facit in partibus.

138 Tertia Conclusio: Indiuisibilia terminatiua actu realiter distincta sunt à quantitate, quam terminant. Est Sancti Thomæ *opuscul.* 36. vbi ait: in linea sunt puncta quidem duo actu, vt eius termini, qui cadunt in eius definitionem, & infinita alia in potentia, secundùm quod ipsa est in infinitum diuisibilis potentialiter; & 3. *metaphysicorum lect.* 13. exponens *textum* 17. docet nullam superficiem præter exteriorem esse actu in corpore solido, cum sequuntur Suarez *disputat.* 40. *sect.* 5. *numero* 15. & quantum ad superficiem Fonseca 5. *metaph. cap.* 13. *quæst.* 6. *Sectione* 4.

Probatur primò ex Aristotele 8. *physicorum* 139
text. 65. vbi ait: Amplius autem aliud est esse potentia, & esse actu; quare rectè quodlibet signum eorum, quæ inter extrema sunt, potentia quidem est medium: actu autem non nisi diuiserit. Idem colligitur ex 3. *metaphysicorum text.* 17.

Probatur secundò: Indiuisibilia continuatiua, facta assignatione per contactum actu realiter distinguuntur à corpore, in quo sunt; sed hoc idem semper habent terminatiua; ergo semper actu distinguuntur. Maior patet ex dictis. Minor probatur, quia corpora omnia naturalia, vltimam sphæram si demas, habent circa se aliud corpus, cum quo se tangunt: tactus autem nequit fieri sine mutua extremorum penetratione. Penetratio autem existimanda est assignatio perfectissima, inquantum eius beneficio indiuisibilia acquirunt aliquid ferè intrinsecè, per quod à reliquo corpore discernuntur; ergo &c. 140

Confirmatur, quia in quolibet corpore est actu quædam vltima superficies indiuisibilis secundùm profunditatem, quasi inuoluens totum Corpus, & per interiorem, vt ita dicam, faciem terminans omnes eius partes: per exteriorem verò nihil continuans; licet huiusmodi facies inter se sola ratione distinguantur; ergo datur actu superficies terminatiua in quolibet corpore, non excludendo vltimam sphæram. Antecedens patet. Consequentia verò probatur, quia non est excogitabilis alia actualitas intra limites termini, quæ possit esse maior ista, quam superficies terminatiua sibi vendicat; ergo &c. 141

Quæres hic an dentur in rebus ante nostram assignationem lineæ, & puncta terminatiua actu distincta. 142

Respondeo negatiuè; & ratio negationis sumi potest ex eo, quia fundamentum, quo nos volumus ad indiuisibilia terminatiua actu distincta concedenda, facit contra distinctionem linearum, atque punctorum. ex eo enim nos superficiem in rebus actu terminantem admittimus, quia Corpora omnia finita sunt actu, & intrinsecè terminata; non finiuntur autem, neque terminantur, nisi superficie, cuius beneficio habent vt se inuicem tangant, non tamen inuicem continuentur. Porrò hæc ratio neque in lineis, neque in punctis locum habet; non quidem in lineis, quia partes superficiei cuiuscumque Corporis circuitione quadam finiuntur, & in seipsas recurrunt; vnde non egent linea actu determinante, sed ex omni parte sibi correspondent, sequè inuicem copulant;

Digitized by Google

aequè continuant. neque in punctis; nam praeter quam quod ex linearum actualium negatione manifestè deducitur: probatur etiam ex eo, quia etiam si daretur in corpore linea actu distincta, haec continuata quadam extensione, & circuitione, seu reflexione in se ipsa finirentur, absque eo quod indigeret termino. neque vllus est excogitabilis in corpore terminus partium vnius lineae, quin vltra illum per aliquam viam, seu positionem eadem linea non possit vltra protendi; quare implicat assignare punctum in continuo, ad quod pluribus vijs duci plures lineae nequeant, adeoque quod non sit saltem in potentia continuatiuum plurium linearum partialium, vnam totalem lineam integrantium. Ex quibus habes, quod facta assignatione, vel lineae, vel puncti in Corpore quanto, etiam si actu illa sint terminatiua; potentia tamen etiam continuatiua existimari debeant.

DISPVTATIO TRIGESIMA SECVNDA

DE SPECIEBVS QVANTITATIS.

EA, de quibus dubitari solet, num sint species quantitatis, sunt septem, videlicet Linea, Superficies, Motus, Tempus, Locus, Numerus, & Oratio. Quare de his singillatim agendum est.

SECTIO PRIMA.

Quid dicendum de linea, & superficie.

PRima Conclusio: Linea, & superficies, si propriè, & rigorosè loquamur, non sunt species quantitatis: at impropriè, & minus rigorosè dici debent, quod sint.

Probatur conclusio quo ad vtramque partem. Ac primò quoad primam. quia si essent rigorosè loquendo species quantitatis, vel quatenus sunt potentia, vel quatenus sunt actu, essent huiusmodi; sed neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet; minor probatur, quia quando sunt potentia, identificantur cum quantitate trinè dimensa, nec habet esse speciale distinctum ab illa: vbi autem distinctiuum non est, ibi deest etiam constitutiuum; quando igitur lineae, & superficies sunt in potentia, non sunt in certa specie quantitatis rigorosè loquendo, distincta à specie corporis trinè dimensi. Quando verò sunt in actu, vel copulatiuę sunt, vel terminatiuae, vtrumvis autem dicatur, semper pertinent ad constitutionem corporis continui: siue immediatè, vt sunt superficies, siue mediatè, vt lineae; & quidem si copulatiuae sunt intrinsecè; sin autem terminatiuae tamquam complementa. Semper autem sic sunt ad corpus mathematicū essentialiter ordinatae; nulla autem vera species est, quae ad complendam aliam speciem sub eodem genere constitutam essentialiter ordinetur; ergo neque prout sunt actu, linea, & superficies, erunt veræ species quantitatis.

Confirmatur primò, quia quantitas est impenetrabilitatis principium; lineae verò, ac superficies ad inuicem penetrantur. Confirmatur secundò, quia si linea, & superficies essent veræ species quantitatis iam corpus prout distinctum ab illis, esset vera quantitatis species; hoc autem dici nequit, quia corpus quatenus à linea, & superficie præscindit, non est vltimò, & completè in suo esse constitutum; ergo &c. & quidem ad hanc sententiam videtur mihi tandem nolens declinasse Oviedus *controu. 7. metaph. puncto 3.* vbi postquā cum communi absolutè docuit, lineam, & superficiem esse species quantitatis: *in fine numeri secundi* dictum suum modificauit his verbis: fateor lineas, & superficiē non esse quantitates cōpletas, quia ex se ordinantur ad componendum totum integrale, tanquam nexus partium talis totius.

Secunda verò pars Conclusionis probatur primò ex Aristotele, qui *in praedicamentis, cap. de quanto*, expressè inter species quantitatis permanentis lineam, & superficiem enumerat. Secundò, quia etiamsi linea, & superficies dicant essentialem ordinem ad corpus mathematicum, si vel physicè, vel metaphysicè loquamur: attamen si loquamur mathematicè possunt ex vna parte, præscindendo ab hoc ordine, considerari: & de illis sic consideratis, quędam passiones demonstrari, ac proinde sumi quatenus neque copulatiuae sunt, neque terminatiuae: ex alia verò sic acceptae aliquam habent impenetrabilitatem, non enim se cū corporibus penetrare possunt; neq; ad inuicē ex ea parte, qua diuisibiles sunt sed solùm ex ea, ex qua sunt indiuisibiles; ergo aliquo modo impenetrabilitatem admittunt; sumi igitur possunt, si hac ratione considerentur, hoc est minus rigorosè, vt species quantitatis.

Atq; hæc ex suppositione quod lineæ, & superficies quantitatis subiectentur in lineis, & superficiebus materiæ, vti diximus quod si aliquis cum Hurtado *disp. 13. metaph. sect. 6. §. 52.* existimet eas subiectari in partibus quantitatis, cum quibus penetrentur; non ob hoc denegare debet eas esse species imperfectas quantitatis; quia rectè sustineri potest in illis reperiri rationem impenetrabilitatis inadæquatam, quam quidem ipsi quantitati tamquam subiecto communicent, ac proinde quātitatē ex duplici capite esse impenetrabilē ex se, & ex linea, & superficie, quibus informetur.

Hic

Digitized by Google

148 Hic laborant Auctores in faluanda impenetrabilitate linearum & superficierum, cum constet linearem penetrari posse cum linea, & superficiem cum alia superficie. Oviedus *loco citato numero* impugnat responsionem eorum, qui dicunt lineam penetrari secundùm latitudinem, non verò secundùm longitudinem, & superficiem secundùm profunditatem, non verò secundùm latitudinem; cum quia eam dictis mensuris careant, impossibile est, quod secundùm illas penetrari possint: tum etiam quia linea, quæ prius habebat longitudinem duorum palmorum in charta bipalmari, si hæc duplicetur, habebit longitudinem vnius tantùm palmi. *numero* verò 4. ait: melius dici partes lineæ esse penetrabiles secundùm quamlibet assignabilem cum quacunque alia; non tamen posse partes omnes secundùm se totas penetrari, imò ad indiuisibile spatium reduci. Sed contra hoc facit: tum quia linea secundùm quamlibet partem assignabilem lineæ est; ergo secundùm quamlibet non deberet posse se penetrari cum quacumque alia: tum etiam quia ratio, cur linea, licet secundùm quamlibet possit penetrari, non tamen possit secundùm omnes, non esset eius impenetratio, sed diuisibilitas in infinitū: nam ex suppositione, quod posset in sola puncta resolui: vtique secundùm ea omnia, quantum est ex hoc præciso capite, penetrari posset. His igitur explicationibus reiectis, dico lineam, & superficiem esse penetrabiles secundùm eam rationem, secundùm quam sunt indiuisibiles: impenetrabiles verò secundùm eam, secundùm quam diuisibiles existunt. Sic quia linea est indiuisibilis secundùm latitudinem, & profunditatem, secundùm vtramque dimensionem penetrabilis est, ita vt impossibile sit, vt cum aliqua alia linea coniugatur, & vel vnam, vel aliam faciat dimensionē sed necessariò penetrabitur cū illa. quia verò est diuisibilis secundum longitudinem, repugnat, quod si versus eam partem, versus quam longitudinem habet, addatur ei aliqua alia linea, se penetret cum illa; sic autem explicata sententia, quam impugnat Oviedus, rectè consistit, nec eam eius duplex ratio assignata labefactat.

149 Quod si contra hanc explicationem insurgat, sic ducatur manus per planum alicuius mensæ: tūc linea manus intrabunt spatium linearū mensæ, ingressu facto per puncta, & partes linearum, quæ è regione opponebantur; ergo & secundùm partem illam, qua linea diuisibilis, & impenetrabilis: Refellitur facilè, quia mea ratio nō procedit ex modo, quo debet aptari vna linea alteri, vt sequatur penetratio; num scilicet debeat superponi, vel ingredi in eam, sicuti gladius in vaginam. Scio enim hoc per accidens se habere, vtrouis modo ponatur penetrari cum illa. Sed contendo, quod neutro modo fiat additio secundùm longitudinem. Additur enim linea, quæ est in manu lineæ, quæ est in tabula, ita vt si vtraque esset apta componere latitudinem, illam vtique componeret; & sic excresceret, in latum, & non in longum, vt patet ex ligno bipalmari, quod si in duas partes diuidatur, & vna pars alteri supponatur, vel ex ea parte, quæ continuabatur, vel ex parte laterali excresceret quidem secundùm latitudinem, & profunditatem. licet secundùm longitudinem minuatur; & rectè id quidem; siquidem ad hoc, vt videamus, num id, quod additur alteri, augeat illud secundùm dimensionem aliquam, non debet quomodocunque addi, sed aptè quantum fieri potest ad illam dimensionem augendam. malè enim quis probare volens superficiem, quæ additur corpori, eius profunditatem non augere, sic illam ei vniret, vt non nisi in linea continuatiua copularet. Sed deberet eam aptare, ita vt secundùm omnes partes latas se inuicem coniungerent, & postea ostendere corpus ex additamento superficiei non redditum esse profundius. Sic in casu nostro, vt videamus, an linea posse augere lineam tabulæ secundùm longitudinem, debemus illas aptare, ita vt in solo puncto terminatiuo se contingant, sic enim partes lineæ eam extendunt. Sed hoc modo aptatę huiusmodi lineę, impossibile est, vt vna penetretur cum alia, vt de se euidens est. idemque cum proportione dicendum de superficiebus; ergo benè saluatur in linea, & superficie, impenetrabilitas non solùm secundùm omnes partes collectiuè acceptas, sed etiam secundùm quamlibet distributiuè, si aptè cęteris applicetur. Porrò dicta impenetrabilitas propter contrariam rationem non saluatur in punctis. nam si vel lineæ, vel puncto addas punctum, quantumuis desilli situm talem, vt si esset aptum, infallibiliter longitudinem faceret, nunquam tamen illam absolutè loquendo faciet cum puncto, neque maiorem reddet eam, quam inuenit in linea.

Obijcies primò cōtra primam partem conclusionis: linea, & superficies essentialiter distinguuntur à corpore, & inter se; ergo sunt veræ quantitatis species. 150

Respondeo, distinguendo antecedens, distinguuntur essentialiter à corpore, & inter se, ita vt linea dicat essentialem ordinem ad terminandam superficiem, eiusque partes copulandas; superficies autem ad terminandum corpus, & ad eius etiam partes copulandas, concedo antecedens. ita vt non dicant huiusmodi ordinem, nego antecedens, & consequentiam. Species enim sub aliquo genere contentæ, non ordinantur ad inuicem hoc modo, vt patet in alijs speciebus prædicamentorum rigorosè sumptis; ex quo sequitur impenetrabilitatem radicalem sine ordine ad aliam impenetrabilitatem complendam, esse rigorosam quantitatis essentiam.

Obijcies secundò contra secundā partē: Corpus trinè dimensum essentialiter inuoluit lineam, ac superficiem, quatenus includit in suo conceptu essentiali longitudinem, ac latitudinem; igitur nullo modo superficies, & linea sunt species quantitatis. 151

Respondeo, negando antecedens. Lineæ enim longitudo essentialiter connotat, vti diximus, negationem latitudinis, & latitudo superficiei, negationem profunditatis; at longitudo, & latitudo corporis non sic se habent.

Instabis: Corpus trinè dimensum non dicit, nisi longitudinem tripliciter comparatā: ergo in sola longitudine essentia quantitatis posita est. Antecedens probatur, quia ad corporis constitutionem sufficit simplex longitudo versus tres partes spacij protensa. 152

Respondeo: negando antecedens; ad cuius probationem dico, quod licet verum sit, quod in corpore sit longitudo versus omnem partem: inter-

Digitized by Google

nam tamen longitudinem, atque aliam semper intercedit latitudo quædam, & rursus inter vtramque aliam latitudinem semper quædam profunditas intercipitur. vbi aduerte, longitudinem non esse dimensionem aliquam versus vnam partem determinatam, potest enim sumi versus quamcumque, modo accipiatur, vt vna dimensio. Quod idem intelligendum est de latitudine in ordine ad suam duplicem dimensionem: at nos communiter dimensionum omnium maximam, longitudinem; minorem verò, latitudinem, minimam autem profunditatem appellare consueuimus, vbi verò omnes tres dimensiones æquales sunt inter se, vt euenit in corpore quadrato, possunt ad libitum appellari.

153 Obijcies tertiò: id, quod prædicatur adiectiuè de aliquibus essentialiter inter se diuersis, respectu illorum non se habet vt genus, sed quantitas non modo de linea, & superficie, sed etiam de corpore trinè dimensò adiectiuè, & denominatiuè prædicatur; ergo hæc non sunt species quantitatis; maior patet inductione facta per omnia prædicamenta accidentium. *Minor* probatur; non solùm enim dicitur: linea est quantitas; sed etiam linea est quanta, & eadem ratio est de superficie, & corpore.

154 Respondeo distinguendo maiorem: Id, quod prædicatur adiectiuè, & denominatiuè de aliquibus, itavt non possit etiam substantiuè prædicari de illis, respectu illorum non se habet, vt genus, concedo: id, quod prædicatur adiectiuè de aliquibus, ita vt possit etiam substantiuè prædicari de illis, nego maiorem, & distincta eodem modo minore, nego consequentiam; dico enim quantitatē hoc habere specialiter, quod cætera prædicamenta non habent, vt de suis speciebus vtroque modo prædicari possit, scilicet tum in abstracto, tum in concreto. huius rei ratio illa est, quia nos per esse quantum nihil aliud intelligimus, quam esse aliquod, quod partes habeat extra partes; hoc autē per se, & formaliter competit etiam speciebus quantitatis. Cæteris verò rebus materialibus beneficio illarum.

SECTIO SECVNDA.

Quid de motu, tempore, & loco sentiendum.

155 SEcunda Conclusio: motus non est vera species quantitatis, sed impropriè. Ita Ouiedus *controu. 7. metaph. puncto 4.*

Probatur, quia motus successiuus, de quo solo potest esse difficultas, est triplex. Alteratio, Nutritio, & Latio; sed quilibet ex his per accidens partes habet successiuas, & impenetrabiles, hoc est ratione alterius; ergo nullus ex his motibus est vera species quantitatis, sed solùm impropriè. Consequentia est certa, quia quantitas est principium per se impenetrabilitatis, & maior patet ex dictis. Probo autem minorem, quia alteratio est successiua ratione qualitatis contrariæ, quæ resistit ne agens simul agat, quantum agere potest, sed paulatim secundùm quod contrariā qualitas desinit esse. Præterea nutritio nonnisi ratione alterationis est successiua. Si enim materia nutrimenti disponeretur in instanti, vtique in instanti ge-

generaretur vinum recipiendo in se formam illius. Denique motus localis in tantum est successiuus, in quantum mobile non potest simul esse in pluribus locis sibi adæquatis. Vnde si successio illi non proueniret ex eo, quod vna eius pars exigat primò, & per se esse extra aliam, sed ex eo, quod inuicem se expellant ab eodem subiecto. Ad eum planè modum, quo formæ contrariæ, calor scilicet, & frigus; albedo, & nigredo &c. mutuo se expellunt. Alioquin quemadmodum duæ quantitates permanentes non in diuersis quidem subiectis existere simul possunt in eodem loco, ita neque duo motus afficientes duo mobilia, possent simul existere in eodem tempore. 156

Tertia Conclusio: neque tempus est propria, & vera quantitatis species, sed solùm impropria. Hanc conclusio vna cum præcedente est procul dubio Aristotelis 4. *metaph. text. 18.* vbi ait. Motum, & tempus per accidens, hoc est, per aliud esse quanta. & rectè id quidem, quia successio verisque conuenit ratione diuersarum partium spatij, quibus non potest simul idem mobile, seu persona. Confirmatur, quia tempus est duratio motus, quæ non dicit supra motum aliquod accidens superadditum, sed solùm importat denominationem quamdam extrinsecam prioris, & posterioris aliunde illi prouenientem, nimirum à partibus temporis imaginarij, ex quarum connotatione in ratione temporis constituimus. 157

Quarta Conclusio: locus non est vera species quantitatis. Probatur, quia locus est superficies, sed supra probauimus superficiem non esse veram, & propriam quantitatis speciem; ergo neque quid locus. Quod si quis putarit dari vbicationes intrinsecas distinctas, & durationes esse accidentia superaddita rebus, quę durant, neque hic debere afferere in dictis vbicationibus, atque durationibus veram quantitatis rationem reperiri. Alioquin diuisio prædicamentorum accidentalium nō respiceret ipsum accidens tamquam id, quod immediatè diuideretur: siquidem vbi, quando, & quantitas molis subijcerentur quantitati, vt sic, tanquam proprio generi immediato, atque vnico. Quomodo autem debeat sustineri huiusmodi durationes, & vbicationes non esse veras species quantitatis, videatur apud Quiedum *loco citato num. 4.*

SECTIO TERTIA.

Quid de Numero, & Oratione existimandum.

158 DIximus hucusque de quantitate continua, diuisa in permanentem, & successiuam. Restat agendū de discreta, quæ definitur esse, cuius partes nullo communi termino copulantur, & diuiditur in numerum, & orationem: & numerus quidem rectè describitur esse collectio plurium vnitatum. Oratio verò in rigore accepta vox ex instituto significans, cuius aliqua pars separatim significat. Quantum ad numerum sic.

159 Quinta Conclusio: Numerus physicè, & rigorosè loquendo non est vera quantitatis species, at loquendo mathematicè, & impropriè, dici potest, quod aliquo modo sit.

160 Pro explicatione sciendum est: numerum esse dupli-

Digitized by Google

duplicem habere rationem entis; alterum verò prædicamentalem, alterum transcendentalis est ille, qui ratione sui in prædicamenta; neque per se reperitur in rebus quantis, huiusmodi est numerus binarius relationum, quinarius Angelorum, denarius nigredinum, &c. Prædicamentalis verò ex diuisione continui resultat, atque adeò in solis rebus quantis per se inueniri potest. Sic est numerus quaternarius lignorum palmarium, qui ex diuisione ligni quadripalmaris resultauit. Porrò numerus primo modo sumptus, pertinet ad metaphysicum, neque facit ad rem nostram. De prædicamentali, de quo in conclusione loquuti sumus, probo ipsam conclusionem quoad primam partem. quia vera species quantitatis esse debet realiter vnum ens, sed numerus prædicamentalis non est huiusmodi; ergo numerus prædicamentalis non est censendus vera quantitatis species. Major patet. Minor probatur, quia hic numerus dicit essentialiter plura, nullam à parte rei coniunctionem, aut vnionem habentia; ergo &c.

161 Confirmatur id, quod dicimus, quia si numerus prædicamentalis esset vera quantitatis species, sequeretur, quod esset vnum accidens in omnibus vnitatibus componentibus illum, vel igitur esset idem numero in omnibus; & hoc dici nequit, quia vnum accidens non potest naturaliter in pluribus subiectis realiter inter se diuisis reperiri, vel esset diuersum & hoc neque, quia iam non esset vna species, quæ vnitas speciei fundari quoque non posset.

162 Quoad secundam verò partem eadem Conclusio probatur primò ex Aristotele, qui [illegible] dixit, [illegible] enumerat inter species quantitatis ipsum numerum; secundò quia numerus participat aliquam extensionem partium sibi accommodatam; habet enim partes extra partes cum principio impenetrabilitatis; vnitates enim ita numerantur, vt vna sit extra aliam, neque possint inter se confundi; ergo &c. Tertiò, quia arithmetica, quæ inter mathematicas scientias numerari solet, sibi vendicat ipsum numerum tamquam adæquatum sui obiectum; ergo &c.

163 Obijcies primò: Numerus formaliter sumptus, est ens rationis; ergo nullo modo est species quantitatis; Consequentia patet, quia species entis realis debet realis esse: antecedens verò probatur, quia numerus est plurium vnitatum collectio, sed à parte rei non sunt, nisi plures vnitates. Collectio verò est ab intellectu ad libitum, easdem vnitates certo quodam ordine colligente; ergo numerus formaliter sumptus, est opus intellectus, atque adeò ens rationis.

164 Respondetur primò, negando antecedens, ad cuius probationem dico, collectionem illam esse denominationem extrinsecam, prouenientem ab intellectu colligente reales vnitates. Porrò ens rationis metaphysicum non consistit in sola extrinseca denominatione, vt fert probabilior sententia, quam in Logicis secuti sumus; quod si Aristoteles, & D. Th. eum appellant ens rationis: loquuntur de Logico, atque hæc est communis eorum responsio, qui sustinent numerum formaliter ecclitini per actum intellectus plures vnitates colligentem, ac numerantem.

165 Respondetur secundò, negando item antecedens; & ad eius probationem dicendo: numerum non consistere formaliter in intellectuali collectione plurium vnitatum, sed ex ea potius resultare; posito enim quod quædam vnitates ab intellectu nostro cum quodam ordine colligantur, vltima vnitas, quæ aduenit, habebit rationem formę respectu priorum vnitatum, qua ratione si cõsideretur, numerus non se habebit omninò per accidens, sed erit ens reale aliquo modo per se, constans ex prioribus vnitatibus, tamquam ex materia, & ex vltima, tamquam ex forma. Quoniam verò vnitates non habent esse: vnde vt actus, & potentia inuicem comparentur, sed ab intellectu, arbitrario suo illas ordinante; hinc fit, vt numerus formaliter sumptus non sit censendus physica species quantitatis; Sed solùm mathematica in quantum facultates mathematicæ à sensibili materia abstrahunt. Cõllectio itaque secundùm hanc responsionem respectu numeri se habet, vt conditio, & quantum ad illam dici potest, quod ipse numerus sit quid rationis, at verò quantum ad materiam, ex qua fit, & ad subiectum considerata, ex quibus constat, est quid omnino reale.

Quoniam verò Hurtadus *disp. 13. sect. 6. §. 54.* 166 putat intellectum non constituere numerum, sed illum supponere, & in enumerando dari tres, vel quatuor homines, v. g. speculatiuè omninò, & non practicè se habere, ideo secundùm hanc opinionem dico singulariter.

Respondetur tertiò numerum importare plures 167 vnitates resultantes ex diuisione continui, & habentes quandam aptitudinem ad primam illam vnitatem, à quâ per realem separationem, vel designationem recedebant, quaternus denuo eam constituere possint, quantum est de se, & in illam de nouo coalescere, in qua aptitudine collectio numeri realis postea est; per quod quantitas continua sufficienter à discreta distinguitur. Continua enim dicit, tamquam formam intrinsecam cõtinuationem suarum partium, tamquam terminum verò extrinsecum, Harum diuisionem. Contra verò quantitas discreta intrinsecè quidem diuisionem partium, extrinsecè verò tamquam terminũ fuæ formalis aptitudinis, continuationem earumdem importat; iuxta quam vltimam responsionẽ sustineri potest numerum adæquatè sumptum esse quid reale, & nullo modo indigere operatione intellectus.

Vltima Conclusio: neque oratio est rigorosa 168 quantitatis species. Probatur supponendo prius, quod quando oratio inter species quantitatis numeratur: orationis nomen sumitur latè pro quolibet composito ex pluribus quantis successiuis proprios terminos habentibus. Quod oratio propriè dicta habet commune cum saltationibus, instrumentorũ musicorum pulsationibus, & cæteris similibus, quę licet venire in quæstionem possint secundùm suas proprias rationes, num sint species quantitatis: sub nomine tamen orationis comprehenduntur, quia sola collectio plurium temporum, quæ in humanis vocibus reperitur, à scientijs præcipuè consideratur. His verò præmissis, orationem sic acceptam non esse veram speciem quantitatis, sed impropriam, rectè deducitur ex his, quæ de numero diximus. Conuenit enim

cum

cum illo, vt importet plures entitates realiter inter se distinctas. Ex quibus colliges, quod quando Aristoteles inter species quantitatis enumerat numerum, orationem, & similia; de quibus egimus, loquatur minus rigorosè, & ad opinionem vulgi se accomodando, vt docet Auerroes 5. metaph. comment. 18.

Colliges iterum quantitatem praedicamentalem esse vnam speciem infimam? Omnes enim quantitates continuæ permanentes differunt solum secundùm maioritatem, & minoritatem, si physicè, seu metaphysicè considerentur; quamuis non ita si mathematicè.

DISPVTATIO TRIGESIMATERTIA
DE RERVM INCEPTIONE ac Desitione.

POST tractationem indiuisibilium, rectè rerum Inceptiones, & desitiones consideramus; sunt enim veluti termini, & extrema, quibus rerum eorum definita duratio concluditur, quæ nisi ad modum indiuisibilium concipiantur, nulla ratione possent vt talia considerari.

SECTIO PRIMA.
Quot sint incipiendi, & desinendi modi.

VNica Conclusio: Res possunt incipere, ac desinere, vel intrinsecè, vel extrinsecè. Intrinsecè quidem, si in instanti suæ inceptionis, aut desitionis affirmare de illis possumus, quod existant. Extrinsecè autem in eodem inceptionis, aut desitionis instanti id negare de illis possumus. Cùm enim de eis affirmamus existentiam in illis instantibus, constat dicta instantia esse intrinseca earum existentiæ: Contra verò si negamus, extrinseca, vnde fit, vt res, quæ incipiunt intrinsecè, dicantur incipere per primum sui esse, & quæ intrinsecè desinunt, dicantur desinere per vltimum sui esse: quia scilicet in primo instanti inceptionis, & vltimo desitionis iam existunt. At verò res, quæ incipiunt extrinsecè, dicuntur incipere per vltimum sui non esse, quæ extrinsecè desinunt, per primum sui non esse desinere, quia scilicet, neque in primo, neque in vltimo suæ durationis instanti reperiuntur existentes in rerum natura. Atque hæc est communis Peripateticorum sententia, quæ fundatur in eo, quod tempus non constet ex solis instantibus, sed post instans necessariò sequatur pars temporis diuisibilis in infinitum.

2 Hinc ortum habuit quadruplex ille loquendi modus, quo in hac materia vtuntur Philosophi, quorum primus est, quo dicitur: Res nunc primò est, immediatè antea non erat, & significat modũ incipiendi intrinsecè, quo res in primo instanti suæ durationis ita existit, vt tempore immediatè ante illud instans non extiterit, atque adeò incipit per primum sui esse.

3 Secundus verò est, quo res dicitur: nunc vltimo est, immediatè post non erit, quod denotat modum desitionis intrinsecæ, qua res in vltimo instanti suæ durationis vltimo existit, ita scilicet, vt verum sit dicere, quod tempore immediatè post illud instans non amplius extitura, atque adeò quod desinat per vltimum sui esse.

Tertius, res nunc vltimo non est, immediatè post erit, qui significat modum incipiendi extrinsecè, quo res in primo instanti suæ durationis ita non est, vt illud idem instans sit vltimum respectu sui non esse: tempore enim immediatè sequenti ad illud verum erit dicere, quod erit, atque adeò, quod incipiet per vltimum sui non esse.

Quartus denique: Res nunc primò non est, immediatè ante erat, quo significatur modus desitionis extrinsecæ, quo res in instanti suæ desitionis ita non existit, vt verum sit dicere, quod immediatè ante illud instans extiterit, atque adeò quod desinat per primum sui non esse.

Ex quibus patet vnũ, & eidem rei, vel vnum, vel alterum modum incipiendi, & desinendi debere competere. Ex suppositione quod neq; semper fuit, neq; semper erit, quia posito quod incipiat, fuit desinat esse in instantibus, quibus eius duratio concluditur; vel est, vel non est, si primum incipiet, & desinet intrinsecè: si secundum extrinsecè. Ex quo vlterius deducitur implicare omninò contradictionẽ in hac via, quod idem vtrumque modum incipiendi, & desinendi defactò simul habere possit: quia impossibile est, quod in eodem instanti aliquid simul sit, & non sit: alterutrum enim talium necessariò de eo verificari debet, vt de se constat.

7 Obijcies primò: non potest assignari, cum pro terminis inceptionis, ac desitionis rerum, quæ incipiunt, & desinunt extrinsecè, non assignentur illa tempora immediata ad illa instantia, in quibus verũ est dicere, quod res illæ vltimò, vel primò non sunt, ergo dicta diuisio non est necessaria.

8 Respondeo negando antecedens, & dico rationem huius rei esse illam, quam superius assignaui, etenim ex vna parte tempora immediata illis instantibus diuisibilia sunt in partes priores, & posteriores: ex alia verò termini inceptionis, ac desitionis esse debent indiuisibiles: alioquin si in partes priores, ac posteriores diuisibiles essent, sequeretur, quod res non inciperent in toto termino suæ inceptionis, neque in toto suæ desitionis

nis termino desinerent: *in partibus enim posterioribus talium terminorum incepisse iam, ac desijsse existimandæ essent. vnde fit*, vt neque dici possent primò, vel vltimò non esse in dictis terminis; semper enim per prius non fuissent in anterioribus partibus, quam in posterioribus.

9 Objicies secundò ex P. Arriaga *in phyſc. diſp. 26. ſect. 12.* vbi malè sentit de hac diuersitate incipiendi, & desinendi, quia putat, quod omnis res incipiat intrinsecè per primum sui esse in eo instanti, in quo primò est, & extrinsecè per vltimum sui non esse *in instanti* immediatè antecedēte, Item *desinat* intrinsecè per vltimum sui esse *in eo instanti; in quo* vltimò est: nec non etiam extrinsecè per primum sui non esse in instanti immediate sequēti. Quoniam verò hic modus disserendi est Zenonistarum, atque adeò contrarius receptissimę doctrinæ Aristotelis de Compositione continui, à qua in fine sectionis sibi non licere recedere profitetur: Aliqua adducit argumenta, quibus ostensit in via Aristotelis, quantum ad hoc punctum attinet, non benè discurri. quæquidem argumenta insoluta relinquit, ingenue *numero* 254. fatendo, non occurrere sibi solutionem. Ex eis vnum tantùm in præsentia proponam, nam cætera, vel nullius sunt momenti, vel inferius adducentur. sic ergo *numero* 244. discurrit. Certum est enim successiua incipere extrinsecè per vltimum sui non esse, vti etiam nos dicemus *Sectione sequenti*. Quod autem in sententia Peripateticorum etiam *incipiant* per *primum* sui esse, probat sic. Incipere per vltimum sui non esse consistit in eo, quod verum sit dicere. Nunc non est motus; immediatè post erit; ergo immediatè post illud, nunc verum erit dicere de præsenti: nunc est motus, immediatè antea non erat. sed hic est modus incipiendi intrinsecè; ergo de rebus successiuis etiam modus incipiendi intrinsecè verificabitur. In hoc discursu primam consequentiam, quæ sola probatione eget, sic suadet. Omnis propositio, vel de præterito, vel de futuro resoluitur per suam de inesse, idest de præsenti; ergo, si hæc vera est: nunc non est motus, immediatè post erit: poterit immediatè post vere dici, nunc est motus. Siquidem hæc propositio æquiualet priori mutata tantùm futuritione in existentiam actualem. Idem argumentum potest fieri mutatis terminis pro desitionibus. Quod quidem adeò celebratur à Quiros *disp. 68. num. 63.* vt eo dicat maximè Aristotelicos reijci, & quidem, vt fatetur Arriaga, insolubiliter. Verum ego in eo nihil soliditatis inuenio; quare.

10 Admisso quod entia successiua incipiant extrinsecè per vltimum sui non esse, ad argumentum respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens; ergo immediatè post illud nunc verum erit dicere de præsenti: nunc est motus, immediatè antea non erat. sumpto nunc secundùm communem hominum acceptionem, cōcedo. sumpto nunc in rigore philosophico, nego consequentiā. Ad cuius probationē item concesso antecedente, nego consequentiam in sensu intento; & dico particulam, *nunc*, in communi modo loquendi significare diuisibile tempus. dicere enim solemus: nunc comedo, nunc scribo, quæ sunt actiones necessario in tempore diuisibili faciendę. At *in rigore philosophico* significat solùm instās indiuisibile. porrò sicuti quando dicitur, quod propositiones de præterito, vel de futuro resoluuntur in propositiones de præsenti, par particulam de præsenti non significamus instans indiuisibile: alioquin ad verificandam hanc propositionem. Immediatè post diem Sabbathi erit dies Dominicus, necesse foret, quod dies dominicus existeret in instanti, quod est ridiculum: ita etiam quando dicitur, quod immediatè post illud, nunc, verum erit dicere de præsenti. Nunc est motus: immediatè antea non erat. hoc verum erit, sumpto nunc pro tempore, præsenti iuxta communem hominum acceptionem, iuxta quam intelligenda est Aristotelis doctrina de propositionibus. Contra verò quādo in assignandis terminis inceptionis, & desitionis Peripatetici vsurpant particulam, nunc; eam sumunt in rigore philosophico, prout solum instās indiuisibile adsignificat. ex quo patet falsum esse id, quod auctor nobis opponit *numero* 146. nos scilicet ponere vnam propositionem de futuro veram affirmantem futurum id, quod nunquam erit. siquidem quādo dicimus immediatè post erit motus, non intelligimus quod erit instantaneè: hoc enim implicat, sed quod erit successiuè, quomodo erit, atque adeò affirmamus motum futurum esse successiuum, qualis reuera erit, non verò instantaneè qualis non futurus erit.

Objicies tertiò: præter duos dictos modos, datur quidam tertius incipiendi, & desinendi in tēpore indeterminato; ergo tradita diuisio est insufficiens. Antecedens probatur, quia potest res incipere, vel desinere in tempore non determinato, sed indeterminato ante aliquod instans, quod assignetur, ita vt nulla pars antecedentis temporis sit assignabilis, in qua tota sit, vel non sit res, sed in minori, & minori in infinitum ante illud instans; ergo &c. Antecedens suadetur. posito quod Deus præciperet alicui iusto, vt ante aliquod determinatum instans, v.g. mortis, actum Charitatis eliciat, tunc si hic non obediret ante mortem, vtique peccaret, & perderet gratiam. At qui huiusmodi peccatum nō posset incipere in instanti mortis, quia, sic toto vitæ tempore fuisset in gratia, & per consequens deberet saluari in eo instanti. neque in aliquo instanti antecedente determinato, quia inter hoc instans, & instans mortis daretur tempus determinatum, in quo posset homo actum Charitatis elicere. neque in tempore aliquo determinato, quia assignata qualibet parte dicti temporis, non obligat pro tunc præceptum illud, quia potest semper in minori tempore adimpleri; ergo dicendum est quod inciperet in tempore indeterminato, & quod tempore item indeterminato desinat gratia. 11

Ad hoc argumentum negandum est cum communi sententia antecedens cum sua probatione. Ratio autem, ob quam hic modus incipiendi negatur, est, quia implicat contradictionem, quod aliqua res nouiter de non esse transeat ad esse in tēpore, & id non præstet in determinato tempore. Cum enim existat, & non in tota hora v.g. debet necessariò esse assignabilis determinatè pars horę, in qua non existit, & pars in qua existit; siquidem sufficientissimus est transitus rei de non esse ad esse, ad distinguendum extrinsecè vnam partem temporis 12

Digitized by Google

poris ab alia, vt patet in reliquis, & confirmatur, quia implicat, quod aliquid incipiat existere à parte rei, & quod Deus non videat determinatè, quando nam incipit. Cum enim nequeat transire de non esse ad esse sine eius concursu, impossibile esset, quod Deus ipse nesciat, quando exibitio sui concursus sit præcisè necessaria ad illud ponendū; ergo de necessitate in tempore determinato existere debet. Quoniam verò eadem est ratio de desitione, sequitur hunc modum incipiendi, & desinendi in tempore indeterminato esse fictitium, æque repugnans. Ad casum autem, qui in contrarium affertur, respondent aliqui primò, illum negando, dicunt enim semper dari determinatam temporis particulam, in qua homo totaliter vel malè, vel benè possit operari, non autem partim benè, & partim malè. Cuius rei rationem assignāt, quia alioquin sequeretur, quod posset Deus præbere successiuè concursum ad infinita exercitia libertatis distincta, intra aliquod certum tempus, hoc autem absq; eo quod tempus illud ad indiuisibilia redigendum sit, fieri nequit; quod implicat. Vnde deducunt hominem illum, qui omittit actum amoris in particula temporis determinata peccare, & amittere gratiam; ita vt dici de eo possit: nunc vltimo non peccat, & habet gratiam, immediatè post peccabit, & carebit gratia.

13 Sed hæc responsio corruit, si eius sequela distinguatur, dicendo: Ex eo quod non detur determinata pars temporis, qua homo totaliter vel benè, vel malè possit operari, solùm sequi, quod Deus possit præbere successiuè concursum ad infinita exercitia libertatis syncategorematicè accepta, hoc est, vel ad hoc, vel ad illud, vel ad aliud, ad quod se determinabit voluntas in minori, & minori tempore in infinitum: non autem ad infinita categorematicè, quia ad illa minimè potest se determinare voluntas; & sic non sequitur quod tempus illud ad indiuisibilia redigendum esset.

14 Respondent alij secundò cum Lugo *de Sacram. disput. sect. 6.* negando item casum: rationem assignāt quia de natura præcepti est ligare subditum ad aliquid determinatum, ita vt aliquando sit verum dicere: nunc peccat, si non obedit. at in casu posito in nullo instanti, & in nulla parte illius temporis esset ligatus homo, sed in quilibet esset liber ad operandum, vel non operandum; ergo &c.

15 Sed contra hanc responsionem facit: quia nulla est repugnantia in eo, quod homo sit obligatus ad aliquod opus temporaneum cum quadam latitudine temporis, ita vt in sua potestate sit hoc, vel illo tempore illud efficere. ergo neque erit repugnantia obligare illum ad aliquod opus instantaneum cum quadam etiam temporis latitudine, quod enim non habeat determinatum instans ex infinitis assignabilibus: ex una parte fauet libertati, ex alia verò non effugit obligationis ligamen quamuis enim non habeat illud ratione cuius dici possit: nunc peccat, si non obedit nunc habet tamen aliud ligamen, ratione cuius teneretur eligere aliquod instans horæ vtg. præter vltimum ad exequendum mandatum iniunctum.

16 Respondet tertiò P. Coninch. *de Sacram. dub. 4. num. 58.* Casum esse possibile, sed hominem peccaturum in aliqua parte determinata temporis: ait enim hominem non posse in qualibet parte minori, & minori operari, sed propter suam hebetudinem sibi vendicare determinatam quandam portionem temporis, necessariam ad actū aliquem eliciendum; ita vt non possit in parte minore. & sic peccatum eius incipere, quando incipit illa determinata pars, & non ponitur actus. Sed cōtra est, quia homo propter suam ariditatē, & hebetudinem non potest in parte temporis minore, & minore ponere actum præceptum: supponamus dari dictum præceptum Angelo, quem certum est posse operari immanenter in instanti: profectò integra in hoc casu perseuerat difficultas.

Respondent denique alij tertiò, concessa possibilitate casus, dicendo dictum hominem, siue Angelum peccare in vltimo instanti extrinseco temporis, assignati ad implectionem præcepti, prout connotat indiuisibiliter totum illud tempus præcedens cum negatione actus præcepti. Ad rationem autem in contrarium adductum non esse absurdum, quod aliquis in toto vitæ tempore fuerit in gratia, & in instanti mortis ea primò priuetur: quia cum vixit illam habuit in corrumpi, hoc est cum onere, quod posita libera negatione continuata actus præcepti vsque ad illud instans, eam deperdat. Atque hanc ego responsionem probabiliorem existimo, quia censeo non esse negandum perfectissimo, & absolutissimo dominio Dei illum modum præcipiendi, cum non appareat in eo manifesta implicantia, vt satis vidimus. Neque dicas repugnare, quod homo incipiat peccare in eo instāti, in quo nō est liber ad peccandū, & nō peccādū. quia quemadmodū hora in esse horę cōpletæ incipit in vltimo instanti, prout connotat partes temporis successiuas præteritas, vt in sequenti Sectione dicemus, quamuis in vltimo instanti nihil successiui temporis esse possit: ita peccatum dicti hominis potest rectè incipere in vltimo instanti, prout connotat contiuuam cārentiam liberam actus præcepti, quamuis in eo instanti homo non habeat amplius libertatem ad non peccandum est enim par ratio.

SECTIO SECUNDA.

Quando incipiunt, & desinunt res successiuæ.

18 RES, quę incipiunt, & desinunt, vel successiuę sunt, vel permanentes, nunc de successiuis: in Sectione verò sequenti de permanentibus. Sed successiuarum rerum quædam sunt indiuisibiles successiuę, quę scilicet successiuitatem in suo conceptu includunt, vt motus, loci, alteratio, tempus, & cætera huiusmodi. Quædā verò successiuę per accidens successiuitatē habent, cōstabilitę sunt illę formæ, quæ dicuntur permanentes successiuę tamen acquiruntur, vt forma caloris, & ignis, & quibus prænotatis sit.

19 Prima conclusio: Res successiuę incipiunt, & desinunt extrinsecè: est communis, & probatur quia essentia rei successiuæ est, vt nulla eius pars sit tota simul, ita vt instanti alicui correspondeat. Successio enim exercetur in tempore, ex

go

ergò res successiua non potest incipere per primum sui esse, ac per vltimum sui esse desinere; & consequenter de ea verificari non potest, quod in aliquo instanti primo, vel vltimo existat, qui sunt modi inceptionis, & desitionis intrinsecæ. Incipiet igitur, & desinet per vltimum, & per primum sui non esse. Patet tamen hoc in motu locali, de quo non possumus affirmare quod fiat in instanti, bene igitur dicetur, quod instans inceptionis, ac desitionis sit illi extrinsecum.

20 Obijcies: Quies opposita motui successiuo incipit intrinsecè; ergo & motus successiuus. Consequentia patet, quia tunc propriè subiectum quiescit, quando ita non mouetur, vt possit moueri. Antecedens verò probatur, quia inter priuationem, & habitum non datur medium negatio enim, & forma se habent veluti contradictoria, respectu subiecti. Cum igitur quies motui priuatiuè opponatur, si mobile in instanti non mouetur, sequitur manifestè, quod eius quies sit in instanti: & per consequens quod incipiat intrinsecè.

21 Respondeo negando antecedens: ad eius probationem dico, quod priuatio dupliciter potest comparari ad formam, cuius est priuatio: primò vt mera eius negatio, & sic verum est antecedens, cum sua probatione. secundò, vt vera priuatio, ita vt nunc concipiatur esse in subiecto, quando subiectum habere potest formam oppositam, & sic est falsum, ex quo patet responsio ad consequentiam, si enim quies sumatur vt mera negatio, oppositio modo incipit ac motus: at si sumatur, vt priuatio, similes habet inceptionis, ac desitionis terminos, scilicet extrinsecos.

Instabis, quando incipit motus non est motus, 22 igitur tunc est quies: Consequentia patet, quia quies non amittitur, nisi per motum.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, cuius probationem distinguo: quies non amittitur, nisi per motum in tempore, concedo: in instanti, nego; siquidem in instanti puto, quod amittatur per ipsum instans, per quod nequit concipi in ratione quietis. Quod si Aristotiles 6. *physic. text.* 31. docet, quod illud quiescere dicitur, quod ita se habet nunc ac antea: intelligendus est de duratione, & continuatione in quiete, non autem de eius inceptione.

23 Secunda Conclusio: Res per accidens successiuæ, vt sunt formæ, tum substantiales, tum accidentales, quæ per motum successiuum acquiruntur, ac deperduntur, incipiunt, & desinunt extrinsecè.

Probatur, quia huiusmodi formæ ratione productionis, atque corruptionis successiuæ induunt successionem, ac motui successiuo respondent, sicuti igitur motus incipit, & desinit extrinsecè, ita etiam & illæ.

24 Obijcies: Corruptio successiua formarum est in tempore; ergo incipit extrinsecè, ita vt verum sit dicere: nunc vltimò non est corruptio caloris. ergo immediatè post erit. Sed hæc propositio æquiualet huic: nunc vltimo est calor, postea non erit, quod est desinere intrinsecè. res igitur per accidens successiuè desinunt intrinsecè, & non extrinsecè.

Respondeo, concesso primo enthymemate, distinguendo subsumptum: hæc propositio: Nunc vltimò nō est corruptio caloris, immediatè post erit; æquiualet huic: nunc vltimò est calor, immediatè post non erit, si loquamur secundùm se, concedo: at sumpto calore secundùm quod per dictas propositiones à nobis intelligitur esse, & corrumpi, nego subsumptum, quia pro toto eo tempore, pro quo durat caloris corruptio, absolutè loquendo semper verum est dicere, quod sit calor; cum enim successiuè corrumpatur, secundùm aliquas partes sui potest non existere: existere verò secundùm alias, absolutè tamen loquendo dici debet, quod existat, sicuti etiam existere dicitur motus, cui ipse calor in corrumpi assimilatur; cum quo tamen stat, quod sumpto calore secundùm suum esse completum, & determinatum v. g. vt quatuor, vel vt octo, subsumptum verum sit, vt ex sequenti conclusione constabit. 25

Tertia Conclusio: Res siue in se, siue per accidens successiuæ, si secundùm suum esse determinatum, atque completum accipiantur, incipiunt, & desinunt intrinsecè. 26

Probatur, quia hoc modo sumptæ, huiusmodi res non sunt in tempore, in quo partes illarum successiuè producuntur, sed in instanti, in quo vltimum complumentum intelliguntur habere. 27

Confirmatur, quia hora vt completa non habetur, nisi in instanti terminatiuo eiusdem horæ, in quo solo verum est dicere: nunc primo est hora, in esse horæ; immediatè antea non erat; ergo res successiuæ si determinatè sumantur, incipiunt intrinsecè. quoniam verò huiusmodi terminus non est, nisi instans, quod immediatè post existere nequit, hinc fit, vt de eadem hora completa in eodē vltimo instanti terminatiuo verificetur, quod tunc vltimò sit: immediatè autem post nō sit; ergo desinit intrinsecè. Idem dico de calore, qui per accidens est successiuus. Calor enim vt quatuor in esse caloris vt quatuor, non habetur productus, nisi in instanti terminatiuo calefactionis, vt quatuor; ita vt verum sit dicere: nunc primò est calor vt quatuor, immediatè antea non erat vt quatuor. quod si tempore sequenti eiusdem calefactionis huius caloris corruptio subsequatur; verum etiam erit dicere pro ipso eodem instanti: nunc vltimo est calor vt quatuor, immediatè post non erit vt quatuor: sumptus igitur secundùm esse determinatum, & completum, Calor incipiet, & desinet intrinsecè.

SECTIO TERTIA.

Quomodo incipiant, & desinant res permanentes.

28 PRimā Conclusio: entia permanentia indiuisibilia, cuiusmodi sunt Angeli, & animæ rationales, quę per creationem producuntur, & corrumpuntur per annihilationem, connaturaliter loquendo, & spectata eorum exigentia, debent incipere, & desinere intrinsecè. possunt tamen diuinitus extrinsecè,

29 Prior pars huius Conclusionis probatur: quia cum huiusmodi res sint indiuisibiles accommodatam sibi inceptionem exposcunt: & posito quod Deus eas nolit amplius conseruare accommoda-

Digitized by Google

tam sibi desitionem. sed accommodata eorum naturis inceptio est intrinseca, vtpote indiuisibiliter ponens rē totam simul: ergo & idem dicendū de desitione. Hæc enim accommodari debet inceptioni; sicuti ergo huiusmodi res incipiunt intrinsecè, ita vt desinent. Confirmatur, quia res, quæ successiuè per motū fiunt, incipiunt, & desinunt extrinsecè; ergo quæ totæ simul per creationem producuntur, debent contrario modo incipere, & desinere, sicut videbimus, quod incipiunt, & desinunt res instantaneæ. Posterior verò pars etiam suadetur ex eo, quia nulla potest assignari contradictio in hoc, quod aliquis Angelus immediatè post determinatum instans à Deo producatur in tempore, & quod post creationem conseruetur vsque ad aliquod determinatum instans exclusiuè; ita vt in eo instanti verificetur de eo; nunc primò non est Angelus: immediatè antea erat; ergo &c. Ex his autem colliges reliqua entia naturalia quantumuis diuisibilia, atque corporea, quę initio mundi producta fuerunt à Deo per creationem, connaturaliter loquendo, incepisse intrinsecè, itemq; si annihilarētur, ité intrinsecè cessatura: nil tamen repugnare quod inceperint extrinsecè, & sic etiam desinant. Patet hoc ex eo, quia cum per creationem producta sint, illi quantum ad inceptionem, & desitionē conformentur necesse est, imitando naturam rerum indiuisibilium.

30 Obijcies primò: Creatio debet à conseruatione distingui, sed nonnisi per hoc, quod in primo instanti sit ipsa creatio, in tempore verò sequenti conseruatio; ergo creatio intrinsecè solùm incipere poterit.

Respondeo, distinguendo maiorem: debet creatio à conseruatione distingui realiter, nego: formaliter, & penes connotata, concedo maiorē: sic nego minorem, & dico creationē per hoc à conseruatione sufficienter distingui, quod per creationem res, quæ non erat, intelligitur incipere esse ex nihilo: per conseruationem autem res, quę erat, in suo esse perseuerare.

31 Instabis: Acceptio esse ex nihilo nō potest coexistere tempori diuisibili; ergo creatio non potest incipere extrinsecè. Consequentia patet; antecedēs probatur, quia dum creatio coexistit tempori, secundum quod coexistit posteriori parti ipsius tēporis non est amplius creatio, quia non connotat amplius immediatè antea negationem, seu nō esse rei creatę, neque est prima acceptio ipsius esse.

32 Respondeo primo distinguendo antecedēs. Acceptio esse ex nihilo realiter sūpta nō potest coexistere tēpori diuisibili, nego, formaliter accepta, concedo antecedēs, & nego consequētiā. Ad probationē antecedentis dico, quod actio illa productiua Dei, quæ fit in tēpore, nō habet rationē creationis, quatenus intelligitur coexistere tēpori: sed quatenus indiuisibiliter sumitur, præscindendo à coexistentia cū ipso tempore, & connotādo solum transitū creaturæ de nō esse ad esse. quod idē proportionaliter de extrinseca annihilatione dicendum est; si enim sumitur, ipsa annihilatio, prout tēpori coexistit, non habet conceptū annihilationis. At si sumatur prout dicit rationem tranitus de esse ad non esse cum præcisione à tempore, cui coexistit, dico quod habeat.

33 Respōdeo secundò negādo antecedēs. Ad cuius probationē dico, quod tēpus immediatè post instans extrinsecā creationi, potest dupliciter considerari. primò non distinguēdo in illo partes, sed coparādo illud ad instans, seu tēpus primū vt totū quid, & sic actio, quæ fit in eo, habet conceptū creationis: secundò considerando distinctè in eo partē, & partē priorē, scilicet & posteriorē, & sic actio, quæ fit in illo, secundū quod correspondet posteriori eius parti, habet conceptū conseruationis; secundū verò quod priori correspondet, creationis. Quod idē dicendum prorsus est, si in illa priori parte, partes priores, & posteriores concipiantur.

Instabis iterum: de ratione creationis est, quod 34
transire debeat in conseruationē; ergo debet assignari instans, in quo conseruatio incipiat. sed hoc fieri nequit, si creatio incipit extrinsecè; ergo &c.

Respōdeo primò iuxta priorē viā, cōcesso primo enthymemate, negando subsūptū. Dico n. quod idē instans extrinsecū est terminus tū creationis, tū conseruationis, cū quadā tū prioritate, & posteriōritate rationis, nā quatenus immediatè post illud Angelus habet esse primò cū præcisione à tēpore, quod consequitur, est terminus creationis: quatenus verò in signo immediatè post illud idem Angelus intelligitur coexistere tempori, est terminus conseruationis eiusdem.

Respondeo secundò iuxta secundā, Cōcesso an- 35
tecedēte, negando consequētiam, si semel sit de instanti determinato, ita enim Angelus creatur in tēpore: vt in quocumque instanti, prius, & posterius assignabili in ipso tempore indeterminatè possit concipi eius conseruatio.

Obijcies secundò: non potest res successiua vt 36
successiua incipere in instanti intrinseco; igitur neque permanens, & indiuisibilis, sicuti est Angelus in extrinseco, scilicet in tempore.

Respondeo paritatē inter rē successiuam, & indiuisibilē esse in eo, quod sicuti res successiua secundū partes suas nō potest existere in instanti: ita neq; res indiuisibilis per partes existere tēpori; tū potest fieri tota simul, tū in instanti, tū in tēpore: quia potest cum instanti, tū tēmpori coexistere: at res successiua nullo modo secundū aliquā sui partē diuisibilē coexistere potest instanti, vnde nō est mirum si non possit incipere intrinsecè.

Secunda Conclusio. Formæ omnes substantiales, 37
quæ indiuisibiliter producuntur, & requirunt determinatas dispositiones in subiecto, vt sunt animæ perfectorum animalium, incipiunt intrinsecè: desinunt verò aliquando intrinsecè, & aliquando extrinsecè, si connaturaliter loquamur.

Probatur quoad primā partē: quia imitari debēt inceptionē determinatarū dispositionū suarū, quæ per primum esse sui incipiunt in ratione entis determinati; & consequenter intrinsecè; ergo &c.

Quoad secundam verò partem probatur etiam, 38
quia forma immediatè succedens huiusmodi formis, aliquando determinatas dispositiones requirit in subiecto, vnde debet incipere intrinsecè. Cū autem non possint in eodem instanti duæ formæ simul in vno subiecto reperiri: sequitur, quod illud instans extrinsecū sit formæ corrumpendę; & consequēter quod dicta forma desinat extrinsecè. nec mirū, cum eius destructio fiat à natura per accidens, hoc est intuitu formæ sequētis: recta ratio postulat, vt eius productioni se accomodet in cessādo

ab esse

Digitized by Google

abesse; seu sit est incorruptibilis ab informatione materiæ. Contra verò forma, quæ debet succedere, aliquando non exigit dispositiones determinatas, atque adeò de eius dispositionibus verum erit dicere. nunc vltimò hæ non sunt sufficientes, quælibet autem maior dispositio, quæ immediatè post hoc instans sequitur, faciet illas sufficientes; in tali autem casu forma corrumpendo in illo instanti assignato erit in subiecto, immediatè autem post illud instans non erit, quia erit subsequens forma; desinet igitur in tali casu forma præcedens extrinsecè.

39 Tertia Conclusio: formæ omnes accidentales, quæ sine motu successiuo producuntur, in instanti regulariter loquendo incipiunt, & desinunt intrinsecè: diuinitus tamen possunt extrinsecè, vt patet ex dictis.

SECTIO QVARTA.

De inceptione, & desitione rei instantaneæ.

40 LIcet verum sit, quod instans propriè non duret cum nullam permanentiam in suo esse possit habere: non tamen ei negandi sunt inceptionis ac desitionis termini.

41 De quibus sit vnica Conclusio instans, & quæcumque alia res, quæ durat per instans, incipit, & desinit intrinsecè.

42 Probatur, quia do vnos & eodem instanti quando existit ex vna parte verum est dicere: Nunc primò est, immediatè antea non erat. Immediatè autem antea erat tempus habens partes priores, & posteriores; ergo incipit per primum sui esse. ex alia verò parte verum est tunc quoque dicere: hoc instans nunc vltimò est, immediatè post non erit, quia immediatè post sequitur tempus. desinit igitur per suum esse, cum autem quælibet alia res instantanea instanti ipsi assimiletur, sequitur quod etiam incipiet, & desinet intrinsecè, sicuti ipsum instans.

Obijcies primò: quando primò est instans non potest dici quod desierit. Igitur non desinit intrinsecè, quando scilicet primò est. Consequentia tenet, quia in rebus instantaneis idem est desinere, ac desijsse, sicuti in ijsdem rebus idem est fieri, & factum esse. 43

Respondeo: concesso antecedente, negando cõsequentiam; ad cuius probationem, nego antecedens, & assigno disparitatem. In tantum enim in instantaneis idem est fieri, ac factum esse, quia quando illa fiunt, cum fiant tota simul, verum est etiam dicere, quod facta sint. At quãdo desinunt cũ desinant intrinsecè per suum esse, non potest in eo instanti desitionis verificari de illis, quod non sint, quod significatur per ly, desijse, de illis igitur solum verificari potest, quod idem sit desinere, & desijsse quæ desinunt extrinsecè. 44

Obijcies secundò: res, quæ desinit, amittit esse: sed id, quod amittit esse, non potest tunc acquirere idem esse, igitur si instans incipit intrinsecè non poterit intrinsecè desinere. 45

Respondeo: amittere esse habere eamdem vim, ac habet desinere. quare amittere esse intrinsecè idem valet, ac habere esse, ita vt immediatè post connoretur negatio eiusdem esse: vnde concessa maiore, neganda est constanter minor, cum de amissione, & acquisitione intrinseca sermo sit.

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS
IN QVATVOR LIBROS
ARISTOTELIS
DE
COELO, ET MVNDO.

AGIT Philosophus in octo libris Physicorum de Corpore, habente naturam in communi; deinceps incepit agere de eodem in particulari, & ante omnia quatuor libros instituit, in quibus disputat de Corporibus simplicibus, de Cœlo scilicet, ac elementis, quæ prima Corpora appellantur: & primo quidem libro agit de mundi perfectione, & inceptione. In secundo de Cœlo, à quo tamquam à nobiliori obiecto sumitur horum librorum denominatio. In tertio denique ac quarto de elementis. Nos verò relictis ijs, quæ faciliora sunt, solùm difficiliora pertractabimus, Elementorum verò considerationem pro secundo libro de generatione reseruamus.

DISPVTATIO TRIGESIMA QVARTA
DE MVNDI INCEPTIONE.

SVppono mundum fuisse à Deo creatum in tempore; vt fide sancitum est; ex quo non sequitur Deum in tempore per nouum voluntatis actum voluisse de nouo id, quod per totam æternitatem noluerit: ab æterno enim voluit mundum creare pro eo tempore, pro quo illum defacto creauit. quæ voluntas licet fuerit antiqua; quia tamen semper eadem immutabiliter per totam æternitatem perseuerauit: non autem aliquando perijt, idcirco nouum effectum in tempore habere potuit; quem quidem effectum quando habuit, transiuit quidem de potentia extrinseca ad extrinsecũ actum, non autem intrinsecè aliquid, quod non habebat, acquisiuit; quod solùm arguit imperfectionem. intrinsecè enim Deus ab æterno ad intra perfectissimo modo per diuinas processiones se communicauit, quod sufficit ad rationem summi boni. nullam in se dicentis potentialitatem; sed hæc certa sunt apud Catholicos: dubium tamen est, vtrum potuerit aliquid Deus ab æterno creare, siue permanens, siue successiuum. Nos in prima Sectione de creatura permanente, in secunda, & tertia de successiua.

SECTIO PRIMA.
An mundus potuerit esse ab æterno quoad entia permanentia.

NOstra Conclusio est affirmatiua; & eam defendit Sanctus Thomas *opusc. 27. quæstio. II de potentia art. 14. prima parte quæst. 46. art. 2. ad primum, & alibi*, quem sequuntur omnes ferè Thomistæ cum Suario, Vasquez, Molina, Valentia, Pererio, Arriaga, & alijs, docentibus creaturam permanentem potuisse à Deo fieri ab æterno contra D. Bonauenturam, Albertum, Toletum, & alios oppositum sentientes, quos sequitur Quiros

Digitized by Google

ros *disputatione 68. sectione 2.*

2 Probatur primò, quia huiusmodi creatura permanens, ab æterno creata, nullam inuoluit implicantiam; ergo &c. Antecedens constabit ex solutionibus argumentorũ, & vlteriùs confirmatur ex eo, quia conceptus creaturæ stare potest cum æternitate à parte post; ergo & cum æternitate à parte ante. Stante enim duratione illius ab æterno; habetur, quod à Deo dependeat in suo esse, sitque ens à primo ente participatum; cum præsertim huiusmodi duratio nulla addat creaturæ perfectionem intrinsecam, sed solam extrinsecam, ratione coexistentiæ cum primo ente.

3 Probatur secundò: quia causa, quæ est productiua effectus sine motu successiuo, potest esse simul duratione cum illo, vt patet ex Sole respectu lucis, & ex essentia respectu suarum proprietatum; neutra enim antecessit tempore primum effectum suum. Atqui Deus potuit sine successione entia permanentia producere; ergo potuit illa ab æterno creare.

4 Quæstus *contra. 19. physic. sect. 1. numero 40.* ait, per hoc argumentum non tradi rationem adæquatam ad nostram sententiam cõfirmandam; eo quod posset aliquis dicere productionem effectus solùm repugnare independenter à præsentia temporis. Cum autem dictam præsentiam habuerit lumen, quando primum creatus est Sol; idcircò potuisse incipere esse simul cum Sole; & hinc deduci Deũ debuisse expectare transitum æternitatis à parte ante, vt aliquam produceret creaturam; non quia effectus omnis debeat essentialiter esse posterior tempore suæ causæ. Sed contra est. peto enim quid hoc dictum importet; Independenter à præsentia temporis repugnare productionem effectus; nisi quod effectus per se, & essentialiter petat fieri in tempore? atqui hoc in casu nostro idem prorsus est, ac non posse fieri ab æterno: cum autem nostra controuersia sit, vtrum possit, vel non possit ab æterno fieri: manifestè deducitur hanc responsionem nullius ferè esse momenti, & licet non verbis, in rei tamen veritate petere principium.

5 Probatur tertiò: Deus ab æterno liberè se determinauit ad producendum Gabrielem v.g. in tempore; ergo potuit eundem ab æterno producere: antecedens patet, quia decreta libera fuerũt in Deo ab æterno. Consequentia probatur, quia non aliam ob causam negant aduersarij Deum potuisse Gabrielem ab æterno producere, nisi quia Gabriel ita debet esse, vt potuerit non esse, quippe qui habet esse contingens. sed hoc idem in terminis verificatur de ipso actu libero Dei, accepto in ratione liberi, & hoc non obstante potuit hic esse ab æterno; ergo &c.

6 Obijcies primò Arist. 3. *physic. tex.* 25. vult in æternis non differre esse, & posse: & *secundo de gen. tex.* 70. Ipsum ex necessitate, & semper; esse simul; ergo nulla creatura potuit esse ab æterno. Consequentia patet, quia omne ens creatum per se dicit essentialiter potentialitatem, & nullum ex necessitate habet esse.

7 Respondeo: duplex posse distingui genus rerum æternarum: quædam enim res ita est ab æterno, vt hoc exigat ab intrinseco, huiusmodi est solus Deus. Quædam verò ita, vt nullam dicat huiusmodi exigentiam; sed quantum est de se exigat esse in tempore; & sic se habet quælibet creatura. Porrò Aristoteles locis citatis exponendus est de re æterna primi generis; non negauerim tamen quod creatura posito, quod habuit esse ab æterno, necessariò debeat à Deo per æternitatem à parte ante conseruari: quæ necessitas est solũ ex suppositione, oriturque ex sola ratione æternitatis vt sic, per quam tollitur potentia ad essendũ, & non essendum in æternitate. Dixi per æternitatem à parte ante, quia in tempore potuisset illam Deus postea prius, & prius tempore pro libito annihilare.

8 Obijcies secundò. Creatio est productio rei ex nihilo ergo non potest fieri ab æterno; Consequẽtia patet. quia posito, quod nihilum creaturę debet præcedere creationem, impossibile est, vt ipsa creatura sit ab æterno, siquidem præcessit illam in æternitate negatio sui.

9 Respondeo: illud ex nihilo in definitione creationis non significare nihilũ rei, quæ creatur, quasi verò debeat ante creationem præcedere tamquam terminus à quo negatio creaturæ, sed significare nihilum subiecti, vel alicuius sui præsuppositi, ita vt sensus sit; quod creatio sit productio rei independenter à subiecto præexistente, seu productio rei, & nõ ex aliquo sui præsuppositi; quod vltimum addo ne creationis definitio competat processioni Verbi diuini, quæ processio, licet sit productio Verbi ex nihilo subiecti: præsupponit tamen suo modo naturam diuinam in Patre, quæ per generationem ipsi Verbo communicetur, atque adeò est aliquid ipsius Verbi. Quod si quis particulam, ex nihilo, in definitione creationis habitudinem etiam termini à quo importare contendat: dico ea, solam creationem, quæ de facto fuit in tempore, & quę est cum nouitate essendi, definiri. Porrò si creationem secundùm se, quatenus præscindit ab ea, quæ est in æternitate: & quę in tempore fit, definire velis, dic eam esse effectionem rei ex nihilo subiecti. Verbum autem diuinum, cum non habeat respectu Patris rationem effectus, nulla effectione produci. non displicet, quod addunt Suarez, & Vasquez, scilicet particulam, ex nihilo, in communi definitione, etiam si importet habitudinem termini à quo, posse tamen intelligi de creatione ab æterno, quatenus nihilũ rei creatæ ab æterno concipitur prius natura ipsa re creata; non quidem actu positiuè, & sine addito, sed potentia, priuatiuè, & cum addito; quatenus omnis creatura quantum est de se, & sibi relicta, habet non esse, ita quod dictum non esse actu debuisset illam præcedere: nisi Deus, producendo illam ab æterno, aliter decreuisset.

10 Instabis: annihilatio non priuatiuè solùm, sed positiuè prærequirit existentiam in re annihilanda; ergo cum creatio sit opposita annihilationi, debet positiuè præsupponere negationem existentiæ rei creandæ.

11 Respondeo concesso antecedente, negando cõsequentiam; non enim est necesse, vt annihilatio in omnibus opponatur creationi, sed ei sufficit hęc oppositio, vt sicuti ipsa est amissio totius esse: ita creatio sit acquisitio eiusdem esse totalis. Porrò ideo annihilatio præsupponit positiuè existentiam rei, quia essentialiter in ea destruenda versatur: at productio, cuiusmodi est creatio, per se loquę-

do

do, non occupatur in non esse rei producendæ (vt patet ex productione diuini Verbi, quæ non importat tamquam terminum, à quo, non esse eiusdem:) sed in communicando esse totaliter consistit; quod si aliquando connotat non esse rei, per accidens est, quia scilicet, fit in tempore.

12 Obijcies tertiò: Creatio debet essentialiter à conseruatione distingui; sed creatio ab æterno distinctionem hanc habere nequit; ergo &c. maior patet; minor probatur. quia per nihil aliud conseruatio à creatione distingui potest, nisi quia creatio sit prima acceptio esse connotans, non esse tamquam terminum à quo: conseruatio verò sit continuatio in esse per creationem accepto: At prima acceptio esse haberi nequit in æternitate; ergo &c.

13 Respondeo de hac re satis me egisse *Disputatione præcedente sect. 3.* nunc autem breuiter nego minorem; & ad eius probationem, nego maiorē, ac dico de essentia creationis esse acceptionem existentiæ ex nihilo sui, ita vt nihil sui præsupponat siue sit pars materialis, siue essentia ipsa existens. quod si debet connotare non esse rei creatæ, tam quam terminum à quo, id intelligi debere aptitudinaliter, seu modaliter, nō verò actualiter, & absolutè, vti diximus.

14 Pater Ouiedus agens de hac re *Sect. 1. citata numero 6.* docet: in his, quæ ab æterno producuntur, neque mente diuina posse fieri productionem à conseruatione; cuius rei rationem assignat, quia (inquit) productio, vt distincta à cōseruatione dicit primum instans, in quo existit terminus; quod non haberetur in termino ab æterno producto; quod ipsum docuerat Capreolus *in secundo dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 4.* Verum hoc dictum potest intelligi dupliciter. primò de distinctione ex parte obiecti, ita vt sensus sit in his, quæ ab æterno producuntur, non posse mente distingui aliquod instans, in quo intelligantur solùm creari, & aliud, in quo intelligantur solùm conseruari, & in hoc sensu est verissimum, quod dicitur, & eius ratio hoc suadet. Secundo de distinctione ex parte actus, quasi verò in his, quæ ab æterno producuntur, non possit intellectus concipere creationem præscindendo à conseruatione, & in hoc sensu est falsum; quia sicuti dictæ res verè ab æterno creantur, & conseruantur: ita nil repugnat, quod intellectus concipiat earum creationem, quatenus importat productionem ex nihilo, modo explicato, cum præcisione à conseruatione importante durationem inesse accepto. non negauerim tamen creationem sub illo conceptu non venire, quatenus factam ab æterno; Sed cum præcisione à tempore, & æternitate; quod si quatenus sic facta sumatur: id efficit æternitati à parte ante, vt semper in dicta æternitate assignabile sit à parte post tempus aliquod finitum maius, & maius in infinitum, in quo possit intelligi conseruatio eiusdem creaturæ, à creatione distincta.

15 Obijcies quartò: si Deus potuisset creare aliquam creaturam permanentem ab æterno, sequeretur, quod debuisset illam per vnam æternitatem necessariò conseruare. Sed hoc esset contra dominium Dei; ergo &c. Sequela patet, implicat enim quod aliquid ab æterno existat, & finito tempore duret, quia sic tota æternitas finito tempori esset commensurata, & duobus terminis claderetur. Minor verò probatur, quia de ratione creaturæ est defectibilitas, ita vt pro quolibet instanti destruibilis sit à Deo.

Respondeo, concessa sequela, nego minorem: 16
quia quemadmodum non est contra dominium Dei, quod creatura ex suppositione, quod existat in aliquo instanti, non possit à Deo in illo eodem instanti destrui, eo quod illa suppositio includit decretum Dei de ea tunc conseruanda: Ita nequaquod creatura ex suppositione, quod creetur ab æterno, non possit non durare per æternitatem, eo quod decretum illud Dei tanquam necessariò decretum de eius æterna conseruatione propter implicantiam oppositi. Ad probationem minoris dico nihil repugnare creaturam esse ex suis intrinsecis destruibilem, & per accidens ratione creationis, qua Deus decreuit eam ab æterno producere, esse indestruibilem per æternitatem. cum quo tamen stat, quod Deus potuisset eam destruere in tempore anteriori, & anteriori in infinitum in ea æternitate contento, prout se determinasset. Quemadmodum ex suppositione quod noluit mundum ab æterno creare, potuit eius carentiam destruere in tempore priore, & priore in infinitum eo, in quo de facto per temporaneam ipsius mundi creationem eam destruxit.

Obijcies quintò: si Deus potuisset creare aliquid ab æterno: ponamus, quod creauit ignem applicatum stuppæ. Tum sic: ignis combussisset stuppam in primo instanti, in quo poterat, & non combussisset illam in dicto primo instanti. Sed hæc sunt contradictoria; ergo implicat creatura permanens ab æterno. 17

Probatur sequela, & quidem quod combussisset in primo instanti, in quo poterat, patet ex eo quia esset agens necessarium. quod verò non combussisset, suadetur: nam hoc primum instans, vel fuisset ab æterno; vel in tempore. non primum, quia sic ab æterno illam combussisset, quod implicat, siquidem hoc pacto æternitas duobus instantibus concluderetur; hoc videlicet, in quo sumus: & illo: in quo facta fuisset combustio, quod quidem non nisi post temporaneam ipsius stuppæ existentiam extitisset. neque secundum quæ tamen tempora finita, quæ ab æternitate à parte ante cōtinentur, non datur vllum prius omnibus aliis, sed quolibet assignato, semper assignabile est aliud prius, & prius in infinitum: ergo falsum est, quod in primo instanti temporis eam combussisset. 2

Respondeo negando sequelam maioris, quæ procedit ex falsa suppositione. supponit enim in æternitate dari primum instans, quod tamen est euidenter falsum. Quare ad probationem dico, quod ignis non combussisset in eo casu stuppam in primo instanti, in quo potuisset, quasi verò daretur primum instans in æternitate, in quo potuisset eam comburere, sed expectare debuisset decretum Dei, quo determinaretur ad comburendum illam pro hoc potius instanti temporis, quam pro alio. quo decreto deficiente, ignis, vtpote indeterminatus, & incompletus, numquam posset comburere stuppam. eodem modo respondendum est, si quæratur quid fieret, si Deus creasset ab æterno lapidem in medio aeris: debuisset enim ille lapis ibi sistere per totā æternitatem, & non- 18 a b 7

nisi

nisi in tempore à Deo determinato descendere.

19 Objicies sexto: Omnis causa liberè agens debet prius indifferens intelligi ad agendum, & non ad agendum, quam intelligatur agere; ergo nulla creatura potuit à Deo fieri ab æterno. antecedens patet: probatur consequentia, quia in eo priori in Deus intelligeretur cum sua integra æternitate creaturam illam antecedere.

20 Respondeo, ad rationem causæ liberæ sufficere antecessionem naturæ, quatenus pro aliquo priori intelligi debeat indifferens ad operandum; non autem requiri antecessionem aliquam realis durationis; alioquin Deus non habuisset ab æterno actus liberos de creaturis in tempore creandis. Porrò in eo priori, quamuis non intelligatur effectus à nobis: realiter tamen loquendo iam est; ita tamen, vt simpliciter posterit, non esset quia prioritas illa solam dependentiam importat effectus à causa: distinguo igitur probationem consequentiæ, in eo priori Deus intelligeretur cum sua æternitate antecedere creaturam positivè, dicendo in ea antecessione negationem creaturæ, nego: sic enim falsa esset nostra cognitio. Intelligeretur antecedere creaturam præcisivè, in quantum scilicet, in ea prioritate intelligeretur eius æternitas independens à creatura, licèt hæc realiter defacto existat, concedo, & nego consequentiam. aliter respondent alij dicendo, in eo priori venire solùm ea, quæ constituunt Deum essentialiter in ratione causæ respectu creaturæ; ex quorum numero non est formaliter æternitas, sed omnipotentia; vnde negant absolutè assumptum.

21 Objicies septimò plurima loca Sanctorum Patrum, qui nō aliunde impugnant Arrium impiè existimantem Verbum diuinum esse creaturam, nisi quia Verbum fuerit ab æterno; supponebant igitur Patres creaturam nullo modo posse esse ab æterno.

22 Respondeo, Sanctos Patres in dictis locis, vel loquutos esse, prout defacto facta est creatio, in hunc modum: fide constat creaturas omnes in tempore à Deo fuisse productas; cum ergo ponatur Verbum Dei fuisse ab æterno, sequitur euidenter, quod non sit creatura: vel negasse creaturis æternitatem illam, quam concedebant Verbo; eam scilicet, quæ à principijs intrinsecis prouenit, & nullam ab extrinseco pati potest mutationem, qualis est illa, quæ competit soli Deo, & est incommunicabilis creaturæ.

23 Objicies octauò; huiusmodi creatura esset æqualis Deo in æternitate; ergo non est admittenda.

Respondeo distinguendo sequelam: esset æqualis Deo quantum ad materiale durationis, concedo: quantum attinet ad modum durationis, nego sequelam, & consequentiam; quamuis enim talis creatura à parte ante tamdiù duraret, quandiù Deus: duraret tamen dependenter ab illo, & modo sibi præternaturali, at Deus independenter à quocumque, & ex principijs intrinsecis.

SECTIO SECVNDA.

An mundus potuerit esse ab æterno quo ad entia successiua discreta.

24 DVo sunt genera entium successiuorum; alterum est discretorum, cuiusmodi sunt series generationum Hominum, Leonum &c. procedentiū per naturalem propagationem, sicuti defacto procedunt, alterum continuorum cuiusmodi sunt Motus localis, Alteratio, Tempus, &c. nunc loquimur de prioribus, in sequenti Sectione de Posterioribus.

25 Vnica Conclusio: implicat contradictionem mundum quoad series generationum rerum naturalium, quas continet, potuisse esse ab æterno. Ita Vasquez *prima parte disp.* 177. Hurtadus *disp.* 18. *sect.* 2. Arriaga *disp.* 17. *sect.* 1. Ouiedus *controuers.* 19. *puncto* 2. & alij, quos sequitur Quiros *loco cit.*

26 Probatur: si hominum generationes ab æterno fuissent; vel nullus homo ad hanc seriem pertinēs fuisset à Deo immediatè creatus, vel aliquis; non primum, quia generationes, & corruptiones præsupponunt materiam, de cuius potentia aducuntur formę, aut saltē si formæ spirituales sunt, vt in casu nostro, educuntur dispositiones, quæ ad eas introducendas necessariæ sunt; vel ergo materia, esset facta, vel non. Secundum dici non potest, quia materia non est à se, si primum, vel per actionem generatiuam à causis secundis, vel per creatiuam à solo Deo, non per generatiuam, vt ipsemet Aristoteles docet, si per creatiuam, ergo ante omnem generationem debuit esse creatio, ac proinde generationes non fuissent ab æterno, quia data fuisset prima generatio post creationem materiæ. Si verò dicatur aliquis homo primus immediatè creatus à Deo, idem sequitur, vt constat ex hoc discursu. Inter productionem huius hominis, & alterius ab eo geniti, vel intercessit tempus finitum, vel infinitum, si infinitum; ergo series generationum, quæ ab hoc homine cēpit: inchoata est in tempore, transacta videlicet æternitate. Si verò finitum; ergo finitum tempus, additum finito, fecisset æternitatem à parte ante. Nam tempus, quo hic homo præcessit filium suum fuisse finitum, vti dicitur: & rursum tempus, quod inter huius generationem, & vltimam hodiernam intercipitur, fuisset etiam finitum, vtpotè ex vtraque parte terminatum, quæ cum manifestam contineant implicantiam: sequitur generationum series nō potuisse esse per absolutam Dei potentiam ab æterno.

27 Probatur secundò: Philosophus ex vna parte *secundo Physicorum tex.* 77. Probat contra Antiquos, quod etiam si Cœlum, seu mundus dicatur esse à casu; adhuc tamen esset necessarium ponere intellectum, aut naturam tamquam causam illius, quia casus cum sit causa per accidens, semper supponit causam per se, & *primo metaph. summ. prima cap.* 2. ostendit Deum habere perfectissimam rerum omnium scientiam, quia est earum causa, & 12. *metaph. tex.* 38. Cœlum, & naturam pendere à Deo. ex alia verò parte *primo de Cœlo tex.* 22. ait æternum & ingenitum conuerti. vnde infert mundum vtpote æternum non fuisse genitum. quod etiam docet *primo de Generatione tex.* 43. ex quo

dedu-

Digitized by Google

deducitur in eius sententia, mundum immediatè fuisse à Deo productum. Stando igitur in principijs Aristotelis, dicendum est series generationum rerum corruptibilium, saltem secundùm aliquod indiuiduum ad illas pertinētium, à Deo immediatè ab æterno productas fuisse. non enim dictæ series potuerunt habere diuersam conditionem ab ipso mundo. Sed sic non potuerunt esse ab æterno; ergo &c.

28 Dices. Aristoteles *primo Cæli tex.* 104. reprehēdit eos, qui dicebant mundum esse incorruptibilem, & simul esse factum; ergo falsum est Aristotelē putasse mundum fuisse immediatè à Deo efficienter productum.

29 Respondeo, negando consequentiam, & dico quod cum Aristoteles posuisset mundum ab æterno, contra Platonem, qui putauit eum fuisse factum in tempore: voluit abstinere à quibusdam locutionibus, ex quibus deduci poterat iuxta sua principia, temporanea eius productio; & ideo non facilè admittebat, vt notat Simplicius *comment. vltimo.* Deū esse causam efficientē illius, quia, ipse definierat causam efficientem 2. *physic. tex.* 29. & 50. *metaph. tex.* 2. principium vnde motus; potētiam verò actiuam *quinto metaph. tex.* 17. principiū transmutandi aliud in quantum aliud; & *primo de gener. tex.* 45. docuerat omne agens esse mouens. cum igitur voluerit mundum non fuisse productū per motum, neque per transmutationem non putauit Deum dicendum esse causam efficientem mundi, quia nomine causæ efficientis intelligebat solùm illam, quę effectum suum, vel successiuè, vel per transmutationem operatur; prout communiter videre solemus; cum quo stat, quod Philosophus putauerit mundum non fuisse à se, neque casu productum, vt quidam rudiores Philosophi putabant, sed immediatè à Deo tamquam à prima rerum omnium causa.

30 Obijcies primò: Creaturæ licet necessariò débeant à Deo immediatè pendere: non tamen debent de necessitate ab eo pendere totaliter. possunt enim pendere saltem in fieri simul à Deo, & à causis secundis, vt de se constat; ergo nulla est necessitas, cur in serie generationum ab æterno dari debeat aliquod indiuiduum ingenitum, immediatè, & totaliter pendens à Deo. Consequentia patet, quia ad saluandum conceptum creaturæ sufficit, si nullum ex indiuiduis illius seriei sit independens à Deo, sed hoc habetur etiam si nullum sit assignabile, quod non sit genitum ab alio indiuiduo; ergo &c.

31 Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationē dico: necessitatem admittēdi in serie generationum aliquod indiuiduum totaliter pendens à Deo, non oriri ex ratione entis creati: quia hęc stat cum dependentia à causis secundis, vt de se patet, sed ratione seriei talium entium; vt constat ex serie equorum v.g. cum enim equus nō possit alium equum producere secūdùm se totum, saltem materiam debet habere ab alio, & sic productio materię debuit præcedere totam seriem generationis equorum, atque adeò eorum genetationes non potuerunt esse ab æterno.

32 Pater Ouiedus *puncto secundo citato numero* 3. dicit: se non percipere vim illationis huius discursus; quia, inquit, potest rectè dici, productionem materiæ fuisse priorem tota equorum collectione prioritate naturę, non temporis, qua posita responsione, non sequi generationes æquorum non fuisse ab æterno; prioritatem enim naturę non derogare æternitati posterioris patet ex possibilitate creaturę permanentis ab æterno, quam certum est futuram fuisse posteriorem Deo posteritate naturæ, vtpotè ab illo causatam.

Contra tamen est, quia constat apud omnes 33 materiam primam non posse produci à causis secundis, sed debere produci solùm à causa prima; ergo si ab æterno series generationum equorum esse potuit: debuit ab æterno materia, sine qua dictę generationes haberi non poterant, producta esse à Deo. Sed non potuisset esse producta spoliata omni forma, vel sub diuersis formis ab animabus equorum dictam seriem componentium, alias debuisset per totam æternitatem sic permanere, & sic dicta series non fuisset ab æterno; ergo debuit esse producta sub animabus equorum; quæro igitur num sub omnibus animabus ad eorū seriem pertinentibus, an verò sub aliquibus tantùm? si sub omnibus; ergo non fuerunt generationes equorum per totam æternitatem successiuè, sed omnes equi fuerunt simul à Deo immediatè producti, si sub aliquibus: profecto illi equi fuerunt immediatè à Deo creati, & non geniti à Parentibus suis. Iam verò huic dilemmati non potest, aptari distinctio de omnibus collectiuè sumptis, & non distributiuè. quomodocumque enim equorum animæ sumantur, semper verum erit dicere, hosce equos fuisse productos à solo Deo sine concursu alicuius alterius equi: quare sic argumentū vlterius protraho. Vel inter productionem istorum, & generationem aliorum ab illis genitorum, intercessit infinitum tempus, vel finitum; vtrumuis dicatur, sequitur quod series generationum equorum cœpit in tempore, vti probauimus; ergo &c. 34

Dices, equos illos in primo instanti suæ productionis suos filios genuisse, atque adeò neque post tempus finitum, neque post infinitum. Sed cōtra est, quia verum quidem est, quod non repugnet aliquam creaturam ab æterno productam, producere sine motu, & sine successione ab æterno effectum aliquem, & hunc rursum effectum suum &c. quia inter productionem vnius, & aliorum non intercipitur tempus. Quare si Deus ab æterno creasset Angelum, ab huius substantia potuisset procedere intellectus, & ab eius intellectu cognitio permanens. At in casu nostro res non potest ita se habere. Series enim generationum ponitur à nobis successiua; & temporum spatijs interrupta, ita vt inter vnam, & aliam intercipiatur tempus, sicuti defacto videmus intercipi dum seriatim vna consequitur ad aliam. Vnde si ponātur aliqui equi à Deo ab æterno producti in primo instanti æternitatis eleuari ad generandos in eodem instanti alios equos: nulla in hoc apparet implicantia. Sed sic non haberemus seriem generationum ab æterno, vel si eam haberemus, & à secundis equis inciperet hæc successiua series, eadem formari possent argumenta, quæ prius formata sunt à nobis de primis. Quod si hi secundi dicantur etiam eleuari in eodem primo æternitatis instanti ad generandos tertios, & rursum hi quartos in infi-

nitum

Digitized by Google

aitum: manifestè deducitur seriem generationum non fuisse successiuè ab æterno, de quo est præsens quæstio, sed permanentes, de quo supra dictum est.

35 Instabis: in tantum series generationum ab æterno ponitur successiua, ita vt inter vnam, & aliam mora temporis intercipiatur: in quantum supponere debent alterationem, & reliquas dispositiones prius tempore existentes. Sed hæc quæstio, teste Ouiedo *num.* 4. præscindit ab indigentia huiusmodi dispositionum. Siquidem in ea solùm inquiritur, an possint infinitæ generationes ab æterno fluere cum dependentia vnius ab alia; ergo &c.

36 Respondeo: negari non posse, ideò seriem generationum fieri successiuè in tempore, quia prærequirunt dispositiones prius tempore introducendas. Si enim vel nullas prærequirerent, vel eas, quas prærequirunt, in instanti producerentur: omnes in eodem instanti fieri deberent. Quare concessa maiore; ad minorem dico, Ouiedi doctrinam posse intelligi dupliciter. primò quod præfens quæstio ita præscindat à temporanea anteceſſione dispositionum, vt non præscindat ab eius effectu, qui est successiua generationū series. Secundò ita vt ab vtroque præscindat. primum est verum: secundum falsum; ex quo patet falsitas consequentiæ. Quid simile de generationibus accidentium dicendum est. si enim nullas dispositiones, neque positiuas, neque negatiuas in subiecto requirant: non est, cur non habeantur in instanti posita debita applicatione agentis ad passum.

SECTIO TERTIA.

An potuit ab æterno dari motus, aliudue ens successiuum continuum.

COnclusio est negatiua cum Durando, Suario, Valentia, Toleto, & alijs apud
37 Ouiedum *puncto* 3. contra ipsum Ouiedum Lynceum *lib.* 7. *Physicorum tract.* 5. *cap.* 2. & plures alios.

Probatur: si possibilis esset motus ab æterno, vel rectus esset: vel circularis. neutrum dici po-
38 test; ergo implicat. Probo minorem, & quidem si rectus esset: faciamus, quod duo mobilia mota fuerint ab oriente in occidentem, vnum altero duplo velocius. Profecto id, quod mouebatur tardius, spatium infinitum vsque ad hoc instans confeciſset. ergo quod duplo velocius, reliquisset mobile tardius post se spatio infinito, hoc est æquali illi, quod ipsum mobile tardius confecit. Sed hoc spatium infinitum duobus terminis esset vtrinque concluſum: terminaretur enim versus orientem ab eo puncto, in quo in hoc instanti reperiretur mobile tardius, & versus occidentem ab eo, in quo in hoc eodem instanti mobile velocius existeret. Cum igitur hoc spatium sic concluſum implicet: implicabit etiam motus rectus, qui similibus terminis concluderetur. Eadem verò minor, quo ad motum circularem eodem ferè modo suadetur: quia potuisset Deus creare duplex Cœlum, quorum alterum moueretur duplo velocius altero. Profectò vsque ad hoc instans reuolutiones Cœli duplo tardioris essent infinitæ; & per consequens infinitæ etiam essent illæ, in quibus Cœlum duplo velocius superaret duplo tardius. Sed huiusmodi circulationes duplici termino concluderentur; illo nimirum, in quo adæquarent numerum circulationum tardioris; & illo, ad quem peruentum esset in hoc instanti ab ipso Cœlo velociore; ergo &c.

39 Ad hoc argumentum respondeti potest primò: motum ab æterno, neque totum rectum esse, neque totum circularem, sed ex recto, & circulari compoſitum. Contra tamen est, quia posito quod vnum mobile sic moueretur, dari posset aliud mobile, quod motu partim recto, partim circulari ijsdem ferè tractibus moueretur: & tamen duplo tardius illo; sed hoc posito redit argumentum factum à nobis; ergo hæc responſio, præter quam quod sit mera fuga, non satisfacit argumento.

40 Respondet secundò Pater Ouiedus *controuerſ.* 19. *puncto* 3. *numero* 9. huiusmodi argumenta, quæ fiunt ex inæqualitate velocitatis motuum ab æterno, iuxta sua principia non habere vim: Facile enim soluuntur dicendo, omnem motum ab æterno, fluentem debere esse summè velocem, quia omnis motus nulla mora interruptus, est summè velox; sed motus ab æterno ratione æternitatis interrumpi non potest; siquidem quidquid est ab æterno, per æternitatem durare debet, & interruptio est ceſſatio motus; ergo omnes erunt summè veloces, & sic æquales inter se.

41 Sed contra hanc responſionem facit primò, quia ea supponit motum constare ex indiuiſibilibus, vt ingenuè fatetur *controuerſ.* 17. *physicorum puncto* 11. *numero* 3. in quo duplicitèr mihi notandus videtur: tum quia recedit ab Ariſtotelis sententia, quam dicit esse doctiſſimorum virorum, qui communi totius scholæ conſenſu in eam conſpirarunt: tum etiam quia inconſequenter procedit, dum ibidem ait se ſuſtinere cum Ariſtotelicis, continuum permanens ex partibus diuiſibilibus in infinitum esse compoſitum, cum eadem sit ratio de vtroque.

42 Contra etiam est secundò, quia si ponamus duos orbes, vnum intra alium, ex quibus minor decem instantibus suum circularem motum abſoluat: maior verò centum. Profectò si fuiſſent hi orbes ab æterno moti vsque ad hoc instans, minor infinitas circulationes confeciſſet, sed hæ infinitæ circulationes decupla proportione superarent numerum circulationum ab orbe maiore confectarum; ergo circulationes, in quibus minor orbis maiorem superaret, duobus terminis comprehenderentur, quorum alter esset ille, quo infinitæ circulationes maioris circuli comprehenderentur, quibus circulationes circuli minoris essent numero æquales. Alter verò ille, ratione cuius

cuius ad hoc præsens instans ipse minor circulus peruenisset, & maiorem superasset; ergo &c. & sic etiam si ponamus continuum successiuum componi ex indiuisibilibus, adhuc argumentum, quod fecimus, haberet vim

43 Respondent alij tertiò, concedendo inæqualem velocitatem duobus mobilibus ab æterno, versus eandem partem se mouentibus; sed dicunt ea ita se gerere debuisse, vt mobile velocius sæpè suum motum interrumperet expectando tardius, vt æquale spatium in fine motus pertransisse verificetur, vel si inæquale, dimensionibus solùm finitis, non verò infinitis, vt contendit argumentum.

44 Sed contra est, quia mobile velocius, vel debuisset quiescere post motum infinitum, vel post finitum. neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur, si post infinitum; ergo iam datur spatium, in quo mobile tardius superat, quod sit infinitum vtrimque terminatum: si post finitum; ergo totus motus ab æterno finitus esset, quia constaret ex duabus partibus finitis, videlicet ex ea, quę fuisset ante quietem, & ex ea, quę post quietem. Vnde impossibile est, quod motus æternus interruptionem patiatur, quia quem statum res habet ab æterno, debet illum a terno tempore conseruare.

45 Respondet denique quartò Lynceus *loco citato numero* 18. Si duo mobilia ab oriente in occidentem ab æterno mota fuissent, æquali velocitate debuissent moueri. rationem assignat, quia cum motus velocior alio sit ille, qui æquali spatio temporis maius loci spatium pertranseat; neutrum autem mobile ab æterno posset maius spatium alio pertransire, eo quod vtrumque conficiat infinitũ, & vnum infinitum non sit maius alio: profectò vnum non mouebitur velocius altero. Sed contra est, quia ex suppositione, quod Deus determinauit vnum ex dictis mobilibus ad motum velocem vt sex, nulla alia ratio assignabilis est, cur non possit determinare alterum ad motum velocem, vt tria: nisi quia ex hoc detegitur impossibilitas vtriusque motus. Certum est enim quod vtrumque potest determinare ad motum, vt tria, & vtrũque ad motum, vt sex, in sententia Aristotelis; cur ergo non posset alterum ad motum, vt tria, & alterum ad motum, vt sex. Sed fac non posse. Profectò determinatis vtrisque mobilibus ad motum velocem, vt sex: nonne videt Deus, si eadem determinasset ad motum vt tria: quantum spatij vsque ad hanc horam confecissent, nimirum dimidiam partem illius, quod confecerunt: ergo iam recurrit argumentum à nobis factum. & sic negatione huius inæqualitatis motus nihil proficitur. Ratio à priori est, quia de ratione cuiuscumque motus est, quod dari semper possint alij motus, quorum aliqui sint velociores illo, aliqui verò tardiores. vnde sequitur, quod si quis motus ponatur ab æterno semper erit verum dicere: eum fore finitum, & infinitum: infinitum quidem, quia ab æterno; finitũ verò, vtpote æqualem alteri vtrimque terminato.

46 Obijcies primò: in nostra sententia Deus potest facere columnam infinitam versus orientem, finitam verò versus occidentem. & tamen non potest facere aliam columnam item infinitam versus orientem, incipientem ab eodem puncto, & angulum cum præcedente conficientem; ergo quamuis possit facere, vt vnum mobile moueatur ab æterno, non poterit facere, vt duo mobilia inæqualia in velocitate sic moueantur.

Respondeo: nego consequentiam; disparitas est, quia in tantùm non potest Deus facere illas duas columnas conficientes angulum, in quantum reclamat primò: & per se aliquod tertium, nimirum spatium intermedium, quod simul esset finitum, & infinitum, & non ipsæ columnę: at verò in casu de motu reclamaret ipse motus, qui in se infinitatem simul, & finitatem comprobarentur habere; ex quo benè sequitur, quod sicuti implicat illud spatium in medio duarum columnarum infinitarum conficiẽtium angulum, ita, & implicet ipse motus ab æterno.

Obijcies secundò: mundum cum suo motu fuisse creatum in tempore est articulus fidei, sed ea, quæ sunt fidei demonstrari non possunt; ergo, sicuti non est demonstrabile, quod mundus quo ad entia permanentia non potuit esse ab æterno, ita neque quod non potuit esse ab æterno quo ad successiua. 47

Respondeo distinguendo maiorem: mundum cum suo motu creatum fuisse in tempore est articulus fidei, & est quid supernaturale, nego. & est ordinis naturalis, concedo. & sic distincta minore. nego consequentiam; dico enim obiecta nobis à Deo reuelata, & fide diuina credenda, esse in duplici differentia: quædam enim sunt ita in se supernaturalia, vt lumine naturæ certò cognosci non possint, cuiusmodi est mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. & hæc constat non posse demonstrari lumine naturæ. Quædam verò sunt in se ordinis naturalis, cuiusmodi est Deum esse, & esse vnum, animam rationalem esse immortalem, res creatas non posse esse à se, &c. & hęc nego non posse lumine naturæ demonstrari: inter hęc autem numeranda sunt entia successiua, siue discreta, siue continua in ordine ad non existendum ab æterno, atque hęc pro solutione argumenti. 48

Obijcies tertiò: Aristoteles posuit de facto mundum, quo ad entia successiua extitisse ab æterno, & Diuus Thomas posuit de possibili; ergo non est conuincens ratio, quod repugnet. alioquin duo hac philosophię lumina simul errassent. 49

Respondeo Aristoteli dandam esse veniam in hoc, sicuti datur in eo, quod posuerit Deum esse agens necessarium. Ex eodem enim principio vtrumque collegit, nimirum ex eo, quod putauerit Deum esse actum purissimum, & maximè in se necessarium, atque adeò nihil in eo potuisse esse contingens: cum quo principio, quam sit difficile componere liberratem nullus Theologorum est, qui non fateatur ingenuè, etiam si in luce meridiana Catholicæ fidei tot sapientissimorum virorum ingenia in 50

hac

Digitized by Google

in hac veritate explicanda desudauerint. Vnde nō est mirandū, si in hoc errauerit Philosophus, qui lumine penitus destitutus; Quantum verò attinet ad Diuum Thomam, operæpretium fuit hoc loco intelligere eius mentem circa hoc; quam ipse nullibi melius, ac diluciduis declarauit, quam in *Summa prima parte quæst. 46. art. 2.* vbi quærit, an mundum incepisse sit articulus fidei, cuius quæstionis, qui in doctrina eius versati sunt, optimè norunt non esse hunc solum scopum, vt ostendat de fide mundum creatum fuisse à Deo in tempore, sicuti multi imaginantur, sed etiam includere [illegible] possit de potentia Dei absoluta; vt Auctoritatibus [illegible] certissimè nonnisi fide nobis cognoscatur mundum [illegible] Quare cum ea maximè ad quæstionem [illegible] & difficultates, quæ sibi in contrarium proponuntur, [illegible] aliis habeat intendit, nisi quod non possit temporanea mundi creatio scientificè demonstrari. Quod nos etiam certissimum existimamus; [illegible] saltem probabiliter [illegible] eo probabilitatis gradu, ratione cuius [illegible] reuera [illegible] Sancti Doctoris mentem apparet tum ex conclusione, qua titulo articuli respondet tum ex ratione, quam ad eam probandam addit. Hæc enim conclusionem suam proponit. Respondeo dicendum, quod mundum non semper fuisse solo fide tenetur, & demonstratione probari non potest. Videre ne quo modo demonstrationem solum cognitionem excedat? Quod melius ex ipsius ratione comprobatur, quæ est huiusmodi; Nouitas mundi non potest demonstrari ex parte ipsius mundi; Demonstrationis enim principium est, quod quid est, vnum quodque autem secundum rationem suæ speciei abstrahit ab hic, & nunc, vnde demonstrari non potest, quod homo, aut Cœlum aut lapis non semper fuit. Similiter etiam neque ex parte causæ agentis, quæ agit per voluntatem. Voluntas enim Dei ratione inueniri nō potest nisi circa ea, quæ absolutè necesse est Deum velle; talia autem non sunt, quæ *circa* creaturas fiunt sic S. Doctor ex quibus patet se solum demonstrationem circa hanc quæstionem excludere voluisse, non verò probabilem opinionem. Quod vlterius suaderi potest ex verbis, quæ post probationem suam in corpore addit. Et hoc, inquiens, vtile est vt consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus, ac si dicat: Demonstratio constat ex necessarijs, sed non dantur principia necessaria, sed tantū probabilia in hoc ergo, ne irrideamur ab infidelibus, debemus asserere de hac veritate, nos aliam cognitionem certam non habere, nisi cognitionem fidei: ex quibus infertur, quod quando ille conatur respondere ad [illegible] & octauam obiectionem, [illegible] mundum quo ad entia successiua, quæ continua, fuisse æterna, non potuisse esse ab æterno. tantum intendit ostendere illas non esse demonstratiuas, & posse probabiliter solui. Quemadmodum [illegible] de facto eas soluit. Atque hoc præstitit D. Thom. in reuerentiam doctrinæ Aristotelis, cui opprobiosum foret, si de rebus naturalibus [illegible] contra manifestas demonstrationes, quæ naturali lumine inueniri possent, errasset. per quæ patet Sanctum Doctorem [illegible] contra [illegible] concludere, [illegible] non [illegible] contradictorum: quia [illegible] quis [illegible] mundum esse, declarare cuique [illegible] (quia naturali lumine [illegible] mundum defacto fuisse creatum in tempore, non [illegible] Peripateticis, qui oppositum asserebant, displicendum putauit.

SECTIO PRIMA

Obijcies quartò: Nos non improbamus tempus imaginarium ab æterno [illegible] ergo neque debemus improbare tempus reale positiuum ab æterno. Consequentia patet, quia omnia argumenta, quæ militant contra vnum, militant contra alterum. Simile argumentum duci potest à tempore, seu motu successiuo possibili duraturo per totam æternitatem à parte post, sicuti enim hic non implicat, neque implicabit motus ab æterno à parte ante.

Respondeo, nego consequentiam: ad cuius probationem, nego paritatem. Disparitas sumitur ex eo, quia tempus imaginarium, quod ponitur ab æterno, ponitur esse inuariabile in velocitate, vnicam semper mensuram in suis partibus seruando; ita vt neque per absolutam Dei potentiam, vel interrumpi vel retardari, seu accelerari possit: at verò omnis motus positiuus ex se, & independenter à connotatione ad dictum tempus, habet, quod velocitate variabilis sit, ita vt non solùm possit dari vnus velocior alio: sed vnus secundum vnam partem, velox se ipso secundum aliam considerato. Ad aliam verò paritatem, quæ ducebatur ex motu duraturo per totam æternitatem à parte post, assigno disparitatem, quia nimirum de motu æterno à parte post numquam verificari potest, quod ille, qui pertransiit, sit infinitus; atque adeò nunquam possumus reduci ad concedendum quod aliquis infinitus motus, vel spatium duobus terminis concludatur: secus in casu nostro.

DISPVTATIO TRIGESIMAQVINTA.

DE NATVRA COELI.

DE Coporibus naturalibus in particulari acturus Aristoteles, primum locum tribuit corpori cœlesti: tum quia putauit illud esse incorruptibile, sequè adeò nobilius cæteris, quæ corruptibilia sunt, tum etiam quia suis actionibus, ac influxibus vniuersam mundi machinam fouere, ne dissolueretur, posset. Nos verò ipsum sequentes, vniuersam huiusce corporis tractationem in quinque dispositionibus concludemus. In quarum prima de eius natura; in secunda de eius incorruptibilitate; in tertia de eius systemate; in quarta de eius motu; in quinta denique de eius actione, & influxibus in hoc inferiora.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Cœlum sit compositum ex materia, & forma substantiali.

1 COelum esse quid substantiale sensibile, adeoque corporeum, indubitatum est; verum, an ex forma, & materia substantiali, an verò sit substantia quædam complexa, & simplex, essentiali compositione physica tenens, dubium.

2 Nostra verò Conclusio est affirmativa: Putamus enim Cœlum esse ex materia, & forma substantiali compositum. Ita S. Thomas *primo Cœli lect. 6.* cum Thomistis suis, quos sequuntur Suarez, Molina, Fonseca Conimbricenses, & alij contra Auerroem, Durandum, & alios.

3 Probatur primò ex Aristotele 8 *metaph. tex.* 10. vbi hæc habes, Sensibiles verò substantiæ cunctæ materiam habent; & subdit: materiam autem dico, quæ cum non quodquid actu sit, potentia tamen est, quod quid; Cœlum autem esse sensibilem substantiam, ipsemet *secundo physic. tex.* 29. & *primo Cœli tex.* 2. asserit. Confirmatur ex *secundo de gener. tex.* 2. vbi de intrinsecis principijs verba faciens, ait eadem esse principia in corporibus sempiternis, & elementis.

4 Probatur secundò: Quoties in subiecto aliquo cernimus accidentia, quæ competunt rebus ex materia & forma constantibus; quid non obstat, debemus asserere huiusmodi subiectum ex materia, & forma esse compositum, siquidem ex accidentibus nos in cognitionem essentiæ venire solemus; atqui in Cœlo cernimus non solùm quantitatem, quæ est accidens materiale, sed raritatem etiam ac densitatem, quæ per materiam definiuntur. Rarum enim dicitur esse id, quod parum habet materiæ sub multa quantitate: Densum verò id, quod habet multum materiæ sub parua quantitate; ergo &c.

5 Obicijes primò Arist. 12. *metaph. texto* 13. Ex eo quod intelligentiæ sint æternæ, infert eas carere materia. Cum igitur Cœli in eius sententia sint æterni, materia constare nequeunt. Confirmatur *ex* 8. *met. tex.* 14. vbi habetur; quod quæcunque non trasmutantur, horum materia non est.

6 Respondeo, negando consequentiam; est enim disparatio, quia si intelligentiæ haberent materiam, cum ponantur ab æterno mouere Cœlos, sequeretur, quod defatigarentur in motu efficiendo: hoc autem non sequitur ex eo, quod ponamus Cœlos ex materia, & forma esse compositos, quia non dicimus illos agere, & mouere se per intellectum; atque adeò spiritibus, sanguine, & organis indigere. Ad confirmationem autem dico, quod quoties Philosophus negat Cœlo materiam, exponendus est de materia, quæ recipere in se proximè possit naturalis agentis actionem, illamque dispositionis ad formam opposam eiusdem in se habet, in quo sensu 3. *metaphys.* 15. dixit, Non esse eadem principia in corruptibilibus, & incorruptibilibus.

7 Obicies secundò, quod corpus aliquod constet materia, non ex generationum vicissitudine probari potest, sed in Cœlo nulla huiusmodi vicissitudo cernitur; ergo &c.

Respondeo, negando minorem; aliud enim est per substantialem transmutationem inuestigare materiam, & aliud inuestigatam tam solis corporibus, quæ substantialiter transmutantur, eam concedere. Primum est verum, secundum falsum; & ratio est, quia transmutatio facit quidem nos immediatè venire in cognitionem corporum transmutabilium, cuiusmodi sunt sublunaria: at mediatè ducit etiam in cognitionem cœlestis materiæ propter similitudinem, quam Cœli cum corruptibilibus rebus habere videntur.

8 Obijcies tertiò: non repugnat dari corpus simplex, ergo propter perfectionem Vniuersi dicendum est, hoc esse Cœlum; Et confirmatur, quia si Deus creasset huiusmodi corpus, eadem accidentia, quæ de facto videmus in Cœlo, participaret; ergo huiusmodi accidentia non sunt signa infallibilia substantialis compositionis in Cœlo.

9 Respondeo, transeat antecedens, quod multi probabiliter negant; inter quos Thomistæ, Suarez, Hurtadus, & alij apud Quiros *disp. 69. sect. 1.* dicentes, quod sicuti repugnat substantia spiritualis sine gradu intellectiui: ita etiam actus subsistens completus, cuiusmodi esset Cœlum per aduersarios, sine gradu spiritualitatis. De essentia enim corporis contendunt esse materialitatem, quæ in ipsa materia prima essentialiter fundatur. Ego verò

nego

Digitized by Google

nego consequentiam cum eadem Quinos. ratione, qua ipsi vniuersio argumentandi aduersariorum valet, nullo plus, & perfectiora sensa illis detracto ipsi vniuerso concedenda, quæ tamen minimè 12 concedimus. Ad confirmationem dato antecedente, distinguo consequens, non sunt signa infallibilia, simpliciter loquendo, translata ex his, quæ nobis nota sunt. nego consequentiam; si enim Cælum simplex de facto esset, omnimodè vera non est, dum tamen non habemus sufficiens huius rei indicium, rationabilius, & congruentius ex iis, quæ nobis nota sunt, dicimus illud esse compositum.

Obijcies quartò: non sunt multiplicanda entia 20 sine necessitate; sed nulla est necessitas ponendi Cœlum compositum ex materia, & forma; ergo 21 est corpus omnino simplex. Respondeo, negando minorem; necessitas enim oritur parum ex eo, quod videamus illud conuenire in præcipuis proprietatibus cum cæteris corporibus, quæ constant materia, & forma; passim etiam ne cogamur inhærere in rerum naturam genus corporis omnino simplicis absque sufficienti fundamento; sic enim vere sine vlla necessitate vnum genus entis multiplicaremus, quod vetamur vetem prouerbio.

SECTIO SECVNDA.

An Cælum sit Natura elementaris.

11 PRima Conclusio: Cœlum non est aliquod ex quatuor elementis. Est Arist. hic 2. tex. 2. ad 16. Probatur autem tum ex loco, quem supra omnia elementa sibi vendicat: tum ex motu circulari, qui nulli ex elementis competere potest ab intrinseco.

12 Confirmatur: quia si esset terra, vel aqua, non posset stare super aerem, neque super ignem, si esset aer. Quod verò ignis minimè sit Cœlum constat: tum ex etherogeneitate partium, quas habet: tum etiam ex eo, quia videri à nobis semper posset, quod igni ratione suæ raritatis, quam habet in propria sphæra, repugnat. Confirmatur iterum, quia elementa debent aliquam proportionem inter se seruare, alioquin per excessum immodicum, quo vnum excederet cætera, destrueret illa, atque absumeret. Cœlum igitur nequit esse vnum ex elementis. Consequentia patet ex proportione, quam habet crassities corporum sublunarium ad crassitiem Cælorum, quam Mathematici aiunt esse vnius ad nonaginta quatuor miliones milionum trecenta triginta nouem millia milionum sexaginta octo milionis sexcenta viginti duo millia, ducenta sexaginta. Ex quo facilè deducitur Cœlum statim debuisse elementa inferiora consumere, & in se conuertere.

Secunda Conclusio. Cœlum non constat ex elementis.

13 Probatur, quia vel esset ens per accidens, vel si esset mixtum substantiale, non posset habere motum circularem; Corpora enim mixta ad motum prædominantis elementi moueri solent. patet autem nullum ex elementis circulariter ab intrinseco se mouere. sed omnia moueri motu recto. Quod si in mari detur fluxus, & refluxus aquarum, huiusmodi motus ab extrinseco censendus est, proueniens ab actione ipsius Cœli, quam in illud exercet. Confirmatur. Motus circularis est simplex, mutatur enim natura spatij, quod acquirit, quod est linea circularis, quæ non est mixta, sed simplex, vt de se patet. Atqui motus simplex non potest, nisi corpori simplici conuenire; ergo Cœlum non est mixtum. Atque hæc est Aristotelis ratio, qua corporis cœlestis simplicitatem probat. Confirmatur iterum vniuersaliter probando Cœlum non esse naturæ elementaris; nam ex accidentibus cognoscimus maximam diuersitatem inter naturam Cœlorum, & rerum sublunarium; ergo &c. Atque ita Quinos *disp. cit. sect.* 2. citans pro se quamplures.

Obijcies illud ex Hymno D. Ambrosij, quem 14 canit Ecclesia feria secunda ad Vesperas. Aquæ fluenta diuidens, Cœlum dedisti limitem, vt vnda flammas temperet, terræ solum ne diluerent.

Respondeo nonnullos nomine Cœli hic intelligere aerem iuxta illud Euangelij: volucres Cœli venient. In aere enim Deus aquas pluuias posuit, vt ipsum aerem à calore ex radijs solaribus, & ex igne proueniente defenderent. Alios verò probabilius existimare Sanctum Doctorem loquutum esse iuxta sententiam Platonicorum, qui Cœlum igneæ naturæ esse existimabant in qua re non vt Ecclesiæ Doctor, sed vt particularis Philosophus, seu potius poeta loquutus est.

Obijcies iterum Arist. 3. *de Cælo. tex.* 1. docet Cælum constare ex elementis; ergo &c.

Respondeo nomine Cæli ibi Philosophum comprehendere totum Vniuersum, quod ex Cælo, & elementis componitur, & denominationem accipit à nobiliori, ac vniuersali corpore, quod est Cælum.

Obijcies tertiò: ratio Aristotelica ex motu sim- 15 plici desumpta non videtur solida; ergo &c. Antecedens probatur tripliciter. primo quia potest dari corpus aliquod, in quod æque omnia elementa dominentur. Sed hoc corpus in doctrina Aristotelis non deberet moueri: nam non esset maior ratio, cur sursum potius moueretur, quam deorsum, ergo &c. Secundo quia videmus aerem, qui est corpus simplex moueri duplici motu, ascendit enim ab aqua, & descendit ab igne; ergo &c. Tertiò denique quia Cælum secundùm partes viciniores polo mouetur tardius, quam secundùm partes eidem polo remotiores; ergo iam eius motus non est simplex, sed mixtus, hoc est ex tardioribus, & velocioribus partibus conflatus. Ratio igitur desumpta ex motu simplici non subsistit.

Respondeo negando antecedens, ad primam 16 probationem in contrarium dico: vel non esse absurdum dari posse corpus naturale immobile ab intrinseco secundum locum; vel si hoc est absurdum propter eandem rationem repugnare huiusmodi corpus, in quod omnia elementa æquè dominentur. Ad secundam verò dicendum: motum illum aeris, qui habet pro termino a quo ignem, & aquam, esse duplicem materialiter tantùm. Formaliter autem vnum in genere physico, quatenus ab vno termino ad quem specificatur. Ad tertiam denique, concesso antecedente: distinguo consequés; motus Cæli nō est simplex sed mixtus, accidentaliter, concesso, essentialiter, nego consequē-

tiam

etiam, & dico differentiæ essentiales motus simplicis esse moueri, vel sursum, vel deorsum, vel circulariter; accidentales verò esse tardum, & velocem: quamuis autem motus Cœli in duo constitutus mixtus secundùm differentias accidentales: aliqui Cœlum moueri mixtè posse, ac secundum essentialem esse simplex, quæ circularis.

SECTIO TERTIA.

Vtra materia Cœli sit eiusdem rationis cum materia sublunarium.

18 CONclusio nostra est affirmatiua, & eam docet Magister *in secundo dist. 14. quæst. prima ope. primi.* Martinus del Rio *in cap. primum Geneſ. in opere secundæ diei*, qui pro se citat vndeviginti Patres, inter quos sunt Sanctus Clemens Romanus, & Sanctus Hieronymus, & Tertullianus.

19 Probatur primò ex primo Geneſis, vbi hæc habentur: fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & post paucas vocauit Deus firmamentum Cælum, & paulò post. Fiant luminaria in firmamento, & diuidant diem, ac noctem. Ex quibus sic argumentum conficio. Firmamentum, quod in medio aquarum constitutum fuit; factum à Deo fuit ex materia ipsis aquis, vt omnes communiter docent, secus aquæ vel debebat initio concretari, vel in medio illarum prima die debebat dari vacuum, vel denique postea annihilari: Atqui huiusmodi firmamentum est Cælum; ergo Cælum factum est ex materia aquæ, quæ est eiusdem rationis cum nostrate materia. Omnia patent, præter minorem, quam probo sic. De eo firmamento loquitur ibi scriptura, quod à Deo vocatum est Cœlum, & quod diuisit aquas ab aquis, & in quo posita fuerunt Luna, Sol, & Stellæ, sed hoc est solum Cœlum sydereum; ergo &c. Quamuis enim nomen Cæli aliquando tribuatur denique non tamen quando dicitur, quod in eo sint Sol, Luna, & Stellæ, neque quando dicitur, quod aquas diuidit. Quod enim super ipsum Cœlum sydereum sint aquæ, constat ex *psalmo 148.* Et aquæ omnes, quæ super Cælos sunt, laudent nomen Domini, pro quâ sententia Delrius *loco citato* citat triginta quatuor Auctores, fere omnes Sanctæ Ecclesiæ Patres, inter quos D. Augustinus *lib. 2. de Genesi ad literam.* Maior est (inquit loquendo de veris aquis, quæ super Cælos sunt) huius scripturæ auctoritas, quam humani ingenij capacitas, ex quo deducitur, quod quando Moyses initio Geneſis dixit. In principio creauit Deus Cælum, & terram, nomine Cæli Empyreum intellexit, fortasse etiam primum mobile, quos quidem Cælos cum non habeamus indicia dicendi esse diuersæ rationis à reliquis, asserere debemus, eos etiam ex materia eiusdem rationis cum nostrate esse compositos.

20 Probatur secundò ratione. Ideo in Cælo materiam diuersæ rationis communiter ponunt aduersarij, vt saluent eius incorruptibilitatem, sed hæc optimè saluari potest per solam eiusdem formam substantialem, exigitiuam accidentium, nullam habentium contrarietatem, & summam vim resistitiuam supra actionem cuiuscumque agentis naturalis. Neque enim maior incorruptibilitas est tribuenda Cælo ea, quæ est sufficiens ad finem, ad quem ipsum à natura institutum fuit, videlicet, vt omnia sublunaria conseruet, & foueat, ad hoc autem incorruptibilitas ab eius forma proueniens fuit ei sufficiens.

21 Obijcies primò ex Aristotele *primo de cœlo*, *textu 40.* habetur, quod quæcumque constituunt ex materia, suot ad inuicem transmutabilia, sed corpora cælestia, & sublunaria non se habent ad inuicem hoc modo, igitur eorum materia non est eiusdem rationis cum sublunaribus.

Respondeo Aristotelem *loco citato* non loqui de materia secundum se, seu remota, sed de proxima, quæ affecta est accidentibus contrarijs, adeoque esset ad recipiendam formam oppositam, quæ ei non est materia Cæli.

22 Obijcies secundò. Perfectius esse vnitatem, & Cœlum constare ex tot, & tam diuersis, ergo &c. Dicendum est, & respondeo eandem antecedenti negando consequentiam; ratio negationis est, quia non debemus vnitatem perfectionem excogitabilem cogere, alioquin abeundum esset in infinitum. Non est omnia ad vnum reducamus, quæ non possit magis, ac magis à Deo perfici in infinitum. Imò cum non debeamus multiplicare entia, & rerum essentias, quæ sufficit, dicendum est mundum esse perfectum in suo genere, & gradu, ratione cuius habeat quidquid sibi debitum est ad finem suum consequendum. Quoniam verò vidimus Cælum æque benè suum consequi posse finem cum materia eiusdem, ac diuersæ rationis, non erit, cur ponamus in eo materiam diuersæ rationis.

23 Dixi transeat antecedens, quia posset aliquis dicere, materiam diuersæ rationis Cœli formarum addita ratione minoris capacitatis esse imperfectionem nostra, quæ quoniam aliquam rationem vna linea constituta habeo mutare ad aliam lineam spectante: quam alia, saltem sub ea ratione, sub qua ad illam lineam spectat, est imperfectior illa. Aly verò dicunt minorem illam potentialitatem ad nihil inseruire, quia adhuc posset aliquam aliam formam saltem eiusdem rationis acquirere, priore deperdita. Si enim non posset, maximè quia non haberet dispositiones, quas agens naturale per contrariarum dispositionum introductionem corrumpere valeret. Sed hæc est incorruptibilitas ex forma prouenient; quam Cælo concedunt illi, qui ipsum constare ex nostrate materia assumunt; ergo non est, cur eam materiam diuersæ rationis concedamus. Verum hæc ratio non videtur nimis solida; posset enim dici ab aduersarijs, hanc numero materiam huius numero formæ tantùm esse capacem, vel si est capax alterius numero distinctæ, eius si illa priores destruibiles dispositiones haberet: nullum tamen agens naturale posset illas destruere, vt aliam formam substantialem numero distinctam à præcedente introduceret. Ex quo sequitur Cœlum, cum materia diuersæ rationis fore magis incorruptibile, quam cum materia eiusdem rationis cum nostra.

24 Obijcies certiò: si Cœlum constaret ex nostrate materia: sequeretur, quod ignis, qui est illi vicinus, vel si hic propter suam summam raritatem agere nequeat, quiuis alius ei debitè applicatus calorem, & siccitatem in eo produceret; ergo & formam ignis; sed sic Cælum esset proximè corruptibile;

Digitized by Google

tibile; ergo &c. Antecedens videtur concedendũ, siquidem ignis Cælo applicatus, non reperiret in eo resistentiam in ordine ad calorem, & siccitatem introducendam, quia Cælum neque frigidum, neque humidum est. Consequentia verò probatur, quia nisi postea formam ignis introduceret, sequeretur, quod calor, & siccitas non essent dispositiones, seu instrumenta rectè instituta à natura ad formam ignis.

24 Respondet P. Giattinus *quæst. 16. ar. 2. in solutionibus obiectionum*, negando consequentiam. non enim satis est, inquit, ad aliquod compositum corrumpendum producere in eo dispositiones ad formam oppositam, nisi illæ sint habiles formam antecedentem corrumpere. quod non habetur in casu nostro, quia forma Cæli nullam frigiditatem, siccitatem, & humiditatem requirit. Ad probationem in contrarium negat sequelam. & ratio est, quia cum natura non intendat producere formam ignis in materiam informatam forma incorruptibili, sed solùm in eam, quæ forma corruptibili informata est: dum calor, & siccitas id assequuntur, censeri debent optimè à natura instituta esse. Sed contra hanc responsionem facit, quia nisi à natura prouisum esset ne vicinus ignis, vel quouis aliud agens naturale Cælo applicatum, posset producere in eo dispositiones requisitas ad formas corruptibiles introducendas. Tria sequerentur absurda. Primum est, quod illa dispositionum productio frustratoria esset, siquidem in nullo casu in tali subiecto posset consequi finem suum, qui in introductione substantialis formæ consistit. Secundum verò, quod Cælum ex vi agentium naturalium alterabile esset, & quidem peius, quam cætera corpora corruptibilia: hæc enim, cum habeant contrarias qualitates, agentibus alterantibus resistunt: at Cælum nullo modo resistere posset, & sic in instanti ignis illud alteraret in summo, producendo in eo totum calorem, & siccitatem, quam potest. Tertium denique absurdum, quod sequeretur est, Cælum habitis semel huiusmodi qualitatibus, fore semper sub eis remansurũ; atque adeò, extra statum sibi naturaliter debitum existens, nunquam posset dictas qualitates alteratiuas à se expellere. Profectò si hic auctor *art. 3. sequenti ad obiectionem tertiam*, de nouis stellis in Cælo visis, impugnat responsionem eorum, qui tertio loco dicebant Cælum in aliqua sui parte pati posse mutationem in densitate, & raritate vi luminis à Sole producti, & ideò stellas de nouo consurgere: impugnat inquam sic: vel Cælum ad eam densitatem inclinat, vel non. si primum; ergo violenter ea priuatur. Si secundùm, ergo violenter illam patitur, & malè tanta vis agentibus naturalibus data fuisset: multò magis loquendo de qualitatibus alteratiuis, hoc idem argumentum militare debet contra ipsum. Melius igitur respondendũ videtur ad instantiã factã, negando antecedens, cum sua probatione; & dicendum, quod si Cælum est incorruptibile: necesse est habeat qualitatem resistitiuam cuicumque actioni alteratiuę agentium naturalium; alioquin perfectioni sui status non fuisset à natura plenè prouisum, vt patet ex dictis. Neque enim putandum est non posse dari alias qualitates resistitiuas calori, & siccitati præter frigus, & humiditatem. quemadmodum enim opacitas, etiam si non sit positiuè contraria lumini, eius productionem impedit. sic potest dari in Cælo qualitas ab eo exacta, quæ omnes actiones corruptiuas agentium corruptibilium impediat.

Obijcies quartò: forma inseparabilis, & inamissibilis vendicat sibi diuersam materiam à forma separabili, & amissibili; ergo si Cælum est incorruptibile, cum eius forma, neque separari, neque amitti possit à materia: eius materia diuersæ erit rationis à nostrate. 25

Respondeo negando antecedens; magis enim distant inter se forma materialis & spiritualis, quã forma amissibilis, & inamissibilis, quia hæc sunt ambæ matetiales, pendentes à materia tum in esse, tum in operari. quod non verificatur de forma spirituali; atqui forma materialis, & spiritualis respiciunt tamquam subiectum eandem materiam nostratem; ergo multò magis poterunt eandem respicere forma separabilis, & inseparabilis. De facto enim quantitas est forma inseparabilis secũdùm communiorem sententiam, & tamen subiectatur in nostra materia, & lumen, & motus sunt separabiles, & amissibiles, & nihilominus materia cælestis eas in se admittit; ergo &c.

Obijcies quintò. Ideo dicimus Cælum constare ex materia eiusdem rationis cum nostrate, quia videmus in eo quantitatem, raritatem, & densitatẽ; sed hæc accidentia non sunt eiusdem rationis cũ nostratibus; ergo neque materia. maior patet. minor probatur, tum quia ex quantitate nostra profluit diuisibilitas, tum etiam quia nostra raritas, & densitas ex primis qualitatibus trahunt originem; sed Cælum neque diuisibile est, neq; primas qualitates habet; ergo &c. 26

Respondeo concessa maiore, negando minorẽ. ad cuius probationem, concessa item maiore. distinguo minorem, quoad vtramque partem: Cælum non est diuisibile, secundùm quod quantùm est præcisè, nego: secundùm quod habet quid substantiale, & diuisioni obsistens, concedo. Item Cælum non habet primas quantitates formaliter, concedo; equiualenter negò minorem, & consequentiam. Dico enim quantitatem, densitatem, & raritatem Cæli, cum causent in eo eundem effectum formalem, quem causant in nobis, nõ posse non esse eiusdem speciei cum nostris. quod si Cælum non potest naturaliter diuidi, est quia ad id repugnat eius forma substantialis. præterea licet non habeat primas qualitates, habet tamen aliquam aliam, ex qua rectè intelligi potest raritas, & densitas emanare. 27

SECTIO QVARTA

An Cælum sit animatum.

ETiam si ex dictis satis remaneat detecta falsitas sententiæ nonnullorum veterum Philosophorum, existimantium Cælos, siue astra esse animata, quatenus omne corpus viuens nostrate materia constans, debet esse mixtũ ex elementis, cuiusmodi eos nõ esse supra probauimus: præcindendo tamen ab hoc principio, placet hunc errorem ex professo confutare. 28

Sit igitur vnica conclusio. Cælum siue astra non 29

non sunt animata. est communis sententia Patrum, & Scholasticorum contra Origenem *Comment. in Ioannem*, & *libro 1. Periarchon*, vbi non solùm stellas esse quomodocumque animatas docuit, sed etiam eas esse capaces meriti, atque adeò Christum Dominum etiá propter illas mortuum fuisse.

30 Probatur primò ex *Synodo Constantinopolitana secunda*, quæ quinta generalis dici solet. cuius verba Nicephorus *lib. 17. cap. 28.* sic proponit: Si quis dicat Cælum, & Solem, & Lunam, & stellas, & aquas, quæ supra Cælos sunt, animales quasdã esse, & materiales virtutes, anathema sit. Alij verò legunt sic, & fortasse rectius, Si quis dicit Cælum, Lunam, & stellas animantes quasdam esse, & animales virtutes, anathema sit.

31 Probatur secundò: quia si Cælum esset animatũ, vel esset animatum anima vegetatiua tantùm, vel sensitiua, vel denique rationali; atqui quod non sit animatum anima vegetatiua patet, quia neque nutrimentum, quod tanto corpori sit sufficiens, neque organa ad nutritionem idonea possunt assignari. Quod deinde non habeat animam sensitiuam, probatur ex eo, quia nulla apparent in eo sensitiuitatis indicia; hęc enim sunt organa sensuũ visus, auditus, &c. quæ nulla in Cælo esse comprobantur. Linquo iam quod rapidissimus motus, quo mouetur, omnes prorsus sensationes impediret. Quod denique neque sit animatum anima rationali constat, tum quia sic iam esset homo: tum etiam, quia gradus rationalis prærequirit in subiecto vegetatiuum, & sensitiuum gradum, quibus Cælum carere vidimus. tum denique quia huiusmodi anima iam esset capax beatitudinis, ac damnationis; esset enim incorruptibilis, & libera; posito igitur, quod damnaretur, quęro: descenderet ne ad inferos? an in Cælo esset remansura? vtrumuis dicatur sequirur, vt de se constat, magnũ inconueniens; ergo &c.

Obijcies primò Iob. 38. habetur: Cum me laudarent astra matutina: & *Psalm. 18.* Cæli enarrant gloriam Dei. *Psalm.* verò 148. Laudate eum Sol, & Luna. Id autem quod rationale non est, neque laudare, neque aliquid enarrare potest. Cælum igitur est animatum. 32

Respondeo: Cęlos, & astra laudare Deum ex eo, quod excitent homines ad laudem ipsius Dei, in quantum faciunt nos venire in cognitionem bonitatis, atque omnipotentiæ diuinæ, eodemque modo Dei gloriam enarrare, manifestando scilicet illam nobis, nego igitur consequentiam.

Obijcies secundò Arist. 2. *Cęli tex. 13.* expresè docet Cœlum animatum esse; ergo conclusio est contra Philosophum. 33

Respondeo: Cælum dici ab Aristotele animatum, quia habet intelligentiam motricem, quæ tanquam forma non quidem infirmans, sed assistẽs, illud mouet, ac dirigit, non secus, ac auriga currũ, seu nauita nauem; quæ quidem intelligentia assimilatur animę à Philosopho, propter anologiam, quam habet ad illam. Sicuti enim anima intra Corpus reperitur, illudque mouet; ita & intelligentia existit in Cęlo, illudque circumuoluit, et quidem necessariò, sicuti ipse existimabat, ad eum planè modum, quo anima necessariò vnitur corpori rectæ disposito.

Obicijes tertiò: Sol et homo generãt hominem; Sol igitur vel est æquè nobilis, vel nobilior ipso homine, sed homo est animatus; ergo multò magis Cælum ipsum. 34

Respondeo, in præsentia, quod sicuti Sol prout facit aliquo modo vnum cum Intelligentia, in hominis generationem influit, ita etiam sumptus simul cum Intelligentia, est homine nobilior; ex hoc autem non sequitur, quod debeat esse animatus, vt de se patet. idẽ dicendũ est de Cælo ipso, prout omnia hæc inferiora gubernat, atque conseruat.

DISPVTATIO TRIGESIMA SEXTA

DE COELESTIS CORPORIS PROPRIETATIBVS, & primò de eius incorruptibilitate.

PLures sunt proprietates, quæ Cęlo insunt, ex quibus aliquas tantùm nos inuestigandas eligimus, eas nimirum, quæ maiorem præseferunt difficultatem, & sunt in scholis magis controuersæ, inter quas primum locum sibi vendicat incorruptibilitas; quare sit.

SECTIO PRIMA.

Vtrum cœlestia corpora incorruptibilia sint.

1 PRæsens quæstio dupliciter intelligi potest. primò, quod loquatur de cælestibus corporibus syderibusque, quæ in eo sunt, sumptis secundùm se totis; secundò, quod loquatur de illis; secundũ quamlibet sui ipsorum partem. Ea verò in hoc secundo sensu exagitatur. Constat enim Cælum secundùm se totum non esse naturaliter corruptibile, et quidem multò magis, quam elementa, quæ, certum est quantum est de se, fore perpetuò duratura; atque adeò totaliter accepta incorruptibilia esse, licèt in suis partibus sint corruptibilitati obnoxia; dubium igitur est, num Cęlum diuersificetur ab elementis in eo, quod non solùm secundùm se totum, sed etiam secundùm quamlibet sui par-

Digitized by Google

rem distributionè subsistam incorruptibilem esse.

2 Conclusio est affirmativa, quam ex professo docet Aristoteles *primo Cœli text. 20.* quem sequuntur meliores Philosophi cum Dionysio Areopagita *cap. 4. de diuinis nominibus*, Augustino, Thoma Aquinate, & alijs communiter citatis à Recentioribus contra Platonem, eiusque Sectatores, ex quorum numero fuerunt aliqui Patres, qui Platonicorum doctrinam complexi sunt, quæ tamen reiiciuntur Recentiores Mathematici, qui tot astruntur Phænomena nouis instrumentis, & præcipuè tubo optico his temporibus in Cœli cruditis obseruati, vt impossibile sit eo sine cœlestium partium actuali corruptione defendere.

3 Tribus rationibus suam assertionem Aristoteles probat. Prima est, quia omne quod corrumpitur, corrumpitur à contrario; sed Cœlum non habet contrarium: ergo &c. Secunda verò, quia omnes homines existimant Cœlum esse sedem, & domicilium Dei, sed Deus est incorruptibilis, ergo valdè rationi consonum est asserere, Cœlum quoque incorruptibile esse. Tertia denique quia nunquam in Cœlo substantialis aliqua mutatio facta est, vt experientia tot sæculorum homines comprobarunt: ergo non est dicendum quod sit corruptibile.

4 Ex his rationibus, neque prima, neque secunda videtur admodum solida. Non prima, quia eius veritatem Philosophus hoc discursu suadet; motus circularis non habet motum contrarium, sed Cœlo competit motus circularis: ergo Cœlo non competit habere contrarium. Discursus enim hic tum in maiori, tum in consequentia claudicare videtur. in maiori quidem, quia non minus motui recto sursum est contrarius motus rectus deorsum, quam motui circulari ab oriente in occidentem, sit contrarius motus circularis ab occidente in orientem, quod constat ex eo, quia eodem modo impossibile est, quod aliquod mobile moueatur absolutè sursum, & deorsum simul, ac quod absolutè moueatur simul ab oriente in occidentem, & ab occidente in orientem: & quia vis Aristoteles *à tex. 27.* assignare conetur disparitatem, cur motus rectus habeat contrarium: non verò circularis: tanta tamen obscuritate id facit, vt plangenuè fateantur eius interpretes difficile, quid sibi velit dicere, apparere. vnde fit, vt aliqui contra ipsum Aristotelem retorqueant argumentum sic: ex motuum contrarietate rectè subiecti corruptibilitas deprehenditur. Quemadmodum per ipsum ex carentia contrarietatis incorruptibilitas, sed cœlestibus orbibus contrarius motus conuenit. nam Cœli Planetarum mouentur motu primi mobilis ab oriente in occidentem, & motu proprio ab occidente in orientem: ergo cœlestes orbes corruptibiles sunt: ab hoc autem argumento, licet tractatores facili negotio se expedijant, negando Cœlos aliudue corpus physicè loquendo, duplici motu moueri posse, vt dicemus; non tamen Aristoteles, qui hoc concedere videtur.

5 Neque secunda ratio maiorem habet firmitatem in ea veritate: ex fide enim docemur præter Cœlos, in quibus stellæ fixæ & errantes conuertuntur, dari Empyreum, in quo tamquam in proprio regno Deus reuelatus fatis à Cœlicolis agnoscitur, & colitur; ex quo sit huiusmodi Cœlum esse verè domicilium, & sedem Dei, non autem aliquod: de quibus tantummodo, vtpotè imbecillium cognitis, in præsentia conuertimus. Quod autem Cœlum Empyreum sit incorruptibile omnium catholicorum consensu comprobatum, quis tamen præsumere videatur, non ex principijs intrinsecis tale sit nam verò ex aliqua qualitate supernaturali diuinitus sibi concessa quemadmodum erunt corpora Beatorum post resurrectionem, verumuis autem dicatur nostra quæstio remanet indecisa, in qua solùm de corporibus cœlestibus, quæ sunt infra Empyreum disputamus: nec ratio Aristotelica in ea procedit: supponit enim non esse aliud corpus supra primum mobile, in quo Deus eamquam in proprio domicilio à cœlestibus spiritibus videatur, quod tamen falsum est.

6 Neque etiam duæ aliæ rationes, quas ad eandem incorruptibilitatem probandam adducunt alij, quidquam roboris habent, vt patet consideranti vtramque. Quarum altera ex duratione lunaris corporis ducitur, quod nimirum, si corruptibile esset; vtique post tot sæcula, in quibus ad eum ignis sibi contigui passum fuisset, iam corruptum aliquando esset, & in ignem conuersum. Ad eam enim facilè respondetur, quod quemadmodum aer, quamuis corruptibilis sit, non obstante quod ab eodem igne vndique circumcingatur: non est tamen adhuc ab eo destructus: sic nil mirū si etiam eorpus lunare incolume perseuerat, quantum enim in vno conflictu perdidit: tantumdem in alio potuit acquirere, & sic alternis victorijs ambo corpora quo ad speciem perpetuò durant.

7 Altera verò ex perfectione vniuersi sic: Ad maiorem perfectionem vniuersi facit dari corpus incorruptibile: sed huiusmodi non potest esse aliud à Cœlo; ergo &c. Sed ex dictis contra corpus omnino simplex, constat huius rationis imbecillitas. non enim omne, quod facit ad maiorem vniuersi perfectionem Deus creauit, siquidem vniuersi perfectio potest crescere in infinitum; sufficit ergo vt dicatur vniuersum esse perfectum, si nihil ex his, quæ ad finum finem consequendum necessaria sunt, ei desit. aqui non apparet, cur non possint consequi finem suum cœlestes orbes, & corruptibiles sint; nulla est ergo necessitas dicendi, eos incorruptibiles esse. Minor huius, quæ sola probatione egot, suadetur; quia si qua esset necessitas, hæc ratione constaret: Mundus sublunaris ab orbe cœlesti continetur, ne corrumpatur, ac diffluat secundùm se totum: ergo de necessitate orbis cœlestis debet esse secundùm quamlibet sui partem incorruptibilis, quia propter quod vnumquodque tale &c. illud magis. Sed hoc ratio non euincit intentum: negari enim rectè potest consequentia, & ad probationem in contrarium dici, quod sufficiat ad hoc, vt Cœlum hunc mundum inferiorem contineat, si difficilius in suis partibus corruptionem admittere possit, quam ille in suis. cæterum quam debile sit illud principium, propter quod vnum quodque tale &c. ad Cœli incorruptibilitatem suadendam constat ex eo, quia eadem facilitate ad dari corruptibilitatem concludendam reconuerti potest: siquidem propter Cœlum, tamquam propter præcipuam causam, sunt

omnes generationes, & corruptiones in mundo.

8 Quæ his rationibus posthabitis: ea solùm, quæ Aristoteles tertio loco adducit, videtur mihi solida. ducitur autem ab experientia, inductione facta per tot secula, ex quo mundus esse cepit, ad hæc vsque tempora, in quibus nos sumus. In hunc ferè modum Experientia tum à nobis ipsis habita, tum à nostris maioribus accepta satis constat, Cælum non solùm secundùm se totum nunquam fuisse corruptum, sed neque secundùm aliquam sui partem; ergo est incorruptibile. antecedens patebit ex solutionibus argumentorum. Consequentia probatur: si enim corruptibile esset, vel ab extrinseco esset huiusmodi, sicuti quatuor elementa, quæ cum sint corpora simplicia, non habent in se ipsis contrariarum qualitatum pugnam, vel etiam ab intrinseco, sicuti sunt cætera mixta, quæ contrarias dispositiones sibi vendicant. vtrumuis autem dicatur, constat, ipsum debuisse post tot annorum millia secundùm aliquid sui corruptionem aliquam sensibilem pati, cum præsertim habuisset debitè applicatæ sibi agentia, illud corrumpere valentia. cuiusmodi essent; vel ignis, vel partes heterogeneæ inter se eiusdem Cœli, vel denique vnum Cælum respectu alterius; ergo &c.

SECTIO SECVNDA

Soluuntur aliqua obiecta leuiora in contrarium adducta.

9 OBijcies primò quædam scripturæ loca, in quibus dicitur, Cœlum in fine mundi corrumpendum esse *Psalm.* 101. Opera manuum tuarum sunt Cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes. *Ecclesiastici* 17. Quid lucidius Sole? & hic deficiet. *epist.* 2. *Diui Petri cap.* 3. Cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur; ergo Cœli sunt natura sua corruptibiles.

10 Respondeo negando consequentiam. Dico enim quod si Cœli secundùm substantiam suam post diem Iudicij corrumpentur, hoc non secundùm naturæ exigentiam, sed ex extraordinaria Dei potentia illis continget, sicuti etiam toti mundo, quem secundùm speciem suam præcipuas esse incorruptibilem omnes docent. nota me hypotetice loquit: scio enim quamplures Patres existimare Cœlum, & terram post diem Iudicij accidentaliter tantùm mutanda esse: non substantialiter, inter quos Gregorius *lib.* 17. *moral. cap.* 5. quærens, cur per Salomonem dicatur: Terra autem in æternum stat, cùm ex scripturis constet, quod Cœlum, & terra transibunt. Respondet quia vtraque per hanc, quam nunc habent imaginem, transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt: cui expositioni fauet Isaias *cap.* 3. dicens, quod in die Iudicij erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter.

11 Obijcies secundò: etiam si nullam viderimus in Cœlo transmutationem substantialem, posuimus in Cœlo materiam substantialiter transmutabilem; ergo etiam si in eo nullam videritis corruptionem, non est, cur non ponamus in eo formam substantialem corruptibilem. 12

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; disparitas est, quia, postquam per substantiales transmutationes rerum sublunarium materiam primam cognouimus, venimus in cognitionem proprietatum illius, nimirum quantitatis, raritatis, & densitatis, quas proprietates cum in Cœlo cernamus, recte deducimus illud habere materiam eiusdem rationis cum nostrate. ac formarum substantialium corruptibilium proprietates, nonnisi primas qualitates esse animaduertimus, quas cum scripta non competere Cœlo ex eo, quia neque est vnum ex quatuor elementis, neque ex eis mixtum. vti suprà probauimus; recte deducimus: Cœli formam esse incorruptibilem. Nec dicas: non implicare dari alias qualitates inter se contrarias, quæ nostram materiem disponant ad cælestes formas recipiendas. Ne id dicas, inquam, quia licet ad probandam alicuius rei possibilitatem recte vtamur eius non implicantia: non tamen ad probandam eiusdem existentiam, vt de se patet; quamuis igitur aliarum primarum qualitatum contrariarum possibilitas diuinitus non repugnet: temere quis in Cœlo diceret reperiri. 13

Obijcies tertiò: Argumentum ductum ab experientia non est sufficiens ad probandam Cœlorum incorruptibilitatem, ergo censendi sunt corruptibiles. Consequentia patet, quia vnicum fundamentum à nobis positum est experientia. Antecedens probatur, quia si quæ generationes, & corruptiones in Cœlo fiant ob nimiam distantiam, non possunt sub nostrorum sensuum experientiam cadere. quemadmodum enim, si essemus super sidera constituti, non possemus discernere transmutationes substantiales, quæ sunt quotidie in elementis (totus enim globus elementaris, propter immoderatam longinquitatem, instar puncti nobis appareret) ita dum sumus in terris propter eandem rationem, transmutationes illas, quæ fiunt in Cœlis, attingere non valemus.

Respondeo, negando antecedens, cum sua probatione. dico enim quod quemadmodum de facto mutationes accidentales motus, & luminis, quæ fiunt in Cœlo sub nostram experientiam cadunt, non obstante tanta distantia inter nos, & Cœlum ipsum: ita caderent substantiales, si quæ essent: & ratio est, quia mutationes naturales proportionari debent corporibus, in quibus fiunt, atqui corpora cælestia sunt valdè ingentia, vnde si in suis partibus mutationes substantiales paterentur eæ nobis innotescere deberent, supplendo sua magnitudine distantiam, qua longè sunt à nobis. & per hoc patet responsio ad paritatem. Concedo enim quod si quis esset super sidera constitutus, non posset substantiales mutationes, quæ fiunt in elementis, discernere; sed nego consequentiam. Disparitas est, quia magnitudo globi elementaris non est tanta, vt supplere possit defectum proportionatæ distantiæ, quæ inter potentiam visuam, & obiectum suum ad comparandam experientiam necessaria est. vnde ex primo mobili nulla appareret elementorum diuersitas. 14

Con-

Contra verò cœlestium sphærarũ magnitudo est penè immensa. Quare rectè supplere potest defectum propinquitatis requisitæ ad hoc, vt potentia visiua possit de obiecto suo certificari; quãuis enim initio propter paruitatem, earum corruptio insensibilis esset; at procedente tempore deberet excrescere, & dilatari, atque adeò nostrorum sensuum experientiæ subijci.

SECTIO TERTIA.

Proponitur, & soluitur obiectio ex nouis stellis deducta.

14 OBijcies quartò: Astra Cœli sunt generabilitati, ac corruptibilitati obnoxia; ergo Cœlum est substantialiter corruptibile. Consequentia patet, quia Cœlum cum sit astrorum sedes, ac domicilium, nequit maiorem incorruptibilitatem, aut perfectionem habere, quam illa habeant. Antecedens verò suadetur multiplicitèr; & primò quia Plinius *lib. 2. cap. 20* refert Hipparcum Astrologum animaduertisse in Cœlo quãdam nouam Stellam, quæ postea euanuit; deinde anno salutis 389. noua stella in Cœlo apparuit, & paulò post sequuta est Romę vastatio facta per Alaricum. Item Anno 1572. apparuit noua stella in signo Cassiopeæ, quę initio videbatur esse paris magnitudinis cum Venere, post paucos verò menses facta est paulò minor, quæ cum ferè per biennium durasset, repente euanuit. Denique anno 1618. tres visi sunt in Cœlo cometæ, quorum maximus macheræ speciem præ se ferebat, qui omnes post aliquot dies extincti sunt. ergo Cœli stellæ sunt generabilitati, & corruptibilitati obnoxię, quod erat probandum.

Ad hoc argumentum variæ sunt Doctorum responsiones, quas oportet examinare. Prima est eorum, qui volunt, huiusmodi phænomena fieri in Cælis à Deo supra ordinem naturæ in bonũ mortalium, vt eos deterreat, & à malis, quę operantur sine metu, compescat; dum animaduertunt esse in Cœlo supremum Dominum, qui omnipotentia sua illos de futuro iudicio admoneat. Quod confirmant ex eo, quia huiusmodi siderum apparitionibus ferè semper aliquid protenditur sequuturum, quod cum ab hominum libertate pendeat, nonnisi à Deo præsciri potest. Sic Conimbricenses, & alij, inter quos Arriaga, Ouiedus, Giattinus.

Sed contra hanc responsionem facit, quia licet 16 Deus hęc, & his maiora facere de absoluta potentia possit, vt patet Iosuè *cap. 10.* vbi dicitur, quod Sol cõtra Gabaonitas cursum suum sistendo intermisit. & Isaiæ *cap. trigesimo septimo*, quod decem lineis per gradus, quos descenderat, reuersus est: nihilominus cum causæ occultorum effectuum inuestigantur, non est Philosophi ad Dei extraordinariam potentiam, tamquam ad machinam recurrere, ob hoc præcisè, quia causa ignorantur à nobis; nisi aliunde constaret effectum illũ vires naturæ superare, quod non habetur in casu nostro, cum præsertim difficile sit explicatu, num ex præexistenti materia cælesti Deus hæc Phænomena faciat: an verò illa totaliter de nouo creet: & quo modo compenetret ipsa cum Cœlo, an verò faciat, vt Cœlum condensetur, vt cedat eis locum neque ratio, quæ adducitur ad dictum hoc confirmandum, solida est. Facile enim negari potest mirandos eventus, qui eiusmodi phænomena consequuti sunt, ab hominum libertate pendentes, habuisse cum eis connexionem vllam; & posito quod ex Dei voluntate illam habuerint, dici probabiliter potest, quod cum animaduertisset Deus homines illis nouitis apparitionibus licet naturalibus, non venire in cognitionem suorum peccatorum, diuinæque Iustitiæ, ac Malitiæ, quam offendunt, ad eos puniendos se determinasse, ad eum planè modum, quo si videret aliquos in mari tempestate iactatos non desistere à peccatis, eos postea vel naufragio, vel seruitute puniret.

Respondent alij secundò: huiusmodi stellas à 17 principio mundi fuisse productas, & nunc etiam conseruari: adeò tamen exiguas in se esse, vt videri non possint. Visas autem aliquando, eo quod earum species transeuntes per quasdam exaltationes, seu vapores existentes in aere ad modum vitri, refractæ sunt, & veluti condensatę, ideòque stellas illas nobis visibiles reddiderunt.

Sed contra est primò, quia si dictæ exhalationes 18 haberent vim ostendendi nobis stellas, quas antea non videbamus: deberent etiam habere vim eas, quas videbamus, maiores ostendere; sed hoc non experimur; ergo &c.

Contra est etiam secundò: quia si huiusmodi stellarum apparitiones ex sola specierum refractione prouenirent: non posset dicta stella in omnibus ferè mundi partibus eodem tempore apparere, & multò minus retinere eundem aspectum: nam si Luna ipsa propter vicinitatẽ ad terras, patitur aliquam aspectus diuersitatem, ex diuersis mundi partibus visa; quanto magis huiusmodi stellæ, cum summa exhalationum altitudo non posit quinquaginta duo miliaria superare, vt ostendunt Mathematici: qui benè ex hoc deducunt impossibile esse eandem stellam beneficio exhalationum à remotissimis regionibus eodem tempore conspici posse.

Respondent alij tertiò: Terrestres quasdam 19 exhalationes Cœli regiones permeasse, & ibi accensas veluti sydera emicuisse. Sed contra est primò, quia malè Cælo fuisset à natura prouisum, si posset ab exaltationibus terreis permeari.

Contra est etiam secundò: quia stella, quę ap- 20 paruit in signo Cassiopeę fuit magnitudinis Veneris, vnde si fuisset in octaua sphęra, debuisset esse duplo maior qualibet stella primæ magnitudinis: cum autẽ quælibet stella primæ magnitudinis cõtineat in se magnitudinem terrestris globi centies septies: iam stella illa fuisset maior terrestri globo ducenties quaterdecies. Vnde ergo potuerunt emergere tot exhalationes, quæ accensæ tantùm exhiberent incendium, duorum annorum spatio perdurans? Profectò si tota terra in exhalationes dissoluta fuisset, non potuisset illi stellę magnitudinem, & alimenta tanto tempore subministrare. Quod si in hac stella responsionis huius vanitas apparet: quid dicendum de Plancta, qui visus est anno 1618. occupare viginti gradus, hoc est decimam octauam partem totius firmamenti. enim verò non solùm terrestris globus sed nec omnia elementa sufficiens ad dandũ alti corpus, non dico pabulum per aliquot dies.

Digitized by Google

21 Respondent alij quartò: Cometas apparere ex eo, quod minutissimæ stellæ, quæ solitariè sumptæ à nobis videri non possunt, simul coniunganctur, & sic conspiciendæ instar vnius syderis reddantur. quæ postea per motum dissipatæ, iterum inuisibiles fiant, & euanescant.

22 Sed contra est primò: quia stellæ, quæ propter paruitatem suam videri non possunt, si cum magnitudine firmamenti comparentur, videntur habere respectu illius rationem puncti physici. quot igitur milliones huiusmodi stellarum fuissent necessariæ, vt simul coniunctæ componerent magnum illum planetam, qui anno 1618. apparuit?

Contra secundò fac concurrisse: non potest explicari, quomodo tanto tempore potuerint remanere coniunctæ. si enim videmus eclipsim Solis, & Lunæ breui temporis spatio perdurare, eo quod non possint diu eandem proportionem distantiæ dicti Planetæ cõseruare, quanto magis igitur hoc deberet accidere in tot tantisque stellulis, accidentaliter in vnum veluti corpus Cometæ formandum concurrentibus.

23 Respondent alij quintò sequuti Claramontium *in suo Antisthycone*: huiusmodi cometas non fuisse in Cœlo, sed in aere, quamuis propter nimiam distantiam visi fuerint in Cœli soliditate, & crassitie, extitisse. cui responsioni fauet Aristoteles *in Metheoris* asserens Cometas esse in aere, & non in Cœlo.

24 Sed contra est, quia cum hæc responsio nostræ conclusioni de Cœlorum incorruptibilitate faueat; si à nobis sustineri probabiliter posset, vtique deberet, & non aliud in re adeò difficili inuestigare. Sed non posse probant omnes ferè doctissimi Astronomi nostrum temporum, qui vnanimi consensu se deprehendisse testantur huiusmodi phænomena in crassitie ipsa Cœli, à quibus discedere, eisque nolle credere, temerarium esset; cum præsertim testentur, obseruationes, quas fecerunt, non quemlibet per se ipsum, sed ex compacto, & conspiratione quadam quamplures in distantissimis regionibus existentes, eas fecisse. Dicere autem omnes illos deceptos fuisse: est potius dare manus argumento contrarij, quam responsionem afferre. Ad id autem, quod dicitur de Aristotele: fateor eum existimasse Cometas ex terræ exhalationibus fieri, & non se attollere supra totum aerem. Sed danda est illi venia, cum enim vsque ad suam ætatem non fuerint adhuc inuenta mathematica instrumenta, præsertim Tubus opticus, quo omnes syderum apparentiæ, motus, & distantiæ magna certitudine obseruantur, non est mirum si cũ cæteris antiquis Mathematicis sui tẽporis in hoc errauerit.

25 His igitur responsionibus posthabitis, respondeo ad obiectionem, distinguendo antecedens: astra Cœli sunt generabilitati, & corruptibilitati accidentali obnoxia, concedo. generabilitati, & corruptibilitati substantiali, nego antecedens, & consequentiam; ad probationem antecedentis dico, quod quemadmodum ex nouæ Lunæ apparitione, eiusque augmento, ac decremento totali, male quis coniceret, eam esse generabilem, & corruptibilem substantialiter; constat enim omnes hasce diuersitates per solam accidentalem mutationem quo ad lumen saluari posse. sic aduersarij malè ex harum stellarum ostensionibus, & occultationibus eas esse generabiles, & corruptibiles substantialiter inferunt; cum nullam aliam mutationem experiantur, nisi quantum ad lumen. Si enim ex eo, quod videant Lunam singulis mẽsibus dictas mutationes subire ex diuerso Solis aspectu, de eius incorruptibilitate certificatur, meminisse debent integram reuolutionem totius cœlestis globi ab occidente in orientem absolui iuxta Ptolemæum annis 36000. iuxta verò Alfonsum Regem annis 49000. quæ motus duratio dici solet annus Platonicus; eo quod tanti temporis spatium omnes Cœli partes eiusque sydera requirũt, vt reuertantur ad locum, à quo discesserunt, quando primò fuere creata. quod si obseruassent Cœlum in eadem denuo positione positum, in qua fuit, huiusmodi nouas stellas iterum non ostendisse: tunc potuissent rationabile fundamentum habere dicendi huiusmodi stellas substantialiter genitas, & corruptas fuisse.

26 Instabis: non potest explicari qua ratione supradicta sydera post tot sæcula ceperint de nouo illuminari, & rursus post modicum tempus obscurari; ergo data responsio est fictitia.

Respondeo primò dato antecedente, negando consequentiam. ratio negationis est, quia ad saluandam Cœli incorruptibilitatem non est necesse, vt sciamus nos reddere rationem de qualibet apparentia in particulari; quæ in eo de nouo conspicitur: quia cum omnis scientia ingeneretur in nobis per experientiam sensuum; nos verò non potuerimus habere experientiam omnium eorũ quæ de nouo affert Cœlo, hæc vel illa syderũ correspondentia, quia hæc, aut similis nunquam antea in Cœlo fuit: Hinc est, vt non possimus assignare causas in particulari eorum omnium, quæ hactenus in Cœlo conspicimus; sufficit igitur si ostendamus, ea conuenire in ratione generica cum alijs mutationibus, quas experti sumus esse accidentales, & non substantiales. Et per hoc saluatur argumentum nostrum ab experientia ductum, quo asserebamus, quod si Cœlum corruptibile esset quoad substantiam, aliquam substantialem mutationem in eo fuissemus experti, quæ per solam luminis mutationem saluari minimè posset. quidquid sic, num, quæ de nouo conspicerentur, essent, vel non essent eiusdem rationis specificè cũ præcedentibus.

27 Respondeo secundò ad instantiam, negando antecedens. Dico enim quod si ponamus Cœlum fluidũ, facili negotio componi omnia possunt. dicẽdo quod huiusmodi astra nobis antea latuerint quatenus valdè distabant à nobis, & in Cœli altissima parte morabantur; procedente verò tempore, id exigente secta vniuersi gubernatione, ad eam distantiam descendisse, in qua cerni possent à nobis, & iterum postea discessisse, seque occultasse. quę quidem solutio eo amplius placere debet, quia non nisi mutationem accidentalem quãtum ad locum in huiusmodi astris ponit: & saluat motum proprium illis, quem aliquando habere videntur.

28 Respondeo denique tertiò admissa soliditate Cœlorum, negando item antecedens; & supponendo quod res quantumuis solida, possit tamen ex accidenti in aliqua sui parte de nouo magis cõ-

denſari

densari, & in alia magis rarefieri : Dico, quod quemadmodum Cælum pati potest aliquam mutationem in lumine, & motu, & si incorruptibile sit, & solidum : ita & in densitate, & raritate. Vnde vi Solis, & stellarum possunt aliquę eius partes denuo condensari, & reddi aptę reflectere lumen, & sic in planetas accendi, donec pristinam raritatem acquirant. Quatuor argumentis hanc tertiam viam Pater Gaetinus impugnat pp. 14. 15. 16. primò sic : vel Cælum inclinat ad nouã hanc densitatem, vel non ; si primum ; ergo violenter ea à principio priuatum est : si secundum, violenter illam de nouo patitur; vtrumque ast absurdum ; ergo &c.

Respondeo primò ad hominem : quia hic au- 29
ctor ex suppositione, quod Cælum sit fluidum, nullum putat esse absurdum, quod in aliquibus partibus plus æquo condensetur, in alijs verò plus æquo rarefiat, sic *ait sequuti immediatè post primũ dictum* : quid mirum igitur, si hoc nos dicamus, posse quod sit densum.

Respondeo secundò : Cælum nulla facta suppo- 30
sitione inclinare ad eam raritatem in suis partibus habendam, quam initio habuit. Sed ex suppositione nouæ actionis, vi Astrorum in aliquibus partibus habitæ, inclinare ad habendam in eis densitatem oppositam : ita tamen vt intra latitudinem status naturalis vtramque admittat. Ad eum planè modum, quo intra latitudinem status naturalis admittit equus in specie albedinem, & nigredinem, & idem homo prius corporis breuitatem, & postea longitudinem, ac rursus in senectute ad pristinam breuitatem inclinat.

Arguit secundò : Si Cometa ex huiusmodi 31
Cæli condensatione resultaret, deberet pro diuersitate situs Solis diuersę figuræ, ac magnitudinis apparere. Sicuti Luna, quę à Sole diuersimodè illuminatur ; sed hoc non euenit ; ergo &c.

Respondeo, negando sequelam ; quemadmodum enim in cæteris syderibus hæc diuersitas sensibiliter non apparet, ita neque apparere debet in Cometis. & ratio potest esse, quia nimia distantia impedit, ne discernatur à nobis, si qua diuersitas habeatur.

Arguit tertiò : huiusmodi densitas deberet fieri 32
paulatim, ac paulatim destrui, & sic Cometa quando fit de nouo, deberet prius apparere obscurior, deinde clarior, quando verò dissoluitur, remitti deberet paulatim eius splendor ; atqui ipse statim illuminatur, & statim deficit ; ergo &c.

Respondeo quod etiam si hoc in rei veritate contingat, tamen vel non potest à nobis plenè discerni, vel si potest, non est facta adhuc sufficiens diligentia ad huiusmodi diuersitatem deprehendendam ; quod si facta est, eam Astronomi, vtpotè nil facientem ad institutum suum, posteritatis memoriæ commendare contempserunt.

Quartò denique arguit, quia sic non posset sal- 33
uari motus Cometæ, quamuis enim illa pars Cæli condensata, moueri posset motu vniuersali ab oriente in occidentem, at non motu proprio, quèadmodum moueri conspiciuntur Planetæ, qui infra octauam sphæram apparent.

Respondeo primò : hoc argumentum etiam 34
soluendum esse ab eius Auctore ; quamuis enim ille putet Cometas miraculosè fieri à Deo in Cælo. Difficile adhuc explicare potest quomodo moueantur, cur versus hanc potius, quam versus illam partem, & cum tanta semper velocitate ? Præterea Cælum per ipsum solidum eius, vel ergo ad motum proprium Planetæ scinditur Cæli, vt cedat ei locum, vel compenetrantur simul ; quodcunque autem dicat, negari non potest, quin multiplex miraculum, duratis per multum temporis, ponat in mundo, & quidem sine necessitate ; cum magis ad finem inuentum à Deo fuisset accomodatum aliquod aliud signum, cui non adeò leges naturæ repugnarent.

Respondeo secundò : admissa soliditate Cælorũ, 35
sustineri probabiliter posse Cometã nõ moueri ; sed semper successiuè produci nouam densitatem, corrupta priori ; & sic successiuæ partes Cæli illuminari, ad eum planè modum, quo filum successiuè comburitur. Impugnat hanc responsionem auctor, quia inquit, manentibus eisdem causis eodem modo applicatis, non est, cur prior densitas tam celeriter corrumpatur ; sed Sol, & planetæ, qui sunt causæ illius densitatis, non mutant locum ita celeriter, nam etiam simul cum eis planeta mouetur ; ergo &c. Sed contra est primò, quia dici potest dari etiam in Cælo alias causas occultas nobis incognitas. Contra secundò, quia etiam si non dentur alię, potest quis probabiliter sustinere combinationem earum stellarum, quæ illam densitatem in Cæli parte causarunt, tanta velocitate circumferri, quanta videtur Cometa moueri, & sic successiuè in alijs partibus causare similem densitatem, & simul eam successiuè illuminare.

Instabis : stellæ inter se essentialiter differunt. 36
ergo non potest saluari productio Cometarum per accidentalem mutationem.

Respondeo nonnullos probabiliter negare antecedens : sed eo admisso, nego consequentiam, disparitas esse potest, quia in cæteris stellis notabilem diuersitatem in suis proprietatibus animaduertimus. Quædam enim quando prędominantur, siccitatem causant in mundo ; quædam verò humiditatem, &c. In Cometis autem huiusmodi diuersitatem minimè experimur : & ideo dicimus in hac via, eas non differre à reliquis Cæli partibus, quæ stellæ non sunt, nisi accidentaliter.

SECTIO QVARTA.

Examinatur obiectio de maculis Solis.

OBijcies quintò : ab anno vndecimo supra 37
millesimum sexcentesimum Astrologi obseruare ceperunt in Sole quasdam maculas de nouo apparere, ac paulatim crescere, & tandem vel euanescere, vel in faculas ignescere ; sed hæ maculę non possunt aliunde prouenire, nisi ex corporibus quæ in Cælo de nouo generantur, & corrumpuntur ; ergo Cœlum est generabile, & corruptibile secundùm aliquas sui partes. Priusquam quid sentiamus de his maculis exponamus, placet aliorum sensus examinare.

Respondent igitur aliqui primò ad hoc argu- 38
mentum : huiusmodi maculas esse solùm apparentes, non autem existere à parte rei.

Sed contra est, quia sic maculæ solares essent 39
ocu-

Digitized by Google

oculorum figmentum, & realiter non existerent. vnde non potuissent tot Mathematicorum suffragijs comprobari, omnes enim in regionibus quàsumuis disiunctissimis existentes, nimirum in Italia, Gallia, Polonia, Hispania, noue orbe, Belgio, & vniuersa Germania easdem maculas in Sole se obseruasse testantur, vt pudeat, inquit Pater Scheiner in sua Rosa Vrsina, eis non credere. cum præsertim non vno tantùm modo, sed ferè septem diuersis modis, ac experientijs, quæ ab eodem auctore numerantur, inspiciantur; quod enim non est: non potest falsò exhiberi à tam diuersis organis & cognoscendi instrumentis, alias nulla nobis relinqueretur via scientias comparandi.

Respondent alij secundò, huiusmodi corpora, quorum vmbræ Solem maculant, esse infra Lunam.

40 Sed contra est: quia vt rectè probat idem Scheiner; si corpora huiusmodi maculas conficientia, essent, vel infra Lunam, vel in ipso Cælo Lunæ; non possent in eodem loco Solis à quauis terræ regione eodem tempore videri, quia nulla Solis eclipsis, quæ similitudinem habet cum hisce maculis, quatenus ab interpositione Lunæ inter nos, & Solem causatur; nulla, inquam, eclipsis, vel in eodem loco Solis ex diuersis regionibus, vel ex omni parte vnius Emisphærij simul spectatur: at qui testatur idem Scheiner *lib. 4. cap. 1.* se super his maculis communicationem habuisse cum quamplurimis Astrologis, in diuersissimis terræ regionibus commorantibus, qui omnes ei affirmauerunt eodem tempore, eodemque loco, eas in Sole vidisse, omnem prorsus sensibilem diuersitatem respuentes; ergo omni prorsus probabilitate caret hæc responsio.

Respondent alij tertiò: quos sequitur Giattinus *quæst. 16. art. 4. in solutione obiectionis tertiæ.*
41 maculas hasce saluari posse per Epicyclos positos tam in ipso Sole, quàm in eius Cælo: siquidem Epicyclus est circulus quidam proprium habens motum, positus in crassitie circulorum eccentricorum Cæli, de quibus sermo erit inferius. hoc ipso igitur quod huiusmodi Epicycli deferunt diuersimodè partes aliquas densiores, & magis opacas per corpus solare, rectè intelligi possunt causare in eo huiusmodi maculas.

42 Sed contra est primò, quia videtur improbabile omnino Cælum Solis in tot partes orbiculares dissectum esse. non enim tot rotas ferreas vnum integrum horologium habet, quot Epicyclos orbes deberet habere hoc Cælum, vt tot diuersæ maculæ, quæ eodem tempore obseruatæ sunt in solari corpore, saluari possint, quæ si credimus Patri Scheiner aliquando ferè innumeræ apparuerunt. Contra etiam est secundò, quia maxima pars macularum non incipit Solis discum ingrediens, sed ex improuiso in medio oritur Sole, & prius deficit, quam egrediatur, quas repentinas apparentias saluari per Epicyclorum varios motus valdè difficile est, ne dicam impossibile.

43 Contra denique tertiò: quia ponere in ipso solari corpore epicyclos orbes, vt facere videtur Giattinus, inter aniles fabulas enumerandum videtur. idem enim est ac dicere; solare corpus in varias partes orbiculares dissectum, & quamlibet ex dictis partibus suum peculiarem motum habere, sicut eum quælibet macula habere conspicitur. quo nil incredibilius mihi excogitari posse videtur. Sol enim non esset vnum corpus, sed congeries plurium corporum insitorum, atque inuicem inhærentium, contra communem sensum hominum tum sapientum, tum insipientium.

Respondent alij quartò: Corpora hæc, quæ Solem maculant, reddunt, fieri per efferuescentiam, & ebullitionem ipsius Solis. 44

Sed contra est: quia ebullitio prouenit à calore, & aliud nihil est, quam quædam contrarij refugientia, vt patet ex aqua feruenti, quæ dum fugit ab igne, efferuescit, & tumorem illum excrescentem facit; sed hoc sine corruptibilitate Solis stare non potest; ergo &c. 45.

Respondendum igitur est iuxta ea, quæ diximus ad præcedentem obiectionem, ex his maculis nihil aliud colligi, quam generationes, & corruptiones accidentales in Cælo admittendas esse. siquidem solùm importare videntur carentiam luminis; & si verum est, quod accendantur aliquando in faculas, per nouæ lucis acquisitionem. neutrum autem esse sufficiens signum generationis, & corruptionis substantialis clarius ipso Sole conspicitur. Quod si velimus aliquam earum causam in particulari assignare, duplici procedere possumus via. vel enim sustinemus Cælum esse fluidum & sic dicere possumus, huiusmodi Solis maculas esse corpora quædam opaca, quæ inter nos, & partem illam Solis, quam impediunt, ne videatur à nobis, intercipiuntur. porrò hæc corpora possunt dici, vel ab initio mundi facta, & nō cæteris syderibus concreata, vel de nouo ex fluidis Cæli partibus, quæ ex multiplici agitatione, & veluti constrictione, quam patiuntur ex aliis diuersimodè se mouentibus, adeò condensantur, & constipantur: vt diaphaneitatem suam amittant, sicuti massa vitri inæqualiter congregata. 46

Item dici potest quod eadem ex maiori accessu ad Solem, vel recessu ab illo conspiciuntur modo decrescere, & modo crescere, licet maior, vel minor accessus oculis discerni non possit; vt in simili dicit Giactinus *art. 4. ad secundam obiectionem.* 47

Præterea quod ideò repente aliquando in medio Solis disco absque eo, quod ab eius margine ingrediantur, apparent. quia via recta ex interioribus partibus ad superiores feruntur, prout agitatio fluidi corporis, in quo sunt, postulat. duos motus in eis obseruant Astronomi: vnum communem ab oriente in occidentem, quem spatio viginti quatuor horarum simul cum reliquis cœlestibus corporibus conficiunt. Alterum à parte orientali Solis ad occidentalem, ratione cuius quatuordecim dierum spatio totam superficiem solaris corporis percurrunt. sed dicere quis posset, ea deferri partim impetu Solis se mouentis, & partim impetu partium fluidarum Cæli iuxta ipsum Solem existentium, quarum beneficio proprium motum habere videntur: Solis verò communem; præsertim si dicta corpora non fuere ab initio creata, sed nouiter ex Cæli partibus congregata. Quod autem partes Cœli fluidæ tanta velocitate moueantur, vt quatuordecim dierum spatio Solis discum permeant: ex earum fluiditate determinato quodam modo agitata prouenire, sustinere quis probabiliter potest. Quantum denique

quo autem ad id, quod aliquando huiusmodi macula videantur in lucidas faculas commutari, distinguendum putarem; vel enim ponuntur esse corpora initio à Deo creata, & sic dici posset ea habere partem superiorem versus Empyreum lucidam, inferiorem verò versus nos obscuram; vel dum impetu quodam rapiuntur à Sole, & quidem maiore, propter cessationem condensationis paulatim fluidarum reuoluere se, ac lucidam nobis partem ostendere, vel ponuntur nunquam fieri, & sic dici potest ea opacitatem à se excutissimo hoc, quod diaphanitatem maiorem ea, quam habere solent reliquæ partes in se producerint. Ad eum planè modumque facere solent corpora, quando violenter condensata sunt, quæ ad hoc, vt ad suum naturalem raritatis statum recedere dicant, maiorem raritatem ea, quam habebant existentia prius in se producunt, & postea paulatim ex clusa excessa ad gradum, quem debent naturaliter habere, perueniunt.

48 Atque hæc, posito quod Cœlum fluidum sit; ex suppositione autem quod sit solidum dici potest, quod actione quorundam astrorum, ad idem punctum suos radios dirigentium, partes Cœli plus æquo successiuè condensentur, & reddantur opacæ, ita vt initio ex paruis bypocedente tempore crescant in magnas, & ex magnis postea decrescant in paruas, donec penitus euanescant, & pristinam raritatem, ac diaphanietatem adquirant.

49 Contra priorem viam videtur obstare, quod experientia constat dicta corpora nunquam obumbrauerint reliqua sydera à sensu suo, quod quidem facere debuissent, cum non sit maior ratio. Ad quod respondeo huiusmodi obumbrationem reliquorum sydetum ab huiusmodi corporibus ideo non fieri, sed eam esse imperceptibilem, propter brevitatem temporis, in quo durat. Cum enim sydetum corpus minutissimum nobis appareat, & velocissimè moueatur, non potest oculus aduertere brevissimam illam temporis moram, in qua à corporibus vmbrantibus occultetur. cum præsertim ignoremus, quando nam dicta corpora sydus aliquod debeant eclipsare.

50 Contra posteriorem verò obstat primò: quia hoc ipso, quod Cœli partes condensarentur, & rarefierent, non Cœlum non esse solidum; nam per condensationem, partes, quæ prius longius aberant ab inuicem, fiunt viciniores, per rarefactionem verò, quæ vicinores erant, fiunt remotiores, ad vtrumque autem est necessaria mollities, vt patet ex metallis, quæ prius liquefiunt igne, vt reddantur fluida, quam dein solo condensentur, ergo &c. Confirmatur, quia tribus modis tantùm potest condensatio. Primò per solam corporis condensati compressionem. Secundò per penetrationem alterationem. Tertio mediante generatione, & substantiæ. Sed hæc, quæ ponitur in Cœlo, neque primo modo ergo vel secundo, vel tertio, vtrumuis dicatur, sequitur Cœlum esse corruptibile, ergo &c.

Respondeo, quod quando disputatur, vtrum Cœlum sit fluidum, an verò solidum, sensus non est, quod ita habeat vnum ex his qualitatibus, vt nihil habeat contrarij, sed sensus est, vtrum habeatur in gradu excellenti, qui ergo asserunt illud esse solidum, non negant in eo aliquid molliciei in gradu remisso; hanc autem ei sufficere vt sit condensationis, & rarefactionis capax constat ex re campana, quod non obstante, quod absolutè solidum, fieri potest nihilominus in eius partibus, quæ ferrea clauo idem fermentum magis ac magis condensari, per quæ patet responsio ad rationem dubitandi. Ad confirmationem verò aio. Triplicem illam condensationis causam, quæ desumitur ex Aristotele ad corpora corruptibilia pertinere, cum quo tamen stat nec dici posse, condensationem, quæ fit in Cœlo imitari secundum modum, quo sublunaria condensantur, quatenus causantur ab occultis quibusdam qualitatibus, quæ beneficio concursus quorundam astrorum, quantumuis nobis incognitorum in illis Cœli partibus producuntur.

Atque hæc dicta sint pro vtraque via. Cæterùm quæ nam ex illis sit probabilior, & quæ probabilius soluat difficultates propositas, ex his quæ in disputatione sequenti tractabimus, luculenter apparebit.

DISPVTATIO TRIGESIMA SEPTIMA

DE COELI SYSTEMATE, SEV CONSTITVTIONE

Quo ad fluiditatem, vel soliditatem.

VAldè celebrem his temporibus præsentem controuersiam reddidere recentiores Astronomi suis accuratissimis obseruationibus, quas, quia antiquiores Peripatetici facere non potuerunt, defectu instrumentorum ad eam perfectionem, quam in præsentia habemus, nunc temporis non assurgentium; ideò vnanimi consensu Aristotelem sequuti Cœlos esse solidos pronunciarunt. Contra verò hisce temporibus Astronomi nouæ illæ mutationes in Cœlis obseruatæ inducunt, vt illos nonnisi fluidos posse esse, defendent.

SEC-

SECTIO PRIMA.

Num Cœlestia corpora sint solida seu fluida.

1 CAelestia corpora, sunt duplicis generis, quædam sunt sydera tum fixa, tum errantia: quædam verò sunt ea corpora, in quibus tanquam in campo quasi moventur sydera ipsa, conspiciuntur.

2 Quantum attinet ad corpora primi generis, sit vnica conclusio: sydera tum fixa, tum errantia solida sunt, non fluida: est communis, paucissimis exceptis: & probatur, quia nisi huiusmodi corpora essent solida, non haberet quisquam esse naturas eorum, quæ exigunt perpetuo circumduci. Corpus enim fluidum non est ad motum idoneum: & quod eius partes agitatione ipsa disconiungantur ab inuicem necesse est, situm, & positionem ipsarum mutare. Quamobrem inter somnia mihi visa est sententia eorum, qui dicunt Lunam esse navium aquarum oceanum, & Solem liquidum igitur dicunt Lunam tactam à nostris, licet ad hoc confirmandum adduci possit testimonium nonnihil Astronomorum, qui putantur se obseruasse corpus solare magna ex parte combustum. Ex quidem quantum ad Lunam attinet, si ea esset liquida, quomodo in tanta agitatione eius maculæ semper eumdem seruarent ordinem ad reliquas sui partes, & non potius nunc in vno loco, nunc in alio in lunari corpore fluctuantes apparerent? Profectò non potest reddi alia huius rei ratio, nisi dicendo, quod huiusmodi aquis insolido vasi vndique pleno, & obturato fermentis inclusis, eodem motum mouentur, & sic eundem semper situm in eo seruent. Sed contra hoc facit, quia tam solidas in lunari corpore necessarias esse coctiones. Ad quid igitur ponere etiam fluiditatem, cum præsertim fluidum esse illud corpus fulciendo

2 eo, dicere debeant per accidens, & ab extrinseco ipsum consistere, eundemque situm partium retinere, non verò ex se, & ab intrinseco.

3 Confirmatur, quia vel illa soliditas esset propria totius Cæli, & sic meliorem Cælum constitutionem haberet, quam sydera: vel esset propria solius extimæ partis lunæ, & sic corpus lunare ex fluido, & solido coaugmentatum esse deberet. vtrumque autem videtur improbabile: quod verò de Sole dicebatur, multò difficilius, & improbabilius apparet. nam si sic esset constitutus, vt dicitur, iam ageret in se ipsum, atque adeò deberet identidem diminui, & quantum ad lumen, quod in se habebat prius, & quantum ad vires producendi ipsum lumen, & varias qualitates, quæ sunt in reliquis corporibus tam cælestibus, quàm sublunaribus, quod videtur manifestè absurdum.

4 Neque dicas cum aliquibus: Corpus solare ex combustione continua non passum esse diminutionem aliquam, eo quod semper reparantur partes deperditæ per hoc, quod in earum materiam iterum conuertuntur formæ substantiales Solis, quæ deperditæ sunt, & reliqua substantia Solis, quæ remanet. Contra enim est primò, quia si à priuatione ad habitum daretur immediatus regressus, illæ partes, quæ propter easdem dispositiones formam substantialem Solis amiserunt, iterum postea immediatè illam acquirunt. Contra secundò, quia illæ partes vel amiserunt formam Solis, ex quod actione corruptiua egerunt in seipsas, & hoc non est possibile, vt suppono ex dicendis cum de generatione: vel eo quod actione corruptiua aliæ partes superstites eiusdem Solis in illas egerunt. & hoc neque, quia non possent postea eædem partes introducere in partes corruptas formam Solis, vt dicunt in auctores; supponerentur enim contrarias qualitates in eas prius introduxisse. Quomodo ergo postea quas introduxerunt, destruere valeant? Denique, quo ab partes combustas attinet, contra est terciò, quia hinc apparet contra monia Astronomorum, se ipsos contraria. dum aliquorum asserunt se obseruasse corpus solare esse magna ex parte combustum: nam si ita est, quomodo semper partes deperditæ vi partium superstitiarum reparantur? vel si reparantur ab eis quomodo est magna ex parte combustum? Profecto si partes superstites non potuerunt initio in paucam partem deperditam Solis formam introducere, multò minus poterunt nunc, quando partes corporis excrescunt in eam ingentem molem, & sic esse est Solem diminutum esse quod minimum fuerit, & multò magis fore diminuendum imposterum, quod est contra omnem experientiam.

5 Neque dicas cum aliis, verò corpus solare ab aliquantulum nostris temporibus diminutum, licet tale non appareat ex eo, quia diminutio hæc facta in partibus extimis solaris Peripheriæ, sed in internis.

6 Contra enim est primò, quia sic Sol esset instar Bouum syluarum Sodomæarum, quæ, vt ajunt, deforis pulchra sunt, apertique delectabiliores, intus verò putrida, atque marcida. hoc autem est de pomis illis corpore laudandum esse, & reuerentiam diuinæ senectitatis: ita de Sole existimare, quæ superandum: liquidem in præiudicium diuinæ potentiæ vergit, quasi verò non potuerit facere Solem incorruptibilem, vel saltem perpetuò duraturum; sed ars velut prestigiatorum, eius substantiam intus marcentem, deforis florentem ostendat. Contra secundò, quia si hoc, quod dicunt aduersarij, verum esset: peioris conditionis esset Cælum ipsis elementis, præsertim aqua, & aere. hæc enim quamuis ex vtraque parte contrarijs oppugnentur, aer quidem igne, & aqua aqua verò aere, & terra: tamen mutuæ actionis, & reactionis beneficio nullam patiuntur diminutionem, neque in partibus extimis, neque in intimis. Vnde Sol passus fuisset interius diminutionem, quam relarcire minimè potuisset. Hoc autem videtur incredibile, & à nemine forsitan antea concessum. quantumuis enim aliqui docti viri cælestia corpora corruptibilia esse dixerint: expressè tamen dixerunt, ea minus esse obnoxia corruptibilitati, quam sublunaria. Contra denique tertiò: quia partes extimæ Solis non videntur esse diuersæ rationis, quàm intimæ: non enim putandum est corpus Solis esse heterogeneum, & simile corpori animato, quod constat partibus diuersæ rationis; ergo & animæ diminutionem, & decretionem pa-

tiam

apparentia prouenire ex fluidis Cœli partibus, quarum aliquæ dum in motu Solis condensantur, & aliæ rarefiunt, Solem ipsum cum heterogeneitate quadam repræsentant, sive videatur secundùm aliquas partes facere clarius, secundùm verò alias obscurius; ac si in eis contradictionem passus esset, quod si ponamus Cœlos esse solidos, Ad densitatem, & raritatem, quam de nouo acquirat, recurrendum esse videtur, atque hæc de solidicate stellarum.

7 Quantum verò attinet ad ipsa Cælorum volumina. Tres de hac re circumferuntur opiniones. prima est Aristotelis *lib. 2. de Cœlo & mor. 43.* & sæpe alibi, quem longo agmine eius sectatores sequuntur, qui omnes volunt Cœlos esse solidos; Secunda verò sententia est Platonis in Timeo, quem sequitur Cicero *lib. 2. de natura Deorum*, Seneca *lib. 7. naturalium quæstionum*, & Platonici omnes ex opposito putantes Cælum esse fluidum, & in eo sidera tamquam pisces in aqua, vel aues in aere circumferri, quam quidem opinionem celebrem reddidere recentiores, vt Thyco Brahe Arriaga, Ouiedus Tellez, Kircher, Nierimberg, & alij *locis citatis* à Quiros *disp. 69. sect. 3.* Tertia denique sententia est media volentium Cælum, fixarum stellarum esse solidum: Planetarum verò fluidum; quam sententiam Ouiedus *puncto 3. num. 4.* attribuit Mersenio tamquam primo inuentori *in Genesim cap. 1. versu 8. num. 9.* quem sequitur Ricciolus *lib. 9. sect. 1. concil. vnica*, & alij recentiores apud eundem Quiros. quoniam verò hæc tertia sententia nouiter inuenta nullam affert rationem, quam non afferant duæ præcedentes clariùs, quas conciliare intendit. Placet, ea omissis rationes, quibus duæ priores nituntur, singillatim in duobus sequentibus Sectionibus expendere, vt tandem quid probabilius sentiendum nobis sit, aperiamus.

SECTIO SECVNDA.

Expenduntur quinque rationes pro soliditate Cœlorum.

8 QVinque potissimum rationibus Cœlorum volumina solida esse probari solet. Quarum prima sumitur ex quampluribus scripturarum textibus. siquidem *Gen. primo*: Cælum appellatur firmamentum, quod stabile quid significat. Item *Iob cap. 37.* sic habetur. Tu forsan cum eo fabricatus es Cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt.

9 Quamuis autem verba hæc sint Eliu, qui fuit vnus ex amicis Iobi, quorum omnium stultitiam Deus *cap. 42.* reprehendit: ea tamen facere auctoritatem patet ex *cap. 3. ad Corinth.* vbi Paulus citat tamquam diuinum oraculum id, quod dixerat Eliphaz alius amicus Iob *cap. 5.* Qui apprehendit sapientes in astutia eorum. 3. *Isaiæ 51.* dicitur, quod in die Iudicij Cæli, sicuti fumus liquescent, ergo nunc solidi sunt, alioquin tunc non liquescerent. Quartò denique *Psal. 32.* sic habetur: Verbo Domini Cœli firmati sunt. Quod autem firmum est, non est fluidum, sed solidum; ergo &c. Sed auctoritates contrariæ sententiæ respondent has, & similes auctoritates explicando. Ad primum ergo dicunt nonnullos existimare nomine firmamenti venire solum aerem, qui est immediatus aquis nostratibus, eisque, quæ supra ipsum aerem existunt, eumque dici firmamentum propter durationem perpetuam, quam habet. Alios verò putare, quod veniat conflatum ex Cœlo, & aere, quatenus hoc totum est, quod diuidit aquas, quæ sunt sub Cœlos ab eis, quæ super Cælos sunt. quod enim diuidit vnum ab alio, debet esse immediatum vtrique extremo. dici verò huiusmodi conflatum firmamentum propter indissolubilitatem maximam, quam habet. Neutra expositionem approbant alij, quia firmamenti nomine illud corpus donatur à Moyse, de quo ipse postea enarrat, Denique exposuisse Solem, Lunam, & stellas, quas die quarta creauit, vt vidimus supra: sed hoc neque solus aer est, neque conflatum ex Cælo, & aere, sed solùm Cælum sidereum; ergo &c. Ad rationem verò, quæ sumitur ex immediatione, quam corpus diuidens debet habere cum extremis, dicere possent, quod verò Cælum sidereum, quando fuit creatum, erat immediatum vtrique aquis superioribus quidem, quia inter se, & illas nil erat medium. Inferioribus verò, quia hæ die secundo replebant totam intercapedinem, quæ mediat inter terræ superficiem, & concauum Cæli Lunæ. verum postea cum die tertia Deus terram excauasset, & partes, quas extraxit, in montes euexisset, atque in profundissimas illas cauitates tamquam in locum vnum aquas, quæ sub Cælo erant, congregasset, quia terræ voragines totam illam aquarum congeriem capere non poterant: ex remanentibus Deus duo subtilia corpora produxit: aerem, & ignem, quæ occupando spatium, quod intercipitur inter terram, & Cælum, fecerunt vt appareret arida, vt ibidem dicitur. ex quibus patet Cælum sidereum secunda die verè fuisse immediatum superioribus, & inferioribus aquis, easque diuisisse. vnde quantum est ex hoc capite, non esset, cur nomine firmamenti non veniat ipsum Cœlum. Vide Salianum, qui *initio tom. primi suorum annalium*, hanc rem eruditissimè tractat. negat tamen ex eo, quod appelletur firmamentum, rectè colligi ipsum esse solidum, quia si litterarum hæbraicarum peritis credamus, firmamentum in ea lingua non significat rem solidam, sed extensam in modum laminæ, quod æque competere potest Cælo, siue solidum sit, siue fluidum.

Ad secundum ex Iob dicunt; Cælos non dici 10
solidissimos propter duritiem, quam habeant, nec in ea comparari cum aere, sed propter firmitatem, & stabilitatem, quam habent, & quantum ad esse, & quantum ad locum proprium conseruandum, quo ad vtrumque enim se habent ac si aerei essent.

Ad tertium ex Isaia aiunt: liquescentiam, quæ 11
ibi tribuitur Cælo, significare propriè euanescentiam, & consumptionem, sumpta metaphora à niue, quæ liquescendo consumitur. vnde immediatè post subiungitur, & terra sicut vestimentum atteretur. ex quo euidenter deducitur sacram vatem metaphoricè loqui.

Ad quartum denique ex psalmis respondent, quod firmitas illa, quam verbo Domini Cælos ha-

habuisse peribetur, eorũ consistentiam, & perpetuitatem quantum ad esse, & operari, nec non etiã quantum ad persistendum in eodem loco, significet; Quod si instat Giattinus dictas auctoritates cum possint accipi in sensu rigoroso, non debere detorqueri in sensum minus rigorosum. negant quod detorqueantur; alioquin detorta fuissent à SS. Chrysostomo, Iustino & alijs, qui Cœlos omnes fluidos existimarunt; nam, vt notat Maldonatus *in cap. 4. Ioan. numero 144.* cum scriptura duos probabiles sensus habere potest, alterum præcidere fidelis interpretatio non debet.

13 Secunda ratio sic procedit: Cælum est incorruptibile; ergo solidum, & non fluidum. Probant consequẽtiam; incorruptibilitas importat rei persistentiam in suo esse, sed hæc non solùm pendet ab inseparabilitate materiæ, & formæ substantialis, sed etiam ab inseparabilitate partium integralium. etiam si enim aqua maris esset incorruptibilis, tamen si posset amittere vnionem cõtinuatiuam suarum partium, mare in varias partes dissectum cessare posset; ergo &c.

14 Sed respondent ad hoc Aduersarij: concesso antecedente, negando consequentiã, cuius distinguunt probationem: perfistentia rei in eodem esse pendet etiam ab inseparabilitate simpliciter partium integralium, transeat, ab inseparabilitate secundùm quid, negant antecedens, & consequentiam: inseparabilitatem simpliciter partium appellant illam, cuius beneficio vna pars secundùm se tota separari potest ab alia, quam habent duo palmi ligni, continuum bipalmare conficientes, quorum vnus potest totaliter separari ab alio, ita vt faciant actualiter duo continua. Separabilitatem verò secundùm quid vocant illam, cuius beneficio, licet vna pars amittere possit vnionem immediatam, quam habet cum alia: non potest tamẽ amittere etiam mediatam, eo quod exigit semper cum illa componere vnum continuum, & sic saltẽ mediatè ei vniri. Hanc separabilitatem haberent partes aquæ maris, si possent inter se permiscери, amittendo immediatam vnionem, quam habent ad inuicem, dummodo nulla posset a toto mari separari, & illud non componere. Iam verò quamuis dent separabilitatem simpliciter partium non posse stare cum incorruptibilitate totius integralis, substantialiter sumpta, quod falsum est (quid enim verat partes alicuius continui esse inuicem omninò separabiles; nullam tamen posse substantialiter corrumpi?) negant tamen hoc de separabilitate secundùm quid. & ratio est, quia quamuis per eam partes deperdere possint immediatam vnionem, quam inter se habent, non tamen potest vna totaliter separari ab alia. Vnde fit, vt absolutè loquendo totum illud non solùm sit substãtialiter incorruptibile, sed etiam quantitatiuè, quatenus nunquam potest in plures partes totaliter esse diuisum. Quoniam verò Cœlum, si fluidũ est, hanc solam separabilitatem sibi vendicat; quatenus eius partes debent cedere locum astris, quæ in eo mouentur, non autem illam aliam; hinc fit, vt rectè eius incorruptibilitas cum fluiditate cõponi existimetur.

15 Instabis: Incorruptibilitas astrorum non benè cohæret cum eorum fluiditate, ergo à pari, &c. Responderi potest; negando consequentiam; disparitas est, quia cum Cœlum astrorum sedes, & locus sit eam incorrumptibilitatem sibi vendicare debet, quæ eorum varios motus impedire minimè possit, huiusmodi autem est illa, quæ stat cũ amissibilitate vnionis immediatæ partium integralium. at verò astra cum moueri continuo debeant ad hoc, vt benè à natura constituta intelligantur, debent esse solida, & partes inter se cohærentes habere, cum præsertim Cælum ipsum in nobilitate, atque perfectione superare ponantur.

16 Tertia ratio sic procedit: Cælum Empyreum est solidum; ergo & reliqui Cæli. antecedens patet, quia est ciuitas in quadro posita, ad recipienda distinctis sedibus beatorum corpora destinata. Consequentia probatur, quia inferiores Cœli non videntur esse diuersæ rationis ab Empyreo.

17 Sed hæc ratio videtur claudicare vtroque pede contrarijs; & quidem quantum ad antecedens, licet dicat Ouiedus illud esse consensu omnium Doctorum indubitatum: eius tamen probatio, in qua fundatur, non est solida: corpora enim Beatorum si requirunt in Empyreo soliditatem, vt distinctas habeant in eo mansiones non minus exigunt fluiditatem, vt sit ab eis tranabile, & permeabile: ne dicamus, quod Beati necessariò semper debeant compenetrari cum illo, vel illud sciudere quando mouentur.

18 Quare si debemus dicere, quod ei alterutra supernaturaliter competat, non est maior ratio, cur potius dicamus ei competere naturaliter soliditatem, quam fluiditatem; ego verò censerem illud partim esse solidum, hoc est secundùm superiores, & inferiores partes, & secundùm eas, quæ, cum habeant rationem mansionis; cælestem Ierusalem constituunt: partim verò fluidum, hoc est secundùm partes medias permeabiles, atque tranabiles. quid autem ex suis principijs exigat, dicere non auderem; sed dato quod exigat esse solidum: negari tamen potest ex hoc, Cœlorum inferiorũ soliditatem rectè dedui, & ad probationem in contrarium dici: Empyreum non esse eiusdem rationis cum illis, quod patet ex eo, quia Empyreum fuit initio creatum prima die cum terra. Vnde dicitur primò Genesis. In principio creauit Deus Cælum, & terram: at verò Cœlum sidereum productum est die secundo, quando dixit Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, ex quo multi colligunt Cœlum Empyreum constare materia diuersæ rationis à nostrate. Siquidem fuit concreata cum eius forma, sidereum verò ex materia eiusdem rationis, quatenus eius materia fuit concreata cum forma aquæ, ex qua postea transiuit ad formam Cœli; verum hæc diuersitas non videtur esse sufficiens ad materiæ diuersitatem essentialem astruendã, vt de se patet, sed ad summũ quod Empyreum ratione formæ nobilioris exigat soliditatem, non verò sidereum.

19 Quarta ratio est huiusmodi: si per corpus liquidum sidera mouerentur, magnum ederent strepitum exemplo auium, quæ aerem volitando sonare faciunt. sed hoc est absurdum, quia sic dictus strepitus sentiri deberet; ergo &c. Ad hanc etiam respondetur: quamplures ex eis, qui volunt Cælos esse solidos, asserere eos se confricando suauissimam

Digitized by Google

ſitam olim harmoniam, quę ſententia tribuitur Pytagorę, iuxta illud *Iob. 38.* Concentum Cœli quis dormire facit; quemadmodum ergo illi dicunt huiuſmodi concentum non audiri à nobis, vel propter improportionem, vel propter diſtantiam: ita Aduerſarij dicent ob hoc ipſum non audiri ſtrepitum illum. Adde, quod ſcuti multi putant aquam non eſſe aptam recipere ſonum, atque adeò neque piſces in ea ſe mouentes, neque iuxta ſe inuicem collidentes ſonum edere: ita dici poteſt, quod ſit ſubſtantia Cœli incapax ſoni, & ſic non eſſe mirum, ſi ex planetarum motu nullus ſtrepitus audiatur à nobis. quod ſi *Iob. 38.* dicitur in Cœlo eſſe armoniam, intelligendum eſt metaphoricè, ratione perfectiſſimi ordinis, quem ſeruant aſtra omnia in motu, & diſpoſitione ſua reſpectu gubernationis vniuerſi.

19 Quinta denique ratio petitur à diuerſitate motuum, quibus ſidera moueri videntur, ſic: nullum corpus moueri poteſt ab intrinſeco motibus diuerſis ſimul, ſed ſydera videntur moueri ſimul ab oriente in occidentem, & ab occidente in orientem, ergo vnus ex his motibus neceſſe eſt, vt eis competat ab extrinſeco; ſed ſtante Cælorum ſoliditate, quomodo id fiat, facilè intelligitur, dicendo, quod Cæli, quibus infixa ſunt, moueantur motu rapto à primo mobili ab oriente in occidentem. Proprio verò & ab intrinſeco ab occidente in orientem, at ſi ponamus Cęlos eſſe fluidos hoc inexplicabile eſt, vt docet Clauius, & alij Aſtronomi; ergo &c.

20 Verum ad hanc difficultatem ſoluendam aduerſarij in hunc modum diſcurrunt. Ponunt enim nullum corpus duplici motu phyſico moueri poſſe, quantumuis alter ex eis ſupponatur procedere à principio extrinſeco, alter verò ab intrinſeco. Rationem aſſignant, quia nullum corpus in duplici loco ſimul exiſtere poteſt; ergo neque duplici motu moueri. Quare negant minorem argumenti; ſed ea admiſſa, negare poſſunt conſequentiam, ac dicere duplicem illum motum competere ſideribus ab extrinſeco, nimirum à propria intelligentia: quæ multiplici impulſu illa impellit; quod ſi hi contendant non poſſe vnam intelligentiam, niſi vnico motu vnum corpus mouere, tenentur aſſignare diſparitatem, cur vnum corpus duplicem motum in eorum ſententia recipere ſimul poſſit: non verò vna intelligentia duplicem in eo cauſare: profecto nunquam eam aſſignare poterunt. cum præſertim virtus motiua in noſtro caſu ſit corporis mobilitate multò perfectior, atque adeò potens eam ſimul actuare, quantum illa ſimul actuabilis eſt.

SECTIO TERTIA.

Expenduntur quinque aliæ rationes, quibus Cœli fluiditas probari poteſt.

21 ALijs quinque rationibus Cœlum liquidum, & flabile eſſe ſuaderi ſolet. Quarum prima ſic procedit: ſi Cœlum cenſendum eſſet ſolidum, maxime propter antiquorum auctoritatem. Ariſtoteles enim in hoc ſequutus eſt Ægyptios, Chaldeos, & Arabes, qui fuerunt primi aſtronomicæ facultatis inuentores. Sed horum omnium auctoritas nunc nulla eſt; ergo &c. Minor ſuadetur: quia ipſi in tantùm hoc dixerunt, in quantum nonniſi octo diuerſos motus obſeruarunt in aſtris, iuxta quem numerum octo Cœlos ſolidos poſuerunt, ſeptem pro Planetis errantibus, quorum primum eſt Lunę, ſecundum Mercurij, tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, ſextum Iouis, ſeptimum Saturni, octauum verò pro omnibus ſtellis fixis. Cum enim viderent huiuſmodi ſtellas in ſuo motu diurno ſemper retinere eâdem diſtantiam inter ſe, eas in vno Cælo fixas eſſe putarunt. At ſeptem planetas videbant, neq; inter ſe neq; cum fixis eandé diſtantiam retinere; ſed modo his, modo alijs appropinquare; vnde cuilibet ex eis Cęlum proprium aſſignarunt. Sed in præſentia plures alij motus diuerſi obſeruantur in aſtris; & fortaſſis plures alij obſeruabuntur in poſterum; ergo, ne procedamus in infinitum in Cœlorum numero multiplicando, relinquenda eſt Ariſtotelis, & antiquorum Aſtronorum auctoritas, quantum ad hoc. minor ſuadetur, quia alij Aſtronomi alios tres vniuerſales motus obſeruarunt: primum quidem, quo ſtellæ fixæ tardiſſimè moueantur ab occidente in Orientem, ſecundum, quo à Septentrione ad Auſtrum, & ab Auſtro ad Septentrionem, ideoque motum hunc trepidationis appellarunt. Tertium denique, quo per trepidationem multò tardiorem ab ortu in occaſum, & ab occaſu moueantur in ortum. Vnde dicti Aſtrologi tres alios Cælos ſupra octo numeratos addiderunt, quod videtur incredibile, attenta craſſitie, qua probant vnumquodque ex his Cœlis debere cæteros inferiores ſuperare. Si enim Iouis craſſities continet per eos milliariorum millones nouemdecim ſeptingenta ſeptuaginta quinque millia 498. craſſities verò Saturni continet milliariorum 29474574. quanta deberet eſſe craſſities quatuor Cœlorum ſuperiorum cum eadem proportione creſcentium, ſi darentur, atque hęc quantum ad motus vniuerſales poſtea obſeruatos. Quantum verò ad particulares dicetur inferius: ne igitur tot Cælos ſine neceſſitate multiplicemus, debemus aſſerere vnum eſſe Cælum, idque fluidum, in quo ſtellę tanquam piſces in aqua, moueantur.

22 Reſpondet ad hoc Giattinus *quæſt. 16. artic. 6. ad primam obiectionem*, non eſſe neceſſe alios Cęlos ponere ſupra octo. quia dici poteſt motum ſtellarum fixarum eſſe miſtum illis trepidationibus, & non inſumere viginti quatuor horas, præciſè in ſua circulatione conficienda, vnde deſumatur occaſio annum platonicum numerandi.

23 Sed contra hoc facit, quia ſic corruit illud celebre antiquorum principium, quo contraria ſententia nititur: Vnicuique corpori ſimplici vnum tantummodo motum ab intrinſeco aſſignandum eſſe, iam enim ſic dici rectè poteſt, inferiores Planetas non moueri motu rapto à primo mobili, ſed à ſe motu quodam attemperato, &

Digitized by Google

& medio. Melius ergo dici posset antiquos ex motuum diuersitate, solùm corporum cœlestium, non verò eorum solidietatem collegisse. Quod si cum vnitate Cœli solidi componere potuissent tam varios astrorum motus, vtique id fecissent.

24 Secunda ratio sic procedit: nisi Cælum esset fluidum, non posset saluari, quomodo Sol, & alij Planetæ nunc apparerent viciniores nobis, nunc remotiores; sed apparent, vt certissimè se pluries obseruasse testantur Astronomi; ergo &c. Probatur sequela, quia diuersa apparentia non oritur, nisi ex eo, quod aliquando sunt nobis re vera viciniores, aliquando remotiores. sed si Cælum esset solidum hoc sustineri non posset; deberet enim totum Cœlum aliquando ad nos accedere, & aliquando à nobis recedere, vel disrumpi; ergo &c.

25 Respondet Giattinus ad secundum: negando sequelam, ad cuius probationem concessa maiore. negat minorem; & dicit: hoc benè saluari etiam si Cœli solidi sint. Posito quod ponuntur orbes eccentrici in singulis Cælis Planetarum. Cum enim hi orbes sic dicantur, eo quod habeant diuersum centrum à Cælis, in quibus sunt; & in eorum crassitie planetæ tamquam nodi infixi deferantur in illis, vnde deferentes appellantur huiusmodi orbes: hinc sequitur, quod modo Planetas deferent prope nos, modo longe à nobis. non enim habent idem centrum, quod habet terra, & cæteri orbes cœlestes, qui ad horum differentiam dicuntur concentrici, hoc est idem centrum habentes cum vniuerso.

26 Verum contra hanc responsionem facere videtur: quia sic frustratoria redderetur multiplicatio Cælorum ad octonarium numerum. Posset enim rectè constitui vnicum tantùm Cælum solidum immobile, quod varios orbes eccentricos haberet, qui deferrent omnia sidera tum fixa, tum errantia. nil enim ad hoc dicendum vetare potest: non quidem multiplicitas motus, quę eidem corpori conueniret, vt constat ex dictis ad priorem difficultatem; neque diuersitas distantiæ inter vnam, & aliam stellam; vt nunc asseritur; ergo &c.

27 Tertia ratio esse potest, quia aliqui Planetæ aliquando cursum debitum facere videntur; ratione cuius appellantur ab Astronomis progredientes. Aliquando autem videntur moueri motu retrogrado, quo tempore dicuntur retrogradi, aliquando denique videntur stare immobiles vnde Stationarij nuncupantur; sed huiusmodi motus cùm sint interrupti; & inæquales nequeunt saluari, nisi dicamus Cœlum esse fluidum; ergo &c. præterea omnes Planetę præter Solem, existentes in eodem puncto sui eccentrici siue hoc sit nobis remotissimum, quod dicitur Apogæum, siue viciniſſimum, quod dicitur Perigæum, modo apparent maiores, modo minores; sed si essent affixi sub eodem puncto existentes, semper deberent cum eadem magnitudine apparere; ergo &c.

28 Respondent Aduersarij: diuersas hasce apparentias saluari rectè posse, si in ipsa crassitie orbium eccentricorum, dicantur dari alij quidam orbes, quos appellant Epicyclos, qui in suo margine habeant Planetam, & in se ipsis circumuolantur; quilibet enim ex dictis Epicyclis, dum defert Planetam versus eam partem, versus quam mouetur orbis eccentricus, v.g. à dextera ad sinistram, Planeta videtur progredi: at verò quando illum postea defert à sinistra ad dextram, hoc est in partem oppositam, non ita, quia talis motus est contrarius motui orbis eccentrici. verum quia hæc contrarietas motus Epicycli aliquando superat motum eccentrici, aliquando non: quando non superat, videtur Planeta quiescere, quia apparet in eodem loco, & ideo dicitur stationarius, quando verò superat, Planeta videtur retrocedere, appellaturque retrogradus, & sic saluantur huiusmodi apparentiæ cum soliditate Cælorum. Quod etiam saluentur diuersæ apparentię Planetæ in Apogęo vel Perigæo patet, quia posito orbe Epicyclo in crassitie eccentrici, etiam si appareat Planeta in eodem situ respectu nostri, attenta distantia eccentrici: at verò si attendatur situs; in quo est ratione motus Epicycli, potest modo esse nobis vicinior, modo longinquior; & sic sub eodem puncto modo apparere maior, modo minor, non est igitur, cur ratione huius diuersitatis Cœlum fluidum esse dicamus.

Ex quo discursu infert Giattinus *in fine articuli* in sententia ponente Cælos fluidos, non tam benè saluari regularitatem motuum, sicuti in ea, quæ asserit eos solidos esse. Nam si intelligentia (inquit) moueret per se immediatè Planetam in fluido, oporteret sistere à motu, quando est stationarius; & retrocedere, quando est retrogradus, & modo tardius, modo velocius moueret, adeoque non daretur certa motus mensura in Cœlo, quæ habetur ponendo plures Orbes solidos, vt dictum est. Sed contra hoc Corolarium facere videtur, quia sicuti duo illi orbes, quorum alter est eccentricus alter epicyclus, possunt virtutem motiuam respectu motus Planetę attemperare, ita vt regulatissimus sit. cur non poterit idem præstare Angelus eodem prorsus modo mouendo Planetam in fluido, ac si à duobus illis principijs moueretur in solido. profectò non facilè ratio in contrarium apparet. Contra verò constitutionem epicyclorum facit, quod in tot, tamque diuersa segmenta Cœlum ponitur scissum, aque diuisum esse, vt si ei data esset optio, quid potius mallet, esse ne fluidum: an verò solidum, sed ita discissum? nemini dubium esse debet, quin potius eligeret esse fluidum; & ratio est in promptu: quia cum fluiditate eius vnitas realis rectè consistit, quæ cum soliditate saluari non potest: sed debet dici, quod quodlibet Cœlum sit vnum per hoc, quod constet ex pluribus partibus iuxta se positis, non verò realiter inter se vnitis. 29

Quarta ratio sumitur ex motu Mercurij, Veneris, & Martis, qui aliquando obseruati sunt à peritissimis Mathematicis procul à proprijs terminis assignatę sibi sphæræ progressi esse. Mercurius enim, & Venus vti sunt supra Solem, quorum propriæ sphærę ponuntur infra; Mars verò, cuius Cœlum ponitur supra eundem Solem, 30

aliquando visus est infra. Sed hoc est impossibile naturaliter, quod fiet cum soliditate Cælorum. quomodo enim huiusmodi Planetæ possent relinquere Cœlum proprium, si ei essent infixi; & in alieno apparere, si hoc solidum esset.

31 Confirmatur, quia Astronomi etiam obseruarunt duas exiguas stellas perpetuò comitari Saturnum, & modo magis ab illo distare, modo minus; nec non etiam quatuor alias comitari Iouem; vnde & Iouiales appellant, quas dicunt circa ipsum Iouem choreas identidem ducere, & modo ad eum accedere, eumque osculari: modo ab illo recedere, & occultari; & quod admirabilius est, hæc omnia sine certa lege facere, ita vt aliquando omnes ipsum comitentur, aliquando atque, & quandoque nullæ. sed hæc omnia sine Cæli fluiditate non videntur posse saluari; ergo &c.

32 Respondent aduersarij ad argumentum; non pertinere ad Philosophos has obseruationes ad trutinam veritatis expendere, sed benè ad Astrologos. Quod si experimentum de tribus Planetis modo supra Solem, modo infra visis, verum est: assignandum esse prò Sole, Venere, Mercurio, & Marte vnum tantum Cælum, idque crassissimũ, in quo singuli suos habeant orbes eccentricos, atque epicyclos. & sic Cælos ad quinquenarium numerum redigendos esse. quorum infimum sibi vendicet Luna, secundum quatuor Planetæ dicti. tertium Iupiter. quartum Saturnus. quintum stellæ fixæ.

33 Pari modo respondent ad confirmationem ductam ex Comitibus Saturni, & Iouis: dicunt enim diuersas illas apparentias refundendas esse in orbes epicyclos proprios, quos dictæ stellulæ circa suos planetas habent.

34 Sed contra hanc responsionem facere videtur, quia sic iam ab Aristotele, & primorum Astronomorum opinione receditur, & inuehitur in scholas de Cælorum numero noua sententia, non antea audita. Adde, quod fundamentum multiplicandi Cœlos solidos ductum ex diuersitate motus stellarum errantium, atque fixarum, penitus euertitur. vnde non est, cur patroni soliditatis Cœlorum antiquorum auctoritatem sibi fauere dicitenc.

35 Quinta denique ratio sumitur ex Cometis, seu stellis nouiter inspectis, & ex Solis maculis; quę certissimè in ipsis Cœlis à recentioribus Astronomis obseruata esse scimus. Si enim hæc sine Cœlorum fluiditate saluari possent, maximè dicendo, quod per aliquas occultas stellarum influentias aliquę Cœli partes de nouo condensentur, retinendo diaphaneitatem, atque hæ in Cometas, seu stellas conuertantur: alię verò ita condensentur, vt diaphaneitatem amittant: & fiant opacæ, & luminis incapaces; atque hæ in maculas conuertantur; sed hæc sine ratione sufficienti contra experientiam dicuntur; ergo dicendum est Cœlos esse fluidos: Maior patet; minor suadetur, quia ratio in experientia fundata nos docet densitatem, & opacitatem non causari naturaliter, primò, & per se, sed semper ad productionem aliarum qualitatum priorum obuenire corporibus solidis. Atqui nequit assignari, quænam sint huiusmodi qualitates, quæ aspectus plurium siderum ad eandem Cœli partem directus producat, quæ postea processu temporis dependantur, quando phænomena illa desinunt apparere; ergo &c.

SECTIO QVARTA.

Quæstio de Cæli fluiditate, vel soliditate, resoluitur.

EXaminatis hinc inde rationibus, quibus vtraque sententia nititur. quid nobis sentiendũ sit, sequentibus dictis in sectione præsenti aperiemus. 36

Dico primò: sententia media, quæ ponit Cælum fixarum stellarum solidum. Planetarum verò fluidum, non videtur admittenda. 37

Probatur, quia ea inuenta est, vt fundamenta vtriusque sententiæ facilè solueret; dicendo. quod rationes soliditatem probantes solùm conuincant Cœlum fixarum stellarum esse solidum. eas verò quæ fluiditatem insinuant, solùm ostendant Cœlum Errantium esse fluidum. Sed hoc est falsum; ergo &c. minor suadetur, quia scriptura sacra videtur indiscriminatim omnium Cœlorum soliditati fauere: præsertim loco *ex primo Geneseos*, vbi dicitur, quod Deus in firmamento, quod in medio aquarum creauit. posuit quartadie Solem, Lunam, & stellas. sic: fecit Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento Cæli; ergo si nomen firmamenti soliditatem astruit, non solùm Cœlum stellarum fixarum, sed etiam errantium solidum esse probat. Præterea ratio desumpta ex nouis phœnomenis, ac stellis in Cœlo errantium apparentibus, si eius fluiditatem probat, non minus probat fluiditatem Cœli fixarum, siquidem etiam in eo huiusmodi phænomena competa sunt. Ex quibus sequitur nullam esse rationem, ob quam duas illas classicas sententias relinquamus, & nouam hanc, quæ eas conciliare videtur, reuera tamen vtriusque contrarietatem, atque difficultates in se colligit admittamus. 38

Dico secundò: siue teneamus Cælum esse fluidum cum secunda sententia, siue solidum cum prima benè perpensis vtriusque sententiæ fundamentis, probabilius videtur vnum tantum Cœlum, & non plures constituere. Explico assertionem non loquor de Cælo; prout comprehendit Empyreũ; nam sic dico asserо Cælos esse, & vnum quidem quod est beatarum mentium domicilium, partim fluidum, partim solidum; alterum verò in quo stellę omnes tum errantes, tum fixæ conspiciuntur, quibus si addatur Cœlum aethereum globum scilicet constans ex aere, & igne habebimus numerum ternarium Cœlorum, de quo mentionem fecisse videtur Paulus 2. ad Corinth. 12. cum dixit: scio hominem raptum vsque ad tertium Cœlum, hoc est Empyreum. 39

Lo-

40 Loquendo ergo de solo Cœlo in quo tum fixæ, tum errantia sydera degunt; dico quod perpensis vtriusque sententiæ rationibus, videtur vnum tantum esse ponendum; & quidem in sententia dicentium illud esse fluidum, nulli dubium esse potest; quamuis enim videamus plura corpora fluida, vnum supra aliud posse impermista, & inter se diuisa manere, cum in hac vltima nullam habeamus necessitatem ponendi in Cœlo hanc fluidorum corporum pluralitatem: debemus dicere illud vnũ tantum esse, & quidem sicut mare, in quo stellæ tanquam pisces deferantur.

41 In sententia verò ponentium illud solidũ. Probatur, quia tota ratio multiplicandi cœlestes orbes apud veteres Philosophos, & Mathematicos erat diuersitas motuum, quam in sideribus obseruabant, eo quod putabant vni corpori nonnisi vnũ motum ab intrinseco posse competere. Sed tanta est multitudo diuersorum motuum à recentibus obseruata, vt impossibile sit secundùm numerum dictorum motuum, Cœlorum numerum multiplicare: conspiciuntur enim Planetæ moueri nunc accedendo, alias recedendo, quandoque tardando; non numquam accelerando, modo ascendendo, modo descendendo, aliquando à dextera parte in sinistram, aliquando à sinistra ad dexteram, rectè, vel obliquè, & aliter vt docet Antonius Mizaldus rerum Cœli Paradoxo secundo.

42 Vnde necesse fuit in vno eodemque orbe Cœli Concentrico orbes eccentricos, & Epicyclos suis peculiaribus motibus se mouentes constituere, vt hæc motuum multiplicitas quoquo modo saluari posset. Atqui hoc ipso, quod per huiusmodi orbes eccentricos, atque epicyclos dicta motuum multiplicitas saluatur: cessat ratio multiplicandi concentricos orbes. potest enim rectè dici vnum tantum modo dari cœlestem orbem elementis concentricum, qui moueatur ab oriente in occidentem, & in eo fiant varij orbes eccentrici, atque epicycli, in quibus deferantur Planetæ ad suos peculiares motus, prout mundi gubernatio exigit, conficiendos. Quemadmodum enim recentiores quatuor Cœlos concentricos, quos veteres assignarunt quatuor Planetis, nimirum Mercurio, Veneri, Soli, & Marti, redegerunt in vnum, assignando singulis huiusce Planetis singulos orbes eccentricos, atque epicyclos: ita etiam debent, qui redigere omnes in vnum; quia licet non militet eadem ratio in reliquis, quę militat in illis quatuor: at ex suppositione, quod ad saluandos horum tam dispares, ac diuersos motus, vnum cœlestem orbem concentricum sibi sufficere animaduersum est, omnis intellectus rectè dispositus colligere debet, multò minus pro saluandis diuersis motibus cæterorum Planetarum, & fixorũ astrorũ, plures cœlestes orbes concentricos necessarios esse: horum siquidem motus sunt pauciores, & magis regulati, quam illorum quatuor. Vnde si pro illis quatuor sufficit vnus orbis concentricus, sufficiet procul dubio pro omnibus.

43 His igitur constitutis, posito quod Cœlum sit vnus tantum orbis concentricus, discutiendum adhuc restat, num hic orbis sit fluidus, an verò solidus; pro qua re

44 Dico tertiò: qui ponunt Cœlum fluidum, omnia phœnomena, quæ hucusque obseruata sunt facilè dissoluunt, & ab omnibus difficultatibus tum physicis, tum mathematicis egregiè se expediunt: at non tam candidè, neque tanto rigore auctoritate sacrarum scripturarum iuxta vulgatam editionem explicant, sicuti faciunt illi, qui Cœlum solidum esse constituunt: Contra verò hi licet maiori sinceritate, atque rigore verba vulgatæ editionis excipiant, atque interpretentur: nihilominus tamen absolutè loquendo, non plenè satisfaciunt argumentis ex certissimis obseruationibus peritissimorum Astronomorum desumptis. Quoniam verò interpretatio, quam Cœli fluiditatem astruentes, dant sacris oraculis, non est omnino vana, aut aliqua ratione censurabilis, sed intra limites probabilitatis continetur; hinc fit, vt horum sententia ex hac parte reprehendi minimè possit; cum præsertim multorum Sanctorum Patrum auctoritate firmetur, qui videri possunt apud Ricciolum *loco supra citato*. cum autem ex parte alia egregiè satisfaciat innumeris difficultatibus, quæ ex Phœnomenis visis emergunt. Eam ego absolutè loquendo, vt probabiliorem amplectendam existimo. neque enim multiplicatio tot intelligentiarum, quot sunt in Cœlo sidera, ad eorum motus causandos me deterret. Si enim singulis hominibus, qui fuerunt, sunt, & erunt singulos Angelos in eorum custodiam deputatos esse certò scimus; quid mirum si idem censeamus loquendo de sideribus, quæ sunt corpora adeò ingentia, atque nobilia; & si multi putant singulis elementis suas peculiares intelligentias à Deo initio assignatas fuisse: multò magis de singulis stellis id dici debet, quæ incomparabiliter, vt ita dicam, in nobilitate, & excellentia, ac magnitudine ipsa elementa superant. Linquo, quod si attendamus ad diuersitatem motuum, quam tam in stellis fixis, quam in errantibus experimur, etiam si Cœlum solidum esse dicamus, singulis suas intelligentias assignare cogamur.

45 Dices: quamuis ponamus vnum Cœlum solidum, non est necesse ponere in eo orbes solidos eccentricos, & epicyclos; satis enim est cauitates in eo constituere, quæ vacuæ sint, & successiuè solùm à sideribus errantibus repleantur: sicuti vult Hurtadus, dicens huiusmodi vacuitates naturam minimè abhorrere, quia vacuum, à quo natura abhorret, est locus carens corpore, quo repleri aptum est. Vacuitates autem has non esse aptas alio repleri corpore, quàm sidereo se succedente mouente, quod si quis putaret esse absurdum dari in Cœlo huiusmodi cauitates vacuas, posset admittere corpus fluidum, quod eas permearet, atque repleret, ita vt aduentantibus astris, cederet illis locum, & in eorum loca succederet; ergo si ponamus Cœlum solidum, non est necesse ponere in eo orbes eccentricos, & epicyclos.

Respondeo: magis probabile sine comparatione esse, posita soliditate Cœlorum, ponere in eis orbes eccentricos, & epicyclos solidos, quam cauitates illas, vel vacuas, vel fluido corpore repletas; & quidem non videri satis probabile illas cauitates esse vacuas: Constat primò, quia iam quælibet pars huius spatij esset apta repleri corpore stellæ, quod per eam circumfertur; ergo hoc ipso, quod illo repleretur, impedire deberet eius motum, ne redderetur vacua: secundò, quia

astra,

Digitized by Google

astra, quę suppono esse perfectè sphęrica, nonnisi in linea circulari cauitates hasce rotundas contingerent, & sic non possent immittere species, neque influentias suas ad nos. nam inter totum corpus eorum, & solidas Cęli partes spatium vacuum intercederet, per quod nulla actio transmitti potest. Tertiò denique, quia sic Cęlum magna ex parte esset istis cauitatibus oppletum, & excauatum, & sic neque astra superiora possent nobis apparere. Cauitates enim illę essent incapaces eorum speciebus, quę ad nostram pupillam deferri deberent, vt fieret visio. Neque etiam videri satis probabile, quod dictę cauitates corpore fluido repleantur, suaderi potest ex eo, quia gratis, & sine vlla necessitate hęc partium heterogeneitas in Cęlo poneretur, quod nimirum quędā earum essent solidæ, aliæ verò fluidæ. melius enim saluatur cęteris paribus vnitas, & perfectio alicuius corporis per hoc, quod ponatur esse homogeneum, quam heterogeneum, vt de se patet; magis probabile erit, si cæleste corpus est solidū, ponere in eo orbes eccentricos, & epicyclos solidos, quam cauitates, vel vacuas, vel fluido corpore repletas, sicuti volebant aduersarij.

DISPVTATIO TRIGESIMA OCTAVA

DE CORPORVM COELESTIVM MOTV.

SVpponimus hìc cælestia corpora moueri, contra quosdam, qui (vt refert Clauius *in cap. primum sphæræ*) putabant solam terram moueri, & ex eius motu fieri, vt cęlestia corpora nobis mobilia videantur, sicuti ex motu nauis littora, vrbes, & montes apparent recedere nauigantibus: experientia enim oppositum euidenter suadet. Videmus enim astra inuicem modo magis, modo minus distare, quod euenire non posset, si solùm terra moueretur.

SECTIO PRIMA.

An Cælestia corpora mouentur duplici motu.

1 CONclusio est negatiua: Contra antiquos Astronomos volentes inferiores orbes, & sidera, quę in eis sunt, duplici motu moueri. vno simpliciter ab oriente in occidentem, altero secūdùm quid ab occidente in orientem; & priorem quidem appellabant motum raptum, quia ad eum conficiendum putabant rapi à primo mobili, quod spatio viginti quatuor horarum motum suū absoluit: posteriorem verò dicebant proprium, eo quod putabant ex principijs intrinsecis Cœlestibus corporibus primo mobili inferioribus conuenire.

2 Nostra verò conclusio, quę est Arriagæ *disp. vnica de Cœlo sect. 5.* Oviedi *contron. vnica item de Cælo puncto 4.* Giattini *quæst. 16. physicor. artic. 4.* & aliorum recentiorum, probatur, quia repugnat naturaliter corpus aliquod esse in duplici loco, imò, & supernaturaliter, nisi repliceturergo repugnabit etiam moueri duplici motu. Consequentia euincitur, quia motus est via, & causalitas cōstituendi corpus in loco. Argumenti vis, vt clarius inspiciatur, ponamus corpus inchoare motū suum à puncto A. quod sit medium inter punctum B. & punctum C. cum hc. si huiusmodi corpus duplici moueretur motu: beneficio illius non esset in puncto A. quia iam supponeretur ab eo discessisse, neque in puncto B tantum, quia ad punctum B. per vnum tantum motum, qui esset via ad illud, peruenitur, neque in puncto C. propter eandem rationem. simul in vtroque esse non posset, nisi à seipso diuideretur; intercederet enim inter vtrumque spatium relictum, A. ergo impossibile est, quod duplici motu moueatur. Atque hìc notarem non sufficere ad saluandam hanc impossibilitatem, quod duplex hic motus non sit ad duplicem terminum, quorum vnus ex diametro alteri opponatur, sicuti sūt sursum, & deorsū, ante, & retro, dextrorsum, & sinistrorsum: etiam si enim termini sint disparati, sicuti sunt oriens, & meridies v.g. eodem modo impossibile est, quod vnum mobile duplici motu simul moueatur ad illos. siquidem in hoc etiam casu militat eadem ratio. iam enim diuideretur à se ipso non minus, quam si eodem tempore versus orientem, & occidentem moueretur.

3 Obijcies primò: experientia constat duos simul motus, qui videantur oppositi, in vno corpore reperiri posse; ergo falsa conclusio; antecedens probatur; si quis enim existens in prora nauis moueatur simul cum naui ab oriente in occidentem, & per se etiam moueatur à prora ad puppim ab occidente in orientem: hic mouebitur duobus motibus in contrarias partes tendentibus, idemque dicendum, si formica existens supra rotam aliquam moueatur versus partem contrariam ei, versus quam rota ipsa mouetur; ergo &c.

4 Respondeo negando antecedens, & ad eius probationem dico illis experienijs nihil aliud conuinci, nisi quod, quando duo mouentia coniun-

iunguntur ad mouendum aliquod mobile in partes diuersas; ex eorum virtutibus motiuis causatur in eo quidam motus medius, qui physicè loquendo vnus tantum est, licet mathematicè, siue etiam metaphysicè sit in duplicem distinguibilis. Dico igitur motum illum, quo homo mouetur in naui, esse vnum physicè, cuius beneficio mouetur ab oriente in occidentem, quia tamen virtus motiua nauis veloci motu illum moueret, nisi ipse applicasset suam virtutem motiuam versus partem oppositam; ideo distinguibilis est per intellectum in duos motus, vnum qui fiat à naui; & alterum qui fiat ab homine; per contranitentiam in oppositum. & hinc fit, vt Mathematici communiter dicant, Lunam conficere motum, quo à primo mobili circumfertur ab oriente in occidentē spatio viginti quatuor horarum: motū verò proprium, quo ab occidente in orientem progreditur, spatio triginta ferè dierum. cum quo tamen stat, quod realiter, & physicè neutro modo mouetur Luna per lineam rectā. sed quodā motu medio per lineam spiralem, quæ nunquam complet integram circulationem viginti quatuor horarum, redeundo ad idem punctum, à quo discesserat, sed deflectit, sicuti nos facimus, cum ambulamus obliquè, siue demum hoc procedat ex eo, quod ad eam deferendam concurrunt duo principia mouētia illam in partes oppositas, quod non censeo, siue quia concurrit vnum principium, quod ita suam virtutem motiuam ad eam mouendam attemperat, vt talem determinatum motum, & non alium in ea causet.

Obijcies secundò: ideò Luna non posset per nos simul moueri motu proprio ab occidente in orientem, & motu rapto ab oriente in occidentē, quia non potest esse simul in duobus locis; sed vt sic moueatur, id non est necessarium; ergo potest. Maior patet ex dictis. Minor suadetur, quia licet si imaginemur duo puncta fixa, & immobilia vnum in oriente, alterum in occidente, implicet Lunam simul accedere ad vtrumque punctum, quia sic deberet distrahi à se ipsa, & ab vtroque simul recedere; quod est impossibile: at Mathematici ponunt illam moueri simpliciter ab occidente in orientem, ita vt semper fiat vicinior puncto occidentis immobili, & semper à puncto orientis euadat remotior; solùmque dicunt eam simul moueri ab occidente in orientem, non respectu horū punctorum immobilium, sed respectu primi mobilis, in quantum motu suo proprio pars eius A. v.g. quæ est sub parte A. primi mobilis, paulatim acquirit alias, atque alias partes nimirum B.C.D. &c. eiusdem primi mobilis versus orientem, & simili modo explicant motum hominis in naui, & formicæ in Rota existentibus. ex quo deducitur huiusmodi motus non tendere ad duo loca diuersa, sed ad vnum tantùm.

Respondeo concessa maiore, negando minorē; ad cuius probationem dico: impossibile esse dari vnum motum, qui non approximet mobile alicui puncto fixo orbis, & ab alio illud distare magis non faciat. Cęterum, ad hoc vt Luna in suo motu non retineat eandem semper correspondentiam cum partibus primi mobilis, sed modo vni, modo alteri parti illius respondeat cum ordine dicto, ita vt semper retrocedere intelligatur, donec post triginta ferè dies eidem prorsus parti primi mobilis, quam initio deseruerat denuo correspōdeat. Ad hoc inquam, vt Luna sic se habeat, non est necesse, vt moueatur duplici motu, sed satis est, si moueatur vnico motu, sed tardiore motu primi mobilis. quemadmodum enim illam antecessionē in partibus primi mobilis versus occidentem saluamus per vnicum motum velociorem, & non per duos, quorum alter respondeat motui lunæ, alter verò excessui, quo eum superat, ita saluare debemus motum lunæ per vnicum, sed tardiorem. Idēque dicendum de homine in naui se mouente &c.

Instabis: siquis tanta velocitate moueretur cōtra motū nauis, quanta mouetur nauis in oppositum: hic semper foret in eadem distantia à partibus fixis orientis & occidentis; & tamen non foret in eadem distantia à partibus nauis. Semper enim plus distaret à prora, quam à puppi; ergo tunc licet non moueatur motu nauis: moueatur tamen motu proprio. dicendum est igitur, quando non eadem velocitate mouetur ac nauis, quod moueatur duplici motu.

Respondeo, negando vtramque consequentiam: dico enim, quod quando quis eadem velocitate mouetur in naui in partem contrariam motui ipsius nauis, verè nullo modo mouetur secundùm se totum motu locali, sed solùm secundùm pedes, quos iacalando mouet; semper enim secundùm se totum retinet eandem distantiam ab omnibus partibus mundi fixis: & in eadem parte spatij imaginarij reperitur. Quod si mutet distantiam à partibus fixis nauis, non est quia ipse moueatur, localiter, sed quia mouetur nauis, ipso immoto. Porro ratio, ob quam in tali casu homo nō mouetur, est, quia cum in contrarias partes virtus motiua propria, & virtus motiua nauis illum mouere conentur. cumque vtraque æquale vim adhibeat ad mouendum: neutra prævalet; ex quo fit non esse maiorem rationem, cur vna virtus potius subdatur alteri, & non è contra. Aequi quando ita se res habet, mobile non mouetur, vt patet in lapide, quē si duo Angeli v.g. conentur simul in contrarias partes mouere, nisi virtus motiua quam vnus adhibet, superet virtutem, quam adhibet alter, licet ab ea retardetur, lapis persistet immobilis.

Obijcies tertiò: tunc solùm repugnarēt duo motus eidem mobili, quando vterque illi competeret per se. sed Astrologi volunt, quod Planetæ per se quidem, & ab intrinseco moueantur ab occidente in orientem; Contra verò ab oriente in occidentē non nisi per accidens, & ab extrinseco, videlicet, ad motum primi mobilis; ergo non est, cur cælestibus corporibus duos motus oppositos non concedamus.

Respondeo, negando maiorem; quemadmodum enim æque eidem mobili repugnat esse per se in duplici loco totali, ac esse in vno per se, in alio per accidens, vel in vtroq; per accidens; ita æque repugnat moueri pluribus motibus siue per se, siue per accidens. & ratio est, quia oppositio, quam habent duo motus ad simul mouēdum idem mobile, non prouenit ex oppositione principiorum motiuorum, sed ex propria; quia scilicet sunt duæ viæ conducentes idem mobile ad duos terminos, seu loca totalia.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA

Vtrùm Cœlestium corporum motus efficiantur à propria forma, an verò ab Intelligentia assistente.

11 NOstra Conclusio est: Cœlestia Corpora non moueri à propria forma, quam supponimus ex dictis non esse vitalem, sed ab intelligentia separata, quæ tantùm illi coniungatur, vt motor mobili. est communis: non solùm inter Philosophos Gentiles, sed etiam inter Catholicos, ita vt Diuus Bonauentura *in secundo dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 2. dicat esse tam rationi, quàm fidei in primis consentaneam, & Diuus Thomas *opusc.* 10. *art.* 3. & *opuscul.* 16. *art.* 2. existimet esse omnino certam, & physicis rationibus demonstratam. *Quæstione verò 6. de Potentia art. 3. immediatè post medium corp.* dicat sic: fidei sententia est, quod corpora cœlestia imperio intelligentiarum moueantur; sed in hoc non est audiendus Ouiedus *Controuers. vnica de Cœlo puncto primo numero* 8. vbi hanc vltimam Sancti Doctoris auctoritatem docet explicari posse de motibus irregularibus, quos ex speciali Dei prouidentia, contra ipsorum corporum cœlestium naturam miraculosè patiuntur; vt quando Sol tempore Ezechiæ retrocessit; & Luna, quando Christus pendebat in Cruce, accessit ad Solem, vt illum ecclipsaret. Contra hanc enim explicationem facit, quia licet ibi Sanctus Thomas ex professo quærat, verum creaturæ spirituales sua naturali virtute possint miracula facere: tamen ad hoc probandum assumit positionem, quandam Philosophorum, quod, nimirum, substantia separata suo imperio in corpore causat immediatè motum localem, & eo mediante alios motus. Postea verò habet hæc verba. In hoc tamen differt sententia fidei à positione Philosophorum. Philosophi enim prædicti ponunt substantias separatas mouere suo imperio Cœlestia corpora, motu locali: motum autem localem in istis inferioribus non causari immediatè à substantia separata: quam posteriorem partem cum improbasset ratione; sic concludit: fidei autem sententia est, quod non solùm corpora cœlestia suo imperio moueant localiter, sed etiam alia corpora Deo ordinante, & permittente. quare sic huiusmodi explicationem euidenter impugno, de eo motu Cœlorum loquitur Sanctus Doctor, quando dicit esse sententiam fidei, quod fiat ab intelligentijs, de quo loquebantur antiqui in sua priori propositione; quando dicebant substantias separatas mouere suo imperio cœlestia corpora. Sed hi loquebantur de motu ordinario, qui fit quotidie, & non de miraculoso, qui rarò contigit; ergo dicendum est, quod de motu quotidiano Cæli dixit esse doctrinam fidei, quod fiat ab intelligentia. His pro auctoritate notatijs.

12 Probatur primò Conclusio: Rerum inanimatarum motus ab intrinseca forma proueniens, qui per se fit, semper ordinatur ad aliquam intrinsecam perfectionem, seu quietem mobilis in proprio loco consequendam: vt patet inductione facta per omnia corpora, tum simplicia, tum mixta, quæ nisi moueantur ab intrinseco per accidens, hoc est, ad impediendum vacuum: semper eorum motus ad aliquod bonum sibi acquirendum ordinatur. Sed motus Cæli ordinatur ad vniuersi gubernationem, non autem ad acquirendam aliquam intrinsecam perfectionem, aut quietem ipsi Cœlo, siquidem hoc in se perfectum est; & in proprio loco super omnia corpora; ergo huiusmodi motus non à propria forma intrinseca Cælo, sed extrinseca causetur necesse est, quæ forma non potest esse alia ab intelligentia.

13 Probatur secundò: quoties alicui mobili, hoc vel illo motu moueri, est æque bonum ad consequendum finem, quem per motum suum intendit: toties natura non magis determinat illud ad hunc quam ad illum motum, sed æque bonum est Cælo moueri ab oriente in occidentem, siue ab occidente in orientem in ordine ad consequutionem sui finis, quem per motum intendit; ergo natura non determinauit illud potius ad vnum, quam ad alium motum. Cum igitur videamus illud nihilominus determinatè moueri: debemus dicere, quod ab aliquo principio extrinseco determinetur, quod non potest esse aliud, quam intelligentia. Maior huius argumenti patet experientia, si enim lapis ad terras descendens, offendat in ferream pyramidem, ita vt centro suæ grauitatis è diametro eius cuspidi correspondeat, quamuis possit ex qualibet facie eiusdem pyramidis prosequi motum suum: quia tamen est ei æque bonum ex hac, vel illa parte pyramidis descendere, vt in centro quiescat, natura non magis determinat illum ad mouendum se ex vna parte potius, quam ex alia, ideo detinetur immobilis. minor verò etiam probatur, quia finis propter quem cœlestia corpora mouentur, est recta gubernatio vniuersi, quę per quatuor anni diuersa tempora obtinetur, ex quibus rerum generatio, & conseruatio ad longum tempus dependet. Atqui huiusmodi recta vniuersi gubernatio æque benè habetur, siue ea moueantur ab occasu in ortum, siue ab ortu in occasum, & aliunde propria sui ipsorum constitutio non impedit, quia figura circularis quantum est de se habet indifferentiam, vt dictis motibus moueatur; ergo neque bonum est Cœlo moueri vno, vel alio motu ad finem suum consequendum. Ex quo patet veritas prioris consequentię. Posterioris verò suadetur, ex eo, quia determinatio in his, quæ à natura relinquuntur indifferentia non habetur, nisi à principio cognoscente, vt patet ex animali, quod cum sit à natura productum cum indifferentia ad mouendum se, siue ad dexteram, siue ad sinistram partem, non nisi ab appetitu per cognitionem directo determinatur. Quoniam verò ex vna parte habemus Cœlum non habere in se principium cognoscitiuum, alioquin esset viuens. ex alia verò parte non possumus rationabiliter asserere, quod aliquod animal ei assistat, illudque determinet ad motum: rectè inferimus determinari ab intelligentia assistente.

14 Verum contra hanc rationem duo nō contemnenda facere videntur. Vnum est, quod ex ea non

Digitized by Google

rectè deducitur corpora cœlestia non causare efficienter motum in se ipsis. Quamuis enim equus v.g. indigeat determinatione hominis æquitantis, vt hanc, vel illam viam ineat, & lapis super cuspidem pyramidis constitutus, vt ex hac vel illa parte se moueat: nihilominus vterque motum suũ efficienter in se producit, vt patet. Alterum verò est, quia non repugnat, quod licet Cœlorum figura, & recta gubernatio vniuersi sint indifferẽtes vt Cœlorum motus, vel ab ortu ad occasum, vel ab occasu tendat ad ortum: natura tamen, & essentia ipsorum Cœlorum exigat ex suis principijs intrinsecis moueri potius hoc, quam illo motu. Quod confirmari posset ex eo, quia alioquin non fuisset rectè prouisum mundo. quid enim fieri debuisset, si Deus creando ipsum mundum, noluisset creare Angelos, neque ipse per se mouere Cœlos? numquid non potuisset mundus consistere? non videtur hoc credibile. melius est ergo dicere inter cœlestia còrpora possibilia dari quædam, quę ex suis principijs intrinsecis sint determinata ad motum ab oriente in occidentem, alia verò è cõtra ab occidente in orientem. Deum verò ex sua libertate defacto voluisse creare ea, quæ sunt prioris generis. Potuisse tamen ea, quæ sunt posterioris, licet gubernatio vniuersi ab illis æquè benè obtineri potuisset, ac defacto obtinetur ab his.

15 Hæ autem difficultates nõ mihi videntur propositam rationem labefactare. Nam ad priorẽ nego paritatẽ, quia absolutè, & nulla facta suppositione equus, & lapis ex suis intrinsecis habẽt, vnde determinentur ad motũ. lapis quidẽ à propria grauitate, vt via breuissima descendat: equus verò à suo appetitu sensitiuo, vt hac, vel illac moueatur. in illis verò casibus specialibus, habita semel determinatione ad hunc potius motum, quam alium, amittunt hic, & nunc indifferentiã, quã habebant; & quidem equus per hoc, quod producat in se phantasma, versus quam partem per frenum homo illũ direxit: lapis verò per hoc, quod est sibi impossibile naturaliter descendere ex alia parte pyramidis ex suppositione, quod incepit motũ ex vna parte. At si Cœlum causaret efficienter in se motum, etiam si determinationẽ habuisset occidentem versus v.g. ab intelligentia: tamen hoc ipso quod hæc ab eo determinãdo cessaret, statim ad suã pristinam indifferentiã reuerteretur; quare frustratoriè hãc vim effectiuam motus haberet, quę sæpe indigeret causa aliqua secunda, vel prima supplente defectum causæ secundæ, ad motum efficiendum extrinsecè eam determinantem.

16 Ad posteriorem verò difficultatem nego, Cœlum ex suis principijs intrinsecis exigere posse perpetuò ab oriente in occidentem moueri. vnum enim è maximis vitæ indicijs est, habere in se præcipuam sui motus causam, & ab intrinseco incœare motum suum, vt ex sententia Aristotelis, atque Platonis docent communiter Philosophi. Atqui hoc indicium haberet Cœlum, si ex suis principijs intrinsecis exigeret mouere se versus occidentem, siquidem absque eo, quod positum esset extra locum naturalem: & absque vlla causa remouẽte prohibens suum motum inchoaret; ergo &c.

17 Præterea: videmus vnum idemque corpus cœleste tanta varietate motum suum protrahere, & quod maius est, in dicta varietate tantam simetriam, ac proportionem seruare, quanta maior excogitari non potest; ergo dicendum est corpora cœlestia eo modo; quo ponuntur ab aduersarijs implicare contradictionem. vt veritas antecedentis magis constet, propono considerandum Planetam Mercurij. Hic enim non solùm mouetur perpetuo ab oriente in occidentem motu veluti spirali, sed etiam, vti in præcedentibus notaui, vt plurimum mouetur infra Solem; aliquando verò ascendit supra; præterea modo videtur stare, modo progredi, & aliquando etiam retrogredi, denique, quod admirabilius est in tanta diuersitate motuum, summum ordinem, ac correspondentiam seruat, ita vt Astrologi certò prædicere possint tempus, in quo supra Solem ascendat, & quando erit stationarius, quando verò progrediens, quando denique retrogradus, & quandiù in vna dispositione durabit, quandiù verò in alia. Consequentia verò suadetur, quia impossibile est corpus insensibile, sicuti supponimus esse Planetas, posse ad hanc perfectionem assurgere, vt ex suis principijs intrinsecis tantam heterogeneitatẽ in suo motu cum tanto ordine exigat, cum experientia constet, cætera corpora naturalia esse determinata ex se semper ad vnum. ex quo rectè deducitur motum huius Planetæ, & per consequens cæterorum duce aliqua intelligentia fieri, quæ, cum non possit esse forma eorum informans, erit existens.

18 Dices, huiusmodi diuersitates rectè saluari per varios motus diuersorum orbium, nimirum, per motum orbis concentrici per motum eccentrici, & per motum epicycli. Contra tamen, est, quia si ponamus Cœlum fluidum hoc effugium cessat. Si autem dicamus esse solidum, contra etiam est, tum quia sic stellæ, quæ sunt partes Cœli nobiliores, carerent virtute motiua & eam haberent partes ignobiliores, in quibus infixę essent: constat autem lumine naturæ mouens in naturalibus esse nobilibus mobili: tum etiam, quia quilibet ex dictis orbibus hoc ipso, quod ex suis principijs intrinsecis sibi vendicaret diuersum motum, esset diuersę rationis ab alijs, & sic vnum idemque Cœlum Mercurij v.g. ex tot partibus heterogeneis esset cõpactum, quot sunt orbes, quos in se habere ponitur, quod videtur absurdum.

19 Iam verò ad rationem in contrarium dici potest, nullum esse absurdum asserere, casu, quo Deus noluisset creare Angelos, neque per se ipsum eorum defectum supplere ad cœlestia corpora mouenda, mundum non potuisse consistere. Hoc enim arguit summam eius perfectionem, quę tanta est, vt sine aliqua intelligentia existentiæ minimè valeat, ad eum planè modum, quo dicimus organizationem corporis humani esse adeò perfectam, vt nullam aliam formam, nisi spiritualem exigat.

20 Pater Oviedus *controuers. 2. de Cœlo puncto primo* tenet, quod licet corpora cœlestia, quæ de facto creata sunt, non possint moueri ab intrinseco, sed solùm ab intelligentia assistente. sicuti

comr

communis sententia. Tamen potuissent à Deo creari alia corpora, quæ virtutem haberent se mouendi ab intrinseco: quod *nam*, 7. duplici ratione fluidet: vna procedit à paritate rationis; sic mouentur elementa virtute sibi innata, vt proprium veluti finem acquirant, qui est quies in centro proprio; ergo potuerunt etiam simili virtute moueri corpora cœlestia, vt suum proprium finem acquirerent, qui esset motus perpetuus, seu variæ vbicationes fluentes.

21 Ad hoc respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam, disparitas potest esse duplex; vna, quia elementa vno semper modo mouentur, at Cœli diuersimodè, vt dictum est. Altera, quia quies in aliquo loco potest rectè habere rationem finis respectu corporis, quod mouetur, si scilicet in dicto loco conseruetur, aut aliquod aliud bonum inuenit: at verò motus localis cum sit essentialiter via, & tendentia ad locum, impossibile est, vt habeat rationem finis alioquin quoties videmus hominem moueri localiter, irrationabiliter possemus vlterius quærere ex eo quo pergeret, & quid motu illo intenderet; quod tamen falsum est. neque dicat auctor signanter se loquutum esse disiunctiuè; assignando pro fine Cœli, vel motum perpetuum, vel vbicationes fluentes, quæ acquiruntur per dictum motum. Contra enim est, quia non minus repugnat mobile, habere pro fine motum suum localem, quam vbicationem fluentem per motum acquisitam, quia eodem modo vbicatio fluens constituit illud in via ad terminum, ac motus. imo nulla alia ratione motus est via, nisi quatenus constituit subiectum sub diuersis vbicationibus fluentibus.

22 Iustus, dici posset: quælibet pars corporis cœlestis respicere tanquam proprium centrum totum spatium, per quod mouetur, quo, successiuè perpetuo motu gaudere, intendat, eo quod totum illud simul acquirere non potest; sed in hoc nulla est repugnantia; ergo &c.

23 Respondeo, negando minorem; ad quod explicandum peto, quando dicitur, quod quælibet pars corporis cœlestis respicit tanquam proprium centrum totum spatium, per quod mouetur, vel totum spatium importat omnes partes spatij vbi loctiuè, seu copulatim sumptas, vel omnes diuisiuè acceptas. Si primum, esset impossibile fieret naturaliter, quod quælibet pars corporis cœlestis esset in proprio centro, & sic non deberet cœlestia corpora moueri, cum ad finem impossibilem natura non moueat. Si verò dicatur secundum, ergo hoc ipso quod vna pars cœlestis corporis, vnam partem spatij acquisiuit, iam esset in proprio centro, & sic non deberet vlterius moueri, quia quamuis etiam alia pars se haberet, vt centrum illius, tamen non esset ratio, cur prioratus deferetur ad eum plagæ motum, quo cum iam esset supra aquam in nostro emisphærio, naturaliter non moueretur ad hoc, vt se supra aquam in altero emisphærio existentem. Cæterum totum spatium secundum omnes partes, siue vsq, siue altero modo sumatur, nequit assignari quid boni habeat ratione, cuius possit respicere partibus Cœlestium corporum tanquam finem proprium acquirendum per motum. cum Cœlum æquè bene in quælibet alia parte spatij imaginarij creari potuisset, ac in præsenti creatum est; vt de se patet.

Altera via Ouiedi sic procedit. Nulla est repugnantia in eo, quod Deus creet corpus aliquod, cui insit innatus appetitus ad perpetuum motum circularem; sed huiusmodi corpus potest esse Cœlum; ergo &c. maior patet paritate: quia sicuti Soli inest innatus appetitus ad mouendum illa corpora ad formam luminis: ita potest inesse innatus appetitus ad mouendum se ipsum localiter. 24

Respondeo, negando maiorem; ad cuius probationem nego paritatem, disparitas est, quia Sol mouendo alia corpora ad lumen recipiendum, habet pro fine bonum illorum; at mouendo se circulariter non potest assignari quid intendat in se acquirere. Nihil enim boni in motu assignari potest, nisi in ordine ad terminum: Corpora autem cœlestia eodem prorsus modo se habent, siue vna eorum pars sit in plaga orientali, siue in occidentali, vt dictum est; neque dici potest, quod intendat acquirere bonum alijs, tum quia alia non exigunt, vt potius ab ortu ad occasum moueatur Sol, quam è contra; tum etiam quia motus localis est in ordine ad bonum proprium, vt inductione patet; ergo &c.

Vlterius obijcies primò intelligentia, vtpote 25
spiritualis, non est agens proportionatum respectu motus Cœli, qui materialis est; ergo dictus motus nequit ab intelligentia prouenire.

Respondeo: negando antecedens. Proportio 26
enim inter causam & effectum non debet attendi in ratione entis, alioquin non posset Deus facere creaturas, præsertim materiales, quia ipse spiritualis est, sed in ratione potentiæ actiuæ, & passiuæ, vt sicuti Cœlum habet potentiam ad hoc vt moueatur ab Angelo, ita Angelus potens sit illud mouere; & quidem naturaliter, quod habetur ex

Obijcies secundo, nisi motus localis Cœli ab 27
eius forma prouenirent, sequeretur, quod forma Cœli esset otiosa, solum enim passiuè concurreret ad dictum motum. sed hoc videtur inconueniens; ergo &c. Et confirmatur: quia alioquin eadem forma Cœli esset ignobilior formis corporum sublunarium, à quibus educitur, & caluatur motus, qui fit in dictis corporibus.

Respondeo negando consequentiam. licet enim 28
passiuè ad motum localem formæ Cœli concurrat, concurrit tamen actiuè ad producendas Cœli proprietates, earumque exercitia, quibus etiam efficienter concurrit ad omnes effectus sublunares, qui Cœlo adscribuntur. Non est igitur per inotiosa forma Cœli. Ad confirmationem autem, nego sequelam: motus enim sublunarium ab intrinseco principio proueniens, supponit in illis potentiam ad essendum extra proprias terminos, quæ quidem potentia absolutè loquendo arguit imperfectionem, nec Cœlo competere potest, vt de se patet,

Digitized by Google

SECTIO TERTIA

An intelligentiæ, quæ mouent cœlestia corpora, sint creatæ.

29 CONclusio est affirmatiua. Assero enim cœlestium corporum motum non causari immediatè à Deo, tamquam à causa particulari, sed ab Angelis bonis, qui ex Imperio Dei ea infatigabiliter mouent. Dixi, tamquam à causa particulari, quia Deus est causa vniuersalis, cum influat immediatè in omnes operationes causarum secundarum, & in quodlibet ens creatum: quare necesse est, vt etiam immediatè concurrat ad motum cœlestium corporum producendum. Addi ab Angelis bonis, quia licet Deus potuisset malos Angelos necessitare ad dictum motum causandum, sicuti Pistrinarius necessitat equum aut seruum suum ad molam frumentariam circumagendam; non fuit tamen congruum ministerium adeò dignum malignis spiritibus demandare: cum præsertim in loco tam nobili, ac sublimi consistere debuissent. Conclusio sic explicata est communis, pro qua citatur Aristoteles, qui licet existimauerit Deum esse vnum, vt patet *ex 12. metaph. in fine & text. tamen* 42. ex Cœlorum tamen numero, numerum intelligentiarum Cœlum mouentium colligit, est etiam D. Thom. locis sectione præcedente citatis. Item SS. August. & Dionysij, quos citat Alamanius *2. secundæ partis summæ philosoph. quæst. 31. art. 3. in corpore.* Quorum prior ait: quod sicuti corpora grossiora, & inferiora per subtiliora, & superiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem, hoc est per Angelum. Posterior verò addit, quod motores orbium cœlestium non sunt de infima Hierarchia. sed de media, & de medio primo, nempè virtutes, eo quod putat cooperari diuinæ prouidentiæ in regimine vniuersi, mouendo Cœlos, esse dignissimum obsequium, non infimis Angelis, sed melioribus deputandum.

30 Probatur autem Conclusio; Principio illo, quod Theologi vnanimi consensu ab Augustino, aliisque Patribus acceperunt, nimirum quod quando Deus operatur, vt auctor naturæ: id quod potest facere per causas secundas, non facit se solo; quare agit quantum potest per creaturas, & solum supplendo defectum causarum secundarum per easdem, vt causa particularis ad aliquos effectus immediatè concurrit. Ratio veritatis huius est, quia recta gubernatio vniuersi, spectata ordinaria, postulat vt inferiora per superiora, & superiora per suprema in propriis functionibus gubernentur: & sic vt creatura corporea creaturæ spirituali subijciatur, sicuti ipsa subditur Deo, vt tandem omnia velut inter se colligata vnicum orbem perfectius componant, atque augmentent. debuit ergo intelligentia, quæ mouet cœlestia corpora esse creata. alioquin creatura corporea neque subijceretur creaturæ spirituali, neque cum ea colligata esset. Ex qua ratione rectè deduci potest Arriagam *sect. 5. num. 63.* & Quiedum *puncto 1. num. 10.* minus rectè super hac controuersia philosophatos esse, dicentes: æquè benè potuisse Cœlos à Deo immediatè, ac ab intelligentijs circumuolui. Defacto verò putandum esse, quod ab intelligentijs mouentur, propter solam auctoritatem Patrum, & Scholasticorum. hoc enim minus rectè dici existimo. nam licet loquendo de absoluta potentia id verum sit; falsum tamen est, naturæ ordine, & exigentia spectatis: & certè mirum debuisset esse in hac conclusione adeo à sensibus nostris remota, tanta vniformitate omnes sapientes conuenisse, vt Diuus Thom. *opusc. 10. art. 10.* in hæc erumpat verba: Cœlestia corpora à spirituali creatura moueri, à nemine Sanctorum, aut Philosophorum negatum legisse memini: nihilominus tamen nulla efficaci ratione ad hoc sentiendum eos inductos fuisse. quis enim hoc sibi persuadeat? cum præsertim ex ratione, quam assignauimus, hæc assertio tam solidè colligatur.

Atque hoc est vnum extremum in quæstione præsenti, à quo nostra sententia abhorret: alterum verò quod multò magis detestatur, est quorundam recentiorum opinio, de quibus mentionem facit idem Arriaga *loco citato.* dicentium, indignum esse, Deo summo Principi motibus Cœlorum per se immediatè vacare, sicuti indignum esset Imperatori immediatè per se attendere culinæ, ex quo deducitur *implicare* contradictionem Cœlos moueri immediatè à Deo tamquam à causa particulari, quam opinionem docuerat Abulensis *in cap. 23. Exod. quæst. 5.* dicens fieri nequaquam posse, vt Deus corpus aliquod se solo moueat, eo quod cum motus localis sit quid *imperfectum*: sequeretur, quod aliqua actio diuina esset imperfecta. Verum multo antea hanc opinionem D. Thom. *1. parte quæst. 15. art. 2. in corp.* erroneam appellauerat, vbi ex professo quærens, vtrum Deus possit immediatè mouere aliquod corpus. Respondeo, inquit, dicendum, quod erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam. Vnde cum corpora mouentur à causa creata, nullo debet venire in dubium, quin Deus possit mouere immediatè quodcumque corpus. Nec ratione in contrarium quidquam euincunt. si enim esset indignum Deo immediatè per se mouere Cœlum, sicuti est indignum Imperatori ad res pocularas, & exculentas parandas incumbere: profectò ne vt causa quidem prima vniuersalis posset concurrere ad mouenda corpora, & multò minus cum cocco, & pistore ad cibos ipsos, & pocula parandum, quod tamen est falsissimum. Præterea finem posset Deus per se mouere corpora, eo quod motus localis est actus imperfectus: neque posset per se aliquam mutationem in rebus operari, quia omnis mutatio habet imperfectionem vnitam. vbi ergo diuina actio transiens censeatur esse perfecta, non requiritur, quod nihil imperfectionis in se habeat; sed satis est, si habeat quidquid perfectionis in suo genere exigit. hoc enim ipso quod fit à Deo, eo modo, quo natura sua fieri postulat, nullam imperfectionem ex his, quæ habet, refundit in ipsum Deum causando illam efficienter, sed solum eam refundit in subiectum, quod constituit in actuali tendentia ad terminum suum.

Verum contra nostram conclusionem. Obijcies 32 primò Aristotelem 2. *Cæli text. 36.* docet primum mobile, quod ipse appellat primum causatum immediatè à prima causa, quæ est Deus, sicuti inferiores

or-

Digitized by Google

habeat ab alijs intelligentijs; ergo saltem in sententia Aristotelis nostra conclusio non est vniuersaliter vera.

33 Respondeo: Auicennam, Bonamenturam, Scotum, Ferrariensem, & alios docere in sententia Aristotelis duplicem esse motorem primi mobilis: vnum, qui mouet per modum finis, & amati: Alterum verò, qui mouet per modum efficientis, & amantis. quando igitur Philosophus motum primi mobilis Deo immediatè ascribit, tamquam primo motori, explicant eum loqui de motore in genere causę finalis, quatenus prima intelligentia creata, quæ illud efficienter mouet, ex amore primæ causæ inducitur ad illud mouendum. Verum communis aliorum sententia, quos sequitur D. Thom. 12. *metaph. ad text. 36.* est: Aristotelem existimasse Deum per se immediatè mouere primum mobile in genere efficientis, vt patet ex 8. *Phisic.* vbi ex motu primi mobilis infertur Deus tamquam primus motor, & ex 12. *metaph. tex.* 45. vbi inter intelligentias mouentes Cœlum numeratur Deus. Adde Deum non magis mouere in genere causæ finalis, & per modum amati primum mobile, quam alios Cœlos; siquidem intelligentia, quę ponitur mouere primum mobile, ita amore primæ causæ allicitur ad illud mouendum: vt etiam habeat pro fine gubernationem vniuersi. Atqui hoc ipsum de cæteris intelligentijs inferiores orbes mouentibus dici debet. malè igitur Aristoteles dixisset primum mobile moueri à primo mouente, reliquos autem Cœlos ab alijs intelligentijs, quia omnes finaliter à primo etiam mouente mouentur. Danda igitur est venia Aristoteli: si in hoc errauit. Cum enim existimasset Deum esse agens necessarium, atque adeò non posse aliter mouere immediatè se solo corpoream materiam, ideò hunc præstantissimum motum illi specialiter concessit. At verò cum nos perfectissimam libertatem in eo agnoscamus, & sic dicamus eum pro libitu suo posse de potentia extraordinaria immediatè per se ipsum facere quidquid in rerum natura facit per causas secundas: Melius de illo sentimus, dum dicimus etiam media intelligentia creata mouere primum mobile.

34 Obijcies secundò: nullus motus necessarius pendere potest à principio vertibili, atque mutabili. sed motus Cœlestium corporum est maximè necessarius: voluntas verò angelica, vtpotè creata, est mutabilis, ac variabilis; ergo Cælorum motus pendet à solo Deo, qui immutabilis est.

35 Respondeo: multos docere Angelum esse inflexibilis arbitrij; ita vt, quod semel assumpsit faciendum, numquam dimittat. Sed quidquid sit de hoc; concessa maiore, ad secundam partem minoris dico, quod licet voluntas Angelorum, qui non sunt elevati ad videndum Deum, sit de se vertibilis; saltem physicè: non est tamen huiusmodi voluntas eorum, qui vident Deum, in ordine ad volendum ea, quę sibi iubentur ab ipso Deo. cum enim per claram visionem eius sint omnino determinati ad eum efficaciter amandum, non sunt amplius liberi ad non obediendum eius imperijs: vnde cum Angeli boni ex Dei imperio moueant Cælos, eorum voluntas de se vertibilis non posset nocere motui necessario ipsorum.

36 Obijcies tertiò: Cælum in ordine ad rerum sublunarium generationes, & gubernationem earum est instrumentum sui motoris. Sed Angeli nō sunt causæ principales generationum rerum sublunarium, & gubernationis earum, quia materia quo ad rerum generationes non subijcitur Angelo; ergo Angeli non mouent Cœlum, sed solus Deus.

Respondeo: nonnullos negare minorem, & ad 37
eius probationem dicere, Angelos causando motū localem corporum Cęlestium, reddere sibi subiectam materiam sublunarem, quo ad rerum generationes, & gubernationē illarum. quamuis enim non possint immediatè transmutare materiam ad formas substantiales recipiendas; sicuti faciunt cætera agentia naturalia: possunt tamen mediatè, hoc est per motum, adhibendo scilicet, ipsa agentia naturalia, ad huiusmodi effectus producendos. Sed contra est, quia quando homo adhibet ignem ad comburendum lignum, seu ad emolliendum ferrum, propriè non est causa principalis illorum effectuum physicè loquendo; sed ad summum moraliter. quare non videtur absolutè concedendū Angelos esse causas principales generationum rerum inferiorum, quia verè non continent in se virtutem productiuam illarum, sicuti neque homo virtutem productiuam equi, &c. quamuis possit mouere Cælum si à Deo super ipsum ponatur, vt aliqui dicunt. Quare melius videtur distinguenda maior: Cęlum in ordine ad rerum sublunarium generationes, & gubernationem earum sunt instrumentum sui motoris: & siquidem sermo sit de motore principali, cuiusmodi est solus Deus, concedenda. Si verò de instrumentali, neganda, & concessa minore ad consequentiam dicendum: Angelos mouere Cælos etiam instrumentaliter, vt Dei ministros. & ideò nil mirum esse, si non sunt causæ principales generationum rerum sublunarium; huiusmodi enim est solus Deus, qui continendo se intra cancellos causę primę vniuersalis: vtitur illis vna cum corporibus cælestibus ad transmutandam materiam corporalem, eo prorsus modo: quo exigunt causæ secundæ particulares.

SECTIO QVARTA.

Quot sunt intelligentiæ Cælum mouentes, per quam potentiam id exequantur.

DVo hìc ad completam cognitionem intelli- 38
gentiarum cęlestes orbes mouentium quærenda restant. vnum est, an cuilibet corpori cælesti propria intelligentia assignanda sit. alterum verò, an per potentiam distinctam ab intellectu, & voluntate intelligentia motum localem in eo causet.

Quo ad primum, vidimus supra non esse absur- 39
dum in nostra sententia, qui Cęlum fluidum esse propugnauimus, cuilibet sideri propriam intelligentiam motricem assignare: nunc autem videndum est, num id ita de facto sit. Verum hoc melius cōstare posse existimo examinādo huiusmodi controuersiam in sententia eorum, qui Cœlos solidos esse dicitant, quidam enim ex illis, quos refert Fracastorius *in suis homocentricis cap. 7. sect. prima* existimant vnam intelligentiam tantùm om-

omnia cœlestia corpora; quamuis fluida circumuolnere. Sed nostrum assertum est, cum Aristotele 12. *metaph. à tex.* 47. vbi tot posuit intelligentias cœlorum motrices: quot existimauit dari Cælos, quos mouere debent. & quidem non posse vnam intelligentiam mouere omnia corpora cœlestia, patet ex eo, quia quælibet intelligentia habet determinatam sphæram spatij, in qua esse potest. quam quidem sphæram omnes SS. Patres docent esse angustiorem ea distantia, quæ est inter Cælum, & terram; aliàs non benè colligerent, eos localiter moueri, quia aliquando in terris apparent; ergo nequit vna intelligentia omnibus corporibus cœlestibus esse præsens. Plura enim ex eis multò plus distant inter se quam Cælum à terra. Sed hoc ipso, quod non est illis præsens non potest illa mouere. Nam licet quando motus est vniformis, non sit necesse, vt mouens coniugatur immediatè immeditatione suppositi omnibus corporibus, quę ab eo moueri debeant, sed sufficiat sic coniugi vni, & eo mediante cæteris: at si motus, qui pluribus mobilibus imprimi debet est varius, ac multiplex, vt in nostro casu, in quo quædam corpora vno modo, quædam verò alio moueri debent: necesse est, vt mouens per se ipsum immediatè dictis corporibus adsit, vt de se patet. cum igitur vni intelligentiæ id repugnet, sequitur non posse omnia cœlestia corpora si solida essent ab vnica intelligentia circumuolui. Verum hæc ratio non conuincit, non posse duos saltem Cælos solidos moueri ab vna, quę existens inter vtrumque, diuersum impulsum illis imprimat. Idcirco addendum est ex suppositione, quod plures sint Cæli, quodlibet ad minus suam habere intelligentiam motricem. Probatur; quantumuis enim ponamus, quod vna possit mouere duos; congruentius tamen naturis rerum est asserere, quod quemadmodum Deus singulis hominibus suum Angelū Custodem assignauit, & singulis elementis suum tribuit: ita & suum singulis Cœlis. Cuius rei vlterior ratio potest esse: quia cum motus vnius cœlestis Orbis per se sumptus habeat rationem cuiusdam effectus totalis, & adæquati: iure sibi vendicat suum Angelum tanquam causam totalem & adæquatam, à qua procedat; ita vt adæquatè intelligatur vnus Angelus cooperari Deo in regimine vniuersi per hoc, quod regulatis motibus vnum Cælum perpetuo voluat; ex quo deducitur, quod si Cœli sunt octo: octo intelligentiæ assignandæ sint, si verò, vt alij malunt, vndecim, totidem sint tribuendæ.

40 Atque hic aduerte: notanter me dixisse (quodlibet Cælum ad minus suam habere intelligentiā) quia cū in quolibet sint alij minores orbes in hac sententia, quos eccentricos, & epicyclos, seu differentes appellant: adhuc remanet dubium num etiam singulis hisce orbibus speciales intelligentiæ concedendæ sint; & Ruuius quidem respondet affirmatiuè. Quare cum quidam Astronomi dicat, huiusmodi sphæras esse quadraginta septem, alij verò quinquaginta quinque, alij etiam plures, iuxta eorum placita intelligentię motrices Cælorum multiplicandæ essent, sed negatiua sententia videtur probabilior; & ratio potest esse, quia dicti orbes minores ad vnum maiorem globum spectates ponuntur minimum inter se distare; & ipsi maiori globo inseri esse. atque adeò distantia eorum non prohibet quo minus eis vna intelligentia simul adesse possit, illosque mouere; & multo minus prohibet adæquatio effectus; cum enim sint partes orbis maioris, & cum eo conflent vnum adæquatum orbem: illorum motus se habent, vt partiales effectus; atque adeò valdè congruenter ad vnam intelligentiam pertinentes. At in sententia admittente vnum Cælum, siue fluidum, siue solidum, singulis planetis assignanda est propria intelligentia, cum hac tamen differentia, vt si Cœlum ponatur esse solidum: nonnisi vnam septem dictis intelligentijs, quæ totum Cœlum mouet, addenda sit, ita vt omnes numerum octonarium non excedant. Contra verò si dicatur esse fluidum non solùm singulis sideribus errantibus, sed etiam singulis fixis propria intelligentia est assignanda, propter rationem superius dictam. Tanta enim est distantia vnius sideris fixi ab alio, vt non possit vnica intelligentia adesse duobus. vnde cum medium ponatur esse fluidum, atque adeo incapax ad recipiendam eandem impressionem, qua vtrumque sydus mouendum esset: necesse est cuilibet suam intelligentiam concedendam esse.

Quo ad secundum verò quod quærebatur, sciendum est Auerroem, Capreolum, Heruecum, Soncinatem, & alios, quos sequitur Vasquez *prima parte disp.* 102. *cap.* 3. & 4. nec non etiam *disput.* 218. *cap.* 3. *in fine*. existimare potentiam, qua Angelus mouet localiter Cælum, aut aliud corpus esse idem cum intellectu, & voluntate ipsius, quatenus referuntur ad motum. Contra verò alios, nimirum Henricum, & Aureolum, quos sequitur Suarez *tom.* 3. *metaph. disp.* 35. *sect.* 6. *num.* 22. & Conimbricen. 2. *de Cœlo cap.* 5. *quæst.* 7. *art.* 2. voluisse dictam potentiam locomotiuam in Angelis distingui realiter ab eorum intellectu, & voluntate: quoniam verò hi supponunt potentias operatiuas realiter distingui ab essentia, cuius sunt potentiæ, de qua re nos agemus Deo fauente, in libris de anima. 41

Ideò in præsentia præscidendo ab hac quęstione: nostram conclusionem stantiamus sic. Potentia locomotiua intelligentiarum Cælos, siue cœlestes orbes mouentium distinguitur ab earum intellectu, & voluntate saltem ratione ratiocinata præscindente ex parte obiecti. Dixi Cælos, siue cœlestes orbes, quia in posterum pro eodem accipiam motum Cælorum, ac siderum. Addidi etiam, saltem, quia ex suppositione, quod potentia, intellectiua, & volitiua in Angelis distinguuntur inter se realiter, puto, quod sic etiam distinguatur potentia loco motiua ab eisdem potentijs. 42

Et quidem quod ad minimum distinguatur ratione ratiocinata distinguente ex parte obiecti. Probatur, quia nulla potentia ferri potest extra suum adęquatum obiectum, vt certum est. sed motus localis est extra obiectum intellectus, & voluntatis Angelicę; ergo potentia motiua Angeli non potest esse formaliter eadem cum potentia intellectiua, & volitiua eiusdem; sed necessariò distinguenda est ab illis, non minus quàm in nobis potentia sensitiua distinguatur ab eius intellectu, & voluntate. Minor, quæ sua probatione egèt. suadetur; quia obiectum intellectus est totum intelligibile, voluntatis verò totum volubile. 43

sed

Digitized by Google

sed motus localis Cæli; neque vt quid intelligibile, neque vt quod volibile attingitur formaliter ab Angelo, quatenus Cœlum mouente, vt patet ex eo, quia potest Angelus dictum motum intelligere, & velle, nec tamen efficere, posito quod Deus nolit cum eo concurrere ad causandum illum; ergo &c.

44 Confirmatur id, quod dicimus; quia si motus localis eo modo, quo spectat ad potentiam motiuam, esset intra obiectum intellectus, & voluntatis Angelicæ: sequeretur, quod Angelus ex qualibet distantia mouere posset Cœlum; quia potentia intellectiua, rectè disposita potest in quacunque distantia circa obiectum suum operari; ex suppositione enim, quod habeo species Petri, quantumuis valdè ab eo distem: possum illum cognoscere, & amare. Atqui certum est Angelum non posse mouere Cœlum, nisi sit illi præsens; ergo motus localis est extra obiectum intellectus, & voluntatis illius.

45 Quod verò facta suppositione realis distinctionis intellectus, & voluntatis Angelicæ potentia motiua ab eis realiter etiam distinguantur. Probatur facilè ex eo, quia magis distat in Angelis potentia locomotiua; ab intellectiua, & volitiua: quàm intellectiua, & volitiua distent inter se; siquidem hæ duæ conueniunt in eo, quod sint productiuæ actuum spiritualium vitalium, & immanentium; nullum autem ex his habet potentia locomotiua cœlestis corporis; ergo si potentia intellectiua ponitur esse distincta realiter à volitiua in Angelis: multò magis debet poni potentia motiua realiter ab vtraque distingui.

46 Verú cõtra hãc conclusionẽ dices primò: Arist. 9. *met. tex.* 3. habet potẽtiã omnẽ esse, vel rationalẽ, vel irrationalẽ; cũ igitur irrationalem potentiam Angelus habere non possit, sequitur, quod potentia loco motiua in eo sit rationalis. huiusmodi autem est solus intellectus, & voluntas; ergo &c.

47 Respondeo: Potentiam loco motiuam dici posse in Angelis rationalem, propter subiectionem, ac subordinationem, quam habet ad rationem. neque aliud necesse est ad hanc denominationem habendam: quod si plus requirant aduersarij dic, Aristotelem solùm loqui textu citato de potentijs rerum corporearum, inter quas censetur esse homo ipse,

48 Dices secundò: quæ in inferibus distincta sunt, vniri, & coadunari debent, in superioribus, vt patet ex sensu communi, qui omnia quinque sensuum externorum obiecta potest attingere. cum igitur in nobis potentia locomotiua ab intellectu, & voluntate distinguatur, consequens est, vt in intelligentijs sit ab illis indistincta.

49 Respondeo distinguendo antecedens: quæ in inferioribus distincta sunt, coadunari debent in superioribus, quando natura eorum patitur, quod vniantur, concedo: si hoc eorum natura non patiatur, nego antecedens, & consequentiam; de facto enim intellectus, & voluntas in ipsismet Angelis sunt distincta, sicuti in nobis, & tamen vniri deberét, sicuti sensus externi coadunantur in sensu interno. Dico igitur, quod, quia potentiæ intellectiua, volitiua, & locomotiua sunt in diuersis generibus, hinc est, vt non possint concipi vt vna potentia, neque in vnam rationem formalem coalescere.

Dices tertiò, Potentia, quæ neque intellectiua est, neque volitiua, materialis debet esse, atq; organica, sed in Angelis nulla dari potest potentia organica; ergo &c. 50

Respondeo vniuersaliter negando maiorem. licet enim in nobis id verum sit: absolutè tamen loquendo, falsum est. Siquidem potentia locomotiua est de se indifferens; & siquidem in subiecto materiali reperitur: est materialis, atque organica, sin autem in subiecto spirituali, spiritualis. quamuis igitur Angelus totus quantus est intellectiuus sit; nihil tamen obstat, quo minus habeat potentiã saltem partialiter ad aliquod materiale ordinatã. satis enim est, si hæc ratione subiecti, in quo reperitur, immaterialis sit, atque inorganica. Dixi, saltem partialiter, quia per eandem potentiam locomotiuam, qua Angelus mouet corpora, seipsum quoque mouet, & fortasse etiam alios inferiores spiritus, ex quo sequitur huiusmodi potẽtiam esse ei valdè vtilem, & necessariam, & ad motum spiritualem primò, & per se ordinatam. 51

SECTIO QVINTA.

Verum motus localis sit cœlestibus corporibus naturalis.

SVmimus hic motum naturalem, quatenus eius principium, & causa est natura physica definita ab Aristotele *secundo Physicor.* non verò prout opponitur miraculoso, aut violento &c. & quærimus, verum cœlestium orbium conuersio sit huiusmodi, respectu ipsorum. 52

Conclusio est affirmatiua, quam docet D. Th. *in 4 dist. 48. art. 2. & 3. contag. cap.* 23. cum Porphyrio, Simplicio, Philopono, Auerroe, Capreolo, Ægidio, Ferrariense, & alijs, quos citant, & sequuntur Conimbricen. *primo de Cœlo quæst. 3. art.* 2. Contra Auiccennam, Scotũ, Durandũ, & Riccardũ *locis citatis ab eisdem artic.* 1. existimantes cœlestia corpora, nec naturali, nec violento motu circumuolui, sed motu præter naturali. 53

Probatur autem assertio à Conimbr. dupliciter. Primò quia cunctis rebus insita est naturalis inclinatio ad suam perfectionem; sed motus circularis est perfectio Cæli; ergo &c. Secundò, quia omne corpus physicum vendicat sibi aliquam naturalem lationem; sed Cæli sunt corpora physica, & nullam aliam lationem sibi vendicare possunt præter circularem; ergo &c. Sed contra ratio videtur solida. Nõ prior, quia motus est essentialiter actus imperfectus, constituens subiectum in potentia; ergo ratione sui nequit esse perfectio Cæli. Neque posterior, quia negatur ab aliquibus omne corpus physicum debere localiter moueri; satis enim est, si eius natura alicuius alterius motus, seu mutationis perfectiuæ principium sit, vt illuminationis, condensationis &c. dicet hoc videatur esse contra Aristotelem primo Cæli *text.* 5. Melius ergo suadetur conclusio hac ratione: Natura Cæli positiuè inclinat ad motũ, quo, defacto circumuoluimur; ergo huiusmodi motus localis est Cœlo naturalis. Consequentia patet, quia motus naturalis dicitur, cuius principium est natura. Antecedens verò suadetur; nam dupliciter in Cœlo naturam considerare possumus, materiam, 54

Digitized by Google

teriam, & formam; & quidem quod Cœlum ratione materiæ primæ ad motum inclinet, certum est. materia enim est potentia vniuersalis vnius cuiusque formæ; sed tamen vt motus sit composito physico naturalis non sufficit, si huius materia prima ad illum inclinet; alioquin nullus daretur motus violentus.

55 Attendendum igitur est ad formam, ratione cuius dupliciter intelligi potest, quod Cœlum inclinet ad motum suum. Primo actiuè illum efficienter causando; secundò passiuè illum recipiendo; certum autem est ipsam non inclinare primo modo; mouetur enim ab intelligentia; si ergo inclinat, secundo modo inclinat. verum in explicando hûc modû inclinationis diuisi sunt auctores Ferrar. 3. *contrag. cap.* 23. censet formam Cœli eatenus inclinare passiuè ad motum, quatenus concurrit tanquam principium passiuum, & receptiuum illius. Verum hoc dupliciter intelligi potest. Primò præcisè, videlicet, quantum verba sonant, & sic non habet veritatem; sequeretur enim, quod quando ignis moueretur deorsum, & aqua sursum, vtriusque motus esset eis naturalis, quatenus tum forma ignis concurreret tanquam principium passiuum, & receptiuum ad motum deorsum: tum forma aquæ ad motum sursum; & sic nullus daretur motus violentus. Secundò positiuè per hoc, quod forma Cœli reddat materiam, in qua est, aptam, & idoneam ad motum illum recipiendû; & neque hoc modo sustineri potest. nam in ordine ad recipiendos motus illos, qui composito physico præter naturam competunt, materia compositi redditur positiuè apta, & idonea per ipsam formam, vt patet ex materia ignis in ordine ad motum circularem: & tamen dicti motus non sunt naturales composito, vt de se patet.

56 Patres Conimbricenses *loco citato* laudant explicationem eorum, qui dicunt formam Cœli eatenus inclinare tanquam principium passiuum ad motum circularem, quatenus non vendicat sibi principium impulsiuum internum ad alium motû; quod non habet ignis respectu motus circularis; siquidem eius forma, & si reddit materiam, in qua est, aptã ad motum circularem; habet tamen propensionem ad motum sursum. vnde si secundum hanc ignis mouetur, dicitur moueri naturaliter; si contra hanc, nimirum deorsum, violenter: si verò circulariter v. g. dicetur moueri præter naturam.

57 Verum neque hic modus explicandi placet; nam ex eo deducitur, quod si Angelus propelleret cœlestem machinam motu recto versus orientem v. g. dictus motus esset Cœlo naturalis, quatenus eius forma ita concurreret tanquam principium passiuum ad illum: vt non vendicaret sibi principium impulsiuum internum ad alium motû: asserere autem quod motus rectus sit Cœlo naturalis, videtur plusquam absurdum, vt considerati patet, dicere autem quod sit violentus Cœlo, est contra Aristotelem; & suadetur præterea ex eo, quia motus rectus non est circulari contrarius, siquidem vterque ab vno termino à quo, potest subiectum adducere ad eundem terminum ad quem, siue hic terminus sit sursum, siue deorsum.

58 Rectius ergo mihi hoc discursu intentum probari posse videtur. Forma Cœli ex suis intrinsecis inclinat ad distribuendas suas influentias corporibus sublunaribus, vt eorum beneficio illa conseruet, atque multiplicet; ergo ex suis intrinsecis inclinat ad motum circularem ab intelligentijs recipiendum. Antecedens patet, quia quodlibet ex suis intrinsecis inclinat ad consequendum finem sibi à natura constitutû. naturam autem cõstituisse cœlestia corpora, vt suis influentijs mundum hunc inferiorem contineant, atque conseruẽt, constat, quia illis tantùm, & non alijs corporibus elargita est omnes eas facultates, quæ ad hoc munus exequendum necessariæ erant: cum igitur cœlestibus corporibus hoc non competat primario ratione materiæ, sed ratione formæ: rectè deducitur eorum formam ex suis intrinsecis inclinare ad distribuendas suas influentias corporibus sublunaribus, quibus ea conseruet, atque multiplicet, quod erat antecedens nostri enthymematis. Consequentia verò suadetur, quia per eandem inclinationem, præsertim innatam, per quã res aliqua inclinat ad finem, inclinat etiam ad media, quæ necessaria sunt ad dictum finem obtinendum; sed motus localis se habet, vt medium in ordine ad cœlestes influentias distribuendas, quibus sublunaria gubernentur, & quidem necessarium: si enim Cœli non mouerentur, non solùm non conseruarent mundum hunc inferiorem, imò potius illum dissiparent, dum aliquas eius partes nimio calore incenderent, alias verò nimio frigore congelarent; si ergo forma Cœli inclinat ad conseruanda corpora sublunaria suis influentiis, inclinare etiam debet ad motum recipiendum.

Neque dicas, quod sicuti influere in hæc inferiora non competit formæ Cœli quatenus natura est, eo quod est operatio transiens: ita neque moueri. Nego enim paritatem: disparitas est, quia motus localis quamuis producatur ab intelligentia: habet tamen respectu Cœli illam immanentiam, quæ sufficit ad constituendam formam Cœli naturam physicam, quatenus recipitur in Cœlum cum inclinatione eiusdem formæ, & materiæ, vt ab ea informatæ. Ad eum planè modum, quo recipitur in ipsum Cœlum lumen, & aliæ qualitates, quibus redditur aptum agere in hæc inferiora, in ordine ad quas recipiendas forma Cœli habet rationem naturæ, quamuis postea actio ipsa in inferiora non procedat ab ipsa forma Cœli tanquam à natura formaliter; cũ sit omnino transiens. 59

Per quæ patet, non esse audiendum Arriagam *disp. vnica de Cœlo sect. 5. numero* 58. vbi vniuersaliter quærens, an motus circularis sit naturalis Cœlo: postquam docuit affirmatiuam sententiam valdè acriter à multis defendi: addit illam sibi nullo modo persuadere posse, nec apperentem videre huius rei rationem. Non tamen debet esse mirum, si non videris; ratio enim, quam modò attulimus nostra est. Quatuor verò, in contrarium affert argumenta, quæ in sequentibus obiectionibus placet expendere: æque enim vrgent, siue dicatur motus esse naturalis Cœlo actiuè, siue passiuè tantùm. 60

Obijcit ergo primò Arriaga *loco cit.* motus localis duo dicit: actionem productiuam vbicationis, & vbicationem ipsam; sed ad neutrum propendet Cœlum natura sua; ergo motus localis non 61

est

est Cæli connaturalis: maior patet minor probatur, quia si Cælum inclinaret ad actionem productiuam vbicationis A. v.g. & ad vbicationem ipsam, ijs habitis non appeteret vlterius moueri. Sed sic non exigeret naturaliter continuum motum; ergo ad neutrum natura sua Cælum propendet.

62 Respondeo: Concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem distinguo maiorem: si Cælum inclinaret ad actionem A. & ad vbicationem per eam productam, tamquam ad finem, concedo quod eis habitis quiesceret: posito quod inclinat ad eas recipiendas tamquã in medium, nimirum vt ijs mediantibus suas operationes, & influentias rebus sublunaribus dispertiatur, nego maiorem; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam: ac dico, quod licet motus localis de se aliud nihil importet, quam actionem productiuam vbicationis, ipsiusq; vbicationem: Cœlestia tamen corpora eo vtuntur tamquam media ad dispertiendas suas salutares influentias inter sublunaria, & ad gubernandum illa. Vnde fit vt vbicatione A. & eius actione habitis, non sit cur non debeant vlterius circumuolui. Siquidem non inclinant ad motum illum ratione talis, vel talis vbicationis acquirendæ; sed ratione rectæ gubernationis, quam non consequuntur, nisi continuo moueantur.

63 Obijcit secundò: omnes partes Cæli sunt eiusdem speciei inter se, idem dic de partibus eiusdẽ astri; ergo non potest vna magis, quam altera appetere locum A. v.g. atque adeò quando illum habet vna, non debent aliæ moueri ad occupandum illum.

Respondeo consequentiam veram esse, si partes Cœli moverentur ad acquirendum sibi locum, sed hoc falsum est. nam sicuti Cælum ipsum secundũ se totum non magis propendet ad existendum in hac parte spatij imaginarij, quam in alia (fuit enim initio suę creationis liberum Deo illud vbicumque voluisset collocare) ita ex suppõsitione, quod hoc spatium occupat, eius partes sunt etiam indifferentes ad locum orientalem, vel occidentalem, vel alium quemlibet occupandum. Quare ratione loci acquirendi non deberent moueri. Quoniam verò mouentur ad distribuendas influẽtias suas rebus sublunaribus, & recta distributio exigit, vt nunquam illæ quiescant, sed semper motu perpetuo vna in alterius locum succedat; hinc fit, vt licet sint eiusdem speciei, cum hoc tamẽ stat, quod posterior semper locum præcedentis appetat sine fine.

64 Obijcit tertiò: quælibet Cæli pars in eodem loco, in quo est hodie, fuit heri; ergo si heri appetebat locum hodiernum; cum heri illum habuisset, debebat potius quiescere, & nõ moueri.

Respondeo, partes Cœli heri non appetijsse locum hodiernum tanquam finem, sed solùm vt medium, ad dispensandas inter res sublunares influentias suas eo modo, quo bonum earum regimen requirebat; & quia hic, & non alius erat modus requisitus, videlicèt, quod quælibet pars post motum diurnum viginti quatuor horarum in eodem ferè loco, in quo fuit heri, esset hodie: ideò Cælum hac ratione moueri debuit; concesso igitur antecedente, distinguo consequens. si heri appetebat locum hodiernum tanquam finem motus, heri debebat quiescere, concedo posito quòd appetebat ad suas influentias distribuendas, nego consequentiam.

Obijcit denique quartò cæterę res, quæ appetunt locum aliquem, eo adepto quiescunt, vt patet ex lapide, qui tendit in centrum, in quo quiescit, & ignis supra, vbi quiescit; ergo & Cælum si propenderet natura sua ad motum.

Respondeo negando consequentiam: disparitas est, quia reliqua corpora, quæ motu recto mouentur, intendunt primò, & per se in motu suam perfectionem, & sic acquisito loco proprio, in quo benè se tuentur à contrarijs, ac conseruantur; non est cur inde moueantur. Sed Cœlum non perficitur per locum, nam æquè benè singulæ eius partes in vno loco, ac in alio conseruantur. Vnde non est, cur debeat corpora corruptibilia quantum ad hoc imitari, vt post motum sibi naturaliter debitum, quiescat. sed potius in motu perseuerare, vt inde totius orbis conseruatio obtineatur.

Obijcit præterea quintò: Cœlum post diem Iudicij non violenter quiesceret; ergo motus localis non est illi in præsentia naturalis. Antecedens patet; videtur enim absurdum asserere, Cælum per totam æternitatem à parte post violentiam esse passurum. consequentia suadetur; quia opposita semper opposito modo se debent habere; si igitur motus esset naturalis Cælo, quies illi violenta esse deberet. 66

Respondeo, concesso antecedente: negando consequentiam, ad cuius probationem distinguo antecedens: opposita semper opposito modo se debent habere, cęteris paribus, concedo; quando cætera non sunt paria, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim Cœlum exigere circumuolui, vt finem suum consequatur, qui consistit in conseruatione, & gubernatione vniuersi; & ideò si hoc vniuerso costante, desineret moueri, violentiam pateretur. Quoniam verò argumentum supponit post diem Iudicij mundum hunc inferiorem, Deo sic volente, cessaturum: non est, cur Cælum exigat amplius ex suis principijs intrinsecis tunc circumuolui. Quamuis igitur quies de se sit opposita motui, at non semper respectu subiecti oppositionem exeroet, sed solùm quando sunt cætera paria, quod non habetur in casu nostro, dum consideramus Cælum ante, & post diem Iudicij. sic quamuis lapidi posito in aere motus sit naturalis, & quies ibi violenta, non sequitur ex hoc, quod quando est in centro, naturaliter inde moueatur, & violenter quiescat.

Obijcies sextò: forma Cæli non inclinat tamquam principium actiuum ad motum; ergo neque tamquam principium passiuum. Antecedens patet ex dictis. Consequentia suadetur; quia sicuti Cælum potest obtinere finem suum in hoc vniuerso, absque eo, quod eius forma sit principiũ actiuũ sui motus, ita, & absque eo, quod sit principium passiuum illius. 67

Respondeo: concesso antecedente, negãdo consequentiam: ad cuius probationem, nego paritatem; quemadmodum enim corpus lunare, etiamsi obtinere de facto possit finem suum absque eo, quod eius forma sit principium actiuum sui lumi-

Digitized by Google

nis, non posset tamen si non esset principium passiuum illius, quia sic non ex suis intrinsecis inclinaret ad suas influentias rebus sublunaribus communicandas, siquidem non nisi mediante lumine id præstat: Ita & in casu nostro. Et quidem quod forma Cæli non inclinet tanquam principium actiuum ad motum suum, vidimus supra, id oriri ex eo, quod sit forma non vitalis: quod verò debeat saltem tanquam principium passiuum inclinare patet ex eo, quia ex suis intrinsecis ordinatur ad inferiorem orbem continendum, & conseruandum.

68 Instabis: Impulsus, seu virtus impressa est forma non vitalis, & tamen non minus inclinat tanquam principium actiuum ad motum, quam tanquam principium passiuum: ergo disparitas assignata nulla est.

Respondeo, negando consequentiam. P. Arriaga, qui absolutè negat Cœlum natura sua propendere ad motum, duplicem disparitatem assignat: vna est, quod impulsus est vis quædam ab extrinseco proueniens quasi violenta subiecto: altera, quia licet forma Cœli inclinans ex suis intrinsecis ad motum non implicet diuinitus: non propterea debet de facto concedi. Siquidem ad asserendum dari de facto aliquid, non sufficit probare, quod non inuoluat implicatiam, nisi adsit quoque ratio id positiuè suadens.

69 Sed neutra ratio satisfacit; & quidem prior magis videtur argumẽto fauere: si enim forma accidentalis proueniens ab extrinseco, & quasi violẽta subiecto, propẽdet natura sua ad motũ, tum efficienter, tum materialiter causandum: quanto magis forma substantialis, quæ est pars intrinseca Cœli, & ideò maximè illi connaturalis. Ad posteriorem verò dici potest, quod licet ex sola non implicantia alicuius rei non sufficienter probetur dari de facto illam rem, at quando stante non implicantia habemus sufficientia indicia, quod detur, absolutè dicendum est dari, vt patet ex vi causatiua in genere efficientis, quam concedimus de facto creaturis: quatenus ex vna parte probamus, eis non repugnare, ex alia videmus, quod illę eodem prorsus modo se gerant, ac si eam de facto haberent. Atqui hoc idem euenit in casu nostro. nam ex suppositione, quod forma Cæli ex suis intrinsecis propendens ad motum tum actiuè, tum passiuè causandum, non implicet: videmus, quod ita se gerit Cœlũ in suo motu, ac si de facto dicta forma constaret; ergo posita non implicantia dictæ formæ, dicendum est, quod detur de facto.

70 Satius ergo videtur assignandum pro disparitate, quod impulsus, si detur, de quo suo loco, est indifferens ad mouendum motu recto, vel circulari. At Cœlum debet esse de se determinatum ad solum circularem ad vniuersum benè gubernandum. præterea impulsus expectat determinationem à proijciente ad mouendum versus talem, vel talem locum.

71 Quæ quidem determinatio in eo, vt cumque explicatur per hoc, quod proijciens moueatur aliquantulum simul cum proiecto versus eandem partem, at verò in Cælo nulla ratione hoc explicari potest. Deus enim quando illud creauit, non motus est ab oriente in occidentẽ simul cum Cælo. nec illi impressit qualitatẽ determinãtẽ ad talẽ motum, siquidẽ deberet illã perpetuò conseruare, & quidẽ supernaturaliter; nã ea naturaliter loquẽdo, ad brevissimũ tempus durare potest. Denique benè saluatur impulsus inclinans actiuè ad motum proiectorum, quia hæc mouentur vniformiter: at in cœlestibus corporibus tot tantique motus diuersi fieri debent, vt impossibile sit, quod à forma inanimata proueniant, vt supra probauimus.

DISPVTATIO TRIGESIMA NONA

DE ACTIVITATE CORPORVM COELESTIVM Respectu sublunarium.

EX his, quæ ad Cælum pertinent restat considerare actionem eius in hęc inferiora. De qua diuersimodè Philosophi opinantur. Quidam enim omnia sublunaria cælestibus astris ita subijciunt, vt nullam ferè vim agendi propriam ijs concedant, sed in suis omnibus operationibus, siue immanentibus, siue transeuntibus, passiuè potius se habere, & agi ab ipsis astris asseuerent.

Alij verò è contra nullam ferè subiectionem mundum hunc inferiorem ad superiorem habere, neque aliquid ab illo pati, sed omninò independenter ab eo existere, & conseruari existimant. vtrumque extremum fugiendum censeo, & prius quidem alibi: posterius verò in præsentia impugnandum suscipio.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Cælum agat in hæc inferiora.

1 COnclusio est affirmatiua, & communis, quam docet Arist. 2. *de Gener. text.* 55. & 56. & 4. *de gen. animalium cap. vltimo*, & *sæpè alibi præsertim* 2. *physic. text.* 38. vbi ait, quod Sol, & homo generent hominem.

Probatur autem experientia: videmus enim vicissitudines, generationesq;, quę in terris, & in aquis, 2

aquis illæ, causari virtute Solis, aliorumque astrorum. Præterea quis ignorat quadripartitam anni distributionem, frigora, pluuias, siccitates, & æstus à Sole prouenire.

3 Obijcies tamen primò: Omne agens agit ad hoc, vt assimilet sibi passum; sed Cælum non potest assimilare sibi hæc inferiora; ergo non potest agere in illa.

4 Respondeo, distinguo Omne agens vt causa vniuersalis, & æquiuoce agit, vt assimilet sibi passum, nego maiorem: agens, vt causa particularis, & vniuoca, concedo; & ad minorem dico: Cælum agere in hæc inferiora, vt causam vniuersalem, & æquiuocam, quare nego consequentiam.

5 Obijcies secundò: Si Cœlum ageret in hæc inferiora, ageret in hominum intellectus, ac voluntates, sed hoc est absurdum; ergo &c. sequela patet, quia homines sunt pars potissima rerum sublunarium. Minor verò probatur, quia cum Cœlum sit agens necessarium, si ageret in hominis voluntates, tolleret illis procul dubio libertatem.

6 Respondeo: Cælos quidem per se, & directè & in intellectum, & voluntatem hominum agere non posse; nullum enim agens corporeum saltem extrinsecum in rem spiritualem, qualis est intellectus, & voluntas actionem aliquam exercere potest; alioquin esset illa perfectius; at per accidens, & indirectè posse, agendo scilicet in organa nostra corporea, à quibus in suis operationibus intellectus, & voluntas dum sunt in corpore aliquo modo dependent, vt patet ex illis, qui sub quibusdam peculiaribus constellationibus nascuntur, aut generantur. videmus enim quosdam ad iram esse propensos, quosdam verò ad pietatem: alios autem ad rapinam, pro diuersitate astrorũ, quę dominantur in illos: hinc tamẽ non sequitur, quod humana libertas lædatur ab astris; quibuscumque enim qualitatibus à Cælo in nostris organis productis, adhuc integrum nobis est facere, vel non facere id, quod est iuxta, vel contra regulam rationis. Vnde si quis natura propendet ad auaritiam, potest per acquisitionem habitus fieri libertate sua liberalis, siquis verò ad libidinem inclinat, viuere potest caste &c. & per hoc excusantur Astrologi, seu Diuinatores, ac Planetarij ab hæresis, seu erroris suspicione, dum ex stellarum aspectibus extraneorum hominum mores diuinantur; propriè enim cognoscere non possunt, nisi inclinationes, & naturales propensiones; quoniam verò homines, vt plurimum proprios appetitus, & carnis desideria sequuntur: hinc fit, vt illi sæpè suis diuinationibus ad mores, seu ad virtutes, ac vitia hominum pertinentibus, verũ dicant. Cæterum ipsi neque cordis occulta, neque futures effectus fortuitos, siue à libera hominum voluntate, siue ab accidentali naturalium causarũ coniunctione prouenientes, certò, & infallibiliter præuidere possunt.

7 Obicijes tertiò: saltem Cœlum Empyreum non exercet actionem aliquam circa hęc inferiora; ergo Conclusio falsa est vniuersaliter.

8 Respondeo: nos in Conclusione loqui de corporibus cœlestibus lumine naturæ cognitis; quare etiam si Cœlum Empyreum in hæc inferiora non agat: verum diximus. ad vberiorem tamen doctrinam nego antecedens cum Diuo Thoma *quodlibet 6. art. 1, & prima parte quæst. 66. art. 3. ad* 2. Eius negationis ratio prior ex nobilitate, ac perfectione Cœli Empyrei desumi potest. quo enim corpus aliquod perfectius, ac nobilius est, eo magis est operatiuum, vt constat ex his, quæ nobis nota sunt. Empyrei autem nobilitatem supra reliqua corpora constare ex eo, quod nonnulli illud esse corpus omninò simplex asseuerant, inter quos Quiroga *disp. 69. n. 7.*

9 Neque dicas Empyreum fuisse à Deo initio creatum propter finem supernaturalem, vt scilicet esset Beatorum domicilium; non autem, vt in inferiora corpora aliquid operaretur. Ne id dicas, inquam; nihil enim obstat, quod aliquid ad duos fines ordinetur, quorum vnum per se, primò, & principaliter: alterum per se, secundò, & minus principaliter respiciat. Neque iterum dicas, nihil in inferiora hæc posse Empyreum influere: vt enim benè notat Suarez *libr. de opere sex dierum cap. 5.* licet non constet in particulari, quid tandem causet, dici tamen optimè potest, quod eius effectus non sint ab effectibus Cæli siderei distincti, eo quod qualitatem aliquam nobis ignotam permanenter in illud immittat, per quam fiat completè potens in inferiora ista influere.

10 Propterea Empyreum lucidissimum esse, sed inferiorem partem, qua nos respicit, opacam habere, ne lux per Cælum sidereum diffusa ad nos transmearet, omnes Catholici, tum Philosophi, tum sacrarum Scripturarum interpretes tanquam certum supponunt. Verum hoc commune dictum Arriaga *disp. unica cœlesti sect. 6. num. 67.* existimat, quod sicut non potest benè probari; ita neque reijci. Qui enim (inquit) diceret ipsum Cœlum esse opacum, in sola autem superficie versus Beatos habere lucem splendidissimam, quomodo reijceretur? Responsio tamen ad hanc interrogationem est facilis. reijceretur enim ex eo, quia cum lumine naturæ constet, quod cæteris paribus diaphaneitas, & luciditas sint qualitates multo nobiliores opacitate. Hoc ipso, quod asserimus Cælũ Empyreum superare in nobilitate reliquos orbes cælestes: necessariò debemus asserere ipsum diaphaneitate, & luciditate potius, quam opacitate præditum esse. adeo vt impedimentum, quod eius lumen prohibet, ne ad nos deferatur, satius sit ponere in extima parte Cæli siderei, quam in substantia ipsius Empyrei. quis enim ignorat nobiliori corpori nobiliora accidentia concedenda esse, dummodo aliud in contrarium non appareat, præsertim cum vix alia nobis nota sint accidẽtia corporea his perfectiora, quæ rationabiliter Empyreo concedi possint.

SECTIO SECVNDA

Vtrum Cœlestia corpora agant in hæc inferiora per motum, tamquam per rationem agendi.

11 CONclusio est negatiua: dico enim motum Cæli non esse ei rationem, seu virtutem agendi in hæc inferiora. Ita Toletus *lib. 2. de Generat. quæst.* 12. Vallesius *de sacra philosophia cap. 31. & lib. 4. controuersiarum medicar. cap. 3.* & omnes ferè Recentiores.

12 Probatur. quia dupliciter potest intelligi, quod motus sit Cælo ratio agendi in sublunaria. Primò

Digitized by Google

adæquatè, & totaliter; si non quo ad omnes effectus, quia hoc videtur impossibile, at saltem quo ad aliquos. Secundò partialiter, & inadæquatè, ita vt reliquæ virtutes agendi, quæ sunt in Cœlo, nisi compleantur per motum, non sint sufficientes aliquid operari; sed neutro modo motus potest esse respectu Cœli ratio agendi in hæc inferiora; ergo &c. maior patet, quia omnis virtus operatiua, vel totalis est, vel partialis. Minor probatur, quia ita se habet motus Cœli respectu ipsius Cœli, sicuti motus cuiuscumque alterius corporis respectu eiusdem corporis; sed respectu nullius alterius corporis motus est ratio agendi transeuntes, neque totalis, neque partialis; ergo neque respectu Cœli, maior est certa. non enim potest assignari maior ratio. minor verò suadetur: videmus enim reliqua corpora habere suas virtutes operatiuas, completas, ratione quarum etiam sine vllo motu locali agere possunt in passum sibi debitè applicatum. 13

Confirmatur, quia motus localis est entitas modalis, constituens partes Cœli, in via ad acquirendas alias, atque alias partes spatij; ergo non est virtus operatiua, neque totalis, neque partialis. Consequentia tenet, quia gratis, & sine vllo fundamento huiusmodi energia enti fluidissimo concederetur.

14 Obijcies primò: Aristoteles 8. *physicor. text.* 13. docet omnes motus inferiores reducendos esse ad motum Cœli tamquam ad primum, qui est cæterorum causa; ergo cœlestia corpora agunt in hæc inferiora per motum, tamquam per rationem agendi.

15 Respondeo: Philosophum *loco cit.* velle solùm, motum Cœli esse primum, & causam cæterorum motuum, non quidem in genere efficientis, vt contendunt aduersarij; sed in genere causæ exemplaris, in quantum est regulatissimus, & vniuersalissimus. nam vt habetur 10. *metaph. cap.* 4. primum in vnoquoque genere est causa reliquorum; videlicet est mensura perfectionis, & exemplar, quatenus reliqua eiusdem generis, quo magis ad illud accedunt, eo nobiliora, & perfectiora in suo genere existimantur. in quo sensu, homo dicitur primum in genere animalium, ignis in genere elementorum, Sol in genere lucidorum, & sic de cæteris. Ex hoc autem non benè deducitur, motũ Cœli esse causam efficientem cæterorum motuum, qui fiunt in sublunaribus. sicuti neque benè deduceretur, quod homo sit causa efficiens cæterorum animantium.

16 Obijcies secundo: Idem Aristoteles *secundo de Cœlo t.* 42. sic habet. Calor autẽ ab ipsis, hoc est ab astris, & lumen generatur attrito aere, ab illorum latione. nam natura aptus est motus ignire, & ligna, & lapides, & ferrum. rationabilius autem est id, quod est igni propinquius, cuiusmodi est aer; ergo motus astrorum per Aristotelem est causa caloris in aere.

17 Respondeo: ex hoc textu nihil aliud colligi posse, nisi quod, quemadmodum motus in sublunaribus est causa per accidens caloris, quatenus videlicet per illum, tanquam per conditionem, dum corpora mobilia distrahuntur, & inuicem confricantur facili negotio, partes calidiores à frigidioribus segreganturs, & sic se reducendo ad proprium statum, incalescunt, & igniuntur; ita & motus cœlestium orbium causat calorem in aere, quatenus eius beneficio aer discutit à se frigidas exhalationes, atque vapores, quibus in media regione infestatur; & sic se reducit ad pristinum statum. Ex quo solùm sequitur motum Cœlorum non transcendere rationem conditionis, sine qua non. Quare neganda est consequentia.

Cæterum pro rei veritate, verum Aristoteles ex propria sententia *text. illo* 42. docuerit ex motu sphærarum cœlestium aerem calefieri, valde dubium mihi est. multa enim ibi dicit, quæ potius ad captum rudium, & *pingui Minerua*, vt aiunt, dici censenda sunt ad *homines* contra antiquos, cum quibus disputabat, quam in rei veritate: cum enim antiqui docerẽt stellas igneas esse, & in igne ferri, eo quod viderent per eas causari calorem in sublunaria, satisfuit Aristoteli hanc absurdam sententiam crassa quadam ratione confutare, dicendo, quod quemadmodum corpora quædam, etiam si neque ignea sint, neque in igne ferantur: tamen hoc ipso, quod mouentur, causant calorem; ita hoc idem de sideribus sentiri posset. ex quo non sequitur quod ipse verè existimauerit, sidera per motum suum tamquam per conditionem calefacere aerem, illum atterendo, atque fricando. Et rectè id quidem, nam ibi dicitur, quod aer maximè incalescat per motum sphęræ, cui Sol extat infixus; atqui hoc impossibile apparet; siquidẽ si qua Cœli sphęra deberet calefacere aerem, hęc non potest esse alia à sphæra lunę, cum hęc sola sit immediata corporibus sublunaribus in sententia Aristotelis, atque adeò sola potest illa atterere, & confricare. linquo aerem non esse immediatum Cælo. Corpus verò intermedium, nimirum ignem, esse ibi tenuissimum, atque adeò facillimè intersecabile, ita vt impetum, quo à Cęlo lunæ rapitur, non possit vsque ad aerem transmittere, vt patet ex ipso aere, qui quia fluidus est, quamuis maximo impetu secũdùm aliquas sui partes propellatur, non secum defert omnes alias, nec impetum transmittit in illas. Deinde loco ab aduersarijs citato post traditam doctrinã de aere, qui incalescat, eo quod sub corporis circulariter moti sphęra existat, & ea maximè, in qua Sol extat infixus; sic habetur: Qua propter approximante ipso Sole, & oriente, & super nos existente generatur calor. Quæ quidem consequutio non videtur procedere, nam etiam si demus aerem attritu sphærę Solis se mouentis incalescere, si motus in dicta sphæra est ratio agendi, cum æquè moueatur circa nos huiusmodi sphęra, siue Sol nobis approximetur, & oriatur, siue decidat, & longè fiat, deberet aer pro quacunque differentia temporis, æque incalescere, & non magis approximante, & oriente Sole, saltem ex vi huius rationis ex mòtu deductę. Tertiò denique, quia si motus astrorum esset ratio agendi calorem in aere, deberent astra ipsum mouere, & secum rapere, non solùm secundùm supremam eius regionem, quæ cum sit igni propinquissima, non patitur iactu ram caloris, atque adeo non indiget calefieri: sed maximè secundùm mediã, in qua frigidi vapores existunt, ex quibus nubes, imbres, niues, & cętera huiusmodi meteorologica generantur. Secũdum hanc enim deberet moueri, ac distrahi, vt

ex-

Digitized by Google

cuerint à se dictos vapores, & sic calorem concipere. Aequi mediam aeris regionem non moueri, neque distrahi per motum siderum patet: tum quia se moueremus, secum raperet nubes, quod non contingit, vt patet ad sensum: tum etiam quia, cum hęc sit aliquantulum infra editissimorum mótium cacumina: quando homines Olympum, Athonem, & similes montes conscenderent, motum aeris experiri deberent, præsertim in eorum summitate, & tamen dicunt adeò ibi aerem immotum persistere, vt cinis ijsdem signis impressus ibi relictus, ad multos annos immotus omninò perduret. Ex quibus omnibus satis probabiliter videtur dicendum, in dicto textu secundi de Cœlo, Philosophũ ex sententia antiquorum, & non ex propria ipsosmet antiquos redarguere voluisse.

19 Obijcies tertiò: Cœlum est instrumentum Intelligentiæ; ergo respectu instrumenti, motus à principali agente proueniens potest esse ratio agendi; ergo & respectu Cœli. Minor patet ex serra, malleo, &c. quę non operantur, nisi per motum, quo à fabro mouentur.

20 Respondeo, maiorem esse falsam, vt supra vidimus, sed ea data; nego minorem, ad cuius probationem dico, quod quemadmodum quando vnũ corpus trudit, aut scindit aliud, hoc non facit per motum, tanquam per rationem agendi, sed solùm tanquam per conditionem applicantem: ita serra, malleus, & cætera instrumenta artefactorum, quãdo ab artificibus adhibentur.

21 Quæres hìc, an motus Cæli ita sit necessarius ad rerum sublunarium operationes: vt eo cessante statim hæ cessare deberent?

Respondeo cum distinctione; & quidem si loquamur de ijs operationibus, quæ indigent diuersa siderum applicatione, vt producantur, cuiusmodi est quadripartita anni distinctio, fructuum, ac leguminum incrementum, atque maturitas, & cætera huiusmodi: certum est, cessante corporum cęlestium motu, cessare. eo quod, diuersa siderum applicatio eidem parti materiæ sine eorum motu, haberi naturaliter minimè potest, vt de se patet. Si autem loquamur de alijs operationibus: dico, eas cessante motu Cæli, non esse cessaturas. vti sunt motus grauium, & leuium, alterationes mutuæ elementorum, & similes. gratis enim tanta dependentia ponitur in sublunaribus à motu Cæli: idem dico, de ipsis Cęlorum operationibus, quæ varia applicatione non indigent, cuiusmodi est illuminatio &c. atque ex his patet, falsam esse sententiam dicentium, res sublunares, quiescentibus Cælis, destruendas statim fore; non enim apparet huius dicti ratio.

SECTIO TERTIA.

Quid sit lumen.

22 VT videamus num corpora cælestia agant in hæc inferiora per lumen: Placet prius aliquid de luminis natura breuiter disputare; quod duplici cõclusione præstabimus, in quarum altera, illud secundùm rationes generícas considerabimus: in altera verò secundùm suam rationem specificam.

23 Sit igitur prior conclusio: Lumen secundùm suam rationem generícam est qualitas realis materialis perfectiuè subiecti sui, educta de potentia materiæ. Defendimus communiter, præsertim ab omnibus Peripateticis. Est tamen primò contra Empedoclem, existimantem illud esse corpus, vt dicitur *secundo de anima tex.* 69. Contra quę probatur nostra conclusio: tum quia, cum lumen corpora diaphana penetret, si ipsum esset corpus, iam daretur penetratio corporum: tum etiam, quia cũ eius diffusio sit instantanea, sequeretur, quod corpus aliquod posset in instanti moueri, verumque autem est absurdum, vt de se patet; ergo &c.

Secundò est contra alios, de quibus Aristoteles 24
loco citato. putantes illud esse defluxum quendam corpusculorum à corpore lucido immissorum; contra quos facit, quia cum quotidie Sol ab initio mundi tantam lucis copiam emiserit: profectò deberet esse his temporibus omni penè luce exhaustus, atque consumptus. Est etiam tertiò contra alios, quos videtur sequi S. Bonauentura in 2. *dist.* 13. putantes, illud esse formam substantialem; Contra quos probatur tertiò assertio nostra: tum quia nulla forma substantialis est per se sensibilis, lumen autem oculorum sensu percipitur, tum etiam quia intenditur, ac remittitur, quod non conuenit formæ substantiali. Ea enim non suscipit magis & minus, vt de se patet.

Pater Arriaga *sect. 6. circa n.* 69. Putat principium illud: sensum non percipere, nisi accidentia, negari posse à ponentibus lumen esse substantiam; quare melius putat hoc probandum esse, ex eo, quia nullum planè fundamentum est ad dicendum illud esse substantiam magis, quam de calore, & frigore. Quasi verò non possint eadem facilitate aduersarij eius negare assumptum, dicendo fundamentum esse nobilitatem, qua lumen supra cætera corporea accidentia se extollit, ratione cuius est simpliciter perfectius illorum, quod non habet calor, & frigus, quæ sunt dispositiones ad formas alias introducendas. non est igitur discedendum à rationibus communibus; non negauerim tamen, posse hanc responsionem ex nobilitate petita facilè deludi, dicendo, quod si nobilitas esset causa cur forma luminis immediatè sentiretur: etiam aliæ formę substantiales ea nobiliores sentiri deberent, sed hoc est apertè falsum: constat enim nullam aliam formam substantialẽ, neq; elementorũ, neq; mixtorũ non viuentiũ, nec mixtorũ viuẽtiũ, neq; animaliũ, siue imperfectorũ, siue perfectorũ esse immediatè sensu aliquo perceptibilem; ergo sensibilitas illius non potest in eius perfectionem refundi; sed de hoc satis.

Ex eo autem remanet improbata sententia 26
Marsilij Ficini *in argumento in Dialogum septimum de Repub. & in conuiuio Platonis*; volentis lumen esse formam substantialẽ spiritualem; si enim forma substantialis materialis non potest immediatè sentiri, quanto minus forma spiritualis.

Quartò est contra alios asserentes lumen consistere in sola præsentia corporis luminosi; & citantes pro se Aristotelem *secundo de anima tex.* 69. *& alibi*, dicentem lumen esse luminosi corporis præsentiam. Contra quos, probatur quartò conclusio nostra, tum quia potest saltem diuinitus haberi corpus luminosum præsens, & non haberi lumen: tum etiam quia corporis luminosi præsentia non

27

est

Digitized by Google

est actiua, lumen autem, vt dicemus est actiuum: ergo &c. Neque Philosophus aduersariorum sententiæ fauere potest quando enim refundit esse luminis in luminosi corporis præsentiam, non loquitur realiter, & entitatiuè; sed causaliter, quatenus corpus luminosum non causat lumen in distans. Quod si quæras per quam particulam nostræ Conclusionis hæc quarta opinio excludatur. Respondeo, excludi per eandem prorsus particulam per quam tres priores exclusæ sunt: nimirum per hoc, quod dixerim, lumen esse qualitatem. ratio enim qualitatis non minus excludit à se rationem substantiæ, quam rationem præsentiæ: quamuis enim sentiamus cum redentioribus quibusdã, præsentiam esse modũ intrinsecum rei præsentis, debemus, illis etiam fatentibus, negare eam esse in genere qualitatis, vt de se patet.

Est denique Conclusio nostra quintò contra alios, cum Mauro *lib. 4. quæst. 41.* qui putant, lumen saltem aduentitium esse quidem qualitatẽ, quæ sensu percipitur, ita tamen, vt sit etiam qualitas intentionalis, hoc est species impressa corporis lucidi, à quo producitur. Et hoc primò, quia ab eo in fieri, & conseruari dependet. Secundò, quia non habet contrarium. Tertiò denique, quia supra oculum positum facit videre: quod non cõtingeret, nisi etiam haberet rationem speciei impressæ; nam obiectum visibile positum supra sensorium non facit sensationem, vt habet Aristoteles.

28 Ad horum autem sententiam excludendam diximus lumen esse qualitatem realem materialẽ, non est non intentionalem. species enim sensibiles appellantur ab Aristotele formæ sine materia *lib. 2. de anima tex. 121. & 124.* vbi ait: sensum esse id, quod sensibiles absque materia formas suscipere potest: & à D. Augustino *lib. 12. super Genes. ad lit. cap. 16.* dicuntur spirituales, non quia non sunt verè à materia prima pendentes; sed quia instar rerum spiritualium difficile percipiuntur à nobis. Contra hos ergo, qui dicunt lumẽ esse speciem impressam corporis luminosi, à quo procedit. Probatur nostra cõclusio primò, quia si lumẽ, quod procedit à corpore luminoso esset huiusmodi: sequeretur, quod quoties haberemus in oculo lumen Solis: toties videremus ipsum solẽ. Species enim visibiles habent hoc, vt etiam si non directè, sed reflexè perueniant ad pupillam faciant nobis videre obiectum, cuius sunt species, vt patet ex speciebus, quas in speculum immittimus, quæ dum reflectũtur ad oculum nostrum, faciunt nos videre nos ipsos; atqui nos sæpè habemus in Pupilla lumen à Sole productum, absque eo quod videamus ipsum Solem; ergo falsum est, quod lumen sit species corporis luminosi. Quod si dicant Aduersarij, nomine corporis luminosi se non intelligere id, à quo lumen quomodocunque procedit, sed id, à quo procedit immediatè; atque adeo sensum suæ positionis esse, quod lumen sit species eius corporis, in quo immediatè existit. Arguẽtor secũdò, quia non potest obiectum concurrere ad operandum vitaliter cum potentia, nisi ei coniungatur per se, vel per speciem sui in potentia productã, sed lumen, quod est in paritate, non potest pupillæ vniri per se, distat enim ab illa: ergo nequit esse species, per quam ipse paries illuminatus videatur.

Per eandem particulam excluditur quædam alia sententia affinis præcedenti, si tamen est alia; & non potius melior explicatio eiusdem, dicentiũ lumen esse speciem, in quantum per se ipsum sine vlla specie intentionali videatur. Contra hanc ergo sententiam argumentor tertiò, quia si hoc esset, nos non possemus videre, nisi lumen, quod haberemus in pupilla, sed hoc est apertè falsũ ergo &c. Sequela euincitur, quia vt fiat visio alicuius obiecti, oportet vt, vel per se ipsum, vel per speciem sui vniatur potẽtiæ. Sed in pupilla non potest existere, nisi lumen, quod est in ipsa pupilla. non autem illud, quod est extra pupillam, alioquin daretur naturaliter transmigratio accidentis de subiecto, in subiectum: ergo, iam non possemus videre nisi lumen, quod habemus in pupilla. 29

Possunt respondere ad hoc, dicendo se nõ negare, lumen habere species à se distinctas, quarum beneficio quando est in alijs rebus v. g. in sole, pariete &c. videri possit ab oculo, sed contendere, præter illas, habere alias sibi identificatas. Contra quod facit, quia si hoc verum esset, nos experiremur illud videndo lumen, quod in nostra pupillã cansatur à Sole, vel à lucerna. sed nos potius experimur oppositum. videmus enim lumẽ, quod est in cæteris obiectis visibilibus; illud verò, quod est in nostra pupilla non videmus, nisi per reflexionẽ in speculo è regione posito. ergo signum est, quod nullum lumen habet rationem speciei impressæ sibi identificatam. nã hoc, quod in pupilla existit, nonnisi media specie in reflexione cansata videtur à nobis, ex quibus sequitur neque lumẽ, quod est immediatè propè oculũ videri per se ipsum, quia experientia constat non videri à nobis, nisi lumen quod distat. v. g. quod est in pariete, carta, &c. 30

Rationes autem in contrarium pro priori Tententia adductas, facilè est dissoluere. 31

Ad primam ergo dico, ex eo quod lumen in fieri, & conseruari à corpore luminoso dependet: nõ rectè deduci illudesse, eius speciem visibilẽ. quamuis enim omnes species visibiles habeant hoc: nõ tamẽ omne, quod illud habet, est species visibilis, alioquin creatura esset species Dei; & motus localis esset species mobilis, quæ sunt apertè falsa. Eodem prorsus modo ad secundam rationem respondendum est: dicendo, quod quamuis species intentionales non habeant contrarium, non inde tamen valet consequentia: siquidem non omnis qualitas non habens contrarium est species intentionalis, alioquin figuræ, quibus corpora figurantur, & terminantur, quæ propriè non habent cõtrarium, essent species, sicuti etiam esset gratia, sanctificans, caracteres sacramentales, & similes qualitates, quæ carent contrario, quod est etiam manifestè falsum.

Ad tertiam denique dicendum: lumen supra oculum positum, si videre facit corpus luminosũ, à quo procedit, ideò esse, quia reddit pupillam aptam, vt ex ea educantur species dicti corporis, nõ quia ipsum sit species illius. Porrò ad probandũ lumen esse speciem sui ipsius adducitur communiter testimonium D. T. *prima parte quæst. 56. art. 3. corp.* vbi sic: Tripliciter aliquid cognoscitur. Vno modo per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente, sicuti si lux videatur in oculo, &c. sic dictum 32

Digitized by Google

ctum est, quod Angelus intelligit seipsum. Alio modo per præsentiã suæ similitudinis in potentia cognoscitiua, sicut lapis videtur ab oculo, per hoc quod similitudo eius resultat in oculo, &c. tũ sic: per D. Thomam lumen non videtur ab oculo per similitudinẽ sui, sicut videtur lapis, sed per præsentiã suæ essentiæ, sicut Angelus cognoscit se ipsum; ergo lumen est species impressa sui.

33 Respondeo tamen S. Doctorem loqui ex suppositione, & nõ absolutè: dicendo, quod si lux quãdo existit in oculo, videtur ab ipso oculo per se ipsam, & non per speciem sui videtur: quod certum est: atqui constat eam non videri, nisi reflexè, vti notauimus; ergo locus citatus non est contra nos. Cæterum de mente D. T. non possumus ambigere: nam *qu. 10. de veritate art. 8. ad 10. argumentum*: ex his, quæ secundo loco sibi proposuerat, sic habet: Ipsa enim lux, quæ est in Sole non videtur à nobis, nisi per similitudinem eius in visu nostro existentem. nomine autem similitudinis intelligit speciem intentionalem, vt patet. Atque ex his omnibus satis remanet prima conclusio nostra probata.

Secunda Conclusio: lumen secundùm suã rationẽ specificã consideratum rectè definitur ab Aristotele, Actus corporis perspicui, quà perspicuũ est.

34 Pro quo notandum: nomine perspicui intelligi corpus diaphanum. nõ quod lumẽ sit ipsa diaphaneitas, per quam corpus aliquod in ratione diaphani constituitur, sed quod sit qualitas quædam, quæ ad hoc, vt producatur ab agente externo in aliquod corpus, requirit in illo corpore tanquam dispositionem, ipsam diaphaneitatem, ita vt cæteris paribus, quo corpus aliquod est magis diaphanum intensioris luminis sit susceptiuum, beneficio cuius ex perspicuo, & transparenti in potentia fit actu perspicuum, & transparens. hoc est tale, vt si inter potentiam visiuam, & obiectum existat, non impediat visionẽ, sed potius per ipsum, obiectũ visibile videatur: qua posita explicatione.

35 Probatur definitio: quia experientia constat, quod perfectissimum perspicuum recipit lumẽ secundùm totam sua profunditatem, atq; crassitiem, & illud inulteriora corpora trãsmittit, cuiusmodi est aer, & Cælum ipsum; vtrumq; enim transmittit ad nos lumẽ astrorum, quæ in superioribus Cæli partibus existunt. Contra, verò, opacũ dicitur id, quod in sola superficie extima lumen recipit, illudq; minimè transmittit, cuiusmodi est ferrum, quod si inter nos, & Solẽ interciperetur, cum non possit intrinsecus luce perfundi, prohibet ne per suam profunditatem Solis lumen ad nos descendat.

36 Dices: hæc definitio non competit lumini ingenito, quod scilicet corpus ex suis intrinsecis principijs in se producit, cuiusmodi est lumẽ, quod est in Sole. &c. sed solũ aduentitio, quod corporibus causatur ab extrinseco; atqui lumẽ, quod sibi producit corpus ex suis intrinsecis est perfectissimum lumen; ergo dicta definitio, vtpotè non cõpetens omnibus inferioribus, non est admittenda: maior, in qua est difficultas, probatur ex eo, quia ad hoc, vt corpus lucem natiuam habeat, debet esse densum potius, quã diaphanũ. Respõdeo, quod quãuis qualitas illa, quę inhæret corpori luminoso, appelletur propriè lux, ea verò, quæ inhæret corpori extrinsecus illuminato, dicatur lumẽ: verè tñ quo ad sua intrinseca non differunt. Quidquid in contrarium dicat Maurus *lib. 4. q. 41. Quæst. 2.* motus, quia lux agit sphęricè, lumen verò per vnicã solam directionem, quod ego in diuersitatem subiectorum refundo, Et nego non verificari de vtroque lumine definitionem traditam. ad probationẽ in contrarium dico, quod alia est densitas, & alia opacitas. Densitas enim opponitur raritati, opacitas perspicuitati. Vnde licet demus corpus ex se lucidum debere esse densum, non tamen ex hoc sequitur: illud non esse diaphanum, vt ex densissima christallo comprobatur. dixi, licet demus; quia densitas in corpore ex se lucido non requiritur pręcisè ad lucem in se producendam, sed ad producendã illã in alijs, vt patet ex igne existẽte in concauo Lunę, qui licet lucidus sit, tñ eius lux nõ illuminat aerem, quia non est in materia densa.

Dices iterum: etiam corpora opaca sunt luminis capacia; ergo malè definitur lumen esse actus corporis perspicui qua perspicuum. Respõdeo ad antecedens: aliquos negare omnino in corpore opaco recipi lumen, sed velle illud solùm extrinsecè illuminari lumine existente in perspicuo, quod est ei immediatum, ideoq; videri: nonnullos verò asserere, corpus opacum recipere posse lumẽ secundùm solam extimam superficiem: alios denique concedere, corpus opacum secundùm profunditatem illuminari, non quidem secundùm omnes sui partes: sed solùm secundùm quasdam extimas superficiei viciniores, vel remotiores secundùm quod habet plus, vel minus de opacitate, iuxta quorũ sententiã, quę magis fauere videtur aduersarijs, distinguendum est antecedens. Corpora opaca sunt lucis capacia, cum aliqua difficultate superanda à corpore luminoso, concedo. sine difficultate, nego antecedens, & consequentiam. opacitas enim est dispositio difficultans actionẽ corporis luminosi, non quod sit formaliter contraria lumini: sed quod actioni illuminatiuę aliqua ex parte resistat, præsertim secundùm partes, secundũ quas magis distat à corpore luminoso; & quidem nullum dari corpus perfectè opacũ constat ex eo, quia quodcunque in tenuissimas laminas sectum, semper in illis aliquid luminis recipit. 37

SECTIO QVARTA

An cœlestia corpora agant in hęc inferiora per lumen, & alias qualitates occultas.

38 Conclusio est affirmatiua, & quidem quod agãt per lumen patet ex Aristotele. Et probatur facilè, quia per lumen, aliquem calorẽ in inferioribus producunt: ergo agunt, & quidem actione corruptiua, de qua pręcipuè quæstio nostra procedit. Antecedens probatur multis experientijs: experimur enim hyemis tempore frigora: æstatis verò calores excitari; eo quod Sol æstiuo tempore diutius moratur in nostro emisphærio, & directius terram respicit: quã hyberno. præterea experimur loca illa, quæ magis Solis lumini sunt exposita, esse magis calida, quæ verò minus, frigidiora. Item radios Solis in speculo concauo collectos, & inde immissos in puncto reflexionis excitare ignẽ: ac denique noctes plenilunij calidiores esse; eo quod, tunc Luna maius lumen causat, vt docet Aristoteles 4. *de partibus animalium cap. 4.* ergo &c.

39 Quod verò agant per occultas quasdam alias qua-

Digitized by Google

qualitates: negatur ab aliquibus existimantibus superfluè poni alias virtutes in cœlestibus corporibus, quę sint in eis rationes agendi, cum sufficiat ipsis solùm lumẽ ad saluandas omnes operationes, quas in inferioribus exercent. In qua sententia est Picus Mirãd. *lib. 3. contra Astrologos cap. 5. & 6.* Medina 2. *lib. suæ Paranesis cap.* 1. Georgius Agricola *lib. 4. & 5. de causis subterraneorum*, & alij contra quos conclusio nostra, quæ communis est.

40 Probatur ratione ducta ab experientia: videmus enim cœlestia corpora quosdam effectus in hæc inferiora causare, qui non possunt medio lumine tantummodo fieri, cuiusmodi sunt fluxus & refluxus maris, metallorum, ac lapidum in visceribus terræ productiones, aliaque similia.

41 Confirmatur, quia nihil aliud producere possũt astra medio lumine pręter calorem, vt patet experientia; atqui nos experimur ad eorum ortum, atque occasum, nonnumquam humiditates, & frigora immodica generari; prætet igitur lumen concedendæ sunt astris qualitates quædam nobis occultę, per quas huiusmodi effectus operentur. cũ præsertim rebus quibusdam sublunaribus similes virtutes concedantur necesse est. Magneti enim ineſt vis trahendi ferrum, electro autẽ paleas. Alcis verò vnguibus exhilarandi cor, & sic de alijs; nec te terreat, quod Aristoteles nunquam de his occultis influẽtijs loquutus sit. auctoritas enim negatiua non est tanti momenti, vt debeat experientiæ præferri.

42 Obijcies primò: lux est qualitas omnium nobilissima; ergo per illam, absque alterius qualitatis adminiculo, possunt cœlestia corpora suos omnes effectus præstare. Consequentia patet, quia nobilitas, qua supra reliquas qualitates se lumen extollit facit, vt illas in se eminenter contineat.

43 Respondeo, concesso antecedente, negando cõsequentiam cum sua probatione: quamuis enim homo sit longe nobilior, quouis alio animali; non tamen continet in se omnia illa eminenter, ita vt possit ea ex materia prœxistente producere. nobilitas igitur, vt sic, qua vna res extollitur supra aliam, non infert necessariò continentiam eminentialem supra illam.

44 Obijcies secundò: rectè dici potest cum Agricola, lucem quatenus est virtus vnius planetæ, v.g. Solis causare calorem, quatenus autem alterius, videlicet Lunę, humiditatem; prout verò Saturni, siccitatem, & sic de cæteris; ergo superfluè ponuntur aliæ virtutes operatiuæ in cœlestibus corporibus præter lucem. Consequentia euincitur, quia ex eo, quod possint per solam lucem quatuor primæ qualitates produci, iam per eam solam omnes experientię, quas adduximus saluari possũt.

Respondeo, negando antecedens. Lux enim vnius planetæ non differt essentialiter à luce alterius, vt de se patet. nam lux Lunæ, & aliorum Planetarum, si non totaliter, saltem magna ex parte est eadem cum luce Solis, quam ad nos reflectũt. Iam verò, etiam si darem antecedens, nulla esset consequentia; ad cuius probationem dicerẽ, quod lux, quæ in terra producitur ab astris, neque per se potest terrę viscera penetrare, in quibus metalla auri, & argenti generantur, vt manifestè constat ex densissimis tenebris, quæ ibi reperiuntur. neque per aliquam primam qualitatem à se productam in partibus extimis terræ, v.g. per calorem: quia huiusmodi calor versus partes subterraneas reperit intensissimam frigiditatem sibi oppositam; quæ quia est in densissimo subiecto sibi connaturali, valdè illi resistat, & totaliter post aliquod breue spatium eius actionem alteratiuam impediat necesse est. Qua responsione remanet impugnatum Mirandulani inuentum dicentis, virtutem immediatam operatiuam cœlestium corporum esse quidem lucem, mediatam verò, calorem: hunc verò, vtpotè cęlestem, cæteras omnes primas qualitates virtualiter continere, easque causare. non enim potest calor, quem lux Solis in terræ superficie producit, suam actionem, vsq; ad ea loca, in quibus auri, argentique metalla generãtur extendere, propter summam contrarietatem, quam reperit in terræ visceribus, quas eius actio penetrare deberet. Linquo aliunde huiusmodi inuentum impugnari facilè posse, quia calor cœlestis non est diuersæ rationis ab elementari. Experientia enim constat vnum intendi ab altero. quare cum elementaris non contineat eminenter reliquas primas qualitates: manifestè deducitur, neque illas continere cęlestem.

Obijcies tertiò: siquis dicat cum Commentatore: corpora cęlestia per se tantùm producere calorem; cæteras verò qualitates per accidens, hoc est per absentiam lucis, optimè saluat ea non agere per occultas qualitates, & influentias: atqui id rectè sustineri potest; ergo &c. 46

Respondeo negando minorem: tum quia vti vidimus cœlestis calor actionẽ suam vsque ad terræ viscera extendere minimè potest: tum etiã quia non potest explicari quo modo ad absentiam lucis humiditas, & siccitas generentur. cum præsertim ipsa lux, neque mediatè neque immediatè vtrique qualitati opponatur. Atq; hęc de Cœlo

TRAC-

TRACTATVS VNICVS

IN DVOS LIBROS ARISTOTELIS DE ORTV, ET INETRITV.



VR post cælestium corporum contemplationem de corporibus generationi, & corruptioni obnoxijs disputari soleat in physica; ratio est in promptu, quia nimirú prima, & vniuersalissima corporis naturalis diuisio est, qua diuiditur in corpus ingenerabile, ac incorruptibile, cuiusmodi est Cælum, & in corpus generabile, ac corruptibile, cuiusmodi sunt cætera omnia corpora: rectè igitur post absolutam prioris membri diuisionis tractationem, posterioris tractatio instituenda fuerat.

Verum hæc ratio quamuis inspecto nostrarum disputationum ordine videatur procedere: non tamen inspecto ordine Aristotelico: quia ipse in libris de Cælo egit de corpore simplici, quatenus sub se Cælum, & elementa comprehendit. Atque adeò doctrinæ eius series potius videbatur exigere, vt de corpore mixto instituerer quæstionem, diuidendo corpus naturale in commune, de quo in octo libris Physicorum, in simplex, & mixtum. Nihilominus Aristotelem rectè processisse tenendum est. Cum enim ipse corpus naturale in ordine ad motum definierit: inter cæteros verò motus, localis sit præstantior, vtpotè qui ad extrinsecam subiecti perfectionem ordinatur, atque adeò supponit mobile quo ad intrinseca iam completum, ideò constituit libros de Cælo, & mundo, in quibus de primis corporibus in ordine ad motum localem disputauit, & consequenter de reliquis quantumuis implicitè: constat enim cætera corpora ad motum prædominantis elementi localiter moueri.

Quoniam verò post motum localem nullus alius datur nobilior mutatione substantiali: siquidem alteratio ad eam tanquam ad finem ordinatur. Augmentatio verò est in pluribus eius proprietas. Idcirco rectè post libros de Cælo sequuntur in via Aristotelis libri de ortu, & interitu. Atque hæc quantum ad ordinem: quantum verò ad illorum obiectum; quidam vt Caietanus, putant, esse corpus simplex mobile secundùm formam substantialem. Alij verò, vt Ægidius, aiunt esse corpus quodcunque mobile secundùm quamcunque formam intrinsecam, siue substantialis sit, siue accidentalis. Communiter verò mediam incedunt viam, dicentes esse corpus tum simplex, tum mixtum, quod secundùm formam substantialem mobile est, seu quod est generabile, & corruptibile. Atque hæc est nostra sententia.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA.

DE ESSENTIA GENERATIONIS.

GEnerationis nomen in toto hoc Tractatu, neque tam presse sumimus, vt ad solam viuentem, qua viuens ex viuente procedit, restringamus; neque tam ample, vt ad quamcumque mutationem, siue substantialem, siue accidentalem extendamus; sed medio quodam modo, quatenus scilicet solam substantialē comprehendit; quam tari satis constat ex Aristotele primo Physic. & sæpè alibi, ac eius nos essentiā inuestigamus.

SECTIO PRIMA,
Quid sit Generatio.

1 VNica Conclusio: rectè definitur Generatio substantialis: Mutatio totius in totum nullo sensibili manente, vt subiecto eodem.

Ita omnes Peripatetici, qui eam sumunt ex Aristotele 8. *Physic. tex.* 62. vbi ait, genarationem esse mutationem de non ente ad ens. & *primo generat. tex.* 23. vbi hæc habet: Quando autem totum transmittitur non manente aliquo sensibili, vt subiecto eodem, sed vt ex genitura tota sanguis; aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua: Generatio iam hoc tale. Ex quibus verbis Doctores nostram colligunt definitionem.

Quam rectè traditam esse probatur, quia continet genus proximum, & vltimam differentiam
2 generationis; sed ad hanc definitionem hoc satis esti ergo &c. maior fusdetur, & quidem quod contineat genus proximum: constat ex eo, quia generatio est species immediatè subiecta mutationi in communi: nam vt habetur 5. *Physic. tex.* 28. Omnis mutatio aut est alteratio, aut augmentatio, aut latio, aut denique generatio. Differunt autem huiusmodi species, quia in alteratione mutatio fit secundum qualitatem: in augmentatione autem secundum quantitatem; in latione verò secundum locum; at in generatione fit secundum substantiā. Ad vltimam differentiam explicandam. sequentes particulæ in definitione tradita positæ sunt enimirū (totius in totum). Siquidem per alias mutationis species compositum substantiale, quod absolutè loquendo totum potest dici totum quid in rebus physicis, mutatur tantummodo secundum passiones, & accidentia. Per generationem verò secundum se totum in aliud totum, quatenus eius materia primam priorem formam substantialem amittit, & aliam de nouo acquirit. Termini enim à quo, & ad quem mutationis sunt duplicis generis, formales, & totales. Formalis terminus est ille, à quo, & ad quem fit præcisè transitus, cuiusmodi est forma ligni, & forma ignis, quando ex ligno generatur ignis. Totalis verò constat ex formali, & ex subiecto, quod transit, cuiusmodi est totum lignum, & totus ignis. Porrò generatio in præsentia in ordine ad terminos totales à quo, & ad quē definitur. Atque hæ quidem tres particulę sic explicatę, ad essentiam generationis declarandam sufficerent. sed quia aliquis cōtendere posset: quod etiam compositum accidentale suam habeat totalitatem, atque adeò quod de alteratione, secundum quam lignum ex frigido fit calidum v. g. verificetur, quod sit mutatio totius in totum, sicut etiam de augmentatione, ac latione. Idcircò appositæ sunt tertio loco illæ aliæ particulæ (*nullo sensibili remanente*, vt subiecto eodem.) nomine enim subiecti sensibilis vnius indiuiduum substātiale materiale completum, quod subiectum sensibile appellatur: tum quia, accidentia omnia sensibilia ad illud tamquam ad vltimum subiectum denominationis ordinantur: tum etiam, quia est omnis sensibilitatis radicale principium ita vt sēsus sit, in generatione substantiali non debere remanere idem indiuiduum substantiale completum sub vtroque extremo. atque adeò duo mutata, quorum alterum se habet vt terminus à quo & alterum, vt terminus ad quem mutationis hæc esse substantialis composita, non verò accidentalis, per quod generatio ab omni alia mutatione sufficienter distinguitur. quando enim lignum vt ex frigido fit calidum remanet adhuc lignum. Nō verò quando mutatur in ignem, vt de se patet. non probat hanc generationis definitionem P. Arriaga *de gener. disp. 1. sect. 1. num.* 2. & hoc propter eas rationes. Primò, quia quando moritur animal multa accidentia sensibilia remanent in cadauere geniti, quę erant in animali corrupto, sicuti in generatione aeris ex aqua remanent in materia aeris passiones sensibiles animum humiditas, & diaphaneitas, quæ erant in aqua; ergo non bene dicitur generatio, mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem.

Secundò, quia non est de essentia Generationis esse mutationem. nam si ab æterno fuisset productus equus, fuisset ab æterno eius generatio, & nulla fuisset mutatio. sicuti de facto in toto mundo fuit, rerum corporearum generatio sine mutatione. Siquidē non præcessit materia cū reali distantia formæ, quod mutatio essentialiter importat.

Tertiò denique, quia quādo ex essentia in primo instanti productionis pulli ac passeris, verè dicitur illarum generatio, & tamen essentia non mutatur. Siquidem in eodem instanti, in quo primò existit illas, acquirit, vnde non præcesserunt in illa priuationes earum. 3

Verum has rationes non tanti pendo, vt propter eas à communi sententia recedēdum existimē. Ad primum ergo patet ex dictis. nomine enim sensibilis, quod negat Aristoteles remansurū, vt idem subiectum in termino à quo, & ad quē venit subiectum denominationis accidentiū sensibiliū,

quod

Digitized by Google

quod patet in generatione cadaueris ex homine
4 & aeris ex aqua diuersificari.

Ad secundum verò aio, quod si ab æterno productus fuisset equus, nō fuisset generatus, sed creatus, quia hoc ipso, quod non fuisset ex materia, præexistente productus, factus fuisset ex nihilo. Idē sentiēdum de primis corporibus factis à Deo initio mundi, fuerunt enim verè creata, vt ostendi in physicis ex sententia D. Th. & aliorum cōmuniter. Quod si contendas, ad essentiam creationis pertinere, vt fit actio à subiecto independens: eiusmodi neque fuisset productio formæ equi ab æterno, neque defacto fuerunt productiones formarum primorum corporum: ne acta agere videar, dico quod, quemadmodum etiam si initio mundi fuerit productio quantitatis, & qualitatum contrariarum, & loci acquisitio, absque eo quod fuerit mutatio: nihilominus tamen augmentatio, alteratio, & latio censentur benè definiri per mutationem: ita in casu nostro dicendum est: quia nomine generationis non qualemcumque materialis substantiæ productionem, sed illam solùm, quæ cum mutatione fit Philosophi intellexerunt.

Ad tertiam denique nego, quod quando ex essentia in primo suę productionis instanti pullulant passiones, verè detur generatio illarum, quia generatio versatur circa substantias compositas. Passiones verò sunt accidentia illa; ergo passionum pullulatio dicenda est emanatio, non generatio. Porrò hoc tam debile argumētum ortum habuit ex errore, quo vir alioqui doctus in animum induxit, definitionem generationis à nobis traditam in Peripateticorum sententia tum accidentali, tum substantiali generationi competere: quod est apertè falsum, præsertim in sententia Aristotelis, qui generationem, vt speciem contradistinctam cuiuscúque alterius
5 mutationis accidentalis enumerat.

Aliter definitionem traditam impugnat Pater Ouiedus *puncto primo controu. 2. numero 2.* tribus alijs rationibus, quas lubet expendere; sic ergo arguit: primò, si generationis definitio rectè tradita esset à nobis: sequeretur, quod generatio essentialiter diceret formaliter in materia, tanquam terminum à quo, priuationem formæ generandæ, sed hoc est falsum; ergo &c. Minor suadetur, quia dupliciter potest intelligi, quod huiusmodi priuationem dicat; primò ita, vt hęc physica actio, quæ est mutatio, secundùm suam intrinsecam entitatem connotet dictam priuationem in materia; itavt si hæc nō præcessisset: non hæc numero actio, sed alia distincta in rerū natura deberet existere: secundò ità, vt licet secundùm sua intrinseca entitas illius actionis sit indifferens ad habendam, vel non habendam in materia ante se priuationem illam; ad hoc tamen, vt sit generatio, illam importare debeat. Sed neutra explicatio subsistit; ergo &c. maior videtur certa. minor verò probatur. non subsistit prior, primò, quia nulla entitas positiua potest à nō ente pendere: quod si aliquādo cum eo connectitur, vt connectitur assensus cū carentia dissensus in eodem intellectu, est solùm, quia habet oppositionem cum habitu illi opposito, quod non accidit in casu nostro. nam entitas generationis, & in primo instanti, & in reliquis existit in materia simul cum forma genita. Secundò, quia id, quod præterijt respectu eius, quod modo est, perinde se habet, ac si nunquam fuisset: ità si igitur ens à non ente dependere possit, at non ab illo, quod se habet, vt terminus à quo. Quod verò neque subsistat posterior explicatio, declaratur, quia cum ea admittat ratione generationis oriri solùm ex positione alicuius extrinseci, euenit nullā dari actionem, quæ secundùm sua intrinseca sit generatio, sed hoc videtur absurdum; ergo &c.

Sed huic argumento non est difficile respondere. Concessa enim sequela; negarem ego minorem, & ad eius probationem ex duplici illa explicatione, eligerem iuxta mea principia priorem, quia puto eam actionem, quæ transfert materiam de non esse simpliciter ad esse simpliciter differre essentialiter ab illa, quę eam transfert de vno esse in aliud, vti vidimus in physicis. Ad primam autem rationem in contrarium dicerem, quod licet entitas positiua non possit à non ente pendere per causalitatem aliquam, quæ causetur ab illo: at potest ratione connexionis, qua ei connectatur, non quidem propter oppositionem aliquam, quam habeat cum forma ipsi priuationi opposita: sed propter necessariam connexionem, quam habet cum materia præexistente. cum enim limitatę, & secūdùm quid dare possit illi esse, supponere eam debet præexistentem, atq; adeò priuatam formā, cui debet dare esse simpliciter. 6

Ad secundam verò responderem, quod illa propositio: id, quod præterijt respectu eius, quod modo est, perinde se habet, ac si nunquam fuisset, vera est quantum ad influxum: sicuti enim, quod nunquam fuit, influere non potest in rem existentem: sic quod modo præterijt; falsa autem quantum ad ordinem, & habitudinem quomodo sumitur ab Ouiedo. defacto enim qui negant creaturam ab æterno de possibili: docent omne ens creatum ad sui existentiam essentialiter prærequirere carentiam sui: & qui volunt causas secundas ex se determinari ad hunc potius effectum producendum, quam alium: aiunt productionem primi effectus præteritam eas determinare ad præsentem productionem secundi, & præteritam productionem secundi, ad præsentem productionem tertij in infinitum. Falsum igitur est vniuersaliter id, quod præterijt respectu eius, quod modo est, ita se habere, ac si nunquam fuisset. 7

Quoniam verò non omnes nostra tuentur principia de materiæ primæ existentia, & aliunde de definitio generationis communiter ab omnibus, propugnari debet, ideo dico, posteriorem explicationem rectè ab omnibus defendi posse. nimirū, quod licet entitas generationis non sit cum carentia formę generandæ connexa, vt tamen habeat conceptum generationis, illam necessariò prærequirat: & ad rationem in contrarium aio, nullum esse absurdum rationem generationis oriri solùm ex positione alicuius extrinseci, atque adeò nullam dari actionem, quæ sit ex suis intrinsecis generatio. Quemadmodum enim omnes concedunt nullam dari actionem, quæ ex intrinsecis suis sit conseruatio, sed omnem dicunt talem esse ex cōnotatione quod in instanti antecedenti præfuerit forma positiua, quę conseruari debet, cur non idem dici potest de ratione generationis.

Confirmatur ex his, quæ docet ipse Ouie-

Digitized by Google

dus in præfatione controuersiæ quæst. de generat. vbi ait, quod alteratio essentialiter dicit mutationem accidentalem, & tamen iuxta sua principia tradita *controuer. 2. punct. 1. num. 7.* ait dispositiones formarum substantialium per accidens produci dependenter à subiecto præexistente, & per consequens posse earum productionem haberi sine mutatione; iuxta quam explicationem, qui ad rationem creationis independentiam à subiecto requirunt, dicant productionem primorum corporum initio mundi neque creationem fuisse, neque generationem, sed tertiam quandam speciem substantialis productionis, quæ dici potest eductio specialis, quatenus scilicet importat dependentiam à subiecto prius tempore minimè existente.

8 Arguit secundò Quiedus *in fine numero 4.* sic: productio Verbi diuini est essentialiter generatio, vt fides docet, sed etiam fida constat, quod non sit mutatiua; ergo de ratione Generationis non est mutatio.

Respondeo iuxta doctrinam D. Thom. *prima parte quæst. 27. art. 2. in corp.* quod generatio dupliciter sumitur. vno modo communiter, prout ad omnia generabilia pertinent, quæ exeunt de potentia ad actum: & sic generatio est mutatio: alio modo propriè in viuentibus, & sic solùm importat originem viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ; non autem mutationem. Fallacia autem in argumento committitur æquiuocationis, quia ex eo, quod concedamus in diuinis dari generationem secundo modo acceptam, supponit quod detur primo modo. Quamuis enim in creatis, quæ naturaliter procedunt ad vitam, transeundo de potentia ad actum, generatio secundo modo sumpta sit semper cū generatione primo modo coniuncta: non tamen in diuinis, quia Verbū non procedit ad vitam de potentia in actum, vt de se patet. Ex his ergo distinguo maiorem. Productio Verbi est essentialiter generatio primo modo, nego. secundo modo, concedo maiorem, & concessa postea minore, distinguo consequens: de ratione generationis, quæ sit processio viuentis, vt sic, non est mutatio, concedo. de alia, nego consequentiam.

9 Instabis: ex doctrina authoris *num. 50.* tradita, Ratio Generationis viuentium in communi potest contrahi ad generationem creatam per rationem formalem, quæ non sit mutatio, neque illam importet; ergo nulla responsio antecedens probatur, quia hoc ipso, quod generatio hominis concipitur à principio creato in terminum creatum, erit contracta ratio illa communis ad rationem specialem essentialiter differentem à generatione Verbi; ergo &c.

Respondeo concesso antecedente, nego consequentiam, nam aliud est, quod ratio generationis, de qua in definitione loquimur, non possit esse differentia contractiua generationis viuentium in communi acceptæ; & aliud, quod eius essentia non consistat in mutatione. Hoc secundum est falsum: primum autem verum: nam differentia contractiua debet esse minus latè patens, quam sit genus: at verò ratio generationis definitæ magis latè patet, quàm processio viuentis à viuente. Verùm ad istud, quod sit differentia, dico eam esse talem, vt habeat inhibitam rationem mutationis; nam in creatis pars decisa à generante, quæ est principium coniunctum, debet transire realiter ab ipso generante in viuentem genitum, quod sine reali mutatione fieri nequit.

Arguit denique tertiò Quiedus *num. 9.* in tantum Philosophus generationem per mutationem definiuit, in quantum deducebat omnem generationem esse mutationem, ex errore quod mundus fuisse ab æterno existimabat, vnde iudicabat ante quamlibet generationem materiam præcessisse priuatam forma generanda, sed hoc est falsum; ergo potius definienda est generatio: productio compositi dependens à subiecto.

Respondeo, Aristotelem ad asserendum omnem generationem esse mutationem, non fuisse motum ex errore, quo putauit mundum fuisse ab æterno: posse constare ex eo, vt supra in libris de Cælo probaui, ipse rectè nouit Cælum productum fuisse à Deo, & iuxta probabiliorem sententiam existimauit illud constare ex materia & forma: vel igitur censuit eius productionem fuisse generationem, vel non, non potest dici primum, quia non definiuisset generationem per mutationem; ergo secundum. non igitur in tantùm generationem sic definiuit, in quantùm putauit omnem substantialem productionem debuisse necessariò fieri ex materia præexistente. Sed quia generationem illam solam substantialem productionem censendam esse existimauit, quæ est transmutatiua materiæ de vno esse in aliud. Confirmatur id, quod dicimus. nam ipse etiam putauit omnium rerum creatarum originem refundendam esse in Deum, tamquam in primam causam: ergo censuit in tota serie hominum v. g. qui fuerunt ab æterno, aliquem datum fuisse, licèt indeterminatè sumptum, qui à solo Deo productus fuit, atque non per generationem, aliter non sic eam definisset; ergo non ex errore illo motus ad sic eam definiendam animum induxit. Sed quemadmodum definiuit augmentationem mutationem ad quantitatem, alterationem mutationem ad qualitatem præsertim contrariam, & lationem mutationem ad locum, non obstante quod tum quantitas, tum qualitas, tum locus sine actuali mutatione acquiri possint, ita & generationem mutationem totius in totum, non obstante, quod totum substantiale aliquando sine mutatione haberi potuerit: ex quo patet illam generationis definitionem, qua dicitur esse productionem totius substantialis, dependentem à subiecto, magis latè patere, quam generationem ipsam, atque adeò non esse admittendam.

SECTIO SECVNDA

Proponuntur, & soluuntur aliæ obiectiones contra definitionem traditam.

OBIICIES primò: Genus, & species, idem 11
prorsus denominare debent: at mutatio in hac definitione denominat subiectum, seu (vt verius dicam) terminum, à quo totalem. Generatio autem absolutè loquendo, solum terminum ad quem: ergo non rectè dicitur generatio mutatio

Digitized by Google

sed debet poni dici productio, à qua genitum denominari potest productum.

Respondeo, negando vniuersaliter maiorem: plura enim sunt genera quæ denominare nequit id quod denominant eorum species. Ratio enim entis, & multa accidentia respectu qualitatis sunt habent rationem generis, & tamen licet qualitas ipsa subiectum in quo est denominet qualem, tamen ens, vel quis nequit idem denominare: dicimus enim, neque ratio accidentis accidentale, neque accidentalis accidens. Quod si dicas hæc, in quibus mentionem fecimus non esse genera propria ad dictas species, id ipsum dicam ego de mutatione in communi respectu generationis: ideò videtur esse in specie visibili, quæ denominat aerem qualem: non autem potentem videre, sicuti denominat oculum. Ratio à priori huius rei est, quia quod aliqua forma denominationem aliquam, oritur ex peculiari quadam habitudine, quam dicit ad illud: potest tamen contingere, vt vnam habitudinem ratione vltimæ differentiæ obtineat; alteram verò ratione generis, & sic nonidem prorsus subiectum sub vtraque ratione denominet, vt accidit in nostro casu. Generatio siquidem, vt mutatio est denominat terminum à quo proprie, vt verò generatio terminum ad quem. Cæterum sicuti terminus ad quem potest dici terminatiuè mutari, ita subiectum seu materia subiectiuè generari: neutrum tamen simpliciter. Differunt autem generatio à cæteris motibus, non quod sint de simpliciter esse solum terminum ad quem denominare potest in ratione generationis: cæteri verò, quia dant esse secundum quid, tum subiectum, tum terminum à quo denominant: quando aqua lignum ex frigido n. g. fit calidum non solum lignum, sed etiã frigidum dicitur alterari, an generari non dicitur nisi ignis.

12 Obijcies secundò: Generatio ex 5. *Physicorum* est transitus à non subiecto in subiectum, atque adeò habet pro termino à quo priuationem formæ introducendæ; ergo malè dicitur mutatio totius in totum à qua hæc imponas transitum materiæ ex vna forma substantiali in aliam.

Respondeo nego sectum antecedentis, negando consequentiam, particula enim totum posita est ad significandum quod materia prima ex qua debet resultare totum, quod generatur, debet habere capacitatem ad eius formam recipiendam, quod non explicat particula non subiectum: siquidem Angelus est non ignis, & tamen ex eo non potest generari ignis. Quemadmodum igitur Aristoteles ad hanc subiecti capacitatem innuendam primo Physicorum dixit, Album non fieri ex quolibet nõ albo, sed ex nigro, licet motus omnis sit actus entis in potentia: ita nunc propter eandem rationem dicimus: generationem esse mutationem totius in totum, cum præsertim in sententia Peripateticorum implicet existere materia prima sine vlla forma substantiali.

13 Obijcies tertiò: Eucharistica conuersio est mutatio totius in totum: videlicet totius substantiæ panis in totum Corpus Christi, sed non est generatio; ergo malè generatio definitur mutatio totius in totum.

Respondeo distinguendo maiorem: Eucharistica conuersio est mutatio physica, & naturalis negando maiorem: supernaturalis, concedo maiorem, & subsumptam minorem: nego consequentiam: quoniam quidquid non est mutationis in definitione generationis vtpote mutationis physicæ, & naturalis, quæ imperat transitum à beneficio cuius materiæ, quæ se habet, vt subiectum transitus à termino à quo, ad terminum ad quem, quod non habet conuersio eucharistica: ibi quia sola accidentia panis transeunt ex vno in alium terminum: & ideò potest appellari mutatio metaphysica, & supernaturalis. Ad quod ergo dicendum est, mutationem vniuersaliter sumptam dici illam, per quam res aliqua se habet inintrinsecè, vel sic habebat antea, siue acquirendo aliquid intrinsecè aliquid, quod antea non habebat, siue deperdendo aliquid, quod antea habebat, vtcunque quilibet mutationem quamcunque necessariò requirimus, nimirum, id quod transit, terminus à quo, ad quem transit, terminus, in quem transit, & ipsa mutatio transiens. Quamuis autem in omnibus mutationibus naturalibus semper id quod transit se habeat, vt subiectum respectu terminorum à quo, & ad quem. In mutatione tamen Eucharistica id quod transit à termino à quo, ad terminum ad quem, comparatur, vt forma in ordine ad duplex subiectum accidentia enim panis sunt, quæ transeunt à substantia panis in Corpus Christi.

Obijcies quartò: Conuersio sanguinis in carnem animalis est generatio, & tamen non est mutatio totius in totum animal, iam enim hæc præsupponitur existere; ergo &c. 14

Respondeo dictam conuersionem ob rationem in argumento positã, appellari à philosophis mutationem, siue etiam aggenerationem: non verò generationem. quare nego primam antecedentis partem quod si quis illam concedendam iudicet, dicat eam esse mutationem totius sanguinis, qua conuertitur in totum animal formaliter, & essentialiter acceptum, in quantum ex ea resultat cõpositum quoddam ex materia, & forma animalis, quod antea non habebatur.

Obijcies quintò: integra hæc definitio competit alteri à definito, scilicet corruptioni; ergo non recte explicat essentiam generationis. 15

Respondeo nonnullos, concesso antecedente, negare consequentiam: aiunt enim vtramque mutationem per modum vnius hac definitione Philosophum comprehendere voluisse; quod cõfirmant ex eo, quia nusquam alibi definitionem corruptionis in tota hac tractatione reperies. non placet. neque enim auctoritas negatiua tanti mihi est, vt propter eam rerum essentias confundendas existimem. nego itaque antecedens, tum quia particula illa, mutatio, de acquisitiua, & non de deperditiua mutatione intelligenda est. In quantum ad eam primo, & per se significandam est imposita. tum etiam quia cum mutatio magis principaliter à termino ad quem specificetur, quam à termino à quo: vt per definitionem innotescat, debet necessariò in ea retineri vox propria, qua eius terminus ad quem significatur. Alioquin essentia definiti adhuc nobis remaneret ignota: quod non fit, nisi propter aliquam peculiarem rationem vox propria significatiua termini à quo, in aliam mutuo propriam, sed magis expressam aliquatenus conditionibus illius, commutetur. Sic igitur in definitione generationis cum partibus illa in totum

rigo-

Digitized by Google

rigorosè accepta sumatur pro termino ad quem positivo, rectè deducitur, quod dicta definitio non competat corruptioni: vt enim illi competeret, deberet importare terminum ad quem negativum, quod eam specificat, sicuti illum importat partícula totius: sed ex tradita disparitate constat, quod id esset contra leges bonæ definitionis: sic enim tradita definitio competeret alteri à definito, ergo &c. cætera.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Generatio ab alteratione nemine cogitante distinguatur.

16 Conclusio est affirmativa, & communis contra quamplures Thomistas, qui in hoc sequuntur non D. T. sed Thomam Deuio Caietanum, qui 1. *parte quæst.* 15. *art.* 3. generationem ab alteratione minimè distingui.

Probatur assertio, quia dupliciter contraria sententia explicari potest: Primo, dicendo, quod præter præuiam alterationem, per quam introducuntur in materiam dispositiones nulla alia mutatio habeatur, vt tenet Fonseca 1. *metaph. cap.* 11. *qu.* 5. *art.* 3. Secundo sustinendo, quod licet præter præuiam alterationem detur alia instantanea mutatio, per quam producitur forma substantialis: in ea tamen ratio generationis saluari minimè posse, vt alij docent; sed neutra explicatio habet veritatem; ergo dicendum est generationē ab alteratione nemine cogitante distingui. Maior patet ex sufficienti partium enumeratione. Minor quo ad priorem explicationem probatur, quia in Generatione ignis ex ligno (idem tu de cæteris generationibus dicito) non solùm reperitur actio productiua dispositionum ignis, sed etiam habetur actio productiua formæ ipsius ignis, & trāsmutatiua materiæ ab esse ligni ad esse ignis. Atqui hę actiones duplicem mutationē important; ergo præter alterationem in generatione substantiali datur alia mutatio. Maior huius patet, quia licet per absolutā Dei potentiam posse vna indiuisibilis actio esse productiua duplicis termini, quorum alter sit substantia, alter verò accidens: atque adeò non implicet. quod per eam indiuisibilem actionem, per quam producitur terminus intrinsecus dispositionum necessariarum ad formam ignis, vel, si datur resolutio, per quam in instanti terminatiuo alterationis fiunt de nouo ipsæ dispositiones, producatur etiam ipsa forma ignis; naturaliter tamen id repugnat, tum quia actio debet conformari termino, cuius est actio, tum quia actio productiua dispositionum est multiplex, iuxta numerum ipsarum dispositionum: formæ verò substantialis est vna realiter, sicuti est ipsa forma, tum denique, quia potest Deus, vt auctor supernaturalis facere, vt in ligno introducantur omnes dispositiones ignis cum suo intrinseco complemēto impediendo ne introducatur forma ignis: necesse igitur est, vt actio productiua dispositionum sit alia ab actione productiua formę generādæ, quod verum est non solùm loquendo de actione productiua dispositionum, quæ fit in instanti præcedenti generationem, vt dē se patet, sed etiam de actione, quæ est in eodem generationis instanti, vti probauimus. Minor verò in qua assumebamus, quod duplex hæc actio duplicem mutationem importet: suadetur, quia per duplicem hanc actionem quarum altera est productio dispositionum completarum: altera verò productio formę ignis. materia dupliciter transmutatur, vno quidem modo acquirendo formam accidentalem v. g. completam dispositionem ignis: alio verò formam substantialem, nempe ignis; ergo hæ actiones duplicem mutationem important. Et sic falsum est, quod in generatione substantiali præter præuiam alterationē per quam introducuntur in materia dispositiones nulla alia mutatio habeatur, quæ erat prior pars minoris probanda. Probo nūc posteriorem, quod nimirum in hac alia mutatione ratio generationis saluari optimè possit: siquidem præscindendo à mutatione alterationis singula verba definitionis Generationis illi congruunt, est enim vera mutatio totius in totum. Siquidem eius beneficio formaliter vnum totum in aliud totum transmutatur, ita vt nullum sensibile remaneat sub vtroque extremo vt subiectum idem; ergo &c.

17 Confirmatur, quia in illa mutatione generationis essentia ponenda est, quæ habet pro termino à quo priuationem formæ, quę per ipsam generationem acquiritur, sed præuia alteratio, etiam si sumatur, prout est ad formam substantialem terminata non habet pro termino à quo dictam priuationem, habet autem illam productio formę substantialis; ergo in productione formæ substantialis, & non in præuia alteratione generationis essentia posita est: maior patet tum ex 5. *Physicor.* vbi Philosophus probat ex professo generationem esse transitum de non subiecto in subiectum etiam quia priuatio, vt 1. *Physicor.* diximus principiat Corpus naturale in fieri, vt terminus à quo. Minor verò probatur quo ad vtramque partem, quia quando v. g. ex ligno fit ignis priuatio formæ ignis non est terminus à quo calefactionis, & exiccationis ipsius ligni, etiam si dicti motus vt terminati ad formam substantialem ignis considerentur. Est verò terminus à quo eductionis ipsius formæ ignis in quantum illam principiat recedendo; ergo &c.

18 Obijcies primo plura Aristotelis loca, in quibus generationis nomine, non venit, nisi alteratio prout terminata ad formam substantialem 5. *enim physic. tex.* 8. habetur. Id quod generatur nō esse, quando generatur. hoc autem si generatio instantanea in productione formæ cōsisteret esset falsum: siquidem in rebus instantaneis idem est fieri, & factum esse. 7. *vero Physicor. tex.* 34. dicitur, quod generatio potest esse velocior, & citrdior alia generatione: velocitas autem, & tarditas non potest competere, nisi rei, quæ fit in tempore, cuiusmodi est præuia alteratio. denique 1. *de gen. tex.* 55. ex eo probat finem non posse esse causam efficientem, quia nimirum, quando exitit finis cessat actio, & hoc ideò, quia habitibus præsentibus, scilicet dum res factæ sunt non amplius generatur, ex quibus patet ex Philosopho; generationem non esse in instanti.

Respondeo ad singula, & quidem quantum ad duo priora loca; noto ex Simplicio *lib.* 5. *tex.* 8. & ex Auerroe 6. *physic. comm.* 69. generationē dupliciter

citer

Digitized by Google

citer ab Aristotele, cæteris philosophis, primo secundum id, quod illi essentialiter competit, quo pacto in sola productione formæ substantialis posita est: secundo pro collectione, & aggregato ex introductione dispositionum, & formæ substantialis: seu quod idem nostro proprio alteratione, quatenus terminata ad formam substantialem, & dici solet generatio materialis ad differentiam solius formalis. Iam verò Philosophus loco citatus loquutus est de generatione, non quidem priori, seu posteriori modo sumpta; quod non est contra nos, qui solam generationis huiusmodi essentiam inuestigamus. ad locum ex primo gener. dico illi neque facere contra nos; quia ibi solùm Aristoteles quod prius debeat esse actio productiua, quam terminus: vnde cum hic sit terminus actionis generationis, impossibile est, quod sit causa efficiens talis actionis. Semper enim causa efficiés debet esse prior natura actione sua. In nostrum sententia dicimus, quod licet actio generatiua sit in eodem instanti cum forma substantiali, quæ per illam producitur, est tamen prior ipsa forma, eoque composito.

19 Obijcies secundò: vere homo dicitur generari, & tamen productio animæ rationalis est creatio; ergo ratio formalis generationis consistit in præuia alteratione, & non in productione formæ.

Respondeo: concessa prima antecedentis parte distinguendo secundam, & tamen productio animæ rationalis est creatio; Quatenus est productio formæ independenter à materia, concedo, quatenus est vnitiua animæ cum materia rectè disposita: nego hanc partem antecedentis, & consequentiam. Dico enim, quod sicuti anima rationalis licet secundum entitatem suam non dependeat à materia; tamen dependet ab illa; quoad esse actus actualiter informantis, & prout est principium vitæ. Pari ratione actio, per quam producitur, si accipiatur, quatenus est productio ipsius animæ ex nihilo, habet rationem creationis: sin autem sumatur quatenus sit ad exigentiam materiæ rectè dispositæ, & quatenus est vnitiua formæ cum materia, ac transmutatiua ipsius materiæ ex vno esse in aliud, est verè propriéque generatio, sub his enim rationibus ex vna parte importat in suo concepta dependentiam à materia, ex alia verò tota generationis definitio illi rectè competit.

20 Instabis: ex dictis videmur sequi, quod nō homo, sed Deus generet formaliter hominem; in quantum, ipse Deus se solo, & immediatè producit animam rationalem, & illam vnit corpori.

Respondeo, hominem dici verè, & propriè illum hominem generare: non solùm quatenus disponit materiam ad animam rationalem recipiendam; neque solùm quatenus eius actio est processus viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ, sed etiam quatenus vnitio ipsa animæ licet sit immediatè à Deo, ab eo tamen exercetur, vt ab auctore naturæ, & non nisi ad exigentiam hominis disponentis materiam, & corpus organizantis, cum organizatione debeat naturaliter tamquam terminus vltimatus dicta anima produci in materia. Porrò ille dicitur propriè, & absolutè aliquid generare, ad cuius effectiuam exigentiam forma producitur, & vnitur materiæ, à quocumque tandem hoc efficiatur: quod idem tenetur dicere aduersarius.

Obijcies tertiò: Actio instantanea generatiua est terminus alterationis: ergo dici potest, quod alteratio quatenus terminata ad dictam actionem instantaneam sit formaliter generatio. 21

Respondeo: actionem generatiuam esse terminum alterationis, duobus modis, posse intelligi. primo, vt sit terminus intrinsecus, & proprius illius; & hoc dici nequeunt huiusmodi esse qualitas, alioqui ad actionem daretur actio, quod nemo dicit. Alio modo ita, vt sit mutatio instantanea extrinsecè terminans motum successiuum, & hoc duobus aliis modis; vno quod ea sit quoddam indiuisibile terminatiuum alterationis productiuum vltimi termini qualitatis, atque adeò eiusdem rationis cum cæteris indiuisibilibus dicti motus; & hoc est impossibile, quia per generationem fit forma substantialis, seu totum, quæ nequit pertinere intrinsecè ad qualitatem, neque complere illam intra proprium genus, sicuti complet eius vltimum indiuisibile. Alio modo, quod sit terminus extrinsecus alterationis propter immediatam consequutionem, & connexionem vnitus cum vltimo eius indiuisibili; & hoc verum est; sed cum eo stat, quod generatio sit omnino distincta ab ipsa alteratione, sicuti productio animæ rationalis distincta est à præuia alteratione.

Obijcies quartò: Generatio esse debet motus sensibilis, sed productio formæ est insensibilis. Sensibilis verò est ipsa alteratio; ergo in ea generationis essentia posita est. 22

Respondeo distinguendo maiorem: generatio debet esse motus sensibilis per se, & immediatè, nego: mediatè, & per accidens concedo: ad minorem autem dico productionem formæ substantialis, licèt per se, & immediatè sit insensibilis, fieri tamen formaliter sensibilem per accidentia; sicuti sit sensibilis substantia ipsa physica: nego itaque consequentiam.

SECTIO QVARTA.

Quot actiones Generatio substantialis importet, & qui numerus sit eius terminus.

QVoad priorem controuersiam communis sententia est, quod præter actiones productiuas, seu conseruatiuas formarum accidentalium, quibus materia disponitur, & præparatur ad formam substantialem recipiendam: necessariò admittenda sit vna actio, beneficio cuius materia præsupponatur habere existentiam, & alia, per quam ipsa forma recipiat existentiam. quod si hæc est independens à materia, quantum ad esse, sicuti est anima rationalis, supponunt tamquam certum recentiores admittendam esse tertiam actionem productiuam vnionis à duabus præcedentibus, nemine cogitante, distinctam. Eo quod hæc esse debeat à materia præexistente dependens, vtpote materialis, & aliunde constat vtramque illam actionem esse ab eadem materia independentem. Quando verò forma, quæ in generatione producitur, est materialis, dubium est, inter illos nū tum forma, tum vnio ex vi vnius actionis accipiat esse, an verò ex vi duarum, quarum altera det esse formæ, altera verò vnioni? de actione productiua 23

Digitized by Google

na subsistentiæ nullam faciunt mentionem. quamuis enim putent eam à reliquis esse distinctam, quia tamen agunt cum Aristotele de sola generatione naturæ, & non suppositi, ideò in præsentia eam omittunt. ita ferè Oviedus *controvers. 2. de Generat. puncto 3.*

At verò nos qui tuemur materiam existere per existentiam formæ, eique vnitam per se ipsam, & non per vnionem distinctè cõsequenter asserimus in generatione substantiali præter actiones alterius, non dari, nisi vnam actionem productiuam formæ in materia, & transmutatiuam eiusdem materiæ abesse formæ præcedentis in esse subsequentis, siue demum forma sit materialis, siue spiritualis. Quamuis enim putemus posse diuinitus produci hâc numero formâ absque eo quod vllæ materiæ, atque adeo absque eo, quod propriâ existentiâ illi cõmunicet: nihil aliud ex hoc colligi posse existimamus, quâ quod actio in tali casu esset diuersa ab ea per quam via naturali dicta forma producitur. Ea enim de facto, & est vnitiua formæ cum materia, & transmutatiua eiusdẽ materiæ ab vno in aliud esse, & si quidem forma est materialis facit vt ipsa secundum suam entitatem ab eadem materia dependeat. Contra verò si est spiritualis, Cum quo tamen stat, quod in præsentia de facto actio per quam producitur forma, illa omnia præstet, & præterea faciat subsistere compositum, vti in metaphysicis, Deo fauente, probabimus. Atque hęc quantum ad propositam quæstionem.

24 Cęterùm si quęras ex me quid de distinctione actionis eductiuę formę materialis, & vnitiuæ eiusdem formæ cum materia sentiam facta suppositione, quod materia habeat propriam existentiam, & quod vnio ex natura rei distinguatur ab extremis.

Asserò multo probabiliorem esse sententiam Suarij *in metaph. disp. 15. sect. 4.* existimantis formam materialem, & vnionem per vnicam indiuisibilem actionem in generatione naturaliter produci: quam contrariam, in qua est Hurtadus *disp. 1. sect. 1.* & Oviedus *controv. 2. puncto 3.* alios pro se citans. putantes formam materialem ex vi vnius actionis, & eius vnionem ex vi alterius in generatione recipere existentiam.

25 Probatur: quia actio eductiua formæ materialis à materia implicat, quod realiter loquendo nõ sit vnitiua eiusdem formæ cum ipsa materia: ergo vnica indiuisibili actione in generatione, tum forma, tum vnio producatur, necesse est. Consequentia videtur legitima, quia actio, per quam producitur vnio est formalissimè vnitiua extremorum, ex qua, media vnione, resultat totum vnitum, quod est compositum. Antecedens verò suadetur, quia quamis alia actione circumscripta, hoc ipso, quod intelligitur haberi ratio eductiuæ formæ à materia intelligitur resultare forma inhærens materiæ, ab eaque dependens. Sed hoc, quod est formam inhærere materiæ ab eaque pendere importat necessariò esse illi vnitam. Quamuis enim demus beneficio intellectus prius sine posteriori haberi posse: at non realiter. Quis enim vnquam imaginari potest, quod forma aliqua pendeat de facto à materia: & non sit illi nomine cogitante vnita? Implicat igitur, quod actio eductiua formæ materialis à materia non sit realiter loquendo vnitiua eiusdem cum illa.

Dices cum Oviedo *num. 2.* Dependentia per quam forma materialis pendet à materia non est in forma ex vi vnionis, sed ex vi actionis, per quam producitur: quia etiam si non penderet: potest eandem numero vnionem terminare: ergo per distinctam dependentiam pendet à materia forma, ac pendeat ipsa vnio, & consequenter per actionem distinctam. 26

Respondeo iuxta auctoris principia, concesso antecedente negando consequentiam: quia aliud est: cum formam materialem: tum eius vnionem ex suis intrinsecis, & ex seipsis habere exigentiam actionis productiuæ pendentis à materia: aliud verò quod quælibet ex eis suam distinctam exigat actionem. primum est verum, secundum falsum; eo quod cum vnica actio sit sufficiens vti vidimus, superfluè ponerentur duplex. Porrò ex eo, quod forma materialis, quę prius pendebat à materia posthæc inciperet, penitus absoluam Dei potentiam, non amplius ab illa pendere: & nihilominus illi vniretur per eandem numero vnionem pendentem ab ipsa materia, per quam antea vniebatur, solùm sequitur in tali casu formam, & vnionem per distinctas actiones habere esse: ficuti de facto naturaliter loquendo ponitur ab aduersarijs habere esse animam rationalem, & eius vnio, quod non est contra nos, qui solùm intendimus defendere, quod naturaliter loquendo, vnica actione vtraque producatur non duplici.

Dices cum eodem *num. 5.* vbi termini producti realiter distinguntur, realiter distinguendæ sunt productiones eorum, si nulla sit ratio suadens dari productionem vtrique communem. Sed forma materialis, & vnio distinguntur ex natura rei: & nulla est ratio indistinctionis productionis vtriusque suadens: ergo &c.

Respondeo concessa maiore, negando secundam partem minoris. Ratio enim sufficientissima ad asserendam indistinctionem est, quod actio eductiua formæ materialis à materia sit per se ipsam vnitiua eiusdem cum ipsa materia, vti probamus.

Posset quis vlterius instare, quia ex traditâ 27
doctrina sequeretur non posse diuinitus dari duas actiones, quarum altera esset eductiua formæ, altera verò vnitiua eiusdem, sed hoc videtur absurdum; ergo &c.

Respondeo: distinguendo sequelam, quarum altera esset tantùm eductiua formæ, & non vnitiua concedo, quarum vna esset eductiua formæ, simul & vnitiua altera verò vnitiua tantùm nego. & sic distincta minore nego consequentiam, & dico actionem eductiuam formæ materialis habere essentialiter, & indispensabiliter esse productiuam vnionis eiusdem cum materia; nam satis superque est realiter forma vnita materiæ per hoc, quod sit ab ea educta, eique inhærens: quamuis autem ex hoc videatur sequi non esse necessariam pro formis materialibus vnionem distinctam; hoc non tollit ex suppositione, quod detur vnio, productionem eius debere esse indistinctam à productione ipsius formæ, quod nos in præsentia sustinemus, sed solùm euincit superflue dictam vnionem admitti; quæ est ipsissima nostra sententia, quam docui-

Digitized by Google

docuimus in Physicis. Cæterũ, ea admissa, putamus, per absolutã Dei potentiam, eam posse duplici actione productiua adæquata produci, quarum altera sit productiua simul formæ materialis pendentis à materia: altera verò sit productiua solùm ipsius vnionis. Cum enim hæc pendere possit à materia etiam in eo casu, quo forma non pendet: hinc fit, vt eius productio non debeat in omni casu identificari cum productione formæ. Vnde ex suppositione quòd idem effectus possit à duplici causa totali totaliter concurrente pendere: nulla potest assignari implicantia in eo, quòd eadem vnio duplici actione producatur, quarum altera sit comproductiua formæ: altera verò ad dandum ei esse tantummodò terminetur.

28 Quo ad verò posteriorem cõtrouersiam: de termino ad quem generationis nobis esset agendum. Quoniam verò res in nostra sententia omni ferè difficultate caret, eam breuiter perstringemus dicendo: Terminum ad quem generationis esse dupliceм: alterum totalem: alterum formalem. Totalis sine controuersia est totum compositum, quod generatur: v.g. ignis, leo, homo, &c. de formali est dubium. Quidam enim putant esse formam tantùm. Alij vnionem tantùm: iuxta tamen nostra principia tenenda nobis est sententia media, quæ dicit illum esse formam simul, & vnionem, seu formam, vt vnitam: quæ reduplicatio non supra solam vnionem, sed etiam supra ipsam formam cadat; sine demum vnio sit distincta ex natura rei ab extremis, sive non.

Ratio est, quia per generationem introducitur forma in materiã non quomodocumque, sed ita vt ex ea resultet immediatè compositum: Atqui ad hoc non sufficit sola forma, neque sola vnio, sed requiritur necessariò vtraque. ergo &c.

Atque hæc est sine dubio sententia omnium Peripateticorum, qui Aristotelem sequuti, docẽt generationem esse mutationem de priuatione ad formam, non quidem vt sic, sed in materia receptam, eique vnitam.

Dices primò: sufficit sola vnio de nouo, vt totũ genitum habeatur; ergo sola vnio est formalis terminus. 29

Respondeo negando consequentiã, quia formalis terminus non attenditur penes nouam productionem, sed penes immediatam terminationem. Defacto enim si per impossibile posset existere vnio absque eo, quod actuale munus vniẽdi exerceret; casu quo munus hoc beneficio alicuius actionis inciperet exercere, respectu dictę actionis haberet rationem termini formalis generationis.

Dices secundò: In Eucharistica Transubstantiatione Corpus Christi est terminus ad quẽ formalis, & tamen non est forma termini ad quem totalis; hic enim est conflatum ex ipso Corpore Christi, & speciebus panis, in quo conflato tertiũ est Corpus Christi non se habere, vt formam; ergo, &c. 30

Respondeo, concesso antecedente, negando cõsequentiam. Ratio negationis est, quia aliud est loqui de transubstantione Eucharistica, aliud de generatione. In hac enim defacto terminus ad quẽ formalis est forma conflati. Contra verò in illa est ipsum Corpus Christi, quod non est forma conflati. Ex quo rectè deducitur in vniuersum non habere veritatem, quod terminus formalis debet esse forma termini totalis. At in casu nostro dum de generatione loquimur, videtur indubitatum: & ratio vniuersalior esse potest; quia terminus formalis in communi est ille, quem propriè, & immediatè respicit mutatio formaliter sumpta, & cuius beneficio dicta mutatio cætera denominat: Quoniam verò generatio formaliter sumpta habet propriè, & immediatè inducere formam in materiam præexistentem, & producere compositum: atque ratione horum munerũ denominare genitum ipsum compositum; idcircò eius terminus formalis, non solùm erit vnio, sed etiam forma.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA PRIMA.

DE CONVERSIONE.

GEneratio in nostra sententia est quædam conuersionis species. nam debet esse inter duo tota substantialia, quorum vnum sit terminus à quo, qui desinat esse: alterum verò terminus ad quem: qui de nouo incipiat, eique succedat. Vnde æquum est, vt ad exactam generationis notitiam de conuersione verba faciamus.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit conuersio.

1 PRima conclusio: Conuersio rectè communiter describitur: *Transitus vnius rei in aliam.* sumitur ex D.T. sæpè asserente: conuersionẽ inter substantias importare quendam ordinem substantialẽ; & *lib. 4. contra gentes cap. 63.* vbi ait, Conuersionem esse substantialem quandam successionem. Explicatur conclusio: non omnis transitus, seu mutatio dici potest conuersio, sed solùm ille, qui inter duos

Digitized by Google

terminos à quo, & ad quem positiuos reperiat; quorum primus corrumpatur, & desinat in secundum; non enim propriè dicitur desinere, nisi id, quod reale positiuum est: neque desinere ex alterius aduentu, nisi illud, quod aduenit, reale positiuum itidem sit. Vnde, si attendamus, duplicem conuersio mutationem includit. vnam negatiuam, per quam terminus à quo positiuus de esse transit ad non esse; alteram positiuam, per quam terminus ad quem item positiuus de non esse transit ad esse.

2 Præterea, non sufficere ad conuersionem, vt positio vnius termini merè concomitanter cum alterius desitione coniugatur, sed necessariam esse connexionem repugnantiæ inter illos; ita scilicet, vt terminus à quo, ex vi positionis termini ad quem, desinat esse, manifestum est. Nulla enim alia ratio est, ob quam res, quę dicitur in aliam conuerti, dicatur potiùs conuerti in illam, & non in quamlibet aliam, quæ ea desinente producitur: nisi quia desinit ex positione talis rei, & non ex positione cuiuscumque alterius. Atque ex his sequitur tertia conditio ad conuersionem necessaria: quod scilicet, habeatur aliquod tertium commune, sub quo desitio termini à quo, & positio termini ad quem exerceatur. In hoc enim ordine rerum, impossibile est vt vna res desinat ex positione alterius, nisi quia illa, quę de nouo ponitur, habeat aliquam incompossibilitatem cum permanentia alterius in rerum natura; debet igitur dari aliquod tertium vtrique termino commune, in ordine ad quod repugnantia vtriusque exerceatur. Incompossibilia enim sunt illa solùm, quæ inuicè se expellunt, ac proinde in aliquo vno tertio successiuè contineantur necesse est. Et hinc fit, vt res, quæ est terminus ad quē conuersionis tria omnino habere debeat: Primum, vt eius existentia saltē in illo tertio sit incompossibilis cum existentia alterius rei, quæ in eam conuertitur. Conuersio enim desitio est vnius rei ex aduentu alterius: Secūdum, vt habeat aliquam coniunctionem cum tertio communi, in ordine ad quod incompossibilitatem, & oppositionem exerceat. Tertium denique vt sit capax alicuius mutationis, per quam vel simpliciter incipiat esse in rerum natura, vel saltē incipiat esse secundum aliquem modum, per quem de nouo possit aduenire, & terminum oppositum excludere. Non enim potest res desinere ex aduētu alterius, nisi hæc de nouo aduenire posset, atque adeò aliqua ratione mutari. Vnde est, vt S. Cyrillus *epist. 1. ad Successum*, rectè dicat: Nihil posse conuerti in Deum, quia Deus omnino immutabilis est, nec aliquid in se suscipere potest. His explicatis: quod definitio conuersionis bene tradita sit, probatur, quia in ea cōtinetur duplex mutatio: negatiua scilicet termini à quo: & positiua, termini ad quem. Præterea dum dicitur transitus vnius rei in aliam, per hoc exprimitur connexio, quæ inter vnum, & alium terminum reperitur, ratione cuius vnus desinat esse ex vi alterius; ac proinde notatur habitudo, quam habere debet vterque terminus ad aliquod tertium commune vtrique; nec non etiam capacitas termini ad quem ad mutationem subeundam.

3 Quod verò ad eius diuisionem spectat, sit secūda conclusio: Conuersio in communi rectè diuiditur in Physicam, & Moralem. Physica est, quando termini illius sunt physici, & eorum repugnātia sub vno tertio in ipsorum physica entitate fundatur; cuiusmodi est conuersio ligni in ignem. Moralis verò est, quando, vel eius termini non sunt physici, sed morales; vel si physici sunt, oppositio, quam habent sub vno tertio non fundatur in natura eorum, sed in aliquo extrinseco, videlicet in voluntate Dei, aut hominum. Iam moralis conuersio ratione moralium terminorū censetur, quando Canonicus v.g. mutatur in Episcopum, vel sæcularis in regularem, vel Dux in Imperatorem: quia hi omnes termini per formam moralem constituuntur. Ratione verò oppositionis dicetur moralis conuersio, si Deus decreuisset, quod quam simul ad auditionem, & visionem eiusdem hominis concurrere, & homo ex audiente fieret videns, vel ex vidente audiens.

4 Deinde verò Physica subdiuiditur in accidentalem, et substantialē. Accidentalis est, quando primò, & per se terminos accidentales reperiat, vt cum homo ex calido conuertitur in frigidum: & paries ex albo in nigrum. Substantialis autem est, quando primò, & per se inter substātiales terminos reperitur; quidquid sit autem per accidens, & secundariò inter accidentales occupetur: vt cum lignum conuertitur in ignem, homo in cadauer.

Denique Substantialis conuersio subdiuiditur in alia tria membra: in formalem, materialem, & totalem. Formalis est transitus vnius formæ substantialis in aliam sub eadem materia, vt formæ ignis, in formam aeris: Materialis est transitus vnius materiæ in aliam sub eadem forma: vt quando nutritur homo: acquirit enim tunc nouā partem materiæ alimenti, & deperdit veterem, quam habebat, & hoc manente eadem anima rationali. verum autem hæc de facto sit vera conuersio, pendet ab ea quæstione, in qua quæritur, an terminus à quo conuersionis desinere debeat? Totalis denique conuersio est transitus totius substantię in totam aliam substāntiam, siue remaneat eadem materia, vt cū lignū conuertitur in ignem: siue non, sed accidentia tantùm, vt cum panis conuertitur in Corpus Christi in Eucharistia.

5 Porrò quamuis hęc trimembris diuisio possit etiam accidentali conuersioni competere: quia tamen nos de substantiali in præsentia præcipuè disputamus: idcircò ei illam attribuimus cum communi. Verū circa ea, quæ dicta sunt tres quæstiunculæ exagitari consueuerunt, quas parui pēdere non debemus: Prima est, num ad conuersionem sufficiat, vt tertium, in ordine ad quod duo extrema repugnantiam suā exercent, sit quid reale positiuum; videtur enim sufficere; propter hoc enim sufficienter saluatur non dari connexionem inter duo corpora, quorum vnum expellit alterum ab eodem spatio imaginario. siquidem spatium, quod est tertium commune, non est quid positiuum: Dicendum tamen est, quod non sufficiat: sed præterea requiritur, vt sit proprium antiqui termini, qui dicitur conuerti; alioquin, si nihil proprium illius remanet sub termino, in quem conuertitur, quomodo dici potest conuersus in illum? sic quamuis locus sit quid reale positiuum, à quo homo, & equus se inuicem expellant, quando homo succedit in locum equi, non potest dici,

quòd

quòd equus in hominem conuertatur, quia locus non est proprius equi.

6. Quid autē requiratur ad huiusmodi proprietatem statuendam adhuc declaratione eget: siquidem non minus videtur proprius equo locus, in quo actu existit: quam materia prima, ex qua ipse constat. Vnde, sicuti casu, quo materia, quæ informabatur forma equi, inciperet informari forma hominis, equus diceretur conuerti in hominem: ita etiam deberet dici, quando eius locus incipit ab homine occupari. Dicerem tamen huiusmodi proprietatem sufficientem consistere in ratione intrinseci; ita ut tunc tertiū censeatur proprium termini à quo, quādo est illi intrinsecū, vel tamquā pars essentialis, vel tāquā forma accidētalis, vel denique tamquam modus. Probatur: quia etiam si ponamus, quod equus, quando homo succedit in locum illius, corrumpatur, & desinat esse: non tamen diceretur conuerti in hominem: sed hoc, non nisi quia locus est quid extrinsecum equo; ergo benè saluatur proprietas tertij in eo, quod sit intrinsecum termino à quo.

Secūda quæstiuncula esse potest, an conuersio illa moralis, cuius termini non habent oppositionē ex natura rei, sed ex sola Dei, vel hominum voluntate, habeat rationem veræ, & propriæ conuersionis P. Arriaga *de Gener. disp. 1. sect. 2. numero 12.* probabiliorem existimat negatiuam partē. Ratio illius est: quia nomen hoc, Conuersio, significat solùm eas, quæ defacto dantur; quę valdè differunt à dicta conuersione morali, nec licet extendere nomina, nisi quando est similitudo inter res, quę per ea significantur; quæ similitudo non videtur esse in præsenti. Sed contra hoc facit, quia hinc sequeretur transubstantiationem Eucharisticā non esse censendam conuersionem propriam: tum quia nomē hoc non fuit impositū ad eā significādam; siquidem quando data est ei significatio, non adhuc instituta fuerat Eucharistia: tū etiā quia cū in nulla conuersione ex his, quæ naturaliter habētur, tertium, quod remanet sit solùm quid accidentale, sicuti est in Eucharistia: potest quis dicere non haberi sufficientē similitudinem inter cæteras cōuersiones naturales, & Euchasticam; sed hoc videtur absurdum, & contra sensum totius Ecclesiæ; omnes enim dicunt Eucharisticam transubstantiationem esse veram, & propriam conuersionem; ergo &c. Confirmatur, quia aliqui ex Theologis inter quos Vasquez *3. par. tom. 3. disp. 184. cap. 3.* existimant Corpus Christi sub speciebus panis non habere physicam repugnantiam cum substantia panis, sed solùm moralem extrinsecam rationem, scilicet veritatis verborum, quæ vera non essent si ibi remaneret substantia panis: & nihilominus omnes tenemur dicere Eucharisticā conuersionem non esse impropriam, & abusiuam, sed veram, & propriam: ergo dicendum est ad veram conuersionem sufficere extrinsecam, & moralem oppositionem terminorum; Huius rei rationem posset aliquis assignare dicendo: etiam in conuersione physica terminos moraliter se expellere ab eodē subiecto: in quantum Deus mouetur ab exigentia eius termini, qui fit de nouo, ad subtrahendum cōcursum, quo antiquum terminum conseruabat; & sic non esse, cur in conuersione morali extrinseca repugnantia non sufficiat. Hanc ego rationem nō probo: quia licèt in conuersione physica expulsio, qua eius termini sub tertio excluduntur, per aliquid morale compleatur: hoc tamen in physica terminorum entitate fundatur, quę exigit, vt ad vnius existentiam Deus suum concursum, quo alium conseruabat, suspendat: quod sufficit, vt hęc oppositio censeatur esse physica, & distinguatur ab illa, quæ ex mero Dei beneplacito inter terminos aliquos reales exercetur. Ratio igitur nostri dicti potest esse, quia cum morali terminorum oppositione stat absoluta ratio transitus vnius rei in aliam; ita vt verificetur, moraliter loquendo, quod ex vi actionis productiuæ termini ad quem desinat terminus à quo; ergo iam saluatur propria ratio conuersionis: Antecedens, in quo est difficultas, suadetur; nam licèt physicè vterque terminus sub vno tertio stare simul possit: at ex suppositione voluntatis Dei efficaciter nolentis præbere simul vtrique concursum, productio vnius, ex suppositione quod existat alter, eius destructionem inferat necesse est.

Tertia denique quæstiuncula est, num formalis conuersio versetur propriè inter formas, an solùm inter earum concreta, vt P. Suarez existimat, qui ideò *tom. 3. in 3. partem disp. 30. sect. 2.* negat posse dici albedinem conuerti in nigredinem, sed benè album in nigrum. Cuius rei ratio potest esse, quia, vt inquit Lugo citatus ab Ouiedo, denominatio conuersi est subiecti, & non termini, lignum v. g. est, quod dicitur ex frigido conuerti in calidum; quare cum formæ se habeant, vt termini cōuersionis, non possunt denominari conuersæ; quod idem in mutatione contingit, quæ, cum sit transitus de priuatione ad formam, solùm subiectum denominat, non verò terminum vel à quo, vel ad quem.

Sed contra hoc facit, quia in quæstionibus de modo loquēdi nulla efficacior ratio adhiberi potest, quam communis loquendi vsus, quem nobis fauere cōstat primò ex lib. Esther *cap. 17. vbi fic cōuerte luctum nostrum in gaudium.* 2. ex Ioann. *16. Tristitia vestra vertetur in gaudium.* 3. ex Concil. Trident. *sect. 13. cap. 4. vbi statuitur conuersionem fieri totius substantiæ panis in Corpus Christi Domini nostri.* 4. denique ex Florentino: vbi sic: *Substantia panis in Corpus, & substantia vini in sanguinem conuertitur.* Ex quibus apparet tum terminos formales, qui sint formæ vt luctus, & tristitia tū terminos formales, qui nō sint formæ, vt substātia panis, & substātia vini absolutè dici, quod conuertātur; & per hæc patet responsio ad priorē rationē. Ad posteriorem verò ratio, disparitatem inter mutationem, & conuersionē esse, quia mutatio physicè accepta est solùm transitus ex termino à quo in terminum ad quem; vnde, non est mirum, si nō denominet, nisi subiectum, quod transit: At verò conuersio physicè non solùm est transitus tertij à termino à quo in terminum ad quem: sed etiam ipsius termini à quo in ipsum terminum ad quem; & ideò vtrumque denominat.

Cæterùm licet verum sit quòd quando tertium, quod in conuersione transit à termino à quo ad terminum ad quem, habet rationem subiecti, ab ipsa conuersione denominetur, vt patet exemplo ligni adducto, quod dicitur ex frigido conuerti in calidum: falsum tamen est, si tertium non se habeat, vt subiectum. Nemo enim dixerit Acci-

Digitized by Google

dentia Eucharistica conuerti ex substantia panis in Corpus Christi: sed benè substantiâ panis cõuerti in ipsum Corpus Christi, vel etiam conflatum ex substantia panis, & accidentibus eiusdem, in conflatum ex Corpore Christi, & ex dictis accidentibus panis.

SECTIO SECVNDA.

An terminus à quo conuersionis debeat desinere substantialiter.

9 COnclusio est affirmatiua, & communis testè Arriaga *disp. 1. de gener. sect. 3.* Est tamen contra Scotum, Lichetum, Tartaretum, Maiorem, Aliacensem, & alios *locis citatis* à Lynceo *6. Physic. tract. 4. num. 52.* qui dicunt ad rationem conuersionis habendam sufficere, si terminus à quo desinat esse quo ad munus, quod exercebat prius sub tertio cõmuni; quidquid sit si remaneat quantum ad esse.

Probatur autem primò nostra assertio: quia in quæstionibus de modo loquendi, qualis est hæc, standum est iudicio communi, præsertim sapientũ. Iam verò hos existimasse ad conuersionem necessariam esse desitionem termini à quo quantum ad esse: constat primò ex August. *primo de Trinit. cap. 7.* vbi ait: *In Incarnatione diuinitatem non fuisse conuersam in creaturam, quia non desinit esse diuinitas.* secundò ex D. Cyrillo, qui *epist. 2. ad Successum* probat *Verbum in eodem mysterio non fuisse versum in Carnem, eo quod manfit id, quod prius erat:* ex D. Th. *3. part. quæst. 75. art. 2. in corp.* vbi sic: *Quod conuertitur in aliquid facta conuersione non manet. Vnde relinquitur, quod salua veritate huius Sacramenti, id est Eucharistiæ, substantia panis post Consecrationem remanere non possit.*

Probatur secundò ratione, quia in conuersione 10 totali requiritur destructio termini totalis à quo; ergo & in conuersione formali destructio termini formalis à quo; & sic de ratione conuersionis vniuersaliter acceptæ est, quod terminus formalis à quo desinat secundum esse. Antecedens conceditur ab omnibus: non enim potest lignum conuerti in ignem, nisi vi conuersionis ipsum lignum destruatur: neque calidum in frigidum, nisi calidum desinat esse.

Prima verò consequentia constat paritate: non enim potest assignari quantum ad hoc disparitas; & vlterius suadetur ex eo, quia communiter dicere solemus hominem in morte conuerti in cadauer, non autem animam rationalem conuerti in formam cadauericam: sed huius diuersitatis aliam rationem assignare non possumus, quam quod in prima conuersione terminus à quo est homo, qui verè desinit esse à parte rei: at terminus à quo secundę est anima rationalis; quæ licèt desinat quo ad munus informandi materiam: non tamen desinit absolutè quo ad esse; Et ratio à priori huius desitionis requisitæ in termino à quo illa est: quia conuersio importat transitum termini à quo à se ipso in terminum ad quem; est enim transitus non solùm ex vno in aliud, sed vnus in aliud. cum autem id, à quo fit transitus, necessariò relinquędum sit: manifestè deducitur terminum à quo non solùm quo ad munus, sed etiam quo ad esse, in omni conuersione necessariò cessare debere.

Atque ex his remanet etiam impugnata sentẽ- 11
tia quędam media à Lynceo, vt videtur, excogitata, qui *lib. 6. Physic. tract. 4. num. 19.* ait: Conuersionem bifariam sumi posse. Primò prout est actio destructiua vnius, & productiua alterius cum lucta inter vtrumque ob aliquod reale intrinsecũ, quod ab vno auferatur, & conferatur alteri. Secundò, prout est successio quædam duarum rerum, quarum vna in aliquo tertio vtrique cõmuni succedat alteri, & eius vicem gerat; Quo posito asserit, eã primo modo sumptam importare destructionem termini à quo: non verò secundo modo acceptam, sed solùm successionem in munere.

Contra enim hanc sententiam facit primò auctoritas, quia negatio est malignantis naturæ: vndè cum Patres, & D. Th. doceant sine destructione termini à quo non stare conuersionem: implicat, quod sine dicta destructione conuersio aliqua in particulari habeatur, quemadmodum quia cõmuniter dicimus sine rationalitate non haberi essentiam hominis: implicat hominem in rationalem, & irrationalem diuidi posse, atque adeò debilem esse hominem aliquem; absque eo, quod habeat rationalitatem. Secundò contra eandem facit ratio à nobis assignata, quia de omni conuersione verificari debet, quod sit transitus vnius rei in aliam. Sed hic importat discessum rei, quæ transeat ex propria entitate in aliam; ergo impossibile est, quod illa successio duarum rerum in ordine ad tertium habeat rationem conuersionis.

Obijcies primò ex Lynceo: Diuus Thomas *3. parte quæst. 75. art. 4 ad primum*, posteriorem conuersionem admittit his verbis: *Vnde cum hæc conuersio substantialis importet quendam ordinem substantiarum, quarum vna conuertitur in alteram: est sicut in subiecto in vtraque substantia, sicut ordo, & numerus.* atqui ordo, & numerus sola successione contenti sunt; ergo &c.

Respondeo S. D. ea verba protulisse ad exclu- 12
dendam à conuersione Eucharistica, vt patet ex textu, mutationem formalem, quæ versatur semper circa aliquod subiectum, dicendo, quod Eucharistica consistat in successione substantiarum: nimirum Corpus Christi, & substantiæ panis sub speciebus, & quod assimiletur ordini, ac numero. Cęterùm, eum non negasse necessariam quoque esse ad huiusmodi conuersionem successiuam substantiarum desitionem substantiæ panis. Patet ex *articulo præcedente in respondeo. ad primum.* vbi sic: *Dicendum, quod substantia panis, vel vini, facta conuersione, neque sub speciebus Sacramenti manet, neque alibi. non tamen sequitur, quod annihiletur, conuertitur enim in Corpus Christi, sicut non sequitur, si aer ex quo generatus est ignis, non sit ibi, vel alibi, quod sit annichilatus.* vbi vides per D. T. vtramque speciem conuersionis à Lynceo positam conuenire in eo, quod vtriusque terminus à quo destrui debet quantum ad existentiam.

Obijcies secundò ex eodem *numero 2.* Creatio 13
bifariam sumi potest, primò prout importat productionem rei ex nihilo cum nouitate essendi: secundò prout importat productionem rei ex nihilo præscindendo à nouitate essendi; ergo à pari conuersio modò significat desitionem termini à quo, modò cessationem à munere.

Respondeo negando consequentiam, Disparitas

Digitized by Google

tas eſt, quia ſiue adſit, ſiue abſit nouitas eſſendi: ſaluari poteſt definitio Creationis, vt ſuppono: at ſi abſit deſitio termini à quo quantum ad eſſe, non poteſt ſuſtineri eius tranſitus in terminum ad quē, & per conſequens neque eſſentia conuerſionis.

Inſtabis: rectè ſaluatur, quòd Canonicus cōuertatur in Epiſcopum; ſed in hac conuerſione non habetur deſitio termini à quo quantum ad eſſe, ſed ſolùm quantùm ad munus Canonici. ergo &c.

Reſpondeo, conceſſa maiore, negando minorē: quia Canonicus eſt concretum ex homine, & munere Canonici, quod concretum per conuerſionem in Epiſcopum deſtruatur neceſſe eſt. Eadem reſpōſio adhibenda eſt, ſi quis obijciat. Canonicatum ſæpè conuerti in Epiſcopatum: & tamen Canonicatum non eſſe aliud, quàm quoddam munus: Dicendum enim Canonici munus importare formam moralem, quę ſecundùm ſuum eſſe morale iam deſinit, & hoc ſufficere ad conuerſionem moralem qualis eſt aſſignata. At verò quando Concilia, & Patres aſſerunt ſubſtantiam panis, & vini conuerti in Corpus, & Sanguinem Chriſti: neque ex parte termini à quo, neque ex parte termini ad quem aliquod morale munus ſignificant, ſed ſolam veriuſque ſubſtantiam: quare niſi ipſa ſubſtantia panis, & vini deſineret eſſe, nullo modo de ea verificari poſſet cōuerſio: ſicuti caſu quo Petrus ſuccederet Paulo in munere Epiſcopi, neq; cū veritate dici poſſet, quod Paulus conuerteretur in Petrū.

14 Obijcies præterea tertiò: in hominis nutritione datur conuerſio materialis, ratione cuius eadem anima rationalis tranſit à parte antiqua materiæ primæ, quę vi caloris naturalis abſumitur, in partem nouam, quæ humidi radicalis beneficio nutritioni ſufficitur: ſed in hac conuerſione terminus a quo, nimirum pars materiæ, quę deperditur, non deſinit eſſe, quia materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo ex vi conuerſionis non debet deſinere eius terminus à quo quantum ad eſſe.

Reſpondeo: propter rationē aſſignatam in nutritione hominis non eſſe admittendam verā conuerſionem materialem: ſed ſolùm in caſu miraculoſo, ſi nimirum ex eo quod forma aliqua per diuinam Omnipotentiam ex vno ſubiecto tranſiret in aliud ſubiectum, quod ſe haberet vt terminum à quo, deſineret eſſe à parte rei, propter incompoſſibilitatem cum ſubiecto, quod ſe haberet vt terminum ad quem.

15 Obijcies quartò: Conuerſio hominis in cadauer, vtpotè totalis includit conuerſionem formalem: ſed in huiuſmodi conuerſione formali anima rationalis non deſinit eſſe. ſed ſolùm ceſſat à munere informandi. ergo &c.

Reſpondeo: diſtinguo maiorem, includit conuerſionem formalem, hoc eſt formarum phyſicarū, nego: hoc eſt quarundam rationum, quæ ſe habeāt vt formæ, concedo maiorē; & cōceſſa item minore, ad conſequentiam dico: Conuerſionem formalem, quā includit cōuerſio totalis hominis in cadauer, eſſe penès totalitatem, ſeu vnionē hominis, & totalitatē, ſeu vnionē cadaueris. Conſtat autē, quòd tum totalitas hominis: tum eius vnio ad aduentū formæ cadauericæ in materiam corrumpantur.

16 Quæres hic: an ad probandum, quod terminus à quo conuerſionis debeat deſinere ſecundùm eſſe, habeat vim argumentum ex Euchariſtia deſumptum ab inconuenienti: nimirū quod aliter quoties Chriſtus deſineret eſſe ſub ſpeciebus cōſecratis, toties dicendus eſſet conuerti in eam ſubſtantiam, quæ illi ſuccederet ſub illis, ſiue eſſet ignis, ſiue vermis, ſiue hominis &c.

Reſpondeo negatiuè cum communi. Porrò duplicem viam auctores ineunt ad hanc negatiuam reſponſionem confirmandam. Vna eſt, quod nullum ſit inconueniens aſſerere Chriſtum conuerti in murem, vermem, &c. Quam viam Arriaga, & Lyncеus putant probabilem contra Patrem Suarez *tom. 3. in primam partem diſput. 54. ſect. 3.* vbi eam improbat. Primò auctoritate negatiua omnium Theologorum; nullus enim eorum, imò nullus Sanctorum Patrum talem conuerſionem de facto agnouit; & quamuis de poſſibili Paludanus, Capreolus, & Caietanus admiſerint non repugnare Corpus Chriſti, pro vt in Sacramento, conuerti in aliam ſubſtantiam: tamen D. Thom. *3. parte quæſt. 77. art. 5. & in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 2. quæſtiun. 4.* cum Riccardo *art. 2. quæſt. 2.* hoc putat impoſſibile, quod ſaltem intelligendum eſt de potentia ordinaria, & ſpectata Chriſti impaſſibilitate, & modo, quo exiſtit in Sacramento. Ex quo patet, falſum eſſe, quod aſſumit Arriaga. nimirùm antiquos Theologos non negaſſe huiuſmodi conuersionem, licet eam non affirmauerint: quia non diſputarunt de illa. Secunda Suarij ratio eſt, quia piæ aures audire refugiunt, quòd Chriſtus conuertatur in Corpus ſumentis, in vermem, murem, &c. Et rectè; ſunt enim aliena à modo loquendi Sanctorum Patrum. Neque contra hoc valet Arriagæ argumentum: plus ſcilicet eſſe Verbum diuinum hypoſtaticè poſſe vniri muri, vermi, &c. quàm Corpus Chriſti in hæc conuerti: tum quia aliqui id negant, tum etiam quia Suarij argumentum procedit de facto: probando quod non conuertatur. Hęc verò paritas procedit de poſſibili; multa autem ſunt, quibus, ſi affirmentur eſſe de facto, piæ aures iure offenduntur, non autē ſi affirmentur eſſe poſſibilia. Quod ſi de facto Verbum in Chriſto eſt quatuor humoribus hypoſtaticè vnitum: hoc aures Chriſtianorum libenter audiunt, cum huiuſmodi vnio ſit veluti partialis, pertinens ad abſolutiſſimam, & perfectiſſimam aſſumptionem naturæ humanę ad diuinam Perſonalitatem, quam omnes confitemur. Nil autem ſimile reperitur in conuersione Chriſti in murem, vermem, &c.

17 Altera via à nobis tenenda negat quidem, quādo ex Euchariſtia generatur vermes, ignis, &c. conuerti Corpus Chriſti in ea, quę generantur; ſed addit hoc non prouenire ex eo, quod dictum Corpus non deſinat ſimpliciter; vt nonnulli autumāt quamuis enim non niſi in hac numerò hoſtia reperiretur, atque adeò in generatione vermis ex illa deſineret eſſe ſimpliciter: non ideò putat hæc ſententia cenſendum eſſe Corpus Chriſti conuerſurum in vermem.

Probat hoc Arriaga primò, quia non manet propriè terminus cōmunis, in ordine ad quē exerceatur oppoſitio ſubſtantię vermis cum Corpore Chriſti: tum quia quantitatem diſtinctam non admittit: tum etiam quia alia accidentia noua non fuerunt cum Chriſto. Sed hæc ratio non procedit: tum quia falſum eſt, quantitatem non diſtingui à ma-

Digitized by Google

materia: tum etiam, quia esto, quod ita sit; per hunc Auctorem non datur resolutio vsque ad materiam primam, vt patet ex *disp. 5. physic. num. 11.* & sic aliqua accidentia, quæ erant cum Corpore Christi in Eucharistia transeunt in vermem. V.g. Calor panis, eiusque frigiditas, & cætera similia.

Probat secundò, quia non desinit ibi esse Corpus Christi ex repugnantia aliqua speciali cum accidentibus de nouo aduenientibus, quam non haberet cum præcedentibus. Vtrisque enim eodé modo repugnat. atqui ad cunuersionem requiritur aliqua repugnantia physica inter desitionem vnius, & productionem alterius. ergo &c.

Sed huius rationis minor est falsa. Vidimus enim supra ad conuersionem non requiri, quod termini habeant aliquam oppositionem physicam inter se, sed sufficere, quod habeant moralem. Neq; igitur erit necessarium, quod ibi Christus desinat ex repugnantia aliqua speciali physica cum accidentibus vermis de nouo aduenientibus; sed sufficiet, quod desinet ex repugnantia morali proueniente ex decreto Dei extrinseco, quo alligauit illum speciebus panis, quandiù durant. Posito enim huiusmodi decreto, constat eum non habere repugnantiam cum accidentibus panis, sed bene cum accidentibus vermis.

18 His igitur rationibus posthabitis, dicendum est, quod ideò Christus existens in Eucharistia nõ conuertatur in vermem, vel in Corpus sumentis, &c. quia desinit esse sub speciebus ex defectu dispositionum panis præcisè: non autem ex aduentu formæ vermis, &c. vnde fit, vt etiam si supponeretur Christus in huiusmodi generatione vermis desinere simpliciter: non ideò censendus esset conuerti in vermem.

Contra hanc responsionem instari potest, quia in generatione ignis ex ligno forma ligni desinit esse ex defectu dispositionum ligni: sed in huiusmodi generatione lignum conuertitur in ignem. ergo etiam si Corpus Christi desinat esse ex defectu dispositionum panis, dici debet, quod conuertatur in vermem, &c.

Respondeo, distinguendo maiorem, forma ligni desinit esse ex defectu dispositionum ligni solũmodo, nego: desinit esse ex defectu dispositionum ligni, & ex vi productionis ignis, concedo maiorem. Ad minorem verò dico, quod quamuis forma ligni desinat esse ex vi vtriusque: lignum tamen propriè dicitur conuerti in ignem, ex eo quod eius forma desinit esse ex vi productionis formæ sequentis, & non ex eo, quod desinat esse ex vi desitionis suarum dispositionum, nisi valdè impropriè, & remotè. Per quæ patet falsitas consequentię; Corpus enim Christi desinit esse in Eucharistia ex defectu dispositionum panis præcisè; non verò ex aduentu formæ vermis. &c.

19 Quod si quæras, cur si forma ligni desineret esse ex defectu suarum dispositionum præcisè, lignũ propriè non conuerteretur in ignem. Responsio est in prõptu: quia nimirùm sic productio formæ ignis non exigeret cessationem actionis conseruatiuæ formæ ligni; vnde fieret, vt hę duæ formæ non se mutuo excluderent ab eadem materia, & consequenter non exercerent inuicem immediatam repugnantiam, quã necessariam esse inter terminos conuersionis supra probauimus.

Instabis iterum: non potest explicari, quomodo Corpus Christi non desinat in Eucharistia ex aduentu formæ vermis, sicuti desinit forma ligni in materia ex aduentu formæ ignis; ergo tradita disparitas est conficta.

Respondeo negando antecedés: in tantùm enim Corpus Christi ex aduentu formæ vermis non desinit in Eucharistia: quia Deus decreuit conseruare illud, quandiù præcisè durant species panis contra cuiusuis formę exigentiã. vnde fit, vt in eo signo, in quo producitur forma vermis, non inueniat illud, atq; adeò nihil habeat facere circa ipsũ.

Subinstabis: negatio dispositionum formæ ligni intelligitur prior natura in materia ligni, quã forma ignis. sed in eo priori intelligitur corrumpi forma ligni. ergo neque ipsa corrumpitur ex vi aduentus formę ignis. atque adeò neque forma ignis habet aliquid facere circa dictam formã ligni. Minor patet, quia forma non existit in materia sine dispositionibus necessarijs. Maior verò suadetur, quia negatio dispositionum formę ligni habetur ex aduentu dispositionum formæ ignis. Sed hic aduentus dispositionum præcedit aduentum ipsius formæ. ergo &c.

Respondeo, concessa maiore distinguendo minorem: in eo priori intelligitur corrumpi forma ligni dispositiuè, concedo: formaliter, nego minorem; & sic distinguo eodem modo consequens: neque forma ligni corrumpitur dispositiuè ex vi aduentus formæ ignis, concedo; formaliter, nego consequentiam; Ad minoris probationem dico, formam ligni realiter loquendo non existere in materia sine dispositionibus suis: eius tamen corruptionem formaliter attribuendam esse productioni formę ignis, quæ habetur in eodem instanti, in quo dispositiones eius sunt completæ in materia; Cæterùm si formæ productio non adesset, materia contra exigentiam dispositionum illius peteret à Deo ipsius formæ ligni conseruationẽ, nè vel abiret in nihilum, vel saltem existeret sine vlla forma substantiali; & in hac petitione materia, spectata connaturali eius exigentia, exaudiri deberet. Posito autem quod exaudiretur inciperet forma ligni habere ius petẽdi à Deo destructionẽ dispositionũ introductarũ ignis, & productionem dispositionum suarum: quatenus, qui dat esse, dare debet consequentia ad esse. Ex quibus deducitur, quando ex ligno fit ignis, nõ posse sustineri, quod cõuertatur forma ligni in dispositiones ignis: quia per aduentum illarum non intelligitur formaliter desinere esse ipsa forma ligni; atque adeò nõ exercetur inter eam, & dispositiones ignis respectu materię oppositio requisita ad conuersionem: sicuti exercetur inter dispositiones completas ligni, & ignis, & inter formas substantiales vtriusque, inter quas vera conuersio intercipitur.

Iam verò, quando ex Eucharistia generatur vermis, vel homo nutritur: Corpus Christi desinit esse ibi præcisè ex desitione dispositionum panis, veluti formaliter. Vnde nil mirùm, si productio formę sequentis non sit actio conuersiua respectu Corporis Christi in dictam formam: quia non desinit conseruari à Deo ad instantiam productionis ipsius formæ, sed ad instantiam desitionis dispositionum panis præcisè. Quod verò neque sustine- 20

ri

Digitized by Google

si posſit, quod Corpus Christi in dispositiones vermis conuertatur; patet ex dictis: in tantùm enim forma ligni non conuertitur in dispositiones completas ignis, *in quantùm nõ exercet cum illis immediatam repugnantiam respectu materiæ*, sed solùm mediatam ratione scilicet dispositionum suarum. Sed hoc idem habetur in casu nostro, siquidem dispositiones vermis suam immediatam repugnantiam solùm exercent cum dispositionibus panis, & non cum Corpore Christi, vt constat ex dictis. Ad summam igitur in hoc casu dici debet dispositiones panis conuerti in dispositiones vermis sub tertio communi, quod est quãtitas, non verò Corpus Christi: Atque hæc est etiam ratio à priori, cur generatio vermium, &c. ex Eucharistia non sit transubstantiatio, non obstante quod tota substantia Corpus Christi desinat esse, & tota substantia vermis de nouo producatur; non enim exerceretur in huiusmodi generationibus immediata oppositio inter terminos à quo, & ad quem substantiales, vti diximus.

SECTIO TERTIA.

An terminus ad quem conuersionis necessariò producendus sit.

21 CONclusio est affirmatiua: dico enim, vt aliqua res conuertatur *in aliam*, necessariò hanc aliam secundùm suum esse debere produci, vel primò si non supponatur existere, vel saltem secundò si supponatur. Ita Suarez *tom. 3. in 3. partem disp. 50. sect. 4.* Hurtadus *disp. 1. de Generat. à §. 19.* Arriaga *de Gener. disp. 1. num. 16.* Coninch. *de Sacram. quæst. 75. art. 4. dub. 4.* & omnes ferè Thomistæ sequuti D. Th. qui pluribus locis id docet præsertim *3. part. quæst. 2. art. 1.* vbi probare volés in Incarnatione non fuisse Deitatem conuersam in Humanitatem, neque è contra sic habet. *Natura diuina est omninò immutabilis, vnde nec ipsa potest conuerti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam cum sit ipsa ingenerabilis*; vbi appareret in sententia S. Doctoris terminum ad quem conuersionis necessariò debere produci. Contrarium tenent Cardinalis de Lugo *de Sacram. disp. 7. sect. 1.* Quiedo *controu. 2. de gen. punct. 5. §. 2.* & alij Recentiores sequuti Scotum, Alensem, Ferrariensem, & alios locis citatis ab ipso Quiedo *num. 10.* hi enim putant non esse necesse ad cõuersionem, quod terminus ad quem secundùm substantiam, suam producatur, sed satis esse, si producatur aliquid, ratione cuius ipse vices subeat termini à quo, & eius munere fungatur recipiendo denominationem intrinsecam, & realem à tertio communi, quam prius habebat terminus à quo conuersionis. Sed Lynceus *cap. 3.* citato eodem modo limitat hanc aduersariorum sententiam de termino ad quem, sicuti limitauit illam de termino à quo: dicendo conuersionem sumi posse dupliciter. Primò pro vt est actio destructiua vnius, & productiua alterius, & sic importare essentialiter productionem termini ad quem. Secundò pro vt est successio duarum rerum respectu tertij vtrique communis, & sic non importare illam, sed solam successionem in munere.

22 Probatur autem assertio nostra: primò, quia si ad conuersionem non esset necessaria productio termini ad quem secundùm substantiam: sequeretur, quod creatura conuerti posset in Deum; sed hoc non est admittendum: expressè enim negatur à Sanctis Patribus disputantibus contra Eutychetem, & passim reijcitur à Theologis tamquam imperfectionem redolens, Deo indignam. ergo &c. Sequela probatur, quia posita reuelatione Incarnationis, ad euidentiam in tertia parte probatur potuisse Verbum diuinum naturam humanam prius tempore existentem assumere, spoliando illa propria personalitate; in hoc enim nulla apparet repugnantia. Sed si in conuersione non est necessaria productio termini ad quẽ, posito quod natura humana sic assumpta fuisset, Personalitas creata conuersa esset in personalitatem diuinam: siquidem ex vi actionis assumptiuæ transisset in illam, ita vt diuina Personalitas accepisset à natura humana eandem denominationem intrinsecam, quam prius habebat creata persona. ergo &c.

Ad hoc argumẽtum respondet dupliciter Lynceus *num. 23.* Primò negando minorem: ait enim nullum esse absurdum concedere, quod creatura conuertatur in Deum, & è contra; posito quod conuersio sumatur, pro vt importat successionem duorum sub vno tertio. Sed contra hoc facit, quia tota controuersia præsens in eo vertitur, vt videamus nũ possit hoc modo sumi conuersio, sicuti dicit auctor. Nos negatiuã partem sustinemus, & illam probamus, ex eo quia Patres, & Scholastici absolutè negant, Creaturam conuerti posse in Deum; quod non facerent si conuersio aliud nihil importare posset, quam dictam successionem in munere; ergo &c. 23

Respondet secundò *num.* 24. Theologorum religione motus, negando sequelam, quod scilicet creatura in Deum conuerti posset: & huius negationis duplicem rationem assignat. Vna est, quia ad conuersionem non solùm requiritur successio duarum rerum sub vno tertio, quarum altera in munere intrinseco succedat alteri; sed etiam vt ea successio fiat virtute alicuius agentis superioris, cuius imperio terminus à quo, & ad quem omnino subdantur; cum igitur Deus non agnoscat supra se agens, cuius dominio subditus sit: hinc fit, vt licet, Deus succedat in munere creaturæ sub vno tertio, creatura tamen non conuertatur in illum. Altera ratio est, quia ad conuersionem non sufficit qualiscunque successio, sed illa solum, quæ cum vera mutatione terminorum à quo, & ad quem coniungitur: atqui Deus est immutabilis; ergo quamuis successio in munere inter res creatas sit conuersio: tamen non minus Deus in creaturam, quam hæc in Deum conuerti non potest.

Sed neutra ratio satisfacit, vtraque enim inuẽta est ad declinandam vim argumenti, non autem ad illam infringendam. Contra priorem facit; quia si semel habeamus successionem duorum terminorum in munere aliquo intrinseco ad conuersionem sufficere: per accidens omninò est, quod huiusmodi termini virtuti superioris agentis sint, vel non sint subiecti; quod patet ex eo, quia si per impossibile sine vlla subiectione ad superiorem virtutem ex ligno generaretur ignis: verè ligni con- 24

Digitized by Google

conuertetetur in ignem; non minus, quam conuertatur defacto; verificaretur enim, quod detur transitus vnius rei in aliam; siquidem diuersitas illa quantum ad dependentiam materialiter, tantùm se habet; sicut i quod termini tales, vel tales sint, v. g. substantiales, aut accidentales parum refert: quemadmodum ergo malè respondent prædeterminantes ad illud argumentum, quod contra illos fieri solet: si Deus prædeterminaret ad peccatum, esset causa peccati, negando sequelam, ac dicendo: quod causa peccati defectibilitatem, & subiectionem importat: neutrũ autem in Deo reperiri; ita & aduersarius.

Contra posteriorem verò rationem est: quia si ex definitione conuersionis non colligitur productio termini ad quem, sed solùm eius successio in munere: neque colligetur aliqua eius intrinseca mutatio; siquidem ex vna parte rectè stare potest successio quo ad munus intrinsecum sine intrinseca mutatione succedentis: ex alia verò non potest assignari, ex quo principio huiusmodi mutatio in termino ad quem conuersionis necessaria esse deducatur. Nam si ex aliquo, maximè ex auctoritate extrinseca Patrum negantiũ creaturam posse conuerti in Deũ; sed ipsi non negant hoc, quia Deus est quomodocũq; immutabilis, sed solũ quia est hoc speciali modo videlicet improducibilis, & ingenerabilis; ergo si stat essẽtia conuersionis absque eo quod eius terminus ad quem quo ad suum esse producatur; non est, cur in eo aliqua alia intrinseca mutatio requiratur per receptionem alicuius nouæ entitatis; cum præsertim non repugnet dari vnionem distinctam inter materiã, & formã, quæ sit simplex, & totaliter subiectetur in materia, ac solùm terminetur ad formã.

25 Probatur secundò Cõclusio: ad conuersionẽ necessariò requiritur vt terminus à quo destruatur; ergo etiam requiretur, vt eius terminus ad quem producatur. Antecedens maior pars aduersariorum, cum quibus disputamus vltrò concedit, & contra eos, qui illud negant, nos ipsum supra probauimus. Consequentia constat paritate; non enim potest assignari disparitas quantum ad hoc inter vtrumque terminum.

Respondet primò Lugo *loco cit.* disparitatẽ esse, quia terminus à quo dicitur conuersus; vnde est, quod quo ad suum esse desinere debeat: at verò terminus ad quem dicitur succedens; ad hoc autem saluandum non est necessaria productio illius quo ad esse; sed solùm quantum ad modum aliquem, cuius beneficio succedat termino à quo in munere intrinseco, quod gerebat sub tertio communi.

Sed contra: sicuti terminus ad quem est succedens; ita terminus à quo est recedens: & sicuti hic est terminus conuersus; ita ille est in rigore terminus conuertens, hoc est, in quem alter conuertatur; cum igitur huiusmodi termini, quantum ad dictas denominationes sint correlatiui: adhuc est assignanda disparitas, cur ratio conuersi, & recedentis necessitatem afferat termino à quo conuersionis, vt corrumpatur quantum ad esse; & ratio conuertentis, & succedentis non afferat necessitatem termino ad quem vt producatur, quantum ad esse; vel ergo terminus conuersus, & recedens non est corrumpendus, posito, quod non est producendus terminus conuertens, & succedens: vel si ille corrumpendus est, hic etiam est producendus.

Respondet secundò Oniedus *loco cit. num.* 19. 26 disparitatem huius rei esse, quia terminus à quo transit à se ipso in terminum ad quem, ita vt illud, quod erat terminus à quo, v. g. panis, fiat Corpus Christi, quod est terminus ad quem; cum autem illud à quo fit transitus relinquendum omninò sit: sequitur, quod terminus à quo se ipsum relinquere debeat; atqui nihil potest se ipsum relinquere, nisi per desitionem sui; quandiu enim perseuerat in se ipso, à se ipso non transit; ergo necessariò terminus à quo conuersionis debet desinere esse. At verò terminus ad quem est id, quod quasi de nouo acquirit terminus à quo, & fieri aliquo modo incipit: vt autem vnũ acquirat aliquid distinctum à se, & fiat illud, non est necesse, vt illud aliquid de nouo fiat, sed sufficit, si antea factum de nouo acquiratur, & illud vnum euadat.

Sed contra hanc disparitatem facit primò quia ille modus loquendi, quo dicitur: (Terminus à quo conuersionis à se ipso transit, & euadere terminum ad quem) non est loquutio propria, sed metaphorica, qua essentia conuersionis explicatur. Implicat enim, quod res aliqua suum esse relinquat, & acquirat esse alterius, præsertim quando agitur de esse physico, quod essentiam simul, & existentiam importat; nam beneficio conuersionis substantia ligni v.g. quatenus tũ essentiam, tum existentiam dicit, conuertitur in substantiam ignis, vtrumque pariter importantis; impossibile autem est, quod lignum suum esse tum essentiale, tum existentiale deperdat, & acquirat essentiale, & existentiale ignis; esset enim simul lignum, & non lignum: ignis, & non ignis, vt de se patet. Sensus igitur illius loquutionis est, quod ex vi actionis productiuæ ignis, incipiat esse in materia forma ignis, & desinat in ea esse forma ligni; Quo posito iam redit difficultas; nam non est maior ratio, cur desitio ligni debeat intelligi quantum ad esse: inceptio verò ignis quantum ad munus, quod forma ligni exercebat in materia communi; ergo vel non erit necesse, quod lignum desinat esse; vel, si necesse erit, etiam necesse erit, quod ignis incipiat esse.

Contra etiam est secundò: quia sicuti rem deperdere aliquid vt sic, non importat desitionem quantum ad esse, seu corruptionem; sed bene importat rem illam deperdere tale aliquid, quod sit esse: ita acquirere aliquid vt sic, neque importabit effectionem, seu productionem, sed benè importabit illam acquirere tale aliquid, quod sit esse. Ergo quemadmodum terminus à quo in conuersione, quatenus deperdit prius esse, debet quo ad esse desinere, atque corrumpi: ita, quatenus acquirit posterius esse, debet quo ad hoc esse de nouo incipere, atque produci.

Dices: deperditionem præcedentis esse, quam 27 beneficio conuersionis patitur terminus à quo, esse propriam, & ideò importare destructionem eius; at verò acquisitionem consequentis esse impropriam, & ideò non necessariò importare productionem termini ad quem, sed sufficere successionem in munere.

Contra

Digitized by Google

Contra tamen est, quia deperditio proprij esse, quam in conuersione pati debet terminus à quo, non aliunde colligitur, quam ex definitione ipsius conuersionis, qua dicitur esse transitus vnius rei in aliam; atqui non minus est impropria loquutio, quod res transeat à se, qua quod acquirat esse aliâ; nam sicuti transire à se dicit distinctionem realem à se ipsa, ita incipere esse aliam, dicit identitatem realem cum illa, à qua prius realiter distinguebatur, quod vtrumque æquè impossibile est; ergo sicuti, non obstante impropria loquutione transitus à se termini à quo, colligimus veram deperditionẽ esse ipsius termini à quo: ita, neque obstãte impropria loquutione acquisitionis esse termini ad quẽ, colligere debemus veram productionem esse ipsius termini ad quem.

28 Respondent denique Alij tertiò ad principale argumentum sic: non valet argumantari à definitione termini à quo, ad productionẽ termini ad quẽ; ergo tota ratio nostra corruit. Antecedens probatur, quia ad conuersionem necesse est, vt terminus à quo definat esse simpliciter, & absolutè; & non sufficit, vt definat conditionatè, & quo ad aliquã substantialem actionem, qua conseruatur. At verò omnes conuenimus in eo, quod non necesse sit vt terminus ad quem producatur quo ad primum esse, sed satis sit, si producatur secundò, vel tertiò, vt patet ex cõuersione Eucharistica; ergo nó valet.

Dupliciter hæc instantia infringi solet: primò, dicẽdo, quod, licèt inter produci, & destrui, vera sit differentia assignata: quia tamen ea oritur ex natura ipsorum terminorũ, ideo non facit ad rẽ. Quod enim intendimus est, terminũ ad quem debere produci sumpta paritate ex termino a quo, qui debet destrui; quamuis de reliquo ipsum destrui, cum sit terminus negatiuus, vt verificetur, requirat omnimodã defitionem ab esse rei, de qua absolutè affirmar, debet. Cõtra verò ipsũ produci, quia est terminus positiuus, vt absolutè verificari possit de re aliqua, nó requirat, vt ita ponat illã à parte rei, vt connotet eã antea nó fuisse, vnde fit, vt ad rationẽ termini ad quẽ conuersionis sufficiat, quod secũdò, vel tertiò ipse producatur; ad rationẽ verò termini à quo sit necesse, vt ita destruatur, vt per nullam actionem substantialem duret in esse.

Infringi solet secundò dicta instantia: concedẽdo quod quemadmodum ad saluandam rationẽ termini ad quẽ sufficit, si ponatur de nouo aliqua alia actio, quæ de se sit sufficiens ad transferẽdum dictum terminum de non esse ad esse, quantumuis quia supponit illũ productum iam, non transferat; ita sufficit ad saluandam rationem termini à quo, si cesset aliqua actio, qua ipse conseruabatur, ad cuius cessationem perire deberet; licet defacto beneficio alterius actionis in esse remaneat.

29 Ex his impugnationibus, quas tradit Arriaga *n.* 20. priorem absolutè admitto: posteriorẽ verò non nisi cũ limitatione sequenti, dicendo, bifariam rẽ posse per duplicem actionẽ conseruari. Primò, ita vt earũ beneficio veluti distingnatur actu virtualiter à se ipsa, exigẽdo distincta loca, & distinctas oppositiones, ac si esset alia à se. Secundò, ita vt earũ beneficio nullo modo distinguatur virtualiter actu à se, sed in eodẽ prorsus loco existat, & eodẽ prorsus modo se habeat, sicuti sunt cætera: & siquidem secundo modo se habeat, puto quod deperdẽdo vnam ex illis duabus actionibus totalibus, non possit esse terminus à quo conuersionis, saltẽ physicæ: sed benè posse si se habeat primo modo. Et ratio huius est: quia res secũdo modo siue habeat, siue non habeat vnã ex dictis actionibus, eodem prorsus modo se gerit in ordine ad illud tertium circa quod exerceri debet contrarietas; non enim ex deperditione talis actionis vllatenus intelligi potest cessare à munere, quod exercebat prius, neque cedere locũ termino ad quem, qui in eius munere succedere debet. Cõtra verò si primo modo se habeat, vtrumq; iure obtinet. Nã si daretur v.g. forma caloris, vt octo conseruata per duplicẽ actionẽ in hoc numero subiecto: quantumuis deperderet alterutrã ex illis, non cessaret informare subiectum; atq; adeo etiã si miraculosè forma frigoris in eodẽ subiecto introduceretur, nõ posset verificari, quod calor ille cõuerteretur in frigus, quia nullo modo transiret in frigus. At verò si eadẽ numero forma caloris vt octo, duplicis illius actionis beneficio in duplici subiecto veluti replicata, miraculosè conseruetur: hoc ipso quod in vno introducatur forma frigoris: ex vi dictæ introductionis, ita cessat conseruari in illo subiecto, vt cedat locũ frigori, & ita se gerit respectu illius, ac si penitus desinat esse. Vnde fit, vt rectè intelligatur transire in frigus, atque adeò in illud conuerti.

Contra hũc discursum duo video posse obijci: vnũ sumitur ex Arriaga *loc. cit. n.* 35. vbi hãc virtualẽ distinctionẽ vnius rei à se ipsa, ratione cuius de vna, & indiuisibili entitate possint prædicata cõtradictoria verificari, dicit, se pluries impugnasse, eo quod dat euidentẽ occasionẽ negandi realem distinctionẽ in rebus creatis. Quoniã verò nos dictam distinctionẽ in Logicis propugnauimus: rationẽ verò, quam auctor adducit, à se soluendã esse putamus: quatenus admittit caloré illã per duplicẽ locabilitatẽ in duplici subiecto existere posse, quod non minus euidentem occasionem dat, naturaliter loquendo, distinctionem realem negandi; idcirco in nostra distinctione persistimus.

Alterũ, quod obijci potest, est paritas desumpta ex termino ad quẽ, sic: frigus etiam si supponatur productũ per primã actionẽ: satis intelligitur esse terminus ad quẽ cõuersionis per hoc, quod habeat secundam actionẽ productiuam circa se versantẽ, quantumuis per eam nullo modo distinguatur virtualiter à se ipso, nec in alio subiecto ponatur; ergo à pari loquendo de termino à quo. 30

Respondeo negando antecedens; puto enim in hoc eodẽ modo discurrendũ esse circa terminũ ad quẽ, ac discurrimus circa terminũ à quo; siquidem militat in vtroq; par ratio. Patet hoc, si enim supponamus frigus vt octo existere miraculosè cũ calore in eodẽ subiecto, quãtumuis intelligamus per secundam actionẽ totalẽ incipere cõseruari in eodẽ subiecto, nullã habebimus conuersionẽ caloris in ipsum ex vi dictæ actionis; quia ex suppositione quod in prima productione non excluserit caloré à subiecto, neq; excludet illum in secunda; siquidẽ per eã non acquirit maiorẽ oppositionẽ, & contrarietatem cum illo, vt de se est manifestũ. Contra verò si frigus vt octo existens in vno subiecto, incipiat miraculosè secundò produci in alio subiecto calido; quia beneficio virtualis distinctionis, vt ita dicam, quã acquirit, æquiualet duobus, exigit in eo subiecto destructionem caloris, quã si obtinet, vtiq; non apparet, cur calor nõ conuertatur in illud. Vtrũ autẽ frigus v.g. conuertatur in caloré ex suppositione quod calor alibi productus in sub-

Digitized by Google

ctũ frigidũ introducatur, & destruat ipsum frigus. Respondeo affirmatiuè, eo quod noua indiget actione conseruatiua sui, quæ dependeat à nouo subiecto; vnde virtualiter de nouo videtur produci.

Contra principalẽ autẽ conclusionẽ sic obijcies
31 ex Cardin. de Lugo *n.* 28. Ad hoc vt alimentũ conuertatur in substantiã hominis, nõ requiritur noua productio animæ rationalis; sed anima rationalis est terminus ad quẽ in huiusmodi conuersione; ergo ad conuersionẽ non requiritur productio termini ad quẽ. Maior patet; minor probatur, quia nõ fiat conuersio totalis sine conuersione formali; sed substantia hominis est terminus ad quem illius conuersionis totalis; ergo eius anima erit terminus ad quem conuersionis formalis.

Respõdeo: concessa maiore, negando minorẽ; ad cuius probationẽ, nego maiorẽ, vt patet ex cõuersione hominis in cadauer, in qua anima rationalis non cõuertitur in formã cadauericã. Quod si quæras, cur aliæ conuersiones totales formalẽ conuersionem semper includant? Ratio est, quia de dictis formis vetificatur definitio conuersionis; quod in casu de conuersione aliẽti in hominẽ non haberetur. Si verò nõ curat Aduersarius, nũ forma realiter an sola ratione distinguatur à toto. Dicam terminum ad quẽ conuersionis formalis in casu nostro esse vnionẽ animę rationalis cũ materia alimenti, quæ de nouo haberetur, vel potius esse formã totius ex vtrisq; resultantẽ; & sic vnã vnionem, vel totalitatẽ conuerti in aliã conuersione formali. Atque hæc iuxta cõmunem sententiã contendentiũ materię propriã existentiã. In nostra verò neganda est maior argumenti: eũ. n. communicanda sit de nouo existentia materiæ alimenti; repugnat, quod id fiat per eandẽ actionem, per quam initio anima rationalis producta est.

SECTIO QVARTA.

Statuitur Corpus, & Sanguinem Christi in Eucharistica conuersione substantialiter deberi produci.

32 QVamuis controuersia de termino ad quẽ cõuersionis, quã modò exagitauimus, videatur esse de nomine: ex ea tñ quæstio theologica valdè celebris pendet: an scilicet Christus Dominus in cõuersione Eucharistica fiat præsens speciebus sacramentalibus per hoc, quod substãtialiter producatur: an verò per hoc, quod producatur tantũ aliquis modus accidẽtalis, ratione cuius incipiat habere specialẽ habitudinẽ præsentiæ, & vnionis ad dictas species? Qui. n. necessitatẽ productionis termini ad quẽ in conuersione defendunt: dicunt cõsequenter Christũ in Eucharistia substantialiter reproduci debere. Contra verò, qui huiusmodi necessitatẽ negant, deducunt eũ poni sub speciebus per modũ quendã accidentalẽ siue sit vnio, siue præsẽtia, absque vlla sui reproductione substantiali.

Solidũ argumentũ, quod contra hanc Aduersariorũ deductionẽ fieri solet est duplex. primũ quod inde sequeretur, quod conuersio Eucharistica non esset substantialis: quod est cõtra sensum Ecclesiæ, quę eã transubstantiationẽ appellat: hoc est substãtialẽ transitũ substantiæ panis, & vini in Corpus, & Sanguinẽ Christi. Sequela probatur: quia sola successio substantiarum sub eisdem accidentibus non sufficit ad mutationem substantialem habendã; ergo neq; ad cõuersionem substantialẽ sufficiẽs erit.

Ad hoc argumentũ respõdet Ouiedus *n.* 21. ne-
33 gando sequelã; & ad eius probationem dicit: quod licet illa actio vt productio modi accidentalis dicenda sit accidentalis: tñ vt conuersio cẽseri debet substãtialis; quia, vt talis dicit oppositionem inter terminũ à quo, & terminũ ad quem, quæ oppositio ex eo, quod inter terminos substantiales versatur, rectè dicitur substantialis.

Sed contra hanc responsionẽ facit; quia falsum est productionẽ illius modi accidentalis, quatenus conuersio est, esse substantialem. Hoc autẽ sic suaderem: quod conuersio sit accidentalis, vel substãtialis pendet ex terminis proximis, & immediatis illam terminatibus, quos scilicet primò, & per se conuersio ipsa immediatè attingit; & si quidem hi sunt accidentales conuersio erit accidentalis; Cõtra verò, substantialis, si hi erunt substantiales; quidquid sit de terminis mediatis, & remotis. Atqui, nisi daretur actio terminata ad substantiam Corporis Christi, termini proximi primò, & per se conuersionem Eucharisticam terminantes essent modi accidentales, vniones scilicet, vel præsentiæ substantiarum panis, & Corporis Christi cum speciebus: remoti verò, ac mediati substantiales; ergo dicta conuersio non solùm vt productio, sed etiam vt conuersio esset accidentalis. Maior huius declaratur exemplis: nam illa actio, per quam producuntur dispositiones ignis in materia ligni, non solùm, vt est productio, sed etiam vt conuersio, est accidentalis, & non substantialis: eo quod eius termini proximi, & immediati sunt accidentia; nimirùm dispositiones ligni, quę se habent vt eius terminus à quo, & dispositiones ignis, quæ se habent vt eius terminus ad quem: & tamen si attendantur eius termini mediati, & remoti, hi sunt substantiales; nimirum forma ligni, quæ consequenter corrumpitur, & forma ignis, quæ consequenter acquiritur. Præterea nemo dicet ipsam transubstãtiationem Eucharisticam esse conuersionem accidentalem; & tamen eius terminus à quo remotus, & mediatus est conflatum ex substantia panis, & eius accidentibus, quod est quid accidentale; & eius terminus ad quem item remotus, & mediatus est conflatum ex Christi Corpore, & speciebus, quod est pariter quid accidentale. Certa igitur est illa maior, in qua assumebamus: conuersionẽ denominari accidentalem, vel substantialem ex suis terminis, quos immediatè, & proximè respicit. Minor verò suadetur: quia actio illa per hoc, quod sit productiua modi accidentalis, qui est v. g. vnio Corporis Christi cum accidentibus panis, habet etiam quod sit destructiua modi accidentalis, qui est vnio substantię panis cum accidentibus panis; ergo non potest negari, quin sit conuersio vnius modi accidentalis in aliũ; transit enim ex vi illius vnio substantiæ panis in vnionẽ Corporis Christi sub tertio communi; hoc est sub accidentibus panis. Atqui quamuis etiam admittamus per dictam actionem desinere substantiã panis, & incipere esse Corpus Christi sub eisdẽ accidentibus: multò minus negari poterit vniones illas accidentales esse eius terminos immediatos, & proxmos; substantiã verò panis & Corpus Christi mediatos, & veluti remotos: siquidem per prius intelligitur terminari ad vniones, & illis medijs postea ab substãtijs; ergo nisi daretur actio terminata ad substãtiã Corporis Christi: termini immediati primò, & per se Eucharisticã cõuersionẽ terminãtes; essẽt modi accidẽtales. quod erat probãdũ. Occasionẽ aũt errandi sũpsit Auctor ex terminis, quos, sine Christi reproductione, substãtiales fore dicit. Sed quæro ex eo, de quibusnã terminis agat: de formalibus, an verò

de

de totalibus? non potest agere de formalibus, quia hi sunt vniones accidentales: neque de totalibus, quia hi constant ex substantijs, & dictis vnionibus; atque adeò sunt accidentale compositum. Quod si dicat: ipsas substantias esse etiam terminos formales oppositionem inter se exercentes; animaduertere debuisset huiusmodi exercitium in eius sententia esse accidentale; atque adeò repugnare conuersionem ipsam, quæ in dicto exercitio posita est, esse substantialem. Nulla enim alia ratio assignari potest, cur quando lignum v.g. ex calido fit frigidum, conuersio sit accidentalis: nisi quia exercitium quantumuis à substantia ligni fiat, accidentale est.

34 Contra eandem Aduersariorum principalē deductionem argumentor secundò: quia dicere quòd Christus in Eucharistia non producatur secundùm substantiam, videtur esse contra sensum Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum; ergo &c. Antecedens patet, primò ex hymno, quem de hoc mysterio canimus: Verbum Caro Panem verum, Verbo Carnem efficit. Secundò ex Missæ canone, vbi de Corpore, & Sanguine Christi sub speciebus positis diximus: Hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis, quæ verba Cyprianus *serm. de Cœna Domini* vsurpans: Vsque hodie, inquit, Christus verissimum, & sanctissimum Corpus suum creat, & sanctificat (hoc est sacrificat) & benedicit. Creatio autem rei non stat sine ipsius rei productione, quæ, quia in casu nostro vsque ad Christi materiā se extendit, & est independens omnino à subiecto rectè creatio dici potest. Tertiò Ambrosius *lib. 4. de Sacram. cap. 4.* Post Consecrationem, ait, iam tibi dico Corpus est Christi, ipse dixit, & factum est, mandauit, & creatum est. Quartò Hyeronim. *epist. ad Elicodorum*: Sacerdotes Christi Corpus sacro ore conficiunt. & *ad Euagrium*. Ad eorum preces Christi Corpus, Sanguisque conficitur. Quintò denique Paschasius *lib. de Corp. & Sanguine Christi cap. 12.* Quod semel factum est Verbum Caro, quotidie fieri non dubites. Hoc est in Eucharistia. Non potest igitur negari sensū Ecclesiæ, & Patrum videri esse, quod Corpus, & Sanguis Christi in Eucharistia secundùm substantiam producatur.

35 Respondent aliqui ad hæc testimonia: primò, verba illa, quibus dicitur Christus in Eucharistia creari, effici, confici, atque produci, non esse sumēda propriè, sed impropriè, & translatitiè, quatenus significant fieri eius præsentiam, & vnionem cum speciebus. Contra tamen est, primò, quia dum Ecclesia, & Patres absolutè, & sine addito his verbis vtuntur, vis illis infertur, dum exponuntur, quod loquantur impropriè. Neque contra hoc habet vim paritas Lyncei *num. 28.* dum ait, quod etiam verba illa Ecclesiæ, (scil. Sanguis Christi merum, & similia,) intelligenda sunt translatitiè: nego enim paritatem, siquidem in eo quod merum fiat propriè sanguis, remanendo merum est impossibile. Vnde non est mirum, quod in sensu morali accipiatur: at verò in eo, quod Christus secūdùm suam substantiam de nouo producatur, nulla apparet impossibilitas. Contra eandem explicationem facit secundò: quia per eam datur ansa Hæreticis negandi realem præsentiam Christi Domini in Eucharistia dicendo, quod verba illa: HOC EST CORPVS MEVM. HIC EST SANGVIS MEVS. quibus Christus vsus est ad conficiendum hoc Sacramentum, non sint sumenda de præsentia propria, sed de impropria, metaphorica, & figurata. Quemadmodum enim nulla sunt aptiora verba ab substantialem Christi productionem in hoc Sacramento explicandam ijs, quibus vtitur Ecclesia cum Patribus: & tamē, hoc non obstante, explicantur ab Aduersarijs de productione accidentali cuiusdā modi ipsius Christi. Ita quantūuis nulla verba sint aptiora ijs, quibus vsus est Christus ad realem sui præsentiam in hoc Sacramento significandam: non esset, cur Hæretici non possint ea intelligere in sensu improprio, & figurato.

Respondet secundò Quiedus *n. 20.* ex Vasquez; 36
Verba illa Ecclesiæ, & Patrum non importare, quod verè Christus producatur sub speciebus, sed quod ita constituatur sub illis, ac si verè de nouo produceretur. Verùm hęc explicatio eodem modo refellitur, ac precedens: quia ex vna parte vim infert verbis Ecclesiæ, & Patrum, quod non est faciendum, quando ex eo, quod in propria significatione sumantur, nullum sequitur absurdum: ex alia verò parte dat occasionem Hæreticis negandi omnia mysteria fidei, quæ in scripturis continentur dicendo, v.g. quod verè Verbum non sit incarnatum, sed ita se gesserit, ac si verè incarnatum esset: neque Christum verè obijsse: neque verè resurrexisse, &c. sed ita gessisse, ac si verè obijsset, resurrexisset, &c. quo quid absurdius?

Respondet tertiò Lugo *sect. 8.* dictas Patrum, & Ecclesię loquutiones, quibus dicitur Corpus Christi creari, confici, & produci, vt plurimum haberi cum addito ostendente non esse sermonem de Corpore Christi secundùm se, sed de illo vna cum accidentibus panis accepto, in quo sensu verissimas esse, & proprias.

Sed contra: prēterquam quod, vt plurimum nullum in dictis loquutionibus habeatur additum, 37
dupliciter intelligi potest, quod Patres in illis agant de productione, efficientia, & creatione Corporis Christi cum addito. Primò cum addito minuente formalitatem creationis, productionis, &c. & hoc verū est; quia non loquuntur de Christo, qui primò, & absolutè producatur in rerum natura. Sed secundò, & respectiuè hoc est sub speciebus.

Ad quod respiciens Augustinus *cap. vtrum sub figura de Consecratione citatus*, dixit: Consecratione Spiritus Sancti, Corpus, & Sanguinem Christi potentialiter creari. Hoc est fieri quidem per actionem realiter creatiuam totalem videlicet, seu independentem à subiecto, sed non formaliter, quia iam supponitur esse Christus in rerum natura. Secundò intelligi potest de addito minuente entitatem, & realitatem actionis productiuæ, & creatiuæ ipsius Christi: & hoc est falsum. Si enim aliquam haberet speciem veritatis, maximè quia compositum ex Corpore Christi, & accidentibus panis simpliciter appellatur Corpus Christi, quatenus illud dicit in recto; vnde dum dicitur Corpus Christi creari, produci, &c. de toto conflato intelligi possit. Sed hoc non potest fauere Aduersarijs; quamuis enim verū sit nomine Corporis

Digitized by Google

Christi venire aliquando totum conflatum: non tamen inde sequitur, quod quidquid dogmaticè dicitur ab Ecclesia de Corpore Christi in Eucharistia, intelligendum sit de dicto conflato; sed solùm id, quod de solo Corpore substantialiter accepto verificari non potest. Cuiusmodi non est confici, produci, creari, quantum ad realitatem. ergo &c.

SECTIO QVINTA.

Obiter quarimus, an in Eucharistica conuersione præter actionem substantialem reproductiuam Christi admittenda sit alia actio accidentalis.

STabilita veritate reproductionis substantialis Christi Domini in Eucharistia: illud ad cõplementum nostræ doctrinæ remanet inquirendũ, an scilicet ad hoc Sacramentum conficiendum præter huiusmodi actionem substantialem reproductiuam Christi, & actionem conseruatiuam specierum sacramentalium, sit necessaria aliqua alia actio accidentalis; quia in ea multi putant Eucharisticam conuersionem benè consistere.

38 Conclusio nostra est negatiua, & contra communem Recentiorum opinionem; quorum aliqui volunt, siue producatur substantialiter Christus in Eucharistia, siue non: dari necessariò debere actionem productiuam vbi intrinseci modaliter distincti, cuius beneficio Corpus Christi fiat præsens speciebus. Alij verò, quod detur præterea actio productiua vnionis formalis modaliter distinctæ à Corpore Christi, & speciebus cuius beneficio ipsum Corpus Christi colligetur, & coniungatur speciebus; ita vt ad earum motum, vel quietem, moueri, vel quiescere sub illis debeat. Alij denique, quod detur quædam alia actio accidentalis dictis actionibus æquiuolens. Nostra tamen assertio probatur vnica ratione, quia posita actione productiua Christi in Eucharistia nulla est necessitas vbi intrinseci, cuius beneficio Christus fiat præsens speciebus, neque vnionis accidentalis distinctæ inter ipsum Christum, & species; ergo nulla alia actione accidentali ex natura rei distincta ad Eucharistiam conficiendam necessaria est. Consequentia est euidens, quia actio requiritur propter terminum. Antecedens verò duas habet partes; & quantum ad priorem suadetur ex eo, quia per hoc præcisè, quod intelligamus Deum applicare omnipotentiam suam inadæquatè, pro vt scilicet, correspondet speciebus consecratis ad producendum Christum, sufficienter habemus ipsum Christum præsentè speciebus, circumscripto quocũque alio modo, vti probauimus, cũ de loco; ergo nulla est necessitas vbi intrinseci distincti. Quo ad posteriorẽ verò partem, sic discurrere: quamuis inter Christum, & species sit necessaria vnio aliqua physica, contra Scotum, & nonnullares apud Suarez *disp.* 48. *sect.* 3. qui putant esse moralem ex solo beneplacito, seu pacto Dei prouenientem. Contra quos facit, tum quia congruentior modus diuinæ prouidentiæ est, effectu per causas suas connaturales inducere, & nõ ex solo libito suo: tum etiã quia moralis hæc vnio nõ saluat, quo modo sine nouo miraculo Christus, ad motũ specierum moueatur, & ad earum corruptionem ibi esse desinat: benè tamen saluat physica: Non est tamen necesse, vt dicta vnio sit formalis, & propria: imò aliqui putant inter Corpus Christi, & species huiusmodi vnionem esse impossibilem; eo quod vnio formalis, & propria debet necessariò supponere, saltem ex parte vnius extremi, aliquod physicum incõplementum; quod non habetur in re nostra, neque in Corpore Christi; alioquin perficeretur ab accidentibus panis, atque adeò aliquem effectum formalem ab eis reciperet, quod omnes rei ciunt. Neque in ipsis accidentibus; quia hæc sunt de se completiua substantiæ, ad quam pertinent, atque adeo respectu illius non habent physicum incomplementum. Sed quidquid sit de hoc; satis est nobis ad dictam vnionem physicam formalem, & propriam inter Christum, & species excludendã. tum quia nulla est necessitas illius, vt ex dicendis constabit: tum etiam quia hæc nõ inducit necessitatem, vt corruptis speciebus debeat ibi substantialiter desinere Christus, vt patet in sententia ponentium inter animam rationalem, & Corpus vnionem distinctam.

Pater Vasquez *3. parte disp.* 81. *cap.* 3. putat dictam vnionem esse modum quendam præsentiæ, formaliter præsentantem Corpus Christi speciebus; qui quidem modus non sit alligatus spatio; sed recipiatur in Corpore Christi, & terminetur ad species cum indifferentia ad locum. Contra quem facit primò, quia vna res sit sufficienter præsens alteri per suam substantiam connotantem negationem indistantiæ. Contra secundò, quia, qui ponunt præsentiam esse modum ex natura rei distinctum, asserunt eum esse essentialiter alligatum spatio determinato, ita vt ne diuinitus quidem ex vno spatio in aliud transire possit; ergo fictitius est hic modus, ac superfluus, cum præsertim omnia sine eo saluari commodè possint. 39

P. Suarez *disp.* 27. *sect.* 2. quẽ sequitur Cardinalis de Lugo *disp.* 6. *sect.* 2. & alij cõmuniter existimat huiusmodi vnionem impropriè consistere in mutua quadam actione, in quãtum scilicet Christi Corpus per potentiam obedientialem actiuam conseruat efficienter species independenter à subiecto, & species, ex vi quadam diuinitus sibi data trahunt secum Corpus Christi; ita vt ad motum suum, vel quietem, illud mouere, vel quiescere faciant; quam vim tractiuam Corporis Christi in speciebus putat de Lugo esse similem, ei quam habet magnes respectu ferri, & succinũ respectu palęæ, atque festucę.

Verùm hæc Philosophia nunquam mihi placere potuit; primò, quia species in Eucharistia conseruantur per actionem indepẽdentem à subiecto, quam creatiuam appellant, & ad quam multi putant creaturam non posse diuinitus elevari; non est autem conueniens res fidei alioquin difficiles, aliis difficilioribus implicare. Contra secundò, quia, hac mutua actione posita, non sequitur, quod ad corruptionem specierum debeat Christus ibi substantialiter desinere. Nam neque ex cessatione influxus, quem ipse exercet in species, neque ex corruptione virtutis illius attractiuæ, quam in ipsis speciebus Cardinalis agnoscit, colligi potest quod ex natura rei hęc substantialis dependitio ipsius Christi haberi debeat; & sic insufficien-

Digitized by Google

cienter huiusmodi sententia tot entitates multiplicat. Contra tertiò, quia quod in speciebus detur hæc qualitas miraculosa attrahendi ad se Christum videtur esse à sensu communi fidelium alienum, nec vnquam ab aliquo ex Sanctis Patribus animaduersum. Malè igitur Cardinalis huiusmodi qualitatem requirit. Contra quem denique facit quartò, quia in eius sententia, si Sacramenta causarent physicè gratiam, vtique per qualitatem sibi superadditam illam causare deberent, sicuti intellectus Beatorum causat defacto visionem Dei eleuatus intrinsecè per lumen gloriæ. Sic enim habet *disp. 4. de Sacram. sect. 4. n. 42.* ergo à pari, si Corpus Christi conseruat efficientem in Eucharistia accidentia, per qualitatem sibi superadditam ea conseruet necesse est. Tum sic: per eundem Cardinalem, quando forma independens à loco, physicè subiectum aliquod informat, vbicumque est subiectum, ibi esse debet etiam ipsa forma, vt supponit *disp. 5. de Eucharistia sect. 1. n. 7.* ergo qualitas illa conseruatiua accidentium cum esset independens à loco, & physicè Corpori Christi esset inhærens, deberet informare ipsum Corpus Christi in Cælo existens. Rursus cum *disp. 5. de Eucharistia sect. 2.* sustineat rem diuinitus bilocatam non æquiualere duabus rebus realiter distinctis in ordine ad agendum; atque adeò si in vno loco potest agere, non ideò posse in alio: deducitur manifestè ex eius principijs tot huiusmodi qualitates habere Christum in Cælo debere: quot species Eucharisticas in mundo conseruat, easque successiuè acquirere, atque deperdere, pro vt incipit, ac definit esse sub speciebus; quò nil improbabilius excogitari posse videtur.

His igitur opinionibus confutatis, dico: hanc 40
vnionem physicam impropriam, quæ inter Christum, & species sacramentales intercipitur, esse effectiuam, & consistere in entitate modali actionis, quæ simul sit reproductio Christi, & conseruatio specierum sacramentalium. Ex quo manifestè deducitur præter actionem reproductiuam Christi, & conseruatiuam accidentium, non dari aliam in Eucharistia. Assumptum probatur, quia hæc nostra sententia ex vna parte superfluitate entitatum euitat, vt patet: ex alia verò per hoc præcisè quod duas hasce actiones identificat, salvat omnia, ob quam vnio inter Christum, & species censetur esse necessaria. Quod hoc discursu suadeo.

Ob tres fines requiritur à Theologis vnio inter Christum, & species sacramentales in Eucharistia: primò, vt Christus dicatur contineri sub illis, & possit per eas demonstrari. Secundò vt sit localiter inseparabilis ab illis. Tertiò denique vt illis existentibus existat ibi, & illis corruptis desinat ibi esse. Atqui posito, quod duæ hîc actiones in vnam modalem entitatem conant dictos fines sufficienter obtineri probo, discurrendo per singulos. Et primò quidem quod obtineatur vltimus patet, quia ex vna parte Christus supponitur existere sub speciebus indiuisibiliter, hoc est ad modum rei spiritualis; atque adeo à nullo agente naturali pati, aut alterari ibi posse. Vnde non est, quod quantum est de se debeat aliquando desinere esse sub illis; ex alia verò species sunt corruptibiles; posito ergo quod defacto ad actionem contrarij corrumpantur, hoc ipso desinat ibi Corpus Christi substantialiter esse, necesse est; quia cum vtriusque dependentia à Deo vna sit; corrupta dependentia specierum, impossibile est quod eius dependentia perseueret. Saluatur igitur per identitatem actionis, quod existentibus speciebus Eucharisticis Christi Corpus substantialiter ibi existat, & illis corruptis, desinat ibi esse.

Quod verò obtineatur etiam secundus finis pro- 41
bo sic. Quotiescumque vna indiuisibilis actio plures causat terminos, non potest vnus terminus separari ab alio, imò neque non compenetrari cum illo. Alioquin, si vbi est vnus terminus non esset alter, iam actio esse posset ibi sine suo termino, quod non videtur possibile; ergo stante identitate actionis, simul moueri, & quiescere debent Christus, & species. Et quidem si Christus existeret sub speciebus modo diuisibili: ipse potius, vtpote nobilior, & validior, deberet in motu, & quiete sibi species subordinare. Quoniam verò ibi existit indiuisibiliter, habet inaptitudinem ad naturaliter se mouendum. Nam motus naturalis per se Corpori debitus est ille, cuius beneficio Corpus secundùm diuersas sui partes, diuersis partibus spatij successiuè coexistit; quod Corpus Christi in Eucharistia existens habere nequit, sicut neque vitaliter operari. Contra verò species diuisibiliter existunt, & habent impenetrabilitatem in ordine ad reliqua corpora; quare moueri naturaliter possunt; Vnde non est mirum, si ad earū motum Christus moueatur, & ad earum quietem desinat moueri.

Quod denique obtineatur primus finis, qui im- 42
portabat ex parte specierum Christi Corporis continentiam, apparet ex dictis; nam ideo dolium dicitur continere vinum, & marsupium pecuniā, quia ita illa ambiunt, vt quando mouentur, ea secum transferant, & quando quiescunt, ea sistere faciant. Sed nobiliori modo species erga Christi Corpus se habent; sunt enim illi compenetrata, & sic illud secum transferunt, vt nunquam ad eius motum moueantur; contra verò dolium; nam quando plenum est ferro eius pondere in mari mergitur; quia ad motum ferri mouetur infra aquas. Vnde fit, vt ostensis speciebus verè dicere possimus, (hoc est Corpus Christi,) & quidem potiori iure, quàm dicamus ostenso marsupio, (hæc est pecunia:) nam accidentia marsupij habent sub se substantiam ipsius marsupij, quam primò continent, & ostendunt: at panis accidentia sunt destituta substantia panis, & nonnisi Christi Corpus nobis primo sensibiliter repræsentant. Quod si accidentia pomi v. g. substantiam pomi continere dicuntur, quatenus illam quodammodo protegant, atque fouent; nullo enim alio modo agentia naturalia materiales substantias destruunt, quam earum dispositiones sensibiles corrumpendo, contra quorum actionem dum accidentia pomi se tuentur substantiam quoque pomi tueantur necesse est. Idem prorsus accidentia panis circa Christi Corpus etiam efficiunt; quandiù enim contra agentia contraria prævalent, & actionem conseruatiuam sui exigunt: exigunt consequenter, vt actio conseruatiua Christi perduret; quia vna est, realiter loquendo, actio, per quam vtraque conseruantur à Deo. Ex quibus remanet probatum, quod per hoc præcisè, quod dicamus duas illas

las actiones esse identificeatas, bene saluantur omnia, ob quæ vnio inter Christum, & species consecratas censetur esse necessaria.

43 Dices primò: si quis dicat cum Bernal *de Sacramentis disp. 34. sect. 2.* quod actio productiua Christi in Eucharistia sit etiam formalissima vnio, nectens illum cum speciebus, saluat omnia, æquè benè ac nos. Ergo non est maior ratio, cur vna ex his sententijs alteri præferatur.

Respõdeo, negando antecedens; ratio negationis est, quia Bernal agnoscit formalem, & propriam vnionem inter Christum & species, quam aliqui putant, vt vidimus, implicare; eo quod ex parte neutrius extremi incompletionem aliquam præsupponit: Nos verò dicimus esse superfluam, etiã si solùm ratione ab actione productiua Christi distinguatur: cum sufficiat ad omnia saluanda, quod dicta actio cum actione conseruatiua accidentium identificetur.

44 Dices secundò: actio specificatur à termino; ergo & ad eius multiplicationem necessariò multiplicatur; sed Corpus Christi, & accidentia panis sunt duo termini; ergo impossibile est, quod vnica actione conseruentur à Deo.

Respondeo: concesso antecedente, negando cõsequentiam, cuius falsitas constat ex eo, quia etiã actio vitalis, vt visio, cognitio, &c. specificatur à suo obiecto; & tamen vnica cognitione, & visione plura obiecta attingi possunt: Præterea species impressa specificatur ab obiecto; & tamen vt fert communis sententia, dantur in Angelis species vniuersales quę, cũ sint in suo esse singulares, plura repræsentare possunt obiecta: sic poterit dari actio quædam diuinitus multiplicis termini conseruatiua; Et ratio est, quia quod specificetur à termino solùm significat, quod suam essentiam sumat per ordinem ad illũ; nõ autem repugnat, quod vna essentia indiuisibilis transcendentaliter ordinetur ad plura.

Dices tertiò: actio qua producitur Corpus
45 Christi, & actio qua conseruantur species, multiplicem habent oppositionem, ratione cuius implicat, quod in vnam coeant entitatem; ergo &c. Antecedens probatur primò, quia prior est productiua, posterior conseruatiua. Secundò, quia prior est subsubstantialis, posterior accidentalis. Tertiò, quia prior est creatiua quantum ad realitatem, posterior eductiua saltem quo ad illa accidentia, quæ subijectantur in quantitate. ergo &c.

Respondeo negando antecedens; & ad priorem eius probationem dico, quod sicuti eadem actio potest esse productio, & conseruatio eiusdem rei pro diuersis signis, vt suppono ex physicis sita potest esse productiua vnius, & conseruatiua alterius, in quantum ita potest dare primò vni rei esse, saltem æquiualenter, vt supponat illud in altera per aliam actionem antecedentem. Qui enim negant materiæ propriam existẽtiam dicunt, quod per eandem actionem, per quam producitur naturaliter forma, materia, cum supponatur antecedẽter producta, conseruetur. Ad secundam probationem aio, quod sicuti non est absurdum, quod eadẽ numero cognitione quis cognoscat accidens, & substantiam; ita neque, quod eadem numero actione accidens, & substantia à Deo causentur. Porro modus ille censeri debet substantialis, & non accidentalis; *in nobiliori enim entitate potest ignobilior eminenter contineri; at non in ignobiliori nobilior*, vt de se patet. Ad tertiam denique dato quod actio realiter creatiua, & eductiua opponantur, quod à nobis negatur, qui volumus per eandem actionem Angelum creari, & eius existentiam fieri dependenter ab eius essentia. Hoc inquam dato, quæro ex Aduersarijs nũ velint eadem numero actione Deum conseruare in Eucharistia quãtitatem panis independenter à subiecto, & cætera accidentia eiusdem panis dependenter à quantitate, an diuersa? si eadem; ipsi debent suam soluere difficultatem; si verò diuersa; ego etiam dicam, quod eadem numero actione, qua Deus causat Corpus Christi in Eucharistia, conseruet quantitatem panis, vt panis accidentibus effectam; ita tamen vt licet specificetur à quantitate, quatenus dicta accidentia substentante, non tamen influat in ipsa accidentia immediatè, sed solùm mediante ipsa quantitate.

Quod si quis negaret quantiatem distinctam à materia, iam difficultas posita cessaret; nam omnia panis accidentia deberent per se existere. Vnde non esset, cur non possent vnica illa actione, qua producitur Corpus Christi, sub illis conseruari.

SECTIO SEXTA.

Respondetur argumentis Ouiedi, & de Lugo, quibus probant ad Eucharisticam conuersionem non requiri productionem Corporis, & Sanguinis Christi.

OBijcies primò ex Ouiedo *num.* 11. etiam 46
in conuersione Eucharistica habetur actio productiua Christi, nisi etiam detur actio terminata ad modum, quo ipse Christus specialiter sub speciebus existit, non habetur conuersio; sed data hac posteriore actione terminata ad modum, superfluè datur illa prior. ergo ad Eucharisticam conuersionem non requiritur noua Christi productio. Minor probatur, quia data hac posteriore actione sine priori, haberetur totum id, quod haberetur posita etiam priori; nihil enim per hanc ex parte termini resultat, ratione cuius Christus sit sub accidentibus panis aliquo speciali modo, quo sine illa non esset.

Respondeo, negando maiorem. Non enim vti ostendi, est necessaria alia actio ad Eucharistiam conficiendam, ex suppositione quod Christi Corpus de nouo producatur, quæ terminetur ad modum distinctum. Nec tamen difficultates subterfugere videar; ideo, data maiore, nego minorem, ad cuius probationem, nego absumptum; nam sine priori actione non haberetur substantialis conuersio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi; & per consequens Christus non esset hoc speciali modo, nimirum per actionem conuersiuã sub speciebus, vti supra demonstrauimus. Quemadmodum enim per hunc auctorem non datur superfluè destructio substantiæ panis: & tamen si hæc conseruarentur à Deo saltem extra Eucharistiam, nihil diuersum ex parte conflati ex Christo, & spe-

Digitized by Google

& speciebus resultaret ab eo, quod modo habemus: ita nec per nos datur superadditè Christi Corporis productio sub speciebus panis, eo quod sine illa non haberetur conuersio substantiæ panis in ipsum Corpus.

47 Instabis ex eodem *ibid.* Actio distincta à termino semper intenditur propter terminum, & non propter se ipsam. sed actio productiua Christi nō potest in conuersione intendi propter terminum, qui eodem modo existeret, illa actione seclusa; ergo &c.

Respondeo: hoc etiam argumentum soluendū esse ab Auctore; nam sicuti actio productiua termini intenditur propter terminum; ita destructio termini oppositi, seu cessatio actionis conseruatiuæ illius intenditur etiam propter terminum, qui producitur, & non propter se ipsam; & tamen Christus sub speciebus eodem modo existeret, si non destrueretur substantia panis; Distinguenda igitur est maior: actio distincta à termino semper intenditur propter terminum præcisè ponendum, nego; ponendum tali, vel tali modo concedo maiorem. Quamuis enim eadem sit albedo v. g. à Deo producenda: alia tamen actione eget, si producenda est dependenter à subiecto, alia verò si independenter: sic distinguo minorē actio productiua Christi non potest in conuersione intendi propter terminum præcisè ponendum, concedo; propter terminum hoc speciali modo ponendum, nimirum conuersiuè, nego minorem, & consequētiam; & dico transeat, quod Christus secundùm se consideratus eodem modo existeret sub speciebus, siue poneretur ibi per reproductionem, siue per adductionem, vel etiam vnionem ad ipsas species; nego tamen quod eodem modo existeret, si consideretur, quatenus in eum panis substantia conuerti debet.

48 Obijcies secundò: secunda productio in Eucharistia, vt productio est Corporis Christi secundùm substantiam, habet eundem terminum, ac habuit prima: sed ex vi primæ non fuit destructa substantia panis; ergo neque ex vi secundę destrui debet. Confirmatur: Corpus Christi secundùm se sumptum, seclusō modo speciali, quem habet in Eucharistia sub accidētibus panis, nullam habet oppositionem cum substantia panis; ergo substantia panis solùm destruitur ex vi actionis productiuę modi superadditi; & per consequens in illa ratio conuersionis constituenda est: Ita ferè Ouiedus *loco citato* ex Vasquez.

Respondeo: Hoc etiam argumentum supponere quod præter actionem productiuam Corporis Christi in Eucharistia confectione detur alia actio productiua modi accidentalis, quod supra reiectum est. Verùm hoc permisso, distinguo maiorem: secunda productio Corporis Christi habet eundem terminum, ac habuit prima, & eodē modo, nego: & diuerso modo, concedo: Distinguo deinde minorem, ex vi primæ nō fuit destructa substantia panis, neque aliqua alia substantia, nego: non fuit destructa substantia panis, sed substantia Sanguinis Beatæ Virginis, ex qua fuit genitum Christi Corpus, concedo minorem, & nego consequentiam. Dico enim, quod productio substantialis Corporis Christi potest esse multiplex; alia creatiua, alia eductiua, alia Sacramentalis. Prima terminatur ad Christi Corpus ex nihilo. Secunda ad idem Corpus ex præexistenti materia dependens. Tertia ad idem ipsum, vt sibi species panis approprians; quamuis autem vnaquæque ex eis habeat pro termino Corpus Christi: illud tamen habet diuerso modo; Porrò hæc diuersitas modi non facit illas accidentaliter tantùm differre, sed etiam substantialiter; nam quodcunque ordo aliquis est intrinsecus, & essentialis substantiæ, quamuis sit ad terminum accidētalem, consendus est substantialis, & non accidentalis, vt patet ex connexione, quam dicit essentia rei substantialis cum proprietatibus suis; Quamuis ergo productio Corporis Christi sub speciebus panis ex diuersitate modi habeat, quod sit destructiua substantiæ panis: hinc tamen non benè deducitur eam esse accidentalem. Per quæ patet responsio ad confirmationem; cuius concesso antecedente, nego consequentiam: dico enim modum specialem, quem habet Christus in Eucharistia esse duplicem: Vnus identificatur cū actione productiua ipsius Christi, quæ est exactiua destructionis totius substantiæ panis. Alter est accidentalis, quem dedi Aduersario, siue sit vnio cū speciebus, siue præsentia. Porrò substantia panis ex vi vtriusque modi destruitur: ex vi quidem prioris proximè, & immediatè; ex vi verò posterioris remotè, & mediatè. Prior modus non habet actionem productiuam sui, sed est ipsamet actio substantialis productiua Corporis Christi non qualitercumque, sed sacramentaliter, vt dixi; Secundus habet, & quidem accidentalem: in qua Eucharistica conuersio cōsistere nequit, eo vel maximè, quia versatur immediatè inter terminos accidentales, & eius beneficio habetur solùm quod Christi Corpus succedat in munere substantiæ panis. Neutrum autem ad substantialem conuersionem sufficere supra probatum est.

49 Obijcies tertiò ex Lugo *num.* 24 sicuti in generatione hominis duas considerare possumus actiones, alteram, qua anima rationalis creatur; alteram, qua eadem anima vnitur Corpori: ita & in Eucharistica conuersione duas item: vnam, qua Christum reproducit: alteram, quæ illum vnit speciebus. Sed in productione hominis actio creatiua animę non est generans, sed benè actio vnitiua: ergo in conuersione Eucharistica sola actio vnitiua est conuersiua. Maior supponitur, & minor probatur; nam, licèt anima multò antea præexiterit, si tamen modò vniatur Corpori, modò dicetur homo generari. Consequentia patet, quia Christus quoque quamuis multò antea præexiterit, si tamen modò vniatur speciebus, easque sibi appropriet, modò dicetur panis conuerti in ipsum.

Respondeo in mea sententia maiorem, quo ad vtramque partem esse falsam. Quemadmodum enim ego nego vnionem distinctam inter animā, & Corpus; ita inter Christum, & species: æque adeò in neutro casu duplicem admitto actionem: sed data maiore, & concessa minore, nego consequentiam. Disparitas est, quia actio vnitiua animæ rationalis, & Corporis habet pro termino proximo, & immediato vnionem substantialem, qua posita statim totum substantiale resultat; vnde non est, cur negetur esse mutatio substantialis; at verò

in

Digitized by Google

in Euchariſtia actio vnitiua Corporis Chriſti cum ſpeciebus panis haberet pro termino proximo, & immediato vnionem accidentalem. Illud igitur ad diluenda huiuſmodi ſophiſmata notandum eſt: nos admiſsa actione accidentali productiua vnionis, vel præſentiæ inter Chriſtum, & ſpecies, non negare eam eſse conuersionem; eſt enim transitus vnius præſentiæ vel vnionis in aliam; ſed negare eam eſse conuersionem ſubſtantialem, ſeu, quod idem eſt, tranſubſtantiationem, vt ſæpè diximus; atque adeo admittendam eſſe aliam actionem ſubſtantialem, quæ non poteſt eſse, niſi reproductio Corporis Chriſti.

50 Obijcies quartò ex eodem *num.* 34. Id requiritur ad eſse ſacramentale Christi ſub ſpeciebus in fieri, quod requiritur ad illud in facto eſse. ſed ad conſeruandum Corpus Chriſti ſacramentaliter ſub ſpeciebus ſufficit prima eius productio cum vnione ad ſpecies; ergo etiam ad conficiendū hoc Sacramētum ſufficit prima eius productio cum actione nouæ vnionis ad ſpecies.

Reſpondeo: tranſeat maior, quam quis rectè negare poteſt dicendo: quod plura requirantur ad fieri rei, quam ad eius conſeruari, vt ſexcentis exemplis patet; ſed nego minorem: non ſolùm quia non datur in mea ſententia vnio diſtincta, ſed quia ea admiſsa, exiſtimo quod ad conſeruandum Corpus Chriſti ſacramentaliter ſub ſpeciebus ſit neceſsaria actio ſubſtantialis productiua ipſius Corporis Chriſti, & quidem non qualiſcumque, ſed quę ſimul fuerit conuerſiua ſubſtantiæ panis in ipſum. Hoc probo ex eo, quia ſi hodie Deus deſtruendo ſubſtantiam panis alicuius hoſtiæ, eius accidentia miraculosè conſeruaret. Cras verò poneret Corpus Chriſti ſub dictis accidentibus: profectò Corpus Chriſti non eſset ſacramentaliter ſub illis, eo quod non fuiſset poſitum per actionem, quæ fuerit tranſubſtantiatio panis in ipſum. Quin imò, ſi Sacerdos aliquis ſuper accidentia panis, deſtructa prius ſubſtantia panis, exiſtimans illum eſse panem, verba conſecrationis cum debita intentione proferret, propter eādem rationem non conficeret Euchariſtiam. Falſum igitur eſt, quod ad conſeruandum Corpus Chriſti ſacramentaliter ſub ſpeciebus ſufficiat prima eius productio cum vnione ad illas; alioquin non poſset aſſignari ratio, cur in vtroque caſu aſſignato non eſset Chriſtus ſacramentaliter ſub ſpeciebus illis. Neceſsaria igitur ſemper erit actio ſubſtantialis trāſubſtantiatiua panis in ipſum Chriſtū.

51 Obijcies ſextò ex eodem *numero* 35. Ad veritatem verborum conſecrationis non requiritur noua productio Corporis Chriſti; ergo neque ad conuerſionem panis in Corpus eiuſdem. Antecedens patet, quia ad dictam veritatem ſufficit, quod ſub ſpeciebus ſit Corpus Chriſti. Conſequentia euincitur, quia Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. docet Eccleſiam hanc conuerſionem colligere ex veritate verborum.

Reſpondeo primò retorquendo ad hominem argumentum: ex veritate verborum Eccleſia colligit conuerſionem panis in Corpus Chriſti. ſed ad huiuſmodi conuerſionem habendam ſicuti requiritur deſtructio ſubſtantiæ panis, ita productio Corporis, vti probabimus. ergo ex veritate verborum rectè productio Corporis Chriſti à nobis colligitur. Confirmatur quod dicimus: ſi ibi remaneret ſubſtantia panis ſine munere ſubſtentandi, vel verba conſecrationis haberent veritatem ſuā, vel non; ſi primum, ergo falſum eſt, quod Eccleſia ex veritate verborum conuerſionem collegit; nam ſic non conuerteretur panis in Corpus Chriſti, & verba eſſent vera. Si verò dicatur ſecundū; falſum igitur eſt illud antecedens: quod ad veritatem verborum ſufficiat, quod ſub ſpeciebus ſit Corpus Chriſti; ſiquidem requiritur prēterea deſitio panis, non ſolùm quo ad munus, ſed etiam quo ad realitatem. Sic etiam ego dicam: neceſsariā quoque eſse productionem Corporis Chriſti, & non ſufficere eius vnionem cum ſpeciebus.

Reſpondeo ſecundò directè: diſtinguendo antecedens; ad veritatem verborum conſecrationis non requiritur noua productio Corporis Chriſti, præſcindendo à proprietate, & decentia miraculi, concedo. ſpectatis miraculi proprietate, atque decentia, nego antecedens, & conſequentiam. Ad probationem antecedētis eandem diſtinctionem adhibeo; Ad probationem verò conſequentiæ dico Eccleſiam Euchariſticam conuerſionem colligere ex veritate verborum, non quomodocumque accepta, ſed quę cum maiori proprietate, ac decentia habeatur: ſine productione autem Corporis Chriſti verificarentur quidem verba, ſed ſine perfectione, & decentia conuenientibus tanto myſterio; ad eum planè modum, quo in nuptijs Cœnæ, verum quidem vinū exhibitum fuiſſet à Chriſto, ſi aliunde illud tranſtuliſſet: ob proprietatem tamen, & decentiam miraculi ſemper Eccleſia intellexit per veram, & realem conuerſionem aquę vinum illud ſubſtantialiter tunc productum, & exhibitum eſse Conuiuis.

Hanc reſponſionem, quę eſt Suarij, bifariam impugnat Cardinalis *num.* 37. & 38. primò, quia modus ille ponendi Chriſtum per productionem ſubſtantialem ſub ſpeciebus non eſt perfectior, quam per adductionem, & vnionem ad ſpecies; per accidens enim ſe habet ad talem poſitionem dicta productio. Alioqoin, inquit, potuiſſet Eccleſia colligere Chriſtum in Euchariſtia habere accidētia diſtincta ab ijs, quæ habet in Cęlo, quia eſſet modus eſſendi perfectior.

Sed contra hoc facit, quia quod hic modus ſit perfectior, patet, nam includit totum id, quod dicit poſitio per adductionem, & aliquid aliud, nempè ſubſtantialem productionem Corporis Chriſti. Quod verò non ſe habeat per accidens probauimus ex ratione conuerſionis, ad quam ſaluandam, quia non neceſse eſt, vt Chriſtus habeat in Euchariſtia diſtincta accidentia ab ijs, quæ habet in Cælo: ideo temerarium eſt aſſerere, quod illa habeat diſtincta. 52

Impugnat ſecundò eandem reſponſionem quia miraculum de vino in Cœna, præſupponendum eſt fuiſſe, pro vt decebat Chriſti maieſtatem: non decebat autem illam, quod vinum aliunde adduceretur; nam labor ille implendi hidrias aqua, quem exhibuere miniſtri, fuiſſet illuſorius, ac nugatorius; atque adeò totum opus fuiſſet potius præſtigium factibile à Dęmone, quam miraculum ad Diuinam Omnipotentiam manifeſtandam.

Sed contra hoc facit, quia ex vna parte nō omnia miracula, quæ fecit Chriſtus ad ſuam omni-

po-

Digitized by Google

potentiam manifestandam fuerunt talia, vt non potuissent fieri à Dæmone, vt quod in ore piscis inuentus sit stater, quod ad eius vocem in horto cohors militum ceciderit. &c. Ex alia verò falsum est, quod si vinum Christus aliunde transtulisset, ille ministrorum labor implēdi hidrias aqua fuisset illusorius. Nam magis admirabile fuisset aquam illam ex hidrijs in alium locum transferre, & simul vinum in hidrias inducere, & hoc breuissimo temporis spatio, & quasi in ictu oculi; quàm implere vacuas hidrias vino aliunde translato: nihilominus tamen Ecclesia sentit in eo miraculo vinum verè fuisse de nouo productum per realem introductionem formæ vini in materiam illius aquæ: quia sic veritas miraculi perfectiori modo habetur. Eodem igitur modo cum Patres animaduerterint verba Consecrationis perfectius, & decentius intelligi Eucharisticam conuersionem significando, ea sic perpetuò intellexerunt; & quidem non sine diuina, & speciali illuminatione. Non enim est nouum, vt ea, quæ in Scripturis occultè, & veluti inadæquatè, quo ad nos continentur, manifestet postea nobis Deus per Doctores, atque Concilia. Illud tamen vltimo notandum velim, cum postea Patres dixerint Christum in Eucharistia creari, & confici, euidens signum esse; eos existimasse ad dictam cōuersionem adstruendā necessariam omnino esse productionem termini ad quem: non minus quam sit desitio termini à quo; & licèt de fide sit in hoc Sacramento substantiam panis, & vini desinere esse, vtpotè definitum in Lateranensi sub Innocentio Tertio, & nouissimè confirmatum in Tridentino *sess. 13. can.* 2. non tamen adhuc definitum est, quod Christi Corpus, & Sanguis substantialiter producatur. Vnde fit, vt quemadmodum ad veritatem verborum vt sic, non est necessaria desitio substantiæ panis (nam quantū est de se verificarentur, etiam si hæc alibi conseruaretur) nihilominus tamen, quia illorum veritas sumendæ est cum proprietate, & decentia debita, quæ conuersionem imporrat: ideo colligit Ecclesia substantiam panis desinere. Ita licet ad veritatem verborum vt sic, non sit necessaria productio substātialis Christi sub speciebus: nihilominus tamen quia dicta veritas sumēda est cum proprietate, & decentia debita, quæ conuersionem includit: idcircò nos etiam sustinere debemus in Eucharistiq Sacramēto Corpus, & Sanguinem Christi substantialiter produci; siquidem non minus ad conuersionem est necessaria productio termini ad quem, quam desitio termini à quo, vt supra probauimus.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SECVNDA

VTRVM TOTVM SVBSTANTIALE PHYSICVM à suis partibus vnitis realiter distinguatur.

1 DIximus generationem esse mutationem totius in totum; quid autem sit hoc totum, nullo meliori modo conijci potest, quam disputando, quomodo à suis partibus distinguatur? Quamuis enim de reliquis totis fieri possit quæstio; nimirùm de numero, qui ex pluribus vnitatibus constat: de composito accidentali v. g. albo, quod dicit tamquam partes suas vnitas subiectum, & albedinem; de toto tum continuo, tum discreto, tum intensiuo, tum extensiuo, quatenus hæc etiam tota ex suis partibus componuntur: quia tamen melior pars Scotistarum, & nonnulli alij, qui inter totum, & partes vnitas realem distinctionem agnoscunt, profitentur se loqui solùm de toto essentiali, seu substantiali, cuiusmodi est Homo, Leo, Equus, & cætera huiusmodi, sumpta secundùm essentiam; quorum vnumquodque cum sit vnum per se, differt à partibus, quæ plura sunt: idcirco, vt eis conformemur, quæstionem ad totum substantiale coarctamus, neque ad quodcumque, sed ad solum physicum. Prædicti enim Auctores neque putant totum substantiale metaphysicum, quod scilicet ex partibus metaphysicis resultat, realiter ab illis esse distinctum: siue demum sit totum essentiale, quod constat ex genere, & differentia; siue sit totum subsistens, quod constat ex natura, & substantia; siue totum existens, quod constat ex essentia, & existentia, vt Mazziotta *tom. 1. suarum quæstionum quæst. 7. numero* 58. testatur. Rectè igitur nos de toto substantiali physico, quod est substantialis generationis terminus per se, & directè, disputamus. De reliquis enim, vel nulla est controuersia, vel si qua est, ex his, quæ de vno illo dicentur, quid sentiendum sit facilè conijci poterit.

SECTIO PRIMA.

Proponitur nostra sententia, & ratione fundamentali stabilitur.

2 NOtarem partes vnitas dupliciter sumi posse: primò distributiuè, ita vt vna pars dicatur in recto, & intrinsecè: altera verò in obliquo, & extrinsecè connotetur. Secundò collectiuè, ita vt vtraque pars in recto, & intrinsecè importetur; & in ordine ad illas vtroque modo sumptas potest procedere quæstio. Pro cuius resolutione sit.

Prima Conclusio: Totum substantiale physicū di-

Digitized by Google

distinguitur realiter inadæquatè à partibus vnitis distributiuè acceptis. Est communis. Pro explicatione autem nota, quod realis distinctio duplex est: altera adæquata, altera inadæquata. Prior reperitur inter eas entitates, quarum vna non includit aliam, cuiusmodi est illa distinctio, quæ inter aurum, & lignum, aut inter albedinem, & parietem intercedit, quæ propterea contradistinctio appellatur. Posterior verò est inter eas entitates, quarum vna includit aliam; cuiusmodi est illa, quæ reperitur inter includens, & inclusum, vt inter numerum senarium, & binarium in eodem senario comprehensum; Hanc autem distinctionem inter totum, & partes vnitas distributiuè sumptas intercedere. Probatur; quia totū præter vnam partē includit alteram realiter à priore distinctam, ratione cuius ipsum quidem realiter ab illa parte distributiuè sumpta distinguitur, sed inadæquatè, in quantum illam intrinsecè, & in recto, tamquam partem sui componentem includit.

Secunda Conclusio: Totum substantiale physicum nullo modo distinguitur realiter à suis partibus vnitis collectiuè acceptis. 3 Est Sancti Thomæ *prima parte quæst. 11. art. 2.* ad secundum & *quæst. 77. art. 1. & 4. contra gentes cap. 85.* Auerr. 1. *phys. cont. 17.* Themistij, Philoponi, Simplicij, Alexandri, Toleti, Ruuij, Mursiæ, Auersæ, Suarij, Hurtadi, & Arriagæ, quos citat, & sequitur Ouiedus *contra. 5. physic. puncto primo*, qui dicit in ea omnes ferè Doctores communiter conuenire. Contra Auicennam *3. met. cap. 4.* Scotum *in 3. dist. 2. quæst. 2.* quem omnes ferè Scotistæ sequuntur cum Caietano, Ferrariense, Pererio, & nouissimè Mazziotta *quæst. 7. cit.* vbi diligentissimè omnium doctrinam, quam defendit, explicat, & quamplures pro ea *cit. numero 22.* affert.

Probatur primò asserrio nostra ex Aristotele *secundo de anima tex. 2.* vbi hęc habentur; Non oportet quærere, si vnum est anima, & corpus; sicuti neque ceram, & figuram, & *4. physic. tex. 23.* Non est præter partes totum, seu (vt alij vertunt) Totum non est à partibus diuersum. Cui etiā sententiæ fauet D. Augustinus *secundo de Trin. cap. 4* dicens: Corpus, & animam esse totum hominem, nec non D. Athanasius *in Symbolo fidei*: Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.

Probatur secundò ratione vnica fundamentali: 4 Totum non distinguitur realiter à suis partibus vnitis collectiuè sumptis, neque adæquatè, neque inadæquatè; ergo nullo modo distinguitur realiter ab illis. Consequentia patet ex dictis; omnis enim realis distinctio inter duo vel adæquata est, vel inadæquata. Antecedens probatur, & quidem quod non distinguatur realiter adæquatè; patet ex eo, quia si sic distingueretur, iam non includeret illas, neque ex eis componeretur; imo eas tamquam superfluas ad sui constitutionem respueret; & sic non esset totum respectu illarum; hoc autem manifestam inuoluit implicantiam; supponimus enim illud esse totum aliquod. Quod verò neque distinguatur ab illis inadæquatè probatur etiam, quia omnis distinctio realis etiam inadæquata fundatur in aliquo positiuo reali, quod ab vno distinctorum dicitur, non verò ab alio, vt omnes docent; ergo si totum substantiale à suis partibus vnitis inadæquatè distinguitur realiter; debet esse in eo aliquod reale, quod in partibus vnitis nō habeatur; atqui nihil reale assignari potest, quod totum dicat supra entitates partium vnitarū collectiuè sumptarum; ergo neque inadæquatè ab illis distinguitur.

Ad hoc argumentum respondent Aduersarij duplici via: prior est eorum, qui dicunt, totum supra partes addere formam quandam veluti totius, quam ita appellant, non quia sit tota essentia, vt alij inferius, sed vt eam à forma partis, cuiusmodi est anima rationalis respectu hominis, distinguāt. eā verò dicunt resultare, & distinguiè partibus vnitis sicuti resultat, & distinguitur subsistentia à natura; imo quidam Recentior, de quo tacito nomine mentionem facit Mazziotta *n. 33.* vult idem prorsus esse totum physicum, ac suppositum. Vnde ex eo quod suppositum dicat aliquid reale positiuum, nimirum suppositalitatem supra materiam, formam, & vnionem, inclit quod idem reale positiuum dicat supra illa eadem totum, seu quod idem est substantiale compositum.

Videtur autē hic Recentior, de quo Mazziotta mētionem facit esse Lynceus qui 2. *Physic. tract. 9. nu. 40. & tract. 10. nu. 18.* huius sententiæ primum inuentorem fuisse profitetur. Verum, vt ex ea incipiamus propositam responsionem impugnare sic arguo: Si totalitas compositi esset eadem realiter cum suppositalitate, sequeretur primò, quod sicuti in Deo dantur tres suppositalitates, ita tres darentur diuinæ naturæ totalitates: Secundò quod, cum vna Persona diuina sicuti est identificata totalitas diuinæ naturæ, ita etiam essent identificatæ duæ aliæ personalitates. 5

Tertiò denique quod in Christo Domino reperiretur suppositalitas creata: nam in eo fuit tota natura humana physica; sed hęc omnia sunt apertè falsa; ergo &c. Neque ad hoc vltimum dicat Aduersarius suppositalitatem humanam vlterius importare negationem existendi in alio tāquam in supposito: cum autem in Christo tota natura humana supponatur subsistere in Verbo, & non in se: hinc sequi, vt in eo non sit humanū suppositum. Facilè enim impugnatur ex eo, quia hic dicendi modus duas sententias inuicem pugnātes de suppositalitate confundit; quarum altera vult, quod in negatiuis vltimò consistat, altera verò quod in positiuo, vt patet. Præterea hoc ipso, quod illa forma superaddita compleret naturā in ratione suppositi; sicuti asseritur complere illam in ratione totius; iam redderet illam per se, & completè subsistentem, ita vt necessariò deberet ex ea pullulare negatio essendi in alio tamquā in supposito; quemadmodum ex suppositione, quod quantitas per figuram sphæricam redditur positiuè rotunda: hoc ipso quod dictam habet figuram, negationem cuiuscumque figuræ rectilineæ habeat necesse est. Vnde non posset negari, quin natura humana Christi subsisteret per se completè per suppositalitatem propriam creatam: quidquid sit, si per suppositalitatem increatā Verbi miraculosè etiam subsisteret.

Contra verò principalem responsionem facit secundò, quia hæc forma sic explicata impossibile est, quod se sola sit totum; sic enim iam totum con-

Digitized by Google

contradistingueretur à suis partibus; quod esse impossibile paulò ante demonstrauimus; erit igitur forma illa totum, quatenus componit cum partibus; & per consequens respectu illius se habebit, vt pars, non minus, quam se habeant materia, & forma partis. Tum quæro, quomodo totum ab hisce tribus partibus collectiuè sumptis distinguatur? nō potest dici realiter, siue adæquatè, siue inadæquatè, quia sic recurreret idem argumentum; atque adeo rursus admittenda esset secunda forma totius, deinde tertia, postea quarta, in infinitum; cum non sit maior ratio de vna, quam de alijs; frustra igitur hæc tertia entitas sic explicata, & sine vllo emolumento ab Aduersarijs est inuenta; ea enim admissa tenentur fateri totum, ne inadæquatè quidem, realiter distingui à suis partibus.

6 Ad labefactandum autem hunc discursum nil valet dicere: huiusmodi formam non se habere, vt rationem componentem cum alijs, sed vt rationem compositam ex alijs, & vt terminum compositionis partium suarum; & sic excludi processum in infinitum. Hæc enim responsio fauet quidem quantum ad huiusmodi processum vitandum ijs, qui hanc formam volunt esse totam essentiam, de quibus paulò post; non verò ijs, contra quos in præsentia disputamus, qui putant dictam formam esse tertiam quandam entitatem simplicem partibus vnitis superadditam, & vnà cum illis constituentem totum, ad eum planè modum, quo albedo vnà cum subiecto constituit album. Nam sic iam necessariò esset pars componens non minus, quam materia, & forma; adeoque falsò diceretur eam esse rationem compositam ex alijs, non verò componentem cum alijs. Quo posito, euidenter sequi processum in infinitum patet ex eo, siquidem hoc vnum per se constans ex materia, & forma partis tamquam ex subiecto, & ex tertia hac entitate tamquam ex forma totius, iam distingueretur realiter ab omnibus his; aliàs neque deberet distingui à materia, & forma tantùm. ergo iam admittenda esset alia forma totius, quę se haberet vt quarta pars, & simul cum precedentibus componeret vnum per se: quod quia distingueretur realiter ab omnibus suis partibus vnitis: necessariò importaret aliā formam totius. Ecce tibi quomodo euidenter processus in infinitum sequatur.

Contra denique est tertiò: quia etiam si forma ista totius in reliquis compositis admitti possit; nihilominus ab homine remouenda omninò est; non enim potest explicari, vtrum in eo spiritualis sit, & incorruptibilis: an verò corruptibilis, & materialis; nam si spiritualis est, iam duplex anima immortalis conceditur homini; sin autem materialis, cum hæc forma constituat hominem in esse hominis, sequitur, quod homo in ratione hominis per formam materialem constituetur; quod quam sit absurdum, patet ex eo, quia homo, vt homo est, discurrit, intelligit, libertatē habet, &c. quæ nonnisi à forma spirituali prouenire possunt.

7 Posterior via, quam doctiores ex Aduersarijs ineunt est: reale positiuum, quod addit totum subsstantiale physicum supra partes non esse aliud, nisi formalissimè ipsum totum; siquidem si aliquid aliud esset, necessariò esset pars, quod vt vidimus, manifestè repugnat. Ex hoc autem inferunt tertiam hanc entitatem (hoc enim nomine appellant ipsi tale totum ad differentiam partium, quæ numerum binarium entitatum constituunt:) hanc, inquam, tertiam entitatem includere intrinsecè materiam, & formam vnitas tamquam rationes, ex quibus constituitur; alioquin neque totum essentiale esset, quia non haberet partes essentiales; neque compositum physicum, quia hoc componitur intrinsecè ex partibus physicis, quarum vna est materia, alia verò forma; neque denique natura perfecta, quia hæc constat duplici natura incompleta. v. g. natura ignis ex materia, & forma ignis, Humanitas ex corpore, & anima rationali &c.

Atque hęc est responsio Ferrarienſis *quarta contra gent. cap.* 18. vbi sic: Ad dubium, quo quærebatur quid reale dicat humanitas supra partes vnitas? dicitur quod addit aliquid reale. Et cum quæritur quid sit tale additum? dicitur, quod est ipsa natura humanitatis, quæ dicitur totum, non autem aliqua eius pars; Et cum rursus quæritur, vtrum partes humanitatis includat? dicitur, quod vtique: cum sint eius partes essentiales. Ex hoc verò non sequitur, quod realiter non distinguatur ab illis. stat enim quod aliquid includat materiam, & formam tamquam partes; & tamen sit id, quod ab illis realiter differt; nō quidem tamquam pars, sed tamquam tota natura. 3

Sed contrà hanc viam duo faciunt; Et primò quidem, quia videtur petere principium, & recurrere ad caput difficultatis. Nam controuersia nostra cum Aduersarijs est: Num totum substantiale distinguatur à suis partibus vnitis? Ad ostendendum autem quod non distingatur, quęrimus ex eis quid sit illud reale diuersum, quod dicit totum à realitate partium vnitarum distinctum? Dum autem illi respondent esse se ipsum, iam redeunt ad id, ex quo digressa est controuersia; nam de hoc ipso toto nos contendimus, num sit, vel non sit quid reale distinctum à realitate partium vnitarum? Et sic apparet, quod ipsi conclusionem probādam ad sui probationem accipiant, quamuis alia verborum formula id faciant; in quo captio petitionis principij posita est, vt habet Fonseca *lib.* 8. *Institut. dialect. cap.* 13.

Contra eandem viam facit secundò, quia videtur pugnantia inuolnere: nam argumentum nostrum petebat, ex suppositione, quod totū inadæquatè à suis partibus vnitis distinguebatur, vt assignaretur quid entitatis supra illas adderet? Responsum autem est addere se ipsum. Tum sic implicat, quod totum sit prima veluti entitas, cuius beneficio ipsum realiter inadęquatè distinguatur à partibus; nam hoc ipso, quod est totum, inuoluit partes. Contra verò hoc ipso, quod sit primaria entitas, cuius beneficio ipsum realiter distinguitur inadęquatè à partibus; impossibile est, quod partes inuoluat. Quod sic probo: distinctio realis inadęquata est inter eas entitates, quarum vna includit aliā. (Tu verò si cum Mazzotta *num.* 40. aliquid habes Religionis, aut scrupuli in voce (includit) dic cum eodem in posterum: quarum vna constat, vel componitur ex alia.) sed impossibile est, vt illa entitas prior, cuius beneficio vna entitas includit aliā, inadæquatè distinguatur ab illa alia; ergo hoc ipso, quod totum est entitas, cuius bene- 9

Digitized by Google

ficio ipsum distinguitur inadæquatè à partibus, impossibile est, quod partes inuoluat, seu constet ex illis. Maior non minus certa est, quam consequentia. Minor verò suadetur, quia si illa prior entitas, cuius beneficio vna includit aliam, inadæquatè distingueretur ab illa alia: esset simul, & nó esset entitas, cuius beneficio vna includeret aliam; atque adeo se ipsam negaret, quod repugnat; Et quidem quod esset, fatentur Aduersarij: quod verò non esset, probo sic: Ea esset illa vna entitas, quæ includeret aliam, quæque beneficium dictæ inclusionis, seu compositionis obtineret; ergo non esset illa prior, cuius beneficio vna aliam includeret. Neque dicas esse, & non esse illam aliam sub diuersa ratione consideratam. Dum enim agimus de rebus, quatenus habent, vel non habent inter se distinctionem realem; nihil refert si sub hac, vel sub illa ratione considerentur; Quare hoc ipso quod aliqua entitas realiter componitur ex alia, debet semper in ea assignari; præter entitatem cõponentem, tertia quædam entitas, quæ contradistinguatur realiter ab ipsa componente, vt eius beneficio inter entitatem includentem, & inclusã, seu compositam, & componentem inadęquata distinctio realis intercipiatur; implicabit igitur in nostro casu, quod entitas cuius beneficio tòtum distinguitur inadęquatè à partibus vnitis, sit ipsum totum; aliàs esset simul totum, & pars, quod manifestam contradictionem inuolvit. Multa congerunt Aduersarij, vt se ab huiusmodi argumento tueantur, quæ oportet perpendere. Sed vt melius id exequamur, sit.

SECTIO SECVNDA.

Quinque instantijs præcedens argumentum labefactare tentantibus satisfacio; & meam sententiam de distinctione totius à partibus expono.

AD infirmandum argumentum, quod in fine præcedentis sectionis proposui. Dices primò: si reale positiuum, quod adderet primò totum supra partes, adæquatè distingueretur à partibus, easque non includeret: sequeretur, quod respectu illarum se haberet vt compars, non verò vt totum. sed sic extra quæstionem diuagaremur; in ea enim quæritur, quomodo totum distinguatur ab omnibus partibus vnitis. ergo &c. Ita ferè Mazziotta *n.* 79.

Respondeo, dicendo: Id cuius beneficio totum primò inadæquatè distinguitur à materia, & forma vnitis, nõ posse esse totũ, propter illud ipsũ, quod modò dicebamus; quia non debet includere dictas partes, quas totum necesariò includit; & sic concedi debet, quod respectu totius se haberet, vt pars, & respectu aliarum partium, vt compars. Quod quamuis sit absurdum impugnatum in priori via: sequitur tamen ineuitabiliter ab hac sententia etiam secundùm posteriorem viam propugnata. Quare ad instantiam factam dicendum; sequelam eius non posse in sententia Aduersariorum rectè negari; & quamuis absurdissima sit, cum ex dicta sententia sequatur, manifestè eius falsitatem, ac absurditatem ostendere.

10 Dices secundò ex doctrina Heruęi *quæstib.* 2 *quæst.* 14. relata à Mazziotta *num.* 77 tripliciter posse aliqua realiter distingui; primò, quia habent essentias omnino diuersas, & in nullo conueniũt, vt substantia, & quantitas; secundò, quia licèt habeãt eandẽ essentiã: tamẽ vnũ habet aliquid, quod non habet alterum; vt homo albus, & homo niger; tertiò, quia essentia vnius habet ex sua natura, qua talis est, vt non sit alterum, licèt tale alterũ illius vnius essentiam ingrediatur; sed si hoc tertio distinctionis genere dicamus distingui totum à partibus: argumentum à nobis supra factum nullum est; ergo &c. Minor suadetur, quia argumentum nostrum supponit duplex tantùm realis distinctionis genus dari posse; primum quod importat distinctionem adæquatam, & secundũ quid importat distinctionem inadæquatam. sed præterea assignabile est tertium; ergo argumentum nostrum nullum est.

Respondeo negando maiorem, nam omnem distinctionem realem, vel adæquatam vel inadęquatam esse docent quotquot de distinctione verba faciunt. Tertium verò membrum inuectum est ab Aduersarijs ad suam sententiam colonestandam, sed perperam; in eo enim petunt manifestè principium. Exenim si dicta distinctio explicetur, non est alia ab ea, quam ipsi inter totum & partes vnitas agnoscunt. Quare non possunt vti hoc tertio realis distinctionis genere tamquam medio ad suam sententiam contra nostrum argumentum propugnandum, eò vel maximè, quod diuisio illa realis distinctionis in adæquatam, & inadęquatam fundatur in terminis contradictorijs, atque adeo impossibile est, quod admittat aliud membrum; alioquin inter contradictoria daretur medium. Assumptum euincitur; quia ea, quæ realiter inter se distinguuntur, vel ita se habent, vt vnum includat aliud, vel non. En tibi terminos contradictorios. si primum, inadæquatè distinguentur: si verò secundum, adæquatè. vnde non datur locus tertio distinctionis membro assignato ab Heruęo. Linquo omnes ferè, qui inter totum, & partes vnitas distinctionem agnoscunt, eam esse inadæquatã fateri.

Dices tertiò: quidquid tandem sit hoc, quod totum addit supra partes vnitas; dici posse, quod non distinguatur ab illis essentialiter, sed realiter tantùm. sed sic vis atgumenti deluditur; ergo &c. 11

Respondeo negando assumptum; impossibile enim est in rebus creatis, quod vna numero indiuisibilis essentia sit in duobus realiter inter se distinctis; alioquin haberemus in creaturis sanctissimæ Trinitatis mysterium. Sed ita se res haberet in casu nostro: nam eadem numero essentia hominis v. g. esset in anima rationali, & corpore vnitis, ac esset in toto quamuis de reliquo totum, & dictę partes essentialiter inter se distinctæ; ergo &c. Non minus vanum est aliorum effugium dicentium, illam entitatem, cuius beneficio totum inadæquatè distinguitur à partibus, esse quidem partem, sed non distingui ab alijs partibus vt partem, quia non componit cum illis. Si enim hoc esset: totum physicum ex coaceruatione plurium entium disparatorum nullam vnionem inter se habentium resultaret; quo quid absurdius? 12

Dices quartò: argumentum nostrum procedere ex

Digitized by Google

ex falsa imaginatione, qua existimamus totum formaliter dicere partes, & aliquid aliud, quod est impossibile; vel enim illud aliud esset pars; & sic non esset aliud à partibus; vel non esset pars, & sic non poſſet totius constitutionem ingredi: ergo dicendum est, quod tertia entitas, quam totum supra partes importat, non sit aliud, quam constitutum ex partibus, ita vt non possit alio modo concipi, nisi vt totum, dicens partes tamquam rationes, ex quibus intrinsecè constituitur: ita ferè Mazziotta *n.* 75.

Respondeo: negando id, quod assumitur in antecedente; dico enim argumentum, quod nos initio fecimus, non procedere ex imaginatione falsa, sed ex communi Philosophorum consensu, docentium ea, quæ realiter distinguuntur adinuicem, vel adæquatè, vel inadæquatè debere distingui. Hoc autem ipso, quod dicunt Aduersarij: tertiam entitatem totius inadæquatè à partibus vnitis esse distinctam; deducimus contra illos in hac tertia entitate admittendam necessariò esse realitatem aliam, quę contradistinguatur à materia, & forma vnitis, cum quibus constituat totum; de qua realitate verificetur quod sit pars simul, & totum; & sit id, cuius beneficio totum inadęquatè distinguatur à partibus suis, & simul sit ipsum totum, quod beneficium recipit, vt distinguatur ab illis.

13 Dices quintò: si quis dicat cum aliquibus, de quibus Mazziotta multis in locis: materiam, & formam manere vnitas, & simul componere in illo priori, in quo intelliguntur causare compositum; non verò quando transeunt in tertiam entitatem, & compositum est causatum; eo quod tunc intelliguntur vnificatæ in vno per se, quod ex sua summa proportione constituunt: Si quis, inquam, hoc dicat rectè solueret nostrum argumentum; siquidè non cogeretur assignare aliquid aliud præter ipsũ totum; ergo &c.

Respondeo negando, quod si quis hanc viam ineat, argumentum à nobis factum rectè solueret. Cogeretur enim asserere in homine neque animã rationalem, neque corpus esse; sed eum esse tertiam quandam entitatem simplicem, in quam anima, & corpus vnita conuersa sunt. quo quid absurdius? Id autem sic euinco: nam in illo posteriori signo, in quo intelligitur causatus homo, vel anima rationalis vnà cum materia prima desinit esse secundùm entitatem suam, vel non; si primum, habeo intentum; & infero veramque partẽ fuisse corruptibilem, ac defacto corruptam; & quidem naturaliter. secundum non stat cum solutione posita, quia ea doctrina vult, quod in eo signo, in quo intelligitur tertia entitas iam causata, non intelligantur partes vnitæ, eo quod intelligantur vnificatę in vno per se composito. Deinde quærerem ex respondente quomodo huiusmodi partes vnificarentur: retinendo ne adhuc in illa vnitate suam essentiam, an eam deperdendo? non primum, quia iam intelligi possent in toto existere; ergo secundum. totum igitur, quod remanet, erit aliquod simplex. Tunc verò vlterius quæro: totum quod est homo, eritne ens spirituale, an materiale? & si spirituale; quomodo sensibile, & sensitiuum? si materiale; quomodo rationale, & discursiuum? Ex quo euidenter deducitur ab hac responsione recedendum omnino esse à viris doctis, sicuti recessit Mazziotta multis in locis præsertim *num.* 53. vbi etiam rectè respondet ad parilatem desumptam ab Aduersarijs ex partibus homogeneis quantitatis, quæ in toto verificantur dicendo; quod materia, & formæ differunt inter se essentialiter, ac proinde ex suis rationibus intrinsecis non possunt vnificari: Contra verò partes homogeneæ quantitatis sunt eiusdem essentiæ, aptæ vnum continuum constituere, & solùm ex terminis extrinsecis distinguuntur, quos deperdere possunt propriam essentiam conseruando. vnde nil mirum, si in toto non distinguuntur actu inter se; sed vnificentur. quam doctrinam nos quoque docuimus in Physicis.

Tertia conclusio: *Totum formaliter sumptum* 14
distinguitur ratione penes conceptum explicitum, & implicitum à partibus vnitis collectiuè, & æquè primò acceptis: Est ferè omniũ, quos pro procedẽte conclusione citauimus.

Probatur autem; quia alius est conceptus partium vnitarum; alius verò conceptus totius: hoc enim concipitur per modum vnius, ille verò per modum plurium. Verum rectè aduertit Auersa *quæst. 19. sua physiosoph. sect. 8.* duos hosce conceptus distingui solùm ex nostro modo concipiendi, non autem ex parte rei conceptæ, & differre solùmodo penès implicitum, & explicitum, sicuti differunt conceptus definitionis, & definiti; siquidem conceptus explicitus partium vnitarum est implicitus totius, & vice versa; atque adeo quidquid primò intentionaliter verificatur de vno, de altero verificetur necesse est.

SECTIO TERTIA.

Proponuntur, & soluuntur quinque obiecta contra principalem conclusionem.

OBijcies primò quædam Aristotelis loca, in 15
quibus videtur sentire, totum esse quid distinctum à suis partibus. *Secundò enim de anima tex. 2.* diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum. 1. *vero met. tex. 19.* numerus, inquit, sex non est bis ter, neque ter bis, sed quid semel sex, sic compositum: 2. *denique met. tex. 12.* docet syllabam, Ba non esse B, & A; & per consequens à suis partibus esse distractam.

Respondeo: Philosophi, in his, & similibus textibus, vel comparare tota illa cum partibus suis collectiuè, & æquè primo vnitim sumptis; & sic exponendum esse iuxta tertiam conclusionem; quod scilicet tota hæc, videlicet substantiale cõpositum, numerus senarius, & syllaba Ba penès conceptum implicitum, & explicitum à suis partibus distinguantur; vel comparare tota illa cum partibus suis distributiuè sumptis, & sic exponẽdum esse iuxta primam conclusionem, quod scilicet inter partes hoc modo sumptas, & composita ex illis, distinctio realis inadæquata intercedat.

Obijcies secundò D. Thom. locis adductis à P. 16
Mazziotta *num.* 15. in quibus ipse putat eum clarissimè stare pro sua sententia. Nam *in 3. dist. 2. quæst. 1. ar. 3. quæstiuncula 3.* Dicendum, inquit, quod sicut in Christo verum Corpus, & anima fuit: ita vera Humanitas ex coniunctione vtriusque resultans.

Digitized by Google

tans contra nonnullos, qui prius concedebant, & negabant posterius *ibid. ad 3.* sic: Cum dicitur nomine humanitatis Corpus, & animam intelligi, intelligendũ est materialiter; sicuti nomine totius intelliguntur partes; non quod totum propriè loquendo sit suæ partes, sed aliquid ex partibus cõstitutũ. Denique *3. part. quæst. 6. art. 5. in fine Corp.* Verbum, inquit, sicuti assumpsit Corpus propter ordinem, quem dicit ad animam; ita assumpsit Corpus, & animam propter ordinem, quem dicunt ad naturam humanam; Atque hunc quidem locum, ait Mazziotta, apertissimè supponere per D. Th. Corpus, & animam distingui à natura humana; si enim essent idem cum illa, non possent dicere ordinem ad illam; cum nihil reperiatur, quod dicat ordinem ad se ipsum.

Respondeo, nullum ex his locis fauere Aduersario: non primum, quia in eo solùm asseritur potuisse Deus assumere verum Corpus, & veram animam rationalem, absque eo quod veram humanitatem assumpsisset; si vel partes in diuersis locis positas hypostaticè terminasset, vt in triduo mortis: vel si in eodem loco illas cum aliquo impedimento ad vniendum se inuicem substantialiter assumpsisset. Ex hoc autem nullo modo sequitur humanitatem esse tertiam entitatem à partibus vnitis realiter distinctam. Neque ex eo quod ab eisdem partibus vnitis resultare dicatur; siquidem resultantia non semper sumitur pro statu reali; potest enim accipi pro statu obiectiuo, & intentionali; in quo sensu dicimus, ex animalitate, & rationalitate resultare hominem, in quantum hoc ipso, quod intellectus cognouit hominem metaphysicè acceptum per modum plurium incõpletorum, solet in eo regulariter resultare cognitio eiusdem per modum vnius per se; eodem modo exponenda sunt verba S. D. Neque fauet secundus locus; quia quando ibi negatur totum, propriè loquendo, esse suas partes, & conceditur esse aliquid ex partibus constitutum: vel est sermo de partibus quomodocumque acceptis; & hoc est verissimum in sensu reali; nisi enim inter eas vnio intercedat, non habebitur totum; vel de partibus vnitis, & hoc etiam verum est in sensu formali, quia alius est conceptus partium vnitarum, alius verò totius; in priori enim relucet multiplicitas; in posteriori verò vnitas per se, vt melius ex dicendis constabit. In tertio denique loco equitauit Mazziotta; supponit enim, quod loquatur S. D. de intrinseco aliquo ordine, quem dicant Corpus, & anima ad naturam humanã: cũ expresse ibi verba faciat de ordine intentionis, se tenente ex parte agentis; qui, cum sit extrinsecus obiectiuè, rectè stare potest, etiam si nullus realis inter ea ordo intercipiatur; En tibi verba antecedentia S. Doctoris, ex quibus intulit postea citata. In Incarnatione, inquit, oportet maximè attendere ordinem, qui est ex parte agentis. Manifestum est autem, quod secundùm intentionẽ agentis prius est completum, quàm incompletum; & per consequens, totum, quam partes &c. Quoniam verò adhuc instari potest contra nos, quod neque ordo extrinsecus potest esse inter ea, quæ realiter identificantur: ideo dicendum, quod verba illa D. Th. (assumpsit Corpus, & animam propter ordinem, quem habent ad humanitatem) explicanda sunt de Corpore, & anima distributiuè acceptis, seu præscindentibus in aliquo priori ab vnione.

Obijcies tertiò ex eodem Mazziotta *num.* 41. & 45. partes, materia scilicet, & forma sunt simpliciter plura: at verò totum simpliciter vnum; ergo hoc est tertia quędam entitas à suis partibus distincta: alioqui esset vnum per coaceruationem contra Arist. 8. *met. tex.* 15. asserentem, quod totum non sit quasi coaceruatio, sed sit aliquid aliud præter partes. 17

Respondeo: distinguendo maiorem; Partes sunt simpliciter plura partialia, concedo: sunt simpliciter plura totalia, nego maiorem; & sic distinguo minorem: totum est simpliciter vnum totale constans ex pluribus partialibus, concedo. est simpliciter vnum simplex, & non constitutum ex pluribus partialibus, nego minorem; & consequentiam. Sicuti etiam nego ex tradita distinctione sequi substantiale compositum esse vnum per coaceruationem; si enim sic esset, constare deberet ex pluribus entibus totalibus, quorum vnumquodque esset in se completum, vel ex pluribus partialibus nullam dicentibus essentialem habitudinem adinuicem; neutrum autem reperitur in nostro casu: siquidem partes sunt semientia essentialiter ordinata ad compositum substantiale constituendum; quod, quia est vnum per se vnica definitione definibile, non dicens multitudinem partium ad modum acerui: ideo aliquid aliud præter partes esse dicitur: præter partes, inquam, non quidem collectiuè, & æquè primò acceptas, sic enim non componunt, neque faciunt, sed sunt ipsamet essentia vna compositi per vnitatem cõpositionis; sed distributiuè, & non æquè primò sumptas, quod dici nequit de toto accidentali, seu per modum acerui. Atque ex his remanet solutũ argumentum Marineri *lib. 1. physic. disp 5. quæst. 3.* ductum à diuersitate, quam debet habere compositũ substantiale ab accidentali; sufficientissimè enim diuersificantur per hoc, quod forma substantialis est primus actus, & ideo facit vnum per se cum materia. Contra verò accidentalis est actus secundus, & ideo facit vnum per accidens, vt rectè Quiros *in suo cursu disp. 50. sect. 3. num.* 10.

Obijcies quartò: nisi totum distingueretur à suis partibus non posset in nostra sententia assignari, quid in generatione hominis generaretur, & quid in eius corruptione corrumperetur? sed hoc est inconueniens; ergo &c. Sequela probatur si quid enim assignari posset, hoc maximè esset vnio, neque enim materia, neque forma sunt generationis, & corruptionis capacia; at vnio per nos distincta non datur; ergo &c. 18

Respondeo negando sequelam. Ad cuius probationem dico terminum vt quod generationis hominis esse hominem ipsum; vt quo autem, eiusdem animam: non quidem secundùm entitatem suam, sed potius sumptam in ratione vniti, quod sufficere ad essentiam generationis patet ex Arist. 3. *met. tex.* 27. pari etiam ratione terminus à quo vt quod, in corruptione erit idem homo, qui perit, sumptus in ratione totius: vt quo verò anima in ratione vniti, seu secundùm quod vnita erat, vt aduertit Sanctus Dionysius *de cælesti hierarchia cap.* 4. mortem dicens, in nobis non esse substantiæ cor-

Digitized by Google

corruptionem, sed vnitorum separationem.

19 Obijcies quintò: Totum est effectus physicus partium omnium collectiuè sumptarum; ergo distinguitur realiter ab illis. Consequentia patet, quia omnis effectus distingui debet realiter à sua causa.

Respondeo negando antecedens; Licet enim verum sit, quod totum sit effectus partium distributiuè, & non æquè primò sumptarum; est tamen idem realiter cum illis collectiuè, & æquè primò acceptis; ex quo fit non debere realiter ab illis sic consideratis distingui: benè tamen distingui debere realiter inadæquatè ab illis distributiuè sumptis. Atque hic obiter nota, quod sicuti inter effectum, & causam extrinsecam adæquata distinctio est necessaria: ita inter effectum, & causam intrinsecam necessaria est inadæquata; implicat enim reperi adæquatam, vti vidimus.

Instabis, Totum habet causam totalem intrinsecam; huiusmodi autem causa nequit esse, nisi partes collectiuè sumptæ; ergo &c.

Respondeo, negando maiorem: quia ratio causæ intrinsecæ est essentialiter pars componens, atq; adeò partialis, non valens cum alia partiali in vnã causam totalem coalescere. Quod si ex pluribus causis partialibus extrinsecis fit vna totalis causa, ratio est, quia causant effectum distinctum à se ipsis collectiuè sumptis, eique dant aliud esse à proprio, atque adeò coniungi possunt, vt in illud influant: at verò causæ intrinsecæ causant per exhibitionem suarum entitatum, quas communicant effectui, ex eo quod simul coniungantur. vnde nõ datur alia tertia entitas, in ordine ad quam, communicationes illæ partiales in vnam coalescere possint.

Subinstabis. Causæ intrinsecæ partiales vniuntur in ratione causarum; ergo ex illis fiet vna totalis causa.

Respondeo distinguendo antecedens: vniuntur in ratione causarum, vt scilicet faciant vnam causam totalem, nego: vt quælibet per vnionem cum alia constituat vnum effectum, concedo antecedens, & nego consequentiam; sicuti enim partes vniuntur in ratione partis, & non constituunt vnã partem totalem, ita neque causæ intrinsecæ vnam causam totalem.

Vrgebis iterùm: totum intrinsecè est adæquatè causatum; ergo habet causam intrinsecam adæquatam.

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; sicuti enim vnum compositum adæquatè, non dicit vnum adæquatum componẽs: ita totum adæquatè intrinsecè causatum, neque vnam causam intrinsecam adæquatam dicet, sed plures inadæquationem habentes per hoc, quod distributiuè accipiantur, vna in recto, & altera in obliquo.

SECTIO QVARTA

Alijs quinque obiectionibus satisfacio.

20 OBijcies sextò; partes omnes componunt totum, atque in illo includuntur: nihil autem potest componere se ipsum, & in se ipso pariter includi; ergo realiter saltem vt includens ab incluso totum distinguitur à suis partibus.

Respondeo, distinguendo maiorem: partes omnes collectiuè sumptæ componunt totum, & includuntur in illo, nego maiorem; hac enim ratione sumptæ sunt compositum, & id potius quod includit: partes omnes sumptæ distributiuè, cõcedo maiorem: & concessa minore; eadem distinctione distinguo consequens. Neque te terreat, quod non soleamus dicere, quod partes collectiuè sumptæ ex partibus sumptis distributiuè componantur, sicuti dicimus, quod totum ex illis componitur; in modo enim loquendi attendendus est modus concipiendi, penes quem differt totum à partibus collectiuè sumptis.

Instabis: in hac propositione (materia, & forma vnitæ, sunt causæ compositi:) item in hac alia, (causæ intrinsecæ compositi sunt duæ) veniunt partes collectiuè, & æquè primò: & tamen vtraq; propositio vera est; igitur etiam si partes sumantur collectiuè, sunt causa compositi.

Respondeo: quod prior propositio sumi potest tum in sensu distributiuo, tum collectiuo ex parte subiecti; primo modo sumpta, significat rationem causæ verificari de materia, & forma distributiuè acceptis: & in hoc sensu verissima est, sed in ea non veniunt partes collectiuè acceptis. Secundo verò modo significat, quod ratio causæ cadat supra vtramque indiuisibiliter sumptam, sicuti cadit numerus binarius supra Petrum, & Paulũ; & sic neganda est propositio propter hoc ipsum, quatenus partes collectiuè acceptas importat. Posterior verò propositio sumitur quidem illa in sẽsu collectiuo, non tamen in ordine ad rationem causæ, sed in ordine ad prædicatum suum, quod est numerus binarius. Verum ex hoc non sequitur, quod materia, & forma collectiuè sumptæ sint causa compositi, sed solùm quod binarium numerum componant. nego igitur consequentiam.

Obijcies septimò cũ Mazziotta *n.* 49. valde sibi displicente in distinctione, quam sæpe tradidimus de partibus distributiuè, & collectiuè acceptis, sic: Per nos nõ valet hæc propositio (materia, & forma vnitæ causant totum) quia sunt idem, ac totum; ergo neque valere debet hæc alia (materia vnita formæ causat totum) quòd à nobis negatur. Consequentia probatur, quia vtraque propositio idem realiter importat ex parte subiecti, nimirum materiam, formam, & vnionem; & non differunt, nisi secundum modum, quo ea significantur ab intellectu, scilicet secundum rectum, & obliquum; ergo, si per nos non valet hæc propositio (materia, & forma vnitæ causant totum:) neque valebit hæc alia (materia vnita formæ causat totum.) Hæc verò consequentia suadetur, quia si qua esset disparitas, maximè ratione diuersi modi, quo relatæ propositiones significantur; sed hæc nulla est; quia, vel diuersus hic significandi modus aliquid reale importat in vna, & non in alia, vel non, sed simpliciter propositiones illas in sua simplicitate relinquit: non primum, vt omnes fatemur; ergo secundum; & sic non potest in vna esse vis realis causatiua totius, & non in altera; vis enim realis causatiua non nisi in realitate causæ fundari potest. 21

Respondeo: concesso antecedente, negando cõsequentiam; ad cuius probationem concesso item ante-

Digitized by Google

antecedente; nego etiam consequentiam; & ad eius confirmationem concedo id, quod assumitur; nimirum ratione diuersi modi significandi dictas propositiones diuersificari. Porrò hic diuersus modus licet nihil reale importet ex parte subiecti in una, quod non importet in alia: importat tamē diuersum significatum in recto; & quia verificatio prædicati in propositione sumenda est ex idētitate cum illo, quod in eius subiecto significatur in recto, non verò ex identitate cum illo, quod venit in obliquo: hinc fit, vt licet hę duę propositiones (materia, & forma vnitæ causant totū: & materia vnita formæ causat totum) ex parte subiecti non distinguantur realiter, prior tamen sit falsa, secunda vera: quia significandi modus prioris propositionis importat, quod de vtraque parte collectiuè accepta verificetur, quod causet totum quod falsum est. posterioris verò, quod vna tantùm pars: quod est verissimum.

Ad id denique quod inferebatur: ex suppositione, quòd vtraque propositio idem reale ex parte subiecti contineret, non posse in vna haberi vim realem causatiuam totius, & non in altera, dico vtriusque subiectum vim causatiuam totius importare; cum hac differentia, quod prior non solū causæ, sed etiam effectui dictam vim causatiuam competere enunciat, & ideò falsa est: posterior verò enunciat de sola causa, & ideò vera est. Ad eum plane modū quo in his duabus propositionibus (Petri Apostoli pater genuit Andream) (Petrus Apostolus, & Pater eius genuit Andream) non importatur ex parte subiecti aliquid reale diuersum, sed solùm diuersus significandi modus; & tamen prior est uera: quia vim realem causatiuam tribuit; cui attribuenda est, nimirum soli utriusque Patri Zebedæo; posterior falsa, quia eandem vim tribuit etiam Diuo Petro, cui non competit.

Instabis: per nos materia vnita formæ est causa compositi; ergo & materia, & forma vnitæ debent etiam esse causa compositi; Antecedens est nostra doctrina. Consequentia suadetur: quia in tantùm materia vnita formæ est causa compositi, in quātùm no importat formam in recto, sed in obliquo; compositum verò utramque dicit in recto. sed etiam materia, & forma vnitæ nō important vnionem in recto, sed in obliquo, & compositum illam dicit in recto; ergo materia, & forma unitæ debent censeri causa compositi; & per consequēs realiter ab illo distingui. Maior huius, & consequentia patent; minor verò suadetur, quia ex vna parte, hæc est vera propositio (Partes sunt vnitæ.) ergo subiectum dicit totum prædicatum sumptum in recto: sed subiectum non dicit vnionem; ergo neque hoc concretum (vnitę) dicit in recto vnionem: sicuti neque album albedinem; ex alia verò parte, unio non superuenit toti, sed illud constituit non minus quam materia, & forma. ergo compositum illam dicit in recto, sicuti dicit partes; ergo &c.

Respondeo, concesso antecedente, distinguendo consequens; ergo materia, & forma unitæ debent esse causa compositi, si concretum illud (unitę) adiectiuè sumatur, concedo; si sumatur substantiuè sicuti à nobis sumitur, nego consequentiam; Ad cuius probationem, concessa maiore; distinguo eodem modo minorem. Materia, & forma vnitę adiectiuè non important unionem in recto, concedo; unitæ substantiuè, nego minorem: Et ad eius confirmationem dico concretum quodcunque posse sumi dupliciter adiectiuè, & substantiuè, adiectiuè sumptum dicit formam in obliquo, & subiectum in recto; at substantiuè acceptum utrumque dicit in recto. Hoc patet exemplo. Concreti (album) in hac duplici propositione positi (album est compositum accidentale: albū est lignum:) nisi enim in priori propositione substantiuè sumeretur, & in posteriori, adiectiuè utraque propositio falsa esset; Hoc posito aio: quod quando communiter dicimus totum non distingui realiter à partibus vnitis, concretū (vnitis) sumimus substantiuè, quemadmodum etiam sumimus totum, seu compositum ipsum; sic autem sumptum iam dicit vnionem in recto.

Subinstabis: concretum substantiuè acceptum non debere appellare aliud substantiuum, sed in neutro genere proferri. sed hoc non fit à nobis; ergo &c.

Respondeo ad maiorem, quod licet vera sit grammaticè loquendo; non est tamen cur, loquēdo philosophicè, contrarium non possit habere veritatem, spectato nimirùm statu quæstionis, & reliquis circumstantijs; ex eis enim, in casu nostro, facilè apparere potest, quod illa appellatio, & generis variatio non ponantur ad concretū illud adiectiuè sumendum, sed ad ostendendum tantùm quomodo à parte rei debeant se habere partes, ut identificentur cum toto. ita ut sensus illius propositionis (totum non distinguitur realiter à partibus unitis) sit, quod non distinguatur à partibus unitim sumptis; cum quo stat, quòd dictæ partes non quomodocumque sumi debent, sed certo quodā modo, nimirùm in recto unà cum unione.

Obijcies octauò ex eodem Mazziotta *num.* 40. nisi totum distingueretur realiter à partibus vnitis: sequeretur, quod neque per intellectum distingui deberet. Consequens est absurdum. ergo &c. Minor patet; quia totum concipimus per modum vnius: partes verò etiam collectiuè acceptas, per modum plurium. Sequela probatur, quia si distingueretur per intellectum, maximè sicuti implicitū, & explicitum, quemedmodum distinguitur definitum à sua definitione; sed non ita distingui suadetur, quia valet hæc propositio (homo est animal rationale) non valet autem hæc (totū est partes vnitæ) sicuti è contra valet hæc (totum est ex partibus vnitis:) non valet autem hæc (homo est ex animali rationali;) ergo &c. 23

Respondeo, negando sequelam: ad cuius probationem, concessa maiore, nego minorem; & ad priorem cōfirmationem in contrarium, dico quod sicuti vera est hæc (homo est animal rationale) ita & hæc (anima rationalis, & caro vnus est homo, vt inquit D. Athanasius in Symbolo. In vtraque enim intelligitur vnio; in priori quidem metaphysica: in posteriori physica, alioquin vtraque esset falsa. Ad posteriorem verò aio, quod sicuti dicimus totum physicum constare ex materia, & forma: ita etiam essentiā metaphysicam constare ex genere, & differentia; quod si non solemus asserere hominem constare ex animali rationali:

ratio

Digitized by Google

ratio potest esse, quia id, ex quo aliquid cõstat, necessariò debet esse pars illius: at verò animal, & rationale possunt seiuncta ab inuicem prædicari de toto homine, quod non habent partes physicę. Atque hic obiter nota contra eundem Mazziottam *n.* 35. quod sicuti sufficit distinctio rationis inter partes conceptas per modum plurium, & inter totum conceptum per modum vnius: ita sufficiet, quamuis totum, vt totum dicat negationem exercitij vnionis cum alio toto? Partes verò vnitæ dicant exercitium vnionis inter se, quo vna alteri vniatur; nã exercitiũ vnionis, quod essentialiter negatur à toto, differt essentialiter ab exercitio vnionis, quod partes includunt. Per illud .n. totum euaderet pars: per hoc verò constituitur in ratione totius; vnde stat, quod totum, vt totum, includat in se exercitium vnionis, quo partes inter se vniuntur, vt idem Auctor pluribus in locis non obscurè fatetur, respuat verò illud quo in ratione partis constituatur.

24 Objcies nonò: à forma substantiali deriuatur in materiam modus quidam substantialis à materia, forma, & vnione distinctus; & essentialiter inclusus in toto; ergo totum distinguitur realiter à partibus vnitis. Consequentia patet; quia includit præter ea modum illum, quem non includunt partes vnitæ. Antecedẽs probatur à Vasquez *tom. 1. in tertiam partem disput. 19. num. 26.* pluribus, & primò quidem, quia materia non solùm est vehiculum animæ, sed etiam per eam viuit, & est principium operationum vitalium; ergo aliquod esse substantiale ab illa recipit. Secundò quia anima rationalis tribuit materiæ esse corporis, & animalis. Sed hoc esse non potest ei tribuere per se ipsam, quia spiritualis est. Ergo per modũ alium à se distinctum. Tertiò denique quia vita animæ rationalis est incorruptibilis, sed vita hominis est corruptibilis; ergo aliud esse substantiale deriuatur ab anima in corpus humanum distinctum ab ipsa anima. Quæ rationes cum non militent pro forma accidentali; hinc putat Vasquez non deriuari ex ea modum aliquem accidentalem in materiam.

Respondeo, permisso antecedente, negando cõsequentiam: ad cuius probationem dico in præsenti quæstione nomine partium vnitarum venire omnia ea (quęcumque tandem sint) quæ includuntur in toto, & disputationem procedere de ipsa ratione totius, quæ illis omnibus simul sumptis intelligitur aduenire, quo modo distinguatur ab illis; siue enim ea sint plura, siue pauciora, parum refert, & materialiter se habet, ad quæstionem; vt benè notauit Ouiedus *contro. 5. physicor. puncto 5. numero 1.* Cæterùm notanter permisi antecedens, quia illud cum eodem Ouiedo *puncto 2.* & alijs communiter, falsum esse existimo: eo quod sine necessitate vlla modum illum multiplicat in compositis substantialibus, vt ex rationibus ad id probandum adductis facilè colligitur. Ad primam enim dicendum: maiorem vim habere animam ad reddendum formaliter corpus viuens, & denominandum illud principium sentiendi: quã ille modus, quem fingit Vasquez ab ea deriuatus. Vnde superfluè hic modus ponitur ad hos effectus corpori tribuendos. Ad secundam verò nego animam rationalem non posse tribuere materię gradum corporis, & animalis; per hoc enim præcisè quod sit forma substantialis ordinata ad complendam substantialiter ipsam materiam, vnà cum ea, constituit corpus; & per hoc præcisè quod sit vitale principium sentiendi vt quo, constituit cum illa animal; alioquin si per vnam formam formaretur materia in ratione hominis, & per aliam in ratione animalis; non posset animal prædicari de homine: vt probat Arriaga *disp. 5. physic. sect. 1. n. 6.* Ad tertiam denique aio vitam hominis in se quidem esse incorruptibilem: est enim anima ipsa rationalis, at in ordine ad corpus esse corruptibilem, quia effectus eius formalis propter separabilitatem abinuicem amitti ab eo facilè potest. Ex quibus deducitur, quod sicuti ex forma accidentali non deriuatur in materiã aliquis modus accidentalis, vt communicetur illi effectus formalis dictæ formæ, ita neque ex substantiali.

Objcies decimò: materia, & forma vnitæ non sunt idem inter se; ergo neque sunt idem cum cõposito. Consequentia tenet. Ea enim quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se. 25

Respondeo, negando consequentiam: ad cuius probationem dico: quod compositum non est tertium quid distinctum à materia, & forma vnitis ęquè primò sumptis. Quod si loquamur de materia, & forma non collectiuè acceptis: distinguendum est illud axioma, quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, sunt eadem inter se, concedo: vni tertio inadęquatè nego; materia autem, & forma sic cõsideratæ inadæquatè tantùm identificantur cum toto.

Atque ex his colliges: neque totum essentiale metaphysicum constans ex genere, & differentia; neque totum integrale; neque totum artificiale, neque totum accidentale; neque denique totum vniuersale à suis partibus vnitis collectiuè sumptis realiter esse distinctum; solùm enim totum virtuale, quod est essentia respectu suarum proprietatum, & causa respectu suorum effectuum, hoc pacto distinguitur. In quibus omnibus, cum Aduersarij nobiscum conueniant, notandi sunt inconsequentiæ, atque cogendi in his totis soluere argumenta, quæ contra nostram sententiam congerunt.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVADRAGESIMA TERTIA.

DE GENERATIONE VIVENTIVM.

1 NAturam hic generationis viuentium inquiro; non quod existimem eam esse speciem generationis, de qua in præsenti Tractatu cum Aristotele agimus, alioquin non posset sub se Verbi Diuini generationem comprehendere, quam constat non esse mutationem totius in totum: sed quia magnam habet cum ea affinitatem, ita vt quoties habetur inter viuentia creata, toties sit cum illa coniuncta. Nullum enim viuens creatum naturali modo vitaliter generatur sine mutatione substantiali totius in totum, vt bene notat D.Th. *prima parte quæst.27.art.2.*

SECTIO PRIMA.

Quid sit viuentium generatio.

2 VNica Conclusio. Generatio viuentium rectè definitur: Origo viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ. Ita ferè omnes Theologi ex D.T. *loco citato*, & sumitur ex Aristotele. Genitum enim vitaliter, debere esse coniunctum generanti docuit *8.Ethic. cap.12.* debere autem in similitudinem naturæ procedere tradidit *7.metaph. tex.28. & 2.de anima tex.34. & 38. & primo de gener. tex.25.*

Dicitur primò: (origo viuentis à viuente) & per particulam quidem, (origo) conuenit cum cæteris productionibus; omnes enim habent, vt sint origines. Per particulas verò, (viuentis à viuente,) distinguitur ab illis, quę vel non procedunt à viuentibus, vt est productio animalis ex putri materia, vel non tendunt ad producendum viuens, vt est productio calculi in renibus animalis, vel si tendunt ad producendum viuens, hoc non distinguitur à viuente producente. vt in nutritione contingit.

Dicitur secundò (principio coniuncto) vt significetur esse de essentia huius generationis, vt aliquid de substantia genitoris transmittatur in genitum. & in creatis quidem genitor transmittit semen, quod vel est vera eius pars, vel ad modum veræ partis se habet, quam ad hunc finem in seipso elaborat, vt ea mediante coniugatur cum viuente, quod generatur, eius materiam mouendo, eique se permiscendo. In Diuinis verò Pater communicat Filio naturam diuinam, quæ est principium generationis Verbi, ratione cuius Verbum à Patre tanquam à principio coniuncto verissimè procedit.

Dicitur denique tertiò (in similitudinem naturæ) vt declaretur generationem viuentium ex suis rationibus intrinsecis, & formaliter habere, quod genitum procedat simile in natura generanti. Porrò natura dupliciter sumi potest: primò pro primo principio constitutiuo corporis substantialis, siue sit materiale, siue formale: Secundò pro essentia completa rei substantialis, quæ sit radix operationum, seu perfectionum, quæ in ea sunt. Porrò naturam in his verbis certum est non sumi primò, sed secundo modo; alioquin Verbum non procederet à Patre in similitudinem naturę: in Patre enim neque materia prima, neque forma substantialis reperitur.

Iam verò quod huiusmodi definitio sic explicata rectè tradita sit, Probatur, quia rectè naturā generationis viuentium manifestat, eamque à qualibet alia re, quæ non est ipsa, sufficienter diuidit; ergo &c.

Obijcies primò: illę productiones factæ à Deo in initio mundi, vt hominis de limo terræ, cęterorumque animalium vel de aqua, vel de terra, fuerunt veræ generationes viuentium; sed eis non cōpetit tradita definitio; ergo non est bona. Minor probatur, quia licèt quælibet ex illis productionibus fuerit origo viuentis à viuente: nulla tamen ex eis fuit à principio coniuncto; quia nihil quod realiter fuerit in Deo transmissum est in hominē, & in reliqua animantia, vt de se patet. 3

Respondeo distinguendo maiorem: illæ productiones fuerunt generationes viuentium spectatis ijs, quę generatio viuentis habet ex parte termini producti, concedo; spectatis ijs, quæ habet ex parte principij producentis, nego maiorem; & concessa minore, nego consequentiam; ac dico nos hic agere de generatione viuētium adæquatè, non solùm secundùm quod specificatur à termino producto, sed ex ratione speciali, secundùm quam ex sua intrinseca ratione formali in creatis exigit vt à principio generante exerceatur; nimirùm elaborando intra se semen, & postea illud à se decidendo, & communicando proli; in qua acceptione sumpta dicimus importare, quod sit à principio coniuncto in similitudinē naturæ. Quoniam verò productiones illæ factæ à Deo initio mundi ratione solius termini producti fuerunt generationes viuentium, in quantùm earum terminum fuere viuentia, non autem ex vi suę rationis formalis; quia in ijs efficiendis eodem modo se habuit Deus ac se habuisset, si quodlibet aliud Corpus inanime producere voluisset: ideò non mirum, si eis non competat definitio tradita.

Obijcies secundò: Tradita definitio verificatur de generatione arboris per semen ex alia arbore decisum habita: sed ea non est generatio viuentis, de qua in præsentia sermo est. ergo dicta definitio competit alteri à definito. Maior patet: est n. origo arboris ab arbore, principio coniuncto, nimirum per semen, quod tendit ad producendam simi- 4

Digitized by Google

similem arborem in natura; minor verò suadetur: quia generatio, de qua agimus, talis est, vt denominet principium generans Patrem; terminum verò genitum filium; sed arbores non sunt harum denominationum capaces; ergo &c.

Respondeo: nonnullos esse, qui verba illa definitionis (origo viuentis à viuente) explicant de viuente cognoscitiuo. Alios verò de viuente actu sentiente, vel intelligente: quia putant per operationem vitalem cognoscitiuam communicari debere à generante propriam substantiam genito, vt rigorosa viuentis generatio habeatur. Neutrum autem verum existimo; non primum, quia sequeretur definitionem traditam esse vitiosam: nam quoties habentur verba propria ad explicandum aliquid, non debemus in definitione ponere verbum, quod impropriè, & figuratè illud significet; atqui, si de generatione viuentium cognoscitiuorum Auctores agere voluissent, utique potuissent sic eam verbo proprio definire. (Est origo cognoscitiui à cognoscitiuo.) ne igitur dicamus huiusmodi definitionem non esse rectè traditam, dicendum est eam de generatione cuiuscunque viuentis verificari. Multò minus verũ existimo secundum; nam si Dæmonis arte semen ex viri dormientis lumbis extraheretur, & in vuluam fœminæ item dormientis immitteretur; procreatio illa fœtus vera esset generatio viuentis, de qua loquimur: & tamen neque pater, neque mater pueri operationem aliquam cognoscitiuam exercuissent. Porrò in hoc casu Dæmon non debet censeri pater pueri; quia ipse applicat solùm actiua passiuis, sed bene ille, à quo semen extractum est, eo quod principio coniuncto in fœtum influit; licet quando habetur generatio nullo modo sentiat; suppono enim in ipso somno paulò post mori, ne Aduersarij ad instans introductionis animæ recurrant. Quare ad argumentum: concessa maiore, nego minorem; ad cuius probationem, nego maiorem, & dico: non omnem generationem hìc definitam denominare principium generatiuum patrem, & terminũ genitum filium; sed solùm illa, quę est origo viuentis cognoscitiui à viuente cognoscitiuo; atq; adeò stare, quod productio unius arboris ex alia arbore hac definitione comprehendatur, absque eo quod denominationem Patris, & filij dictę arbores sortiantur. imò neque genitoris, & geniti, si hæc verba ut æquipollentia precedentibus accipiantur.

5 Obijcies tertiò: Productio Euæ respectu Adę fuit origo viuentis a viuente principio coniuncto, quatenus Adę costa in eam transmissa est cũ perfecta similitudine in natura. sed productio Euæ non fuit generatio viuentis, alioquin ea deberet dici filia Adæ; ergo mala definitio.

Respondeo negando maiorem: origo enim viuentis à viuente importat formaliter processionẽ, hoc est viam, per quam unum viuens dat esse, & alterum accipit; quæ quidem via sine concursu actiuo proueniente ab eo, quod dat esse in id, quod recipit idem esse, intelligi omnino non potest; cum igitur Adam subministrando Euæ costã ad eius productionem minimè concurrit efficienter, sed materialiter tantùm præbendo materiam effectori Deo; hinc fit, ut Euæ productio respectu Adæ non possit dici origo viuentis à viuente.

Instabis ex his, quæ habet Ouiedus *n.* 2. concursus actiuus seminis virilis in prolem, dubius est; & multi satis probabiliter illum negant; & tamen nemo negauit quemlibet hominem filium esse illius, ex cuius semine procreatus est; ergo quamuis Adam per costam non concurrerit efficienter ad productionem Euæ, rectè dici potest, quod huiusmodi productio respectu illius fuerit origo uiuentis à uiuente.

Arriaga *disp.* 1. *de gener. sect.* 4. *n.* 48. sic habet: 6
Si semen uirile non concurrat actiuè, sed solùm sit materia, quam mater disponat: uir non magis erit pater prolis, quam fuerit Adamus respectu Euæ. Ex quibus aliquis respondere posset, stante ueritate suppositionis, concedendo consequentiã. Sed contra est, quia siue uera sit illa suppositio, siue falsa, nemo est, qui concedat Adam fuisse patrem Euæ; vnde rectè Ouiedus *loco cit.* Arriagam reprehendit, quod contra communem omniũ consensum id affirmet; & statim subdit se ideo sustinere ad uiuẽtis generationem respectu maris sufficere, quod hic actiuè elaborauerit semen in bonum prolis producendę, & quod actiuè illud à se deciderit uitali modo, idque à posteriori colligere, ne cogatur concedere Adamum patrem Euæ fuisse. Verum posterius, quod ex duobus requirit Ouiedus, uidetur esse contrarium ei, quod paulò ante sub eodem numero tradiderat videlicet non esse necessarium ad generationem uiuentium, ut principium generans uitaliter semen à se decidat; quod confirmabat ex arbore aliam arborem procreante, & ex dormiente, cuius semine arte Dæmonis in uuluam fœminæ incluso proles formata est. In neutro enim casu habetur uitalis decisio seminis, vt ex se patet. Quare negato actiuo concursu seminis uirilis, dico: sufficere ad generationem uiuentis, de qua loquimur, quod uiuens principium illud conuinctum, quod subministrat proli, sit ab eo efficienter elaboratum in talem finem, ut ex eo proles procreetur. Quo posito, concesso antecedente, nego consequentiam, quia esto quod semen non concurrat efficienter, sed tantùm passiuè, sicuti massa luti respectu figuli: quia tamen Adam non elaborauit costam in bonum Euę producendæ, idcircò huius productio non fuit origo uiuentis à uiuente principio coniuncto: elaboratio enim illa est quædam uia, & origo, quæ iam defuit in illo casu: sicuti etiam deesset casu, quo quis haberet in renibus calculũ, quem extractum miraculosè Deus in hominem conuerteret. Quamuis enim actiuè calculus ille ab hominis calore elaboratus esset; quia tamen non fuit elaboratus in bonum procreandæ prolis, nec dispositiones, quas habuit à producente ad hoc tendebant: hinc fit, ut ille, ex cuius renibus extractus est dictus calculus, non sit pater hominis producti, neque hìc per generationem uiuentis procreetur.

Obicijes quartò: quando dicitur quod generatio debet esse in similitudinem naturæ, uel sermo est de similitudine specifica, uel de generica; neutrum dici potest; ergo mala definitio. Probo minorem; non primum: nam Mulus est filius Equi, & Asinę, & tamen specie differt ab illis. ne- 7

Digitized by Google

que secundum, quia uermes, qui generantur in animalibus v. g. in equis, & hominibus, sunt illis similes secundùm genus, & tamen non habent rationem generationis, & filiationis respectu eorũ, vt expresè habet D. Th *prima parte quæst.* 27. *ar.* 2. ergo &c.

Respondeo Arriagam *loco cit. num.* 46. velle similitudinem requisitam inter Patrem, & Filium, neque debere esse tantam, vt sit specifica, neque tam exiguam, vt præcisè sit in ratione aliqua generalissima entis, aut substantiæ; sed sufficere si sit in aliquo genere vltimo, quale est inter Mulũ, & Equum. Sed hoc videtur esse contrarium doctrinæ D. T. *loc. cit. in corp.* vbi sic: Vermes, qui generantur in animalibus non habent rationem generationis, & filiationis, licèt sit similitudo secundùm genus: sed requiritur ad rationem talis generationis, quod procedat secundùm rationem similitudinis in natura eiusdem speciei, sicut homo procedit ab homine, & equus ab equo. Vtraque sententia vera est, cum limitatione quadam sumpta ex Aristotele 7. *metaph. tex.* 28. ibi: In quibusdam etiam manifestum est, quod generans tale est, quale quod generatur, nec tamen idem, nec vnum numero, sed vnum specie, vt in naturalibus: Homo namque hominem generat: nisi quod præter naturam fiat, vt Equus Mulum, & hæc quoque similiter: quod enim commune Equo, & Asino non est nominatum propinquissimum genus; fuerint autem ambo fortassis vti Mulus. Ex qua doctrina ad maiorem argumenti dicendum, quod quãdo dicitur, quod generatio debet esse in similitudinem naturæ, per se loquendo sermo sit de similitudine specifica. cum quo tamen stat, quod per accidens, hoc est, nisi quid præter natnram fiat, (vt ait Aristoteles) possit intelligi de generica in genere proximo. Ad probationẽ autẽ in contrariũ dico in generatione Muli ex Equo accidere aliquid præter naturam, quia vt ait D. Th. 7. *metaph. lect.* 2. explicans illum locum: Dicta, inquit generatio est præter intentionem naturæ particularis. Virtus enim formatiua, quæ est in spermate maris, naturaliter est ordinata, vt producat omnino simile ei, à quo semen est decisum; sed de secundaria intentione est quod, quando perfecta similitudo induci non potest, qualiscunque potest similis inducatur: & quia in generatione Muli sperma Equi non potest inducere speciem Equi in materia, propter improportionem, quam habet ad recipiendam illam; inducit speciem propinquam, nimirum proximum genus, nimirum rationem Iumenti; in qua Equus, & Mulus, & Asina conueniunt. Ita ferè S. D. Quoniam verò vermes non conueniunt in genere proximo cum animali, in quo nascuntur, ideò eorum generatio non est, de qua loquimur.

Ego verò responderem aliter ad argumentum, dicendo similitudinem requisitam inter genitorẽ, & genitum in definitione tradita semper intelligendam esse de specifica atoma. Et ad rationem in contrarium odderem, quod licet Mulus specie differat ab Equo, & Asina distributiuè acceptis, non tamen collectiuè consideratis; eo quod vltima eius differentia assimilatur differentiæ atomæ utriusque coniunctim, & indiuisibiliter acceptæ; non quidem assimilatione vniuoca: hæc est enim chymerica, & impossibilis vt suppono, at analoga, & hac non qualicunque, sed ea, qua maior præter vniuocam haberi nõ possit; Et quidẽ si res diligẽter inspiciatur, statim appareret bit maiorem cõuenientiam habere Equum & Asinum cum Mulo, quàm cum Camelo, & Dromedario. Porrò hæc conuenientia non potest esse in genere proximo, quia vt ait D. T. *loc. cit.* quẽ sequitur Fonseca ibi, omnia dicta animalia perfectè conueniunt in ratione Iumenti, quod est eorum genus proximum. quare erit in vltima ratione specifica; atqui non vniuoca, quia esset chymærica; ergo analogica omnium analogicarum perfectissima. Non enim datur aliud animal, quod perfectius Equum, & Asinam exprimere possit, ut de se patet, quam *Mulus*.

Obijcies quintò: In Diuinis, processioni Spiritus Sancti competit definitio generationis, non minus qnàm processioni Verbi; sed de fide est Spiritus Sancti processionem non esse generationem: esse verò processionem Verbi; ergo mala definitio; iam enim competit alteri. Maior probatur: quia de processione Spiritus Sancti verificatur primò, quod sit processio viuentis à viuente; nam Spiritus Sãctus perfectissimè viuit, & procedit à Patre, & Filio, qui pariter perfectissimè viuunt, sicuti Filius viuens à viuente Patre procedit. Verificatur etiam, quod sit à principio coniuncto in similitudinem naturæ, quia ei communicatur à Patre, & Filio natura diuina, per quam est proprijssimè Deus, non minus quam sit vtraque Persona. 3

Respondeo: hanc difficultatem valde antiquorum Patrum ingenia torsisse; in hunc enim ferè modum argumentabantur contra illos Hæretici, vt constat ex Athanasio *epist. 2. ad Serapionem*: Si Spiritus Sanctus est Deus de Deo; ergo Filius, si Filius, vel Filius Patris, & frater Verbi, vel Filius Verbi, & nepos Patris, vel denique filius utriusque. Cui quidẽ argumento respondebant Patres, Spiritum Sanctum esse quidem Deum de Deo, non tamen Filium: huius autem rei rationẽ non esse viribus humani ingenij inuestigandam, sed fidei certitudine credendam; adeò vt dixerit Augustinus *lib. 3. contra Maxim. cap.* 14. Distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo. Et quamuis postea in hac re per difficili, & obscura sapientissimorum Theologorum industria desudauerit: omnes tamen in eo conueniunt, vt nullum possit adduci discrimen euidens, ac perspicuum inter processionem Verbi, & Spiritus Sancti, ob quod vna processio censeatur esse verè generatio, altera verò minimè. Quamuis variè, & satis probabiles rationes huiusce discriminis ab eis excogitatæ sint, quas recognoscere oportet, vt propositum argumentum plenius dissoluamus, & exactius definitionem traditam hac occasione explicemus. Hoc autem præstabimus sequentibus Sectionibus; in quarum duabus prioribus celebriores aliorum rationes hac de re examinabimus: in reliquis verò nostram sententiam in medium adducemus, & obiectionibus, quæ contra eam fieri possunt, faciemus satis.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Expenduntur celebriores aliorum rationes, quibus probatur Spiritus Sancti processionem non esse generationem, esse verò processionem Verbi.

9 PRima ratio est Scoti *in* 1. *dist.* 13. *quæst.* 1. vbi ait: Processiones Verbi, & Spiritus Sancti esse primò diuersas, & ita se ipsis differre, vt vna sit generatio, & non alia: neque esse aliam huius rei rationem quærendam. Sed contra, quia licèt hęc responsio satisfaceret, posito quod dictarum processionum diuersitas esset manifesta, at quando de ipsa diuersitate controuertitur, & afferretur ratio in contrarium, cur diuersificari nequeant? nō potest assignari pro ratione, quod vna sit generatio, alia verò minimè, quia sic primò diuersificantur: quin manifestè petatur principium, eo quod id ipsum est quod quæritur.

Secūda ratio est Aureoli *in* 1. *dist.* 9. *primæ partis ar.* 2. putātis ad rationē generationis perfectissimę, qualis est diuina, non requiri in termino similitudinem realem in natura, sed intentionalem, consistentem in eo, quod sit imago repræsentatiua producentis: huiusmodi autem certum est esse solam processionem Verbi, non autem Spiritus Sancti. Sed contra est, tum quia sic relinquitur communissima generationis viuentium definitio, quæ in similitudinem naturæ dicitur esse; tum etiam quia inde sequeretur, quod verbum mentis, quod Angelus format, dum se ipsum comprehendit, esset proprijssimè genitum, & eius Filius.

10 Tertia est aliorum supponentium generationē esse actionem productiuam termini in primo instanti; per quod ab actione conseruatiua, quæ est in secundo instanti, essentialiter differt. Quo posito dicunt; quod in tantùm processio Verbi est generatio, non autem processio Spiritus Sancti, quia illa, vtpote per intellectum, est prima productio: hæc verò, vtpote per voluntatem, secunda. Sed contra est, quia quando dicitur, quod generatio sit productiua termini in primo instanti, & non in secundo; hoc nō potest intelligi in ordine ad eundem terminum, quia sic Verbum diuinum hodie non generaretur, quia non hodie primò ponitur. Quod si dicas nullum esse instans assignabile, in quo Verbum primò positum sit: ex hac responsione sequitur, quod neque hodie, neque vnquam fuerit genitum, quod est hæreticum. Deinde esto, quod cum aliqua limitatione huiusmodi doctrina in ordine ad eundem terminum habeat veritatem: in ordine tamen ad distinctos terminos cōsiderata est manifestè falsa; ex ea enim sequeretur, quod ille, qui secundo loco à suo Patre producitur, non esset verè eius Filius, neque ab eo genitus: quia supponeret primò genitum per primam actionem productum; Quoniam verò quæstio nostra procedit de Spiritu Sancto, qui est distincta persona à Filio, hinc fit, vt hæc via omni probabilitate careat.

Quartam affert Torres *quæst.* 27. *art.* 2. Vasquez *disp.* 115. *cap.* 5. & alij, qui volunt, quod licet Spiritus Sanctus non minus, quam Verbum similis in natura procedat; quia tamen non procedit, vt imago Patris, sicuti procedit Verbum, ideo eius processio non est generatio: est autem processio Verbi; quod autem Spiritus Sanctus non procedat, vt imago, ab eis probatur; quia ad habendam rationem imaginis præter similitudinem in natura cum suo principio, requiritur, vt illud repræsentet; atqui hoc non habet Spiritus Sanctus; ergo &c. Sed contra est primò, quia in tantùm Filius in creatis est imago Patris in quantùm procedit similis in natura illi, sed hoc habet Spiritus Sanctus per Aduersarios; ergo &c.

Contra secundò: quia imago per Vasquez *ibi.* 11
supra similitudinem naturæ non addit aliud, quam processionem ab eo, cuius est imago; vnde concedit Patrem repræsentare Filium non autem esse eius imaginem propter dictam rationem; sed Spiritus Sanctus habet vtrumq; ergo est imago. Quod si dicatur non habere Spiritum Sanctum cui suum principium repræsentet, & ideò non esse imaginem: Contra tertiò, quia sicuti viso Filio videtur Pater, ita viso Spiritu Sancto videtur spirator; & defacto Pater, & Filius videntur etiam in Spiritu Sancto tamquam in obiecto omnino simili in natura. Confirmatur, quia de ratione imaginis non est actu repræsentare, sed habere aptitudinem ad repræsentandum, quare etiam si Pater, & Filius non se in Spiritu Sancto viderent, adhuc in sententia Vasquez Spiritus Sanctus deberet esse eorum imago, si in similitudinem naturæ ab eis procederet. Quod si addatur ad rationem Filij requiri, quod sit imago producta ex intentione, vt suum principium repræsentet (vt dicunt aliqui:) Contra est quartò, quia non esse necessariā huiusmodi intentionem, patet ex hominibus, & belluis sine hac, & simili intentione generantibus. Quod si denique, cum alijs, respondeatur, Verbum non solùm procedere simile in natura Patri, sed etiam vt expressiuum, & declaratiuum obiecti, nempe eiusdem Patris, & ideo esse Filium: at verò Spiritum Sanctum ordinari ad inclinandum appetitū in obiectum, non verò ad illud exprimendum, ac declarandum, & ideò non esse Filium: Contra est quintò, quia quando dicitur Verbum procedere vt expressiuum, & declaratiuum, vel est sermo de expressione, & declaratione reali, vel de intentionali; neutrum dici potest, quod satisfaciat; ergo. Probo minorem: non primum, nam omnis illa realis expressio, quæ est in Verbo respectu Patris, est in Spiritu Sancto respectu Patris, & Filij; & quidem si sermo sit de natura, patet: si verò de personalitate: spiratio passiua non habet minorem similitudinem physicam cum spiratione actiua, quam personalitas Verbi cum personalitate Patris. Neque dici potest secundum, alioquin cognitio, qua Angelus se ipsum comprehendit esset filius Angeli, quia procedit vt expressiua, & repræsentatiua illius, quod nemo dixerit. Quod si Patres de Verbo affirmant, quod sit imago Patris, & id negant de Spiritu Sancto, est quia putant Verbum procedere, vt simile in natura Patri, non verò Spiritū Sanctū. Quare cum Vasquez velit eum procedere vt similem, debet etiam sustinere eum esse imaginem Patris, & Filij; contra communem sensum Ecclesiæ.

Quinta est Riccardi de Sancto Victore *lib. de* 12
Trinit. cap. 6. quem sequuntur Alensis, Maior, & alij.

Digitized by Google

Hic vult: Ideò Verbum esse Filium, quia illi per suam processionem communicatur natura formaliter vt natura, hoc est cum virtute producendi aliam personam. Nam de ratione naturæ positæ in definitione generationis putat esse fœcunditatem significatam per ly (in similitudinem naturę.) Quoniam verò Spiritus Sanctus accipit naturam diuinam, iam vt non fęcundam, ideò non habet rationem Filij. Sed contra est primò: quia natura in definitione generationis posita significat essentiam, & non principium productiuum, vt constat ex eo, quia in Deo vnica datur natura communis omnibus, & tamen in Deo virtus productiua, nec vna est, nec omnibus communis; ergo &c. Contra secundò; quia si natura in definitione significaret virtutem producendi, sequeretur, quod Verbum non esset adæquatè Filius, quia non accipit à Patre virtutem adęquatè producendi, sicuti habet Pater, qui producit Verbum, & Spiritum Sanctũ; quemadmodum enim Spiritus Sanctus quia nihil virtutis productiuæ recipit à suo principio, nullo modo est genitus; ita, quia Verbum à Patre solam virtutem spiratiuam reciperet, non verò generatiuam, deberet censeri Filius inadæquatè: quo quid absurdius?

13 Verùm pro hac sententia dices primò: Concilium Florentinum *sess. vltima*: sic habere. Nam credentes Spiritum Sanctum ex Filio nequaquã procedere, necesse est, vt Spiritum Sanctum intelligant ex solo Patre procedere, & consequenter nõ esse Filium. Tum sic: si Filius non spiraret vna cum Patre Spiritum Sãctum desineret esse Filius; ergo Filius ex propria ratione habet, vt sit alterius productiuus.

Respondere posset aliquis, illationes, quæ tamquam absurdę deducuntur à Concilijs contra hæreticos ad aliquod fidei dogma stabiliendum, non esse de fide; sunt enim quædam rationes, & argumenta, quæ non se obligauit Spiritus Sanctus sua auctoritate firmare, vt communiter docent Theologi. Ego vero planius respondeo particulam illam (ac consequenter) in verbis citatis non habere rationem illationis absurdæ contra errorem Græcorum, sed catholicam continere doctrinam, in qua Græci cum Latinis conueniebant, quod scilicet Spiritus Sanctus non esset Filius; cum enim illi diuinarum Personarum Trinitatem confiterẽtur, sicuti habebant necessitatem dicendi Spiritũ Sanctum à Patre procedere, ita & asserendi, quod distingueretur à Filio; vtrumque autem necesse esse, vt intelligerent aduertit Concilium. Quare negatur antecedens argumenti.

14 Dices secundò: Filius naturalis in creatis semper habet virtutem producendi alium, dummodo non fiat pręter intentionem naturæ particularis, vt habet Aristoteles 7. *metaph. tex.* 31. ergo natura, in cuius similitudinem viuentis generatio tendit, importat virtutem productiuam similis.

Respondeo, hoc argumento probari Verbum diuinum non esse genitum, neque Filium; quia Filij in creatis non habent à parentibus suis virtutem producendi aliud quomodocumque, sed via generationis; quam virtutem Verbum non accepit à Patre. Neque dicas, ideo eam non accepisse, quia est chymęrica propter processum in infinitum, qui necessariò ex ea sequeretur in diuinis Personis. Contra enim est, quia ex hoc clarè deducitur, argumentum sumptum ex paritate, seu inductione creaturarum non concludere; si enim concluderet, manifestè euinceret non communicari Verbo naturam in ratione naturæ cum propter implicantiam assignatam non communicetur cum virtute productiua, simili ei, quam habet natura creata, in cuius similitudinem cætera viuentia creata procedunt.

Dices tertiò: Si Spiritus Sãctus nõ procederet à 15
Filio; non distingueretur ab illo, neque Filius esset idem, qui nunc est. Ergo essentia Filij in diuinis importat fœcunditatem. rectè igitur assignatur disparitas inter processionem Verbi, & Spiritus Sancti, quando dicitur ideò illam esse generationem, quia Verbo communicatur natura diuina, vt fæcunda; hanc verò minimè, eo quod Spiritui Sancto communicatur, non vt fęcunda.

Respondeo, Filium dupliciter considerari posse: primò secundùm ea prædicata, quæ necessaria sunt ad constituendum illum in ratione Geniti, & Filij diuini formaliter vt sic, & ad distinguẽdum eundem formaliter ab omni alio, qui non sit ipse. Secundò pro vt includit omnia ea prędicata, quæ sunt illi necessaria ad constituendum illũ, prout de facto realiter est, & ad eũ distinguendum realiter ab omni eo, à quo de facto realiter distinguitur. Quo posito, distinguo antecedens: si Spiritus Sanctus nõ procederet à Filio, nõ distingueretur à Filio; & non esset idẽ Filius, qui nunc est, loquendo de Filio primo modo, nego; si loquamur de Filio secundo modo, concesso antecedente, nego vtramque consequentiam: Et dico, quod si accipiatur Filius secundùm ea prædicata, quæ necessaria sunt ad cõstituendum eum in ratione Filij formaliter, & ad eundem distinguendum formaliter ab omni eo, qui non est Filius: constitutiuum, & distinctiuum illius est procedere à Patre in similitudinem naturæ ex vi suæ processionis formalis. Quare etiam si non acciperet à Patre virtutem spirandi Spiritum Sanctum, adhuc distingueretur formalitet à Spiritu Sancto, & esset idem Filius, qui nunc est formaliter in ratione geniti, & Filij; quia importaret eandem rationem formalem, quam importat nunc, per quam distinguitur à Spiritu Sancto; cum quo tamen stat, quod facta illa hypotesi, Filius esset idem realiter cum Spiritu Sancto, quia non includeret omnia ea prædicata, quæ necessaria sunt ad constituendum illum secundo modo consideratum; hoc enim ipso quod non haberet virtutem spiratiuam, nec realem oppositionem cum Spiritu Sancto, non distingueretur realiter ab illo; quare realiter loquẽdo esset alius ab eo, qui de facto nunc est. Ex his autem nihil aliud colligi potest, quam quod ad personam Filij, sicuti de facto est, constituendam necessaria sit virtus spiratiua: non verò quod sit necessaria ad constituendam illam in ratione Filij.

SECTIO TERTIA.

Examinatur duæ alia Recentiorum rationes.

SExto loco occurrit trutinanda ratio disparita- 16
tis, quam illustrat doctissimus Arriaga *tom.* 1.

in

in primam partem disp. 47. sect. 8. à numero 62. vbi dicis esse communem inter recentiores Thomistas, & Iesuitas. In ea supponit Essentiam diuinam in sola intellectione virtualiter consistere; quamuis enim *disp. 16.* docuerit, eam consistere in solo actu primo radicali intelligendi, seu in ente à se subsistente: aduertit tamen in hoc non esse sibi contrarium, quia ibi loquebatur de Essentia diuina secundùm nostrum modum imperfectè concipiendi; hìc verò de ea, prout virtualiter distinguitur à cæteris virtualitatibus, quæ ipsam consequuntur. Quo posito in hunc fere modum ratiocinatur. Intellectio est virtualiter natura; sed Verbum diuinum ex vi suæ processionis procedit formaliter per intellectionem; ergo in similitudinem naturæ. Contrà verò volitio non est virtualiter natura diuina; sed Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit formaliter per volitionem; ergo nō procedit formaliter ex vi suæ processionis per naturam, & consequenter neque in similitudinem naturæ. Omnia, quæ in vtroque argumento continētur, videntur certa præter maiores, quas sic Auctor probat: intellectio, & volitio præter quam quod à diuinis relationibus virtualiter distinguūtur quatenus sunt toti Trinitati cōmunes, minimè verò relationes, habēt etiā quod virtualiter distinguātur inter se, quatenus pro statu reali de eis duo cōtradictoria verificantur: de intellectione quidē, quod sit principium quo Verbi, non autē Spiritus Sācti, de volitione verò, quod sit principium quo Spiritus Sancti, non autem Verbi; Atqui hac virtuali distinctione posita inter intellectionem, & volitionem, Essentia diuina in sola intellectione virtualiter consistit; ergo vera est veritasque argumenti maior assumpta. Minor huius, quę sola probatione eget, facilè suadetur, quia ex vna parte intellectio est prior volitione; prius enim obiectum intelligi debet, & postea amari: ex alia verò parte nihil aliud prius intellectione, quod sit in Deo virtualiter distinctum, est assignabile: quāuis enim in eo aliqua ex nostro modo concipiendi intelligantur præcedere, non tamen sunt talia, vt eis prædicata contradictoria realiter competāt; ergo virtuali distinctione inter intellectionē, & volitionem suppositā, Essentia diuina in sola intellectione virtualiter consistit: quod erat probandum.

17 Compronus *in primam partem disput. 65. sect. 5.* hanc rationem pluribus impugnat: primò quia duplicem essentiam eiusdem rei statuit, vnam ratione nostra, alteram virtualiter, quod videtur esse contra rationem formalem essentiæ, quę vna est, & non multiplex; Secundò, quia in prædicato constituente essentiam propriè dictam non requiritur distinctio virtualis. Tertiò, quia actus primus intelligendi ex vna parte est prior ipsa intellectione, & ex alia ab ea virtualiter distinguitur; ergo non in intellectione, sed in actu primo intelligendi virtualiter Essentia diuina consistit. Consequentia hæc, & prior pars antecedentis patent; posteriorem probat ex doctrina ipsius Arriagæ, qui admittit intellectioni actuali, & actui primo intelligendi duo prædicata contradictoria conuenire, quatenus de intellectione actuali verificatur, quod Verbo ex vi suæ processionis communicetur, & quod sit primum distinctiuum virtuale Dei à creaturis: neutrum autem verificetur de actu primo intelligendi; ergo &c.

Verùm hę impugnationes non videntur solidæ: ad primam enim responderi posset, quod quēadmodum non est absurdum eundem hominem duplicem habere definitionem, vnam physicam, qua dicitur constare ex anima rationali, & corpore: alteram metaphysicam, qua definitur animal rationale; ita neque, eandem diuinam Essentiam ex nostro modo imperfecto concipiendi importare esse à se subsistens, virtualiter verò actualem intellectionem. Ad secundam verò, quod licet in prędicatis constitutiuis essentiæ sic non requiratur distinctio virtualis, requiritur tamen in prædicatis eam constituentibus virtualiter; quatenus dicta prædicata debent importare primam virtualitatem in Deo, in qua cæteræ radicentur. Ad tertiam denique dici potest, quod prædicata illa contradictoria, quæ verificantur de actu primo intelligendi, & de actuali intellectione Dei, verificentur pro vt inadæquatè concipiūtur à nobis, & pro statu obiectiuo tantùm: cum enim non nisi ratione nostra ponantur ab Auctore distincta, impossibile est, quod de illis prædicata cōtradictoria à parte rei verificari existimet.

Melius igitur dicta Arriagę sententia impugnatur hoc vnico argumento: Non datur virtualis distinctio pro statu reali inter intellectionem, & volitionem in ordine ad essendum, & non essendum naturam, sicuti datur in ordine ad essendum, & non essendum principium Filij, & Spiritus Sancti; ergo ratio discriminis assignata nulla est. Cōsequentia patet; ea enim fundabatur in eo, quod Essentia diuina in sola intellectione, & non in volitione virtualiter consistebat; si igitur hoc negetur, tota ratio euanescit. Antecedens verò, in quo est difficultas, supponit communem doctrinā, quam sæpè Auctor profitetur amplecti: nimirum distinctionem virtualem pro statu reali in diuinis admittendam esse tantummodo in ordine ad prędicata contradictoria, quæ de ipsa entitate Dei ex principijs fidei deducimus realiter verificari dēbere; atqui ex principijs fidei non deducimus, quod realiter competat intellectioni diuinæ, quod sit natura, non verò volitioni; ergo non datur virtualis distinctio pro statu reali inter intellectionē, & volitionem diuinam in ordine ad essendum, & non essendum naturam. 18

Respondet ad hoc Auctor *num. 70.* quod sicuti supposita distinctione virtuali inter prædicata relatiua, & absoluta, rectè deducitur relatiua non esse de constitutiuo naturæ: ita supposita distinctione virtuali inter intellectionem, & volitionē in ordine ad essendum principium vt quò Verbi, & Spiritus Sancti, rectè etiam deducitur, quod intellectio, & non volitio naturam constituat. Cuius rei fundamentum, aiet, esse, quia aliter non posset diuini Verbi generatio explicari. Denique assignans prędicata contradictoria realia, ratione quorum de intellectione verificatur, quod sit natura, non vero de volitione: dicit ea non esse, quod Filius accipiat absolutè naturam, non vero Spiritus Sanctus, sed quod ex vi processionis Filius nō accipiat realiter volitionem; & tamen accipiat ex vi processionis realiter naturam; & quod Spiritus Sanctus ex vi processionis accipiat

rea-

realiter volitionem, & non naturam.

Sed hæc responsio facilè, quo ad omnia tria, quæ asserit, impugnatur; & primò quidem quo ad paritatem sumptam ex absolutis, & relatiuis disparitas manifesta est. Nam essentia debet esse toti Trinitati communis; cum autem huiusmodi non sint relatiua, sed absoluta; rationabiliter infertur relatiua non esse de constitutiuo Essentiæ, benè tamen esse absoluta: At in casu nostro tam intellectio, quàm volitio est communis toti Trinitati, & sic non est ratio, cur dicamus vni competere virtualiter esse naturam, non vero alteri. Quantum vero attinet ad fundamentum, quo dicit id hoc asserendum adduci: aio id nullum esse; cum rectè possit aliter diuini Verbi generatio explicari, vt ex dicendis modo constabit: Denique in assignandis prædicatis contradictorijs, manifesta apparet terminorum repugnatia: nam quãdo dicitur ex vi processionis Filius nõ accipit realiter volitionem, sed accipit realitar naturã; contra verò Spiritus Sanctus, &c. Terminus illę (ex vi processionis) significat, quod propositio loquatur in sensu formali, hoc est spectata præcisè ratione formali processionis, at verò terminus (realiter) trahit propositionem ad sensum realem, ita vt afficiat omne id, quod à parte rei, & nemine cogitante Filius accipit à Patre, & Spiritus Sãctus à Patre, & Filio. Quare absolutè loquendo propter dictam terminorum repugnantiam vtraque propositio absolutè neganda est. Quod si alteruter ex illis terminis excluderetur, pateret manifestè deceptio; excluso enim ly (ex vi processionis.) Contradictoriæ propositiones essent hæc: Filius non accipit realiter volitionem, sed naturam: Spiritus Sanctus accipit realiter volitionem, & non naturam; est vtraque falsissima. Excluso verò termino (realiter;) iam cessant prædicata realia contradictoria, in ordine ad quæ desumitur virtualis distinctio in diuinis; & sic actum est nihil. Duo alia contradictoria realia, numero sequenti, Auctor assignat, quæ in ordine ad naturam diuinã constituendam intellectioni, & volitioni conueniant; ea sunt, quod intellectio est id, quo primò realiter distinguitur Deus à creaturis, non verò volitio. Quod si illi obijcias: intellictio non est realiter prior volitione; ergo non potest primo realiter distinguere. Negat consequentiam. Sicuti enim Essentia diuina, inquit, non est realiter prior spiratione actiua, & tamen primò distinguit Deũ à creatura; & sicuti intellectio nõ est realiter prior, quã volitio, & tamen prius illa realiter producit suum terminum (nam Filius productus per intellectionem est prior à quo realiter Spiritu Sancto; alioquin non posset illum spirare.) ita quamuis intellectio non sit realiter prior volitione, poterit tamen realiter primo distinguere.

19 Contra tamen est, quia vt ipse Auctor docet in Logicis *disp. 12. n. 65.* prioritas realis est duplex: altera temporis, altera naturæ; sed intellectio non distinguit primò Deum prioritate temporis, neq; naturę; siquidem neque est prior tempore volitione, neque causa, aut origo illius; ergo falsum est, quod primò realiter distinguat. Neque instantiæ factæ habent vim; ad priorem enim, nego essentiã primo realiter distinguere Deum à creatura, posteà verò spirationem actiuam; realiter enim vtraque æquè primo distinguit, & solùm ratione nostra habet essentia distinguere primo; sicuti solã ratione nostra habet dictam spirationem præcedere.

Ad posteriorem verò, concesso integro antecedente, negarem consequentiam; Disparitas est, quia terminus volitionis, nempe Spiritus Sanctus realiter procedit à termino intellectionis, nimirũ à Verbo. Vnde non est mirum, quod quamuis intellectio in se non sit realiter prior volitione, sit tamen huiusmodi quo ad producendum suum terminum. Prioritas enim originis est realis. At verò volitio ad distinguendum realiter Deum à creatura non indiget producere Spiritum Sanctũ. Præscindendo enim ab huiusmodi fæcunditate, adhuc realiter distingueret. Vnde non est, cur in sensu reali nõ æquè primò distinguat cum intellectione. Cæterùm si verum esset, quod intellectio esset primò realiter distinctiua Dei à creatura, non verò volitio, sequeretur, quod eadem intellectio esset primò realiter constitutiua, & non volitio: quia idem est realiter loquendo primò constitutiuum, ac primo distinctiuum, vt inductione patet. Tum sic: si intellectio esset realiter primo constitutiua diuinæ Essentię, & non volitio: ex terminis videtur sequi, quod effet realiter *prior* illa. Nam, nemine cogitante: prius quam illa constitueret, hoc autem esse impossibile ipsemet auctor Arriaga *num. 73.* rectè probat ex eo, quia distinctio virtualis sufficit quidem ad saluanda aliqua prædicata contradictoria realia *inter ea, quæ* virtualiter distinguuntur; numquam autem potest esse sufficiens ad faciẽdum, vt vnum ex eis sit realiter prius alio. Cuius rei ratio potest esse quia aliud est comparare ea, quæ sic distinguũtur cum alijs prędicatis, quasi extrinsecis, aliud verò ea comparare inter se. Non enim videtur lumini naturę repugnare, quod respectu diuersorum, vna virtualitas sit realiter prior; altera verò non, sicuti repugnare videtur, quod idẽ sit prius realiter se ipso. Ne igitur concedere cogatur intellectionem esse realiter priorem volitione, negare debet eam primò realiter constituere Essentiam diuinam; hoc autem negare non potest, si semel concedat eã realiter primò eandẽ essentiam distinguere à creatura; neque igitur contradictoria posteriori loco assignata vera sunt.

Septima denique ratio est Comptoni *prima parte disp. 65. citata sect. 6.* qui supponit speciale constitiuum Deitatis esse actum primum intelligendi. Quo posito sic discurrit. Pater producit Filiũ, vt intelligens; ergo principium formale Verbi includit actum primum intelligendi. Non enim minus est necessarium ad conceptum intelligentis principium intellectiuum, quàm ipsa intellectio actualis. Ergo ex vi processionis Verbum non solùm accipit à Patre intellectionem, sed etiam actum primum intelligendi; in quo cum Essentia diuina consistat, non est mirum, si ex vi processionis Verbum procedat, vt simile in natura. At verò actus primus amandi non est speciale constitutiuum Deitatis, eo quod supponit actum primum intelligendi; Vnde fit, vt licèt Pater, & Filius non solũ amorem actualem, sed etiam actum primum amãdi Spiritui Sancto formaliter tribuant, eo quod quatenus amantes illum producunt, tamen ipse

vi

ui ſuæ proceſſionis non procedit in ſimilitudinem naturæ ſpiratoris, & ſic eius proceſſio non eſt generatio.

21 Sed neque hæc ratio procedit primò, quia ſupponit dari in Deo actũ primum intelligendi, quod à non paucis Recentioribus negari fatetur ingenuè ipſemet Auctor *diſp. 4. ſect. 6.* inter quos eſt Erice *tract. 1. diſp. 2. cap. 3.* Faſolus *tom. 1. queſt. 4. artic. 2. dub. 3. num. 57.* & alij, qui in hoc ſequuntur Aureolum in *primo diſt. 35. art. 3.* abſurdum autem eſt certiſſimam concluſionem, in qua ſuſtinetur proceſſionem Spiritus Sancti non eſſe generationem, eſſe verò proceſſionem Verbi, in principio adeo controverſo fundare. Verùm eo admiſſo, ſic argumentor ſecundò: quando dicitur, quod in actu primo intelligendi Eſſentia diuina conſiſtit, certum eſt non poſſe eſſe ſermonem de actu primo proximo, quia hic includit ſpeciem obiecti, quæ ſupponit ſubſtantiam intellectualem in ſua eſſentia conſtitutam, ſed ſermo eſt de actu primo intelligendi remoto. Tum ſic: actus primus ad intelligendum remotus in Deo duplex excogitari poteſt: vnus radicalis, intellectuali ſubſtantiæ creatæ correſpondẽs: alter formalis correſpondẽs noſtræ potentiæ intellectiuæ. Sed in neutra acceptione, tradita reſponſio procedit. ergo &c. Maior eſt Henrici *prima partis ſummæ art. 36. quæſt. 2.* Suarij *in metaphiſicis ſuis diſp. 30. ſect. 15.* & aliorum, & patet ex ſe.

Minor verò ſuadetur; quia vel Comptonus loquitur de actu primo remoto radicali, vel de formali; ſi de priori, ſequitur quod Spiritus Sancti proceſſio ſit generatio; ſi de poſteriori quod non ſit generatio proceſsio Filij; ergo in neutra acceptione tradita reſponſio procedit. Minor huius in qua eſt difficultas, duas habet partes; probo primã: ſi Pater ex eo quod producit Filium vt intelligẽs debet illi ex vi proceſsionis non ſolùm primam intellectionem, ſed etiam actum primum radicalem intelligendi tribuere, etiam ex eo quod producat Spiritum Sanctum vt amans, debet ex vi proceſſionis non ſolùm communicare volitionem, ſed etiam actum primum radicalem volendi: atqui actus primus radicalis volendi non minus eſt diuina natura, quam ſit actus primus radicalis intelligendi; quemadmodum enim in nobis vltimũ conſtitutiuum eſſentiæ animæ rationalis eſt formaliſsimè primum radicale principium vtriuſq; actus, intelligendi ſcilicet, & volendi, quatenus Eſſentia uniuſcuiuſque rei eſt prima radix omnium proprietatum, quæ competunt ipſi rei: ita & in Deo (in hoc enim nulla eſt diſparitas aſsignabilis;) ergo ſi ſermo eſt de actu primo remoto radicali iam ſequitur, quod Spiritus Sancti proceſsio eſſet generatio; acciperet enim à Patre, & Filio, ex vi ſuę proceſsionis formaliter, diuinam naturam. Quod autem ſi ſermo ſit de actu primo remoto formali, ſequatur, quod proceſsio Verbi non ſit generatio, quæ erat ſecunda pars illius minoris, ſuadetur, quia actus primus remotus formalis intelligendi ſe habet per modum facultatis, ſeu potentię ad intelligendum; atqui facultas, ſeu potentia vitalis eſt media inter radicale principium vitale, cui debetur, & actum ipſum vitalem cuius eſt facultas. ergo impoſsibile eſt, quod ſe habet vt eſſentiam, & naturam eius, in quo eſt, quia natura eſt prima radix omnium, quæ ſunt in ſuppoſito; ex eo igitur, quod Verbo non ſolum communicetur ex vi proceſsionis intellectio, ſed etiam actus primus remotus formalis intelligendi, ſeu, quod idẽ eſt, dininus intellectus, præcisè per hoc non ſequitur, quod eius proceſsio ſit generatio: non enim ſic procedit in ſimilitudinem naturę.

Duo autem poteſt Auctor ad hæc reſpondere. 22
Vnum eſt ſe nomine actus primi intelligendi, qui communicatur Verbo ex vi proceſsionis, vtrumque principium remotum, radicale, ſcilicet, & formale comprehendere. Contra hoc tamen facit Paritas ex Spiritu Sancto deſumpta. Nam in tantùm Pater vtrumq; principiũ debet, in eius ſententia, ex vi proceſsionis communicare Verbo, in quantùm illud producit, vt intelligens; ſed etiam producit Spiritum Sanctum, vt amans; ergo non ſolùm debet ei communicare actum primum remotum formalem Amoris, qui eſt voluntas, ſed etiam remotum radicalem, qui eſt formaliſsimè ipſa diuina natura; non eſt igitur maior ratio, cur Verbo, & non etiam Spiritui Sancto competat eſſe Filium. Alterum eſſe poteſt, ſi negetur in Deo actus primus remotus radicalis intelligendi, atque volendi; & ſolùm admittatur remotus formalis, quorum vnus ſe habeat vt eſſentia, alter verò vt proprietas.

Sed contra hanc etiam reſponſionem multa facere videntur. primum eſt; quia eadem ratio, quæ militat ad admittendum in Deo prædicatum reale, quod ſe habeat per modum actus primi remoti formalis, ſuadet admittendum etiam eſſe in eo reale prædicatum, quod ſe habeat per modum actus primi remoti radicalis. Nam ideo Comptonus admittit prius prædicatum, quia verè datur in Deo vis quædam perceptiua obiectorum ab actuali intellectione repræſentatorum; ſed etiam verè datur in eodem id, cui competit hæc vis; verè enim dicitur de Deo, quod ſit intellectiuus, & volitiuus, atque adeò quod intellectum habeat, & voluntatem. Ergo etiam Deo concedendum eſt poſterius prædicatum. Secundò quia actus primus remotus radicalis intelligendi in creatis differt à formali per hoc, quod ſit radix omnium facultatum, quæ ſubſtantię intellectuali conueniunt; Contra verò formalis eſt vna ex facultatibus; ſicuti igitur in creatis prętер formalem admittitur radicalis, etiam ſi non diſtinguatur realiter ab illa, ita in Deo. Tertiò denique, quia dato quod prędicatum reale actus primi remoti radicalis intelligendi non eſſet in Deo verè conceptibile, adhuc non rectè colligeretur naturam diuinam conſiſtere in ſolo actu primo formali; non enim poteſt intelligi, quod voluntas debeatur intellectui tamquam proprietas illius, neque quod ſit illo poſterior ſecundùm ſe, nam quamuis in operando diuinus intellectus eam præcedere in aliquo priori rationis intelligatur; ea tamen prioritas non facit ad rem, quia non eſt per modum naturę, vel eſſentiæ, ſed ſolùm per modum proponentis obiectum. Vnde ſi Comptonus velit naturam Dei conſtitui per actum primum formalem intelligendi, debet neceſſariò concedere quod conſtituatur etiam partialiter per actum primum formalẽ volendi: quo

Digitized by Google

admisso, ex integro resurgit difficultas, cur processio Spiritus Sancti non sit generatio: sit verò processio diuini Verbi: cum ex vi processionis vtique partialis essentiæ communicetur?

SECTIO QVARTA.

Affertur vera ratio discriminis.

23 IN re tam lubrica, & graui non est discedendum à Doctrina Doctoris Angelici, eo vel maximè, quia non est alligata alicui peculiari sententiæ de vltimo constitutiuo Essentiæ diuinæ, sed admissa qualibet opinione ex multis, quæ circumferuntur circa hanc difficultatem, firma in suo robore perseuerat. Porrò doctrinam Sancti Thom. sumo *ex prima part. q. 27. art* 4. vbi ex professo quærens, vtrum processio Amoris in diuinis sit generatio? Negatiuam fidei assertionem sic probat *in corp.* Hæc est differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundùm suam similitudinem; Voluntas autem fit in actu non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc, quod voluntas habet aliquam inclinationem in rem volitam. Processio igitur, quæ attenditur secundùm rationem intellectus, est secundùm rationem similitudinis, & in tantùm potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem, quæ attenditur secundùm rationem voluntatis, non consideratur secundùm rationem similitudinis, sed magis secundùm rationem impellentis, & mouentis in aliquid. Et ideo quod procedit in diuinis per modum Amoris non procedit vt genitum, velut Filius, sed magis vt Spiritus.

24 Hæc S. Th., quæ si planè intelligantur in hunc ferè modum concludent. Procedere per intellectum abstractè, & vniuersaliter loquendo, est procedere vt simile suo principio, ita ut quò intellectus est perfectior in intelligendo, eò magis Verbum, quod ex illo procedit per intellectionē suo principio assimiletur. Ergo procedere per intellectum infinitè perfectum erit procul dubio procedere vt perfectissimè simile suo principio; atqui perfectissima similitudo est similitudo in natura; non est igitur mirum, si Verbum procedens per intellectum perfectissimum Patris, procedat vt simile in natura ipsi Patri; cum omni igitur proprietate, & veritate eius processio censenda est generatio.

25 Contra verò, id quod per voluntatem procedit, non habet procedere vt simile suo principio; quia voluntas vt sic non tendit in assimilationem; atq; adeò quantumuis intelligatur volūtatis perfectio crescere in infinitum; ex hoc non sequitur id, quod ex ea procedit esse magis simile suo principio; ergo licèt Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio per voluntatem infinitè perfectam, non ideò sequitur, quod procedat ab illis in similitudinem naturæ: & sic eius processio non est generatio. Quamuis autem in hoc discursu videamur discedere à mente S. D. quatenus nos inter Verbum, & principium intelligens similitudinem supponimus, quam ipse eam dicat intercedere inter Verbum, & rem intellectam: non tamen re uera discedimus, tum quia principium intelligens completur per ipsum obiectum, vel per eius similitudinem: tum etiam quia in casu nostro idem est principium intelligens, ac res intellecta; Pater enim cognoscendo se ipsum producit Verbum; alioquin quo modo ex perfecta similitudine Verbi diuini cum obiecto cognito potuisset S. D. inferre eius processionem esse in similitudinem naturæ eum principio producente?

Verùm contra hanc rationem sic explicatam instaurari potest argumentum supra factum, sic: ex perfectione diuinæ voluntatis est, vt Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedat vt Deus; sed vt Deus est similis illis in natura. iam igitur habet procedere vt similis in natura suo principio: erit ergo eius processio generatio sicuti processio Filij. 26

Ad hoc autem negari debet maior; in ea siquidem magna committitur æquiuocatio accipiēdo formaliter id, quod materialiter tantùm verum Est; Spiritus enim Sanctus ex perfectione diuinæ voluntatis habet quidem procedere Deus: non verò procedere, vt Deus, & per consequens ex eadē perfectione habet procedere similis: non verò, vt similis; per quod differt à Filio, qui habet procedere a Patre, vt Deus, & consequenter, vt similis in natura Patri. Vnde fit vt eius processio sit generatio, non verò processio Spiritus Sancti; quid sit autem procedere Deum, & similem in natura? patet nil aliud esse, quam beneficio processionis materialiter habere, quod sit Deus, & similis in natura suo principio. Quid verò addat procedere, vt Deum, & vt similem? aio addere hoc, quod ex vi processionis formaliter habeat Deitatem, & similitudinem in natura sibi communicatam. Porrò ly (formaliter.) non debet sumi quomodocumque, sed strictissimè, ita vt idem sonet, ac formalissimè secundùm explicitū conceptum, & vltimò constitutiuum talis processionis, ita ut quando dico, quod Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis materialiter tantùm habeat Deitatem, & similitudinem in natura cū suo spiratore; sensus sit, quod id non habeat ratione suæ formalissimę processionis per voluntatē, sumpta huiusmodi processione secūdùm explicitum conceptum, quem habet; siquidem hic est per modum amoris, ac inclinationis, & non per modū assimilationis, quamuis aliūde habeat formaliter, atque essentialiter ipsam Deitatē, vti videbimus. Porrò hanc diuersitatem Alij alijs verbis exponunt supponendo, dupliciter vnam perfectionē includi posse essentialiter in alia: primò, ita ut sit intra eandem lineam, & gradum quasi specificū, in quo est alia: secundò, ita vt sit extra illam lineam, & extra gradum quasi specificum illius. Priori modo includitur in Sapientia Dei, cognitio qua Deus cognoscit creaturam aliquam; pertinet enim ad eandem lineam, & gradum scientię, in qua est ipsa. Posteriori verò includitur Bonitas, seu Omnipotentia essentialiter in eadem diuina Sapientia; quamuis enim omnes diuinæ perfectiones absolutæ se inuicem formaliter includant: diuina tamen Bonitas pertinet ad diuer-

Digitized by Google

uersam lineam, & est extra gradum specificum sapientiæ, & scientiæ intellectiuæ. Quo posito dicunt: quod procedere ex vi processionis formaliter vt simile in natura suo principio, importet perfectionem similitudinis, seu Deitatis habere sistendo intra lineam, & gradum quasi specificum suæ processionis: Procedere verò ex vi processionis materialiter simile in natura suo principio significet hanc perfectionem habere transeundo ad aliam lineam, & quasi gradum specificum propriæ processionis. Quoniam vero linea, & gradus quasi specificus processionis Verbi est in ratione intellectionis, quæ includit assimilationem cum suo principio; hinc fit, vt Verbum procedat ex vi processionis formaliter vt simile. Contra verò quia linea, & gradus quasi specificus processionis Spiritus Sancti est in ratione volitionis, qui non includit assimilationem cum suo principio, sed impetum potius, & tendentiam: hinc rectè deducitur, quod Spiritus Sanctus procedat ex vi processionis suæ materialiter tantùm similis suo principio.

27 Iam verò ad maiorem dilucidationem huius doctrinæ duo necessariò explicanda videntur: alterum consistit in assignanda ratione, cur ad viuentium generationem requiratur, vt similitudo in natura ex vi processionis formaliter habeatur; suspicari enim potest aliquis hanc conditionem ad effugiendam vim difficultatis propositæ de processione Spiritus Sancti excogitatam esse.

Alterum verò positum est in eo, vt explicetur, quomodo, stante huius cōditionis necessitate, definitio generationis viuentium sit rectè tradita, cum careat illa particula (ex vi processionis formaliter) quæ dicitur esse necessaria, ne Spiritus Sancti productio sub ea comprehendatur. Sed facilè vtrumque declaratur. Et primū quidem, quia nisi dicta similitudo deberet esse ex vi processionis formaliter, sequeretur quod definitio tradita generationis, competeret alteri à definito. Ponamus enim, quod homo haberet virtutem ex suo digito alium hominem producendi, certè hæc productio non esset generatio, nec producens Pater, nec productus Filius censeretur. Sed hoc non nisi quia similitudo in natura in termino producto non haberetur ex vi processionis formaliter, sed solùm ex vi processionis materialiter; quia ille modus producendi non haberet ex sua ratione formali producere simile in natura producenti, sed esset indifferens ad producendum quoduis aliud ex illo digito, siue lapidem, siue murem, siue vermem, & cætera. Linquo, quod nisi hæc limitatio ad definitionem generationis adhiberetur, non possemus saluare processionem Spiritus Sancti non esse generationem; quod absurdissimum censeri debet, reiectis præsertim rationibus aliorum. Habetur ergo sufficiens ratio exigendi dictam conditionem ad viuentium generationem habendam, & ideo eam exegerunt Theologi communiter sequuti D. Th. *loco citato ex prima parte & 4. contr. gen. cap.* 11. nec non etiam Scotum *in prim. dist.* 10. *quæst. prima ad primum, quodli.* 4. *art.* 3.

28 Secundum verò nullo etiam negotio declaratur dicendo, quod dicta conditio, si non explicitè, & formaliter: at saltem implicitè, & virtualiter in vltimis particulis definitionis cōtineatur. Dum enim dicitur, quod generatio fit Origo in similitudinem naturę, particula (in) accipienda est cum omni rigore, ita vt idem sonet, ac formalissimè; & secundùm hunc explicitum conceptum vltimo constitutiuum huiusmodi origo ad similitudinem naturę dirigi debet. His omnibus in hunc modum explicatis duobus sequentibus dictis diserimen inter generationem Verbi, & Spiritus Sancti processionem propono, ex quibus luce clarius deducitur Spiritum Sanctum non esse genitum.

Dico igitur primò: Diuinum Verbum ex vi 29
suæ processionis formaliter procedit vt simile in natura Patri, ideoque eius productio est verè, & propriè generatio.

Probatur, supponendo ex his, quæ communiter dicuntur de specie impressa, quod scilicet intelligens ad hoc, vt aliquid intelligat, debeat in se præhabere vel ipsum obiectum, vel eius speciem, quæ se habeat, vt semen ipsius; vnde est, quod terminus cognitionis semper sit aliquo modo similis principio intelligenti, sicuti effectus est similis formę naturali, secundùm quam causa efficiens illum operatur; & quia idem cognitionis terminus est similitudo expressa obiecti, circa quod versatur, ideo illi etiam assimilatur. Quare si obiectum cognitum est ipsummet intelligens, vt euenit in casu nostro, Verbum, quod est cognitionis terminus ex duplici capite procedit vt illi simile, & quatenus principium intellectiuum est, & quatenus obiectū intellectū. Hoc posito, sic argumentor: intellectio sistendo in linea, & intra genus intellectionis habet, quod sit assimilatiua, & quo perfectior est, habet quod sit magis productiua termini similis principio intelligenti; ergo non repugnat perfectissimæ intellectioni sistendo intra lineam intellectionis, secundùm explicitum conceptum vltimo constitutiuum illius, quod secundùm vltimam differentiam specificam sit assimilatiua perfectissimo modo: atque adeo quod producat terminum sui similem in natura. Hæc enim vltima veluti differentia nihil videtur habere repugnans, quo minus genus intellectionis cōtrahat, & determinet; sed si ita res se habet, Verbum diuinum ex vi suæ processionis formaliter procedit vt simile in natura Patri, quia est terminus perfectissimæ intellectionis, vtpotè Diuinæ; ergo ita dicendum est.

Dico secundò: Spiritus Sanctus ex vi suæ pro- 30
cessionis formaliter non procedit vt similis in natura suo principio spirante; ideoque eius productio nō est verè generatio, neque ipse genitus, aut filius.

Probatur, quia processio Spiritus Sancti, quatenus est per voluntatem, vt sic non habet ex se formaliter, quod sit productiua similis ipsi volenti; ergo quantumuis intelligatur intra hoc genus volitionis crescere, neque habere poterit ex se, & formaliter producere simile in natura eidem volenti; sed hoc habet in Deo identicè, & veluti materialiter, in quantùm omnia, quæ sunt in Deo, sunt ipsemet Deus. Consequētia patet, antecedēs probatur; quia volens in quantùm volens non debet exprimere in se rem volitam, & ideò non debet præhabere in se eius similitudinem. Tendit

Digitized by Google

enim in illam per modum inclinationis, & impetus; vnde est, quod amor notionalis in diuinis fortitus est nomen Spiritus, qui maximè mobilis, & impetuosus esse solet; ergo est extra totam latitudinem processionis per voluntatem similitudo, siue realis sit, siue intentionalis cum suo principio; & licet dicta similitudo per se conueniat huic processioni, quatenus diuina est: non tamen conuenit illi, vt propria differentia intra genus dilectionis; quia voluntas, sicuti de se nō est cognoscitiua, ita neque assimilatiua.

31 Atque hęc est ratio, quam assignat D. Thomas *in primo dist. 13 quæst. 1. art. 3. ad tertium*, vbi sic: Processio amoris in quantùm huiusmodi non habet, quod per ipsam natura aliqua communicetur. Sed hoc habet in quantùm est in diuinis, vbi non potest esse aliquid imperfectum. Iam verò quamuis volitio exigat cognitionem sui obiecti in intellectu, eo quod nil volitum esse potest, quin præcognitum: Rectè tamen idem S. D. *loco citato* ex prima parte ad secundum respondet, quod similitudo aliter pertineat ad Verbum, & aliter ad Amorem. Nā ad Verbum pertinet in quantū ipsū est quædam similitudo rei intellectę: sicut genitum est similitudo generantis. sed ad Amorem pertinet non quod ipse amor sit similitudo, sed in quantum similitudo est principium amandi; vnde non sequitur, quod amor sit genitus, sed quod genitum sit principium illius.

SECTIO QVINTA.

Proponuntur, & soluuntur obiecta contra nostram rationem discriminis.

32 OBijcies primò: de ratione intellectionis vt sic est producere simile intentionaliter solùm; ergo, quantumuis crescere intelligatur intellectio intra suum genus, nō potuit contrahi ad producendum simile in natura.

Respondeo negādo antecedēs: dico enim quod producere simile intentionaliter tantùm, competit intellectioni vt creatæ, quemadmodum & esse accidens distinctum realiter à principio intellectiuo. Cæterùm intellectioni vt sic, competit producere simile meliori modo, quo potest; vnde est, quod sistendo intra suum genus, poterit in Deo contrahi ad talem productionem, quæ sit generatio.

Instabis: ex his, quæ nobis nota sunt in creatis habemus, quod intellectio non sit productiua similis, nisi intentionaliter; ergo gratis asserimus, quod in Deo sit productiua similis in natura.

Respondeo, negando consequentiam, cum enim fides non deducat nos directè ex rebus naturalibus in cognitionem mysteriorum supernaturaliū: sufficit si ad dicta mysteria percipienda ostendamus ea nihil absurdi continere; quod præstamus, dum asserimus non repugnare intellectionem vt sic esse assimilatiuam meliori modo, quo potest, intellectionem verò perfectissimam habere: consequenter esse assimilatiuam realiter in natura.

33 Obijcies secundò: intellectioni diuinæ non nisi quatenus diuina est, competit esse productiuam similis in natura; sed etiam volitioni diuinæ quatenus diuina est hoc ipsum competit; ergo non est, cur processio Spiritus Sancti non sit generatio.

Respondeo distinguendo maiorem, ita necessē productiuam similis in natura conueniat intellectioni tamquam vltima differentia sub tali genere contenta, concedo; ita vt conueniat illi solùm, identicè, & materialiter, sicuti conuenit cæteris attributis diuinis esse ipsum Deum, nego; & sic distincta minore, nego consequentiam. Vbi aduerte, quod licèt esse diuinum sit veluti prædicatum transcendens per omnia, quæ sunt formaliter in Deo; ex eo tamen oritur in intellectione differentia in sua linea sibi propria, quæ est ratio assimilatiui in natura; quæ differentia non oritur in voluntate, cum enim hęc non sit de suo genere assimilatiua, vt patet ex creatis, non potest esse capax huiusmodi differentiæ; sed eius vltima differentia consistet in eo, quod sit dilectio, qua Deus se ipsum perfectissimè, & adæquatissimè diligit.

34 Obijcies tertiò: Spiritus Sanctus habet formaliter naturam diuinam à Patre, & Filio; cum enim procedat ab illis, non est minus formaliter, & essentialiter Deus, quam illi sint; ergo per aliquam operationem necesse est dictam naturam habeat formaliter ab vtroque sibi communicatā. Atqui operatio, qua formaliter à viuente communicatur viuenti propria natura, est generatio; ergo processio Spiritus Sancti videtur esse generatio.

Respondeo: distinguendo antecedens, habet formaliter naturam diuinam à Patre & Filio, si ly (formaliter) se teneat ex parte prædicati, concedo; posito quod se teneat ex parte communicationis, seu operationis, per quam illam habet communicatam, nego antecedens; & eodem modo distincto consequente cum suo subsumpto nego vltimam consequentiam. Quamuis enim sit Spiritus Sanctus formaliter, & essentialiter Deus, hoc tamen non habet ex vi suæ processionis formaliter, & secundū explicitū conceptum vltimò constitutiuū sui. Quod si quæras quid ex vi suę processionis formaliter sumptæ ei communicetur à Respondeo communicari illi esse amoris perfectissimi, & infiniti, tum ex parte principij, tum ex parte obiecti: quamuis enim ab aliquibus Patribus appelletur similitudo, & imago, hæc latè intelligenda sunt in sensu identico, & materiali, vt omnes fatentur.

35 Obijcies quartò: omne agens agit vt producat sibi simile; sed Deus producendo Spiritum Sanctum se habet vt agens; ergo ex vi productionis formaliter producit illum vt sibi similem.

Respondeo, distinguo maiorem: vt producat sibi simile solùm formaliter, nego; vel formaliter, vel virtualiter concedo. Sic distincta minore, nego consequentiam. Dico enim non omne agens intendere producere sibi simile formaliter, vt patet in Sole producente calorem, in terra descendente deorsum, & in aqua reducente se ad pristinam frigiditatem; sed veluti virtualiter, quatenus omnis effectus debet semper correspondere virtuti suæ causæ, & illi proportionari, quamuis causa non intendat illum producere simile in natura. Iam verò hanc correspondentiam habet Spiritus Sanctus cum suo principio, sive consideretur pro vt procedit ex vi suæ processionis formaliter, sive pro vt procedit ex vi suæ processionis materiali-

Digitized by Google

vialiter; semper enim proponitur voluntati diuinæ, per quam spiratur, eiusque fœcunditatem perfectissimè explet.

Instabis primò: Spiritus Sanctus dum procedit per voluntatem, iam præcedit per attributum naturæ; ergo procedit vt similis formaliter in natura principio spirativo. Consequentia probatur, quia attributa, & passiones essentiæ in operando sunt essentiæ instrumenta & eius nomine, ac virtute operantur; quemadmodum igitur in sententia eorum, qui ponunt in creatis potentiam generativam realiter à natura distinctam, Filius procedit vt formaliter similis in natura suo Patri, quamuis ab eius potentia generativa accidentali immediatè causetur; ita & in casu nostro.

Respondeo, concesso antecedente, distinguendo consequens: procedit vt similis formaliter in natura suo principio spirativo ex vi suæ processionis formalissimè, nego: veluti materialiter, seu potius transcendentaliter, concedo consequentiam. Ad cuius probationem, dico: quod quemadmodum in nobis voluntas operatur vt instrumentum animæ, & tamen non assimilat animæ operationem suam: ita & voluntas Dei dum Spiritum Sanctum producit, attenta vi processionis formalissimæ facere deberet. Defacto autem illum produxit similem in natura veluti materialiter, & transcendentaliter, in quantùm omnia, quæ sunt in Deo, sunt ipsemet Deus. Paritas ergo ducta ex potentia generativa nulla est.

36 Instabis iterùm: producens in communi induxit similitudinem aliquam in terminum productum; ergo & perfectissimum producens perfectissimam similitudinem. sed perfectissima similitudo est formalis in natura. ergo Spiritus Sanctus ex vi suæ formalissimæ processionis erit similis in natura Patri, & Filio.

Respondeo concessis omnibus præter vltimam consequentiam: dico enim sufficere perfectissimo producenti, si producat terminum similem in natura, non autem requiri, vt ex vi formalissimæ processionis id præstet. Et ratio est, quia quemadmodum in creatis datur duplex productio, vna vniuoca, altera analoga: ita perfectissimum producens ad intra vtrumque productionis modum, tamquam quid melius, sibi vendicet necesse est. Quoniam verò illi repugnat producere aliquam personam ad intra, quæ non sit eiusdem numero naturæ cum ipso: hinc rectè deducitur quod exigat vt saltem dicta persona non sit talis ex vi suæ formalissimæ processionis; rectè enim hac ratione analogica processio saluatur.

Pro maiori autem huius rei intelligentia breuiter nota; processionem Spiritus Sancti non dici analogam ratione termini producti realiter sumpti, quia sic deberet etiam dici analoga processio Filij; vtrique enim processioni commune est, quod habeat pro termino personam, quæ sit eiusdem numero naturæ cum principio à quo procedit, & distinguatur ab eo quasi specificè in personalitate producta. Dicitur ergo analoga ratione termini producti formaliter considerati in ratione producti: quia productio Spiritus Sancti ex formalissima sua ratione non exigit similitudinem in natura in termino suo, quam similitudinem, quia ex formalissima sua ratione exigit processio Verbi in ipso Verbo: ideo hæc appellatur vniuoca. Verò exigentia hæc, vt sæpè diximus, non fundatur nisi in vltima differentia productionis per intellectum, postulantis similitudinem vt sic, quæ si intra suam lineam perficiatur, perueniat ad similitudinem in natura. At verò vltima differentia productionis per voluntatem huiusmodi similitudinem non postulat, quandoquidem rationem illam communissimam similitudinis, quam exigit ratio productionis vt sic, contrahit ad rationem inclinationis, & impulsus. Vnde fit vt infinita perfectio, quam ex perfectissimo operante immanenter acquirit, non perficiat illam intra lineam similitudinis, sed intra lineam inclinationis, & impulsus.

SECTIO SEXTA.

Respondetur secundæ obiectioni contra Ruiz, & Quiros.

37

OBijcies quinetò: Verbum ex vi suæ processionis formaliter non procedit vt simile Patri; ergo falsum est, quod ideo eius processio sit generatio. Consequentia patet: antecedens probatur, quia duo in Verbo considerari possunt virtualiter inter se distincta: Natura, & Personalitas; sed in neutro procedit vt simile; nam in natura est idem cum Patre: in Personalitate quasi specie ab illo distinguitur; relationes enim primæ, & secundæ personæ, quæ personas ipsas constituunt, sunt Paternitatis, & Filiationis, atque adeo diuersæ omnino rationis, & disquiparantiæ.

Respondeo, negando antecedés; ad cuius probationem concessa maiore, nego minorē; & ad priorē rationē in contrarium dico realē identitatē in natura sine reali distinctione Personarum non destruere similitudinem, quæ ad viuentium generationē requiritur, sed eam potius summoperè perficere; quatenus ex posita nobiliori modo haberur coniunctio geniti cum genitore notata per particulas illas (principio coniuncto in similitudinem naturæ) Quod si quis contenderet eam non appellandam esse similitudinem, sed identitatē: Dicarem similitudinem in natura requiri à generatione viuentium, vt minimum, quo posito, generatio habeatur, & veluti terminum versus minuendæ coniunctionis, non autem vt maximum, quo superato, per maioris coniunctionis excessum ratione identitatis, destrui debeat. 38

Ad posteriorem verò partem respondet Ruiz *disput. citata sect. 4. num. 9.* quod licèt Personalitas Patris, & Filij quasi specie distinguantur, adhuc tamen Filius procedit vt similis Patri in personalitate. Idem videtur sentire Quiros *prima parte tract. 7. de Trinit. disp. 36. sect. 6. num. 26.* vbi quatuor argumentis probat ad generationem requiri similitudinem in prædicato verè producto, & verè distincto à principio generante, cuiusmodi est in Filio Personalitas eius. Et primò quidē quia alioquin Filius vt similis nō referretur realiter ad Patrē. secūdò, quia productio generativa, qua productio, est assimilativa; ergo necesse est terminū productū, qua productū esse similē producēti. Tertio, quia

Digitized by Google

quia in generatione humana terminus formaliter genitus est similis; ergo & in diuina talis etiam esse debet. Quartò denique, quia si in hoc non daretur similitudo, secunda Persona constaret aliquo prædicato non simili; sed hoc sufficere ad destruendam Filiationem patet; quia si per impossibile homo produceret hominem æquum, non esset genitor, & pater respectu illius; ergo Filius, quo ad personalitatem etiam debet esse similis Patri.

Verùm horum doctrinam ego distinguerem: vel loquimur de personalitate Filij secundùm explicitum conceptum sui, quem habet, virtualiter distinctum à natura: vel loquitur de ea secundùm quod importat implicitè quamuis essentialiter ipsam naturam; In secundo sensu verum quidem est, quod dicitur; sed non facit ad rem præsentem, in qua agimus de Filiatione, quatenus distincta à natura, atque adeo secúdùm solum cõceptum explicitum constitutiuum sui, quem præfert. In primo verò sensu non videtur habere veritatem. Siquidem personalitas Filij dupliciter secundùm suum conceptum explicitum considerari potest: Primò in ratione relationis; & sic licèt oriatur ex similitudine in natura communicata Filio per generationem, certum est esse diuersam à paternitate, eique oppositam. Secundò potest considerari in ratione suppositalitatis naturam diuinam terminantis, & secundam personam constituentis; & sic neque assimiliari personalitati Patris probatur ex eo, quia licet in ratione subsistentiæ personalitatis, vt sic, cum ea conueniat: non tamen vt talis est, & vt faciens primò differre Filium a Patre; siquidem, siue Personæ diuinæ ponantur differre quasi numero, siue quasi specie, semper verum est eas non nisi ratione personalitatum formaliter esse differentes; quamuis enim differant etiam ratione productionum, at non formaliter per eas, & in se ipsis, vt de se patet, sed veluti inchoatiuè, & in via. Nam ipsæmet productiones sunt diuersæ inter se, in quantùm per eas producuntur termini quasi diuersæ rationis; non igitur videtur verum, quod Verbum in sua Personalitate quatenus tali, & secundùm conceptum explicitum considerata sit simile Patri. Linquo huiusmodi similitudinem esse impertinentem ad rationem generationis; hæc enim exigit esse in similitudinem naturæ, & nõ personalitatis, alioquin Christus Dominus non fuisset verè Filius Virginis, nec ab ea genitus; non enim fuit ei similis in persona, sed in natura tantùm. Nec valet contra hanc instantiam responsio Ruiz *loco cit. n. 6.* dicentis disparitatem esse, quia Pater æternus non produxit naturam diuinam, quam tribuit Verbo, sed solã eius personam: at verò Beatissima Virgo produxit naturam humanam Christi Domini; vnde licet Christus non fuerit similis in persona Virgini, fuit tamen similis in natura, quam habuit ab ea productam, & ideo eius Filius. Ex hac enim disparitate sequitur, quod si per impossibile Verbum non fuisset, neque idem, neque simile in natura Patri, sed solùm in Personalitate sibi producta, quatenus à natura distinguitur, iam esset propriè eius Filius, & sic falsa esset definitio generationis, quod tendere debeat in similitudinem naturæ. Vel si contendit hic Auctor similitudinem, quam habet Personalitas Filij cum Patre esse in natura, vt in fine eiusdem numeri quarti videtur innuere, iam non est sibi constans, neque agit de Personalitate secundùm conceptum explicitũ, quẽ habet à natura distinctum.

Neque contra hæc quæ diximus, faciunt nobis negotium rationes Quitos. Ad primam enim dicendum per nos relationem similitudinis, vniuersim sumptam non esse realem. Quod si in creatis realis esset, at non in diuinis; alioquin non essent tantùm quatuor relationes in Deo, sed multò plures contra sensum omnium ferè Scholasticorum. Ad secundam aio: nos non negare terminum diuinæ generationis, quà productum, esse similem producenti; scimus enim non posse concipi generationem formaliter in diuinis, absque eo quod intelligatur eius terminus ex vi illius formaliter communicatam habere diuinam naturam; sed vel e solùm, quod si præscindamus à Verbo naturã, & consideremus solam eius personalitatem secũdùm conceptum explicitum, & veluti differentialem, beneficio cuius constituitur formaliter in rationem secundæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis, non habeamus in genito similitudinem cum generante ad generationem viuentium requisitam. Ad tertiã nego in generatione humana terminũ formalem genitum præscindendo à natura esse similem generanti. Pute enim solùm rationem naturæ ei assimilari, vt patet ex eo, quia *dictus terminus* præter naturam non habet *nisi* indiuiduationem, & subsistentiã. *In priori* constat esse dissimilem; ergo & in posteriori, quia subsistentia debet esse accomodata naturæ, vt indiuiduæ: non autem naturæ v.g. humanæ, vt sic. Alioquin quælibet humana subsistentia posset connaturaliter cuilibet homini conuenire. Porrò ex hoc non tolli, quin terminus formaliter genitus in diuinis sit similis genitori constat, quia ad hoc vt generatio formaliter vi sua similitudinem inducere censeatur, non habet obligationem producendi id, in quo formaliter dicta similitudo consistit; siue enim illud producat, siue non, sed solùm communicet, suę obligationi perfectè satisfacit; quia ad viuentium generationem solùm requiritur, vt vi sua formaliter inducatur in genitum similitudo in natura, vel vno, vel altero modo; quod habetur in diuinis, quamuis Verbum in Personalitate, quam habet à Patre productam, pro vt ea distinguitur à natura, & secundã Personam constituit non sit simile ipsi Patri. 39

Ad quartam denique: distinguo sequalem maioris; si in Personalitate non daretur similitudo, secunda persona constaret aliquo prædicato non simili; & sinquidem sermo est de prædicato non simili essentiali, nego: si verò de personali, concedo sequelam, & distinguo eodem modo minorem: ad destruendam filiationem sufficit dissimilitudo in aliquo prædicato essentiali, concedo; personali, nego minorem, & consequentiam. Dico enim, quod licèt verum sit, quod si productum esset dissimile principio producenti in aliquo prædicato essentiali, per hoc præcisè non esset eius Filius: falsum tamen est, si non haberet cum eo similitudinem secundùm aliquod prædicatum extra essentiam; Vnde ad exemplum de homine producente hominem æquum, dicendum est dupliciter illud posse intelligi; primò, quod in termino

mino producto tum humanitas, tum equinitas in vnam confluit essentiam; secundò, quod licèt illæ duæ naturæ remanerent discretæ, & impermixtæ; quia tamè natura humana terminaretur subsistentiæ equinæ, terminus productus esset homo equus. Si primo modo intelligantur, concedo non haberi generationem; sed nihil contrà mè; quia prædicatum equinitatis ponitur esse essentiale termino producto: nego autem, si secundo modo; quemadmodum enim Christus est verè filius Virginis: & tamen est Deus homo; ita & in casu posito, terminus productus quamuis esset simul homo equus, esset verè filius hominis producentis illum; siquidem prædicatum non simile iam est extra totam eius essentiam, vt ex se constat.

SECTIO SEPTIMA.

Satisfit reliquis obiectionibus ab Arriaga allatis.

40 CONtra nostram discriminis rationem multa ingeniosè congerit P. Arriaga *disp. illa 47. Sect. 5. subsectione 2.* quibus respondeamus oportet.

Obijcies igitur ex *numero 31. 32. & 33.* Constitutio, & distinctio linearum est omnino arbitraria; ergo nihil solidi affertur, dum dicitur: ideo Verbum generari, quia ex vi suæ processionis formalissimæ, & explicatæ lineæ procedit vt simile: contra verò Spiritus Sanctus; & ideo non non generari. Consequentia patet: quia hoc ipso, quod arbitrium cuiuscumque sine solido aliquo fundamento lineas constituit, ac diuidit, ratio ex diuersitate linearum deducta non se tenebit ex parte obiecti, atque adeo erit insufficiens ad declarandam diuersitatem diuinarum processionum, quam constat esse realem, & à nostro arbitrio independentem. Antecedens verò probatur, quia esse in eodem ordine, seu linea nihil aliud est per nos, quam habere vnam rationem communem; atqui posito, quod hęc ratio cõmunis non sit vltima specifica, vel generica proxima, arbitrariũ est omnino taxare vnũ genus subalternũ potius, quã illud; vel generalissimum potius, quam quodlibet subalternum ad lineam, seù ordinem constituendum; ergo constructio, & distinctio linearum est omnino arbitraria.

Respondeo primò: rationem discriminis à nobis assignatam esse independenter à diuersitate linearum. Diximus enim, ideo Verbum generari, quia ex vi suæ processionis formaliter procedit vt simile producenti, quod non habet Spiritus Sanctus; & ideo eum non esse genitum, nec filiũ; magis autem dictas particulas explicando addidimus, quod importent illam formalissimam rationem explicitam, & vltimo constitutiuam, ac distinctiuam vnius processionis ab alia. atque adeo ex parte Verbi rationem intellectionis, ex parte verò Spiritus Sancti rationem amoris; quarum prior, quia essentialiter imbibit assimilationem, non autem posterior; rectè deduci priorem posse inducere similitudinem in natura, non verò posteriorem. Ecce hic nulla mẽtio facta est linearum, sed ex solis formalissimis rationibus vtriusque processionis deducimus rationem, cur Spiritus Sancti processio non sit generatio, sit verò processio Filij. Ne autem videamur communem explicationem dictæ particulæ (ex vi processionis formaliter) improbare.

Respondeo secundò, negando antecedens; cum enim constitutio, & distinctio linearum in rerum conuenientia, & disconuenientia fundetur, impossibile est, quod sit omnino arbitraria. Quis enim dicat ad nostrum libitum reponi in eodem prædicamento substantiæ lapidem, & hominem; in diuersis verò prædicamentis lapidem, & albedinem? nemo profecto. Ad probationem verò antecedentis negati: concessa maiore, distinguo minorem: arbitrarium omnino est taxare hoc genus potius, quam aliud; spectatis ipsis generibus secundùm se, concedo: spectato fine, in ordine ad quem lineæ hic, & nunc constituuntur, nego minorem, & consequentiam in sensu intento. Dico enim, quod licèt pendeat ab arbitrio cuiuscumque constituere lineam eorum, quę conueniunt in ratione substantiæ, vel eorum, quæ conueniunt solũ in ratione corporis, & sic de cæteris; at si constituamus nobis aliquem determinatum finem, necessariò debemus constituere vnam potius lineam, quam aliam; v.g. licèt pro libito possim ego fabricare lineam, sub qua omnia, & sola viuentia contineantur, quatenus conueniunt in ratione viuentis, vel aliam, sub qua omnes, & solæ substantię contineantur, quatenus conueniunt in ratione substantiæ at posito, quod velim assignare rationem, cur equus sit viuens v. g. non autem lapis; Non mihi est integrum adducere in medium lineam substantiæ, probando vtrumque sub ea contineri, vel quamlibet aliam pro libitu meo. Sed necesse habeo construere lineam viuentium, ad quam pertineant omnia, & sola ea, quæ aliquam operationem vitalem exercent; & lineam non viuentium, in qua reponantur ea, in quibus nulla vitæ operatio apparet; quibus constitutis, rectè probare possum, equum esse viuentem, quia in priori linea continetur; non autem lapidem, quia pertinet ad posteriorem. Vides quo modo, licèt constructio linearum possit aliter, atque aliter fieri; siquis tamen aliquem determinatum finem in ea efficienda proponit, debeat potius lineam construere, quæ pertineat ad hoc determinatum genus, & non ea, quæ pertineat ad aliud. Sic, vt ad rem uostram descendamus, quamuis cõstrui possit à nobis linea operationis vitalis, vt sic, sub qua tum processio Verbi, tum etiam processio Spiritus Sancti contineatur; at posito, quod debeamus excludere processionem Spiritus Sancti à generatione viuentium, necesse habemus ex vna parte construere lineam eorum tantùm, quæ stant sub ratione communi intellectionis vt sic, probando per inductionem, quod omnia ea habent assimilari quantum possũt suo principio intelligenti; & ex alia parte lineam eorum tantùm, quæ stant sub ratione volitionis, seu amoris, ostendendo, quod non exigunt suo principio volenti esse similia; sic enim rectè colligimus stare posse cum processione perfectissima per intellectum rationem generationis; non verò cum processione perfectissima per voluntatem.

41 Instabis ex *numero 34.* Nos cum Ruiz accipimus similitudinem vt sic abstractissimam, & quidquid sub ea comprehenditur, dicimus vnam linema

nam constituere. tum sic; ea, quæ sub ente vt sic continentur, nempe accidens, & substantia non faciunt vnam lineam; ergo neque similitudo physica, & similitudo intentionalis, quæ continentur sub similitudine vt sic, facient vnam lineam.

Respondeo: quod quemadmodum accipiendo rationem abstractissimam similitudinis, vt sic, sine absurdo dicimus sub ea contineri cognitionem creatam, & increatam: ita etiam possumus sine absurdo asserere vtramque cognitionem ad eandem lineam pertinere. Si enim demamus rebus verborum tumultum, nihil inueniemus esse aliud duo ad eandem lineam pertinere, quàm participare eandem rationem communem; & nihil aliud modò sub vna linea ambo contineri, modò sub diuersis, quam ea modò considerare quatenus cõueniunt in aliqua ratione communi, modò quatenus secundùm aliam, & aliam rationem differũt. Quare ad argumentum distinguo antecedens: quæ sub ente continentur, non faciunt vnam lineam, quatenus constituuntur per suas proprias rationes subsistendi, & inhærendi, concedo: quatenus participant rationem entis, & in ea conueniunt vt sic, nego antecedens, & consequentiam. Non enim video, quid absurdi sit constituere accidens & substantiam in eadem linea entis, quando volumus probare, quod illis conueniat aliquid, quatenus sunt ens nempe posse existere; ad differentiam eorum omnium, quæ in linea non entium reperiuntur, & implicant contradictionem quod existant.

42 Objicies secundò ex *numero* 35. Similitudo intentionalis non conuenit propriè Verbo, sed cognotioni, quæ est repræsentatio intentionalis, & & manifestatio obiecti; ergo non debet linea illa similitudinis, quam habet cognitio, trahi ad Verbum. Antecedens probatur: quia Verbum non habet, nisi esse terminum similitudinis illius. Confirmatur: quia si cognitio distingueretur à Verbo, sola cognitio esset propriè repræsentatio, & similitudo, siquidem per illam solùm assimilamur obiecto, & illud ad nos trahimus; ergo linea similitudinis, non ad Verbum ipsum, sed ad cognitionem essentialam trahitur in diuinis, & Verbum supponit in ea similiitudinem.

Respondeo: negâdo maiorem, vt patet ex his, quę docet ipsemet Arriaga inferius *disp.* 12. *num.* 16. vbi ex professo asserit Verbum, non solùm esse imaginem naturalem Patris, sed etiam intentionalem; quod probat ex eo, quia ad rationem imaginis intentionalis sufficit, quod sit terminus formalis productus per cognitionem. Deinde ex sua ratione distinctionis, quam *sect.* 8. affert sic arguo: Verbum diuinum, eo quod procedit per intellectionẽ, quæ est virtualiter natura, procedit formaliter ex vi suæ processionis in similitudinẽ naturæ; ergo ex eo quod procedat per intellectionem, quæ est similitudo intentionalis, procedet formaliter ex vi suæ processionis in similitudinem intentionalem. Antecedens continet verba Auctoris, quę habentur *numero* 83. Consequentia paritate constat.

Ad probationem verò antecedentis; nego assumptum; dico enim Verbum habere formalissimè esse similitudinem rei intellectæ, & non solùm terminum similitudinis ab ea distinctum. Per quæ patet responsio ad confirmationem, cuius antecedentis falsitas suadetur ex D. Th. *in primo dist. 27. quæst. 2. art. primo ad quartum*, vbi agens de Essentia diuina: In quantùm (ait) se habet vt id, quod intelligitur, est ibi vera ratio intellecti; sed in quantum se habet, vt quo intelligitur, sic est ibi ratio Verbi. Tum sic: Verbum formaliter est id, quo intelligitur obiectum; ergo est repræsentatio, & similitudo illius, ita vt si distingueretur à cognitione, adhuc retineret rationem repræsentationis, & similitudinis obiecti per modum termini, & veluti in facto esse. Et ratio potest esse, quia Verbum emanat per modum manifestationis, vnde Auguſt. 15. *de Trinit. cap.* 12. illud appellat imaginem; & *septimo item de Trinit. cap.* 3. ait; esse signum quod se ipsum ostendit, & ipsum, de quo loquimur; Et rectè id quidem: Verbum enim mentis sic appellatur per analogiam ad verbum oris, quod emanat ab ore, vt signum manifestatiuum alterius, & solùm differt ab eo per hoc, quod sit signum naturale obiecti, & expressa illius similitudo. Contra verò verbum oris signum solùm ad placitum. Falsum igitur est, quod si cognitio distingueretur à Verbo, illa sola esset repræsentatiò, & similitudo obiecti.

43 Objicies tertiò ex *numero* 36. Diuina cognitio est perfecta repręsentatio intentionalis creaturarum, & tamen Verbum non procedit in similitudinem physicam ipsarum creaturarum; ergo ad lineam similitudinis intentionalis, etiam in Deo non pertinet formaliter, & explicitè similitudo physica.

Respondeo, distinguendo consequens: quantum ad omnia obiecta repræsentata, concedo: quantum ab obiectum determinatum, quod est diuina Essentia, nego consequentiam. Disparitas est, quia ex vna parte Essentia diuina est obiectum primarium, & ex alia diuina cognitio non inuenit impedimentum ad contrahendam similitudinem physicam cum dicto obiecto. At verò naturæ rerum creatarum, ex vna parte non sunt obiectum primarium diuinæ cognitionis: ex alia verò cognitio diuina habet essentiale impedimentum, ne naturalem, & physicam similitudinem cum illis contrahat: tum quia est in se realiter idem cum Deo: tum etiam quia supponitur communicasse Verbo naturam diuinam, cum qua implicat identificari res creatas. Neque dicas: Paternitatem, & spirationem passiuam esse etiam obiectum primarium cognitionis diuinæ; & tamen Verbum non procedere in similitudinem naturalem vtriusque. Ne id dicas, inquam, non magis enim repugnat Verbo identificari cum creaturis, ex quarum cognitione procedit, quam cum principio à quo procedit, nempe cum Patre, & cum termino à se producto, nempe cum Spiritu Sancto.

Instabis: ex his quæ habet Auctor *n.* 83. Verbum non solùm est Verbum Essentiæ, sed Patris, & Paternitatis; atqui non obstante dicta repugnantia, manet tota linea explicita Verbi, non solùm respectu Essentiæ diuinæ, sed etiam respectu personalitatis Patris; ergo linea Verbi vt talis formaliter non exigit similitudinem in natura, sed ex alio capite Verbum illam contrahit.

Respondeo: concessa maiore, & minore, nego con-

Digitized by Google

consequentiam; cuius falsitas constat ex eo, quia perfectio, quam debet exigere perfectissima res in vna linea, non debet esse chymerica, & implicatoria, sed possibilis, & realis. Posito igitur quod Verbum non solùm sit perfectissima similitudo, & expressio Essentiæ diuinæ, sed etiam Paternitatis, videndum est, quid perfectionis possibilis, & realis sub hanc lineam similitudinis, & expressionis quo ad vtramque rationem cadere possit, vt eam illi tribuamus. Quoniam verò nos videmus, quod quantum ad expressionem, & similitudinem essentiæ peruenire potest absque implicantia ad physicam, per identitatē; quantum verò ad expressionem, & similitudinem Personalitatis Patris nō possunt transcendi limites intentionalis sine contradictione (nam sic non distinguerentur inter se producens, & productum.) Hinc fit, vt si Filius non haberet physicam similitudinem in natura cum Patre, non esset Verbum perfectissimum, & infinitū: est verò huiusmodi, quamuis non habeat physicā similitudinem in personalitate cum ipso Patre; sufficit enim si habeat intentionalem, summam, & perfectissimam possibilem, vt perfectissimus censeatur.

44 Obijcies quartò *ex eodem numero* 38. linea, Amoris est coniungere cum amato; sed maxima coniunctio esse debet per identitatem naturæ; ergo in nostra sententia Spiritus Sanctus intra suam lineam in similitudinem physicam naturæ procedit. Quod si dicamus cum Ruiz: Amorem supponere vnionem perfectissimam in natura inter Patrem, & Filium, quatenus constituunt principium spiratiuum, quod est prius origine, quam existat Amor. Contra sic vrget Arriaga: Spiritus Sanctus non solùm procedit ex amore Patris, & Filij, sed etiam ex amore Personalitatis suæ propriæ; atqui omnis amor est vnio, & cōiunctio cum obiecto amato; ergo iam intra lineā amoris procedit Spiritus Sanctus vt similis in natura Patri, & Filio.

Respondeo rectè dictum esse, si sermo sit de vnione physica in natura inter Patrem, & Filiū se mutuo diligentes, eam in prioritate originis ad productionem Spiritus Sancti præsupponi. Ex quo rectè deducitur Spiritum Sanctum non esse vnionem perfectissimam in natura Patris, & Filij, sed solùm affectiuam illorum. Loquendo autem de vnione physica ipsius Spiritus Sancti cum suo principio spirante. Responderi potest dupliciter ad difficultatem; & primò quidem, ex his, quæ habet Suarez, quem in præsenti quæstione sequitur Arriaga; Ille enim *prima secundæ tract. 1. disput. 6. sect. 1. numero 21.* respondens ad argumētum Henrici, qui ex eo quod amor habeat efficere vnum amantes, eosque mutuò transformare, putabat beatitudinem nostram esse formaliter ipsum Deum, vt illapsum, & vnitum substantiæ animæ: expressè dicit, loquutiones de transformatione, & vnione amantis in amatum, quę per amorem fiunt, esse metaphoricas, & mysticas; & ideò nullum firmum argumentum posse inde desumi. Qua doctrina posita, concessa maiore: distinguo minorem. Omnis amor est vnio, & coniunctio metaphorica, & mystica cum obiecto amato, concedo: est vnio realis, siue intentionalis, siue naturalis, nego minorem, & consequentiam. Ratio negationis est, quia quę per metaphoram, & mysticè talia sunt, quantumuis intra eandem lineam intelligantur in infinitum augeri, nunquā pertingere possunt ad veram, & propriam rationem, vnde desumpta est metaphora: vt patet ex risu pratorum, arborum gemmis, Cæli oculis, & sexcentis alijs rebus, quę metaphoricam appellationem sortita sunt. Neque dicat Arriaga *numero* 28. nostram cognitionem etiam dici imaginem obiecti metaphoricè. Falsum est hoc; nam aliud est asserere conceptum intellectualem hominis, vel Angeli non esse imaginem perfectam, & exactam: sed imperfectam, & diminutam; aliud verò eam esse imaginem metaphoricè. Primum est verum, ex quo non benè inferri secundum patet ex eo, quia accidens est ens imperfectum, & tamen nemo dixerit, illud esse metaphoricè ens. Vide D. Th. *prima parte quæst. 35. art. 1. in corp.* vbi sic: De ratione imaginis est similitudo, non tamen quæcumque similitudo sufficit ad rationem imaginis, sed similitudo, quæ sit in specie rei, vel saltem in aliquo signo speciei; atqui cognitio est signum speciei obiecti, et quidem naturale; ergo &c.

45 Respondeo secundò directè, distinguendo maiorem: Spiritus Sanctus procedit etiam ex amore Personalitatis ipsius Spiritus Sancti: sumpta eius processione secundum formalissimum, & explicitum conceptum, quem habet, nego: sumpta eius processione secundùm conceptum essentialē, sed minus explicitum, concedo maiorem. Et concessa item minore, distinguo eodem modo consequens; ergo intra lineam amoris procedit Spiritus Sanctus, vt similis in natura Patri, & Filio essentialiter, & secundū conceptū implicitū, transeat: secundū cōceptū formalissimū, & explicitū, ac veluti differentialem nego consequentiam. Semper enim ante oculos mentis retinendum est, ac identidem repetendum, quod discriminis ratio inter vtramque processionem petēda est ex eo, quod formalissimè, & secundùm explicitum conceptū differentialem vtraque processio sibi vendicat. Quemadmodum ergo licet Filius procedat ex cognitione propriæ Personalitatis, non tamen per hoc formaliter censetur à nobis procedere similis in natura Patri; sed per hoc, quod oriatur ex cognitione, qua Pater se ipsum cognoscit; quia Verbum explicitè, & formalissimè dicit assimilari suo principio cognoscitiuo. Ita licet Spiritus Sanctus procedat ex amore Personalitatis ipsius Spiritus Sancti, quia tamen secundùm formalissimam, & veluti specificam explicitam rationem nō habet hoc, sed solū habet procedere ex amore quo Pater, & Filius se inuicem diligunt: hinc fit, vt eius processio non sit generatio. Personalitas enim Spiritus Sancti est terminus veluti transcendens respectu amoris, ex quo procedit, non minus quam sint attributa diuina absoluta vt sic. At verò Pater, & Filius sunt eius termini, veluti specialissimi, & maximè expliciti. Vnde fit, vt Spiritus Sanctus communiter appelletur à Patribus (Patris, ac Filij sancta communicatio.) Atque

Digitized by Google

hic aduerte, notanter me dixisse: transeat, quod intra lineam Amoris procedat Spiritus Sanctus, vt similis in natura Patri, & Filio secundùm conceptum minus explicitum, & formalem. Puto enim hoc absolutè loquendo esse falsum; si enim linea amoris in Diuinis exigeret, vt terminus ipsius amoris esset vnum in natura cum amante, exigeret etiam vt esset vnum in Persona, quia haec vnitas ex amore Personalitatis ipsius Spiritus Sancti formalissimè deduceretur. Vnde si hic amor esset vnio non solùm affectiua, & sed etiam effectiua, ipsam personalitatem Spiritus Sancti identificare deberet cũ Patre, & Filio, quod est impossibile. Hoc autẽ dici nequit de linea cognitionis. Imago enim quæcũque siue perfecta sit, siue imperfecta, postulat essentialiter distingui a suo prototypo; atque adeò cum Verbũ secundùm suã formalissimam rationem sit imago, quantumuis crescat in infinitum in eo, quod assimiletur suo principio, semper exigit realem distinctionem ab illo.

46 Obijcies quintò *ex eadem numero 39.* Productio vt sic est datio esse; ergo infinita productio, qualis est illa Spiritus Sancti, est datio infiniti esse, siue essentiæ; sed sic non fit transitus ad aliam lineam magis, quam dum agitur de productione Verbi; ergo Spiritus Sancti productio esset iam generatio non minus, quàm productio ipsius Verbi in nostra sententia. Probatur minor subsumpta, cætera enim patent: non magis est vna, linea productionis, quam linea intellectionionis, nisi quod illa est magis vniuersalis; sed hoc non obstat; ergo &c.

Respondeo concesso entymemate, distinguo minorem subsubsumptam: non fit transitus ad aliam lineã, si sumatur productio Spiritus Sãcti secundũ formalissimum, & explicitum conceptum, ac veluti differentialem, per quem distinguitur à productione Verbi, nego. Si non sumatur sic, sed in ratione productionis præcisè, concedo subsumptum, & nego consequentiam. Ad subsumpti verò probationem in contrarium dico: me toties notasse rationem discriminis sumendam esse ex ijs, quæ vtraque processio secundùm propriam, & peculiarem rationem sibi vendicat. Quoniam verò processio Spiritus Sancti in ratione productionis conuenit cũ processione Verbi: hinc fit vt si consideretur intra lineam huius rationis, non possit nobis ostendere per quid diuersificetur ab illa; benè autem possit, si consideretur intra lineam explicitam amoris.

47 Obijcies sextò: ex his, quæ habentur *numero* 40. Licèt, quando ex vno Parente sunt duo Filij, & quilibet illorum distinctam domum fundat, ambo oriuntur ab eodem puncto: iam tamen faciunt duas lineas; vnde filij vnius fratris non dicuntur in eadem linea esse cum filijs alterius. Idem dicendum est de duabus lineis quãtitatis, ab eodem puncto deductis; puncta enim vnius lineæ non pertinent ad aliam. Cum igitur similitudo vt sic diuidatur in physicam, & intentionalem tãquam in duo membra diuidentia inferiora; quæ continentur sub membro similitudinis intentionalis (quale est Verbum,) sunt in alia linea ab inferioribus sub physica similitudine contentis. & sic sub ea collocari non possunt.

Respondeo, distinguendo antecedens: dico filij ab eodem Parente geniti faciunt duas lineas: si inter se comparentur, concedo; si comparentur siue cum Patre, siue cum aliquo tertio extra vtrãque lineam, nego: quia sic comparati pro eodem sumitur vterque filius; tantumdem enim distat vnus à Patre, quantum distat alter; & si vnus v. g. est in tertio gradu consanguinitatis cum Berta, in eodem gradu erit alter; & sicuti filij vnius sunt cum ea in quarto gradu, ita filij alterius. Idem cum proportione dicendum est de duabus lineis quantitatis ab eodem puncto egredientibus; Qua distinctione posita, nego consequentiam: quia similitudo realis, & intentionalis licet inter se comparatæ constituant duas lineas, tamen quatenus comparantur cum habente carentiam similitudinis vt sic, ab vtraque similitudine præscindentis, sumuntur pro eodem, & vt ad eandem veluti lineam pertinentes; atqui quando comparatur processio per intellectum cum processione per voluntatem, similitudo realis, & intentionalis considerantur in ordine ad aliquod habens carentiam vtriusque similitudinis, cuiusmodi est actus amoris; ergo non est mirum si similitudo intentionalis, & realis in ratione vnius lineæ accipiantur, quæ ab imperfectioribus ad perfectiora progrediatur: nimirum ab intentionali ad realem. Cæterùm si similitudo intentionalis, & realis inter se comparentur, licet verum sit, quod constituant duas lineas: falsum tamen est, quod sub linea intentionalis collocetur Verbum mentis, quatenus creatum, & increatum comprehendit, vt in consequentia ab Auctore supponitur; si enim ita res se haberet numquam posset Verbum increatum ad linem realis similitudinis pertinere. Quemadmodum igitur à ratione entis, quatenus diuiditur in substantiam, & accidens, tamquam ab eodem puncto oriuntur linea substantiæ, & linea accidentis; & nihilominus sapientia à creata, & increata præscindens, neque est intra lineam substantiæ, neque intra lineam accidentis, sed contracta ad creatam est intra lineam accidentis: ad increatam verò, substantiæ. Ita quamuis à ratione similitudinis oriantur lineæ similitudinis intentionalis, & realis, Verbum vt sic præscindit ab vtraque linea; & si quidem est creatum, pertinet ad intentionalem; Contra verò si increatum, ad realem.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO QVADRAGESIMA QVARTA.

DE CORRVPTIONE SVBSTANTIALI.

1 CORruptio multipliciter sumi potest. Primò vniuersalissimè, & sic omnem desitionem rei siue positiuæ, siue negatiuę comprehendit; in quo sensu tenebræ per aduentum lucis dicuntur corrumpi: & chymæra pariter per hoc, quod intellectus ab eius cognitione, vel amore desistat. Secundò sumi potest vniuersaliter, quomodo solam desitionem rerum positiuarum significat; in quo sensu dicimus communiter per aduentum caloris corrumpi frigus, & per discessum Solis corrumpi lumen. Tertiò sumitur aliquanto presius, & magis phylosophicè, pro ut opponitur annichilationi, & importat omnem, & solam desitionem rei positiuæ, quæ ita perit, vt aliquid illius remaneat, siue hoc sit subiectum, siue forma. in quo sensu, quando aer ex luminoso factus est tenebrosus, & aqua ex frigida conuersa est in calidam, dicimus lumen, & frigiditatem esse corrupta.

Quartò denique corruptio sumitur prę sisimè, pro vt generationi substantiali opponitur, & dicitur ab Aristotele *5. physic. tex. 7.* Mutatio ex subiecto in non subiectum simpliciter, cuiusmodi est mutatio ex ligno in non lignum: ex igne in non ignem, &c. Secundum quam acceptionem de ea nobis in præsentia sermo erit.

SECTIO PRIMA.

Quid sit corruptio substantialis.

2 DVpliciter considerari potest corruptio, essentialiter, & entitatiuè; de ea priori modo considerata sit.

Prima Conclusio: substantialis corruptio rectè describitur, mutatio totius in non totum nullo sensibili remanente vt subiecto eodem. Est communis, & quamuis eius explicatio pateat ex ijs, quæ diximus pro definitione generationis: breuiter tamen noto Primò: mutationis nomine venire mutationem naturalem, cuius beneficio subiectũ ex termino à quo transit in terminum ad quẽ, siue demum sit negatiua, & eius beneficio subiectũ deperdat aliquid, quod prius habebat, siue positiua, cuius beneficio acquirat aliquid, quod prius non habebat. Noto secundò, particulam (totius) significare compositum substantiale, quod ab Aristotele *loco citato*, appellatur subiectum simpliciter: quia est primum subiectum denominationis omnium accidentium, quę in indiuiduo naturali reperiuntu. Noto tertio particula (non totum) denotare conflatum ex materia prima, & ex priuatione formę substantialis, quę vnà cum dicta materia totum, quod corrumpitur componebat. Quãuis enim numquam forma aliqua substãtialis desinat esse in materia, absque eo, quod alia forma item substantialis in locum eius succedat; atque adeò possit dici, quod non solùm terminus à quo mutationis corruptiuæ sit totum substantiale, sed etiam terminus ad quem: quia tamen sic nullo modo nobis innotesceret eius essentia, quatenus à generatione condistinguitur; ideo diximus (in non totum) Per quæ patet magis essentialem esse definitionem hanc respectu corruptionis, quam superius traditam respectu generationis. Illa enim, saltem secundùm communem Phylosophorum huius ætatis sententiam, non requirit essentialiter pro termino à quo substantiale compositum, explicatum per particulam (totius:) at sine vlla cõtrouersia est, implicare contradictionem dari substantialem corruptionem, quæ non habeat pro termino à quo aliquod compositum substantiale, quod prius supponatur existere. Corruptio enim circa rem existentem necessariò versari debet.

Obijcies: si Deus miraculosè destrueret totum 3
Corpus Petri, & solam eius animam conseruaret, non haberetur corruptio substantialis, oppositæ generationi substantiali, de qua agimus; sed haberetur mutatio totius in non totum, nullo sensibili remanente vt subiecto eodem; ergo non benè substantialis corruptio definita est.

Respondeo primò: nomine mutationis in definitione tradita venire illam, in qua materia prima, seu subiectum transit ex vno in alium terminum; atque adeo falsam esse minorem. Respondeo secundò: quod quemadmodum productio animę rationalis defacto est creatio simul, & generatio respectu diuersorum, ita & desitio corporis Petri in casu illo miraculoso respectu ipsius corporis esset annichilatio: respectu verò Petri, qui non totaliter perit, posset dici corruptio alterius tamen speciei, ab ea, quæ naturaliter contigit.

Quantum ad controuersiam de corruptione entitatiuè sumpta, dubitari solet, num ea sit, realiter loquendo vnus motus cum generatione. Dixi, realiter, siquidem non potest esse dubium, quin inter se formaliter distinguantur. Transitus enim cõpositi de esse ad nõ esse diuersam habet conceptibilitatẽ à traaitu de non esse ad esse. Vnde patet definitione, atque adeò essentialiter, duos hosce motus inter se distingui. Ad determinandum autem num etiam realiter distinguantur? Suppono duo; vnum est non posse in hac controuersia esse sermonem de generatione, & corruptione eiusdem rei. Certum enim est huiusmodi mutationes esse inter se repugnantes: ita ut quando habetur generatio alicuius rei v. g. ignis, *implicet* contradictionem, quod simul habeatur eiusdem corruptio, alioquin idem eodem tempore tenderet ad esse, & ad non esse sui; & sic tum in termino à quo, tum etiam in termino ad quem mutationis

Digitized by Google

simul esset, & non esset, quod repugnat. Quod si generatio, & corruptio eiusdem rei non possunt esse simul in eodem instanti, multò minus inter se identificari poterunt. Sermo igitur est de generatione vnius rei, & corruptione alterius, quando simul in vna, & eadem materia exercentur cum connexione aliqua naturali, vt contingit, quando ex ligno v. g. generatur ignis, & quæritur an corruptio ligni sit idem motus cum generatione ipsius ignis.

Alterum quod supponerem est: Corruptionem sumi posse dupliciter: primò physicè, seu positiuè, videlicet pro motu reali destructiuo rei corrumpendæ, qui exigit cessationem influxus in illam rem; secundò non physicè, hoc est pro destructione formali eiusdem rei, quæ corrumpenda est. Quibus prænotatis, sit.

5 Secunda conclusio: corruptio physicè sumpta, & generatio substantialis sunt vnus, & idem motus realis, ac positiuus. Videtur esse Sancti Thom. *quinto physic. text. 47. & quæst. 28. de ver. art. 1. & 6.* Item eam defendunt Marsilius, Albertus de Saxonia, & Caietanus, quos citat, & sequitur Auersa *quæst. 37. sect. 4.*

Probatur primò: quia corruptio sumpta physicè in ratione actionis, est vna actio cum generatione. igitur est etiam vnus motus. Consequentia patet, quia motus non distinguitur realiter ab actione. Antecedens probatur, quia cum per aduentum formæ sequentis expellatur forma præcedens, agens naturale eadem actione, qua vnam introducit, expellit alteram, absque eo quod aliam distinctam actionem exerceat; ergo &c.

Probatur secundò: quia eadem mutatio, quæ tendit ad producendam formam ignis, tendit ad destruendam formam ligni, sicuti eadem calefactio tendit etiam ad frigoris destructionem; igitur corruptio physicè sumpta, & generatio sunt vnus motus. Quod confirmatur, quia subiectum non potest per se directè motu reali, ac positiuo moueri ad non esse illius compositi, quod constituebat: mouebitur igitur motu reali, & positiuo per se, quidem, & directè ad recipiendam formam alterius compositi: indirectè verò ad præcedentis compositi negationem.

6 Contra tamen hoc obijcies primò: pro diuersitate suorum terminorum motus physici diuersificari debent inter se; cum igitur termini generationis, & corruptionis distinguantur, tamquam ens, & non ens: impossibile erit generationem, & corruptionem esse vnum numero motum positiuum.

Respondeo distinguendo antecedens. Pro diuersitate terminorum, qui possunt realem, & positiuum motum primò, & per se terminare, motus ipsi positiui inter se diuersificari debent, cõcedo: pro diuersitate terminorum, quorum vnus positiuum motum primò, & per se terminat: alter verò secundariò, & veluti per accidens, nego antecedens, & consequentiam. Terminus enim corruptionis terminat motum positiuum, & realem generationis tantùm secundariò; vnde quantum ad habendum vnum motum positiuum maiorem connexionem habent duo termini ad quem, quorum vnus est positiuus, & alter negatiuus; quàm duo ambo positiui.

Obijcies secundò: Potest esse corruptio vnius formę, absque alterius generatione; ergo corruptio non est vnus motus positiuus cum generatione. 7

Respondeo, distinguendo antecedens: potest esse corruptio non physica vnius formæ absque generatione alterius, concedo: corruptio physicæ, nego antecedens; Ex hoc autem sequitur solùm, quod physica corruptio sit idem motus cum generatione, diuersus autem non physica; quod non est contra nos.

Tertia Conclusio: Si corruptio sumatur non physicè, ita ut nomine illius veniat solus transitus formalis, quo res, quæ corrumpitur de esse transit ad non esse, distinguitur à generatione plus quam realiter, hoc est tamquam non ens ab ente. Est communis. 8

Et probatur, quia hoc modo accepta corruptio habetur præcisè per suspensionem actualis concursus, quo res corrumpenda conseruabatur in esse; sed hæc suspensio est aliquid negatiuum; ergo sic considerata corruptio distinguitur à generatione tamquam non ens ab ente. Consequentia patet: Maior verò suadetur, quia quouis alio circumscripto, per hoc præcisè quod *intelligamus* Deum suspendere concursum, quo conseruabat formam ligni v. g. in materia, habemus corruptionem ipsius ligni, hoc est transitum materiæ ab esse ligni ad non esse ligni. Ergo corruptio si sumatur non physicè habetur præcisè per suspensionem actualis concursus, quo res antea conseruabatur. Iam verò quod huiusmodi suspensio sit quid negatiuum, quæ erat minor probanda, eodẽ ferè argumento suadetur: quia per hoc præcisè quod intelligamus Deum cessare à conseruatione rei, quam antea conseruabat, intelligimus suspendere concursum suum, quo eam conseruabat; sed huiusmodi cessatio consistit in negatione concursus præcedentis primò positi; ergo &c.

Obijcies: quando homo moritur, habetur vera eius corruptio. sed non habetur vlla suspensio actualis concursus, quo homo conseruabatur in esse; nam per nos ex vna parte non datur vnio distincta, & ex alia totum non distinguitur à suis partibus collectiuè acceptis; atq; adeò conseruabatur per solũ concursum quo conseruabatur eius corpus, & eius anima. Sed huiusmodi concursus iam remanet; siquidem tum anima, tum corpus durant in esse; ergo falsum est, quod corruptio si sumatur non physicè distinguitur à generatione tãquam non ens ab ente. 9

Respondeo, negando minorem: cum enim in mea sententia materia non habeat propriam existentiam, impossibile est, quod quando moritur homo, non pereat actio illa, per quam communicabatur materiæ existentia animæ, quæ ab illa, discedit: & loco illius actionis succedat alia cuius beneficio existentiam formæ aduenientis acquirat. Quod siquis putaret materiam habere propriam existentiam: Respondere posset, sufficere ad veritatem conclusionis haberi in corruptione hominis suspensionem actualis concursus secundũ quid, hoc est in eius materia, in qua antea habebatur. Quemadmodum enim sufficit discessus animę à dicta materia, ad inducendam sui carentiam, ita & discessus actionis conseruatiuæ eiusdem

Digitized by Google

dem ad dictæ actionis carentiam habendam in eadem materia; remanet enim sic illa actione priuata.

SECTIO SECVNDA.

In quo sensu verum sit generationem vnius esse corruptionem alterius.

10 ARistoteles *primo de generatione tex. 16.* hanc sibi difficultatem proponit. Quæ causa sit, vt connectatur generatio, seu, vt Conimbricenses hunc locum vertunt, vt generatio generationi sẽper cohæreat, & alteram altera subinde sequatur? & rationem dubitandi subnectit. Siquidem, inquit, quod corrumpitur, ad non ens abit. Si igitur semper aliquid eorum, quæ sunt, abit (hoc est corrumpitur) cur non consumptum est iamdudum, & inane ipsum vniuersum? siquidem finitum est. Respondens autem dubitationi textu sequenti, ait: Id oriri ex eo, quod huius corruptio alterius est generatio, & huius generatio alterius est corruptio. Hoc ipsum repetit *tex. 24.* & dixerat antea *3. physic. tex. 73.* ex quo processit illud commune proloquium: Quod generatio vnius sit corruptio alterius. Et quidem si corruptio physicè, & positiuè sumatur, hoc est pro mutatione physica, & positiua, qua corpus substantiale destruitur, ex dictis patet axioma esse verissimum; quia in generatione substantiali non datur duplex actio positiua, quarum altera sit productiua eius, quod fit, altera verò destructiua eius, quod corrumpitur; sed vna indiuisibili actione agens naturale præstat vtrumque.

Quoniam verò Philosophi corruptionem in dicto proloquio sumunt negatiuè, quemadmodũ eam videtur sumere Aristoteles, & est impossibile, quod ens reale identificetur cum non ente reali: remanet inquirendum, in quo alio sensu verum sit, quod generatio vnius sit corruptio alterius? Pro qua re.

11 Dico primò. Generatio vnius, & corruptio alterius respectu eiusdem materiæ semper sunt simul tempore. Est communis. Probatur autem: quia si quando aliquid generatur, semper ex materia præexistente generatur; vel igitur materia existebat sine vlla forma substantiali, vel cum aliqua; primum est falsum; ergo secundum. Tum sic: aut dicta forma substantialis remanet in materia; & hoc non, quia vna materia nequit informari duplici forma substantiali, aut desinit informare materiam; & sic iam habetur corruptio cõpositi præcedentis cum productione sequentis. Simile argumentum fieri potest, si supponamus aliquid corrumpi; si enim non eodem tempore aliquid de nouo generaretur; vel materia remaneret absque omni forma substantiali, vel deberet dici, quod antea duplici forma substantiali informabatur; & quod duplex substantiale compositum constituebat; vtrumque autem est falsissimum; ergo &c.

12 Dico secundò: Generatio vnius in sensu causali est corruptio alterius, causalitate pertinente ad genus causæ formalis.

Probatur, quia ob nullam aliam rationem corrumpitur lignum v. g. in generatione ignis ex ligno, nisi quia forma ignis, quæ producitur, est incompatibilis in eadem materia cum forma ligni; & idcirco Deus in eo instanti generationis suspendit concursum suum, quo antea dictam formam conseruabat; quia cum non possit simul esse vtraque in eodem subiecto: ob introductas nouas dispositiones in ipsum, potiori iure vendicat sibi illud subiectum forma ignis, quæ de nouo aduenit, quam forma ligni, quæ antea in eo erat, cuius dispositiones iam supponuntur vi agentis naturalis esse cotruptæ. Atqui quotiescumque duo ita se habent, vt vnum succedat in locum alterius modo dicto: toties in sensu causali causalitate pertinente ad genus causæ formalis expellit illud alterum; ergo dicendum est, quod hac ratione generatio vnius sit corruptio alterius, nempè in sensu causali causalitate pertinente ad genus causæ formalis.

Dico tertiò: Quoties aliquid de nouo generatur, huius generatio semper est prior natura corruptione alterius. 13

Probatur: quia licet quando aliquid generatur eius forma in subiecto non sit prior natura, quàm carentia suę priuationis in eodem subiecto: hoc tamen oritur ex eo, quia inter prius, & posterius natura debet dari distinctio ex natura rei. Siquidem quod est prius natura alio, est necessariò causa illius: cum autem carentia priuationis formæ sit formalissimè ipsa forma, impossibile est, quod forma sit prior natura dicta carenria; alioquin esset causa sui ipsius, quod repugnat. At carentia actionis conseruatiuæ formæ corrumpendæ distinguitur ex natura rei à generatione formę, quæ generatur; vnde cum pendeat in genere causæ formalis ab ipsa generatione tamquam effectus secũdarius ab illa causatus non est, cur nõ debeat censeri posterior natura dicta generatione.

Obijcies primò contra primum dictum: quando moritur homo, non potest assignari quid de nouo generetur; ergo generatio vnius non semper cum alterius corruptione coniuncta est. 14

Respondeo, negando antecedens: & interim dico, quod illi, qui formas partiales negant, aiunt: in morte hominis formam cadaueris de nouo generari. Qui verò illas admittunt, aiunt, quod licèt verum sit, quod quando moritur homo nulla forma substantialis secundùm entitatem suam de nouo producatur; producitur tamen in esse dantis vltimam speciem; atque adeò, quod generetur de nouo aliquod compositum, quo ad denominationem. Forma enim substantialis carnis v. g. (inquiunt) quæ quia quando homo viuebat, se habebat vt dispositio respectu animæ, & ideò non debet esse specificum materiæ, in qua erat, postea in morte illius dat tale esse, exercendo munus vltimæ formæ. Verùm in nostra sententia procedit solùm prima responsio, quæ est solidior.

Obijcies secundò: In hominis nutritione corrumpitur quidem forma substantialis alimenti, nõ tamen noua producitur forma, neque secundùm totum, neque secundùm partem: non igitur semper corruptio vnius est cum alterius generatione copulata. 15

Respondeo: quod in dicto axiomate sicuti corruptionis nomine venit tantummodo destructio compositi, siue demum hæc accidat, quia eius for-

Digitized by Google

forma corrumpitur, siue quia discedit: ita generationis nomine venit productio ipsius compositi, siue sit cum noua formæ productione, siue non. In nutritione igitur hominis cum in materia alimenti introducatur forma eiusdem hominis, optimè generationis substantialis ratio saluatur: si non adæquatæ, at saltem inadæquatæ, quatenus adgenerationem etiam comprehendit, iuxta alibi dicta.

16 Obijcies tertiò contra secundum dictum: quod non est, non potest expelli in genere causæ formalis ab alio, sed in instanti generationis ignis ex ligno non est forma ligni: alioquin in eodem instanti duę formę substantiales essent in eadem materia; ergo generatio ignis non est causa formalis expulsionis formæ ligni; Maior, quæ sola probatione eget, suadetur; quia ad id, quod non est, non datur causalitas.

Respondeo, negando maiorem: ad cuius probationem distinguo assumptum: ad id, quod non est, non datur causalitas, quæ primò, & per se tendat ad non esse alicuius, concedo: non datur causalitas, quæ secundariò tendat ad illud, nego; & dico, quod licèt causalitas causæ formalis aduenientis vtpote realis habeat primò, & per se dare esse composito; secundariò tamen causat corruptionem formę præcedentis propter repugnantiã, quam habet cum illa.

17 Obijcies quartò contra tertium dictum: Ad introductionem nouæ formæ substantialis prius natura recedit à materia forma antiqua. ergo impossibile est, quod generatio formæ nouæ sit causa formalis corruptionis antiquę. Consequentia patet, quia causa formalis, saltem non debet esse posterior natura suo effectu. Antecedens verò suadetur, quia forma antiqua recedit à materia per deperditionem suarum dispositionum; sed hæc habetur per alterationem præuiam, quæ completur in priori naturæ ante generationem; ergo ad introductionem nouæ formæ substãtialis in priori naturæ recedit antiqua.

Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem distinguo antecedens: forma antiqua recedit à materia dispositiuè per deperditionem suarum dispositionum, concedo: recedit formaliter nego antecedens, & consequentiam. Dico n. quod quamuis deperditio dispositionum formæ præcedentis, quæ habetur per introductionem dispositionum formę sequentis aliqua ratione disponat ad corruptionem ipsius formæ præcedentis: eius tamen corruptio formaliter non habetur, nisi ad introductionem formæ sequentis. Quod adeò verum est, vt ex suppositione quod nollet Deus ad præsentiam dispositionum nouiter introductarũ concurrere ad producendam nouam formam substantialem, teneretur vt Auctor naturæ dare antiquę formæ dispositiones suas, & introductas nouiter dispositiones destruere, vt verificaretur communis lex: quod Qui dat esse, dat consequentia ad esse. Stet igitur quod quemadmodum in priori naturæ habetur introductio primę qualitatis corruptiuę v. g. caloris, quam destructio frigoris, propter formalem contrarietatem, quã habent; ita etiam in priori naturę habetur introductio nouæ formę substantialis, quam corruptio, vel recessus antiquæ, propter repugnantiam, & incompossibilitatem, quam inuicem habent.

Instabis: licet in reliquis corruptionibus substantialibus concedi possit id, quod dicimus; at non in morte animalis; ergo nostra conclusio non est vniuersaliter vera. Antecedens probatur, quia in morte animalis per accidens natura inducit formam cadaueris, ne scilicet materia remaneat sine omni forma, defacto enim cadauer paulatim in aliam substãtiam post mortem resoluitur, præsertim in quatuor elementa; ergo signum est, quod anima recedat præcisè per hoc, quod desint illi dispositiones necessariæ. 18

Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem distinguo assumptum: natura in morte animalis cadauericam formam inducit per accidens, hoc est non ex primaria intentione, concedo. per accidens, hoc en non ex primaria exequutione, nego antecedens, & consequentiam. Quamuis enim verum sit, quod forma cadauerica non sit ex primaria intentione à natura expetibilis; sed ad eum ferè modum se habeat in ordine ad reliquas consequentes formas, ac se habet forma embrionis, quæ semper fit à natura in ordine ad animam introducendam: est tamen expetibilis ex primaria exequutione, in quantùm ex suppositione, quod in corpus animalis introductæ sunt aliquæ dispositiones, quæ animam à suis operationibus vitalibus penitus impediant quidem, sed non sufficiant ad exigendam vllam formam substantialem, ex his, quæ absolutè, & simpliciter sunt expetibiles in natura: huiusmodi dispositiones exigunt, vt interim producatur forma cadaueris, veluti media, donec compleantur, & sic obtineant propriæ formæ productionem, & cadauericæ destructionem. Vnde fit, vt dicta forma, licèt non ex primaria intentione dispositionum introductarum exigatur; exigitur tamen ex primaria exequutione, ad cuius exigentię expletionem in posteriori naturæ moritur animal.

Atque hæc ex suppositione, quod forma non pendeat in conseruari à dispositionibus. Quod si ponamus pendere: dicendum esset, quod etiam si desitio dispositionum sit causa corruptionis formę antiquæ; hoc ipso tamen quod huiusmodi corruptio non sit causa generationis formę nouę, potest rectè intelligi pendere ab illa in eodem signo, in quo pendet à desitione dispositionum, iuxta dicenda ab obiectionem septimam.

Obijcies quintò: omnis dispositio est prior forma, ad quam disponit. sed carentia formæ præcedentis est dispositio ad formam sequentem; ergo corruptio formæ præcedentis est prior natura productione formæ sequentis, & sic non est effectus in genere causæ formalis illius. Maior conceditur; minor verò probatur, quia nisi corrumperetur forma præcedens, non introduceretur subsequens. 19

Respondeo: data maiore, de qua infra, negando minorem; & eius distinguo probationem, nisi corrumperetur forma præcedens consequenter, nõ introduceretur subsequens, concedo; nisi corrumperetur antecedenter, nego antecedens, & consequentiam.

Obijcies sextò: Si corruptio formę præcedentis esset posterior natura generatione formę sequentis: sequeretur, quod etiam non esse formæ præ-

Digitized by Google

precedentis esset posterius natura in materia, forma sequente. sed hoc repugnat; ergo &c. Sequela patet pariatæ, quia vtrobique militat eadem ratio repugnantiæ. Minor verò probatur, quia quandiù in materia non habetur carentia formæ, habetur in ea forma; ergo si non esse formæ precedentis esset posterius natura forma sequéte: iam in priori naturæ esset in materia forma precedés, & forma subsequens, quod repugnat.

Respondeo: concessa sequela, negando minorē; ad cuius probationem distinguo antecedens: quādiù in materia non habetur carentia formæ, habetur forma, loquendo de instantibus realibus, concedo: de instantibus naturę, nego antecedens, & consequentiam; Cum enim prioritas naturæ sit prioritas independentiæ, quam habet causa respectu effectus à se dependentis, potest forma producta esse prior natura carentia formæ, quæ destruitur, absque eo quod in eo priori intelligatur esse ipsa forma destruenda, eo quod hæc non se habet vt causa formalis respectu suæ proprię carentiæ. Ex quo sequitur, quod in eo priori neque forma corrumpenda, neque eius priuatio, intelligi possit.

20 Obijcies septimò: quoties habentur duo principia adæquatè potentia in actu primo producere aliquem effectum, illud solùm, quod est prius natura altero, defacto dictum producit effectum. Sed in casu nostro non solùm noua forma, quæ aduenit, est principium in actu primo potens causare expulsionem formæ antiquæ, sed etiam causa efficiens ipsius formę nouæ; ergo cum causa efficiens sit prior natura dicta forma noua, illa tantùm expulsionem formæ antiquæ causabit: & forma, quæ de nouo generatur, illam inueniet iam factā. Maior videtur certa: quia principium illud, quod est posterius natura altero, inuenit effectū productum in secundo posteriori, quando ipsum primò intelligitur existere. Minor verò probatur, quia causa efficiens formæ producendæ, non solùm exigit in priori naturæ dictę formæ productionē, sed etiam destructionem antiquæ, quæ est illi incompossibilis: ergo &c.

Respondeo: negando absolutè maiorem; quamuis enim vnum principium sit posterius natura respectu alterius, posito tamen quod non sit huiusmodi respectu effectus, qui fieri debet; hoc ipso quod habet potentiam illum causandi, non est, cur non concurrat defacto ad causandum illum. Porrò forma quæ generatur, licèt sit posterior natura principio generante: non est tamen posterior natura expulsione formę veteris, quia non pendet à priori ab illa; vnde cum in eo instanti possit eam propter incompossibilitatem expellere, non est, cur non concurrat defacto ad expellēdam illam simul cum suo principio. Quod si hęc responsio videtur alicui difficilis. Respondere potest planius secundò ad minorem: principium effectiuum formæ nouæ non posse exigere immediatè, & proximè expulsionem formæ antiquæ: sed mediatè solùm, & remotè, hoc est media introductione formæ nouæ, & sic argumentum non concludere.

SECTIO TERTIA.

Percurruntur cætera, quæ ad corruptionem substantialem pertinet.

QVæres primò. In corruptione quid per se respiciat generatio formalis tamquam suum effectum secundarium? 21

Respondeo: in corruptione substantiali multa considerari posse; nimirum subtractionem concursus, quo conseruabatur forma precedens: desitionem ipsius formæ precedentis: subtractionem concursus, quo conseruabatur vnio dictæ formę cum materia: & desitionem ipsius vnionis. Iam verò generationem non respicere per se tamquā suum effectum secundarium suspensionem cōcursus, quo conseruabatur forma præcedens, neque desitionem simpliciter ipsius formæ, constat: quia quando ex homine generatur ignis, vel cadauer, anima rationalis perseuerat in suo esse, & non amittit propriam existentiam; ergo quantum est de se, generatio non respicit tamquam suum effectum secundarium, neque suspēsionem concursus, quo forma præcedens conseruabatur, neque desitionem ipsius formæ quantum ad esse; sed quando vtraque habetur, per accidens contingit, quatenus forma expellenda est materialis, & non potest independenter à materia naturaliter conseruari. Ex quo non sequitur quod, si miraculosè conseruaretur, non haberetur in tali casu vera, & propria corruptio. Quod verò neque generatio respiciat per se desitionem ipsius vnionis veteris formæ cū materia prima, suadetur ex eo, quia vnio se habet vt terminus; Corruptio autem habet rationem viæ, & importat transitum subiecti de toto in totū. Restat igitur dicendum: Generationem in corruptione respicere tamquam suum effectum formalem secundarium per se suspensionem concursus vnitiui: cætera verò veluti comitanter, & per accidens. Iam verò assignare in quo consistat huiusmodi concursus vnitiuus in nostra sententia, per quam negamus vnionem distinctam inter materiam, & formam, videtur prima fronte difficile: non est tamen sic, si rem penitus inspiciamus. Siquidem secundùm nostra principia, cum materia prima non habeat propriam existentiam, ipsamet actio conseruatiua formæ, est eadem formaliter cū actione conseruatiua ipsius materię. Vnde hic vt dicta actio habeat duplex munus; vnum est conseruare in esse formam, & materiam: alterum verò illas effectiuè vnire per se ipsas. Concursus igitur vnitiuus consistit in dicta actione, quatenus posterius munus exercet; atque adeò id, quod per se respicit generatio formalis tamquam effectum suum secundarium, formaliter consistit in suspēsione dicti concursus sub ea ratione considerati.

Quæres secundò: An quod generatio vnius sit corruptio alterius in sensu supra explicato, veritatem etiam habeat respectu formarum accidentalium? 22

Respondeo: duplex dari accidentiū genus: quædam enim inter se sunt ita contraria, vt alterutrū necessariò debeat semper reperiri in subiecto illo, respectu cuius contrarietatem exercent; cuiusmodi sunt calor, & frigus respectu mixtorum.

Quæ-

Digitized by Google

Quædam verò, vel nullum habent contrarium positiuum, sicuti est lux; vel si quod habent, non adeò sunt cum proprio subiecto connexa, vt alterutrũ semper necessariò in eo reperiri debeat, vt sunt albedo, & nigredo, virtus, & vitium. Porro axioma verificatur de solis accidentibus primi generis, non autem de illis secundi generis. Et ratio est, quia non potest vnum accidens primi generis introduci in subiectum, absque eo, quod alterum accidens sibi contrarium in eodem subiecto corrumpatur: neque potest alterum corrumpi absque alterius productione, ita vt corruptio huius ex vi productionis alterius habetur. At non ita se habent secundi generis accidentia, vt patet ex eo, quia acquiri potest ab aliquo homine habitus ignorantiæ absque eo, quod ab eo habitus oppositus sapientiæ deperdatur.

23 Quares tertiò: an rerũ corruptio sit naturalis, & à natura intendatur.

Respondeo, quantum ad primum; quod respectu causarum naturalium, quę naturæ nomen sibi vendicant, aliqua corruptio censenda est naturalis, illa videlicet, quæ secundùm ordinarium causarum naturalium cursum procedit, vt patet ex Aristotele 1. *physic. text.* 56. & 57. respectu verò rei, quæ corrumpitur, omnis corruptio dici potest naturalis, quatenus est secundùm illius cõditionem, quæ ex intrinsecis suis principijs habet, quod corruptibilis sit; licèt de reliquo possit dici eidem rei violenta, eo quod non fiat iuxta illius inclinationem, imo aliquando etiam contra. Quantum verò attinet ad secundum, quod quærebatur. Dico: corruptionẽ numquam primò, & per se intendi à natura, sed solùm secundario; de eius namque primaria intentione est rerũ productio, ac generatio; malum enim, cuiusmodi est corruptio directè natura numquam intendit, dum operatur. Sed quia dicta productio per se primò intenta haberi nequit sine aliarum rerum corruptione; hinc est, quod natura secundariò harum corruptionem intendat. Vbi obiter aduerte me hìc loqui de causis necessarijs. Causæ siquidem liberæ optimè destructionem alicuius rei ex primaria intentione intendere possunt, quatenus apprehendunt in ea aliquam bonitatem sibi expetibilem, vt de se patet.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA QVINTA

DE ACCIDENTIVM MATERIALIVM SVBIECTO.

1 ACturus disputatione sequenti, num in corruptione substantiali detur resolutio vsque ad materiã primam, hoc est, num, quando aliquid de nouo generatur, pereant omnia accidentia, quæ erant in corpore, quod ex vi dictæ generationis corrumpitur. Præmitto quæstionem de subiecto accidentium materialium, non quidem in tota sua latitudine acceptorum (sic enim etiam actus vitales sensitiuos comprehendunt, de quibus in libris de Anima) sed speciatim, illorum nimirum, quę generationi, & corruptioni inseruiunt. Cum enim accidens quadrupliciter corrumpi possit; primò per alterationem, qua contrarium accidens introducitur; Secundò per remotionem agentis illud conseruantis; Tertiò per corruptionem termini ad quem refertur; Quartò denique per corruptionem subiecti, cui inhærent: si accidentia generationi inseruientia in corruptione substantiali pereunt; ex eo solùm, quod eorum subiectum corrumpitur, perire posse videntur. In instanti enim substantialis generationis alteratio supponitur facta, & contrarium iam deuictum; Causa verò efficiens conseruatiua accidentium, quæ immediatè antea erant in corrupto, vt supponimus, erat solus Deus, qui cum se gerat, vt Auctorem naturę, per ipsum non stat, quin dicta accidentia conseruentur; & denique ea accidentia, de quibus loquimur, non sunt relatiua, sed absoluta. Vnde fit, vt totus accidentium defectus in corruptione substantiali, si detur, in solam corruptionem subiecti refundendus sit. Et ideo prius, quodnam sit eorum subiectum, inquirendum est.

SECTIO PRIMA.

An omnia accidentia generationi inseruientia subiectentur in toto composito substantiali.

2 CONclusio est negatiua. Putamus enim quantitatem, & idem esto iudicium de alijs huiusmodi accidentibus, nõ sibi vendicare aliud substantiale subiectum, cui inhæreant, præter materiam primam. Est contra Thomistas, nimirum Capreolum, Ferrariensem, Caietanum, Soncinatem, Flandriam, Bagnes, & alios, quos citat, & sequitur noster Mazziotta *tomo primo Selectarũ quæstionum quæst. 9. num. 9.* qui optimè omnium Thomisticam hanc opinionem propugnat. Defenditur tamen nostra ab Aureolo *in secundo dist. 12. q. 2. art. 5.* Gregorio *quæst. 2.* Suario *disp. 14. metaph. sect. 3.* Toleto *de generat. quæst. 7.* Hurtado *in phys. disp. 5. sect. 6. §. 58.* Arriaga *in physic. disp. 5. sect. 2. subsect. 2.* Quiedo *de generat. controu. 5. puncto 1.* quibus apertè fauet S. T. *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 4. & in primo dist. 8. quæst. 5. de veritate art. 9. ad 6, & quæst. 4. super Boetium art. 2.*

Probatur autem nostra sententia vnica ratione, 3
quæ non minus valida est, quam sit antiqua. Si
quan-

quantitas inhæreret toti substantiali cõposito, sequeretur quod in homine inhæreret animæ rationali; sed hoc est falsũ; ergo & id vnde sequitur, Sequela probatur; quia si quantitas inhæreret toti substantiali cõpositõ, cũ homo sit substantiale cõpositũ constãs ex partibus vnitis, manifestè deducitur, quod inhæreret eius partibus vnitis. Atqui altera ex eis est anima rationalis; ergo &c. Minor verò suadetur: nullum enim subiectum potest saltem naturaliter formam aliquam in se recipere, quin sit naturaliter capax effectus formalis proprij talis formæ; sed effectus formalis proprius quantitatis est esse extensum cum commensuratione ad partes spatij, ita vt vna pars correspondeat vni parti spatij, altera alteri. Cum igitur anima rationalis vtpote spiritualis, & intrinsecè indiuisibilis, at formaliter inextendibilis, huiusmodi effectus formalis incapax sit; rectè deducitur quantitatẽ illi saltẽ naturaliter inhęrere nõ posse. Dico (saltẽ naturaliter) quia abstineo ab ea quęstione qua quęritur, num per absolutã Dei potentiã calor, albedo, & similia accidentia materialia, in subiecto spirituali subiectari possint.

4 Varias huic molestissimo argumento responsiones Aduersarij afferre conati sunt: quarum pręcipuas expendamus oportet.

Prima responsio est eorum, qui apud Durandũ *in primo dist. 8. quæst. 3. numer. 4.* supponentes in qualibet ratione passiui distingui posse duo, hoc est recipiens, & rationem recipiendi, dicunt recipiens, seu id, quod recipit quantitatem in homine, & in quolibet alio substantiali composito, non esse neque materiam, neque formam, sed totum, cui sicuti conuenit esse vt quod, ita pati, & operari item vt quod. Rationem verò recipiendi esse solam materiam, vtpote remotè diuisibilem in partes eiusdem rationis, sicuti exigitur à quantitate. Quo posito ad argumentum respondent: quod anima rationalis licet faciat ad rationem subiecti, in quo humani compositi quãtitas inhæreat, vtpote pars essẽtialis illius; & licèt etiam faciat ad rationem recipiendi, quatenus materia nisi esset actuata per formam substantialẽ, non posset recipere in se quantitatẽ: ea tamẽ minimè quantificatur, quia putant solũ recipiens, & solam rationem recipiendi ipsam quantitatem eius effectum formalẽ participare posse, quatenus proportionem habẽt cũ illa, & sũt capaces effectus formalis illius.

Sed contra hanc responsionẽ facit primò; quia ex hoc sequeretur, quod licèt quantitas non reciperetur in anima rationali hominem componẽte: ac reciperetur in cæteris formis substantialibus componẽtibus reliqua corpora naturalia, quod ab Auctoribus huius responsionis nõ admittitur. Sequela probatur, quia in tantùm quãtitas recipitur in omni recipiente, & in omni ratione recipiendi ipsam, in quantum vtrumque est capax sui effectus formalis, nempè extensionis, & vtrumque habet proportionem cum ipsa; sed cæteræ formæ substãtiales, vtpote materiales, habent hoc; ergo &c.

Contra secundò: quia quotiescumq; aliquod cõpositum est secundùm se totum subiectũ adæquatè recipiens respectu alicuius formæ: impossibile est, quin partes essentiales dicti compositi non se habeant, vt subiecta partialiter receptiua eiusdẽ formæ. Sed in hac sententia compositum humanum est secundùm se totum subiectum adæquatè recipiens quantitatis, & anima rationalis se habet, vt pars essentialis huius compositi; ergo impossibile est, quin anima rationalis non se habeat vt subiectum partialiter recipiẽs ipsius quantitatis. Maior huius, quæ sola indiget probatione, constat ex eo, quia totum includit essentialiter partes; ergo si compositum secundùm se totum est subiectum, adæquatè recipiens quantitatem, partes essentiales illius debent se habere vt subiecta partialiter illã recipientia. Sed hac de re paulò post luculentius.

Secunda Responsio est Capreoli *in 2. dist. 13. quæst. 1. art. 3. ad secundum contra tertiam conclusionem*, & aliorum Thomistarum, quos sequitur Mazziotta *quæst. 9. cit. numero 111.* Hi omnes nõ obstante, quod anima rationalis sit spiritualis, & incapax extensionis; sustinent tamen subiectum inhæsionis quantitatis in composito humano non esse meteriam, neque formam, sed esse totum compositum, quod dicitur forma totius, & in casu nostro est ipsa humanitas. Idemque putant asserendum de quantitate, quæ est in cęteris compositis materialibus; dicentes, quod inhęreat toti, qua totum est, non verò eius partibus. 5

Contra hanc responsionem facit, quia impossibile est, quod aliqua forma inhæreat toti, quin inhæreat alicui saltem parti huius totius; quamuis enim demus totum distingui à partibus vnitis collectiuè acceptis: cum tamen, vt fatetur ipse Mazziotta *quæst. 7. numero 40.* sequutus Ferrariensem, illud non dicat aliquod tertium additum supra partes, ex quo simul cum partibus constituatur; sed dicat solam rationem totius importantis partes, tamquam rationes sui constitutiuas: implicat, quod formam aliquam in se recipiat, & sustẽtet, quin huiusmodi forma in neutra eius parte constitutiua recipiatur, & sustentetur.

Ad hoc argumentum vt respondeat Mazziotta à *numero 106.* supponit dari duplex genus formarum. Quędam enim ita indiuisibiliter conueniunt per se, & formaliter toti, vt nulla ratione conueniant partibus in tali toto inclusis; aliæ verò non ita indiuisibiliter conueniunt per se toti, qua totum est, quin & conueniant partibus talis totius distributinè sumptis; & quidem prioris generis, putat esse formam relatiuam æqualitatis, existentem in vno palmo quantitatis, quæ ita indiuisibiliter est in toto palmo, vt nulla ratione sit in partibus illius. Posterioris verò ait esse formam relatiuam similitudinis, quam habet palmus albus ad alium item album, quia ita conuenit toti, vt singulis etiam eius partibus conueniat. Vt autem sciamus num forma aliqua sit prioris, vel posterioris generis: inspiciendam esse, ait, rationem formalem, quare dicta forma conueniat; si enim talis ratio in solo toto, & non in partibus reperitur; signum est, formam esse prioris generis. Contra verò si reperiatur tum in toto, tum etiã in partibus, posterioris. Quoniã verò forma quantitatis conuenit per se formaliter corpori, qua corpus est, quia, qua tale, est exactiuum illius; alioquin rationes exactiuæ, & exactæ non sibi mutuo correspondèrent: hinc concludit quantitatem non conuenire, nisi toti qua totum est formaliter, & non suis partibus. 6

Et quidem si Auctor hic doctrinam traditam defenderet ex suppositione, quod totum ex natura rei distingueretur à partibus vnitis collectiuè acceptis, videretur quadam probabilitatis specie respondere. At verò ipse *numero* 113. profitetur suam responsionem vim habere, etiã si totum substantiale non sit aliud, quam ipsæmet partes vnitę, in qua suppositione perspicuum est eius discursũ minimè procedere. Nam totum vt totum in hac sententia realiter loquendo sunt partes vnitæ: ergo si quantitas recipitur in toto, vt totum quoddam est, in eius partibus vnitis recipiatur necesse est. Tum sic: vel solùm recipitur in materia, vel solùm in forma, vel denique in vtraque. non primum, neque secundum, vt ipse fatetur; ergo tertium, & sic habemus animam rationalem esse partialiter subiectum inhęsionis quantitatis, quod ab eo negatur. Quamuis enim id concedere videatur *numero* 112. dum ait tum materiam, tum formam dici posse partiale subiectum quãtitatis. explicat tamen se in fine numeri dicens; hoc intelligendum esse causaliter, & remote, quia se ipsis vnitis causant, & constituunt totum. Contra quam explicationem sic argumentor: Quotiescumque duo realiter inter se identificantur, toties si vnum ex eis est subiectum formaliter, & proximè alicuius formæ, implicat, quod alterum sit subiectum solùm causaliter, & remotè eiusdem formę, si realiter, & tndependenter ab intellectu loqui velimus. sed totum iuxta hanc viam, quam impugno, identificatur cum partibus vnitis; ergo si totum est subiectum formaliter, & proximè quantitatis, erunt etiam hoc modo subiectum realiter loquendo partes vnitæ. Neque dicat Auctor totũ dicere etiã in recto vnionẽ, quã saltẽ in recto nõ dicunt partes vnitæ, sed solũ in obliquo. Ne id dicat, inquã, quia si propter hoc quantitas subiectaretur in toto, vt totũ est, absq; eo quod in aliqua ex eius partibus subiectaretur, ideo esset quia subiectaretur realiter in ipsa vnione; sed hoc est impossibile, tũ quia vt probauimus in physicis nõ datur vnio distincta à partibus: tum etiam quia, ea admissa, cum ad summum sit modus, & minimæ entitatis, constat apud omnes non habere in se vim adæquatè sustentandi quantitatem.

7 Quod si supponamus totum esse distinctum ex natura rei à partibus vnitis. Impugnatur Mazziotta secundò, quia in hac via non potest negari, quin materia, & forma sint rationes formales subiectandi, seu recipiendi quantitatem. ergo etiam si totum distinguatur à partibus, dictæ partes erunt subiectum inhæsionis ipsius quantitatis. Antecedens expressè conceditur ab Auctore *num.* 116. & probatur ex eo, quia alioquin essent solũ conditiones, sine quibus non. Consequentiam verò suadeo, quia ratio recipiendi formam est vis illa, qua recipiens redditur potens recipere formã, & eam defacto in se recipit; sed huiusmodi vis identificari debet cum subiecto inhæsionis dictæ formæ; ergo hoc ipso quod materia, & forma sũt rationes formales subiectandi, seu recipiendi quãtitatem, erunt subiectum inhæsionis illius. Maior huius est certa, & in doctrina Auctoris, loco citato expressè tradita. Minor verò probatur quia huiusmodi vis debet formaliter influere in rationem principij passiui in formam; ergo debet esse proximum subiectum formæ; sed non subiectum denominationis; ergo inhęsionis; quod erat probandum.

Ex quibus patet falsum esse dari formas, quæ ita conueniant toti, vt totum est, vt nulla ratione conueniant partibus in ipso toto inclusis; quod declaratur retorquendo contra Auctorem signum quod tradit *numero* 170. ad dignoscendum, quando forma aliqua conueniat toti solùm, & non singulis eius partibus sic: Ratio formalis, quare conueniat quantitas toti compositi, non est totum, qua totum est, sed est illius materia prima, quæ habet partes entitatiuas extendibiles in ordine ad spatium. Nam si per impossibile daretur corpus, cuius materia esset inextendibilis, minimè quantitatem exigeret. Deinde quamuis aduersario demus totum, qua corpus est exigere quãtitatẽ; eũ autem per formam substãtialẽ in ratione cerporis constituatur, sequitur etiam ex hoc capite quantitatem non ita toti conuenire, vt non conueniat etiam partibus suis. Iam verò ad exemplum de relatione æqualitatis.

Dico primò: eam in mea sententia esse relationem secundum dici, & non importare nisi in recto vnam quantitatem, & aliam similem in extensione in obliquo, atque adeò de ea discurrendum esse, sicuti discurrimus de quantitate pro vt terminata. Idemque dicendum in sententia eorum, qui relationes in vnitate, & numero fundatas tenent prædicamentales esse. Putant tamen relationem prędicamentalem consistere in duobus absolutis, vel in formalitate identificata cum fundamento. Verum difficultas procedit ex suppositione, quod distinguatur ex natura rei à fundamento proximo. Iuxta quam opinionem dicerem secundò dictam relationem æqualitatis aduenire quantitati palmari, vt terminatæ, & esse diuisibilem quidẽ in essendo, sed indiuisibilem in referendo omnes partes subiecti palmaris indiuisibiliter acceptas ad aliam quantitatem palmarem acceptam item indiuisibiliter secũdùm omnes suas partes. Qua posita explicatione, rectè deducitur huiusmodi relationem non ita indiuisibiliter conuenire toti palmo, vt nulla ratione conueniat partibus in palmo inclusis; quia secundùm singulas partes diuisibiles extensiuas, quas habet, inhæret singulis partibus illius palmi, vt de se patet. 8

Alia duo exempla affert Mazziotta *num.* 115. ad probandum dari huiusmodi formas, quę competant toti, vt totum est, & nulla ratione partibus. Vnum desumit ex vi efficiendi actum visionis beatę, quæ ita reperitur in toto constante ex intellectu, & lumine glorię, vt non reperiatur in aliqua eius parte: adeò vt vnitum solùm ex ipsis possit denominari potens visionem beatificam efficere. Verùm hoc exemplum est potius contra arguentem. Nam quamuis verum sit, neque intellectum, neque lumen distributiuè accepta denominari posse absolutè potentia videre Deum; falsum tamen est non posse denominari partialiter; cum enim vis ad videndum Deum constare debeat ex potentia obedientiali intellectiua, & ex principio eleuatiuo dictæ potentiæ ad actum supernaturalem visionis eliciendum; manifestè deducitur eam esse partialiter in singulis; ita vt si per impossibile in visione Dei essent separabi-

lia

lia prædicata vitalitatis, & supernaturalitatis intellectus, se solo, posset vitalitatem illius attingere, & lumen supernaturalitatem.

Alterum denique exemplum accipit ex Durãdo, sic: actus videndi subiectatur in toto composito humano, ita vt neque anima videat, neque materia, sed totum ex anima, & corpore constitutum; ergo & quantitas ita subiectatur in toto homine, vt neque anima quantitate informetur, neq; materia. Ad quod negandum est antecedens quo ad primam partem cum communi; quamuis enim subiectum denominationis visionis sit totus homo, at inhæsionis est potentia visiua. Et sic falsum est visionem, cæteroſque actus vitales materiales ita indiuisibiliter conuenire toti, vt nollo modo conueniant partibus in tali toto inclusi. siquidem conueniunt potentiæ visiuæ tamquam subiecto inhæsionis.

9 Tertia responsio est Mauri *lib. 3. quæstionum philosophicarum quæst. 15.* dicentis: ex eo quod quãtitas recipitur in toto homine, rectè inferri eã partialiter recipi in anima rationali. Hinc tamen non sequi animam rationalem per eam constitui quantam; eo quod solùm subiectum primarium, quod in casu nostro est totum recipit primarium effectum formalem formæ receptæ. Partes verò, & constitutiua subiecti primarij non necessariò recipiunt illum, sed bene secundarios effectus iuxta eorum capacitatem; vt patet ex ligno habente quantitatem palmarem, quod licet secundùm se totum euadat palmare, non tamen singulæ eius partes, ex quibus componitur, palmares fiunt.

Contra tamen est primò: quia ideo in sententia Mauri, ex quo quantitas recipitur in toto homine, rectè infertur, quod recipiatur in eius anima: quia licèt totum in sententia Auctoris distinguatur à partibus, tamen totus homo constituitur essentialiter per animam. Sed ex hoc æquè deducitur, quod primarius effectus quantitatis obtineri debeat ab eadem anima; ergo &c. Maior patet ex doctrina ibi tradita in responsione ad tertium argumentum. Minor probatur, quia quando dicitur, quod solum subiectum primarium, quod est totum, recipiat primarium quantitatis effectum, vel sermo est de receptione quo ad denominationem, vel de receptione quo ad inhæsionem. Primum est verum, sed non facit ad rem; quia nos hic agimus de effectu primario quantitatis realiter, quem habet in homine materia prima, quamuis non possit denominari absolutè, & primariò quãta. Secundũ est falsum; quia nil aliud est recipere effectum formalem primarium quantitatis, quam illa immediatè informari, & eã materialiter immediatè sustentare, vt patet ex corpore hominis, quod, certum est, dictum primarium effectum recipere. Sed totum hoc in eius sententia verificaretur de anima rationali; ergo &c.

10 Contra secundò: quia primarius effectus quantitatis est esse quantum, & diuisibiliter spatio diuisibili correspondere. Sed per hunc Auctorem totus homo recipit hunc primarium effectum quãtitatis; ergo secundùm vtramque partem debet realiter esse quantus, & correspondere diuisibili spatio diuisibiliter, quia totus homo nil aliud intrinsecè importat præter corpus, & animam rationalem simul iuncta.

Contra denique tertiò: quia paritas desumpta ex ligno palmari non est ad rem; nam ideo esse palmare verificatur de ligno secundùm se toto; non autem de singulis partibus: quia esse palmare resultat ex omnibus eius partibus collectiuè acceptis, & sic competit toti, vt totum quoddam est; at esse quantum, & diuisibile, neque resultat in homine ex anima, & corpore collectiuè acceptis, neque competit illi secundùm se totum, alioquin non posset realiter competere eius corpori, vt de se patet. Ergo paritas nulla est: imo potius est contra Auctorem. Nam quemadmodum cuilibet parti ligni palmaris competit effectus primarius quantitatis, non obstante, quod nulla ex eis sit totum, ita deberet euenire in casu nostro, & sic anima deberet diuisibiliter spatio commensurari.

Quarta responsio potest esse Ouiedi, qui licèt 11
nostram tueatur sententiam, putat tamen argumentum à nobis propositum, quod est Suarij, & Hurtadi, nullum esse; quia existimat non esse absurdum concedere: animam rationalem habere effectum formalem quantitatis: quod probat *numero 6.* dupliciter. primò sic: quantitas tantùm habet ex se constituere extremum sibi vnitum in eodem loco diuisibili, in quo ipsa est; ac proinde tunc diuersas partes subiecti constituit in diuersis partibus spatij, quando diuersæ partes subiecti diuersis partibus illius vniuntur; quod si vnirentur eidem parti, tunc omnes essent in eodem loco; ergo si anima rationalis vniretur diuersis partibus quantitatis in homine, quamuis esset in se indiuisibilis, posset existere in diuersis partibus spatij diuisibilis. Secundò, quia effectus formalis formæ nihil aliud est, quam totum compositum resultans ex forma, & subiecto; ergo dum admittitur compositum resultans ex quantitate, & anima rationali, ineptè negatur, non dari in anima effectum formalem quantitatis; quia ex diuersis specie subiectis, & si forma sit eiusdem speciei, resultare tantùm debet totum specie distinctum.

Sed contra est primò; quia si anima rationalis posset esse capax effectus formalis quantitatis, nulla esset ratio, quam Ouiedus assignat *numero 7.* cur de facto in homine non sit subiectum illius; siquidem, ideo negat hic Auctor quantitatem in homine animam informare, quia forma materialis educi nequit ex subiecto spirituali; sed si subiectũ spirituale posset effectum formalem formæ materialis obtinere, malè ei prouisum esset à natura, negando illi vires naturales, quibus dictam formam materialem sustentare posset, & esse subiectum, ex quo illa educeretur; cum præsertim aliquam perfectionem ex dicta forma consequi posset; nimirum, existere in eo spatio diuisibili, in quo esset dicta forma. Si igitur anima rationalis effectũ formalem quantitatis posset consequi, vtique haberet virtutem illam sustentandi; quod si non habet, ratio à priori huius rei nulla alia esse potest, nisi quia non potest consequi eius effectum formalem.

Confirmatur id, quod dicimus; quia ob nullam aliam rationem ex materia prima educi naturaliter possunt omnes formę materiales, nisi quia effectum formalem proprium vniuscuiusque illarũ obtinere potest: ergo si anima rationalis posset 12

Digitized by Google

effectum formalem quantitati proprium habere: potentiam vtique haberet ex qua naturaliter quantitas eduei, & sustentari posset.

Contra est secundò; quia in sententia Auctoris in formis materialibus distinguitur plus quam ratione inhærentia, & informatio. Tum sic: si anima rationalis esset capax effectus formalis quantitatis, posset rectè dici, quod defacto esset subiectum informationis illius, non verò inhæsionis, atque adeò, quod ipsa quantitas educeretur solùm à materia, & reciperetur in toto; vt docet Paulus Aresius *lib. 1. de gener. disp. 2. quæst. 29.* Sed hoc Ouiedus non admittit; ergo &c. Huius argumẽti negat ipse sequelam eodem *num. 7.* & hoc, quia nullum dicit esse fundamentum ad distinguendum in quantitate subiectum inhæsionis à subiecto informationis. Vnde si quantitas non potest sustentari ab anima rationali, colligit, quod neque poterit in ea subiectari. Sed hęc ratio nulla esset, si ea posset eius effectum formalem recipere. Iam enim hoc ipsum esset optimum fundamentum dicendi, quod anima esset subiectum informationis illius, quia cæteris paribus, melius est subiectum habere effectum formalem alicuius formæ, præsertim perfectiuæ, si possit, quam illum non habere; existere autem animam rationalem replicatam in spatio diuisibili, esset aliqua eius perfectio, saltem ex suppositione, quod sit coniuncta cum corpore, ergo &c.

13 Contra denique tertiò: quia rationes, quibus Ouiedus suam fulcit sententiam, non habent vim; Prior enim supponit falsum; nam effectus formalis quantitatis non est constituere subiectum in eodem loco, in quo ipsa est quomodocumque; sed constituere illud diuisibiliter in spatio diuisibili; Et ratio huius est, quia cum quantitas sit proprietas rei materialis, debet præstare illi talem effectum formalem, qualem ipsa exigit; sed substãtia materialis non exigit esse in spatio diuisibili eum indifferentia, siue diuisibiliter, siue indiuisibiliter, sed determinatè; ita vt vna eius pars correspondeat vni parti spatij, alia verò alteri parti; ergo &c. Ad posteriorem verò aio, quod quando negatur à nobis animam rationalem esse capacem effectus formalis quantitatis; vocabulum (effectus formalis) non sumitur tam amplè, vt significet cõpositum resultans ex forma, & subiecto; sic enim ex incapacitate effectus formalis nunquam posset argui subiectum aliquod esse naturaliter incapax formæ alicuius, quia hoc ipso quod saltem miraculosè subiectum recipit in se aliquam formam, quantumuis sibi improportionatam; ex eis resultat tale compositum; & sic dici posset, quod naturaliter Angelus posset recipere albedinem, & lapis visionem, & quodlibet subiectum quamlibet formam; quia quodlibet esset capax effectus formalis cuiuslibet, hoc ipso, quod de quolibet verificari posset, quod esset habens talem formam. Ratio ergo effectus formalis accipitur à nobis presè: pro vt significatur nomine à forma deriuato, quod in casu nostro est esse quãtum, & importat partes extra partes; si non formaliter, at saltem exigitiuè extensas in ordine ad spatium diuisibile, cuius effectus formalis euidens est non esse capacem animam rationalem. Cum igitur cõstet valere hanc consequentiam: subiectum hoc non est capax effectus formalis proprij huius formę; ergo nequit illam defacto naturaliter recipere: malè negatur ab Ouiedo argumentum ab incapacitate effectus formalis desumptum non esse efficax.

Quinta responsio est eiusdem Ouiedi, qui *numero 5.* alia via nostram rationem labefactare conatur, sic: Etiam si quantitas non possit inadæquatè recipi in anima rationali: non benè deducitur non posse eam recipi in cæteris formis materialibus; ergo non est, cur non dicamus in omnibus alijs compositis substantialibus, præter hominem, quantitatem subiectari in toto. Antecedẽs patet: quia in tantùm non potest adæquatè recipi in anima rationali; quia hæc ratione suę indiuisibilitatis est incapax effectus formalis illius; sed cæterę formæ vtpote materiales non est cur non possint effectum formalem quantitatis habere. Ergo &c. Consequentia videtur certa, quia hoc ipso quod vtraque pars componens totum, est capax effectus formalis formæ, cessat ratio nostra, cur forma illa non recipiatur in vtraque parte. Sed si hoc est, iam recipitur in toto; ergo &c.

Sed contra est primò: quia si semel statuimus materiam primam habere virtutem adæquatam substentandi, & recipiendi in se quantitatem, superfluè similem virtutem formis materialibus cõcedimus. Sed ex his, quæ deprehenduntur in homine, stat, quod materia habeat dictam virtutem adęquatam, eo quod sine adiutorio formæ substantialis quantitatem recipit, atque substentat; ergo &c. Maior, quę sola probatione eget, sic adeatur; quia huiusmodi virtus in formis materialibus, neque posset esse adæquata, quia illæ nunquam exigunt extra materiam constitutæ habere quantitatem; neque inadęquata, quia quoties habetur virtus adæquata respectu alicuius effectus, superfluè ponitur inadæquata, si ad causandum semper exigit consortium adæquatæ. Idcirco enim natura sine superfluitate concedit pluribus causis diuersæ speciei virtutem producendi aliquem effectum, v. g. igni, & cicindelæ virtutem producendi lumẽ, quia vtriusque virtus talis est, vt se sola possit causare illud; vnde est, quod vtraq; virtute habeat adæquatã respectu luminis. Quod si simul concurrant vtraque, suum concursum attemperat, ita vt primus gradus luminis v. g. indiuisibiliter ab vtraque adæquatè proueniat.

Quod si Cicindela quidem posset producere 15
lumen se sola, ignis verò non, nisi simul cum ipsa cicindela, superfluè igni virtus illuminandi concederetur: quia non esset dabilis casus, in quo verificaretur, quod si ipse non adfuisset, lumẽ minimè productũ fuisset. Sed hoc eueniret casu quo materia haberet virtutem adæquatam substentãdi quantitatem, cæterę verò formæ materiales inadæquatam; superfluè igitur ponitur huiusmodi virtus in formis materialibus. Atque hic mihi videtur solidior discursus, quam ille, quo idem Auctor vtitur *numero 7.* ad suam instantiam dissoluendam, dicendo, quod, hoc ipso quod materiæ primæ concedimus virtutem adæquatam recipiẽdi quantitatem, aliunde autem non habeamus fundamentum ad virtutem inadæquatam tribuendam formis materialibus, nõ debemus illis dictam virtutem concedere. Semper enim posset Aduersa-

rius

rius respondere sufficiens fundamentum esse, videre, quod dictæ formæ materiales sint capaces effectus formalis ipsius quantitatis. Nisi ergo ad superfluitatem confugiamus, dicēdo, quod huiusmodi formæ dictum effectum formalem ex vna parte sine coniunctione cum materia habere non possunt: ex alia verò quod per solam coniunctionem cum ipsa materia illam sufficienter participant: numquam propositæ difficultati faciemus satis. Dixi (sufficienter participant) quia cum formæ materiales non recipiant in se quantitatē in rigore, huius effectum formalem non habent, nec propriè dici possunt esse quantæ; nihilominus tamen quia diuersę partes earum in diuersis materiæ partibus sunt receptæ, quæ partes materiæ ratione quantitatis exigunt esse in loco diuisibili cum impenetrabilitate; & secum trahunt partes formarum ad locum diuisibilem, & eis impenetrabilitatem cum alijs corporibus communicant: hinc fit, vt formæ substantiales materiales ita se habeant, ac si formam quantitatis in se haberent, & effectum formalem illius propriè obtinerent.

16 Sexta responsio est eorum, qui cum videant, quod si quātitas informaret animam rationalem, vtique eam in spatio diuisibili diuisibiliter constitueret, fatentur quod informet solam materiam. Sed addunt duplex dari subiectū quantitatis: vnū informationis, quod ne partialiter quidem, aiunt, esse formam: alterum sustentationis, & hoc asserunt esse compositum tum secundùm materiam, tū etiam secundùm formam.

Contra eam tamen est primò; quia vt vidimus in physicis, impossibile est, quod anima rationalis sustentet quantitatem, quin ab eadem quantitate informetur: non enim potest aliquid exercere respectu alicuius formæ sustentationem, nisi in eiusdem entitatem influat, illam in se recipiendo, licet enim influxus, vt sic sit causis omnibus communis. Vnde anima influere optimè posset in quātitatem in aliquo alio genere causæ, absque eo quod illam in se reciperet; attamen influxus in genere causæ materialis sine receptione ab ea exerceri non potest. Quis enim dicat posse materiam sustentare id, quod in se non habet? His autem positis, manifestè sequitur, quod si anima est subiectum sustentationis quantitatis, sit etiam respectu illius informationis, atque receptionis subiectū: Quoniā verò effectus formalis formæ aliud nihil est, quam ipsa forma in subiecto modo iam dicto; hinc fit, vt si totus homo secundùm vtramque partem est subiectum sustentationis quantitatis, eius anima sit formaliter extensa, & diuisibilis, quod nobis probandum erat.

17 Contra secundò: quia sicuti non sunt multiplicanda entia sine necessitate; ita neque plura subiecta sustentationis attribuenda sunt accidentibus materialibus, absque eo quod aliqua necessitas id comprobetur exigere. Atqui nulla necessitate vrgemur asserendi, quod quantitas in toto composito tamquam in subiecto sustentationis recipiatur. Ergo dicendum est, quod solam materiam pro eiusmodi subiecto sibi vēdicet. Minor partim ex argumentorum solutione patebit: partim verò constat ex eo, quod videamus materiam esse adæquatè sufficientem sustentare formas substantiales materiales, in quarum commodum primò quantitatem causat. Natura autem quoties dat vires alicui adęquatas ad aliquem finem, regulariter saltem, non solet negare vires adæquatas ad consequendum saltem primum medium ad dictum finē necessarium.

Septima denique responsio est Arriagæ *in secunda editione cursus disput. 5. physic. d numero* 51. 18 vbi trifariam nostrum argumentum impugnat. Et primò quidem ait, illud laborare in antecedente propter manifestam instantiam ad hominem cōtra eos, qui defendentes sensationes materiales in homine recipi in materia, quamuis negent illam reddere sentientem: putant postea quantitatem non posse recipi in eadem anima, eo quod inde sequeretur quod eam quantificaret.

Verùm hęc instantia nulla est in mea sententia, quia vti dicam *in libris de anima, disp. de concursu animæ ad suos actus vitales sect. 7. subsect. 2.* sensationes materiales in homine, neque in materia recipiuntur, neque in anima rationali, sed bene in potentijs sensitiuis, quas reddunt formaliter sentientes.

Secundò directè arguit sic: potest forma naturaliter vniri subiecto, absque eo quod illi suum effectum formalem communicet; ergo &c. Assumptum probat ex eo, quia actio recipitur in subiecto, & tamen illud neque actum reddit, neque agens; ergo &c. Sed hæc ratio facilè dissoluitur, & quidem duplici via. Primò dicendo: denominationes agentis, & acti non respicere subiectum physicum propriè acceptum, sed impropriè, & ideo non esse mirum, si non tribuantur ab actione subiecto suo physico proprio, cuiusmodi est v.g. materia, ex qua educitur forma. Vide quæ diximus *in Physicis disp. 13. sect.* 1. Dissoluitur secundò dicta ratio, si dicamus aliud esse loqui de formis respectiuis, & aliud de absolutis. Formæ enim respectiuę, qua tales, suum effectum formalem suo subiecto tribuere debēt secundùm eā rationē tantùm, secundùm quam illud respiciunt, atque adeò dimidiatè, & inadæquatè. Contra verò formæ absolutę debent tribuere effectum suum formalem suo subiecto absolutè: quia non habent, vnde limitentur, illud inadæquatè respiciendo. Iam verò modalis entitas actionis inter formas respectiuas maximè connumeratur: quare non est necesse, vt subiectum suum proprium denominet actum, vel agens, eo quod denominationem agentis tribuere debet ei, à quo efficienter procedit: acti verò termino, qui per ipsam recipit esse. Sufficit ergo si subiecto suo denominationem, & effectum formalem passi communicet, eo quod secundùm hanc rationem respicit illud. At verò quantitas est forma absoluta, vnicum tātùm effectum formalem sibi vendicans, qui consistit in extensione suī subiecti in ordine ad spatiū diuisibiliter, & commensurabiliter, quem cum non possit animæ rationali communicare, rectè deducitur eam naturaliter saltem informare non posse. Neque dicas: posse ei communicare hunc alium effectum formalem, denominando illam habentem quantitatem: Ne id dicas, inquam, quia inde sequeretur, omne ens creatum habere virtutem connaturaliter quamlibet formam recipiendi, eo quod nil obstaret, quominus huiusmodi effectum formalem à qualibet obtineret, hoc ipso

quod

Digitized by Google

quod illam reciperet. Vnde fit vt Angelus haberet virtutem naturaliter recipiendi quantitatem ipsam, & lapis visionem beatam, & sic de reliquis. Quæ quam sint absurda nemo non videt.

19 Tertiò denique circa consequentiam nostri argumenti principalis scrupulum habet Arriaga; eo quod ab aliquo, inquit, fortè negari potest, paritate causæ efficientis, sic: Vnus ignis, quando solus est, adæquatè producit ignem; quando autem est cum alio igne coniunctus, suum concursum attemperat, eumque tamquam causam partialem in productione sui effectus admittit; ergo dici etiã potest, quod materia, quæ in homine, quia sola est, adæquatè quantitatem sustentat, in alijs tamen compositis simul cum eorum formis in eam influat.

At verè hæc mihi videtur esse Arriagæ scrupulositas, & vana formido; quia sicuti ponitur ab Aduersarijs in formis materialibus virtus sustentatiua quantitatis inadæquata, atque dimidiata; eo quod numquam separatæ à materia dictã quantitatem sustentare debent, ita propter similem rationẽ tenentur illis concedere nullam, eo quod ex vna parte fatentur materiam habere illam adæquatam; ex alia verò numquam formæ materiales sine materia causare valeant quantitatem. Per quod patet disparitas inter eas, & causas efficientes; hę enim cum possint existere inuicem dissociatæ, exigunt singulę virtutem adæquatam effectus suos producendi; quam ob rem non est mirum, si quando postea ad eiusdem effectus productionem contingenter concurrunt, attemperãdo suum concursum, singulæ partialiter in illum influant.

20 Ex dictis rectè deducitur neque cætera accidẽtia materialia rerum generationibus, & corruptionibus inseruientia inhærere toti composito, sed benè materiæ primę; nam si ex incapacitate, quam habet anima rationalis recipiendi effectum formalem proprium quantitatis, efficaciter probauimus quantitatem non solùm in homine, sed etiã in alijs compositis substantialibus non inhærere toti composito, sed soli materiæ; idem dicendum de reliquis accidentibus. Anima enim rationalis est æque incapax effectus formalis primarum, & secundarum qualitatum, ac quantitatis. sicuti enim non potest esse quanta, ita neque frigida, vel calida, mollis, vel dura; &c. Vnde D. Thomas. *in primo dist. 8. quæst. 5. artic. 2. ad 4.* dixit animam non posse subijci quibusdam accidentibus, vt albo, & nigro; sicuti igitur dictæ qualitates in homine non recipiuntur in toto, sed solũ in materia; ita neque in cæteris compositis substantialibus.

Neque dicas animam rationalem esse quidem incapacem effectuum formalium huiusmodi accidentium, si veniat vt subiectum adæquatum illorũ, non verò si veniat vt inadæquatum. Contra enim est, quia incapacitas, quam habet ad essendum subiectum adæquatum, non prouenit ex eo, quod sit inferioris ordinis cum dictis accidentibus, & cum effectibus formalibus eorum, sed ex improportione, quam habet cum illis, quia ipsa de se nequit esse sensibilis, aut palpabilis, & ideo totaliter effectus formales dictorum accidentium recipere nequit; atqui hæc improportio, etiam si habeat rationem subiecti inadæquati, non tollitur; adhuc enim verificaretur quod palparetur, & sentiretur. ergo adhuc erit incapax effectuum formalium, & propriorum huiusmodi accidentium.

SECTIO SECVNDA.

Proponuntur, & soluuntur obiecta.

OBijcies primò quædam Arist. loca, in quibus 21
sentire videtur omnia prorsus accidentia materialia subiectari in toto. *cap. enim de subst.* ait: Primas substantias, quæ sunt composita, substare omnibus; quare, non existentibus primis substantijs, impossibile esse aliquid aliorum esse. *Primo verò de gener. tex. 23.* docet non manere idem subiectum, quando fit aliqua substantialis generatio. *7. denique met. tex. 4.* Substantiam, ait, esse priorem accidentibus tempore, natura, cognitione, & definitione.

Respondeo ad singula, & quidem *cap. de subst.* dico Philosophum velle solùm primas substantias substare omnibus tamquam subiectum denominationis, imo etiam substare accidentibus tamquam subiectum inhæsionis: non quidem ratione sui, sed ratione partium. quare si totaliter secundùm vtrãque partem substantia singularis destrueretur, vtique omnia accidentia abirent in nihilum: hoc autem, vt videtis, non facit contra nos. *Primo verò de gener.* loquitur de subiecto denominationis, quod ex generatione substantiali necessariò resultare debet. *3. denique met. cit.* vel agit de substantia vt sic, quantum ad non repugnantiam, vel particulæ illæ (tempore natura &c.) intelligẽdę sunt in sensu diuiso, ita vt aliquo ex illis modis substantia sit accidentibus prior. 22

Obijcies secundò: quantitas est proprietas totius compositi; ergo subiectatur in toto composito. Consequentia probatur, quia proprietas emanare debet ab eo, cuius est proprietas; sed omnis emanatio est actio immanens; ergo debet etiam in eiusdem compositi forma reperiri. Cum autem non sit maior ratio de quãtitate, quam de alijs accidentibus, sequitur omnia accidentia materialia subiectari in toto composito.

Respondeo, dato antecedente, negando consequentiam; Dixi dato antecedente: quia quantitas competit composito ratione materiæ, quę illam efficienter, & materialiter causat, nec non etiam ratione formæ illam exigentis. Ad probationem concessa maiore, distinguo minorem: omnis emanatio est actio immanens, siue rigorosa, siue minus rigorosa, concedo; est actio immanens semper rigorosa, nego minorem, & consequentiam, quæ procedit ex suppositione, quod quantitas emanet à toto composito per actionem immanentem rigorosam, quod quidem falsum est. Rigorosa actio immanens est illa, quę & cuius terminus recipitur in eodem principio illam producente, vt quo, vt intellectio, quę recipitur in intellectu: Minus verò rigorosa est illa, cui, & cuius termino satis est, si in principio, illam producente vt quod partialiter sumpto, scilicet in altera eius parte recipiatur, licet ab altera producatur.

Obijcies tertiò: forma substantialis materialis extenditur per quantitatem; ergo est subiectum illius. Antecedens patet. Consequentia probatur,

quia

Digitized by Google

quia non potest dici, quod sit extensa per quantitatem ex eo, quod sit in illa tamquam in subiecto: substantia enim non potest subiectari in accidente; neque ex eo, quod sit in eodem subiecto, in quo ipsa est; sic enim etiam anima rationalis deberet esse extensa, quamdiu est in corpore; ergo cum nulla alia ratio excogitari possit huius rei, dicendum est ipsam esse extensam ex eo, quia est subiectum quantitatis.

Respondeo, distinguendo antecedens: forma substantialis materialis extenditur per quantitatē mediante materia, concedo; immediatè, nego antecedens, & consequentiam; Et ad eius probationē dico, quod non ex eo precisè quod forma substantialis materialis sit in eodem subiecto, in quo est quantitas, ad eius extensionem extenditur; sed quia partes habet entitatiuas, quarum beneficio proportionari potest partibus materiæ per quantitatem extensis, ita vt vna eius pars vni parti materiæ, altera verò alteri correspondeat; quibus cū careat anima rationalis, hinc est, vt etiam si in subiecto per quantitatem extenso reperiatur: non sit tamen formaliter extensa, & diuisibilis; sic igitur distincto secundo membro probationis, nego iterū consequentiam.

23 Instabis: ex hac responsione sequitur formam substantialem materialem, non per se, sed per accidens esse quantam, & extensam; hoc autem videtur inconueniens; ergo &c.

Respondeo, distinguēdo verba illa. Non per se, sed per accidens, si enim significant quod non immediatè, sed per aliud, scilicet per materiam quātitatem habentem, forma materialis sit extensa, & quanta, concedo; sin autem accipiantur in eo sensu, quasi verò dicta forma non exigat ex se quantitatem, sed tantummodo contingenter sit quanta, sicuti ædificator est musicus, nego sequelam, & distinguo minorem: inconueniens est formam materialem esse quantam non per se, sed per accidens, primo modo, nego: secundo modo, concedo minorē: Sed hoc ex nostra sententia, vt videtis, non sequitur. quare nego consequentiam.

Instabis iterùm: frigiditas ex eo, quod sit in materia albedinem habente, non sit alba; ergo neque forma substantialis materialis ex eo, quod sit in materia habente quantitatem, debet fieri quanta, & diuisibilis.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; disparitas est, quia ad essendum quantum requiritur solùm habere partes extra partes in ordine ad locum, seu coextendi, & coaptari partibus ipsius quantitatis: At ad essendum album necesse est in se habere albedinem tamquam formam; & hinc est, quod quantitas tribuere possit suū effectum formalem formæ diuisibili, quę inhæreat eidem subiecto in quo ipsa inhæret, non verò frigiditas albedini.

24 Obijcies quartò: Omne accidens materiale presupponit totum, & ab illo dependet; ergo in eo etiam tamquam in subiecto recipitur. Antecedens probatur, quia esse simpliciter, & per se est prius natura, quam esse per accidens, & secundùm quid.

Respondeo, negando consequentiam; satis enim est, si accidens præsupponat totum in genere causæ finalis, & per consequens in intentione, vel etiā in genere causæ efficientis; non autem est necesse vt presupponat illud in genere causæ materialis, nisi fortè tamquam conditionem sine qua non, seu essentiale connotatum, de quo inferius.

Obijcies quintò: subiectum accidentis materialis esse debet ens actu; sed materia prima non est ens actu; huiusmodi autem est, vel sola forma, vel totum compositum; ergo subiectum quantitatis alterutrum ex his duobus esse debet.

Respondeo, distinguendo maiorem: subiectum accidentium debet esse ens actu per se ipsum, nego; siue per se ipsum, siue per aliquid aliud, transeat maior, de quo infra. & sic distinguo minorem: materia prima non est ens actu per se ipsam, concedo: non est ens actu beneficio formæ, nego minorem, & consequentiam.

SECTIO TERTIA.

An cætera accidentia materialia in generationi inseruientia recipiantur immediatè in materia prima.

25 COnclusio est negatiua: dico enim quod excepta quantitate, nullum aliud huiusmodi accidens recipitur immediatè in materia, sed in quantitate ipsa. Est communis, & eam docet D.T. *3. parte quæst. 77. art. 2. in corp. & ad secundum, & in 4. sent. dist. 12. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 3.* quem sequitur Suarez *in metaph. disp. 14. sect. 4.* Ruuius *lib. 1. de gener. cap. 4. tract. 3. quæst. 8.* Ouiedus *de gen. controu. 1. pundo 2.* Est tamen primò contra Soncinatem *lib. 12. metaph. quæst. 88.* & Iauellum *quæst. 8.* putantes huiusmodi accidentia inhærere substantiæ media alia potentia accidentali eiusdem rationis, & quantitatem quidem, media potentia, quę sit quantitas, qualitatem verò, media potentia, quæ sit qualitas. Est secundò contra nonnullos Recentiores Thomistas, qui tenent saltem primas qualitates dimanantes à forma recipi in toto composito. Tertiò denique est contra Hurtadum *in phys. disp. 6. sect. 6.* & Arriagam *disp. 5. phys. sect. 2. subsect. 4* asserentes omnia accidentia immediatè recipi in ipsa entitate materiæ primæ.

26 Probatur tamen assertio nostra impugnando singulas Aduersariorum sententias; & primò quidem sententiam Soncinatis. Nam potentię illæ accidentales, quibus medijs, putat ipse, cętera accidentia recipi in substantia, immediatè, & per se ipsas recipiuntur in ipsa substantia, alioquin dabitur processus in infinitum in assignandis huiusmodi potentijs; ergo ne multiplicentur entia sine necessitate, exterminandę sunt, cum non habeant aliud munus, quam reddere aptam substantiā ad recipiendum accidentia generationi inseruientia. Quamuis enim admittamus potentias animæ ex natura rei ab illa distinctas; non ideò dictas potentias substantiæ concedere debemus; illæ enim primò, & per se ordinentur ad agēdum, perfectionem de suo conceptu afferunt subiecto. Vnde non est mirum, si hoc per se ipsum ad huiusmodi perfectionem non assurgat, at verò hæ primò, & per se ordinarentur ad recipiendum; cum autem ex vna parte potentia receptiua imperfectionem importat, ex alia verò non sit nobis aliunde cognitum accidens, quod nullum aliud munus ha-

Digitized by Google

habeat, quam communicare huiusmodi imperfectionem subiecto: dicēdum est rationabilius admitti posse potentias animæ distinctas, quam huiusmodi potentias substantiæ materialis.

Secundò impugnatur sententia Thomistarum; quia inde sequeretur, quod anima rationalis esset capax effectus formalis primarum qualitatum, vt supra probauimus, atque adeo posset esse calida, frigida, &c. quod quam sit absurdum, nemo non videt.

27 Tertiò denique impugnatur sententia Hurtadi, & tota assertio nostra concluditur; quia ex vna parte video vnum accidens posse esse proximum subiectum alterius accidentis; defacto enim intellectus immediatè subijcitur intellectioni, & voluntas volitioni. Quin etiam ipsamet quantitas est id, in quo proximè figura subiectatur, vnde non videtur repugnare, quod eadem quantitas sit materialium dictorum accidentium immediatum, & proximum subiectum: ex alia verò parte, si hoc dicamus facilius, & sine tot miraculorum multiplicatione saluantur ea, quę in venerabili Eucharistia quotidie experimur: videmus enim eius accidentia sensibilia coniunctionem quamdā inter se habere, ac de nouo per actionem agētium naturalium produci, atque corrumpi posse, quin etiam vnum contrarium ad aduentum alterius desinere esse, & cæt. huiusmodi, quæ absq; eo quod in vno aliquo subiecto dicta accidentia communicent, fieri connaturaliter nequeunt; cum autem nullum aliud possit congruentius poni præter quantitatem, quæ est maximè affinis materiæ, & illi coęua, & prima inter cætera accidentia, quæ materiali substantiæ debentur, & in tot figuras vertibilis: hinc est vt dicamus, eam esse proximum dictorum accidentium subiectum.

Obicies primò: Aristot. 4. *metaph. tex.* 13. & 14. probat accidens non accidere accidenti; sed accideret, si quantitas esset subiectum immediatum primarum, & secundarum qualitatum; ergo &c.

Respondeo: Aristotelem *loco citato* negare solum accidens accidere accidenti per se, tamquam subiecto vltimo, & subsistenti, cum quo tamen stat, quod possit accidere illi, quando est in subiecto, vt patet ex habitibus, & actibus, quę recipiūtur in potentijs, quas actuant, posito quod hæ ab essentia animę ex natura rei distinguantur. Sic explicata Philosophi doctrina, distinguo minorem: accideret accidenti, tamquam subiecto non vltimo, & inhęrenti in alio, concedo: tamquam subiecto vltimo, & subsistenti, nego minorem, & consequentiam. Lege D. Th. *prima secundæ quæst.* 7. *art.* 1. *ad tertium*. vbi hoc modo dictum Philosophi interpretatur.

28 Obijcies secundò ex Hurtado *loco citato* §. 75. tota essentia quantitatis cōsumatur in eo, quod sit extensio partium extra partes cum principio radicali impenetrabilitatis; ergo non importat esse subiectum qualitatum.

Respondeo, distinguendo antecedens, consumatur secundùm id, quod dicit explicitè tantùm, concedo: secundùm id, quod tum explicitè, tum implicitè importat, nego antecedens, & consequētiam. Dico enim quod prædicata illa essentialia, quæ tribuuntur communiter quantitati, important implicitè dictam rationem subiecti; quam quidem rationem explicare non curant Philosophi, dum eius definitionem tradunt: tum quia est *in opinione*: tum etiam, quia eam habet quantitas communem cum alijs. Quod si in eius definitione fit mētio de extensione partium in ordine ad se, quam cum substantia communem eam habere diximus in Physicis, est, quia dicta extensio videtur esse de prima notione quantitatis, & ei veluti intranea; contra verò potentia immediatè receptiua, & substentatiua qualitatum veluti extranea.

Obijcies tertiò ex *eodem* §. 76. Qualitates primæ disponunt ad formam substantialem, & sunt causæ secundarum qualitatum, sed primæ qualitates non sunt subiectum immediatum secundarū; ergo neque quantitas omnium.

Respondeo, negando consequentiam: non enim ideò putamus nos quātitatem esse subiectum primarum qualitatum quia disponat ad illas, easque efficienter producat; primum enim horum dubiū est, secundum euidenter falsum. Vnde ex eo, quod primę qualitates respectu secundarū vtrūq; munus exerceant, ineptè colligitur, quod debeant illas in se recipere secundùm nostra principia. Cæterū D. Th. *loco supra citato*, sic habet: Corpus recipit colorem mediante superficie, & sic vnum accidens dicitur etiam alteri inesse; dicimus enim colorem esse in superficie. Ex qua doctrina sic arguo: Color est vna ex secundis qualitatibus, & tamen recipitur in superficie, quæ est quantitas; ergo secundæ qualitates recipiuntur in quantitate; non est igitur, cur in ea non recipiantur & primæ.

Obijcies quartò *ex eodem* §. 77. dispositio debet 29
esse in eodem subiecto, quod disponit ad formam, & in quo est ipsa forma. sed qualitates sunt dispositiones materiæ recipientis formam; ergo sunt in sola materia; Minor, & Consequētia patent; Maior probatur, quia subiectum disponitur per informationem; si ergo non informatur, quo modo disponitur?

Respondeo distinguendo maiorem: dispositio debet esse immediatè in eodem subiecto, quod disponit ad formam, nego. Debet esse siue mediatè, siue immediatè, concedo; & concessa minore: distinguo consequens: sunt *in sola materia* mediatè, concedo; immediatè, nego consequentiam; Et ad maioris probationem eandem adhibeo distinctionem; ac dico non esse necesse, vt omnis dispositio recipiatur immediatè in eo subiecto, quod disponit ad formam; sed satis esse si aliqua recipiatur in eo immediatè, vt quantitas; aliæ verò mediatè, hoc est media quantitate. Sic enim optimè intelligetur subiectum primum esse adæquatè dispositum, quatenus omnes dispositiones necessarias ad formam, siue immediatè, siue mediatè habet in se.

Instabis ex eodem *ibid.* forma, & dispositio ad formam debent esse in eodem subiecto; sed forma est in materia & non in quantitate; ergo primæ qualitates debent esse in materia, & non in quantitate. Respondeo distinguendo maiorem: forma, & dispositio adæquata debent esse in eodem subiecto, concedo; & dispositio inadæquata, nego, maiorem: & concessa minore, distinguo consequens; & siquidem primæ qualitates essent dispositiones adęquatæ, concedo: posito quod sunt

in-

Digitized by Google

inadæquatæ, nego consequentiam; & dico quod verum quidem est totum dispositionum complexum debere recipi in eo subiecto, in quo recipitur forma. Sed aio, complexum dispositionum non importare solas qualitates, sed inuoluere etiam quantitatem. Quoniam verò totum hoc complexum, siue immediatè, siue mediatè recipitur in materia prima: hinc fit, vt forma in eadem materia recipi debeat. Quod si assereremus quantitatem non esse dispositionem ad formam, optimè conuinceremur in ea formam secundùm nostram sententiam recipiendam esse.

30 Obijcies quintò *ex numero 72.* Eucharistię Sacramentum nullum præbere potest fundamentum dicendi primas qualitates recipi in quantitate; ergo &c. Antecedens probatur, quia in hoc mysterio non est philosophandum cum timore multiplicandi miracula, quia, qui vnum efficit, efficere potest omnia, quæ ad dictum mysterium necessaria sunt.

Confirmatur ex Arriaga *disp. 5. cit. num. 65.* quia si propter vitanda miracula debemus in rebus physicis rerum naturas inuertere, quando nec ratio, nec experientia cogit: etiam possemus propter eandem rationem dicere, quantitatem non pendere à materia; sed hoc est inconueniens; ergo &c. Sequela probatur, quia non est positiua ratio ostendens quantitatem à materia dependere; ergo ne in Eucharistia independentiæ eius miraculum asseramus, debemus huiusmodi independentiam naturaliter denegare.

Respondeo, de hoc satis me egisse in physicis, *Disput. de essentia quantitatis*, vbi docui, quod, quoties videmus opus aliquod miraculosum in mundo fieri, ad quod plura partialia opera concurrunt: toties, si sustinere possumus aliqua ex eis naturaliter contingere, vtique id debemus. Cum enim miracula sint veluti quædam legis naturæ vulnera, strictè, quantum fieri potest, interpetranda sunt. Nego igitur antecedens cum sua probatione.

Ad confirmationem ex Arriaga desumpta, nego maiorem quoad vtramque partem. Quoad primam, quia supponit nos per nostram sententiam rerum naturas inuertere; quod falsum esse ex eo patet; quia tribuendo quantitati hanc vim immediatè cętera accidentia communia sustentandi, maximè eius naturæ, & essentię conformamur, quæ est materiæ primæ valdè affinis, & innumerabilium figurarum, & terminabilitatum immediatè susceptiua, vt constat ex dictis. Quo ad secundam verò partem eâdem maiorem nego; quia falsum est ex nostra sententia sequi, posse sustineri quantitatem à materia minimè dependere. Ad eius verò probationem negandum est antecedens; sententia enim, quę asserit quantitatem à materia dependere, non solùm rationi positiuæ, sed etiam demonstratiuæ nititur; & quidem multò magis, quam huiusmodi rationi nitatur sententia, quę docet formas substantiales materiales ab eadē materia pendere; eo quod quantitas gerit præiudicium formæ accidentalis, vt de se patet.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEXTA.

DE RESOLVTIONE ACCIDENTIVM VSQVE ad materiam primam.

1 PRæcedens Disputatio viam prędenti strauit, cuius sensus est. Num quando compositum aliquod substantiale còrrumpitur, & aliud ex illo generatur. V. g. corrumpitur lignum, & ex eo generatur ignis; num, inquam, omnia prorsus priora accidentia, quæ erant in ligno, siue fuerint dispositiones ligni, siue ignis, corrumpantur, ac pereant; ita vt ex omnibus, quæ immediatè antea erant in ligno, sola, & nuda materia reperiatur in igne, cętera verò vna cum forma ipsius ignis sint in ea de nouo producta; an verò aliquod saltem accidens. v. g. quantitas, vel etiam dispositiones ignis, quæ antea introductæ fuerunt ab agente naturali in ipso ligno, in igne genito perseuerent. Verùm hæc quæstio institui potest trifariam. Primò absolutè ex modo probatis. Secundò ex suppositione sententiæ Aduersariorū de subiecto accidentiū, quod sit totū compositū. Tertiò denique ex suppositione nostræ sententiæ, qua in physicis docuimus materiam primam non habere propriam existentiam, sed existere per existentiam emendi catam à forma; de quibus singillatim agendum.

SECTIO PRIMA.

An in corruptione substantiali detur resolutio vsque ad materiam primam.

2 CONclusio est negatiua. Putamus enim, quod aliqua accidentia, quæ erant in re corrumpenda, remanent post eius corruptionem in composito, quod ex ea generatur. Est Auerrois *de subst. orbis cap. 1. & hic comen. 24.* Auicennæ *1. sufficien. cap. 3.* Ammonij *in caput de quant.* Philoponi *primo de gen. tex. 33.* Gregorij *in 2. dist. 12. q. 2. ar. 1.* Gabrielis *dist. 16. quæst. vnica*, Occami prętereà Alberti de Saxonia, Pauli Veneti, & aliorum quos sequitur Suarez *disp. 14. sect. 3.* Pererius *lib.*

Digitized by Google

5. *cap.* 18. Hurtadus *hic disp.* 1. *sect.* 1. Arriaga *disp.* 1. *phyſic. numero* 11. Quied. *contron.* 1. *de gen. punct.* 3. & alij multi contra Capreolum *in ſecundo diſt.* 13. *quæſt. vnica.* Iauellum 8. *met. quæſt.* 3. Caietanũ *de ente, & eſſent. cap.* 3. *quæſt.* 13. Ferrarienſem *contra gentes cap.* 66. Bagnes 1. *de gen. quæſt.* 10. & alios, quos citat, & ſequitur Mazziottam *to.* 1. *quæſt.* 9. *ſect.* 2. exiſtimantes in hac re ſequi D. Thomam; ſed re uera Sanctus Doctor vtrique fauet ſententiæ, & licèt pro illis ſit *primo de gen. lect.* 10. & *op.* 30. clarè tamen pro nobis etiam eſt 3. *parte quæſt.* 9. *art.* 3. *ad ſecundum*; dicens; quod quando gignitur noua forma, remanent eadem priora accidentia. & 4. *contra gentes cap.* 8. *ad ſecundum*, docens: diſcedente forma ſubſtantiali, & ſpecialiter in morte hominis, permanere eaſdem dimenſiones quantitatiuas in materia, ſic: Nullum principiorum eſſentialium hominis per mortem omnino cedit in nihilum; nam anima manet poſt mortem; materia etiam, quæ tali formæ fuit ſubiecta, manet ſub eiſdem dimenſionibus, ex quibus habebat, vt eſſet materia indiuidualis: Tum ſic: eædem dimenſiones, ex quibus materia eſt indiuidua per Thomiſtas nõ eſt quantitas vt ſic, ſed hæc numero; atqui poſt mortem manet materia indiuidua, aliàs non reſurgeret idem numero homo; ergo cum eadem numero quantitate. Lege Flandrium 7. *metaph. qu.* 57. *art.* 11. vbi ex mente D. Thom. docet hominem eumdem numero reſurgere, eo quod eadem numero habet principia indiuidualia, ſcilicet eandem numero animam eandem numero materiã, & eaſdem numero dimenſiones. Denique noſtram ſententiam D. Th docet *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 4. & *diſt.* 44. *qu.* 1. *art.* 1. *qu.* 1. *ad* 3. vbi expreſsè pro ſe citat Auerroem, concluſionem noſtram defendentem, ita vt potius Sanctus Thomas citandus ſit pro nobis, quam pro Aduerſarijs. Cũ præſertim opera ab illis citata nõ ſint apud Thomiſtas multæ authoritatis; cenſentur enim vel ab alio conſcripta, vel ab eodem Doctore adhuc inniore dictata.

3 Probatur tamẽ primò noſtra ſententia ex Ariſtotele, qui 1. *de gener.* tex. 24. ait: Quando ex aere aqua generatur, ſi ambo tranſparentia, aut frigida; non oportere huius, alteram paſſionem eſſe in qua tranſmutatur, & 2. *de gen. tex.* 23. habet; quando aquę corruptum fuerit frigidum; ignis autem ſiccum aer erit. Relinquitur enim huius quidem calidum illius humidũ. Prętera *ſecundo de gener. tex.* docet elementa ſymbola facilius trãſmutari, quam diſſymbola, non aliam ob cauſam, niſi quia in generatione ſymboli, vna tantùm qualitas; in diſſymboli verò duplex corrumpenda eſt. Denique *primo de part. animal. cap.* 1. arguens contra Democritum, qui figuram formam ſubſtantialem eſſe exiſtimabat, ex eo oppoſitum probat, quia nimirũ in cadauere remanet eadẽ figura, & tamen non remanet eadem forma ſubſtantialis.

Neque dicas Philoſoph. *locis cit.* velle ſolùm, poſt compoſiti corruptionem in eius materia reperiri quædam accidentia, quæ ſint eiusdem ſpeciei cum præcedentibus; Ne id dicas, inquam, tum quia accidentia, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei abſolutè loquendo non dici debent eadem, ſed ſimilia; tum etiam quia nihil contra Democritum ille cõcluderet; potuiſſet enim hìc Philoſopho reſpondere figuram cadaueris non eſſe eandem ſpecie, ſed genere tantùm cum figura animalis viuentis, ſicuti dicunt Aduerſarij non eſſe eandem numero, ſed ſpecie.

Probatur ſecundò: moriatur Æthiops glaciali 4
tempore ex vi ſolius frigoris: vtique eius cadauer ſenſu percipitur multa habere accidentia, nimirum nigredinem, organa ſenſuum, quantitatẽ, cicatrices, & per aliquod tempus plurimum caloris in præcordijs: atqui ſi huiuſmodi accidentia non eſſent eadem numero, quæ in eo viuente fuerant, non poſſet aſſignari cauſa eorum productiua; ergo ne dicamus dari in mundo effectus ſin cauſa, debemus aſſerere ea eſſe eadem numero, quæ erant in eo, quando viuebat. Minor probatur: quia duo accidentium genera in cadauere conſiderare poſſumus. Vnum eorum quæ à forma cadauerica ſunt exacta, vt frigiditatem duritiem, &c. Alterum eorum, quæ ſunt illi incongrua, vel etiam oppoſita, vt calorem, mollitiem, organa, &c. Quamuis autem accidentium primi generis aſſignari poſſit pro cauſa productiua illud ipſum agens, à quo introducta eſt forma cadaueris, vel etiam ipſa forma; nos tamen in minori loquimur de accidentibus ſecundi generis, & contendimus horum nullam cauſam productiuam eſſe aſſignabilem ab Aduerſarijs.

Ad hoc argumentum vnanimi conſenſu fatẽtur illi; ſibi incumbere huiuſmodi cauſam proferre; ſed in ea poſtea determinatè aſſignanda valdè inter ſe diſſentiunt. Quidam .n. reſpondent primò ea produci in corpore de mortui à forma cadaueris.

Contra tamen eſt: quia forma, quę de nouo aduenit alicui materiæ debet ad ſummum in ea producere accidentia ſibi proportionata, atque naturalia. Porrò hæc accidentia, quæ reperiuntur in corpore demortui ſunt omnino impertinẽtia, imo ex parte etiam contraria formæ cadaueris. Hæc enim eſt potius exactiua frigiditatis, quã caloris, & ſenſuum organa potius corrumpit, quã producat; & rectè quidem: in nullum enim finem huiuſmodi accidentia ei inſeruire poſſunt; vnde experimur eam paulatim expellere calorem: & frigus ſibi naturaliter debitum introducere.

Neque dicas: Calorem, & ſimilia accidentia produci ab ipſa forma cadaueris per accidens, quatenus ſcilicet determinatur à materia, quę ex eo, quod immediatè ante introductionem eiuſdem formæ habuit calorem, organa ſenſuum, &c. remanet veluti ſignata, ac ſigillata, & ſimilium accidentium exactiua. Ne id dicas, inquam, quia huiuſmodi exigentia, ac ſigillatio, cuius beneficio materia determinat per Aduerſarios formam cadaueris, vel eſt aliquid intrinſecum reale ſuperadditum ipſi entitati materiæ, & ſic prætẽr quam quod explicandum eſt, quid illud tandem ſit, & à quonam productum fuerit? ſequitur ex eo non dari reſolutionem vſque ad primam. Iam enim in ipſa materia remanet hæc ſigillatio ſuperaddita, cum qua ex forma animalis transit ad formam cadaueris: vel eſt ipſa entitas materiæ, quatenus conſtat ſimilia accidentia immediatè antea in ſe pręextitiſſe, & ſic quoties materia deperderet aliquam formam, ſequeretur, quod deberet ſimilem formam exigere, ex eo quod remaneret iam per ipſam ſignata, ac ſigillata.

Deni-

Digitized by Google

5 Denique ad hanc responsionem de productiuo per accidens redarguendam, notandū, quod quidquid producitur ab alio, siue per se, siue per accidens, semper supponit in eo virtutem productiuam sui: productio enim tendit ad dandum esse effectui, extrahendo illum de potentia, atque virtute productiua ipsius causæ; vnde nisi supponat in ea huiusmodi vim productiuam, impossibile est, quod exerceatur à causa. Solùm ergo differt id, quod producitur per se ab eo, quod producitur per accidens, per hoc, quod vnum intendatur per se ab agente, aliud verò vel occasionaliter, quatenus scilicet est aliqua ratione connexum cum eo, quod per se intenditur, vel in ordine ad aliud. Nihil igitur causari potest ab alio etiam per accidens, quod non supponat vim productiuam sui in producente.

Hoc posito, sic argumentor: Forma cadaueris non habet virtutem producendi organa sensuum, calorem, nigredinem, & similia, quæ in cadauere Æthiopis experimur; ergo non potest, neque per se, neque per accidens illa producere. Eodem prorsus modo impugnandi sunt, qui assignant pro causa productiua dictorum accidentium illam ipsam, quę produxit formam cadaueris; nam causa productiua cadaueris, quatenus talis, non debet continere in sua virtute actiua, nisi formam cadaueris, & accidentia illi debita, propter illud vniuersale principium: quod Qui dat esse dare debet consequentia ad esse. Sed huiusmodi accidentia sunt incongrua, imò oppositа formæ cadaueris, vt iam diximus; ergo neque per se, neque per accidens huiusmodi accidentia produci possunt à causa eductiua ipsius formæ cadaueris.

Respondent alij secundò, dicta organa sensuum, calorem, &c. produci in cadauere ab organis, calore, &c. præcedentibus.

Contra tamen est, quia causa efficiens debet existere, quando suum producit effectum; sed in instanti productionis formę cadaueris sicuti non existit animal, ita neque priora organa, & accidentia: secus duplex organizatio in eodem instanti, & duplex calor in eadem numero materia reperiretur, & nihilominus resolutio, vt de se patet, minimè saluaretur. Nec per hoc, quod dicant: præcedentia per accidens producere subsequentia, aliquid proficiunt Aduersarij: nam particula (per accidens) non potest aliud vtiliter in casu nostro significare, quam per aliud. In quo sensu homo mortuus dicitur per accidens generare, hoc est per semen, tamquam per instrumentum. Atqui non potest assignari quodnam sit hoc aliud, quod se habeat vt instrumentum organorum sensus, caloris, &c, quodque illorum vices gerat in cadauere; ergo &c.

6 Respondent alij tertiò: dicta organa, calorem &c. produci à frigiditate glaciei. Sed hoc est ridiculum, qui enim fieri potest, vt calor à frigore ipso producatur? Deinde si frigus habet virtutem tot organa, & accidentia, quæ videmus in cadauere illo, producendi, cur non semper illa producit? Profecto causa necessaria, necessariò suos producit effectus, quoties non adest impedimentum; atqui nullum impedimentum assignari potest in alijs corruptionibus substantialibus, quę causantur ex frigore, quod nō habeatur in morte hominis; ergo in qualibet simili corruptione vi frigoris habita, deberent dari accidentia humani cadaueris. Quo quid absurdius?

Mazziotta *quæst. cit. sect. 5. num. 195.* se restringens ad assignandam causam productiuam caloris in cadauere Æthiopis ex vi solius frigoris interempti, dicit ex sententia Capreoli, & Soncinatis eum produci à spiritibus, ideſt a corpusculis mirę tenuitatis, ac caliditatis ex dæfacato sanguine confectis, qui licet animalis operationibus deseruiant, & in eius corpore existant: non sunt tamen partes illius, & idcirco eo interempto integri perseuerant; vnde non est, cur non possint partes cadaueris, in quibus delitescunt calefacere, quoad vsque vi formæ cadauericæ extenuentur, & diffluant, & vnà cum illis calor productus; siquidem vtrisque tum forma cadaueris, tum eius dispositiones aduersantur. 7

Sed contra hunc discursum facit, quia vel huiusmodi spiritus calorem illum producunt in tępore sequenti ad mortem Æthiopis, vel in instanti mortis; neutrum dici potest; ergo non est existimandus ille calor de nouo productus à spiritibus. Maior patet. Minor probatur; & quidem quod non producant illum in tempore sequenti patet: quia si immediatè post instans mortis Æthiopis eius pectus secetur, præcordia valido calore prædita esse experientia comprobabitur; sicuti etiam quod calor ille ab instanti mortis paulatim remittatur, ita vt quò maior sit distantia temporis à morte, eò minus sentiatur. Quod si à spiritibus produceretur in tempore, experientia oppositum suaderet; siquidem partes illæ deberent paulatim in calore crescere, ita vt immediatè post mortem vix apparerent calidę, & procedente tempore calorem in gradu excellenti præseferrent. Quod verò spiritus neque producant calorem illum in instanti mortis suadetur, quia quoties in aliquo instanti sunt applicata duo agentia alicui materiæ omni forma denudatæ: toties validius, & intimius in illam agere debet: non verò minus validum, & magis remotum, sed in eo instanti generationis cadaueris, eius præcordijs in ordine ad producēdum frigus non solùm applicata est causa productiua formę cadauericę, sed etiam forma ipsa cadaueris, quę tunc producitur, & exigit in gradu excellenti frigiditatem in illa materia, cui est intimè præsens per informationem; Quas quidem causas omnes esse in eo instanti validiores ipsis spiritibus patet ex doctrina ipsius Mazziottę dicentis; paulò post mortem vi formæ cadaueris spiritus extenuari, atque diffluere, & vna cum illis calorem à se productum corrumpi. Quod si sola forma cadaueris potest tunc destruere spiritus illos, quāto magis poterit eos in instanti mortis impedire ne agant, cum præsertim à causa, quæ illam tunc producit, adiuuari optimè possit?

Nec minus improbabilis est responsio, quam paulò post adhibet hic Auctor quærēti ab ipso casu quo Æthiops viuus magno impetu proijceretur sursum, & in medio ascensu moreretur, à quo nam motus ille sursum, qui fieret post mortem produceretur? Cum enim supponat proiecta non moueri, nisi à virtute impressa, & non possit assignare causam productiuam similis virtutis post mortem Æthiopis *numero* 220. dicit, quod etiam si Æthiops 8

Digitized by Google

habuisset à proijciente virtutem impressam valdè intensam, qua mouendus fuisset sursum versus per semihoram v. g. si in fine quadrantis moreretur, cessaret moueri sursum, & inciperet moueri deorsum vi grauitatis, quæ emanauit in instanti mortis à forma cadaueris.

Verùm falsitas huius responsionis manifestissimis experientijs deprehendi potest. Præsertim ea, quæ sumitur ex animalibus valdè proximis morti. Numquam enim experti sumus eorum motum proiectionis sursum non correspondisse impressioni, quam à proijciente habuerunt; etiam si dum adhuc mouebantur, mortua sint. Quis enim vidit vnquam Passerculum iam iam moriturum magna vi eiectum sursum, sequuta morte, motum, quo velocissimè mouebatur, repente interrumpere, & deorsum pergere? Et quidem cum huiusmodi animalium proijectiones quotidie fiant; impossibile esset, homines hanc nouitatem non aduertisse, & demeritatos nō fuisse. Ecquis vnquā credat, quod canis spatio vnius Aue victurus nulla vi humana, & nullis machinis quantumuis potentissimis, sursum proiectus, possit neque per vnū minutum temporis vlterius progredi, sed de necessitate in fine illius debere descendere? Quod si aliquis sustineat motum proiectorum fieri à medio liberabitur quidem ab hac molesta instantia, sed non ab argumento principali, quo quæritur causa productiua aliorum accidentium, quæ sunt in cadauere, quamuis illi incongrua.

SECTIO SECVNDA.

Affertur tertia probatio.

9 EQuidem supersederem à labore huius tertiæ probationis, nisi viderem efficacitatem eius ex vna parte; & ex alia irritos Aduersariorum conatus, quibus illam labefactare moliti sunt: Ea autem sic procedit.

Si daretur resolutio vsque ad materiam primā: saltem illa accidentia, quæ erant in homine viuo, & sunt vel incongrua, vel impertinentia respectu formæ cadaueris, non deberent in eo instanti corruptionis hominis iterum restaurari; atque adeò cadauer cum solis illis accidentibus, quæ sunt eius formæ consentanea deberet produci; sed hoc est contra experientiam; videmus enim hominem glaciali frigore peremptum, esse organizatum, coloratum, quantum, sicuti erat, quando viuebat; ergo dicendum est horum omnium accidentium conflatum non esse de nouo productum, sed esse idem numero, quod prius. Maior quæ sola indiget probatione suadetur ex eo, quia posito quod præcedentia in morte hominis fuere destructa, nō potest assignari in quem finem postea illis similia iterum producerentur. Si enim exigerentur à forma cadaueris, vtique esset in promptu ratio, cur reparanda essent, nimirum propter necessariam connexionem, quam ipsa forma habet cum illis; vnde ex vi generationis dictæ formæ per naturalem sequelam consequi deberent. At calor, & diuersa partium organizatio sunt ei indebita; ergo non est, cur producantur.

Quadruplicem inuenio ad hoc argumentum 10 responsionem, quæ aliquam probabilitatis speciē per se ferat. Prima est eorum, qui recurrunt ad primam causam dicentes, ne materia immediatè transeat ad accidentia valde inter se contraria, Deum producere in ea accidentia illa, vt successione quadam paulatim illa deperdat. Sed contra hoc facit, quia cum materia sit potentia vniuersalis, nullam habet difficultatem transeundi ex vno extremo contrarietatis in aliud: æquè enim omnibus accidentibus est contenta; quemūdmodum igitur potest immediatè transire à priuatione lucis ad intentissimam lucē, & à forma vnius elementi dissymboli ad formam alterius; ita in instanti mortis Æthiopis poterit, quantum est de se, recipere accidentia valde præcedentibus opposita; frustra igitur recurrunt Aduersarij ad Deū in productione dictorum accidentium in commodum materiæ primæ.

Secunda responsio est Thomistis valdè communis, nimirum rationem, ob quam producuntur in cadauere accidentia similia eis, quæ habebantur in homine viuo petendam esse ex materia signata, quæ transit ad aliam formam ad instar ceræ, in qua impressum fuerit sigillum. Quemadmodum enim cera licet nihil sigilli post impressionem in se retineat, remanet tum eius lineamentis consignata atque notata: ita & materia in casu nostro.

Sed contra est, quia, vt supra notauimus, materia, quæ transit ex forma hominis ad formam cadaueris, vel transit omnino nudata omnibus illis formis, quas prius habebat, vel non; si primum, iam est omnino indifferens ad omnes formas; neq; potest esse ratio, cur potius vnam, quam aliam recipiat. Si verò dicatur secundum; ergo non datur resolutio vsque ad materiam primam; quia materia non transit solitaria, sed cum aliquo alio ex his, quæ habebat, quando erat in homine viuo. Ad eum planè modum, quo cera transit cum eadem illa forma modali figurationis, quam habebat, quando erat sub sigillo ad effendum veluti per se extra sigillum.

Tertia responsio est Mazziottæ, qui *num. 186.* 11 quæstionis nonę supponit tria. Primò formam cadaueris esse per se à natura intentam, eo quod ex ordinatione ipsius naturæ institutum est, vt ad formam viuentis nulla alia forma immediatè cōsequatur, nisi ipsa forma cadaueris. Supponit secundò hominem mortuum, & hominem viuum æquiuocè conuenire; non secus ac conueniunt canis cælestis, & marinus. Quoniam verò quæ æquiuocè (inquit) conueniūt, cōuenire debent extrinsecè, alioquin non possent eodēnomine significari, hinc fit vt Æthiops viuus, & Æthiops mortuus cū nō possint intrinseceè in substātia: debeāt extrinsecè in accidentibus aliquam habere conuenientiā. Tertiò denique supponit non solùm cadauera distingui inter se specie, vel numero, sicuti distinguebantur inter se viuētia ex quibus generantur, sed etiam talia specie, vel numero viuentia determinatè consequi, eaq; connotare ante se præcessisse. Quibus omnibus præsuppositis negat numero sequenti maiorem nostri argumenti, & ad eius probationem dicit: rationem, ob quam in cadauere producantur accidentia similia ijs, quæ erant in virtute, ex quo generatur, petendam esse ex materia, quæ determinata, & necessitata est ordi-

ne

Digitized by Google

ne naturæ vt immediatè post formam viuentis informetur forma cadaueris. Cadauer enim exigit præseferro accidentia, quo ad fieri potest, similia accidentibus viuentis, ad quod immediatè consequitur, eo quod institutum est à natura ad repræsentandum illud; ita vt eius forma sit veluti simulacrum, & effigies formæ viuentis, quæ immediatè antea in illa materia existebat; vnde fit, vt licet materia nuda omnino transeat ex vna ad aliam formam; exigat tamen quantum fieri potest habere accidentia similia illis, quæ immediatè antea habuit in viuente.

12 Sed contra hanc responsionem faciunt multa; aliqua quidem contra suppositа: alia verò contra substantiam responsionis. Et quidem contra primum suppositum facit communis sensus eorum Philosophorum, qui cadauericam formam admittunt: omnes enim putant eam per accidens à natura produci, in quantum ex vna parte, materia non potest existere spoliata omni forma substantiali; ex alia verò regulariter viuentia exigunt dispositiones tales, quæ facilè resoluuntur, hoc est prius tempore, quam introducantur dispositiones debitæ alicui formæ substantiali ex his, quæ per se intenduntur à natura, v. g. formæ ignis, lapidis, &c. vnde debuit prouidere natura de aliqua forma veluti intermedia, quam inducerer in materiã illam, donec dispositiones aliarum formarum per se intentarum complerentur. Ad rationem autem in contrarium. Respondeo primò: difficile esse creditu ex institutione naturæ haberi, vt ad formam viuentis nulla alia formæ immediatè sequatur in materia, quã forma cadaueris; Ad quod suadendum vtor doctrina, quam Auctor tradit *numero 166. eiusdem quæstionis*; vbi docet cum communi vitam vegetatiuam arboris esse formam extensam, & diuisibilem; & ideo folia, poma, & similia ex arboribus abscissa per aliquod tempus eandem formam substantialem retinere, quã habebant antea, quando erant arboribus suis coniuncta. Tum sic: decerpat quis ex arbore leue folium, & statim in ardentissimam fornacem inijciat: quis credat illud non conuerti immediatè in ignem? sed necessariò eius materiam prius debere recipere in se formam cadaueris, quam formam ignis non obstante maxima actiuitate fornacis, & minima, seu nulla folij illius resistentia? Idem teneretur Auctor asserere posito quod capillus viuat vita solùm vegetatiua, si hic in dictam fornacem proijceretur. Non est igitur institutum à natura vt ad formam viuentis nulla alia forma, nisi cadauerica immediatè sequatur necessariò, sed solùm quando agẽs corruptiuum prius tempore destruit dispositiones necessarias ad formam viuentis, quã introducat dispositiones requisitas à forma, quam intendit producere.

13 Respondeo secundò: data hac necessaria consequutione formæ cadaueris ad formam viuentis: nego hinc sequi eam non esse per (accidens) a natura intentam. Particula enim, per accidens, non semper significat contingentiam, quę ordinationi naturæ repugnat, sed sępè idem valet, ac in ordine ad aliud. In quo sensu dicimus dispositiones non esse per se intentas à natura, sed per accidẽs, hoc est in ordine ad formam substantialem; & in hoc forma cadaueris est aliquo modo similis formæ embrionis, quæ à natura producitur, donec compleantur dispositiones necessariæ ad formam viuentis. Dixi (aliquo modo similis) quia absolutè loquendo est illi dissimilis, tum quia non exigit dispositiones certas in materia: tum etiam quia non producitur à natura ad hunc finem, vt ipsa, operatione sua, disponat materiam, in qua est ad consequentem formam recipiendam. Vtrũque autem competit formæ embrionis; & ideò hęc cum aliqua proprietate dici potest per se intenta: non autem cadauerica.

Contra secundum suppositum de æquiuoca conuenientia inter hominem viuentem, & mortuum, ex qua colligit Auctor, quod debeat vterque conuenire in accidentibus, proponerem difficultatem hanc: Vel putat Mazziotta hominem viuum, & mortuum conuenire purè æquiuocè, vel impurè hoc est analogicè. Si primum, sicuti videtur sentire, dum affert exemplum canis cælestis, & terrestris, falsum est, quod sit necessaria conuenientia in accidentibus; purè enim æquiuoca: quatenus talia, non debent nisi in puro nomine conuenire: Si verò dicatur secundum, falsum etiam est, quod non possint conuenire in essentia, sed solùm in accidentibus; quia analogia stat cum intrinseca conuenientia in essentia, dummodo sit conuenientia imperfecta; & quamuis analoga attributionis per ordinem ad extrinsecum constituantur, sicuti pulsus, & medicina per ordinem ad sanitatem dicuntur sana: tamen homo viuus, & homo mortuus non dicuntur homo per ordinem ad accidentia hominis, vt de se patet, sed viuus dicitur homo per hoc, quod contineat in se prædicata quidditatiua hominis: mortuus verò per distractionem.

Denique contra tertium suppositum facit, quia 14
licèt admitti probabiliter possit cadauera distingui inter se specie, vel numero, sicuti distinguuntur inter se viuentia, ex quibus generantur; & quod ad talia specie viuentia determinatè consequantur talia specie cadauera: omni tamen probabilitate caret, quod ad tale numero viuens debeat determinatè sequi tale numero cadauer. Cũ enim hoc numero viuens possit ex diuersissimis causis vita priuari, ac emori: debet habere indifferentiam, vt in eius materiam hæc, vel illa forma cadauerica immediatè post introducatur. Confirmatur id, quod dicimus destruendo fundamentum huius doctrinæ Aduersarij, quia in tantũ huiusmodi connexio inter hanc numero formam cadaueris, & inter hanc numero formã viuẽtis requiritur, vt saluetur, cur hæc numero forma cadauerica Petri v. g. requirat accidentia similia ijs, quæ erant in Petro viuente potius, quam ijs, quæ erant in Paulo; sed hoc non saluatur sufficiẽter, quia eadem numero anima Petri pro diuersitate ętatis diuersa sibi vendicat accidentia: Infans enim parum quantitatis exigit.

Contra verò in virili ætate multò maiorem; & in adolescentia exigit habere in gradu excellenti calorem, in senectute verò frigiditatem, &c. si igitur identitas eiusdem formæ non infert necessariò similitudinem in accidentibus: quantò minus eam inferet connexio inter formas diuersas.

Atque

Digitized by Google

15 At hæc quantum ad ſupposita. Quantum verò ad ſubſtantiam reſponſionis, eam ſic redarguo. ideo per Mazziottam materia exigit habere in cadauere accidétia, quo ad fieri poteſt ſimilia ijs, quæ habebat in viuente; eo quod cadauer inſtitutum eſt à natura ad repreſentandum ipſum viuens; ſed hoc eſt merum figmentum; numquid enim rebus fictis, & adumbratis natura delectatur, aut intendit mortuorum cadauera producere in ſcenam, vt mentiantur ſe eſſe viuentia, & ſic ipſi ſcenæ deſeruiant? Profectò ſimulationes, & diſſimulationes natura non amat; ſed entia naturalia quemadmodũ in rei veritate ſunt, ſic ea nobis exhibere diſpoſuit. Deinde ſi forma cadaueris inſtituta fuiſſet à natura, vt pro aliquo tempore formam viuentis repræſentaret; profectò non debuiſſet eius eſſentia inſtitui exactiua accidentium, quæ eſſent contraria ijs, quibus forma viuentis maximè delectatur. Videmus enim formam hominis calorem expetere in gradu excellenti, & mollitudinem in carne. Contrà verò forma cadauerica duritiẽ, & rigiditatẽ in carne, & excellentem frigiditatem in toto corpore. Denique experientia conſtat non ſolùm in cadauere genito haberi accidentia ſimilia ijs, quæ habebantur in viuente corrupto. ſed etiam in alijs corporibus. Videmus enim quod quando ex ligno tereti, vel quadrato v.g. generatur ignis; quamuis ipſe ignis natura ſua figuram pyramidalem exigat, & raritatem; tamen figuræ illi tereti, ſeu quadratæ, & denſitati ſe accommodat; quin etiam odore, vel fetore illo imbuitur, qui erat proprius illius ligni, ex quo genitus eſt. Dicat nunc mihi Mazziotta numquid etiam forma ignis inſtituta eſt à natura ad repreſentãdã formã ligni? in quem igitur finem eius materia huiuſmodi accidentia exigit de nouo produci? Vidi ego Meſſanæ panem vi annorum conuerſum in lapidem; ita vt ictibus mallei ad inſtar duriſſimæ ſilicis reſiſteret. Habebat præterea granitatem, & frigiditatem lapideam, & ſolum colorem, & figuram panis retinebat, tanta expreſſione, vt ſi aliquando obijceretur canibus, illi ſtatim accederent, & dentes adhiberent ad illum infringendum, & deuorandum. Vel igitur dici debet formam lapidis ſubſtitutam eſſe in ea materia à natura loco formę panis, & ideo exegiſſe accidentia illa; vel poſito quod id nulla probabilitate ſuſtineri poteſt, abſolute dicendum, vanam eſſe rationem Auctoris huius ex repræſentatione deſumptam.

16 Quarta denique reſponſio eſt Mauri *lib. 3. quæſt.* 17. dicentis rationem, cur huiuſmodi accidentia producantur, eſſe quia materia in inſtanti generationis non poteſt localiter moueri, eo quod motus nequit fieri in inſtanti. Vnde determinata eſt accipere formam cadaueris in eodem prorſus loco, in quo erat ſub forma hominis. Sed hoc ipſo exigit ſimilem quantitatem, ſimilem figuram, ſimilem raritatem, & mollitiem, & per conſequens ſimile temperamentum primarum qualitatum, proportionatum ſecundis qualitatibus, inter quas nõ ſolùm eſt raritas, denſitas, mollities, durities, &c. ſed etiam ipſe calor; ergo &c.

Sed contra hanc etiam reſponſionem facit primò; quia licèt materia non poſſit localiter in inſtanti moueri: poteſt tamen in inſtanti relinquere locum diuiſibilem, quem occupabat, & acquirere alium immediatè ſequentem. Ex ſuppoſitione enim quod in inſtanti ſpoliaretur vna quantitate v.g. palmari, & indueretur alia, nempè bipalmari, inciperet quidem occupare ſpatium bipalmare connaturaliter in inſtanti: at non per motum localem; ſed ita res ſe deberet habere in morte hominis, ſi daretur reſolutio; nam mutaretur ex vna parte quantitas vnà cum propria figura, raritate, & mollitie, quæ ad tantum locum occupandum eam determinabant: ex alia verò cadauer non exigit quantitatem cum ſimili figura membrorum raritate, & mollitie, ſed potius cum his oppoſitis; ergo &c. Vide Suarium *de Angelis lib. 4. cap.* 11. vbi docet Angelum poſſe mutare locum in inſtanti extendendo ſe, vel contrahendo intra ſuam ſphæram, ſine ex ſphæra adæquata tranſeundo ad locum contiguum, quam ſententiam Bubalus *de Angelis qu. 53. art. 3. quæſtio* 1. *difficult.* 1. & 2. probat eſſe ad mentem S.T.

Contra ſecundò, quia impedimentum, quod habet materia, ne in hoc inſtanti occupet ſpatium tantùm, palmare v.g. poſito quod immediatè antea erat in bipalmari, eſt, quia in hoc inſtanti habet eandem quantitatem, quam habebat antea. Sed in caſu noſtro mutat quantitatem in inſtanti mortis, & acquirit formam exactiuam potius denſitatis, duritiei &c. Ergo non ſolùm non debet habere ſimilem mollitiem, raritatem, & figuram, ſed neque ſimile temperamentum nec eſſe in eodem loco.

SECTIO TERTIA.

Proponuntur, & ſoluuntur obiecta contra principalem concluſionem.

OBijcies primò quędam Ariſt. loca, quibus videtur admittere reſolutionem, *cap. enim de ſubſt.* ait: Corruptis primis ſubſtantijs impoſſibile eſſe aliquid aliorum eſſe. *Primo verò phyſic. tex.* 82. de materia prima ait, quod ſi quid corrumpitur in eam abibit vltimo. *Primo denique de generatione tex.* 28. docet generationem fieri nullo ſenſibili remanente; ſenſibile autem per ſe accidens eſt. 17

Reſpondeo ad ſingula, & quidem *cap. de ſubſt.* loquitur ex hypotheſi de corruptione primarum ſubſtantiarum non ſolùm quoad formam, ſed etiã quo ad materiam; atque adeò de adæquata earum corruptione; hoc autem non eſt contra nos, qui loquimur, quando compoſita ſecundùm formam tantùm deſinunt eſſe. *ex primo vero phyſic.* non poteſt colligi, niſi reſolutio ſubſtantialis vſque ad materiam, quam omnes, qui negant formas partiales, dari defendunt. Et ſenſus eſt, quod in corruptione ſubſtantiali nihil ſubſtantiæ corrupti remaneat præter materiam primam. Vel ſi hoc tibi diſplicet, dic cum alijs: Philoſophum illo loco loqui etiã ex hypotheſi, quod ſcilicet licèt omnia alia, quę ſunt in materia corrumperentur, ſemper tamen materia remaneret. *Primo denique de gen.* vult ſolùm quod in generatione ſubſtantiali non remaneat idem ſubiectum denominationis ſub vtroque extremo. Quare ita ordinanda ſunt verba illa, vt faciant hunc ſenſum, nullo ſubiecto ſenſibili remanente, vt eodem, quidquid ſit,

an

an eadem accidentia sensibilia remaneant.

18 Objicies secundò: si remanerent eadem accidentia in genito, & in corrupto, daretur transmigratio eorumdem accidentium de vno subiecto in aliud. Consequés per omnes cẽsetur absurdũ; ergo &c. Sequela probatur: quia accidentium subiectũ est totum compositum; sed daretur transmigratio illorum de vno in alterum compositum v.g. de ligno in ignem; igitur.

Respondeo, distinguendo sequelam: daretur transmigratio accidentium de vno subiecto in aliud, si sermo sit de subiecto inhæsionis, nego. Huiusmodi enim subiectum est materia, à qua accidentia illa non discedunt: loquendo de subiecto denominationis, concedo sequelam, & distincta eodem modo minore, nego consequentiam. Ad sequelę autem probationem dico: totum compositum esse subiectum denominationis, & non inhæsionis. Bene autem accidentia transire posse de vno in aliud denominationis subiectum, quando illorum subiectum inhæsionis transit ab vno in aliud compositum, docent omnes.

19 Objicies tertiò: si quantitas, pereunte forma substantiali, remaneret in materia; esset magis vnita ipsi materiæ, quam forma substantialis, sed hoc videtur inconueniens; ergo &c.

Respondeo, distinguendo sequelam; quantitas esset magis vnita materiæ quantum ad tenacitatẽ, ac diuturnitatem concedo, quantum ad perfectionem vnionis, proportionem, & vt ita dicam, intuiscerationem, nego sequelam; & sic distincta eodem modo minore, nego consequentiam.

Objicies quartò: quantitas est proprietas formæ substantialis; ergo ea pereunte, illa corrumpi debet.

Respondeo: quantitatem dici communiter proprietatem materiæ, sed quidquid sit de hoc, iam distinguo antecedens. Quantitas est proprietas formæ substantialis in genere, & quatenus forma substantialis est, concedo: in specie, & quatenus talis forma est, nego antecedens, & consequentiã. Ratio negationis consequentiæ est, quia pereunte vna forma substantiali, iam producitur in materia alia forma exactiua eiusdẽ quantitatis; proprietates verò aliarum rerum, ideo ad earum corruptionem corrumpuntur, vel quia habent contrarium, per quod tunc expellantur, vel quia subiectantur in earum forma substantiali, quæ expellenda est; vel denique quia secundùm nullam rationem exiguntur à re, quę de nouo generatur.

SECTIO QVARTA

An ex suppositione quod omnia accidentia inhæreant toti composito, in corruptione substantiali detur resolutio vsque ad materiam primam.

20 CONclusio est negatiua cum Hurtado *de gener. disp. 1. sect. 5. §. 4.* Ouiedo *de gener. contro. 1. puncto 3. numero 3.* contra Thomistas, qui dictam resolutionem, vel vnicè vel principaliter referunt in destructionem totius, in quo volunt immediatè recipi quantitatem, & in quantitate cætera accidentia rerum generationibus, & corruptionibus inseruientia. Est etiam contra Arriagam qui *disp. 5. phys. secunda editionis sect. 4. subsect. 3.* inde probat accidentia generationi inseruientia in sola materia reperiri, quia aliter deberet dari resolutio vsque ad materiam primam; contra id quod *num. 13. eiusdem disputationis* probauerat.

Probatur nostra sentẽtia ab Hurtado, & Ouiedo paritate causę efficientis, in hunc ferè modum: Non minus accidentia, de quibus loquimur, pendent à principio effectiuo, quàm à passiuo; Atqui deficiente principio effectiuo, si loco illius subrogatur aliud eiusdem virtutis, accidentia non corrumpuntur, sed perseuerant in esse; ergo deficiente principio passiuo, nimirum toto substantiali, quod corrumpitur, cum adueniat aliud totum, quod generatur, & sit eiusdem virtutis, ac subrogetur loco corrupti, non est, cur accidentia, quæ toti præcedenti inhærebant, corrumpi debeãt, & non potius à toto subsequenti conseruari. Minor videtur certa; quamuis enim causa efficiens sit de se extrinseca effectui, materialis verò intrinseca: tamen effectus secundùm totum suum esse intrinsecum verè, & realiter ab vtraque causa dependet. Minor verò suadetur, quia videmus idem effectus, qui in fieri pendet à causa creata, in facto esse pendet à solo Deo; & lumen productum ab vna lucerna, conseruari ab alia, quę in locum prioris succedit communiter sustinetur.

Sed contra hanc probationem facit, quia si verum esset, quod in maiore assumitur, sequeretur, quod posset accidens transmigrare de vno subiecto adæquato in aliud adæquatum, quod negatur ab omnibus. Nam si verum est, quod non minus pendet accidens à principio effectiuo, quàm à passiuo; ergo quemadmodum ab vna causa efficiente adæquata conseruatiua sui transire potest ad aliam item adęquatam sui conseruatiuam, & sic durare in esse: ita posset transire de vno subiecto adæquato in aliud adæquatum. 21

Respondet Ouiedus *num. 4.* dici rectè posse, transmigrationem, quam Philosophi accidentibus communiter negant, consistere in eo, quod permanentibus eodem loco subiectis, accidens de vno in aliud transferatur, non autem si accidens localiter sit immotum, & successiuè informet noua subiecta, quæ illi successiuè applicentur. Postea verò addit secundò, quod licet Hurtadus § 46. admissa applicatione noui subiecti (de qua dubitat, num dari possit) affirmet idem accidens immotum, relicto antiquo subiecto, posse naturaliter incipere de nouo informare aliud sibi recens applicatum; tamen ipse *numero quinto* existimat posse defendi numquam dari posse respectu accidentis immoti huiusmodi applicationem noui subiecti adæquati, atque adeò neutro modo admittendam esse transmigrationem; Quod sic ferè probat: Pone aerem bipalmarem intra cubiculum soli directè expositum; pone deinde quod huiusmodi aer propellatur ab alio aere item bipalmari, ita vt in locum primi palmi expulsi succedat secundus, & in locum secundi succedat primus aeris expellentis. tum sic: si in aliquo casu daretur transmigratio lucis quiescentis de vno in aliud subiectum, maximè in hoc; sed in hoc non datur; ergo numquam datur. Maior conceditur, & minor probatur, quia si in hoc casu daretur, deberet lux, quæ erat in primo palmo aeris expulsi, informare secun-

Digitized by Google

cundum, qui succedit in locum illius, & adhuc est expositus directè soli ; sed non potest . ergo necesse est, vt lux illa corrumpatur, & non transmigret . Maior patet ; & minor suadetur, quia secundus palmus remanet intra eandē sphæram actiuitatis solis cum eadem distantia ab ipso Sole; ergo , quamuis succedat in locum primi palmi , secum defert intensionem lucis , quam habebat, ante quam moueretur ; ergo non potest recipere in se lucem , quæ erat in primo palmo , quia sic vel darentur in eodem subiecto plura accidentia absoluta solo numero distincta: vel , si facerent vnam intentionem , palmus ille appareret duplo lucidior , quam erat antea . Vtrumque autem cum sit absurdum , sequitur , lumen , quod erat in primo palmo debere corrumpi defectu applicationis subiecti capacis.

22 Sed contra hanc responsionem faciunt multa ; & primò quidem , quia gratis asseritur, & contra communem antiquorum sensum, transmigrationē, quę negatur accidenti, consistere solùm in eo, quod immotis subiectis ipsum accidens de vno transferatur in aliud , non autem quando localiter immotum, nouum subiectum acquirit . In vtroque enim casu militat eadem ratio , atque adeò vel vtraque transmigratio concedenda est, vel vtraque neganda . Neque dicas rationem discriminis esse, quia si accidens, immotis subiectis, de vno transiret in aliud, iam sibi arrogaret motum , qui est proprius corporis , non autem si motis subiectis ipsum remaneret immotum : ne id dicas, inquam, quia si stat illud principium : quod scilicet, non minus pendet accidens ab efficiente , quam à subiecto : debet concedi, quod quemadmodum accidens ad motum eiusdem subiecti moueri potest , & de vno efficiente transire ad aliud, vt conseruetur : ita ad motum eiusdem efficientis moueri possit, & de vno subiecto immoto transire ad aliud , vt conseruetur . In vtroque enim casu non moueretur per se , quod est proprium corporis, sed per accidens, quod non repugnat accidenti.

Contra facit secundò : quia dato, quod transmigratio accidenti communiter negata consistat solū in eo , quod immotis subiectis de vno in aliud trāsferatur ; Inde colligo falsitatem illius principij, quod non minus pendeat accidens à causa efficiente, quam à materiali. Nam posito, quod dentur duę causę efficientes , v. g. duę lucernę A. B. quarum vnaqueque habeat sphęram actiuitatis palmarem , & vnam sphęram alteri contiguam , tunc si aer palmaris , qui est in sphęra actiuitatis lucernæ A. , & ab illa illuminatur , moueretur ad sphæram lucernæ B, vtique in hac via idem lumen , quod dependebat à lucerna A, inciperet dependere à lucerna B, immotis ipsis lucernis ; & tamen casu, quo non esset, nisi lucerna A, quæ illuminasset palmum aeris , & ea moueretur ad sequentem sphæram : vtique non transferret in eam idem numero lumen , quod produxerat in prima, sed , eo corrupto , aliud necessariò produceret : etiam si ponamus aerem vtriusque sphæræ immotum remanere . Maior igitur est dependentia , quæ lumen pendet à subiecto , quam ab efficiente . Nam ipsum potest moueri cum eodem subiecto transeundo ab vna causa efficiente , quæ illud conseruabat, ad aliam, non autem potest moueri cum eadem causa efficiente, transeundo ex vno in aliud subiectum .

Quo ad denique, id , quod vltimo loco subdit Ouiedus : numquam , scilicet , accidens etiam si perseueret immotum quo ad locum , relinquere adæquatū subiectum, & aliud acquirere. Libenter admitto , vtpote communi Philosophorum opinioni consentaneum; nego tamen id prouenire ex defectu applicationis noui subiecti; quod sic ostēdo : sit in hoc aere lumen vt vnum pendens à sola lucerna A. si postea addatur lucerna B. quamuis inueniat lumen adæquatè pendens à priori lucerna, non censemus eam defectu applicationis non influere in illud, sed omnes putamus ad eius præsētiam corrumpi priorem dependentiam , qua lumen illud pendebat à priori lucerna , & aliam de nouo produci , per quam indiuisibiliter ab vtraq; dependeat , & hoc ne posterior lucerna otiosa remaneat; ergo si aer bipalmaris in cubiculo illuminatus à Sole ab alio aere item bipalmari expellatur: ita vt in locum primi palmi succedat secundus expulsi , & in locum secundi primus expellentis , non obstabit defectus debitæ applicationis, quin lumen, quod erat in primo palmo aeris expulsi, informet secundùm palmum eiusdem aeris, & lumen , quod erat in secundo , informet primum palmum aeris expellentis ; quoniam verò huiusmodi transmigratio non contingit ; manifestè deducitur, impedimentum esse maximam dependentiam , quam habet lumen à suo subiecto , in quo est, ita vt non possit illud destituere , quin naturaliter corrumpatur , quantumuis habeat aliud subiectum sibi debitè applicatum. Omnia patent , præter primam consequētiam , quam sic probarem ad hominem contra Ouiedum : non deest secundæ lucernę debita applicatio respectu luminis à priori lucerna producti, quo minus illud incipiat conseruare, quamuis perire debeat conseruatio, qua antea lumen illud conseruabatur à prima . Ergo neque deerit secundo palmo aeris debita applicatio respectu luminis , quod erat in primo palmo , quo minus illud incipiat conseruare , quamuis destruenda sit illa vnio , quam secundus palmus habebat cum lumine, quo antea informabatur . Quēadmodum enim naturaliter destruitur prior conseruatio, ne secunda lucerna remaneat otiosa , & alia de nouo producitur: ita deberet destrui vnio, quam habet secundus palmus aeris cum lumine à Sole sibi producto, ne corrumpatur lumen illud, quod erat in primo palmo, & alia de nouo produci; non enim multum referre debet, quod causa aliquando non agat. Plurimum verò quod ens naturale corrumpatur, dum conseruari potest ; ex quibus omnibus patet maiorem illam , in qua assumebatur non minus pendere accidens à principio effectiuo , quam à passiuo, esse falsam ; atque adeò argumentū, quo Ouiedus, & Hurtadus probant facta suppositione , quod accidentia inhæreant toti, ad huius corruptionē non debere dari resolutionem vsque ad materiam primam, non esse solidū . Quod si quis quæreret , in quo maior dependentia à principio passiuo , quam ab actiuo consistat, breuiter respondere ; consistere in eo , quod patiatur variationem principij effectiui , non verò passiui, saltem adæquati . Hac ergo ratione posthabita .

Pro-

Digitized by Google

24 Probo Conclusionē primò ad hominem contra Thomistas, qui sustinent animas brutorū perfectorū esse indiuisibiles. Anima Equi cū sit materialis, pēdet procul dubio à materia, quā informat: sed anima Equi in nutritione per Thomistas nō corrūpitur; ergo neq; accidens, quod inhæret toti cōposito, ad huius corruptionē iuxta eorū principia corrūpi debet. Maior, & minor patent. Probo consequentiam. Nutritio definitur conuersio substantiæ mortuæ in substantiam viuentem; quia per eam reparantur partes corporis, quæ vi caloris naturalis absumuntur; ergo in ea, anima Equi deperdit inadæquatum subiectum, à quo inadæquatè pendebat, & aliud inadæquatum acquirit. Non est igitur, cur accidens, posito quod subiectetur in toto, non possit deperdere formam corporis, quod corrumpitur, à qua pendebat tamquam à subiecto inadæquato, & aliam item tamquam subiectum inadæquatum acquirere.

Dices, Anima Equi, ita inadequatè pendebat à partibus, quæ vi caloris absumuntur, vt si non penderet ab illis, nec aliæ loco illarum succederent, adhuc conseruaretur in esse. Non sic autem pendet inadæquatè accidens à forma corrupti, vt si ea absit adhuc existat, sed necessariò corrumpendum est. ergo:

Contra tamen est primò: quia difficile creditu est, quod anima Equi pendeat ab aliquibus partibus materiæ primæ, & tamen non indigeat huiusmodi dependentia; hoc ipso enim conuincitur dictam dependentiam ei fore superfluam.

25 Sed quidquid sit de hoc: ponamus quod Equus in vero matris habeat minimum quod sic materiæ, ita vt in minori organizatio equina stare minimè possit, atque adeò quod omnes materiæ illius partes sint necessariæ ad conseruationem animæ; Tum si vi caloris naturalis aliqua pars huius materiæ absumatur, & tantumdem materiæ de nouo per nutritionem substituatur: vtique sicuti influxus partis præcedentis erat necessarius animæ Equi ne corrumperetur: ita erit, ea influxus consequentis: & tamen hoc non obstante & incorrupta transit ex vna in aliam materiæ partem; ergo tradita disparitas nulla est, quo minus dicamus, etiā accidens mutare posse subiectum suum inadæquatum quantumuis necessarium sibi ad existendum, & transire ex forma corrupti in formam geniti sine vlla sui corruptione.

Et quidem per hæc remanet impugnata disparitas tradita à Mauro *lib. 3. quæst. 16. ad secundum*, dum ait Franciam repugnantem formæ materiali de subiecto in subiectum esse illum, per quem amittit vnionem cum subiecto totali: Formam autem indiuisibilem *in nutritione* retinere vnionem cum subiecto sibi sufficiēte, & amittere vnionem cum quibusdam partibus non necessarijs. Nā ex vna parte falsum est accidens, quod transit ex ligno corrupto in ignem genitum, amissurum vnionem cum subiecto totali, solùm enim amitteret vnionem cum partiali, hoc est cum forma ligni, & non cum eius materia. Ex alia verò parte probauimus formam indiuisibilem in nutritione posse amittere vnionem cum vna parte subiecti sibi necessaria ad existendū, & acquirere vnionem cum alia parte, quæ loco deperditæ subrogetur.

Probo secundò eandem conclusionem: ex eo 26
quod totum sit subiectum inhæsionis accidētium, vel ideo sequitur necessariò resolutio vsque ad materiam primam in corruptione compositi, quia non habetur alia causa materialis: quantum est de se sufficiens, ad sustentandum illa: vel quia etiam si habeatur causa de se sufficiens, ipsa tamen essent inepta transmigrare de vna in aliam materialem causam. neutrum dici potest; ergo etiam dato quod accidentia subiectentur in toto, non sequitur ex hoc resolutio vsque ad materiā primam. Maior patet. Quemadmodum enim mors hominis ex duplici capite sequi potest, vel quia non habeatur à Medicis remedium ad curandam eius ægritudinē, vel quia etiam si habeatur, æger tamen illud tolerare non potest: ita & in casu nostro; Minor ergo probatur; & quidem quò ad primam partem res est euidens, quia iam habetur totum de nouo genitum, nō solùm in eodem prorsus loco, in quo erat corruptum, sed etiam in eodem instanti corruptionis illius, imo in priori naturæ ad dictam corruptionem; quia vti supra vidimus, ideò vna forma substantialis desinit esse in materia, quia alia incipit esse in eadem materia. Porrò hoc totā de nouo genitum quantum est de se habere vires sufficientes sustentare accidentia, quæ erant in corrupto, suadetur ex eo, quia in sententia Aduersariorum in eodem instanti generationis sustentat alia illis similia. Quoad verò secundam partem eadem minor suadetur, quia huiusmodi ineptitudo, quam haberet accidens ad transmigrandum de vno subiecto in aliud; nonnisi experientia cōprobatur; sed hæc experientia aliud non suadet, quam quod accidens habeat quidem ineptitudinē ad transmigrandum de vno subiecto adæquato in aliud item adæquatum v. g. de ligno in ignem, posito quod ignis non generetur ex ligno: non verò ad transmigrandum de vno subiecto inadæquato in aliud item inadæquatum v. g. de forma ligni in formam ignis ex ligno geniti; ergo non est, cur dicamus in casu nostro dari resolutionem vsque ad materiam primam, quia accidentia corrupti sunt inepta transmigrare in genitum. Solùm enim transire debent de vno subiecto inadæquato in aliud inadæquatum, non verò de adæquato in adæquatum. Maior huius patet: ideò enim negant transmigrationem Philosophi, quia numquam experti sunt albedinem chartæ v. g. transire in parietem, vel dulcedinem lactis in pomum, vel calorem ignis in manum, & sic de cæteris. Minor verò probatur, quia in huiusmodi experientijs ineptitudo attenditur penès subiecta adæquata, vt de se patet, non autem penès inadæquata; quin imò si aliquod testimonium in hac re ab experientia sensuum desumi debet, potius dicendum est accidens posse de vno subiecto inadæquato in aliud itē inadæquatum transire; cum videamus plura accidentia, quæ erāt in corrupto esse in genito, quamuis ei minimè debeantur.

Dices: non sola experientia ineptitudinem, 27
quam habet accidens ad transmigrandum, comprobari, sed illi admisceri rationem à priori; Quæ ratio consistit in eo, quod accidens sit determinatiuum; quemadmodum enim subiectum, hoc ipso, quod est determinabile per formam, potest ex vna forma transire in aliam: ita forma per

Digitized by Google

hoc, quod sit actus determinatiuus debet esse determinata ad vnum subiectum.

Sed contra hanc rationem est primò: quia si accidens quatenus est actus determinatiuus, haberet esse determinatum ad vnum numero subiectũ, sequeretur quod etiam anima rationalis, seu quinia in sententia Thomistarum, haberet hoc: & quidem multò magis, quam ipsum accidens, quatenus determinat materiam ad speciem, eamq; substantialiter cõplet. Sed ex hoc deduceretur hominem non posse nutriri, neque augeri, saltem cum ea indifferentia, quam de facto in ordine ad sumendum cibum exercet. Nam videmus quod non solùm in infantia eius anima informat paruum corpusculum: in virili verò ætate corpus quadruplo, vel quincuplo maius; sed etiam quod partes hasce de nouo acquisitas, informet, ita vt potuerit alias similes informare, si alijs diuersis cibis homo ille nutritus fuisset; ergo falsum est, quod actus hoc ipso quod sit determinatiuus, debet esse determinatus ad vnum numero subiectum loquendo physicè; corpus enim quod habet homo, quãdo est in virili ętate, non est nisi moraliter idẽ numero cũ corpore, quod habuit in infantia. Quæ ergo est hęc determinatio ad vnũ subiectũ, quã actus determinatiuus habere deprehenditur?

Contra est secundò, quia dato quod accidens, quatenus est actus determinatiuus, determinatione ad vnum subiectum habere debeat; hoc intelligi potest de subiecto cum aliqua latitudine, hoc est sumpto saltem secundùm alteram tantùm partem, videlicet materialem: ita vt posito quod hæc numero quantitas, vel frigiditas v.g. fuit primò producta in ligno, sit necessariò extitura, si non dependenter à toro ligno, at saltẽ dependenter ab eius materia; ita vt numquam existere possit extra illam. Sed si sic intelligatur illud principium, etiã si dicamus accidentia inhærere toti composito, nõ sequitur in corruptione substantiali resolutio vsq; 28 ad materiam primam: ergo &c.

Arriaga aliunde colligit accidens materiale non posse subiectum suum inadęquatum mutare, nimirum ex ratione formæ materialis, quam essentialiter includit. Sic enim arguit *disput. 5 phys. sect. num.* 54. Magis alligata est forma materialis huic numero subiecto, quam anima rationalis suo corpori; sed anima rationalis non potest corpus totale in aliud totale mutare, sed solùm partiale, vt in aggeneratione contingit, in qua partem subiecti relinquit, & aliam de nouo acquirit; ergo forma materialis non poterit, non solũ totale subiectum, sed ne partiale quidem mutare.

Verùm hoc argumentum valde mihi debile videtur, quare concessa maiore, & minore, nego consequentiam. Ratio negationis est, quia maior illa alligatio, quam sibi vendicat forma accidentalis ad suum subiectum, consistit in dependentia, quam habet ab illo; cum enim ab eius potentia eductum sit, indiget influxu sustentatiuo illius, vt existat, quo non eget anima rationalis vtpotè spiritualis. Gratis autem assumitur huiusmodi maiorem alligationem ad subiectum includere etiã incapacitatem variandi subiectum inadęquatum, eo quod anima rationalis, qui est independens à materia, hanc sibi capacitatem vendicat. Non est enim nouum, inter duo entia, quorum vnum in nobilitate, & perfectione excedit aliud, sæpe reperiri conuenientiam, & paritatem in aliquo perfectionis gradu ab vtroque ente participato; huiusmodi autem videtur esse capacitas variãdi subiectum inadæquatum respectu accidentis materialis, & animæ rationalis compositum humanum constituentis.

SECTIO QVINTA

An sententia negans resolutionem vsque ad materiam primam recte coniungatur cum illa, quæ negatur materiæ propria existentia.

NOstra Conclusio est affirmatiua contra Thomistas; & omnes ferè Recentiores. 29

Probatur primò, auctoritate illorum Doctorũ, qui veramque sententiam sequuti sunt, & quidem vt omittamus Aristotelem, Auerroem, & D. Thomam, quorum duo priores, vt ostendit Zimara *Theor. 47. & in sua tabula verbo materia*, tantùm resolutionem, cum existentiam materiæ semper negarunt. Tertius verò saltẽ aliquando, vt fatetur ipsemet Capreolus cum Caietano, & alijs. Negat materiam primam habere propriam existentiam Zabarella *lib. de mat.* Zimara *theor. 15. & in tabula loco cit.* Achillinus *lib. 5. & 7. de elementis*. Iamdunus *primo phys. quæst. 19.* Aureolus apud Capreolum *in secundo dist. 12. qu. 1. art. 1.* & Bacconus *dist. 12. quæst. art. 2. & 3.* & nihilominus vnoore hi omnes constanter negant in generatione, & corruptione substantiali resolutionẽ vsque ad materiam primam admittendam esse. Zabarella quidem *lib. de communi rerum gen. & interitu cap. 9. & 10.* Ziuara *Theor. 41.* Achillinus *lib. 10. de elementis dub. 2. art. 3.* Iamdunus *lib. de sub. orbis cap. 1.* Antreolus *tum loco cit. tum etiam dist. 13. qu. 1. in argumento contra tertiam Conclusionem.* Bacconus denique *in primo dist. 42. art. 3. & in 2. dist. 19. quæst. vnic. art.* 4. Sententia igitur negans materiam habere propriam existentiam non est adeò opposita sententiæ neganti resolutionem vsque ad materiam primã, vt eacum coniunctio existimanda sit in philosophiã nouum portentum.

Probatur verò secundò ratione: In instantanea 30
corruptione substantiali, etiam si verum sit, quod materia vnam existentiam deperdat, verum quoq; est quod aliam tunc de nouo acquirat; non est igitur cur accidentia, quæ in eo instanti in illa subiectantur corrumpi debeãt. Antecedens pateo. Cõsequentia probatur; tunc enim deberent corrumpi, quando absolutè desineret esse materia; dum enim habet quod sit, habet etiã vnde adhuc priora accidentia sustentando causet; sed ex concessis materia tunc non desinit esse absolutè, sed ex vna existentia immediatè transit in aliam; ergo &c.

Probatur denique tertiò: si ex suppositione, quod materia non haberet propriam existentiam, admittenda necessariò esset in corruptione substantiali resolutio vsque ad materiam primam; maximè quia materia vt existens sustentat formas accidentales, quæ cum sint actus secundùm quid & afferant illi esse tale: debent supponere in ea actum simpliciter, & esse absolutum, hoc est substantiale, quod habet beneficio formæ substantialis; sed hæc ratio nulla est; ergo &c. Maior patet ex doctrina Ad-

uer-

nersariorum. Minor verò suadetur; quia quando assumitur, quod materia vt existens sustentat formas accidentales, vel sensus est, quod eius existẽtia debet esse partiale earum subiectum, quod vnà cum essentia ipsius materiæ, totale constituat: vel quod debet esse conditio prærequisita ad materialiter causandum. Primum est falsum, quia in homine existentia materiæ est spiritualis, atque adeò incapax subiectare formas materiales. Sed eo dato, quemadmodum ex dictis supra, etiam si accidentia reciperentur in toto composito substãtiali, in corruptione substantiali non deberet dari resolutio, eo quod forma geniti succedit in munere sustentandi, quod habebat forma corruptis ita neque debet dari resolutio, si in conflato ex materia, & eius existentia recipiamur propter eandem rationem; quamuis enim materia amittat existentiam formæ prioris, acquirit statim existẽtiam posterioris. Propter quod communiter censemus eam non destrui, neque corrumpi. Secundũ verò si eligatur, quod scilicet, existentia respectu materiæ, sit conditio prærequisita ad causandum formas accidentales, ex hoc multò minus colligi potest earum resolutio vsque ad materiam primã; nã si perseuerare possunt in esse ex suppositione quod existentia corrupti esset partiale subiectum illarum: multò magis poterunt, posito quod sit solùm conditio prærequisita, minus enim pendet effectus à conditionibus prærequisitis ad causandum, quam ab ipsa causa, vt de se euidens est.

31 Obijcies primò: pereunte subiecto inhæsionis, naturaliter loquendo, perire debent omnia, quæ ab illo dependent: vt diximus explicando locum illum Aristotelis *ex cap. de subst.* desumptum: Corruptis primis substantijs impossibile est aliquid aliorum esse; sed materia existens est subiectum inhæsionis accidentium; ergo pereunte materia existente perire debent accidentia, quæ depẽdent ab illa: atqui in corruptione substantiali, posito quod materia non habet propriam existentiam, iam perit ipsa materia existens; ergo posito quod materia non habeat propriam existentiam, necessariò admittenda est resolutio vsque ad materiam primam.

Respondeo, distinguendo maiorem: pereunte simpliciter subiecto inhæsionis, perire debent omnia, quæ ab illo dependent, concedo; pereunte secundùm quid, nego maiorem; & concessa minore distinguo eodem modo cõsequens; Et ad subsumptum dico: in corruptione substantiali materiam primam perire secundùm quid, non autem simpliciter: sic enim deperdit vnam existẽtiam, vt aliam acquirat; quare nego consequentiam.

Obijcies secundò: si materia non habet propriam existentiam, sequitur quod prius ordine exequutionis deberet actuari à forma substantiali, quam ab accidentali; sed si non daretur resolutio, oppositum eueniret, siquidem ipsa materia per prius ordine exequutionis actuaretur à formis accidentalibus, quam à substãtiali; duæ igitur positę sententię pugnant adinuicem. Consequentia est euidens. Maior verò probatur primò, quia causa debet prius intelligi in se completa, quam potens causare cętera, à quibus complementum suũ non expectat; sed materia, quę causat accidentia, expectat suum complementum à forma substantiali, & non ab ipsis accidentibus; ergo &c. Secundò, quia propositiones de tertio adiacente supponunt propositiones de secundo, vt habetur in Logicis; sed materiam esse quantam, calidam &c. sunt propositiones de tertio adiacẽte; cã verò existere est propositio de secundo; per prius igitur intelligi debet existens, & consequenter actuata per formam substantialem, quam per accidentalẽ. Tertiò denique, quia alioquin accidens intelligeretur prius existere, quam substantia non solùm completa, sed etiam incompleta; & per consequens formæ accidentales aduenirent materię non existenti, substantiales verò materiæ existenti iã per accidentia; & sic accidentia facerent vnum per se cum ipsa materia, non autem forma substantialis, vt notauimus in physicis cum de materiæ existentia. Minor etiam principalis probatur, posito enim quod non detur resolutio, quando ex aere v.g. generetur ignis, in igne remanent quamplura accidẽtia ex ijs, quæ erant in aere; sed hæc prius ordine exequutionis actuãt materiam illam, quam forma ignis aduenies de nouo, vt de se manifestum est; ergo &c.

Pro solutione aduerte: id, quod est prius alio 33
tempore, posse esse posterius eodem posterioritate naturæ, seu natura; vt patet casu, quo lumen, quod productum fuit ab vna lucerna, postea incipit conseruari ab alia, quæ accensa est tempore sequenti ad primam dicti luminis productionem; tunc enim manifestum est huiusmodi lumen, quod prius tempore extiterat, quàm secunda lucerna, esse postea posterius natura ipsa lucerna in eo instanti, in quo ab illa incipit dependere; Quo posito.

Respondeo ad argumentum: concessa maiore propter rationes, quæ ibi afferuntur, sed nego minorem. Ad cuius probationem, concessa itẽ maiore, distinguo minorem: sed accidentia illa prius ordine exequutionis actuãt materiam; quam ipsa forma ignis, pro eo tempore, pro quo forma ignis non existit, neque introducitur in materiam: concedo minorẽ: prius actuant materiam pro eo tẽpore, vel in instanti ipso, quo forma ignis est, & introducitur, nego minorem, & consequentiam in sensu intento: licèt enim quando forma ignis non adhuc introducta est in materiam aeris, prius tẽpore sint in dicta materia quantitas v.g. siccitas, &c. quã ipsa forma ignis: nihilominus tamẽ dico, quod pro eo tẽpore, vel instanti, pro quo hæc est, & introducitur in materiam aeris, intelligitur esse prior in dicta materia, quam accidẽtia illa, nõ minus quam luminosum vesperi productum pro eo tẽpore, vel instanti, pro quo incipit conseruare luuiẽ induit rationẽ prioris ipso lumine, quo supponitur esse tempore posterius.

Instabis primò: Ex concessis pro eo tempore, quo forma substantialis non est, neque introducitur, accidentia sunt priora dicta forma substantiali; ergo materia per prius actuatur à formis accidentalibus, quàm à substantialibus; quod erat probandum.

Respondeo: concesso antecedente, distinguendo 34
consequens: per prius actuatur à formis accidentalibus, quam ab illa forma substantiali in particulari, concedo: verùm non erat hoc ab Aduersarijs probandum. Per prius actuatur à formis ac-

Digitized by Google

cidentalibus, quàm à substantialibus, absolutè, & simpliciter loquendo, nego consequentiam, quę probanda erat. Dico enim quod quando v.g. ex ligno generatur ignis, licèt verum sit, quod calor, & siccitas, quæ in materia ligni introducuntur, prius tempore materiam illam informant, quàm forma substantialis ignis: adueniunt tamen materiæ actuatæ iam per formam ligni: & hoc sufficit ad verificandum quod materia semper per prius informetur forma substantiali, quàm accidentali; & per consequens, quod esse substantiæ, & esse simpliciter etiam ordine exequutionis sit prius esse accidentali, & secundùm quid.

Instabis secundò: quantitas est proprietas materiæ: Ergo semper materia per prius intelligitur actuata per quantitatem, quam per substantialē formam.

Respondeo: hoc argumentum etiam ab ipsis Aduersarijs soluendum esse, sed viderint ipsi modum. Ego dato antecedente, quod multi fortasse rectè negant, volentes quantitatem esse proprietatem corporis substantialis ex eo, quia cuicumque gradui peculiaris proprietas sit assignanda, & nulla alia præter hanc gradui corporis assignari commodè possit: dato, inquam, antecedente, nego consequentiam. Ratio autem negationis est, quia cum materia debeat prius intelligi existens, & in actu, quam existens sub quantitate, & actu quanta; debet consequenter per prius intelligi informata forma substantiali, à qua habet existentiam, non obstante quod quantitas censeatur esse eius proprietas. 85

Instabis tertiò: in instanti generationis tum quantitas, tum qualitates, à generante tempore antecedente introductę, sunt dispositiones materiæ in ordine ad formam substantialem recipiendam; ergo sunt priores natura ipsa forma; Antecedens patet, Consequentia probatur; quia ea, quæ se tenent ex parte actus primi alicuius effectus sunt priora natura ipso effectu; sed quantitas, & aliæ qualitates, hoc ipso quod disponunt materiam ad formam substantialem, se tenent ex parte actus primi illius, quatenus eam præparant ad causandum materialiter dictam formam; ergo &c.

Respondeo: hoc argumentum petere quo modo dispositiones se habeant in ordine ad formam, ad quam disponunt; & soluendum esse ab omnibus, qui tenent materiam non habere propriam existentiam, sed existere per existentiam emendicatam à forma, siue demum teneant dari resolutionem vsque ad materiam primam, siue non. Vtrumuis enim dicatur, explicandum est, quo modo materia intelligatur per formas accidentales in instanti generationis in priori naturę esse disposita ad formam substantialem recipiendam, & in posteriori recipere ipsam formam, à qua tunc primò intelligitur recipere existentiam. Pro qua re

SECTIO SEXTA.

An in instanti generationis aliqua forma accidentalis ex his, quæ erant in corrupto, sit prior natura in genere causæ materialis forma substantiali, quæ generatur.

CONclusio est negatiua. Puto enim nullā formam accidentalem, siue sit quantitas, siue qualitas, quę vna cum materia prima transit ex corpore, quod corrumpitur in id, quod de nouo generatur, esse priorem natura in genere causæ materialis forma genita. Dico in genere causæ materialis, quia præscindo in præsentia ab ea controuersia, num dispositiones aliquæ in genere causæ efficientis influant in formam; solùm enim considero dictas dispositiones in genere causæ materialis: sic explicata Conclusio est communis apud Thomistas. 86

Probatur à Mazziotta *qu. 9. à num. 78.* nulla forma accidentalis ex his, quæ erant in corrupto se habet, vt vis causatiua in genere *causæ materialis*, seu vt pura potentia respectu *formæ, quæ* de nouo producitur; ergo nulla est prior natura in eodem genere dicta forma. Antecedens patet, quia materia ex vi sua intrinseca, sibique essentiali habet, vt adæquatè formas substantiales sustētare, & in se recipere valeat. Dicitur enim ex Aristotele primum subiectum vnicuiusque. Alioquin principium adæquatè receptiuum formarum substantialium non esset materia, sed compositū quoddam accidentale ex materia, & accidente resultās; & sic totū substantiale esset ens per accidens, quod nemo dixerit. Consequentiam verò probat *ex numero 81.* quia ea solùm sunt priora natura respectu effectus, quę se habent, vt actus primus, seu vt vis causatiua illius; ad differentiam eorum, quæ se habent tanquam conditiones, seu dispositiones, quę satis est, vt sint in eo instanti temporis, in quo causatur effectus. Prioritas enim naturæ (inquit) est prioritas causalitatis, adeò vt illud sit prius natura aliquo, quod vim habeat causandi tale aliquod. Si igitur nulla forma accidentalis ex his, quæ erant in corrupto habet vim causandi in genere causæ materialis formam substantialem, quæ de nouo generatur, impossibile est, vt in instanti generationis sit prior natura respectu illius.

Verùm hoc argumentum debile est, & infirmum; facilè enim negari potest consequentia, & ad eius probationem dici: duplex genus cōditionum in ordine ad causandum dari posse: Vnum earum, quę pertinent ad complementum ipsius actus primi, & se tenent ex parte illius; ideoq; sunt priores natura effectu: Alterum verò illarum, quę supponunt quidem actum primum completum, sed nihilominus, realiter loquendo, sunt necessariæ ad actu causandum; ideoque dicuntur se tenere ex parte actus secūdi, & esse posteriores natura. Porrò quantitatem, & qualitates per se requisitas ad generationem substatialem esse conditiones prioris generis, non verò posterioris suaderi posset, quia dari conditiones quasdam, quæ licèt non includant vim causatiuam, tamen se teneant ex parte actus primi, constat ex existentia causæ efficientis;

Digitized by Google

tis; Causa enim efficiens v.g. Sol ex vi sua intrinseca adæquata, sibique essentiali habet, posse producere lucem; & nihilominus ex parte actus primi requirit existentiam, ita vt, nisi præintelligatur existens, non possit intelligi completè potens causare; non quod existentia sit vis quædam partialis, quæ simul cum essentia reddat Solem adæquatè potentem: sed quia est transitiua de nõ esse ad esse illius vim adæquatam, quàm Sol essentialiter habet: ergo idem dici potest de quantitate, & reliquis accidentibus materiam disponentibus ad generationem. Hac igitur ratione posthabita.

37 Probatur assertio: si qua forma accidentalis in instãti generationis se teneret ex parte actus primi in genere causæ materialis respectu formæ, quæ generatur: vel ideo esset, quia deberet aptare, & præparare ipsam vim causatiuam materiæ ad dictam formam recipiendam, & hoc non; quia materia cum sit de se pura potentia respectu omnium formarum, est ex suis intrinsecis completè potens, & expedita ad quamlibet earum recipiendam, atque causandam; & sic nulla alia aptitudine, & præparatione indiget: Vel quia deberet determinare, siue ipsam materiam ad talem formam, siue causam secundam ad eam producendam, siue denique causam primam exigendo ab ea influxũ in productionem formæ, ad quam disponunt: & hoc neque; nam materiæ sufficienter determinatur formaliter per ipsam formam: efficienter verò à causa secunda. Hæc enim cum sit causa necessaria, & per seipsam determinata ad vnũ, intelligitur sufficienter potens determinare extrinsecè ipsam materiam; & per consequens, neque ipsa indigebit determinari ab accidentibus, quæ sunt in corrupto, neque indigebit causa prima; quia hoc ipso, quod causa secunda per suam entitatem est in actu primo determinata ad talem formam, rectè intelligi potest Deus ab ea determinari ad concurrendum simul cum ipsa independenter à determinatione proueniente à dispositionibus, quę in instanti generationis sunt in materia; ergo &c.

38 Quiedus *de gener. contro. 1. punct. 4. numero. 12.* concedit ignem v.g. esse de se sufficientem ad determinandum Deum, vt secum ad formam ignis in materia ligni producendam concurrat. Negat tamen dispositiones in dicta materia productas non concurrere simul cum illo ad huiusmodi determinationem inducendam. Contra tamen hanc responsionem arguo primò ad hominem contra Auctorem quia *ipse num. 7.* ex eo probat dispositiones non influere *in* conseruationem formæ, determinando Deum ad eam conseruandam, quia earum influxus non est tunc necessarius; siquidem forma ipsa se mel producta, per suammet entitatẽ sufficienter Deum determinat ad se ipsam conseruandam; quod quia præstare in prima sui productione non potuit, eo quod nihil potest exigere suum primum esse; ideo exigétiam dispositionum in priori naturę ad primam productionem admittere debuit. Tum sic: ad præsentiam formę exigentis suam conseruationem non exigunt illam dispositiones; ergo ad præsentiam causæ secundę exigentis primam formę productionem, neque illam eadem dispositiones exposcent.

Aduertit hanc instantiã perdoctus Pater, & ad eam respondet *num. 12.* dicendo disparitatem in eo consistere, quod exigentia formæ est respectu actionis conseruatiuæ, quæ ad ipsammet formam terminatur; at verò exigentia causæ secundæ, & dispositionũ est respectu actionis generatiuę terminatæ ad aliquid à se ipsis realiter distinctum; & ita vtriq; què debetur illa actio, & incuitu vtriusque dari congruit.

Hæc tamen responsio mihi non satisfacit quia *ipse in Physicis controu. 7. puncto 1. numero. 5.* volens probare, quod effectus remotus in instanti generationis pendeat moraliter à sua causa remota, etiamsi ab ea tunc temporis minimè causa proxima physicè dependeat, sic discurrit: Ego in instanti generationis pendeo à mea causa, & ab omni ea à quo mea causa in eodem instanti dependet. sed meus Pater in instanti generationis meę pendet moraliter ab existentia præterita mei Aui; ergo & ego. Maiorem supponit; & minorem probat sic: Meus Parens hic, & nunc consequitur ex eo, quod fuerit antea productus à meo Auo, & si tunc illa productio non præcessisset, hic, & nunc non conseruaretur: ergo moraliter in instanti generationis meę meus Parens à meo Auo moraliter dependebat. Tum sic arguo ad hominem: quando effectus aliquis naturalis adæquatè conseruatur à Deo, non obstante, quod exigat suam propriam conseruationem ab illo, pendet moraliter à sua causa secunda efficiente, à qua primò producta est. Sed hæc pendentia non consistit *in alio*, quàm *in hoc*, quod causa secunda ex vi primæ productionis exigat à Deo conseruationem illius effectus, quamuis tunc temporis physicè in illum non influat; ergo iuxta Quiedi principia rectè componitur, quod duo exigant eandẽ actionem, licèt ita se habeant, vt vnum ex eis sit terminus dictæ actionis alterum verò minimè, Nulla igitur est ratio *disparitatis* petita ab exigentia actionis terminatę ad *aliquod* indistinctũ ab exigente, & ad *aliquod* ab illo distinctum. Sed quidquid sit de doctrina incoherentia.

39 Contra principalem ego responsionem arguo directè secundò: quocieſcunque habetur exigentia sufficiens ad determinandam causam primam, vt influat in effectum causæ secundæ, superflue requiritur alia exigentia; sed *in* generatione substantiali habetur exigentia causæ secundæ sufficiẽs ad determinandam causam primam, vt influat in effectum eiusdem causæ secundæ; ergo superfluè requiritur exigentia dispositionum. Maior probatur, quia si alia exigentia non esset superflua, maximè quia in aliqua generatione nulla esset causa secunda, quę exigeret influxum Dei, vt significat Auctor *numero 4.* & 12. sed hoc est falsum, vti ex argumentorum solutione paulò post constabit; ergo &c. Minor verò suadetur à pari; quia in productione accidentali v.g. caloris in ligno exigentia concursus Dei, quam habet ignis efficiens, est sufficiens ad determinandum ipsum Deum ad concurrẽdum cum ipso igne. Calor enim, cum sit vna ex primis qualitatibus, non requirit aliam præuiã qualitatem in subiecto in quo introducitur; ergo & in generatione substantiali exigentia causæ secundę erit etiam sufficiens determinare Deum ad influendum. Quod adeò verum existimo, vt etiam in conseruatione alicuius effectus putem totam determinationem, quam habet causa ad influendum

pro-

Digitized by Google

prouenire ex exigentia actionis generatiuæ, quæ causa secunda dictum produxit effectum. Quandiù enim non habetur aliqua alia causa, quæ ex vi actionis, quam exercet in illa materia, exigat negationem conseruationis effectus præcedentis, semper Deus, vt Auctor naturę illum conferuat ad exigentiam actionis, qua initio productus fuit

SECTIO SEPTIMA

Afferuntur, & dissoluuntur obiecta in contrarium.

4° CONtra Conclusionem principalem. Obijctes primò ex Ouiedo *num. 3.* tenente quantitatē esse priorem natura forma substantiali, sic: Materia ad formas substantiales recipiendas, & conseruandas requirit tantam determinatam extensionem. sed hæc extensio procedit à quantitate; ergo quātas conducit, vt materia formas recipiat, & se tenet ex parte illius.

Respondeo, distinguendo maiorem: materia ad formas substantiales recipiendas, & conseruandas requirit tantam determinatam extensionem, se tenentem ex parte actus primi, nego; ex parte actus secundi, concedo maiorem: & concessa minore, distinguo eodem modo consequens; quantitas conducit vt materia formas recipiat, & se tenet ex parte illius, hoc est ex parte actus secundi illius; concedo: ex parte actus primi, nego consequentiam. Eodem modo respondendum est, si argumentum transferatur ad pluralitatem partium quantitatiuarum, quas debet habere materia ad formas substantiales recipiendas; hæ enim sunt in ea requisitę ad actum secundum. In actu verò primo solùm intelligi debet habere partes entitatiuas, atque adeò extensam in ordine ad se.

Contra distinctionem traditā instabis primò ex Aristotele *primo de gener.* Ad hoc vt agens corporeum operetur, debet esse approximatum passo, illudque contingere, quod sine quantitate ex parte vtriusque haberi nequit. Sed huiusmodi approximatio, & contactus non requiruntur ex parte actus secundi: ergo ex parte actus primi. Et sic in generatione substantiali requiritur quantitas in priori naturæ. Omnia patent, præter minorem; quæ sic euincitur: Quidquid requiritur ex parte actus secundi generationis, vel requiritur consequenter ad generationem, vel comitanter; neutrum dici potest; ergo, posito quod requiritur ex parte actus primi requiratur necesse est. Maior supponitur, & minor probatur; & quidem quod non requiratur consequenter patet, quia neque ex vi actionis generatiuæ, neque ex vi termini, ad quem actio ipsa terminatur, sequitur necessariò præsētia, quam essentialiter imbibit approximatio; alioquin omnis causa secunda posset agere in quamcumque distantiam, atque adeò ignis, qui modò est Panormi posset de facto comburere ligna, quæ sunt in India; quia vi actionis combustiuæ ea sibi redderet præsentia; quod falsum esse nemo non videt. Quod verò neque requiratur comitanter suadetur ex eo, quod requiri aliquid comitanter ad actionem est non requiri per se ipsum, sed ex eo quod sit identificatum, seu connexum cum alio, quod per se requiritur. Sed approximatio, atque contactus inter agens, & passum non requiruntur hoc modo; alioqui ex solo defectu illorum, permanente virtute productiua cum reliquis necessarijs, non impediri posset vnquam generatio: & sic, si ponamus siue per possibile, siue per impossibile, quod oīa entia creata spoliarentur omni vbicatione, apta essent inter se agere, & pati; & posset hic ignis in quodlibet subiectum agere, quod omni probabilitate caret. Constat igitur approximationem requiri ad generationem, & non cōsequenter, neque concomitanter, quod erat probandum.

Respondeo: admissa doctrina Philosophi, negando minorem, & ad eius probationem, concessa maiore, nego minorem; ac dico approximationem, & contactum inter agens, & passum in generatione substantiali requiri consequenter. Ad rationem verò in contrarium aio: quod licèt ex vi actionis generatiuæ, eiusque termini producti non sequatur necessariò in subiecto generationis præsentia, quę tunc primò de nouo producatur: sequitur tamen præsentia, quæ conseruetur. Cum enim agens naturale non possit generationem substantialem inducere, nisi transmutando materiam de vno esse simpliciter in aliud: de necessitate dictam materiam præsupponere debet sibi approximatā, atque præsentem, vt in ea prāuias dispositiones introducendo, illam valeat transmutare. Vnde fit vt dicta materia, quātis pro priori naturæ ad generationem non debeat intelligi approximata, & præsens positiuè generanti: debeat tamen sic intelligi in posteriori, quatenus existentia formæ genitæ succedendo in locum existentiæ formę corruptæ, reddit illam adęquatè idoneam ad retinendum in se, & sustentandum omnia illa accidentia, quæ habebat, & sustentabat, quando erat sub forma corrupti; inter quę præcipuè numeratur præsentia, & contactus cum agente. Ex quibus patet falsitas illius sequelæ, quod scilicèt ignis, qui est Panormi posset nunc lignum, quod est in India de facto cōburere. Vi enim actionis combustiuæ ignis non reddit sibi præsentem materiam, quam non habebat: sed dando illi denuo existentiam affert illi conditionem, beneficio cuius illam præsentiā, quam antea habebat conseruare potest. 4a

Ex hoc autēm discursu duo breuiter colligenda proponerem. Vnum est, quod agens naturale siue substantialiter operetur, siue accidentaliter, dummodo operetur transeunter, debet in priori naturę supponi præsens alicui spatio; quia ex vna parte in instanti, quo operatur, requiritur in eo præsentia vt scilicet sit in aliquo loco: ex alia verò huiusmodi præsentia non potest in eo requiri vt quid cōsequens ad actionem transeuntem: quia ex vi dictę actionis non acquirit existentiam, aut terminum, ex quo sequatur necessariò illa præsētia, neque vt quid comitans, vt patet ex dictis; ergo vt quid antecedens.

Alterum verò: quod passum in priori naturæ ad accidentalem transmutationem debet intelligi præsens, & approximatum agenti: dummodo per huiusmodi transmutationem non acquirat præsentiam ipsam; alioquin vel eadem præsentia supponeretur ad se ipsam, vel idem subiectum duplicē præsentiam in eodem instanti realiter haberet. Quod vtrumque absurdum est; siue demum dicamus præsentiam esse modum distinctum: siue non:

At

Digitized by Google

At verò in ordine ad alia accidentia, quod passũ debeat præintelligi præsens, atque adeò approximatum in priori naturę agenti. Probatur: quia si aliud non obstat, res per prius intelligitur habere, quæ ex suis intrinsecis sibi vendicat, quam ea, quæ illi ab extrinseco proueniunt. sed esse in loco cõpetit rei creatæ ex suis intrinsecis, alteratio verò ab extrinseco efficiente; ergo cum dicta præsentia aliũde sit passo realiter necessaria, vt alteretur, dicendum est, quod in priori naturæ, & ex parte actus primi ei competat in ordine ad formas accidentales. Quæ ratio cum non militet pro substantialibus, vti modò vidimus, non habet vim contra nostram doctrinam.

43 Obijcies secundò ex eodem Ouiedo *numero 4.* probante qualitates disponentes ad formam substantialem saltem aliquando esse priores natura ipsa generatione formæ. Huiusmodi qualitates aliquando determinat Deum, vel aliam causam vniuersalem ad productionem formæ; ergo tunc prior est natura ipsa forma. Consequentia patet, quia productio formæ, cum non sit formaliter libera, exigit principium in priori naturę determinatũ, & expeditum ad operandum. Antecedens verò probatur: nulla alia causa potest assignari, cur Deus creet animam rationalem in materia disposita, nisi recurramus ad dispositiones in materia illa introductas. Præterea si ab eis præscindamus, non potest reddi ratio, cur solæ aliæ causę vniuersales indifferentes hãc potius, quam illam formam in materia disposita producant; ergo saltem quando nõ datur causa efficiens creata particularis, prima, & secundæ qualitates materiam disponentes, determinant Deum, vel aliam causam vniuersalem ad productionem formæ.

Respondeo: negando antecedens cum sua probatione; dico enim quod Deus ad producendam animam rationalem in corpusculo embrionis sufficienter determinatur ab actione præterita Parẽtum, cuius beneficio primò elaboratum est semen, deinde decisum, ac demum adęquatè dispositum eo tempore antecedente ad illud instans creationis eiusdem formę; Parẽtes enim eo ipso, quod hęc omnia præstiterunt tempore antecedenti exigunt à Deo pro eo instanti productionem animæ rationalis: atque adeò non est necesse, vt recurramus ad exigentiam dispositionum, vt intelligamus pro priori Deum ad eius productionem determinari. Idem cum proportione dicendum de causis vniuersalibus, vt Sole, Planetis, &c. Quamuis enim de se sint indifferentes, determinantur tamẽ à Deo, vt ab auctore naturæ ad producendam hanc potius formam in materia, quam aliã. Quod si quæras causam determinationum Dei in his casibus. Respondendum censeo iuxta dicta de creatione animæ rationalis. Causæ enim secundæ particulares, hoc ipso, quod tempore præcedenti produxerunt dispositiones in illa materia ad determinatam formam, quemadmodum pro eo instanti extrinseco exigunt à Deo concursum ad illam formam, quamuis tunc non existant; ita & determinationem illarum causarum, quæ in eius productionem influere debent. Vnde fit, vt Deus si vult se gerere vt Auctorem naturæ in illo negotio, debet determinare causas secundas vniuersales ad determinatè in ea materia operandum.

Instabis: ex dictis sequeretur, quod etiam si in instanti generationis hominis, corrumperentur à Deo dispositiones, quæ antecedenter fuerunt in materia naturaliter introductæ, adhuc Deus esset determinatus vt Auctor naturę creare animam rationalem in illa materia; sed hoc videtur absurdũ; ergo &c. Sequela probatur, quia ex dictis, vt Deus sit determinatus, sufficit, si videat dispositiones pro tempore antecedenti fuisse à Parentibus introductas; sed hoc stat cum hoc, quod in instanti illo corrumpantur; ergo &c. 44

Respondere posset aliquis ex doctrina, quam tradit Ouiedus ipse *numero 10.* distinguendo sequelam: & siquidem ita corrumperentur à Deo dispositiones illę in eo instanti, vt aliæ contrariæ ab eo introducerentur, negaret sequelam; posito quod non introducantur aliæ, concederet; & sic distincta eodem modo minore, negaret consequentiam; ac diceret, quod licèt qualitates dispositiuæ non se teneant ex parte actus primi in generatione substantiali: tenet tamen se ex parte dicti actus carentia dispositionum ad formas oppositas requisitarum. Alioquin non esset ratio, cur ignis v. g. in primo instanti, in quo applicatur ligno viridi non ignefaceret illud; non igitur Deus in instanti generationis hominis se gereret, vt Auctor naturæ producendo in materia animam rationalem, ex suppositione quod in ea dispositiones ad aliam formam pertinentes in illo instanti introduceret. Quod si nullas alias introduceret, & antecedentes corrumperet: quamuis in huiusmodi corruptione suam extraordinariam omnipotentiam exerceret; in productione tamen animę se gereret vt Auctorem naturæ, operando ad exigentiam Parentum, qui materiam istam disposuerunt.

Sed cõtra est: quia hoc ipso, quod materia existit per existentiam formæ, impossibile est, quod in priori naturę ad generationem substantialem hominis intelligi possit positiuè cum carentia dispositionum ad formam oppositam. Non minus huiusmodi carentia ad hoc, vt intelligatur afficere materiam, præsupponere debet eam existentem iam, & extra causas: quàm dispositiones ipsa, vt de se patet; atqui in eo priori non potest intelligi materia existens; ergo neque positiuè priuata dispositionibus oppositis; sed ad summum negatiuè, seu præcisiuè, in quo sensu intelligitur etiam priuata dispositionibus ad animam rationalem requisitis, quamuis eas realiter habeat. 45

Respondeo igitur ad instantiam negando absolutè sequelam. Dupliciter enim casus propositus formari potest. Vno modo sic, vt in instanti creationis animę rationalis per prius Deus se determinet ad destruendas in materia embrionis dispositiones tempore præcedenti introductas: in posteriori vero determinet se ad animæ creationẽ; sicuti dicunt semper euenire, qui admittunt resolutionem vsque ad materiam primam: Alio verò modo è contra, vt per prius Deus se determinet ad creationem, postea ad destruendas dispositiones; vtronis autem modo formetur casus, semper verum est, quod dispositiones tempore antecedente introductæ ita non se teneant ex parte actus primi productionis animæ, vt neque se teneant ex parte actus secundi. Quoniam verò vt Deus se gerat tanquam Auctorem naturæ in dicta productione

Digitized by Google

ctione, dispositiones antea productæ debent se tenere ex parte actus secundi: hinc fit, vt siue vno, siue altero modo corrumpantur, Deus creando animam rationalem, in eo instanti miraculosè operetur. Ad probationem verò sequelæ, concessa maiore, & minore, nego consequentiam; procedit enim ad secundùm quid ad simpliciter; aliud enim est dicere, quod dispositiones antea introductæ non pertineant ad determinandum Deum ad operandum in eo instanti: aliud verò quod non pertineant ad hoc, vt Deus operetur, vt Auctor naturæ. Primum est verum: Secundum falsum. Sic lux à Sole procedens, non determinat antecedenter Deum ad Solem primò ponendum à parte rei, & tamen repugnat naturaliter quod primò ponatur à Deo à parte rei absque eo, quod luceſcat.

46 Obijcies tertiò: Prius natura intelligi debent dispositiones compleri, quam forma substantialis in materia introduci; ergo prius natura sunt in materia dispositiones, quàm forma. Consequētia patet; Antecedens verò probatur, quia dispositiones incompletæ stant cum forma opposita; vt patet ex calore, & siccitate in gradu remisso, quæ licèt disponant ad formam ignis, compatiuntur tamen cum forma ligni; ergo nisi præintelligantur compleri, non introducitur forma substantialis in materia. Sed non possunt præintelligi compleri tēpore antecedēte ad instans generationis: alioquin tunc temporis deberet produci forma; ergo debēt præintelligi compleri in eodem instanti generationis, atque adeò in priori naturæ ad formam.

Respondeo, negando antecedens. Duplex enim complementum in dispositionibus, quæ per alterationem successiuè ab agente naturali producuntur in materia, considerare possumus. Vnum extrinsecum, & hoc est nouæ formæ substantialis generatio; alterum intrinsecum, & hoc importat collectionem indiuisibilium completiuorum omnium illarum qualitatum, quę materiam disponunt ad formam. Porrò de nostro complemento verificari potest propositio; nam prius non distinguitur ab ipsa productione, & introductione formę. Posterius verò non intelligitur aduenire dispositionibus, nisi in posteriori naturæ ad introductionem formę; quia vt communiter circūfertur apud Thomistas: vltima dispositio est à forma, hoc est dispositio, vt completa, & vltima habetur dependenter à forma, atque adeò post ipsam. Ad probationem antecedentis, quę de intrinseco complemento verè procedit, distinguo antecedens: dispositiones incompletę positiuè stant cum forma opposita, concedo; incompletæ solum præcisiuè, nego antecedens. Dico enim quod quandiù durat alteratio successiua, dispositiones sunt positiuè incompletæ: quia adhuc carent aliqua intensione necessaria ad expellendas dispositiones contrarias in eo gradu, in quo propriæ formę deseruiunt; & ideò stant cum forma oppositaac in instanti terminatiuo alterationis, licet in posteriori naturę ad generationem intelligantur positiuè completæ: in priori tamen naturæ sicuti præcisiuè non intelliguntur esse, ita & præcisiuè non intelliguntur completę; quamuis realiter loquendo sint, & sint completæ. Per quæ patet falsitas consequentię; vt enim intelligatur forma substantialis produci debere à generante in eo instanti; sufficit tunc intelligere repugnantiam à contrarijs dispositionibus prouenientem, ab eo penitus superatam esse. Ad hoc autem non est necesse intelligere pro priori dispositiones tēpore antecedenti introductas existentes, atque completas intrinsecè: quia neque secundùm se, neque vt completæ, sunt, vt sępè vidimus, prærequisitæ ad vim causatiuam materiæ, quæ in eo priori intelligi necessariò debet, vt pura potentia.

Instabis: forma non introducitur nisi in materia completè disposita; ergo in priori naturæ ad generationem dispositiones intrinsecum suum eō plementum habere debent. 47

Respondeo primò: Antecedens haberc veritatem in sensu reali, ex quo non benè infertur prioritas naturę. quare neganda est consequentia. Respondeo secundò: Antecedens posse reddere aliam sensam, veluti distractiuum, ita vt significet quod forma non introducitur ab agente naturali in materia in instanti, nisi tempore antecedente ad illud instans præcesserit tota successiue introductio dispositionum requisitarum. In quo sensu materia in eo priori naturæ dici potest completè disposita, non per dispositiones completas, quas in eo priori intelligitur habere, sed per eas, quas intelligitur habuisse toto tempore antecedente, quando erat sub forma corrupti. Agens enim naturale, vt in eo priori sit complete potens naturaliter agere, debet connotare se antea actione corruptiua dispositiones contrarias superasse; aliter non determinaret sufficienter Deum ad sibi concursum in ea generatione præstandum. Quod adeò verum est, vt si supponamus duo agētia materiæ v. g. ligni in hoc instanti applicata, ignem videlicet, & aerem, ita tamen vt ignis tempore antecedenti suas in ea dispositiones introduxerit, minimè verò aer; ab igne Deus, & non ab aere determinaretur ad concurrendum, non quidem ex vi dispositionum, quæ intelligerentur in materia in eo priori; sed ex vi dispositionum, quæ intelliguntur tempore antecedenti superasse repugnantiam ortam ex dispositionibus debitis formæ ligni. Vbi obiter notatum velim, quod eædem qualitates in materia ligni ab igne introductæ possunt in duplici statu considerari. Primò quatenus tempore antecedente ad generationem ignis stant sub motu alterationis; Secundò quatenus in posteriori naturæ ad generationem ipsam, efficiunt materiam ignis geniti; & siquidem in priori statu considerentur, habent quidem formaliter rationem dispositionum, sed intrinseco complimento formaliter carent. Si verò in posteriori, habent rationem proprietatum, & cum suo intrinseco complemento rectè concepi possunt.

SECTIO OCTAVA.

An ex suppositione quod accidētia, quæ erant in concepto in instanti generationis exerceant munus dispositionum ad formam, quæ de nouo generatur, materia habere debeat propriam existentiam.

PRæsentem instituo controuersiam, eo quod 48
verser, ne quis Recentiorum, via, quasi in-

præ-

Digitized by Google

præcedenti Sectione iniui (negando in instanti generationis formę substantialis, qualitates ab agentibus naturalibus præcedenti tempore introductas se habere, vt dispositiones materiam ad susceptionem dictæ formę determinantes) hac difficultate pressus ad concedēdam materię propriam existentiam se vertat. Vt igitur huic recentiori, alijsque ei similibus morem geramus.

Conclusione negatiua respondemus: dicimus quod etiam si concedamus accidentia, quę erant in corrupto, in instanti generationis exercere munus dispositionum ad formam, quæ de nouo generatur; ex hoc tamen non sequitur materiam propriam habere existentiam.

49 Ad probandam hanc Conclusionem, suppono primò, quod formæ accidentales non aliter exercere possunt munus dispositionum in instanti generationis in ordine ad formam substantialem, quæ tunc generatur, quā in genere determinatiuā, determinando scilicet materiam ad dictam formā recipiendam, & per consequens Deum ad illam producendam. Porrò licèt id, quod determinat aliquid ad aliquid, aliquam semper prioritatem importare debeat respectu eius, ad quod determinat; hanc tamen proritatem non necessariò debere esse naturæ, sed sufficere rationis constat ex humanæ libertatis exercitio. Quamuis enim Deus ad nostras volitiones liberas, vt per voluntatem nostram determinatus concurrat, vt libertatis iura conseruet; non tamen inde sequitur voluntatem nostram in priori naturæ concurrere ad suas operationes liberas, quam ipse Deus. Alioquin intelligeretur in eo priori operatio creaturę existens, & non dependenter à Deo, saltem pro eo priori quod nemo dixerit. Et rectè id quidem, deberet autē sic intelligi, si id quod determinat aliquid ad aliquod, esset illo prius natura in ea ratione, secūdum quam illud determinat; nam creata voluntas nullo alio modo potest determinare Deum ad cōcurrendum ad suas operationes liberas, nisi per hoc, quod se ipsam determinet: hoc autem non aliter præstare potest, nisi per liberam suam operationem; siquidem antecedenter ad illam, vt verificari possit, quod liberè operetur, esse debet omnino indifferens; sufficit igitur prioritas rationis, vt verificetur, quod vnum aliquod sit determinatiuum alterius in ordine ad aliquid. Ex quo deducitur, quod licèt qualitates ab agente introductę in materiam tempore antecedenti ad instans generationis, in ipso eodem instanti per prius intelligantur disponere, & determinare ipsam materiā, quam dictam materiam formam substantialem recipere: non rectè tamen infertur eas prius naturā existere, quam existat vel ipsa materia, vel ipsa forma substantialis in dicta materia; sed solùm quod existant prius ratione, ad eum planè modum, quo concursus voluntatis humanæ in suum actum liberum intelligitur eadem prioritate existere prior ipso concursu Dei in eundem actum.

50 Supponerem secundò: formam substantialem plures habere gradus: v. g. anima rationalis habet gradum substantiæ, gradum corporis, viuentis, &c. Iam verò hi gradus, ordine naturæ spectato, ita se habent, vt vniuersaliores sint minus vniuersalibus priores, dico, ordine naturę, nō eo quod prioritatem, & posterioritatem naturæ sibi vendicent: hoc enim esset impossibile, quia cum dictus ordo inter causam, & effectum tantummodo inueniatur, si inter duos gradus inter se identificatos haberetur: idem realiter esset causa, & effectus sui ipsius; quod implicat. Sed ordinem naturę eum appello, quem natura in rerum productionibus perpetuò obseruare solet, in quibus semper ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur. Qui quidem ordo benè stat cum prioritate, & posterioritate rationis, vt de se patet.

Supponerem tertiò: dispositiones prærequiri à formis substantialibus ad tollendam materiæ indifferentiam modo dicto, ita vt pro diuersitate graduum formę substantialis, ad quos materia est indifferens, diuersæ exigantur dispositiones. Sic quia materia de se est indifferens ad gradus sensibilitatis, & insensibilitatis, forma præbens illi gradum sensibilis exigit in ea organa sensuum, reliquasque dispositiones, quæ ad sui constitutionem corpus animalis exposcit: sic etiam quia est indifferens ad gradum vitæ vegetatiuæ, forma præbens illi dictum gradum exigit in ea dispositione, quæ ad nutritionem, & vegetationem necessariæ sunt. Vnde fit, vt determinatę dispositiones formaliter loquendo debeant esse priores ipsa forma, non quidem absolutè, & secundùm omnes gradus accepta, sed secundùm illum gradum tātummodo, respectu cuius materię indifferentiam determinant; quare in generatione hominis v. g. dispositiones, quas exigit anima rationalis, secundùm quod affert materię gradum animalis, debent intelligi in materia priores eadem anima, pro vt dictum gradum materiæ affert, non verò pro vt affert illi gradum viuentis, quia materia, vt determinetur ad hunc gradum, alias exigit dispositiones, vt videre est in vegetabilibus, plantis, atque arboribus, quæ non indigent dispositionibus ad gradum sensitiuum necessarijs. Et hinc oritur, vt anima pro vt dat gradus superiores materiæ, intelligi debeat prius existere in materia, quam dispositiones ad gradus inferiores necessariæ; eo quod ex vna parte dispositiones inferiorum formaliter minimè ad superiores disponunt; & ex alia gradus superiores, vtpote imperfectiores, prius ratione, ordine naturæ considerato, intelligi debent in materia.

Supponerem denique quartò: quod materia 51
ad recipiendam animam rationalem, & quamcūque aliam formam substantialem in particulari, pro ut dantem gradum substantiæ completæ, & gradum corporis nullas requirit dispositiones. Huius rei ratio à priori est, quia ipsa non est indifferens ad huiusmodi gradus recipiendos: sed per suam essentiam est ad illos vltimo determinata, ita vt implicet contradictionem, quod ab aliquo agente naturali aliquam formam substantialē recipiat, & tamen non sit substantia completa corporea. Porrò dispositiones requiruntur, saltem naturaliter ad tollendam materię indifferentiam. Licet igitur forma omnis substantialis pro instanti generationis adęquatè sumpta sit posterior omnibus dispositionibus, quæ sunt in materia: sumpta tamen inadęquatè pro vt scilicet dat gradum substantiæ, & gradū corporis, est prior in ipsa materia illis, imò etiā ipsa quantitate, quæ à corpore

Digitized by Google

tanquam proprietas probabile est, quod profluat. Quoniam verò statim ac forma substantialis intelligitur actuare materiam secundùm aliquem gradum, intelligi etiam debet simul, quod constituat illam existentem saltem inadæquatè per existentiam illi gradui correspondentem; hinc fit, vt materia in eo instanti introductionis formæ substantialis prius intelligi debeat completa in ratione substantiæ corporeæ, & existens, quàm intelligatur aliquas habere dispositiones, atque accidentia: his autem prænotatis.

Probatur facile nostra Conclusio: etiã si concedamus qualitates, quas agens naturale tempore præcedenti ad instans generationis produxit, imo ipso instanti habere rationem dispositionum ad formam substantialem, quæ tunc generatur: quia tamen hanc rationem non exercent in ordine ad gradus completæ substantiæ, & corporis; sed in ordine ad consequentes gradus; rectè deducitur prius ratione materiam intelligi existere per existentiam formæ secũdùm gradus vniuersaliores, quos ab ea recipit, quam intelligatur disposita; ergo etiam si intelligi debeat in aliquo priori per dispositiones habitas determinata, vt eádem formam secũdùm gradus minus vniuersales recipiat: rectè tamen intelligitur, quod in eo priori existat per existentiam emendicatam à forma. Vt clarius autem tradita doctrina percipiatur. 52

Obijcies primò: in eo instanti, in quo introducitur forma substantialis in materia, accidentia, quæ fuerunt ab agente naturali antecedenti tempore introducta, sunt dispositiones ad illam formam; ergo pro eo instanti per prius informatur materia dictis accidentibus, quam ipsa forma substantiali; sed in eo priori intelligi debet existens; ergo ex suppositione, quod aliqua accidentia, quæ erant in corrupto in instanti generationis exerceant munus dispositionum ad formã, quæ de nouo generatur, rectè deducitur: materiam propriam habere existentiam.

Respondeo, distinguendo antecedens iuxta modò dicta: In eo priori, in quo introducitur forma substantialis in materia, accidentia, quæ fuerunt ab agente naturali antecedenti tempore introducta, sunt dispositiones ad illam formam sumptam secundùm gradus minus vniuersales sibi correspondentes concedo: sumptã secundùm vniuersalissimos, & nõ sibi correspondentes nego antecedens; & sic distincto primo consequente cum suo subsumpto, nego vltimam consequentiam. 53

Instabis primò: ex dictis sequitur, quod forma substantialis sumpta secundùm quosdam gradus sit prior ratione in materia dispositionibus, secũdùm verò alios sit eisdem ratione posterior. Non est igitur maior ratio, cur absolutè loquendo potius dicatur materia in instanti generationis prius informari forma substantiali, quam dispositionibus.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Maior autem ratio est, quia gradus illi, quos forma substantialis affert materiæ absque dispositionum exigentia, absolutam obtinent priotitatem in subsistendi consequentia respectu reliquorum graduum inferiorum; cum igitur dicti priores gradus compleant materiam in ratione existentis, vt intelligatur rectè disposita in ordine ad posteriores: hinc fit, vt absolutè dicamus per prius materiam informari forma substantiali, quam accidentali.

Instabis secundò: impossibile est, vt duæ res sint sibi inuicem verè, & propriè causæ in eodem genere causæ; ergo impossibile etiam est, vt duæ res sint sibi inuicem causæ in eodem genere causæ reductiuè, & impropriè. Sed hoc sequeretur, si materia per prius deberet informari forma substantiali sumpta secundùm priores gradus, quam dispositionibus, & per posterius informari deberet eadem forma sumpta secundùm posteriores, quã ijsdem dispositionibus; ergo nulla est tradita doctrina. Antecedens patet, & consequentia videtur certa quia eadem militat ratio pro causis, quæ sunt verè, & propriè tales, ac pro ijs, quæ sunt tales reductiuè tantùm, & impropriè. Subsumptum verò suadetur, quia hoc ipso quod forma secundùm priores gradus accepta complere debet materiã in ratione existentis in ordine ad causandas dispositiones, respectu harum exercet munus causæ materialis reductiuè, & impropriè; sed idem munus exercent dispositiones, respectu formæ sumptæ secundùm posteriores gradus, hoc ipso, quod debent præintelligi determinare materiam in eo ordine ad recipiendam eandem formam secundùm dictos posteriores gradus accepta; ergo &c. 54

Respondeo: concesso antecedẽte, negando primam consequentiam. Ratio negationis est, quia ideò duæ res non possunt esse sibi inuicem causæ in eodem genere, quia implicat idem habitum esse dependens, & independens ab alio secundùm eandem rationem consideratum. Hoc autẽ militat solum in ijs, quæ verè, & propriè sunt inuicem in eodem genere causæ; non autem in ijs, quæ reductiuè, tantùm & impropriè tales sunt, vt de se patet; cum igitur neque forma sumpta secundùm priores gradus est verè, & propriè causa materialis respectu accidentium, neque accidentia respectu eiusdem formæ secundùm posteriores gradus accepæ: hinc est, vt hæc duo ad inuicem comparari possint, vt priora, & posteriora in eodem genere causæ materialis reductiuè, & impropriè sine vlla absurditate. Quemadmodum enim idem non potest esse prius, & posterius se ipso naturâ, benè tamen ratione secundùm alias, atque alias formalitates, ità & in casu nostro.

Obijcies secundò: sententia eorum, qui docent 55 dari mutuam causalitatem inter actum conuersionis, quo Peccator se disponit ad gratiam habitualem, & ipsam gratiam, est satis hac tempestate probabilis; sed ea admissa optimè sustineri potest, non obstante, quod materia careat propria existentia, accidentia, quæ erant in corrupto, & in instanti generationis cum vera prioritate naturæ ad formam substantialem disponere; ergo nimis scrupulosè nos sola prioritate rationis contenti sumus.

Respondeo, negando maiorem: licèt nonnullis iunioribus aliter videatur. Porrò eius improbabilitas nulla alia ratione suaderi posse videtur, quam ad trutinã redigendo eorum responsiones, quibus argumenta, quæ à nobis supra Tract. 2. disp. 11. sect. 3. contra mutuam causalitatem aliata sunt, deturbare conantur.

Summa argumentorum nostrorum erat, quod

causa

causa omnis physica, præter materiam primam, debeat præsupponi existens ad causandum effectū suum; ergo in eo priori debent præsupponi existentes omnes eius causæ reales; quarū influxus beneficio est existens, & à parte rei. Si igitur inter causas formæ numerantur dispositiones, debent hæ in eo priori ad ipsam formam præsupponi existentes. Impossibile igitur est, vt siue ab ipsa immediatè in genere efficiētis, siue à materia per ipsam existente in genere causæ materialis, postea in posteriori existētiam suam expectēt. Quadruplicem responsionem Recentiores huic adhibent argumento.

56 Respondent ergo primò: concesso antecedente, negando primam consequentiam, dicunt enim: in priori naturę ad effectum, hoc est ad dispositiones, debere quidem existere eius causam, hoc est formam, non tamen causas suæ causæ, quæ sunt dispositiones ipsæ. Ratio est, quia id, quod debet existere in priori naturę ad effectum, est actus primus causæ, porrò hunc actum primum constituunt ea solùm, quæ sunt principium immediatum nascentiæ effectus, hoc est existentia causæ, & conditiones formaliter illam complentes. Causas autem ipsius causæ nō esse huiusmodi, patet, tum ex Deo, qui existit independenter ab alio, & per suam existentiam præcisè est in priori naturæ ad effectus suos: tum etiam quia si mei genitores v. g. fuissent, & non ab alio: adhuc habitum fuisset totum principium meæ causalitatis, totusque actus primus. Falsum igitur est causam existentem in priori naturę ad effectum suum, causas sui esse importare necessariò debere.

Sed contra hanc responsionem facit primò: quia causa secunda est essentialiter ens ab alio; ergo nō potest concipi, vt existens, & in actu primo, quin concipiatur dependens ab alio; cum igitur hoc aliud non sit, nisi eius causa, quæ in casu nostro per se est idem cum suo effectu, manifestè deducitur eam non posse intelligi, vt existentem in actu primo, quin concipiatur tunc existens effectus illius. Contra etiam est secundò: quia conditiones, & requisita complentia actum primum virtutis causatiuæ, vt est existentia, approximatio, atque duratio, sūt per te priora natura respectu effectus in ordine ad quem complent causam, eo quod sunt ad eius productionem necessaria; sed dependentia causæ à causis suis est potiori iure necessaria ad productionem effectus; ergo erit etiam prior natura ipso effectu, & per consequens erunt priores illo causa, à quibus dicta dependentia essentialiter procedit. Ad hoc negant consequentiam Aduersarij; & disparitatem assignant, quia appproximatio (inquiunt) & cætera huiusmodi sunt talia, vt sine ipsis præcisè virtus causæ, vtpote limitata ad operandum, non sit potens exire in actum secundum. Contra verò si causa sit existens, & non ab alio, virtus eius erit completa, atque sufficiens in actum secundum erumpere.

57 Verùm disparitatem hanc nullam esse sic suaderem: Limitatio causę per te facit, vt approximatio pertineat ad actum primum illius, & per consequens sit per se prior natura suo effectu; sed esse ab alio, & indigentia dependentiæ ad existendum est quædam limitatio eiusdem causæ, qua caret, si esset à se, ergo facere debet, vt eius causę, à quibus pendet, sint priores natura eodem effectu non quasi verò sint eius causa: hoc enim in vniuersum supra negauimus, sed quia pertinēt ad eius actum primum. Neque dicas huiusmodi limitationem pertinere solùm ad existentiā causæ, non verò ad vim causatiuam illius. Contra enim est manifestè, tum quia existentia causæ venit per te in priori naturę ad effectum; ergo venire debet cum limitatione propria, & dependentia, quam habet à suis causis; tum etiam quia non minus vis causatiua causæ creatæ est limitata, quam sit limitata eius entitas, vel existentia: ergo si propter limitationē causæ approximatio ingreditur priora naturę effectus, etiā ingrediētur causæ ipsius causę, & mirū, quod vis causatiua præscindere debeat per te à limitatione, quam habet ex eo, quod sit ens ab alio, & non à reliquis limitationibus.

Ad priorem rationem in contrarium desumptā ex Deo, qui cū existat independenter ab alio, per suam existentiā præcisè est in priori naturæ ad effectus, quos producit; distinguo assumptum, per suam existentiam præcisè, hoc est absque eo quod veniat in priori aliqua causa existentiæ illius, concedo: quia hæc nec est, nec potest esse: præcisè hoc est absq; eo, quod veniat in priori existentia cum positiua independentia ab alio, nego assumtum; & dico, quod quemadmodum prioritas naturæ, quam habet Deus respectu suorum effectuū inuoluit eius vim causatiuam existentem à se, & positiuè independentem à quouis alia causa: ita prioritas naturæ, quam habet contritio respectu gratiæ sanctificantis, posito quod sit eius causa, debet inuoluere eius vim causatiuam existentem, vt positiuè dependentem à causis suis. Et rectè id quidem; aliud enim est loqui de actu primo causandi physicè pro vt à creato, & increato præscindit, aliud verò de actu primo, siue creato, siue increato. Quamuis autē verum sit, quod actus physicus primo modo sumptus præscindat à dependentia, vel independentia ab alia causa: at falsum omnino est, loquendo de actu primo secundo modo accepto. Atqui quando nos dicimus contritionem in actu primo ad gratiam inuoluere dependentiam à suis causis, non agimus de actu primo, vt sic, sed de tali actu primo, & de tali causa importante videlicet essentialiter esse ab alio; ergo dicendum est quod pertineant ad illam eius causæ, sicuti ad actum primum diuinum esse à se; alioquin non esset formalis diuisio causæ in primam, & secundam. 58

Ad posteriorem verò rationem ex genitoribus desumptam: distinguenda est secunda pars assumpti, in qua latet æquiuocatio: Adhuc habitum fuisset totum id, quod fuit principium causalitatis meę: habitum fuisset totum principium, quod nunc est, nego: aliud totum, concedo; ex suppositione enim impossibili, quod genitores tui non fuissent ab alio: in tui generatione non venissent in priori naturæ ad ea, quæ de facto venerunt. Sic per te approximatio est in priori naturæ ad effectum, & tamen si daretur causa, quæ posset agere in distans, non requireret illam in actu primo.

Secunda responsio ad nostrum argumentum 59
principale est, quod licèt causa physica in priori naturę ad causandum debeat intelligi dependēs à suis causis: non sit tamen necesse, vt hæ causæ

Digitized by Google

intelligantur determinatè, sed sufficiat, si indeterminatè concipiantur hæ, vel illę. ad eum planè modum, quo vt ignis A. sit in actu primo potens causare calorem in mea manu, sufficit, si intelligatur dependere vel à solo Deo, vel etiam ab hac, vel illa causa creata.

Contra tamen hanc responsionem facit. Primò; quia aliud est loqui de possibili, aliud de facto: verùm quidem est, quod contritio potuerit constitui in actu primo potens causare gratiam, etiam si non dependisset ab illis causis, à quibus de facto dependit, sed ab alijs. Vnde fit, vt de possibili causas sui esse indeterminatè respiciat: at posito, quod actu dependeat ab his determinatè, valet consequentia; ergo has determinatè respicit, tamquam priores natura, sed per se actu pendet à gratia; ergo &c.

60 Contra est secundò. Prioritas naturæ afficit causam in ordine ad effectum, vt de se patet. Sed ea non stat cum effectu indeterminato: nam hęc causa in ordine ad hunc determinatum effectum, est prior natura; ergo multò minus afficiet causam indeterminatam. Consequentia patet: quia effectus se habet ad illam, vt terminus extrinsecus: contra verò prioritas naturæ primò, & per se afficit ipsam causam, quæ nonnisi ex ignorantia, aliquando nō cognoscitur determinatè vendicare sibi effectū aliquē determinatū, quē videmus Nā si quis diceret: Hæc contritio existit, & neque ab hac causa, neque ab illa, & sic de reliquis, à quibus produci poterat, solam vnam relinquendo: valeret consequentia; ergo ab hac determinata causa dependet, nimirùm à gratia. Igitur verè hæc determinata causa est illa prior natura. Per quæ patet ad exemplum de igne A potente causare calorem in mea manu; quamuis enim eodem modo intelligeretur potens, vt sic, siue ab hac, siue ab illa causa existeret: quia tamen existit dependenter ab hac causa determinata, non potest adæquatè intelligi existere potens meam manum calefacere, nisi cum dependentia ab hac causa determinata. Res enim sicuti se habet ad esse, ita & ad cognosci.

61 Tertia responsio admittit in eo priori, in quo intelligitur existere causa realis, debere intelligi etiam existentes eius causas determinatè; & sic, antequam causet contritio habitum gratiæ, intelligi existentem ipsam gratiam. Sed addit, hoc nihil absurditatis continere: quia illa entitas, seu potius illa prioritas non est immediata, quasi verò causalitas contritionis in gratiam habeat pro suo principio immediato ipsam gratiam, sed mediata, quatenus contritio per suam causalitatem immediatè causat gratiam, & gratia per suam distinctam immediatè causat contritionem; ita vt quælibet causalitas respiciat suum determinatum principium, à quo immediatè procedat. Fundamentum huius responsionis est, quod prius natura nihil aliud importet, quam principium natiuitatis, seu nascentiæ, ac causalitatis in aliud: atque adeò ratione prioris æquiuocè attribui causæ, & nihil aliud significare, quàm principium influxiuum; quod, quia in casu nostro est mutuum, idcirco mutua debet esse prioritas.

Sed contra hanc etiam responsionem facit. Primò, quia falso nititur fundamento, quod posuit Bonaspes *disp. 3. à num. 49.* docens: esse prius natura alio, nihil aliud sonare, quam esse causam alterius; & sic negat omnem prioritatem naturæ in quo, ratione cuius concipere possimus entitatem causę existentem in instanti reali, in quo causat, non concepto adhuc eius effectu. Quo principio negato infert postea idem Auctor non apparere repugnantiam contradictionis in eo, quod aliqua duo in eodem genere possint inuicem causare se ipsa, etiam quo ad actionem primam negatiuè; neque in eo quod eodem modo possit idem causare se ipsum. Verùm contra hanc doctrinam (vt bene notat Arriaga *disp. 7. phy. sic. num. 231.*) reclamant omnes omnino Philosophi, & Theologi, qui hucusque hac de re scripsere; & rectè id quidem: si enim nomine prioritatis, & posterioritatis naturæ aliud nihil intellexissent Doctores, quam rationes causæ, & effectus: obscurassent potius per has loquutiones huiusmodi rationes, quam declarassent. Tenendum igitur prioritatem naturę in quo, importare independentiam causę in existendo à suo effectu; ex quo fit, vt possit ipsa intelligi in actu primo potens causare effectum suum, absque eo quod adhuc intelligatur effectus actu existens saltem diuinitus: ad differentiam effectus, qui nequit concipi existens, nisi ab aliqua causa pendere intelligatur.

Deinde contra distinctionem de anteietate, vt loquuntur, seu prioritate mediata, & immediata facit, quia non minus absurdum est, quod antequā intelligatur contritio causare gratiam, concipiatur existere ipsa gratia anteietate mediata, quam immediatam; ergo &c. Antecedens suadetur: nam in tantùm implicat concipere gratiam ante contritionem anteitate immediata, quia sic esset principium immediatum suę natiuitatis, seu causalitatis, adeoque in termino à quo suę productionis conciperetur existere. Sed idem sequitur hoc ipso, quod concipitur esse immediatum principium alterius causalitatis, per quam scilicet eius causa, quæ est contritio, recipit existentiam; iam enim in termino à quo suæ productionis multò magis deberet existere, quatenus ipsa contritio ab ea in eo priori penderet; ergo hæc distinctio ne vmbratilem quidem solutionem argumento nostro afferre videtur. Confirmatur id, quod dicimus ex mente Bonęspei; qui hanc prioritatis naturę explicationem, seu potius destructionem inuenit: Ille enim in ea confisus eodem modo concedit rē aliquam posse esse ante se ipsam anteietate mediata per hoc, quod causet primò suam causam: ac immediatè per hoc scilicet quod primo causet se ipsam; ergo &c. Atque hìc obiter notarem eos, qui tuentur materiam existere per existentiam formæ, non posse premi huiusmodi argumētis; hoc ipso quod sustineant materiam non vt existētem, sed per suam meram essentiam causare formam, secundùm quam minimè ab eadem forma causetur.

Quarta denique responsio alio modo distinguit propositionem illam in hac sententia; antequam causa causet effectum suum, debet intelligi existēs ipse effectus, sic: ita vt effectus illa anteietate non intelligatur existens post causam suam, nego; ita vt intelligatur existēs post suam causam, concedo. Ratio est, quia in illa anteitate non intelligitur effe- 62

Digitized by Google

effectus solitariè, sed totum hoc: Effectus post causam suam; nam sicuti causa, quia causa est, antequam intelligatur causare effectum, debet intelligi existens: ita & effectus, quatenus est causa sui causæ, debet etiam intelligi existens, antequã illam causare intelligatur.

Verùm contra hanc quoque distinctionem, quæ naturę prioritatem sicuti præcedens exterminat, arguo sic: quando concedunt Aduersarij, quod antequam contritio causet gratiam, debeat intelligi existens ipsa gratia, ita vt illa anteiectate gratiæ intelligatur existens post ipsam contritionem: iam concedũt, quod idem effectus sit prior, & posterior se ipso respectu diuersarum causalitatum. Sed hoc implicare videtur, quia sic iam priusquam effectus intelligeretur à suis causis habere esse, conciperetur esse, & extra illas existere; quod æquè repugnare constat, siue per diuersam, siue per eandem causalitatem id accidere intelligatur; quia non agimus hic de prioritate, & posterioritate rei quo ad esse secundò, per hoc videlicet quod ipsa res, quo ad esse primò ità causetur à sua causa, vt quo ad esse secundo causet illam, & postea recausetur ab illa: in hoc enim nulla videtur nostris Doctoribus intercedere repugnantia. Sed maximè repugnare videtur, quod idem effectus v. g. gratia ita primò fit à contritione, atque adeò in posteriori naturæ ad illam per vnam causalitatẽ, vt per aliam eadem contritio primò fit à gratia, atque adeò in posteriori naturæ ad ipsam gratiam; eo quod sic iam est, antequam fit, quod æque repugnat, siue per vnam, siue per plures causalitates fieri intelligatur.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEPTIMA.

DE ALTERATIONE.

ALterationis nomen multipliciter apud Aristotelem vsurpatum inuenies: *Secundo enim physeor. tex.* 1. interprete Auerroe, accipitur pro mutatione ad quamcumque formam, siue substantialem, siue accidentalẽ. *Primo de gen. tex.* 10. pro mutatione ad formas omnes accidentales tantũmodo, quo pacto Porphyrius *in prædicabilibus cap. de differentia*, illud vsurpauit, cum dixit, quod sicuti essentialis differentia aliud, ita accidens alterum facit: *In postpræd. autem cap.* 4. *& 3. physic. tex.* 40 *& 5. phys. tex.* 19. pro mutatione terminata ad omnem qualitatem, in qua acceptione *secundo de Anim. tex.* 57. *&* 58. cõceditur speculari, & sapere esse speciem alterationis. Verùm dictæ acceptiones minus propriæ sunt existimandæ: Proprijssimè enim alterationis nomen sumptum reperies 7. *physic. tex.* 14. *&* 8. *physic. tex.* 55. *&* 1. *primo Cœli tex.* 20. *&* 1. *de gen. tex.* 23. pro mutatione scilicet ad solas qualitates corporeas sensibiles habentes contrarium, siue pro transmutatione ab vna sensibili qualitate in aliam oppositam; quę transmutatio, quia necessariò coniungitur cum corruptione qualitatis oppositæ, ei quę per illam introduci debet: ideo corruptiua, seu transmutatiua alteratio appellari consueuit, ad differentiam perfectiuæ; per quam in subiecto acquiritur qualitas absque alterius qualitatis deperditione. De alteratione autem proprijssimè sumpta, quę sola est dispositiua ad generationem, & corruptionem substantialem, nobis in hac disputatione sermo erit, obiter autem multa de perfectiua dicemus. Sit igitur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit alteratio, & quo modo cum generatione connexa.

1 DAri alterationem cuius beneficio corpora naturalia corruptibilia ex vna qualitate sensibili in aliam illi contrariam transeunt, patet ad sensum. Videmus enim aquam ex frigida fieri calidam, & telam ex humida siccam. Ad eius autem essentiam dignoscendam.

Vnicam pono Conclusionem. Alteratio proprijssimè sumpta, quæ corruptiua appellatur, rectè definitur, cum dicitur: esse Mutatio in passionibus contrarijs, aut medijs eodem subiecto sensibili remanente. Est communis, & sumitur ex Aristotele *hic tex.* 25.

Et quidem dicitur primò: mutatio, quę particula non est sumenda præsè, pro vt scilicet significat speciem illam motus in communi à motu propriè dicto contradistinctam, sed latè, quo pacto sępe sumitur ab Aristotele pro motu scilicet in communi, & sic se habet loco generis, in quo alteratio corruptiua conuenit cum omnibus alijs motibus, & supponit in subiecto carentiam formæ, ratione cuius dicitur fieri alterum, ac erat prius.

Dicitur secundò (*in passionibus*) Passionis autem nomine hìc intellige qualitatem illam, quę ponitur in tertia specie prędicamenti qualitatis, & est apta mouere sensus; & per hoc notatur, quod termini alterationis corruptiuæ esse debeant qualitates sensibiles, siue demum hę dicant perseuerantiam in subiecto, siue non.

Dicitur tertiò (*contrarijs, aut medijs*) per quæ verba notatur positiua cõtrarietas, qua necessariò alteratio hæc inter suos terminos à quo, & ad quẽ habere debet; qui quidem termini, quia non est necesse quod sint qualitates extremè contrariæ, vt

Digitized by Google

vt sunt calor, & frigus: sed sufficit, si sint mediæ, sicuti sunt viriditas, & rubedo: & ideo addita est particula illa (aut medijs.)

Dicitur denique (eodem subiecto sensibili remanente,) quæ quidem particulæ verè non sunt necessariæ ad alterationis corruptiuæ essentiam explicandam, sed maioris explicationis gratia ponuntur ad notandam differentiam, quæ inter generationem, & alterationem reperitur, in generatione siquidem subiectum denominationis nó remanet idem sub vtroque extremo, vt in prima disputatione vidimus: at in alteratione. Imo verò etiam in quacunque alia accidentali mutatione idem necessariò remanere debet. Sic explicata definitio, quod rectè tradita sit, patet ex eo, quia benè explicat naturam, & essentiam definiti: & illud à quacumque alia re sufficienter distinguit.

Obijcies primò: alteratio, de qua agit hic Aristoteles, non est mutatio in passionibus contrarijs; ergo definitio non est rectè tradita. Antecedens probatur, quia de ea alteratione agit hic Philosophus, de qua affert exempla, sed hic *tex.* 23. vtitur exemplis figurationis æris, & sanationis ægroti, quæ non sunt mutationes in qualitatibus tertiæ speciei, scilicet in passionibus; ergo &c. 4

Respondeo, negando antecedens, vt patet ex ipso *tex.* 23. ad eius autem probationem nego absolutè maiorem. Illa siquidem exempla solùm affert Philosophus ad explicanda vltima verba definitionis, vt ex eorum similitudine veniamus in cognitionem, quo pacto sub vtroque extremo alterationis corruptiuæ idem sensibile subiectum remaneat.

Instabis: in corruptiua alteratione non remanet idem subiectum sensibile sub vtroque extremo; ergo &c. Antecedens probatur, tum quia non remanent eadem accidentia sensibilia, per quæ subiectum redditur sensibile, tum etiam, quia in vltimo termino dictæ mutationis corruptiuæ v. g. calefactionis, & exiccationis vt octo ligni, ipsum lignum corrumpitur in ignem; ergo &c.

Respondeo, negando antecedens. Ad priorem eius probationem dico: per accidentia sensibilia subiectum reddi solùm formaliter sensibile, non verò radicaliter; hoc enim modo est per essentiam suam sensibile. In alteratione igitur licèt non remaneat idem subiectum sensibile formaliter, remanet tamen idem sensibile radicaliter, seu, quod idem est, idem subiectum denominationis; & in hoc sensu particulæ definitionis intelligendæ sunt. Ad posteriorem verò aio: quod licèt verum sit in instanti vltimo alterationis corruptiuæ non remanere idem subiectum sensibile substantiale; hoc tamen non habetur ex vi illius formaliter sumptæ; ea enim de se tantummodo habet transmutare subiectum ex vna sensibili qualitate in aliam; sed ex vi illius consequenter; & dispositiuè, quatenus in fine motus agens producendo formam substantialem nouam corrumpit veterem, vt supra diximus.

5 Obijcies secundò: alteratio, de qua loquimur est talis, vt si generatio esset impossibilis, ea quoque impossibilis consequenter euaderet. Sed si alteratio esset mutatio in passionibus contrarijs, aut medijs, facta illa hypothesi, non euaderet impossibilis; ergo mala definitio. Maior patet ex Aristotele *primo de gener. tex.* 1. vbi sic: Quapropter si non sit possibile ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram: neque ex albo nigrum, neque ex molli durum. Eadem autem ratio, & de alijs. Hoc autem erat alterari: vbi ex impossibilitate generationis colligit Philosophus impossibilitatem alterationis. Minor verò suadetur, quia conceptus mutationis in passionibus contrarijs, aut medijs præscindit à conceptu possibilitatis, vel impossibilitatis generationis; ergo etiam si esset impossibilis generatio, adhuc definitio alterationis à nobis tradita haberetur, & per consequens ipsum definitum.

Hæc obiectio aperit nobis viam explicandi quomodo alteratio sit cum generatione connexa. Ad eam autem respondet nonnulli, inter quos est Ioannes Poncius negando maiorem: putant enim, quod stante impossibilitate generationis, adhuc alteratio possibilis esset, & ad auctoritatem in contrarium dicit Poncius *in physic. disput. 24. quæst. 1.* Aristotelem loqui de facto, & velle solùm, quod non sit maior ratio, cur agens naturale alteret; & non generet. Ex hoc autem non sequi, quod si impossibilis esset generatio ex natura sua intrinseca, etiam alteratio impossibilis esset: sed solùm quod, supposita intrinseca possibilitate vtriusque, si agens naturale non potest vnum, nec alterum poterit.

Verùm hanc expositionem non esse ad mentem 6
Philosophi patet primò: quia ipse dum *dicit*, si non sit possibile ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram, &c. Particulâ (ex) non vsurpat ad significandam causam efficientem, sed terminum à quo generationis, vt patet ex verbis immediatis (neque ex albo nigrum, neque ex molli durum.) Albedo enim non est causa efficiens nigredinis, neque mollities duritiei, sed benè sunt termini à quo motus ad nigredinem, & duritiem. Ergo vis infertur textui, dum dicitur Philosophum supposita possibilitate intrinseca generationis, & alterationis velle solùm quod, si agens naturale non potest generare, nec poterit agere. Verba enim illa absolutè prolata significant impossibilitatem intrinsecam, & non extrinsecam.

Contrà secundò: quid Aristoteles *loco cit.* argumentatur contra Empedoclem, qui substantialem generationem, & corruptionem elementis negabat, & alterationem eis concedebat. Sed Empedocles non putabat elementa defectu solius agentis naturalis non posse generationem, & corruptionem subire, sed maximè ex suis intrinsecis; ergo Aristoteles non potest explicari de eorum ingenerabilitate, & incorruptibilitate ex parte solius efficientis.

P. Rauius *primo de gener. tract. 3. quæst. 1.* quamuis 7
putet, quod si generatio esset impossibilis, etiam alteratio impossibilis euaderet: dicit tamen testimonium ex Aristotele adductum huic sententiæ minimè facere, eo quod Philosophus argumentetur ad hominem contra Empedoclem negantem elementis transmutationem substantialem, & cõcedentem eis accidentalem secundùm primas, & secundas qualitates, quas volebat esse passiones ipsorum elementorum, & ab eorum essentia inseparabiliter. Contra quam sententiam benè arguit Aristoteles, quod si vnum elementum non potest transmutari secundùm substantiam, neque pote-

rit

rit secundùm dictas qualitates alterari.

Sed contra hanc quoque explicationem facit, quia gratis, & sine vllo fundamento. Empedocli nota hæc stoliditatis inuritur, quasi verò fuerit adeò hebes ingenio, vt non animadverterit calorem v. g. & siccitatem, quæ in gradu intenso debentur igni, in gradu remisso, fapè competere terræ, & aeri. Non poterat ergo asserere dictas qualitates ita esse proprietates ignis, vepè in gradu quidam remisso potuerint in alio subiecto introduci. Præterea ipsemet Empedocles admittebat, quod elementa inuicem alterarentur, & ex mutua actione, & reactione comparabilia fierent, vt docet ipse Aristoteles *secundo de gen. text.* 37. hoc est similia in qualitatibus; ergo impossibile est, quòd quando Philosophus ex impossibilitate generationis colligit contra illam impossibilitatem alterationis, supponat ex eius doctrina quælibet qualitatem corpoream corruptiuam etiam in gradu remisso esse proprietatem essentiæ, cui debetur, ita vt nisi violenter quidem possit produci in aliquo subiecto.

Melius ergo respondendum videtur ad propositam obiectionem, concessa maiore, vtpote secundùm mentem Aristotelis, negando minorem. Ea ad eius probationem, quæ est fundamentum, quo Poncius *loco cit.* suam sententiam fundat, distinguo antecedens; concepeus mutationis in passionibus contrarijs, aut medijs præscindit à conceptu possibilitatis, vel impossibilitatis generationis, si dicta mutationis conceptus, secundùm ea, quę solùm explicitè importat, consideretur, concedo; si etiam secundùm ea, quæ implicitè imbibit accipiatur, nego antecedens, & consequentiam; & dico possibilitatem mutationis in passionibus contrarijs, aut medijs esse essentialiter connexam cũ possibilitate generationis substantialis, ita vt si hæc euaderet impossibilis, redderetur impossibilis etiam illa, quæ cum per nos sit eadem formaliter cum alteratione, ratio connexionis, quam modò adducemus, æquè militabit pro vtraque.

Ea autem est huiusmodi: Bifariam supponi potest impossibilis generatio. Primò naturaliter, eo quod viribus naturæ attingi non posset; Secundò diuinitus in ordine ad Omnipotentiam Dei, ita vt contradictionem implicare putatur. Verumuis autem dicatur similis impossibilitas in alteratione necessariò sequitur; ergo &c. Maior patet; Minor verò duas habet partes; & quidem quo ad priorem suadetur, quia si primo modo ponatur generatio impossibilis, sic iam negatur omnibus agentibus naturalibus posse naturaliter generationem attingere; ergo debet eisdem negari naturaliter alterationem attingere posse. Antecedens patet. Consequentia euincitur, quia alteratio est instituta à natura in ordine ad generationem, vt scilicet eius beneficio materia disponatur ad formam nouam recipiendam, & excludendam antiquam; ergo posito quod agentibus naturalibus est naturaliter impossibilis generatio, debet etiam eis esse naturaliter impossibilis alteratio. Confirmatur, quia impossibilitas generationum in ordine naturali dupliciter fingi potest: primò ita, vt agentia naturalia retineant easdem qualitates alteratiuas, quas de facto habent: secundò ita, vt ipsa amissis aliis illi statui conuenientes acquirant. Et quidem dicatur secundum, constat quod nouæ hæ qualitates essent eorum essentijs proportionatæ; atque adeò sicuti tunc ipsa agentia non haberent virtutem generandi, ita non vendicarent sibi qualitates, quas haberent virtutem ad generationem disponendi, cuiusmodi sunt alteratiuę. Si verò eligatur primum, in quo sensu videtur loqui Pond. *loco cit.* dum dicit, quod si de facto darentur agentia calida, & frigida, quamuis de facto non possent dari generatio, agentia illa se inuicem alterarent: Probo oppositum, quia quamuis facta hac hypothesi calor, & frigus haberent in se ipsis virtutem alterandi: tamen non esset eis debitus concursus prima causæ in ordine ad alterandum de facto: quia alteratio de facto non est instituta à natura, nisi in ordine ad generationem; non quidem ita, vt quotiescumque habetur, debeat de facto fieri generatio; sed iuuat semper ad generationem sine proximè, siue remotè habendam disponere. Casu igitur quo illa est naturaliter impossibilis, Deus vt prima causa in ordine naturali teneretur huiusmodi qualitatibus suum negare concursum. Alioquin fac vt prædicta, & quod ignis introducat omnes suas dispositiones in ligno, & lignum nihilominus nõ corrumpatur; profectò opponeretur homini aditus res naturales cognoscendi, & sibi scientias comparandi; videret enim subiectum naturaliter affectum omnibus accidentibus ignis, de quo non posset affirmare, quod esset ignis; & sic cum summa perplexitate discurreret. Quod ne contingat, debemus dicere Deum in illo casu negaturum fore suum concursum agentibus calidis, & frigidis.

Probatur nunc eadem minor quo ad posteriorem partem, in qua dicebamus: quod si implicaret contradictionem generatio, eodem modo alteratio implicaret, &c. Implicante fine, implicare debent media, quę essentialiter ordinantur ad finem; sed alteratio est medium, quod essentialiter ad generationem ordinatur; ergo implicante contradictionem generationi, implicabit etiam alteratio. Maior videtur certa; quia hoc ipso, quod medium essentialiter ordinatur ad finem, est connexum cum eo essentialiter; ergo implicante illo, hoc quoq; implicet necesse est. Minor verò euincitur, quia qualitates alteratiuæ sunt ex suis essentialibus ordinatæ disponere ad generationem; ergo & ipsa alteratio, quæ essentialiter à dictis qualitatibus specificatur, quatenus est motus ad illas.

Summa responsionis, quam subobscurè adhibet Poncius ad hoc argumentum est, quod distinguantur antecedens: Qualitates alteratiuę sunt ex suis essentialibus ordinatæ ad disponendum ad generationem, quatenus eales qualitates alteratiuæ sunt, concedicur: quatenus sunt qualitates alteratiuæ, vt sic, negatur antecedens; & consequentia. Dicit enim, quod licèt alteratio, quæ de facto habetur, posita absoluta impossibilitate generationis esset quoque absolutè impossibilis; hoc tamen haberetur ex vi alicuius realiter identificatæ cum qualitatibus alterabilibus. Cum quo stat, quod spectata alteratione secundùm suum conceptum formalem alterationis vt sic; quatenus scilicet, est successiua mutatio inter qualitates diuisibiliter

ter oppositas; non obstante impossibilitate generationis, adhuc est possibilis.

Sed contra hoc facit primò: quia quæstio, quam exagitat Ruuius *loco cit.* quem Poncius sibi dicit esse contrarium, est de alteratione, quatenus est mutatio in passionibus contrarijs, aut medijs, cuiusmodi sunt primæ, & secundæ qualitates; ergo dum hic Auctor concedit huiusmodi alterationem ad impossibilitatem generationis euadere impossibilem, iam dat manus, & Ruuij sententiam in rei veritate sequitur.

11 Contra secundò, quia dubium est, vtrum sint possibiles qualitates sensibiles diuisibiliter oppositæ, quæ non sint primæ, neque secundæ, atque adeò quæ ad generationem substantialem minimè ordinentur; non solùm enim non habemus vllum possibilitatis earum indicium, sed potius aliquod impossibilitatis: quia non videtur assignabilis ratio, cur si essent possibiles, de facto in tanta rerum varietate non darentur. Quemadmodum enim datur lux, quæ æquè afficit corpus corruptibile, & incorruptibile, ita dari de facto potuisset contrarietas qualitatum sensibilium ad generationem substantialem minimè inseruientium, si ea esset dabilis. Sed stante dubio de possibilitate dictarum qualitatum, dubium quoque erit dari posse alterationem, quæ ad generationem substantialem minimè ordinetur; ergo non potest assumere Auctor ordinem, quem alteratio de facto dicit ad generationem, materialiter solùm illi competere, quatenus scilicet est identificatus cum ratione formali alterationis vt sic, nisi hoc aliunde sufficienter probet. Dico, sufficienter, quia probatio sumpta ex definitione alterationis, quam ipse tradit, dum eam dicit esse Mutationem successiuam ab vna qualitate in alteram diuisibiliter oppositam, inualida est, & insufficiens; nam vel nomine vnius, & alterius qualitatis oppositæ intelligit primas, & secundas tantùm, & sic non solùm non patrocinatur definitio alterationis, sed est illi contraria, quia hæ qualitates non sunt sine ordine ad generationem: vel intelligit qualitates contrarias cum præcisione ab eo, quod generationi inseruiat, nec nè? & sic malè in Conclusione profitetur se velle definire alterationem, de qua loquitur Aristoteles *primo de gen. numero 23.* & communiter vsurpatur à Philosophis; nam huiusmodi alteratio est solùm mutatio in passionibus contrarijs, aut medijs, & non in qualitatibus contrarijs, vt sic; Stet igitur, quod si generatio est impossibilis, impossibilis quoque erit alteratio.

12 Dices: Corpora cælestia etiam si ingenerabilia sint, & incorruptibilia, possunt saltem diuinitus alterari; ergo impossibilitas generationis stat cum possibilitate alterationis. Consequentia patet: Antecedens probatur: quia non potest assignari ratio, cur non possit Deus producere in Cælo frigiditatem; sed ea producta, si illi applicaretur ignis, posset diuinitus successiuè amittere frigiditatem, & calefieri; quamuis enim igni non esset à Deo debitus concursus ad calefactionem illam: posset tamen Deus ad exercendam suam libertatem dictum concursum illi præstare; sed eo præstito sequeretur corruptio frigoris, & productio caloris successiuè; ergo &c.

Respondeo: Ruuium *loc. cit.* negare antecedens. Ait enim corpora cælestia suppositâ eorum ingenerabilitate, & incorruptibilitate, etiam in ordine ad diuinam Omnipotentiam carere capacitate recipiendi primas, & secundas qualitates, sicuti carent capacitate recipiendi accidentia spiritualia; Sed hæc responsio sic absolutè prolata non est mihi probabilis, cum præsertim non desint, qui existiment non implicare visionem beatam subiectari in lapide.

Respondeo ergo iuxta mea principia, quod ea Cæli constent nostrate materia, licèt spectata propria natura sint ingenerabiles, & incorruptibiles: per absolutam tamen Dei potentiam generari, & corrumpi substantialiter possunt; non videtur implicare, quod Deus eleuet ignem v.g. ad producendam formam ignis in Cælo, & quod ad existentiam dictæ formæ moueatur ad suspendendum concursum suum, quem formæ Cæli antea exibebat; in tali autem casu verè Cælum diuinitus corrumperetur; quemadmodum oriretur, casu quo Deus eleuaret eundem ignem ad producendam formam Cæli in materia terræ; daretur enim tunc mutatio totius in totum nullo sensibili remanente subiecto. Quo posito ad antecedens dico, quod eodem modo, quo diuinitus cœlestia corpora sunt generabilia, & corruptibilia, ita sunt etiam alterabilia. quare nego consequentiam; pari enim passu procedit impossibilitas generationis cum impossibilitate alterationis respectu eiusdem subiecti. Ex quo deducitur, quod si Cælum esset corpus omnino simplex, sicuti implicaret contradictionem generari, ita & alterari.

SECTIO SECVNDA.

Num alteratio sit continua, an verò interrupta.

13 ALterationem, de qua loquimur, fieri successiuè patet ad sensum; experimur enim hyeme manus ad ignem approximatas paulatim calefieri; vtrum verò fiat continuè, & sine vlla interruptione dubium est. Quidam enim putant necessariò debere semper fieri discretè, & cum aliqua interpolatione, ita vt quando ignis v.g. calefacit manum, post primam introductionem alicuius particulæ caloris, aliquantulum temporis quiescat; & post quietem aliam caloris particulam introducat, iterumque quiescat, & rursus deinde actionem suam calefactiuam exerceat, & sic pergat, donec totam calefactionem absoluat. Ita Capreolus *in primo dist. 27. qu. ult. 2. art. 2.* Soncinas *8. met. qu. 22.* Ferrariensis *4 phys. quæst. 3.* & alij ex Thomistis. Contra secundò alij, vt Suarez *disp. 46. sect. 3. num. 8.* Begnes *primo de gen. quæst. 6.* Ruuius *item primo de gen. tract. 3. cap. 4. quæst. 2.* Conimbricenses *cap. 2. quæst. 2. art. 2.* pro se citantes Gregorium, & Gabrielem existimant alterationem simpliciter, & quantum est de se, esse motum continuum, & sæpè sine vlla interruptione ab agentibus naturalibus fieri.

Pro resolutione aduerte, dupliciter posse intelligi alterationem esse continuam. Primò quo ad extensionem; quod tunc euenit, quando forma, quæ per alterationis motum acquiritur, [illegible] du-

Digitized by Google

ducitur per totam subiecti, quod alteratur, extensionem sine aliqua interruptione. Secundò quo ad intensionem, ii scilicet forma, quæ in eadem parte subiecti magis, ac magis intenditur motu continuo, & non per instantia interpolata, seu per motus partiales, atque discretos intendatur. His autem prænotatis, sit.

14 Vnica Conclusio: Alteratio tum quo ad extensionem; tum quo ad intensionem simpliciter loquendo, & quantum est de se, est continua. Est contra citatos Auctores pro prima sententia, quos sequitur Arriaga *disp. 2. sect. 3. à num. 33.*

Probatur autem primò ex Aristotele, qui *6. physic. tex. 5.* ait: motum esse diuisibilem in infinitū, sicuti est tempus, & subiectum quantum; vt patet ex toto *cap. 2. & 2.* neque dari in eo primum mutatum esse. *5. verò physic. tex. 45.* docet omnem motum propriè dictum, cuiusmodi est alteratio, esse simpliciter vnum, ad eius autem vnitatem requiri, quod sine interruptione continuo tempore fiat. Iam verò si alteratio non esset continua, non esset diuisibilis instar temporis, & subiecti quanti: neutrum enim horum cōstat ex partibus interruptionem habentibus; neque esset diuisibilis in infinitum, neque veram vnitatem haberet, vt de se patet.

Probatur secundò: Nulla potest assignari ratio, cur agens v. g. ignis debitè applicatū passo aquæ scilicet, vel ligno, debeat actionem suam calefactiuam semper, & necessariò per quasdam moras interrumpere, & discontinuare; ergo alteratio secundùm se, tum quo ad extensionem, tum etiā quo ad intensionem est continua. Consequentia patet, quia si nihil obstat, quotiescumque agens naturale actionem suam incipit, non potest ab ea cessare, prius quam illam pro sua possibilitate compleuerit; alioquin illo tempore intermedio maneret otiosum expectando solùm ipsius temporis transitum, ad hoc vt actionem suam prosequeretur.

15 Negant Aduersarij antecedens: in assignanda autem ratione interruptionis illius non conueniunt inter se. Quidam enim primò dicunt agens quando extensiuè suam interrumpit actionem, cōtinuare illam intensiuè, & quando eam intensiuè interrumpit, eandem extensiuè continuare: & sic alternis vicibus operari, ita vt neutro modo alteratio sit continua.

Contra tamen est primò: quia sic iam habemus, quod per aliquod temporis spatium tum secundū intensionem, tum secundùm extensionem distributiuè alteratio continuetur. Nam si agens interrumpendo actionem suam extensiuè, illam continuat intensiuè, & è contra: ergo pro aliquo tempore est vno modo continua, & pro alio tempore, alterò modo. Quod si dicas vtroque modo instantaneè alterationem continuari, videlicèt semper cum aliqua interruptione temporis intermedij. ita vt continuatio se teneat solùm ex parte qualitatis vtroque modo productæ, non verò ex parte ipsius alterationis.

Contra etiam est: quia ex hac responsione sequeretur, quod qualitas tum quo ad intensionem, tum quo ad extensionem constaret ex indiuisibilibus. Quod enim nequit produci in tempore, sed per plura instantia interpolata, certum est nō posse componi ex partibus in infinitum diuisibilibus, sed ad summū ex indiuisibilibus coalescere. Præterea, quod non posset assignari à respondente, quantum temporis deberet expectare agens post primam actionem instantaneā ad producendū secundam; nam post primum instans, tempus, quantumuis minimum, quod assignatur, continet fluxa in infinitum instantia, quibus eius partes copulantur, in quibus poterat agens instantaneè operari. Dicere autem quod ad hoc à prima causa determinetur, est gratis, & sine necessitate ad Deum tamquam ad machinam confugere.

Denique contra hanc totam responsionem facit tertiò: quia pro eo tempore, seu instanti, quo agens qualitatem intendit, habere potest vires sufficientes ad illam in sensu composito extēdendam, & est debitè applicatum ad vtroque modo operandū. Non est igitur, cur alterationē tū extensiuè, tum intensiuè in eadē mensura durationis nō producat. 16

Dicunt alij secundò interruptionem illam prouenire ex eo, quia agens per priorem actionē debilitatum, iam debeat ab actione aliquantisper cessando, vires deperditas reassumere.

Contra tamen est primò: quia aliquando contingit agens per priorem illam actionem debilitatum nō esse; tum quia dabile est huiusmodi agēs, quod in agēdo nihil debeat proprię virtutis amittere, sicuti est Sol, dum calefacit terram. Tum etiā, quia etiam si virtus eius amissibilis sit: dabilis tamen est casus, in quo propter excessus improportionem, quam habet cum passo, id minimè contingat; vt foret, si in fornacem valdè accensam proijceretur capillus; in hoc n. casu capillus nihil ageret in fornacem; & per consequens alteratio, qua fornax capillum alteraret, non esset, cur interrumperetur.

Contra etiam est secundò: quia licèt agens in agendo repatiatur; & per consequens per primam actionem in passum aliquid virtutis amittat; nō est tamen, cur eam interrumpere debeat: quia minor hæc virtus actiua, quam debilitatā iam per primā actionem habet agens, eandem seruat proportionē cum virtute resistitiua passi, quam habebat, cū primā illā actionē exercebat. Sicuti igitur tunc agebat ita debet postea actionē suā alteratiuā continuare. Consequentia est euidens: antecedens verò probatur, quia sicuti in agente virtus actiua post primam actionē supponitur minorata: ita & multò magis supponi debet etiam minorata in passo virtus resistitiua ex eo, quia per actionem agētis aliquid propriæ qualitatis contrarię corruptum est. Igitur virtus actiua agentis eandem proportionē habet cum resistitiua passi post primam actionem.

Dicunt denique alij tertiò: eodem tempore, pro quo alteratio interrumpitur, passum ab agente disponi ad recipiendam subsequentem particulam qualitatis, quæ per alterationem introducitur. 17

Sed contra est: quia dispositio ista per Aduersarios habet contrarium, vt patet ex eo, quia non producitur tota simul; præterea suscipit magis, & minus, debet igitur introduci in passum per corruptiuam alterationem. Tunc peto: vel huiusmodi alteratio est continua, vel interrupta: si primum, habeo intentum; si autem secundum, redit ite-

Digitized by Google

rum argumentum initio factum : atque adeò procedi tur in infinitū in dispositionibus. Linquo primas qualitates, quia primæ, sunt nullas prærequirere dispositiones in subiecto.

Obijcies primò: Arist. *6. physic. tex.* 58. docet motum, qui est inter terminos contrarios, non posse continuari. *8. verò physic. tex.* 23. expresè habet hæc verba: dicere Rem continuè alterari valdè manifestis est aduersari.

Respondeo Aristotelem *locis cit.* loqui contra Heraclitum, & Cratilum volentes omnia; quandiù durant; in perpetua mutatione versari. Ideò 8. *physic. cit.* docet: Augmentationes, Alterationes, &c. per determinatas temporum vices exerceri; quod non obstat, quin determinatis illis vicibus sine vlla interruptione exerceantur.

Obijcies secundò: sæpè interrumpitur alteratio, vt si remoueatur v. g. agens, vel eius virtus actiua multum in agēdo debilitetur: resistitiua verò in passo crescat. non magis igitur alteratio dici
18 debet continua, quam discreta.

Respondeo, concesso antecedente, negando Consequentiam: quod enim discreta sit alteratio, aliquando per accidens est, in casibus scilicet assignatis in obiectione. At per se est continua; nos verò loquimur de illa secundùm ea, quę per se, & non per accidens ei conueniunt.

Obijcies tertiò: entia permanentia incipiunt per primum sui esse; sed qualitas corruptiua est ens permanens; ergo debet per primum sui esse incipere, atque adeò in instanti; alteratio igitur per instantia interpolata exercetur.

Respondeo, distinguendo maiorem: Entia permanentia, quæ permanenter producuntur, incipiunt per primum sui esse, concedo. Si verò sermo sit de entibus permanentibus, quæ successiuè, & per motum producuntur, nego: & sic distincta eodem modo minore; nego vtramque consequentiam. Res enim successiuæ per accidens, sicuti sunt qualitates corruptiuæ, quæ ratione productionis habent partes, quarum vna alteri succedere debeat, extrinsecè incipiunt, vt in physicis probauimus.

19 Obijcies quartò: si alteratio esset continua, duret v. g. per horam: tunc sic: in quolibet instāti assignabili illius horæ qualitas per illam acquisita est intensior, quam prius; sed instantia assignabilia sunt infinita; ergo in fine horæ qualitas producta est infinita. Porrò infinitum actu de potentia ordinaria à nobis non conceditur, ergo, &c.

Respondeo, distinguendo sequelam maioris: qualitas est intensior crescendo per partes æquales, nego: per proportionales, concedo; & concessa minore, nego consequentiam. Aio enim, quod sicuti hora, etiam si in quolibet instanti assignabili sit productior, quam antea, est tamen tota finita: ita etiam qualitas illa producta per horam; & ratio est, quia dicta qualitas non intenditur pro quolibet instanti assignabili illius, sed cum proportione ad partes proportionales temporis, quę inter illa instantia intercedunt.

Obijcies quintò: Non potest assignari, cur qualitas non producatur tota simul; ergo sic produci debet.

Respondeo, negando antecedens: Ex multiplici enim capite id prouenire potest; primò quidem ex eo, quod agens quando actionem suam inchoauit, cum esset indebitè applicatum passo, successiuè postea per motum localem ei approximatur. Secundò ex contrarię qualitatis, vel alicuius alterius rei resistentia, quæ reperiatur in passo. Tertiò ex agentis, vel libertate, vel debilitate. Porrò in casu nostro successio, & continuitas per se loquendo ex contrarietate, quæ reperitur in passo, prouenit.

SECTIO TERTIA.

Expenduntur rationes, quibus Arriaga alterationis interruptionem probat.

PRima eius ratio, quæ *numero* 33. affertur, sic 20
procedit: Si ignis applicatus trabi calefactionem non interrumperet: sequeretur, quod trabem in ictu oculi incenderet; sed hoc est *contra* experientiam; ergo &c. Sequelam *probat, quia* plura instantia sunt in ictu oculi, quam superficies in trabe; nam Sol ictu oculi percurrit spatium sine comparatione maius, quam sit longitudo trabis; ergo si ignis in primo instāti calefaceret primam trabis superficiem, & in secundo secundam sine interruptione breuissimo tempore deberet illam incendere. Quod si dicas: ignem in primo, secundo, & tertio instanti v.g. occupare se in calefaciendo primam superficiem, absque eo, quod agat in secundam. Contra est, tum quia hæc solutio non habet locum in qualitatibus, quæ totæ simul producuntur, tum etiam quia in intensione eadem difficultas procedit, nam sic in ictu oculi intensissimus calor in prima superficie passi deberet produci, quod est etiam contra experientiam.

Respondeo, negando sequelam; & ad probationem dico: eam procedere ex suppositione sententiæ Zenonis volentis continuum constare ex indiuisibilibus, quam in Physicis impugnauimus. Vbi probauimus velocitatem, & tarditatem motus non posse saluari per paucitatem, & pluralitatem morularum inter vnum, & aliud indiuisibile motus intercedentium. At in sententia Aristotelis admittentis continuum componi ex partibus diuisibilibus in infinitum, velocitas, vel tarditas alterationis, per se loquendo, æmenda est ex minori, vel maiori resistentia qualitatis contrariæ, quę expellenda est à subiecto, quod alteratur. Vnde licet casu, quo daretur vastissimus, & validissimus ignis, posset breuissimo temporis spatio trabem incendere: regulariter tamen loquendo multum tempus insumere debet ignis, qui non est tam ingens, neque tam robustus; etiam si suam actionem minimè interrumpat.

Arguit secundò: in omnium opinione, sonus producit speciem sui ad certum spatium in instanti. In remotiore verò spatio non nisi post aliquod tempus. Experimur enim, quod quando findituir lignum ab aliquo, viciniores simul audiunt sonum scissionis, ac vidēt ictū: at remotiores

prius

Digitized by Google

prius vident ictum, & postea eius audiunt sonum; ergo datur agens naturale, quod non possit continenter operari extensiuè, sed per aliquod temporis spatium ab operatione cessare debet. Idem igitur dici poterit de agente naturali alterationē in corpore corruptibili causante. Hoc argumentum dicit Arriaga manifestè suam sententiam ostendere, nec posse aliter explicari.

Respondeo tamen: Concessa experientia, quæ in antecedente assumitur, negando consequentiā. Dico prim, quòd cū species soni careant contrario, simul producuntur à sono in tota sui actiuitatis sphæra, vnde fit, vt simul in vicinioribus strepitum scissionis ligni percipiatur, quod si à remotioribus non nisi post aliquod temporis spatium, imò et prius tempore ab eis videatur ictus, quam audiatur sonus. Ratio est, quia obiecta visibilia multò maiorem sphæram actiuitatis habent, per quam suas species diffundant, quam audibilia. Vnde non est mirum, si remotiores videant statim ictum, sed non audiant tunc strepitum; quod autem illum audiant paulò post, ratio est, quia sonus ille causatur in aere per motum, quo scindens comprimit aerem; qua compressione cessante, aer vt ad statum naturalem se reducat magno impetu mouetur, vnde incipit esse vicinus hominibus, qui remotiores erant; & quia adhuc est infectus qualitate sonora, non est, cur in auribus eorum tunc secundas species soni non producat, & sic sonus audiatur ab eis; iam enim intra sphæram actiuitatis eius incipiunt contineri.

22 Instat Arriaga *num.* 37. quod productis primis speciebus soni, secundæ tardius producantur, non potest refundi in motum localem: ergo reduci debet ad hoc, quod in aliquibus instantibus species illę quiescant, & nihil operentur. Consequentia patet: Antecedens verò suadetur, quia motus localis fuit in ordine ad primam specierum productionem: at ea transacta, & corrupto sono ipso, cætera non fiunt per motum localem, sed per productionem similium specierum; ergo &c.

Respondeo, negando antecedens, ad cuius probationem dico in ea supponi aliqua improbabilia: nimirum quod transacto sono habeantur eius species, quæ in parte remotiore producantur. Hinc enim sequeretur, quod species sensuum externorū non penderent in conseruari à suis obiectis, & quod obiecta huiusmodi sensium etiam si nō existant, ab eis percipi possint; quod verumque falsum est. Deinde si quando species in parte illa remotiore producuntur, sonus non existit: quæro ex eo quenam sit causa productiua illarum? Dicit esse species, ab ipso sono existente in prima productione productas. Contra: quia præter quam quod species per se solas non possunt alias producere, vtpote infecundæ; est argumentum, quia vel aer, in quo illæ primæ species residunt, mouetur, vel non: si primum, falsum est motum localem fuisse in ordine ad priorem specierum productionem, & non in ordine ad posteriorem; Si verò secundum, assignanda est ab Auctore ratio, cur dictæ species non conseruant soni auditionem in vicinioribus pro ea differentia temporis, in qua audiuit sonus in remotioribus ad eum planè modum, quo species visibiles quandiù sunt in aere illuminato, conseruant in oculo visionem, quam antea produxerunt. Linquo dictas species suam primam productionem facere in primo instanti, in quo ponuntur existere.

Arguit tertiò *subsidiarie* 1. experientia constat 23
pręgrauem lapidem supra ligneam tabulam positum non statim eam frangere, sed post longum tempus; ergo non egit à primo instanti continenter in illam; aliàs ex tunc cępisset eam frangere, fissuram aliquam in ea causando: quod ridiculum est asserere.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Dico enim quod lapis ille à primo instanti, quo inuenit impedimentum, ne descenderet, cępit causare in partes tabulæ centro grauitatis suæ correspondentibus densitatem maiorem ea, quam tabula ipsa requirebat, sed quia magnam inuenit in ea resistentiam, ortam non solùm ex qualitate opposita, sed multò magis ex ipso subiecto, eiusque qualitatibus productionem densitatis illius impientibus, adeò parum proficiebat, vt nihil omnino densitatis in ea producere videretur. Verè tamen semper aliquid producebat, quo ad usque eius partes, in quibus plus æquo grauitabat, adeò condensauit, vt ipsę non possent amplius cum rationibus collateralibus continuari; vnde scissura, & fractio tabulę sequi debuit.

Instabis: densitas plus conducit ad restituendum ponderi, quam raritas; ergo fractio tabulæ non potest refundi in maiorem illam densitatem per tot annos à lapide in ea productam.

Respondeo, distinguendo antecedens: densitas 24
plus conducit ad resistendum ponderi, quàm leuitas, si cætera sint paria, concedo: quando non sunt cætera paria, nego antecedens, & consequentiā; Dico enim quod licèt, si ponamus duas tabulas ex suis intrinsecis, vnam, altera densiorem, in reliquis verò pares, densitas sit aptior ad resistendum ponderositati lapidis, quam rarior: quando tamen maior densitas tabulæ prouenit ab extrinseco, nimirum à grauitate lapidis eam prementis, reddit illam minus idoneam ad lapidem substentandum, quia cum illa densitas non causetur in tota tabula, sed solùm in ea parte centro grauitatis ipsius lapidis correspondente: est causa, vt hæc pars dissocietur à cęteris suam natiuam raritatem conseruātibus, & sic tabulę fractio causetur. Adderem præterea ex alibi dicendis corpora naturalia, quando ex vna parte plus æquo condensantur, producere in se ex parte opposita maiorem raritatē ea, quam in statu naturali sibi vendicabant. Vnde fit, vt tabula lapidis pondere pressa, & secundùm partes superiores condensata paulatim versus inferiores intumescat, & veluti gibossa videatur. Porrò hæc raritas, quo fit intensior, eo plus debilitat vires, quibus tabula oneri lapidis resistebat. Quare non est mirum, si tandem aliquando frangatur, & sic illi liberum iter relinquat, vt secundùm suam inclinationem, quam habet, moueatur ad centrum.

Arguit quartò Arriaga *in fine numeri* 45. Pluma 25
descendens habet semper eandem grauitatem, & aer, per quem descendit, est idem: & tamen ipsis oculis cernimus eam modò cadere, modò suspensam in aere remanere; ergo possunt naturalia agentia æquè applicata suam actionem interrumpere.

Digitized by Google

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Pluma enim descendens non semper est ęquè applicata ad scindendum aerem, vt possit suum motum deorsum sine interruptione prosequi; quando enim inuenit partem aeris valdè condensatam, quod idem occurrit ob varias rationes, cum eius resistentiam superare non possit, cessat à motu, donec illa pars ad suum statũ naturalem raritatis se reducendo, euadat secabilis à grauitate plumæ.

Argues quintò ex his, quæ habet *n.* 49. Si durissima silex perfectè leuigata à puero prima vice calcetur, non est credibile, quod deteratur, & aliquam sui partem amittat; Sed si repetitis vicibus ab eodem æquali impetu calcabitur, experientia constat, quod secundùm aliquas sui partes consumetur. Vnde dictum illum in simili emanasse: Gutta cauat lapidem non bis, sed sępe cadendo. Ergo à pari poterit aliquod agens naturale quãtumvis debitè applicatum passo per aliquam tẽporis moram nihil operari.

Respondeo, negando antecedens; dico enim, quod si puer prima vice calcando lapidem nihil in eo operaretur, neque partes aliquas ab illo imperceptibiles auferendo, neque dictas partes per compressionem disponendo ad discontinuandum se ab alijs: etiamsi centum mille vicibus illum calcaret, nihil detrimenti, ei afferret. Quod idem dicendum de prima aquæ gutta super lapidẽ cadente; quamuis enim eum non excauet: sua tamen humiditate emollit aliquantulum partem illam, supra quam suo pondere ruit, & sic eam incipit disponere ad discontinuandum se à reliquis, quo ad vsque superuenientibus alijs, atque alijs guttis adeò mollissimo liquida redditur, vt continuationem cum durioribus amplius retinere non valeat. Quidam ex nostratibus ad explicandam insufficientiam huius argumenti ab Aduersario proposiți sic insurgunt: Si quis volens turrim demoliri, & in ea bellicum tormentum explodere, quod primo ictu nihil omnino ageret in turrim magis, quam si non esset explosum, profectò si secundum, & tertium replicaret ictum, nihil magis proficeret, quam per primum; ergo à pari, si puer ille, seu gutta, & in vniuersum, si agens alteratiuum in prima parte temporis nihil ageret in passum, neque in secunda, neque in tertia, neq; in reliquis primæ parti æqualibus aliquid operaretur.

26 Porrò ad hanc instantiam respondet Arriaga dupliciter. Primò: concesso antecedente, negando consequentiam: disparitatem assignat, quia ipse loquitur de eodem agente aliquantulum applicato ad operandum, & vult, quod stante continuata applicatione actionem suam interrumpat. At Bombarda non semper est applicata, atque adeò experientia ab ea desumpta nihil valet ad casum nostrum.

Respondet secundò, negando antecedens: ait enim Bombardam, quamuis non possit prima vice absolutè deijcere turrim, posse tamen eam aliquantulum labefactare, quod constat ex signo, quod in ea reliquit: vnde non est mirum, si tandẽ replicatis ictibus eam prosternat.

Contra tamen priorem respõsionem facit primò; quia ea adhiberi potest ad experientiam de puero silicem sępius calcante, & ad illam de gutta lapidem excauante. Secundò, quia ex suppositione, quod agens alterando passum actionem suam interrumpere debeat, non potest assignari ad quid requirat continuationem applicationis ad ipsum passum pro eo tempore, pro quo non agit. Fac enim quod ignis inter vnam partem calefactionis, & aliã debeat quiescere per decem minuta: cur non poterit illo temporis spatio remoueri à passo, & postea in decimo minuto rediens suam in vndecimo actionẽ prosequi? Profectò quando Medicus semel suo munere functus est circa ægrotum, ridiculè in eodem prorsus loco detineretur ab aliquo eo solo prætextu, quod post quatuor, vel sex horas rursùm idem munus deberet exercere circa eundem ægrotum. Cur igitur non ridicula censeretur natura, si exigeret, vt agentia quibus suam actionem interrupérint, debeant tamen continuare applicationem ad passum eo solo nomine, quod post aliquod tempus eum aliam prosequuntur. Disparitas igitur de Bombarda nõ identidem ad turrim suo impetu applicata, sed interruptis vicibus illam aggrediente, nihil prorsus valet.

Contra posteriorem verò responsionem facit 27
etiam, quia argumentum non loquitur, sicuti de facto vsuuenire solet. Certum enim est, quod si durissimum lapidem gutta sępiùs repetita cauat: multò magis bellicum tormentum repetitis vicibus explosum contra solidissimam turrim eam aliquando prosternet. Sed loquitur ex hypothesi, quod primo ictu ne in minimo quidem turrim dædat. Quamobrem ego dictum argumentum nullius esse roboris hoc solo nomine existimare, quia Aduersarius iuxta sua principia respondere posset, quod facta illa suppositione pene impossibili, tandem post tot repetitos ictus contingere, vt turris tormento illo bellicò prosterneretur: quia, etiam si primo, secundo, & tertio ictu nihil pateretur: quinto tamen, vel sexto quoque, aliquid detrimenti toleraret; quo detrimento paulatim crescente, tandem daret manus, ac rueret.

Argues sextò ex his, quæ habet *num.* 47. habere virtutem ad continenter, & sine interruptione operandum multò magis est, quam eam habere ad operandum cum interruptione aliqua. Non est igitur illa virtus omnibus agentibus concedenda, sed tantùm perfectioribus, atque adeò admittenda sunt agentia in hoc ordine rerum, quæ sint de se operatiua cum morulis.

Respondeo: quod si argumentum procedat de 28
ijs agentibus, quę in operando defatigantur, cuiusmodi sunt animalia, quæ cum in suis operationibus exercendis tenuissimos spiritus consument, indigent ad eos instaurandos aliquantulum quiescere: verum est antecedens, & bona consequentia; & sic maior est virtus, quam habet Camelus ad ferendum pondus centum librarum per duos solidos dies sine interruptione, quam ea, quam habet Asellus ad ferendum dictum pondus per quatuor horas, & vtraque datur. Verùm cum nos in nostra Conclusione loquamur de agentibus naturalibus inorganicis, quę in operando non defatigantur, sed adhuc retinent virtutem suam operatiuam, quantum est de se potentem alterare passum: ideo nego antecedens, tanquam de subie-

cto

sto non supponente; dum enim assumitur, quod agens operatium cum interruptione sit imperfectius eo, quod est sine interruptione operatium: supponitur quod illa imperfectio inter cancellos entis realis concineatur, cum revera sit chymerica, & irrealis. Quemadmodum igitur respondeo quis argueret in hunc modum: Habere virtutem ad producendum individuum speciei multò maius est, quam habere virtutem producendi individuũ generis, vt sic; ergo non est illa virtus omnibus agentibus concedenda, sed perfectioribus tantùm, ita vt dentur imperfectiora, quæ possint producere individua generis tãtùm v. g. animalis, quę sub nulla specie continentur: ita & Adversarius. Putamus enim impossibile esse dari agens, quod non obstante quod habeat virtutem actiuã superiorem resistitiuæ passi, exigat actionem suam per aliquas moras interrumpere quo ad vsque perueniat ad complementum.

29 Argues denique septimò ex his, quę habentur *numero* 46. Aliquando agentia physica pendent in agendo à conditionibus extrinsecis, etiam actu non existentibus, quando operantur; ergo poterit ignis v. g. quando debet operari secundam partem alterationis, requirere approximationem cum passo præcedenti tempore habitam. Consequentia patet, antecedens verò suadetur, quia vt quis in hoc instanti constituat se præsentem spatio A. requirit necessariò, quod in instãti antecedente fuerit in loco vicino illi spatio, & tamen in instanti, in quo acquirit dictum spatium, non est, sed fuit in loco illo.

Respondeo distinguendo antecedens: Agentia physica pendent in agendo à conditionibus non existentibus ad agendum, proficuis, concedo: ad nihil inseruientibus, & omnino superfluis, nego antecedens, & consequentiam. Ad antecedentis verò probationem dico, quod præfuisse mobile tempore antecedente in loco vicino ad locum, quem in instanti consequenti acquirere debet, maximè conducit ad acquisitionem dicti loci. Cum enim supponatur non habere virtutem præstandi se ad quemcumque locum remotiorem ab eo, in quo est, sed solùm posse locum illi immediatè consequentem acquirere: hinc est, vt existentia in loco præcedenti se habebat, vt applicatio necessaria pro consequente. At agentia naturalia per cessationem ab actione alteratiua non magis applicantur ad agendum in passum, nec acquirunt aliquid ad agendum tempore consequenti proficuum. Vnde impossibile est, vt illa cessatio ab actione respectu actionis consequentis sit conditio, sine qua actionem suam minimè prosequerentur.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA OCTAVA.

DE INTENSIONE, ET REMISSIONE Qualitatis.

1 DVpliciter sumi potest intensio: vel pro motu, quo eadẽ qualitas in eadẽ parte subiecti magis, ac magis perficitur: vel pro perfectione ipsa, quam per talem motum qualitas ipsa consequi solet. Totidemque modis remissio sumitur, quæ est intensioni opposita, nempè vel pro motu, quo paulatim eadem qualitas in eadem parte subiecti diminuitur, atque deperditur: vel pro defectu perfectionis in ipsa qualitate, qui consequi solet ad talem motum.

Vtramque habent communem qualitates alteratiuæ, seu corruptiuę cum aliquibus qualitatibus merè perfectiuis carentibus contrario. Experientia enim constat non solùm calorem in eadem parte subiecti modò fieri maiorem, modò minorem: sed etiam lucem ipsam. Quare indiscriminatim de intensione, & remissione vtriusque generis qualitatum disputabimus. Et quia ex his, quæ de intensione dicuntur, facilè constat, quid de remissione dicendum sit. (Contrariorum enim eadem est disciplina, inquit Philosophus) ad solam intensionem tractationem nostram restringimus, quærendo quidnam sit illud, per quod qualitas formaliter intenditur, fiatque perfectior, siue sit sub motu, siue in termino motus, & in quiete.

SECTIO PRIMA.

An intensio qualitatis consistat in ablatione contrarij.

2 NOnnulli inter quos Ægidius *quodl. 2. quæst. 14.* putant qualitatem intendi per hoc, quod reddatur purior, & minus admixta qualitate contraria; Vnde intensionem in ablatione contrariæ qualitatis formaliter consistere asserunt, remissionem verò in contrariæ productione, contra quos sit.

3 Vnica Conclusio: Qualitas non intenditur formaliter per deperditionem qualitatis contrariæ. Est communis &c.

Probatur primò: quia multæ sunt qualitates, quæ intenduntur, & tamen nullum habent contrarium positiuum, vt lumen, vel si quod habent, non necessariò præsupponunt illud in subiecto, vt habitus scientiæ cum habitu ignorantiæ comparatus. Falsum igitur est, quod intensio vt sic in deperditione contrariæ qualitatis posita est. Dicere autem, quod in his casibus intensio consistat in maiore elongatione à non gradu, seu à negatio-

Digitized by Google

gatione sui, vt dicunt aliqui, ridiculū est. Elongatio enim maior a negatione sui nequit intelligi absque maiore positione entitatis illius rei, quæ dicitur elongari; ergo in hac positione potius intensio qualitatis censenda est consistere.

4 Probatur secundò: quia intensio formę habentis contrarium differt essentialiter ab expulsione ipsius contrarij; ergo nequit in huiusmodi expulsione consistere. Consequentia patet: Antecedens verò probatur multipliciter primò, quia potest Deus calorem, in aqua incendere absque vlla frigoris deperditione. Secundò, quia intensio pertinet ad intrinsecam qualitatis, quę intenditur, perfectionem: destructio verò qualitatis contrariæ nihil perfectionis ei, quæ intenditur intrinsecè addere potest. Tertiò denique, quia maior ablatio, seu expulsio contrarij est effectus secundarius maioris intensionis; ergo essentialiter ab illa distinguitur.

Probatur denique tertiò: quia si qualitas per ablationem contrarię qualitatis intenditur, quę ratione, quare contraria auferatur; per deperditionem ne suæ intrinsecæ perfectionis, an verò per hoc, quod plus contrariæ qualitatis acquiratur? Vtrumuis autem dicatur ab Aduersarijs, sequitur id, quod nos intendimus, vt consideranti, patet.

Obijcies Aristoteles 3. *Top. cap.* 4. ait albius esse id, quod est nigro impermixtius. 5. *vero phys. text.* 19. pariter dicit magis, aut minus ex eo, quod plus, vel minus contrarij ineſt.

Respondeo: in vtroque textu Philosophum loquutum esse in sensu causali, seu concomitanter, quo pacto verum est, quod ex ijs qualitatibus contrarium habentibus, quarum alterutra in subiecto esse necesse est, eò intensior vna est in tali subiecto, quo altera est remissior. Nos autem in conclusione loquuti sumus in sensu formali.

SECTIO SECVNDA.

An intensio fiat per productionem qualitatis perfectioris imperfectiore quo ad entitatem corrupta.

5 CONclusio est negatiua, & communissima contra Durandum, Albertum, Godefridum, Niphum, & alios apud Suarez *disp.* 46. *metaph. sect.* 2. *numero* 2. existimantes in intensione præcedentem qualitatem, quæ erat remissior, secundùm entitatem suam corrumpi, & aliam perfectiorem ab integro produci.

Probat primò Arriaga communem Conclusionem hoc argumento: quia vel qualitas perfectior, quę in locum imperfectioris de nouo producitur, est eiusdem speciei cum illa, vel non: si primum; ergo tam calidum erit subiectum per vnam qualitatem, quàm per aliam: secundum dici non potest ab Aduersarijs, quia ideò illi asserunt in intensione præcedentem qualitatem corrumpi, & aliam produci, quia duæ qualitates eiusdem rationis nequeunt simul in eodem subiecto reperiri; sed si sunt diuersæ rationis hæc ratio cessat; ergo &c.

Sed ad hoc facilè respondere possunt Aduersarij, eligendo priorem partem: & negando posteam consequentiam, dicere; quod quemadmodum quælibet bipalmaris est eiusdem speciei cum quantitate palmari, & nihilominus subiectum non redditur æquè quantum per vnam quantitatem, ac per aliam: ita quamuis qualitas intensior caloris sit eiusdem speciei cum minus intensa, reddet tamen subiectum magis calidum, quàm erat prius. Nam esto quantitas bipalmaris includat in se quantitatem palmarem, quatenus afficit diuersas partes subiecti: argumentum tamen sumptum à conscientia specifica non conuincit, eo quod sustineri probabiliter potest ex duobus indiuiduis eiusdem speciei vnum posse esse perfectius altero.

Ad quod respiciens Durandus *in* 1. *dist.* 14. *quæst.* 1. *numero* 3. dixit intensionem non dicere variationem essentiarum, sed variationem eiusdem essentiæ secundùm magis, & minus.

6 Probatur ergo efficaciter Conclusio: Primò, quia si intensio fieret per deperditionem imperfectioris qualitatis, & per perfectioris acquisitionem, sequeretur ex aduerso, quod remissio deberet fieri per deperditionem perfectioris, imperfectiorisque acquisitionem. Ponamus igitur quod aqua ex calida vt septem, remoto igne, incipiat frigefieri, ita vt fiat calida, vt sex. Tum sic: *Si totus ille* calor vt sex est de nouo productus, *vt dicunt Aduersarij*, procul dubio assignari debet eius causa producens: atqui nulla est assignabilis huiusmodi causa; ergo falsum est, quod *ille calor* sit productus de nouo, sed est idem quo ad *entitatem*, qui erat prius. Maior patet, minor autem probatur: non enim dici potest primò, quod causa producēs sit calor vt septem, quia hic non existit amplius, quādo calor vt sex incipit existere; alioqui aqua tunc esset calida, vt tredecim contra omnes Philosophos, qui non admittunt excessum supra octauum gradum: siquidem causa efficiens non potest agere nisi existat. Neque secundò dici potest, quod sit aqua, quia hęc est productiua frigoris, & non caloris; & potius si posset, tunc temporis produceret in se frigus, quod illi est necessarium quandoquidem nihil haberet contrarij, quod ei resistere posset. Neq; tertiò dici potest, quod causa efficiēs illius caloris sit aliquod agens calidum extrinsecùs aquę applicatum, pono enim eam in aere frigidissimo. Nec denique quartò potest recurri ad primam causam, quia hæc quando operatur vt causa vniuersalis, semper ad exigentiam causarum naturalium operatur. Atqui nihil potest assignari quod exigat dictum calorem remissum. Nō aqua, quia est illi contrarius non causa, quę intensionem produxit, quia non datur huiusmodi exigentia in agentibus extrinsecis; alioquin deberemus asserere, quod ex suppositione, quod ignis produxit primum gradum caloris in ligno, quamuis postea corrumperetur ignis, vel fieret à ligno distās, exigeret à Deo, vt intēsiores gradus in eo produceret, & suppleret defectum suum; et quidem à fortiori, quia multò plus inclinat ignis, vt compleantur eius dispositiones in ligno, quam vt reddantur ex perfectioribus imperfectiores, & imperfectiores.

Ioannes Poncius *disp.* 24. *physic. quæst.* 3. *numer.* 22. non multum huic rationi fidit: quia respondeti posset, inquit, quod quemadmodum recurritur ad Deum in ordine ad conseruationem caloris in aqua producti: ita recurri facilè posse in ordine ad eiusdem productionem, cum quia non est facilius Deo conseruare, quam producere: nec etiam

etiam quia, si esset determinatus ad conseruandum dictum calorem in instanti A. esset etiam determinatus ad ipsum producendum casu, quo non esset antea productus.

7 Sed contra est, quia si à conseruatione rectè ad productionem valeret argumentum: sequeretur, quod quemadmodum à sola causa prima omnes substantiæ conseruantur; ita quis deducere posset, quod ab ea sola omnes producantur: tum quia æquali Deus facilitate verumque præstat; tum etiã quia est determinatus ad eas in hoc instanti conseruandas. Quod igitur Deus conseruet effectus à causis secundis productos, oritur ex exigentia dictarum causarum secundarum; quæ, posito quod eos produxerunt, exigunt à Deo illorum conseruationem, donec alia causa non exigat validius, & precibus, vt ita dicam, efficacioribus eorumdem destructionem. Alioqui si Deus sine vlla exigentia conseruaret effectus à causis secundis productos: posset vt Auctor naturæ ad libitum illos destruere, & sic nihil certi de eorum duratione haberi posset à nobis. At verò quod Deus se solo producat effectus, quos possunt causæ secundæ producere, regulariter loquendo, nulla habetur exigentia in ipsis causis. Dixi, regulariter loquendo, quia casu, quo in materia ligni v. g. haberentur completæ dispositiones ad formam ignis, & nullum agens creatum daretur, quod hìc, & nunc illam causare posset: tunc Deus vt Auctor naturæ eam produceret. Aliter enim existeret connaturaliter forma ligni in materia non solùm sine proprijs dispositionibus necessarijs, sed etiam cũ dispositionibus ad formam ignis sufficiẽtibus, quod est naturaliter impossibile. Quoniam verò in casu nostro, quando aqua ex calida vt septem, remoto igne, incipit frigefieri, nullę assignari possunt in ea dispositiones, quæ exigant à Deo productionem caloris vt sex: nullam probabilitatem habemus asserendi Deum vt Auctorem naturæ dictum calorem se solo producere. Atque hæc quantum ad paritatem. Quod verò attinet ad rationes dico priorem nihil concludere; Deo enim omnia æquè facilia sunt: & tamen non omnia, quæ potest facere, facit. Posteriorem verò falsam esse puto: quia alia est determinatio, quam debet habere prima causa in ordine ad conseruandum hìc, & nunc vnum effectum productum à causa secunda, & alia ad producendum illum se sola. De facto enim Deus habet decretum conseruandi se solo ignem ab alio igne productum, & non habet decretum eundem ignem se solo producendi, & de possibili potest habere decretum producendi se solo lumen in aere, & non habere decretum illud se solo conseruandi; quia vel vult immediatè post instans productionis corrumpere illud, vel non nisi vna cum Sole conseruare.

8 Probatur secundò nostra Conclusio: quando intenditur calor in aqua, non potest assignari à quo entitas caloris remissi corrumpatur; ergo non corrumpitur, & per consequens intensio non fit per corruptionem qualitatis remissioris, & productionem totius intensioris. Omnia patent præter antecedens, quod probatur, quia si posset assignari, hoc vel esset aqua, vel ignis; non potest dici, quod sit aqua, quia non est per se contraria illi gradui remissio caloris, sed ratione frigiditatis, quam constat non posse in se producere aquam pro ea differentia temporis, pro qua ignis reddit illam calidiorem; alioqui tunc moueretur duobus motibus contrarijs calefactione scilicet, & frigefactione, quod naturaliter repugnat. Neq; potest dici, quod sit ignis, quia ignis est productiuus, & non corruptiuus caloris: defacto enim, si non inuenisset in aqua talem gradum remissum, produxisset; ergo non potest assignari à quo nam entitas caloris remissi corrumpatur.

Arriaga *loco cit. numero* 5. putat hoc argumentũ nõ esse efficax: eo quod Aduersarij facilè ad illud respondere possent, gradum illum remissiorem caloris destrui per accidens ab igne, quatenus ab eo producitur intensior, qui secum habere remissiorem respuit.

Sed contra est: quia hic Auctor *num.* 8. vtitur argumento ex remissione desumpto, quod nos in priore probatione Conclusionis nostræ attulimus, tamquam efficaci. Sed eadem militat difficultas pro vtroque; ergo vel vtrumque tueri debet, vel vtrumque tamquam inefficax improbare. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia si ignis quando intendit per se calorem in aqua, probabiliter dicere possunt Aduersarij, quod per accidẽs remissiorem corrumpat; non est, cur cum eadem probabilitate dicere nequeant, quod aqua, quando producit in se frigiditatem per se remittendo calorem intensiorem, per accidens non producat in se minus intensum. Non enim magis est inimica aqua calori, quam ignis sit illi amicus. Si igitur, hac amicitia non obstante, ignis potest per accidens illum destruere: etiam non obstante inimicitia, qua illum aqua prosequitur, poterit per accidens ipsum producere.

Neque dicat primò: plus requiri ad producendum per accidens aliquid, quam ad illud destruẽdum per accidens; nam ad producendum semper requiritur virtus productiua illius, quod produci debet, quæ dari nequit in aqua respectu caloris remissi: at ad corrumpendum per accidens, non requiritur in corrumpente virtus corruptiua illius, quod debet corrumpi. 9

Ne id dicat inquam: quia in rebus creatis non datur virtus directè corruptiua alicuius effectus, sed solùm indirectè, quatenus est productiua alterius effectus incompossibilis cum corrumpendo. Tũ sic: nõ plus repugnat aquæ habere virtutẽ productiuã caloris remissi, quàm repugnet igni habere virtutem productiuam formæ incõpossibilis cum calore remisso: quia in genere corruptiui, & corrupti efficienter non habetur in rerum natura maior oppositio, quam quod aliqua causa sit productiua alicuius formę permanentis incompossibilis cum alia forma; ergo vel non repugnat aquæ virtus productiua per accidens caloris remissi, vel si repugnat, debet etiam repugnare igni virtus corruptiua per accidens eiusdem caloris.

Neq; iterũ sic vrgeas cũ Arriaga: Anima matris, quæ primo produxit formam embrionis, destruit postea illam ad productionẽ animæ, quæ est forma perfectior; ergo poterit etiam ignis destruere calorem remissum, quem antea produxit ad productionem intensioris, qui est forma perfectior.

Respondeo enim negando, consequentiam; ratio negationis est, quia materia non est capax 10 plu-

plurium formarum substantialium simul, vnde ad aduentum vnius altera destruatur necesse est: at sine controuersia capax est plurium formarum accidentalium, vnde non est necesse, vt ad productionem vnius sequatur corruptio alterius, nisi aliunde constet earum contrarietas, & incompossibilitas. Iam verò in casu nostro constat oppositum, quia calor imperfectus à perfectiore iuuatur.

11 Neque denique addas tertiò: esse veluti axioma, quod ignis maior minorem extinguat; ergo non erit mirum si per accidens calorem quoque remissum corrumpere valeat. Nego enim consequentiam: ratio disparitatis est, quia ignis maior non causat minoris extinctionem per productionem formæ incompossibilis cum forma minoris; sed per hoc, quod eius pabulum, & nutrimentum sibi appropriet; ex quo fit, vt minor ignis inedia moriatur. Quod non derogat coniunctioni, quæ inter vtrumque ignem esse debet: quia ex vna parte minor nullum ius in pabulum illud habebat, ex alia verò ex suppositione, quod ambo diutius durare non possint propter contrarietatē, quam habent in terris: ad speciem ignis magis conducit, quod maior ignis conseruetur, quàm minor. At verò in casu nostro ignis causaret caloris remissi destructionem producendo formam incompossibilem cum illo, in quo assimilaretur aquæ, quæ nullo alio modo calorem destruit, quā producendo frigus, quod est forma incompossibilis cum calore; & solùm differret ab ea per hoc, quod ipse ignis destrueret calorem per accidens, quatenus scilicet produceret perfectiorē calorem, qui licèt esset exclusiuus imperfectioris: illum tamē in se contineret eminenter: at verò aqua illum destrueret per se, quatenus produceret formam illi contrariam, nempe frigiditatem habentem rationem formalem ei oppositam, ac repugnantē; Quemadmodum ergo virtus destructiua per accidens caloris remissi modo explicato posset probabiliter concedi igni in sententia Arriagæ: ita etiā deberet posse cum eadem probabilitate concedi aquæ virtus productiua eiusdē caloris remissi per accidens in hoc sensu, quatenus scilicet ipsa per se quidem inclinaret ad excludendum totaliter à se calorem; quia tamen non potest, nisi paulatim destruendo intensiorem, & producendo minus intensum; & rursus destruendo hunc, & alium illo remissiorem efficiendo, quo ad vsque eum à se penitus excludat; ideo non esset censenda causa per se productiua caloris. Sed hoc non concedit perdoctus Pater; & meritò: communi enim existimationi omnium tum sapientum, tum etiam rudiū repugnat; ergo propter eandem rationem nequę concedere debet igni virtutem illam per accidens corruptiuam dicti caloris remissi, quod erat probandum.

12 Probatur denique tertiò nostra Conclusio: quia omnes habitus, tam naturales, quàm supernaturales ex remissis fiunt intensi absque deperditione entitatis habitus remissi; ergo & reliquę qualitates eodem modo intenduntur. Consequentia constat paritate rationis. Antecedens verò probatur, quia habitus ex remissis fiunt intēsi per actus, quos efficienter causant; sed hi actus existunt in eodem instanti cum entitate habitus intensi, & habitus remissi; ergo habitus fiunt ex remissis intensi absque deperditione entitatis remissi. Minor, quæ sola probatione egot, suadetur ex eo, quia hi actus sunt effectus in genere efficientis habitus remissi, & sūt causæ item in genere efficientis habitus intensi; ergo necesse est, vt existant in eodem instanti cum vtroque habitu; alioqui produceretur effectus nō existente sua causa efficiente, quod repugnat. Ex quo deducitur, quod tum habitus remissus, tum intensus debeat existere simul in eodem subiecto. Et sic falsum est, quod intensio fiat per productionem qualitatis perfectioris; imperfectiore corrupta; nam sicuti entitas habitus intensi, & entitas remissi possunt simul existere in eodem subiecto pro primo instanti, in quo est actus, ita poterunt pro consequentibus.

Poncius in hac ratione assignanda queritur de 13
Arriaga, qui eā, quod attinet ad habitus supernaturales, attribuat Hurtado, quod verò ad naturales sibi. Cum tamen Scotus vtramque partem expresse habeat. Quasi verò non possint plures ingeniosi viri absque eo, quod alius de alio quidquam nouerit eandem rationem ad idem suadendum inuenire, aut posito, quod vterque legerit Scotum (vt ego existimo) habuerint obligationē, ne partialiter quidem hanc rationem adducendi, nisi facta mentione de Auctore, ex cuius scriptis eam exceperint. Cum constet sapientissimos viros, inter quos ipse subtilissimus Doctor est numerandus, multa ex aliorum scriptis eis non memoratis nobis sapiener protulisse. Et quidem si Arriaga dictam rationem sibi, & Hurtado tamquam primis Inuentoribus ascripsisset, & aliunde eam esse Scoti cognouisset, fuisset procul dubio reprehendendus. Sed ipse solùm habet, quod eo argumento quo ad habitus supernaturales vsus est Hurtadus; se verò illud efformare velle in habitibus naturalibus: in quibus verbis, ne vmbra quidem appropriationis, aut iactantię apparet, ratione cuius sit iure notandus. Sed his posthabitis contra Conclusionem principalem.

Obijcies primò: Terminus à quo motus, aduenientе termino ad quem, corrumpi debet, sed forma remissa in motu intensionis habet rationem termini à quo; ergo ad aduentum formæ intensæ perire debet; intensio igitur fit per deperditionē formę præcedentis. 14

Respondeo: concessa maiore, distinguendo minorem: forma remissa sumpta secundùm suam entitatem in motu intensionis se habet, vt terminus à quo, nego; forma remissa sumpta ratione priuationis qualitatis intensæ, cum qua est coniūcta, concedo minorem: & distincto eodem modo primo consequente, nego vltimam consequentiam.

Instabis, si hæc responsio vera esset: sequeretur primò, quod intensio non esset motus propriè dictus; haberet enim pro termino à quo aliquid priuatiuum; sequeretur secundò, quod terminus ad quem remissionis esset priuatio formę intensæ; remissio enim, & intensio oppositā ratione se habent; tertiò denique sequeretur, quod si illa negatio non esset cum forma remissa coniuncta, motus ab illa qualitate profectus non esset intensio, sed hęc videntur absurda; ergo &c.

Respondeo negando primam sequelam; dico enim

enim intensionem dici motum propriè dictum, tunc quando tendit ab vna qualitate contraria in aliam. Ad secundam verò respondeo illam concedendo; remissio enim est motus corruptiuus, qui de se, & formaliter tendit ad non ens. Concedo, denique tertiam sequelam: tunc enim motus, qui est v. g. ad calorem dici debet intensio, quando habet pro termino à quo caloris producēdi primationem connotātem in subiecto aliquid caloris producti, cum quo calor producendus coniungi debet.

15 Obijcies secundò: qualitas remissa est opposita qualitati intensæ; ergo hac adueniente, illa corrumpi debet.

Respondeo, distinguendo antecedens. Qualitas remissa formaliter sub esse remissæ, est opposita qualitati intensæ, concedo: entitatiuè sumpta, nego antecedens, & consequentiam in sensu, quem intendunt Aduersarij. Remissio enim, & intensio non sunt de ratione qualitatis, sed pertinēt ad entitatem illius, & ei accidenteliter competunt: atque adeò ab ea separari possunt, sicuti à quantitate maior, & minor extensio.

Obijcies tertiò: Aduenientè vna vbicatione, vel vna parte motus localis recedit alia vbicatio, seu alia pars motus à subiecto; ergo aduenientè qualitate intensa, corrumpi etiam debet secundùm entitatem suam qualitas remissa.

Respondeo, concesso antecedente, negando cōsequentiam. Disparitas consistit in eo, quia subsequens vbicatio neque est ordinata ad perfectionem precedentis, neque est compatibilis in eodem subiecto cum illa; non sic autem entitas qualitatis intensę se habet ad entitatem remissæ. Motus etiam localis est ens successiuum, cuius vna parsnō potest alteri coexistere: at verò qualitates secūdùm entitatem suam est ens permanens.

SECTIO TERTIA.

Vtrum intensio fiat per maiorem qualitatis radicationem in subiecto.

16 CONclusio est negatiua, & communis inter Receptiores, inter quos est Suarez *disp. 46. metaphys.* 1. Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, & alij, contra Thomistas, qui existimant omnia accidētia indiuiduari à subiectis suis, & idcircò negant posse qualitatem aliquam habere plures partes graduales, quibus afficiendo vnum subiectum, secundùm eandem partem magis, ac magis intendatur, sed volunt qualitates omnes intensiuè quidē secundùm entitatem suam indiuisibiles esse, & solam extensiuam diuisibilitatem habere ratione subiecti; ad cuius planè modum quo communiter dicimus formas materiales substantiales v. g. elementorum se habere in ordine ad materiam.

Verùm ex hac sententia manifestè sequitur, quod tolleretur motus intensiuus. Sequela probatur, quia dictus motus habet essentialiter partes quarum beneficio subiectum secundùm eandem partem sub imperfectiori qualitate prius existens, transit ad habendam perfectiorem: v. g. lignum, quod erat calidum, vt vnum, euadit calidū vt duo. Si igitur qualitas hæc caret partibus intensiuis iā non poterit acquiri per partes motus; sed posito quod semel acquisita est, tota quanta est, & secundū omnem perfectionem, quam habet, acquisita sit necesse est. Confirmatur eadem sequela, quia motus intensiuus hoc ipso, quod habet partes, debet esse procul dubio diuisibilis, vt patet ex Aristotele 5. *phys. tex.* 19. sed si omnis qualitas est indiuisibilis, intensio non potest esse huiusmodi: quia indiuisibile, vt indiuisibile non potest, nec produci magis, ac magis per motum diuisibilem, nec per eum acquiri; & rectè quidem, cum enim per motū semper aliquid acquiratur, vel producatur, necessariò cuicumque parti illius pars aliqua termini correspondere debet: quamuis enim in tempore aliquid indiuisibile permanens produci possit; ita tamen potest, vt non solùm ipsum, sed etiam eius productio indiuisibilis fit successiuè, atque adeò talis, vt in quacumque parte proportionali illius temporis tota simul extiterit. Sed hoc de motu intensiuo dici nequit; ergo &c.

Ad hoc argumentum respondent communiter 17
Thomistæ: quod licèt qualitas secundùm entitatē suam sit intensiuè indiuisibilis, quia tamen sibi vēdicat peculiarē quendam modum, per quem habet quod possit in subiecto, cui inhæret, magis, magisq; radicari, & sic à formis omnibus substantialibus diuisibilibus, & à qualitatibus expertibus intēsionis, & remissionis distingui: hinc est, vt beneficio eiusdem modi per motum diuisibilem qui est intēsio, acquiri possit; vnde intensionem per maiorem radicationem qualitatis indiuisibilis in eadem parte subiecti fieri posse concludunt.

Contra tamen hanc responsionem est primò: quia modus iste, quem fingunt Aduersarij, vel est secundùm entitatem suam indiuisibilis, vel diuisibilis in ordine ad vnam, & eandem partem subiecti: primum dici non potest, quia redeunt difficultates de diuisibilitate motus intensionis; neque secundum, quæro enim ex Aduersarijs, si talis modus est diuisibilis, vel ita diuisibilis est, vt eius partes pro eodem tempore in eadem parte subiecti coexistant: vel ita vt non possint simul coexistere, sed successiuè, atque adeò aduenientibus posterioribus partibus, priores corrumpantur? Si primum eligant, iam concedunt, quod intensio in dicto modo fiet per additionem partis ad partem, & quod compositio huiusformæ modalis ex pluribus gradibus in eodem subiecto positis sine vlla repugnantia haberi possit; & denique quod hic modus non indiuiduetur à subiecto, idem igitur, dicere poterant de ipsa qualitate intensibili. Sin autem secundum malint, redeunt argumenta, quæ facta sunt contra Durandum in præcedenti Subsectione, mutatis terminis qualitatis in modum; cum præsertim ijsdem planè vtantur Aduersarij impugnantes eundem Durandum.

Contra etiam est secundò: quia non potest ex- 18
plicari in quonam modus hic Aduersariorum, in quo dicunt maiorem radicationem consistere, potius sit; ergo &c.

Respondet ad hoc primò Ægidius cum Aquario consistere in aliquo, quod sit prævium ipsi qualitati, & se habeat vt dispositio respectu subiecti, quod debet illam recipere.

Sed contra est primò: quia multę dantur qualitates, vt primæ, quæ nullas prærequirunt in subiecto dispositiones. Secundò: quia etiam si omnes

Digitized by Google

qualitates intensibiles dispositiones illas prærequirerent; intensio tamen non esset in ipsis qualitatibus, sed in suis dispositionibus, quæ magis, ac magis intenderétur in eadé parte subiecti. quod si ad reddendas etiam qualitates ipsas intensiores esset sufficiens earum intensio: etiam formæ substantiales dici possent intendi, ratione scilicet suarum dispositionum. Tertiò denique, quia vel ista intensio dispositionis augetur per partes: vel non, & sic redeunt argumenta quæ fecimus supra.

19 Respondet secundò Capreolus: modum hunc esse vnionem, & consistere in eo, quod qualitas primò producta, magis, ac magis inhæreat, seu vniatur subiecto.

Sed contra est: tum quia vnio hęc, quã alij appellant inhęrentiam, est dependentia accidentis à subiecto, quę posita est in indiuisibili, sicuti eius oppositum, quod est esse per se, atque subsistere; tũ etiam quia vnionis munus est vnire res secundùm earum entitatem: atque adeò quantum vnibiles sunt; vnde in casu nostro vnio incapax omnino est partium intensiuarum, hoc ipso quod terminus non habet partes intensiuas, ratione quarum magis, ac magis in eadem parte subiecti perficiatur; tum denique, quia vnio hæc, seu inhærentia, vel diuisibilis est, vel indiuisibilis intésiuè: vtrũuis autẽ dicatur, redeunt semper argumẽta priora.

Respondent alij tertiò: modum hunc haberi per hoc, quod qualitas, quę initio fuit producta secundùm omnes gradus, quos putant inter se ratione ratiocinata distingui, secundùm dictos gradus postea per motum intensiuum actuet successiuè subiectum.

Sed contra est primò: quia illa qualitas secundùm omnes gradus fuit ab initio educta de potẽtia materiæ, & ab eadem secundùm eosdem gradus qui sunt rationes accidentales ab initio pepẽdit; siquidem ponitur identificata cum illis; ergo etiam ab initio secundùm dictos gradus ipsã materiam actuauit; ex his enim quę identificantur, si vni realiter competit aliquid, etiã hoc realiter alteri cõpetat necesse est. Ridiculę igitur datur postea motus intensionis ad dictos gradus materię communicandos. Secundò contra etiã est, quia sicuti motus, per quẽ producitur per Aduersarios qualitas, est realiter distinctus ab eo, per quem intenditur, ita etiã eorũ termini esse debent realiter inter se distincti. Impossibile n. est, quod mobile aliquod, realiter de nouo moueatur, & quod agens reuera agat, & tñ quod neq; ab illo acquiratur, neque ab hoc producatur aliquid reale de nouo. Tertiò deniq; quia ex ista sententia sequeretur, quod causa formalis existeret priori tẽpore in materia, quã suus effectus formalis: quod est expressè contra Arist. 12. *met. tex.* 16. Sequela probatur, quia gradus intensiores non actuarent ab initio subiectum suum.

20 Respondet quartò Caietanus: per hunc modum eandem qualitatem indiuisibilem magis, ac magis educi de potentia materiæ.

Sed contra est primo: quia nisi ponatur qualitas habere in se partes intensiuas, in intelligibile prorsus est, qua ratione possit magis, ac magis educi de subiecto; id n. quod in se indiuisibile est, vel totum, vel nihil ipsius sit à parte rei, & extra suas causas necesse est. Contra secundò, quia in remissione caloris, in aqua producti non potest assignari à quonam procedat illa actio eductiua, qua calor ille ex intenso euadit remissior; ergo &c.

Respondent alij quintò: maiorem radicationem consistere in eo, quod qualitas secũdùm se indiuisibilis beneficio actionis intensiuæ alios, atque alios modos acquirat, quos qualitatis terminationes appellant, & per hos putant quod intendatur.

Contra tñ est primò: quia vel isti modi distincti sunt à qualitate, & sic redeunt argumenta ĩ facta; vel sunt indistincti, & sic ponuntur habere vnã entitatem indiuisibilem, quæ sit entitas ipsius qualitatis, atq; adeò nequeunt acquiri per motum diuisibilem. Dicere autem quod *huiusmodi terminationes sint realiter indistinctæ à qualitate, & distinguantur autem realiter inter se, est asserere aliquid supra captum naturæ, quod Fide tantùm in mysterio SS. Trinitatis obscurè cognoscitur.* Decãtatũ enim est *in creatis Axioma illud: Quę sunt eadem vni tertio singulari, & indiuiduo, sicuti ponitur esse qualitas, sunt eadem inter se.*

Respondent alij sexto: modum hunc esse existentiam: atque adeò intensionem fieri *per acquisitionem perfectioris existẽtiæ eadem essentia qualitatis permanente: remissionem verò per acquisitionem imperfectioris.*

21 Sed contra est primò: quia eadem hæc explicatio patitur difficultates, ac *precedentes*; nam vel existentia imperfectior ad aduentum perfectioris corrumpitur, & sic assignari debet causa *productiua* imperfectioris, quando in remissione perfectior existẽtia in imperfectiorẽ mutatur: vel remanet simul cũ perfectiore, & sic cessat ratio, cur qualitas non possit secundũ intensionẽ habere partes. Secundò specialiter contra est, quia existentia ad nihil aliud inseruit, quã ad extrahendã essentiã rei à potentia causarũ suarũ dãdo ei formaliter esse extra illas. sed hoc cõsistit in indiuisibili; ergo implicat quod res aliqua habere possit plures existentias proprias, vnã alia perfectiorẽ. Maior patet: Minor probatur: quia res nõ potest esse magis, *aut minus* extra causas suas, neque magis, aut minus *esse*: sed vel est, vel nõ est; ergo &c. Cõsequentia videtur legitima: nam illa existentia perfectior non faceret aliud, quã rẽ esse in rerum natura, & extra causas suas; sed hoc adæquate præstatur ab imperfectiore; ergo &c. Vbi aduerte me loqui de existentijs propr is, scio. n. rẽ posse existere per existentiã alienã quę sit perfectior propria, quoniã verò hæc maior perfectio *materialiter* solũ se haberet *in ordine* ad effectum formalẽ extrahendi *rẽ illam ex nihilo*; non. n. faceret eã magis esse extra causas, aut magis distare à suo nõ esse: ideo dicendũ est, quod etiamsi qualitates intensibiles possent habere proprias existentias vnam alia perfectiorẽ: per eas tñ non redderentur magis, vel minus intensę. Contra deniq; tertiò: quia si maior intẽsio qualitatis consisteret *in* perfectione eius existentia, sequeretur; quod quãdo quis videret maiorẽ lucẽ, aut albedinẽ attingere oculis perfectiorẽ eius existẽtiã; sed hoc est falsũ: quia existentia non est sensibilis, sed est sensibilis qualitas, quæ habet existentiã; ergo &c.

Respondent *septimo* Complutenses relati à Poncio *disp. 24. phyſic. quæſt. 3. numero 33.* modum hunc importare communicationẽ maioris aequalitatis formæ intensibilis.

Sed

Sed contra est: quia vel in hac responsione sermo est de actualitate existentiæ, & sic paulò ante, eam consultauimus; vel de actualitate essentiæ, & sic ponitur à Complutensibus essentia qualitatis suscipere magis, & minus contra Aristotelem, qui dicit rerum essentias consistere in indiuisibili, & esse sicuti numeros. Vel denique sermo est de actualitate entitatis, & realitatis ipsius qualitatis, & sic iam concedunt intensionem fieri per additionem partis ad partem; maior enim actualitas entitatiua non stat sine multiplicitate partium entitatiuarum eiusdem rei, quæ maioratur.

Respondent denique alij octauò: hunc modum, in quo maior radicatio posita est, præbere formæ maiorem explicationem in subiecto, tollendo cõfusionem, & potentialitatem ipsius subiecti, illudque ad maiorem vnitatem reducendo.

Sed contra hanc explicationem facit, quod superet in confusione reliquas, & indigeat maiori explicatione, quam id, ad cuius explicationem allata est. Quæro enim quo modò forma aliqua, postquam extitit in subiecto, possit magis, & magis in eo explicari? num quid quando erat remissa, inuoluta, & implicata erat? Certè id fateri tenentur Auctores hi. Sed per quid inuoluebatur, & implicabatur? per se ipsam ne, an per aliquid aliud? Dicant quid velint: certè inuolucra, & implicationes in rebus indiuisibilibus, sicuti ponunt esse qualitatem intensibilem, inuenire non poterunt. De ablatione autem confusionis, & potentialitatis subiecti nihil dicam; nam vel loquũtur de confusione, seu indeterminatione, ac potentialitate eius essentiali, & hęc est à subiecto inamouibilis, sicuti essentia: vel de accidentali, quæ per carentiam formæ completur: & hæc, hoc ipso quod qualitas indiuisibilis est in eo, tota quãta est, ablata iam est. Vnde beneficio intensionis formæ auferri amplius minimè potest. Quod denique attinet ad maiorem vnitatem, certum est nõ esse sermonem de vnitate subiecti in ordine ad se, sed de ea in ordine ad formam. Sed hæc habetur beneficio vnionis, in qua intensionem, & remissionem consistere satis supra confutatum est, & vlterius confutabitur ex dicendis paulò post.

SECTIO QVARTA.

Expenditur explicatio Mazziottæ.

23 BErnardinus Mazziotta è nostra Societate *selectarum quæstionum tom. 1. quæst. 11.* non sine aliqua probabilitatis specie docet: quod etiam si qualitas v. g. calor sit in se indiuisibilis, si tamen ratione diuersorum modorum, quibus inexistit subiecto, modò magis, & modò minus afficiat ipsum subiectum ratione huius diuersæ afficietiæ subiectum modò intensè calidum, & modò remisse euadere poterit; quod probat à *numero 35.* triplici argumento. Et primò quidem auctoritate Augustini relati à D. Th. *quæst. 1. de virtutibus artic. 1.* qui ait: In ijs, quę mole carent, idem esse maius, ac melius; & sensus est, quod in rebus indiuisibilibus, quæ mole carent, maioritas non consistit in pluralitate partium, sed in melioritate, si non in se saltem in ordine ad subiectum, quod scilicet melius ei inexistat. Secundò idem probat exemplo Dei, qui quamuis in se sit indiuisibilis, ab vno tamen Beato videtur melius, & clarius, quam ab alio: licèt nihil in eo sit, quod non videatur ab vtroque; ergo & eadem qualitas, inquit, quamuis indiuisibilis, poterit magis ab vno subiecto, quàm ab alio realiter participari; ita vt magis, & minus non cadant supra ipsam qualitatem secundùm se, sed supra modum, quo perfectius, vel imperfectius à subiecto participetur; & ad hanc conformitatẽ adducit etiam exemplum duorum mobilium, quorum vnum licet idem indiuisibiliter spatium percurrat, ac alterum: nihilominus, si est duplo velocius, melius, & citius illud percurret: ex quo deducit ex duobus subiectis posse vnum melius, quam aliud eandem qualitatem indiuisibilem participare. Tertiò denique idem probat ratione sic: cum dicitur vnum habere aliquid magis, vel minus, non significatur habere à tali vno aliquid, quod in se sit perfectius, vel imperfectius: alioqui deberet potius dici habere aliquid maius, vel minus, sumendo minus adiectiuè, & non aduerbialiter: sed notatur haberi idem omnino, sed vel perfectiori habitudine, vel imperfectiori. Atqui quando subiectum est intensè calidum dicitur habere magis calorem: quando est remissè calidum minus; ergo non significatur haberi à subiecto maior, vel minor calor, sed idem omnino perfectiori, vel imperfectiori habitudine illi vnitus.

Verùm has rationes quandam probabilitatis speciem habere diximus, quia reuera nihil cõcludunt.

Ad primam.n.dici facilè potest: D.T. per ea, quæ 24
non mole magna sunt, non intelligere ea, quæ nullas habent partes, sed solùm, ea, quæ non habent partes quantitatiuas. Moles enim, inquit, Festus apud Calepinum pro magnitudine ferè poni solet; Vnde quamuis qualitas hoc ipso, quod melioretur, sit maior, nõ sequitur, quod fit intensiuè indiuisibilis. Verùm quia Mazziotta hanc Sancti Doctoris auctoritatem apertissimè ait fauere sibi; vnde de ea sæpè mentionem facit. Placet illum in medium adducere, vt videamus quantum sit eius dictis contraria. Loco igitur citato de virtutibus sic habetur: Quod mouetur ad quantitatem perfectam, dicitur augeri, & ipsa quantitas perfecta dicitur magna respectu imperfectæ: ita illud quod mouetur de qualitate imperfecta ad qualitatem perfectam dicitur augeri secundùm qualitatem, & ipsa perfecta qualitas dicitur magna respectu imperfectæ: & quia perfectio vniuscuiusque rei dicitur bonitas, ideò Augustinus dicit, quod in his, quæ mole carent, idem, est esse maius, quod esse melius.

In quibus verbis noto tria: Primum quod S. Th. comparat motum ad quantitatem perfectã cum motu ad qualitatem perfectam, non solùm in se, quatenus vterque sit successiuus, sed etiam quo ad terminos, in quantum, sicuti per vnum fit maior quantitas, ita per alterum fit maior qualitas; ergo putat, quod sicuti maioritas, & minoritas cadunt supra quantitatem non solùm ratione modorum, quibus subiectum modò magis, modò minus illam participat, sed etiam ratione partium ipsius quantitatis, quibus quando erat

Digitized by Google

imperfecta, carebat: quando postea euadit perfecta cumulata est.

Ita & intensio, & remissio cadunt supra qualitatem non solùm ratione modorum, quibus modò perfectius, modò imperfectius afficit subiectum, sed etiam ratione partium, quibus remissa caret, intensa verò intrinsecè amplificata est.

25 Ne autem dicas comparationem inter quantitatem, & qualitatem, per suos motus peculiares subiecto acquisitas, esse solùm quo ad modos habendi dictas formas, cum præcisione ab eo, quod per motum ad maiorem quantitatem acquirat subiectum nouas partes quantitatis. Ne inquam hoc dicas. Noto enim secundò, quod Diuus Thomas non solùm docet, quod, quando aliquod mouetur ad quantitatem perfectam, non tantùm ipsum dicitur augeri, sed etiam ipsa quantitas: verùm quoque addit, quod etiam quando aliquid mouetur ad qualitatem perfectam, non solùm ipsum dicitur augeri secundùm qualitatem, sed etiam ipsa qualitas, ita vt respectu imperfectæ dicatur magna. Tum sic: comparatio inter modos habendi vtraque formam consistit in hoc: vt quemadmodũ quãdo subiectum mouetur ad perfectã quantitatẽ, dicitur augeri: ita quãdo mouetur ad perfectã qualitatem v. g. ad caloré vt octo, dicitur augeri secũdùm qualitatem. Sed in dictis verbis fit etiam comparatio inter ipsas formas; dicitur enim, quod quemadmodum in vno motu ipsa quantitas dicitur augeri: ita in alio ipsa qualitas; ergo sicuti nullo alio modo intelligi potest augeri quantitas, nisi per hoc, quod alias partes de nouo acquirat, ita & qualitas. Falsum igitur est comparationem D. Th. inter quantitatem, & qualitatem, per proprios motus acquisitas, esse quo ad modos illas habendi cum præcisione ab eo, quod per motum ad maiorem quantitatem acquirat subiectum nouas partes quantitatis, non verò per motum ad maiorem qualitatem nouas partes qualitatis.

26 Ad huius autem argumenti maiorem euidentiam noto tertiò, quod passim dicitur à Mazziotta, quod in intensione licèt subiectum fiat magis quale, ipsa tamen qualitas non fit maior, & in remissione; licèt subiectum fiat minus quale, ipsa tamen qualitas non fit minor. Optimus est locus, qui habetur *numero 39.* vbi sic: Qualitas, seu calor informans subiectum modò magis, modò minus subiectum informat; & modò imperfectè, modò perfectius reddit subiectum calidum; ita tamen, vt maioritas, & minoritas conueniat solum modo, quo qualitas, seu calor subiectum informat: nulla verò ratione ipsi qualitati, seu calori. hic enim cuicumque modo correspondeat, & subiectũ informet: semper est idem, & omnino inuariatus in se, varijs modis, modò magis, modò minus subiectum reddit quale. Atqui S. Thom. *loco citato* expressè habet, quod in intensione non solùm subiectum dicitur augeri secundùm qualitatem, sed etiam ipsa qualitas dicitur esse magna respectu imperfectæ, sicuti quantitas, quando ex imperfecta euadit perfecta; ergo doctrina tradita à Mazziotta in hac re est contraria doctrinę D. Th. atq; hæc quantum ad primum eius argumentum. Satis enim constat contra ipsum resilire.

27 Quod pertinet ad secundum argumentum: dico neutrum ex assignatis exemplis esse ad rem. Non illud de Deo; quia in tantùm Deus, cum *in se* sit indiuisibilis, potest nihilominus magis ab vno Beato videri, quàm ab alio: in quantùm per visionem non participatur intrinsecè, & immediatè à vidente, sed extrinsecè, & mediatè, quatenus est terminus, & obiectum ipsius visionis; quę, cum sit in essendo potentialis, & commensuretur perfectioni luminis gloriæ, potest magis, vel minus exprimere ipsum Deum. At verò qualitas reddit subiectum quale communicando ei se ipsam intrinsecè, & per suam entitatem immediatè ipsum perficiendo; & ideo non potest modo magis, modo minus se ei cõmunicare, illudque perficere. Ad eum planè modum, quo quia Verbum diuinum reddit naturam creatam subsistentem communicãdo ei se ipsum intrinsecè, & per suam entitatem immediatè ipsam personaliter perficiendo, non potest magis, vel minus se ei communicare: neque enim potest diuinitus dari alius Christus, qui subsistat per subsistentiam Verbi perfectius, vel imperfectius, quam de facto subsistit natura humana Christi Domini, aut qui elicere possit opera maioris, vel minoris valoris eo, quem habent de facto opera Christi Domini.

Iam verò ad exemplum de duobus mobilibus, quorum alterum cum sit velocius altero, idem tamen indiuisibiliter spatium melius, & citius percurrit: Dico non esse ad rem: quia qualitas ponitur ab Auctore indiuisibilis quo ad *intensionem*; at verò spatium quo ad extensionem, secundùm quam percurri debet, est diuisibile. Quamuis dicatur esse idem indiuisibiliter (ne sit fallacia) sensus est, quod idem numero ab vtroque mobili percurrendum est. *Iam verò quod est in se indiuisibile*, vel non acquiritur, vel si acquiritur; quantũ acquisibile est, simul acquiratur, oportet. quod verò est diuisibile, nulla est difficultas, quod in eadem mensura temporis secundùm plures partes ab vno, ab alio vero secundùm pauciores acquiri possit. Verum omnium familiarissimum exemplum, quod identidem adducit hic Auctor contra nos, sumitur ex quantitate. Quemadmodum enim inquit *numero 39.* & sæpè alibi: Quantitas palmaris modò maiorem locum occupat, modò minorem, ita tamen vt maioritas, & minoritas se teneat ex parte rarefactionis, & condensationis ipsa quantitate palmari inuariata quantum ad suas partes intrinsecas remanente: ita eadem qualitas inuariata in se modò magis, modò minus subiectum informat, ita vt maioritas, vel minoritas solùm ex parte modi inexistentiæ se teneat.

Sed negatur paritas. Ratio disparitatis est, quia 28
quando aer palmaris v.g. rarefit, non augetur augmento quantitatiuo; nam hoc dicit motum ex minori extensione actuali in ordine ad locum ad maiorem. Quam quidem extensionem vidimus in Physicis distingui ex natura rei à quantitate. Vnde non est mirum, si eadem quantitate palmari inuariata in se, aer palmaris modò maiorem locũ occupet modò minorem. At verò quando aqua ex minus calida, fit magis calida, augmento calefactiuo debet fieri huius modi; siquidẽ motu, qui sit essentialiter calefactio, moueatur necesse est. Ex quò deducitur impossibile esse, vt idem calor inuariatus quo ad sua intrinseca remanere possit, sicuti neque quantitas, si aer motu

pro-

Digitized by Google

propriè quantitatiuo extenderetur in ordine ad se.

29 Ad tertium denique argumentum ex ratione ductum, distinguo maiorem illam: cum dicitur vnum habere aliquid magis, & minus, non significatur haberi à tali vno aliquid, quod in se sit perfectius, vel imperfectius, sed significatur haberi idem omnino, sed perfectiori, vel imperfectiori habitudine; non significatur primariò, & formaliter, concedo: non significatur secundariò, & consequenter, subdistinguo; & si quidem potest haberi perfectior, vel imperfectior habitudo sine maiori, vel minori perfectione rei habitæ, concedo: sin autem non potest haberi, nego; & dico quod quando dicitur vnum habere rem aliquam modò magis, modò minus, non significatur primariò, & formaliter, quod maioritas, & minoritas se teneat ex parte rei habitæ; sed ex parte solius habitionis. Verum autem secundariò saltem, & consequenter significetur etiam se tenere ex parte ipsius rei habitæ, pendet ex natura ipsius habitudinis; Si enim per eam res habita participatur intrinsecè ab habente, & illi se ei immediatè communicat. Respondeo affirmatiuè, quia implicat maior, vel minor habitio intrinseca eiusdem rei, quæ per suam entitatem alteri se ipsâ immediatè communicet, ita vt dicta res sit in se indiuisibilis, & non euadat maior, quando magis habetur, & minor quando minus. At verò si habitudo est talis, vt res per eam non participetur intrinsecè ab habente illam, sed extrinsecè, neque se illi immediatè communicet, sed aliquo alio mediante: dico non esse necesse; quoties res habita maiori, vel minori habitudine se alteri communicat, maioritate, vel minoritate primariò, & formaliter super ipsam habitudinem cadente, quod secundariò, & consequenter ipsa res in se debeat euadere maior, vel minor, vt patet in Deo, qui cum habeatur, & possideatur intentionaliter à Beatis media visione beata, rectè potest crescere, & decrescere habitio; quæ non est, nisi visio; absque eo quod ipse Deus crescat, aut decrescat in suo esse. Quoniam verò in casu nostro qualitas habetur à subiecto per hoc, quod secundùm suam entitatem, & nullo alio mediante se illi intrinsecè communicet: hinc fit vt implicet haberi magis à subiecto, quin ipsa in se intensiuè maioretur, & crescat; & implicat haberi minus ab eodem, quin ipsa in se minoretur, & decrescat. Eadem igitur distinctione distincta minore, qua maior distincta est, negatur consequentia.

30 Contra hanc nostram responsionem adduci possunt ea, quibus Auctor à n. 34. probare conatur identitatem omnimodam, quæ esse debeat inter calorem intensum, & remissum, sic: Subiectũ intensè calidum, & subiectum remissè calidum differunt, quod vnum habeat magis caloré, aliud verò minus. Sed ratio magis, & ratio minus cadunt necessariò supra eandem rationem caloris; ergo intensio, & remissio exigunt eandem omnino rationem indiuisibilem qualitatis, & nullo modo maiorem, vel minorem, neque formaliter, neque consequenter in se ipsa. Maior videtur certa. Minor probatur, quia hæc propositio: Subiectum A. habet magis calorem: Subiectum B. habet minus calorem comparat non vnum calorem cum alio sed habitudinem caloris, quam habet vnum subiectum cum habitudine caloris, quã habet aliud; ergo ad sui veritatem requirit solùm diuersitatẽ inter modos habendi, & non in ipso calore; & sic ratio magis, & ratio minus cadunt necessariò supra eandem rationem caloris. Hæc consequentia suadetur, quia comparatio penès modos habẽdi aliquid, supponit vt quod habetur, sit omnino idem; aliàs destruerentur termini, qui comparantur. nimirùm ipsi habendi modi: quia in neutro subiecto esset modus habendi eundem calorem, atque adeò non posset dici vnum subiectum habere magis calorem, quàm aliud.

Respondeo: explicationem intensionis traditã 31
in maiore huius argumenti esse valdè æquiuocam, & discordiarum seminarium continere. Vera enim explicatio subiecti intensè calidi est, quod habeat plus caloris, vel quod sit magis calidum: & vera explicatio subiecti remissè calidi est, quod habeat minus caloris, vel quod sit minus calidum. Sed ne longum faciam, concessa maiore, distinguo minorem. Ratio magis, & ratio minus cadunt necessariò supra eandem rationem caloris, essentialiter, & specificè sumptam, concedo: super eandem rationem caloris entitatiuè, & numericè acceptã, nego; & distinguo eodem modo consequens. Intenuo, & remitto exigunt eandem omnino rationem indiuisibilem caloris, si sermo sit de ratione specifica, & essentiali, concedo: loquendo de numerica, & entitatiua, nego consequentiam. Et dico, quod quando fit comparatio inter subiectum intensè calidum, & subiectum remissè calidum, ratio magis, & ratio minus cadunt necessariò supra eandem rationem essentialem, & specificam caloris, non autem supra eandem rationem entitatiuam, & indiuidualem, quia licèt calores, qui supponuntur esse in duobus illis subiectis sint eiusdem omnino speciei, & essentiæ: differunt tamen indiuidualiter, & entitatiuè. Indiuidualiter quidem, quia aliud est indiuiduum caloris, quod est in subiecto intensè calido, & aliud, quod est in subiecto calido remissè. Entitatiuè verò, quia cũ realiter inter se distinguantur, entitas physica vnius implicat contradictionem, quod sit entitas physica alterius. Ex quo perspicuè deducitur, quod illa minor, in qua assumebatur, quod ratio magis, & ratio minus cadunt necessariò supra eãdem rationem caloris, vera quidem sit, loquendo de ratione essentiali, & specifica, falsa tamen si loquatur de ratione numerica, & entitatiua. Ad eius verò probationem distinguo antecedẽs: Hæc propositio; Subiectum A. habet magis calorem, & Subiectum B. habet minus calorem, comparant nõ vnum calorem cum alio, sed habitudinem caloris, quam habet vnum subiectum cum habitudine caloris, quam habet aliud: non comparat primariò, & formaliter vnum calorem cum alio, sed habitudinem &c. concedo; non comparat secundariò, & consequenter, nego antecedens, & distinguo eodem modo consequens: ad sui veritatem non requirit varietatem in ipso calore, si loquamur formaliter, & primariò, concedo; si secundariò & consequenter, nego consequentiam. Cum enim, vt supra probauimus, non possit haberi varietas inter modos habendi magis, & minus calorem, quin secundariò, & consequen-

ter

ter habeatur varietas in ipso calore, non quidem secundùm suam essentiam sumpto, sed secundùm suam entitatem, & individuationem consideratò: hinc fit, vt illa propositio ad sui veritatem dictam variationem in ipso calore entitatiuè, & individualiter sumpto comprehendat. Ad confirmationem consequentiæ distinguo assumptum: comparatio penès modos habendi supponit, vt id, quod habetur sit omnino idem, quo modo potest esse idem, concedo: quomodo non potest esse, nego antecedens, & consequentiam: Et dico, quod quando comparantur duo modi habendi aliquid, supponitur illud aliquid esse idem, sicuti potest esse; cum autem in comparatione modi habendi calorem intensè, & habendi calorem remissè non possit esse calor idem numero, sed solùm idem specie, hinc fit vt argumentum nihil concludat; stante enim rectè termini comparationis, quatenus in vtroque subiecto est proprius modus habendi eundem calorem in specie.

32 Dices: non inficiari Thomistas, comparationem duorum subiectorum penès modos habendi magis, & minus calorem, supponere in eis duos calores numero distinctos; sed cum hoc stat, quod magis, & minus cadant supra modos habendi, & relinquant entitates caloris in vtroque subiecto indiuisibiles; ergo tradita distinctio non est contra illos.

Respondeo, distinguendo antecedens: concedunt Thomistæ, quando comparantur duo subiecta penès modos habendi calorem, quòd calor in vno subiecto distinguatur numero à calore existente in alio subiecto, distinctione numerica orta præcisè ex distinctione subiectorum, concedo. Orta etiam ex diuersis modis habendi ipsum calorem, nego maiorem; & distinguo eodem modo minorem: cum hoc stat, idest cum distinctione numerica orta præcisè ex distinctione subiectorum, concedo orta præcisè ex diuersis modis habendi calorem, nego minorem, & consequentiam. Dico enim quod cum Thomistæ velint accidentia individuari à subiectis, in quibus sunt, volunt quidem quod quando duo subiecta ita se habent, vt vnum sit magis calidum, aliud minus, calor, qui est in vno, distinguatur numericè, & entitatiuè à calore, qui est in alio, sed distinctione orta solùm ex ipsis subiectis: non verò distinctione ex maioritate, & minoritate caloris prouenientem. Contra verò nos asserimus, quod quemadmodum verum est, quod per hoc præcisè, quod calor est in duplici subiecto, debet naturaliter loquendo esse duplex numero; ita etiam per hoc præcisè, quod sit intensior, distinguatur numericè à remissiore, quantumuis subiectum, quod habet vtrumque, sit idem numero; & quia hi duo calores distingui nequeunt numericè, ita vt ad aduentum vnius alterum corrumpatur; neque ita vt remaneant simul distincti numero, sed ita vt quando sunt simul, habeant vnitatem intensiuam: sequitur manifestè, quod intensio non fiet cum indiuisibilitate formæ, quæ intenditur, quodque non fiat per maiorem radicationem in subiecto secundùm explicationem traditam à Mazziotta, cuius argumentum ex ipsa etiam Thomistarum doctrina contra nos modo adducta apparet falsum; nam quando duo subiecta comparantur, secundùm quod vnum est magis calidum, alterum minus: sic comparatio penès modos habendi calorem, & tamen nō supponitur, quod calor sit omnino idem numericè, & entitatiuè in vtrisque, sed solùm essentialiter, atque specificè; ergo principium illud, in quod tota illius argumentatio resoluitur: quod scilicet quando sit comparatio penès modos habendi aliquid supponitur, vt id, quod habetur, sit omnino idem, non est solidum.

SECTIO QVINTA

Examinatur amplius mens Mazziotæ.

SEd age iam reliqua, quæ habet hic Auctor, vt 33
suam explicationem de maiori radicatione qualitatis propugnet, scrutemur. Omnia tam quam in cardine vertuntur in doctrina, quam tradit *numero* 44. vbi protestatur, quod ex sua sententia non sequitur dari in aliquo mutationem realē intensiuam absque eo, quod in tali aliquo aliquod reale de nouo recipiatur: quia sustinet, quod qualitas caloris v. g. reddendo subiectum *ex minus calido magis calidum*, mutetur *recipiendo in se* modum quendam perfectiorem eo, quem antea *habebat*. Quod non vult intelligendum esse, quasi verò subiectum ipsa modi formalitate constituatur magis calidum, quia cum *dictus modus* sit in existentia, seu vnio caloris cum subiecto, verè nō est calor; & sic non potest facere illum effectum formalem, qui non nisi à solo calore fieri potest; Vult ergo quod constituatur magis calidum subiectum formalitate ipsius caloris affecta tali modo perfectiore tamquam conditione, eo quod mediante tali modo *calor* exerit *vires suas* actuandi subiectum perfectius, *quas prius habebat*, *sed ex* aliqua ratione seu impedimento non exercebat.

Contra *hanc* principalē doctrinā duo militant robustissima argumenta: vnum ducitur ex natura formæ indiuisibilis: alterum ex ratione modi. Prius est huiusmodi: quia impossibile est, vt forma aliqua semper informet subiectum, & modo præbeat hunc effectum formalem, modò alium: ergo falsum est, quod eadem indiuisibilis forma caloris semper informet subiectum suum, & modò reddat illud minus calidum, modò magis.

Ad hoc argumentum responderi potest ex his 34
quæ hic Auctor habet *numero* 59. vbi negat antecedens, quia oppositum, inquit, omnes accidentes fatentur in anima, quæ informat singulas partes compositi, & tamen non omnibus tribuit eandē effectum formalem: ossibus v. g. carni &c. imò eidem parti, si diuersimodè disponatur iuxta diuersitatem dispositionum, diuersos tribuit formales effectus, & quidem sine vlla intrinseca sui mutatione, sed solùm posita diuersa dispositione in partibus subiecti. Ex quo colligit benè concedi posse formæ caloris habenti vim communicandi se subiecto perfectius, & imperfectius secundùm diuersos intensionis gradus, quos habet ratione distinctos, quod actuse subiecto communicet, & non secundùm omnes, sed modò secundùm semissiores, modò etiam secundùm intensiores sine vlla sui mutatione, sed solùm posito diuerso modo, quo subiecto inhæret, ac inexistit.

Sed contra hanc responsionem facit, quia fal-

Digitized by Google

ad sistitur fundamento; dico enim vnicam illam formam substantialem, quę in vno viuente repe-ritur, omnibus, & singulis partibus illius eundem omnino effectum formalem essentialem tribuere. carnē vero, ossa, neruos, &c. non differre inter se, nisi accidentaliter, ratione scilicet diuersorum ac-cidentium, quibus informantur. Et rectè id qui-dem si enim anima diuersos effectus formales dictis partibus communicaret, sequeretur, quod dif-ferent inter se essentialiter, eo quod eorum diuer-sitas oriretur ex diuersis rationibus formalibus essentialiter eidem formæ substantiali conuenien-tibus. Cum autem nulla sit necessitas tot essentias quantumuis partiales multiplicandi in vno viuē-te, cum omnia saluari possint per hoc, quod anima ratione diuersarum operationum, quas exercere debet, diuersitatem illam accidentalem in dictis partibus requirat, & causet, ita debemus dicere, & consequenter asserere in sententia eorum, qui putant sanguinem esse animatum eum ante, & post nutritionem eundem effectum formalem ab ani-ma sortiri: cum hac tamen differentia, quod antea retineat accidentia, ratione quorum habet deno-minationem sanguinis, postea verò acquirat acci-dentia carnis v.g. vel ossis, &c. ratione quorum harum partium denominationes sibi vendicet.

35 Alterum argumentum ductum ex ratione mo-dorum, quod contra principalem Auctoris doctri-nam militat, est huiusmodi: Modus ille perfectior, quem calor acquirit, quando ex remisso euadit in-tensior, non potest differre essentialiter a modo imperfectiore, quem in remissione idem numero calor habebat; ergo differt tantùm numericè; vel ergo modus iste perfectior ita se habet, vt existat in subiecto simul cum imperfectione, vel ita, vt ad sui aduentum illum excludat. Non primum, quia idem dici posset de perfectiore qualitate, quod cū imperfectione eandem subiecti partem afficiat. Neque secundum; quia incideretur in difficultates, quas habet sententia Durandi volentis, quod intē-sio fiat per hoc, quod ad aduentum perfectioris qualitatis imperfectior corrumpatur; ergo inten-sio qualitatis non bene saluatur per acquisitionē modi perfectioris. Omnia patent præter primum antecedens, quod suadetur ex eo, quia vterq; mo-dus ponitur esse essentialiter inhærentia eiusdem numerò qualitatis in eodem numero subiecto; ergo impossibile est, quod differant inter se essē-cialiter. Quemadmodum enim calor intensus, & calor remissus non differunt essentialiter, quia vterque ponitur esse calor: ita & modus inexisten-di caloris intensi, & modus inexistendi caloris remissi, quia sunt vnio, & inexistentia eiusdem ca-loris in eodem subiecto, neque inter se essentiali-ter differunt.

Ad hoc non habet quid respondeat Auctor. In-genuē enim fatetur *num.* 65. quod si dicatur intē-di qualitatem per aduentum noui modi perfectio-ris, seu per additionem modi ad modum in easdem fere difficultates incurrit, quas incurrunt, qui defendunt qualitatem intēdi per qualitatem per-fectiorem de nouo aduenientem, vel per additionē modi perfectionis inexistendi ad modum præce-dētē. Ex qua responsione deducit, quod qui de-fendit intensionem in ulteriori radicatione quali-tatis in eadem parte subiecti consistere, teneatur consequenter asserere, vel quod vnio inter quali-tatem, & subiectum non sit modus ab eis distin-ctus, vel si est distinctus, quod quando subiectum ex remisse calido fit intensè calidum, dictus mo-dus non necessariò immutari debeat, vt habet *nu-mer. 61. & n. 62.*

Sed contra hoc faciunt duo: vnum est, quod hac 36
responsione destruit Mazziotē totum id, quod an-tea ædificauerat. Dixerat enim *numero* 34. quando subiectum ex minus calido fit magis calidum, non habere diuersitatem in calore, sed in modis illum habendi; & *num.* 44. quod qualitas quando in-tenditur, vel remittitur, mutatur recipiendo in se nouum modum, sicuti quantitas quando rarefit, vel condensatur; & sæpè alibi docet hunc modum es-se variationem qualitatis cum subiecto, seu inexistē-tiam, seu inhærentiam: nunc verò habet non posse saluari maiorem radicationem qualitatis in subie-cto per aduentū noui modi; & quamuis ipse *n. 62.* conetur explicare, quæ locis citatis docueras dicē-do, se nomine maioris inhęsionis, & perfectionis inexistentiæ qualitatis in subiecto non intellexisse aliquam entitatem modalem vnionis cū subiecto, quam debeat remissè calidum v. g. acquirere de nouo ad hoc, vt euadat calidum intensè: sed ipsam formam caloris, vt se melius, & perfectius comm-nicantem subiecto, per hoc precisè quod virtutē, quam prius in actu primo habebat calefaciendi subiectum intensius, & intensius, vsque ad octauum gradum, exerat postea in actu secundo vel partia-liter, vel totaliter, sicut potest, illud calefacendo: hæc tamen explicatio, præter quam quod sit vio-lenta dictis ab ipso supra, vt patet eius verba consideranti: remalidat argumentum ex mutatione reali depromptum, quod potest hac ratione formā-ri: Implicat dari nouum motum realem sine noua acquisitione termini realis; sed quando lignum ex remissè calido fit intensè calidum datur nouus motus realis; ergo debet dari acquisitio noui ter-mini realis. Atqui si non intenditur qualitas per aduentum noui modi perfectioris, seu per additio-nem modi ad modum, non habetur acquisitio noui termini realis, quandoquidē eadem numero qua-litas caloris iam supponitur ab initio acquisita, quando lignum erat remissè calidum; ergo &c.

Tota difficultas huius argumenti refunditur in 37
sumbsumptum, ad quod negandum duplici via procedit Auctor. Vna habetur *numero* 62. & est huiusmodi: Ad habendam acquisitionem noui ter-mini realis respectu ligni mouentis se ex minus calido ad magis calidum, sufficit quod mutetur ca-lor; sed iam mutatur; ergo &c. Maior patet, Minor probatur, quia licèt tunc forma caloris in se re-maneat immutata; mutatur tamen in ordine ad subiectum communicando ei se ipsam perfectiori modo, quam prius. Hoc enim ipso, quod virtutē illam calefaciendi subiectum intensius, quam ha-bebat in actu primo, quando calefaciebat illud remissus, exerit postea in actu secundo, dum il-lud reddit intensè calidum; iam mutatur, & in hoc sensu acquirit nouum modum, quia modus in sententia veterum Doctorum, vt habet *numero* 77. non est aliquid in recto, sed est subiectum ita se habens. Cum autem qualitas intensa aliter se ha-beat, ac se habebat remissa, sequitur, quod moda-liter distinguatur ab illa.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc via non videtur tuta; siquidem nulla alia ratione hæc mutatio intelligi potest in forma caloris, nisi beneficio alicuius entitatis modalis physicæ, de nouo ab ea acquisitæ, cuius beneficio perfectius se communicet subiecto, & strictius, ac intimus illi vniatur, quam antea. Nam si ipse calor non mutatur in se, neque mutatur vnio, seu communicatio, qua se communicabat subiecto: quomodo intelligi potest, quod perfectiori modo physicè se illi communicet, & quod vires, quas prius habebat in actu primo, exerat respectu illius in actu secundo? Hoc enim non nisi beneficio alicuius entitatis distinctę haberi potest. Quod dicimus, probatur exemplis, quibus ipsemet Auctor vtitur ad suam sententiam cõfirmandam. Primum sumitur ex visione Dei, sic: Licèt Beatus, qui nunc videt Deum remissè, possit illum videre intensius: implicat tamen, quod ipse Deus vires, quas habebat in actu primo in ordine ad beatificandum illum intensius, exerat in actu secundo: absque eo, quod fiat aliqua realis mutatio in visione ipsa; sed hæc correspondet vnioni, & inexistentiæ, ratione cuius calor se communicat subiecto; per visionem enim obiectum se commuuicat in actu secundo potentiæ, eamque perficit, sicuti calor per vnionem se communicat obiecto; ergo erit etiam impossibile, quod calor vires suas, quas prius habebat in actu primo in ordine ad subiectum magis calefaciendum, exerat in actu secundo, absque eo quod fiat aliqua realis mutatio in eius existentia, & vnione cum subiecto. Secundum sumitur ex quantitate. Dicebat Auctor *numero 39.* quod sicuti eadem quantitas palmaris in se omnino immutata beneficio rarefactionis, & condensationis modò maiorem locum occupat, modò minorem: sic calor modò magis, modò minus reddit subiectum calidum, ita tamen, vt maioritas, vel minoritas conueniat modo, quo ipse subiectum informat: non autem calori, qui supponitur esse intensiuè indiuisibilis: tum sic. Repugnat, quod eadem quantitas omninò inuariata in se modò maiorem locum occupet, modò minorem absque vlla mutatione facta in rarirate, & densitate; ergo repugnat, quod idem calor, modò magis, modò minus calidum subiectũ reddat absque acceptione noui modi. Tertium denique sumitur ex causa efficiente, quo vtitur *numero 66.* sic: Videmus passim causas efficientes non semper exerere totam vim, quam habent; ergo idem dicere debemus de calore, & alijs qualitatibus intensibilibus. tum sic: Causa efficiens non exerit nouiter suam virtutem effectiuam in actu secũdo, nisi media noua actione; ergo neque causa formalis poterit nouiter exerere suam virtutem informatiuam, nisi media noua vnione; Actio enim se habet, vt vnio, qua mediante vis causæ efficiẽtis applicatur ad dandum esse effectui: ex quibus deducitur, quod si non intelligitur qualitas in se indiuisibilis intendi in subiecto per aduentum noui modi perfectioris, seu per additionem modi ad modum; in motu intensionis nulla potest assignari acquisitio termini realis.

38 Altera uia, quam videtur aggredi Mazziotta ad dictam propositionem negandam, est confugere ad acquisitionem dispositionum formæ, quæ intenditur, & ad remotionem formæ sibi contrariæ; docet enim *num. 61.* quod licèt vnio, qua calor indiuisibilis inest subiecto, non immutetur, adhuc poterit idé calor, qui afficiebat subiectum vt tria intendi, & illud afficere, vt quatuor ratione remotionis sui contrarij, nempe frigoris, seu ratione positionis maioris dispositionis ad ipsum calorem. Ex quibus verbis rectè deducitur, quod Auctor loquatur de mutatione formaliter pertinente ad intensionem, & non dispositiuè solùm, ac concomitanter; respondet enim argumento, quo Aduersarij conabantur probare, quod ex maiori radicatione motus intensiuus penitus excluderetur; Quo posito impugnatur *hæc responsio quantum ad vtramque partem; & quidem quod attinet ad remotionem contrarij, præter quam*, quod ipsemet Auctor *num. 71.* expresse probet multis argumentis oppositum, *sicuti nos etiam fecimus sect. 1.*

Sic arguo: *quando subiectum ex frigido vt sex* v. g. euadit *frigidum, vt quatuor, aliquid realiter* deperdit, quod prius habebat; remissio enim est mutatio deperditiua, sed non deperdit aliquid propriæ entitatis, vt constat, neque deperdit aliquid frigoris, quia in sententia Aduersarij forma frigoris est intensiuè indiuisibilis; ergo si non deperdit perfectiorem vnionem, seu inhærentiam, & acquirit imperfectiorem, nihil omnino deperdit. Consequentiam probo discursu, quo ipse vtitur *num. 23.* frigidum vt sex non dicit, nisi tria: subiectum, formam, & vnionem; ergo si in remissione neque subiectum deperditur, neque forma, necesse est vt vnio deperdatur. In vanum igitur, vt saluetur, quod in mutatione acquisitiua caloris, mutatio non fiat in vnione, dicitur fieri in remissione contrarij; nam neque hæc haberi *potest, si* contrarium est formaliter *intensiuè indiuisibile*, sine deperditione alicuius *modi* vnionis. Quod verò attinet ad *positionem* maioris dispositionis facit primò, quia *necessariò* admittenda est qualitas intensibilis, *quæ* nullam requirat ante se dispositionem *intensibilem* in subiecto; alias *in* huiusmodi *qualitatibus* daretur processus *in infinitum*. Sed ad saluandam intensionem huius qualitatis non potest recurri ad dispositionis incrementum; ergo &c. Deinde qualitas illa, quæ huiusmodi dispositionem, prærequirit, non potest intendi formaliter per intensionem suæ dispositionis; nam sicuti alia est intensibilitas vnius, & intensibilitas alterius: ita alia esse debet intensio. Contra tertiò: quia contra intensionem dispositionum militant eadem argumenta, quę adduximus probando non posse intensionem qualitatis haberi per maiorem radicationem in subiecto: vti nos dicimus supra *sect. 3.*

Contra denique quartò: quia inde sequeretur, 39
quod quando *in* subiecto nullum adest positiuum impedimentum, & adsunt omnes dispositiones: si tale subiectum informaretur qualitate intensibili, non posset non participare illam in summo; sed hoc est absurdum; ergo &c. Sequela patet. Minor verò probatur; quia inde deduceretur primò: omnes animas iustas esse in summo sanctas, & æque Deo gratas: quia omnis habet gratiam sanctificantem, quæ est qualitas intensibilis, & caret impedimento peccati mortalis, & est æque capax, æque disposita ad illam. Deduceretur etiam secũ-

do,

Digitized by Google

dò, quod omnes partes aeris, quę illuminantur à Sole, debeant esse in summo illuminatæ, & non viciniores magis, quàm remotiores, quandoquidem sunt æquè capaces talis effectus, & impedimento carent; ergo &c.

Ad hanc difficultatem respondet ipse *numero 69.* concessa maiore; negando minorem; & ad probationes in contrarium dicit, quod neq; omnes animæ iustæ æqualiter dispositæ Charitatem recipiunt; neque partes omnes aeris dum illuminantur à Sole, æquè dispositæ sunt ad recipiendum lumen. De animabus iustis probat: quia dispositio ad gratiam fuit opera bona tanto, vel tanto conatu elicita. sed non omnes æqualia opera bona eum æquali conatu eliciunt; ergo &c. Minor huius patet, & Maior probatur ex Diuo Thoma *in primo dist. 17. quæst. 1. art. 2.* vbi sic: Mensura secundùm quam datur Charitas, est capacitas ipsius animę, quæ capacitas est ex natura ipsius, & dispositione, quæ est per conatum operum. De partibus verò aeris eodem ferè modo discurrit: dispositio, quę requiritur in aere ad suscipiendum lumen, est puritas, & subtilitas ipsius aeris, vt de se patet; vnde D. Th. *dist. 12. quæst. 2. art. 2.* Aer, inquit, quanto plus attenuatur, fit susceptibilior luminis. sed aliquæ partes aeris sunt magis purę, & magis à vaporibus defrecatæ, quàm aliæ; ergo non omnes sunt æquè dispositæ.

40 Verùm hæc responsio non subsistit; & quidem quantum ad iustorum animas attinet, verum quidem est conatum bonorum operum esse in eis dispositionem ad gratiam. sed distingue mihi, quę sit ea dispositio loquens? Duplex est enim dispositio: alia physica, alia moralis. Physica aptat, & determinat physicè subiectum ad formam recipiendam; Moralis verò solùm in casu nostro facit, vt Deus intuitu illius moueatur ad infundendam gratiam. Iam verò conatum bonorũ operum esse solùm dispositionem moralem, & non physicã, patet ex eo, quia Infantibus infunditur gratia in Baptismo nullo habito respectu ad huiusmodi dispositionem; & tamen gratia non producitur in eis violenter, sicuti produceretur forma ignis in materia priuata calore. Quod si Auctor recurrat ad merita Christi, dicendo ea infantibus modò Baptismate computari in dispositionem, in ea mensura, secundùm quam Christus voluit, vt eis daretur gratia sanctificans. Per hoc non effugit rationem dispositionis moralis, cum quo stat, quod si dicta gratia esset physicè indiuisibilis intensiuè: deberet in pueris exerere in actu secundo vires omnes, quas haberet in actu primo; & sic eos in summo sanctificare: quia non posset assignari carentia dispositionis physicę, quæ hunc effectum formalem physicum impediret. Cũ enim Dei voluntas non possit per se immediatè facere, vt stante forma in subiecto capaci, non sequatur eius formalis effectus; frustra quis confugeret ad decretum Dei voluntis, vt gratia non sanctificaret huiusmodi puerum, nisi in gradu valde remisso.

Quantum verò pertinet ad aerem: verum quidem est eius tenuitatem, & vaporum carentiam esse dispositiones ad lumen recipiendum. Sed si hoc ipso quod tenuissimus esset, & omni vapore careret, lumen quod in eo producitur necessariò redderet illum illuminatum in summo: sequeretur, quod aer, qui est in tertia regione, deberet esse illuminatus in summo, quia ex vna parte propter distantiam, quam habet à terrestri globo, vel nullus, vel admodum rarus vapor ad eum peruenit; ex alia verò, propter vicinitatem ad ignem tenuissimus est, & subtilissimus. atqui sequelam hanc nemo concederet; ergo &c. 41

Has quidem rationes in contrarium, & nonnullas alias, quas ne longum faciam, omitto, præuidit, vt suspicor, Mazziotta. Quare non multum fisus in responsione tradita *numero 70.* addit, quod etiam si subiectum non haberet impedimentum positiuum ad recipiendam formam aliquam in summo, & haberet capacitatem ad illam: si tamen non haberet determinationem ad eam habendam, non sequeretur, quod hoc ipso, quod illam haberet, eam participaret in summo. Quoniam verò neque anima est determinata ad habendam gratiam, neque aer ad habendum lumen: idcircò per hoc præcisè, quod informentur à dictis formis, non sequitur quòd omnem earum perfectionem sibi communicatam habere debeant. Vniuersale principium, quod assumit, probat hoc modo: Quando subiectum nõ est determinatum ad vnam formam, habet etiam capacitatem ad oppositam; ergo non habet summam capacitatem ad illam vnam. sed summa participatio summam exigit capacitatem; ergo etiam si subiectum non haberet impedimentum positiuum ad habendam aliquam formam in summo, & haberet capacitatem ad illam: adhuc non sequeretur, hoc ipso quod eam haberet, vt illam participaret in summo.

Verũ hæc quoq; responsio minimè solida mihi esse videtur. Nã determinatio illa, quã Auctor requirit in subiecto in ordine ad formam, dupliciter intelligi potest. Vno modo ita, vt subiectũ nullam omnino habeat capacitatem ad oppositum; altero verò ita, vt licèt sit capax illius, patiatur tamen violentiam in ea recipienda: priori modo sumpta determinatio est impossibilis; nullum enim datur substantiale subiectum, quod ita sit ad aliquam qualitatem intensibilem habendam determinatum, vt implicet contradictionem suscipere illius oppositum, siue positiuum sit, (si illud habet) siue negatiuum, posito quod careat positiuo. Quare exigere huiusmodi determinationem in subiecto ad formam intensibilem necessariò suscipiendam in summo, hoc ipso quod eam suscipit, videtur lepidum iuuentum ad fugiendam vim argumenti, cum præsertim ratio cui innititur, vt mox patebit, nullius sit ponderis, atque momenti. Porrò si determinatio exacta posteriori modo sumatur: dico eam dari in rebus naturalibus. Aqua enim sit ad frigiditatem inclinat, vt patiatur violentiam sub forma caloris; Sed ex hoc non sequitur, vt quoties aqua frigida est, sit frigida in summo; ergo determinatio subiecti non facit ad habendam qualitatem in summo. Neque dicat huiusmodi determinationem facere ad hoc ex suppositione, quod subiectum careat qualitate contraria; vnde si aqua nihil haberet caloris, statim esset in summo frigida. Ne-

id dicat inquam. Contra enim est primò; nam si determinatio, quã habet aqua, ad habendũ frigus esset ratio, cur frigus eotam vim suam in ea frigefacienda exerceret: quamdiù aqua dictam capacitem retineret non posset habere formam frigoris, quin eius vim frigefactiuam in actu secundo participaret in summo; & sic numquam agens calefactiuum posset illam aliquantulum calefacere, eo quod non posset ei aliquid de illa determinatione detrahere; quod cum sit contra quotidianam experientiam, sequitur, quod hoc effugium vanum sit. Contra est secundo: siquidem ex hac responsione sequeretur, quod si quis absque eo, quod prius haberet habitum erroris circa res naturales, inciperet studere Physicæ, statim euaderet perfectissimus Physicus. Nam homo ille ex vna parte haberet determinationem per modum inclinationis ad scientiam, teste Aristotele *suæ Metaphysicæ initio*. Ex alia verò non haberet habitum oppositum; ergo hoc ipso, quod acquireret habitum Physicæ, nonnisi in summo illum habere deberet; quod quam sit absurdum nemo non videt.

42 Iam verò ad rationem, cui Auctor in hac via ineunda innixus est, responderem negando maiorem; & ad eius probationem, concesso antecedente, negarem consequentiam; in qua ex eo quod subiectum habet potentialitatem ad formam oppositam frigori, nempe ad calorem deducebat, quod non habeat summam capacitatem ad ipsum frigus. Quemadmodum enim stat summa capacitas ad aliquam formam cum capacitate ad alias formas comparibiles ipsi formæ: ita etiam stat cum capacitate ad formam contrariam. Quod patet ex eo, quia huiusmodi capacitas nihil aliud est, quam capedo, quam habet subiectum recipiendi formam. Sicuti igitur capedo, quam habet locus v. g. palmaris ad recipiendum in se aliquod corpus palmare v. g. aërem, non est minor per hoc, quod dictus locus habeat potentialitatem ad continendum corpus palmare oppositum nempe terram: neque maior per hoc, quod non habeat potentialitatem ad continendum illud; sic capedo, quam habet subiectum ad recipiendum frigus, non fit minor per hoc, quod possit subiectum recipere in se calorem: neque maior per hoc, quod non possit illum recipere. Fallacia consistit in eo, quod pro eodem sumitur ab Auctore capacitas, ac connexio, cum tamen sint rationes inter se omnino diuersę.

Verum tamen est, si daretur subiectum ita capax frigoris, vt non haberet potentialitatem ad calorẽ susceipiendum, quod esset maximè connexum cum ipso frigore. Falsum verò, quod esset tunc magis capax frigoris, quam si dictam potentialitatem ad calorem haberet. Atq; hæc contra doctrinam huius Auctoris.

SECTIO SEXTA.

Vtrum intensio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum, & de mente Sancti Thomæ.

43 CONclusio est affirmatiua: nimirùm intensionem fieri per additionem nouæ partis eiusdem qralitatis ad partem aliam, quæ antecedenter existere in eadem parte subiecti præsupponebatur: Quas quidem partes, graduales, aliqui appellant: Alij substantiuè gradus nominant, quatenus ijs subiectum à minus quale ad magis quale, & à magis ad summè gradatim ascendit. In hac sententia sunt Scotus, Bonauent. Alberic. Ricard. Ochamus, Niphus, & Marsilius, quos citat, & sequitur Suarez *disp. 46. metaph. sect. 5.* Vasquez *prima parte disp. 72. cap 4.* Fonseca 8. *metaph. cap. 3. quæst. 2.* Toletus 4. *physicor. quæst. 12.* Arriaga *de gen. disp. 3. sect. 1. subsect. 3.* Ouiedus *controu. 4. puncto 1. §. 1.* Poncius *in physic. disp. 24. quæst. 3. num. 34.* Maurus *lib. 3. quæst. 27.* & alij Recentiores cõmuniter.

Probatur primò ex impugnatione aliarum sententiarum, quia posita veritate intensionis, *quæ* non solùm sensuum experientia comprobatur, sed etiam principijs fidei, qua credimus iustum posse amplius iustificari, & sanctum fieri sanctiorem; non potest aliter explicari, nec intelligi quomodo fiat, seu qua ratione subiectum ex minus quali v. g. calido reddatur magis quale, seu calidius nisi recurratur ad additionem partis qualitatis ad 44 partem.

Probatur secundò auctoritate *Diui Thomæ* quem Thomistæ tamquam ducem suæ sententiæ venerantur. & vt taceam locum *ex quæst. 1. de virtutibus art. 12.* quem *Sectione* 4. adduxi; in quo asseritur, quod sicuti quando crescit extensiuè subiectum, ipsa quantitas augetur: ita quando crescit intensiuè augetur ipsa qualitas. In *primo sentent. dist. 17. quæst. 2. art. 2.* sic habetur: Ex hoc, quod Charitas magis firmatur, & radicatur in subiecto, sequitur ipsam augeri essentialiter. Nulla enim forma potest intelligi magis firmari in subiecto nisi per hoc, quod habet maiorem victoriam supra subiectum suum. Augmentum autem victoriæ reuadat in augmentum virtutis, & per consequens in augmentum essentiæ, quia virtus si non est ipsa essentia, oportet, quod sit ab essentia, & sibi commensuretur, sicuti effectus causæ proximæ. Ex quo loco sic argumentor: Qualitas per Diuum Thomam intenditur per hoc, quod magis firmetur in subiecto, firmatur autem magis in subiecto hoc ipso, quod habeat maiorem victoriam supra illud. Porrò augmentum victoriæ non habetur, nisi beneficio augmenti virtutis, sed virtus, ratione cuius ipsa qualitas qualificat subiectum, non distinguitur realiter ab ipsa qualitate; ergo à primo ad vltimum qualitas in sententia Diui Thomæ intenditur per hoc, quod in sua entitate augeatur, & crescat.

Deinde 2. 2. *quæst. 24. art. 4. ad tertium.* hæc habet: Ad tertium dicendum, quod quidam dixe- 45 runt

Digitized by Google

sunt Charitatem non augeri secundùm suam essentiam, sed solùm secundùm radicationem in subiecto, vel secundùm feruorem; sed hi propriam vocem ignorauerunt: cum enim accidens sit, eius esse, est inesse; vnde nil est aliud ipsam secundùm essentiam augeri quã eã magis inesse in subiecto, quod est eã magis radicari in subiecto. Hoc ipsũ docuerat *q. 1. de virt. art.* 11. sic: Ponere, quod aliqua qualitas nõ augeatur secũdũ essentiã, sed augeatur secundùm radicationẽ in subiecto, vel secundùm intensionem actus, est ponere contradictoria esse simul. Ex quibus sic argumentor secundùm mentem S. Doctoris: Qualitas intenditur per hoc, quod augeatur secundùm essentiam, sed augmentũ secundùm essentiam importat necessariò additionem partis ad partem; ergo qualitas in sententia D. Th. intenditur per additionem partis ad partem. Maior constat ex locis modò adductis. & Consequentia est euidens. Minor verò suadetur; quia dupliciter alicuius rei essentia sumi potest: primò metaphysicè, quatenus importat eius prædicata quidditatiua, quę per genus, & differentiam explicantur: secundò physicè, quatenus importat physicam, & realem dictæ rei entitatem. Iã verò quando dicitur in intensione augeri qualitas secundùm essentiam; non potest hoc intelligi de essentia metaphysica, quia cũ hæc cõsistat in indiuisibili, & se habeat sicuti numerus, non potest intelligi, quod vel augeatur vel minuatur absque eo, quod euadat alia, ab ea quæ erat prius. Ad eũ plane modum quo numerus ternarius v.g. impossibile est, quod remaneat ternarius, si illi addatur, vel auferatur vnitas: sed vel mutabitur in quaternarium, vel in binarium; ergo intelligi debet, quod augeatur secundùm essentiam physicam, quam non consistere in indiuisibili constat ex eo, quia hæc identificatur cum entitate, & indiuidatione rei, quæ modò est maior, modò minor. Porrò essentię physicę augmentum importare necessariò additionem partis ad partem suaderi potest exemplo augmenti omnium essentiarum physicè acceptarum, siue substantiales illæ sint, siue accidentales: quando enim aqua augetur per additionem alterius aquæ, non solùm essentia physica ipsius aquæ fit maior per additionem partis ad partem, sed etiam essentia physica quanticatis eius, & reliquorum accidentium diuisibilium, quę in ea sunt v.g. frigiditatis, diaphanęitatis, fluiditatis; &c. ergo augmentum secundùm essentiam physicam importat additionem partis ad partem. Et confirmatur, quia ex vna parte importat additionem, sed non prædicatorum quidditiuorum, neque alicuius alterius rei essentialiter ab essentia physica distinctæ; ergo importat additionem partis ad partem eiusdem essentiæ.

47 Ad hoc argumentum respondet primò Mazziotta *quæst. ille 11. numero* 18. qualitatem dici à D. Thoma augeri secundùm essentiam, in quantũ habet latitudinem in existentia, qua informat subiectum; cum enim possit in eo perfectius, & perfectius inexistere, illudque magis, ac magis perficere: idcirco dicitur posse crescere in essentia. Quam quidem explicationem confirmat ex verbis ipsius D. Th. *adductis in secunda secundæ*, vbi sic: Cum accidens sit, eius esse est inesse. Vnde nil est aliud charitatem secundùm essentiam augeri, quam eam inesse in subiecto, & magis in eo radicari.

Sed contra est primò: quia hic Auctor incipiendo *à num.* 12. *suæ quæstionis* quasi semper distinguit inter qualitatem sumptam secundùm essentiam, & qualitatem sumptam secundùm inexistentiam in subiecto, & cogitur perpetuò his duobus distinctionis membris tamquam oppositis dicendo, quod cum qualitas secundùm essentiam, considerata sit indiuisibilis, implicat, quod sic sumpta, vel crescat, vel minuatur. At verò si consideretur prout inexistit in subiecto, habet vtrumque. Sed nunc pressus authoritate D. Th. ait idem esse qualitatem augeri secundùm essentiam, ac augeri secundùm inexistentiam in subiecto; ergo iã eius doctrina conuincitur, quod sit falsa, & non sibi constans.

Contra secundò: Admitto, quod dat Auctor, & sic procedo: Quando qualitas magis inexistit in subiecto, crescit secundum essentiam suam. Sed non potest hoc intelligi de essentia metaphysica; ergo intelligi debet de physica: atqui augmentũ essentiæ physicæ importat multiplicitatem partiũ in ipsa essentia; ergo iam intensio fit per additionẽ partis ad partem. omnia patent ex dictis.

Contra tertiò: quia ij, quos D. T. redarguit, ex 48
duobus membris assignatis vnum concedebant: nimirum qualitatem intendi per hoc, quod magis inexisteret in subiecto: alterum negabant, hoc est intendi per hoc, quod augeretur secundùm suam essentiam. Relege citatos textus; ergo non poterant vtrumque pro eodem sumere. Assigna igitur mihi per quod differat iuxta eorum sententiam vnum membrum ab altero. Profecto non poteris, nisi ad multiplicitatem partium essentię physicæ recurras, dicasque hanc multiplicitatem ab illis fuisse negatam; & hoc confirmant verba D. Th. quæ Auctor contra nos adducebat. Nimirum nil aliud esse Charitatẽ secundùm essentiam augeri, quam eam magis inesse in subiecto, magisque radicari: quia nimirum nulla alia ratione ea intelligi potest, quod magis insit, magisq; radicetur, nisi per hoc, quod secundùm essentiã physicam in subiecto augeatur, & crescat. Quare rectè additur, quod dum Aduersarij concedabant vnum, & negabant alterum ponebãt contradictoria esse simul, & propriam vocem intensionis ignorabant.

Idem Mazziotta respondet secundò *numero* 3. aliam explicationem citatis verbis D. Th. in medium adducendo, & eam sumit *ex primo dist.* 17. *art.* 1. vbi sic: Dicitur aliquando aliquod secundùm essentiam moueri, quia est motus secundùm aliquod coniunctum essentiæ, quod est per se terminus motus, sicuti dicitur aliquod moueri essentialiter, cum secundum locum mouetur, quod secundùm suam essentiam in loco est; & sic essentiale augmentum dicitur, quod est secundùm quanticatem essentiam consequentem, mouente vna, & eadem essentia sub diuersa quantitate. Ex quibus deducit, quod quando S. Doctor dicit in intensione augeri qualitatem secundùm essentiam, non intelligit de ipsa qualitate, sed de aliquo, quod sit cũ illa coniunctum, nimirum de inexistentia, & inhæsione.

Contra tamen hanc explicationem facit pri- 49
mò,

mò, quia supra iam probauimus, non posse assignari hoc cum essentia qualitatis coniunctum, quod sit per se terminus motus intensionis, ad cuius augmentum qualitas sine propriè entitatis augmento augeri dicatur. Nam ipsemet Auctor fatetur, vti iam vidimus, quando intenditur qualitas, remanere inuariatam eius inexistentiam, & vnionem, quam antea dicebat cum subiecto; ergo nisi confugiamus ad augmẽtum entitatis ipsius qualitatis, nihil proficimus.

Contra etiam est secundò: non enim eodẽ modo philosophãdũ est de denominatione proueniẽte à motu, & denominatione proueniente ab augmentatione; nam vt aliquid secundùm essentiam suam dicatur moueri, sufficit, quod secundùm dictam essentiam sit subiectum illius, quod est per se terminus motus, vt rectè probat exemplum D. Th. At verò ad hoc, vt aliquod secundùm essentiam suam dicatur augeri siue intensiuè, siue extensiuè, non sufficit, si eius essentia coniuncta sit cũ eo, quod est terminus motus, quo fit augmentum, vt patet ex anima rationali, quæ licèt in nobis sit coniuncta cum corpore: nemo tamen vnquam dixit, quod secundùm essentiam suam ad augmentũ ipsius corporis augeatur; sed requiritur præterea vt verè eius essentia physicè accepta recipiat incrementum, quamuis non sit formaliter per se terminus illius motus, sed veluti consequenter, ac materialiter. Et hoc conuincit exemplum, quod subdit D. Th. de motu augmentationis; hic enim habet pro termino per se, & formali quantitatem, & tamen per eum veluti consequenter corpora naturalia augentur secundùm essentiam, quia non fit additio quantitatis ad quantitatem, in qua formaliter consistit augmentatio, nisi etiam fiat consequenter additio subiecti vnius quantitatis ad subiectum alterius, vt de se constat. Sic descendendo ad casum nostrum, dicendum est, quod etiam si in motu intensiuo qualitas concipiatur vt subiectum, non poterit tamen dici, quod augeatur secundùm essentiam præcisè per hoc, quod aliquod in ea receptum augeatur, siue hoc sit inexistentia, siue aliud quidpiam, sed præterea necesse est, vt ipsa secundùm entitatem suam alias, atque alias partes acquirat. Quod manifestum est ex similibus denominationibus: nemo enim approbare vnquam potuit dictum hoc: quod terra secundùm essentiam suam producatur ad productionem suæ siccitatis, vel quod secundùm eandem essentiam ad illius corruptionem corrumpatur. Præterea quis vnquam concedat aquam intendi, vel remitti secundùm essentiam, quando in ea intenditur, vel remittitur frigus? & tamen tum terra cum siccitate, tum aqua cum frigore maximam habent coniunctionem. Pari igitur ratione improbare debent omnes, quod huiusmodi corpora augeantur, & minuantur secundùm essentiã suam ad intensionem, & remissionem dictarum qualitatum; augeri enim idem significat in casu nostro, ac intendi, & minui idem ac remitti. Ex quo manifestè deducitur, quod in tantùm corpora, quando secundùm quantitatem augentur, dici possunt cum veritate, quod augeantur secundùm essentiam in quantum acquirendo nouam quantitatem, acquirunt etiam partes aliquas substantiales, quas sibi appropriant.

Dices pro Mazziotta, paritatem non currere; quamuis enim aqua non possit dici secundùm essentiam intendi per hoc, quod in ea intendatur frigus, quia respectu illius habet rationem subiecti: at potest dici intendi frigus, quamuis indiuisibile sit intensiuè, per hoc, quod modum perfectiorem inexistendi acquirat. 50

Sed contra est, quia præter quam quod hic Auctor *numero* 44. expressè doceat, calorem quando intenditur mutari recipiẽdo in se modum perfectiorem intensionis, atque adeò se habere vt subiectum illius: impugnatur vlterius, quia auctoritas D. T. adducta ab eo *ex primo sentent.* in secunda responsione loquitur expressè de subiecto: dicitur enim rectè intelligi aliquod essentialiter moueri secundùm locum hoc ipso, quod secundũ suam essentiam est in loco, & essentialiter augeri hoc ipso, quod habet augmentum quantitatiuum; ergo à pari etiam aqua, quando intenditur in ea frigus, deberet posse dici augeri intensiuè essentialiter: quia secundùm essentiam suam recipit frigus; vel si non potest dici sic augeri aqua, neq; poterit dici augeri secundùm essentiam suam ipsum frigus, quia frigus non est magis coniunctum cum sua intensione, quam sit aqua coniuncta cum illo.

Dices iterùm D. Thom. *loco citato* ait: Augmentum fucundùm quantitatem dici essentiale subiecto manente vna, & eadem essentia ipsius subiecti sub diuersa quantitate. Atqui si attendisset ad acquisitionem partium, quam tunc facit subiectum hoc esset falsum; siquidem non minus euaderet diuersa essentia subiecti, quam ipsius quantitatis ergo &c. Respondeo, quod quando S. D. ait in augmentatione remanere vnam, & eandem essentiã subiecti loquitur, de essentia metaphysica: non autem de essentia physica, aliàs falsum asseresset; constat enim, quod quando parua scintilla magnũ in sylua incendium excitat, ignis nõ solùm acquirit nouas partes quantitatis, sed etiam nouas substantiales, et sic eius essentia physica maior euadit.

Sed age iam examinamus dicta S. D. quibus Aduersarij putant ad euidentiam ostendere illum stare pro se, & contra nos. Optimum omnium, ad quod reducuntur cætera habetur in 1. *sentẽt. dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 2. vbi sic: Sicut Philosophus dicit *in* 4. *physicorum*, quod aliquid efficiatur magis album, vel magis calidum, non est per additionem alicuius albedinis, vel caloris: sed quia illa qualitas, quæ prius inerat, intenditur secundùm propinquitatem ad terminum; ergo in sententia D. Th. eam auctoritate Philosophi confirmantis habemus, intensionem non fieri per additionem partis ad partem. 51

Ad quod respondeo: additionem alicuius rei ad aliam propriè importare ipsius rei, quæ additur, realẽ præexistentiam ad additionem ipsam: & quia, quando aliquid ex minus albo efficitur magis album, albedo, rationis cuius augetur in effectu albi, non supponitur præexistisse tempore antecedenti, vel in agente, vel in aliquo alio subiecto ad additionem ipsam: ideo negat D. Th. ex sententia Philosophi magis album fieri per additionem alicuius albedinis, sed solùm ex eo quod albedo, quæ prius inerat in subiecto remissa, intenditur

Digitized by Google

ditur secundùm propinquitatem ad terminum, hoc est secundùm quod, vel propè, vel proximè accedit ad maximum quod sic, intensionis, quæ est intensio vt octo, vel etiam illum attingit.

52 Porrò hanc esse germanam intelligentiam huius loci, & reliquorum in quibus S. T. hac loquendi formula vtitur, constat ex consequentibus verbis, quæ diligenter ad mentem Angelici penitus inspicienda animaduertenda sunt. Ille enim postquam docuit diuersum modũ, quo qualitates simplices, & compositę causaliter intenduntur: verba, quę contra nos adducunt Aduersarij, sic explicat: Sicut non calidum est potentia calidum, ita minus calidum est potentia respectu magis calidi. Vnde sicut per actionem magis calidi efficitur de non calido calidum, non quod ponatur in illo aliquis calor, sed quia calor, qui est in potentia, ponitur in actu: ita etiam efficitur magis calidum per actionem calidi, in quantùm educitur calor, qui erat vt actus imperfectus in maiorem perfectionem, & maiorem assimilationem agentis. Iam verò nulli dubium esse potest, quin his verbis expliceat S. Doctor suam sententiam de intensione caloris, paritate desumpta ex primâ eiusdem caloris productione. Tum sic arguo: Quando negat, quod de non calido efficitur subiectum calidum, eo quod ponatur in illo aliquis calor: loquitur sine dubio de positione caloris præexistentis, & non de positione caloris, qui tunc primò efficiatur; aliàs falsa esset propositio; ergo quando negat, quod de calido fit magis calidum per additionem alicuius caloris, loquitur etiam de additione caloris præexistentis, & non de eo, qui tunc primò quando fit additio, producatur: positio enim negata in prima productione est ratio additionis negandæ in intensione. Itaq; eodem sensu vtraque sumi debet. Vera igitur explicatio illorum verborum (quod calidum fit magis calidũ non per additionem alicuius caloris) est quod sit sermo de calore præexistente, & non de calore, qui per ipsam additionem primò producatur. Cõfirmatur id, quod dicimus, quia idem S. Th. ait productionem calidi fieri per hoc, quod calor, qui erat in potentia ponitur in actu, & inde concludit productionem magis calidi fieri per hoc, quod educatur calor, qui erat vt actus imperfectus in maiorem perfectionem. sed non potuit intelligere, quod calor, qui erat in potentia ponatur in actu sine noua productione ipsius caloris; ergo neque quod calor, qui erat actus imperfectus, educeretur in maiorem perfectionem absque noua productione alicuius caloris.

53 Confirmatur secundò ratione, qua *loco citato* vtitur idem D. Th. ad improbandum intensionem fieri per additionem partis qualitatis, seu habitus Charitatis ad partem. Sic enim habet: In omni additione oportet intelligere duo diuersa, quorum vnum alteri additur, si autem intelliguntur duæ Charitates, aut intelliguntur diuersę secundùm speciem, aut secundùm numerum; constat, quod non secundùm speciem cum omnes Charitates sint in eadem specie virtutis; diuersitas autem secundùm numerum est ex diuersitate materię, sicut hæc albedo differt ab illa numero, quia est in diuerso subiecto. Vnde non potest qualitas addi qualitati, nisi per hoc, quod subiectum subiecto additur, Charitas autem, quę potest addi, numquam fit in alio subiecto, antequam in isto, & secundùm hoc, quod est in isto, non differt numero ab alia Charitate in eodem existente. Vnde nullo modo est intelligere ibi additionem, sed ista positio prouenit ex falsa imaginatione, quia augmentum Charitatis imaginati sunt ad modum augmẽti corporalis, in quo fit additio quantitatis ad quantitatem.

Tum sic: per illam additionem negat S. Doctor fieri intensionem, in qua oportet intelligere duo diuersa; sed hoc verificatur de additione partis præexistentis ad additionem: nam si accipit existentiam, quando additur, non est necesse, vt in additione duo diuersa intelligantur; hoc enim ipso quod existit pars, quæ additur iam identificatur cum parte, quę supponitur; ergo &c.

Quod si dicas diuersitatem duorum, quam dicit additio, quam D. Tho. impugnat, importare duo cum actu distincta: cum distinguibilia potentia, huiusmodi autem essent partes qualitatis, si intensio fieret per additionem partis existentis, quãdo primò additur ad partem præexistentem.

Contra est primò, quia eam diuersitatem secundùm numerum negat Sanctus Doctor partibus intensiuis, quæ est ex diuersitate materiæ sicut hæc albedo (vt ipse ait) differt ab illa numero, quia est in diuerso subiecto, sed hæc diuersitas importat duo actu distincta, & non distingaibilia potentia: quia hęc diuersitas dicit simultaneam existentiam duarum qualitatum in diuersis subiectis; ergo nulla responsio.

Contra est secundò, & expendo vltima verba textus citati, sic: Illam positionem de additione qualitatis ad qualitatem illis verbis confutat Sanctus Thomas, quam dicit prouenire ex falsa Aduersariorum imaginatione. sed hæc falsa eorum imaginatio ipsemet explicat in eo consistere, quod imaginentur augmentum Charitatis ad modum augmenti corporalis, in quo fit additio quãtitatis ad quantitatem; ergo eam positionem de additione qualitatis ad qualitatem Sanctus Doctor confutat, quæ assimilatur additioni quantitatis ad quantitatẽ; sed hęc importet præexistenti ã partis, quæ additur ad ipsam additionem; ergo & illa. 54

Ex quibus habes in sententia Diui Thomæ: Charitatem intendi per maiorem radicationem in subiecto significare: eam per plures, ac plures partes eidem subiecto communicari, ad eum planè modum, quo arbor non aliter magis radicatur in terra, quam alias partes suis antiquis radicibus addendo: idemque significari, quando dicitur, qualitas intendi per hoc, quod magis subiectum actuet, magis in subiecto inexistat, firmius illi adhæreat, ac tenacius alligetur; omnia enim important additionem partis ad partem, quia aliter explicari hæc dicta non possunt.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA.

Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium.

55 OBijcies primò: Aristoteles 4. *physic. tex.* 84. hæc habet: Ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non esset calidum, quando minus erat calidum; ergo falsa Conclusio.

Respondeo: ibi Philosophum agere contra eos, qui putabant qualitatem v. g. calorem inténdi in subiecto per hoc, quod in partes ipsius subiecti, quædam calida corpuscula de nouo ingrederentur; quare non dicit, quod quando calor intéditur, nulla fiat de nouo forma caloris, quæ prius non fuerat, sed tantùm quod nullum fiat de nouo calidum scilicet subiectum, quod antea non præfuisset, quod non est contra nos.

Obijcies secundò: si intensio fieret per additionem gradus ad gradum, per illam qualitas non perficeretur intrinsecè; consequens absurdum; ergo &c. Minor patet ex eo, quia intensio est motus quidam, quo ipsamet entitas qualitatis in se perficitur; sequela verò probatur, quia id, quod intrinsecè perficitur, recipere debet aliquid, quod respectu sui se habeat vt forma respectu subiecti; sed si intensio fieret per additionem partis ad partem, hoc non esset verum: gradus enim additus non reciperetur in præcedenti tamquam in subiecto, sed omnes pariter haberent pro subiecto materiam.

Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem distinguo maiorem: Id quod intrinsecè perficitur, vt potétia, debet recipere aliquid, quod respectu sui se habeat vt forma respectu subiecti, concedo: id quod intrinsecè perficitur vt actus, nego maiorem: & concessa minore, distinguo consequens: per additionem gradus ad gradũ qualitas non perficeretur intrinsecè, vt potentia concedo; non perficeretur intrinsecè vt actus intensibilis, nego consequentiam. Ad hoc enim vt aliquis actus dicatur intrinsecè perfici, satis est, si plures eius partes illum intrinsecè, & formaliter componentes in eadem parte subiecti recipiantur. Quoniam verò per intensionem non solùm tota qualitas perficitur intrinsecè, & formaliter in quantum suam absolutam perfectionem, quæ posita est in intensione, consequitur; sed etiam perficiantur gradus præcedentes remissi, ideo dico, quod per aduentum secundi gradus perficitur etiã primus ea perfectione, quam sibi vendicat pars integralis ex consortio alterius, in quãtum dictus primus gradus actu incipit integrare beneficio secundi qualitatem perfectiorem, & effectum producere. Verum autem hæc perfectio possit dici ei intrinseca est quæstio de modo loquendi, & videtur, quod sic paritate desumpta ex perfectione, quam acquirit subiectum beneficio formæ, quę perfectio esse illi censetur intrinseca.

56 Obijcies tertiò: in rarefactione quantitas fit magis extensa in ordine ad locum per additionẽ nouæ terminationis, non autem per additionem nouæ partis ipsius quantitatis; ergo & in intensione qualitas debet fieri magis intensa, non quidem per additionem gradus ad gradum, sed per aduentum nouæ terminationis, seu modi.

Respondeo: transeat antecedens, nego consequentiam. Disparitas est, quia rarefactio non est motus ad quantitatem, sed ad raritatem, quæ est quędam qualitas, vnde nil mirum si per illam non acquiratur noua quantitas; satis enim est, si acquiratur noua raritas: at verò intensio est motus ad qualitatem; calefactio enim v. g. tendit ad faciendum magis calidum, vnde non potest sine additione nouæ partis qualitatis exerceri, sicuti neque exerceri potest augmentatio sine additione nouarum partium quantitatis; & hoc non nisi quia est motus ad maiorem quantitatem.

Obijcies quartò: si intensio fieret per additionem partis ad partem, posito quod Deus poneret plures partes quantitatis, vel formę substantialis in eadem parte materiæ, sequeretur, quod tum quantitas, tum forma substantialis intenderetur; sed hoc implicat; ergo &c.

Respondeo, negando sequelam; ad faciendam enim intensionem requiritur, vt illę partes sint natura sua ordinatæ ad simul perficiendam vnam, & eandem partę subiecti, ita vt in ea coalescant in vnum iudiuiduum, atqui tum partes quantitatis, tum partes formæ substantialis sunt natura sua ordinatæ ad alias, atque alias subiecti partes perficiendas; vel si ad eandem, non tamen simul, & eodem tempore, sed diuersis temporibus; ergo non est, cur faciant vnum, & multò minus cur faciant intensionem.

Obijcies quintò: Si foraax operiatur, atque adeò flamma, quæ in ea est aliquantulum condensetur, patet ad sensum, quod eius calor, & color intendantur: sic enim magis vrit, & rubra fit flamma illa; ergo intensio non fit per additionem gradus ad gradum; nullus enim gradus vtique qualicati, quæ reperiebatur in flamma additus est.

Respondeo, negando antecedens. Flamma enim illa magis vrit, & rubra est fornace occlusa, 56
non quidem, quia eius calor, & color intenduntur, sed quia eius partes propter resistentiam ortam ab obstructione fornacis sunt magis condensatæ, atque adeò ad agendum magis vnitæ; vnde est, quod citius, & facilius operentur, sensumque moueant.

Obijcies sextò: Si intensio fieret per additionem partis ad partem: qualitas posset in infinitum intendi. sed hoc est contra communem Philosophorum sensum, qui qualitatis physicę intensionem vt octo ad summum crescere posse dicunt; ergo &c. Sequela probatur paritate, ex eo, scilicet, quia si extensio eiusdẽ qualitatis fit per additionẽ partis ad partem: sequitur, quod ipsa qualitas possit in infinitum extendi.

Respondeo, negando sequelam, ad cuius probationem nego paritatem. Disparitas est, quia intensio est ordinata ad vnam, & eandem substãtię partem perficiendam, seu disponendam, quæ cum in se finita sit, non potest nisi perfectionem, seu dispositionem finitam exposcere, atque adeò qualitates determinatam intensionem habentes. at extensio, eiusdem qualitatis est ordinata ad alias, atque alias subiecti partes perficiendas, quæ cum possint, nisi aliud obstet in infinitum crescere, eo,

quod

quod haberet rationem indiuiduorum incompletorum, quæ ex augmento proprio formalem perfectionem in specie, in qua sunt, nõ arguunt: hinc est, vt etiam ipsa qualitas in extensione suæ nullum determinatum terminum sibi vendicet. Adde, quod intensio affert qualitati formalem perfectionem, formalis autem perfectio naturalis esse debet determinata: at verò extensio materialem tantùm, quæ naturaliter nullã habet determinationẽ, vt ex indiuiduorum multiplicatione colligitur.

57 Objicies septimò: Sequeretur quod daretur infinitum actu: nam illud est huiusmodi, ex quo possunt extrahi in infinitum partes æquales vni certæ; sed hoc eueniret in nostra sententia; ergo &c. Minor probatur: posito quod luminosum aliquod per horam successiuè, & continuè magis, ac magis huic parieti approximetur, & quod in primo instanti particulam aliquam determinatam luminis produxerit; tum sic in quolibet instanti assignabili huius horæ luminosum tantundem luminis ad minimum producere debuit in pariete quantum produxit in primo instanti; sed instantia assignabilia illius horæ sunt finita in infinitum: ergo ex lumine per totam horam producto extrahi possent partes æquales vni certæ, illi scilicet, quæ in primo instanti fuit productum in infinitum.

Respondeo, negando sequelam; ad cuius probationem nego minorem, & admisso casu, nego maiorem. Ratio negationis est, quia luminosum in primo instanti non supponitur produxisse tantum illud, quod in tanta, vel tanta distantia producere potuit: at in instantibus continuatiuis supponitur illud produxisse in partibus antecedentibus; nam per totam horam intendit lumen illud, quod in primo instanti produxit per hoc, quod magis, ac magis per approximationem applicetur ad agendum in parietem: approximatio autem hæc iam fit per motum, qui cum fieri nequeat in instanti: hinc est, vt in instantibus continuatiuis indiuisibile continuatiuum luminis producere possit, non autẽ aliquid luminis æquale, vel minus illo, quod productum fuit in primo instanti.

Objicies octauò: potest eadem forma v. g. calor sine nouæ partis additione constituere subiectum magis calidum, atque adeò aliquando vtiri subiecto secundùm se totum; sed non totaliter ita vt nunc minorem perfectionem, nunc maiorem illi communicet; ergo iam saluari potest intensio sine additione partis ad partem. Consequentia patet. Antecedens probatur duplici exemplo: primum sumitur ex specie impressa, quæ aerem v. g. reddit informatum entitatiuè tantùm: at verò oculum iam intentionaliter, & representatiuè. Secundum ex gratia habituali, quæ purum quidem hominem constituit filium Dei per adoptionem, a minimè verò Christum Dominum.

Respondeo, negando antecedens. Ad primum exemplum dico nihil aliud significari, quando dicitur: aer entitatiuè informari specie; at verò oculus intensionaliter, quam quod aer non possit vti specie illa, qua vti potest potentia visiua, quod ex diuersitate subiecti, & non ex diuerso modo informationis speciei originem ducit. Per quod patet responsio ad secundum. Filiatio enim adoptiua Dei importat duo, gratiam scilicet habitualem, & negationem filiationis naturalis, defectu huius secundi Christus non constituitur per gratiam filius adoptiuus Dei, sicut nos constituimur.

SECTIO OCTAVA

Examinatur recens quædam difficultas pro sententia contraria.

OBijcies vltimò: Potest saluari intensio per qualitatem intensiuè indiuisibilem magis participatam à subiecto, quam antea; ergo ita dicendum est. Probo antecedens: si ponamus calorẽ quamcumque formaliter indiuisibilẽ quo ad intensionem esse tamen virtualiter intensũ, rectè saluatur intensio per qualitatem indiuisibilem magis participatam à subiecto, quam antea; sed illud poni rectè potest; ergo &c. Maior huius patet, quia beneficio illius virtualis intensionis haberet qualitas, quod modò minus, modò magis participari posset à subiecto, & sic illud reddere modò magis, modò minus calidum. Minor verò suadetur, quia defacto sine vllo absurdo ponimus substantiam Angeli, quamcumque formaliter indiuisibilem quo ad extensionem, esse tamen virtualiter extensam; ergo possumus sine vllo absurdo ponere formam caloris esse formaliter indiuisibilem, quo ad intensionem, sed virtualiter intensam. Antecedens nemo negabit. Consequentia propugnatur, quia non minus opponitur indiuisibilitas formalis, quo ad extensionem cum virtuali extensione, quam indiuisibilitas formalis quo ad intensionem cum virtuali intensione; siquidem non minus repugnat, quod res indiuisibilis extẽsiuè formaliter, modò à paucioribus, modò à pluribus spatij partibus participetur; quam res indiuisibilis intensiuè formaliter modò magis, modò minus participetur ab eadẽ parte subiecti, sed defacto datur in Angelo indiuisibilitas formalis quoad extensionẽ coniuncta cũ virtuali extẽsione in ordine ad spatium; ergo poni etiã poterit sine vllo absurdo in calore indiuisibilitas formalis quo ad intensionem coniuncta cum virtuali intensione in ordine ad subiectum.

Ad hoc argumentum responderi posset ab aliquo negando paritatem. Disparitas videtur esse, quia substantia Angeli quamuis sit indiuisibilis formaliter extensiuè, coexistit tamen modò maiori, modò minori spatio beneficio suæ vocabilitatis, quę sit formaliter extensa, & diuisibilis. At verò si qualitas, seu calor est intensiuè formaliter indiuisibilis, non potest beneficio inexistentiæ, seu cuiuscumque alterius modi, qui sit intensiuè diuisibilis formaliter, modò magis, modò minus participari ab eadem parte subiecti, alioquin rueret fundamentum Thomistarum, quo tuentur qualitatem esse intensiuè indiuisibilem, quia scilicet sumit suam indiuiduationem à subiecto; iam enim huiusmodi modus, hoc non obstante, reciperetur in eadem parte subiecti secundùm diuersas partes.

59 Sed contra hanc respõsionem facit primò: quia aliqui probabiliter defendunt Angelum absque modo superaddito saltem formaliter diuisibili quo ad extensionem spatio diuisibili siue minori, siue maiori coexistere. Sed dicunt id solùm facere per suam substantiam, quæ beneficio motus, veluti dilationis, vel restrictionis modò pluribus,

mo-

Digitized by Google

modò paucioribus partibus ſpatij hæc præſens, cur ego non poſſumus aliquod ſimile affirmare de qualitate, eo quod per motum intenſionis non poteſt aſſignari quid de nouo acquiratur ſiue ipſa, ſiue ſubiectum, quod antea non haberet.

Contra eſt ſecundò: quia tranſeat non poſſe Thomiſtas iuxta ſua principia hanc Philoſophiã ſuſtinere; non tamen apparet, cùr qui exiſtimat formas proprijs entitatibus, & non à ſubiecto induiduationem ſuam deſumere, & ſecundùm probabiliorem ſententiam ponant localitatem Angelicam eſſe modum diſtinctum: cur, inquam, non poſſit aſſerere qualitatem eſſe formaliter indiuiſibilem quo ad intenſionem, ſed beneficio modi diuiſibilis, modò magis, modò minus ſe communicare ſubiecto. Non enim per hanc formalem indiuiſibilitatem intenſiuam derogatur materialiter qualitatis materialis; ſiquidem ad formam materialem ſufficit formalis diuiſibilitas extenſiua cum dependentia à materia, vt patet ex omnibus fere formis ſubſtantialibus, quæ ſunt intenſiuè indiuiſibiles. Neque derogatur intenſioni eiuſdem qualitatis, quasi verò concedatur eius inhærentiæ, ipſi vero negetur. Quamuis enim modo illi inhærentiæ tribuerentur partes eandem ſubiecti partem afficientes: quia tamen ſecundùm ſe totum ordinaretur ad hoc, vt qualitas magis, ac magis à ſubiecto participaretur: hinc fit, vt non competeret illi intenſio abſolutè loquendo, & vt quod, ſed ad ſummum vt quo, quatenus eſſet conditio, cur qualitas vires ſuas magis exerceret in actu ſecundo in ordine ad ſubiectum.

60 Reſolida igitur ſolutione huius argumenti, duo hæc ſunt prænotanda velim: Vnum eſt duplici ratione intelligi poſſe Angelum eſſe virtualiter extenſum primò, ita vt ſecundùm diuerſas partes virtuales ſuæ ſubſtantiæ diuerſis partibus ſpatij coexiſtat, videlicet, vt ſecundùm vnam virtualitatem ſit præſens v.g. primo palmo, & non ſecundo, ſecundum aliam verò ſecundo, & non primo, neque tertio, & ſic de cæteris. Secundò ita vt ſecundùm totam virtualitatem, quam habet in ordine ad exiſtendum in ſpatio maiori, & maiori vſque ad certum terminũ exiſtat in ſingulis partibus ſpatij, atque adeò vt nihil illius, ne virtualiter quidem diſtinctum ſit in vna parte ſpatij quod non ſit in reliquis. Porrò cum non eſſe virtualiter extenſum primo modo ſuadetur: quia ſic iam vna eius virtualitas per ordinem ad vnam determinatam partẽ ſpatij diſtingueretur ab alia, & hæc alia per aliam, item determinatam diſtingueretur ab illa vna; ſicut in ſententia eorum, qui volunt animam noſtram per vnam virtualitatem intelligere, & per aliam velle, virtualitas, quæ dicitur intellectus per ordinem ad intelligendum diſtinguitur ab ea, quæ appellatur voluntas, ſicuti hæc diſtinguitur ab illa per ordinem ad volendum, & non volendum. Quemadmodum igitur numquam intellectus, vt diſtinctus à voluntate producit volitionem; ita neque virtualitas illa, per quam Angelus exiſteret in primo ſpatio, deberet poſſe eſſe ratio, vt exiſtat in ſecundo; ſed hoc eſſe falſum, conſtat ex eo, quia ſi ponamus, quod incipiendo ex hoc puncto Angelus occupet decem palmos ſpatij retinendo eandem localitatem decem palmorum, poterit relictis quinque palmis dicto puncto vicinioribus alios quinque ex oppoſita parte occupare. In hoc autem caſu virtualitas illa, quæ occupabat primos quinque palmos occupabit quinque ſequentes: illa verò quæ occupabat ſequentes, occupabit alios nouiter acquiſitos. Ex quo clarè falſum eſſe, quod vna pars virtualis extenſionis Angelicæ per ordinem ad vnam partem determinatam ſpatij diſtinguatur ab alia. Neque dicas modo diſtingui in actu ſecundo, ſaltem inchoatiuè per ordinem ad vnam partem ſpatij, quia vnam occupat modò per ordinem ad aliam, quia occupat aliam. Sic enim dici conſequenter deberet modo intellectum in Angelo diſtingui in actu ſecundo inchoatiuè à voluntate, quia intelligit, modò verò quia amat, vel aliud quid, quod non eſt intellectio, operetur. Quo quid abſurdius?

Dicamus ergo Angelum vna indiuiſibili virtualitate ſecundùm id, quod dicit in recto, modò pluribus, modò paucioribus partibus ſpatij coexiſtere, ita vt diuerſitas, atque diſtinctio ſe teneat ſolùm ex parte ipſius ſpatij, non verò ex parte Angeli, quasi vero in eo præſcindere ex parte obiecti poſſimus vnam virtualitatem ab alia, ſicuti præſcindimus animalitatem, & rationalitatem in homine; & ſic non eſſe mirum, ſi per eandem virtualitatem modò intelligi poſſit correſpõdere huic parti ſpatij, modò alteri parti. 61

Alterum, quod prænotandum volebam, eſt, quod ſi ponamus formam caloris, & cuiuſcumque alterius ſimilis qualitatis formaliter indiuiſibilem quo ad intenſionẽ, & virtualiter tãtùm intenſam, partes eius graduales diſtingui debent ita, vt diuerſitas, atque diſtinctio ſit illi intrinſeca, & ſe teneat ex parte ipſius qualitatis, atque adeò quod ipſamet qualitas per ordinem ad diuerſas communicationes, quibus reſpectu ſubiecti modò minores, modò maiores vires exerit, præbeat fundamentum diſtinguendi in ſe obiectiuè vnum gradum ab alio. Et ratio eſt, quia hìc non habemus aliam, atque aliam partem ſubiecti, per ordinem ad quas vna, & eadem formalitas intrinſeca extrinſecus diuerſificari poſſit, ſicuti habemus in virtuali extenſione Angelica. Diuerſitas igitur, & diſtinctio communicationum neceſſe eſt, vt ſumatur ex parte virtualis diſtinctionis, quæ ſit in ipſa entitate qualitatis. Nam omnis diuerſitas cõmunicationis, ſeu modi communicandi refundi debet vel in rem, quæ communicatur, vel in id, cui res illa communicatur. Cum igitur in ſubiectum, quod eſt id, cui calor communicatur, non poſſit refundi communicationis diuerſitas, refundi neceſſariò debet in qualitatem ipſam, quæ eſt res, quæ ſubiecto communicatur. Neque dicas, quod nequeat poni virtualis diuerſitas intrinſeca qualitati, ita etiam poni poteſt intrinſeca ſubiecto. Namquam hæc diuerſitas virtualis ſubiecto intrinſeca, ſupercialis, vtpote ſubiectiua, & omnis potentia ſpecificetur ab actu, non poteſt vnum, & idem ſubiectum multiplici virtualitate intrinſeca reſpicere vnum, eundemque actum, abſque eo, quod in actu multiplex virtualitas intrinſeca cum reperiatur.

Ex quibus deducitur: eos qui tuentur intenſionem qualitatis fieri per maiorem radicationem eiuſdem qualitatis formaliter indiuiſibilis intenſiuè, 62

Digitized by Google

siuè, necessariò sanctum præscindentiũ obiectiuè sustinere debere. Quod præstitit Mazziotta, qui in sua illa *disput.* de hac materia explicare volens quo modo fiat intensio qualitatis indiuisibilis: sic habet *numero* 61. Ea summa, quæ prius non exerebat virtutem suam, quam habebat calefaciendi subiectum, vt octo, postea per motum exerit illam in actu secundo; ita vt eadem aliter se communicet, cum est remissa, & aliter, cum est intensa. Et *numero* 63. Effectus (inquit) formales calidi, vt tria, vt sex &c. tribui debent formaliter formæ accidentali caloris, quæ se ipsam subiecto communicat. Porrò extractio maiorum virium, & diuersitas effectuum in genere causæ formalis non sunt intelligibilia sine pluralitate virtualitatum se tenentium ex parte ipsius qualitatis.

Hisautem præsuppositis ad obiectionem initio positam respondeo, negando, posse poni qualitatem formaliter intensiuè indiuisibilem, & virtualiter solùm intensam; & ad eius probationem nego paritatem ex Angelo desumptam. Disparitas potest esse, quia implicat qualitas intensiuè indiuisibilis formaliter, quæ beneficio virtualis intensionis modò magis, modò minus communicetur subiecto. At verò non implicat substantia Angelica extensiuè indiuisibilis formaliter, quæ beneficio virtualis extensionis modò sit in minori spatio, modò in maiori. Ratio huius disparitatis, hoc argumento, ni fallor, concludi potest. Virtualis extensio Angeli benè saluatur per vnicam virtualitatem, ita vt recta diuersitas, atque distinctio sit ipsi substantiæ Angeli extrinseca, & intrinseca solùm partibus spatij formaliter diuisibilibus. At verò virtualis intensio qualitatis non potest saluari, nisi beneficio plurium virtualitatum, quæ sint ipsi qualitati intrinsecæ: Sed vnica illa virtualitas intrinseca Angelo nullam inuolvit implicantiam, multiplex verò virtualitas qualitatis, quemadmodum ponitur in obiectione, & necessaria est ad nostram intensionem faciendam, dicit implicantiam manifestam; ergo &c. Maior non egens maiori probatione, & consequentia clara. Minor verò duas continet partes, & quidem quo ad primam ad Angelum pertinentem, patet ex dictis: nam posito quod Angelus sit extensiuè indiuisibilis formaliter, & virtualiter extensus, non potest hanc saluari per multiplicem virtualitatem sibi intrinsecam, diuersas spatij partes sibi vendicantem, sed tota diuersitas se debet tenere penès ipsas partes spatij, exemplo immensitatis Dei, quæ cum sit formalissimè vna ex parte obiecti, solùmmodo distinguitur partium spatij, in quibus est extrinsecùs distingui potest. Quo ad posteriorem verò partem, in qua est difficultas, eadem minor sustinetur, quia dupliciter potest concipi qualitas formaliter indiuisibilis intensiuè, quæ beneficio plurium virtualitatum intrinsecarum sit virtualiter intensa: Primò ita vt quoties communicat subiecto vnam virtualitatem, necessariò debeat illi communicare omnes alias. Secundò ita vt possit de facto illi communicare vnam, & non alias. Et prior quidem nullam videtur inuoluere implicantiam. Quare puto possibilem qualitatem intensiuè indiuisibilem virtualiter intensam vt octo. v. g. frigiditatem, quæ æquivalet frigiditati habenti octo gradus formales frigoris, dummodo sit ei similis in hoc; vt quemadmodum implicat ponere hanc habentem formalem intensionem vt octo in ligno, v.g. absque eo, quod communicet ligno totam illam intensionem formalem, & absque eo quod reddat illud frigidum vt octo: ita implicet ponere illam habentem virtualem intensionem vt octo in aqua absque eo, quod communicet aquæ totam suam virtualem intensionem, & absque eo quod illam reddat frigidam vt octo.

62 At verò posterior qualitas indiuisibilis intensiuè, quæ ita est virtualiter intensa vt octo, vt possit communicare vnam virtualitatem subiecto suo absque alijs, v.g. reddere illud frigidum aliquando vt vnum tantùm, aliquando verò vt quatuor tantùm, & non semper vt octo: hanc est, quã puto contradictionem inuoluere, & est ipsissima, quam ponunt Aduersarij. Iam verò contradictionis probationem ex eo desumo, quia in huiusmodi qualitate esset distinctio virtualis in ordine ad prædicata contradictoria realia; sed hæc distinctio implicat in creatis; ergo huiusmodi qualitas verè implicat. Consequentia est legitima, & minor meritò conceditur communiter, siquidem distinctio virtualis, quam in Diuinis ex fide cognoscimus inter Naturam, & Personalitates in ordine ad prædicata illa contradictoria produci, & non produci, communicari, & non communicari, oritur ex infinitate actus puri, quæ necessariò debet sibi identificare omnem perfectionem simpliciter simplicem; & quia huiusmodi infinitas implicat communicari creaturis, implicabiliter consequenter in eis virtualis distinctio in ordine ad prædicata contradictoria realia. Maior igitur principalis argumenti probatur, quia si posset frigiditas, non obstante, quod esset formaliter indiuisibilis, & virtualiter intensa vt octo, modò reddere subiectum frigidum vt vnum tantùm, modò vt duo, &c. Ponamus quod de facto reddat illud frigidum vt vnum tantùm. Profectò verificabitur de illa, realiter loquendo, quod communicetur subiecto secundùm virtualitatem primi gradus, & quod non communicetur subiecto secundum virtualitates cæterorum graduum; ergo ista habet distinctionem virtualem in ordine ad prædicata contradictoria realia. Antecedens patet, quia quod sit Aduersariorum doctrina, quam profitetur tueri Mazziotta *numero* 64. virtualitates omnes per intensionem magis communicari subiecto, per remissionem verò minus, est euidens, quia ex vna parte quod subiectum sit frigidum vt vnus, & non vt octo, habetur à parte rei independenter ab intellectu; realiter enim loquendo tunc est adeò frigidum, sicuti esset, si esset vt octo. Ex alia verò si frigiditas illi etiam communicaret secundùm virtualitates septem consequentium gradum, vtique non redderet illud frigidum vt vnum tantùm, sed vt octo; ergo &c. Probo igitur consequentiam, quia communicari subiecto realiter secundùm primum gradum, & non communicari eidem subiecto realiter secundùm reliquos grãdus sunt prædicata contradictoria realia non minus, quam sint respectu Patris communicari realiter Verbo secundùm Naturam diuinam, & non communicari secundùm Personalitatem;

ergo tum qualitas hęc haberet distinctionem virtualem in ordine ad prædicata contradictoria realia, quod erat probandum.

63 Dices: tunc communicari qualitatem eidem subiecto realiter secundùm vnum gradum, & non secundùm alios, esse contradictoria realia, quando cætera ad huiusmodi communicationem pertinentia eodem modo se haberent; at verò in casu nostro non eodem modo se habent, quia ex triplici capite oritur, vt qualitas virtualiter intensa non semper se communicet secundùm omnem gradum virtualem subiecto. Primò ratione qualitatis contrariæ in eodem subiecto repertæ. Secundò ratione confusionis, & potentialitatis ipsum subiecti. Tertiò denique ratione elongationis agentis à subiecto, ita vt non valeat educere qualitatem illam secundùm suum perfectum inesse. Sumitur hęc doctrina ex his, quę dicit Mazzotta præsertim *num.* 55.

64 Sed contra est primò: quia si qualitas indiuisibilis esset virtualiter intensa vt octo, nullum ex triplici capite assignato posset illam impedire quo minus secundùm totam intensionem vt octo se communicaret subiecto; ergo tria capita assignata, quamuis non eodem modo semper maneant, non sunt ad dictam qualitatis communicationem pertinentia; remanet igitur quod communicari qualitatem subiecto secundùm vnum gradum, & non secundùm reliquos, sint prędicata contradictoria realia. Omnia patent præter antecedens, quod suadetur discurrendo per singula capita. Et quidem quod attinet ad primum patet: tum quia non omnis qualitas intensibilis habet contrarium: tum etiam, quia quæ habet, si esset virtualiter intensa vt octo, deberet ad sui aduentum expellere contrarium non minus, quam forma ignis formam ligni. Quo ad verò secundum probatur, quia vel hæc confusio, & potentialitas est essentialis subiecto; & sic semper impediret, ne forma se totaliter communicaret subiecto, vel accidentalis, & hæc consisteret in carentia dispositionis complexæ. Sed datur qualitas intensibilis in rerum natura, quæ huiusmodi dispositionem non requirat alioqui daretur processus in infinitum in dictis qualitatibus, vt supra vidimus; ergo saltem respectu huius qualitatis carentia complexę dispositionis non posset impedire, ne se communicaret subiecto secundùm omnem gradum virtualem, quem habet, hoc ipso quod est in illo.

65 Quo ad denique tertium de elongatione agentis à subiecto, idem suadetur, quia posito quod hęc elongatio non impedit productionem qualitatis in subiecto, neque poterit impedire, ne illa se totaliter subiecto communicet: quia causa formalis non nisi quantum ad productionem ab agente dependet, nullo verò modo quantùm ad tribuendum hoc, vel illos formales effectus, vt de se patet; ergo fiat, quod nullum ex triplici capite assignato impedire valeat qualitatem indiuisibilem, ne communicet subiecto, quod efficit, totâ suam gradualem intensionem, quam in se habet. Sed permitto esse impedimentum, & respondeo secundò quod hoc non obstante adhuc de eadem qualitate verificarentur duo contradictoria pro statu reali, quod in hunc ferè modum suaderem: Etiam si cętera ad communicationem pertinentia non se haberent eodem modo, si tamen eadem qualitate indiuisibili verificatur, quod realiter secundùm vnam virtualitatem communicetur subiecto, & secundùm aliam realiter non communicetur eidem subiecto, sufficit hoc ad habenda duo contradictoria de illa qualitate pro statu reali. Sed res ità se habet in casu nostro; ergo &c. Maior, in qua est difficultas, & directè opponitur. Aduersarius ad effugio, probatur aliqui: nam si anima rationalis se communicaret materiæ secundùm gradum animalitatis, & non secundùm gradum rationalitatis, etiam si hoc responderetur in præsentiam dispositionum à prior gradu requisitarum, & in absentiam dispositionum, quas posterior gradus sibi vendicet: nihilominus communiter fateretur, quod de eadem anima duo contradictoria pro statu reali verificarentur; sicuti etiam si eliceret operationes sensitiuas per gradum animalitatis, ita vt gradus rationalitatis, ne realiter quidem in dictas operationes influeret, vel operationes intellectiuas per gradum rationalitatis, ita vt gradus animalitatis, ne realiter quidem dictis operationibus se immisceret: quamuis de cætero inter operationes ipsas magna intercipiatur diuersitas; ergo & in casu nostro *licèt cætera ad communicationem pertinentia non se haberent eodem modo; si tamen eadem indiuisibilis qualitas secundùm vnum gradum se communicaret subiecto & nò secundùm reliquos iam verificarentur de ea duo contradictoria pro statu reali*, atque adeo necessariò ponenda esset in dictis gradibus virtualis distinctio in ordine ad prædicata contradictoria realia, quod implicat. Quod si rationem à priori huius quis exposcat, ea est, quia quantumuis magna sit diuersitas inter ea, quæ ad communicationem pertinent, vel causalitatem, vel effectus ipsos, nunquam poterit sufficere in vna indiuisibili entitate diuersitatem intrinsecam quo ad prædicata contradictoria realia, qualiter sunt communicari, & non communicari causare, & non causare, nisi in eadem entitate virtualem distinctionem in ordine ad huiusmodi prædicata præsupponat. Atque hæc

DISPVTATIO QVADRAGESIMA NONA.

DE HETEROGENEITATE, VEL HOMOGENEITATE Graduum.

1 VNum ex *præcipuis argumentis, quo Thomistæ ex nostra sententia de intensione qualitatis per additionem gradus ad gradum sibi triumphare videntur, est, quod dictos gradus neque homogeneos esse posse putant, neque heterogeneos, hoc est neque similes, neque dissimiles; quatenus contra vtramque partem controuersię validæ difficultates insurgunt: non animaduertentes, quod etiam si dicatur fieri intensio per maiorem radicationem eiusdem qualitatis in subiecto, eadem controuersia cum iisdem ferè difficultatibus se offerat examinanda. Siue enim octo gradus intensiui caloris v. g. qui reddunt subiectum calidum vt octo, realiter inter se distinguantur, siue virtualiter tantùm: æquè de illis quæri potest, num inter se formaliter habeant dissimilitudinē aliquam, necne? Non est igitur, cur Aduersarij nobis hanc difficultatem examinandam relinquant: potius enim, tamquam vtrisque communem, eam exagitare deberent, & si quid circa illam habent, ad publicam vtilitatem in medium adducere, quemadmodum nos in præsenti controuersia faciemus, prius de heterogeneitate eorum quoad ordinem, deinde de heterogeneitate quo ad perfectionem disputantes.*

SECTIO PRIMA.

Num gradus, quibus eadem qualitas intenditur, sint Homogenei quo ad ordinem, an potius heterogenei.

2 SVppono quæstionem non procedere de homogeneitate, & heterogeneitate quo ad essentiam. Constat enim primum, & secundum gradum caloris esse eiusdem speciei atomæ; atque adeò non differre essentialiter inter se, alioqui subiectum per receptionem secundi gradus non posset dici magis calidum. Comparatio enim secundum magis, & minus ex Aristotele in prædicamento qualitatis fieri debet intra eandem speciem: Ad hęc, vel quilibet gradus esset indiuisibilis, & sic alteratio ex indiuisibilibus coagmentaretur, & fieret per instantia interpolata: vel diuisibilis, & vel eius partes differrent essentialiter, vel non; vt primum; ergo cum quilibet gradus sit in infinitū diuisibilis, iam constaret ex infinitis essentijs si secundum, hoc ipsum dici poterat de tota qualitate intensa vt octo absque tot specierum multiplicatione.

Denique posita graduum heterogeneitate quo ad essentiam, non posset saluari continuitas qualitatis. Neque enim valet dicere cum Hurtado *disp. 5. de gener.* § 93. quod licèt res diuersarum specierum completarum continuari non possint, eo quod continuatio importet partes non omnino integras; duæ tamen species incompletæ, quales essent primus, & secundus gradus caloris v.g. quæ ordinantur ad faciendam vnam speciem completā, non sit, cur non possint. Non, inquam, valet hoc, quia hinc deduceretur materiam primam, & formam substantialem non solùm facere vnum per se essentialiter, sed etiam vnum continuum; siquidem vtraque est incompleta ad vnum per se in specie completa constituendum ordinata. Hoc autem sustineri non potest, quia cum partes in continuo ante assignationem sint indistinctæ, vt supra probatum est, sequeretur, quod materia, & forma vnitæ non essent inter se realiter distinctæ, atque adeo quod propriè loquēdo, neque materia esset in composito substantiali, neque forma, sed solum aliquod ex eis destructis iā resultans. Quod quam sit absurdum nemo non videt. Multò minus valet id, ad quod valde inclinat Poncius in *phyſic. diſp. 24. qu. 4. num. 52.* nimirum sufficienter vniri inter se gradus eiusdem qualitatis intensæ per hoc, quod vniantur cum eadem parte subiecti: Primò: quia sic omnes qualitates, quæ sunt in eadem parte subiecti, haberent continuationem. Neque dicat non ordinari omnes ad faciendam vnam qualitatem completam: primò quia hoc ipso, quod essent aptæ simul eandem partem subiecti perficere: iam ordinarentur ad vnionem inter se habendam, atque adeò ad vnam continuam qualitatem constituendam. Secundò, quia hic Auctor non potest loqui, nisi de vnione ex natura rei ab extremis distincta, vt patet, & hanc contendere reperiri inter gradus qualitatis, & subiectum, non verò inter gradum, & gradum. Atqui hoc perperam dicitur, siquidem ex suppositione, quod admittenda sit in rerum natura huiusmodi vnio, ad illam concedendam inter vnum gradum, & alium militant omnes rationes, quibus probatur concedendam esse inter ipsos gradus cum subiecto. Coeunt enim inter se ad componendum vnum intensiuè multò strictius, quàm cum subiecto ad compositum accidentale constituendum. Nulli igitur dubium esse debet, gradus, quibus eadem qualitas intenditur, in eadem parte subiecti non esse heterogeneos inter se essentialiter.

3 Quæstio igitur instituitur inter Recentes de homogeneitate, vel heterogeneitate individuali quo ad ordinem cum subordinatione, an scilicet eodem modo differat primus gradus caloris à secundo &c. quo differunt inter se duo primi gradus eiusdem caloris: vt, quemadmodum si loco

vnius primi gradus afficeret aquam, v.g. alter primus, redderet eam calidam vt vnum, sicut reddebat ille primus: sic posito, quod sit calida vt duo, si loco secundi gradus ponerentur in ea alter primus: num, inquam, illam redderet calidam vt duo, sicuti eam reddebat secundus simul cum primo. Et si quidem redderet, gradus intendentes omnam qualitatem erunt homogenei, hoc est omnino similes indiuidualiter. Contra verò heterogenei, hoc est, quo ad indiuiduationem dissimiles.

Atque hìc obiter nota: hanc controuersiam esse independentem ab ea, in qua quæritur, vnde habeant agentia, vt hunc potius numero effectum producant, quam alium; quamuis enim id ex se habent, vel non sequitur eorum effectus esse inter se heterogeneos, vel si sequitur, eorum heterogeneitas non esset ordinis, de qua quærimus, hoc est cum subordinatione formali, sed solum materiali, vt melius ex dicendis constabit.

Et quidem pro eorum homogeneitate sic explicata citatur Scotus *in primo dist. 17. quæst. 4.* quem sequuntur Scotistę cum Vasquez *prima part. disp. 28.* Ruuio *in præsenti cap. 4. tract. 3. quæst. 5. numero 57.* Auersa *quæst. 23. sect. 7.* Arriaga hìc *disput. 3. sectione 3.* Poncius *in phyc. disp. 24. quæst. 4.* & alij apud ipsos.

Pro heterogeneitate verò stat Suarez *disp. 46. metaph. sect. 1.* Hurtadus *disput. 5. sect. 6.* Maurus *lib. 3. quæst. 28.* Fracastorius *de sympatia cap. 6.* & alij Recentiores, cum quibus sit.

Nostra Conclusio: Gradus, quibus eadem qualitas intenditur, sunt inter se heterogenei indiuidualiter quo ad ordinem.

Probatur primò, argumento Suarij: Qualitas intensa est simpliciter perfectior, quam extensa v.g. calor intensus vt octo existens in palmo ligni est simpliciter perfectior calore, vt vnum extenso in octo palmis ligni. Sed hoc non esset verum, nisi gradus caloris vt octo essent Heterogenei quo ad ordinem; ergo &c. Maior huius non videtur indigere probatione: omnes enim docent perfectionem intensiuam esse formalem, & per se exactam à qualitate: extensiuam verò materialem, & per accidens illi competere. Quod patet primò, quia communiter conceditur aliquid posse esse Deo extensiuè perfectius, cuiusmodi est hoc conflatũ: Deus, & creatura. At omnes negant posse excogitari aliquid Deo perfectius intensiuè. Secundò, quia si intensio non importaret maiorem perfectionem simpliciter in qualitate, sequeretur quod natura non imposuisset illi limites, ne in infinitum posset excrescere; sicuti non posuit in extensione, quæ ideo potest in infinitum augeri. Sed hoc est contra experientiam: videmus enim non posse qualitatem aliquam saltem naturaliter intendi vltra octauum gradum. Quamuis enim latitudo intensiua potuisset in plures, vel panciores gradus à Philosophis diuidi; non ideo potuisset esse maior, vel minor, ad eum modum, quo dies, qui in viginti quatuor horas ita diuisus est, vt idẽ innumerabilis in se in plures, vel pauciores horas diuidi potuisset.

Minor verò probatur, quia si gradus facientes intensionem, homogenei essent quo ad ordinem, nihil posset in eis assignari, ratione cuius superarent in perfectione simpliciter octo primos extensos. Nam tria in ligno palmari calido vt octo considerare possumus. Primum est numerus octonarius graduum caloris. Secundum est subiectum, quod dictos continet gradus. Tertium denique duo vnionum genera, vnum, quo gradus inter se continuantur, alterum quo cum subiecto vniuntur; sed in nullo ex his tribus superarent octo primos non in numero, & qualitate sui ipsorũ; nam tot sunt, quot illi; & tales, vt si vices mutarent, ita vt loco octo primorum, afficerent octo palmos ligni, & octo illi primi palmum: æque palmus esset calidus vt octo, & octo palmi calidi vt vnum. Neque secundò ratione subiecti; nam subiectum quantum ad essentiã ponitur esse eiusdem speciei: quantum verò ad extensionem excederetur potius à calore extenso; nam subiectum caloris vt octo ponitur esse vnius palmi: octo verò primorum graduum, octo palmorum. Neque denique tertiò in vnione, quia tot vniones sunt necessariæ ad vniendos octo gradus caloris inter se, & cum eodem subiecto, ac necessariæ sint ad vniendos octo alios inter se, & cum diuersis partibus subiecti. Nec dici potest dictas vniones in intensione esse diuersę rationis, ac sint in extẽsione. Nam diuersitas vnionis sumitur ab extremis. Extrema autem per Aduersarios supponuntur omnino similia. nullam enim agnoscunt diuersitatẽ in gradibus intensiuis, & extensiuis; & subiecta, quibus vniuntur, iam sunt eiusdem speciei; ergo verè nihil assignari posset in gradibus intensis vt octo, ratione cuius superarent in perfectione simpliciter octo primos gradus extensos.

Triplex ad hoc argumentum responsio afferri 6
potest. Prima est: illud ne quidem à nostratibus heterogeneitatem in gradibus admittentibus vniuersaliter approbari. Multi enim ex eis cum negent vnum gradum esse perfectiorem alio, sed velint omnes esse inter se æquè perfectos, non possunt admittere qualitatem intensam esse simpliciter perfectiorem extensa; & hoc propter ipsam nostram rationem, quam ad minorem probandam adducimus: quia hæc maior perfectio non potest illi prouenire ex subiecto, neque ex gradibus, quibus constat, neque ex vnionibus. Sed contra hoc facit, quia falsum est eos, qui nobiscum tuentur heterogeneitatem graduum, rationabiliter negare posse qualitatem intensiuam esse simpliciter perfectiorem extensiua. Et ad rationem ex argumento nostro desumptam dicerem: inter nos, & Aduersarios in eo latum esse discrimen. Illi enim hoc ipso quod velint, lignum palmare calidũ vt octo esse per omnia simile in qualitate ligno octo palmari calido vt vnum, tenentur consequẽter asserere nõ superare illud simpliciter in perfectione. Contra verò nos qui tuemur esse dissimile. Rectè enim intelligi potest, quod aliqua duo non sint perfectiora duobus alijs: & tamen quod compositum ex eis resultans sit perfectius composito resultante ex illis alijs, hoc ipso quod inter ea dissimilitudo aliqua intercedat. Sic licet materia prima, & forma substantialis ligni palmaris non sint perfectiora duabus formis ligni duorum palmorum; eo quod materia, quę est in primo binario, vtpote pura potentia, & propè nihil, non assurgit ad perfectionem formæ ligni,

quæ

quæ sibi in secundo binario correspondet: nihilominus tamen compositum ex materia prima, & forma ligni est perfectius composito ex duplici forma ligni consurgente, quatenus illud est ens substantiale completum, hoc verò incompletum. Idem cum proportione dicendum in nostro casu; quamuis enim primus, & secundus gradus caloris non sint perfectiores duplici primo; compositum tamen ex primo, & secundo est perfectius composito ex duplici primo, eo ipso quod secundus est dissimilis primo, quia stante hac dissimilitudine rectè intelligitur consurgere intensio qualitatis, quæ, cæteris paribus, est extensione simpliciter perfectior.

7 Secunda responsio est Quiedi *contra 4. puncto 2. numero 3.* negantis maiorem, atque dicentis intensionem non esse perfectiorem extensione. Ad primam verò probationem in contrarium, quæ ex Deo desumitur: concesso antecedente, negat cõsequentiam, & disparitatem assignat dicendo: perfectionem tum intensiuam, tum extensiuam in qualitate fieri per additionem gradus ad gradum, & ideo intensiuos, & extensiuos gradus homogeneos esse inter se, rectè sustineri posse; at perfectionem intensiuam, quæ Deo tribuitur esse vnam simplicissimam perfectionem, & ideo non fieri per additionem alicuius rei supra Deum, sicuti fit de facto extensiua perfectio eiusdem. Ad posteriorem verò ductam ex termino intensionis, respõdet primò, posse dici, quod intensio ex incapacitate subiecti limitetur, quatenus non habet virtutem sustentandi, nisi qualitatem vt octo. Hoc autem non militare pro extensione, quæ alias, atque alias partes subiecti sibi vendicat. Respondet postea secundò ad hominem contra Suarez, cuius est illa probatio sic: Extẽsio graduũ, vel potest in infinitum protendi, vel non potest. Si potest: concedam, inquit Quiedus; idem de intensione: quod possit etiam illa in infinitum excrescere. si non potest, eodem modo ego, loquendo de intensione, negabo.

8 Sed contra hanc responsionem facit primò: quia præter quam quod sit, vti dicebã, contra cõmunem sensum Scholasticorum, affirmantium qualitatem plus intensione perfici, quam extensione. Disparitas de perfectione intensiua, & extẽsiua in ordine ad Deum nullam esse sic suadeo: Sicuti licèt potentia effectiua Dei sit in se vna simplicissima perfectio: nihilominus ei tribuimus infinitatem intensiuam intrinsecam, quatenus potest creare species creaturarum perfectiores, & perfectiores in infinitum: & etiam illi concedimus infinitatem extensiuam intrinsecam quoque, quatenus potest creare plura, & plura individua in infinitum sub dictis speciebus comprehensa. Sed non obstante eius simplicissima perfectione extẽsiua: conflatum ex potentia effectiua increata, & creata concipi potest, vt extensiuè perfectius sola potentia increata; ergo non obstante eiusdem simplissima perfectione intensiua, idem conflatum poterit concipi, vt intensiuè perfectius eadem potentia increata. Disparitas igitur assignata nulla est. Maior huius est certa, & Minor est doctrina ipsius Quiedi. Vtraque verò Consequentia patet, quia ratio perfectionis simplicissimę cum æque reperiatur in intensiua perfectione Omnipotentiæ Dei, ac in extensiua, æquè deberet impedire conflatum perfectius intensiuæ, ac perfectius extensiuæ. Cum igitur certissimus impediri prius conflatum, non verò posterius: necesse habemus assignare pro vnica ratione disparitatis hùius rei, quod perfectio intensiua sit formalis, & necessariò consurgat ex partibus per se, & ex intrinsecis suis ordinatis ad illam constituendam, quales non sãt potentia increata, & creata. Perfectio verò extensiua sit materialis, & consurgere possit ex pluribus per accidens concurrentibus ad conflandam illam, cuiusmodi in conflato assignato sunt supradictæ potentiæ. Quod expresè negabat Quiedus.

Contra bimembrem vero eiusdem responsionẽ, qua infirmare conatur argumentum ex termino augmenti intensiui qualitatis desumptum, facit, secundò, & quidem quantum ad id, quod dicit, ideo non posse plus intendi qualitatem, quam vt octo, quia subiectum non habet vim sustentandi plures gradus; manifestè impugnatur ex eo, quia tunc hęc ratio consisteret, quando in materia cuiuslibet formæ sua peculiaris potentia corresponderet. Siquidem hoc modo intelligi facilè posset, quod potentia, qua sustentatur calor. v. g. habet vires vt octo, & non amplius, atque adeò, quod materia non possit sustentare calorem vt nouem, vel vt decem, &c. at hoc est falsum; per vnicam enim potentiam omnes formas saltem accidentales materia prima sustentat: ita vt earum diuersitas materialiter tantùm respiciatur ab eius potentia. Ex quo deducitur, quod etiam si vires illius determinatæ sint, responsio non procedat. Ponamus enim vim substentatiuam materiæ non posse se extendere, nisi ad sustentandam quinque qualitates intensas vt octo. Facta hac suppositione, quemadmodum materia eadem vi posset sustentare decem qualitates intensas vt quatuor: ita & quatuor intensas vt decem; ad eum planè modum, quo Baiulus potens vehere quinque vasa, quorum vnũ quodque sit octo librarum, non est cur non possit eadem vi uehere quatuor vasa, quorum vnumquodque sit decem librarum. Fac igitur aerem illuminatum habere quatuor qualitates intensas vt octo, quarum vna sit calor. Profecto si limitatio virium sustentatiuarum ipsius aeris impediret, ne calor in eo intendi posset vltra octauum gradum: vtique si redderetur tenebrosus, vires, quas insumebat ad sustentandum lumen, posset applicare ad sustentandum intensiores gradus caloris v. g. nonum, decimum, &c. & sic posset qualitas intendi vltra octauum gradum. Sed experiẽtia constat, quod non possit; ergo limitatio, quã habet qualitas, vt non possit se extendere vltra octauũ gradum, nõ potest prouenire ex limitatione virium, quas habet materia; quod erat probandũ.

Denique contra alterum membrum responsionis, qua Suarez impugnat, facit tertiò: quia dupliciter intelligi potest qualitatem extendi posse in infinitum: Primò cathegorematicè, ita videlicet vt aliquando sit infinitè extensa. Secundò synchategorematicè, ita vt sit semper finita, sed vlterius, & vlterius in infinitum extendibilis. Pari etiam ratione potest intelligi eadem qualitas in infinitum intendi. Quamuis autem eadem sit panitas, si sumatur infinitas extensionis, & intensionis priori modo; non tamen si sumatur posteriori

Digitized by Google

riori modo. Nam si quis dicat qualitatem infinitè extensam implicare: tenebitur consequenter dicere eam implicare infinitè intensam; quod si neget infinitè extensionis implicantiam, debet etiam negare implicantiam infinitæ intensionis. At verò omnes conuenimus in eo, quod qualitas saltem naturaliter non possit intendi vltra octauũ gradum: possit verò semper vlterius, & vlterius extendi, ita vt quantum est ex se, non habeat terminum, vltra quem, spectata sua, natura extendi minimè possit, Malè igitur Ouiedus ex eo quod concedat Suarez qualitatem posse in infinitum extendi hoc secundo modo: ait etiam se concedere eam posse in infinitum eodem modo intendi.

Tertia denique responsio ad argumentum principale est Poncij *in phyſic. diſp. 22. quæſt. 4. num. 41.* docentis qualitatem intensam esse quidem perfectiorem extensa, non tamen quo ad entitatem suã, sed solùm quantum ad modum, quia scilicet partes ipsius intimius coniunguntur; vnde non sequitur, quod dictæ partes sint hęterogeneæ. Hanc eandem responsionem dedit quoque vno verbo Ouiedus *loco citato*, dicens: Calorem intensum, vt octo nullam habere perfectionem, quam non habent octo primi gradus in octo subiectis, sed illos excedere in eo, quod sunt inter se magis vniti.

Sed contra est, quia hæc vnio intimior, & 11
maior: quæ conceditur in sententia Aduersariorum gradibus intensiuis, & negatur extensiuis, non potest consistere, nisi in eo, quod vniat dictos gradus cum eadem parte subiecti, & non cum diuersis, sicuti extensiua. Sed hoc nullam addit qualitati intensæ perfectionem, ne quidem modalem; ergo &c. Maior patet; duplicem enim vnionem in qualitate intensa considerare possumus, vti paulò ante dicebamus: alteram, qua eius gradus inter se vniuntur: alteram, qua vniuntur cum eadem parte subiecti. Atqui hoc, quod est intimius, & magis vnire, non potest verificari de priori vnione, quia illa solùm habet continuare gradus, ita vt primus sit coniunctus tertio mediante secundo; secundus verò quarto mediante tertio, & sic deinceps, quod eodem modo exercetur ab vnione extensiua quatuor graduum extensorum, vt de se patet; ergo verificatur de posteriori. Minor verò in qua est difficultas suadetur, quia si hoc, quod est vniri cũ eadẽ parte subiecti in qualitate, modalẽ perfectionem supra extensam importaret, maximè esset, quia vnio duorum graduum cum eadem parte subiecti esset perfectior, quam vnio eorumdem duorum graduum cum duplici parte. sed hoc nõ potest dici ab Aduersarijs, tum quia eorum sententia est, quod vniones intensiuę sunt eiusdem rationis cum extensiuis: tum quia quoties extrema duarum vnionum sunt omnino similia, toties & ipsæ vniones sunt inter se similes, vti vidimus; ergo &c. Neque dicas dissimilitudinem inter dictas vniones consistere in eo, quod extensiua sit duplex partialis: altera recepta in vna parte qualitatis extensæ, altera verò in altera parte: intẽsiua verò sit vna. Ne id dicas, inquam, qui enim duas partiales vniones in partibus extensis agnoscunt: ideo est, quia ex vna parte putant continuum componi ex solis indiuisibilibus; ex alia verò aiunt vnionem debere penetrari adęquatè cum subiecto. Ex quo deducunt, quod si vnio, quæ vnit duo indiuisibilia extensiua, esset vna indiuisibilis, & non duplex partialis: deberet esse in duplici loco adæquato, quatenus cũ vtroque indiuisibili penetraretur, quod repugnat. Quoniam verò indiuisibilia facientia intensionem sunt in eodem indiuisibili loco penetrata: hinc putant, quod vna simplici vnione indiuisibili vniri possint. Atqui hic discursus falso principio nititur, nimirum quod continuum ex solis indiuisibilibus componatur, vti in physicis probatũ est; ergo nihil habet soliditatis.

Hæc instantia denique, nostrumque principale 12
argumentum contra duas postremas. Aduersariorũ solutiones hac vnica ratione cõfirmari posset. Qui habet intensiorem visionem, perfectius videt Deũ. Sed hoc absque graduum heterogeneitate sustineri nequit; ergo &c. Maior patet. Minor probatur; si essent homogenei, non videret perfectius. Sint enim duo Beati habentes visionem intensam vt vnum; si diuinitus vtraque visio ponatur in tertio Beato, vtique deberent facere vnam visionẽ intensam, vt duo. Sed hoc non obstante eodem modo repręsentarent Deum, ac quando erant in duobus Beatis: non enim ex mutatione subiecti diuersum repręsentandi modum acciperent; ergo absque graduum heterogeneitate intensior visio Dęum perfectius non videret. Hoc argumento dissipatur solutio Ouiedi negantis qualitatem intensam esse absolutè perfectionem extensa, vt de se patet: necnon etiam solutio Poncij volentis ratione vnionis nobilioris qualitatem intensam rẽddi perfectiorem. Perfectior enim, vel imperfectior Dei repręsentatio, ac penetratio competit visioni secundùm sua intrinseca sibi identificata, formaliter loquendo, & non ratione vnionis accidentalis, quæ potest ei adesse, & abesse. Pone enim iuxta probabiliorem sententiam dictas visiones productas esse per actiones distinctas, atq; adeò in tertio non remanere cũ respectu ad duos Beatos, à quibus productæ fuerunt: profectò non poterit negare Aduersarius quo minus intensionẽ faciant. Nihilominus quod non videat per eas tertius Beatus Deum clarius constat, quia non potest non mutari visio quo ad intrinseca sua, si ex minus clara magis clara in se reddatur. Atqui quod sic mutetur, est impossibile; ergo &c. Confirmatur: quo visio est perfectior eo plures creaturas in Deo videt. Pone nunc duos illos Beatos eadem prorsus creaturas per singulas visiones in Deo comprehendisse. Ex vna parte tertius si perfectius videret, deberet alias attingere. Ex alia vero non posset: quia vtraque visio est secundùm sua intrinseca repręsentatio harum creaturarum, & non aliarum, vt hic cum multis suppono. Non est igitur admittenda solutio, quam tradit Poncius, & multo minus illa, quam dat Ouiedus *n. 33.* ad hoc argumentum dicendo, quod si huiusmodi gradus visionis fingantur non remanere cum respectu ad diuersa principia, perfectior visio ex eis constituenda sit; repugnat enim hoc perfectè graduum homogeneitati, vt vidimus, quam *loco citato* contra Hurtadum ille propugnat.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Proponitur secunda ratio.

13 PRobatur secundò assertio nostra: quia si gradus eandem qualitatem intendentibus essent omnino similes quòad ordinem, sequeretur quod sicuti vnum agens palmare calidum vt octo debitè applicatum passo potest producere in eo ad minus sex, vel septem gradus caloris: ita octo agentia palmaria, quorum unū quodq; sic calidum vt vnū debitè iterū applicata eidem passo, poterunt illud eodem modo reddere calidum vt sex, vel vt septem. Sed hoc est contra omnem experientiam. Videmus enim, quod etiam si calida vt vnum in infinitum multiplicentur, & debitè applicentur passo non possint illud, nisi ad summum vt unum calefacere; ergo &c. Sequela, quæ sola indiget probatione suadetur: si gradus essent omnino homogenei nonesset plus virtutis actiuæ in agente palmari calido vt octo, quàm in octo agentibus calidis vt vnum; ergo sicuti illud posset reddere passum calidum vt septem, ita & hæc. Cōsequentia est euidens. Nono enim omnimodam similitudinem, & paritatem in cæteris rebus, quæ ad producendum calorem vt septem in passo necessariæ sint cū sola disparitate ex parte agentium. Vnde si in illis octo agentibus calidis vt vnum non est minus virtutis actiuę, ac sit in palmari calido vt octo, sicuti hoc posset reddere passum calidū vt septē, ita & illa. Antecedens igitur probatur: tota vis actiua agentis palmaris calidi vt octo consistit per Aduersarios in octo gradibus palmaribus caloris intensi vt octo, sed his octo gradibus sunt omnino similes octo gradus palmares caloris vt vnum, in octo subiectis palmaribus existentes; ergo nō plus virtutis actiuæ est in calido vt octo, quam in octo calidis vt vnum, quod erat probandum.

14 Ad hoc argumentum omnes Aduersarij negant sequelam, vt pote contra experientiam; ad eius verò probationem triplicem respondere possunt. Et primo quidem distinguendo consequens antecedentis, sic non esset plus virtutis actiuæ in agente palmari calido vt octo, quàm in octo agentibus palmaribus calidis vt unum, si loquamur de virtute secundum se, siue remota sit, & impedita, siue proxima, & expedita, concedunt. Loquendo de virtute proxima, & expedita negant antecedens, & consequentiam, & ad probationem antecedentis dicunt, quod agens palmare calidum vt octo cum habeat octo gradus caloris omnino similes octo primis agentium palmarium calidorum vt vnum, vere licet non superet illa in virtute actiua secundum se spectata, superat in virtute actiua proxima, & expedita ad agendum; in quantum dicti gradus habent vnos penetratiuè in eodem subiecto, quomodo non habent suos gradus octo illa agentia calida, quare ideo virtutem productiuam caloris vt septem dicuntur habere, vtpote fortiorem, & expeditiorem, quatenus deest illis unio penetratiua in eodem subiecto; quamuis autem hæc unio non sit ratio agendi: est tamen conditio necessaria in ordine ad dictum effectum: Cuius est ratio, prius potest esse, quia licèt ea res pariat, & tamen vna vnius habet partes magis coniunctas, & strictius inter se vnitas, quam alia, plus operabitur, quam illa alia. Virtus enim vnita fortior esse communiter dici solet.

Sed contra hanc responsionem facit, quia ratio, quare vnio penetratiua octo graduum caloris in eadem parte subiecti reddit eorum vim expeditā, & proximè potentem producere in passo calorem vt septem, non est, nisi quia eius beneficio dicti gradus melius applicantur passo, quā octo primi gradus in octo subiectis existentibus, qui illa carent, sed potest sæpè contingere, ut non applicentur melius; ergo posset etiam sæpè contingere, ut octo calida, ut unum producerent in passo calorem ut septem, & sic cadit distinctio quam fecit. Maior est certa, non enim potest alia ratio assignari, & consequentia claret. Minorem verò hoc modo probarem: pono quod octo illa agentia circumcingant passum, ita vt quodlibet sit illi immediatum, & sic arguo. Melior applicatio prouenies ex vnione penetratiua, quam haberent octo gradus existentes in agente palmari calido vt octo, consisteret in eo, quod omnes essent immediatè applicati passo, sed sæpe octo primi gradus existentes in octo calidis palmaribus absque unione penetratiua possunt esse immediatè applicati passo, sicuti sunt in casu posito; ergo potest sæpe contingere, ut octo gradus facientes intensionem ut octo in subiecto palmari non applicentur melius passo, quam octo primi existentes in octo subiectis.

Dices: in ordine ad agendum immediatam applicationem octo graduum ad eandem partem passi meliorem esse immediata applicatione octo similium illis ad diuersas. Atqui beneficio vnionis penetratiuæ habetur applicatio octo graduum ad eandem partem: sine illa verò habetur applicatio immediata ad diuersas; ergo &c. 15

Sed non procedit, nam in tantum est melior immediata applicatio octo graduum ad eandem in ordine ad agendum, in quantùm per eam vires actiuæ agentis calidi vt octo colliguntur in vnū, & sic magis inuicem roborantur ad agendum. Cōtra verò per immediatam applicationem ad diuersas partes passi vires actiuæ octo calidorum vt vnū dispergentur, ac dissipantur, sed hæc ratio nulla est; ergo &c. Minor, quæ sola probatione eget, suadetur: quia sicuti per immediatam applicationem ad eandem partem passi colliguntur in vnum vires actiuę agentis, sic etiam colliguntur in vnum vires resistiuæ passi, & quemadmodum per immediatā applicationem ad diuersas partes passi distrahuntur in diuersa vires actiuæ octo graduum, ita etiā dissipantur vires resistiuæ eiusdem passi. Hoc enim sicuti quando oppugnatur ex una parte, conatur solùm ex ea parte impedire actionem contrarij, ita quando ex diuersis partibus oppugnatur, distrahit conatum suum in diuersas partes ad se tuendum in illis; ergo spectatis omnibus, immediata applicatio octo graduum ad eandem partem passi non est melior in ordine ad agendum quam immediata applicatio similium ad diuersas: inquidem illa maior vis actiua vtpote tantùm retundatur à maiori vi resistiua, quam adhibet passum versus vnam illam partem, quantum retundantur vires actiuæ octo agentium calidorum à virtute resistiua, quam adhibet passum in octo partibus

non

ia

in quibus oppugnetur.

Instabis: me transire à uiribus resistiuis, quæ considerari debent in passo ratione suæ intensionis præcisè, ad uires resistiuas eiusdem, quas habet ratione propriæ extensionis, quem transitum non facere ad præsentem difficultatem probatur: quia dum ego intendo octo calida ut unum posse agere in octo partes passi, supponere debeo ipsum in ijsdem partibus esse frigidum ut octo, atque adeò nihil habere caloris. Atqui si spectetur resistentia frigiditatis ut octo, cum præcisione ab omni extensione, tanta est in passo contrà calidum ut octo: quanta contra quodlibet ex octo calidi ut unum. Cum igitur melius oppugnet hanc resistentiam agens calidum ut octo beneficio octo graduum, quos habet, quam quodlibet calidum ut unum: rectè deducitur meliorem esse in ordine ad agendum applicationem octo graduũ ad eandem partem passi, quam ad octo diuersas.

Responderi posset quoties agimus de actione, & passione rerum corporearum non posse nos cõsiderare uim actiuam, & resistitiuam; quam habét ratione suæ intensionis cum præcisione ab ea, quã habent ratione suæ extensionis; sicuti enim extensio sine ulla prorsus intensione nullam uim haberet, ita neque intensio omni prorsus extensione destituta, & de facto communiter dicimus aliquam partium multitudinem ad agendum, & resistendum esse semper rebus corporeis necessariã. Sed quidquid sit de hoc.

Respondeo admittendo, quod uires intensiuæ passi frigidi ut octo secundùm se consideratæ minus resistant calido ut octo ex una parte sibi applicato, quàm calido ut unum applicato eidem ex alia simili parte. Sed insuper addo hoc intelligẽdum esse, quando sunt cætera paria; nam si ponamus calidum ut octo esse maximè rarum; calidũ uerò ut unum ualdè densum, ut aes ferrum, &c. certum est passum minus cæteris paribus resistere calido ut octo, quam calido ut unum, imo posse euenire, ut nihil penitus patiatur ab illo, contra uerò aliquid patiatur ab hoc. Experiẽtia enim constat, nos absque ullo sensu caloris contingere flammam raram, Vt gagatæ uitam; comburi uerò ad contactum lebetis aliquantulam calefacti. Hoc posito sic urgeo: si gradus caloris essent omnino homogenei, sequeretur, quod in eo casu, in quo passũ frigidũ tam resisteret calido ut octo, raro sibi ex una parte applicato, quam octo calidis ut unũ valde condensatis applicatis sibi ex diuersis partibus deberent hæc calida producere in passo calorem adeò intensum, ac producerent in eo calidum ut octo: & hoc probo destruendo principalem responsionem: quia huiusmodi calida ut unũ non solùm haberent tantùm uirtutis actiuæ secũdùm se spectatæ, quantum haberet calidum ut octo; sed etiam illam haberent proximam, & expeditam instar illius. Siquidem in tantùm calidum ut octo suam uirtutem actiuam sic haberet in quãtum, ratione applicationis immediatè omnium suorum graduum ad eandem partem passi, melius eius resistentiam uinceret. Sed hæc immediata applicatio compensaretur densitate octo agentiũ calidorum, ut unum, ut probauimus: cuius beneficio non minus uinceretur resistentia passi; ergo stante omnimoda graduum similitudine sequeretur, quod tantùm caloris absolutè, & omnibus pẽsatis posset producere in passo octo agentia calida ut unum, quantum posset calidum ut octo.

Confirmatur, quia cæteris paribus, quo plura sunt agentia eiusdem rationis applicata eidẽ parti passi, eo plus debilitatur uis resistiua eiusdem partis; sed beneficio condensationis plures partes cuiuslibet agentis calidi ut unum applicantur eidem parti; ergo plus debilitari debet eadem pars. Poterunt igitur tot partes calidi ut unum ei applicari, ut tam debilis euadat ad resistendum illis, quam sit ad resistendum octo gradibus caloris existentibus in calido ut octo, compensante multitudine agentium mediatorum multitudinem immediatorum ipsius calidi ut octo; & sic sufficere posset unum calidum ut unum ad producendum calorem ut septem in illo passo; & hoc propter eandem rationẽ, quam Aduersarij assignabant, nimirum quia uirtus unita fortior est, quam dissipata. 17

Secunda Aduersariorum responsio ad principale argumentum, quæ etiam potest adhiberi nostræ ultimæ rationi, est: non posse calidum ut unum, etiam si in infinitum multiplicetur producere in passo plus caloris, quam habet in se, eo quod omne agens agit, ut assimiler sibi passum: quo fine cessante, cessat actio, non defectu uirtutis, sed finis ab agente intenti. Vnde ortum habuit commune proloquium in experiẽtia numquam interrupta fundatum: Quod simile non potest agere in simile.

Sed contra est primò, quia si gradus essent omnino similes, hæc experientia contradiceret alteri experiẽtiæ, uidelicet, quod quoties habetur uirtus actiua agẽtis debitè applicata passo capaci illius actionis, toties sequitur actio. Ac potest gradum heterogeneitate nulla, esset contradictio: utraque enim salua consisteret; ergo heterogeneitas negari non debet.

Quod si dicas: utramque rectè etiam saluari, posito, quod finis agentis sit formaliter assimilare sibi passum; formaliter, inquam, quia per uirtualẽ assimilationem non saluaretur. Contra est secundò, quia pater quam quod quibusdam ex Aduersarijs hæc ratio non probatur, inter quos est Oviedus n. 7. eo quod uideamus, agentia æquiuoca huiusmodi finem in agendo habere non posse. Fac tamen saltem in agentibus univocis dari. Probo tamen quod si admitteretur perfecta graduum similitudo, non uitaretur, quin simile saltem in aliquo casu agere posset in simile. Fac enim ignem calidum ut quatuor, sed valde densum, calefacere lignum valde rarum; profectò principalis eius finis in ea actione esset illud incendere; ergo etiam si actione uniuoca produceret in ligno quantum, & suxum gradum caloris, adhuc ageret ut assimilaret sibi passum, & quidem perfectius & solidius, quam si illud reddidisset tantùm, ut quatuor calidum, quia similitudo substantialis sit sine comparatione nobilior accidentali. 18

Quod si replices, non repugnare uirtutem calefactiuam ignis in habere pro fine ultimo producere ignem: ut habeat pro immediato assimilare sibi passum in gradu caliditatis, quando nõ reperit illud simile; adeo ut si gradus ille non sit sufficiens dispositio ad ignem, ignis producendũ non

non posse procedere vlterius. Iam verò posito, quod virtus calefactiua ignis sit huiusmodi rectè saluatur vnà cum homogeneitate graduum, quod simile in qualitate, & gradu numquam possit agere in simile; ergo ita dicendum est. Contra est tertiò, quia hic modus discurrendi occludit nobis viam quærendi rationem à priori effectuum, quos videmus; de quolibet enim asserere possemus non repugnare causam talis naturæ, vt illum tali ratione producat. Quare cum scientia consistat in cognitione rei per causam, supersedere deberemus à labore illas comparandi. Nec ratio Arriagæ in contrarium, quidquam valet multas videlicet dari experientias, quarum non possimus reddere rationem à priori, nisi ad rerum naturas confugiendo. Ex hoc enim solum deducitur, quod non omnes possumus omnia scire: cum quo stat, quod quoties alicuius experientiæ aliquam rationem 18 probabilem adducere possumus: rationabilius, & nostro discurrendi modo conformius facimus, si eã adducamus, ac propugnemus, quam si ad naturas rerum occultas, & non implicantes confugiamus.

19 Præterea licèt hic modus controuersias dirimendi possit aliqua ratione permitti, quoties non habetur vllum præiudicium in contrarium; Si tamen hoc habeatur, nullo modo permittendus est. Pone enim quod aliquis sustineat dari de facto animal, quod etiam si recipiat vulnus in corde nõ moriatur: non sufficit huic ad occultam naturam huius animalis cõfugere, dicẽdo, quòd non implicet huiusmodi animal, quia res est in cæteris omnibus animalibus præiudicata; atqui multa in casu nostro habemus præiudicia contra Aduersarios; quorum primum ducitur ex perpetua experientia ratione à priori suffulta, quod quoties aliqua res est potens producere aliquam formam, & habet sibi debitè applicatum passum capax talis formæ, non potest in illo non producere talem formam; ex hoc autem rectè deducimus, quod si gradus essent homogenei, calidum vt vnum deberet posse producere in aliud calidum vt vnũ sibi debitè approximatum non solùm secundùm gradum caloris, sed etiam tertium, quartum, & sic deinceps; eo quod ex vna parte habet virtutem producendi in passo illo plures primos, si sæpius ei nullum gradum caloris habenti appropinquaret: Ex alia verò esse primum, & secundum, &c. in gradibus stante homogeneitate eorum, est denominatio merè extrinseca, ita vt secũdus potuisset esse primus, & tertius quartus; ergo cum passum supponatur in hac sententia habere virtutem simul huiusmodi gradus recipiendi, non erit, cur illos de facto minimè recipiat. Rursus habemus aliud præiudicium ex alia experientia item perpetua. Quod si aliqua res debitè applicetur alicui passo capaci aliquam formam recipere, & non producat in illo talem formam illa res non habeat virtutem producendi eam formam, nec in illo passo, nec in alio. Ex quo rectè deducimus calidum vt vnum non esse productiuum illius gradus caloris, qui si non supponit in passo primum, dicitur primus, si verò supponat, dicitur secundus. Tertium denique præiudicium est, quod numquam videmus duas formas omnino similes in eodem subiecto existere posse. Dixi (omninò similes) quia in sola specie similes, & in individuatione dissimiles dantur plures, vt plures relationes paternitatis ad plures filios in vno patre, & plures species intensionales plurium hominum in vno oculo. Iam verò contra hæc præiudicia non possunt Aduersarij se tueri recurrendo ad occultam naturam agentium, atque dicendo, quod etiam si ea habeant virtutem producendi in passo vnum gradum caloris, ex suppositione tamẽ, quod inueniant aliquem in illo productum, minimè de facto eum producant; necessitantur enim assignatis præiudicijs se cõformare, vel certè assignare rationem positiuam, cur putent naturas agentiũ alteratiuorum ab vniuersalissimis regulis eximẽdas esse; & non potius eis subijciendas, atque subdendas per hoc, quod dicant qualitates, quas intendunt heterogeneis gradibus esse compositas?

Tertia denique responsio ad principale argu- 20
mentum potest esse; non valere in nostra sententia illum argumentandi modum: octo calida vt vnum habent virtutem producendi tot gradus caloris, quot calidum vt octo in passo capaci, & debitè applicato; ergo defacto producent. Nil mirum igitur si neque in eorum sententia habeat vim. Antecedens suaderi potest ex his, quæ habet Poncius *num.* 44. quia quamuis in nostra sententia ad faciẽdam intensionem requiratur heterogeneitas graduum, atque adeò calidum vt vnum non possit producere in calido item vt vnum secundum gradum caloris: at habet potentiam producendi alium primum, & passum est susceptiuum illius, ac nulla est incompossibilitas inter plures primos. Atqui his non obstantibus per nos de facto non producet illum in calido vt vnum; ergo ille modus argumentandi in nostra etiam sententia non habet vim.

Contra tamen est, quia quod in antecedente assumitur falsum est. Ad eius verò probationem dicendum in nostra sententia passum calidum vt vnum habere capacitatem naturalem recipiendi alium calorem vt vnum, in sensu diuiso à primo gradu caloris, quem habet, non verò in sensu cõposito; & hoc propter repugnantiam, quam habẽt duæ formæ omnino similes ad simul informandum idem numero subiectum, siue demum substantiales sint, siue accidentales; quamuis enim nullo rigoroso oppositionis genere opponantur, repugnãt tamen adinuicem, vt de se constat; & hinc est vt agens calidum vt vnum hoc ipso quod vnum primum gradum caloris inuenit in passo, non possit alium similem in illo producere in nostra sententia. At verò in sententia Aduersariorum admittentium duos gradus in eodem subiecto omnimo similes non repugnare, debet omnino concedi, quod possit etiam in sensu composito; quia si passum calidum vt vnum in sensu composito est capax alterius gradus caloris omnino similis: à quocumque tandem agente potente illum causare, debitè sibi applicato, de facto poterit: quia nihil oppositionis acquirit hic gradus cum præcedenti per hoc, quod ab hoc determinato agente producatur, quod non haberet, si produceretur ab alio.

Instat Poncius: ito tamen per nos non posse 21
calidum vt vnum producere alium primum gra-

dum caloris in subiecto item calido vt vnum, quia hic gradus esset frustratorius, i neque enim calorem intenderet, neque extenderet; hoc sufficit nobis pro ratione experientiæ, quod non producat; ergo rectè iam potest sufficere sibi pro ratione experientiæ, quod simile non agat in simile, si assignet aliquod absurdum, quod aliàs sequeretur v. g. quod duo calida remissè possent se inuicem intendere vsque ad summum.

Sed contra est, quia quamuis nos conueniamus cum Aduersarijs, vtrumque absurdum esse existimando, nimirum quod natura frustra faciat aliũ primum gradum, & quod duo remissè calida se inuicem intendant usque ad summum: diuersificamur tamen per hoc, quod illi negando heterogeneitatem in gradibus, non possunt assignare rationem à priori huiusmodi impedientem absurditates, sed ad occultas rerum natura ex proprio cerebro excogitatas confugere coguntur. Contra verò nos sola heterogeneitate vtramque absurditatem à priori propellimus. sustinendo illud vniuersale principium, nimirum quod formæ omnino similes sint ex se naturaliter, repugnantes in eodem subiecto: atque dicendo per huiusmodi repugnantiam rectè prouisum esse à natura, vt neutrum ex assignatis absurdis aliquando contingat. Quoniam verò ad dictam formarum repugnantiam non possunt confugere Aduersarij, dum sustinent duos gradus omnino similes posse simul esse in eodem subiecto: necesse habent asserere consequenter, quod natura agentium immediatè per se ipsam absque vlla oppositione habita inter formas, illas absurditates euitet hoc solo nomine, quod absurditates sint: et quod quamuis vna forma ignis v. g. quantum est de se possit simul existere in eadem materia cum alia simili in specie, & agens habeat virtutem illam producendi in dicta materia; ne tamen sequatur, quod esset frustranea, non producatur: & quod licèt attenta vi productiua causarum efficientium, & receptiua subiectorum, & formarum producendarum, simile posset agere in simile, ne tamen sequatur, quod remissè qualia se vsque ad summum intenderent, ab actione desistant. Qui modus discurrendi ab omni philosophia est alienus.

SECTIO TERTIA.

Affertur tertia ratio pro heterogeneitate graduum.

22 PRobatur denique tertiò nostra Conclusio: Si gradus qualitatis non essent inter se subordinati, & heterogenei quo ad ordinem, sequeretur, quod qualitates contrariæ non haberent determinatam oppositionem in suis gradibus; primus n. gradus caloris æquè esset oppositus omnibus gradibus frigiditatis vt octo, atque adeò ad eius aduentum non esset maior ratio, cur potius vnus, quam alius gradus destruendus esset in subiecto frigido. Sed hoc est inconueniens: siquidem ordo in natura, quatenus fieri potest, seruari debet, ita vt non sit necesse ad Deum recurrere tamquam ad causam extrinsecam, vt inordinatio tollatur, quando possunt omnia benè saluari sine tali recursu, sicuti in casu nostro possunt, si ponatur heterogeneitas in gradibus. ergo &c.

Aliqui sunt, qui velint prius corrumpendum esse gradum primo loco productum.

Sed contra est primò: quia suppono gradus illos simul, & in eodem instanti productos fuisse; neque enim in tua sententia potest habere locum prioritas naturæ, quæ sine aliqua heterogeneitate saltem ordinis existere nequit. Secundò etiam contra est, quia gradus ille ex eo, quod per prius productus sit, non ideò censendus est quod senuerit iam, & non sit æquè potens, & validus ac cæteri, resistere agenti inimico, vt benè notat Oniedus.

23 Alij secundò assignant gradum vltimò productum, tum quia quod vltimum est in constructione, in destructione esse debet primum: tum etiam quia minorem vnionem habet cum cæteris partibus gradus vltimus, quàm gradus medij; nam, hi sunt inuicem ex vtraque parte colligati: vltimus verò ex altera tantùm parte, ideoque minus potest resistere agenti contrario, quam illi. Sed contra priorem rationem facit, quia illud proloquium habet veritatẽ, quando id, quod est *in constitutione* vltimum, dependet à præcedentibus, vt tectum domus pendet à parietibus, & *hi à fundamentis*, & ideò faber non à fundamentis domus, sed à culminibus incipit soluere vetustatẽ, vt ait Ambrosius. Cæterùm cor quod in animali *primò* incipit viuere, postremo loco moritur. *Contra* posteriorem verò *facit, tum quia vnio non est* vitus actiua, *tum quia sicuti octauus gradus est ex* vna parte vnitus *septimo, ita primus ex alia parte* vnitus *secundo; quare octauus* non minorem habet *vnionem cum cæteris partibus*, quam primus. *Nulla igitur est* ratio minoris vnionis, cur *in corruptione octauus* debeat præcedere primum.

Pater Oniedus postquam *num.* 27. præcedentes *responsiones* ijsdem ferè rationibus, quas nos adduximus, confutauit. Respõdet ipse ad argumẽtum concedendo ex omnimoda graduum homogeneitate sequi qualitates contrarias non habere determinatam oppositionem in suis gradibus. ita vt primus caloris opponatur octauo frigoris, secũdus septimo, tertius sexto, quartus quinto, & sic deinceps, vti nos volumus. Ait enim primum gradum caloris opponi cum collectione octo graduũ frigoris indiuisibiliter accepta, quam intendit destruere per corruptionem vnius gradus indeterminati, siue sit hic, siue ille alius. Atque adeò pro determinatione recurrendum esse ad primam causam, & quidem sine absurditate; quia sicuti cum supponimus causas secundas esse indifferentes ad producẽdũ hunc potius effectũ, quã alium, sine absurditate defacto recurrimus ad Deum pro determinatione graduum producendorum: ita possumus pro determinatione corrumpẽdorum iure recurrere. Quod si neges paritatem, dicendo in productione non suppetere Philosopho aliam viam, & ideò rationabiliter ad Deum recurri: at in corruptione suppetere admittendo gradum hic-

Digitized by Google

terogeneitatem. Vrget Quiedus: affinitatem, quæ inter productionem & corruptionem reperitur, ratione cuius rectè ex una ad aliam duci consequentia potest; cum præsertim productio, ex qua ducitur, sit positiua, & principalior: corruptio verò negatiua, & minus principalis. Vnde si pro principaliori ad Deum recurrimus, non est, (inquit) cur nouas rerum naturas, vt negemus recursum ad Deum, pro minus principali medeamur. Tria sunt quę principaliter in hac responsione dicuntur. Vt autem ab eo, quod vltimo loco affertur, incipiamus, sit hoc: quòd posita graduum heterogeneitate non solùm negatur recursus ad Deum in ordine ad eorum corruptionem, sed etiam in ordine ad productionem, quod in hunc ferè modum probarem: si gradus heterogenei sunt, ex se exigunt produci determinato loco uidelicet primus primo loco, & non alio, secundus secundo, & nō tertio, & sic de cæteris, nō minus quam exigant determinatè corrumpi, ut uidelicet prius corrumpatur octauus, deinde septimus, postea sextus &c. ergo per heterogeneitatē non solū tollitur recursus ad Deū in ordine ad corruptionē, sed etiā in ordine productionē. Præterea in tantū per Quied. est minus principalis corruptio, quia est negatiua; sed admissa heterogeneitate tollitur indifferentia ab ipsa entitate graduū, negata verò ponitur, dū dicitur ab Aduersarijs, quod quilibet gradus caloris est de se indifferens ad existendum in eodem subiecto cum quolibet frigoris. quodque solùm exigat à Deo, ut unum ex octo quodcunq; tandem sit destruatur; quod utrumque negatur à nobis; ergo per heterogeneitatem tollitur etiam indifferentia à principaliori.

24 Contra verò id, quod secundo loco dicebatur, nimirum nō esse inconueniens recurrere ad Deū, ut gradum frigoris ex tota illa collectione corrūpendum determinet, posito, quod ad eum pro determinanda graduum producendorum indiuiduatione recurritur, sic arguo: Quanto minus potest Philosophus ad Deum immediatè recurrere in assignandis proximis effectuum naturalium causis; eo minus debet; ergo etiam si necessitate compulsus, sit ei recurrendum ad Deum pro determinanda effectuum indiuiduatione, parce & quanto minus potest, id facere debet. Sed admissa heterogeneitate minus recurrit tum in productione, tum in corruptione graduum; & in productione quidem, quatenus ponit exigentiam in rebus creatis, ex qua classe graduum eligendus sit à Deo ille indiuidualis, quem determinare debet ad hoc, vt producatur: videlicet ex classe primorum, si agens nullum gradum qualitatis producendæ inueniat in passo, secundorum verò, si inueniat in passo primū, & sic deinceps. In corruptione verò propter determinatam oppositionem, quam supponit habere gradum, qui producitur cum corrumpendo. Porrò hac oppositione negata, puto, quod non solùm ex parte caloris producendi, sed etiam ex parte frigoris corrumpendi fieri debeat recursus ad Deum primò, & per se in ordine ad aliquod positiuum, quod sic probo: Heterogeneitate negata primus gradus caloris, qui produceretur, non posset existere simul cum octo frigoris, & quilibet ex his octo esset indifferens ad existendum cum illo; ergo determinatio Dei primò, & per se ferretur circa septem gradus, quos conseruare vellet, quique nullum ius ad existendum haberēt; ex qua determinatione secundariò, & per accidens sequeretur corruptio illius, qui extra numerum septenarium reperiretur. Vnde fit, ut negata heterogeneitate, augeatur recursus etiam in positiuis, & quidem in diuerso genere; si enim natura secundariò, & per accidens rerum corruptionem exequitur, multò magis Deus, qui est summum bonum; Atqui videmus, quod natura quoties conseruat vnum, corrumpendo aliud, quod nisi corrumperet, illud vnum minimè conseruaret, per se conseruationem, per accidens verò destructionem intendit. Negata igitur heterogeneitate, augetur recursus ad Deum in positiuis, & quidem in diuerso genere; nam probabilis sententia, qua se tuetur Quiedus, est, quod Deus determinet indiuiduationem effectuum producendorum. Positis autem gradibus homogeneis debet determinare etiā indiuiduationem effectuum cōseruandorum. & sic nihil certi esset in natura, ratione cuius hic numero gradus magis duraret, quam alius, quod sine vrgenti necessitate non est asserendum.

Aliam rationem assignat Auctor n. 29. ob quam 25
sibi licitum esse ducit recurrere ad Deum, vt determinet, qui nam gradus ex octo illis sit expellēdus, quia, inquit, quælibet forma contraria oppositam corrumpit moraliter, hoc est exigendo à Deo suspensionem concursus, quo illam antea conseruabat; ergo si solus Deus gradum frigoris physicè corrumpit, nil refert si preces gradus caloris non determinent hunc potius, quam illum gradum corrumpendum; & confirmatur: quia si gradus caloris, qui physicè producitur ab igne, determinatur à Deo, multò magis gradus frigoris corrumpendus, qui moraliter tantùm ab eodem igne corrumpitur.

Sed neque hæc ratio firmior est præcedente: quamuis enim verum sit formam contrariam influere in destructionem oppositæ moraliter tantùm exigendo à Deo suspensionem concursus illius: exigentia tamen illa est physica, & identificata cum ipsa forma; ergo si potest saluari exigētiam primi gradus caloris non esse vagam respectu cuiuscumque gradus frigoris, sed determinatè petere à Deo destructionem octaui, potius, quam cuiuslibet alius: refert magnopere ita asserere, vt quantum possumus, recursum ad primam causam euitemus.

Ad confirmationem autem patet ex dictis: negatur enim consequentia, quia moralis ille concursus fundatur in physico. Quemadmodum igitur dicimus, quod entitas physica caloris ut unum determinat Deum ad corrumpendum in passo frigido nt octo gradum frigoris potius, quam albedinis, vel dulcedinis, vel humiditatis: quamuis influxus in huiusmodi corruptionem esset moralis; ita hoc non obstante, debemus dicere, quod etiam determinet illum ad talem gradum, ex suppositione, quod possimus, sicuti de facto possumus.

Contra denique id, quod ab Auctore primo loco dicebatur de oppositione, argumentor: quia si primus gradus caloris non opponeretur determinatè cum octauo frigoris, sed cum tota collectione octo graduum indiuisibiliter accepta, (as)

queretur, quod quando in subiecto calido vt quatuor, & frigido vt quatuor nouus gradus caloris introducitur, non esset maior ratio, cur expellatur gradus frigoris potius, quam caloris. sed hoc est manifestè falsum; ergo &c. Sequela probatur, quia gradus aduenies nō opponitur cum quatuor frigoris; siquidem staret simul cū illis, si alij quatuor caloris subiectum non informarent, sed opponitur cum tota collectione, quorum quatuor sūt caloris, quatuor verò frigoris; ergo quod immediatè, & per se exigit est collectionis illius destructio. sed hac æquè destruitur per deperditionem vnius gradus frigoris, ac vnius caloris; ergo non esset maior ratio, cur vnus potius frigoris quam caloris expelleretur.

Duæ solutiones huius instantiæ circumferūtur. altera est, quod licèt gradus caloris aduenies toti collectioni, quam inuenit, opponatur; specialius tamen exigit destructionem frigoris, quam caloris, eo quod contrarium contrario machinatur interitum, & sibi simile naturaliter tuetur. Altera verò, quod gradus caloris aduenies non sit incōpossibilis cum quatuor frigoris, nisi ex suppositione, quod cum illis alios quatuor caloris inueniat; & sic non est mirum, si expulsionem frigoris, & nō caloris exequatur. Verùm contra vtráque rectè inuehitur Ouiedus *n.* 32. cuius impugnationis summa est, quod supposita omnimoda graduū homogeneitate, tota oppositio, qua gradus caloris aduenies cōtrariatur frigori in subiecto illo existēti, oritur præcisè ex incompossibilitate, quā habet cum tota collectione, ex quatuor frigoris, & ex quatuor caloris cōstante. De facto. n. siue de uno, siue de altero quaternione gradus desit, æquè contentus est gradus aduenies, nec alicui amplius machinatur interitum; non ergo in hoc attenditur similitudo, aut dissimilitudo; nec est maior ratio, cur potius dicatur gradus ille opponi cum quatuor frigoris, posita existentia quatuor caloris, quam cum quatuor caloris, posita existentia quatuor frigoris.

27 Iam verò tertiam solutionem ipse Ouiedus meditatus est *nu.* 33. qua dicit gradum caloris aduenientem nonnisi vnitum cum quatuor gradibus caloris præexistentibus exigere expulsionē quarti gradus frigoris: quia cum frigiditate vt quatuor non opponitur vnus tantùm gradus caloris vt sic, sed benè calor vt quinque a quo indiuisibiliter prouenit inadæquata destructio frigoris vt quatuor. Ex hoc autem videtur manifestè sequi, non posse gradum, qui producitur exigere in eo instanti cum indifferentia à Deo suspensionem alicuius gradus frigoris, vel caloris in subiecto existentis; cum enim tunc ponantur existere omnes quatuor gradus caloris, propter vnionem, quam gradus aduenies habet cum illis, impossibile est, vt eorum destructionem exigat, sed solùm exiget destructionem frigoris vt quatuor, ne conflatum ex gradibus caloris, & frigoris excedat intensionem vt octo. Contra tamen est, quia argumentum nostrum conuincit non esse, cur gradus caloris debeat intelligi in eo instāti, quo aduenit, associari potius cum calore, vt quatuor, & sic exigere destructionem frigoris vt quatuor, & non cum frigore vt quatuor, & sic exigere destructionem caloris vt quatuor. iam enim toti collectioni indiuisibiliter opponitur, quæ eodem prorsus modo cederet illi locum, si amitteret vnum gradū frigoris, ac vnum caloris: cur ergo potius dicitur associari calori, quàm frigori?

Rationem huius associationis assignat Auctor, quia quoties, inquit, est agens valens producere nouum gradum, est consequenter potens conseruare præexistentes; non enim ageret de noui productione, nisi esset de antiquorum conseruatione securum. Verùm hæc ratio rectè procederet, si calor vt quatuor deberet conseruari ab igne, qui quintum gradum caloris producit; hoc tamen falsum esse constat, quia licet calor in fieri pendeat à causa secunda efficiente: tamen in facto esse pendet à sola causa prima; vnde non est necesse, vt ignis dum gradum caloris in subiecto, æquè calido, ac frigido causat, debeat simul conseruare calorem antiquum.

Responderet fortasse, quod licèt verum hoc sit, 28
loquendo de conseruatione physica, non tamen si sermo sit de morali, quę sit exigendo à Deo ne suspendat concursum suum, quo illum antea conseruabat. Et ratio huius esse potest, quia frustra nouus gradus produceretur, dum corrumperetur antiquus; cum enim subiectum eodem modo permaneret, illa noui gradus productio superuacanea esset. Sed contra hoc facit, quia ignis priusquam ageret, non exigebat à Deo *conseruationem caloris vt quatuor in passo, vt de se constat. Porrò quando agēs agit, id tantùm exigere debet à Deo, quod est necessarium ad existentiam effectus*: gratis enim & sine fundamento diceretur exigere aliud. *Cum igitur posita homogeneitate graduū ad existentiam gradus, quem ignis producit, non sit necessaria conseruatio caloris vt quatuor, quia* æquè potest existere ille gradus *in subiecto cum calore vt tria, sicuti etiam cum nullo alio: manifestè* deducitur ignem in eo instanti, in quo agit non exigere in passo conseruationem caloris vt quatuor. Atque hìc obiter aduerte, quomodo paulatim Aduersarij ad nostra castra confugiant. Cū enim nos velimus graduum heterogeneitatem importare, vt secundus non possit produci in subiecto, nisi existente primo, neque tertius, nisi existente secundò, & sic de cæteris: rectè deducimus ignem in *productione* quinti gradus caloris in casu posito exigere à Deo conseruationem quatuor præcedentium. Contra verò illi homogeneitatem tuentes, mordicus sustinebant nihil habere in se secundum gradum, ratione cuius debeat prærequirere in subiecto primum, nec tertium ratione cuius secundum &c. Nunc verò aiunt existentiam quarti esse omnino necessariam ad productionem quinti: idemque dicere debent de existentia cuiuscumque præcedentis ad productionem cuiuscumque sequentis; videntur ergo dare manus, & nobiscum tandem sentire.

Quod si respondeant hanc necessitatem non ori- 29
ri ex diuersitate numerica ipsorum graduum, sed ex superfluitate actionis productiuæ consequentis gradus: prima facie difficultatem effugiunt? Verū ego insequor vlterius probando, quod etiam si in nostro casu ignis non peteret à Deo physicam cōseruationem caloris antiqui, quem reperit in passo, quando agit: adhuc tamen eius actio non esset superuacanea, sic: Melius esset ignem tunc agere, quam non agere; ergo eius actio non superfluere-

ret.

Digitized by Google

Consequentia patet: Antecedens probatur, quia per hoc, quod produceret illum gradum cum ea ind iferétia, melior euaderet cõditio speciei propriæ. Nam si non produceret, certissimè non nisi quatuor gradus caloris in eo subiecto existerent. At producendo, posset aquè probabile esse, quod existerent quatuor, & quod existerent quinque. Si enim verum esset, quod gradus ille, qui producitur, indiuisibiliter opponeretur cũ tota collectione constante ex quatuor frigoris, & ex quatuor caloris, quodque ad Deum pertineret, qui nam gradus ex omnibus antiquis corrumpendus esset, vt supra dicebat Auctor, integrum esset Deo velle, vt destrueretur gradus frigoris, aut caloris; ergo melius esset tunc ipsi igni agere, quàm non agere, quia agendo meliorem redderet conditionem suæ speciei, quam esset antea. Adde, quod semel admisso, indiuidua eiusdem speciei non esse de se incompossibilia, nõ fore absurdum concedere, quod ad vnius productionem alterum per accidens destrueretur, sicuti ad productionem maioris ignis destruitur minor. Et ad generationem secundi fœtus corrumpitur primus, qui adhuc in matris utero formabatur. Quemadmodum enim in his, & similibus casibus huiusmodi productiones non essẽt superfluæ, quia per accidens ad eas consequerẽtur destructiones similium indiuiduorum: ita neq; productio illius gradus caloris, etiam si ad eam sequeretur corruptio vnius ex quatuor gradibus eiusdem speciei, qui erant in subiecto.

Quæres hìc, pro Coronide nostræ rationis huc vsque exagitatę, certitudinem fundamenti, cui innititur, quod erat, qualitates cõtrarias posse simul esse in gradu remisso in eodem subiecto. petendo vnde nam hoc habeamus?

30 Respondeo haberi primò ex Aristotele, qui 5. *physic. text.* 19. loquens de qualitatibus: magis, & minus esse dixit, ex eo, quia plus, aut minus contrarij ineſt. Secundò, quia experientia constat, aquã tepidam calorem, & frigus in se continere: asserere autem tepiditatem, aut esse qualitatem quandam mediam, aut constare ex aliquibus partibus, aquę summè calidis, & ex alijs sũmè frigidis sustineri non potest: non primum, tum quia tepiditas deberet posse in instanti produci, vtpote frigori minimè contraria. tum etiam quia in mixtis neq; frigus, neq; calor vnquam daretur. Neque secundũ, quia summus calor esset destructiuus illarum particularum ęquè, in quibus existeret.

Neque dicas primò contraria esse ea, quæ ex vi suarum differentiarum vltimarum se expellunt ab eodem subiecto, atq; adeò nõ posse stare simul; Sufficit enim si ex differẽtijs vltimis habeant, quod non possint simul stare in summo. Quodque quantum ponitur de vna, tantùm debeat de altera corrumpi. Neque iterùm dicas, quod sicuti velle, & nolle idem simul non possumus: neque simul calefieri, & frigefieri: ita neque calorem, & frigus habere remissè; nego enim consequentiam, quia velle, & nolle essentialiter important in subiecto negationem alterius: se enim habent sicuti accessus ad terminum, & recessus ab illo. Calefactio verò dum fit, si simul in eodem subiecto frigefactio exerceretur, idẽ gradus secundùm eandẽ partẽ existeret, quia supponeretur produci à calore, qui per calefactionem introducitur, & non existeret, quia supponeretur corrumpi ad aduẽtum frigoris. Neque denique dicas, quod eadem sit proportio inter calorem vt octo, & frigus ut octo, ac inter calorẽ vt quatuor, & frigus vt quatuor, atque adeò quod sicuti illa se expellunt, ita hæc. Aliud enim est loqui de proportione arithmetica, & aliud de physica in ordine ad subiectũ; si n. sermo sit de priori, verum est antecedẽs, Consequẽtia, falsum autem de posteriori, antecedẽs negandum omnino est propter dictas rationes; vtrum autem de absoluta Dei potẽtia summus calor, & summa frigus possint stare simul in eodẽ subiecto: dubiũ est; pars affirmatiua videtur probabilior, quia nulla potest huius rei afferri implicantia.

SECTIO QVARTA.

Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium.

OBijcies primò contrà principalẽ Conclusionẽ: si gradus vnius qualitatis non essent omnino homogenei quo ad ordinem, differrent specie inter se; sed hoc est contra suppositum; ergo &c. Sequela probatur, quia differrent pluſquam numero; ergo saltem specie: antecedens probo: magis differrent primus, & secundus in eodem subiecto, quàm duo primi in diuersis. Sed hi supponuntur differre numero; ergo & illi specie. Confirmatur, quia duo primi gradus aliquam conuenientiam haberent, quam non haberent primus, & secundus, sed implicat hanc esse indiuidualẽ, quia indiuiduatio est id, per quod indiuiduũ formaliter, & vltimò differt ab omnibus alijs; ergo est specifica. 31

Respondet P. Ouiedus *contro. 4. puncto 2. num. 44.* inter differentias specificas, & indiuiduales dari sæpè quasdam differentias medias communes aliquibus indiuiduis eiusdem speciei; non autem omnibus; sed hęc doctrina non caret difficultate. Quare respondeo ego ad argumentum, negando sequelam, ad cuius probationem nego antecedens, & ad eius confirmationem, dico: differentiam indiuidualem habere latitudinem quandam, cuius beneficio indiuidua eiusdem speciei possunt magis, & minus inter se differre, vt patet ex vna specie repræsentatiua Petri v. g. quæ magis differt à specie repræsentatiua Ioãnis, quàm ab alia eiusdem Petri, licèt numero differat ab vtrisque. Ad confirmationem verò respondeo, concessa maiore, negando minorem; & ad eius rationem dico, indiuiduationem esse quidem id, per quod indiuiduum absolutè loquendo differt ab omnibus alijs; cum quo stat, quod possit esse id, per quod secundum quid conueniat cum aliquibus, quæ quidem conuenientia cum sit analogica, idcirco non est sufficiens ad fundandam speciem essentialem.

Obijcies secundò: si partes qualitatis non essent omnino homogeneę, omnes essent actu distinctæ, sed hoc est inconueniens, quia sic essent actu infinitę in numero; ergo &c. sequela probatur, quia omnes essent actu dissimiles. Non enim esset maior ratio de aliquibus, potius quam de alijs, siquidem haberent diuersas indiuiduationes; ergo & omnes essent ab intrinseco assignatæ, atq; adeò distinctę. 32

Respondeo negando sequelam. Ad cuius probationem dico, omnes partes qualitatis ante assignatio-

Digitized by Google

gnationem esse dissimiles fundamentaliter tenùm, non formaliter, & habere diuersas individuationes incompletas, non completas; ad eum planè modum, quo partes proportionales vnius pyramidis, & partes proportionales ligni calidi vniformiter difformiter se habent inter se. Neque dicas inæqualitatem partium siue quantitatis, siue intensionis prouenire tantùm modo ex maiore, vel minore partium numero, & ideò non facere assignationem: dissimilitudinem, veroillam efficere: quia prouenit ex earundem partium differentia: Ne id dicas inquam, quia si differentia facit assignationem, eatenus eam facit, quatenus eius beneficio aliquid competit vni parti, quod non competit alteri; sed hoc ipsum beneficio inæqualitatis partium habetur ab ipsis partibus; ergo par ratio militat vtrobique. Aduerte igitur tunc solùm induci distinctionem in partes continui, quando acquirunt aliquid, quod illas in se omninò determinat, ita vt nequeant intelligi ad alias partes excurrere. Quod eueniret, si lignum bipalmare esset in primo palmo calidum, vt sex. E. g. & in secundo vt vnum, non autem, quando est vniformiter difformiter calidum. In nostro autem casu heterogeneitas graduum non determinat gradus ipsos, ita ut nequeant intelligi excurrere inuicem ad vnam numero qualitatem constituendam.

33 Instabis. Gradus qualitatis non sunt actu dissimiles ante assignationem; ergo non sunt heterogenei; actu igitur homogenei sunt. Respondeo, concesso antecedente, distinguendo primum consequens: non sunt actu heterogenei heterogeneitate completa, concedo; incompleta, nego primam, & secundam consequentiam, quæ supponit partes ante assignationem, vel homogeneitatem, vel heterogeneitatem habere completam, quod cùm falsum sit, rectè negatur, vtpote de subiecto non supponente. Iam verò præsens quæstio supponit neutrum habere completè, & quærit solùm vtrum habeant incompletam.

Obijcies tertiò: eo modo se habent partes qualitatis inter se, quo partes motus illas producentes; sed hæ sunt omnino homogeneæ; ergo & illæ. Maior patet. Probatur minor, quia motus alterationis est quantitas successiua, quantitas autem vt sic non exigit in suis partibus heterogeneitatem aliquam: sicuti neque motus localis; ergo &c. Respondeo, concessa maiore, negando minorem: motus enim conformari debet termino atque adeò heterogeneitas, quam habet hic in suis partibus, redundat in partes sui motus. Ad priorem probationem dico, quod sicuti quædam quantitas permanens heterogeneitatem in suis partibus admittit, sicuti est quantitas pyramidalis, ita & successiua. Ad posteriorem verò aio, quod cum vna pars motus localis sit addicta vni parti spatij, differt ab ea, quæ est addicta alteri parti spatij eiusdem.

34 Obijcies quartò: Ponamus iustum vt vnum exercentem actum charitatis intensum vt vnum mereri secundum gradum gratiæ: si hic habuisset gratiam ut sex, & exercuisset eundem actum, nihil gratiæ mereri potuisset, posita graduum heterogeneitate in ipsa gratia; sed hoc est absurdum; ergo &c. Minor patet; Sequela probatur, quia non potuisset mereri secundum gradum, quia illum haberet; neque septimum, quia hic dum sit dissimilis secundo requireret dissimile meritum, & dispositionem, ac requirit secundus. Respondeo negando sequelam; dico enim quod hic in tali casu fuisset meritus septimũ gradũ gratiæ. Ad id, quod dicitur de dissimilitudine aio: meritum non esse causam physicam præmij, sed moralem, & habere sufficientem dissimilitudinem à se ipso, quatenus prouenit à iusto habente gratiam intensam vt vnũ, & ab habente gratiam intensam vt sex; siquidem opus meritorium eo est dignius, quo à principio digniore procedit.

Obijcies quintò: partes totius extensionem facientes nullam habent heterogeneitatem ordinis; ergo neque partes facientes intensionem.

Respondeo distinguendo antecedens: nullam habent heterogeneitatem ordinis quantum est de se, concedo, per accidens, nego antecedens, & consequẽtiam. Dico enim, quod licèt verum sit, quod partes extensionem facientes per se loquendo sint omnino homogeneæ quo ad ordinem, per accidẽs tamen ratione figuræ, v. g. pyramidis possunt esse heterogeneæ. Quod si quæras discrimen inter partes extensiuas, & intensiuas per se consideratas. Illud est, quia intensiuæ cum ordinentur ad perficiendam vnam, eandemque partem subiecti, id non nisi perfectione præstare valent formali; at verò extensiuæ cum ad alias, atque alias partes subiecti perficiendas ordinentur, perfectione materiali consistente in individuali multiplicatione contentę sunt, vt constat ex dictis hic *Sectione prima*. 35

Obijcies sextò ex Poncio *loco citato numero* 37. Ad intensionem sufficit, vt plures partes qualitatis in eadem subiecti parte simul existant, & quod cum illis subiectum *possit plus facere, quàm* sine illis. Sed si *ponerentur plures gradus homogenei* quo ad *ordinem in* eadem parte subiecti, *existerent in ea plures* partes eiusdem qualitatis, & subiectum cum illis posset plus facere, quam sine illis, ad eum planè modum, quo plus potest, quando agens habet plures partes extensiuas eiusdem rationis, quam si pauciores habeat; ergo &c. Respondeo distinguendo maiorem quo ad vtramque partem: ad intensionem sufficit, quod plures partes qualitatis quomodocumque acceptæ in eadem parte subiecti simul existant, nego: acceptę sicuti debent, concedo. Partes enim qualitatis ad hoc vt intensionem faciant, debent sumi ita, vt sint ex intrinsecis suis, & formaliter ordinatę ad eandem partem subiecti simul perficiendam. Vnde si illę, quæ sunt in diuersis partibus, diuinitus in vna simul parte ponerentur, non facerent intensionem.

Atque hæc quo ad priorem partem maioris. Distinguo postea posteriorem, in qua dicebatur: & quod cum illis subiectum plus possit facere, quã sine illis. Plus possit quo ad subitantiam, concedo: plus quo ad modum, nego. Plus posse quo ad subitantiam est, quod possit facere effectum simpliciter perfectiorem. Quo ad modum verò, quod possit facere effectum citius quidem, & facilius, sed non perfectiorem simpliciter. Iam verò vt plures partes eiusdem qualitatis intensionem facere censeantur; debet per eas agens posse producere effectum simpliciter, & absolutè loquendo perfectiorem, & non citius tantùm, ac facilius. Hac 36

posi-

posita doctrina pro maioris intelligentia, distinguo deinde minorem, quo ad priorem partem, sic: si ponerentur plures gradus homogenei quo ad ordinem in eadem parte subiecti: existerent in ea plures partes eiusdem qualitatis qualitercúque, concedo: existerent sicuti debent, ita videlicet, vt ex intrinsecis suis essent destinatæ ad eádem partem subiecti simul formaliter perficiendá, nego. Sic enim debent necessariò esse heterogeneæ quo ad ordinem. Distinguo etiam eandem minorem quo ad posteriorem: & subiectum cum illis posset plus facere, quam sine illis: posset plus quo ad modum, concedo: quo ad substantiam, nego minorem, & consequentiam. Dico enim quod si plures gradus homogenei v. g. octo primi caloris ponerentur in eadem parte subiecti, non facerent intensionem, eo quod non essent ordinati ex suis intrinsecis ad informandam simul illam partem subiecti, sed vel illam diuisim, vel alias, atque alias partes: neque possent plus facere quo ad substantiam, quam vnus tantùm gradus, quia in passo non possent producere, nisi vnum gradum caloris ad summum; sed solùm plus possent quo ad modum, eo quod dictum gradum citius, & facilius causare valerent, quam vnus tantùm. At verò calor intensus vt octo habet partes ordinatas ad simul existendum in eadem parte subiecti, & dat illis vires ad producendum in passo calorem, vel equè intensum, vel paulò minus quam ipse sit. Per quæ patet paritatem desumptam ex calore habente plures partes extensiuas eiusdem rationis esse pro nobis contra Aduersarium; nam sicuti subiectum octo palmare vniformiter calidum vt vnum comparatum cum subiecto palmari item calido vt vnum, non potest plus quo ad substantiam, quia non potest in passo producere, nisi calorem ad summum vt vnum: sed potest plus quo ad modum, videlicet citius, & facilius eundem vnum gradum introducere: ita se deberet habere subiectum habens octo primos gradus caloris; núquam enim posset actionem suam protrahere ad producendum secundum gradum.

37 Obijcies septimò cum Mauro *quæst. 28. citat.* licèt verum sit, quod lumen procedens ab eodem luminoso per eandem lineam directam intendatur per partes habentes heterogeneitatem ordinis: tamen id, quod producitur per diuersas lineas in reflexione, ac refractione, non potest intendi, nisi per partes homogeneas quo ad ordinem; ergo nostra Conclusio non est vniuersaliter vera. Antecedens quo ad posteriorem partem, quæ sola probatione eget, probatur, quia non est maior ratio, cur illa pars, quæ producitur per lineam A. sit potius prima, quam quæ producitur per lineam B. ergo vtraque est homogenea ratione ordinis.

Respondeo: P. Hurtadum *loco citato* §. 122. necnon etiam P. Oviedum *num.* 51. affirmare: nonnullos ex Aduersarijs vtriusque contrariæ sententiæ argumentis pressos asserere: qualitatem habétem contrarium intendi gradibus heterogeneis, non habentem verò homogeneis. Cautius, vt se tueretur, procedit Maurus, dum docet lumen à luminoso per eandem lineam, directam productũ intendi per gradus habentes heterogeneitatem ordinis: contra verò id, quod producitur per diuersas lineas in reflexione, & refractione. Ratio impugnationis, vtrosque pariter vrgens, est eadé; quia nimirum inconsequenter procedunt; cum nó sit maior ratio de vna qualitate, quã de alijs omnibus. Nego igitur posteriorem antecedentis partem; & ad eius probationem dico: eam esse de subiecto non supposito. Supponit enim in reflexione, & refractione, cuilibet lineæ, quę à Mathematicis assignatur correspondere ex parte obiecti suam luminis portionem, inquam realiter. Sol influat per suam peculiarem lineam, & non per reliquas, quod omnino falsum est; quemadmodum enim si plura luminosa applicentur eidem puncto aeris circulariter, cuilibet ex illis assignari posset peculiaris linea, per quam suam in illo aere actionem dirigeret, licèt realiter loquendo, omnia vnica indiuisibili actione lumen illud producerent, ita vt quælibet pars luminis assignabilis, nemine cogitante, ab omnibus indiuisibiliter concurrentibus dependeret: eodem prorsus modo in reflexione, ac refractione discurrendum est; quamuis enim diuersæ lineę assignentur, quibus partes Solis suas actiones dirigere intelligantur ad punctum reflexionis, ac refractionis: omnes tamen eius partes, quæ lineis illis correspondent, indiuisibiliter ad quamlibet partem luminis producendam, ac conseruandam realiter concurrunt, non verò vna sibi vendicat vnam partem, alia aliam: & sic cessat illa indifferentia, cur vna producere debeat primam partem, alia secundam, alia tertiam &c. ratione cuius omnimodam homogeneitatem dictis partibus Auctor concedere cogebatur.

Obijcies octauò: secundus gradus vel continet 38
in virtute primum, vel non continet; si continet, superfluus erit primus, atque adeò excludendus. si non continet, quo modo solus primus non potest in passo integrum primum producere, benè tamé potest illum producere existens simul cum secundo? Respondeo concedendo, quod contineat. Nego tamen inde sequi primum excludendum esse à subiecto; quemadmodum enim piper virtualiter continet calorem, non ideò tamen ipse formalis calor à pipere abigendus est, eo quod aliũ effectum formalem præstat calor formaliter acceptus, quem acceptus virtualiter non causat: ita & in casu nostro primus gradus caloris excludit à subiecto octauum frigoris, quem nequit excludere solus secundus, quamuis primum in sua virtute contineat. Adde, quod secundus non potest de solo primum producere in passo, nisi sit simul in agente cum primo, & vna cum illo operetur.

SECTIO QVINTA

An gradus sint heterogenei quo ad perfectionem.

39 COnstat eos nõ esse heterogeneos quo ad perfectionem essentialem. Sed dubium est, num sint huiusmodi quo ad individualem, ita vt quemadmodum in individuis eiusdem speciei non vnitis secundùm multorum sententiam datur vnum alio perfectius, sic in gradibus vnam qualitatem intendentibus, vnus sit perfectior alio.

Conclusio est negatiua, contra communem Scholam heterogeneitatem ordinis concedentiũ cum

cum quibus assentiuntur eam negantes, quatenus affirmant, quod si Aduersarij oppositum existimarent inconsuquenter discurrerent.

Est etiam contra Ouiedum, qui quamuis gradus subordinatos esse neget *controuersia cit. num. 63.* vult tamen aliquos ex eis in eodem subiecto esse æquales, alios inæquales, alios similes, alios dissimiles. Vbi obiter nota: eum sic loqui, quia putat æqualitatem perfectionis cum dissimilitudine stare posse; & rectè id quidem, quia duo prædicata quantumuis dissimilia possunt in perfectione æqualia æstimari, ita vt vnum neque excedat, neque excedatur ab alio; in quo sensu nos in Cõclusione asserimus; quod licèt gradus ad eandem intensionem spectantes ratione subordinationis dissimilitudinem aliquam inter se habeant: sunt nihilominus in perfectione æquales, ad eum planè modum quo sunt æquales plures primi gradus, vel plures secundi, si inter se comparentur.

Id autem probatur, quia nulla perfectio positiua admittenda est in rerum natura sine positiuo aliquo fundamento; sed nullum positiuum fundamantum habemus asserendi gradus eandem qualitatem intendentes esse inæquales quo ad perfectionem: ergo dicendum est eos esse æquales. Confirmatur, quia nulla est necessitas ponendi in gradibus huiusmodi heterogeneitatem, sed omnia per solam heterogeneitatem ordinis rectè saluantur; ergo &c. Antecedens suadetur, quia tria debent saluari in qualitate intensa. Perfectio quo ad esse. Perfectio quo ad operari. & determinata oppositio cum sua contraria. quod autem per solam ordinis heterogeneitatem hæc rectè saluetur probatur; & quidem, quo ad determinatam oppositionem pertinet: nulli dubium esse potest. Quatum verò ad perfectionem quo ad esse, sic suadeo: calor vt octo v. g. per hoc præcise quod constat ex gradibus natura sua ordinatis ad ipsum complendum, habet entitatem perfectiorem singulis gradibus, ex quibus constat, quatenus est totum quid naturale, ad quod dicti gradus ex intrinsecis suis ordinantur; & quia perfectior modus operandi consequitur perfectiorem modum essendi, habebit etiam dictus calor modum operandi perfectiorem eo, quem habent singuli eius gradus. Idemque dicendum si comparetur cum octo primis gradibus caloris in octo subiectis existentibus; siue enim huiusmodi gradus accipiantur distributiuè, siue collectiuè, erunt semper minus perfecti, quàm calor vt octo; eo quod non habent totalitatem aliquam formalem per se intentam à natura, sicuti habet ille, sed materialiter tantùm multiplicantur.

40 Ouiedus, vt aliquid noui suo ingenio dignum in hac controuersia afferat *num. 65.* dicit argumẽtum nostrum principale ex negatione fundamenti positiui desumptum, non rectè carentiam perfectionis heterogeneæ in gradibus concludere. Quoniam verò ipse paulò ante, nimirum *num. 62.* ex eo, quod non haberet fundamentum aliquod positiuum ad subordinationem graduum propugnadam, illam negandam esse de facto conclusserat: disparitatem de hoc conatur afferre *n. 66.* Quia, inquit, subordinatio importat perfectionem quãdam, & excellentiam in ipsis gradibus, quam non dicunt gradus non subordinati. At verò inæqualitas nullam excellentiam dicit supra æqualitatẽ; sed indifferens est ad maiorẽ, vel minorem perfectionem astruendam. Si enim nos ponamus omnes gradus esse æquè perfectos v. g. vt tria; ipse potest assertionem suam tueri ponendo alios perfectos vt duo, alios vt vnum, alios vt dimidium, &c. & sic non maiorem perfectionem in rerum natura constituit; quia verò eandem indifferentiã propter simile argumentum habet æqualitas: hinc fit, vt etiam ipsa nullam excellentiam supra inæqualitatem importet. Ex quo videtur sibi benè concludere argumentum ex carentia rationis positiuæ desumptum valere contra subordinationem graduum, quia dicit perfectionem: non verò contra inæqualitatem, vel æqualitatem, quia vtraque dicit indifferentiam.

Verùm ad hanc disparitatem impugnandam duplicem possumus inire viam: Prior est, quia potest valdè probabiliter sustineri, etiam admissa inæqualitate perfectionis in indiuiduis substantialibus, quod non detur in indiuiduis qualitatis, neque de facto, neque de possibili; in tantùm enim in illis conceditur, vt saluetur, cur aliqua substãtialia indiuidua eiusdem speciei v. g. humanæ, vel equinę perfectiorem accidentium complexionem exigant, & perfectiori modo operẽtur, quàm alia: Simile quid non vrget in qualitate: quamuis enim videamus ex duabus qualitatibus intra eandem speciem, vnam resistere, & operari perfectius altera; possumus id refundere in maiorem intensionem vnius, & minorem alterius. Vnde verisimilius est, quod natura iusticiam distributiuam quantum ad hoc cum substantia, & qualitate exercuerit; & quia negauit substantiæ intendi, & remitti posse, dederit illi indiuidua inæqualis perfectionis; hæc verò negauerit qualitatibus, quibus intendi, & remitti posse concesit. Et rectè id quidem; si enim vtramque prærogatiuam illis tribuisset, occlusisset nobis viam cognoscendi, num perfectior modus operandi, ac resistendi ex maiori intensione, an ex indiuiduali perfectione eiusdem intensionis proueniret; & sic quis sustinere consequenter posset, vnum ad summum qualitatis gradum dari posse in subiecto: & quando subiectum ex minus calido fit magis calidum, deperdere gradum imperfectiorem, & acquirere perfectiorem. Quod quam sit absurdum nemo non videt. Ex quo patet iuxta hanc priorem viam omnes gradus qualitatis, ita de facto esse, æquè perfectos, vt repugnet esse possibiles aliquos perfectiores alijs; ad nihil enim eorum maior perfectio inseruiret substantiæ: siquidem hæc quando exigit qualitatem magis actiuam, vel resistitiuam, non inclinat ad nobiliorem gradum habẽdum eo, quẽ habet, sed ad maiorem intensionem: & sic corruit disparitas ab Ouiedo adducta, supponens non repugnare graduum inæqualitatem quo ad perfectionem. Verùm admissa huiusmodi inæqualitatis possibilitate.

Dico, eam non dari de facto in hoc ordine rerum. Et contra disparitatem assignatam, posteriorem viam ostendo, negando inæqualitatem perfectionis nullam excellentiam dicere supra æqualitatem, sed esse indifferentem ad maiorem, & minorem perfectionem. Quod sic euinco: quoties habentur duo prædicata, quæ ita diuersificantur 41

inter

inter se vt vnum magis accedat ad rationē actus, alterum verò magis ad rationem potentię; totiesq; cæteris sint paria, illud est excellentius, quod magis accedit ad rationem actus, & illud minus, quod magis ad rationem potentiæ appropinquat. Sed ex his duobus prædicatis, videlicet ex inæqualitate perfectionis, & æqualitate, inæqualitas magis accedit ad rationem actus, & æqualitas magis ad rationem potentiæ: ergo inæqualitas dicit maiorem excellentiam supra æqualitatem, si cætera sint paria, sicuti poni debent: atque adeò non est indifferens, vt sit magis, vel minus excellens, quam æqualitas. Ex his omnibus sola minor videtur probatione egere, quæ sic probatur: materia prima, vtpote pura potentia respectu omnium formarum, est omnibus corporibus naturalibus communis, vnde ex ea corpora perfectam habent inter se æqualitatem; contra verò forma cum det illis speciem, est ratio, cur inter se differant, & inæqualitatem habeant: ergo inæqualitas perfectionis magis accedit ad rationē actus: æqualitas verò magis ad rationem potentiæ. Confirmatur, quia multiplicatio rerum in perfectione penitus æqualium censetur materialis, at inæqualium, semper aliquo modo formalis. Præterea hæc inæqualitas exigit, vt gradus minus perfectus disponat ad perfectiorem: ergo hic respectu illius se habet vt forma. ex quo deducitur, quod inter aliqua positiua ratione non sit admittenda heterogeneitas perfectionis in gradibus, benè tamen homogeneitas, eo quod quoties vel maior, vel minor perfectio in rerum natura ponenda est, maior sine positiuo fundamento non debet poni, ad ponendam verò minorem, maioris negatio sufficit.

42 Ad rationem autem adductam ab Auctore ad probandam indifferentiam, quam habet inæqualitas ad maiorem, vel minorem perfectionem habendam, dico: verum quidem esse, quod ex vi huiusmodi indifferentię neutra supra alteram gloriari potest: quia sicuti inæqualitas duorum graduum, quorum vnus sit perfectus vt tria, alter verò vt duo est perfectior æqualitate, quæ est inter duos alios, quorum vterque est perfectus vt vnum. ita est imperfectior, si sit inter duos, quorum vnus sit perfectus vt duo, alter vt vnum: æqualitas verò sit inter duos alios, quorum vterque sit perfectus vt tria. Verùm hæc indifferentia est veluti eis generica, siquidem in illa ambę conueniunt; vnde non est mirum, si neutra supra alteram quantum ad hoc maiorem excellentiam præseferat. Quod intendo, est, quod si secundùm rationes, per quas inuicem differunt præcisè considerentur, inæqualitas maiorem excellentiam gradibus afferat, quam æqualitas; quatenus cæteris paribus prædicatum inæqualitatis magis accedit ad formam, æqualitatis verò magis ad materiam appropinquat. Quēadmodum enim vt docet Aristoteles *secundo de anima tex.* 35. Multitudo individuorum eiusdem speciei oritur ex materia; multitudo verò diuersarum specierum ex forma. ita multitudo æqualium perfectionum nullam importantium diuersitatem accedit ad materiam, inæqualium verò ad formam per hoc, quod diuersitatem importet.

43 Hoc autem adeò verum existimo, vt vade de etiam probabile censerem excellentiorem esse inæqualitatem duorum gradum, quorum vnus esset perfectus vt duo, alter verò vt vnum, quam sit æqualitas, quæ est inter duos alios perfectos vt tria. Quamuis enim maior esset perfectio terminorum æqualitatis, quam inæqualitatis: hęc autem materialiter se haberet in ordine ad æqualitatem, & inæqualitatem formaliter consideratas. Vnde fit, vt multitudo animalium diuersarum specierum magis perficiat Vniuersum, quam si omnia prorsus individua animalium, quę in eo sunt, homines essent, vt fert communis opinio.

Hic consequenter impugnanda esset singularis sententia ipsius Oviedi, qui cum heterogeneitate ordinis gradibus neget, concedit illis heterogeneitatem perfectionis. Verùm, eam per partes satis confutauimus supra. Copulatim autem nullo meliori argumento impugnanda videtur, quam quod perfectionem sine vlla subordinatione inæqualitate constituat; quamuis enim in individuis inter se non vnitis vnum possit sine vlla indecentia intelligi perfectius alio, vel æquè perfectum, absque eo, quod habeat illud sibi subordinatum: ac non in vnitis, & vnam componentibus entitatem. Quemadmodum enim plures homines sine sint æquales, siue inæqualis perfectionis non exigunt moralem inter se subordinationem, si quilibet ex eis debeat esse sui iuris; at verò exigunt illam, si debeant coire ad constituēdam vnam Rempublicam, vel vnam familiam: ita & plures gradus, cum coeant ad vnam physicam qualitatem constituēdam, debent esse inter se physicè subordinati, non solùm si sint æqualiter perfecti, sed multò magis si sint inæqualiter, vt vitetur confusio, quæ multò maior est, quando inter inæquales non seruatur ordo, quàm quando non seruatur inter æquales.

SECTIO SEXTA.

Diluuntur obiectiones in contrarium.

44 OBijcies primò ex Oviedo *numero 63.* impulsus, & species impressæ sensuum externorum, ac internorum, vt plurimi affirmant, corrumpuntur ex eo præcisè, quod maiorem durationem non exigant: sed ex eis aliqui gradus corrumpuntur prius alijs; ergo cum exigant minus durare, erunt illis imperfectiores.

Respondeo, data maiore, & minore, de quibus suis locis, nego consequentiam; & dico quod facta illa duplici suppositione, exigentia ad minus durandum oritur ex maiori dependentia in genere causę materialis, quę intensiores pendent à gradibus minus intensis: cum enim dictæ qualitates exigant successiuè depereli, vt supponit experientia, etiam si gradus intensiones sine in perfectione remissioribus, æquales, quia tamen non possunt existere sine illis: contra verò remissiores possunt sine intensioribus; ideò necesse est, vt ex eis prius corrumpantur magis intensi, postea verò minus.

Obijcies secundò ex eodem *numero 64.* nullum esse fundamentū positiuum ad asserendū omnes gra-

Digitized by Google

dus esse æquales, vel omnes esse inæquales; ergo coniectari licet naturam suas ostendisse diuitias, & gradus æquales, ac inæquales simul permiscuisse. Confirmatur: si quis ex ingenti vrna, qua infiniti fere globuli continentur æquales, & inæquales, plurimos extraheret, impossibile moraliter esset nulla intercedente ratione omnes æquales extrahere, & nullum inæqualem; ergo impossibile est moraliter, quod natura ex statu possibilitatis, in quo sunt gradus æquales, & inæquales tãquam in vrna, solos æquales producat.

45 Respondeo, concesso antecedente, negando cõsequentiam; quòties enim ex duobus prædicatis inæqualis perfectionis alterum necessariò ponendum est à parte rei, sine primo fundamento non est ponendum nobilius. At verò hoc excluso, ex natura rei sequitur ignobilius concedendum esse. Vidimus autem inæqualitatem perfectionis in gradibus esse prædicatum nobilius æqualitate, & quare illa exclusa propter carentiam rationis perfectiuæ, necessariò est æqualitas admittenda. Per quæ patet ad confirmationem; concesso enim antecedente, nego consequentiam disparitas est, quia natura optima ratione ducitur ad extrahendum, ex statu possibilitatis solùm æquales, quia aduertit non esse necessarios inæquales; vnde cum quod potest facere per pauciora, nunquam per plura faciat, semper in statu possibilitatis inæquales relinquit; posito quod sint possibiles.

46 Obijcies tertiò: heterogeneitas ordinis consistit in eo, quod primus gradus exigat produci primo loco, & secundus secundo loco, sed hæc diuersitas non oritur nisi ex eo, quia perfectio, quam communicat primus gradus, non supponit aliam perfectionem in subiecto ante se: perfectio verò quam communicat secundus gradus supponit aliam; ergo si gradus qualitatis sunt quo ad ordinem heterogenei, erunt etiam quo ad perfectionem.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem: aio enim quod si attendamus ad perfectionem; quam tum primus, tum secundus gradus subiecto communicant, æqualis est in vtrisque, atque adeò nullam habent quantum ad hoc heterogeneitatẽ, sed solùm quantum ad ordinem. Quamuis enim non repugnet duo individua eiusdem speciei esse quo ad perfectionem inæqualia; hoc tamen sine necessitate non est asserendum, quod de facto ita sint primus, & secundus gradus caloris v. g. atque adeo nullam habent quantum ad hoc heterogeneitatem.

Obijcies quartò: Subordinatio infert in gradibus dissimilitudinem; ergo & inæqualitatem perfectionis. Antecedens patet. Probatur consequentia: dissimilitudo hæc consistit in eo, quod primus possit esse in subiecto sine secundo, non autem secundus sine primo; ergo per illam secundus constituitur dependens à primo primus verò independens à secundo; sed dependentia, & independentia diuersitatem inferunt perfectionis in ijs, in quibus reperiuntur; ergo &c.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequẽtiã. Ad cuius probationem, concesso integrò entimemate, dummodo loquatur de dependentia lato modo sumpta, & non stricto modo, quam solùm habet effectus à sua causa, nego subsumptum. Dico enim individua esse posse æquè perfecta, & tamen vnum esse causam alterius. Ad vlteriorem autem euidentiam de falsitate dicti subsumpti addendum, quod si dependentia, & independentia diuersitatem perfectionis inferrẽt, profectò quo magis res esset independens, eo perfectior deberet esse, quia independentia, per se loquendo, est perfectio: dependentia verò, cæteris paribus, imperfectionem redolet. Atqui Aduersarij volunt secundum gradum esse perfectiorem primo, & tertium secundo, atque adeò maiorem dependentiam ve sic maiorem inferre perfectionem; ergo &c.

Obijcies quintò: Ponat Deus secundum gradum in subiecto sine primo, vel hic communicaret subiecto eandem perfectionem, quam primus, vel diuersam: non eandem, alioqui iste æquè conueniret primo, & secundo loco deberet posse produci; ergo diuersam, atque adeò heterogeneam. 47

Respondeo propriè secundum gradum, neque eandem, neque diuersam à primo perfectionem communicare subiecto; quia nos in præsenti loquimur de perfectione individuali, benè tamen communicare similem specificè, dissimilem individualiter, quę tu appellas eandem. Ad probationem verò dico: quod cum æqualitate perfectionis stat heterogeneitas ordinis, seu individualis dissimilitudo, maior ea, quæ est inter duos primos gradus.

Obijcies sextò: Nisi gradus essent heterogenei quo ad perfectionem, sequeretur, quod tanta perfectio esset in calore intenso vt quatuor, quanta esset in quatuor primis gradibus caloris; sed hoc est absurdum; ergo &c. Sequela patet, quia gradus ex eo, quod sit secundus, vel tertius, non habet maiorem perfectionem in se, quam si esset primus. Minor probatur, quia inde sequeretur æquè calidum esse subiectum per calorem intensum vt quatuor, ac per quatuor primos gradus, atque adeò quidquid posset agere per illũ, posset etiam per hos primos quatuor, sed si hoc admittitur, tollitur omnino heterogeneitas ordinis; ergo &c. 48

Respondeo negando sequelam; & ratio negationis est, quia secundus gradus additus primo vnitur illi intensiuè, & sic efficit maioritatem perfectionis; at verò primus additus primo vnitur ad summum illi subiectiuè solùm, in quantum scilicet ponitur in eodem subiecto, & sic cum eo facit pluralitatem perfectionum, & non maioritatem. Per quę patet ad probationem sequelæ; aio enim quod gradus ex eo, quod sit secundus licèt non habeat maiorem perfectionem in se, quam si esset primus, coniunctus tamen cum primo, & simul cum eo acceptus, facit maiorem perfectionem intensiuam, quam non faceret, si esset primus additus alteri primo.

Instabis, saltem duæ formæ substantiales lapidis v. g. possent facere incensionem, si ponerentur in eodem subiecto. 49

Respondeo negando sequelam: ad faciendam enim intensionem in nostra sententia non sufficit, quod plures formę eiusdem prorsus perfectionis recipiantur in eadem parte subiecti, sed præterea requiritur, quod illæ sint natura sua ordinatæ ad simul actuandam dictam partem, quod æquum

Digitized by Google

habere duæ formæ lapidis, quia forma substantialis non est natura sua intensibilis. Huius rei rationem assignat à priori Pl. Suarez *disp. 46 sect. 2.* quia nimirum cum ea sit prima radix proprietatum omnium compositi, & fundamentum sui esse, congruum fuit, vt in indiuisibili posita esset, vt compositum, dum existit, habeat vnde damna à contrarijs accepta resarcire possit.

49 Obijcies septimò: gradus intensior est perfectior gradu minus intenso; ergo sunt heterogenei quo ad perfectionem. Antecedens probatur, quia actus magis intensus perfectior est actu remissiore.

Respondeo: gradus intensior solitariè sumptus non est perfectior: at verò acceptus simul cum minus intenso, & ad illum comparatus, censetur magis perfectus; vnde nego consequentiam, quæ intelligi debet de gradibus seorsim acceptis, vt sit contra nos. Ad probationem verò dico actum intensiorem includendo intensionem remissionis, & non aliter, esse perfectiorem illo.

Obijcies octauò: Nisi gradus essent heterogenei in perfectione, sequeretur, quod intensio esset accidentaria qualitati, sicuti est extensio propter eandem rationem; sed hoc est absurdum; ergo &c.

Respondeo, negando sequelam, & paritatem. Disparitas est, quia extensio competit qualitati ratione subiecti; intensio verò ratione sui.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA.

DE ALTERATIONE, ET MOTV LOCALI INDIVISIBILIUM Quantitatis.

1 HVc vsque egimus de alteratione in ordine ad eandem partem subiecti: in hac verò disputatione de eadem in ordine ad diuersas. Quærimus ergo num alteratio, sicuti essentialiter requirit partes intensiuas: sic etiam exigat extensiuas; ita vt eius subiectum necessariò debeat esse extensum, an potius in subiecto omnino indiuisibili exerceri possit de quo Aristoteles 6. *Phys.* vbi vniuersaliter quærit, verum aliquod omnino indiuisibile moueri possit. Quoniam verò subiectum indiuisibile bifariam concipi potest: primò in quantitate, sicuti de facto naturaliter se habet. secundò extra quantitatem, & abilla siue per possibile, siue per impossibile separatum; ideo in vtroque sensu procedit quæstio, & quia præter alterationem datur etiam duplex alius motus successiuus, nimirum augmentatio, & latio seu motus localis, quorum prior certum est non posse cadere in indiuisibile, quia cum magnitudine careat, est incapax augmenti; valdè tamen dubium est, num possit posterior. Hæc etiam de motu locali indiuisibilis disputabimus. Illud interim notando, in tota hac quæstione non esse sermonem de quantumcunque indiuisibili, siue demum sit Angelus, siue anima rationalis, sed solùm de indiuisibili quantitatis, cuiusmodi est punctum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum indiuisibile possit intensiuè

2 PRima Conclusio. Indiuisibile de facto alteratur intensiuè pertransiendo, hoc est ad intensiuam alterationem corporis, in quo reperitur. Est communis, & eam describebas *primo de gen. quæst. 4. supra* responsione explicationem alterationem hanc posse duplicitèr primò rigorosè, prout scilicet importat mutationem in passionibus consequtiis, immediatis. Secundò minus rigorosè, prout scilicet dicit successiuam acquisitionem formæ diuisibilis. Pro hac Conclusione, & cæteris consequentibus in hoc secundo sensu proceditur.

Probatur autem, quia alteratio, qua totum aliquod compositum alteratur, non habet partes illas subiectiuas interruptas à temporis non esse vnum motum, sed eas habet quotcunque continuatas. Constituatur autem partes per indiuisibilia, quæ cum non possint per se existere, debent necessariò in indiuisibilibus quantitatis, seu materiæ primæ subiectari. Indiuisibile igitur, quod est in corpore, ad corporis alterationem alteretur necesse est. Quod autem alteratio ista non sit per receptionem solius indiuisibilis qualitatis, sed per receptionem etiam diuisibilis quo ad intensionem. Probatur ex eo, quia partes omnes qualitatis intensæ, quæ in partibus extensis corporis, quod alteratur, recipiuntur, sunt inter se ordinatæ, ita, vt primus gradus caloris, qui est v. g. in primo palmo subiecti calidi vtcunque, sit immediatè coniunctus cum primo gradu eiusdem caloris, qui in secundo palmo reperitur, & secundus cum secundo, & tertius cum tertio, & sic de cæteris; ergo indiuisibile quantitatis, quod inter primum, & secundum palmum intercipitur, alterari debet per aliquid qualitatis, quod sit quo ad intensionem diuisibile, cuius gradus intensibus sit continuatim primorum graduum, qui sunt in quodus illis

Digitized by Google

palmis, secundus verò secundarum, & sic deinceps. Quidquid sit de reliquo verum huiusmodi indiuisibile intensum, quod in indiuisibili illo quantitatis reperitur; habere essentiam eiusdem qualitatis, qua intenditur: an verò sit solùm modus illius. Atque hoc argumentum æque probat de omnibus indiuisibilibus, siue superficies illa sint, siue lineæ, siue etiam puncta, vt de se patet.

Secunda Conclusio: Si daretur indiuisibile separatum à quantitate trine dimensa, naturaliter alterari non posset. ita Bañes loco citato.

Probatur autem primò; quia Aristoteles *primo de generat. à tex. 64.* probat indiuisibilia esse impassibilia; cuius rationes ad minimum concludunt, quod ipsa per se, naturaliter loquendo, alterari non possint.

Hoc ipsum docet *6. physic. 87.* vbi probat indiuisibile non posse mutari nisi ex magnitudine in magnitudinem, siue ex forma in formam, siue secundùm contradictionem. Atqui alteratio est mutatio ex forma in formam; ergo &c.

Probatur secundò ratione: quia dupliciter potest intelligi suppositio de indiuisibili quantitatis separato. Primò quod esset dabile separatum naturaliter. Secundò quod solùm per absoluram Dei potentiam, & miraculosè. Iam verò nostra Conclusio non procedit in primo sensu: puto enim, quod si darentur puncta, aut lineæ, aut superficies naturaliter à quantitate diuisa, vtique naturaliter loquendo essent alterabilia. Et ratio est, quia sicut ipsa non haberent connexionem cum quantitate neque formæ materiales, quæ de facto recipiuntur in illis, haberent connexionem cum partibus extensiuis formarum, quæ de facto partes quantitatiuas informant. Quare sicut indiuisibilia quantitatis existere naturaliter possent separata à quantitate: ita & indiuisibilia qualitatum à partibus qualitatum, quibus de facto sunt addita. Posse autem quod sic possent existere non videtur ratione cur agentia naturalia non haberent virtutem illa sic producendi. Si quia enim posset esse ratio in contrarium. maximè esset, quia alteratio etiam in illo casu ordinaretur à natura ad producendam, vel conseruandam substantiam; quoniam verò substantia vt posse materialis nequit consistere in indiuisibili: hinc fieret, vt in illo casu cessante fine alterationis, ipsa quoque alteratio cessare deberet. Sed hæc ratio nulla est: nam sicut facta illa suppositione dari naturaliter deberent indiuisibilia materiæ primæ separata à partibus materiæ, in quibus indiuisibilia quantitatis subiectarentur: ita dari etiam naturaliter posse deberent indiuisibilia formarum substantialium separata à partibus extensionis dictarum formarum; aliquid vel quæ tas naturaliter existeret sine subiecto, vel materia prima sine forma substantiali; ergo falsum est, quod substantia materialis in eo casu non posset existere in indiuisibili.

4 Procedit igitur assertio in secundo sensu, supponendo videlicet quod indiuisibile quantitatis miraculosè separatum à partibus quantitatis existeret; in quo sensu non posse naturaliter huiusmodi indiuisibile alterari probatur ex eo quia stante illo miraculo, adhuc indiuisibilia siue continua tiua, siue terminatiua qualitatum, essent essentialiter primò, & per se ordinata ad continuandas, & terminandas partes extensiuas suarum qualitatum, quarum sunt indiuisibilia; ergo naturaliter loquendo in illis indiuisibilibus quantitatis non possent existere: & per consequens neque hæc alterari naturaliter possent. Antecedens supponitur ex dictis de indiuisibilibus; ob nihil enim aliud instituta sunt à natura indiuisibilia, nisi vel ad continuanda, vel ad terminanda ea, quorum sunt indiuisibilia. Consequentia verò suadetur, quia quoties res aliqua non potest suum finem primarium obtinere: toties non potest naturaliter existere in rerum natura; sic forma substantialis ligni v. g. ad aduentum formæ ignis in suam materiam, naturaliter desinit esse; eo quod non posset vna cum illa informare dictam materiam, quod est finis, ad quem ipsa essentialiter ordinatur; & propter eandem rationem quandiù forma ligni suam materiam informat, non potest naturaliter produci in dicta materia forma ignis. Ex quo manifestè deducitur, quod indiuisibilia quantitatis miraculosè separata à quantitate non solùm non possunt naturaliter de nouo alterari, recipiendo in se per actionem agentium naturalium qualitatem aliquam quantitatiuè indiuisibilem: sed neque conseruare illa indiuisibilia qualitatis, quibus informabantur, quando erant cum quantitate coniuncta; eo quod tunc cessaret in eo casu finis dictorum indiuisibilium qualitatis, siue recipiendorum de nouo, siue conseruandorum.

Contra veramque Conclusionem obijcies Aristotelem, qui *5. metaph. cap. 17.* ait: superficiem in corpore secundùm se esse albam. item *lib. de sensu & sensibili definit calorem, quod sit extremitas perspicui in corpore terminato*; ergo indiuisibilia in corpore alterantur per se, & extra corpus, si existerent, naturaliter alterari possent. §

Respondeo Philosophum loqui de albo, & de coloribus, pro vt sunt visibilia in actu: in quo sensu verum est, quod in sola superficie per se reperiantur, quia corpora densa & opaca secundùm solam superficiem illuminantur, atque adeò secundùm illam tantùm visibilia sunt. Cum quo tamen stat, quod eadem corpora intrinsecus sint actu colorata, si sumantur color, pro vt sunt secundæ qualitates in subiecto existentes. Nego igitur consequentiam.

Obijcies iterùm: actio, & passio fiunt per contactum; ergo ibi primò erit actio, vbi est contactus. sed corporum contactus est in superficiebus, nam ea se tangunt, quorum extrema sunt simul; ergo alteratio debet per dici in extremitate passi, quæ est superficies. 6 2

Respondeo distinguendo antecedens: actio, & passio fiunt per contactum tanquam per conditionem, concedo antecedens tanquam per rationem formalem, nego antecedens, & consequentiam. Agens enim requirit quidem contactum cum passo, vt hoc possit illud alterare: eo quod omne mouens debet esse mobili coniunctum. Cæterùm actio alterativa per se quidem est in corpore: tactus verò per se in superficiebus.

Tertia Conclusio: Si daretur punctum quantitatis separatum, posset per diuinam omnipotentiam intensiuè alterari, stante tamen lege contra Ruuium *6. phys. cap. 10. quæst. vnica*, 7

qui

Digitized by Google

qui pro se citat quamplures.

Sed probatur facilè: ex suppositione, quod posset diuinitus dari punctum quantitatis separatum à partibus quantitatis, non esset assignabilis ratio, cur dari etiam diuinitus non posset punctum qualitatis à qualitatis partibus separatum, quod licet sit indiuisibile quo ad extensionem: sit tamen quo ad intensionem diuisibile, sicuti est de facto calor ille, qui informat indiuisibile continuatiuum subiecti vniformiter calidi vt octo. Sed hoc indiuisibile qualitatis ratione diuisibilitatis intensiuæ posset per diuinam Potentiam in puncto illo quantitatis successiuæ produci; ergo punctum quantitatis separatum posset per se diuinitus alterari. Maior patet, & minor firmatur, quia intensiua successio non requirit de se diuisibilitatē subiecti; siquidem potest Deus successiuè producere aliquos gradus gratiæ sanctificantis in anima: sufficit enim, quod diuisibilitas se teneat solū ex parte formæ plures gradus intensiuos habentis.

8 Contra hanc vltimam Conclusionem obijcies primò: Aristoteles *6. physic. & primo de generat. citatis* expressè probat indiuisibile per se, hoc est separatum à quantitate alterari non posse; ergo ad minimum hæc sententia est contra Aristotelem.

Ad hoc respondet primò Gregorius *q. 2. art. 1.* Philosophum non loqui de indiuisibili quantitatiuo, sed de formis indiuisibilibus, cuiusmodi sunt intelligentiæ, & animæ rationales. Sed contra est, quia Aristoteles 6. *Physicorum* distinguit inter formam indiuisibilem, cuiusmodi sunt substantiæ spirituales, & inter indiuisibile quantitatiuum: vnde *hoc text. 86.* nuncupanter appellat hoc impartibile sic: Dicimus, quod id, quod impartibile est, non contingit moueri, nisi secundum accidens, vt corpore moto, aut magnitudine, in qua est; sicuti id, quod in naui est, mouetur naui mota, aut pars totius motus. & immediatè subdit: Impartibile autem dico id, quod est secundum quantum indiuisibile.

Respondet secundò Scotus, Aristotelem loqui quidem de indiuisibili quantitatis, sed negare illi solùm eum motum, qui est subinde diuisibilis, non autem eum, qui diuisibilis est ratione solius successionis partium suarum, quarum vna post alteram sine interruptione producatur. Sed contra: quia eius argumenta, si quid probant, absolutè ostendunt indiuisibile non posse per se, neque motu locali, neque alteratione moueri, vti patebit ex dicendis inferius; ergo non est dicendum, quod ei solùm negeo motum subiectiuas partes habentem; de hoc enim nulli dubium esse poterat. Confirmatur, quia ipse *text. 86. citato* facit assertionem suam absolutam sic: Dicimus, quod impartibile est, non contingit moueri, nisi secundum accidens. Si igitur argumentis suis solùm probaret illud non posse moueri motu diuisibili ex parte subiecti, procederet à secundum quid ad simpliciter, quod vitium solis Tironibus in Philosophia imputari solet. Adde motum, quem ei concedit per accidens, esse indiuisibile ex parte subiecti.

Respondent Recentiores nonnulli certis: verum quidem esse, quod Aristoteles negat indiuisibili etiam eum motum, qui ratione solius successionis habeat partes; sed addunt eum loqui spectatis viribus naturę, & quantum est ex parte causarum naturalium; non autem miraculosè, & per absolutam Dei potentiam. Verùm neque hæc responsio placet: nam eo modo negat indiuisibile posse per se moueri, quo modo assumit illud per se dari posse; sed hoc assumit ex quacumque tandem suppositione, siue demum naturaliter, siue miraculosè; ergo eodē modo debet illi negare motū per se. Maior quæ sola probatione eget, suadetur ex eo, quia licèt à Philosopho potuisset institui hæc quæstio, an scilicet ex quacumque tandem suppositione detur indiuisibile separatum, possit per se naturaliter moueri: tamen posito, quod non explicat se in hac restrictione loqui, putandum est quod eandem suppositionem, quam facit ex parte subiecti, retineat ex parte formæ, seu prædicati, negetque indiuisibile non solùm naturaliter, sed etiam supernaturaliter posse moueri; alioquin mutaret suppositionē nō supendo in ea amplitudine prędicatum, in qua subiectum accepit. Quod eo amplius damnabile est, quia eius assertio est negatiua, & negatio absolutè prolata est maligna, vt omnes dicunt. Ex quo deducitur, quod sicuti de quacumque potentia admittit Philosophus indiuisibilia separata à quantitate, ita de quacunque potentia negat ex posse moueri, & alterari.

9 Respondeo ego quartò Aristotelem redarguere Democritum, eiusque Sectatores, qui non solū negabant quantitatem constare ex partibus diuisibilibus in infinitum, sed etiam volebant atomos, (quas indiuisibiles ponebant, & ex eis omnia corpora putabant esse composita) de facto per se moueri, vt testatur D. T. *6. physic. sect. 12.* cōtra quos asserit Philosophi quod impossibile sit indiuisibilia moueri posse per se, vel secūdū motū localē, vel secundū alterationē; quia hoc ipso, quod Aduersarij non ponunt nisi indiuisibilia iam destruunt omne continuum siue permanens illud sit, siue successiuum; siquidem indiuisibile additum indiuisibili non facit extensionem, vt supra probatum est; sed sine continuitate neque motus localis, neque alterationis haberi potest; ergo rectè concluditur, quod si darentur indiuisibilia separata per se, neque alterari possent, neque localiter moueri; bene tamen posse de facto per accidens, quatenus scilicet sunt continuatiua, vel termatiua partium continui, quod supponit esse diuisibile in infinitum.

Obijcies secundò ex Ruuio *loco citato*: Si punctum separatum saltem diuinitus per se alterari posse, moueri v. g. posset motu calefactionis successiuo continuo, ac diuisibili diuisibilitate termini; ergo posset recipere in se calorem; idem enim debet esse subiectum motus, & termini; sed calor est essentialiter extensus, quatenus ex propria essentia natus est recipi in subiecto diuisibili, non verò indiuisibili, nisi per accidens. Sicuti igitur implicat formam extensam in subiecto omnino indiuisibili subiectari; ita etiam implicabit indiuisibile separatum alterari.

Responderi potest primò ad hoc argumentum concedendo punctum separatum posse recipere in se calorem, quamuis hic sit forma essentialiter exten-

Digitized by Google

extensa, & diuisibilis, & negando formam extensam non posse saltem diuinitus in subiecto omnino indiuisibili subiectari. Quod confirmari potest ex his, quę docet Ouiedus *in physic. controuers. 7. puncto 5. §. 2.* nimirùm dari posse corpus indiuisibile integraliter, quod sit subiectum quantitatis diuisibilis, & extensę. Quod confirmat ex eo, quia non repugnat res diuisibilis, & extensa educta ex subiecto indiuisibili; de facto enim Thomistæ volunt accidentia omnia subiectari in toto composito, quamuis altera eius pars sit indiuisibilis, & plures Theologi putant præsentiam, ex vi cuius Angelus in spatio diuisibili constituitur, esse diuisibilem, & secundùm vnam partem correspondere vni parti spatij, secundum verò aliam alij.

10 Sed contra hanc responsionem facit: quia *id*, quod recipit in se formam extensam; necesse est, vel formaliter, vel virtualiter sit extensum; sed non formalis, tum virtualis extensio repugnat puncto; ergo implicat punctum recipere in se formam diuisibilem quo ad extensionem. Minor huius argumenti patet: quia punctum est omnino indiuisibile, & per hoc ab anima rationali, & Angelo distinguitur, quod nō possit per aliquā potētiā rei diuisibili indiuisibiliter per se coexistere, sed ad summū per accidēs ratione corporis, in quo est. Maior probatur: quia forma, quæ est diuisibilis quo ad extēsionem, habet partes extra partes formaliter extensas, & inter se ordinatas; ergo impossibile est, quod recipiatur in aliquo subiecto, quin subiectum illud habeat partes, & sic formaliter sit extensum, vel si non habet, possit indiuisibiliter rei extensę coexistere, & sic sit extensum virtualiter. Et ratio huius est, quia omne subiectum debet informari à partibus extensis illius formæ, & per consequens illis correspondere; hoc autem sine aliquali extensione intelligi nequit. Quemadmodum ergo ipsimet Aduersarijs fatentibus indiuisibile qualitatis inextensum non potest recipi in subiecto extenso diuisibili, ita neq; propter similem rationem poterit qualitas diuisibilis in subiecto indiuisibili subiectari.

11 Dices: qualitas materialis non est formaliter extensa, sed solùm radicaliter; cum igitur hęc radicalis extensio consistat in sola exigentia extensionis actualis, poterit poni qualitas illa in subiecto omnino inextenso. Consequentia patet à simili de inhærentia accidentium. Antecedens verò probatur, quia formalis extensio rerum omnium materialium est formaliter ipsa quantitas.

Contra tamen est: quia triplex dari potest extensio formalis, & prima quidem consistit in coordinatione partium in ordine ad se. secunda in coordinatione earumdem actuali quo ad locum: tertia denique in coordinatione illa partium in ordine ad se, quæ sit exigitiua coordinationis quo ad locum; quamuis autem qualitas materialis sit radicaliter extensa per ordinem ad secundam, & tertiam extensionem formalem, quatenus exigit cum vtraque existere: est tamen formaliter extensa quo ad primam; hoc autem sufficit, vt punctum intelligatur esse subiectum ei imporportionatum.

Per quæ patet responsio ad rationes in contrarium ex Ouiedo desumptas. Dico enim, quod fidaretur siue per possibile, siue per impossibile corpus physicum indiuisibile integraliter: esset iam diuisibile virtualiter, quemadmodum de facto sunt anima rationalis, & Angelus; vnde non est mirum, si dictum corpus intelligi posset susceptiuum quantitatis, sicuti de facto multi intelligunt animam rationalem partialiter susceptiuam eiusdem, & Angelos susceptiuos localis extensionis diuisibilis; at punctum est non solùm formaliter, sed etiam virtualiter inextensum. 12

Respondeo igitur secundò ad obiectionem: Ruuium in sua ratione fallaciter procedere, dum ex eo quod punctum separatum possit diuinitus alterari: infert, quod possit moueri motu calefactionis; supponendo quod calor sit essentialiter extensus. In hac enim suppositione calefactio dupliciter sumi potest: primò propriè pro motu ad formam caloris, quæ vti supponitur, essentialiter constat ex partibus intensiuis, & extensiuis. Secundò pro motu ad indiuisibile eiusdem formæ, quod licet sit essentialiter inextensum: habeat tamen partes intensiuas copulantes partes extensas intensiuas ipsius caloris, quæ sunt in vna parte subiecti diuisibilis, cum partibus intensiuis extensis eiusdem, quæ in parte sequenti eiusdem subiecti reperiuntur. Iam verò ad saluandum posse punctum separatum diuinitus alterari, sufficit tueri, quod possit impropria calefactione calefieri, quæ sit quidem diuisibilis intensiuè; at non extensiuè; atque adeò non inducat in subiectum calorem, qui sit forma essentialiter extēsiuè diuisibilis; sed aliquid caloris, quod sit quidem forma intensiuè diuisibilis, at indiuisibilis extensiuè. Malè igitur ex huiusmodi calefactione, quam indiuisibili concedimus, infert Auctor illud posse formam extēsam caloris in se recipere; quia hoc est proprium solius subiecti calefactibilis propria, & rigorosa calefactione, quæ negatur indiuisibili ex suppositione; quod forma caloris importet essentialiter partes extensiuè diuisibiles.

Obijcies tertiò ex eodem Ruuio *6. physic. circa.* 13 si punctum calefieret, vel moueretur per latitudinem caloris, vel solùm discurreret per indiuisibilia eius: sed neutrum dici potest; ergo &c. Minor quo ad secundā partē patet, quia sic ille motus nō posset esse continuus, nec terminus per illum acquisitus. Indiuisibilia enim non faciunt continuationem. Quo ad primam verò probatur quia punctum nequit moueri per latitudinem caloris, quin eam vna cum motu in se recipiat, sed latitudo caloris est calor ipse substantialis. Cum igitur constet calorem non posse diuinitus recipi, nisi in subiecto diuisibili: certum remanet non posse punctum per latitudinem eiusdē caloris moueri.

Respondeo ad maiorem: indiuisibilia caloris esse duplicis generis; quædam enim sunt indiuisibilia quo ad intensiorem, quædam verò quo ad extensionem. Quo posito dico, quod si punctum calefieret, discurreret per calloris indiuisibilia quo ad extensionem: non verò per indiuisibilia quo ad intensionem, eo quod illa forma, quam reciperet, licèt esset extensiuè indiuisibilis, esset tamen diuisibilis intensiuè. Sic distincta minore, nego consequentiam. Ad primam probationem minoris dico: per hoc, quod punctū discurreret per indiuisibile extensiuum caloris

non

non sequi motum, eiusque terminum non posse habere continuationem; quia ad hanc inducendam sufficit diuisibilitas intensiua formæ, vt de se patet. Ad posteriorem verò aio ex suppositione, quod calor constet essentialiter ex partibus tum intensiuis, tum extensiuis, punctum potest rectè intelligi quod moueatur per latitudinem intensiuam caloris absque eo, quod illum in se recipiat; sufficit enim, quod intelligatur recipere indiuisibile extensiuum eius, quod supponitur non esse calorem, sed aliquid ad eius constitutionem pertineos.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum indiuisibile localiter moueri possit.

14 LOquimur de motu indiuisibilis quatenus indiuisibile est, nulla enim est difficultas, quod linea moueri possit secundùm longitudinem, & superficies tum secundùm longitudinem, tum secundùm latitudinem. Valdè tamen controuersum est, an vtraque secundùm profunditatem: linea verò etiam secundùm latitudinem, siat mobilia. Quoniam verò punctum est omninò indiuisibile, idcircò de eo absolutè fit quæstio, num possit moueri localiter. Pro cuius decisione sit.

Prima Conclusio: indiuisibile coniunctum mouetur localiter ad motum corporis, in quo est.

Probatur quia corpus dum mouetur, necessariò defert omnia secum, quæ habet in se, & per consequens omnia sua indiuisibilia dummodo non moueatur, circulariter, quia tunc centrum illius deberet necessariò quiescere.

Ad hoc argumentum respondent communiter indiuisibile coniunctum non moueri per se, sed per accidens ad motum, scilicet corporis, in quo est, quam responsionem sumunt ex Aristotele *text. 86.* Verum si hæc distinctio explicetur, ita vt sensus sit, quod indiuisibile in tantùm moueatur, in quantum mouetur corpus, cuius est indiuisibile cum de cætero ipsum in se sit subiectum partiale motus, est, vt potè Aristotelica, amplectenda: sin autem per illam significetur, quod indiuisibile nihil motus in se recipiat, dum mouetur corpus, in quo est; dicta distinctio, tamquam gratis allata, atque inutilis, vt mox patebit, repudianda est.

15 Secunda Conclusio: Si daretur indiuisibile separatum, saltem per absolutam Dei potentiam moueri posset localiter, est Scoti *in secundo dist. 2. qu. 9 & 6. phys. quæst. 3.* quem sequuntur Scotistæ: est præterea Albertini *tom. 1. Cor. 16. ex primo primi tripli philosophico dub. 4. punct. 3.* Mursij *6. phys. disp. 5. quæst. 6.* Auersæ *quæst. 6 sect. 3.* Suarij *de Angelis lib. 4. cap. 2.* & aliorum contra Auerroem, Themistium, Buclæum, Buccaferreum, Ægidium, Venetum, Marsilium, Albertum Magnum, Rubium, Conimbricenses, Pendasium, & alios. Probatur primò, quia nulla potest assignari implicantia motus puncti separati; ergo &c. Probatur antecedens: si qua esset; vel oriretur ex ratione puncti, vel ex ratione motus continui successiui, qui deberet à puncto fieri; sed ex neutro capite implicat, ergo &c. Maior patet ex sufficienti partium enumeratione. Minor verò probatur: & primo quod non oriatur ex ratione ipsius puncti sic. Punctum vt punctum est, non dicit de se immobilitatem, sed solam indiuisibilitatem, quæ consistit in negatione partium. Confirmatur quia si de ratione puncti esset immobilitas, sequeretur, quod neque per accidens ad motum scilicet corporis punctum moueri posset, sicuti quia de eius essentia est indiuisibilitas, sequitur, quod neque per accidens, scilicet ad diuisionem corporis, diuidi possit; Secundò quod neque oriatur implicantia ex ratione motus probatur sic: quia de ratione motus continui successiui tantummodo est habere partes successiuas sibi inuicem succedentes, ratione quarum mobile successiuè applicetur diuersis partibus spatij, non autem habere partes subiectiuas, seu extensiuas, has enim solùm per accidens habet ratione scilicet subiecti extensi, quod mouetur. Atque ex his patet, quod benè intelligi possint duo hæc simul coniungi motus scilicet & indiuisibile, absque eo, quod aliqua repugnantia oriatur in intellectu.

16 Probatur secundo: omnia argumenta, quæ fiunt contra motum successiuum, & continuum indiuisibilis separati, militant contra motum quo indiuisibile coniunctum mouetur ad motum corporis, vt ex Aduersariorum obiectis manifestè colligitur; ergo vel vterque negandus est, vel vterque concedendus. Atqui negare, quod indiuisibile moueri possit ad motum corporis, præter quam quod sit contra Aristotelem loco citato: est aduersari valdè manifestis. Quid enim manifestius, quam quod ad tractum sphærici super planum moueatur punctum, quo sphæricum tangit planum, & per motum lineam designando, spatio diuisibili quo ad longitudinem successiuè coexistat.

Dices primò disparitatem consistere in eo, quia punctum coniunctum mouetur motu recepto in corpore, in quo est, non verò in se ipso. at verò separatum deberet moueri per se, per motum scilicet quod in se ipso subiectaretur.

Contra tamen est primò: quia argumenta, vt mox videbimus quæ fiunt ab Aduersarijs directè probant indiuisibile non posse spatio diuisibili coexistere; atque adeò æquè militant contra motum indiuisibilium, qui recipiatur in corpore in quo est: ac contra eum, qui reciperetur in ipso indiuisibili.

17 Contra secundò, quia quod indiuisibile coniunctum mouetur per motum in se realiter receptum præterquam quod probari potest ex Aristotele *6. phys. cor. 10.* patet ex eo, quia alioquin sequeretur, quod indiuisibile pluribus motibus saltem potentia inter se distinctis, moueretur in quantum partes subiectiuas quorum punctum est continuatiuum, mouentur pluribus motibus. Præterea quod punctum illud, quod est centrum corporis circularis, ad motum circularem partium eiusdem corporis deberet moueri; ex eo, quia nihil aliud est per Aduersarios indiuisibile moueri, quam moueri partes, quarum est indiuisibile. Denique sequeretur, quod partes omnes subiectiuæ motus, quo corpus mouetur, essent discontinuæ, quatenus non continerentur per aliquod indiuisibile subiectiuum motus, in indiuisibili continuatiuo ipsius corporis existens. Ex quo deducitur dictas

partes fore omnino indiuisibiles, eo quod nullo communi termino copularentur; sed hæc omnia sunt absurda; ergo &c.

Dices secundò falsò à nobis supponi punctum
18 sphærici mouentis se super planum, & cuiuscumque alterius mobilis diuisibilis ad eius motum moueri continuè: mouetur enim discretè, & per instantia interpolata, quamuis corpus, in quo est, continuè, moueatur: at si moueretur per se deberet moueri continuè, quod repugnat; ergo &c.

Sed contra est: quia si quando sphæricum motu recto, & continuo supra planum mouetur, eius indiuisibile, secundùm quod tangit ipsum planum, moueretur discretè, quæro, vbi nam sit illud indiuisibile pro eo tempore, quod intercipitur inter vnum, & aliud instans sui motus: non enim est in spatio diuisibili, quia si nequit dicto spatio coexistere mouendo se; multò minus poterit absque eo quod moueatur: ergo in spatio indiuisibili. Tum sic: vel est in spatio indiuisibili, in quo erat immediatè ante motum diuisibilem sphærici, vel in alio distincto ab illo; non primum, quia sic punctum per totum illud tempus, quod intercipitur inter vnum, & alium motum instantaneum, quo mouetur, iam quiesceret; repugnat autem quod aliquod corpus recta moueatur immoto penitus remanente eo, quod reperitur in illo. Neq; secundum, quia si eo tempore existeret in alio spatio à primo indiuisibili distincto, hoc spatium procul dubio distaret ab illo primo: non enim datur vnum indiuisibile immediatè post aliud; & sic punctum sphærici transiret de loco ad locum distantem non transeundo per medium, quod est naturaliter impossibile, & hoc faceret sine vllo prorsus motu; nam supponunt Aduersarij punctum illud tempore intermedio inter vnum, & aliud instans non moueri; quod posterius etiam supernaturaliter repugnare videtur.

19 Obijcies primò: Omne quod mouetur, si comparetur ad spatium, quod suo motu pertransire debet, prius ex illo debet pertransire aliquid sibi æquale, quam pertranseat maius. igitur si punctũ separatum moueretur per lineam, deberet vtique in linea pertransire prius punctum aliquod, quam ipsam lineam. sed si hoc esset, iam linea constaret ex punctis; ergo punctum separatum moueri nequit. Omnia patent præter Antecedens, quod probatur tum inductione facta per omne mobile, quod per se mouetur, tum etiam quia contrarium dicere videtur repugnare rationi, qui enim fieri potest, vt aliquod mobile successiuè, & per partes pertranseat aliquod spatium maius se, absque eo, quod per prius transeat æquale sibi?

Respondeo antecedens veritatem habere contra antiquos, qui volebant spatium ex punctis cõponi. Quare ad priorem eius probationem dico, inductionem non probare mobile, quandiù est sub motu, esse posse in spatio æquali, sed benè in maiori, in quo tamen continetur æquale. Ad posteriorem verò aio, nullam esse repugnantiam in hoc, quod mobile aliquod pertranseat spatium maius se, absque eo quod prius pertranseat spatium æquale sibi. Et ratio est, quia spatium per motum occupatum semper plus spatij includit, quam id, quod occupatur in quiete, & permanenter, siquidem successiuè repletur successio autem partes priores, & posteriores importat.

Instabis: potest mobile palmare moueri successiuè, & tamen non acquirere, nisi palmum loci, qui erat immediatè post locum, quem inquietè occupabat; ergo falsum est, quod mobile in motu debet esse in loco maiori se.

Respondeo, concesso antecedente, negando 20
consequentiam. Dico enim quod mobile diuisibile quando mouetur non pertransit solum spatium non communicans cum primo suo termino à quo, sed etiam spatium communicans, in quantum illud secundùm diuersas partes acquirit, atque relinquit: atque adeò spatium semper est maius mobili, quandiu est in motu. Neque dicas esse de ratione cuiuscumque mobilis siue diuisibilis, siue indiuisibilis, vt toties replicatum adæquet, vel excedat spatium, in quo mouetur. Hoc enim esse falsum patet ex eo, quia numquam assignari poterit, quoties replicari 1
debeat mobile diuisibile, vt spatijs communicantibus, quæ sunt finita in infinitum æquale sit.

Obijcies secundò: Mobile dum mouetur, non 21
potest esse secundùm se totum in solo termino à quo: quia nondum moueretur, neque secundùm se totum in solo termino ad quem, quia iam motum esset: neque potest esse simul in vtroque termino, quia vtrumque sequeretur absurdum; neque in neutro, quia nullibi esset; ergo necessariò partim esse debet in termino à quo, partim verò in termino ad quem, atque adeò debet necessariò habere partes. cum igitur indiuisibile, qua indiuisibile est, non habeat partes, implicat, quod localiter moueatur.

Pro responsione aduerte in quocumque motu locali finito, ac terminato considerari posse primum terminum à quo, & vltimum ad quem; & rursus primum terminum ad quem, & secundum à quo. Primus terminus à quo est spatium illud, in quo mobile antequam incipiat motum, requiescit. Vlterius verò ad quem est spatium illud, in quo pariter requiescit in fine motus. Porrò primus terminus ad quẽ est illud spatiũ, quod acquirit mobile statim ac à primo termino à quo motus recedit. Secundus autem à quo est illud ipsum spatium, quod est primus terminus ad quem, quatenus mobile per motum ab illo recedit; & aliud consequens spatium successiuè acquirit. Quoniam verò primus terminus ad quem semper acquiritur diuisibiliter, secus vel motus, vel spatium ex indiuisibilibus componeretur: hinc fit vt prius à mobili secundùm vnam partem, deinde verò secundùm aliam acquiratur; quare concipi potest in infinitum diuisibile in partes, quarum prior habeat rationem secundi termini à quo, respectu posterioris: posterior verò rationem termini ad quem respectu prioris. Ex qua doctrina sequitur primum terminum ad quem, & secundum à quo 22
esse de se indeterminatos. Quibus prænotatis.

Respondeo, quod si in argumento de primo termino à quo & de vltimo ad quem sermo sit, facilis est solutio. Concesso enim antecedente secundùm tres priores partes; nego illud secundùm vltimam, vt patet ex formica, si ponatur moueri per vnam; durante enim illius motu, neque est in primo termino à quo, neque in vltimo ad quem vlnę. Ex hoc autem non sequitur, quod nullibi sit:

coe-

Digitized by Google

est, nisi in successiuè toti illi spatio, quod inter duos dictos terminos comprehenso. Si autem sermo sit de primo termino ad quem, & de secundo à quo, dico non dari secundum à quo, & primum ad quem, quorum alterum diuersimodè consistentis alterum non includat, vnde eligo tertium membrum, & aio, quod mobile simul est in secundo termino à quo, & in primo ad quem. Simul quidem non quidem simultate permanendi: sed successiua, quæ solùm excludit simultatem spatij, & non simultatem mobilis. Ex hoc autem nequit sequitur, quod nondum mobile moueatur, neque quod iam motum sit, quia hanc connexionem solùm habent cum primo termino à quo, & cum vltimo

92 de quo est. Ex quibus patet, quid respondendum sit ad primum consequens, in quo concluditur, quod mobile, dum mouetur partim esse debeat in termino à quo, partim verò in termino ad quem. Si enim loquitur de partibilitate se tenente ex parte mobilis, quasi verò mobile ipsum partes habere debeat, secundùm quas reperiatur in secundo termino à quo, & in primo ad quem, neganda est hæc consequentia. Hoc enim tunc rectè sequeretur, quando diceremus, quod mobile permaneret, & instantaneè veriquè termino deberet coexistere; at nos volumus, quod illis coexistat in tempore, & successiuè. Sic autem sermo sit de partibilitate se tenente ex parte spatij, ita vt sensus sit, quod mobile esse debeat in spatio, quod secundùm vnam sui partem habeat rationem secundi termini à quo, & secundùm aliam primi ad quem, concedenda est Consequentia; sed vltimo absolutè negãda est, aliud enim nihil ex priori inferri potest, quam quod spatium supra quod indiuisibile moueri debet, sit necessariò diuisibile, quod verissimum est.

93 Instabis primò: Terminus à quo rei indiuisibilis quid indiuisibile esse debet; falsum igitur est, quod mobile indiuisibile partibile sit in termino à quo partibilitate se tenente ex parte spatij.

Respondeo distinguendo antecedens: Terminus à quo primus debet esse quid indiuisibile: concedo. Terminus à quo secundus, nego antecedens, & consequentiam. Disparitatis ratio est, quia primus terminus à quo, cum in eo quiescat mobile, illi debet esse æqualis: si verò secundus terminus quo idem realiter est cum primo ad quem, cui mobile actu est sub motu successiuo coexistit, & ideo non mobili vt sic, sed potius motui competit, vt diuisibili consequens diuisibilis esse.

Instabis secundò: Terminus à quo secundus

94 relinquitur per motum: ergo non potest indiuisibile hoc mouetur, totum in illo separari.

Respondeo distinguendo antecedens: relinquitur per motum totus simul: nego, relinquitur primus secundùm naturam partes sub, deinde secundùm alias: concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia mobile indiuisibile, dum mouetur, reperitur in eo secundùm naturam partem ipsius, quam acquirit, & quæ hæc pars illoquomodo dari possit, in sequenti quæstione ad quem quæstionem remittimus.

95 Obiicies tertiò: Sicut quantum successiuè

mouetur, supponitur, in linea daretur punctum post punctũ; Sed hoc dici nequit: ergo &c. Sequela probatur, quia si in ea moueretur, deberet per primum motus acquirere primum terminum ad quem, qui esset æqualis ipsi puncto; sed primus terminus ad quem est immediatè post primum à quo, qui supponitur esse indiuisibilis: ergo &c.

Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem nego maiorem, vtpotè de subiecto non supponente; aio enim in motu neque primum motum, neque primum terminum ad quē æqualē primo à quo dari posse: Non primum motum, quia vel hic est indiuisibile motus, & hoc implicat in sententia Aristotelis; vel est pars aliqua diuisibilis eiusdem; & tunc vel hæc est primus motus, quia est tota simul secundùm suas partes; & hoc non, quia quælibet pars motus successiui successiua est, & diuisibilis in partes priores, & posteriores; vel est primus motus, quatenus licet diuisibilis hoc modo sit, est tamen prior alio, qui ei succedit; & sic repugnat, quod mobile dum stat sub illo, occupet primum aliquem terminum ad quem sibi æqualem. Idem argumentum fieri potest ad probandum non dari primum terminum

96 ad quem æqualem mobili, quod mouetur.

Instabis: Motus localis rei diuisibilis habet 97 primum indiuisibile initiatiuum sui: ergo si daretur motus localis rei indiuisibilis, hic etiam deberet habere primum indiuisibile sui initiatiuum. Consequentia patet paritate. Antecedens verò probatur, quia motus alterationis habet primum indiuisibile initiatiuum sui, cuius beneficio mobile diuisibile acquirit indiuisibile intensum initiatiuum formæ, secundùm quam alteratur: ergo & motus localis: non enim videtur assignabilis disparitas.

Respondeo, negando antecedēs. Ad cuius probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Quamuis enim admittendum sit primum indiuisibile motus alterationis, non tamen admitti debet primum indiuisibile initiatiuum motus localis. Disparitas est, quia antecedenter ad motum alterationis mobile supponitur extare primo indiuisibili formæ, quam per alterationē debet acquirere, vnde debet moueri ad illud acquirendum: at mobile antecedēter ad motum localem supponitur habere primum indiuisibile loci, in quo tendit, quia hoc identificatur cum vltimo indiuisibili loci antecedentis, in quo tale mobile præsupponitur existere, antequam incipiat moueri, iam supponimus secundùm suam superficiem anteriorem esse præsens illi, & sic repugnat habere primum indiuisibile motus, quo illum acquirat. Quod si Philosophus vniuersaliter negat in motu non dari primum mutatum esse, siue de motu alterationis, siue localis, non est contra nos, siquidem per primum mutatum essentialiter intelligit primum indiuisibile initiatiuum totius motus, sed bene primum indiuisibile præsupponens primam partem motus. Quoniam verò prima pars motus repugnat, quia nulla pars est assignabilis in motu, quæ non sit diuisibilis in duas partes, quarum vna sit prior, alia posterior: Hinc sicut recte dixerit Philosophus, in motu non dari primum mutatum esse, cum quo stat, quod

in alteratione detur primum indiuisibile initiatiuum illius.

26 Obijcies quartò: mobile moueri in aliquo spatio ratione sui aliud nihil est, quam per se, & ratione sui, singulis eius partibus successiuè adæquari, atque commensurari; si igitur punctum posset per se moueri super lineã, iã successiuè toti lineæ adæquaretur, atq; adeò linea constaret ex punctis.

Respondeo, negando antecedens: mobile enim per se moueri in spatio aliquo non est, nisi per se successiue percurrere spatium illud, non autè illi adæquari, atque commensurari. Quin imò hoc essentiæ successionis motus repugnare videtur, cuius munus est constituere mobile in spatio maiori se; per accidens igitur est, quod mobile diuisibile sic percurrat aliquod spatium, vt possit singulis eius partibus commensurari: per se verò hoc non requiritur; punctum ergo in motu tangit semper lineam inadæquatè, & improportionabiliter, quantum ad commensurationem, & licet in quolibet instanti assignabili semper adæquetur punctis, quæ sunt in linea, hæc tamen non sunt partes aliquę ipsius lineæ, vt de se constat.

27 Obijcies quintò: si punctum separatum posset moueri, vel simul, vel successiuè recederet à primo termino à quo; neutrum dici potest; ergo &c. Probatur minor: si enim diceretur primum, in motu dabitur primum mutatum esse; Dabitur enim primum instans initiatiuum motus, per quod simul punctum recedat à puncto, in quo quiescebat: sin autem secundum, sequitur, quod primus terminus à quo motus puncti sit diuisibilis, ac debeat relinqui per partes.

Respondeo, punctum simul quidem simultate termini recedere à suo primo termino à quo, non autem simul simultate recessus, seu formæ; admitto enim motum localem non habere primum instans initiatiuum, atque adeò punctum per motũ successiuum relinquere illud spatium, in quo quiescebat; quod, quia est indiuisibile, relinqui nequit per partes se tenentes ex parte ipsius, benè autem potest relinqui per partes se tenentes ex parte motus, seu recessus. Per quæ patet responsio ad probationẽ vtriusq; partis minoris; Dico n. quod si pũctum recederet à primo termino à quo simul simultate recessus, tunc sequeretur, quod in motu daretur primum instans initiatiuum motus; praterea, si recederet successiuè, & per partes se tenentes ex parte ipsius termini, tunc sequeretur, quod terminus diuisibilis esset; sed ipsum recedit simul quidem simultate se tenente ex parte termini; per partes verò se tenentes ex parte recessus; vnde fit, vt terminus sit indiuisibilis, recessus autem diuisibilis, ac successiuus.

28 Instabis primò: Si punctum recederet à primo suo termino à quo per partes recessus, deberet admitti prima pars recessus, per quam ipsum à primo suo termino à quo recederet: eam sic: vel hæc prima pars est diuisibilis, vel indiuisibilis; non primum, quia etiam primus terminus à quo esset huiusmodi; neque secundum, quia daretur in motu primum mutatum esse; ergo &c.

Respondeo distinguendo sequelam: debeat admitti prima pars motus, quæ sit purè prima indiuisibilis in partes priores, & posteriores, nego; quæ sit prima impurè, quæ scilicet, licèt non habeat aliam ante se non communicantem, diuidi tamen possit in partes priores, & posteriores, concedo sequelam. Per quod patet responsio ad argumentum: dico enim, partem istam motus impurè primam, esse diuisibilem: nego tamen hinc sequi, primum terminum à quo diuisibilem esse in nostro casu; quia punctũ nunquã per primã partẽ assignabilem motus recedit à primo suo termino ita, vt simul non acquirat per eandem partem aliquid spatij diuisibilis consequentis ad illud; atque adeò, vt simul simultate successiua non relinquat aliquid aliud præter punctum initiatiuum.

Instabis secundò: punctum non potest simul 29
recedere à primo termino à quo simultate recessus; ergo neque simultate termini; vel si potest, hoc, poterit & illud.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas sumitur à posteriori; quia si recederet simultate recessus: daretur punctum post punctum, quod non sequitur ex eo, quod recedat simultate termini. Cæterùm hæc diuersitas etiam in motu diuisibilium est admittenda; quando enim duo plana se tangentia separantur per eleuationem æqualem superioris ab inferiori: profectò tunc planum superius recedit à superficie inferioris, simul quidem per ordinem ad superficiem ipsam, quę indiuisibilis est; at successiuè ratione motus. Et ratio est, quia partes motus cuiuscumque numquam comparantur ad primum terminum à quo diuisibiliter, ita scilicet vt prima pars motus diuidat primam partem mobilis à prima parte termini à quo; secunda verò secundam à secunda, & sic de cæteris; sed indiuisibiliter, ita scilicèt, vt per quamlibet motus particulam auferatur tota correspondentia totius mobilis à toto primo termino à quo secundùm omnes partes. Cuius rei si vlteriorem rationem à priori desideras, accipe: primus terminus à quo respectu motus se habet, vt purè terminus: purus autem terminus indiuisibiliter respici debet à re, cuius est terminus. Qui enim dicit purum terminum, dicit extremum, quod in indiuisibili consistere docuimus in Physicis. Porrò ad indiuisibile sequi posse aliquod diuisibile, constat ex linea punctis terminata. Non est igitur, cur punctum recedere non possit à primo termino à quo indiuisibili per recessum diuisibilem, quia hic est simul recessus à re diuisibili, & ideo successiuus.

Instabis tertiò: Punctum simultate termini de- 30
perdit primum terminum à quo; ergo eadem simultate acquirere debet primum ad quem. Cõsequentia probatur: tum quia eo modo, quo deperditur vnum, acquiritur alterum, tum etiam, quia eo modo, quo successio non impedit simultaneam deperditionem vnius, ita neque impedire debet simultaneam acquisitionem alterius.

Respondeo, concesso antecedente, negando cõsequentiã. Ratio est, quia primus terminus à quo nõ debet proportionari motui, quia hic non facit vt mobile dicto termino coexistat, sed potius hoc impedit. Benè tamen proportionari debet in 31
partibus primo termino ad quem, quia est forma

faciens mobile coexiſtere dicto termino. Ad priorem probationem diſtinguo aſſumptum: & ſi quidem comparatio cadat ſupra motum, concedo: ſin autē ſupra terminos, nego. Ad poſterioré verò nego paritatem: diſparitas ſumi poteſt ex dictis.

31 Obijcies ſextò: forma diuiſibilis non poteſt recipi in ſubiecto indiuiſibili; ergo neque motus ſucceſſiuus, qui eſt diuiſibilis, in puncto.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: forma diuiſibilis non poteſt recipi in ſubiecto indiuiſibili per indiuiſibilitatem oppoſitam diuiſibilitati formæ, concedo: per indiuiſibilitatem non oppoſitam, nego antecedens, & conſequentiam. Indiuiſibilitas enim oppoſita motui ſucceſſiuo eſt illa, quæ competit inſtanti, non autem illa, quæ cum re permanente coniuncta eſt: hæc enim admittit ſemper virtualem diuiſibilitatem quo ad ſucceſſionem, quæ conſiſtit in eo, quod entibus ſucceſſiuis in ſua permanentia correſpondere poteſt. Sufficit autem huiuſmodi virtualis diuiſibilitas puncto, vt poſſit eſſe ſubiectum capax formæ ſucceſſiuę indiuiſibilis quo ad extenſionem.

32 Inſtabis ex Ruuio 6. *phyſic. cap.* 10. *quæſt. vnica*, ſi indiuiſibile localiter moueretur, deberet acquirere præſentiam ordinis corporei continuam, atq; diuiſibilem in partes corporeas; ſed hoc repugnat; ergo &c. Maior patet, quia non deberet acquirere præſentiā ſpiritualē. Minor verò ſuadetur quia præſentia ordinis corporei, in partes corporeas diuiſibilis, eſt accidens corporeum, natum recipi in ſubiecto corporeo, atque extenſo per quantitatem, cuiuſmodi non eſt punctum.

Reſpondeo, maiorem continere fallaciam pluribus ad modum vnius, atque adeò partim eſſe concedendam, partim negandam; concedendam quidem quantum ad id, quod dicit præſentiam, quam in fine motus acquireret indiuiſibile, fore corpoream: negandam verò, quatenus addit eam fore continuam, & diuiſibilem. Quemadmodum enim quando punctum mouetur per accidens ad motum corporis, in quo eſt, acquirit quidem præſentiam corpoream, ſed minimè continuam, ac diuiſibilem: ita etiam, ſi moueretur per ſe; ad habendam enim rationem corporei non requiritur continuitas, & diuiſibilitas, ſed ſufficit ſi ad illam pertineat, continuando inter ſe partes diuiſibiles, & extendendo illas. Per quæ patet reſponſio ad probationem minoris. Aio enim, quod ſi ſupponamus dari indiuiſibile ſeparatum, ſupponere conſequenter debemus dari poſſe ſaltem diuinitus accidens corporeum indiuiſibile. 33

Obijcies ſeptimò: mobile quantum ſpatij relinquit per motum, tantum acquirit; ergo ſi indiuiſibile mouetur per lineam, tantumdem lineæ acquireret, quantum illius immediatè relinqueret. Atqui relinqueret indiuiſibile lineæ, in quo erat, quando quieſcebat; ergo indiuiſibile eiuſdem deberet immediatè poſt acquirere; & ſic linea cōſtaret ex punctis.

Reſpondeo, antecedens verum eſſe de illis ſpatijs, quæ relinquuntur, & acquiruntur per motum tamquam termini euiſdem generis, non autē de illis, quę tamquam termini diuerſi generis reliquuntur, & acquiruntur. Si enim formica v. g. relinquit per motum, ſpatium vnius vlnæ tāquam terminum à quo impurum, verum quidem eſt, quod tantumdem ſpatij, imò illud ipſum tāquam terminum ad quem impurum acquiſiuit, quia idem ſpatium, quod per motum ſucceſſiuè deperditur, ſucceſſiuè etiam acquiritur. At falſum eſt, quod tantumdem ſpatij acquirit tanquam terminum ad quem purum, quia hoc non eſt maius ipſa formica. Diſtincto igitur hoc modo antecedente, nego conſequentiam, quia ſpatium illud poſt primum terminum à quo eſt terminus ad quem impurus.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA PRIMA.

DE CAVSA EFFICIENTE GENERATIONEM.

OCcaſione cauſarum generationem ſubſtantialem efficientium, agimus hìc de virtute effectiua cauſarum ſecundarum in ordine ad omnes effectus tum accidentales, tum ſubſtantiales ordinis naturalis: ſiquidem ad hoc vt ſubſtantia aliqua de nouo producatur, non ſolùm nouæ productio formæ ſubſtantialis, ſed multorum etiam accidentium neceſſaria eſt.

SECTIO PRIMA.

An cauſa ſecunda aliquid re uera efficiant.

NOnnulli ex antiquis Philoſophis, vt refert Sanctus Thomas *prima parte quæſt.* 115. *art.* 3. & 3. *contra gentes cap.* 69. opinati ſunt res creatas nullam habere vim efficiendi, ſed ſolum Deū ad earum præſentiam effectus omnes, quos videmus, producere. Quidam autem, inter quos eſt Auincebronius *lib.* 1. *fontis lucis*, ſolis rebus corporeis efficientiam omnem denegarunt. Alij denique, quibus fauere videtur Auicenna *lib.* 1. *ſuæ ſufficientiæ cap.* 5. rebus quidem corporeis accidentium, ac diſpoſitionum efficientiam conceſſerunt, formarum verò ſubſtantialium effectionem quidā intelligentiæ à concretione materię ſegregatæ,

Digitized by Google

reseruarunt. Contra quos omnes sit.

Vnica Conclusio: Res creatæ vim habent effectiuam: et in specie, Res corporeæ non solùm accidentia, sed formas etiam aliquas substantiales per propriam operationem efficere possunt. Hęc sententia est tum Philosophorum, tũ Theologorum suffragijs comprobata.

3 Probatur autem primò auctoritate sacrarum Scripturarum. *Genesis* 1. Germinet terra herbam virentem facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum: *Luca* 21. Videte ficulneam, & omnes arbores cum producunt ex se fructum. Et passim creaturis tribuitur efficientia in scripturis, quas pro arbitrio interpretari, quod loquantur de efficientia Dei ad earum præsentiam, non licet: in proprio enim sensu, si quid nõ obstat, vt certè nihil obstat, accipiendæ sunt. Confirmatur ex Tridentino *sess. 6. cap. 4.* vbi damnantur ij, qui liberum arbitrium nihil omnino agere, sed merè passiuè se habere in suis operationibus asseuerant.

Probatur secundò: quia ex vna parte potuit Deus, sicuti de facto esse, ita etiam vim operatiuam rebus creatis communicare: ex alia verò videmus eas ita se gerere in operationibus, quæ in Mundo quotidie fiunt, ac si de facto dictam virtutẽ habeant; indigent enim instrumentis operatiuis, indistantia, dispositionibus, cæterisque rebus, ad quæ agendum vere & proprie necessarię sunt. Asserendum igitur est eis huiusmodi vim operatiuam a Deo tributam de facto fuisse: alioquin voluisset nos decipere, & viam veritatis inuestigandæ penitus occultare; dum dedisset quidem nobis signa efficacissima inferendi, quod dictam vim suis creaturis concesserit, & illam eis nihilominus denegasset.

4 Obijcies primò *primæ ad Corinth. cap. 15.* Sanctus Paulus ait: Deum operari omnia in omnibus. *Secunda verò item ad Corin. cap. 3.* hęc habet: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. ex quibus patet Apostolum omnem sufficientiam ad agendum denegare creaturis.

Respondeo, ex priori loco tantùm concludi creaturas omnes in operando Dei consortio indigere; ex posteriori autem operationes supernaturales naturæ viribus à nobis exerceri minimè posse, sed necessariò requiri auxilium supernaturale; vtrumque autem benè stat cum nostra Conclusione: nego igitur Apostolum denegare sufficientiam, de qua loquimur, creaturis.

5 Obijcies secundò modus operandi absque consortio creaturæ est perfectior illo, qui creaturæ consortium admittit; ergo asserendum est Deum omnia se solo operari.

Respondeo, esto quòd modus ille operandi se solo sit perfectior: non tamen necessum est dicere Deum perfectissimo modo operari. quare nego consequentiam. Addo tamen, quod modus operandi cum consortio creaturæ, quæ habet esse dependenter ab ipso Deo perfectior est, quam modus ille operandi sine tali consortio, in quantũ arguit Deum non solùm esse, sed vim etiam operatiuam suis creaturis de facto tribuere; quod sine dubio est quid perfectius.

6 Obijcies tertiò: Materialitas impedit operationem, vt patet ex eo, quia quo magis aliquid materiale est, eo minus est operatiuum; ergo saltem entia materialia nihil operantur.

Respondeo, concesso antecedente, negando cõsequentiã. Entia materialia constãt ex materia, & forma; quamuis igitur ratione materię vim effectiuam nullam habeant: habere tamen possũt aliquam ratione formæ. Ex quibus patet entia materialia omnia quatuor genera causarum exercere posse. Materiale quidem, & Formale, quia datur forma, & materia prima; Efficiens vti iam probauimus. & Finale, quia in eis ratio alicuius boni per se expetibilis inueniri potest.

SECTIO SECVNDA.

De immediata causa productiua accidentium.

PRima Conclusio: Potest substantia creata 7
producere immediatè per se ipsam aliqua accidentia in se ipsa. Est contra nonnullos, qui negant substantiæ creatæ omnem virtutem immediatè producendi aliquod accidens.

Probatur autem, quia experientia constat aquã calefactam, remoto calefactiuo, paulatim frigefieri; sed non potest assignari à qua alia causa productio huius frigoris immediatè procedat, nisi à substantia ipsius aquæ: ergo potest substantia creata immediatè in se ipsa producere aliquod accidens. Maior patet. Minor verò probatur adducẽdo varias causas in particulari, quas Aduersarij assignant, easque improbando. Primò enim Iauellus respondet aquam habuisse à generante quandam qualitatem occultam, à qua procedit illa frigiditas, & in vniuersum omnem substantiã corpoream initio suæ productionis habere simul cum forma substantiali similem qualitatem occultam, cuius beneficio iacturam suarum primarum qualitatum reparare possit.

Sed contra est, quia tunc possemus ad huiusmodi qualitatem occultam recurrere, quando cõstaret nobis non posse substantiam per se ipsam vllum accidens in se producere: atqui hoc non modo non constat: sed oppositum nobis suadet summa proportio, quam habet substantia in ordine ad producendas in se suas proprietates; ergo &c.

Secundò alij recurrunt ad Deum dicentes cau- 8
sam primam ad exigentiam ipsius aquæ illam frigiditatem in ea producere, sicuti de facto eam producit in speciebus consecratis Vini, quando 1
ex calidis se in pristinam frigiditatem reducunt. Contra tamen est, quia si hæc responsio procederet, negare possemus rebus creatis omnem efficientiam, dicendo omnes prorsus effectus, quos videmus, à Deo tantummodo ad exigentiam creaturarum suarum produci. non enim excogitari potest maior ratio in cæteris, quam in nostro casu. Neque exemplum ex Eucharistia desumptum habet vim, quia ibi Deus ad occultandum miraculum producit frigiditatem illam, supplendo defectum substantiæ Vini, quæ si adesset, deberet illam producere. At in casu nostro habetur substantia aquæ; ergo &c.

Tertiò respondet Toletus frigus in aqua sic 9
aere

aere ambiente produci. Sed contra, quia aer est natura calidus; ergo quantum est de se, non habet vim infrigidandi aquam illam. Dicere autè quod id faciat medijs particulis tenuissimis aquæ, & terræ, quæ enim frigidissimæ sint, in ipso aere delitescunt, incredibile est. Quomodo enim dictæ particulæ præualere possunt cõtra feruorem æstiuum aeris, in quo sunt, & contra calorem aquæ feruentissimæ, ita vt ab illo se tueantur, hunc verò corrumpant? vel cur non sicuti aquam, ita & aerem refrigerant? Profectò ea, quæ pro libito dicuntur, multis oppugnationibus sunt obnoxia.

10 Quartò denique dici potest, aquam quantumuis calidissimam semper in se conseruare aliquid frigoris, cuius beneficio remoto contrario agente, pristinum statum paulatim recuperet.

Sed contra manifestè, quia sic qualitas ex remissa posset fieri per se ipsam intensa. Quod non solùm est contra omnem experientiam, sed omni bonæ philosophiæ repugnat; nam eo admisso ad habendum calorem intensum vt octo in aliquo subiecto, satis esset, si primus gradus in eo produceretur: nam hic paulatim se ipsum intenderet, & vsque ad octauum gradum augeret.

11 Secunda Conclusio. Potest accidens producere per se ipsum aliud accidens non solùm in subiecto, in quo est, sed etiam in extraneo, & hoc sine consortio substantiæ cui inhæret.

Tria habet assertio. Probatur autem quo ad singula. Et primò quidem, quod vnum accidens possit producere aliud in subiecto, in quo est: nam primæ qualitates sunt productiuæ secundarum in proprijs subiectis; sic calor productus in aqua illam rarefacit. Quod si dicas raritatem illam immediatè fuisse causatam ab igne, sicuti fuit causatus calor. Contra est, quia experientia constat, quod si aqua ebulliés remoueatur ab igne, per aliquid temporis spatium feruescit. Porrò hæc efferuescentia sine nouæ raritatis productione haberi non potest; fit enim per hoc, quod modò minorem locum occupat in illa modo maiorem: quémadmodum enim minoris loci occupatio prouenit à densitate, quam aqua causat in se: ita & maioris à raritate, quæ cum sit innaturalis aquæ, & ignis sit remotus, non nisi à calore in ea existente causari potest. Confirmatur ista sententia admittentium virtutem impressam, hæc est accidens, & causat in proiectis motum localem, qui est pariter accidens. Constat igitur posse vnum accidens producere immediatè per se ipsum aliud accidens in subiecto, in quo reperitur.

12 Quod verò possit etiam in alieno subiecto (quæ erat secunda pars assertionis) suadetur ex eo, quia calor, qui est in aqua calefacit manum. sed non, nisi per calorem in ea causatum ab igne; ergo &c.

Quoniam verò certum est in huiusmodi productione calorem, qui est in aqua, ab aquæ substantia minimè adiuuari: hinc remanet probatũ, quod tertio loco dicebamus, nimirum accidens posse se solo immediatè producere accidens in alieno subiecto. Verùm hæc videntur certa, illud autem controuersum, num scilicet substantia habeat virtutem producendi immediatè in subiecto extraneo aliqua accidentia, quæ potest in se ipsa producere; num v. g. ignis possit producere immediatè per suam substantiam calorem in aqua simílem illi, quem producit in se.

Nostra Conclusio est negatiua contra Ouiedũ 13
controuersia 9. physic. puncto 3. & Arriagam *disp. 11. physic. sect. 2. subject. 2.* defenditur tamen à Suarez *disp. 18. metaph. sect. 5. num. 5.* & ab alijs communiter existimantibus in hoc Aristotelem sequi, qui *lib. de sensu, & sensibilibus cap. 4.* negat corporibus actionem, & passionem secundùm substantias suas, sed soùm secundùm qualitates, sic: Ignis igitur vt ignis, ac terra vt terra nihil agere, aut pati nata sunt, neque aliud quidpiam; quatenus autem in ijs inest contrarietas; eatenus omnia agunt, & patiuntur.

Probatur autem primò nostra Conclusio: quia sine sufficienti fundamento non debemus rebus creatis perfectionem aliquam peculiarem concedere; sed nullum habemus huiusmodi fundamẽtum concedendi substantijs creatis vim immediatè producendi in alieno subiecto accidentia, quæ in se producere possunt; ergo ne temerè procedamus, non debemus illis eam vim concedere.

Ad hoc argumentum respondet Ouiedus, negando minorem, & dicendo sufficiens fundamentum esse: quod ex vna parte calor siue producatur immanenter, siue transeunter, sit eiusdem speciei atomæ: ex alia verò quod modus transeunter operandi non excedat virtutem intrinsecam ignis. Ex quo patet non esse cur negemus illi hanc vim calefaciendi subiectum extraneum.

Sed contra est, quia licèt verum sit calorem transeunter productum non differre specie ab eo, qui producitur immanenter: modus tamen procedendi est formaliter diuersus, vt de se patet. Porro ad concedendum substantiæ modum transeunter operandi non sufficit ostendere, quod dictus modus eius virtutem intrinsecam non excedat entitatiuè; alioquin ad probandum, quod vna res v. g. Equus posset producere aliam, videlicet, muscam, satis esset ostendere, quod virtus productiua equi quo ad entitatem non sit ignobilior musca. Requiritur ergo præterea ostendere, quod non excedat formaliter, hoc est, quod modus transeunter operandi accidẽs contineatur in virtute operatiua substantiæ. Quod quia non potest Auctor positiuè probare, idcirco eius solutio nulla est.

Paulò aliter discurrit Arriaga *loco citato num.* 14
17. sic: Modus operandi transeunter aliquid non est perfectior modo operandi idem immanenter, Sed ignis potest producere calorem immediatè in se ipso immanenter; ergo etiam in altero passo transeunter, si ei applicetur.

Contra tamen est primò: quia non valet hic discursus: Modus cognoscendi mysterium Trinitatis obscurè non est perfectior modo illud cognoscendi clarè. Sed lumen gloriæ potest causare cognitionem mysterij Trinitatis claram per intuitionẽ; ergo poterit etiam cognitionem eiusdem mysterij obscuram. Neque igitur valebit discursus Auctoris. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia sicuti in casu nostro habetur idem calor diuersimodè productus, hoc est immanenter; & transeunter, ita & in simili habetur idem Deus diuerso modo cognitus, hoc est clarè, & obscurè.

Por-

Digitized by Google

Porrò ratio insufficientiæ discursus à priori est, quia ad hoc, vt aliqua causa probetur extendere posse suam virtutem ad aliquem peculiarem modum operandi vnum effectum, non sufficit ostendere, quod de facto possit illam extendere ad aliũ modum operandi eundem effectum vel nobiliorem, vel æquè nobilem; sed necesse est directè probare, quod de facto possit eam extendere ad illũ modum diuersum.

15 Contra etiam est secundò; quia modus producendi calorem transeunter, cæteris paribus, videtur esse perfectior modo producendi eum immanenter. ergo nulla responsio. Antecedens suadetur primò: quia magis accedit ad modum efficienter operandi primæ causæ, quæ omnem virtutem suam effectiuam non nisi extra se exercere potest. Secundò, quia limpidius, & perfectius illi competit definitio causæ efficientis ab Aristotele tradita, quod nimirum sit (id vnde) hoc est vt explicauimus *in Physicis*, sit principium extrinsecè tribuens esse effectui. Tertiò denique, sicuti agès quo remotius potest agere, eo cæteris paribus validius existimari debet illa substantia, quæ producere potest aliquod accidens, tum in se ipsa, tum in alio subiecto sibi immediatè applicato, ea, quæ id potest in se ipsa tantùm: siquidem huius virtus magis imbecilla est, magisque restricta. Contra vero virtus illius amplior, & robustior, adeoque sine positiua ratione minimè concedẽda substantijs, quas de facto habemus.

16 Probatur secundò Conclusio. Si substantia haberet virtutem producendi immediatè in alieno subiecto ea accidentia, quæ in se ipsa producit: sequeretur, quod calor ab igne v.g. in manu productus, indiuisibiliter produceretur immediatè tum à substantia ignis tum a calore in eo existente sed hoc est falsum. ergo &c. Huius argumenti negat sequelam Arriaga. Contra verò Oviedus ea admissa, negat minorem. Probatur igitur primo sequela contra Arriagam, quia quoties plures causæ habent virtutem producẽdi aliquem effectum, si simul applicentur passo, partialiter concurrent ad producendum illum; & quamuis quælibet ex eis possit illum causare totaliter: attemperant nihilominus suam virtutem, vt simul concurrant; ergo si substantia ignis haberet virtutem producendi calorem, applicata meæ manui influeret vna cum calore, quæ in ea est ad calefaciendam manum.

17 Ex his, quæ habet Auctor ad suam sententiam probandam, distinguendum est antecedens, & si quidem plures illæ causæ sunt æquè proportionatæ ad illum effectum producendum, conceditur. Si non sunt æquè proportionatæ, negatur quia tunc, inquit, sola causa magis proportionata produceet effectum. Quoniam verò calor, qui est in igne est magis proportionatus ad producendum calorem, quàm ipsa substantia ipsius ignis: (ambo enim vt constat in ratione specifica caloris conueniũt); hinc negatur consequentia. Sed contra hanc distinctionem facit primò, quia falsum esse, vt plures causæ concurrant ad eundem effectum requisiti, quod sint æquè proportionatæ ad illum producendum, suadetur ex eo, quia maior proportio, quam habet vna causa non potest impedire influxum alterius causæ, quantumuis minus proportionatæ; de facto enim quando plures concurrunt ad trahendam nauem, qui robustior est maiorem habet proportionem ad illum effectum, & per hoc tamen non sequitur, quod imbecillior non concurrat simul cum illo ad dictum effectũ, nimirum ad tractionem. & rectè, causa enim quantumuis minus proportionata, hoc ipso quod habet virtutem ad producendum effectum, & est debitè applicata censetur facere vnum principiũ productiuum cum ea, quæ supponitur habere maiorem proportionem. Quare sicuti si eadem causa vtramque virtutẽ haberet, proculdubio per vtrãque attemperatam influeret; ita etiam per eandem influere debent plures, posito quod illam habeant inæqualiter dispertitam. Confirmatur id, quod dicimus: quia causa imbecillior ad præsentiam robustioris adiuuatur, ita ut etiam si non potuerit se sola effectum producere, simul tamen cum illa possit. sed causa minus proportionata non est nisi imbecillior, magis verò proportionata robustior; ergo &c.

Contra secundò: quia si substantia ignis haberet vim producẽdi in extraneo subiecto calorem, esset magis proportionata, quam calor in ea existens; ergo stante hac responsione, potius ignis substantia deberet manum calefacere, quam calor, qui in ea est, quod Aduersarius non admittit. Antecedens suadetur, quia maior proportio inter causam, & effectum sumenda est ex maiori, & excellentiori virtute ad agendum, & non ex specifica conuenientia, quam cum illo habet. sed nobilior, & validior est, cæteris paribus, virtus causæ aquiuocæ cuiusmodi esset substantia ignis, quam vniuocæ nimirum caloris; ergo substantia ignis esset magis proportionata, quàm calor. 18

Contra denique tertiò: quia si hęc minor proportio substantiæ actionem in externum passum penitus impediret: sequeretur, quod vel numquam substantia ageret per se ipsam transeunter, vel quod tunc solùm ageret, quando non posset per qualitatem, quæ censetur esse magis proportionata effectui. Sed neutrum dici potest; ergo &c. Maior est certa, Minor suadetur, & quidẽ quantum ad priorem partem claret, quia sic frustra data esset à natura virtus hęc substantię huiusmodi qualitates transeunter producendi. Neque dicat Arriaga *n.* 17. sufficere, quod ignis carens miraculose calore, si applicaretur alicui passo, illud calefaceret. Nam numquam natura concessit rebus naturalibus virtutem, quam non possunt naturaliter, sed solùm miraculosè in actum reducere. Quo ad verò posteriorem partem eadem minor euincitur ipsa experientia; nunquam enim experti sumus aquam feruentem frigefacere manum; deberemus autem id identidem experiri; quia tunc vis frigefactiua substantiæ aquæ non impediretur à frigore in se existente, quo minus vires suas ad frigefaciendum explicaret. Quod si dicat cum aliquibus, ideo aquam non frigefacere manum, quia occupatur in reducendo se ad pristinam frigiditatem. Contra est, quia agens non impendit omnes suas vires in partes vicinas suæ sphęræ, vt nihil agat in remotas; sed suppono manum esse in medio aquæ, atque adeò intra sphæram actiuitatis illius; ergo deberet aliquid frigiditatis à substantia aquæ recipere. Quod si ma-

si mihi respondere cum Quiroga, & alijs, ideo impetum non frigefieri ab aqua, quia sic moueretur duobus motibus contrarijs; siquidem calor in aqua existens, iam illam tunc calefacit. Contra etiam est: suppono enim manum esse tam intensè calidam, quam est aqua; sed in hoc casu non calefieret à calore aquæ; ergo deberet frigefieri ab eius substantia, quod cum non accidat, eúdem est substantiam aquæ non habere virtutem producendi in alieno subiecto frigiditatem, quã in se producere potest.

20 Atque hæc ad probandam sequelam maioris argumenti principalis contra Arriagam. Probamus nunc, si placet, eius minorem contra Quiroga assertionem ad calefaciendam aquam non solùm assuere calorem, qui est in igne, sed etiam ipsam substantiam ignis immediatè, & per se. Experientia constat frigiditatem siue sit in subiecto apto illam in se producere, vt in aqua, siue in inepto vt aere, si cætera sint paria, eodem modo nos infrigidare. Idem constat de calore, siue demum sit in aqua, siue in igne; neque enim ex eo, quod sit in igne citius, & validius operatur. Imò verò si ignis materia rarefacta, vt stuppa, calore aquæ in actiuitate quantum ad velocitatem superatur. Quam experientiam, nisi dicamus substantiam ignis non concurrere simul cum calore ad calefaciendum transeuntem, saluare non possumus. Si enim possemus, maximè per hoc, quod calor aquæ existens in densiore materia applicatur secundùm plures partes ad agendum in eandé partem passi; sed si flamma ageret non solùm per calorem, sed etiam per propriam substantiam, secundùm vtrumque principium applicaretur eidé parti passi; ergo saltem æquè valide agere deberet. Quod si quis contenderet aquam esse plus quam duplo crassiorem flamma, deberet hic aduertere calorem in flamma esse coniunctum cum siccitate, quæ illam valde acuit; in aqua verò cum humiditate, quæ illum habet remissum. Item in flamma esse intensiorem, & remissiorem in aqua. Quæ omnia deberent ad minimum facere, vt æquali vi calefaceret calor, siue in aqua existeret, siue in flamma ex suppositione, quod ijs flamma ab eius substantia adiuuetur. At verò si oppositum sustineamus, optimum habemus caput, in quod inæqualitatem roboris refundamus dicendo, quod cũ calor tum in aqua, tũ in flamma se solo agat, quia tamen in aqua ratione densitatis plures partes sunt applicatæ ad agendum, ideo agit validius non tantamen validitate, quanta, si esset cum siccitate coniunctus, & si maiorem haberet intensionem.

Obijcies: Piper, & vinum producunt in alieno subiecto maiorem calorem, quam habeant in se formaliter; sed hoc non faciunt, nisi per suam substantiam immediatè; non verò per qualitatem aliquam occultam, quia hæc tanquam superflua esse ableganda; ergo substantia potest immediatè per se ipsam transeuntèr causare calorem. Respondent Nostrates veram esse consequentiam, sed eam non repugnare præcedenti Conclusioni, in qua solùm negauimus substantiæ virtutem producendi transeuntèr illa accidentia, quæ possit in se immanenter producere. Nam piper & vinum licèt sint capacia habendi tantum caloris formaliter, quantum possunt in aliquo subiecto producere; non tamen possunt in eadem intensione illum in sapore producere. Vnde non est mirum, si illum transeuntèr producant per propriam substantiam. Ego verò dicerem huiusmodi corpora esse valde heterogenea, & constare ex quibuscunq; tenuissimis partibus, quæ exigunt in se habere calorem sere in flamma, & ex alijs frigidissimis; quæ cum valdè crassæ, ac terreæ sint, impediunt, ne substantia tenuissimarum in se producat calorem in ea intensione, quam exigit. At si semel ab extrinseco dicta corpora calefiant, cum eorum crassiores partes à sua naturali statu remotæ in contrarium habitum conuertantur, non possunt amplius impedire, ne substantia tenuissimarum eorum calorem, quem exigit, in se producat. Quid vltra peractum est actione declarata partium ignis calefactarum crassiores magis, ac magis inæstefaciunt, vnde est, vt vna cum illis agant in stomachum, & illum valde calefaciant. Ex quo deducimus piper, vinum, & similia corpora numquam producere in stomacho maiorem calorem illo, quem habent in se formaliter, adeoque falsam esse maiorem argumenti, & in illis quoque verificari, quod non producant per substantiam suam immediatè transeuntèr calorem, sed mediante calore, quem supponimus prius in se immanenter produxisse.

Reliquæ Aduersariorum obiectiones solutæ sunt à nobis respondendo instantijs, quas ex eorum doctrina contra nostras probationes adduximus.

SECTIO TERTIA.

De causa immediatè productiua substantiæ materialis, quæ generatur.

Refertur primum sententia

NOn agimus de causa productiua substantiæ, quæ se habent vt principium agendi vt quod; hanc enim constat esse substantiale suppositum tantæ illud communis proloquium: actiones sunt suppositorum. Sed de ea, quæ se habent vt principium vt quo, æque omnium tamquam ab aliqua virtute generatio substantialis, seu substantia ipsa, quæ generatum immediatè procedit, esse ex virtute esse debeat aliqua prius suppositi, vt effectus, qui ab illa proxima dicto supposito tamquam principio vt quod tribuit potest.

Iam verò in tres classes redigi possunt Auctores, qui diuersimodè de huiusmodi virtute immediatè operatiua substantiæ opinati sunt. Prima est eorum, qui falsò supponunt dari substantiam illam, cui dictam virtutem attribuunt. Secunda illorum, qui non erant circa subiectum, vere enim dicatur id, quod asserunt, vt operatiuum principium substantiarum effectum, sed cum manifesta absurditate vim immediatè, & per se productiuam huiusmodi effectuum illi concedunt. Tertia denique clarius est eorum, qui & asserunt primò pro operando substantiæ id, quod reuera datur in rerum natura, & in concedendo illi dictam virtutem, probabiliter procedunt. Ad primam classem pertinet Plato, qui formarum substantialium productiones attribuebat suis ideis separatis; Aristoteles, qui intelligentiis, seu Choricis; Phi-

Digitized by Google

Philoponus, qui fuerunt tali naturæ artifici, & denique Themistius, qui animæ mundi, vt refert Bartholomæus Amicus *tract. 2. disp. 2. quæst. 10.* Hi enim omnes posito quod putabant huiusmodi entia, quibus virtutem hanc concedebant esse aliquid distinctum à Deo, vt multi dicunt, errabant circa subiectum ipsius principij operatiui, atque adeò eorum responsio erat de subiecto non supponente, quia nullum datur in rerum natura huiusmodi ens, quod ipsi supponebant.

83 Secunda Classis est Aucto*ris primo de generat. quæstione*, qui ait omnes formas substantiales, quæ de nouo fiunt, produci à solis substantijs cœlestibus. Sed nonnulli alij, qui putant causari à solis intelligentijs cœlestes orbes circumuoluentibus. Hi enim quamuis non inducant in rerum natura subnixa, quæ de facto non sint, manifesta tamen absurditate illis ex rõcedunt virtutem immediatam substantias producendi, vt eam omnibus corporibus sublunaribus negent. Cum enim ex vna parte supra probauerimus cum communi dari de facto in huiusmodi corporibus virtutem effectiuam multorum effectuum, ex alia verò videamus eam sufficientem habere proportionem ad alias substantias producendas, & quidem non minorem, quam ad producenda accidentia; euidenter deducitur ex suppositione quod illis concedimus virtutem productiuam accidentium, non posse negari virtutem productiuam formarum substantialium. Quis enim non videat tam esse proportionatum vnum caput agentem alium, quam vnum ignem ad alium ignem producendum.

In tertia denique Classe sunt primò Scotus, qui vult substantias creatas esse ex se, & immediatè actiuas alterius substantiæ, & quidem tamquam principia adæquata in suo genere causarum secundum esse, quod non egeant indigentiam concursus primæ causæ in ordine ad operandum, sic habes *in primum 2. distinct. 3. in 4. dist. 12. quæst. 3.* quem sequuntur Scotistæ cum Durando *dist. quæst. 4.* Dapino *de materia quæst. 8.* Vallecio *centurum 3.* Hurtado *quæst. 5. de Anima disp. 11. physicorum sect. 5. subsect. 2.* Quiendo *centurum 9. phys. punct. 6.* & alijs. Pro cuius sententiæ explicatione nota tria in compositis substantialibus habere primum est materia prima secundum formam substantialem, certum substantiandi modum, nimirum existentiæ, siue etiam subsistentiæ, & in plurium sententia vnio distincta. Porrò Scotista hanc vim attingendi immediatè substantiam non identificant cum materia prima, quia hæc est pura potentia passiua, neque cum aliquo modo substantiali, quia modus, vt proximè entitatis non est capax virtutis operatiuæ, quæ de se importat perfectionem rei, sed cuiusmodi forma substantiali, quam dicunt esse principium quo suppositum substantiale immediatè substantialiter operatur.

84 Secundum locum tenet Suarez, quem multi Recentiores sequuntur. Hic enim *disp. 18. metaphys. sect. 2. numero 14.* opinatus ad productionem substantiæ concurrere immediatè cum substantiali formam, cum etiam accidentia, ita vt ex vtrisque fiat vnum adæquatum principium, cui immediatè adæquatè productiua substantiæ identificetur.

In tertio denique loco reponendus est S. T. qui docet ad productionem substantiæ sola accidentia immediatè concurrere, non quidem vt causam principalem, sed instrumentaliter tantùm, & vt virtutes substantiæ, atque adeò substantiam ipsam esse causam principalem, sed remotè, & mediatè concurrentem, eo quod careat vi immediatè substantiam producendi. Hanc sententiam docet S. Doctor *3. p. quæst. 77. art. 3. ad 3.* sic Immutatio, quæ est ad formam substantialem, non fit à forma substantiali immediatè, sed mediantibus qualitatibus actiuis, & passiuis, quæ agant in virtute formæ substantialis. Sed clarissimè *in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 3. quæstiuncula 2.* sic: In actionibus naturalibus formæ substantiales non sunt immediatum, & proximum actionis principium, sed agunt mediantibus qualitatibus actiuis, & passiuis, sicuti proprijs instrumentis, vnde dicitur *secundo de anima tex. comm. 70.* quod calor naturalis est, quo anima agit, & ideò qualitates non solùm agunt virtute propria, sed etiam virtute formæ substantialis. Vnde earum actio non solùm terminatur ad formam accidentalem, sed etiam ad formam substantialem. Hac S. D. quem sequuntur Thomistæ, & ex nostris Vasquez *prima parte disp. 195. cap. 11. numero 10.* Perrerius *in physic. lib. 8. cap. 1.* Rubius *tract. de causa efficiente quæst. 6. numero 56.* & *in commentarijs excusis Complut. 1613.* Conimbric. *physic. cap. 7. quæst. 18.* Maurus *lib. 39. philosoph. quæst. 21.* Mazziotta *tom. 1. quæstion. physicos. quæst. 14. sect. 3.* & alij.

Nostra Conclusio est cum hac tertia sententia tertiæ Classis. Negamus enim substantiæ creatæ omnem vim immediatè efficiendi aliam substantiam, & illam solis concedimus accidentibus. Ad eam autem propugnandam abstinebimus à confutatione ceterarum sententiarum, quæ in duabus præcedentibus classibus continentur. Earum enim absurditas ex his, quæ obiter dicta sunt, sufficienter apparet. Solùm igitur sententiæ Scotistarum & sententiæ Patrum nostræ in probabilitate præualere contendemus ostendere.

SECTIO QVARTA

Expenduntur rationes Recentiorum.

IAm verò ad eam probandam primò Nonnulli Recentiores sic discurrunt: si substantia creata posset immediatè ex se ipsa aliam substantiam producere, sequeretur, quod haberet virtutem actiuam purè perfectam nulli prorsus imperfectioni admixtam: Sed hæc virtus est propria solius Dei, neque adeò creatura repugnans; ergo repugnabit etiam substantiam creatam posse immediatè ex se aliam substantiam producere. Sola sequela huius argumenti probatione eget, quæ sic deducitur: ex vna parte cum huiusmodi virtus esset actiua haberet rationem actus, alias non posset vis productiua omnium competere Deo, qui est actus purissimus, omnem à se potentialitatem excludens; Sed omnis actus est perfectio; ergo huiusmodi virtus esset perfectio. Ex alia verò parte esset irreceptibilis; ergo esset purè perfecta, nulli prorsus imperfectioni admixta. Huius se-

Digitized by Google

secundæ partis consequentia patet, quia omnis imperfectio, vel est potentialitas quæ potentiam receptiuam importat, vel est ordo ad illam, quæ dicit actum receptibilem; sed iam probauimus huiusmodi virtutem non esse potentiam receptiuam; ergo hoc ipso, quod esset actus irreceptibilis non dicens ordinem ad potentiam receptiuam, esset purè perfecta, ab omni prorsus imperfectione se iuncta. Antecedens ergo quod esset irreceptibilis probatur: quia si esset receptibilis, vel respectu formæ substantialis receptibilis esset, & hoc non: quia ponitur identificata cum illa, vel respectu materiæ, & hoc neque: quia cum materia prima nullo modo sit ordinata ad agendum, non potest respicere virtutem actiuam, tanquam actum suum; ergo neque poterit dicta virtus illam respicere tamquam suam potentiam; & sic huiusmodi virtus esset irreceptibilis omnino, atque adeò purè perfecta omnem à se imperfectionem excludens, quod erat probandum.

26 Sed hic discursus non videtur solidus: rectè enim possunt Aduersarij negare sequelam, quod nimirum huiusmodi virtus actiua identificata substantiæ esset purè perfecta, nulli prorsus imperfectioni admixta; & ad eius probationem, admisso illo principio, quòd omnis imperfectio vel est potentialitas, vel dicens ordinem ad potentiam: respondere possunt, vtramque imperfectionem hanc vim productiuam includere. Et primò quidem imperfectionem potentialitatis, quamuis enim de suo conceptu præscindente à ratione creati, & increati, dicat rationem actus, & perfectionis nullam de se potentialitatem positiuè inuoluentis, & propter hoc reperiatur in Deo: verè tamen quatenus contrahitur per rationem creaturæ, induit potentialitatem. non quidem illam, quę identificatur materiæ primæ, sed eam, quę est in ordine ad existentiam. Ad eum planè modum, quo ratio substantiæ intellectiuæ, quæ de se dicit solam rationem actus, & perfectionis, atque adeò reperitur in Deo; nihilominus tamen in Angelis contrahit imperfectionem potentialitatis metaphysicæ, quatenus respicit existentiam, tanquam vltimum actum, qui potest sibi adesse, & abesse. Vnde fit, vt non obstante, quod dicta virtus productiua substantiæ esset actus, non esset purè perfectus, sed potentialitati proximus.

27 Quod verò etiam imperfectionem ordinis ad potentialitatem inuolueret, probari potest ex eo, quia identificatur cum forma substantiali, sed forma substantialis dicit ordinem ad materiam primam, quæ est maxima potentialitas; ergo etiam dicta virtus diceret ordinem ad potentialitatem. Quod si dicas eam hunc ordinem non importare formaliter, quatenus scilicet virtus operatiua substantię est; sed solùm identicè, quatenus identificatur cum forma substantiali: non est tutum effugium, quia hoc, quod est ordinari ad materiam entitatiuè, & identicè, est imperfectio aliqua positiua, impediens, ne actus, cui immiscetur, sit pure perfectus omnem à se imperfectionem excludens. Quod si addas, ex hoc rectè deduci huiusmodi virtutem non posse cum forma receptibili identificari: nihil proficies. Tunc enim hæc sequela solida esset, quando reluceret in dicta virtute prædicatum aliquod à se positiuè talem identificationem excludens: quod non habetur in casu nostro, quamuis enim quatenus illa, ab hac identitate præscinde, ab huiusmodi etiam ordinis imperfectione præscindat: adhuc tamen non intelligitur positiuè purè perfecta, omnem imperfectionem à se positiuè excludés; nisi etiam intelligatur per aliquod prædicatum positiuum, innibilis, & inidentificabilis cum dicta imperfectione. Quod quia nequit in casu nostro assignari, ideò non sequitur, quod si substantia creata identificaret sibi huiusmodi virtutem, haberet ex se vim actiuam purè perfectam nulli prorsus imperfectioni admixtam.

Alij verò Recentiores eandem nostram sententiam in hunc ferè modum probant secundò. 28
Substantia est essentialiter ratio absoluta, & prima; sed potentia immediatè operatiua alterius substantiæ dicit essentialiter esse rationem respectiuam, & consequentem; ergo implicat, quod substantia habeat sibi identificatam potentiam immediatè operatiuam alterius substantiæ. Consequentia patet, quia repugnat, quòd rationes inuicem oppositę in eandem coeant entitatem. Aliàs quis diceret, quod eadem res possit esse spiritualis, & corporea; rationalis, & irrationalis, &c. Maior igitur argumenti suadetur, & quidem quod substantia sit essentialiter quid absolutum patet, quia est ens per se subsistens, sibique sufficiens, quod non haberet, si ordinaretur ad aliud. Siquidem ad sui esse exigeret aliquo modo id, ad quod ordinaretur. Præterea quod sit etiam de se quid primum, suadetur, quia debet esse primum subiectum, & prima radix omnium, quæ sunt in subiecto. Minor vero probatur, siquidem virtus immediatè operatiua ex vna parte dicit essentialiter ordinem ad effectum, quem habet posse producere: ex alia verò parte est essentialiter quid consequens ad principium operatiuum, cui tamquam virtus debita est; ergo &c.

Sed neque hæc ratio subsistit. Respondere enim Aduersarij ad maiorem possunt, substantiam importare essentialiter rationem absolutam ab ordine prędicamentali; non verò à transcendentali. Item importare primitatem non respectu cuiuscumque, sed solùm respectu cæterarum formarum accidentalium, quibus ipsa substantia subsitat, & subijcitur. Quod constat ex eo, quia substantia creata, qua talis est, & dicit ordinem transcendentalem ad Deum, & eum tamquam fontem totius possibilitatis creatę præsupponit. Quod quidem est verissimum: nec aliud euincit maioris probatio. Ad minorem verò adderem: potentiam immediatè operatiuam includere essentialiter rationem respectiuam transcendentaliter: nec non etiam rationem consequentem ad essentiam, cuius est formaliter virtus; & hoc solùm minoris probationem euincere; cum quo stat, quòd dicta virtus, & non sit prædicamentaliter respectiua, & sit prima respectu omnium formarum accidentalium, quibus ipsa substantia, cui identificatur realiter, substati. Quoniam verò hæ rationes consequentiæ, & ordinis non repugnant, cum rationibus primitatis,

primitatis, & perfeitatis, seu absolutionis ab ordine, quas essentialiter includit substantia, vt de se patet: hinc fit, vt neque repugnet huiusmodi virtus immediatè operatiua substantiæ cum ipsa substantia causę identificata. Quia verò Auctores dictę rationis hanc responsionem redarguere possent dicendo: substantiam respectu solius primæ causæ consequutionem, & ordinem habere posse: non verò respectu alicuius alterius; ideo ego breuius hoc effugium precludendo, ad argumentum distinguerem maiorem, sic: Substantia essentialiter importat primitatem. & absolutionem ab ordine, modalem, concedo: absolutam, nego maiorem; & distinguerem eodem modo minorem: potentia immediatè operatiua substantiæ includit consequutionem, & ordinem, modalem, concedo: absolutum, nego minorem, & consequentiam. Ad cuius probationem dicerem, duplicem dari oppositionem: vnam absolutam, alteram modalem. Absoluta est, quoties vnum ex oppositis excludit aliud absolutè, ab entitate sua; ita vt implicet identificari cum illo; modalis verò est, quoties vnum oppositum excludit quidem aliud ab entitate sua non absolutè, sed quantum est de se, & ex vi eorum, quæ de suo conceptu formali essentialiter includit; quidquid sit, si entitas, in qua est ratione suæ amplitudinis, illud sibi identificet. Prior oppositio reperitur inter rationes spiritus, & corporis: rationalitatis, & hinnibilitatis, & similes, quę implicat contradictionem, vt in vnam coeant entitatem. Posterior verò habetur inter rationes fidei, & scientiæ, inter visiones albi, & nigri, & similes. Quamuis enim ratio fidei excludat actu, cui identificatur, claritatem, & euidentiam; quia tamen id non absolutè facit, sed solùm conditionatè, videlicet ex eo precisè, quia fides quantum est de se debet esse ineuidens, & obscura: Hinc fit, vt non repugnet, quod identificetur cum ratione scientiæ hoc ipso, quod actus ampliatur ad attingendum idem obiectum, quod creditur sub duplici motiuo, quorum alterum sit fidei, alterum verò scientię. Sic etiam quamuis albedo disgreget visionem: nigredo verò eam congreget: quia tamen disgregatio, & congregatio non absolutè opponuntur, sed tantū modaliter: hinc fit vt possit dari visio, quæ habeat pro obiecto albū, & nigrum, atque adeò simul sit congregata, & disgregata. Iam verò oppositio, quam habent primitas, & absolutio ab ordine requisita à substantia cum consequentia, & ordine à virtute operatiua importatis est huius secundi generis, nimirum modalis, & non primi; & ideò nulla est repugnantia in eo, quod hæ rationes in vnam coeant entitatem, simulque identificentur.

Tertio loco P. Maurus *lib. 3. quæst. 21.* contra sententiam Scoti in hunc ferè modum argumentatur: si substantia corporea aliam substantiam immediatè produceret, non concurrentibus effectiuè accidentibus, sequeretur, quod in rerum natura daretur actio indistans; consequens est absurdum; ergo &c. Probatur sequela, quia tunc datur actio indistans, quando causa producit effectum non tangendo illum, neque secundùm suū suppositum, neque secundùm virtutem suam diffusam in medio; sed Cælum generans plura corpora sublunaria, nimirum metalla, mineralia, & similia, non tangeret talia corpora, neque per suū suppositum, quia verè valde distat ab illis, neque per suam virtutem, siquidem influentiæ, quibus ea tangere posset, iam in sententia Scoti non sunt virtus immediatè productiua substantiæ, sed puræ dispositiones; ergo iam in rerum natura daretur actio indistans.

Communis Scotistarum responsio ad hoc argumentum est, negare sequelam; & ad eius probationem concessa maiore, negant minorem, quantum ad priorem partem; dicunt enim, quod licèt Cælum non tangat immediatè mineralia, & cætera huiusmodi corpora per suum suppositum; non tamen sequitur, quod operetur in distans, quia ad excludendam actionem in distans sufficit, quod causa totalis immediata secundùm suppositum suum non distet ab effectu totali; & quamuis ab eius partibus remotioribus distet, satis est si aliquid in proximioribus operetur conducens ad agendum in remotiores. Quoniam verò effectus totalis Cęli includit non solùm metalla in visceribus terræ producta, & similia mixta sublunaria, sed etiam influentias, seu qualitates accidentales productas in corporibus intermedijs, quæ ad substantiales productiones se habent vt media ad finem: hinc fit, vt etiam si Cælum per suam substantiam generationes metallorum, & fossilium immediatè producat, non tamen operetur in distans. 30

Hanc responsionem Maurus impugnat, dicēdo, tunc sufficere ad excludendam actionem indistans vt effectus totalis non distet: cum prior pars effectus est virtus productiua partis posterioris v.g. in productione luminis per totum aerem, ideò Sol non operatur in distans, quia pars luminis proximior Soli est virtus productiua partis remotioris, quam tangit. Si igitur influentiæ dispositiuæ metallorum non sunt virtus productiua illorum per Scotistas, manifestè deducitur metalla in terræ visceribus per actionem in distans generari. 31

Sed ad hoc negarent Scotistæ antecedens, & rectè; quamuis enim pars proximior effectus nihil agat in remotionem; tamen agens naturale per virtutem sibi intrinsecam, siue hæc sit identificata cum propria substantia, siue non, debet posse immediatè attingere effectum suum secundùm partes proximiores, & remotiores, vti probabimus inferius. 32

Quam doctrinam ipsemet Maurus videtur amplecti dum *quæst. citata* respondendo ad septimū, ait: Accidentia, quæ effectiuè concurrunt ad productionem substantiæ non esse illa, quæ recipiuntur in materia geniti, sed quæ existunt in ambiente extrinseco. Hoc enim falsum esset, si pars ipsius geniti proximior agenti deberet agere in remotiorem, ne agens operaretur in distans iuxta sententiam admittentium resolutionem vsque ad materiam primam, quam ipse tuetur.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO QVINTA

Examinantur alia tres Mazziotta rationes, quibus probat substantiam creatam non esse immediatam producere substantiam.

33 TRibus aliis rationibus perdoctus hic Auctor eandem Thomistarum sententiam probare conatur, quibus ostendit implicare contradictionem sententiam Scotistarum, eas adducit *quæst. illa 15. numero 53.* quarum prima sic se habet. Implicat quod creatura det existentiam quæ sit suum operatio. Sed hoc contingeret, si vna substantia esset immediatè operatiua alterius substantiæ, ergo &c. Maior patet, quia habere existentiam cum propria operatione identificatam, dicunt Theologi esse proprium solius Dei, qui identificat omnia, quæ sunt in eo, & relatiuam oppositionem non dicunt ad inuicem. Minor suadetur, quia sicuti essentia substantiæ est potentia ad existendum, ita & virtus productiua alterius substantiæ est potentia ad operandum illam; sed istæ duæ potentiæ iam essent vna indiuisibilis potentia, ergo & actus, à quibus specificantur, deberent esse vnum quid dicens tum rationem existentiæ, tum rationem operationis. Huius discursus omnia patent præter consequentiam, quæ claret illo principio communiter recepto, quod nimirum quælibet potentia sicuti specificatur, ita etiam vnificatur ab actu sui adæquato; ergo si potentia ad existendum, & potentia ad operandum est vna: etiam existentia, & operatio deberent esse vnus actus; alioquin non possent in talem potentiam refundere vnitatem.

34 Sed facilè Scotista ab huiusmodi ratiocinatione se expedirent: Concederent enim maiorem non quidem propter rationem, quæ ad eam probandam affertur; ex illa enim solùm sequitur operationem Dei immanentem cum eius existentia identificari, non autem transeuntem, de qua quæstio nostra procedit, & rectè id quidem; puto enim non minus repugnare operationem Dei transeuntem identificari realiter cum existentia diuina, quam operationem transeuntem creaturæ cum existentia ipsius creaturæ. Et hoc, quia existentia debet esse valdè intrinseca essentiæ, cuius est existentia. Contra verò operatio hoc ipso, quod est transiens, debet esse extrinseca principio operanti. Vnde tum respectu Dei, tum respectu creaturæ videntur repugnare eorum existentiam cum eorum actione transeunte identificari, nisi Thomistæ supponant actionem semper esse in agente, de quo alibi dictum est. Negarent tamen Scotistæ minorem ad cuius probationem concessa maiore, distinguerent minorem sic: istæ duæ potentiæ iam essent vna indiuisibilis potentia realiter & identicè concedimus; Formaliter negamus minorem, & consequentiam. Ad eius verò confirmationem dicerent illud principium esse verum in sensu formali, non verò reali; & rectè. Quamuis enim verum sit, quod vnius potentiæ formaliter acceptæ vnum sit specificatiuum adæquatum; At vnius realiter supponi nil vetat posse esse plura & quidem adæquata intra pluralitatem potentiæ cum formaliter acceptarum, quæ in veram coeunt entitatem. Neque dicat Mazziotta ex hac responsione sequi, quod intendebam, nimirum existentiam substantiæ, & eius operationem substantialem, identificari ad eum planè modum, quo earum potentiæ identificantur. Negarem enim consequentiam; quia sicuti fiat vnitas numerica potentiæ formaliter acceptæ cum multiplicitate reali actuum sub vna ratione formali contentorum; ita fiat potest multiplicitas potentiarum formaliter acceptarum cum multiplicitate reali actuum sub multiplici item ratione formali respectorum; Verobique enim habetur par ratio; nam multiplicitas formalis actuum solam multiplicationem potentiarum formaliter sumptarum per se loquendo, inducit. Num autem dictæ potentiæ in vnam coeant entitatem, nec ne, nil curat; vnde aliunde id colligendum est. Dixi (per se loquendo) quia quando actus exigunt principia radicalia realiter distincta, etiam exigunt realiter distinctas potentias; Sed hoc est per accidens, vt de se patet.

Aliam dat responsionem huic argumento Poncius Scotista *disp. 9. physic. quæst. 2. numero 16.* dicendo verumque actum respici ab vnica potentia ad eum planè modum, quo plures formæ substantiales ab eadem potentia materiæ primæ, & plures intellectiones ab eadem intellectiua potentia respiciuntur. Vnde concludit potentiam illam vnicam substantiæ primariò respicere existentiam, secundariò verò operationem; in omni autem sententia posse aliquid respicere duo, vnum primario alterum secundario. 35

Sed hanc responsionem primò non procedere probo, assignando disparitatem inter hanc potentiam substantiæ, & alias duas enumeratas, quia nimirum omnes formæ substantiales conueniunt sub vnica ratione formali, quatenus sunt perfectiuæ substantialiter materiæ, & omnes item intellectiones quatenus attingunt obiectum sub ratione vniuersalissima veri. Vnde non est mirum, si illæ ab vnica potentia materiæ, hæ verò ab vnico intellectu respiciantur. At existentia substantialis, & productio alterius substantiæ non videtur posse habere vnicam rationem formalem, in qua conueniant, beneficio cuius possint ab vna potentia diuisibiliter attingi; sed si ab vnica attinguntur, attingi necessariò debent indiuisibiliter, sicuti attinguntur ab habitu fidei diuinæ Dei veracitas, & reuelatio; quæ cum sint eius motiua partialia necesse est, vt quilibet actus fidei ab vtroque indiuisibiliter specificetur; & sic ad minimum repugnaret essentiam substantiæ actuari ab existentia, quin simul substantiam aliquam immediatè produceret; Quod tamen est euidenter falsum.

Secundò eandem responsionem non sibi cohærere probo ex eo: quia aliud est existentiam, & operationem respectu eiusdem potentiæ substantiæ se habere, sicuti plures formas substantiales respectu materiæ, & plures intellectiones respectu intellectus; aliud verò se habere, ut vna primarium, altera secundario respiciatur: quia si priori modo se habent ambæ, æquè primo respiciuntur; contra verò si posteriori, sed respiciantur, quia respiciuntur ab vnico desiderio, efficaci voluntatis Finis, & Media, ergo ad minimum pariter ducta à potentia materiæ, & ab intellectu 36

Digitized by Google

non procedit. Quod si dicat Poncius eam adduci solùm ad probandum multiplicitatem actuum, vt sic vnitati potentiæ non repugnare: cæterùm se velle ex duobus illis actibus vnum primario, alterum secundario à potentia substantiæ respici. Redarguitur tertiò: quia tunc solùm habet locum hæc vnica subordinatorum actuum respicientia, quando vnus se haberet vt medium, & alter vt finis. Sed existentia; & operatio non se habent respectu potentiæ substantiæ cum hac subordinatione; ergo non est, cur ab vnica potentia formaliter respiciantur. Maior huius patet: quia si quæcumque subordinatio inter plures actus sufficeret, dici posset in vno animali vnicam tantùm dari potentiam, quæ primario quidem respiceret existentiam, secundariò verò cæteros actus vitales, & animales, qui cum produci nequeant ab ipso animali, nisi præintelligatur existere censeri deberent respectu actus existentiæ, secundarij. Quod si addat ex Aristotele, habere vnum quodque esse propter operari, atque adeò productionem substantiæ respici ab existentia substantiali, tamquam finem. Contra est, tum quia ipsemet Auctor expressè loco citato, dicit essentiam substantiæ respicere primariò esse, & secundario operari, tum etiam quia iam multiplicitas potentiarum in vna substantia admittenda non esset, vti modo vidimus. Cæterùm quid sibi voluerit Philosophus illis verbis, non constat apud Interpretes. Mihi hæc arridet explicatio, quæ docet particulam (propter) non esse strictè sumendam, quatenus proprietatem causæ finalis importat; sed latè, pro vt significat dependentiam à posteriori, ita vt sensus veluti negatiuus sit, quod quando res naturalis adeò viribus est destituta, vt nihil penitus operari possit neque immanenter, neque transeunter, non est illi amplius debita existentia: positiuus verò, quod debita sit, si aliquid operetur, aut saltem possit operari. Porrò axioma hoc modo explicatum nihil Auctori fauere certum est.

37 Secundò idem Mazziotta sic *n. 61.* argumentatur: Modus operandi eo perfectior est, quo ipsum principium principale operationum perfectius dicit vim actiuam, à qua immediatè ipse operandi modus procedit; Sed nihil ab aliquo dici potest, seu contineri perfectius, nisi quod ab eo dicitur formaliter, & essentialiter; ergo modus operandi per essentiam est omnium perfectissimus; sed si substantia creata esset immediatè ex se operatiua, illi competeret dictus modus operandi per essentiam; ergo implicat substantiam creatam esse immediatè, & ex se operatiuam. Maiorem probat, quia alioquin ex perfectiore operandi modo non posset colligi perfectius esse principij principaliter operantis, contra communem Philosophorum, & Theologorum sensum. Minorem verò suadet ex eo, quia quod essentialiter continetur, non continetur vt quid exterinsecum, & veluti accidens aduenies, sed vt quid maximè intrinsecum principio continenti, ita vt meliori modo ab eo contineri non possit. Cætera verò patent.

38 Sed neque hæc ratio videtur mihi præcedente solidior; Responderi enim potest à Scotistis cæteris integro syllogismo, negando subsumptum, ac dici ex argumento facto solùm deduci, quod tunc modus operandi per essentiam est perfectissimus, ac creaturæ limites excedens, quando vis operatiua essentialiter conuenit principio principaliter operatiuo, ita vt de eo verificari possit, quod operetur per essentiam formaliter sumptam, & non materialiter solùm. Hoc autem non haberi in casu nostro, nam ex eo quod substantia creata sit immediatè operatiua alterius substantiæ, solùm sequitur eius potentiam operatiuam esse sibi identificatam, non autem esse de illius essentia, atque adeò non contineri ea perfectione quæ maior excogitari non possit. Quemadmodum enim putat hic Auctor posse substantiam creatam intra proprios creaturæ limites contineri, & dictam potentiam tamquam proprietatem physicam importet: ita dicent Scotistæ, quod contineatur etiam posito, quod importet illam, vt proprietatem metaphysicam.

Quod si instetur ex multis Theologis, & D. Th. pluribus locis præsertim *quæst. 12. de anima* haberi, quod operari per essentiam sit proprium solius Dei; non apparere autem rationem dicendi, cur hoc intelligendum sit de essentia formaliter sumpta, & non etiam realiter considerata; ergo &c.

Respondebunt negando minorem, & dicent, 39
quod cum diuina essentia sit actus purissimus importans cumulum omnium perfectionum simpliciter simplicium omni meliori modo, quo potest, hinc sit, vt non solùm dicat vim operatiuam sibi identificatam, sicuti dicunt substantiæ sublunares in ordine ad producendas alias substantias, sed etiam illam dicat essentialiter tamquam sibi formalissimè eandem ex parte obiecti; ita vt implicet vnam ab altera obiectiuè præscindi. Quod si cognoscitur à nobis eius omnipotentia tamquam quid ab essentia profluens, sicuti etiam cætera attributa, atq; adeò cum præcisione vnius ab alia: non est putandum huiusmodi præcisionem se tenere ex parte obiecti. Solùm enim se tenet ex parte actus nostri intellectus vnam, eandemque simplicissimam formalitatem imperfectè attingentis. Vnde rectè deduceretur, quod operari per essentiam formaliter sumptam sit proprium solius Dei. Quod verò non sit proprium illius operari per essentiam realiter acceptam probaret ex eo, quia cum hoc operandi modo stat, quod essentia operantis formaliter sumpta, nó sit actus purus inuoluens in suo conceptu essentiali omnem perfectionem simpliciter simplicem omni perfectiori modo, quo potest; Siquidem hanc perfectionem potentiæ operatiuæ iam respicit, vt sibi superadditam: & tamquam aliquid extra se, cuius habet capacitatem, & indigentiam. Vnde rectè deduceretur, quod operari per essentiam realiter sumptã possit competere creatæ substantiæ: quia huius essentia consistit in eo, quod sit prima radix eorum, quæ sunt in supposito, & ideò admittit præcisionem ex parte obiecti à potentia operatiua.

Quod si subinstabit, hanc responsionem fundari in sententia admittente præcisiones obiectiuas, quam multi Recentiores impugnant.

Respondeant primò hoc effugium non posse 40
fauere Auctori, quia ideo ipse negat dari in Deo inter essentiam, & attributa distinctionem formalem Scotistarum, quam in creatis admittit: quia ratio constitutiua Deitatis consistit in esse sim-

simplicissimè includentes totam virtutem, seu latitudinem essendi divini, vt habet quæst. 15. numer. 138. Ex quo deducit Essentiam diuinam non posse formaliter ab attributis distingui, quamuis in creatis vnum prædicatum se distinguatur ab alio; ergo stante distinctione formali, non habet vim argumentum ipsius contra Scotistas. Neque etiam habet vim contra eos, qui loco distinctionis formalis Scoti, quam negant, substituunt distinctionem per intellectum se referentem ex parte obiecti, vt patet à pari; ergo &c.

41 Pro Scotistis respondetur secundò, quod licèt præcisiones obiectiuas quas negat, adhuc debeat asserere, quod operari per essentiam formaliter sumptam sit proprium solius Dei, non verò operari per eam realiter acceptam. Ratio est, quia quamuis verum sit in hac sententia, quod tam Essentia diuina cum creata possint distingui ex parte actus à propria virtute operatiua magna tamen inter vtramque diuersitas reperitur. Nam prædictæ Essentiæ diuinæ, si sumantur eo modo, quo relucent in cognitione illam præscindente ex parte actus ab Omnipotentia inuolunt implicantiam contradictionis ad existendum, non solùm propter identitatem, quam de facto habent cum dicta potentia; sed etiam propter suam formalissimam rationem actus purissimi vt sic inuolentem necessariò omnem perfectionem sibi possibilem omni meliori modo, quo potest. At verò si accipiatur essentia ignis, v. g. pro vt relucet in cognitione præscindente ex parte actus illam à potentia productiua alterius ignis, nihil obstat quidem contradictionem ad existendum sine dicta potentia propter identitatem, quam supponitur habere cum illa, at non propter suam formalissimam rationem essentiæ ignis, quia licèt essentia ignis si qui de facto datur essentialiter exigat identificari cum sua potentia productiua, non videtur ratione repugnare quo minus sit possibilis alia ignis essentia, quæ huiusmodi exigentiam minimè involuat. Hoc autem non habet locum in Essentia diuina, etiamsi enim supponamus per impossibile plures Essentias diuinas esse possibiles, adhuc tamen non esset excogitabilis alia Dei Essentia, quæ non exigeret identificari cum suis attributis, quia hoc ipso esset Essentia Dei, vt supponitur, & non esset, quia non haberet rationem actus puri, vt patet. Ex quo deduceretur, operari per essentiam formaliter sumptam ita competere Essentiæ diuinæ, vt nulli alteri creaturæ competere possit. At non operari per essentiam realiter acceptam, quia cum hoc stat, quod principium principiatum operationis possit non esse actus purus.

42 Tertia denique ratio eiusdem Mazzionis, quam exhibet n. 63. in hunc ferè modum procedit: si substantia creata v. g. ignis esset ex se immediatè alterius ignis productiua, verè in ea reperiretur ratio substantialis, qua constitueretur in esse formali ignis: tum ratio, qua constitueretur in esse productiuo, seu virtuali alterius ignis: modo sic: vel primo duæ istæ rationes in tali entitate adunarentur formaliter, ita vt essent vna formalitas, & hoc non, quia alius est conceptus essendi ignem formaliter, & alius essendi ignem virtualiter; Primus enim importat essentiam ignis; secundus verò vim productiuam alterius ignis. Vel secundo dictæ rationes distinguerentur inter se formaliter tamquam duæ formalitates incomplete subtantiales eandem substantiam componentes. Et hoc neque, quia illæ rationes substantiales quæ ita se haberent non sunt res, seu aliquid ibi, atque adeò implicat contradictionem illas esse, sicut implicat esse animal ratione sui à suis differentijs. Quod non sit dicendum de actu essentiæ ignis, quæ est in duas species complebatum, quia formalitas virtutis operatiuæ ignis deberet esse essentia ignis, tamquam vis operandi alterius, atque adeò intelligeretur nihil quid alterius, sed sic indueret rationem accidentalis, impropriè entis: ergo hæc formalitas non esset incompleta substantialis. Vel denique tertiò hæc formalitas virtutis operatiuæ intelligeretur aduenire formalitati essentiæ ignis, nihilominus tamen eius proprietas ab illa formaliter fluens, atque adeò respectu eius habere rationem accidentis metaphysici, quod dicet comparatiuè sit idem ei substantialiter, sub intelligitur aduenire: formaliter tamen non importet de suo conceptu esse substantiale. Atque hoc neque dici potest primo, quia intellectus non habet fundamentum concipiendi hanc virtutem tamquam accidens metaphysicum, & consequens ad essentiam ignis; ergo falsum est, quod hæc virtus se habeat vt accidens metaphysicum respectu essentiæ ignis. Consequentia patet ex dictis de distinctione. Antecedens verò probatur, quia omne fundamentum distinguendi ea quæ realiter identificantur, & sua perfectione æquiualens multis, habetur à distinctione realis, quæ apparet in illis multis æquiualens; sed iam non habetur à parte rei. Aduersarius nam distinctio inter essentiam substantialem, & virtutem immediatè actiuam alterius substantiæ, ergo intellectus non habet fundamentum concipiendi hanc virtutem vt accidens metaphysicum essentiæ substantialis. Secundò esto quod sit huiusmodi fundamentum à parte rei: non potest tamen explicari quo modo hoc accidentaria virtus cum essentia substantiæ identificaretur. Rursus igitur quartò dicendum duas hasce rationes formales adunari in vna entitate eminentissimo quodam modo ita scilicet, vt non retinendo suas proprias formalitates simplicem immanentiam quodam quod sua plenissima perfectione, & simplicitate eis æquiualeret. Sed hoc est proprium solius diuinæ Essentiæ, in qua licet potentia, sapientia, & cæteræ virtutes secundùm proprias formalitates non existant; existunt tamen in altiori quadam eius formalitate virtualiter earum perfectionibus æquiualente; ergo implicat rationum formalem & virtualem ignis in vnum ens substantiale creatum sic identificari, quod erat probandum.

Verùm ab hac etiam longa enumeratione breuiter se expedire possunt Scotistæ eligendo tertium membrum, nimirum, quod istæ duæ rationes inter se formaliter distinguantur, vt vna intelligatur aduenire alteri iam in sua essentia constitutæ, & tamquam accidens quoddam metaphysicum ab ea profluere; & ad posteriorem quidem rationem in contrariam facili negotio respondebunt, dicendo hanc identitatem essentiæ ignis cum sua virtute operatiua refundi in perfectionem emi-

43 natio

unis substantialis ignis, in qua realiter identificatur. Neque enim est notum dari accidentia metaphysica, quæ ita intelligantur profluere ab essentia, cuius sunt accidentia, vt sint idem realiter cū illa. Ad priorem verò rationem negarent intellectum non habere à parte rei fundamentum sufficiens distinguendi in una entitate substantiali ignis duas illas rationes formales essentiæ, & virtutis operatiuæ. Et ad eius probationem in contrarium distinguerent maiorem sic: Omne fundamentū distinguēdi ea quæ realiter identificātur, & sua perfectione æquiualēt multis, habetur à distinctione reali, quæ apparet in illis multis, quibus æquiualēt ita vt inter ea, quæ cū fundamento in re per intellectū distinguūtur, & ea multa realiter distincta, quibus æquiualent, debeat necessariò esse omnimoda conuenientia secundum vltimas rationes negamus. Ita vt sufficiat aliqualis conuenientia secundum rationes superiores, concedimus; & concessa minore, negamus consequentiam rectè: enim possent asserere, quod ad hoc, vt intellectus habeat sufficiens fundamentum distinguendi in entitate ignis eius essentiam, & virtutem operatiuam, non indigeat inuenire à parte rei has duas rationes realiter inter se distinctas. Sed sufficiat ei si inueniat distinctam essentiam ignis ab aliqua eius virtute operatiua nimirum à calore. Ex hoc enim posset rectè facere sibi gradum concipiendi, quod quemadmodum calor, qui est virtus ignis in ordine ad producendum calorem, vt actus accidens physicum illius, realiter consequens eius entitatem: ita virtus producendi aliam ignis quamuis identificata, possit intelligi, vt accidens metaphysicum respectu essentiæ eiusdem ignis, & vt quid ab ea formaliter profluens. Neque enim videtur aliud esse necessarium ad faciendam hanc distinctionem cum fundamento in re.

SECTIO SEXTA.

In gratiam Scotistarum tria Mazziotta argumenta minùs iam soluta contra eandem sententiam auctorem bifariam retorquentur.

44 QVamuis autem quæ à nobis dicta sunt, sufficiant ad ostendendam leuitatem trium rationum in præcedenti Sectione à Mazziotta allatarum; Placet nihilominus vlterius ostendere eas militare etiam contra omnes eos, qui tenent vim productiuam substantiæ identificari eum accidentibus, atq; adeò tela aduersus Scotistas contorta cōtra ipsum contorquentē resilire. Quod nos duplici via præstabimus, quarum prima ducitur ex paritate accidentis sic: tres rationes allatæ, siquid probant, euincunt, neque accidens posse producere immediatè substantiam; sed hoc est contra ipsum; ergo &c. Maior probatur eas sigillatim applicando calori. Prima quidem: quia per Thomistas calor dicit etiam potentiam ad existēdum, & potentiam ad operandum: ergo ad hoc, vt haberet actum sibi correspondentem eius existentia, deberet cum eius operatione identificari. Secunda verò, quia si operari per essentiam, esset operari perfectissimo modo; iam calor hoc ipso quod per se ipsum immediatè produceret substantiam; operaretur per suam essentiam; & sic perfectissimo modo, qui soli perfectissimo agēti conueniret. Tertiam denique, quia si vis actiua non posset contineri in substantia, neque vt vna formalitas cum eius essentia, neque vt multiplex, vnde deducebatur, quod deberet contineri ea continentia, qua diuinæ perfectiones, & attributa in Dei essentia continentur: idem deduci deberet, si dicta vis actiua contineretur in calore propter eandem rationem: ergo &c.

45 Ad primam ex his instantijs respondet Auctor nō valere paritatem illam in accidente; cum enim accidens sit, entis ens deseruiens substantiæ, & pro vt dicit potentiam ad inexistendū, & prout dicit potentiam ad operandum: sequitur, quod eius essentia respiciat existentiam, & operationem tamquam duos actus primarios inadæquatos, quatenus à neutro eorum sumpto actuari posset perfectè: ergo non est entis ens. Sed contra; quia agendo de substantia, valet sic argumentari, si illa per vnicam potētiam respiceret actum existentiæ, & operationis indiuisibiliter: sequeretur, quod existentia esset ipsiusmet operatio; ergo vanescet etiam agendo de accidente. Nulla enim potest assignari disparitas; nam inadæquatio, quæ dicit actus respiciuntur, habetur æquè tam pro substantia, quam pro accidente.

Addit Complutenses respondere formam accidentalem duos illos actus respicere tamquam subordinatos, quia accidentia, ideo appetunt existentiam, vt operentur. Vnde sic, vt illos respicere possint per vnicam potentiam; Hoc autem dici non posse de substantia, quæ cum sit ratio essendi in se, non potest exigere aut operationem, vt existat, aut existentiam, vt operetur, quia operatio semper est ad aliud, & sic non potest esse medium respectu existentiæ substantialis; Res enim prius est in se, quam in ordine ad aliud. Neque potest esse finis dictæ existentiæ, quia sic natura instituisset substantiam, non vt staret in se, sed in ordine ad aliud.

46 Sed neque hæc responsio subsistit; nam licet possit quoquo modo tolerari loquendo de illis accidentibus, quæ primò, & per se ordinata sunt ad operandum, qualia sunt potentiæ operatiuæ; quia tamen multa sunt accidentia, quæ hunc ordinem secundariò important: primariò verò ordinata sunt ad inexistendum, seu ad perficiendam substantiam in ordine ad se, cuiusmodi censeri debent actus vitales intellectus, & voluntatis, qui licet sint productiui habituum: non tamen potest dici, quod existentiam propter huiusmodi productionem faciendam requirant. Sunt enim per se expetibles à natura intellectuali, quamuis nullus esset ab eis producibilis habitus. Simile quid est tenere in calore; hic enim constituitur adæquatè per suam propriam rationem caloris, beneficio cuius pertinet ad vnam speciem qualitatis, & ad illum sic constitutum intelligitur consequi ratio potentiæ, seu virtutis calefactiuæ, per quam intelligitur ad aliam speciem pertinere. Horum igitur, & similium accidentium eadem deberet esse existentia, & operatio, sicuti eadem esse deberet per eos existentia, & operatio substantiæ, stante sententia Scotistarum, quia quod

pos-

possent hæc comparari respectu huiusmodi accidentium, vt actus subordinati; nam neque in eis existentia esset propter operationem, vt vidimus: neque operatio propter existentiam, quia quod est primum in intensione, debet esse vltimum in exequutione, & sic prius deberent accidentia hæc operari, quam existere, quod est impossibile.

47 Ad secundam instantiam contra secundum argumentum propositum respondet Mazziotta *num. 32.* quod aliud est operari per essentiam vt quo, & aliud operari per essentiam vt quod; primo modo conuenit ei, quod est entis ens, atque adeò imperfectissimum operandi modum importat, nimirum instrumentalem; vnde tantùm abest, quod sit proprium solius Dei, vt non nisi accidenti competere possit. Contra verò operari per essentiam secundo modo extrahit à ratione entis creati, quia dicit summam in operando perfectionem.

Sed contra est primò: quia multi dicunt, quod accidentia in ordine ad aliquos effectus se habeant vt causæ principales, vt quando calor producit calorem, albedo, species visibiles; &c. Ergo saltem secundum argumentum non conuincit vniuersaliter. Cõtra secundò: quia in tantùm operari per essentiam realiter sumptam, censetur ab Auctore esse modus perfectissimus operandi, in quantum sic principium operatiuum perfectissimo modo continet vim operandi, cum nihil ab aliquo contineri possit perfectius, quàm quod ab eo continetur essentialiter. Sed hæc ratio æquè militat contra causam principalem, ac instrumentalem; siquidem accidens vim suam operandi iam essentialiter continet; ergo vel vtrique hic modus operandi repugnabit, vel neutri. Probo hanc consequentiam, quia si semel habemus, quod operari per essentiam vt sic, non importat modum perfectissimum operandi, sed potest deprimi, ne sit proprium solius Dei, per hoc, quod principiũ operans sit instrumentale; ita ego dicam posse etiam deprimi per hoc, quod principium operãs, licèt principale, sit tamen dependens in esse, & operari à prima causa; non enim est maior ratio cur operari per essentiam sit capax illius limitationis, & non istius. Atqui hoc admisso, iam substantia sublunaris poset per essentiam sine vllo absurdo aliam substantiam producere; ergo vel vtrique hic modus operandi repugnabit, vel neutri.

48 Ad tertiam denique instantiam contra tertium argumentum respondet, continentiam eminentialem essentiæ, & virtutis operatiuæ in substantia arguere perfectionem, plus quã creatam, eo quod illis substantia sine vlla imperfectione æquiualeret: At similem continentiam in accidente non arguere dictam perfectionem, eo quod diceret admixtionem imperfectionis esse accidentalis. Quod si dicas in substantia sublunari continentiã illam importare rationem creaturæ, atque adeò aliquam imperfectionem; Respondet formalitatẽ, quæ eminenter continet plura sine vlla subordinatione intrinseca ad aliud, summam inuoluere perfectionem, creaturæ limites excedentem. Sed talis esset formalitas hæc in substantia, quæ essentiam, & virtutem operatiuam contineret: ergo &c. Verùm Aduersarij rectè negare possent hanc Minorem dicendo, quod sicuti in accidente formalitas duas illas rationes continens est cum subordinatione instrumentali ad substantiam, & ideò à summa perfectione recedit: ita in substantia creata reperitur cum subordinatione creaturæ ad Deum, quæ in aliquibus excedit subordinationem accidentis ad substantiam, in quantum ne per absolutam quidem Dei potentiam, potest aut esse, aut operari sine actuali dependentia ab ipso Deo; quod non habet accidens respectu substantiæ, cuius est accidens, vt de se patet; ergo etiam in substantia dicta formalitas à summa perfectione recederet. Ex quibus omnibus remanet iam probatum tres dictas Mazziottæ rationes si quid probant, æquè probare neque substantiam, neque accidens posse attingere immediatè substantiã. Altera retorsio sumitur ex emanatione, & resultantia passionum physicarum à suis formis substantialibus, quarum sunt passiones: nam tres rationes allatæ æquè probant non posse substantiam immediatè siue transeunter, siue immanenter producere aliquid, siue hoc sit substantia, siue accidens.

Sed hoc est contra communem sensum Philo- 49
sophorum docentium huiusmodi passiones, & proprietates esse à formis substantialibus per emanationem, seu resultantiam, quæ necessariò causalitatem in genere efficientis ab ipsis formis procedentem important; ergo tria argumenta à Mazziotta proposita aut sunt contra ipsum, aut nihil probant: Consequentia est certa. Maior autem patet, quia illis argumentis probatur, quod si substantia creata haberet vim aliquam immediatè operatiuam, excederet limites creaturę sine vlla prorsus exceptione, aut modificatione; ergo si quidquam probarent, excluderent à formis substantialibus etiam vim suas physicas passiones immediatè producendi. Maior verò suadetur, & quidem, quod omnes dicamus huiusmodi passiones à formis substantialibus per emanationem, & resultantiam procedere, nõ est dubium. Quod verò emanatio, & resultantia causalitatem in genere efficientis à principijs, à quibus procedunt, importent, euincitur, quia proprietates istæ cum non sint à se, posito quod sint, necessariò pendere debent à sua causa efficiente; sed non, nisi ab essentia, à qua emanant, & resultant, aliàs non posset explicari, quid sit hæc resultantia, & emanatio; ergo &c.

Ad hoc argumentum ex his, quæ habet Auctor *à numero 189.* posset responderi, concessa maiore, negando minorem. Et ad eius probationem dici, quod licèt accidentia propria à formis substantialibus, quarum sunt passiones emanent: non tamen fiant ab ipsis per actionem, ab eisdem formis verè, & propriè procedentem. Quamuis in hoc ipso, quod non sunt à se, exigant fieri à sua causa efficiente: hæc tñ nõ potest esse forma, cuius sunt passiones. Quod probatur ab Auctore ex eo, quia causa creata verè, & propriè actiua alicuius rei causat per actionem transmutantem subiectum. Atqui emanatio propriorum accidẽtium, vt ait D. Th. à subiecto, non est per pro-

priam

priam transmutationem ab ipsa forma; ergo causa illorum efficiens non potest esse forma. sed benè erit principium productiuum dicta formæ, ad cuius exigentiam illa producit. Quod si dicas sic non saluari emanationem, & resultantiam eorum à formis: negat assumptum eo, quod conceptus, inquit, resultantiæ, seu rei, vt resultantis consistit in hoc tantùm, quod ponatur consequenter ad alterum ex exigentia talis alterius, quidquid sit, si à tali altero per veram actionem non efficiatur.

50 Quod si addas, quod quamuis hęc actio productiua passionum à generante immediatè procedat: quia tamen fit in posteriori naturę ad formã substantialem productam, iam non videtur quomodo sit transmutatiua subiecti. Respondet eadẽ omnino actione, qua generans formam substantialem producit, producere etiam accidentia propria illius; & sic saluari quo modo actio, per quã fiunt, sit transmutatiua; verè enim per eam transmutatur materia ex vna forma substãtiali in aliã; ita tamen, vt forma respiciatur ab illa, tamquam terminus primarius; passiones verò, & proprietates tamquam terminus secundarius, quod videtur necessarium ad emanationem. Verùm nihil ex his, quæ hucvsque dicta sunt, videntur habere aliquid soliditatis; Vt autem ab hoc vltimo inciptamus, valdè durum videtur in Philosophia actionem productiuam substantiæ cum actione productiua accidentium identificari, præsertim si accidentia sint qualitates habentes intẽsionem, vt est in casu nostro; poto enim, vel illa actio haberet partes intensiuas, vel non; hoc secundum non potest sustineri; qualitas enim, quæ per illam producitur, habet intensionem, & quidem diuisibilem, ita scilicet, vt secundùm aliquos gradus corrumpi, & secundùm alios in subiecto remanere possit, atque adeò cuilibet gradui sua partialis actio correspondere debet: Neque potest sustineri primum: nam si actio illa intensiuas partes haberet, vel omnes occuparet ad productionem substantię; & hoc est impossibile, quia cũ huiusmodi partes sint eiusdem rationis, si prima pars correspondens primo gradui caloris v.g. esset productiua formæ ignis, cum hęc sit intensiuè indiuisibilis, vtique sufficeret sola ad producendam illam; & quidem ita deberet esse; nam actio specificatur à termino præsertim primario, ita vt videatur repugnare, quod actio habens partes intensiuas, habeat pro termino aliquod intensiuè indiuisibile. Quod si dicas actionem illam vnam tantùm partem ad producendam formam ignis occupare: iam secundùm alias partes esset actio primaria, & non transmutatiua. Præterea cum illa pars sit in infinitum diuisibilis secundùm intensionem: posset fieri contra eam idem argumẽtum, quod supra. Num scilicet secundùm omnes sui partes, ex quibus constat, sit productiua formæ substantialis, nec ne? Præterea, in tantum dicit Auctor, quod actio productiua formæ substantialis sit etiam productiua passionum illius, vt saluet quomodo sit transmutatiua subiecti. Sed hoc non benè saluat; non enim esset transmutatiua, quatenus terminaretur ad passiones, sed solũ quatenus terminaretur ad formam, & sic materia liter tantùm haberet hoc; atque adeò formaliter loquendo accidentia propria non haberent causã efficientem, neque per veram actionem producerentur, à quo Auctor videtur tantopere abhorrere.

Contra verò id, quod secundo loco dicebatur, 51
facit, quia si ad rationem vnius, vt emanantis, & resultantis ab altero, sufficeret quod poneretur cõsequenter ad illum alterum ad exigentiam talis alterius, quidquid sit, si à tali altero per veram actionem non produceretur; sequeretur, quod forma substantialis diceretur emanare à suis dispositionibus, quia iam producitur consequenter ad illas ad earum exigentiam. Sed hoc nequit probaliter sustineri. Dicendum igitur est cum communi ad conceptum emanationis vnius ab alio necesse esse, vt intercedat vera, & propria processio emanantis ab eo, à quo emanat; quæ non stat sine datione, & receptione esse; & hinc est, quod Theologi Diuinarum Personarum processionem per emanationem explicant, vt videre est apud Martinum Perez *de Trinitate disp. 2. sect. 1. numero 3.* vbi: Procedere, inquit, & processionem apud Theologos commune nomen est, & significatum emanationi Filij, & Spiritus Sancti. Quod sumitur ex D. Thom. qui sæpè emanationem diuinam cum processione confundit, vt in *primo dist. 18. art. 4. & opusculo 9. quæst. 4.* & sæpè alibi. Ex quibus duo colligenda videntur: vnum est emanationem, & resultantiam passionum ab essentia substantiali necessariò importare physicam dependentiam ab illa cum necessaria sequela, & immanentia: alterum verò quod ad habendam veram essentiam emanationis non est necesse, vt id, quod emanat, sit terminus secundarius actionis, per quam procedit, vt patet ex Verbo, & Spiritu Sancto, qui procedunt vti termini primarij, & non secundarij à suis principijs productiuis.

Contra primum denique, quod pro responsione principali afferebatur, facit, quia quãdo aqua calefacta se reducit ad pristinum frigiditatis statum, verè frigus illud non nisi ab essentia aquæ causari efficienter potest, vti supra probauimus; ergo non est, cur in prima productione proprietatum recurrere debeamus ad causam generantẽ; cum præsertim principium illud de causa creata actiua, quod debeat necessariò causare per actionem transmutatiuam subiecti, non sit verum, nisi de causa efficiente alteratiua, non autem de perfectiua tantùm; sicuti in casu nostro se habet forma substantialis in suorum accidentium propriorum productione, vt de se patet. 52

SECTIO SEPTIMA.

Solidè probatur causam immediatè productiuam substantiæ materialis esse solã accidentia.

POstea quam aliorum argumenta ad nostram sententiam confirmandam debilia esse monstrauimus: æquum est vt nostra in posterum afferamus, quibus incontusa stabilitate illam fundare teneamur. 53

Probatur igitur primò ex Aristotele *lib.* [illegible] *sensu*

Digitized by Google

ignis, & similes effectus. Ignis non efficere ignem, quia ignis ignem; sed qua calidum, atque adeo substantia non agere, neque pati, vt substantiæ sunt, sed vt habentes contrarium. Constat autem substantiam non habere contrarium, nisi ratione accidentium, quibus prædita est, aiunt ratione caloris, frigidi, &c.

Ad hunc locum respondet Arriaga disputat. primo quidem sua abunde doctrina Philosophi, quæ, si vt facit, intelligendo esset, probaret contra nos, nec ab accidentibus posse produci substantiam, nec actum ab habitu, nec amorem à voluntate, quia nulla ex his productionibus esset inter contraria.

54 Sed contra est, quia formalissima verba Philosophi sunt hæc: Qua ignis, & qua certa ratione natum est agere, vel pati; nec aliud quidquam, qua autem inest contrarietas in eis, hæc omnia agunt, & patiuntur. Ex quibus sic arguimus: ignis nihil agit, qua ignis, sed qua inest ei contrarietas; ergo ignis non producit ignem per suam substantiam, sed per calorem, & siccitatem. Ex hoc autem non sequitur non posse produci actum ab habitu, nec amorem à voluntate; quia Philosophus non loquitur de actione immanente, sed de transeunte, vt ex contextu euidens est: & multò minus quod non possit produci substantia ab accidente; quia non dixit omnem actionem esse inter contraria, sed omnem fieri à contrarietate; hoc est à forma habente contrarium.

Respondet secundo Aristotelem agere de prima radice operationis substantialis, quia vna substantia semper incipit debellare aliam producendo accidentia contraria eis, quæ sunt in substantia debellanda, cum quo fit, quod vna substantia immediatè aliam producat. Sed contra est, quia negatio est malignantis naturæ; dum igitur Philosophus expressè docet ignem, qua ignem nihil agere, cum esse agere, nec pati, non potest explicari, quod loquatur solùm de actione, & passione alterativa, quæ est prima radix transmutationis substantialis; absque eo quod manifesta violentia eius auctoritati inferatur.

55 Præterea idem Aristoteles *secundo de anima text. com.* 50. docet nutritionem in viuentibus fieri ab anima per calorem naturalem. Atqui nutritio est mutatio substantialis, qua substantia viuentibus adgeneratur; ergo per Philosophum causa immediatè productiua substantiæ sunt accidentia, cuiusmodi est calor, & non substantia. Ad hæc per Aristotelem, vt docet Commentator 7. *metaph. com.* 24. & 12. *metaph. com.* 8. Idem est, quod immediatè disponit materiam, & inducit formam; sed id, quod disponit immediatè materiam, non est substantia, sed accidens, vt de se patet; ergo accidens, & non substantia in eius sententia est id, quod immediatè inducit formam. Idem denique colligitur *ex secundo de anima tex.* 10. *ex primo de generat. animalium cap.* 3. & 16. *ex secundo de Cœlo tex.* 92. & sæpè alibi. Atque hæc quantum ad auctoritatem.

Iam verò, vt nostram Conclusionem ratione probemus, suppono eam tria veluti dicta continere. Primum est, quod accidentia sint immediatè adæquatè productiua substantia materialis. Secundum quod substantia materialis neque adæquatè, neque inadæquatè sit immediatè productiua alterius substantiæ. Tertium denique quod accidentia in productione substantiæ materialis non habeant vt causæ principales, sed vt instrumentales ipsius substantiæ, atque adeò quod substantia sit causa principalis, seu radicalis, & media.

Et quidem quòd primum dictum probatur 56
Conclusio experientia. Videmus enim multas fieri substantiales generationes nullis præsentibus substantijs, à quibus immediatè dependere naturaliter possint; bonum tamen præsentibus accidentibus; ergo accidentia sunt immediatè, & adæquatè productiua substantiæ. Consequentia est quidem, alioquin daretur effectus naturaliter productus sine causa productiua naturali. Antecedens verò probatur, quia substantiales generationes plantarum, quæ item nascuntur ex semine, 57
terræ mandato, necnon etiam omnes substantiales generationes animalium, quæ sunt mediante semine ex animalis corpore deciso, experimur fieri nullis præsentibus substantijs, à quibus immediatè dependere naturaliter possunt; bene autem præsentibus accidentibus, quæ in ipsis seminibus latitant, idemque dicendum est de generalibus lapidibus, atque metallis, quæ in terræ visceribus generantur; de igne, qui vel ex attritu solidorum corporum, vel ex concursu radiorum Solis in puncto reflexionis producitur; & de sexcentis alijs substantijs, quæ generantur, cum tamen nulla sit præsens substantia, à qua immediatè eorum generatio pendere naturaliter possit; ergo &c.

Ad hoc argumentum respondent primò Scotistæ distinguendo; vel enim inquiunt effectus substantiales, qui de nouo producuntur, sunt Cælo ignobiliores, vt sunt corpora inanimata: vel sunt illo nobiliores, vt animata; si primum, immediata causa illorum erit substantia Cæli, vel Solis. Si verò secundum, erit substantia intelligentiarum mouentium Cælum, seu Cælum ipsum virtute dictarum intelligentiarum; quæ suoquacumque substantia corporea nobiliores.

Hæc tamen responsio ab aliquibus Thomistis 57
in hunc ferè modum impugnatur: Ad hoc, vt aliquid efficiens causet aliquem effectum, debet illum vel formaliter, vel eminenter continere. Sed neque substantia Cæli, neque substantia intelligentiarum mouentium Cælum continet formaliter, aut eminenter substantiales effectus, quos adduximus; ergo nulla responsio. Minorem in qua est difficultas, suadent, quia sublunares effectus non solùm specie, sed etiam genere differunt ab vtrisque; ergo non continentur in illis formaliter. Quod autem neque continentur eminenter, hoc est in aliquo gradu superiore, & perfectiore, probant, quia quotics gradus aliquis superior, & vniuocus per duas oppositas differentias immediatè diuiditur, tunc licèt vna sit perfectior altera, non continet illam eminenter, neque species, quæ perfectiorem differentiam participat, continentiam eminentialem habebit conspectu speciei per imperfectiorem constitutæ. Sed

in caſu noſtro gradus ſubſtantiæ dividitur per differentiam corporis, & ſpiritus. Corpus verò per differentiam, corruptibilis, & incorruptibilis; ergo neque Angelus eminenter continebit viuentia, neque Cælum corpora inanimata. Minor huius ſyllogiſmi patet. Maior verò probatur inductione, quia homo licèt ſit ſpecies nobiliſſima animalium, non ideò eminenter ſeu virtualiter illa continet, illaque producere valet. Calor verò licèt ſit frigore nobilior, non tamen illud in ſua virtute eminenter continet. Quod ſi Deus eminenter continet perfectiones omnes entis creati, eſt, quia non participat rationem entis increati, tamquam differentiam verè diuiſiuam entis, vt ſic, ita vt eius ſe habeat vt quid ſuperius vniuocum ad rationem creati & increati; ſed illam participat, vt ſimpliciſſimam, & adæquatiſſimam ſui eſſentiam, per quam ſimpliciter differat à creatura.

58 Verùm Scotiſtæ ab hac impugnatione facilè ſe expedient, vt credo, dicendo Cælum, & intelligentias illos effectus ſubſtantiales eminenter, ſeu virtualiter continere. Et ad rationem in contrarium negatæ maiorem, adducendo Exemplum manifeſtum de lumine, & calore. Quamuis enim qualitas rectè diuidatur in perfectiuam, quæ caret contrario, & in corruptiuam, quæ illud habet; videmus tamen lumen, quod eſt qualitas primi generis producere calorem, quæ eſt ſecundi generis. Idem videre eſt in habitibus intellectus, & voluntatis, qui quamuis ſint qualitates non vitales, producuntur tamen à qualitatibus vitalibus, vt de ſe patet, & tamen rectè qualitas in vitalem, & non vitalem diuidi poſſet. Denique perſiſtent in exemplo, quod refelliter ab Aduerſarijs de ente creato, & increato, ſupponentes ens in communi vniuocè de Deo, & creaturis prædicari, atque adeò rectè diuidi in creatum, & increatum.

Satius igitur videtur Scotiſtarum reſponſioni ex parte pro modo admittere: nimirum quod quando effectus ſubſtantiales ſunt inanimati, atque adeò ignobiliores Cælo, poſſint attribui ſubſtantiæ ipſius Cæli. Hoc enim immeritò reijcit Arriaga *diſputat. 12. phyſicorum numero 37.* Quamuis de cætero ſentiat cum Scotiſtis, fundatus in eo, quod ſæpè nocturno tempore vltimo diſponatur materia auri, argenti, &c. Et tamen tunc non habeat Sol vllam operationem in illam, quia eſt in alio Hemiſphærio; quaſi verò non poſſint Scotiſtæ attribuere huiuſmodi effectus ſubſtantiæ Planetarum, qui tunc degunt in noſtro Hemiſphærio, dicendo, quod aurum, argentum, &cætera huiuſmodi tunc immediatè cauſentur ab ipſis. Licet neque hoc ſit eis neceſſe; cum enim putet ipſemet Arriaga poſſe cauſam aliquam operari in diſtans effectus ſubſtantiales, dummodo aliquid operetur in medio: hoc ipſo quod Sol nocturno tempore ipſos Planetas reſpicit, & lumen in illis cauſat: rectè dicere poſſunt Scotiſtæ, quod reflectat actionem ſuam vſque ad terram, & ſic in eius viſceribus per ſuam ſubſtantiam immediatè dictos effectus producat.

59 Demus igitur pro modo Scotiſtis, quod effectus ſubſtantiales Cælo inferiores, Cælorum ſubſtantia attribui poſſint: at nullo modo poſſunt effectus nobiliores, cuiuſmodi ſunt viuentia, etiam ſi dicamus, quod cæleſtes ſubſtantiæ non in virtute propria, ſed in virtute intelligentiarum ſibi aſſiſtentium operentur.

Quod probatur: quia Cælum ſecundùm ſe vt puta inanimatum, eſt ignobilius ſubſtantia animata; ergo non poteſt eſſe cauſa principalis illius. Quod verò neque poſſit in virtute intelligentiæ motricis, ſuadetur, quia vt docent communiter Theologi cum Diuo Thoma *primæ partis quæſt. 110. art. 2. & 3. Contra gent. cap. 101. & 103.* ac ſæpe alibi. Angeli non poſſunt agere aliquid in hæc inferiora per ſe ipſos, ſed ſolùm per motum, applicando actiua paſſuis; ergo impoſſibile eſt, vt cæleſtia corpora in virtute intelligentiarum ſint cauſæ principales viuentium, quæ generantur. Conſequentia euincitur triplicitèr, & primò quidem, quia ſi intelligentia nihil prater motum imprimit Cælo, neque virtutem eius augere ad agendum aliquid vltra propriam perfectionem; nam motus localis non eſt per ſe actiuus, neque dat virtutem agendi. Quod ſi deſeruiat ad formam artis: eſt, quia dicta forma non eſt, niſi modus reſultans ex varia ſitu partium corporis artefacti, quæ per motum variantur. Secundò, Cælum natura ſua non eſt inſtrumentum intelligentiæ; non enim illa duo habent naturalem habitudinem ad inuicem, niſi ſolùm ex arbitrio Creatoris; mouere autem corpus aliquod non eſt conſtituere illud ſibi naturale inſtrumentum, aliquin omnis, qui applicaret cauſam aliquam ad operandum, faceret illam inſtrumentum ſuum, eique vires adderet; ergo non poteſt dici, quod Cæli ſubſtantia in virtute intelligentiæ, ſeu prout illam includit, ſit vna ſa principalis viuentium. Tertiò denique quia Cælum à motore imperfectiore intelligentia moueri poſſet, ſi ſic Deus diſponeret; ergo per hoc, quod intelligentiæ ipſum moueant, non inducit rationem cauſæ potentis viuentia ex ſe generare, etiam ſi in tempu compoſito cum ipſis intelligentijs conſideretur.

Verum ad hoc, quod dicitur de viuentibus, reſ- 60
pondent aliqui ex Aduerſarijs, quod quando generatur fœtus in vtero matris, rectè dici poteſt, quod forma ſubſtantialis eiuſdem matris immediatè concurrat; quod ſi generetur extra vterum, vt contingit plantis, quæ producuntur ex ſemine terræ commiſſo, vel pullis, qui calore ſimi, vel ignis excuduntur ex ouis ſuis. Imò eſt ſententia Galeni, & Ariſtotelis apud Mazzionem *quæſt. 14. citata numero 20.* quod ſemen ſit animatum. Vnde dici poteſt, quod huiuſmodi viuentia à ſubſtantia ipſa ſeminis immediatè producantur; quæ cum ſit animata, vtique poteſt virtutem habere illa producendi.

Sed hæc reſponſio non procedit: quia quantum attinet ad fœtus, qui in vtero matris geſtantur, eſt valde probabilis ſententia, quod mater ad eorum generationem non concurrat actiuè; ſed ſolùm paſſiuè ſubminiſtrando materiam. Quod ſi alij oppoſitum ſuſtineant, nemo tamen eſt, qui dicat eam perfectius ad generationem prolis concurrere, quam Patrem: omnes enim volunt ignobiliorem eſſe influxum maternum, quam paternum, quod contra euenire, ſi Mater per ſham-

for-

formam substantialem materialem prolis animã immediatè produceret, quã Pater vel nullo modo, vel mediatè tantùm attingeret.

61 Quantum verò spectat ad illos, qui semen animatum esse autumant: dicendum, quod hi non cõcedant semini animam sensitiuam, sed ad summũ vegetatiuam tantùm; quatenus dicunt illud crescere, atque nutriri per intus susceptionem alimenti, quod quidem est falsissimum: quia in vno viuente non dantur plures animæ. Darentur autem, si vna pars esset informata anima vegetatiua, alia anima sensitiua, &c. Vnde credendum est Auctores citatos dubitatiuè tantùm, & non assertiuè hoc dixisse; si tamen dixerunt, de quo nõ curo; sed solùm addo per illud non saluari, quomodo generationes animalium à substantia ipsius seminis immediatè procedant. Quamuis enim demus ipsum esse animatum anima vegetatiua, cum tamen non assurgat ad perfectionem animæ sensitiuæ, ex sententia Aduersariorum, manifestè deducitur, non posse esse causam animantium, quę de nouo generantur. Per eos enim in tantùm accidens non potest, ne instrumentaliter quidem attingere immediatè substantiam: in quantum est ea imperfectius, atque ignobilius. Cum igitur semen sit ignobilius animali, quod ex eo generatur, non poterit per suam substantiam illud immediatè producere. Quin etiam addo nunc: neq; plantas posse: Primo, quia licèt præditum fuerit anima vegetatiua: quia tamen per multum tempus, postquam decisum est ex arbore absque vllo nutrimento seruatur; putandum est in eo dictam animam corruptam esse. Secundò, quia dato, quod quando terræ committitur, adhuc in vita perseueret; tamen ad hoc, vt fructum afferat, necesse est, vt corrumpatur, & pereat, & sic quando germen producitur, semen ex quo procedit, non potest viuere. Tertiò denique esto, quod tunc viuat saltem secundum aliquid sui; planta tamen, quæ ex eo procedit, est illo nobilior, atque perfectior, vt omnes experimur. vnde redit argumentum, quomodo possit ab illo immediatè produci. Hęc igitur responsio, quæ ex vita seminis deducitur, vana est.

62 Altera vniuersalis responsio ad nostrum principale argumentum tuetur: omnes illas generationes substantiales, quibus non potest assignari aliqua causa substantialis creata, à qua immediatè procedant, fieri à solo Deo, qui, quando materia habet completas dispositiones alicuius formæ substantialis, & nulla adest causa secunda, quæ dictam formam producere possit, tenetur vt Auctor naturæ supplere defectum dictæ causæ in illius formæ generationem influendo. Quoniam verò Deus est eos perfectissimum continens eminẽter quamlibet perfectionem rerum creatarum, hinc fit, vt nulla substantialis generatio assignari possit, quæ immediatè non procedat à causa substantiali, quia quoties non adest causa creata; iam adest Deus supplens eius vices. Ita ferè Arriaga *n.* 36. Poncius *disp. 9. physic. numero* 20. & alij Recentiores.

Sed contra est primò: quia si possumus saluare Deum non esse causam immediatam adæquatam generationum rerum naturalium, quę de nouo fiunt, sed inesse creaturis vim immediatè illas efficiendi, vtique debemus; ne dicamur ad Deum tamquam ad machinã fine necessitate confugere; sed possumus, si censeamus sola accidentia in casibus assignatis attingere immediatè generationes substantiales. Aliunde verò nullum ex hoc sequitur inconueniens, vt ex solutione argumentorum patebit; ergo non est, cur in hoc recurramus ad Deum vt ad primam causam. 63

Contra secundo: quia si hic adæquatus Dei influxus in dictis generationibus, vt docet Arriaga haberetur, sequeretur, quod omnes ferè substantiales generationes in mundo fierent à solo Deo; sed hoc non videtur dicendum; ergo &c. Minor patet: quia sic mundus valdè imperfectus, creatus fuisset à Deo; siquidem ferè semper causa prima defectũ causarum secundarum supplere deberet; & hoc, quia ipsis creaturis deesset virtus, quæ ad suas species amplificandas, & ad sibi simile generandum necessaria foret. Sequela verò probatur: & primo quidẽ: quia à solo Deo deberent produci omnes penitus plantæ; earum enim quędam sponte sua oriuntur è terra, aliæ verò ex semine terræ commisso procreantur, sed neutrarum generationi potest assignari aliqua substantia creata, quæ immediatè illas producere possit; nam de generatione earum, quæ nascuntur, ex semine iam vidimus, eam non posse ab aliqua substantia creata immediatè procedere. Quare ad primam causam pro ea omnes debemus confugere: de generatione verò earum, quæ sponte procedunt, patet non solùm paritate, sed etiã quia, vt huiusmodi plantæ generentur, non egent, nisi quod terra madefiat, & benignis Solis radijs sit exposita; hæ autem substantiæ quamuis collectiuè accipiantur, sunt ipsis ignobiliores, vt patet; ergo pro illis quoque recurrendum esset ad Deum.

Probatur secundò eadem sequela loquendo de animalibus: nam omne animal vel generatur ex semine, vel ex putri; atqui iam probauimus pro ijs, quę generantur ex semine, non posse assignari substantiam creatam, ex qua immediatè procedant; multò minus autem poterit assignari pro ijs, quę ex putri materia generantur. Hæc enim solam corporum putrefactionem exigunt, vt producantur; ergo pro generatione omnium penitus animantium, ad Deum etiam recurrendum est. 64

Probatur denique tertiò de mixtis inanimatis, cuiusmodi sunt ea, quæ in terræ visceribus producuntur, saltem ad hominem contra ipsum Arriagam, qui *n.* 36. *citato* admittit, nullam quoque pro eis gignendis assignabilem esse causam secũdam substantialem sufficientem; atque adeò earũ generationes à solo Deo, vt Auctore naturę dependere. Deinde absolutè contra Scotistas: quia hoc ipso, quod habemus accidentia posse assurgere ad producendas ex se, & immediatè plantas omnes, omnesque animantes: non videtur eis denegandam esse virtutem producendi mixta inanimata, quæ sunt multò imperfectiora viuentibus. Atque adeò non est, cur pro eis recurramus ad Deum, vel ad Cælum: Sed dicendum, quod astra suis occultis influentijs accidẽtalibus eorum materiam in terræ visceribus disponant, eorumque formas substantiales illis medijs tamquam instrumentis attingant.

Digitized by Google

65 Ex quibus omnibus patet, nullam fore hîc locum generationem substantialem posse ab Aduersarijs assignari, pro qua non sit necessarius recursus ad Deum, nisi valde rarus, cum scilicet, qua ignis generat ignem, & aliquam aliam similem; quin imò contendit idem Arriaga *numero sequenti*, quod, quando ex silice oritur ignis, vel quando terrum ardens incidit stuppam, esse etiam recurrendum ad Deum, qui semper præsens est, omnesque effectus creabiles præcontinet; Vnde deduco, quod licet sententia, quæ concedit substantiæ creatæ virtutem ex se, & immediatè producendi aliam substantiam, videatur prima fronte mundum reddere perfectiorem; in rei tamen veritate valdè eius perfectioni derogat, dum negat in toto conflato rerum creatarum dari causas, quæ sint ex se, & immediatè productiuæ illorum effectuum, qui passim producuntur in terra, & astringit Deum ad supplendum pro singulis momentis defectum plusquam mille millionum causarum secundarum. Cum igitur hæc absurda vitentur, si dicamus accidentia ex se, & immediatè adæquatè generationes substantiales efficere, & rectè hoc possimus asserere; non est nobis ab hac sententia recedendum. Secundum dictum nostræ Conclusionis erat, quod substantia materialis neque adæquatè, neque inadæquatè sit immediatè productiua alterius substantiæ; posset enim aliquis sustinere non solùm in accidente, haberi vim adæquatam productiuam substantiæ, sed etiam in substantia dari saltem inadæquatam, vt vult Suarez, vel etiam adæquatam; neque enim est nouum dari posse plures causas essentialiter diuersas, quæ habeant vim adæquatam producendi eundem effectum in specie; contra quos omnes probatur hoc secundum dictum. Primò quoad substantias, quæ nunquam de facto producunt ex se immediatè substantiam. Vnde pro earum generanda est necessarius recursus ad Deum, vel ad accidentia. Nam si huiusmodi substantiæ haberent vim siue adæquatam, siue inadæquatam ex se immediatè producendi substantiam, sequeretur, quod esset eis frustratoria huiusmodi vis, numquam nanciscens illam in actum secundum deducere; sicut enim arbor pomifera, vt præsens suo semini, quod terræ committitur, siue absens, nullo modo immediatè agere potuit in illud in generatione sui esse. Idem dicendum de cæteris plantis, & de omnibus animantibus saltem masculis; equus namque pater in eo instanti, quo producitur in vtero equæ fœtus substantialis spiritus sui, etiam si tunc valdè proximus materiæ inadæquatæ quidem concurrit ad eius productionem immediatè; ergo dicendum est, cum natura nihil operetur frustra, quod dictæ substantiæ non habeant vim neque adæquatam, neque inadæquatam ex se immediatè substantiam producendi.

65 Idem probatur secundò de reliquis substantijs nimirum igne, aëre, Cælo, & similibus, quibus multi ex Aduersarijs immediatam vim producendi substantiales effectus inficiantur. Quamuis autem non habeamus positiuam rationem, quæ nos inducat ad negandam dictis agentibus talem vim, sicut habemus ad negandam illam cæteris, de quibus dictum est supra; hoc tamen non est sufficiens fundamentum ad concedendum illis dictam vim, nisi habeatur simul aliqua ratio positiua, quæ id nobis persuadeat. Atqui nulla huiusmodi ratio apparet, quæ nos inducat ad concedendū Igni, Cælo, Astris, & similibus talem vim, vt per suam substantiam possint immediatè substantiales effectus siue adæquatè, siue inadæquatè efficienter attingere; ergo non debemus dictam vim illis concedere. Maior patet, quia nulla positiua perfectio est concedenda creaturis sine positiua aliqua ratione; si enim sufficeret carentia rationis in contrarium, possemus multas illis concedere perfectiones, quibus de facto carent. Minor verò suadetur, quia vel hæc ratio positiua ducitur veluti à priori ex substantiali earum perfectione, vel à posteriori ex experientia. Non primùm, quia plantæ, & animalia sunt substantialiter perfectiora supradictis agentibus, & tamen carent hac vi immediatè productiua substantiæ, vti probauimus. Neque secundum, quia nunquam nos experti sumus ignem immediatè à substantia ignis adæquatè, vel inadæquatè processisse; ergo nulla apparet ratio positiua, quæ nobis suadeat naturam huiusmodi substantijs talem vim impertiam esse. Cæterùm si videmus ignē ad ignis præsentiam generari, debemus hoc refundere in eius accidentia, quæ hoc pacto redduntur indistantia passo, & per consequens in actu primo proximè completa ad agendum in illud. Quod si vlteriorem quæras rationem, cur sic discurrere teneamur, & non potius dicamus, quod ad hoc vt substātia ignis immediatè ignē producat, id requiratur. Breuiter respondeo hanc rationem ab experientia, & inductione dedici; videmus enim ex vna parte ad productionem cæterarum substantiarum igne perfectiorum non requiri præsentiam alterius substantiæ, nisi quatenus per eas reddamur præsentia passo accidentia, quæ sunt in ipsa substantia, & debent immediatè, & adæquatè productionem illam attingere: ex alia verò, quod ignis æquè benè producitur siue adsit alius ignis, siue non, dummodo adsit excellens calor, & excellens siccitas, quæ sunt instrumenta, quibus ignis ad suas operationes faciendas vtitur. Porrò hę experientię immixta ratione à priori, quòd non temerè rebus creatis est aliqua perfectio concedenda efficaciter suadent intellectui benè dispositio, vt neget igni, similibusque agentibus vim immediatè, & ex se, siue adæquatam, siue inadæquatam producendi substantiam.

Non est igitur audiendus Suarez, qui tribuit substantijs creatis, vtroque inadæquatas, & inadæquatas etiam accidentibus, dicens ex quibuscumque partibus completam, & adæquatam immediatè productiuam substantiæ esse. Huiusmodi enim vis in multis substantijs esset penitus inefficax, & otiosa, quod eam haberent, nihilominus in substantialibus generationibus, quæ naturaliter fiunt, ferè semper esset recurrendum ad Deum, non minus quam si sententia hæc negantis accidentibus omnem immediatam vim producendi substantiam adæ- 67

Eodem modo non est audiendus Diuus Thomas, qui 3. *physicorum*, quæstione 4. docet, quod hoc ipsum, quòd substantia materialis non habeat ordinem ad quæ accidentia in substantiam quæ-

Digitized by Google

men effectus, per se immediatè vnà cum illis operetur; videmus enim sæpè causam substantialem esse præsentem, & nullatenus immediatè concurrere; & sic nulli substantiæ creatæ materiali est concedenda virtus siue adæquata, siue inadæquata ex se, & immediatè producendi substantiam, quod erat probandum.

68 Tertium denique dictum nostræ Conclusionis erat, quod accidentia in productione substantiæ sint solùm causa instrumentalis. Causa verò principalis sit substantia, quæ ijs mediantibus tanquã instrumentis substantiam mediatè producit. Est communis, sed contra Pererium 8. *phyſicor. cap.* 12. & alios, quorum mentem Soncinas 7. *metaph. quæſt.* 7. quos videtur sequi Maior *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 3. Hi enim omnes putant nullam rationem principij operatiui tribuendam esse substantiæ neque radicalem, neque formalem, sed omnem dandam esse accidenti, atque adeò ipsum, & non substantiam, cuius est accidens, esse causam principalem productiuam substantiæ.

Contra quos probatur primò Conclusio ex Aristotele, qui *ſecundo de generat tex.* 51. ait: Materiam pati, formam verò agere, & *tex.* 53. reprehendit eos, qui omnem actiuitatem solis accidentibus tribuebant, vnde *tex.* 55. perinde, inquit, eos facere ac si quis sectæ, aut alteri instrumento causam tribuat eorum, quæ fiunt ab arte. Denique 7. *metaph. tex.* 23. & *ſequens* probat, quod in generationibus naturalibus sæpè generans est idem specie cum effectu, qui generatur. Hæc autem omnia falsa essent, si omnem agendi vim etiam principalem haberent accidentia.

69 Dices primò: Aristotelem *loc. citatis* tribuere substantiæ solam vim productiuam accidentium, non verò substantiæ. Sed contra est, quia si substantiæ non repugnat principaliter producere accidens: cur repugnabit principaliter, quamuis mediatè, producere substantiam? Linquo Aduersarios per hanc responsionem suam deserere sententiam, qua sustinebant omnem penitus rationem causæ tam immediatam, tum mediatam negandam esse substantiæ.

Dices secundò Philosophum *loc. citatis* velle solùm, quod substantia denominetur generare substantiam, non verò quod sit causa principalis illius.

Contra tamen est primò, quia ipse 7. *metaph. citato*, intendit probare contra Platonem, quod substantiæ separatæ, quas Ideas Platonici appellabant, non essent causæ generationum, eo quod homo verè generat hominem. Sed Plato dicebat, quod ipsæ Ideæ principaliter in substantiales generationes influerent; ergo Philosophus non solùm denominationem, sed etiam rationem causæ principalis substantijs materialibus intendit concedere. Contra secundò, quia hæc denominatio, quæ ignis dicitur producere ignem, non est per accidens, sicuti quando dicitur Musicus ædificare; sed per se; ergo vel appellat ignem principaliter, vel instrumentaliter operantem; sed non instrumentaliter, alioquin substantia esset instrumentum accidentis; ergo principaliter.

70 Probatur secundò nostra sententia ratione, quia causa principalis vel æquiuoca est, vel vniuoca respectu effectus. Sed accidens in productione substantiæ non se habet vt causa vniuoca, quia hæc est eiusdem rationis specificæ cum effectu accidens, differt essentialiter à substantia. Neque vt æquiuoca, quia hæc est nobilior effectus: accidens verò est multò ignobilius ipsa substantia; ergo impossibile est, quod accidens sit causa principalis substantiæ. Omnia patent præter Maiorem, quæ suadetur ex eo, quia causa efficiens principalis debet præcontinere in sua perfectione perfectionem effectus; ergo vel formaliter, vel eminenter; si primum, erit causa vniuoca; si verò secundum, æquiuoca.

Dicent fortasse, Accidens esse ignobilius substantia in ratione entis, seu quo ad esse, non verò in ratione operantis, seu quo ad operari.

Sed contra est, quia si hæc distinctio probabilis esset, non possemus ex effectu nobiliori arguere nobiliorem entitatem causæ; imò posset quis sustinere mundum hunc à causa quo ad entitatem imperfectissima productum fuisse, atque adeò occluderetur nobis via ex effectibus perfectioribus, & perfectioribus in infinitum, quos Deus facere potest, veniendi in cognitionem entitatis ipsius Dei, quod non est dicendum; ergo si accidens est ignobilius substantia in ratione entis, impossibile est, quod non sit etiam ignobilius in ratione operantis.

Contra secundò, quia ignobilitas in ratione entis, quam habet accidens comparatum cum substantia, impedit ne assurgere possit ad nobilitatem causandi principaliter ipsam substantiam; ergo nulla distinctio. Consequentia valet. Antecedens suadetur primò: quia virtus actiua principalis identificatur cum entitate causæ principalis; sed operatio causæ mensuraretur cum virtute principali ipsius causæ; ergo mensurabitur etiam cum entitate eiusdem causæ, & sic ignobilitas, quam habet accidens in ratione entis impedit, ne assurgat ad nobilitatem in ratione producentis substantiam. Contra denique tertiò quia effectus est participata causæ participans autem non potest habere perfectionem entitatem ea, quam habet causa, cuius est participatio; ergo &c.

Probatur denique idem tertium dictum nostræ assertionis: quia operari pullulat ex esse, sed esse accidentis est proprium substantiæ; accidens enim est entis ens, eique subordinatur quantum ad entitatem; ergo & operari, erit etiam substantiæ, & sic non operabitur substantia vt causa principalis, sed vt instrumentalis subordinata ipsi substantiæ. 71

Dices ex hoc igitur sequitur deduci accidens etiam in productione alterius accidentis se habere vt causam instrumentalem, & sic calorem non esse causam principalem actionis. Sed hoc est falsum; ergo &c. Sequela patet, quia accidens instrumentaliter accidentis non dicitur efficere suum effectum, quæ importat, quando suscipit esse. Minor verò probatur dupliciter primò quidem quia, vt ait Magister *lib.* 3. *ſent. diſt.* 1. *quæſt.* 1. Causa instrumentalis est, quæ operatur ad effectum alterius laudum & complacentiam alteri; Sed calor in productione caloris non operatur vt amicus, & complacens calorem igni, sed sibi quatenus est eiusdem essentiæ, & rationis cum illo; ergo &c. Secundò verò quia quæ ratio est, cur non agamus calorem in pro-

productione calotis se habere vt causam principalem, maximè quia est ens subordinatum substantiæ; Sed hæc ratio nulla est; nam creatura est magis subordinata Deo, quam accidens substantiæ: & tamen est causa principalis multorum effectuum. Quod si disparitatem assignemus per hoc, quod subordinentur Deo tamquam effectus perfectissimæ causæ, à qua totaliter pendent: non verò tamquam virtutes, & potentiæ actiuæ ipsius Dei; at verò accidens subordinatur substantiæ tanquam eius virtus operatiua, & potentia effectiua. Contra est quia: circumscripta per intellectum à calore ratione virtutis instrumentariæ ignis, adhuc intelligeretur calor retinere vim productiuã alterius caloris, quatenus illam formaliter contineret per hoc, quod cum eo in ratione specifica conueniret: ergo ratio virtutis operatiuæ ignis non derogat calori rationem causæ principalis respectu alterius caloris,

72 Ad hanc difficultatem respondeo: concessa sequela cum Fonseca, & Conimbricensibus, quos citat, & sequitur Mazziotta *quæst. 15. citata numero 150.* negando minorem. Rectè enim D. Th. *in 2. dist. 3. art. 3. ad secundum*. accidens, inquit, ex se ipso non habet virtutem producendi aliud accidens, sed à substantia habet posse vnum accidens ad aliud accidens procedere. Malè igitur Arriaga *disp. 11. citata numero 43.* supponit tamquam certum omnes docere causam æqualis, vel maioris perfectionis cum effectu, & habentem proportionem naturæ sua ad illum, dicendam principalem; etiam si enim sit secundùm entitatem suam effectu suo nobilior; si tamen vt virtus alterius operatur, erit instrumentalis; quemadmodum cum citatis Auctoribus dicimus esse lumẽ in productione caloris. Non igitur omnes docent oppositum. Ad priorem minoris probationem nego vniuersaliter maiorem. Si enim de essentia causæ instrumentalis esset operari ad effectum alteri assimilandum, & commensurandum; causa principalis æquiuoca non posset operari per instrumentũ, quia cũ esset impossibile, vt effectus ei assimilaretur, atque commensuraretur, impossibile etiam esset dari aliquod ens, quod ad hunc finẽ naturaliter operaretur. Sufficit itaque ad rationẽ causæ instrumentalis subordinatio in ratione virtutis, atque potentiæ ad causam principalem; ita vt sit instituta à natura, vt virtus, & potentia operatiua illius. Quidquid sit de reliquo, si effectus, qui producitur sit nobilior, vel æquè nobilis, vel etiam ignobilior ipsa. Ad posteriorem verò eiusdem minoris probationem admissa disparitate inter subordinationem accidentis ad causam principalem, & subordinationem creaturæ ad Deum; ratione cuius accidens dicatur instrumentum respectu causæ principalis, non verò creatura naturaliter operans respectu Dei. Ad rationem in contrarium dico, quod cum de essentia, & quidditate caloris sit esse virtutem, & instrumentum ignis: implicat præscindere ab eo hanc virtutem, & illum non destruere in ratione caloris. Falsum igitur est, quod in dicto casu adhuc contineret formaliter calorem efficiendum; non enim esset amplius calor; & multò minus esset aptus illum calorem principaliter producere.

Atque hæc quantum ad probationem nostræ Conclusionis: in posterum soluemus obiecta cõtra illam, & primò ea, quæ faciunt contra primum dictum, deinde quæ contra secundum, & tandem quæ contra tertium.

SECTIO OCTAVA.

Satisfit obiectionibus, quibus suadetur accidens non posse immediatè, & adæquatè causare substantiam.

OBijcies primò ex Arriaga *disp. 11. physica sect. 2. numero 29.* causa totalis debet continere vel formaliter, vel eminenter effectum; sed accidens neutro modo substantiam producendam continet; ergo nequit esse causa totalis illius. Maior patet: quia nemo dat, quod non habet. Quamuis enim miles nomine potentissimi Regis decertet; si non adiuuatur à Rege, non plus poterit, quam si decerret nomine proprio. Minor verò probatur, quia accidens est imperfectius substantia producenda; ergo &c. 73

Respondeo distinguendo maiorem, & siquidem sermo est de causa principali concedo: si verò de instrumentali, nego maiorem, & concessa minore, distinguo eodem modo consequens: Accidens nequit esse causa totalis principalis substantiæ concedo; instrumentalis nego consequentiam. Ad maioris probationem distinguo assumptum: nemo dat, quod non *habet*: eo modo, quo dat, concedo: diuerso modo, nego. Iam verò accidens dat instrumentaliter esse substantiæ; Vnde non debet dictum esse continere alio modo, hoc est, principaliter, sed instrumentaliter tantùm. Ad exemplum denique ex milite desumptum, disparitatem manifestam assigno; nam subiectio, quam miles habet ad Regem est moralis: pugnæ verò, quam inire debet physica, & ideò nihil ei prodesse potest, quod potentissimi Regis nomine pugnet. At subiectio, quam habet accidens respectu substantiæ, physica est, siquidem identificatur cum entitate illius, vnde non est mirum, si possit physicè totaliter causare substantiam in virtute substantiæ, cui subijcitur.

Quoniam verò hoc argumentum ab Arriaga 74
propositum est præcipuum, quod afferri potest à Scotistis, placet eius inefficacitatem in hunc ferè modum positiuè detegere. Si causa totalis quantumuis instrumentalis deberet continere vel formaliter, vel eminenter effectum: sequeretur, quod conflatum ex intellectu, & lumine gloriæ non posset totaliter producere visionem Dei; sed hoc est manifestè falsum; ergo &c. Minor patet: quia omnes admittunt intellectum Beati instructum lumine gloriæ esse causam intrinsecè completã, & adæquatam visionis. Quamuis enim aliqui existiment ipsum se habere vt causam principalem, inter quos est ipse Arriaga; Alij verò communiter esse instrumentalem; omnes tamen conuenimus in eo, quod de facto adæquatè, & totaliter beatam visionem producat. Sequela probatur: quia conflatum ex intellectu, & lumine gloriæ neque formaliter, neque eminenter continet visionem Dei. Non formaliter, quia non est visio, vt patet. Neque eminenter: quia non est perfectius, sed multò imperfectius illa, quod posterius si-

Digitized by Google

getur probatum, nam quia visio est formalis beatitudo creaturæ rationalis: cum etiam, quia duo conflatum illud includit, lumen, & intellectum; & quidem quod visio beata sit perfectior lumine gloriæ, è quo partialiter producitur, fatetur ipsemet Arriaga nu. 38. quod verò id, per quod superat lumen gloriæ, sit etiam perfectius intellectu eremo probatur, quia id, in quo visio superat lumen gloriæ, consistit in eo, quod attingat immediatè Deum, sicuti est in se, illum vitaliter exprimendo per modum actus puri, quod non habet lumen gloriæ; sed perfectio intellectus creati nō solùm nō superat, sed ne adæquat quidē hanc visionis perfectionem; ergo &c. Minor suadetur; si enim adæquaret, non esset assignabilis ratio, cur non esset possibilis intellectus creatus, qui per sua naturalia Deum videre posset: etenim si qua assignari posset, maximè quia intellectus non potest excedere in cognoscendo gradum illum abstractionis, quem habet in essendo. Sed hoc ipso, quod esset in essendo perfectior visione beata, pro ut est representativa Dei per modum actus puri, hæc ratio nulla esset; ergo &c. Ex quo manifestè deducitur, quod si omnis causa totalis, quantumuis instrumentalis deberet continere vel formaliter, vel virtualiter effectum suum, sequeretur, quod conflatum ex intellectu, & lumine gloriæ non posset totaliter producere visionem beatam.

75 Idem prorsus argumentum instaurari potest ex suppositione, quod aqua elevari possit intrinsecè, hoc est per aliquam formam intrinsecam, ad producendam gratiam sanctificantem tanquā causa totalis; cum enim gratia sit nobilissima omnium qualitatum supernaturalium, est sine dubio perfectior forma elevativa ipsius aquæ, quæ per motum esse debet materialis; et quia id, in quo gratia dictam formam superat, est esse participationem diuinæ Naturæ, & radicale principium operationum supernaturalium, deduci, tur, quod etiam in eo superet perfectionem aquæ; & per consequens, quod conflatum ex aqua, & forma illa elevativa non sit perfectius ipsa gratia. Tum sic: hoc conflatum est causa immediata, & adæquata ipsius gratiæ. Sed hoc conflatum neque formaliter, neque eminenter continet gratiam. Falsum igitur est illud principium. Quod si Aduersarij faciunt vim in eo, quod substantia de suo conceptu est accidente perfectior (vt alibi Arriaga) ne cū illis contendam, pono, quod Deus eleuet ad producendam gratiam aliquod accidēs ordinis naturalis, & denuo argumentum instauro.

76 Obijcies secundò: modus operandi sequitur modum essendi; sed modus essendi accidentium non est substantialis; ergo accidentia non possunt substantiali modo operari, influendo scilicet adæquatè in substantiam.

Respondeo, principium illud, quod in maiori assumitur, habere veritatem, loquendo de modo essendi causæ principalis, cui debet effectus in perfectione correspondere, quatenus non potest habere modum essendi nobiliorem modo essendi illius. At falsum esse, si loquamur de modo essendi illius causæ instrumentalis, quia hic potest esse ignobilior suo effectu. Porrò hanc esse genuinam interpretationem dicti principij, constat ex eo, quia assumitur communiter à Theologis in prima parte ad probandum non esse possibilem creaturam intellectualem, quæ per sua naturalia videat Deum intuitiuè. Sic enim (inquiunt) dicta creatura connaturaliter excederet in cognoscendo gradum illum abstractionis, quem habet in essendo, quod est impossibile, quia modus cognoscendi sequitur necessariò modum essendi.

Quoniam verò conflatum ex intellectu, & lu- 77
mine gloriæ habet modum essendi potentialem, quatenus omnis creatura aliquam semper potentialitatem essentialiter involuit; & tamen in modo cognoscendi nullam potentialitatem includit, eo quod cognoscit Deum sicuti est in se, per modum scilicet actus puri. Idcircò ijdem Theologi aduerunt principium illud debere intelligi de modo essendi causæ principalis, cuiusmodi esset creatura intellectualis: non verò de modo essendi instrumentalis, cuiusmodi est conflatum ex lumine, & intellectu. Per quæ patet, rectè distinctionem maioris tradidisse. Quare concessa minore, distinguo eodem modo consequens: accidentia non possunt substantiali modo operari principaliter, concedo: non possunt instrumentaliter, nego consequentiam. Quod si quæras vlteriorem huius distinctionis rationem, ea est, quia cum instrumentum non agat in virtute propria, neque per virtutem propriam, sed alterius, quatenus scilicet est subordinatum causæ principali, nempe substantiæ, cuius est instrumentum; idcircò non potest secundùm suum modum essendi limitare modum proprium operandi, & esse mensura perfectionis illius.

Instabis: quando dicitur, quod accidens in- 78
virtute, & per virtutem substantiæ attingit immediatè substantiam: vel sensus est, quod illam attingat per aliquid à se distinctum, vel per suum proprium esse. Non primum, cum quia non attingeret illam immediatè, tum etiam quia recurreret quæstio; assignandum enim vlterius esset, quid sit hoc distinctum, accidens ne, an substantia; neque secundum, quia sequeretur, quod accidens per se ipsum, & per virtutem propriam produceret substantiam.

Respondeo eligendo secundum membrum; dico enim cum Caetano, quod agere in virtute, & per virtutem alterius in casu nostro non transitiuè, sed intransitiuè sumendum est, ita vt sensus sit, quod ipsummet accidens secundùm suum proprium esse, sit essentialiter virtus, & instrumentum substantiæ. Vnde distinguo sequelas illas, quæ tamquam absurdæ, & nobis contrarię inferebantur: Accidens per se ipsum attingeret substantiā, si ly (per se ipsum) totam essentiam accidentis involuit, in qua ratio instrumenti substantiæ continetur, concedo: sed sic nihil continet absurdi. Sin autem vel ab hac ratione instrumenti prescindat, vel illam penitus excludat: nego, sequelam; & paulò aliter aliam distinguo: Accidens per propriam virtutem attingeret substantiam, idest per virtutem sibi identificatam, & essentialem, concedo: per virtutem non debitam, neque subordinatā alteri principio, nego cōsequentiam. Accidens enim actiuum cum essentialiter sit principium, quo substantia operatur, est illi penitus

in

instando subordinatum. Opposito modo respondendum est quærendo, vtrum substantia per virtutem propriam, an alienam generationem substantialem, seu substantiam effectus attingat. Si enim ly (per propriam) sumatur pro virtute sibi debita atque subordinata, dico quod operetur per virtutem propriam: si autem significet virtutem sibi ideo non debitam, atque essentialem, respondeo, quod operetur per alienam.

79 Instabis iterùm ex Quindo n. 30. quidquid demum sit accidens, in virtute, & per virtutem substantiæ operari. Accidens, quod ita operatur, operatur precisè per suam entitatem, qua operatio ratione præcedit; sed hæc semper manet imperfectior substantia; ergo non potest illam in sua virtute continere.

Respondeo distinguendo maiorem: Accidens, quod operatur in virtute substantiæ, operatur precisè per suam entitatem, quomodocumque accepta, nego; acceptam in ratione instrumenti concedo maiorem; & concessa minore, distinguo consequens: ergo non potest illam in sua virtute continere principaliter, concedo; instrumentaliter, nego consequentiam. Hucusque enim, quod entitas accidentis habeat rationem instrumenti, quâtus sit imperfectior substantia, non est, cur non possit illam causare. Sic si quis haberet sibi idem ministerium officium lictoris, seu carnificis regij, quamvis esset infimæ conditionis, per suam mortalitatem haberet ius æequissimum in vitas omnium Procerum, & Nobilium totius Regni. Certum contra hanc instantiam ex eiusdem Auctoris doctrina instanciq; sumi potest; ipse enim

2 *numero* 7. ait: non repugnare accidens, quod simul cum substantia aliam substantiam immediatè causare possit, quamvis substantia cum qua instituitur sola insufficiens immediatè causare illum effectum substantialem, tum sic: Accidens hoc, quod immediatè substantialem effectum operatur, operatur illum per suam entitatem; sed hæc, cum sit imperfectior substantia, non potest neque formaliter, neque virtualiter continere talem effectum, vt pote substantialem: ergo &c.

Quod si ipse ad hoc respondet *numero* 8. entitatem accidentis posse eminenter continere substantiam inadæquatè, non posse illum continere adæquatè. Ego pariter respondeo ad argumentum, repugnare quidem quod virtus accidentis contineat adæquatè substantiam principaliter, non verò, quod contineat illam instrumentaliter. Quæ maior ratio est, vt eius distinctio de adæquato & inadæquato principio quantumvis principali admittenda sit in præsenti controuersia, nō vero nostra de causa principali, & instrumentali: profecto mihi nulla videtur assignabilis.

80 Objicies tertiò: virtutem accidentis agere, vt subordinatam alteri, nihil aliud addit supra virtutem non subordinatam, quam relationem rationis, vel denominationem extrinsecam; si igitur virtus accidentis, vt non subordinata, non potest generationem substantialem attingere, neque poterit vt subordinata. Consequentia patet, quia neque relatio rationis, neque extrinseca denominatio virtutem actuam de impotente, & improportionata potest potentem, & proportionatam reddere ad effectum.

Respondeo distinguendo antecedens: Agere, vt subordinatam nihil aliud addit, nisi relationis rationis, seu denominationem extrinsecam, posito quod virtus esset indifferens ad habendam, vel non habendam dictam subordinationem extrinsecè, & intrinsecè subordinata, nego antecedens, & consequentiā. Quando enim dicimus, quod accidens per virtutem propriam scilicet non debitam, neque subordinatam alteri substantiam effectus attingere nequit, non est sensus, quasi verò accidens habeat virtutem indifferentem, quæ dū intelligatur subordinari substantiæ, substantiam attingere non posse; sed quod eius virtus operativa, quanta est, sit essentialiter, & intrinsecè debita, & subordinata alteri, ita vt si præscindimus ab eo, quod sit virtus alterius, præscindamus etiā ab essentia eius. Falsū igitur est, quod subordinario dicat solam relationem rationis, aut determinationem extrinsecam.

81 Instabis: Idem est, accidens agere in virtute substantiæ, ac agere vt accidens; sed vt accidens non continet adæquatè in sua virtute substantiam producendam; ergo neque vt agens in virtute substantiæ.

Respondeo data maiore, distinguendo minorem: non continet in sua virtute substantiā producendam adæquatè adæquatione causæ efficientis tum principalis, tum instrumentalis concedo: adæquatione causæ efficientis instrumentalis tantùm, nego minorem; & eodem modo distinguo consequens. Ex qua distinctione sequitur, accidens non posse producere substantiam, vt causam eā principalem, tum instrumentalem, non autem posse vt instrumentalem.

82 Objicies quartò: si accidens esset virtus operativa substantiæ, esset per consequens vis causativa eiusdē; sed hoc est absurdum; ergo &c. Sequela patet, quia pro eodem sumitur à Philosophis virtus, ac vis operativa, & causativa in genere efficientis. Minor probatur, quia vis causativa est id, per quod causa constituitur formaliter potēs causare; vnde perfectionem effectus vel formaliter, vel eminenter continere debet.

Respondeo virtutem operariuam causæ secundæ esse duplicem; principalem alteram, alteram instrumentalem: Principalis est substantialis essentia causæ secundæ. Instrumentalis sunt eius accidentia, per quæ agit. Porrò vis causativa communiter sumitur pro principali; nihil tamen obstat, quin sumi possit pro instrumentali; sicuti id, per quod causa constituitur formaliter potens, sumi solet pro virtute principali; potest tamen etiam ad instrumentalem transferri: nego tamen quod 83 sic, instrumentaliter scilicet accepta, vis causativa debeat formaliter, vel eminenter perfectionem effectus continere, bene tamen hoc pacto illum continere debet causa principalis, licet de reliquo mediate.

84 Objicies quintò: forma accidentalis quomodocumque sumatur, implicat, quod communicando se formaliter alteri subiecto tribuat illi aliquod esse substantiale; ergo implicabit etiam quod communicando se efficiendo idem esse subiecto communicet. Antecedens patet: nihil enim est possibile substantiale compositum, quod sic for-

Digitized by Google

forma accidentali posset in subiecto resultare. Consequentia probatur primò à simili; Deus enim nequit in genere efficientis producere effectum aliquem perfectiorem eo, quem produceret, si per impossibile formaliter se alicui subiecto communicaret. Secundò à priori, quia plus tribuit agendo subiecto, communicando se ei formaliter, quàm effectiuè; per formalem enim communicationem communicat se subiecto secundùm totũ suum esse, at per effectiuam secundùm participationem tantùm. Si ergo communicando se formaliter, non potest tribuere subiecto aliquod esse substantiale, multò minus poterit communicando se illi efficienter.

83 Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia formaliter nil aliud habet accidens, quam esse accidentale; non est mirũ, igitur si cõmunicando se formaliter subiecto, non possit ei esse substantiale formaliter conferre, constituendo videlicet vnà cum illo aliquod substantiale compositum; at in genere efficientis habet, quod sit virtus substantiæ. Cum igitur possit in hoc genere totum id, quod potest substantia per suam virtutem: rectè intelligitur, quod valeat in eodem genere substãtiale esse cõmunicare subiecto. Neque dicas accidens communicando se formaliter non posse non præstare illi, quod virtualiter importat; nam hoc dupliciter intelligi potest: Primò, quod debebat præstare suum esse accidentale, quod est instrumentaliter productiuum substantiæ. Secundò quod debeat præstare esse proprium illorum effectuum, quos virtualiter includit. videlicet esse substantiale. Primum est verum, sed non est contra nos. Secundum falsum, vt patet in cæteris; nam forma aquæ virtualiter includit formam frigoris, & tamen communicatur materiæ absque eo, quod illã reddat per se ipsam formaliter frigidam. Idem videre est in forma luminis, quæ includit virtualiter calorem, &c.

84 Iam verò ad priorem antecedentis probationẽ nego paritatem. Disparitas est, quia esse Diuino nihil intelligi potest nobilius: quare non est mirum, quod si per impossibile se formaliter communicaret subiecto, adhuc non posset producere effectum habentem nobilius esse; at esse substantiale est nobilius esse accidantali, non est igitur, cur accidens non possit esse accidentale communicare formaliter subiecto, & nihilominus instrumentaliter communicare effectui in genere efficientis esse nobilius, videlicet substantiale. Ad posteriorem autem nego assumptum; cum enim formaliter non habeat, nisi esse accidentis, efficienter verò esse substantiale contineat, impossibile est, quod plus tribuat communicando se formaliter, quam efficienter. Ad rationem verò in contrarium dico, quod quamuis accidens per formalem communicationem se tribuat secundũ totum suũ esse subiecto, per effectiuam verò nonnisi secundùm participationem: quia tamen totum suum esse formaliter non assurgit ad esse substantiale, quod est per participationẽ, ideo plus tribuit subiecto per posteriorem communicationem, quã per priorem.

Obijcies sextò: Nõ potest calor remissus producere se solo calorem intensum; ergo multò minus poterit intensus se solo producere formã aliquã substãtialem. Antecedens patet experientia. Consequentia suadetur, quia maior est distantia inter calorem intensum, & formam substantialem ignis, quam inter calorem remissum, & intensum; illa enim duo differunt prædicamento: at hæc non nisi secundùm magis, & minus; ergo &c. 85

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Ad probationem in contrarium distinguo assumptum: maior est distantia inter calorem intensum, & formam ignis, quã inter calorẽ intensũ, & remissũ, in ratione entis, cõcedo: in ratione producentis, & producti nego. Et dico, quod duo extrema possunt magis distare inter se in ratione entis, quam alia duo: & tamen minus distare in ratione producentis, & producti, vt videre est in homine, si ex vna parte comparetur cum calore, & ex alia cum equo. Homo. n. plus distat in ratione entis à calore, quã ab equo; siquidẽ à calore distat, tanquam substantia ab accidẽte physico, at cũ equo conuenit in genere proximo, & per solã vltimã differentiã differt ab illo; nihilominus tñ in ratione producentis, & producti plus distat ab equo, quã à calore, eo quod cũ possit caloré producere, non tñ habet vim producẽdi equũ. Quo posito dico, quod calor remissus licèt minus distet in ratione entis à calore intenso, quã calor intensus à substantia: contra tñ in ratione producentis, & producti. Cũ. n. calor intensus habeat virtutẽ se solo producendi substantiã, calor verò remissus careat virtute se solo producẽdi caloré intensũ: ideò in hac ratione minus distat calor intensus à substantia, quã remissus ab intenso. Cur verò natura fecerit, vt calor intensus in ratione productiui non distaret ab igne; calor verò remissus in eadem ratione distaret ab intẽso, ex his, quæ dicta sunt manifestum remanet.

Obiicies septimò: Si accidentia se solis posset adæquatè producere substantiam, vel hęc essent ea, quæ recipiuntur in materia, eamque ad formam substantialem disponunt: vel quę in ambiente, seu agente extrinseco reperiuntur. Neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet. *Minor* probatur; non primum, quia causa efficiens, quamuis instrumentalis, debet intelligi existens in priori naturæ ad effectum. sed accidentia disponentia ad formam substantialem nequeunt intelligi existere in priori naturæ ad ipsam formam; causantur enim in genere causæ materialis à materia, quæ in nostra sententia existit per existentiam formæ; vnde non possunt intelligi in eo instanti existere, nisi in posteriori naturæ ad ipsam formam, sicuti intelligitur ipsa materia. Neque potest dici secundum, quia in mixtione elementorum nullum agens extrinsecum assignari potest; nam ex mutua pugna ipsorum elementorum refrangũtur primæ qualitates illorum, & sic forma mixti resultat; ergo &c. 86

Respondeo, concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationẽ eligere posset aliquis priorem partem, dicẽdo accidentia, quæ recipiũtur in materia geniti, efficienter eius generationem

Digitized by Google

substantialem attingere. Et ad rationem in contrarium dicere, quod cum in priori naturæ ad generationem materia sit in via ad substantialiter existẽdum, benè potest intelligi existere per existentiam suarum dispositionum, atque adeò quod rectè in eo priori dictę dispositiones possint exercere munus causę efficientis respectu generationis, quatenus iam intelliguntur existere cum dependentia à materia prima.

87 Verùm hęc via non videtur securè ineunda, quia existentia accidentium, vtpote accidentalis non potest esse apta reddere materiam existentẽ pro eo priori, pro quo intelligitur in transitu ad formam substantialem; si enim hanc aptitudinẽ tunc haberet, cur non etiam illam haberet pro sequenti posteriore, imò & pro tempore sequenti, quando materia informatur ipsa forma substantiali? Profectò non videtur assignabilis maior ratio. Linquo ex hoc vlterius deduci, quod forma aduenire materiæ existenti, & sic non posset facere vnum per se cum illa, vti vidimus in Physicis.

Melius igitur tenenda est posterior via, dicendumque accidentia productiua formæ substantialis esse illa, quæ sunt extrinseca materiæ, ex qua educenda est dicta forma. Et ad rationem in contrarium dicendum existimarem, quod quemadmodum in seminibus dantur aliquæ partes, quæ cum habeant vim actiuam, & resistitiuam in gradu excellenti, faciunt quidem sua actione transire cętoras partes in materiam geniti, ipsæ verò minimè transeant, sic etiam in elementis, quæ sunt veluti semina mixtorum omnium; atque adeò quando ex mixtione resultat mixtum: semper supersunt aliquæ particulę elementorum illorum, quæ non deperdunt penitus dispositiones necessarias ad formam elementarem, quam antea habebant; sed quia remanent in lucta illa cum suis qualitatibus inæqualiter refractis cum ea attemperatione, quæ est propria formæ mixti producendi: ideò hæ qualitates cum sint debitæ mixti habent vim instrumentariam educendi dictam formam, & exigendi à Deo, tamquam à causa vniuersali suum immediatum concursum ad eam generandam. Atque hæ sunt quæ formam mixti substantialiter causant.

88 Instabis: partes seminis actiuę differunt essentialiter à passiuis, in quo nullum est absurdum, quia semen est substantialiter heterogeneum. At elementa sunt corpora simplicia, atque adeò homogenea; ergo &c.

Respondeo, quidquid sit de maiore. Ad minorem dico elementis, quæ ad mixtionem concurrunt, nullum est absurdum concedere heterogeneitatem aliquam accidentalem, cuius beneficio aliquæ partes reddantur in gradu excellenti actiuæ simul et resistitiuæ; alię verò in gradu remisso, huiusmodi potest esse densitas, & raritas; nil enim vetat. Sed hac posita heterogeneitate rectè omnia saluantur, ergo &c.

Iustabis iterum: si hæ elementorum particulę retinerent qualitates suas cum ea attemperatione refractas, quam exigit forma mixti, repugnat, quod non deperdant dispositiones necessarias ad formam substantialem, quam habebant; ergo tradita solutio nulla est.

Respondeo, distinguendo antecedens: Et si quidem illa attemperatio qualitatum requisita à forma mixti esset in eodem subiecto, concedo; posito quod sit in diuersis subiectis, nego antecedens, & consequentiam; Et dico, quod adęquatam attemperationẽ exactam à forma mixti ego nõ pono, in singulis particulis remanentibus elementorum, sed in omnibus collectiuè, v. g. si mixtum generandum indigeat calore vt quinque, & frigore vt tria, humiditate verò vt sex, & siccitate vt duo. Puto, quod vna ex illis particulis post pugnam, remanebit quidem cum calore vt quinque, & frigore vt tria, sed retinebit siccitatem vt septem, vel etiam intensiorem; vnde est, quod adhuc conseruabit dispositiones necessarias ad formam ignis, quam antea habebat. Item quod alia particula post dictam pugnam remaneat quidem cum humiditate vt sex, & siccitate vt duo, sed minimam iacturam fecerit frigoris, si erat pars aquę, vel caloris, si erat aeris; vnde est, quod adhuc conseruabit dispositiones necessarias ad formam aquę, vel aeris conseruandam; sed quia in his duabus partibus collectiuè acceptis reperitur attemperatio qualitatum exacta à forma mixti generandi, nimirum calor vt quinque, & frigus vt tria, nec non etiam humiditas vt sex, & siccitas vt duo: rectè intelligi potest, quod forma illa substantialis à conflato harum qualitatum tamquam à proprio instrumento generetur. Simile quid reperies in Quiedo *in phys. controu.* 18. *punct.* 2. *num.* 6.

89 Quod si hęc responsio ad argumentum principale non placet. Respondeo secundò, accidentia quę se solis producũt substantiã in mixtione, esse illa, quę in ambiente extrinseco reperiuntur. Pro quo aduerto, quod licet partes aliquę elementi v. g. aeris, in quo exercetur mixtio conuertantur in mixtum: aliæ tamen partes eiusdem aeris, contiguæ mixtioni, quamuis non conuertantur, valde tamen alterantur, dum adiuuare conantur partes socias ab actione contrariorum elementorum. Porrò huiusmodi alteratio propter vicinitatem non potest non esse valde similis ei, quam patiuntur miscibilia. Vnde non est mirum, si primę qualitates, quę in fine pugnę in his partibus reperiuntur refractę, debeantur tamquam instrumenta formæ mixti, quę ex illa pugna resultat; quia licèt non sint adeò refractę, vt ad eius generationem sufficiant, sufficiunt tamen ad eius conseruationem ex suppositione, quod in materia, in qua sũt, genita esset. Rectè igitur intelligi potest, quod forma mixti causetur ab his qualitatibus, quę in his partibus circumstantibus in instanti mixtionis habentur, tamquam instrumentis sibi debitis.

90 Obijcies octauò: si ignis ex se, & immediatè non produceret ignem, sequeretur, quod non esset verè, & propriè causa illius, sed denominatiuè tantùm, & veluti per accidens, hoc est per aliud. Atqui hoc est inconueniens, vt de se patet; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia causa verè, & propriè debet influere immediatè esse in effectum; sed si ignis ex se, & immediatè non produceret ignem, non influeret esse in ignẽ; ergo &c. Maior huius suadetur, ex eo quia si Deus mediatè tantùm in effectus causarum secundarum in-

Digitized by Google

influeret, conseruando videlicet ipsas causas secundas, sicut dicebat Durandus, non esset verè, & propriè causa illorum effectuum. sed non nisi, quia non influeret immediatè in dictos effectus, quamuis de cætero influeret in causas eorum, &c.

91 Respondeo, negando sequelam. Ad veram, & propriam rationem causæ habendam in igne, sufficit, si ignis medio suo instrumento producat effectum; quamuis enim instrumentum realiter distinguatur ab ipso igne non tamen dici propriè potest, quod sit aliud ab eo, siquidem est aliquid ad ipsum pertinens, illumque completens in ratione causæ.

Iam verò ad probationem sequelæ distinguo maiorem: immediatè per se ipsam, nego; vel per se ipsam, vel per suam virtutem, concedo. & ad confirmationem in contrarium, concessa maiore, nego minorem. Idcirco enim Deus data sententia Durandi non esset causa verè; & propriè effectuum causarum secundarum, quia causæ secundæ non essent verè, & propriè illius instrumenta: non verò quia non influeret immediatè per se ipsum in dictos effectus: at verò in casu nostro calor ponitur esse verè, & propriè instrumentum ignis. Per hoc igitur, quod Deus in sententia Durandi conseruaret causas secundas, solùm haberet esse causa mediata illorum effectuum, atque adeò impropriè rationem causæ dictorum effectuum participaret, vt diximus *in Physicis*.

Ex quibus colliges falsum esse id, quod aliqui inferunt contra nos, quod scilicet si accidens posset immediatè attingere substantiam, tolleretur è medio via ex perfectione effectuum veniendi in cognitionem suæ causæ efficientis; eo quod videamus effectum perfectissimum, cuiusmodi est animal v.g. ab imperfectissimo accidente immediatè causari. Non enim hoc ex nostra sententia sequitur: quia cum dicamus accidens agere in virtute suæ causæ principalis, quamuis ex perfectione effectus possimus venire in cognitionem perfectionis accidentis à quo immediatè pendet: rectè tamen venire possumus, imò debemus in cognitionem causæ principalis, quæ est verè, & propriè causa illius.

Obijcies nonò: Si ignis mediante calore gene- 92
rat ignem, sequeretur, quod non minus eius materia dici posset principium actiuum, quam eius forma: sed hoc est inconueniens; ergo &c. Minor patet, quia materia non est actiua. Sequela
? verò probatur: quia calor primò, & per se toti igni debitum est.

Respondeo, negando sequelam. Ideò enim forma substantialis causæ, non verò eius materia dicitur principium operatiuum generationis substantialis; quia accidentia non subordinantur immediatè materiæ in agendo, neque illi debentur, sed debetur, & subordinantur formæ. Ad probationem sequelæ, distinguo assumptum: calor primò, & per se toti igni debitum est, tamquam principio vt quod, concedo, tamquam rationi formali primariæ, cuius beneficio principium vt quod illud exposcit, nego assumptum, & consequentiam. Ratio autem à priori, cur igni conueniat calor est forma ipsius ignis, à qua immediatè emanent, & cui primo debetur.

SECTIO NONA.

Soluuntur obiecta, quibus probatur substantiam ex se, & immediatè saltem inadæquatè producere posse substantiam.

OBijcies primò: Quædam Aristotelis loca, 93
quibus videtur sentire substantiam immediatè attingere productionem substantiæ. 7. *enim metaphysic. tex.* 32. ait: Proprium substantiæ esse, vt ante substantiam genitam, alia substantia præexistat: benè tamen produci posse accidens absq; eo quod præxistat aliud accidens. 4. *verò Meteororum cap. vltimo* docet: Omnia, quæ verè sùt, posse opus suum efficere: opus autem substantiæ maximè est alterius substantiæ productio: denique 2. *de anim. tex.* 32. ait: Naturalissimum viuentium perfectorum esse generare sibi simile.

Respondeo, explicando singula loca; & quidē 7. *met.* loquitur de generatione substantiæ perfectorum animalium, quæ necessariò ab animalibus similibus in natura naturaliter fieri debet, quatenus debet ab ipsis elaborari semen, & foueri fœtus. Hoc autem non exigunt accidentia; calor enim non fit necessariò ex præexistente calore, neque nigredo ax nigredine præexistente; nisi dicas substantiam existentem ad generationem substantiæ prærequiri tantùm ad hoc, vt accidentia, quæ sunt immediatum generationis principium existere possint; horum enim esse est inesse. At accidens potest ab ipsa substantia immanenter operante procedere. 4. *Meteor.* & 2. *de anima*, sermo est de effectione, & generatione siue immediatè, & per se, siue mediatè, & per instrumēta. Cæterùm de mente Philosophi satis superque supra egimus.

Obijcies secundò: materia est immediatè recep- 94
tiua formæ substantialis; ergo & forma est immediatè alterius formæ substantialis productiua. Consequentia claret, non minus enim forma est operatiua: quam sit passiua materia, vt Philosophus sæpè docet.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, tum quia materia numquam recipit formam vbi, & quando non est: at forma sæpè debet posse agere extra se, & extra proprium subiectum; quin imò etiam aliquando eo tempore, pro quo non existitit: tum etiam quia si materia reciperet mediatè formam, vtique non faceret vnum per se, & cum illa; forma autem ex eo, quod formam producat, non debet facere vnum per se cum dicta forma. Probatio consequentiæ multipliciter falsa est, præsertim quia materia est formarum omnium receptiua, forma verò non est earum omnium factiua. Quod si Aristoteles 2.
secundo de generat. tex. 38. dicit: formæ esse agere, & materiæ pati; non debet intelligi eodem modo, sed cum explicata proportione.

Obijcies tertiò: Si possumus substantijs corpo- 95
reis sublunaribus concedere vim ex se, & immediatè productiuam substantiæ, vtique debemus; sed possumus; ergo &c. Maior patet paritate Dei, qui munus primæ causæ immediatè per se ipsum exercet; nec non etiam paritate accidentium nobiliorum, vt luminis, & primarum qua-

litatum, quæ nullo medio instrumento producunt sibi simile. Minor verò probatur, quia si non possemus, maximè quia dicta vis illis repugnat. sed hoc est falsũ; nã si repugnaret, vel repugaret illis, quatenus substãtię sũt, vel quatenus sũt corporeæ. non primũ, quia Deus est substantia, & immediatè substantiales generationes attingit: neque quatenus corporeæ, quia lumen, & primæ qualitates sũt corporeæ, et tamen producunt immediatè sibi simile.

Respondeo, concessa maiore, negando minorẽ; ad cuius probationem distinguo maiorem, si non possemus, maximè quia dicta vis illis repugnat, hoc est, implicat contradictionem, nego. Puto enim quod substantia materialis, quæ attingat immediatè, & ex se substantialem generationem, quantum est de se, non sit impossibilis; siue ponatur esse de se principium adæquatum, & sufficiẽs, siue insufficiens, & inadæquatum: Repugnat hoc est, naturaliter loquendo non est illis concedenda, quatenus non habemus sufficiens fundamentũ vt substantijs, quæ modo existunt, eam concedamus, concedo antecedens, & nego consequẽtiam. Dico enim quod natura compertum est nõ esse multiplicanda entia sine necessitate; vnde cũ ex vna parte experientia constet in accidentibus in esse virtutem instrumentariam adęquatè producendi substantiam, quia, vti probauimus, absente causa substantiali illam attingunt. Ex alia verò videamus, quod quando adest substantia, quæ deberet posse saltem partialiter vna cum illis immediatè concurrere: nisi tamen sit prædita tot, tantisque accidentibus, quot quantaque necessaria essent ad generationem illam substantialem peragendam si dicta substantia non adesset, non sequitur generatio (vt patet ex aqua calida, & similibus) hinc fit, vt negemus substantię huiusmodi virtutem, ne sine vlla necessitate virtutes hasce multiplicare videamur. Ex quo patet solutio instantiæ eorum, qui ex eo, quod non sit nouum duo diuersi generis agentia distributiuè sumpta habere virtutem adæquatam eumdem effectum in specie producendum: inferunt virtutem adæquatè producendi substantiam immediatè, tum substantiæ, tum accidentibus cõcedendam. Neganda est enim illatio propter rationem modò assignatum: quia nos, nonnisi experientia duce concedimus virtutem adæquatam agendibus diuersi generis eumdem effectum producendi; in quantum videmus modò vnum, modò alterum de facto illum producere. In casu autem nostro dicta experientia destituimur; aliunde verò similitudo in natura non est sufficiens fundamentũ vim effectiuam alterius similis alteri cõcedendi, vt sexcentis exemplis manifestũ est.

96 Obijcies quartò: quod ex se immediatè est principium essendi, est ex se immediatè principium operandi; sed forma substantialis est ex se immediatè principium essendi substantialiter, quia materia prima habet existentiam emendicatam ab illa; ergo forma substantialis debet esse ex se immediatè principium substantialis operationis, qualis est generatio.

Respondeo negando maiorem, quamuis enim forma quod est ex se immediatè principium essendi substantialiter, non possit non esse principium operandi: at non eodem modo, hoc est ex se, & immediatè. Ratio huius potest esse, quia idem principium non eadem immediatione esse substantiale, & operationem substantialem attingit. Nam esse attingit tamquam actum primum, operationem verò tamquam actum secundum, quem exercere debet transeuntem, & sępè quando & vbi non est. Vnde non est mirum, si hunc mediante sua virtute, quæ sit præsens, & existens attingat.

Obijcies quintò: Experientia constat, quod calor naturalis humanus non producit, nisi effectus substantiæ hominis proportionatos, hoc est humanam carnem, &c. Piscis verò nonnisi effectus proportionatos substantiæ piscis, & sic de reliquis caloribus, qui in diuersis viuentibus reperiuntur, non producunt, nisi effectus illis proportionatos. Sed hæc experientia saluari nequit, nisi dicamus, quod cum calore concurrat substantia illius viuentis, in quo subiectatur calor. ergo substantia habet vim saltem inadæquatam ex se, & immediatè attingendi substantiam. 97

Ad hoc argumentum respondent aliqui primò calores promanantes à substãtijs essentialiter diuersis differre inter se essentialiter, & ideò ad producendos effectus illis proportionatos non indigere concursu immediatè ab ipsis substantijs proueniente. Sed hæc responsio est apertè falsa, & ab omnibus reijcienda; videmus enim calore rerum inanimatarum, vt ignis, Solis, &c. augeri calorem viuentium, quod non fieret, nisi dicti calores essent eiusdem rationis. Respondent alij secundò cum quibus videntur sentire Complutẽses *disp. 10. phyſic. quæſt. 3.* calores diuersarum substantiarum proprios, licèt non differant inter se essentialiter, differre tamen virtualiter. In quantum quilibet habet virtutem producendi, & ad generandi substantiam proportionatam principio à quo procedit. Sed neque hi audiendi sũt & ratio est in promptu. Nam virtualitas hæc vel distinguitur realiter à calore, cuius est virtualitas, vel non: primum dici nequit, alioquin darentur in natura aliquæ qualitates actiuę, & passiuæ priores primis, cuiusmodi essent hæ virtualitates, quarum beneficio diuersi calores diuersos effectus substantiales attingerent; ergo dicendum est quælibet virtualitatem cum proprio calore identificari. Sed hæc virtualitatum diuersitas non potest diuersam essentiam in ipsos calores non inducere, vt de se patet; ergo &c. 98

Respondendum igitur tertiò, negando minorem: optimè enim memoratæ experientiæ saluatur, si dicamus, quando fit nutritio in homine v.g. simul cum calore naturali ipsius hominis concurrere, licèt minus principaliter, cæteras dispositiones, quę ad animam hominis necessariæ sunt, & in eo tunc temporis existunt; & ideò produci effectus substantialem substantiæ hominis proportionatum; Idemque dicendum de nutritione cuiuscumque alterius viuentis; atque adeò substantialem illam diuersitatem, quam in diuersis effectibus cernimus non prouenire à solo calore; sed à diuersa combinatione reliquarum primarũ qualitatum, quæ vna cum illo in viuente existit. Quemadmodum enim idem calor in disponendo coniunctus cum his qualitatibus exigit hoc genus for-

formarum substantialium, cum illis verò aliud: ita & in agendo diuersas producit.

Instabis: si tradita doctrina vera esset, sequeretur, quod primæ quatuor qualitates haberent vim actiuam cathegorematicè infinitã; sed hoc est absurdum, vt de se patet: ergo &c. Sequela probatur, quia vis actiua actualis potens producere effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum est cathegorematicè infinita. sed si calor vnà cum tribus reliquis primis qualitatibus possent producere effectus substantiales singulis substantijs proportionatos, iam haberent actu vim actiuam potentem producere effectus substantiales perfectiores, & perfectiores in infinitum; ergo haberent vim actiuam cathegorematicè infinitam.

99 Respondeo, negando sequelam: Ad cuius probationem concessa maiore, nego minorem: quia non sunt possibiles substantiæ corporeæ generabiles, & corruptibiles perfectiores, & perfectiores in infinitum; omnium enim perfectissima est homo, vt de se patet. Quod si possunt dari substantiæ imperfectiores, & imperfectiores homine in infinitum (de quo posset esse dubium) hæ non arguunt infinitatem perfectionis in primis qualitatibus potentibus illas producere. Quemadmodum enim benè quidem arguitur infinitas cathegorematica in extensione illa, ex qua possunt extrahi partes maiores, & maiores vni certæ, ac determinatæ; malè tamen in alia huiusmodi infinitas argueretur, si ex ea possent extrahi partes minores, & minores in infinitum: ita & in casu nostro. Quod si quis contendat hominem propter formam spiritualem, quam habet esse alterius rationis; atque adeò non obstare, quin sint possibiles substantiæ materiales perfectiores, & perfectiores in infinitum. Permitto huic, quod assumit; sed adhuc nego ex nostra sententia sequi primas qualitates habere vim cathegorematicè infinitam. Et ratio est, quia ad hoc vt effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum arguant cathegorematicam infinitatem in causa: debet haberi constantia entitatis ipsius causæ; nã si ad diuersitatẽ effectus diuersificatur causa, nunquam habebitur causa cathegorematicè infinita. Atqui in casu nostro non haberi constantiam causæ suadetur ex eo, quia pro diuersis effectibus efficiendis diuersæ combinationes primarum qualitatum necessariæ sunt, & non vna potens est pro omnibus, vt de se patet. Quod si omnes combinationes diuersæ in primis qualitatibus intensis vt octo continentur, parum refert, quia si sic intensè dictæ qualitates accipiantur siue collectiuè, siue distributiuè, cum nulli substantiæ sint debitæ, nullam substantialem effectum producere possunt. Quod si eædem qualitates secundùm varias combinationes sumantur, secundùm quas varias substantias producere possunt, cum impossibile sit, quod simul dictas omnes combinationes habeant (vna enim est contraria alteri,) impossibile etiam est, quod habeant actu vim producendi substantias perfectiores, & perfectiores in infinitum; pro singulis enim diuersisque substantijs singulæ, diuersæque combinationes necessariæ sunt.

SECTIO DECIMA.

Afferuntur, & soluuntur obiecta, quibus probatur accidens non vt causam instrumentalem, sed vt principalem generationem substantialem attingere.

OBijcies primò ex Aristotele *de sensu, & sensibilibus cap. 4.* vbi habetur, quod ignis, qua ignis est, nihil natus est agere, vel pati, sed quatenus habet calorem, agit, & patitur: ergo accidenti, & non substantiæ conuenit principaliter operari. 100

Respondeo Philosophum *loco citato* intendere solùm, quod ignis non attingit immediatè, & per se ipsam generationem ignis, sed benè illã attingat mediante calore; cum quo bene stat, quod ipse ignis sit causa principalis, calor verò instrumentalis: Nego igitur consequentiam.

Obijcies secundò: Instrumentum non mouet, nisi motum; sed accidens generando substantiam mouet passum, absque eo quod sit ab alia substantia motum; ergo non producit substantiam vt causa instrumentalis, sed vt principalis: Maior patet ex instrumentis artis, quæ ad hoc vt operẽtur secundùm artem debẽt necessariò ab Artifice præmoueri. Minor verò suadetur, quia sæpè calor, qui numquam fuit coniunctus cum forma ignis, generat ignem, sicuti est ille, per quem in puncto reflexionis radiorum Solis producitur ignis; sed huiusmodi calor impossibile est, quod motus fuerit à forma ignis: ergo &c. 101

Respondeo dari duo instrumentorum genera: quædam enim ex suis intrinsecis, & essentialibus habent completam rationem instrumenti, & hæc dicuntur instrumenta separata; alia verò quæ ex suis essentialibus non habẽt rationem instrumenti in ordine ad efficiendum effectum, ad quẽ adhibentur, cuiusmodi sunt instrumenta artis in ordine ad artefacta, & similia, quæ appellantur instrumenta coniuncta. Quo posito, distinguo maiorem: instrumentum coniunctum non mouet nisi motum, concedo: instrumentum separatum, nego maiorem: quia hoc iam supponitur ex suis intrinsecis completum in ratione instrumenti; & sic concessa minore, nego consequentiam, quia præter instrumenta, quæ ad hoc, vt moueant, indigent præmoueri, dantur alia, quæ cum sint completa ex suis intrinsecis in ratione instrumenti, nullam prærequirunt motionem à causa principali ad hoc, vt operentur. Quod si Aduersarius hanc duplicem rationem instrumenti non vult admittere; ne cum eo contendam, noto ex D. Thom. *quæst. 3. de potent. art. 11. ad quintum.* quod instrumentum tandiù à principali agente intelligitur moueri, quandiù retinet virtutem ab illo impressam. Acqui accidens ponitur à nobis esse in se virtus ipsius substantiæ, atque adeò realiter indistinctum ab illa; ergo quandiù est, semper intelligitur motum à substantia absque alio superaddito. Benè igitur potest operari vt instrumentum substantiæ.

Obijcies tertiò: cuius agentis est producere prin- 102

Digitized by Google

principaliter substantiam, cuius est producere, vt quod, dispositiones completas ad substantiam; sed accidentis est producere vt quod dispositiones completas ad substantiam; ergo &c.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem; nam supra probauimus accidens etiam in productione accidentis se habere instrumentaliter, & vt virtutem substantiæ. Quod si quis id non recipit, neget maiorem propter euidentem disparitatem, quæ est inter accidens, & substantiam.

103 Obijcies quartò: nisi accidentia vt causæ principales substantiam attingerent, sequeretur, quod in multis generationibus nō posset assignari causa principalis. Consequens est absurdum; ergo &c. Sequela probatur, quia in multis casibus deest causa principalis, quę sit substantia applicans ex intentione finis instrumenta, & per se effectus generationem intendens; vt quando animalia generantur ex putri, & ignis ex solidorum corporum attritione; ergo si tunc accidentia non essent causę principales, nihil aliud assignari posset, quod esset huiusmodi. Minor verò probatur, quia causæ instrumentales dicuntur per ordinem ad principales; quare si in generatione aliqua deest causa principalis, non poterit dicta generatio attingi per accidentia tamquam per instrumenta, quorum munus est agere in virtute causę principalis.

Ad hoc argumentum respondere posset aliquis non improbabiliter negando sequelam; & ad eius probationem dicendo, quod in dictis casibus, in quibus deest causa principalis, quę ad generationem substantialem ordinet accidentia, recurrendum est ad causam vniuersalem, & asserendum, quod accidentia illa vt virtutes, & instrumenta causæ primę generationes dictas attingant. Neque in hoc recurritur ad Deum vt immediatum concursum suppleat, adhibendo scilicet, maiorē concursum eo, quem antea adhibebat vt faciunt Aduersarij, sed tantum ad hoc, vt suppleat defectum causæ principalis per se intendentis effectum, & instrumenta ad certum finem ordinantis. Quæ quidem instrumenta licet primò, & per se sint natura sua subordinata causis particularibus, quarum sunt vires: nil tamen obstat, quo minus, deficientibus illis, veluti secundario vniuersali subdantur. Generatio igitur muris ex putri primę causæ tamquam causæ principali in hac via tribui potest, in quantum in eius virtute accidentia illa operantur, ab eaque ordinantur. Hinc tamen non sequitur, quod Deus dici debeat pater muris, quia huius generatio nō sit per principium coniunctum in similitudinem naturæ, vt patet.

Sed solidiùs respondeo: accidentia, quæ attingunt generationem, absentibus causis principalibus, esse natura sua instrumenta essentiæ, ac naturæ specificæ illarum causarum; vnde in dictis casibus dico, causam principalem non esse substantiam aliquam in particulari determinatam, sed indeterminatam hanc, vel illam, sicuti diximus in *Physicis* quærentes, quomodo materia formas substantiales respiciat. Ex quibus patet principalem causam muris ex putri esse essentiam ipsā muris, cui à natura de illis accidentibus, tamquā de instrumentis separatis, atque completis prouisum est. Neque dicas actiones ex Aristotele *7. met. text. 32.* debere esse indiuiduorum, & existentium; Ne id dicas, inquam, quia ibi Philosophus loquitur solùm de his causis, quę debent in agendo immediatè concurrere; at verò causæ principales medijs suis virtutibus operantur.

Instabis ex Arriaga *à numero 32.* si huiusmodi productiones factę ab accidentibus tribuerentur tamquam causæ principali naturæ specificæ illius substantiæ, quę producitur: sequeretur, quod quando ex putri materia generatur rana, ad huiusmodi generationem concurret principaliter ipsa rana peoducta, eiusque filij, & nepotes vsque ad finem mundi; sed hoc est apertè falsum; sic enim rana illa se ipsam primò produceret, & primò penderet in genere causæ efficientis à suis effectibus, quos ipsa procedente tempore efficiēter causatura erit; ergo &c. Sequela probatur, nam siue dicamus naturam specificam ranę non præscindere ex parte obiecti, nil aliud importabit, quam omnes ranas simul sumptas confusè cognitas: siue dicamus præscindere, iam importabit formalitatem ab omnibus ranis tum existētibus, tum possibilibus obiectiuè abstractam; ergo semper identificabitur cum rana producta, & cum suis filijs, atque nepotibus. Si igitur naturæ specificæ ranæ dicta generatio tamquam causæ principali tribueretur, tum rana producta, tum eius filij, & nepotes in infinitum principaliter concurrerent ad huiusmodi generationem, quod erat probandum.

Respondeo, distinguendo sequelam: *sequeretur, quod ad generationem ranæ ex putri materia ortæ concurret principaliter ipsa rana producta, eiusque descendentes sumptæ in particulari, & quatenus tales sunt, nego; sumptę in generali, & quatenus participant rationem specificam ranæ* vt sic, concedo; & sic distinguo minorem: rana illa sumpta in particulari se ipsam primò produceret, & penderet efficienter à suis effectibus itē in particulari acceptis, nego: penderet à se *ipsa* sumpta in generali, & à suis effectibus item *in* generali acceptis concedo. Eamdemque distinctionem ad sequelæ probationem adhibeo: & pro eius explicatione aduerto, duplex genus instrumentorum dari posse; quædam sunt propria alicuius causæ principalis in particulari, vt calor, qui est in igne, semen, quod decisum est à viuente, &c. Quędam verò, nulla est causa particularis, sibi ea principaliter appropriet; sed soli alicui quæ naturę specificæ in communi ascribi possunt, cuiusmodi sūt qualitates productiuę ignis in puncto reflexionis excitati, ranæ ex putri materia procreatæ, & similium. Iam verò licēt absurdissimum sit, & impossibile, quod ad generationem ranæ concurrant principaliter ipsa rana, eiusque posteri per instrumenta primi generis; non est tamen absurdum, nec impossibile, quod sic concurrant per instrumenta secundi generis. Ratio disparitatis esse potest, quia instrumenta prioris generis supponere debent existentem ranam, quę ea sibi appropriet, & asciscat. Vnde impossibile est, quod eam primò causent, & multò minus eam causare poterunt eius posteri, qui ab ea existente producendi sunt. At instrumenta posterioris gene-

Digitized by Google

generis ex vna parte non supponunt existere, aut extitisse ranam, quam debent instrumentaliter producere: ex alia verò illam respiciunt, vt causam principalem, quatenus participat rationem ranæ in communi, non verò in particulari quatenus talis numero rana est. Ex quo deducitur, quod ipsa nonnisi simul cum alijs omnibus ranis tum existentibus, tum possibilibus rationem causæ principalis in sui productione participet, atq; adeò quod à causa principali realiter inadæquatè distinguatur, in quo nulla apparet absurditas, vt probari posset ex equo, qui per virtutem nutritiuam multas partes materiæ, in quibus produxit partes equinę formæ sibi adgenerauit.

105 Subinstabis: rana, quæ producitur, est effectus causę principalis, quæ per illas qualitates tamquam per instrumenta propria operatur; ergo nullo modo potest esse causa principalis in sui productione, aliàs esset causa, & effectus sui ipsius in genere efficientis. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; & ad probationem in contrarium dico non esse absurdum, quod causa creata in communi sit idem realiter inadæquatè cum effectu in particulari; nam nulla est causa creata, quæ non sit simul effectus, vt de se patet. Quemadmodum igitur in sententia Arriagæ *disp. 6. de anima sect. 3.* eadem intellectio potest habere pro obiecto directo inadæquato se ipsam, vt quando dicimus (omnis actus intellectus est cognitio) (Deus cognoscit omnes cognitiones creatas nulla excepta) nam ipsa est vna ex omnibus, quæ cognoscuntur: ita poterit eadem rana in particulari esse effectus sui ipsius sumpta in communi modo dicto.

Vrgebis interùm inter causam principalem, & effectum datur relatio prædicamentalis. Sed nihil potest prædicamentaliter ad se ipsum referri ergo; &c. Respondeo maiorem esse veram de causa principali in particulari, quæ sibi specialiter appropriat instrumenta, quæ immediatè attingunt effectum, non autem loquendo de causa principali in communi.

Instabis secundò ex Quiedo *numero* 4. species 106
nullam habet virtutem præter illam, quam habet indiuidua, & repugnat in specie reperiri virtutem, in aliquo indiuiduo non repertam. Sed nullum ex indiuiduis speciei ranæ habet virtutem producendi ranam illam; ergo neque in specie indiuiduorum ranæ talis virtus agnosci potest.

Respondeo negando maiorem; quæ enim repugnatia est in hoc, quod detur aliquod instrumentum nulli determinato indiuiduo alicuius speciei addicto, sed addicto tantùm ipsi speciei: quemadmodum enim in sententia eorum, qui volunt materiam rectè dispositam esse indifferentem ad hanc, vel illam numero formam recipiendā: hæ numero dispositiones ad formam ignis, v. g. nulli formæ ignis in particulari addictæ sunt, sed sunt addictę formæ ignis in cōmuni, ita vt quantum est de se non disponant potius ad vnam, qua ad aliam: ita & in casu nostro. De reliquo quamuis in rei veritate hæc ita se habeāt, abstinendum censeo ab his, & similibus loquutionibus: species generat, species produeit, efficienter tamquam causa principalis concurrit, &c. quia huiusmodi loquendi modi ex primaria hominum intentione non nisi causis efficientibus indiuiduis, quæ operantur per instrumenta sibi appropriata conueniunt.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SECVNDA.

DE POTENTIA OBEDIENTIALI.

1 NVllibi melius de hac celebri quæstione agendum videtur, quam hoc loco: vbi satis explicatum est, qua ratione accidentia effectus substantiales, qui sunt multò nobiliores, quam ipsa immediatè, & adæquatè producant per potentiam naturalem sibi identificatam; nomine enim Potentiæ Obedientialis, quam alij supernaturalem appellant, venit potentia illa, cuius beneficio creatura ordinis naturalis redditur apta ad causandum aliquos effectus suis viribus penitus improportionatos per hoc, quod subdatur voluntati Dei illam ad huiusmodi effectus eleuantis. Vnde est, vt res creatæ in ordine ad dictos effectus habeant rationem causæ instrumentalis respectu Dei, sicuti eam habent accidentia in ordine ad substantiales generationes respectu substantiæ, cui tamquam instrumenta debentur.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit potentia obedientialis.

2 PRo decisione notandum primò, potentiam obedientialem, si vim nominis spectemus, significare passiuè, aptitudinē scilicet, quam habet natura inferior, vt à superiore moueatur, ac veluti habilitetur in ordine ad causandos aliquos effectus, quos natiua virtute causare non potest, siue demum ad huiusmodi effectus passiuè concurrat, siue alio modo. Notandum secundò huic potentię ex parte Dei correspondere eleuationē, quæ sonat actiuè, & significat motionem siue auxilium indebitum, quod à Deo creaturæ confer-

tur,

tur, vt dictos effectus præstare valeat. Notandũ denique tertiò, quod si strictè, & rigorosè loqui velimus, huiusmodi effectus, in ordine ad quos est potentia obedientialis, superare debent vires, & exigentiam totius naturæ, cuiusmodi sunt solaenti a intrinsecè, & quo ad entitatem suam supernaturalia v.g. actus Fidei diuinæ, actus Spei, Charitatis, Visionis Dei, & similes. Quamuis n. ignis v.g. non habeat potentiam naturalem in ordine ad producendum frigus; si tamen Deus faciat, vt illud producat, non dicetur in rigore per potentiam obedientialem operari, quia cum frigus sit igne ignobilius, potius deprimi, quam eleuari ad eum causandum censebitur. Imò etiam si ad aliquod ens substantiale nobilius se ignis euehereturà Deo, v. g. ad producendum equum: quia tamen talis effectus esset intra limites naturæ, si stamus in rigore Theologico, neque diceretur ignis per potentiam obedientialem operari, siquidem ad hunc effectum præstandum non indigeret eleuatione, quę in altiori ordine, quam sit ordo naturalis, eum collocaret; hic enim ordo est solus ordo supernaturalis, ad quem non assurgit causa, nisi per eleuationem, quæ sit secundùm suum esse supernaturalis, qualis nó esset illa, per quam ignis eleuaretur ad producendum equum. His tamen non obstantibus non negauerim creaturam etiam dictos effectus per potentiam obedientialem operari, si minus rigorosè de potentia obedientiali loqui velimus. Iam verò his prænotatis, sit.

Prima Cõclusio: Potẽtia obediẽtialis rectè describitur, esse aptitudo quædã in creatura, vt pro arbitrio Dei per eius auxiliũ sibi indebitũ præstet aliquid, quod naturali virtute, & per concursum sibi debitum præstare non potest. *Vbi pro explicatione aduerte, quod vt tradita definitio de potentia obedientiali strictè, & rigorosè acceptæ verificetur, vltimæ particulæ non* solùm excludere debent *propriam virtutem* naturalem illius creaturæ, sed *etiam* totius naturæ creatę, ita vt concursus *ille Dei* nulli prorsus enti ordinis naturalis *debitus* sit. Conclusio autem sit explicata.

Probatur: Duplex aptitudo in re naturali con-3 siderari potest: Vna est per comparationem ad illos effectus, quos causare potest cum concursu generali sibi debito, vel se sola, & præcisè sumpta, vel quatenus coniuncta cum alijs comprincipijs, quę naturaliter illi possunt adiungi; huiusmodi est aptitudo ignis in ordine ad comburendum, & intellectus in ordine ad intelligenda illa obiecta, quorum species illi naturaliter adiungi possunt; atque hæc quidem est naturalis. Altera est per comparationem ad illos effectus, quos producere non potest per concursum debitum suę virtuti, neque secundùm se sumptæ, neque acceptæ cum alijs comprincipijs, quæ naturaliter illi possunt coniungi; huiusmodi est aptitudo, quam habet anima ad visionem Dei, quia, neque illi secundùm se, neque vt coniunctæ cum alio comprincipio, cui naturaliter coniungi possit, debitus est concursus ad visionem. Lumen enim gloriæ, ratione cuius est ei debitus dictus concursus, naturaliter anima consequi nequit.

Atque hæc est potentia obedientialis. Quoniã verò huiusmodi effectus, quos creatura producere nequit, sunt in duplici differentia, quidam secundùm entitatem suam naturales, & solùm secundum modum suæ productionis supernaturales: quidam verò alij, qui secundùm substantiam suam supernaturales sunt; ideò siue potentia obedientialis latè sumatur, & referatur ad vtrumque genus effectuum, siue præstè, & ad solos effectus, qui ex suis intrinsecis supernaturales sunt: rectè dicitur, aptitudo creaturæ, vt pro arbitrio Dei per eius auxilium sibi indebitum præstet aliquid, quod naturali virtute, & per concursum sibi debitum præstare non potest, modo explicato. Quia tamen nos in præsenti Disputatione agimus de potentia obedientiali presè sumpta, quatenus ad solos effectus secundùm substantiam suam supernaturales se extendit: ideò ad eam diuidendam sic procedimus.

Secunda Conclusio; Potentia obedientialis 4 rectè diuiditur in actiuam, & passiuam. Actiua est, quæ eleuatur ad agendum aliquid secundùm substantiam suam supernaturale supra suas vires. Passiua verò, quæ ad aliquam formam item supernaturalem secundùm substantiam recipiendam, & substentandam euehitur.

Probatur: quia ex vna parte in his duobus causarum generibus rectè intelligitur, quomodo à Deo fieri possit eleuatio creaturæ; siquidem creatura non solùm ex imperio Dei potest efficere aliquid, quod est supra vires totius naturę, vt gratiam sanctificantem, beatam visionem &c. sed etiam potest illud in se recipere, & sustentare, vt patet ex dictis formis: ex alia verò parte in duobus reliquis causarum generibus intelligibilis est eleuatio; nam causa finalis non causat, nisi per suam bonitatem, siue realem, siue putatam: neutro autem modo capax est eleuationis, quia per quamlibet ex eis causet, semper causabit naturali modo. Causa verò formalis causat per entitatis propriæ exhibitionem. (Nihil enim est aliud effectus formalis, nisi ipsa forma in subiecto) Vnde si in se ipsa non est talis, implicat, quod per eleuationem talis euadat.

Dupliciter enim posset intelligi eleuatio in hoc genere: primo, si aliquid, quod non sit forma, exerceat respectu alicuius subiecti munus formę. Secundò, si est forma vnius rationis, communicet subiecto effectum formalem alterius rationis; v. g. si est albedò, reddat subiectum dulce, vel calidum. Sed vtroque modo manifestam inuoluit repugnantiam, nimirùm esset, & non esset id, quod supponeretur esse; ergo rectè potentia obedientialis in actiuam, & passiuam tantùm diuiditur. Atque hæc est sententia communis, quam docet Iosephus Augustinus *tom. 1. in prima part. q. 12. art. 2. num. 107.*

Dices: Est probabilis sententia illorum, qui dicunt posse per absolutam Dei potentiam existere gratiam sanctificantem in lapide tamquam in subiecto, & qualitatem materialem supernaturalem in Angelo, tum sic: in his, & similibus casibus subiecta per potentiam obedientialem recipiunt dictas formas; ergo & ipsæ formæ per potentiam etiam obedientialem recipientur in dictis subiectis. Datur igitur potentia obedientialis etiam in genere causæ formalis.

Respondeo, ego quod ea sententia sit proba-

bilis.

Digitized by Google

babilis. Ad argumentum concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia nos nomine potentiæ obedientialis per se sumptæ intelligimus capacitatem, quæ est in creatura ad præstandum aliquem effectum, qui sit in superiori ordine, quam ipsa sit. Quoniam verò in diuersis subiectis lapis, tum Angelus sunt ordinis naturalis; qualitates autem, quas sustentant, pronuntur esse ordinis supernaturalis: patet, quod illi potentiam obedientialem in eis causandis exercent: at verò dum qualitates informant illos: nullum effectum causant, qui sit in superiori ordine, quam ipsa sint. Vnde non est putandum, quod per potentiam obedientialem illos tunc actuent; sed tunc per potentiam violentam: quia vtraque reluctatur recipi in talibus subiectis.

SECTIO SECVNDA.

An, & quid sit realiter potentia obedientialis passiua in creaturis.

6 PRima Conclusio: Potentia obedientialis passiua in creaturis negari non potest tum in ordine ad formas non vitales, tum in ordine ad formas vitales.

Probatur: datur in creaturis virtus substentatiua formarum supernaturalium vtriusque generis, sed huiusmodi virtus est potentia obedientialis passiua: ergo datur in creaturis potentia obedientialis passiua. Maior nulli Theologorum dubia fuit, vt supponit Aegydius *de præsentatione tom. 2. de beatitudine lib. 10. quæst. 2. art. 3.* & constat ex Tridentino docente gratiam inhærere in anima, quod sine substentatione ex parte animæ intelligi nequit. Quod si quidam tuentur, dona supernaturalia creatione produci: nomine creationis intelligunt productionem formæ independentis à subiecto præcontinente dictam formam in sua virtute naturali, quidquid sit, an dicta forma sit dependens in genere causæ materialis à subiecto illam sustentante per virtutem præternaturalem, & eleuatam, vel non? Quare sola voce dissentiunt ab eis, qui contendunt dicta dona supernaturalia educi de potentia animæ: idem fundetur de actibus Fidei, Spei, & Charitatis, qui sunt formæ vitales, & secundùm substantiam suam supernaturales, & de potentia animæ educuntur: ergo &c.

Minor verò, in qua est difficultas negatur à 7 Scoto *in 4. dist. 10. quæst. 2. vbi de vtionem*, & alibi, qui potentiam susceptiuam formæ supernaturalis appellat naturalem, & negat à naturali violenta, & neutra esse distinctam. Sed probatur: nam virtus hæc substentatiua formarum supernaturalium non est potentia naturalis, quia non inclinat ponitue in formas tasce, neque violenta, quia non reluctatur illis, vt patet, neque neutra, quia respectu illarum non exuit repugnantiam, & inclinationem, ita vt illas respiciat intra ordinem naturæ, quod essentialiter importat potentia neutra, vtpote quæ naturæ ordinem non trascendit, ergo erit potentia obedientialis. Cõsequentia hæc euincitur, quia nulla alia potentia passiua naturalis, pro ut ab obediențiali distinguitur assignabilis est. Quod si Scotus potentiam neutram appellat omnem illam, quæ neque propendet, neque renitatur formæ, siue demum, forma naturalis sit, siue supernaturalis, quæstio erit de nomine; nam hæc potentia necesse est, vt distinguatur in eam, quæ per concursum ordinis naturalis formam illam substentat, & in eam, quæ per concursum ordinis supernaturalis; & hæc quantumuis latè, & genericè dici possit neutra: specialiter tamen, & præcisè sumpta dicenda est potentia obedientialis.

Secunda Conclusio: Potentia obedientialis passiua in creaturis secundùm id, quod dicit in recto non distinguitur realiter ab entitate illarum, licèt distinguatur secundùm id, quod dicit in obliquo.

Probatur, & quidem quantum ad primam partem est euidens: quia si distingueretur, sequeretur, quod creatura non per se ipsam, sed per aliquam aliam realitatem formas supernaturales sustentaret. Porrò de hac realitate quæri posset, num esset naturalis, an supernaturalis; non enim potest dici primum, ne multiplicemus entia sine necessitate; posset enim ipsamet creatura per propriam entitatem munus hoc præstare, neque secundùm alias daretur processus in infinitum; nam hæc entitas supernaturalis cum implicet esse substantia, vt dicitur in prima parte, debet esse accidens, atque adeò ab illa creatura sustentari per aliam, & hæc alia per aliam in infinitum. Ne igitur hæc dicamus, tenendum est potentiam obedientialem passiuã in creaturis secundùm id, quod dicit in recto non distingui realiter ab earum entitate. Quod verò secundùm id, quod importat in obliquo distinguatur, patebit ex dicendis Sectione sequenti cum de potentia obediențiali actiua: est enim par ratio.

Contra primam Conclusionem obijcies primò. Hæc potentia obedientialis passiua, vel reperitur in omnibus creaturis, vel in aliquibus tantũ. Neutrũ dici potest; ergo non datur in creaturis. Minor probatur, non in omnibus, quia entia supernaturalia non habent aliquid supra se, ad quod eleuentur: neque in aliquibus, quia hæc potentia obedientialis fundatur in subiectione, quam habet creatura ad Creatorem: hæc autem subiectio æquè in omnibus esse deberet. Respondeo, concessa maiore, negando minorem, & suppono, eam esse in omnibus, vt ex dicendis patebit. Ad rationem in contrarium aio, ad eleuandum aliquid sufficere, quod dentur illi à Deo auxilia indebita ad aliquem effectum ordinis supernaturalis, quem & si natiua virtute non contineat: virtute tamen diuina in lucem edere possit. Quare si Deus vteretur habitu Spei Theologicæ ad sustentandum habitum Fidei, vel Charitatis supernaturalis: vtique eleuaret dictum habitum supra suas vires in ordine supernaturali. Ex quo deducitur etiam in entibus supernaturalibus potentiam obedientialem reperiri.

Obijcies secundò: Si datur hæc potentia obedientialis passiua in creaturis, vel principalis est, vel instrumentalis: neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet ex diuisione causæ in principalem, & instrumentalem. Minor probatur, non principalis, quia potentia obedientialis passiua non sub-

Digitized by Google

ſubſtentat formam ſupernaturalem per virtutem ſibi naturalem, ſed eleuata per indebitam; cauſa autem eleuata eſt inſtrumentum cauſæ eleuantis, quę vtitur illa ad inducendam formam intentam; neque inſtrumentalis: quia cauſa inſtrumentalis dicitur per relationem ad principalem in eo genere cauſę, in quo eſt inſtrumentalis. Sed nulla eſt cauſa principalis paſſiua, ad quam potentia obedientialis referatur: Deus enim, ad quem ſolùm illa refertur, non poteſt eſſe ſubiectum alicuius formæ creatæ.

Reſpondeo, negando minorem, & eligo ſecũdum membrum. Ad probationem verò in contrarium, nego maiorem; ad rationem enim cauſę inſtrumentalis ſatis eſt, ſi referatur ad principalem tamquam ad eam, cui ſubordinentur in cauſando; quod rectè potentia obedientialis paſſiua creaturæ intelligitur habere reſpectu Dei.

10 Obijcies tertiò. Hæc potentia obedientialis paſſiua, vel eſt intrinſeca, vel extrinſeca creaturę, neutrum dici poteſt; ergo non datur. Maior patet; Minor probatur: non intrinſeca, quia quidquid eſt intrinſecum rei naturali in ſe conſideratæ naturale eſt. Negauimus autem, huiuſmodi potentiam eſſe naturalem. Neque intrinſeca, quia ſic etiam forma ſupernaturalis, quæ recipitur intrinſecè in dicta potentia, eſſet extrinſeca creaturę; quare gratia ſanctificans non eſſet inhærens in anima iuſti; quo quid abſurdius.

Reſpondeo, eligendo primum membrum; ad probationem in contrarium diſtinguo aſſumptũ. Quidquid eſt intrinſecum rei naturali naturale, eſt, ſi eſt abſolutum; concedo. Si verò eſt ens connotatiuum, nego antecedens, & conſequentiam. Dico enim, quod potentia cum ſit ens connotatiuum, non poteſt dici naturalis, niſi eius terminus, quem connotat in obliquo, ſit intra ordinem naturę: quantumuis illa ſit rei naturali identificata. Sed benè dici debet obedientialis, quia verè non refertur tranſcendentaliter ad ſuos actus, ſicuti refertur naturalis.

11 Inſtabis: ſi hoc eſſet, ſequeretur, quod potentia obedientialis non differret à potentia violenta, vel neutra; conſequens eſt abſurdum; ergo &c. Sequela probatur: quia neque potentia violenta, neque neutra refertur tranſcendentaliter ad ſuos actus poſſibiles. Quare illis repugnantibus non repugnaret quo ad intrinſeca creatura, cum qua dictæ potentiæ identificantur; ergo vtraque in recto, & intrinſecè dicit entitatem creaturę, in qua eſt, & in obliquo extrinſecè formas poſſibiles, quas cauſare poteſt.

Reſpondeo, negando ſequelam. Ad cuius probationem quidam negant aſſumptum, inter quos eſt Ripalda *diſp. 8. ſect. 5.* dicens ſolam potentiam obedientialem non referri ordine tranſcendentali ad ſuos effectus: reliquas verò tranſcendentali connexione ſuos effectus poſſibiles reſpicere, & naturalem quidem cum poſitiua inclinatione, violentam autem cum poſitiua renitentia. Neutrum verò abſque renitentia, & inclinatione: ita vt implicante effectu triplicis huius potentię, ipſa quoque implicaret. Sed dato; quod neque violenta, neque neutra ſuos actus tranſcendentaliter reſpiciant; atque adeò quod conſtituant ſimpliciter in ſuo eſſe per hoc, quod dictos actus poſſibiles extrinſecè, & in obliquo contineant: differet tamen potentia obedientialis ab illis per hoc, quod hæc exigat reduci in actum per actionem ſupernaturalem exiſtentem ſupra omnẽ exigentiam naturæ; quodque forma, quam in obliquo importat, ſit ordinis ſupernaturalis. Neutrum autem in potentia violenta, aut neutra, eſt inuenire.

SECTIO TERTIA.

Quomodo potentia obedientialis paſſiua eleuetur à Deo.

VNica Concluſio. Potentia obedientialis paſſiua creaturę eleuatur in actu primo proximo per applicationem diuinę Omnipotentiæ ad præſtandum illi auxilium ſupernaturale, & indebitum in ordine ad formam ſupernaturalem ſubſtentandam; in actu verò ſecundo eleuatur per auxilium ipſum indebitum, quod ei præſtatur ad ſouendam dictam formam ſupernaturalem. 12

Probatur: Potẽtia obedientialis paſſiua creaturæ per eleuationem Dei in actu primo conſtituitur abſolutè potens cauſare formam ſupernaturalem, & per eleuationem in actu ſecundo conſtituitur abſolutè cauſans dictam formam. Sed primum habetur per applicationem diuinæ Omnipotentiæ ad præſtandum illi auxilium ſupernaturale indebitum. Secundum verò per actualem exhibitionem dicti auxilij, ratione cuius ſupernaturaliter patitur, & ſubſtentat formam ſupernaturalem; ergo &c. Maior patet, & Minor probatur paritate potentię naturalis; quæ nonniſi per diuinam Omnipotentiam illi applicatam per decretũ Dei de præſtãdo illi auxiliũ naturale debitum, intelligitur abſolutè potens cauſare effectum, & per ipſum concurſum debitum re ipſa præſtitum intelligitur abſolutè cauſans; ergo &c.

Obijcies primò: ſi quod auxilium actuale indebitum Deus præſtaret potentiæ obedientiali paſſiuæ ad eam eleuandam in actu ſecundo, vel hoc ſe haberet per modum comprincipij paſſiui, & virtutis cauſatiuæ, vel per modum actualis influxus ſe tenentis ex parte actus ſecundi. Sed neutrum dici poteſt; ergo &c. Maior patet ex enumeratione ſufficienti. Minor quo ad priorem partem probatur: quia anima independenter ab alia virtute patiente à ſe diſtincta recipit gratiã; nam ſi dependenter ab aliqua, vel ea eſſet extrinſeca ipſi animæ, & hoc non, quia gratia eſt illi adæquatè intrinſeca, vel eſſet intrinſeca, & neq; hoc, talis enim virtus deberet recipi in ipſa anima in actu ſecundo eleuata per aliam virtutem cauſatiuam ordinis ſupernaturalis, & hæc per aliam in infinitum, quod eſt abſurdum; ergo &c. Quo ad poſteriorem verò partem eadem minor ſuadetur; nam Deus nullum alium influxum realem cauſatiuum exhibere poteſt, niſi in genere cauſæ efficientis: ſed potentia obedientialis paſſiua non debet cauſare per modum efficientis, ſed per modum cauſę materialis, ergo &c. 13

Reſpondeo, conceſſa maiore, negando minorem: dico enim auxilium illud actuale Dei ſe habere per modum actualis influxus. Per hoc maximè differt potentia obedientialis paſſiua ab actiua, quod actiua eleuatur in actu ſecundo per auxilium ſupernaturale indebitum habens ſe per 14

Imo.

modum principij actiui, & virtutis causatiuæ; vt videre est in intellectu Beati, qui ad visionem Dei eliciendam eleuatur per qualitatem luminis gloriæ, quæ indiuisibiliter vnà cum intellectu ad dictam visionem efficienter concurrit. At potentia obedientialis passiua nequit de se compleri per aliquam qualitatem, quæ indiuisibiliter cum dicta potentia formas supernaturales substentet: propter rationem in obiectione insinuatam. Cum enim hęc qualitas ponatur ordinis supernaturalis, & totaliter à potentia obedientiali substentari, ne detur processus in infinitum; euincitur, potentiam obedientialem passiuam esse de se cõpletam, & sufficientem quo ad intrinseca adæquatè causare formas supernaturales, & indigere solùm auxilio diuino actuali sibi indebito ad actu illas causandum. Ad rationem autem in contrarium concessa maiore, & minore, nego consequentiam; non enim est necesse, vt compleatur potentia obedientialis per auxilium præstitũ à Deo in eodem genere, in quo est ipsa potentia, vt patet exemplo potentiæ obedientialis actiuæ, quam habet anima rationalis ad producendos actus vitales supernaturales, quæ eleuatur à Deo per habitus supernaturales, qui neque sunt potẽtiæ vitales, neque ad modum potentiarum vitalium operantur, videlicet immanenter, atque vitaliter. Potest ergo Deus exhibere potentiæ passiuæ obedientiali actuale auxilium per modum actionis in genere efficientis, etiam si ipsa passiuè causare debeat.

15 Obijcies secundò: Hoc auxilium actuale Dei est secundùm substantiam suam supernaturale; ergo ad hoc, vt potentia obedientialis passiua illud substentet, & causet, si vera esset doctrina tradita deberet eleuari in actu secundo per aliud auxilium, quod quia esset etiam supernaturale, & pendens à potentia obedientiali, deberet supponere ipsam eleuari per tertium auxilium, & tertium per quartum in infinitum. non est enim maior ratio de vno, quam de alio; quod cum sit absurdũ, sequitur falsum esse, quod potentia obedientialis passiua creaturæ per auxilium supernaturale indebitum illi præstitum in actu secundo eleuetur.

Respondeo distinguendo antecedens: auxilium hoc actuale est secundùm substantiam suam supernaturale, & se habet vt via in ordine ad effectum supernaturalem: concedo, & se habet vt terminus: nego antecedens, & consequentiam. Dico enim actuale illud auxilium realiter loquẽdo, esse actionem Dei productiuam formæ supernaturalis dependenter à subiecto naturali potente illam per potentiam obedientialem sustentare. Sicuti igitur ad actionem nõ datur actio, per quã agens illam attingat, ita neque ad auxilium supernaturale sustentandum requiritur in potentia obedientiali passiua aliud auxilium; nam sic vt benè dicit argumentum, procedere deberemus in infinitum.

16 Instabis: in Physicis docuimus, satis esse probabile, causam materialem non causare formam materialem per causalitatem à se distinctam; ergo eodem modo potentia obedientialis passiua causabit formam supernaturalem; sed ex hoc deducitur, quod dicta potentia non eleuetur in actu secundo per auxilium supernaturale; ergo &c. Omnia patent præter sumptum, quod suadetur, quia per dictum auxilium potentia obedientialis passiua non influeret, neque sustentaret formam supernaturalem, quam reciperet; ergo per illud minimè eleuaretur. Respondeo, concesso enthymemate, negando sumptum. Ad cuius probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Ex suppositione enim, quod passio non sit causalitas causæ materialis: dicendum puto, quod id, ratione cuius potentia obedientialis passiua eleuatur in actu secundo ad formam supernaturalem causandam, non est necesse, vt sit causalitas ipsius; sed satis est, si per illud dicta potẽtia ita euehatur ad ordinem supernaturalem, vt nil aliud distinctum eiusdem ordinis exigat ad actu causandam formam supernaturalem præter ipsam formam. Per hoc enim satis intelligitur vltimo completa, atque adeò eleuata in actu secundo. Sed per actionem eductiuam Dei iam euheretur ad statum supernaturalem, & vltimo constitueretur potens in formam supernuturalem influere; ergo &c. Quod si quis probabilius existimat, causalitatẽ causæ materialis esse passionẽ, rectè dicere potest, per auxilium supernaturale indebitum, quod cum actione eductiua formę, & passione subiecti identificetur, tamquam per propriam causalitatem corroborari in actu secundo potentiam obedientialem passiuam ad dandum esse formæ supernaturali, quæ ex ea educitur, in quo nulla apparet difficultas.

Obijcies tertiò: Multi volunt habitus supernaturales præparare animam, vt actus supernaturales recipere possit: sicuti etiam lumen gloriæ disponere intellectum ad visionem Dei recipiendam; ergo falsum est potentiam obedientialem passiuam eleuari in actu secundo per auxilium Dei actuale, quod se habeat, non per modum principij, sed per modum actionis. Consequentia patet, quia habitus, & lumen gloriæ hoc ipso quod disponunt, se habent per modum principij passiui. Respondeo quidquid sit de veritate antecedentis. Distinguo consequens; & quidem si sermo sit de aliqua potentia obedientiali: transeat, quia propter peculiarem aliquam rationem hoc sibi specialiter vendicaret: loquendo de potentia obedientiali, vt sic, nego consequentiam; alioquin daretur processus infinitũ, vt dictum est. Dixi transeat primum membrum; nam si nomine eleuationis potentiæ passiuæ obedientialis intelligimus illud, ratione cuius vltimo dicta potẽtia constituitur in ordine supernaturali formaliter apta influere in formam supernaturalem, neqs debet concedi; nam hoc etiam in dictis casibus est actio positiua, per quam actus vitales supernaturales producuntur in anima, quam actionem probabiliter ab ipsis habibus multi distinctam esse existimant. 17

Pro complemento huius potentiæ quæri posset, num in omnibus rebus creatis reperiatur. Ad quod breuiter affirmatiuè respondeo, quod sumo ex D. Thom. 3. *parte quæst.* 11. *art.* 1. *in corp.* vbi sic: Est autem considerandum, quod in natura humana, sicut in qualibet creatura consideratur duplex potentia passiua, vna quidem per comparationem ad agens naturale, alia verò per comparationem ad agens primum, quod potest quam-

Digitized by Google

libet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale, & hæc consueuit vocari potentia obedientiæ in creatura. Ratione deinde breuiter suadetur ex eo, quia omnis creatura æquum est, vt, salua propria cuiuscumque essentia, sit apta exequi Creatoris imperia, & eleuari ad aliquid præstandum, quod illa viribus naturæ exequi nequeat, vti videbimus cum de potentia obedientiali actiua; ergo potentia passiua obedientialis nulli prorsus creaturæ neganda est.

SECTIO QVARTA.

An detur in natura creata potentia obedientialis actiua formarum supernaturalium, tum vitalium, tum non vitalium.

18 CONclusio est affirmatiua, quam docent ex nostris Suarez, Molina, Valentia Arrubal, Ruiz Albertinus, Fonseca, Enriquez, Becanus, Petrus Hurtadus, Bellarminus, Arriaga, Ripalda, & ex externis Paludanus, Capreolus, Herueus, Ferrariẽsis, Caiet. Sotus, Aluares, Nauarrete, Ledesma, Zumel, Ægidius *de præsentatione*, Lorca, & alij contra Vasquez, Ragusam, Conimb. Gaspasem, Hurtadum, Ioannem Præpositum, & plures alios *locis citatis* à Recentioribus præsertim à Ripalda *de ente supernaturali tom. 1. disp. 40. numero 1. & 4.* qui licèt concedant intellectui, & voluntati creatæ potentiam obedientialem actiuam ad formas supernaturales vitales, ad actũ scilicet Fidei, Spei, & Charitatis, &c. ne videantur contradicere Tridentino oppositum expressè damnanti *sess. 5. can. 4.* vbi sic: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere, anathema sit: Negant in omni enti naturali huiusmodi potentiam ad formas supernaturales non vitales; & duas in hoc disparitates assignant. vna est, quia forma vitalis supernaturalis cõtinetur intra sphęram adæquatam potentię vitalis v. g. intellectio intra sphæram potentię intellectiuę, quatenus hęc specificatur ab intelligibili in communi, contra verò forma non vitalis supernaturalis v. g. gratia sanctificans est extra sphæram potentię actiuę cuiuscumque entis naturalis. Altera, quia inter huiusmodi formas vitales supernaturales, & earum potentias est, quædam naturalis proportio, & positiua conuenientia; visio enim beata Dei, vt talis est, postulat essentialiter produci ab intellectu creato, & sic de cæteris similibus. Contra verò inter gratiam, & aquam non datur huiusmodi proportio. Sed profectò neutra satisfacit; non prima, quia etiam forma supernaturalis non vitalis continetur intra sphæram adæquatam potentię actiuæ obedientialis naturæ creatæ: quia obiectum huius potentiæ est omne creabile, & differt ab omnipotentia Dei per hoc, quod sit instrumentum obedientiale illius; quod si hæc non continetur intra sphæram huius, neque actus vitales deberent intra sphęram illius contineri. semper enim vrget paritas, cur potentia vitalis non coarctetur intra cancellos formarum vitalium naturalium, sed ad supernaturales excurrere possit: reliquę verò potentię intra limites formarum naturalium non vitalium cõclusæ sint; ita vt ne per absolutam quidem Dei potentiam supernaturales attingere possint. Neque satisfacit secunda, quia in tantùm naturalis illa proportio inter visionem Dei, & intellectum creatum requiritur ad fundandam potentiam obedientialem naturę intellectualis in ordine ad videndum Deum, in quantum hæc debet vitaliter operari, & esse capax effectus formalis ipsius visionis, qui est cognoscere, & videre ipsum Deum. Sed natura creata producendo formas supernaturales non vitales non debet operari vitaliter, sed solùm obedientialiter; ergo non requirit dictam naturalem proportionem. Sed satis est illi non repugnantia, sicuti satis est substantię animæ non repugnatia respectu gratiæ sanctificantis ad fundãdam potentiam obedientialem passiuam, quam habet in ordine ad illam recipiendam. Ex quo sequitur, inconsequentèr Aduersarios dicere nullam dari in natura potentiam actiuam obedientialem ad formas supernaturales, nisi ad vitales. Cõtra quos directè probatur assertio nostra, quãtum ad formas non vitales primo auctoritate D. Thom. qui in 4. *dist. 12. quæst. 2. art. 3. ad 4.* sicuti inquit, creaturæ inest obedientię potentia, vt in ea fiat quidquid Creator dispoſuerit: ita etiam vt ea mediante fiat, quæ est ratio instrumenti: vbi duplicem statuit obedientię potentiam in creatura: vnam passiuam, *in* qua fiant, quæ Deus dispoſuit: alteram actiuam, *qua mediante* tamquam instrumento fiant. Quod videtur collegisse ex *Sapientiæ 16.* Creatura *tua sibi Factori* deseruiens exardescit, & *ex cap. vltimo*: Omnis creatura deseruiens præceptis suis.

19 Probatur secundò: ratione, qua idem D. Th. vtitur *de potentia Dei quæst. 6. art. 1. ad 11.* vbi sic: Quanto aliqua virtus actiua est altior, tanto potest eandem rem perducere in effectum altiorẽ. Vnde natura potest ex terra facere aurum aliis elementis commixtis, quod ars facere non potest. Et inde est, quod res aliqua est in potentia ad diuersa secundùm habitudinem ad diuersos agẽtes. Vnde nihil prohibet, quin natura creata sit in potentia ad aliqua fienda per diuinam potentiam, quæ inferior potentia facere non potest, & ista vocatur potentia obedientię, secundùm quam quælibet creatura obedit Creatori, tum sic. quo agẽs principale est perfectius, eo ineptius instrumentum ad opus aliquod efficiendum potest assumere. Sed Deus est agens perfectissimum principale; ergo ad producendam gratiam, cæterasque formas supernaturales non vitales non est, cur non possit assumere res naturales, vt aquam, lignum, &c.

20 Minor fundatur in perfectione diuinæ Omnipotentię, qua maior excogitari non potest. Maior verò probatur exemplo nobilis scriptoris, qui rectius scribit calamo luxato, & inepto, quàm scriptor ignobilis calamo aptissimo, & benè accomodato. Quod si repugnat enti creato per vnam qualitatem operari omnes effectus, quos potest, v. g. homini per calorem moueri, videre, comedere, &c. Hoc prouenit ex limitatione vir-

Digitized by Google

virtutis, quam habet omne ens creatum, Deus autem est illimitatæ virtutis, vtpote omnipotens. Similè argumentum formari potest ex perfectione omnimoda diuini dominij, quia quo dominium est perfectius, & nobilius, eo subiectio, & obedientia rei maior esse debet. Sed dominium Dei supra creaturas est perfectissimum; ergo subiectio, & obedientia creaturæ tanta debet esse, vt illa maior excogitari non possit. Excogitabilis autem esset maior, si Deus non posset vti pro libito creatura ordinis naturalis ad formam
21 aliquam supernaturalem producendam; ergo &c.

Probatur denique tertiò ad hominem, quia Aduersarij concedunt, posse entia naturalia eleuari ad aliquos effectus naturales extra sphæram activitatis illorum, v. g. lumen vt vnum ad producendum lumen vt sex, item ad aliquos effectus supernaturales, qui secundùm aliquam rationem conueniunt cum effectibus naturalibus, qui in virtute causariua dictorum entium continentur, v. g. humanum intellectum ad visionē intuitiuam Dei, &c. tum sic: ens naturale vel est sufficiens, & completum ad huiusmodi effectus præstandos, vel non. Primum dici nequit, alioquin posset cū generali concursu Dei illos producere. Si secundum, ergo cum ad cæteros omnes effectus sit etiam insufficiens, poterit ad hos etiam per diuinam potentiam eleuari, sicuti eleuatur per Aduersarios ad illos. Si qua enim esset disparitas, maximè naturalis proportio inter lumen vt vnū, & lumen vt sex in ratione luminis, & inter intellectū, & visionē in ratione vitalitatis. Sed hæc nulla est generatio. Generatio. luminis per hoc, quod cōtrahitur ad lumen vt sex, improportionatum lumini vt vnū, sicuti etiam ratio vitalitatis, quę est in visione per hoc, quod identificetur cum supernaturalitate ipsius visionis, improportionatur potentię intellectiuę, & naturali, quod si respondeant, hanc improportionem impedire quidē attingentiam naturalē: non autem supernaturalē, quia ad hanc sufficit per eos proportio secundùm aliquam rationē in communi. Contra est, quia nullum ens naturale datur, quod secundùm aliquam rationem in communi cum quolibet ente supernaturali non habeat proportionē in ratione causæ efficientis; aqua enim v. g. cum naturaliter producere possit frigiditatem, quæ est vna ex primis qualitatibus in ordine naturali: habebit proportionē in ratione causæ efficientis cum gratia, quę est etiam prima qualitas in ordine supernaturali, à qua cæteri habitus, qui sunt veluti secundę qualitates, habent originē. Cōtra etiā est secundò: quia ens supernaturale, vel est supernaturale secundū substantiam, vt gratia, vel supernaturale secundūmodū. Sed omne ens naturale potest diuinitus attingere ens supernaturale secundū modum tantùm; ergo omne ens naturale habet aliquam proportionem cum ratione supernaturalitatis vt sic; non est igitur, cur non possit eleuari ad producendas formas supernaturales, non vitales.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiecta in contrarium.

OBijcies primò; non datur in ente naturali 22
virtus producendi formam supernaturalem; ergo non datur in ea potentia obedientialis actiua dictarum formarum. Consequentia patet, quia potentia actiua idem sonat, ac virtus productiua. Antecedens probatur, quia virtus productiua debet esse proportionata effectui; sed effectus est supernaturalis, omnis autem virtus entis naturalis est naturalis; ergo &c. Respondeo distinguēdo antecedens, non datur virtus completa producendi formam supernaturalem, concedo: inchoata, & incompleta, nego antecedens, & cōsequentiam: quia potentia obedientialis in creatura secundùm se est virtus inchoata, & incompleta. Ad probationem antecedentis distinguo maiorem: virtus productiua completa debet esse proportionata effectui, concedo: incompleta nego. Et ad minorem dico virtutem naturalem sumi posse dupliciter, primò pro vt distinguitur à virtute supernaturali. secundò pro vt distinguitur à virtute obedientiali. Iam verò virtus illa, quæ in ente naturali ad producendam formam supernaturalem reperitur, est naturalis primo, & non secundo modo; beneficio autem eleuationis euadit supernaturalis, non quidem in essendo, sed in causando; vnde fit, vt licet in essendo sit à Deo, vt ab auctore naturæ, quæ est ipsa entitas creaturę; in causando tamen tum in actu primo, tum in actu secundo est à Deo, vt ab auctore supernaturali, quia complimentum, & influxum, quem recipit ab eo, superat exigentiam, & ordinem naturæ. Porrò non necessarium esse, vt omnis virtus, quæ actiuè concurrit ad producendum effectum supernaturalem, sit in se supernaturalis adæquatè, patet ex visione Dei, ad quam, vti dicemus, effectiuè concurrit intellectus hominis, qui est ordinis naturalis. Quemadmodum igitur in hoc casu satis est, si lumen glorię, quod est complementum potentiæ obedientialis intellectus sit supernaturale: sic & in casu nostro, siue demum hoc completiuum sit accidēs enti naturali intrinsecum, siue sit extrinseca assistentia diuinæ Omnipotentiæ; & quemadmodum lumen in illo casu non est tota ratio agendi vitaliter, sed simul cum illo agit quoque intellectus beneficio illius supra ordinem naturę eleuatus, ita & in nostro casu. Et ratio vtriusque est, quia licèt natura non possit esse principium operis supernaturalis manens in ordine naturæ, potest tamen vt eleuata.

Instabis: non aliunde nos probare habitus Fidei, & Charitatis esse supernaturales in essendo, nisi quia producunt actus supernaturales; ergo à pari, si natura potest producere formas supernaturales, erit supernaturalis, quod implicat. Respondeo negando paritatem. Disparitas est, quia huiusmodi habitus dicunt connaturalem potentiam ad dictos actus producendos, quare non indigent eleuatione. Contra verò natura debet eleuari ad producendas formas supernaturales, non vitales. Et ideò etiam si eius potentia non sit in entitate sua supernaturalis, poterit formas su-

Digitized by Google

pernaturales attingere.

23 Obijcies secundò: Virtus hæc operatiua formæ supernaturalis inchoata, quæ in entibus naturalibus reperitur, vel principalis est, vel instrumentalis; neutrum dici potest; ergo est ficta. Minor probatur non principalis, quia deberet saltè esse eque perfecta cum suo effectu, & sic ordinis supernaturalis; neque instrumentalis, tum quia instrumentum ad supernaturales effectus oritur à Deo, vt supernaturali Auctore, hæc autem virtus est ipsamet natiua virtus rei naturalis: tum etiam quia non est sicuti virtus, quæ est in lumine gloriæ respectu visionis, quę instrumentaliter à Deo procedit.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem: dico enim esse instrumentalem, quia operatur vt Deo subordinata, & eius nomine. Ad priorem probationem in contrarium, distinguo assumptũ: instrumentũ connaturale ad supernaturáles effectus oritur à Deo vt supernaturali auctore, concedo; instrumentum obediențiale, nego: quia hoc oritur à Deo vt ab Auctore naturæ; Et ad posteriorem aio: lumen gloriæ esse instrumẽtum connaturale visionis Dei, atque adeò nil mirum si virtus inchoata operatiua gratiæ, v g. quæ est in aqua differat à virtute instrumentali, quæ est in lumine. Differentia autẽ cõsistit in eo, quod connaturale instrumentum habet virtutem quamuis partialem completam in actu primo in genere instrumenti; at verò obediențiale incompletã, vnde indiget complemento ad hoc, vt instrumentaliter operetur, de quo inferius. Quod si instrumentum dicitur agere in virtute causæ principalis, non est sensus, quod non habeat in se virtutẽ instrumentalem, saltem incompletam producendi effectum, sed quod dicta virtus, & operatio, quæ procedit ab ipsa, denominatiuè tribuitur causæ principali, quatenus illi subordinatur in operando, cuius nomine agit, & quatenus est ab illa deriuata, & veluti semen illius.

24 Instabis: Si in creaturis hęc instrumentalis vis incompleta reperiretur, sequeretur quod non posset compleri per extrinsecam assistẽtiam Omnipotentiæ Dei; sed hoc est absurdum, vt suppono ex prima parte; ergo &c. Sequela probatur: hoc extrinsecum complementum non est virtus instrumentalis, sed principalis, quæ Deum constituit causam principalem rerum omnium; ergo non potest complere virtutem instrumentalem in ratione instrumenti; causa enim formalis debet esse talis, qualis effectus formalis.

Respondeo negando sequelam. Ad cuius probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Ad eius autem confirmationem aio, causam instrumẽtalem de se incompletam dupliciter compleri posse; primò per acquisitionem alicuius virtutis instrumentalis, ita vt conflatum, quod ex vtraque resultat, non excedat rationem instrumenti completi. Secundò per coniunctionẽ cum virtute principali, ita vt conflatum ex vtraque resultans, involuat etiam causam principalẽ, quæ causam instrumentalem denominatiuè complcat per hoc, quod ad se illam assumat, & ad operandum eleuet. Porrò virtus instrumentalis incompleta creaturæ per extrinsecam assistentiam Diuinæ Omnipotentiæ hoc secundo modo completur, in quo casu cum effectus formalis sit cõflatum ex causa instrumentali de se incompleta, & principali; nil mirum si omnipotentia non se habeat, vt virtus instrumentalis. Habemus de hoc exemplum in virtute principali causæ secundę, quę indiget compleri per extrinsecam assistentiam diuinæ Omnipotentiæ, quæ cum sit potentia propria causę primæ, non videtur posse complere illam in ratione causæ secundæ.

Obijcies tertiò ex Eminentissimo Pallauicino 25
lib. 6. assertionum cap. 14. Id, quod si existeret, esset amabile tantùm in ratione medij, toties existeret frustra, quoties daretur aliud medium indefectibile ab eo distinctum, & æquè efficax in ordine ad eundem planè finem. Sed potentia obediențialis activa in ordine ad formas non vitales esset huiusmodi; ergo &c. Maior patet: minor probatur; nam tota bonitas huius potentię obediențialis esset in ratione medij, ad hoc vt Deus possit ponere tales formas supernaturales: Sed Deus in ordine ad hoc habet suam omnipotentiam indefectibilem, & efficacissimam; ergo &c. Respondeo hoc argumentum aliàs ingeniosum peccare tripliciter. Primò, quia putat potentiam obediențialem esse quandam virtutem, seu formalitatem distinctam formaliter à cæteris rationibus, quę in ente creato reperiuntur; quod quidem falsum est; quemadmodum enim ratio creaturæ, seu entis ab alio, transcendit per omnes formalitates entis creati, ita ratio potentiæ obediențialis, quæ fundatur in subiectione creaturæ ad Creatorem est formaliter imbibita in omnibus rationibus eiusdem. Ex quo deducitur dictam potentiam non posse esse amabilem tãtùm in ratione medij; sed habere semper imbibitam aliquam aliam amabilitatem beneficio alterius prædicati, in quo continetur, atque adeò non existere, frustra posita existentia medij indefectibilis.

Peccat secundò: quia assumit Omnipotentiam 26
diuinam esse medium, quo Deus vtitur in productionibus rerum, & per hoc differre à potentia obediențiali creaturarum: quod hęc sit mediũ defectibile, illa verò indefectibile. Quod non habet veritatem, quia medium non amatur propter se: Omnipotentia autem, cum sit in se perfectissima virtus constitutiua Dei in ratione causæ principalis, & sit identificata formaliter cum Deo, non potest dici, quod à Deo ametur propter aliud.

Peccat tertiò: quia eodem modo loquitur de medio, quod ex suis intrinsecis habet essentialẽ connexionem cum fine, ita vt eo repugnante, repugnet: ac de medio essentialiter inconnexo, quod sine repugnantia, siue non eodem modo se habet. Nam licet de medio primi generis concedi possit, quod toties existeret frustrà, quoties causa principalis est apta per se ipsam indefectibiliter, & æquè efficaciter causare effectum, eo quod ex una parte esset medium cõnaturale, quia ex intrinsecis suis esset connexum, & ex alia nõ esset connaturale, quia natura abhorret à superfluitate. At loquendo de medio secundi generis, falsum est, quia quamuis sit inconnexum, potest tamen ad libitum adhiberi à Deo ad suum perfectissimum dominium, & omnipotentiam ostenden-

Digitized by Google

dendam. Quare ad argumentum dico, vel potius distincta maiore, negando est minor cum sua probatione.

27 Obijcies quarto: Non potest lignum elevari ad videndum, vel audiendum; ergo multò minus ad producendam gratiam. Consequentia euidens, quia maior est proportio inter lignum, & actum videndi, verumque enim est eius naturale materiale, quam inter lignum, & gratiam sanctificantem, quę est supernaturalis. Respondeo, concessa antecedente, negando consequentiam, & eius distinguo probationem: maior est proportio, si consideremus lignum, & actum videndi in ratione entis, concedo; in ratione potentiæ, & actus, nego. Dico enim, quod ad hoc, vt visio reddat subiectum videns debet procedere vitaliter à tali subiecto. Vitalis autem processio consistit in eo, quod præsupponat in subiecto vitalitatem in actu primo, cuius beneficio sit aptum denominari vitaliter in actu secundo. Quoniam verò lignum comparatum cum visione non se habet vt vitale principium respectu illius: hinc fit, vt non possit elevari ad videndum. Contra verò ad hoc, vt gratia denominet lignum causam efficientem sui satis est, si ab illo physicè pendeat. Potest autem sic pendere per hoc, quod in eo nulla sit repugnantia positiua, quo minus eleuari possit à Deo ad illam causandam. Ex quo fit, quod licèt in ratione entis lignum maiorem habeat proportionem cum actu visionis, quam cum gratia: in ratione tamen potentiæ operatiuæ instrumentalis, maiorem habeat cum gratia.

28 Instabis: Difficilius est gratiam producere, quam illam vitaliter attingere. Sed lignum non potest diuinitus attingere vitaliter gratiam; ergo multò minus illam producere. Respondeo, distinguendo maiorem: difficilius est gratiã producere per virtutem completam principalem; concedo: per virtutem incompletam instrumentalẽ, nego maiorem. Et concessa minore, ad consequẽtiam dico, quod virtus completa operatiua supponit continentiam gratiæ, quam non supponit virtus cognoscitiua eiusdem; at verò virtus incompleta instrumentalis dictam continentiam nõ supponit in instrumento, cuiusmodi esset lignum in casu nostro, sed benè in causa principali, in cuius virtute instrumentum illud dicitur agere.

29 Obijcies quinto: Obiectum potentiæ obediẽtialis vel est omne possibile, vel non est omne possibile: neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur: non potest dici primũ, tum quia omne possibile continet effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum: potentia autem actualis, quę potest producere huiusmodi effectus est actu categoreumaticè infinita: tum etiam quia inter omnia possibilia est ipsa potentia obedientialis; nihil autem potest saltem primò producere se ipsum. Neque dici potest secundum, quod scilicet non sit omne possibile, quia sic creatura non perfectè subordinaretur diuinæ Omnipotentiæ, atque dominio.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem: ad cuius probationem dico, in quolibet ente dari facultatem obediẽtialem actiuam ad producendos ex diuino decreto quoslibet effectus quantumuis disparatos, & superantes vires suas naturales, dummodo non sint tales, vt in ordine ad illos appareat specialis aliqua contradictio, ex qua fit obiectum potentiæ obedientialis non esse omne possibile, absolutè quod scilicet in se non implicat, sed respectiuè quod scilicet creatura habet specialem repugnantiam, vt producatur à tali causa, quemadmodum est, quod dicta potentia se ipsam primò producat. Neque ex hoc sequitur creaturam non esse perfectè subordinatam diuinæ Omnipotentiæ, atque imperio; quia non deest per ipsam, quin huiusmodi effectus produci possit, sed per effectus, qui non habent capacitatem, vt ab illa producantur. Ad id autem quod de infinitate huiusmodi potentiæ colligebatur: concedo, quod omne possibile etiam si sit respectiuè tantùm possibile contineat effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum. Addo tamẽ, quod quamuis verum sit, quod potentia completa ad huiusmodi effectus producendos sit actu categoreumaticè infinita. Falsum tamen est, quod sit talis potentia incompleta, & inchoata cuiusmodi est obedientialis: quia hæc non debet continere neque formaliter, neque virtualiter dictos effectus sicuti debet completa, quod patet ex potentia intellectiua, quæ quamuis possit producere cognitiones purfectiores, & perfectiores in infinitum specie diuersas per ordinem ad creaturas possibiles non sequitur, quod sit infinitè perfecta, quia hoc incompletè potest. Expectat namque complementum à speciebus impressis dictarum creaturarum, quas omnes si actu haberet vtique esset infinitè perfecta.

Instabis ex Pallauicino *loco citato numero 197.* 30
est de conceptu omnis causæ tam principalis, quã instrumentalis, & ipsam iudicari perfectionem, quo concurrit ad perfectiores effectus, vt ex influxu Cæli, ex seminibus viuentium, & ex membris corporis constare potest, quæ licet sint instrumenta, eo tamen perfectiora censentur, quo faciunt effectus perfectiores. Si igitur datur in rebus virtus hęc obedientialis in ordine ad perfectiores, & perfectiores effectus in infinitum, perfectio rerum creatarum quandam illimitationem, ac infinitatem habeat necesse est. Respondeo antecedens: verum esse loquendo de causis, quæ vel principales sunt; atque adeò continent effectum, vel formaliter, vel eminenter: vel si instrumentales, sunt completè in genere instrumenti. Neutrum autem habent res creatæ beneficio virtutis obedientialis, qua perfectiores effectus attingere possunt. Sunt enim sicuti calami, & penicilli, quibus ex eo, quod optimus Scriptor, aut Pictor egregias scripturas, aut picturas conficiat, non rectè colligitur, quod habeant maiorem perfectionem intrinsecam ea: quam habent alij calami, & penicilli, quibus alij malè scribunt, aut pingunt; quia vt ipsemet Auctor fatetur, hæc non sunt instrumenta adæquata, atq; completa.

Obijcies sextò ex eodem *numero* 198. de ratione effectus est, quod semper sit aliquo modo index suæ causæ: vnde est, quod excitet in nobis curiositatem, nempe desiderium inueniendi ipsum cur? quia viam aperit ad huiusmodi intentionem; ergo omnis effectus debet necessariò pẽdere à causa, quam aliquo modo possit indicare per 31

per specialem proportionem ducibilia. Sed instat causam causatam per potentiam obedientialem & formam supernaturalem non vitalem, nulla esse specialis proportio, ergo &c.

Respondeo: antecedens esse verum de effectu qui connaturaliter à sua causa procedit; hic enim vel est imago causæ suæ, hoc est index cum similitudine, vel vestigium, hoc est index sine similitudine. At non loquendo de effectu, qui supernaturaliter à sua causa producitur, eo quod pendet ab illa, vt diuinitus eleuata, atque adeò non potest esse index, nisi subiectionis, & obedientiæ, quæ est in illa cum quo stat, quod si in antecedente sit sermo de causa principali habeat absolutam veritatem, quia etiam effectus illi, qui per potentiam obedientialem producuntur, indices sunt diuinæ Omnipotentiæ; & quidem multò magis, quam alij propter ineptitudinem instrumenti, quod ab ea adhibetur. Siquidem quo ineptius est instrumentum, eò cæteris paribus nobilior esse arguitur causa principalis, quæ illud ad operandum adhibet. Ex hoc autem potius colligi potest potentia obedientialis in creaturis ad hoc, vt effectus, qui ab ea causantur, indicent potentiam Dei in rebus creatis assumendis esse talem, vt ea maiorem minimè excogitare possimus.

32 Instabis: Si gratia instrumentaliter producerentur ab aqua, licèt ipsa entitas gratiæ non diceret ordinem essentialem, & connaturalem ad aquam: saltem eius productio diceret ad illum dictum ordinem; ergo deberet esse index vinculis illius. Respondeo distinguendo sequelam antecedentis: productio gratiæ diceret ordinem essentialem, & connaturalem ad aquam secundùm entitatem suam consideratam, nego: vt eleuatam, concedo. Ex hoc autem solùm sequitur, quod sit index virtutis illius, vt eleuatæ, atque adeò vel Omnipotentiæ Dei extrinseci eleuantis, vel qualitatis in aqua receptæ, connaturaliter gratiæ potentis attingere. Iam verò sicuti in gratiam non solùm influit Dei eleuatio in actu primo, sed etiam ipsa substantia aquæ, ita eius productio dicit ordinem essentialem, & connaturalem ad dictam substantiam indiuisibiliter sumptam cum eleuatione. Quod non esse inconueniens patet ex ipsa gratia, quæ cum sit accidens tamquam subiectum connaturale sibi vendicat substantiam animæ, atque adeo ad illam essentialiter ordinatur, quamuis sit ordinis supernaturalis. Hic tamen adhærerem non solùm in entibus naturalibus obedientialem potentiam actiuam reperiri, sed etiam in supernaturalibus, nihil enim repugnat, quin Deus vtatur tanquam instrumento habitu fidei ad producendam gratiam sanctificantem, vel habitum Charitatis, & cætera huiusmodi. Vnde est, quod potentia obedientialis in rebus naturalibus sit connaturalis: in supernaturalibus verò supernaturalis, sed neutra ad æquatè terminat ordinem actionis.

Obijcies septimò: Non potest explicari num 33 Deus possit vti hac potentia obedientiali creaturæ ad creandum. Nequaquam dicta potentia fundetur in ratione entis creati, vt sic; an verò in ratione potentiæ naturalis actiuæ; ergo &c. Respondeo negando antecedens, dico enim, quod concurrere instrumentaliter ad creationem non inuoluit specialem aliquam repugnantiam, saltem respectiuam: poterit Deus rectè vti dicta potentia ad creandum. Num autem inuoluat, non est huius loci determinare. Præterea addo dictam potentiam obedientialem actiuam fundari omnem entitatem entis creati, vti vidimus; cum præsertim valdè probabiliter sustineri possit non esse possibile ens creatum, quod nullam habeat actuationem saltem intentionalem, siue mediatam, siue immediatam; cum enim sit essentialiter intelligibile exigit essentialiter habere species, quibus ab intellectu creato cognosci possit.

Obijcies octauò ex Pallucino *numero* 1. 34 *præcedenti* positiua in singulis rebus non probantur sufficienter per non repugnantiam. Sed sunt positiuè probanda. Sed potentia obedientialis est prædicatum positiuum; ergo cum positiuè non probetur, potius neganda est creaturis, quam concedenda. Consequentia suincitur, quia vni cuique rei ex prædictis positiuis excogitabilibus plura sunt illa, quæ desunt, quam illa, quæ sunt; ergo si nullum est iudicium probabilius est prædicatum positiuum, quod proponitur abesse, quàm adesse. Respondeo, concessa maiore, & minore negando primam consequentiæ partem, quæ ab argumente supponitur. Dico enim potentiam obedientialem positiuè probari, quod competat creaturæ ex perfectissimo Dei dominio, & amplitudine potentiæ, quam habet supra creaturas; nec non etiam ex perfectissima subiectione, qua ipsæ creaturæ subijciuntur Deo, quæ cum talia sint vt perfectiora excogitari nequeant, sunt media positiuè probantia dictam potentiam obedientialem.

Instabis ex Ouiedo *in physicis controuersia* 9. 35 *punctum* 2. quod Deus possit eleuare naturam ad formas supernaturales petitur ex eo, quod in ea sit potentia inchoata ad dictas formas; ergo tam qui negant naturæ potentiam obedientialem, quàm qui concedunt eodem modo de omnipotentia philosophantur, & solùm distrepant in dicta potentia. Non est igitur, cur specie cultus omnipotentiæ se protegant, qui potentiam obedientialem in ordine ad formas supernaturales non viuales ponunt in natura.

Respondeo, concesso antecedente, distinguendo primum consequens: tam qui negant, quàm qui concedunt eodem modo de omnipotentia philosophantur proximè, & formaliter, concedo: quia vtrique dicunt, quod data potentia obedientialis in creatura potest eleuari ab omnipotentia ea verò non data non potest. Eodem modo philosophantur remotè, & radicaliter, nego: quia de facto qui negant, tollunt ab ente creato aliquid ex quo sequitur Deum de facto nō posse vti creaturis pro libito, atque adeò neque has effectus perfectè subiectas, neque illum posse facere quidquid vult. Recte ergo Arriaga *num.* 38 docet in his controuersijs quando nobis non constat de repugnantia: nos teneri inclinare ad eam partem, quæ auget omnipotentiam Dei. Licet enim partes contradictionis non sint circa ipsam omnipotentiam proximè, sed circa eius naturalem remotè tamen refundunt controuersiam in ipsam omnipotentiam, quæ maior est perfectio-

nis

nis vendicat sibi ius hoc, vt illi concedamus posse vti creaturis suis quomodolibet, dummodo non appareat implicantia. quem discursum approbat
35 Lugo *disp. 6. de Sacramentis sect. 2.* dum probat, characterem non esse modum, sed rem, eo quod potentiæ diuinæ non debemus aliquid negare, nimirum separabilitatem characteris ab anima, nisi adsit ratio aliqua probans contradictionem propter absurdum aliquod, quod sequeretur: quia ad Dei dominium perfectissimum spectat, quod possit de creaturis omnibus, & singulis disponere simul, vel seorsim, prout velit. Hæc ille *numero 27.* Certum autem est, posito quod Character sit modus, non argui defectum in omnipotentia, quod non possit illum separatum ab anima conseruare; & tamen absolutè arguitur ab ingeniosissimo Cardinali.

36 Obijcies nonò ex Ouiedo *numero 9.* saltem nõ potest dari potentia obedientialis in creatura ad producendum effectum, qui de facto producitur à causis naturalibus eò modo, quo ab ipsis producitur. v. g. ad producendum ignem in passo disposito, & benè applicato; ergo non ad omnes prorsus effectus antecedens: si daretur huiusmodi potentia obedientialis, posset illi coniugi causa secunda creata naturalis, quę compleret efficaciã eius ad dictum effectum; sed hoc est absurdum, quia sic posset aqua v. g. simul cum igne naturaliter producere ignem; ergo &c. Sequela probatur, quia ignis nulla alia virtute adiutus potest producere ignem; ergo multò magis simul cum virtute obedientiali aquæ. *Respondeo*, negando antecedens. Ad cuius probationem nego suquelã: & ad confirmationem eius concesso antecedente, nego consequentiam, eo quod aqua in casu præsenti non posset compleri per virtutem ignis; hic enim non est completius virtutis obedientialis; nam licet hæc virtus aquæ sit inchoata, & incompleta: virtus verò ignis completa, & consummata, illa tamen non indiget quolibet complemẽto, sed illo, quod constituat se actu absolutè productiuam ignis, quantumuis partialiter: cuiusmodi est sola illa, quam à Deo, vt auctore supra totam naturam, recipere potest.

37 Obijcies decimò: Omnis virtus causatiua debet esse proportionata effectui; sed nihil est in creaturis ordinis naturalis proportionatum formis ordinis supernaturalis; ergo non datur in creaturis potentia obedientialis actiua.

Respondeo distinguendo maiorem: Omnis virtus debet esse proportionata effectui eo modo quo ponitur esse virtus, concedo; diuerso modo, nego. Quoniam verò potentia obedientialis actiua ponitur esse virtus inchoata, & incompleta effectus supernaturalis, non requirit aliam proportionem completam, & adæquatam, sed solùm inchoatam cum re supernaturali, modo infra explicando.

Instabis: Res naturalis ad habendam hanc inchoatam proportionem cum re supernaturali requireret, vt intra sphæram suæ potentię operatiuę formas ordinis supernaturalis cõprehenderet, sed hoc implicat; ergo &c. Sequela patet. Minor probatur, quia nemo dixerit, quod intra sphæram potentiæ auditiuæ sit visio; ergo multò minus dici poterit, quod intra sphæram potentiæ aquæ sit gratia.

Respondeo, transeat sequela, nego minorem: ad cuius probationem distinguo assumptũ; nemo dixerit, quod intra sphæram potentiæ auditiuę sit visio, vt vitaliter producenda, concedo: vt producenda non vitaliter, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod quando communiter asserimus, visionem non contineri intra sphæram potentiæ auditiuæ, nec auditionẽ intra sphæram potentiæ visiuæ, &c. loquimur de his actibus, vt vitaliter producendis. Sic enim supponunt, proportionem specialem potentiæ scilicet vitalis, & actus vitalis, quæ non reperitur inter potentiam auditiuam, & visionem; cæterùm si ponamus, huiusmodi actus non debere produci vitaliter, dico intra sphæram potentiæ auditiuę contineri visionem, & intra sphæram vnius potentiæ contineri omnes alios actus ad alias potentias spectantes in quantum potest quælibet eleuari à Deo ad illos producendos; ad eum planè modum, quo dicimus, posse quamlibet creaturam eleuari ad producendas formas supernaturales. 38

Obijcies vndecimò: Si daretur potentia obedientalis in creaturis sequeretur, quod admittẽda etiam esset in relationibus diuinis, pro vt virtualiter à natura distinctis, sed hoc est absurdum; ergo &c. Sequela patet paritate rationis, ne dicam maioritate. Minor verò probatur, quia sic vna persona per actionem transeuntem posset efficere aliquid, quod non efficeret alia. Respondeo, negando sequelam cum sua probatione. Disparitas rectè assignatur ab Albertino *qu. 1. theolog. secundo principio philosophico dub. 1. n. 7.* inter relationes diuinas, & naturam creatam: quia hæc cum sit inferioris conditionis, quam Omni potentia, & voluntas Dei; potest diuino Imperio obedire, eiusque eleuationi subesse. Contra verò relationes diuinę ratione identitatis, quam habent cum diuina natura parificantur omnipotentiæ, & voluntati diuinæ. Vnde est, quod & huius Imperium, & illius respuant eleuationem.

Instabis ex Ripalda *disp. 41. sect. 8.* licet ratione subiectionis Paternitas diuina v. g. ex se non actiua non possit auxilio diuinæ Omnipotentiæ reddi actiua per decretum diuinæ voluntatis illã sibi subijcientis: posset tamen ratione coniunctionis cum eadem diuina Omnipotentia; ergo nulla disparitas. Antecedens probatur ex eo, quia sic magis extenderetur sphæra diuinæ Omnipotentię, & aliunde nullum esset absurdum; ergo &c. Respondeo, negando antecedens: Ad cuius probationem dico, potentiam obedientialem fundari in subiectione creaturarum, & prędominio, quod habet Deus in illas ratione omnipotentiæ, & voluntatis suæ, cui nihil resistere potest. Hoc autem fundamento sublato ipsa quoque corruat necesse est. Coniunctionem enim cum Diuina Omnipotentia non esse sufficientem probatur, quia hæc coniunctio est per identitatem; ergo non dat locũ eleuationi: quia realiter loquẽdo ipsamet omnipotẽtia eleuaretur, quod est impossibile: quia sic deberet dari realiter virtus aliqua, quæ esset illã operosior aut potentior. Sicuti igitur implicat, Diuinã Omnipotentiã habere rationẽ causæ instrumentalis, & eleuabilis, ita quod dictam ratio-

Digitized by Google

nem habeat Paternitas. Ex quo deducitur coniunctionem, quæ est inter Omnipotentiam, & Paternitatem esse fundamentum potius repugnātiæ eleuationis eiusdem Paternitatis, cum ex eius eleuatione omnipotentiam deprimi, ac decidere à sua dignitate necesse sit.

SECTIO SEXTA.

Quid potentia obedientialis actiua realiter importet. Expenduntur aliorum sententiæ.

39 Rectè initio huius Controuersiæ aduertit Ouiedus *puncto 8.* multos non distinguentes inter potentiam obedientialem, & eleuationem, qua ipsa potentia eleuatur à Deo, grauiter in hoc errasse impugnando eos, quorum sententiam amplectuntur, & illos sequi profitendo, quorum sententiæ aduersantur. Nos itaque ne simili notemur nota: notamus, quòd dum de entitate potentiæ obedientialis disputamus, agimus de illa, pro vt ab eleuatione distinguitur, ab eaque in creaturis à Deo supponitur, quando illas ad producendam formam aliquam supernaturalem eleuat.

De Potentia autem obedientiali actiua sic accepta, prima sententia est sine vlla dubietate Fonseca *9. metaph. cap. 1. quæst. 4. sect. 3. & 4.* qui in ordine ad effectus supernaturales quo ad substantiam negat omnem actiuitatem, etiam partialem, & instrumentalem rebus naturalibus, atque eas constitui potentes obedientialiter ex parte sui negatiuè tantùm per carentiam videlicet repugnantiæ. Positiuè verò per virtutem à se ipsis adæquatè distinctam, nimirùm per Omnipotentiam Dei applicatā ad agendum per decretum, quo Deus vult rem aliquam naturalem influere in effectum supernaturalem sine vlla prorsus virtute sibi identificata.

40 Sed contra hanc sententiam facit primò: quia actio, per quam producitur gratia v. g. per aquam tamquam per instrumentum Dei, vel pendet intrinsecè immediatè ab aqua, vel non; Secundum dici nequit, aliter solus Deus physicè operaretur gratiam, & non aqua, contra decretū, quod Deus fecisse supponitur. Si dicatur primum, concedendam esse aliquam virtutem positiuam intrinsecam ipsi aquæ, per quam influat in gratiam, sic probo: Actus secundus, cuiusmodi est productio gratiæ, necessariò supponit actum primum scilicet virtutē productiuam illius; valet enim argumentari ab actu ad potentiam, ergo si actio productiua gratiæ non solùm physicè pendet à Deo, sed etiam ab aqua immediatè, debet ei correspondere aliqua virtus positiua, non solùm intrinseca Deo, sed etiam ipsi aquæ. Contra secundò: quia non minus est intrinseca creaturæ subordinatio ad Deum in genere causæ materialis, quàm in genere efficiendis; sed subordinatio in actu secundo in genere causæ materialis supponit in natura vim passiuam in ordine ad sustentandas formas supernaturales; ergo subordinatio in genere efficientis supponere debet in eadem natura aliquam vim actiuam in ordine ad easdem formas producendas. Falsum est igitur potentiam obedientialem ex parte creaturæ solum non repugnantiam importare.

41 Dices: In naturalibus habemus vnum per solam coniunctionem cum alio ex impotente reddi potens ad producendum aliquid; ergo multò magis in supernaturalibus, in quibus tota ratio agendi est omnipotentia Dei, ens naturale per coniunctionem cum Deo poterit reddi potens producere formas supernaturales. Antecedens probatur: quia color per solam coniunctionem cum lumine redditur potens producere species visuas. Calor per coniunctionem cum anima redditur potens producere carnem, &c. Respondeo distinguendo antecedens, ita vt virtus adæquatè productiua sit tantùm in vno, nego antecedens, ita vt sit partim in vno, & partim in alio, concedo antecedens; & nego consequentiam in sensu intento. Ad probationem antecedentis quæsum ad speciērum visibilium productionem, aio, vel ipsam vim productiuam earum esse in solo colore, & requiri lumen in medio in ratione dispositionis tantùm, vel partialiter in singulis reperiri. Quo ad verò productionem carnis: dico etiam vim productiuam reperiri partialiter in calore, totaliter verò in toto conflato, non quidē ex calore, & anima, sed ex calore, & alijs accidentibus ad productionem carnis necessarijs, vti supra diximus, idemque sentiendum esset de phantasmatibus in sententia eorum, qui volunt effectiuè concurrere simul cum intellectu agente ad productionem specierum intelligibilium; secus verò in sententia asserentium ea terminatiuè solùm concurrere in ratione scilicet obiecti, seu formæ determinantis intellectum agentem.

Secunda sententia est Ferrariensis *4. Contra. c. 56. §. aduertendum circa hæc*, Alensis, Paludani, Capreoli, & aliorum, qui dicunt naturā constitui potentem producere formas supernaturales non vitales per qualitatē supernaturalē actiuā intrinsecè sibi productam à Deo tamquam per virtutē productiuam effectus supernaturalis.

42 Verùm si hæc sententia loquitur de potentia completa, quam acquirit res naturalis beneficio eleuationis ad supernaturaliter operādum, potest rectè intelligi dicendo, quod hæc qualitas complendo potētiā obedientialē creaturæ simul cum illa cōstituat vnū adæquatum instrumentum Dei, quod secundùm veramque partem immediatè supernaturalem effectum attingat,

At verò si loquatur de potentia ipsa obedientiali se tenente ex parte creaturæ, quasi verò creatura media hac qualitate, & non secundùm entitatem suam producere posit effectum supernaturalem.

Contra est primò: quia perfecta subiectio, quam creatura debet habere ad Creatorem, importat, quod ipsa immediatè ex se subdatur Deo tamquam instrumentum suæ causæ principali in ordine ad illos effectus, ad quos non habet specialem aliquam repugnantiam. Sed hanc subiectionem non haberet res naturalis in ordine ad effectus supernaturales, stante hac sententia, quia non ex se, & immediatè, sed solùm mediante hac qualitate illos producerent ergo, &c.

Con-

Digitized by Google

43 Contra secundò: Intellectus, & voluntas non constituitur potens obedientialiter producere actus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis per qualitatem superadditam, quia sic virtus immediatè adæquatè operatiua esset hæc sola qualitas. Contra id, quod noster Rapalda *tom. 1. de ente supernaturali disp. 3.* tredecim argumentis, & innumeris auctoritatibus Conciliorum, Patrum, & Scholasticorum egregiè probat, ostendendo, virtutem naturæ intellectus, & voluntatis verè, & propriè actiuam supernaturalium operum, esse identificatam naturæ harum potentiarum, & non conuenire illi medio quodam aliqua supernaturali, quæ sit homini tota, & adæquata virtus supernaturaliter operandi: cum autem non sit maior ratio de alijs entibus naturalibus, quæ sua potentia obedientialiter producere possunt effectus supernaturales non vitales, dicendum est, neque potentiam obedientialem operandi vitaliter, neque potentiam operandi non vitaliter constitui per qualitatem supernaturalem superadditam modo dicto.

Quod si dicant Aduersarij, entia naturalia verè per huiusmodi qualitatem suadere propriè, & per se productiua rerum supernaturalium, & hoc sufficere in casu nostro.

44 Contra est tertiò: quia præter quam quod sic non haberetur immediata attingentia effectus, atque adeò non saluaretur perfecta subordinatio Creatori: Falsum est quod assumitur; nam etiam si aqua habeat in se formam caloris, non censetur propriè, & per se productiua caloris; neque aer illuminatus propriè, & per se productiuus lumini, neque lapis habens virtutem impressam propriè, & per se productiuus motus sursum, sed denominatiuè tantùm, & impropriè; ergo res quoque naturales, si per qualitatem supernaturalem à Deo sibi inditam effectus supernaturales immediatè producerent, non propriè, & per se, sed denominatiuè tantùm, & impropriè dictos causarent effectus.

45 Dices primò: Disparitatem esse, quia qualitates naturales, de quibus in antecedente, ex vna parte non sunt essentialiter actiuæ, ex alia verò non sunt applicationes, & motiones suorum subiectorum ad agendum: & ideo nil mirum si non constituant illa propriè, & per se agentia. Contra verò qualitatem illam supernaturalem habere vtrumque. Respondeo reperiri in vtroque dicto falsitatem. In primo, quia non minus sunt essentialiter actiuæ qualitates illæ naturales, de quibus mentionem fecimus, quę institutę sunt à natura, vt instrumenta substantiæ, quàm qualitas illa supernaturalis posita ab Aduersarijs. Quod si dicat, huiusmodi qualitatem esse potentiam actiuam tantùm, cui primò, & per se conueniat operari. Fac vt similis potentia actiua naturalis saltem miraculosè in subiecto extraneo recipiatur, v. g. leuitas in lapide, num quid dicetur lapis propriè, & per se eius beneficio sursum moueri? minimè. Hecle. In secundo etiam, quia qualitatem illam supernaturalem esse applicationem, & motionem subiecti, vel importat determinationem in actu primo ad agendum, vel in actu secundo: non primum, quia etiam qualitates naturales, de quibus egimus, huiusmodi determinationem afferunt subiectis suis. Neque secundum, quia positis omnibus requisitis in actu primo, nullâ aliâ determinatione in actu secundo requirit causa præter ipsâ actionem: sed huiusmodi qualitas non ponitur esse actio: ergo &c.

Dices secundò in nostra sententia substantiam reddi potentem propriè, & per se per actionem immediatè, & adæquatè à sua qualitate procedentem, v. g. ignem per calefactionem immediatè, & adæquatè procedentem à suo calore, & Solem per actionem à suo lumine; ergo etiam res naturalis poterit reddi agens propriè, & per se per actionem immediatè, & adæquatè à qualitate illa supernaturali prouenientem. Respondeo, negando consequentiam: Disparitas lata est, quia calor est virtus nativa, & instrumentum connaturale ignis, sicuti etiam lumen, Solis; causa autem principalis per suas virtutes, & instrumenta per se, & propriè operatur: at qualitas illa supernaturalis non est virtus naturaliter exacta, & instrumentum connaturale entis naturalis, vnde non est cur ad actionem illius propriè, & per se agere censeatur.

Tertia sententia est Scoti *in 3. disputat. prima. quæst. 3. art. 4. §. est ergo.* quem sequuntur Medina, Cabrera, Bellarminus, Valentia, & alij. Hi dicunt, naturam reddi potentem producere formas supernaturales non vitales per motum quendam virtuosum: sicuti instrumenta artificialia per motum ab artifice sibi impressum redduntur apta artificialiter operari. Iam verò motum hunc virtuosum, putant esse entitatem quandam modalem ipsi naturæ inhærentem, quæ nullum in ea terminum habeat, sed sit via ad actionem transeuntem, quæ exeretur in alio subiecto, in quo dicta forma supernaturalis producenda est.

Hæc etiam sententia, si loquatur de actuali elevatione potentię obedientialis actiuæ, quamuis falsa sit, non pertinet tamen ad hunc locum eam confutare. Sin autem de potentia ipsa obedientiali. Contra est primò: non potest rectè explicari in quo hęc motio virtuosa consistat; nō enim potest dici cum aliquibus, primò, quod sit motus ille realis, quo res naturalis applicatur subiecto, in quo formam supernaturalem producere debet v. g. ablutio, qua aqua applicatur baptizando; tum quia hic motus est ordinis naturalis, sicuti aqua: tum etiam quia non repugnat, aquam eleuari ad producendam gratiam, nulla præuia motione. Neque cum alijs secundò, quod sit in entitate sua supernaturalis: quia vel hæc reciperetur in motu naturali tanquam in subiecto, vt censent nonnulli; & hoc non; quia sine dicto motu res naturalis, vti vidimus, eleuari potest; vel in ipsa entitate rei naturalis v. g. aquę, vt alij: & hoc neque, quia vel ea esset totalis virtus aquæ, quæ adæquatè in gratiam influeret, vel partialis. Non primum: quia sic frustrà moueretur aqua ad producendam gratiam, sicuti frustra moueretur lignum ad videndum Deum. Neque secundum; quia iam hęc motio supponeret in aqua virtutem quamdam inchoatam immediatè causatiuam, quamuis partialiter gratiæ sanctificantis, in qua virtute rationem potentiæ obediętialis actiuæ absque eo, quod huiusmodi motionē multiplicemus, rectè saluari ex dicendis cōstabit.

46

Digitized by Google

47 Neque dicant Aduersarij, Diuum Thomam pluribus in locis agendo de potentia obedientiæ huius motionis mentionem fecisse; hoc enim non est contra nos. Loquitur enim de motione, quam creatura ex suppositione, quod potentia obedientiali prædita sit recipere debet à Deo, ad hoc, vt eleuetur, & compleatur intrinsecè ad connaturaliter effectus supernaturales producendos. Qua quidem motione verè ad hūc finem indiget creatura, non autem ad finem acquirendi potentiam obedientialem, vti putant Aduersarij.

Neque iterum addant, instrumentum artificiale v. g. Serram recipere debere ab Artifice motum artificiosum in se, vt constituatur potens producere effectum artis, videlicet scissionem, ne inquam hoc addant. Nam motus artificiosus correspondet in casu nostro eleuationi, & non virtuti obedientiali. Quemadmodum igitur motus quo Artifex mouet serram ad secandum lignum, supponit in ea aptitudinem quandam inchoatam, & incompletam ad immediatè producendum dictum effectum; complendam verò per ipsum motum: ita & in casu nostro. Quod si quis cum Arriaga *disp.* 11. *Phys. numero* 48. contendat, serram non diuidere lignum physicè immediatè, sed medio impulsu à mouente sibi impresso: quamuis hoc falsum esse oculis ipsis quilibet comprobare posset, eo tamen permisso dicat parietem non esse ad rem propter perfectissimam subiectionem, quam quodlibet eius creatum habet ad Deum, quam non habet instrumentum artis ad artificem. Quare idem Arriaga negat instrumenta artis habere veram, & propriam rationem instrumenti.

SECTIO SEPTIMA.

Statuitur, & probatur nostra sententia, ac dissoluuntur obiecta.

48 His igitur opinionibus posthabitis sic procedit nostra Conclusio: Potentia obedientialis actiua naturæ creatæ in ordine ad formas supernaturales tū vitales, tū non vitales producendas realiter importat incompletam quamdam actiuitatem adæquatè identificatam entitati ipsius naturæ creatæ. Est Suarij *tom.* 1. *in* 3. *parte disput.* 31. *sect.* 6. quem sequuntur Albertinus, Tannerus, Beccanus, Arrubal, Ruiz, Fasolus, Granadus, Petrus Hurtado, Sayrus Pueeanus, Pesantius, Philiarchus, Bonacina, Ægidius, Marchio, Sforcia, Curiel. *locis citatis* à Ripalda *de ente supernat. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 41. *sect.* 5. *num.* 33.

49 Probatur assertio quoad singula; & quidem quod potētia obientialis actiua importet realiter inchoatam, & incompletam quandam actiuitatem, constat ex eo, quia nisi per eleuationem sibi indebitam corroboraretur à Deo, non posset effectus supernaturales attingere. Quod verò ea sit identificata naturæ, suadetur: quia vti supra probauimus datur hæc potentia obedientialis actiua in creaturis ordinis naturalis; sed non potest esse illis extrinseca, sicuti volebat Fonseca, qui dicebat identificari cum diuina Omnipotentia illis applicata per decretum, neque intrinseca per additionem alicuius entis realis, siue se habentis per modum qualitatis actiuæ supernaturalis, vti putabat Ferrariensis; siue per modum virtuosæ cuiusdam motionis modaliter tantum, à rebus naturalibus distincte, vt dicebat Scotus; ergo erit intrinseca dictis rebus naturalibus per identitatem. Et confirmatur: quia intellectus, vt distinctus ab habitu Fidei, & à quocumque auxilio extrinseco Dei influit per suam entitatem in actum Fidei diuinæ, & quidem immediatè, aliàs non operaretur vitaliter. Item voluntas immediatè ex se ipsa actum Charitatis operatur, aliter non operaretur liberè; ergo &c. Quod denique dicta potentia obedientialis adæquatè dictis rebus naturalibus identificetur, euincitur ex eo, quia quamuis potentia obedientialis in ordine ad effectus supernaturales producendos habeat rationem inadæquati principij, vti diximus, illa tamen partialis ratio tenens se ex parte sui, debet necessariò adæquatè ei identificari. Si enim inadæquatè solùm: pono, num illa alia ratio obedientialis potentiæ identificata ipsi creaturæ, identificetur illi adæquatè, an inadæquatè: si primum, idem dici poterat de tota potentia, absque eo, quod superfluitatem entium sine necessitate induceremus. Si verò secundum: non poterit vitari processus in infinitum, nisi in vna aliqua sistamus, quæ licet in se inadæquata sit, adæquate tamē identificetur creaturę; ergo cum nulla specialis ratio in contrarium vrgeat, tenemur sistere in prima illa potentia, dicendo, quod sit adæquatè, ei identificata. Ex quibus tota Conclusio nostra remanet iam probata quo ad singulas sui partes.

50 Obijcies primò: Diuus Augustinus *de Genesi ad litt. cap.* 17. & 18. ait: Potentiam obedientialem esse rationem, seu causam à Deo inditam rebus creatis vltra primam conditionem ipsarum; ergo falsum est identificari rebus naturalibus. Respondeo, Sanctum Doctorem loqui de potentia obedientiali absoluta, quæ cum in obliquo importet eleuationem Dei, distinguitur proculdubio realiter quantū ad hoc ab entitate rei naturalis. Quoniam verò nos agimus de ea, pro vt ad eleuationē supponitur, hinc fit, vt nobis non sit contrarius Augustinus, quare nego consequentiam.

Obijcies secundò: Deus potest eleuare solam frigiditatem aquæ ad producendam gratiam; ergo potentia obedientialis realiter distinguitur ab entitate naturæ. Probatur consequentia: in eo casu frigiditas aquæ identificetur cum potētia obedientiali; sed frigiditas aquæ distinguitur realiter à natura aquę; ergo & potentia obedientialis. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam: & ad probationem dico, naturam posse sumi strictè pro substantia naturali, & latè pro essentia cuiuscumque entis ordinis naturalis, siue substantiale sit, siue accidentale.

51 Iam verò nos hoc secundo modo sumimus naturam, quando dicimus potentiam obedientialem illi identificari; per quę patet ad probationem consequentiæ, concessa enim maiore, & minore, distinguendum est consequens: potentia obedientialis identificata frigiditati aquæ distinguitur realiter à substantia aquæ, concedo. ita vt substantia aquę non habeat potentiam obedientialem propriam sibi identificatam, nego consequentiam.

Obijcies tertiò: Si potentia obedientialis actiua

Digitized by Google

naturali identificaretur, sequerentur, quod ad minimum esset formalitas quædam distincta ex parte obiecti ab essentia ipsius rei naturalis; sed non potest esse huiusmodi formalitas; ergo erit distincta realitas. Sequela videtur certa; nam magis distinguitur in aqua ratio potentiæ activæ à ratione essentiæ ipsius aquæ, quam in homine ratio animalis à ratione rationalis. Potentia enim activa per Aristotelem *cap. de quando* est in prædicamento qualitatis: aqua verò in prædicamento substantiæ. Contra verò animal & rationale pertinent ad idem prædicamentum substantiæ; ergo si in homine animalitas, & rationalitas sunt duæ formalitates distinctæ ex parte obiecti, multo magis erunt in aqua potentia obedientialis, & essentia ipsius aquæ. Minor verò suadetur, quia contra hanc formalitatem ex parte obiecti distinctam valida difficultates insurgunt; nam ex una parte specificari deberet ab effectibus supernaturalibus, atque adeò habere essentialem connexionem cum illis. Ex alia verò non videtur facilè concedendum, quod res naturales à non implicantia supernaturalium pendeant, ita ut si implicarent hæ, implicarent & illæ.

52 Respondeo, negando sequelam. Puto enim, quod potentia obedientialis ita identificetur cum entitate cuiuscumque rei naturalis, ut distinguatur ab eius essentia ex solo nostro concipiendi modo, sicuti diximus distingui in Petro v. g. rationem aptus, & rationem substantiæ. Eadem itaque formalitas ex parte obiecti relata ad naturales proprietates dicitur essentia, ut verò relata ad plenissimum dominium, quod supra creaturas suas Deus habet in ordine ad operandum, dicitur potentia obedientialis activa. Nec alia maiori distinctione inter hæc duo opus est. & ratio esse potest, quia secluſa quavis alia formalitate ex parte obiecti, & considerata mera essentia cuiusvis entis naturalis, de ea verificari optimè potest, quod posita Dei elevatione formas supernaturales attingere possit: quia hoc ipso quod in ea relucet ratio creaturæ, simul apparet ista inpræscindibilis subiectio; alioquin sicuti si per formalitatem ex parte obiecti distinctam res creatæ haberent rationem creaturæ, minus essent subiectæ Deo quàtum ad esse, ita si per formalitatem distinctam ex parte obiecti haberent rationem potentiæ obedientialis activæ, minus essent illi subiectæ quo ad operari. Ad probationem autem in contrarium, nego magis in aqua distingui potentiam obedientialem ab essentia ipsius aquæ, quam in homine animalitatem à rationalitate. Disparitas patet ex dictis, quia potentia obedientialis est imbibita in quolibet prædicato rei naturalis non minus, quam ratio entis creati. Contra verò non apparet ratio dicendi, quod animalitas sit imbibita in conceptu rationalitatis, neque in hoc Philosophus est nobis contrarius. Ipse enim quando docet, omnem potentiam activam esse in prædicamento qualitatis, agit de potentia activa naturali, quæ ex suis intrinsecis est absolutè talis, & non de obedientiali, quæ spectata quo ad sua intrinseca tantùm, est solùm inchoata potentia, & incompleta, etiam si partialiter consideretur.

53 Instabis: Potentia passiva obedientialis importat in rebus naturalibus completam vim sustentativam formarum supernaturalium; ergo potentia obedientialis activa non debet importare in eisdem rebus naturalibus incompletam vim actuam earumdem formarum. Consequentia patet pariate. Antecedens verò probatur, quia gratia sanctificans v. g. non sustentatur partim à substantia animæ, & partim ab aliquo alio partiali subiecto supernaturali. Sed totaliter ab ipsa anima; ergo &c. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam: Disparitas sumitur ex nobilitate, secundùm quam modus causandi causæ efficientis superat modum causandi causæ materialis. Causa enim efficiens cum sit principium, unde motus, si principalis est, debet necessariò esse vel nobilior, vel equè nobilis, ac effectus. Sin autem instrumentalis, debet esse essentialiter virtus causæ principalis. Cum autem neutrum habeat res naturalis respectu formarum supernaturalium: hinc fit, ut nisi corroboretur, compleatur, & adiuvetur per ipsam causam principalem immediatè, vel media aliqua eius instrumentaria virtute, non sit apta dictas formas producere. Contra verò modus causandi causæ materialis est valdè imperfectus: influit enim per potentiam sustentativam, quæ per se loquendo est ignobilior effectu, nempe forma, quam sustentat. Unde non est, cur non possit natura esse potentia obedientialis, passiva adæquata formarum substantialium, cum præsertim manifestè repugnet, esse inadæquatam propter processum in infinitum, qui inde uti supra vidimus, deduceretur.

SECTIO OCTAVA.

An potentia obedientialis sit de se absolutè potentia.

54 Difficultas est inter nostræ sententiæ Sectatores, num huiusmodi potentia obedientiæ, quam creaturæ identificatam esse probavimus, sit de se absolutè, & simpliciter productiva formarum supernaturalium, an conditionatè tantùm. Ioannes Martinez de Ripalda *disput. 4. citata sect. 5. & 6.* Putat, eam de se esse conditionatam tantùm, & tractive in absolutam per connotationem elevationis, & possibilitatis formarum supernaturalium. Priorem partem huius dicti sic probat. Potentia, quæ est absolutè productiva, quatumvis partialiter alicuius effectus debet esse essentialiter connexa per ordinem trascendentalem cum possibilitate illius effectus, & cum aliis comprincipijs ad illum producendum necessarijs. At qui potentia obedientialis rei naturalis non est essentialiter connexa per ordinem transcendentalem cum possibilitate formarum supernaturalium, quas producere debet, & cum alijs comprincipijs ad causandum illas necessarijs; ergo de se non est absolutè, & simpliciter productiva, adhuc partialiter, formarum supernaturalium. Minorem huius argumenti suppono, & maiorem probat exemplo potentiarum naturalium, quæ quantumvis sint partiales, in tantùm sunt absolutè productivæ suorum effectuum, quia sunt essentialiter connexæ per relationem transcendentalem cum illis,

Digitized by Google

illis, & cum aliis comprincipijs necessarijs, ita vt aliquod ex his repugnaret, ipsę quoque inuoluerent repugnantiam. Vnde fit, quod quælibet potentia naturalis talis est, vt in aliquo casu exigat cætera principia ad producendum effectũ necessaria, in nullo autem casu obedientialis.

55 Quod verò dicta potentia postea transeat in absolutam per connotationem eleuationis, & possibilitatis formæ producendę, facilè suadetur ex eo, quia nequit haberi potentia totalis, & adęquata absolutè productiua alicuius effectus, quia simul habeatur absolutè productiua potentia partialis. Sed posita eleuatione potentiæ obedientialis, & possibilitate formę supernaturalis producendæ iam habetur potentia totalis, & adęquata absolutè productiua dictæ formæ; ergo iam habetur potentia obedientialis absolutè productiua dictæ formæ. Maior patet, quia nequit totum aliquod esse absolutum, quandiu aliqua eius pars est conditionata: conditio enim nihil ponit in esse. Minor verò videtur certa: quia potentia adæquatè productiua visionis Dei non est, nisi conflatum ex lumine gloriæ, & intellectu, ita vt lumen importet eleuationem intellectus verò potentiam obedientialem, quę eleuatur.

56 Contra hanc Ripaldæ sententiam inuehitur multis argumentis Ouiedus *controuers. 9. Physic. puncto 8. à numero 4.* qui, licèt in propria sententia neget causam naturalem esse essentialiter cum suo effectu connexam: dumtamen hoc Ripaldæ, eumque bifariam impugnat primò quantum ad id, quod asserit potentiam naturalem non constituì absolutè productiuam per connotationem cõprincipiorum suorum, sed solam obedientialem: deinde verò quantum ad id, quod putat, possibilitatem effectus pertinere formaliter, vt connotatum ad rationem potentiæ absolutè partialis. Cõtra primum arguit primò sic: Non minus pendet intellectus à comprincipio naturali, nempè à specie impressa ad cognitionem naturalem efficiendã, quàm à supernaturali ad supernaturalem, ergo sicuti ex eo, quod intellectus non possit sine lumine elicere visionem, non est absolutè potens partialiter, donec intelligatur in obliquo lumen gloriæ, & possibilitas eiusdem visionis; ita etiam ex eo, quod non possit sine specie lapidis cognoscere naturaliter lapidem, non erit absolutè potens, donec intelligatur connotare dictam speciẽ cum possibilitate visionis lapidis. Sed responderet ad hoc Ripalda distinguendo antecedens, non minus pendet intellectus, & diuerso modo, concedo, & eodem modo, nego antecedens, & consequentiam. Diceret enim, quod licèt intellectus ab vtrisque comprincipijs pendeat, ita tamen pendet a principijs naturalibus, & à non repugnantia cognitionis naturalis lapidis ad illam eliciendam, vt ijs repugnantibus, ipse etiam repugnaret: non sic verò à supernaturalibus, ijs enim repugnantibus, adhuc existeret.

57 Sed instat cõtra hoc Ouiedus. Connexio, quam habet intellectus cum principijs requisitis ad cognitionem naturalem, & possibilitate eiusdem, potest considerari primò, quatenus dicit vtrumque extremum connexionis in recto. Secundò quatenus dicit vnum in recto, & aliud in obliquo. Tertio denique præcisè, quatenus dicit entitatem intellectus præcisam, & adæquatè distinctam ab alio extremo, cum quo habet connexionem, quę talis sit, vt ipsa non esset, si non esset alterum extremum, cum quo esset connexa; sed duobus prioribus modis æquè intellectus distinguitur à specie lapidis, cum qua est connexus, ac à lumine gloriæ, cum quo est inconnexus. Tertio verò modo nõ potest intellectus intelligi virtus partialis absoluta effectus: siquidem pars quæ essentialiter est pars, importat essentialiter in obliquo aliam cõpartem, neque sine illa intelligi potest; ergo non obstante connexione eodem modo potentia naturalis est absoluta partialiter per connexionem, ac obedientialis sine illa.

58 Responderet, non posse sumi intellectum, vt connexum cum principijs suis naturalibus, & possibilitate cognitionis, quin formaliter, vt talis dicat in obliquo aliud extremum. Ex hoc autem negare, æquè eodem modo compleri potentiam absolutam naturalem per cõnotationẽ principiorum, & possibilitatis effectus, ac supernaturalem; & disparitatem afferre posse: quia potentia absoluta naturalis proximè completur per connexionem, seu relationem transcendentalem, & veluti remotè per extremum in obliquo importatum, in quantum videlicet connexio, ita dicit in recto terminum, quem connectit, vt dicat in obliquo terminum, cum quo connectit. Contra verò obedientialis completur proximè per eleuationem, & possibilitatem effectus, vnde patet falsum esse id, quod Ouiedus *num. 6.* deducit, nempe pariglem virtutem, quam habet potentia naturalis ad effectus naturales, compleri in ratione potentiæ absolutę per comprincipia, & possibilitatem effectus; nam hoc ipso quod completur per connexionem, dicendum est compleri per aliquid intrinsecum sibi identificatum: ex quo fit, vt quandiu potentia naturalis habetur, sit in se completa, hoc est absoluta, quamuis partialis. At verò potentia obedientialis, cum non compleatur per aliquid sibi identificatum, sed à se distinctum, nempe per connotata: hinc est, vt non hoc ipso, quod intelligitur esse, intelligatur esse completa.

59 Arguit secundò Ouiedus *num. 7.* sic: aliud est formaliter connexio formalis vnius extremi ad aliud, & aliud coexistentia cum illo; sed nulla virtus partialis indiget præcisè connexione sui cum alio comprincipio ad producendum effectum, sed coexistentia; ergo nulla virtus constituenda est absolutè potens per connexionem, sed per coexistentiam; & sic non solùm potentia actiua obedientialis; sed etiam naturalis per aliquid extrinsecum, ex conditionata euadit absoluta. Maior patet, quia connexio, quantũ est de se, non requirit necessariò existentiam vtriusque extremi, sicuti eam requirit coexistentia. Minor verò probatur. Finge, potentiam visiuam non habere connexionem cum speciebus lapidis: bene tamen habere coexistentiam cum illis, iam produceret tanquam causa partialis visionem: ergo connexio illa nihil conduxit ad productionem formaliter, sed solùm causaliter: in quantum coexistentiam infert. Idem probatur ex intellectum instructo lumine gloriæ, qui etiamsi retineat in con-

connexionem cum dicto lumine, quam habebat antea, quia tamen acquirit coexistentiam, fit absolutè potens producere visione; ergo &c.

60 Ad hoc quoque argumentum facilè responderet Ripalda, concessa: maiore, & minore, distinguendo consequens; ergo nulla virtus constituenda est absolutè potens per connexionem, sed per coexistentiam; & si quidem particula absolutè sumatur, pro vt opponitur remotè, ita vt idem sonet, ac proximè, & completè, vltrò concederet; si verò sumatur, pro vt opponitur conditionatè, & significet verè, & propriè, negaret consequentiam, & diceret. Quiedum hoc argumento benè quidem conuincere, quod ad hoc, vt potentia adhuc partialis sit completè, & proximè potens producere effectum requiran necessariò coexistétiam alicuius comprincipiorum, siue demum sit connexa cum illis, siue non, parum curando; quare si potentia absolutè productiua in hoc sensu sumatur, argumentum benè concludat; in quæstione tamen, quam prę manibus habemus, nomine potentiæ absolutè productiuæ venire potentiam, quæ licet non sit proximè productiua: verè tamé, & propriè est huiusmodi, & non conditionaliter, seu impropriè, & hanc se contendere constitui debere, vel per connexionem cum principijs, vel per coexistentiam cum illis, quod dictum, nullo modo labefactat argumentum factum; siquidem ex illa minori, ad quam demonstrandam totis viribus desudat Quiedus, & in cuius euidétia triumphare videtur, quod scilicet nulla virtus partialis indiget precisè connexione sui cũ alijs comprincipijs ad producendum effectum, sed coexistentia, solùm sequitur non esse necessariam connexionem ad constituendam potentiam partialem proximè, & completè operatiuam effectus, sed coexistentiam; Non verò eam non sufficere ad constituendam potentiam verè, & propriè operatiuam, esto etiam sic reddat coexistentia.

61 Arguit denique tertiò sic: id, quo indiget virtus partialis naturalis ad producendum effectum non est possibilitas tantùm alius comprincipij, sed actualis coniunctio cum illo; ergo si potentia naturalis formaliter diceret connexionem cũ alijs comprincipijs, diceret connexionem cum eis, vt existentibus, & non vt possibilibus; sed hoc est falsum, vt patet ex potentia visiua, quę licet speciebus visibilibus careat, non amittit rationem propriæ potentiæ; ergo &c.

Responderet Ripalda, concesso antecedente, negando consequentiam, & rationem assignaret, quia coexistentia aliorum comprincipiorum indiget potentia ad hoc, vt sit completè productiua effectus; at potentia naturalis per connexionem non debet constitui completè productiua, sed absolutè; quatenus à conditionate productiua distinguitur, & importat veram, & propriam vim producendi; vnde non est necesse, vt si formaliter dicit connexionem cum suis comprincipijs, debeat dicere eam cum ijs, vt existentibus.

Atque hæc contra primum, quod dicebat Ripalda. Contra secundum verò, quod scilicet possibilitas effectus pertineat formaliter, vt connotatum ad rationem potentię absolutè partialis insurgit Quiedus num. 9. sic: Conceptus potentiæ absolutè est conceptus illius, à quo actio existens fluit; Sed actio existens non fluit à possibilitate sui, neque sumpta in recto, neque sumpta in obliquo; ergo possibilitas effectus nullo modo spectat ad conceptum quidditatiuum potentiæ. Sed benè ad hoc responderet Aduersarius distinguendo maiorem: conceptus potentiæ absolutè sumptæ secundùm id, quod importat in recto est conceptus illius à quo actio existens fluit, cõcedo: sumptæ secundùm id, quod importat in obliquo nego maiorem, & concessa minore, distingueret consequens: possibilitas effectus nullo modo spectat ad conceptum potentiæ actiuæ sumptæ in recto, concedo: sumptæ in obliquo, nego consequentiam. 62

Contra hanc distinctionem insurgit Quiedus: possibilitas effectus in obliquo, vel est formaliter constitutiua potentię, vel tantùm est terminus, siue ordine adquē non potest intelligi conceptus causæ partialis. Secundum dici nequit, ne totam sententiam suam Ripalda retractet. Neque primũ, quia sic actio à sua possibilitate verè, & propriè physicè penderet, quod videtur absurdũ; ergo &c.

Sed ad hoc quoque negaret Ripalda minorem, dicendo, quod possibilitas effectus sit tantùm connotatum extrinsecum, sed essentiale, sine quo non possumus habere conceptum potentiæ obedientialis absolutè potentis; & ad probationem incõtrarium diceret: per hoc totam suam sententiam confirmari potius, quam retractari: quia quando ipse docet potentiam obedientialem per connotationem comprincipiorum, & possibilitatis effectus supernaturalis in obliquo importatorum ex conditionata transire in absolutam, non intelligit hæc omnia esse intrinseca constitutiua potentię obedientialis, sed esse extrinseca connotata essentialia, sicuti est terminus relationis trãscendentalis ad ipsam relationem comparatus in sententia, quam ipse supponit.

Atque hæc dixerim, vt ostenderem sententiam 63
Ripaldæ rectè procedere ex suppositione illa, quod potentia naturalis sit essentialiter connexa per relationem transcendentalem cum suis naturalibus comprincipijs, & possibilitate suorum effectuum, & quod potentia obedientialis sit inconnexa cum suis supernaturalibus. Quoniam verò ego numquam probare potui morem eorũ, qui præcipuas quæstiones ex proprijs principijs resoluentes quid absolutè dicendum sit in cæterorum sententia, non curant: Aliunde autem habemus nonnullos, inter quos est Quiedus, negare causas naturales productiuas habere connexionẽ essentialem cum suis effectibus, & comprincipijs naturalibus: Alios verò, inter quos est Arriaga, affimare eas habere connexionem cum possibilitate omnium comprincipiorum etiam supernaturalium, quibus eleuari possunt ad producendos supernaturales effectus, & cum possibilitate dictorum effectuum, & referri ad ea omnia transcendentaliter: ideò sit.

Nostra vnica Conclusio: Potẽtia obedientialis prę scindendo à quacumq; connexione vel inconnexione adhuc vt partiale comprincipium considerata de se, & ex suis intrinsecis est solùm condimonatè, & secundùm quid productiua effectuum supernaturalium, & nonnisi per actualem eleuationem

Digitized by Google

tionem à Deo habitam, euadit absolutè, & simpliciter dictorum effectuum productiua.

64 Duas partes continet assertio; & quidem quo ad priorem, quod scilicet de se sit conditionatè productiua, probatur sic: Potentia obedientialis actiua secundùm se, & quo ad intrinseca sua considerata minorem proportionem habet cum suis effectibus supernaturalibus in ratione productiui, & producibilis, quam in eadem ratione habeat quælibet alia potentia naturalis partialis actiua cum suis effectibus naturalibus, spectata item secundùm se, & quo ad sua intrinseca; sed minor proportio non potest explicari in quo alio posita sit, nisi in eo, quod de se, & ex intrinsecis suis sit conditionatè tantùm, & secundùm quid productiua supernaturalium effectuum, quantumuis partialiter; ergo potentia obedientialis adhuc vt partiale comprincipium considerata de se, & quo ad sua intrinseca est solùm conditionatè, & secundùm quid supernaturalium effectuum productiua. Maior est certa; primæ enim notiones harum potentiarum videntur esse, quod naturalis sit illa, quæ de se, & secundùm sua intrinseca sit proporionata suo effectui naturali; obedientialis verò, quæ de se vel nullam habeat proportionem ad supernaturales, vel si quam habet, certè minorem habeat. Minor verò probatur; nil enim aliud videtur esse necessarium ad constituendam potentiam naturalem proportionatam suis effectibus, quam virtus ex suis intrinsecis absolutè illorum, quamuis partialiter productiua; quare si vis obedientialis esset ex suis intrinsecis absolutè effectuum supernaturaliũ productiua, non minorem proportionem haberet ad suos effectus, quam potentia naturalis ad suos.

65 Et confirmatur; nam minor proportio, quam haberet obedientialis, non potest dici, quod consistat in eo, quod indigeat nobiliori comprincipio, nempe eleuatione Dei supernaturali; nam omnis causa secunda indiget ad operandum causa prima tamquam nobilissimo comprincipio, & in entitate sua maximè supernaturali, & tamen per potentiam naturalem operatur. Neque quod minimam vim in ordine ad effectum supernaturalem adhibeat; quia si decem millia causarum naturalium partialium ad generandam aquæ guttam concurrerent, profectò quælibet ex eis minorem vim adhiberet, quam intellectus v. g. eleuatus lumine gloriæ ad visionem; & tamen quælibet verè naturaliter coefficeret effectum illum: neque in eo, quod non debeatur illi concursus, nisi quatenus coniuncta cum principijs indebitis; quia hoc ipso, quod esset absolutè productiua suorum effectuum, concursus, & alia comprincipia essent illi debita, non minus, quam potentiæ naturali partiali, quia effectus absoluta, sicuti illa. Neque denique assignabile est aliud, in quo hæc minor proportio potentiæ obedientialis ad suos effectus consistere possit; ergo dicendum est consistere in eo, quod sit ex suis intrinsecis conditionaliter productiua illorum; naturalis verò absolutè suorũ. Cuius discriminis vlterior ratio esse potest, quia potentia actiua, quæ solum ex suis intrinsecis talis est, non debet dici cum addito minuente, sed absolutè talis; sed potentia quam habet aqua v. g. ad producendam gratiam, non dicitur absolutè talis, sed cum addito minuente, nimirum obedientialis, quod significat non ex se, sed quatenus subditur omnipotentia Creatoris, effectum illum supernaturalem attingere posse; ergo ex suimet nominis appellatione constat, quod non sit absolutè, & ex suis intrinsecis operatiua suorum effectuum, sed conditionatè tantùm.

66 Posterior verò pars eiusdem Conclusionis, in qua subdebatur, quod dicta potentia obedientialis per solam eleuationem habitam à Deo reddebatur absolutè productiua suorum effectuum; Probatur etiam: quia per eleuationem habitam à Deo euadit æquè proportionata ad effectus supernaturales producendos, ac est potentia naturalis ad suos; ergo per eleuationem habet, quod sit absolutè productiua. Consequentia patet pariete. Antecedens verò suadetur: nam proportio, quam habet potentia naturalis cum suo effectu, consistit in eo, quod sit ei aliquando debitus concursus Dei ad illum producendum. Sed posito, quod potentia obedientialis sit eleuata, debetur illi concursus ad effectum supernaturalem producendum: Constat enim intellectum informatum lumine gloriæ v. g. exigere à Deo concursum ad visionem eliciendam; ergo potentia obedientialis per eleuationem euadit æque proportionata ad suos effectus, ac est *naturalis* ad suos. Confirmatur: quia potentia absolutè productiua aliud non importat, quam veram, & propriam vim causatiuam in genere efficientis; sed potentia obedientialis eleuata est verè, & propriè causatiua formarum supernaturalium in genere efficientis; ergo est absolutè productiua illarum.

SECTIO NONA.

Soluuntur obiecta in contrarium.

67 OBijcies primò: Potentia naturalis partialis est de se, & ex suis intrinsecis conditionatè solùm productiua suorum effectuum naturaliũ, & non nisi per coniunctionem cum alijs comprincipijs euadit absolutè, & simpliciter illorum productiua; ergo hoc non debet soli potentiæ obedientiali specialiter in Conclusione tribui. Antecedens probatur: quia intellectus non est absolutè productiuus cognitionis alicuius obiecti, nisi habeat species illius obiecti: interim conditionatè solùm est productiuus illius, nimirùm si habeat; ergo &c. Respondeo, distinguendo vtramq; partem antecedentis: Potentia naturalis partialis est de se conditionatè productiua effectuum, si cõditio cadat supra complementum virtutis cõcedo: si cadat supra virtutem ipsam partialem sibi propriam, nego. Item aliam partem distinguo sic: & per coniunctionem cum alijs comprincipijs euadit absolutè, & simpliciter potens, hoc est completè potens concedo: hoc est verè, & propriè, licet partialiter potens: nego antecedens, & consequentiam: quia nos quando in conclusione dicimus potentiam obedientialem esse de se, & secundùm sua intrinseca conditionatè operatiuam, & per eleuationem reddi absolutè talem, non loquimur

Digitized by Google

quitur de vi operatiua completa, sed de partiali, quam rebus naturalibus collegimus. Ad probationem verò antecedentis dico, quod intellectus licet sine vlla specie non sit absolutè, hoc est completè productiuus cognitionis alicuius obiecti, est tamen absolutè, hoc est verè, & propriè productiuus partialiter; siquidem de suis intrinsecis etiam quacumque specie intelligibili destitutus, habet, quod sit essentialiter potentia vitalis proportionata ad visionem.

68 Obijcies secundo: Potentia obedientialis actiua se ipsa, & ex suis intrinsecis habet rationem verè, & propriè virtutis operatiuæ; ergo ad hoc vt sit absolutè productiua in sensu explicato, non indiget eleuatione. Consequentia patet: quia idem est per nos esse absolutè prodoctiuam, ac verè, & propriè esse talem. Antecedens verò suadetur; nam quod ex se, & ex suis intrinsecis non est tale, implicat, vt per aliquod superadditum ex se, & ex suis intrinsecis euadat tale. Sed res naturalis beneficio potentiæ obedientialis sibi identificatæ debet posse producere effectum supernaturalem ex se, & ex suis intrinsecis; ergo de se, & ex suis intrinsecis debet habere rationem verè, & propriè virtutis operatiuæ, & non potest per aliquod superadditum illam acquirere.

69 Respondeo, negando antecedens: Ad cuius probationem distinguo assumptum: quod de se, & ex suis intrinsecis nō est tale, implicat, quod per aliquod superadditum ex se, & ex suis intrinsecis euadat tale, & si quidem illa talcitas importet aliquod esse simpliciter, concedo: si autem importet esse operatiuum, nego maiorem. Et concessa minore, ad consequentiam dico, verum quidem esse, quod si aliquid ex se, & ex suis intrinsecis verè, & propriè non est homo v. g. aut equus, aut albedo, & sic de cæteris, implicat, quod per aliquod superadditum ex se, & ex suis intrinsecis verè, & propriè euadat homo, aut equus, aut albedo, &c. At quod ex suis intrinsecis non est verè, & propriè operatiuum recte potest intelligi, quod per aliquod superadditum verè, & propriè euadat ex suis intrinsecis operatiuum. Ratio disparitatis est, quia esse simpliciter cum consistat in indivisibili, non dat locum cōditionibus. Non enim datur homo conditionatè, sed omne vel est verè, & propriè homo, vel nullo modo, nec conditionatè quidem est homo, sic de albedine, & cæteris huiusmodi. At esse operatiuum habet latitudinem. Datur enim operatiuum remotum, & proximum, partiale, & totale, in actu primo, & in actu secundo, &c. & ideò sub multiplici conditione stare potest. Remotum enim v. g. est conditionatè proximum, quatenus si debitè applicetur passo capaci, & habeat Deum paratum ad concurrendum, incipit esse operatiuum proximè; vnde non est mirum, si res naturalis ex se, & ex suis intrinsecis esse possit verè, & propriè operatiua formarum supernaturalium, sub conditione eleuationis antecedentis, qua conditione purificata, transeat in absolutè sic operatiuam. Ne autem dicas dictas conditiones pertingere ad aliquod extrinsecum virtutis operatiuæ: in casu autem nostro rem naturalem beneficio obedientiæ intelligi debere transire ex vere proprie impotente, in verè, & propriè potentem, secundum suam intrinsecam entitatem; quod videtur repugnare. Ne quam hoc dicas, affero in medium nostrum intellectum agentem in probabilissima sententia, quod phantasma, vtpote secundum suum esse materiale, ne partialiter quidem concurrat in genere efficientis simul cum illo ad productionem specierum intelligibilium, quæ spirituales sunt; sed quod causa adæquatè productiua illarum sit solus intellectus agens, pro vt distinguitur à phantasmatibus: sine demum includat substantiam animæ, sine non; & sic argumentor: Intellectus agens ex se, & ex suis intrinsecis debet esse absolutè, & adæquatè potens producere species intelligibiles. Sed absentibus phantasmatibus non potest esse, nisi conditionatè potens illas producere in ordine naturali, ijs verò præsentibus euadit ex se, & ex suis intrinsecis absolutè, & adæquatè potens in eodem ordine; multò igitur magis poterit res naturalis esse ex se, & ex suis intrinsecis sine eleuatione conditionatè solùm potest producere formas supernaturales; at eleuatione habita item ex se, & ex suis intrinsecis transire in absolutè potentem.

70 Maior huius, posito, quod phantasma non influat in productionem specierum est, euidens, quia intellectus agens, sicuti ex se, & ex suis intrinsecis debet in actu secundo absolutè, & adæquatè influere, ita ex se, & suis intrinsecis debet esse absolutè, & adæquatè potens. Nemo enim dat, quod non habet. Minor verò, in quo est difficultas, suadetur: quia si intellectus independenter à præsentia phantasmatum esset absolutè, & adæquatè potens producere species intelligibiles, sequeretur, quod in se absolutè, & adæquatè contineret similitudines obiectiuas omnium rerum à se intelligibilium: sed hoc est impossibile, quia iam esset infinitæ virtutis operatiuæ; nam res à se intelligibiles non sunt tot, quin plures, & possint esse perfectiones, & perfectiores in infinitum; ergo dicendum est, quod intellectus agens ex se, & ex suis intrinsecis præscindendo à quouis alio sit tantùm conditionatè potens illas adæquatè producere, videlicet, si habeatur phantasma in phantasia; qua conditione purificata, transeat in absolutè potentem ad eorum tantùm obiectorum species producendas, quorum phantasmata existunt in phantasia, quæ quia semper sunt finita, nunquam verificatur, quod habeat absolutè ex se, & ex suis intrinsecis vim infinitam. Consequentia deindè sonitum deducitur, siquidem res naturalis in ordine ad producendas formas supernaturales non debet, nisi inadæquatè concurrere, & transire in absolutè potentem per Dei eleuationem, quæ est ordinis supernaturalis. At verò intellectus agens ad producendas species intelligibiles debet concurrere, vt causa totalis, & transit in absolutè potentem ad præsentiam phantasmatum, quæ quamsint materialia, sunt ordinis inferioris, quam species intelligibiles, & intellectus. Multò magis igitur poterit res naturalis esse ex se, & ex suis intrinsecis sine eleuatione conditionatè solùm potens producere formas supernaturales. At eleuatione habita item

ex se, & ex suis intrinsecis transire in absolutam.

71 Instabis: Per quid igitur differt potentia intellectus agentis à potentia obedientiali? Respondeo per hoc maximè, quod potentia intellectus exigit in hoc ordine naturæ, & causarum naturalium compleri, & ex conditionatè potente euadere absolutè potens. Quamuis enim hæc exigentia sit etiam in omnibus potentijs absolutis naturalibus, non tamen in solis. Contrà verò potentia obedientialis numquam habet exigétiam eleuationis spectato hoc ordine rerum naturalium, sed solùm spectata Dei extraordinaria prouidentia.

72 Objicies tertiò: Res, quæ secundùm entitatem suam nulla ratione est potens immediatè producere formam supernaturalem, non potest per aliquid à se distinctum reddi potens illam per suam entitatem immediatè producere; ergo res, quæ secundùm entitatem suam non est absolutè potés immediatè producere dictam formam, non potest per aliquid à se distinctum reddi potens illam absolutè producere. Antecedens est nostra doctrina agentes contra Fonsecam. Consequentia patet: quia in tantùm res nulla ratione per suam entitatem potens, non potest per aliquod superadditum reddi potens per suam entitatem producere, &c. quia esse potentem per suam entitatem importat perfectionem suæ entitati identificatam; sed etiam esse absolutè potentem per suam entitatem importat perfectionem identificatam suæ entitati; ergo &c.

73 Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam: Ad cuius probationem distinguo maiorẽ: in tantùm res nulla ratione potens, &c. in quantũ esse potẽtem per suam entitatẽ importat perfectionẽ suæ entitati identificatã adæquatè cõcedo, inadæquatè, nego maiorẽ: & sic distinguo minorem: esse absolutè potentẽ per suam entitatẽ importet perfectionem identificatam entitati suæ inadæquatè, concedo: adæquatè, nego minorem, & consequentiam. Et aio, esse aliquam rem per suam entitatem absolutè potentem producere aliquem effectum quantum ad id, quod dicit de potentia, importare necessariò perfectionem suæ entitati identificatam; significat enim, quod per entitatem suam possit terminare dependentiam illius effectus. quod nequit per aliquod superadditum obtinere.

Vnde fit, quod implicet, vt res, quæ per suam entitatem nullo modo est potens, reddatur per aliquod superadditum potens per suam entitatẽ. At verò quantum ad id, quod dicit de absolutione non est necesse, vt sit illi identificatum; sed potest aliquando esse realiter ab eius entitate distinctum, sicuti accidit in casu nostro de potentia obedientiali eleuata. Quemadmodum enim quando res erat conditionatè per suam entitatem potens effectum supernaturalem causare, ipsa conditio ab eius entitate distinguebatur: sic dum transit in absolutè, eius absolutio debet realiter etiam ab eius entitate distingui. Ex quo vlterius deducitur, quod sicuti eadem res naturalis dum stabat sub conditione, secundùm entitatem suam intrinsecam erat conditionatè potens, ita dum eleuatur, euadat etiam secundùm suam entitatem intrinsecam absolutè potens. Atque hic aduerterem aliud significare rem naturalem esse per suam entitatem absolutè potentem immediatè attingere effectum supernaturalem. Aliud verò esse absolutè potentem per suam entitatem immediatè attingere dictum effectum. Primum enim denotat non solùm potentiam, sed etiam absolutionem ipsam esse rei naturali identificatam; quod falsum est. Secundum verò rem naturalem habere quidem absolutam potentiam attingendi effectum per entitatem suam, quidquid sit num absolutionem per aliquid distinctum obtinuerit; & hoc habet veritatem.

Objicies quartò: Rem ex intrinsecè potentem sub conditione transire in absolutè potentem importat augmentum potentiæ eiusdem generis; sed res naturalis est intrinsecè potens sub conditione per potentiam obedientialem sibi identificatam; ergo non potest transire in absolutè potentem per eleuationem, quæ est diuersæ rationis ab ipsa potentia obedientiali. 74

Respondeo: quod licet in aliquibus casibus 75 vera sit maior, vt patet ex ligno calido vt vnum potente, sub conditione, quod habeat calorem vt sex manum intensè calefacere: quando enim per acquisitionem illius caloris transit in absolutè potens, importat procul dubio augmentum potentiæ calefactiuæ eiusdem rationis cum ea, quam habebat, dum erat sub calore tantùm vt vnum. Nihilominus tamen in alijs casibus falsa est, vt patet ex intellectu agente quo ad potentiam conditionatam, quam habet producẽdi in se species intelligibiles alicuius obiecti. hic enim purificata conditione productionis phantasmatis illius obiecti, non acquirit augmentum alicuius potentiæ antea habitæ, sed ex vere, & propriè impotente simpliciter, fit verè, & propriè potens simpliciter illas producere. Idem videre est in casu nostro: ex eo enim quod res naturalis beneficio eleuationis transit in absolutè potentem effectum supernaturalem producere incipit esse potens simpliciter operari supernaturaliter, cuius potentiæ nullam partem homogeneam, quando erat sub conditione absolutè habebat.

Objicies quintò: Diuina Omnipotentia, posito quod sit inconnexa cum creaturis, est consequenter secundùm sua prædicata essentialia solùm conditionatè productiua illarum, ex suppositione scilicet, quod non repugnent; sed hoc non obstante de se est vera, & propria potentia; ergo idem dicendum de potentia obediẽtiali creaturæ, quod scilicet quamuis non sit absolutè eleuata, sit verè, & propriè productiua effectuum supernaturalium. 76

Respondeo, distinguendo maiorem: Omnipotentia est solùm conditionatè productiua creaturarum, per conditionem arguentem imbecillitatem virtutis operatiuæ sui ipsius, nego per conditionem arguentem defectibilitatem creaturarũ, casuque repugnarent, concedo: & concesso maiori, nego consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia quandiù potentia obedientialis caret eleuatione

est

est adeò imbecillis, vt nullam rationem absolutæ potentiæ, neque totalis, neque partialis habeat. Contra verò Diuina Omnipotentia præscindendo à possibilitate creaturarum propter summam perfectionem, quam continet, nihil ei deest, quo minus ex suis intrinsecis possit illas absolutè producere; & hinc est, vt conditio possibilitatis creaturarum nihil obstet rationi veræ, & propriæ potentiæ illius. At verò conditio eleuationis obstat rationi veræ, & propriæ potentiæ rerum naturalium: nec mirum; sunt enim conditiones diuersi generis, vt de se patet.

77 Instabis: ergo idem dici potest de potentia obedientiali respectu formarum supernaturalium, ac dicitur de diuina Potentia, quod scilicet sit conditionatè productiua illarum ex suppositione, quod non repugnent. Respondeo, concedo cõsequentiam, debita proportione seruata, si nimirum consideretur potentia obedientialis iam eleuata, sicuti consideratur diuina Potentia iam cõpleta; sic enim posita inconnexione potentiæ obedientialis, & eleuationis cum effectibus supernaturalibus, dicendum est, quod adhuc res naturalis eleuata sit conditionatè potens quantum ad hoc, videlicet si effectus producendi nõ repugnet, licet de cætero sit absoluta, sicuti est diuina potentia.

78 Obijcies sextò: Potentia naturalis posito, quod sit inconnexa cum suis comprincipijs, ex conditionata transit in absolutam connotando solùm possibilitatem illorum; ergo potentia obedientialis, vt ex conditionata transeat in absolutam, non requirit actualiter eleuari, sed solùm eleuationem possibilem à se connotatam. Consequentia euincitur, quia in tantùm potentia naturalis per connotationem possibilitatis suorum comprincipiorum transit in absolutam, eo quod eorum possibilitas est quædam conditionis purificatio; sed non est maior ratio, cur possibilitas eleuationis non sit huiusmodi: ergo &c.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia eleuatio respectu potentiæ obedientialis se habet, vt conditio, sine qua illi deest vera, & propria ratio vis operatiuæ formarum supernaturalium; Atqui non sufficit possibilitas eleuationis ad obtinendam verè, & propriè hanc vim; nisi enim per eleuationem habitam intelligatur proportionari dictis formis, numquam illam obtinebit; quare non est mirum, si ad hoc, vt transeat in absolutam, actuali eleuatione indigeat. At verò comprincipia potentiæ naturalis non se habent vt conditio, sine qua illi desit vera, & propria ratio vis operatiuæ effectuum naturaliũ; quia ponitur ex suis intrinsecis illis proportionata, sed solùm vt conditio, sine qua dicta potentia non potest intelligi reducibilis ad actum secundum; Sed ad hoc, vt sic intelligatur, sufficit connotatio possibilitatis illorum: ergo &c. Per quæ patet responsio ad probationem consequentiæ. Dico enim possibilitatem comprincipiorum esse purificationem conditionis sufficientem ad hoc, vt potentia naturalis censeatur absolutè reducibilis ad actum; At verò possibilitatem eleuationis non sufficere, vt potentia obedientialis censeatur verè, & propriè productiua formarum supernaturaliũ, nisi solùm remotè, & radicaliter; vnde licet per connotationem dictæ possibilitatis intelligatur absolutionem ab aliqua conditione obtinere, non intelligitur tamen obtinere absolutionem ab ea, sub qua erat potentia conditionata tantùm, & impropria. Sed ad hoc actualem eleuationem exposcit.

Obijcies septimò: Potentia obedientialis, quam habet ignis ad comburendum lignum distans est absoluta, & non conditionata; ergo etiam potentia obedientialis, quam habet aqua ad producendam gratiam erit absoluta. 79

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia potentia, quam habet ignis ad comburẽdum in distans, est solùm obedientialis quo ad modum producendi effectum. Cæterùm quo ad substantiam est naturalis; quia cum non importet, nisi potentiam combustiuam, hæc est illa eadem formaliter, per quam ligna sibi approximata comburit; vnde est, vt non indigeat ad hoc ignis alio comprincipio indebito, sed per solum concursum generalem quo ad modum operandi indebitum constituatur completè potens comburere lignum distans, at potentia obedientialis aquæ ad producẽdam gratiam est quo ad substantiam obedientialis; siquidem debet producere effectum ex se, & ex suis intrinsecis supernaturalem, ad quem non habet ex se proportionem, & ideò indiget alio comprincipio, vt eleuetur; & hæc est disparitas, cur potentia, quam habet ignis ad comburendum in distans, sit absoluta; ea verò, quam habet aqua ad producendam gratiam, conditionata. Ex quo ego deducerem, quod potentia obedientialis, quã eadem aqua habet ad ignefaciendum, vel exsiccandum: sit etiam de se conditionalis. Quamuis enim effectus producendus sit ordinis naturalis: aliud tamen de se non habet aqua ad illum producendum, quam inchoatam quandam aptitudinem, ratione cuius verè, & propriè non est censenda potens, nisi facta suppositione alterius comprincipij sibi penitus indebiti diuinitus præstiti ipsam corroborantis; ergo purificata hac conditione, & non antea erit aqua absolutè productiua dictorum effectuum.

SECTIO DECIMA.

De ratione, qua potentia obedientialis actiua à Deo eleuari possit.

DVplex eleuationis genus assignant communiter Theologi, quo intelligi potest res naturalis secundùm suam potentiam obedientialem eleuari ã Deo: vnum est, per infusionem alicuius formæ supernaturalis quo ad substantiam, siue demum ea sit permanens, siue fluens. Alterum verò per solam Dei extrinsecam assistentiam absque vllo alio principio intrinseco sibi superaddito. 80

Quoniam verò potentia obedientialis actiua est etiam duplex: vna vitaliter operatiua, altera non vitaliter de ratione, qua vtraque eleuari possit, in præsentia disputabimus. Et quidem per plures subsectiones, vt confusionem vitemus; vt au-

Digitized by Google

tem ab operatiua vitaliter incipiamus: ex principijs Fidei constat intellectum, & voluntatem in via in ordine ad exercendos actus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis eleuari per aliquod superadditum inhærens animæ: quod se habeat per modum habitus; sicuti etiam constat in Patria eundem intellectum in ordine ad videndũ Deum eleuari per lumen gloriæ, quod est quid creatum infusum à Deo ipsi intellectui. Vtrum autem eleuari etiam possint per solam extrinsecã Dei assistentiam in præsentia examinabimus, celebrem illam quæstionem in medium adducendo, qua quærunt Theologi. Prima parte: num Dei visio fieri possit sine lumine gloriæ, aut alio intrinsecè superaddito, & quidquid de hoc speciali actu iudicabimus, idem de cæteris actibus vitalibus. nisi specialis aliqua repugnantia id vetet, volumus esse statuendum.

SVBSECTIO PRIMA.

An intellectus creatus possit diuinitus Dei visionem in se producere sine lumine gloriæ, aut alio intrinsecè sibi superaddito.

81 CONclusio est affirmatiua cum D. Thoma Scoto, Durando, & alijs quos citat, & sequitur Recupitus *lib. 6. quæst. 18. numero 2.* vbi ait, Auctores omnes nostræ Societatis in hac esse sententia contra Capreolũ, Soncinatẽ, Sotum, Ferrariensem, Caietanum, & alios Thomistas communiter ab eodem Recupito *numero 1.* citatos. Vide Ripaldam, qui pro vtraque sententia complures citat *tom. 4. disp. 34. sect. 2. & 3.*

82 Probatur autem primò ex D. Th. *in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 7. corp.* vbi ait: (posse miraculosè fieri, quod aliquis intellectus creatus non habens, nisi dispositionem viæ, eleuetur ad videndum Deum per essentiam.) Respondent Thomistæ hic D. T. excluisse solùm lumen gloriæ, quod se habet per modum habitus, non autẽ illud quod se habet per modum auxilij, quod quia citò transit, dici possit dispositio viæ. Contra hanc explicationem aliqui ex nostris adducunt locum *ex quæst. 10. de veritate art. 11.* vbi S. D. vniuersalius loquens sic habet: (Potest menti diuina essentia vniri illo modo, quo vnitur in patria absque hoc, quod lumine gloriæ perfundatur.) Constat autem auxilium actuale venire etiã nomine luminis gloriæ apud D. Thom. 2. 2. *quæst. 175. art. 3. ad secundum*, & *quæst. 12. de veritate art. 2.* & rectè; est enim eiusdẽ rationis cum habituali, & solùm differt ab illo per hoc, quod citò transeat; ergo etiam sine actuali auxilio putat D. Th. Dei visionem posse ab intellectu nostro produci. Verùm euidentius ego Thomistarum explicationem impugnarem ex contextu discursus ipsius S. Doct. sic enim ibi *loco cit. in 4.* habet: ad hoc, vt creatura rationalis sit beata per visionem Dei oportet, quod in hanc visionem sit potens per aliquam dispositionem sibi inhærentem, quam dicimus esse lumen gloriæ. Sic autem nulla pura creatura in statu viæ existens videre potest Deum per essentiam; Homo enim per dispositiones omnes, quas in statu viæ habet, non potest in aliquid amplius, nisi vt intelligat, quidquid intelligit per species à sẽsu abstractas, intellectus etiam Angeli in statu viæ per omnes dispositiones naturales, vel etiam gratuitas non potest in aliquid amplius, nisi vt intelligat omne, quod intelligit per formas creatas. Deus autem in essentia sua videri non potest, nec per aliquam formam à sensu abstractam, nec per aliquam formam creatam, vt ex dictis patet; vnde patet quod nullus intellectus puræ creaturæ in statu viæ existens, potest in visionem Dei per essentiã per aliquam dispositionẽ sibi inhærẽtem ferri. Ex his autem sic licet argumentari ex D. T. per dispositiones viæ, siue naturales sint, siue supernaturales, non potest amplius creatura rationalis intelligere obiecta, nisi vel per aliquam formam à sensu abstractam, si est homo vel si Angelus, per aliquam formam creatam; sed per auxilium actuale Dei possumus videre Deum per essentiam; ergo inter dispositiones viæ non comprehenditur auxilium actuale, & sic, quando subiungitur: posse miraculosè fieri, quod aliquis intellectus creatus non habens, nisi dispositiones viæ eleuetur ad videndum Deum; non solùm lumen gloriæ, sed etiam quoduis aliud auxilium actuale remanet exclusum. Quod si *secunda secundæ quæst. 175. art. 3. ad secundum.* & alibi. S. Doct. dicit diuinam Essentiam videri ab intellectu creato non posse, nisi per lumen gloriæ; intelligendus est per ordinem ad legem ordinariam, & ad modum connaturaliter operandi: non autẽ absolutè.

83 Probatur secundò: neque lumen, neque aliquod aliud principium creatum intellectui superadditum requiritur essentialiter ad vitaliter visionem intuitiuam Dei producendam; ergo rectè potest diuinitus sine lumine alioue superaddito produci. Consequentia patet. Antecedens probatur: quia visio duo habet, & quod vitalis sit, & quod supernaturalis: Lumen autem non esse essentiale requisitum ad vitalitatem probatur: quia hæc ad summum essentialiter principiũ vitale requireret, cuiusmodi non est lumen, neq; esse ad supernaturalitatẽ cõstat ex eo, quia de facto Deus se solo hab. ũ gratiæ in nobis aliquando producit, aliquando verò per Sacramenta; ergo &c.

84 Confirmatur: quia dupliciter potest intelligi quod ab intellectu producatur visio sine lumine; primò præbendo suum concursum partialem, quẽ antea præbebat cum lumine, & supplendo Deus per se ipsum concursum partialem luminis. Secũdò, ita vt Deus vtatur illo tanquam instrumento totali visionis, atque adeò vt ipse intellectus suppleat defectum luminis suum concursum partialem in totalem commutando. Sed primi productionis modum non implicare, constat ex eo, quia nihil peculiare reperitur in visione, quod essentialiter exposcat concursum luminis partialem, ita vt hic non possit à Deo immediatè præberi. Quod vlterius constat ex eo, quia in tantum intellectus de facto indiget lumine, in quantum connaturaliter videre debet; cum enim sit instrumentum obedientiæ, de se non exigit Dei concursum; exigit autem, vt informatus lumine, quia hoc ex vna parte est instrumentum connaturale ipsius Dei in ordine ad visionẽ; & sic præ-

mò,

Digitized by Google

mò., & per se Dei concursum ad illam exposcit. Ex alia verò est partiale indigens concursu intellectus, & sic secundariò, & per accidens refundit exigentiam concursus diuini in ipsum intellectum; ergo si intellectus sine huiusmodi exigentia operari posset, lumine non egeret; sed potest, vt de se patet: ergo &c.

Quod verò neque secundus modus implicet, licet ad illum conclusio non se extendat: suaderi posset ex eo, quia omnis ille concursus, qui connaturaliter præstatur à creatura aliqua in genere causæ efficientis præstari potest à Deo in eodem genere media quauis alia creatura obedientialiter operante; sed partialis concursus in visionem, præstatur à lumine gloriæ connaturaliter in genere causæ efficientis; ergo rectè poterit à Deo suppleri mediante intellectu obedientialiter operante. Atqui sic intellectus produceret visionem, tamquam causa adæquata in genere instrumenti gerendo vices luminis; ergo hic eleuationis modus neque repugnat. Verum quia posset ad hoc responderi maiorem esse veram, loquendo de concursu, qui præstari potest à quauis alia creatura per potentiam obedientialem operante: eam verò habere essentialiter esse incompletam, & hinc fieri, vt nonnisi partialiter creatura possit ad effectus supernaturales influere; quidquid tandem sit de hoc ad verificandam nostram assertionem, sicuti communiter instituitur, sufficit, quod primo modo ab intellectu visio sine lumine produci possit contra quod

85 Objicies primò: implicat dari facere sine posse facere; sed lumen respectu visionis dat intellectui posse facere; ergo implicat intellectum facere visionem sine lumine. Maior patet: quia actus secundus supponit semper primum. Minor probatur: quia per hoc habitus supernaturalis, cuiusmodi est lumen, à naturali distinguitur, quod naturalis dat facile posse, supernaturalis verò posse simpliciter; ergo &c.

Respondeo, distinguendo maiorem: implicat dari facere sine posse tum connaturaliter, tum obedientialiter, concedo: sine posse connaturaliter tantùm, nego. sic distinguo minorem, lumè dat intellectui posse connaturaliter, concedo: posse obedientialiter, nego minorem, & consequentiam. Ad minoris verò probationem aio, quod quando dicitur, quod habitus supernaturales dét simpliciter posse potentijs vitalibus, non est sensus, quod dicti habitus sint adæquatę potentiæ ipsarum potentiarum; supponunt enim in illis potentiam obedientialem; sed sensus est, quod cum potentia earum obedientialis sit diminuta, & inchoata in ratione potentię, habitus supernaturales eam complent transferendo de potentia secundum quid, quę simpliciter dicitur impotétia, ad potentiam simpliciter. Vnde patet, posse simpliciter, quod dant dicti habitus, esse tantùm connaturale, & non obedientiale. Hoc enim cum fundetur in entitate cuiuscumque rei, pro vt diuinæ Omnipotentiæ subordinatæ, habetur independenter à quocumque alio superaddito.

86 Objicies secundò: Visio, qua vitalis est, essentialiter pendet ab intellectu; ergo qua supernaturalis, essentialiter pendebit à lumine: Respondeo dato antecedente, quod falsum esse forte alibi, Deo annuente, videbimus, nego consequentiam. Disparitas esse potest: quia visio, qua vitalis exigit essentialiter intellectum, cui comparatur, vt vitalis operatio, quę dicitur actio grammaticalis, quia non minus essentialiter est actuale exercitium sui principij: quam sic actio prædicamentalis, efficientis, at verò qua supernaturalis, est non habet, vnde essentialiter exigat produci à sua causa principali, quæ est Deus per lumen; quia hoc est solum instrumentum connaturale Dei supponens in illo potentiam, quantum est de se immediatè, & adæquatè productiuam visionis.

Objicies tertiò: Visio est actus vitalis; ergo 87
produci debet intrinsecè ab intellectu; ergo per virtutem operatiuam sibi intrinsecam, quæ sit lumen.

Respondeo, casu, quo visio ab intellectu sine lumine produceretur, de dupplici virtute potest esse sermo: de instrumentali, & de principali instrumentalis, seu obedientialis est identificata cum intellectu, atque adeò sibi intrinseca, sed improportionata visioni simpliciter loquendo, licet sit proportionata secundum quid. Principalis verò est diuina Omnipotentia extrinseca quidem intellectui, sed proportionata visioni. sic concesso enthimemate: distinguo secundũ consequens; visio produci debet per virtutem operatiuam intellectui intrinsecam; & siquidem sermo sit de virtute obedientiali, seu instrumentali, concedo, si verò de principali, nego consequentiam.

Instabis: Substantia rationalis est causa prin- 88
cipalis visionis Dei; sed causa principalis operatur per virtutem sibi intrinsecam proportionatam effectui; ergo nulla distinctio. Minor patet. Maior suaderur: quia natura rationalis est illa, quę denominatur videre per visionem intuitiuam; si autem Deus esset causa principalis, ipse deberet per eam constitui videns.

Respondeo, negando maiorem: ad eius probationem dico ad habendam denominationem videntis non sufficere rationem causæ principalis in genere efficiẽtis, sed requiri ratione causæ subiectiuæ, & materialis: & quidem non quomodocumque; nam si visio reciperetur in lapide, non denominaret illum videntem, sed necessariã esse proportionem vitæ; vt scilicet in eo genere vitalitatis sit potentia, in qua est actus. Quoniam verò Deus non recipit in se visionem, sed substãtia rationalis, quæ in ratione subiecti intellectiui proportionatur; hinc fit, vt non debeat denominari Deus videns, etiam si sit principale efficiẽs, sed sola substantia intellectualis, quamuis instrumentaliter ad eam concurrat.

Objicies quartò: Si lumen esset tota ratio agẽdi intellectus, eius defectus non posset aliunde suppleri; ergo neque poterit, etiam si sit ratio agendi partialis.

Respondeo, negando maiorem, vt patet ex virtute illuminatiua Solis, quæ licèt sit tota ratio producendi lumen in aere, eius effectus potest à Deo miraculosè suppleri.

SVE-

SVBSECTIO SECVNDA.

Expenditur obiectio quædam perdifficilis aduersum nostram sententiam.

89 OBijcies quintò : Potentia intellectiua ad hoc, vt videat Deum, debet essentialiter in aliquo priori esse in actu primo proximo completa ad visionem ; sed hoc habere nequit, nisi per lumen, ergo &c. Maior patet. Minor probatur : quia si per aliquid aliud, maximè per diuinam Omnipotentiam extrinsecè sibi applicatam per decretum Dei de uolenda ab eo visione sine lumine ; sed hoc falsum esse constat : quia huiusmodi decretum non habet pro obiecto, nisi concursum actualem, qui complementum in actu primo in potentia præsupponit ; ergo &c.

Respondeo : Hoc argumentum soluendum esse ab omnibus, qui negant causis secundis physicam prædeterminationem, seu præmotionem, qua de non proximè potentibus transeunt in proximè potentes in actu primo. Quare concessa maiore, nego minorem ; ad cuius probationem concedo maiorem ; sed aduerto nullam causam creatam, siue per potentiam connaturalem, siue per obedientialē agentē esse in se completam in actu primo proximè ad causandum, quamuis habeat omnia requisita se tenentia ex parte sui, siue etiam passi : sed compleri vltimo per decretum Dei de concurrendo simul cum illa ; quia, hoc posito, verum est, quod nihil aliud ei deest, nisi actus secundus, quod requiritur ad hoc, vt intelligatur causa proximè potens in actu primo. Solùm autem differt causa operans per potẽtiam connaturalem, ab operante per potentiam obedientialē, quę sine aliquo superaddito sibi intrinsecè inhærente operari debet, quod connaturalis, quando habet omnia requisita ad agendum, exigit connaturaliter decretum Dei de concurrendo ; at vero obedientialis huiusmodi decretum nō exigit, sed expectat, & sic non se habet antecedenter ad illud, quod est proprium causæ connaturalis, sed consequenter. Quare minoris negatæ cōfirmationem, distinguo : decretum illud non habet pro obiecto, nisi concursum actualem, si sermo sit de obiecto signato, concedo ; si de exercito, nego assumptum ; quia omnis volitio dum signatè vult obiectum, exercitè vult etiam se ipsam, & omne id, quod ab illa pendet in genere causę formalis, cuiusmodi in casu nostro est intellectus proximè potens in actu primo Deum videre sine lumine, qui cum non sit effectus decreti Dei in genere efficientis, sicuti est visio, sed solùm in genere causæ formalis : hinc est, vt possit intelligi in eodem priori, licet non pro eodem cum ipso decreto.

90 Instabis primò : non potest dari realiter transitus de vno contradictorio in aliud sine aliqua reali mutatione ; sed in illo priori intellectus realiter transit de non potente in actu primo proximè, in potentem proximè ; ergo ad hoc, vt in illo priori realiter mutetur ; debet recipere lumen ; Visionem enim expectat in posteriori, & Dei decretū ab æterno fuit, sicuti existit in illo priori. Respondeo, concessa maiore, & minore, negando consequentiā ; aio enim, quod sicuti ignis in priori naturæ ad productionem caloris sit realiter de actu primo remoto in actu primo proximo nulla alia reali mutatione posita, nisi productiua caloris : ita intellectus in eo priori transit de non potente in potentem proximè per solam realem visionis productionem. Et ratio est, quia licet hæc sit in posteriori naturę, & transitus causæ sit in priori : tamen illud prius continetur in illo instanti reali temporis, quod totum à productione visionis realiter occupatur. Vnde verum est, quod ille transitus causæ non sine reali mutatione habeatur. Quod si contendas realem mutationem non solùm debere esse in eo instanti reali, sed debere intelligi in eo signo, in quo habetur transitus causæ : dicam hoc verum esse : at non pro eodem signo, sed pro posteriori ; Causa enim secundo posito decreto Dei ab æterno de concurrendo cum illa in hoc instanti, in hoc eodem instanti, in quo causat pro priori naturæ, intelligitur transire de non potente proximè in potentem per hoc, quod connotet pro posteriori naturæ productionem effectus ab ea pendentis, quæ est id, quod decretum Dei signatè dicit pro posteriori.

Iustabis secundò : Omnis causa vltimò completa debet esse prior natura suo effectu prioritate in quo, & non à quo ; Sed hoc est falsum, si in eo signo, in quo intelligitur intellectus causa completa visionis, intelligenda necessariò esset pro posteriori signo existere visio ipsa ; ergo impossibile est, quod intellectus transeat in eo priori de non potente in potentem ex vi mutationis, quæ tunc intelligitur pro posteriori habenda. Maior videtur certa cum cōmuni. Minor verò probatur : quia per hoc prioritas in quo distinguitur à prioritate à quo, quod prius prioritate in quo potest intelligi existens absque eo, quod intelligatur existere suum posterius. Prius verò prioritate à quo non nisi intelligendo existentiam sui posterioris, intelligi potest existere. 91

Respondeo, distinguendo maiorem : Omnis causa efficiens vltimo completa complemento se tenente ex parte rerum creatarum tantùm debet esse prior natura prioritate in quo, concedo ; omnis causa efficiens vltimo completa complemento etiam se tenente ex parte diuini decreti, quo Deus positis requisitis ex parte creaturæ applicat suam omnipotentiam ad concurrendum, nego maiorem. Ratio discriminis est, quia quantumuis causa intelligatur habere omne complementū se tenens ex parte rerum creatarum, vim scilicet productiuam cum proportione maioris inæqualitatis respectu passi, debitam approximationem, &c. potest tamen adhuc Deus negare illi suum concursum, & sic impedire, ne sequatur effectus. Bene igitur potest intelligi causa sic vltimo cōpleta absque eo, quod necessariò intelligatur effectus in secundo posteriori existere, licet de facto tunc exiturus sit ; Sed in hoc consistit prioritas naturæ in quo ; ergo &c. At verò si causa ita intelligatur in priori ad effectum vltimò completa, vt connotet applicatam sibi diuinam Omnipotentiam per decretum ad concurrendum, quemadmodum ipsa exigit, impossibile est, quin intelligatur etiam pro secundo posteriori existentia effectus ; quia ex vna parte non est amplius 92 93

dicta

dicta existentia impedibilis. Ex alia verò decretum illud completur per connotationem eiusdem, quia est de concurrendo cum creatura ad productionem effectus; & sic est ininteligibile sine effectu existente pro posteriori. Atqui in hoc consistit prioritas naturæ à quo; ergo causa hoc modo vltimo completa, & sic constituta in actu primo potens causare est prior prioritate à quo ipso effectu. Quoniam verò intellectus, qui eleuatur ad videndum Deum absque alio auxilio intrinseco creato superaddito non potest intelligi vltimo cõpletus, complemento se tenente ex parte rerum creatarum, vt patet, sed solùm se tenente ex parte diuinæ Omnipotentiæ sibi applicatæ per decretum de producenda visione dependenter à se: hinc fit, vt non possit intelligi prior natura visione prioritate in quo, sed solùm à quo.

93 Subinstabis: Si tradita doctrina vera esset, sequeretur, quod Deus non posset velle eleuare intellectum sine auxilio creato superaddito, quia vellet etiam efficaciter visionem. Sed hoc implicat; ergo &c. Sequela claret, minor ostenditur; nam intellectus extrinsecè eleuatus est potentia, & visio est operatio. Sed repugnat Deum non posse velle potentiam sine operatione sua; ergo &c.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem: Intellectus extrinsecè eleuatus est potentia aliquo modo remota: nego, est potentia proxima, & vltimò completa per decretum, concedo; sic etiam distinguo minorem: repugnat Deum non posse velle potentiam non completam per decretum sine operatione, concedo: si talis potentia est completa per decretum, nego minorem, & consequentiam.

94 Sed cõtra vrgebis: posita intrinseca intellectus eleuatione per lumen, & vnione eiusdem cum diuina Essentia per modum speciei, potest non sequi visio; sed multò magis posita extrinseca intellectus eleuatione deberet posse non sequi: ergo &c. Maior patet, minor probatur: quia in tãtum posita eleuatione intrinseca potest non sequi visio, quia licèt decretum de infundenda forma eleuatiua sit absolutum: decretum tamen de concurrendo ad visionem potest esse conditionatum, & sic per aliud decretum efficax negari concursus ad illam. Sed totum hoc militare deberet in eleuatione extrinseca intellectus, si esset possibilis; ergo &c.

Respondeo, negando minorẽ: Ad cuius probationem nego paritatem. Disparitas est, quia cuicumque decreto Dei efficaci debet correspondere aliquis effectus ad extra tamquam obiectum signatè volitum. Quoniam verò in eleuatione intrinseca, Dei decreto sufficienter respondet, vt effectus ad extra lumen in intellectu, & vnio cum diuina Essentia in ratione speciei: Hinc fit, vt non debeat necessariò existentiam visionis inferre. At verò in extrinseca eleuatione nihil est assignabile ad extra, quod correspondeat præter visionem. Vnde si decretum est absolutum, obiectum signatè volitum non erit, nisi ipsa visio ab intellectu creato extrinsecè ineleuato proueniens.

95 Sed contra hoc denique vrgebis: Si non posset Deus velle potentiam extrinsecè eleuare absque eo, quod vellet etiam operationem eius: sequeretur eum non posse extrinsecè eleuare potẽtiam liberam. Sed hoc non admittunt communiter nostræ sententiæ Patroni; ergo &c. Sequela probatur, repugnat operationem potentiæ liberæ esse infallibiter cum aliquo ipsam antecedente connexam; procederet enim necessariò, & nõ liberè a suo adæquato principio, quod manifestam inuoluit implicantiam; ergo &c.

Respondeo, nonnullos perdoctos Recentiores rei difficultate pressos concessisse sequelam maioris, dicentes sibi pro veritate assertionis sufficere, si visio Dei, necnon etiam alij actus vitales necessarij supernaturales fieri possint à creatura per extrinsecam eleuationem. Verùm ego illam negarem; & ad probationem in contrarium concesso antecedente, negarem consequentiam, ac dicerem. Decretum eleuatiuum potentiæ in ordine ad actum liberè eliciendum habere pro obiecto signato ipsum actum cum potẽtia completa ad oppositum. Atque adeò applicare voluntati eleuãdæ diuinam Omnipotentiam paratam ad verum libet, pro ut ipsa voluntas se determinauerit. Ex quo sequitur, quod transitus eius de non eleuata in eleuatam sufficientissimè saluetur in tali casu per liberam productionem, siue actus supernaturalis, ad quem eleuatur, siue actus oppositi. Quemadmodum enim cætera Dei decreta si sunt de concurrendo cum causa necessaria v. g. cum igne, complentur per determinatum effectum, hoc est per calorem productum. Si verò sunt de concurrendo cum causa libera v. g. ad amorem, vel odium, per alterutrum ex his sufficienter compleri intelliguntur: ita & eleuatiuum ad actum liberum supernaturalem v. g. amoris Dei, etiam si voluntas eliciat odium, verificatur, quod dicto decreto mutatio aliqua realis correspondeat; nam licèt actus odij Dei de se non indigeat eleuatione: indiget tamen quatenus stat sub illo disiuncto decreti, quo Deus dicit, volo hîc, & nunc concurrere: vel ad actum amoris, supernaturalis, vel ad actum odij, pro vt voluntas se determinauerit.

Noster Arrubal *prima parte disp.* 2c. *num.* 26. 9. quamuis concedat posse creaturam eleuari extrinsecè ad eliciendos actus vitales necessarios; negat tamen posse ad actus liberos duabus alijs rationibus præsertim inductus, quas breuiter libet ex occasione expendere. Prior sumitur ex Tridentino *sess. 6. cap.* 5. vbi dicitur, quod homo sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram Deo libera sua voluntate non possit. Nomine autem gratiæ intelligit præuenientem, quæ cum constat in illuminatione intellectus, & voluntatis inspiratione, constat esse intrinsecam.

Sed respõderur ad hoc gratiã præuenientẽ cõcurrere in genere causæ formalis in actum liberum supernaturalem alliciendo, & mouendo voluntatem. Præter hanc autem requiri, etiam principium influxiuum in genere causæ efficientis, quod exhibetur ab habitu supernaturali, quando est in anima. Et de hoc in præsenti controuersia quæritur, num possit suppleri immediatè à Deo; quoniam verò Concilium loquitur de principio in genere causæ formalis, dum docet non posse

sine

sine gratia Dei hominem liberè conuerti: hinc fit, vt non sit contra nos, qui loquimur de principio influxiuo immediatè in actum liberum.

97 Posterior ratio huius Auctoris sic procedit: Illos tantùm actus elicit voluntas liberè, quę intrinseca inclinatione producit, sed ad actus supernaturales non habet inclinationem intrinsecą; ergo nisi eleuetur per infusionem alicuius formæ intrinsecę, non poterit illos producere. Verùm ad hoc quoque facilè respondetur: & primò quidem negando maiorem, & dicendo, quod ad hoc, vt actus aliquis liberè à voluntate procedat, sufficit, si cum indifferentia producatur ab illa; Indifferentiam autem non importare de se inclinationem intrinsecam, sed solam potentiam expeditam ad verumlibet. Nam si illā importaret, maximè, quia actus, qui indifferenter produci debent, sunt voluntarij. Sed per hunc Auctorem possunt actus supernaturales voluntariè à voluntate procedere absque hac intrinseca inclinatione; siquidem vtrò ille concedit posse diuinitus potentias rationales exterinsecè eleuari in ordine ad producendos actus supernaturales necessarios; ergo non est, cur operari cum indifferentia supernaturaliter inclinationem intrinsecam indispensabilem importet.

Responderi etiam potest secundò, data maiore, negando minorem; & dici, quod licet voluntas, quando eleuatur extrinsecè ad liberè operandum, careat principio intrinseco effectiuo, habet tamen formale, cuiusmodi est gratia excitans, quæ cum consistat in illustratione intellectus, & simplici voluntatis affectione implicat, quod non sit forma intrinsecè recepta in anima: & quia hęc supernaturalis est, recte intelligi potest, quod sit inclinatio illa intrinsecè necessaria, vt anima actū liberum supernaturalem producere possit.

SVBSECTIO TERTIA.

Expenditur vltima difficultas.

OBijcies denique sextò. Præter munus causę efficientis, quod lumen exercet in visione Dei dantur duo alia munera in genere causę formalis, alterum in genere causę materialis. Sed Deus licet possit se ipso supplere primum munus: non tamen potest duo reliqua; ergo implicat absolutè fieri visionem per solam Dei extrinsecam eleuationem sine lumine. Minor patet: implicat enim Deum per se ipsum constituere album sine albedine, vel cum albedine sine subiecto.

Prius discutiamus, si placet, primā partē maioris quantum ad munus causę formalis. Potrò ea sic probatur ab Ægidio *de præsentatione sum. 2. de Eucharistia lib. 9. quæst. 6. §. 5.* sic: Ad quamcumque visionem præter concursum potentiæ, & obiecti in genere efficientis, requiritur semper aliquod lumen manifestatiuum obiecti, quod videri debet, siquidem obiectum videri debet oculo corporeo, est necessarium lumen claritatis; si verò apprehendi, lumen phantasmatis; si autem iudicari, lumen apprehensionis; si per conclusionem denique inferri, lumen præmissarum; ergo etiam erit necessarium lumen gloriæ, si Deus videri debeat ab illum manifestandum. Atqui in casibus assignatis lumen requiritur in genere causę formalis, & non in genere efficientis; alioquin manifestatio obiecti quam per se ipsum exhibet lumen non amitteret productionem cognitionis; siquidem impossibile est, quod causalitas efficientis sit prior ipsa productione effectus; ergo etiam ad videndum Deum lumē erit necessarium in genere causę formalis ad illum manifestandum.

Hoc est fundamentum, quo motus Ægidius *loco citato* asserit, reliquos actus supernaturales 98
fieri posse per eleuationem extrinsecam præter visionē Dei per essentiā; Ego verò ad dictum fundamentum respondeo tripliciter. Et primò quidem ad hominem contra Auctorem, quia si lumen gloriæ esset formaliter manifestatiuum Dei clarè visi, etiam habitus fidei esset huiusmodi respectu obiecti credendi, & lumen prophetiæ respectu obiecti reuelandi. Non enim potest assigneri disparitas. Sed in eius sententia cum actus fidei, tum actus prophetiæ fieri diuinitus possunt per eleuationem intrinsecam Dei sine lumine intrinsecùs in intellectu recepto; ergo & visio Dei.

Responderem secundò, data maiore, distinguendo minorem: non potest Deus se ipso supplere munus causæ formalis in ordine ad effectus primarios, concedo: in ordine ad effectus secundarios, nego minorem, & consequentiam. Dico effectum causæ formalis esse duplicem, alterum primarium, alterum secundarium. Primarium quidem, quia includit essentialiter ipsam formam, non posse suppleri à Deo: posse tamen secundarium. Quod patet in forma caloris, cuius effectus formalis primarius cum sit constituere subiectum calidum, secundarius verò idem subiectum reddere priuatum frigore, licet Deus sine dicto 99
forma non possit facere calidum subiectum aliquod e
potest tamen sine ea in subiectum, quod erat frigidum, inducere carentiam frigoris; Quod autem in casu nostro manifestatio obiecti, si est effectus formalis luminis, non sit primarius, sed secundarius, videri potest exemplis, quæ ab ipso Auctore ad probandum posterius munus luminis afferuntur de visione corporea, apprehensione, &c. Nā ocularis visio fieri diuinitus potest sine lumine Cœli, & apprehensio sine lumine phantasiæ, & iudicium sine lumine apprehensionis, vt de se patet; ergo diuinitus manifestari possunt obiecta horum actuum suis potentijs sine lumine. Non erunt igitur huiusmodi manifestationes effectus primarij, suorum luminum, sed secundarij. Dato igitur quod manifestatio Dei secundùm essentiam pendeat à lumine gloriæ in genere causæ formalis in ordine ad videndum Deum: non est tamen, cur non possit Deus per semetipsum sine concursu luminis huiusmodi manifestationem supplere.

Respondeo denique tertiò pro veritate re- 100
gando, absolutè munus luminis gloriæ in ordine ad visionē esse in genere causæ formalis. Et ad eius probationē dico, manifestationes illas obiectorum non pendere ab assignatis luminibus in genere causæ formalis, sed solùm in genere efficientis, quatenus determinant potentiam cognoscitiuam ad manifestationem formalem, quæ est ipsa cognitio elicienda. Supplicat enim obiectum aliquod manifestari formaliter potentiæ alicui, nisi per actum vitalem elicitum ab eadem potē-

nia. Manifestatio enim inuoluit essentialiter perceptionem rei manifestatæ, quæ perceptio de necessitate est actus vitalis elicitus ab ea potentia, cui manifestatur obiectum. Quare assignata lumina non possunt aliud munus præstare, quàm manifestare obiecta potentijs, virtualiter, & in actu primo eas complendo in ordine ad manifestationem formalem, & in actu secundo. Quod manifestandi munus cùm pertineat ad genus causæ efficientis, hinc fit, vt Deus possit diuinitus per se ipsum non solùm supplere quantum ad hoc defectum luminis gloriæ in ordine ad visionem, sed etiam cæterorum luminum in ordine ad quæcumque aliam cognitionem.

101 Instabis: Deus non potest in cognitione nostra supplere defectum luminis naturalis nostri intellectus in ordine ad manifestationem sui obiecti; ergo neque in visione beatifica defectum luminis gloriæ. Respondeo: lumen naturale intellectus nō distingui à naturali virtute eiusdem intellectus, atque adeò non alio modo concurrere ad cognitionem, quam in genere causæ efficientis. Quare veritas antecedentis pendet ab illa alia quæstione: num solùm Deus possit esse causa totalis effectiua actuum vitalium. Quidam enim putant rationem vitalitatis essentialiter importare dependentiam actualem à principio vitali, & ideò negant. Alij verò contendunt importare solam exigentiam dictæ dependentiæ, idcirco concedunt. Admisso autem iuxta sententiam negantium antecedente, nego consequentiam: quia illa necessitas non oritur ex causalitate causæ formalis, quam lumen naturale intellectus in cognitionem exerceat, sed ex causalitate in genere efficientis in ordine ad determinatum effectum, qui à principio vitali actu influente fieri essentialiter postulat.

102 Instabis iterum: in probabiliori sententia phantasma non concurrit in nobis efficienter cum intellectu agente ad productionem specierum intelligibilium, quia est materiale: neque merè determinatiuè, seu exemplariter in ratione obiecti, quatenus intellectus ab eo determinatus producat in se dictas species: quia supponeret in potentia intellectiua sufficientem virtutem ad illas causandas, sed in genere causæ formalis; ergo falsum est lumen phantasmatis in ordine ad apprehensionem se habere in genere causæ efficientis. Respondeo distinguendo antecedens: phantasma in ordine ad productionem specierum concurrit in genere causæ formalis rigorosè, nego: minus rigorosè, concedo antecedens, & nego consequentiam. Dico enim, quod phantasma non dicitur concurrere in genere causæ formalis ad producēdas species intelligibiles quasi verò sit forma intellectus agentis, vel obiecti, cuius species produci debent, vel denique ipsarum specierum; sed quia dum per sui exhibitionem facit, vt anima rationalis vitaliter percipiat obiectum suum, constituit illam fœcundam, & de non præcontinente absolute adæquatam virtutem productiuam illius speciei intelligibilis reddit illam absolutè præcontinentem. Cum autem hanc fœcunditatem absolutam possit Deus tribuere eidem intellectui agenti eum extrinsecè eleuando, in genere causæ efficientis supplendo munus ipsius phantasmatis, hinc sit, vt argumentum ab hac paritate ductum sit nullum. Quod si Deus non potest per se ipsum supplere respectu actus conclusionis influxum præmissarum, non oritur ex eo, quod præmissæ concurrant in genere causæ formalis propriæ in ordine ad manifestationem obiecti ipsius conclusionis; sed quia præsentant, & applicant obiectum formale motiuum, à quo actus conclusionis essentialiter specificari debet. Maneat ergo falsum esse munus luminis respectu visionis pertinere ad genus causæ formalis propriè dictæ.

Atque ex his patet: quomodo Aduersarij co- 103
nentur probare priorem partem maioris sui principalis argumenti, & quomodo à nobis respondeatur. In posterum subijciemus qualiter probent posteriorem illius partem, in qua assumebant lumen gloriæ in ordine ad visionem Dei exercere munus causæ materialis; in hunc enim ferè modū discurrere possunt: Quod lumē gloriæ sic cōcurrat, cōstat ex Conc. Viennensi in Clemētina ad nostrū de Hæreticis; vbi damnatur error dicentium (quod anima non indigeat lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum. Cum enim videre formalius, & principalius importet recipere, quam efficere visionem, rectè deducitur lumen ad recipiendam visionem pertinere. Quia verò receptio dicit concursum in genere causæ materialis: hinc fit non posse negari illud in hoc eodem genere causæ concurrere ad visionem. Tum sic: Concursus in genere causæ materialis est duplex, vnus proprius, & directus, qui exhibetur à subiecto recipiendo in se formam: alius reductiuus, & indirectus, qui præstatur à dispositionibus, quæ licèt in se non recipiant formam: determinant tamen subiectum ad illam recipiendam; & quidē quod lumen exhibeat concursum primi generis in visionem tenet Cabrera *3. parte quæst. 9. art. 2. disp. 8. concl. 2.* affirmans visionem beatam recipi immediatè in lumine tamquam in subiecto adæquato, & eo mediante in intellectu. Tenet etiam Salas *tom. 1. in primam secundæ quæst. 3. tract. 2. disp. 2. sect. 2.* probabile existimans eam recipi immediatè tum in lumine, tū in intellectu. Sed hac sententia suppositā, certum est, ne per absolutam quidem Dei potentiam posse vitaliter visionem Dei haberi sine lumine: quantumuis enim sine eo produci posset: at non vitaliter, quia non redderet intellectum videntem; ergo &c.

Quod si dicamus lumen exhibere visioni con- 104
cursum secundi generis, probatur etiam neque haberi diuinitus eam sine dicto lumine posse. Implicat intellectum habere de facto visionem, quin sit determinatus ad illam potius habendam, quam ad carentiam illius; sed intellectum esse determinatum ad visionem est effectus formalis essentialis luminis in hac sententia; ergo implicat intellectum habere visionem sine lumine concurrente in genere causæ materialis determinatiuè tantùm.

Ad hoc argumentum respondeo primò negando suppositum; constat enim Scotum *in 3. dist. 1. quæstione 2. art. 2.* & alios quos sequitur Arriaga *prima parte, disputatione 7. numero 38.* negare lumen gloriæ in ordine ad visionem exercere munus causæ materialis non modo propriū sed etiam improprium. Neque ex Viennensi de-

Digitized by Google

duci potest oppositum. Dum enim ibi asseritur per lumē eleuari intellectum ad videndum Deum, non sequitur, quod quidquid dicit videre, debeat à lumine exhiberi: alioquin cum videre importet, & quidem præcipuè vitalem perceptionem obiecti, sequeretur, quod lumen concurrere deberet ad visionem percipiendo vitaliter ipsum Deum, quod est apertè falsum. Ad verificandum igitur dictum Concilij sufficit, quod lumen sit connaturaliter loquendo necessarium ad videndū Deum præbendo concursum in genere efficientis, sicuti communiter dicitur species visibilis esse necessaria ad videndum parietem v. g. licet in genere efficientis tantùm: non verò materialis ad visionem parietis concurrat.

105 Respondeo secundò admittendo, quod assumitur in reuerentiam S. Thomæ. qui *prima part. qu. 12. art. 4. corp.* id expresè docet, & communiter Thomistę sequuntur, & concedendo concursum in genere causę materialis esse duplicē propriū, & improprium. Addo tamen mihi semper improbabile visum esse, quod lumen vel totaliter, vel partialiter in se visionem reciperet; & ratio huius est: quia cum intellectus habeat vires immediatè, & adæquatè illam in se recipiendi, superfluè dictæ vires lumini conceduntur. Si enim non superfluè, maximè, quia connaturaliter deberet posse aliquando lumen sine intellectu visionem recipere; at hoc nunquam contingere potest, vt per se patet; ergo &c. Assumptum verò constat ex eo, quia visio Dei habet duo: primum, quod sit actus vitalis: secundum quod sit supernaturalis. Porrò quod intellectus habeat vires immediatè, & adæquatè recipiendi illam, quia vitalis est, patet ex cæteris actibus suis, quos se solo sustentat. Quod verò similes vires habeat recipiendi illam, qua supernaturalis est: probatur, quia se solo ponitur recipere lumen gloriæ, quod est quo ad intrinseca sua supernaturale, alias procederetur in infinitum. Quoniam verò ex eo, quod hæ duæ rationes in vnam coeant entitatem visionis plus virium in subiecto minimè requirant; hinc fit, vt intellectus immediatè, & adæquatè possit illam recipere.

106 Tamquam probabilius ergo admitto concursum, quem exhibet lumen gloriæ in visionem impropriè ad genus causæ materialis pertinere, in quantum determinat intellectum ad illam recipiendam; nego tamen huiusmodi concursum esse adeò necessarium, vt implicet contradictionem fieri visionem sine illo. Quemadmodum enim in ordine naturali dispositiones concurrunt ad productionem formæ substantialis in genere causæ materialis impropriè, & tamen dicta forma diuinitus produci potest in materia illis destituta, ita & in casu nostro sentiendum est. Ad rationem autem in contrarium distinguo maiorem: implicat intellectum habere de facto visionem, quin sit determinatus ad illam potius habendam, quam non habendam: & siquidem sermo sit de determinatione formali, quam acquirit subiectum beneficio ipsius visionis, concedo; si verò agatur de determinatione dispositiua, quæ supponitur in subiecto ad ipsam visionem, nego maiorem; & distinguo eodem modo minorem: Intellectum esse determinatum dispositiuè ad visionem est effectus formalis essentialis luminis, concedo: esse determinatum formaliter, nego minorem, & consequentiam. Dico enim duplicem determinationem nos distinguere posse in subiecto in ordine ad aliquam formam vltimam, & perfectam, qualis est in genere naturę forma substantialis, & in genere supernaturali visio Dei. Vna est dispositiua, quam ei dispositiones afferunt: siquidem earum munus est facere, vt subiectum, quod de se erat indifferens ad hanc, vel illam formam vltimam recipiendam, exigat potius in se productionem huius, cuius dispositiones habet, & respuat quācumque aliam. Altera determinatio est formalis, quam affert subiecto ipsamet forma vltima, ad cuius aduentum impossibile est, quod subiectum remaneat adhuc indifferens ad illam, vel aliam habendam. Iam verò quamuis implicet intellectum habere de facto visionem, & non habere determinationem formalem, quæ scilicet ab ipsa visione illi affertur: nulla tamen est repugnantia in eo, quod habendo visionem non habeat determinationem dispositiuam, quam illi lumen gloriæ afferre solet. Idem dicendum esset casu, quo Deus produceret formam ignis in materia priuata dispositionibus eiusdem formæ; esset enim talis materia determinata formaliter, non verò dispositiuè, neque in hoc vlla appareret repugnantia.

SVBSECTIO QVARTA.

An res naturales possint eleuari tum extrinsecè, tum intrinsecè ad producendas formas supernaturales non vitales.

CONclusio est affirmatiua: & quidem quod eleuari possint per solam extrinsecam Dei assistentiam nullo sibi intrinseco superaddito probatur ex eo: quia sic potest eleuari natura intellectualis ad procedendū vitaliter formas vitales supernaturales videlicet actum fidei, actum visionis Dei &c ergo multò magis poterit natura sic eleuari ad producendas formas non vitales. Consequentia patet: quia contra eleuationem in ordine ad vitales militant omnes rationes, quæ militant contra eleuationem in ordine ad non vitales; & præterea ratio vitalitatis, quæ cum exigat procedere ab intrinseco naturę viuentis, videtur eam debere supponere ex intrinsecis suis adæquatè completam; ergo si huiusmodi rationes non obstant: quin natura intellectualis possit extrinsecus eleuari ad producendum vitaliter formas supernaturales vitales; multò minus obstabunt, quo minus natura non vitaliter operans nullo sibi intrinseco superaddito, sed per solam extrinsecam diuinæ Omnipotentiæ applicationem possit eleuari ad producendas formas supernaturales non vitales, & de facto 107

Digitized by Google

omnes Auctores, qui concedunt sufficere eleuationem extrinsecam pro vitalibus, docent sufficere etiam pro non vitalibus.

108 Verum non omnes cum eadem paritate discurrunt de intrinseca eleuatione; quamuis enim admittant naturam intellectualem eleuari sæpè de facto per qualitatem intrinsecam creatam sibi à Deo superadditam ad vitaliter operandum: multi tamen sunt, qui negant dari diuinitus posse similem qualitatem eleuatiuam intrinsecè rei naturalis ad effectus supernaturales non vitales producendos: siue demum ea ponatur esse permanens, siue transiens, quorum sententiam sequutus est Bellarminus *lib. 2. de effectu Sacramentorum cap. 15.* Valentia *tom. 4. disp. 5. quæst. 3. puncto 1.* Vasquez *prima parte disp. 176. cap. 3. num. 10.* Suares *tom. 1. in 3. partem disp. 31. sect. 5. & 6.* Coninch. *3. parte quæst. 62. art. 4. dub. vnico. numero 110.* Ragusa *3. parte quæst. 13. art. 2. disp. 17. §. 4.* & alij.

Contrariam tamen sententiam tenet Alensis *4. parte quæst. 10. art. 2. §. 1.* Paludanus *in 4. dist. 1. quæst. 1. concl. 3.* Hispalensis *ibid. quæst. 1. art. 3. notabili 6.* Ferrariensis *4. contrag. cap. 16.* Herueus *in 4. dist. 1. quæst. 1.* Ægidius *de præsentatione lib. 10. quæst. 2. art. 15. §. 4.* Lorca *2. 2. quæst. 23. art. 3. disp. 4. numerr 20.* & alij, quos citat, & sequitur Ripalda *de ente supernaturali disput. 31. sect. 2. numero 9.*

Cum quibus sentimus, & assertio nostra probatur: quia nulla potest assignari implicantia huius qualitatis eleuatiuæ intrinsecè naturę ad formas vitales, ergo erit etiã possibilis similis qualitas ad non vitales. Consequẽtia patet. Antecedens verò constabit ex solutionibus argumentorum, quæ adducunt contra nos Aduersarij.

109 Obijcies ergo primò cum Ragusa *loco citato*: si hęc qualitas superaddita eleuatiua ad formas supernaturales non vitales est possibilis, vel est virtus sufficiens, solùm egens concursu generali Dei, & hoc non quia sic non esset causa instrumentalis, sed principalis: vel non est sufficiens, & hoc neque: quia sic esset virtus incompleta, & præter concursum generalem deberet vlterius à Deo compleri, & perfici; quod autem hoc repugnet, suadetur: nam aut compleretur à Deo tãquam à concausa partiali eiusdẽ rationis, extrinsecè solùm adiuuante, sicuti qui ferre potest pondus quinquaginta librarum ad ferendum pondus centum librarum completur per hoc, quod ab adiutorio adiuuetur, vel per additionem nouæ qualitatis incompletæ. Vel denique per solam eleuationem extrinsecam Dei; nõ potest dici primum: quia dicta virtus non esset instrumentum Dei; neque secundum: Quia res naturalis esset causa principalis non indigens Dei eleuatione. Neque tertium: quia illa qualitas esset otiosa, tãtundẽ enim posset eleuari res naturalis; ergo &c.

Respondeo, huiusmodi qualitatem sub diuer-
110 sa considerabilitate esse virtutem sufficientem, & insufficientem. Sufficientem quidem ad eleuandam potentiam obedientialem rei naturalis: insufficiẽtem autem ad producendum se sola effectum supernaturalem; quia necessariò indiget ipsa re naturali tamquam comprincipio à se eleuato.

Ad probationem contra sufficientiam dico, quod licet conflatum hoc ex vtroque principio coalescens sit virtus sufficiens, nõ potest dici, quod egeat solùm concursu generali Dei, quia hic videtur sonare illum, quem Deus vt Auctor naturæ exhibet causis secundis ordinis naturalis, vt effectus suos naturales producant. Cæterùm si significet concursum ordinis quidem supernaturalis, sed similem illi, quem Deus præstat rebus naturalibus habentibus vim adæquatam effectiuã, eiusdemque rationis cum eo, quem exhibet potentijs intrinsecè eleuatis ad vitaliter operandum actus supernaturales; concedendum est conflatum illud egere solùm concursu generali Dei; & ad rationem incontrarium negandum illud sic fore causam principalem, & non instrumentalem. Quemadmodum enim vti supra probaui, calor habet vim adæquatam ex se, & immediatè productiuam ignis, ita, vt non indigeat, nisi concursu generali causæ primæ ad illum producendum, & tamen non producit ignem vt causa principalis, sed vt instrumentalis ad illum producendum, ita dicendum de conflato ex qualitate eleuatiua, & illa potentia obedientiali rei naturalis.

Ad probationem verò contra insufficientiam, concedo: qualitatem eleuatiuam acceptam secundùm se solam esse virtutem insufficientem ad adæquatè producendum effectum: itemque admitto eam sic consideratam esse pariter incompletam; sed nego hinc sequi præter concursum generalem Dei ordinis supernaturalis exigere à Deo vlterius perfici, atque compleri. Dico enim eam solùm exigere aliud comprincipium, hoc est potentiam obedientialem rei naturalis, ad quam eleuandam est essentialiter ordinata, vt simul cum illa connaturaliter effectum supernaturalem non vitalem tamquam Dei instrumentum producere valeat. Incomplementum itaque illud est solùm per ordinem ad comprincipium creatum naturale, non per ordinem ad increatum supernaturale, vt supponit argumentum, & ideò nihil concludit.

Obijcies secundò eum alijs: si esset possibilis huiusmodi qualitas rerum naturalium eleuatiua, 111
vel esset materialis, vel spiritualis; neutrum; ergo implicat. Maior patet: quia inter ens spirituale, & materiale non datur medium. Minor verò probatur: non materialis, quia debet posse connaturaliter attingere formas spirituales, cuiusmodi est Gratia sanctificans, &c. Neque spiritualis, quia debet posse inhærere rebus corporeis, vt aquæ &c. ergo &c.

Respondeo, negando maiorem, & dico: neque 112
omnes huiusmodi qualitates esse materiales, neq; omnes spirituales. Quædam enim ex eis sunt de se, & ex intrinsecis suis ordinatæ ad eleuandas res naturales ordinis spiritualis, vt Angelos. Si enim Deus eleuare potest aquam ad producendã gratiam, cur non poterit etiam eleuare substantiam angelicam, vel animam rationalem ad eundem effectum, & loquendo de huius generis qualitatibus eleuatiuis dico: eas esse spirituales. Neque contra illas vrgere rationes in contrarium: quia hæ sibi vendicarent, tamquam subiectum suũ connaturale solas res spirituales. Dantur præterea

rea aliæ, quæ de se, & ex intrinsecis suis sunt ordinatæ ad eleuandas res naturales ordinis materialis, vt aquam, &c. et de his procedere videtur difficultas num spirituales sint, an verò corporeę, & licèt multi sustineant, quod sint spirituales, inter quos est Soncinas, Capreolus, Hispalensis, & alij: Ego tamen hoc censeo impossibile: quia de prima notione qualitatis materialis videtur esse, quod ex se, & ex intrinsecis suis ordinata sit ad substantiam materialem qualificandam: sicuti de prima notione qualitatis spiritualis, quod etiam ex suis intrinsecis ad qualificandam substantiam spiritualem sit instituta. Alioquin assignent hi Auctores, in quo nam vtriusque qualitatis essentia posita sit. Scio Ripaldam *loco citato num.* 10. sustinere dari posse qualitatem spiritualem connaturaliter inhęrentem corpori: eo quod non repugnat, inquit, qualitas ex se potens qualificare tum corpus, tum spiritum, cum indifferentia ad vtramque.

113 Sed contra hoc lepidum inuentum videtur facere primò: quia vel huiusmodi qualitas esset diuisibilis, vel indiuisibilis: non enim in ordine ad hæc duo prædicata est possibilis indifferentia pro statu reali, vt de se patet; non potest dici primum: quia sibi vendicaret subiectum diuisibile. Neque secundum, quia exposceret indiuisibile; ergo non esset indifferens ad vtrumque. Quãuis enim aliqui teneant animas perfectorum animalium esse indiuisibiles simul, & materiales. id tamen negatur communiter; eo tamen admisso latum discrimen inter eas, & hanc qualitatem nostram eleuatiuam haberetur: siquidem illæ quamuis indiuisibiles, haberent vnde determinationem suę materialitatis acciperent nimirum ab ordine, quem dicerét ad materiam primam. Contra verò hęc gratis omnino in gradu spiritualitatis collocaretur. Cum enim esset indifferens ad informandum subiectum corporeum, & spirituale esset cõsequenter necessariò neutra, & sic inter corporeum, & spirituale daretur medium, quod nemo dixerit. Quod enim Auctor hic dicit corporeum sumi à dependentia intrinseca, & determinata à quantitate, qua, quia careret hęc qualitas: ideò esset spiritualis, non satisfaçit; Nam quantitas ipsa est corporea, & tamen non pendet à seipsa. Idemque dicendum de materia prima, & formis materialibus, quæ à quantitate propriè non pendent. Quod si respondeat se quantitatem cum materia prima confundere, & velle corporeum esse, quod vel materia est, vel dicit dependentiam intrinsecam, & determinatam ab ipsa materia. Dicam ego spirituale esse, quod vel spiritus est, vel dependentiam intrinsecam, & determinatam dicat à spiritu, quare cum ad neutram classem qualitas eleuatiua à Ripalda constituta pertinere posset, manifestè deducitur, quod esset neutra. Quoniam verò hæc est implicatoria: sequitur, quod nulla qualitas dabilis sit; quæ ex se, & ex suis intrinsecis non sibi determinet subiectũ aliquod vel materiale, vel spirituale; & rectè id quidem per nihil enim aliud potest illa prius in ratione spiritualitatis, vel materialitatis constitui, quàm per hunc ordinem, quod sic probarem: cum enim ea sit accidens essentialiter, debet esse entis ens; subiectum igitur, cuius est qualitas debet illi tãquã prima radix taxare gradum materialitatis, vel spiritualitatis, quem determinatè sibi vendicare debet. Quare si corpus, & spiritum indifferenter ex suis intrinsecis informare valeat, impossibile est, vt habeat, cur potius spiritualis sit, quàm corporea. Per quod patet, non esse ad rem exemplum, quod pro sua qualitate adducit Ripalda ex anima rationali depromptum, quatenus hæc quamuis intrinsecè vniatur corpori, est nihilominus spiritualis, quia extra corpus conseruari potest. Habetur enim manifesta disparitas; siquidem anima rationalis, nec quando vnitur corpori pendet ab illo, nec extra corpus acquirit de nouo aliud subiectum spirituale, à quo dependeat. Vnde non est de se indifferens ad dependendum à subiecto spirituali, vel materiali, sicuti ponitur ab eo qualitas eleuatiua; sed constituitur in ratione spiritualitatis per hoc, quod non pendeat à materia, quod si poneretur ab ea pendere, quamuis extra illam exigeret conseruari à Deo supplente defectum causæ materialis, adhuc conuinceretur esse in sua entitate materialis; quare paritas est potius contra ipsum.

Dicendum igitur ad argumentum: qualitatem 114
connaturaliter eleuatiuam rei corporeæ esse corpoream. Et ad probationem in contrarium respõdendum: non esse absurdum, quod agens corporeum producere possit connaturaliter gratiam. Instrumentum enim connaturale, dum agit in virtute causę principalis, potest rectè intelligi, quod causet effectum nobiliorem se. Quemadmodum igitur *in ordine naturali accidens in nostra sententia potest causare ex se substantiam, ita poterit hæc qualitas materialis in ordine supernaturali ex se causare gratiam sanctificantem.*

Instabis: vt hæc qualitas sit instrumentum con- 115
naturale causatiuum gratię, debet necessariò esse in entitate sua supernaturalis; sed repugnat qualitati materiali esse supernaturale; ergo &c. Minor suadetur: quia hoc ipso, quod qualitas est materialis, est in ordine naturali, in quo est materia prima, quam sibi determinatè vẽdicat tamquam subiectum, à quo vel immediatè, vel mediatè dependeat; ergo &c.

Respondeo: concessa maiore, negando minorẽ. Ad cuius probationem nego assumptum; quod si verum esset, euinceret etiam gratiam sanctificantem, & visionem beatam esse in entitate sua ordinis naturalis eo, quod dicant ordinem ad creaturã intellectualem, quæ est ordinis naturalis, quam sibi vendicant, vt subiectum, cui inhærere debet. Non obstat igitur qualitati supernaturali sibi vẽdicare subiectum ordinis naturalis, sed sufficit illi, quod sit adeò excellens, vt nullum subiectum ordinis naturalis illud ex suis intrinsecis exigat, aut exposcat; atqui non repugnat dari qualitatem materialem, quæ sit huiusmodi, & reuera ita sa haberet ea, per quam aqua constitueretur instrumentaliter potens causare gratiam; ergo &c.

Instabis iterum; Si semel haberemus rem or- 116
dinis materialis posse connaturaliter causare rem ordinis spiritualis, non esset, cur negaretur phantasma materiale in nobis efficienter concurrere, vna cum intellectu agente ad causandas species intelligibiles spirituales obiecti, cuius est phantasma; sed hoc communiter negatur: ergo &c.

Res-

Digitized by Google

Respondeo: Recentiores nonnullos concedere phantasmatibus vim effectiuam in species intelligibiles. Verùm hoc, libenter omitto, & nego maiorem. Rationem disparitatis sumo ex eo, quia non est assignabile, quomodo phantasma materiale in species intelligibiles influat; at facilè assignari potest, qua ratione qualitas materialis supernaturalis formas spirituales efficiat. Quod attinet ad phantasma: probatur, quia si in species intelligibiles influeret, vel vt causa principalis, vel vt instrumentalis in illas influeret. Non primum: quia modus operandi causæ principalis semper sequitur modum essendi; vnde cum modus essendi phantasmatis sit materialis: impossibile est, vt modus operandi spiritualis sit, qualis debet esse productio specierum intelligibiliū. Neque potest dici secundum: siquidem cuiusnam rei naturalis sit instrumentum assignari nequit: non enim potest dici, quod sit instrumentum obiecti; nam inter agens principale, & passum debet dari proportio maioris inæqualitatis; at obiectum phantasmatis non potest habere hanc proportionem ad intellectum, qui se habet vt passum in ordine ad specierum intelligibilium receptionem: quia obiectum phantasmatis est materiale; Intellectus verò est spiritualis. Cum igitur obiectum non possit se habere, vt agens principale in dicta specierum productione, neque poterit phantasma se habere, vt instrumentum illius. Multò minus dici poterit, quod se habeat vt instrumentum animæ rationalis; cum enim causa principalis debeat in virtute sua operatiua suos effectus continere, si anima rationalis esset causa principalis specierum intelligibilium omnium obiectorum, quæ potest cognoscere, cum hæc obiecta possint in infinitum secundùm speciem multiplicari, sequeretur, quod ipsa anima esset infinitæ virtus operatiuæ, quod nemo dixerit. Constat ergo non esse assignabile, quomodo phantasma materiale efficienter ad specierum intelligibiliū productionem concurrat. Quod verò facile assignari possit, quo modo qualitas eleuatiua materialis concurrat ad productionem effectuum spiritualium supernaturalium patet ex eo, quia sine vlla absurditate asseritur, quod concurrat, vt instrumentum Dei, nec contra hoc quidquam valent argumenta in contrarium; diuinæ enim Omnipotentię concedi omnino debet respectu cuiuscumque passi infinitus actiuitatis excessus, sicuti etiam infinita vis productiua, vt quemcumque effectum producibilem efficere valeat.

117 Instabis denique contra hoc: quamuis non sit absurdū concedere diuinę Omnipotentiæ infinitā virtutem operatiuam; absurdum tamen est eam concedere alicui enti creato. Sed si qualitas eleuatiua naturæ esset possibilis, infinita virtus ei concedenda esset; ergo repugnat. Maior patet. Minor probatur: hæc qualitas eleuatiua supponitur esse virtus instrumentaria Omnipotentiæ diuinæ in ordine ad formas, & effectus supernaturales non vitales connaturaliter producendos; ergo deberet continere vim instrumentariam ad omnes illos, ad quos diuina Omnipotentia se potest extendere; sed illi sunt finitè in infinitum perfectij; ergo esset ei concedenda virtus infinita. Respondeo, concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationem distinguo antecedens: hæc qualitas eleuatiua supponitur esse virtus instrumentaria, & inadęquata Omnipotentiæ diuinę, concedo; & adæquata, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim quod quamuis hæc qualitas ponatur esse virtus instrumentaria connaturalis Omnipotentiæ in ordine ad formas, & effectus supernaturales non vitales, non tamen est illi adæquata, sed inadæquata. Siquidem pro effectuum diuersitate diuersa est, ad eum planè modum, quo habitus Charitatis v. g. est quidem virtus instrumētaria Dei in ordine ad actus supernaturales vitales; sed ad illos tantùm, qui sunt in specie Charitatis; neque enim potest connaturaliter extendi ad actus fidei; sed hi à solo habitu fidei possunt instrumentaliter connaturali modo produci: hanc etiam inadęquationem cum virtute causæ principalis in instrumentis naturalibus animaduertimus. Quamuis enim ignis habeat principaliter virtutem caleficiendi, & exsiccandi, calor tamen, qui est vnum ex instrumentis illius non potest instrumentaliter exsiccare, sed calefacere: contra verò siccitas, quæ est alterum valet ad exsiccandū, & non ad calefaciendum. Linquo inadæquationem, quam habent instrumenta artium respectu suorum artificum, quia est omnibus perula.

SVBSECTIO QVINTA.

Expenditur vltima, & principalis obiectio.

OBijcies tertiò: Per virtutem instrumentariam connaturalem causa principalis constituitur proximè, & immediatè operatiua; sed repugnat Deo huiusmodi virtus; ergo repugnat qualitas intrinsecè eleuatiua naturæ ad formas supernaturales non vitales producendas. Maior patet ex semine, per quod viuens, ex quo decisum est, quamuis longè absit, redditur proximè, & completè potens generare prolem. Idemque videre est in calore respectu ignis, & in similibus virtutibus instrumentarijs respectu causarum suarum principalium. Minor verò suadetur: quia Deus est se ipso essentialiter proximè, & completè potens operari ad extra, vt de se patet; ergo repugnat illi virtus, per quam constituatur proximè, & immediatè operatiuus. Porrò hæc consequentia euincitur: quia id, quod est ex se, & essentialiter tale, non potest reddi tale per aliquod accidens à se distinctum primò, & per se ordinatum ad reddendum illud tale; cuius rei ratio potest esse; quia accidens est de se perfectiuum substantiæ; perfectiuum autem supponit essentialiter perfectibile, quod sine carentia perfectionis haberi nequit; ergo si Deus est ex se, & immediatè, & proximè operatiuus, implicat dari qualitatem instrumentariam essentialiter ordinatam ad illum proximè, & immediatè operatiuum constituendum. 118

Ad hoc argumentum respondent aliqui primò 119 negando maiorem vniuersaliter; dicunt enim virtutem instrumentariā esse primò, & per se ordinatā ad supplendum concursum actualem, quem causa principalis præstare debet: & secundariò solùm habere, quod constituat eam proximè, & completè operatiuam, quando scilicet illa ex se

talis

Digitized by Google

talis non est. Quoniam verò Deus licet habeat essentialiter, vt sit proximè, & immediatè operatiuus: potest tamen ei deficere actualis concursus in formam supernaturalem non vitalem, eo quod nolit proximè, & immediatè, vt causa particularis concurrere; hinc fit, vt non repugnet respectu illius virtus instrumentaria eleuatiua naturæ. Ad probationem verò maioris, concesso assumpto, negant consequentiam; disparitatem assignāt: quia causæ secundę principales, quę habent causas instrumentarias sibi subordinatas, non possunt ex se proximè, & immediatè causare; vnde non est mirum, si virtutes instrumentariæ, non solùm suppleant earum immediatum concursum, sed etiā eas reddant proximè, & immediatè operatiuas; cum autem hoc posterius in Deū cadere nequeat. ideò dicendum est, quod virtus instrumentaria illius sit essentialiter ordinata ad supplendum solum eius actualem concursum.

120 Sed contra hanc responsionem facit: quia non potest virtus eleuatiua destinari ad supplendum concursum actualem Dei in gratiam v. g. quin prius destinetur ad constituendum illum proximè, & immediatè operatiuum eiusdem gratiæ; sed hic tota solutio corruit, vt de se patet; nam constituere proximè, & immediatè operatiuum esset effectus primarius illius, atque adeò inimpedibilis, non verò secundarius impedibilis; ergo &c. Assumptum, in quo est difficultas, probatur: quia non potest virtus aliqua esse ordinata ad supplendum concursum alterius, quin per prius intelligatur esse ex se, & proximè, & immediatè operatiua, & concursiua, eo quod actus secundus supponit semper primum, vel ergo in eo priori intelligitur proximè, & immediatè operatiua principaliter, vel instrumentaliter, vel cum præcisione ab vtroque; non primum: tum quia virtus hęc instrumentaria est in entitate sua ignobilior ipsa gratia, vt suppono; tum etiam quia cum sit accidens, est entis ens; atque adeò totum, quod habet, est alterius, vt alibi probatum est. Neque potest dici tertium: quia in eo priori determinatè intelligitur cum toto suo esse, quod accidentale est, & gratia ignobilius; ergo dicendum est secundum, quod scilicet hæc virtus intelligatur per prius proximè, & immediatè operatiua gratiæ instrumentaliter, quàm ordinata ad supplendū concursum Dei in ipsam gratiam; sed instrumētum importat essentialiter ordinem ad causam principalem; ergo virtus eleuatiua per prius intelligitur ordinata ad reddendum Deum proximè, & immediatè operatiuum gratiæ, quàm ad supplendum eius actualem concursum in ipsam gratiam; quod erat probandum. Confirmatur, quia si virtus hæc eleuatiua, vt proximè, & immediatè operatiua gratiæ non ordinatur ad reddendum Deum proximè, & immediatè operatiuum; ergo quatenus talis est, non est instrumentaria, sed principalis, quia non potest assignari
121 quam aliam causam principalem sub hac ratione respiciat, atqui hoc dici nequit, vt patet ex dictis; ergo &c.

122 Respondent alij secundò, concessa maiore, negando minorem: ad cuius probationem concesso antecedente, quod scilicet Deus sit immediatè, & proximè productiuus gratiæ, negant consequentiam, quod non possit reddi etiam taliter operatiuus per qualitatem eleuatiuam, & ad rationem in contrarium distingunt assumptum: id quod est essentialiter tale, non potest reddi tale in specie per aliquod accidens à se distinctum, concedunt; non potest reddi tale genericè per aliquod accidens à se distinctum negant: & dicunt implicare quidem Deum constitui immediatè, & proximè causatiuum gratię per qualitatem eleuatiuam eo modo, quo est in se causatiuus; at non implicare, quod constituatur diuerso modo, quod autem sic per qualitatem eleuatiuam reddatur: patet ex eo, quia ipse est intrinsecè, & essentialiter immediatè, & proximè causatiuus gratiæ, & per qualitatem illam redditur talis extrinsecè, & accidentaliter. Quare vtraque vis proximè, & immediatè causandi non conuenit specificè, sed solùm genericè. Quod posse accidere. Confirmant duplici iure, quod habet Christus ad gloriam, quorum alterum competit illi beneficio vnionis hypostaticæ, quæ pertinet ad ipsum subsistentialiter; alterum verò ratione gratię sanctificantis, quæ ei accidentaliter conuenit.

122 Sed neque hæc responsio placet: puto enim hoc ipso, quod aliquid est essentialiter tale, implicare contradictionem, quod reddatur non solùm in specie, sed etiam in genere tale per aliquod à se distinctum primò, & per se ordinatum ad reddendum illud tale, quod in hunc modum suaderem: Si substantia corporea haberet sibi identificatam quantitatē, implicāret accidens, quod esset primò: & per se ordinatum ad illam accidentaliter quantificandam; Item si materia prima haberet sibi identificatas dispositiones ad aliquam formā recipiendā, implicarent accidentia primò, & per se ordinata ad disponendam ipsam materiam vt reciperet illam formam; & tamen tum quantificationes illę inter se, tum dispositiones: genericè tantùm conuenirent: quia quantificatio, quæ identificaretur cum quantitate, & dispositiones, quæ identificarentur cum materia, essent illis essentiales: quæ verò ab eis distingueretur: accidentales, supponentes essentialiter alias rationes cum quibus genericè conuenirent. Ratio autem implicantiæ horum, & similium accidentium est, quæ in obiectione tangitur. Nam accidens, quod primò & per se ordinatur ad perficiendum, & complendum subiectum in aliquo genere, debet illud respicere, vt perfectibile, atque complebile in eo genere; sed hoc ipso, quod subiectum est essentialiter in eo genere completum, & perfectum, non potest respici ab accidente amplius, vt perfectibile, & cōplebile in eodem genere, quantumuis accidentaliter, atque adeò diuersa ratione specifica; ergo distinctio tradita de entitate generica, & specifica nulla est. Maior huius videtur per se nota; & minor præter quam constet ex dictis de accidente ordinato ad quantificandam quantitatem, &c. Cōfirmatur vlterius ex eo, quia sic ne quidem Hirco-cervus, qui est rerum impossibilium Archetypus inuoluere repugnantiam; in tantùm enim ille repugnat, quia natura Hirci ex vna parte supponitur esse essentialiter completa in ratione naturę ponibilis in specie atoma prædicamenti substantiæ: ex alia verò hoc ipso, quod faceret vnum in natura cum Cerno deberet esse incompleta in eadem ratio-

ratione naturæ, & sic esset completa, & incompleta, quod repugnat. Atqui si vera esset doctrina Aduersariorum, hæc repugnantia nulla esset; posset enim dici complementum, quod habet natura Hirci esse diuersæ rationis specificè ab eo, quod affert illi natura Cerui. Siquidem supponitur completa in ratione naturæ Hirci, & accipit complementum in ratione naturæ Cerui. Quamuis de reliquo vtrumque complementum genericè conueniat in eo, quod sit complementum illius in specie aroma, vt sic; ergo falsum est hoc ipso, quod subiectum est essentialiter tale, quod non possit reddi specificè tale per aliquid aliud, possit verò per aliquid aliud genericè tale.

123 Quantum verò attinet ad paritatem de iure ad gloriam, quod affert humanitati Christi Domini gratia sanctificans, quamuis supponat in ea ius ad eandem gloriam per vnionem hypostaticam; Respondeo facilè neque vnionem, neque gratiã sanctificantem esse primò, & per se ordinata ad conferendum ius ad gloriam humanitati Christi, vt de se patet, sed solùm secundariò conferre illi dictum ius. Atqui quod aliquod subiectum habere posset sine vllo absurdo multiplici titulo eundé effectum secundarium patet ex materia prima informata forma ignis: ea enim habet priuationem aquæ non solùm ratione formæ ignis, cum qua ponitur facere vnum per se; sed etiam ratione caloris, & siccitatis ex suppositione, quod habeat has qualitates in summo; siquidem quælibet ex eis distributiuè accepta affert subiecto, in quo est, priuationem formæ aquæ tamquam effectum suum secundarium; at verò qualitas instrumentaliter eleuatiua supponitur esse ex suis intrinsecis primò, & per se ordinata ad complendam causam principalem, atque adeò respicere eius completionem tamquam suum effectum primarium, & hoc repugnare contendimus. Disparitas vlterius huius est: quia gratia hoc ipso, quod secundariò affert humanitati ius ad gloriam, iam habet effectum suum primarium diuersum ab effectu vnionis hypostaticæ, & sic non est essentialiter frustratoria; at ea qualitas, quæ primò, & per se ordinatur ad tribuendum subiecto tamquam suum effectum primarium aliquid, quod subiectum habet ex se, conuincitur esse essentialiter superflua, & frustratoria, atque adeò repugnare.

124 His igitur responsionibus posthabitis, ad obiectionem principalem, Respondeo concessa maiore: negando minorem, quod scilicet repugnet Deo virtus instrumentaria, per quam constituatur proximè, & immediatè operatiuus gratiæ. Et ad eius probationem nego Deum se ipso essentialiter constitui proximè, & immediatè operatiuum gratiæ. Constituitur enim talis contingenter, hoc est per decretum liberum suæ voluntatis, quo applicat Omnipotentiam ad producendam ipsam gratiam, sine quo decreto non est, nisi remote, & mediatè operatiuus. Quemadmodum enim causa secunda quamuis habeat vim necessariam ad agendum, si tamen non est debitè applicata passo, non est proximè, & immediatè transmutatiua illius; sic Dei Omnipotentia, quamuis sit completissima in ratione virtutis operatiuæ, nisi intelligatur per diuinum decretum applicata ad operandum, nõ est proximè, & immediatè operatiua. Quoniã verò decretum hoc vtpote liberum, est, vti dicebamus, contingens, & potest non esse in Deo. Hinc fit, vt non repugnet qualitas eleuatiua, quæ æquiualeat illi quantum ad reddendum Deum proximè, & immediatè operatiuum: ad eum plane modum, quo quia potest causa principalis nõ esse aliquando per se ipsam debitè applicata passo, datur virtus instrumentaria, cuius beneficio proximè, & immediatè illi applicetur.

Instabis primò: Qualitas instrumentaria hoc ipso, quod est ordinata ad supplendum defectum causæ principalis, arguit necessariò in dicta causa defectibilitatem; sed hæc Deo repugnat; ergo repugnabit respectu suæ Omnipotentiæ huiusmodi qualitas. Respondeo distinguendo maiorem: arguit necessariò in causa defectibilitatem in causando, concedo: in essendo: nego, & sic distinguo etiam minorem repugnat Deo defectibilitas in causando, concedo: in essendo, nego minorem, & consequentiam. Dico enim qualitatem instrumentariã hoc ipso, quod est instituta ad reddendam causam principalem proximè, & immediatè operatiuam, de necessitate in ea aliquem defectum, & defectibilitatem arguere. Cum hac tamen limitatione, quod ea, quæ est instrumentaria causæ principalis creatæ arguit in ea solã carentiam decreti applicatiui Diuinæ Omnipotentiæ ad eleuandam potentiam obedientialem creaturæ, quæ carentia, vt de se patet, non importat in Deo defectum aliquem, & incompletionem in essendo, sed solùm in causando, & arguit in eo maximam perfectionem principij liberi vtroque modo operatiui; at virtus instrumentaria causę principalis creatæ arguit in ea defectibilitatem, quo ad esse, atque adeò imperfectionem intrinsecam: quia denotat in ea, vel impotentiam simpliciter ad proximè, & immediatè operandũ, vel realem absentiam à loco, in quo debet fieri operatio, alias natura non daret illi dictam virtutem, quia in creatis id, quod potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura. 125

Instabis secundò: si non ex eo, quod Deus non posset, sed ex eo, quod nollet proximè, & immediatè applicare suam Omnipotentiam ad eleuandam creaturã, qualitas eleuatiua possibilis esset, sequeretur, quod etiam esset possibile accidés essentialiter ordinatum ad complendum subiectũ in eo genere, in quo iam est completum per hoc præcisè, quod Deus liberè vellet, vt illo speciali modo esset completum; sed hoc admisso, potest dari accidens ordinatum ad quantificandam quãtitatem, & ad albificandam albedinem, &c. quæ nos supra tamquam absurda contra secundam responsionem inferebamus; ergo nostra responsio non procedit. 126

Respondeo negando sequelam. Disparitas lata est: quia quantitas per suam essentiam immutabilem est quantitas, & non pendet quantum ad hoc, à libero decreto Dei. Idem dico de albedine, &c. Vnde est, quod implicat accidens, quod sit ordinatum ad quantificandam illam; esset enim institutum ad supplendum defectum etiam diuinitus impossibilem. At verò Omnipotentia Dei in ordine ad operandum expectat determinatio-

Digitized by Google

nationem à voluntate Diuina, & ideò non est per suam essentiam proximè, & immediatè operatiua; vnde non implicat accidens, quod sit essentialiter ordinatum ad reddendam eam proximè, & immediatè operatiuam casu, quo voluntas Diuina nollet illam per se ipsam complere.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA TERTIA

DE CONNEXIONE NECESSARIA CAVSARVM efficientium cum effectibus suis.

1 EQuum est post absolutam tractationem Potentiæ obedientialis, quæ incidenter considerandæ se obtulit, nostrum prosequamur institutum, quo Disputationes ad causam efficientem pertinentes discutere proposuimus. Ex quibus illa videtur maximè litigiosa, & concertationum plena, ideoque anteferenda reliquis, qua quæritur, num causa efficiens sit necessariò, siue etiam essentialiter cum suo effectu connexa. Pro cuius intelligentia notandum est nomine necessariæ, seu essentialis connexionis, quam habet vna res cum alia, venire exigentiam etiam diuinitus indispensabilem, quam ex suis intrinsecis habet illius rei, quam vt connexionis suæ terminum respicit, ita vt si illã non habeat, sicuti oportet, nulla ratione existere valeat.

Iam verò causa efficiens considerari potest dupliciter: in actu primo, & in actu secundo; & quidem quod in actu secundo sit connexa cum suo effectu, adeoque indispedsabiliter exigat habere illum à parte rei à se actu pendentem nulli dubium esse potest. Sic enim considerata inuoluit præter propriam entitatem, ipsam actionem actualem, quæ est essentialiter dependentia effectus actualis à sua causa actuali.

2 Item, quod causa efficiens in actu primo non sit connexa cum effectu actu existente, est etiam plusquam certum: Siquidem dum Sol v. g. nocturno tẽpore *alium lustrat emisphærium*, est in actu primo potens producere lumen in nostro, & tamen non exigit, vt pro eo tempore *dictum lumen existat*. Quare tota præsens quæstio procedit solùm de causa in actu primo in ordine ad effectum possibilem: nũ scilicet ea sit necessariò, & essentialiter cum eius possibilitate connexa, atque adeò eam indispensabiliter exigat. Quod vt planius intelligatur, Recentiores hypothesim supponunt impossibilem: quod scilicet effectus aliquis realis, v. g. calor incipiat implicare contradictionem, & deinde quærunt num facta hac suppositione, causa illa, cui virtus productiua talis effectus identificatur v.g. ignis potest existere in rerum natura, nec ne? si enim potest, non erit cum illo effectu connexa: erit autem, si non potest. Idemque iudicium ferendum esse de cæteris causis dicunt, & quidem rectè, vti videbimus. His autem breuiter pro intelligentia status quæstionis prænotatis: sit.

SECTIO PRIMA.

An causa efficiens in actu primo sit essentialiter connexa cum possibilitate suorum effectuum.

3 COnclusio est affirmatiua, & vniuersalis: Puto enim, quod non solùm causa efficiens creata, sed etiam increata necessariam habeat connexionem cum suis effectibus possibilibus, ita vt, si hi implicarent contradictionem, illæ quoque repugnantiam ad existendum inuoluerent. Est communis, & eam docet Suarez *disp. 47. metaph. sect. 3.* Hurtado *disp. 8. physic. §. 17.* Arriaga *disput. 7. physicorum sect. 2.* Giattinus *in phys. quæst. 5. art. 5.* & alij contra Vasquez, Arrubalẽ, Alarcon, Fonsecam, & alios, quos citat, & sequitur Oniedus *in metaph. controuer. 10. puncto 4.* & Lynceus *lib. physic. tract. 2. num. 22. & 23.*

Probatur autem primò assertio ab Arriaga *num. 12.* sic: Causa omnis per suam entitatem est productiua actionis, & effectus; ergo posse producere effectum est illi essentiale. Sed ex hoc sequitur, quòd si est impossibilis effectus, sit etiam impossibilis ipsa causa; ergo omnis causa est essentialiter cum suo effectu connexa. Antecedens videtur certum: quamuis enim causa principalis per instrumenta sua operetur, nihilominus per suam entitatem principalis est, sicuti etiam instrumentalis per suã. Consequentiã verò suadere: quia posse operari potest sumi radicaliter, & formaliter radicaliter sumptũ est de essentia causæ principalis, formaliter verò acceptum de essentia instrumentalis. Subsumptum verò probat Auctor, quia quoties est impossibile aliquid, identificatum cum alio est impossibile hoc aliud; sed si esset impossibilis effectus esset impossibile aliquid, identificatum cum causa nempè posse illum producere: ergo iam esset impossibilis ipsa causa.

4 Verùm ad hoc argumentum responderi potest facilè ex doctrina, quam tradit Oniedo *puncto 6.* concesso primo enthymemate, negando subsumptum, ac dicendo: quod posse producere effectum impor-

importet in causa relationē transcendentalem ad ipsum effectum; verè n. huiusmodi conceptus formari nullatenus potest, nisi saltem in confuso intelligatur aliud distinctū à potente producere, atq; adeò essentialiter tendit ad aliud. Quoniā verò relatio transcendentalis æquè benè potest respicere terminum, siue ille sit possibilis, siue impossibilis, vt constat ex cognitione, quæ non minus transcendentaliter refertur ad sūm obiectum chymericum, ac ad suum reale: hinc fit, vt possit causa suā essētiā realem retinere, etiāsi eius effectus euadat impossibilis. Sed ex hoc sequitur, quod sit inconnexa cū effectu. Per hæc autem patet responsio ad confirmationem, qua ex eo, quod entitas ignis antecedēter ad calefactionē habet producere posse calorem, & non frigus: cōtra verò entitas aquæ antecedenter ad frigefactionē posse producere frigus, & non calorem, idem Arriaga probat ignē esse connexū cum possibilitate caloris, & aquā cū possibilitate frigoris. Negari n. potest ab Aduersarijs consequentia, & dici ex illo antecedenti solū colligi ignem transcendentaliter referri ad calorē & aquā ad frigus: siue demū huiusmodi termini possibiles sint, siue non. Hoc enim materialiter se habet in ordine ad transcendentalem illarum causarum relationem terminandam, & non formaliter.

5 Probatur secundò à P. Giattino nostra assertio sic: Si Sol v.g posset producere solū calorē, & nō Incē differret essentialiter ab eo, qui nunc est; ergo hic Sol dicit connexionē essentialē cum lumine possibili. Consequentia probatur: quia in illa hypothesi Sol remaneret solū productiuus caloris; ergo differret essētialiter à se ipso per hoc præcisè, quod non esset productiuus luminis, & sic connecteretur essentialiter cū lumine. Antecedens verò suadetur hoc syllogismo: posse producere lumē est prædicatum essentiale Solis; sed deesset illi posse producere lumen; ergo deesset illi prędicatū aliquod essentiale. Minor huius, & consequentia patent. Maior euincitur: Potentia productiua luminis de facto vel est prædicatū essentiale Solis, vel accidentale. Si primū habet intentum: si secundū, petit, vel hoc accidens exigitur ab essentia Solis, vel non: si exigitur; ergo eo deperditio cū deperitur exigentia, deperditur necessariò Solis essētia. Si non exigitur, ergo Sol non est magis causa luminis, quā esset lignum: si virtus, seu potentia productiua luminis poneretur à Deo in ipso ligno, quod est euidenter falsum.

6 Sed hæc etiam probatio facilè illudi posset ab Aduersarijs per distinctionem illius antecedētis: si Sol posset producere solū calorem, & non lumen, differret essentialiter ab eo, qui nunc est. Sic: & quidem si per ipsum Solem staret, quo minus posset produci lumen, concedimus; ex suppositione, quod non staret per solem, sed per ipsum lumē quod repugnaret, negamus antecedens, & consequentiam. dicerent n. dupliciter fingi posse Solē nō posse absolutè producere lumen: primò, ita vt per ipsū deesset, sicuti de facto deest per lignū, & lapidem; & sic verum esse, quod Sol in eo casu à se ipso, qui nunc est, essentialiter differret. Secundò, vt deesset solū ex parte luminis, quatenus in suis prædicatis repugnaret; cæterū ex parte Solis haberetur totū id, quod necessarium esset ad illud producendū, posito, quod non repugnaret, & sic falsum esse, quod Sol tunc à se ipso, qui nunc est, essentialiter differret. Tota n. differentia se teneret ex parte luminis, & non ex parte Solis. Per quæ pateret solutio ad probationem Consequentię. Dicerent enim quod licèt facta illa hypothesi in primo sēsu Sol remaneret solū productiuus caloris, atq; adeò differret essentialiter à se ipso: at non facta in secundo sensu. Quare nulla est cōsequentia: nec probatio antecedentis habet vim. Quamuis enim eius maior vera esset: at falsa minor; siquidē implicāte lumine non deesset soli illud idem posse intrinsecū, quod de facto nunc habet, neq; deesset terminus huius posse, prout necesse est ad illud specificandum, ac terminandum, sed solū prout necesse est ad trāsferendū illud ex actu primo in actū secūdū.

7 Duobus alijs argumentis probat idem Giattinus Deum connecti cū creaturis possibilibus, quorum alterū sic procedit: Deus non solùm debet appetere omne bonum sibi intrinsecum vt actuale, sed etiā omne sibi extrinsecum vt possibile; ergo connectitur cum illo. Consequentia patet. Antecedens probatur: quia posse habere bonum sibi extrinsecum est perfectio debita Deo; ergo Deus ad possibilitatem talis boni inclinare debet per appetitum innatum; aliter hic appetitus irrationalis esset non inclinando ad illud, à quo aliquo modo nempè extrinsecè perficeretur. Alterū verò sic: si omnis creatura impossibilis esset, Dens nō esset liber, sed hoc repugnat Deo, ergo &c. Sequela probatur, quia si omnis creatura impossibilis esset, nulla esset indifferēs ad existēdū, & nō existendū; ergo Deus non esset indifferens ad eas volendas, & nolendas; sed libertas cōsistit in indifferētia; ergo &c. Verùm vtrumq; argumentū eandem patitur solutionem, quā præcedens. Quare dicere poterūt Aduersarij Deum habere appetitū innatum perfectissimum: eius autem summā perfectionem in eo cōsistere, vt absolutè quidem inclinet ad omne bonū sibi intrinsecum vt actuale: at verò ad extrinsecū vt possibil, on nisi ex suppositione, quod sit possibile. Quod si non erit huiusmodi, inclinabit quidem absolutè ad illud absolutione se tenente ex parte sui, non autem absolutione se tenente ex parte ipsius boni possibilis.

8 Præterea adderent casu quo omnis creatura impossibilis esset, Deum ex suis intrinsecis fore perfectissimè liberum in actu primo. Et ad probationem in contrarium dicerent: aliud esse Deum carere perfectione intrinseca, quæ necesaria est ad hoc, vt sit in se potens velle, aut nolle aliquid liberè: aliud verò ea quidem perfectione potiri, sed deesse sibi obiectū, circa quod huiusmodi perfectionem valeat exercere. Quāuis autem primum officiat libertati in actu primo, at non secundum. Porrò Deùm in eo casu impossibili non se habiturū fuisse primo modo, sed secundo; atq; adeò perfectissimè principiū liberum in actu primo censendum fore.

Neq; dicas principium liberum in actu primo, quod non potest transire in actum secundū, esse cęteris paribus minus perfectum. eo, quod transire potest. Nam hoc verum est, quoties impotentia se tenet ex parte ipsius principij: nō verò si se teneat ex parte termini. Alioquin ex eo, quod Deus non posit libertatem suā in actu secundo exercere in volendo, vel nolendo, vt chymera existat in rerum natura, minus perfectus existimandus esset, quā si poset, quod nemo audebit dicere.

Digitized by Google

Probatur tertiò ab aliis: implicat dari virtutem productiuam entis rationis pro statu reali; sed huiusmodi esset virtus causæ efficientis inconnexa cũ suo effectu; ergo habet cõnexionem cum illo; Maior patet: quia sicuti implicat ens rationis habere esse pro statu reali, ita & virtus productiua illius pro eodem statu. Minor verò suadetur: quia posito quod virtus aliqua sit inconnexa cum suo effectu, si per impossibile eius effectus euaderet implicans, adhuc ipsa remaneret potens illum producere à parte rei: ergo iam esset productiua entis rationis pro statu reali.

9 Sed neq; huic rationi fidendũ est. Possunt. n. Aduersarij respondere, distinguendo maiorem & si quidẽ in ea sermo sit de ente rationis reduplicatiuè, seu in sensu composito cum impossibilitate cõcederent. Si verò loquatur de eo specificatiuè, & in sensu diuiso, negarent implicare dari virtutem producendi ens rationis: & sic distinguerent eodẽ modo minorem: virtus inconnexa esset productiua entis rationis specificatiuè sumpti, seu in sensu diuiso, concederent: reduplicatiuè, seu in sensu cõposito negarent minoram, & consequentiã. Dicerent. n. quod si per impossibile calor v. g. esset ens rationis dupliciter considerari posset, primò reduplicatiuè: quatenus ens rationis, seu qnod idẽ est in sensu composito cum sua repugnantia ad existendum. Secundò specificatiue, & in sensu diuiso hoc est spoliatus ea repugnantia. Quamuis autem virtus inconnexa non esset productiua illius, vt cũ sua repugnantia coniuncti, & quatenus esset ens rationis, esset tñ vt ab illa diuisi, & specificatiuè accepti ad eum planè modum, quo Deus in omniũ sententia habet modo potentiã creandi alium mũdum, qui nunc stat sub negatione existentiæ, non quod posit illum in sensu composito cũ dicta negatione, eamque reduplicando producere. Hoc n. est impossibile: quia productio terminatur ad existentiam; sed quia potest in sensu diuiso eam relinquendo. Quod si nostri Doctores vrgeant disparitatem inter ens rationis sua repugnantia purgatum, & mundum possibilem existentiæ negatione spoliatum in eo consistere, quod ens rationis non remaneret idem numero, quod erat antea; Atq; adeò nunquam potest verificari de diuina Omnipotentia, quod illud producere valeat. Contra verò mundus possibilis siue sit sub negatione existentiæ, siue non idem numero perseuerat. Aduersarij rectè se tueri possent dicendo: ad suã sententiam propugnandam non esse necesse, quod chymera v.g transeundo à statu impossibilitatis ad statũ possibilitatis eadẽ numero perseueret. Sciunt enim equè impossibilem esse huiusmodi perseuerantiam, ac transitum illum, sed sibi sufficere ex suppositione impossibili, quod ita trãsiret, vt eãdẽ numero remaneret, diuinã Omnipotentiã habere in præsentia virtutem, illã producendi, ita ut absq; vlla sui intrinseca varietate eã producere valeret.

10 Probatur quartò ab alijs sic Conclusio: si repugnaret homo non posset existere diuina Omnipotentia; ergo hæc connectitur cum homine; cum ergo non sit maior ratio de ea, ac de cæteris, causa efficiens cum suo effectu connexa erit. Antecedens quod solùm probatione eget, probatur. Si repugnaret homo, existerent duo contradictoria simul homo repugnans, & non repugnans. Sed Diuina Omnipotentia non habet capacitatem ad coexistendum duplici contradictorio; ergo repugnante homine, diuina Omnipotentia repugnabit.

11 Hoc etiam argumentum est solutu facilè. Respondere. n. possunt Aduersarij ad illud triplicitèr, primò eius inefficaciã à posteriori demonstrando: Quatenus si haberet vim, sequeretur, quod quælibet res esset cũ qualibet alia quantũuis disparata immediatè cõnexa, quatenus hæc implicãte, omnis alia implicare deberet, propter incapacitatem ad coexistendum duplici contradictorio. Porrò hæc vniuersalis connexio inter entia realia merito ridicula existimatur à quãplurimis, præsertim à Ripalda *to. 1. de ente super. lib. 2. disp. 32. sect. 8. n. 42.* Respondere possunt secundò negando antecedẽs, & ad eius probationem, negare maiorem, ac dicere, quod quemadmodũ per hoc, quod in præsentia repugnet Hircocervus non existũt duo contradictoria simul. Sic neq; existeret, si per impossibile repugnaret homo: quia ex huiusmodi hypothesi ad quod immediatè sequeretur, esset eũ nullo modo posse existere à parte rei; & solũ facta alia hypothesi, quod existeret, eius repugnantia persistente, sequeretur, quod simul existeret, & non existeret.

12 Quoniã verò sola prior hypothesis est necessaria ad connexionẽ inferendã: non autẽ posterior, hinc fit, vt falsa sit probationis maior. Respondere denique possent tertio: negato antecedente, & data maiore probationis illius: negãdo eius *minorem*: ac dicere, quod diuina Omnipotentia, sicuti quælibet alia res in tantũ non potest duplici contradictorio coexistere, in quãtũ hoc existere simul nequit, quod si existere posset in aliquo subiecto v.g. in lumine vtiq; tũ diuina Omnipotentia tũ cæteræ creaturæ quo ad sua *intrinseca immutata, illi* coexistere valerent: quia huiusmodi contradictio esset ipsis extrinseca, & ad ea nullatenus pertineret, sed solũ ad hominem, cui intrinsecè conueniret. Quod si vrgeas equum ab eodem intellectu secundùm eãdem formalitatem cognosci, & nõ cognosci esse similem alteri equo, & simul non esse similem illi, æqualem, & non æqualem: coexistentẽ, & nõ coexistentem, &c. esse prædicata cõtradictoria extrinseca, & tñ hoc ipso quod equus esset illorum capax, intrinsecè repugnatet; ergo à pari Dei quoq; Omnipotentiã implicãtẽ fore per hoc præcisè, quod prædicata contradictoria extrinseca illi competerent; equidem Aduersariorũ nomine responderem ad anteeedens dupliciter posse fingi equũ illũ in ordine ad dicta cõtradictoria extrinseca se habere. Primò ita vt ipse sit originalis ratio, seu principium, ex quo veluti ex infecta radice illa pullulent, per hoc, quod det intellectui fundamentum vt secundum eandem formalitatem concipiatur simul, & non concipiatur ab illo, & alteri equo dat etiam fundamentum, vt respectu sui similitudinem simul, & carentiam similitudinis, æqualitatem, & carentiam æqualitatis, coexistentiã & carentiã coexistentiæ exerceat. Secundo itavt dictus equus in ordine ad verificationẽ illorũ contradictoriorũ se habeat, vt merũ terminum extrinsecum, & tota ratio cur de illo verificentur aliunde proueniat, nempe ab intellectu, qui supponatur habere vim cognoscendi simul, & non cognoscendi eandem formalitatem, & ab altero equo; in quem refundatur existere simul, & non existere, habere, & non habere tantam quantitatem, quanta requiritur ad denominandum prius

rem

Digitized by Google

rem equum æqualem illi, & non æqualem, &c. Quo posito dicerem, quòd si secundo modo se haberet in ordine ad ea cõtradictoria noster equus non repugnaret. Exerceret enim rationem puri termini respectu illorum. Contra verò si se haberet primo modo: Id enim ex quo formalis cõtradictio pullulat; saltem virtualiter duo contradictoria in suis prædicatis involuere certum est. Quoniam verò diuina Omnipotentia ex suppositione, quod homo simul existeret, & non existeret, secundo modo in ordine ad denominationes illas contradictorias extrinsecus aduenientes se haberet: hinc fit vt in ea neque formalis, neque radicalis vlla repugnantia argui posset.

13 Probatur sextò ab alijs nostra Conclusio: sic. Si aliqua creatura v. g. ignis inciperet repugnare, Deus deberet ferre de ea iudiciũ, quod esset, & non esset ignis; sed implicat Deus cũ tali iudicio; ergo implicante igne, Deus etiã implicabit, & sic saltẽ causa prima cũ suis effectibus connexionẽ habet. Maior videtur certa: quia facta illa hypothesi, ignis esset simul ignis, & non esset. Esset quidem alioquin nõ implicaret ignis, contra suppositũ: nõ esset verò quia ignis implicans nõ est ignis; hic non est ens reale positiuũ non implicans; sed diuinũ iudiciũ debet necessariò conformari suo obiecto; ergo debet in eo casu simul iudicare, quod sit ignis, & non sit ignis. Minor verò suadetur; nã iudicium quod negat idẽ simul esse, & non esse, est essentialiter verum; ergo iudicium, quod hoc affirmat erit essentialiter falsum, sed implicat Deus iudicium falsum habens; ergo &c.

14 Verùm hæc etiam probatio infirma est. Respõderent enim Aduersarij ad eam dupliciter: primò quidem negando maiorem; & ad eius probationem dicendo varijs modis supponi posse aliquem effectum realem retentis suis prædicatis quidditatiuis, & individualibus euadere repugnantem, primò, vt deperdita possibilitate impossibilitatem acquirat. Secundò vt vna cum possibilitate impossibilitatem coniungat. Tertiò, vt vtrumque exuat, & neque possibilis sit, neque impossibilis: Quoniam verò ad ostendendam inconnexionem causæ cum effectu, est solùm necessaria prima suppositio; non verò reliquæ; hinc fit, vt casu, quo ignis euaderet eo modo impossibilis, falsum esset eum simul fore, & non fore ignem. Foret enim ignis, & impossibilis. Non verò foret non ignis, nec possibilis. Quamuis enim ignis, qui de facto datur, reuera sit essentialiter possibilis, & possibilitas in eo sit prædicatum quoddam per omnes suas rationes inadæquatas transcendens; si tamen volumus hypothesim aptam disputationi facere, debemus apprehendere in ipso igne possibilitatẽ veluti quoddam prædicatum formaliter distinctũ ab alijs, cuius beneficio alia reddantur possibilia; & inquirere, an excluso illo speciali prædicato per aduentum prædicati oppositi, videlicet impossibilitatis, per quod totus ignis secundùm suã omnia prædicata reddatur impossibilis, eius quoque causa productiua impossibilis euadat; atque hęc est doctrina, quam Oniedus contrariæ sententiæ propugnator acerrimus in simili tradit *controuers.* 10. *cit. puncto 4. num.* 15.

15 Respondere possent secundò ad eandem probationem Aduersarij: data maiori, ad minorem dicere, quod licet nulla facta suppositione impossibili implicet Deum habere iudicium, quod idem sit, & non sit ignis; & facta hypothesi, quod ignis in sensu composito cum possibilitate, quam habebat impossibilitatem induat, nulla esset implicantia in hoc, quod Deus simul iudicaret illũ esse, & non esse ignem, qui de facto datur. Cum enim intellectus perfectio consistat in conformãdo se obiecto suo, enunciando de eo, quod tale sit, quale reuera est, hoc ipso, quod aliquod simul esset, & non esset verus ignis, necessariò Deus de eo affirmare deberet vtrumque. Ad rationem autem in contrarium dicerent: iudicium illud, quo iudicamus, non posse idem simul esse, & non esse, verum quidem esse essentialiter nulla facta suppositione impossibili ex parte obiectorũ: at in casu nostro supponimus idem simul esse, & non esse ignem. Nil mirum igitur si principium illud non esset amplius essentialiter verum, siquidem in ordine ad hoc obiectum falsum esse inueniretur, & è contra, suum oppositum, verum; & propter hanc rationẽ illud intellectui diuino repugnans, hoc verò consentaneum esse inueniretur.

16 Harum, & similium rationum imbecillitatem agnoscens P. Oniedus §. 2. *num.* 5. sibi de illis triumphare videtur nixus auctoritati Arriagæ, qui licet idem nobiscum sentire profiteatur, nihilominus fatetur nullam experientiam, aut rationem siue à priori, siue à posteriori reperiri, quę nostram sententiam de cõnexione suadeat. Quod quidem dictum, vt falsum esse ostendam, suppono Conclusionem nostram duas habere partes, quarum altera affirmabam causas efficientes creatas cum effectibus suis esse connexas: altera verò esse etiam cum suis connexam causam increatam, & veramque in duplici lectione sequenti solidè probare conabor. Sit igitur.

SECTIO SECVNDA.

Probatur solidè connexio causæ efficientis creatæ cum suo effectu.

17 QVod causa creata cum sui effectus possibilitate connectatur, triplici ratione coniecto. Prima ducitur ab experientia; Secunda à necessitate, quam habet operandi; Tertia denique à relatione transcendentali, quam dicit ad illum. Vt autem distinctius procedam, cuique rationi suam subsectionem assigno.

SVBSECTIO PRIMA.

Exhibetur prima ratio ducta ab experientia.

18 EXperientia constat non posse existere ignem sine calore aliquo existente, neque animal sine aliqua operatione vitali, &c. ergo multò minus existere poterit ignis sine calore possibili, & animal sine possibili aliqua operatione vitali: Sed quoties non potest existere causa sine possibilitate sui effectus, est necessariò cum illa connexa; ergo ex experientia rectè deducitur causas creatas habere cum effectibus suis connexionem. Huius argumenti omnia patebit præter primam consequentiam, quæ sic suadetur: existentia effectus possibilitatẽ eius supponit: nihil enim existit, quodnõ potest existere; ergo si dictæ causæ nõ possunt existere, non existentibus effectibus suis; multò minus poterunt existere illis impossibilibus persistentibus. Respondebunt sine dubio Aduersarij ad an-

Digitized by Google

teedens: licèt ignis sine vllo calore existente non possit naturaliter: existere posse tamen miraculosè. Ex hoc autem rectè deduci eum posse etiam miraculosè existere sine possibilitate eiusdem caloris, licet non possit connaturaliter. sic distincto primo enthymemate, distinguent subsumptū. Quoties non potest existere, neque naturaliter, neque supernaturaliter causa sine possibilitate sui effectus, est necessariò cum illa connexa, concedent; quoties non potest existere naturaliter tantùm, negabunt subsumptum, & consequentiam. Et dicēt argumentū procedere à secundū quid ad simpliciter; quia ex connexione, quā habet ignis cū calore in ordine ad statum naturalem, infert connexionem simpliciter in ordine ad quemcumque statum, de qua præsens procedit controuersia.

19 Contra tamen est: quia ex eo, quod non possit existere connaturaliter ignis sine calore existente, rectè deducitur, quod quāuis existere possit miraculosè sine eodē calore item existēte, dummodo sit possibilis: at si est impossibilis, nullo modo possit, atque adeò sit implicans, atque chymericus.

20 Id autem suaderem hoc discursu continente rationem connexionis causæ cum effectu, veluti à priori; implicat substantia creata, cui numquam, & secundum nullum statum possibilem, aut ordinem rerum naturalium existentia esse possit connaturalis; sed huiusmodi esset ignis posita caloris implicantia; ergo ea posita, implicaret etiam ignis. Consequentia est certa. Maior verò suadetur: quia substantia creata, vt suppono ex prima parte, est essentialiter naturalis; ergo esset ialiter sibi vēdicat aliquē statū, in quo connaturaliter existere valeat, alioquin haberet naturam postulantem semper existere in statu innaturali, & sic ex principijs naturalibus exigeret statum innaturalē, & quidem ita essentialiter, vt per nullam potentiam posset, nisi in statu innaturali, habere existentiam; hoc autem repugnare patet ex terminis, quia sic natura inclinaret ad malum suum, & ad id, quod sibi repugnat, & quidem per se; nam non inclinaret, nisi ad innaturaliter, siue etiam violenter existendum. Quemadmodum igitur implicat dari accidens, quod nè diuinitus quidem existere valeat, nisi ab omni subiecto separatum: ita implicabit dari substantiam, cui numquam, & secundùm nullum statum possibilem, aut ordinem rerum, existentia esse possit connaturalis. Minor autem principalis euincitur: quia posita caloris implicantia nullum statum posse esse connaturalē igni patet primò ex sententia Aduersariorum, qui dicunt eum posse in tali casu miraculosè tantùm existere; secundò, quia stante possibilitate caloris nullus status potest esse connaturalis igni absque eo quod habeat existentem calorem, vt de se patet; ergo multò minus posita eiusdem impossibilitate. Non enim potest assignari disparitas; nam ignis remanet omnino idem quo ad intrinseca. Porrò ratio vlterior huius rei sic efformari posset: nullus status, qui est contra naturam ignis, potest esse illi connaturalis; atqui posita impossibilitate caloris omnis status esset igni contra naturā eius; ergo nullus esset illi connaturalis. Maior patet. Minor probatur: quia ignis inclinat ad habendum calorem existentem; sed in quocumq; statu ex vna parte esset idem ignis, vt supponimus; ex alia verò propter impossibilitatem caloris, ne diuinitus quidem posset hanc inclinationē habere expletam; ergo posita caloris implicantia omnis status esset igni contra naturam illius.

Replicabunt fortè Aduersarij, verùm quidem 21
esse, quod facta illa hypothesi, nullus status esset igni connaturalis: hoc autem non esse absurdum: quando quidem substantiæ naturali debeatur quidem necessariò status aliquis sibi cōnaturalis nulla facta suppositione impossibili: non autem ea facta, quod sic suadebunt: si facta quacumque impossibili suppositione substantia naturalis statum aliquem connaturalem sibi vendicaret: supponamus, quod status hic inciperet esse repugnās, iam alium statū connaturalem substantia naturalis exigeret, & hoc secundo repugnante aliū tertiū, & tertio repugnante quartum; sed sic debuisset natura in infinitum procedere, & prouidere cuicūque substantiæ naturali, quam constituit de infinitis statibus sibi connaturalibus, vt si per impossibile implicaret vnus, haberetur alius; cum igitur hoc sit manifestè falsum, sequitur, quod argumentum nostrum non conuincat.

Contra tamen est: quia per Aduersarios facta illa hypothesi implicantiæ caloris, remanet ignis quo ad entitatē suā sicuti erat prius; sed prius erat ens naturale substantiale. Cū igitur omne, quod est huiusmodi ex intrinsecis suis aliquem statum sibi connaturalem exigat ad existendum: manifestè deducitur, quod si ignis facta illa hypothesi, adhuc remaneret possibilis, deberetur illi aliquis status sibi connaturalis. Porrò ratio in contrarium si quid probat, euincit potius nostrum intentum contra Aduersarios, quam oppositum: quia ne in assignandis statibus connaturalibus debitis substantiæ naturali procedatur in infinitum, debet aliquis status assignari, cum quo substantia connexionem habeat essentialem, ita vt si per impossibile implicaret ille status, etiam implicaret ipsa substantia; Ex hoc autem rectè deduci ignem esse cum calore connexum. Probo facilè: quia sicuti nullus status potest esse connaturalis igni existēti, qui non inuoluat calorem item existentem, ita nullus potest intelligi connaturalis igni possibili, nisi possibilem calorem inuoluat; ergo si ignis debet esse essentialiter connexus cum aliquo statu connaturali, ne in huiusmodi statibus procedatur in infinitum; debet etiam esse sic connexus cum calore, quod erat probandum.

Dicent fortasse: calorem in ordine ad ignem 22
dupliciter considerari posse: primò, quatenus est dispositio ad formam ignis. Secundò quatenus est effectus illius in genere causæ efficientis. Porrò argumentum nostrum probare solùm ignem esse connexum cum calore sumpto in ratione dispositionis, non verò in ratione effectus, quod maximè probandum fuisset.

Contra tamen est primò: quia ignis nullo alio modo respicit calorem in ratione dispositionis, nisi producendo illum; ergo si habet connexionem cum illo sumpto in ratione dispositionis, etiā habebit connexionem cum illo sumpto in ratione effectus in genere efficientis. Antecedens patet: consequentia probatur, quia eo modo debet vna res esse connexa cum possibilitate alterius, sicuti ex suis intrinsecis exigit habere illam; sed ignis exigit ex suis intrinsecis habere calorē tamquam dispositionem, illum producendo in genere

Digitized by Google

nere efficientis ; ergo hoc modo erit cum eius possibilitate connexus.

Contra etiam est secundò : quia vt patet ex dictis, implicat substantia naturalis , cui nunquam existentia esse possit connaturalis ; sed posita implicantia caloris considerati præcisè in ratione effectus ignis in genere efficientis , in nullo statu poſset esse connaturalis existentia ipsi ignis ergo implicabit etiam ignis ; & sic erit connexus cum calore considerato in ratione effectus in genere efficientis. Minor, quæ solam probationē, desiderat, suadetur : quia in ea hypothesi non posset ignis se defendere à contrarijs eorum vires debiliando, quia id præstat producendo in eis calorem , nec posito, quod sui caloris detrimentum est passus, posset se restituere in integrum; nec denique posset generare sibi simile; ergo in ea suppositione nullus erit assignabilis status , in quo ignis existere connaturaliter posset. Ex quo manifestè sequitur eum esse cum calore connexum, quod quidem procedit de cęteris causis secundis efficientibus. Nulli enim earum implicāte omni effectu suo, poterit assignari status aliquis , in quo connaturaliter existere valeret.

SVBSECTIO SECVNDA

Proponitur secunda ratio ducta à necessitate, quam habet causa creata operandi.

23 ESse causarum creaturarum est propter operari ; ergo implicante earum operatione implicabit , & esse illarum ; ergo sunt essentialiter connexæ cum effectibus suis. Hęc secunda Cōsequentia videtur certa : quia operatio hic non sumitur strictè pro actione , qua causa , cuius est operatio, influit in effectum , sed pro ipso effectu ; deinde si strictè sumeretur , hoc ipso, quod causa est connexa cum sua actione , erit etiam connexa cum suo effectu ; tum quia non est assignabilis maior ratio ; tum etiam quia cum actio distinguatur modaliter ab ipso effectu , ita est essentialiter cum eo connexa , vt eo implicante, ipsa quoque implicet necesse sit. Vnde si causa est cum sua actione connexa, erit etiam connexa cum suo effectu , & quidem immediatè , quatenus actio non se habet vt quod , sed vt quo, inter causam , & effectum. Tota igitur probationis difficultas consistit in enthymemate , cuius antecedens suadetur illo communi axiomate (omne esse est propter operari, quod vniuersali omnium Sapientum plausu , & approbatione exceptum est ab Aristotele *secundo Cæli tex.* 17. vbi probare intendens ex eo, quod Cœlum sit corpus veluti diuinum propter incorruptibilitatem suam, necessariò debere esse rotundum ad hoc , vt ei respondere possit proportionata operatio, nempe motus perpetuus , & numquam interruptus : his verbis vtitur pro maiore argumenti : eorum vnumquodque quorum est opus ; est gratia operis . Vnde constat , quod Aristoteles solùm loquitur de ijs , quorum est opus , quæ propriæ sunt causæ efficientes , quamuis Philosophi huiusmodi proloquium applicent etiam ijs rebus , quæ non sunt operatiuæ , quia ipsę quoque, licèt non sint immediatè , & per se gratia operis, sunt tamen gratia eorum , quę sunt operatiua , vt patet ex materia prima , & similibus . Sed quidquid sit de hoc, nobis in præsentia satis est , quòd causæ efficientes naturales , atque adeò earum esse sit gratia operis, hoc est propter operari : siue demum huiusmodi propterea itas importet dependentiam à priori in genere causę finalis, siue à posteriori, quatenus tādiù debetur illis existentia , quandiù possunt aliquid operari. Quod si ita sunt debilitatæ , & viribus destitutæ , vt nihil operari valeant : natura denegat illis existentiam , tamquam otiosis , & ea indignis . Hoc modo antecedentis veritate probata, ostendo consequentiam sic: Esse causæ non est gratia operationis accidentaliter , quasi verò si est possibilis operatio, sit gratia illius : contra verò si sit impossibilis : quia sic deberet ab alio institui propter operationem , sed est ex suis essentialibus principijs ; tali ergo implicante operatione, implicabit etiam esse causæ .

Dices: axioma intelligēdū esse de solo esse exi- 24
stentiæ causę, non verò de esse essentiæ; ita vt sensus sit : quod quoties causa est adeò imbecillis, vt nihil penitus operari valeat : toties suspenditur illi à causa prima concursus ad existendum . Sed contra est : quia sic causa non esset secundùm suæ essentialia gratia operis . Hoc autem vt probem esse falsum, suppono duo : Vnum est implicare contradictionem , quod aliquod ex suis essentialibus sit frustratorium, & otiosum . Est enim axioma communiter receptum , & ab Aristotele traditum *primo Cæli sex.* 32. quod Deus, & natura nihil faciunt frustra; quod licet quantum ad existētiam videatur solùm connaturaliter loquendo habere veritatem (quatenus Deus miraculosè possit conseruare aliquid absque eo , quod ratione imbecillitatis suæ nihil penitus operari valeat:) at quantum ad essentiam censetur communiter esse verum etiam in ordine ad diuinam Omnipotentiā. Putamus enim implicare contradictionem dari posse essentiam realem penitus otiosam, & superuacaneam. Alterum supponendum, est , quod vt existimemus aliquid ex suis essentialibus esse, vel non esse frustra , non debemus attendere ad eius esse : quia nullum esse potest esse frustratorium ad se ipsum ; sed ad eius operari , ita vt tunc aliquid censeatur essentialiter frustratorium , quando eius essentia nullatenus ordinatur ad operari , quod expressit Philosophus , quando afferens, *loco citato* , exemplum sui axiomatis . Frustra enim inquit calceamentum hoc dicimus , cuius non est calceatio ; Hæc enim est operatio calcei. His autem positis sic Aduersariorū explicationem prioris axiomatis redarguo : Si causa non esset secundùm suam essentiam Gratia operationis : dato quod non esset defacto essentialiter frustratoria , eo, quod defacto possibilis est operatio, atque adeò defacto exigit in aliqua rerum contingentia existere : at esset secundùm essentiam suam indifferēs ad essendum frustratoria , vel non essendum ; in quantum siue esset possibilis operatio , siue non , ipsa semper possibilis remaneret . Vnde quandiù operatio esset possibilis, ipsa causa non esset secundùm suam essentiam frustratoria, ex hypothesi autem quod illa euaderet impossibilis , frustratoria esset . Sed ex hoc manifestè sequi, quod implicante operatione, ipsa quoque causa implicaret , quæ erat consequentia enthymematis principalis

Digitized by Google

pa is, facilè suadetur: quia causa in ea hypothesi secundùm sua essentialia iam euaderet frustratoria; ergo facta hypothesi, quod effectus eius implicaret, ipsa quoque implicantiam inuolueret.

25 Quamuis autem ad euincendam connexionem causæ efficientis creatæ cum effectu suo id mihi sufficiat: ex abundantiâ tamen probo: quod si causa esset eo modo, quo dicebant Aduersarij, secundùm sua essentialia constituta, vt haberet indifferentiam ad essendum, vel non essendum frustratoria, etiam stante operationis possibilitate, chymèrica censenda foret; quod sic euinco: Nullum ens reale positiuum potest esse ex suis intrinsecis indifferens ad essendum, vel non essendum ens chymericum; ergo hoc ipso, quod causa ex suis intrinsecis hanc haberet indifferentiam non esset ens reale positiuum, sed inuolueret implicantiam ad existendum. Consequentia liquet. Antecedens euincitur: quia ens reale positiuum positiuè ex suis intrinsecis excludit à se rationem impossibilitatis. Ens enim positiuum essentialiter sibi vendicat negationem implicantiæ ad existendum, quæ fundatur in possibilitate determinata, & non indifferenti ad coniungendum se cum reali existentia; ergo nullum ens positiuum potest esse ex suis intrinsecis indifferens ad essendum, vel non essendum chymericum.

26 Dices tunc causam efficientem fore essentialiter indifferentem ad essendum, vel non essendum frustra, quando ex suis essentialibus non includeret potentiam ad operandum, etiam si operatio possibilis esset. Quoniam verò Aduersarij asserunt ex hypothesi, quod operatio esset impossibilis, causam quantum est de se remansuram ex suis intrinsecis potentem operari, & impotentia ei ex eius operatione tantummodo prouenire: inde deduci in dicta hypothesi eam non euasuram secundùm sua intrinseca frustratoriam, nec præscindendo ab ea hypothesi, esse indifferentem.

27 Contra ea non est, quia ad saluandum, quod causa non sit ex suis essentialibus ad otiositatem indifferens, non sufficit, vt quantum est de se operari possit, sed requiritur vlterius, vt de actione possibili sibi determinatè prouideat; ergo nulla est ponno. Consequentia patet. Antecedens suadetur primo à pari: quia ad saluandum, quod aliqua essentia non sit ex suis intrinsecis indifferens ad posse, vel non posse existere, non sufficit dicere, quod quantum est de se, existere possit: quidquid sit verum eius existentia sit impossibilis, nec ne? sic enim nullum esset ens rationis adeò repugnans, de quo non posset sustineri, quod esset ens reale positiuum; sæpè enim dici posset, quod repugnantia nō se teneret ex parte sui, sed ex parte suæ existentiæ, saltem ex suppositione, quod ex natura rei inuicem distingerentur. Sicuti igitur hic modus discurrendi circa potentiam ad existendum non est probabilis: ita neque erit circa potentiam ad operandum. Suadetur secundò, & ratio præcedens magis declaratur: nam ideò non sufficit ad ens reale constituendum potentia ad existendum, quantum est ex parte sui, quia ens reale habet ex suis intrinsecis obligationem reddendi vndequaque possibilem suam existentiam, eamq; penitus à repugnantia contradictionis liberandi, quod si non facit, arguitur esse repugnans, & contradictionem inuoluere. Pari igitur ratione neque sufficiet ad causam realem constituendam potentia ad operandum, quantum est ex parte sui, eo quod ex suis intrinsecis vendicat sibi obligationem reddendi vndequaque possibilem operationem suam, ita, vt si hæc repugnet, illi dicta repugnantia imputetur. Suadetur denique tertiò idem antecedens: quia non potest aliter intelligi causa efficiens esse secundùm sua essentialia otiosa, nisi per hoc, quod intelligatur respicere operationem implicatoriam; ergo tunc censebitur indifferens, vt sit, vel non sit essentialiter otiosa, quando concipietur respicere operationem sub indifferentia ad implicandum, & non implicandum. Falsum igitur est, quod ad saluandum eā, non esse essentialiter indifferentem, sufficiat, vt quantum est de se, sit operatiua, sicuti dicunt Aduersarij; sed vlterius requiritur, vt de actione possibili sibi determinatè prouideat.

Probatur antecedens huius, in quo tota vis difficultatis posita est: non potest dici, quod causa efficiens possit intelligi secundùm sua essentialia otiosa per hoc, quod careat virtute operatiua; quia sic nulla esset causa efficiens, & nulla eius essentia, supra quam superfluitas, & otiositas cadere conciperetur; Nam causa efficiens per virtutem operatiuam in ratione causæ efficientis essentialiter constituitur; Neque per hoc, quod non habeat de facto operationem actu à se dependentem: quia sine vlla otiositate essentiali stat actus primus causæ efficientis sine actu secundo; neque aliquid aliud potest assignari, per quod intelligi possit causa efficiens secundùm sua essentialia otiosa, & sic repugnare; ergo per hoc tantùm, quod respiciat operationem implicatoriā. Ex quo deducitur, quod facta hypothesi, quod operatio alicuius causæ naturalis implicet, ipsa quoque secundùm sua essentialia implicet necessè est; euadit enim essentialiter otiosa, quatenus ad opus vndequaque impossibile, vtpote chymericum ordinatur. Cum igitur implicantia, quæ oritur in causa ex sui effectus repugnantia, euincat eam cum suo effectu connecti: concludendum sine dubio est, quod connectatur. 28

SVBSECTIO TERTIA.

Innuitur tertia ratio ex transcendentali respectu petita.

29 OMnis causa efficiens creata refertur transcendentaliter ad suum effectum; ergo connectitur cum illo. Antecedens probatur: quia hoc ipso, quod causa efficiens creata continet in sua virtute effectum: quodam peculiari modo se habet ad illum, quem modum se habendi non habent reliqua entia, quæ non continent in virtute sua dictum effectum. Vnde est, quod ipsa causa non possit distinctè, & clarè cognosci sine illo effectu: possint verò reliqua, quæ illum in sua virtute non continent. Sed hic peculiaris modus se habendi in causa est ordo quidam, vt de se patet; nec est prædicamentalis: tum quia est essentialis causæ: tum etiam quia præscindit ab existentia effectus; ergo est tracscendentalis. Sic probato antecedente, suadeo deinceps consequentiam.

Pe-

Digitized by Google

pereunte termino transcendentalis relationis sub ea ratione, sub qua illam terminat, non manet dicta relatio: sed effectus possibilis terminat relationem transcendentalem suæ causæ efficientis sub ratione possibilis. Si igitur pereret in ratione possibilis: ipsa quoque relatio transcendentalis causæ deperderetur; atque adeò essentia ipsius causæ euaderet impossibilis. Quoniam verò in hoc consistit essentialis connexio causæ cum effectu, rectè deducitur causam efficientem creatam habere cum suo effectu connexionem. Consequentia huius discursus, & id, quod sumitur videtur certa. Maior verò facilè suadetur: quia de ratione relationis in communi est, vt non possit haberi sine termino sub ea ratione, sub qua est terminus illius: si enim terminat illam in ratione existentis non potest haberi sine termino existente. Si verò in ratione albi, aut calidi non potest haberi sine termino albo, aut calido, &c. Minor verò in qua vis argumenti posita est, probatur: quia causa efficiens refertur transcendentaliter ad effectum suum quatenus importat essentialiter virtute productiuam illius: sed virtus productiua alicuius effectus nil formalius respicere potest in illo, quam eius possibilitatem, seu producibilitatem intrinsecam; ergo effectus possibilis nonnisi sub ratione possibilis terminat relationem transcendentalem causæ efficientis. Maior huius patet, & minor euincitur: quia terminus formalis alicuius respectus est id, quod primò, & per se ab eo respicitur; Cætera verò nonnisi quatenus stant sub illo eumque participant. Sic color est terminus formalis visionis parietis: quia est id, quod primò, & per se à visione respicitur: cætera verò nimirũ materia, & forma parietis non nisi quatenus stãt sub ipso calore, eumque participant. Sed id, quod primò, & per se à virtute effectiua respicitur in effectu est factibilitas illius; nam cætera, nimirùm prædicata eius quidditatiua non nisi quatenus sub dicta factibilitate stant, ab ea respiciuntur, nõ minus, quam materia, & forma parietis à visione; ergo &c.

30 Quiedus *controuers.* 10. *metaph. puncto 6. num.* 2. concesso antecedente principalis argumenti negat consequentiam. Dicit enim, quod quamuis omnis connexio relationem transcendentalem importet: non tamen omnis relatio transcendentalis connexionem; Quod probat, quia connexio nõ est, nisi ad terminum existentem, aut possibilẽ. At qui posse dari relationem transcendentalem ad terminum non existentem, neque possibilem, ait, se ostendisse puncto secundo eiusdem controuersiæ, vbi ex professo id quæsiuit, & probauit ex cognitione, qua quis affirmat chymeram esse possibilem, quam cognitionem constat referri transcendentaliter ad chymeram, & non connecti cum illa. Ex quo concludit, idem dicendum de relatione transcendentali, quam dicit causa efficiens ad effectum suum, nimirum esse sine connexione cum illo. Vnde quemadmodum, inquit, si chymera ex impossibili euaderet possibilis cognitio de impossibilitate eius non redderetur implicatoria, sic si calor v. g. ex possibili euaderet impossibilis, ignis in sua reali, & positiua consistentia permaneret, dicendo ad illum eamdem numero transcendentalem relationem, quam dicebat antea, quando erat possibilis.

Hæc doctrina, quam hic Auctor se inuenisse profitetur. Displicet primò, quia exemplum, 31
quod affert de cognitione chimeræ, in quo totaliter fundatur, si rectè applicetur, est contra ipsum eiusque doctrinam falsam esse demonstrat, quod sic ostendo: si per impossibile chymera ex possibili existere pro statu obiectiuo euaderet impossibilis existere pro eodem statu: vtique cognitio ipsius suam realem possibilitatem amitteret, & redderetur impossibilis ad existendum à parte rei; ergo à pari si effectus causæ efficientis ex possibili existere pro statu reali euaderet impossibilis existere pro eodem statu, causa quoque efficiens illius suam realem possibilitatem amitteret, & euaderet impossibilis. Auctoris deceptio consistit in eo, quod secundùm eandem rationem putat respici chymeram à sui cognitione, ac effectus à sua causa, quod tamen falsum esse patet; nam chymera respicitur à cognitione, vt possibilis existere pro statu obiectio, vnde etiam si concideretur transire ex statu impossibilitatis realis ad statum realis possibilitatis: dummodo suam possibilitatem ad obiectiuè existendum retineret, eius cognitio adhuc remaneret possibilis. Contra verò si hanc minimè retinerer, quamuis in sua implicantia perduraret. At verò effectus respicitur à sua causa efficiente, vt possibilis existere pro statu reali. Vnde etiam si intelligatur amittere possibilitatem ad existendum pro statu obiectiuo, & impossibilitatem acquirere pro dicto statu: dummodo remaneret possibilis pro statu reali, eius causa non euaderet implicatoria, sed realitatem suam conseruaret.

Eadem Ouiedi doctrina displicet secundò, quãtum ad principale dictum, quia de ratione omnis 32
relationis realis, siue prædicamentalis sit, siue transcendentalis est connecti cum termino suo sumpto secundùm eam rationem, secundùm quã ab illa respicitur, vt inductione patet: nam relatio prædicamentalis paternitatis respicit filium in ratione geniti, & ideò si implicaret homo in ratione geniti, implicaret ipsa paternitas. Item relatio transcendentalis vnionis substantialis respicit materiam, & formam in ratione vnibiliũ: & ideò si per impossibile implicarent materia, & forma in ratione vnibilis: implicaret ipsa vnio, quę essentialiter dictam relationem importat. Relatio denique transcendentalis, qua subsistentia refertur ad substantiam respicit substantiam in ratione potentis per se subsistere; vnde si per impossibile implicaret, quod substantia posset per se subsistere, implicaret quoque propter eandem rationem ipsa subsistentia; & ratio ni fallor hoc euidenter suadet. Qui enim fieri potest, vt relatio aliqua sine suo termino formaliter remaneat, aut intelligatur: quin duo contradictoria de ea verificarentur, essescilicet, & non esse relationem. Esse quidem, vt supponitur, non esse verò quatenus est formalissimè ordo, & habitudo quædam ad aliud, secundùm quod certam, ac determinatam rationem includit, qua iam carere concipitur. Et hoc est, quod dixit Hurtadus *disp.* 10. *metaph. sect.* 9. §. 101. ex sententia P. Vasquez, nimirum omnem relationem transcendentalem respicere terminum non implicantem sub

ea

ea ratione, sub qua est terminus. Quod quidem dictum etiam de illa relatione transcendentali verificari puto, quam habet cognitio, quę enunciat chymeram implicare contradictionem, ad ipsam chymeram. Ea enim licet respiciat chymeram, vt implicantem existere à parte rei, respicit tamen illam vt possibilem existere obiectiuè, quam possibilitatem si amitteret, quamuis possibilitatem ad existendum realiter intelligeretur acquirere: esset vtique causa, vt illa cognitio implicaret. Ex quo discursu liquet, quod hoc ipso, quod virtus causæ efficientis refertur transcendentaliter ad effectum suum sumptum in ratione possibilis ad existendum à parte rei ex hypothesi, quod hic impossibilis redderetur: euaderet quoque impossibilis ipsa virtus, & per consequens causa, cui identificatur.

33 Neque dicas cum Ouiedo nos in præsenti controuersia docuisse illam rem esse connexam cum alia, quæ non potest existere sine possibilitate illius ad realiter existendum. Hoc enim diximus: quia loquebamur in subiecta materia de causa, & effectu reali. Cęterùm si loqui voluerimus de ipsa connexione, vt sic in tota sua amplitudine considerata, pro vt scilicet, ad res positiuas, & negatiuas reales, & fictitias se extendit, rectè dixerimus: id esse connexum cum alio, quo repugnante secundùm eam rationem, secundùm quam est terminus connexionis, ipsum quoque implicet necesse est.

Neque iterum addas cum eodem: his nostris circuitionibus non euitari relationem realem posse terminari ad non ens reale, quod ipse intendebat; nam hoc ideo verificatur in relatione cognitionis chymerę, quia vti sæpè dixi, respicit illam, vt possibilem existere obiectiuè. Quoniam verò relatio causæ respicit effectum suum, vt possibilem existere realiter, hinc est, vt non possit hęc relatio ad illud terminari, si impossibilitatem supponatur habere.

34 Porrò soliditas huius nostri discursus comprobatur suffragijs omnium illorum, qui agentes de hac controuersia pro eodē vsurpant causam creatam transcedentaliter referri, vel non referri ad effectum suum: ac esse, vel non esse cum ipso cōnexum, vt videre est apud Arriagam, Ripaldam, Lynceum, & alios ab eis citatos.

Quod certè minimè fecissent, nisi existimassent, non solùm omnem connexionem essentialem cum alio relationem transcendentalem ad illud inuoluere: sed etiam vice uersa omnem relationem transcendentalem connectere essentialiter id, cuius est relatio ad terminum, ad quem illud ordinat, sumptum secundùm eam rationem, secundùm quàm à se respicitur.

SECTIO TERTIA

Connexio causæ efficientis increatæ cum creaturis efficaciter suadetur.

35 TRibus argumentis præcedenti Sectione probauimus causam efficientem creatam esse cū suo effectu connexam: & tribus alijs in præsenti conabimur ostendere Creatorem etiam cum sua creatura connecti, quorum primum ducetur ex connexione, quam habet creatura cum illo. Secundum ex eiusdem creaturæ possibilitate. Tertium denique ex relatione transcendentali, quam ipse dicit ad creaturas suas, quæ proprijs Subsectionibus intercludo.

SVBSECTIO PRIMA.

Affertur primum argumentum ex connexione creaturæ cum Creatore desumptum.

CReatura cum Creatoris sui possibilitate connectitur, ita vt si per impossibile illa implicaret, ea quoque euaderet implicatoria; ergo etiam Creator connectitur essentialiter cum possibilitate suæ creaturæ. Scio argumentum non concludere vi formæ; nam sicuti dari possunt relationes non mutuæ siue prædicamentales sint, siue transcendentales, ita & nō mutuæ connexiones. Sed mihi satis est, vt concludat ratione materiæ, quod vt euincam, incipiam ab eius antecedente, cuius veritas licet communiter admittatur, non est tamen adeò perspicua, vt de ea aliqui non dubitauerint; inter quos fuit Basilius Legionēsis *in quodlib. quæst. 7. Scholast. cap. 5. & sect. 5.* qui expresè docuit, si per impossibile repugnaret Deus, creaturas non fore per locum intrinsecum repugnantes; quam sententiam alij, aliquātulum restringentes, dixerunt eam verificari solùm de illis creaturis, quæ non per se ipsas immediate, sed per actionem distinctam pēdent à Deo, quatenus inter eas, & Deum ipsum aliquid intercedit, nempè actio. Iam verò Ouiedus contra vtrosque in hunc ferè modum probat nostrum antecedens. Implicat creaturam existere independenter à Creatore; ergo essentialiter cum eius possibilitate connectitur, ita vt eo per impossibile implicante, ipsa quoque implicet, necesse sit. Antecedens est certum. Consequentiam suadet: quia omne positiuum habet essentialem connexionem cum eo, sine quo implicat existere posse; sed nihil positiuum potest habere connexionem cum aliquo non possibili; ergo si implicat creaturam existere sine Creatore, essētialiter cum eius possibilitate connectitur, nec ab huiusmodi connexione per hoc, quod pendeat ab eo media actione distincta liberabitur; siquidem huiusmodi actio non minuit necessitatem, quam habet Creatoris ad hoc vt existat.

Verùm hæc probatio nisi aliunde ex nostris principijs fulciatur, claudicare videtur. Posset enim aliquis ad principale enthymema respondere: negando consequentiam, & ad eius probationem concessa maiore, negare minorem, ac dicere, quod quemadmodum cognitio, & amor entis rationis connectuntur essentialiter cum ipso ente rationis, quod est impossibile: ita facta illa hypothesi, quod Deus implicaret, creatura adhuc connecteretur essentialiter cum ipso Deo. Sicuti enim ipse Ouiedus asserit, quod si per impossibile euaderet chymera possibilis, adhuc cognitio de eius impossibilitate perduraret; ita posset ad eius probationem dici, quod si per impossibile Deus euaderet, chymericus, creatura adhuc possibilis permaneret. Vt igitur Aduersarijs hoc effugium occludatur: sic probationem componerem. Impli-

Digitized by Google

plicat creaturam existere sine Deo; ergo cum illo connectitur. Hoc enthymema debet esse certũ apud omnes, præsertim suppositâ nostra doctrina, qua probauimus omnem relationem transcendẽtalem dici ad connertentiam cum connexione. Quemadmodum enim ex essentiali Dei indigentia, quam habet creatura ad existendum euincitur, eam transcendentaliter referri ad Deum, ita etiã cum illo connecti.

38 Pergo igitur reliqua: Hæc connexio creaturæ cum Deo debet formaliter ad illum terminari, vt ad possibilem; ergo creatura cum eius possibilitate connectitur: ita ut, si per impossibile Deus implicaret, ipsa quoq; creatura esset implicans. Cõsequẽtia claret. Antecedens probatur supponẽdo obiter prius, quod quamuis possibilitas, & põtentia productiua in creatis aliquo modo ab eorum existentia distinguatur: in Deo tamen sunt formalissimè idem: quia non est excogitabilis in eo essentia, seu virtus productiua, quæ cum indifferentia ad existendum, & non existendum concipi possit; sed per ipsammet existentiam exercitam reddi debet eius essentia formaliter possibilis, & potens producere creaturas; quo posito sic arguo: Connexio creaturę cum Deo fundatur in indigentia, quam creatura habet illius ad existendum; sed creatura indiget Deo ad existendum, vt in genere causæ efficientis physicè recipiat ab illo esse, quod ad se habere minimè potest; ergo creaturæ connexio cum Deo fundatur in potentia, quã habet Deus ad dandum illi esse in genere causæ efficientis; cum igitur hæc potentia determinatè possibilitatem sibi vendicet, nec possit concipi indifferens ad essendum possibilis, vel impossibilis, manifestè deducitur creaturam cum Creatoris possibilitate esse connexam.

39 Probato principali antecedente; probo nunc consequentiam: non minus imperfectio creaturę requirit essentialiter principium ex suis intrinsecis potens dare illi esse defectibile, quam perfectio Creatoris principiatum ex suis intrinsecis potens recipere idem esse; ergo si creatura ex eõ, quod propter suam imperfectionem requirit essentialiter Deum ex suis intrinsecis potentem dare illi esse defectibile, cum eius possibilitate connectitur: etiam Deus ex eo, quod propter suã perfectionem requirit essentialiter creaturas potentes esse defectibile recipere, cum earum possibilitate erit connexus. Consequentia videtur certa. Antecedens verò probatur: quia non debet esse potentior in creatura inclinatio ad recipiendum esse, quam sit in Deo inclinatio ad dandum illi esse: alioquin Deus, & creatura non sibi inuicem correspondérent in ratione potẽtis dare, & recipere esse; nec Deus esset natura sua adeò propensus ad benefaciẽdum, sicuti est creatura ad benè se habendum; quod summæ bonitati, qua maior excogitari non potest, repugnare videtur; ergo si inclinatio, quam habet creatura ad recipiendũ esse, requirit essentialiter Creatorẽ ex suis intrinsecis potentem dare illi esse: etiam inclinatio, quam habet Creator ad dandum illi esse, requiret essentialiter creaturam ex suis intrinsecis potentẽ recipere huiusmodi esse. Hoc n. ipso quod inclinatio Creatoris nõ requireret essentialiter creaturam ex suis intrinsecis potentẽ: rectè colligitur, quod licèt quantum est de se, esset absoluta: attamen non esset tanta, vt inferret absolutam possibilitatem creaturę. Atqui inclinatio creaturæ tanta est, vt inferat absolutam possibilitatem Creatoris. Iam igitur potentior esset inclinatio creaturæ ad recipiendũ esse à Creatore, quam inclinatio Dei ad dandum illi esse, & sic nõ sibi inuicẽ cũ proportione debita correspõderẽt, & minus inclinaret Deus ad dandum nobis esse, quam nos ad illud recipiendum.

Dicet primo: non dari propriè in essentia creaturæ inclinationem ad existendum: siquidem omnis inclinatio debet respicere terminum distinctũ. Existentia autem supponitur communiter esse indistincta ab essentia. Contra tamen est: quia vt pręteream sententiam admittentium inter essentiam, & existentiam distinctionem ex natura rei; 40
tollo à rebus ipsis verborum tumultum, supponendo duplicem possibilitatem in creatura considerari posse; vnam intrinsecam, quæ consistit in non repugnantia ad existendum: extrinsecam alteram, quæ est denominatio extrinseca à Dei omnipotentia proueniẽs, & intrinsecæ correspondẽs. Deinde loco illarum inclinationum has possibilitates in argumẽto constituo sic: non debet esse potentior possibilitas intrinseca creaturæ, quam extrinseca, sed intrinseca sibi vendicat essentialiter Creatorem ex suis intrinsecis potentem dare esse ipsi creaturæ; ergo etiam extrinseca requiret essentialiter ex suis intrinsecis creaturam potentem recipere esse à Creatore; & ad maiorẽ probandã summã Dei inclinationem ad benefaciendum assumo ex maxima eius bonitate, ac beneficentia procedentem, vt paulò ante notabam.

Dicos secundò disparitatem, cur creatura cum Dei possibilitate connectatur, non verò Deus cũ possibilitate creaturę, esse posse: quia creatura sine connexione cum Deo non potest intelligi potens recipere existentiam, & multò minus existere: at verò Deus optimè sine connexione cum creatura intelligi potest existens;

Verùm hæc disparitas nulla est: nam sicuti creatura sine connexione cum Deo dicis, 41
quod non potest intelligi potens existere: sic dicam ego, quod neq; Deus sine connexione cum creatura possit intelligi potens eam causare: & quia potentia ad causandum est identificata ipsi Deo, eodem modo non poterit Deus sine dicta connexione intelligi potens existere: quia nequit aliquid idẽtificatum indiuisibilitèr cum alio deficere, absq; eo quod deficiat illud aliud. Scio Aduersarios ad hoc respondere negando paritatem, ac dicendo, quod licet Omnipotentia Dei sit ex suis intrinsecis virtus adæquatissimè productiua creaturarum, est tamen, quatenus eas importat cõditionalis, id est põsito, quod illæ non repugnent. Quare denominatio, quam Deus habet omnipotentis, id est potentis omnia, est per eos partim intrinseca, dicens suam vim productiuam: partim extrinseca importans possibilitatem omnium creaturarum, non quidem tamquam constitutiuã ipsius omnipotentiæ, sed veluti conditionem, sine qua Deus non intelligetur vndequaque absolutè potens illas producere.

Sed contra hanc responsionem vrget paritas 42
desumpta ex creatis, quæ in hunc fere modum

Digitized by Google

creaturæ potest. Posse existere in creaturis non importat potentiam quamdam siue physicam, siue logicam conditionalem, quæ dicat solùm capacitatem ad existendum, quantum est ex parte illarum, quomodo non habeatur repugnantia ex parte causæ, neque esse rem creatam absolutè potentè existere, est determinatio partim intrinseca, & partim extrinseca, dicens in recto intrinsecam capacitatem recipiendi existentiam, & in obliquo virtutem in causa illam sibi communicandi, alioquin creatura non haberet essentialem connexionem cum non repugnantia Creatoris; sed siue ipse esset possibilis, siue impossibilis ea minimè repugnaret; ergo neque posse dare existentiã creaturis importabit virtutem conditionalem ex parte Dei, quę non transeat ad absolutam, nisi per denominationem extrinsecam ex creaturarum possibilitate desumptam. Vnde liquet, quod si dicta responsio Aduersariorum consisteret, omnis prorsus essentialis connexio tolleretur; De quacumque enim re quantumuis maximè connexa cum altera dici posset eam requirere possibilitatem alterius ad hoc, vt in actu secundo exerceat munus illud, cuius virtutem sine vlla connexione habet secum identificatam. Ad eum planè modum, quo dicit Oniedus *num. 190. puncti* 4. essentialem esse Deo virtutem producendi ad extra, quidquid est producibile, non tamen esse illi essentiale, quod detur aliquid, quod ab eo producibile sit. Ne igitur omnem penitus connexionem excludamus, abstinere à dicta responsione debemus.

44 Ad principale argumentum dicet denique aliquis tertiò: paritatem ex connexione, quam creatura dicit cum Deo ad euincẽdam connexionem Dei cum creatura, vanam esse, eo quod omnis connexio redoleat imperfectionem: vnde neque ex eo, quod Deus non connectitur cum creaturis, possumus inferre, quod creaturæ non connectantur cũ Deo, neq; ex eo, quod hæ connectantur cũ illo, quod ille vicissim cum eis cõnecti debeat.

Sed contra est: quia licet aliquæ connexiones, 45 imperfectionẽ importent, vt illa, qua vnio cõnectitur cum extremis, & illa, qua actio nectitur cum principio, & termino suo, & illa, qua materia, & forma inuicem connectuntur &c. aliæ tamen sunt, quę potius perfectionem importent; huiusmodi est illa, qua virtus causatiua in genere efficientis cum effectus sui possibilitate connectitur; illum siquidem essentialiter exigit possibilem, quatenus eum sibi subiectum, & indigum sui influxus ad existendum necessariò exposcit; cæterùm connexionem vt sic non inuoluere de suo conceptu imperfectionem, patet ex eo, quia Pater in diuinis cum Filij possibilitate connectitur: siquidem ex hypothesi impossibili, quod Verbum implicaret, Pater Æternus non posset existere. Idem dicendum de Filio respectu Patris, & de qualibet Persona diuina respectu alterius Personæ; omnes enim tres sunt inuicem connexæ, & tamen connexio aliquam imperfectionem importaret ea vtique à diuinitate ableganda esset. Nec dicat aliquis hoc ideo esse, quia diuinæ Personæ habent eandem omnino naturã, at Deus, & creatura habent naturas diuersas; & quidem ita vt natura creaturæ sit multò imperfe- 46 rior diuina. Vnde est, quod si Deus cũ ea cõnecte-

retur, aliquid imperfectionis hauriret ex illa; ne id dicat, inquam; quandiu enim Deus cum ea connectitur, vt essentialiter eius fœcunditate indigente, & suum esse non aliunde, quam ab eius liberalitate expectante, non solùm imperfectionẽ vllam ex ea non attrahit, sed maximam perfectionẽ per ordinem ad eius miserias subleuandas manifestat.

SVBSECTIO SECVNDA.

Exponitur secundum argumentum ductum ex possibilitate creaturarum.

CReaturæ possibilitas est à Deo tamquã à prima radice, & principio perfectissimo omnis esse non solùm existentis, sed etiam possibilis; ergo Deus cum creaturæ possibilitate connectitur. Antecedens patet ex Augustino *tom. 1. lib. de vera Religione cap.* 18. vbi sic: Itaque omne, quod est, inquantum est, & omne, quod non dum est, in quantum esse potest, ex Deo habet: quid clarius; nec ad id probandum deest ratio: nam possibilitas creaturæ, qualiscumque ea sit, implicat, quod sit à se; ergo est à Deo: & quidem ita sentiunt meliores Theologi, quos sequuntur Thomistæ cum P. Vasquez *prima parte disp.* 104. *cap.* 6. Consequentia igitur, in qua videtur esse difficultas euincitur: Deus non est principium liberum possibilitatis creaturæ, quasi verò eo volente creatura sit possibilis, eoque nolente impossibilis: sed est *principium* necessarium, ita vt illo posito, non possit ex eo creaturę possibilitas non dimanare; ergo sicuti posita possibilitate Creatoris, tamquam per locum intrinsecum creaturæ possibilitas à priori colligi debet, ita & posita impossibilitate creaturæ tamquam per locum intrinsecum à posteriori colligetur Creatoris impossibilitas; ita vt sicuti valet hæc consequentia: Deus non repugnat existere; ergo neque creatura: sic valet hęc alia; creatura repugnat existere; ergo & Deus. Cum igitur in hoc, quod vnum repugnet, repugnante altero appareat euidenter connexio vnius cum altero, rectè deducitur ex eo, quod creaturæ possibilitas sit à Deo, eum esse cum illa connexum. Vlterius id, quod dicimus in hunc ferè modum confirmatur: hoc ipso quod creatura, vt possibilis est à Deo, iam supponit Deum vt sui principium, à quo suã possibilitatem recipiat, sed non supponit illum vt principium sui conditionatum, quasi verò quantum est de se, possit dare sibi possibilitatem, posito, quod ipsa non repugnet; nam in ordine ad existendũ, nõ repugnantia cũ possibilitate cõnectitur; pro eodẽ siquidẽ accipitur aliquid nõ repugnare ad existendum, ac posse existere; quare si creatura supponeret Deum conditionatè potentẽ, sicuti haberet à se non repugnantiã, ita etiã possibilitatẽ, quod est contra assũptũ in antecedente. Dicendũ igitur est, quod creatura supponat Deũ tãquã principiũ suę possibilitatis absolutũ, ita vt ad illam sibi communicandam non expectet tamquã conditionẽ, non repugnantiã ex parte ipsius creaturæ. Sed principũ, quod est huiusmodi cõnectitur cũ suo principiato, quatenus ex sua essẽtia talitatem habet illud possibilitatem, & hõ aliunde expectat posse absolutè id præstare; ergo &c.

Di-

47 Diuersas responsiones ad soluendum hoc enthymema Aduersarij excogitarunt, quarum nonnullæ ad labefactandum eius antecedens: nonnullæ verò ad eius consequentiam infirmandam tendũt. Eas nos oportet sigillatim expendere, vt earum improbabilitate constita, soliditas huius secundæ rationis magis eluceſcat; & quidem triplici ratione ad negandum antecedens procedunt.

Prima quidem est eorum, qui dicunt possibilitatem non esse determinationem intrinsecam creaturis, sed extrinsecam à sola Dei Omnipotẽtia sibi prouenientem. Quare concesso antecedente, negant consequentiam, eo quod connexio est inter ea, quæ inuicem ex naturâ rei distinguuntur: cuiusmodi non sunt Omnipotentia, & possibilitas. Quoniam verò probatio consequentiæ, & confirmatio supponunt distinctionem inter vtramque, ideò nihil concludunt.

Verùm huius responsionis fundamentum falsum omnino esse suaderi potest ex eo: quia possibilitas creaturæ propriam habet cognoscibilitatem sibi identificatam; atqui eius cognoscibilitas distinguitur ex natura rei à Deo; ergo & possibilitas. Maior patet: quia quidquid est, eo modo, quo est cognoscibile est; & quidem cognoscibilitate propria: quia cognoscibilitas est proprietas entis. Minor verò probatur: nam si cognoscibilitas possibilitatis creaturæ esset idem cum Deo, non posset creatura vt possibilis clarè cognosci naturaliter, nec supernaturaliter à quolibet intellectu creato comprehendi; Siquidem ad eius cognitionem claram necessarium esset Deum clarè cognoscere, & ad eius comprehensionem illum comprehendere; sed hoc est euidenter falsũ; scimus enim Angelos possibilitatem multarum creaturarum naturalitèr clarè cognoscere, & comprehendere; ergo &c. Secunda ratio est eorum, quod idem antecedens negant, eo quod putent possibilitatem rei creatæ nondum existentis verè non esse, sicuti non est existentia ipsa, quæ ei identificatur: atque adeò propriè res creatas non habere ab æterno possibilitatem suam, licèt ab æterno denominentur possibiles. Sic ad probationem antecedentis aiunt possibilitatem creaturæ, cum verè non sit, neque à Deo esse, neque à se ipsa. Item neque esse dependentem, neque independentem, &c. quia hæ denominationes cadunt solùm super ea, quæ habent esse, cuiusmodi non est mera possibilitas. Quod si D. Augustinus dixit, quod nõ est, in quantum esse potest, à Deo habere, intelligendum esse quo ad denominationem, non quo ad realitatem.

48 Sed contra hanc rationem est, primò: quia multi sunt, qui rebus merè possibilibus ab æterno, negant quidem actualitatem existentiæ, sed actualitatem essentiæ largiuntur: hi autem hac responsione minimè vti possunt. Contra secundò: quia quando in præsenti quæstione quæritur, num Deus cum creaturæ possibilitate connectatur: nomine possibilitatis non venit illa, quæ concipitur in rebus merè possibilibus, & sub negatione existentiæ constitutis: sed venit non implicãtia contradictionis ad existendũ. Quidquid sit, nũ huiusmodi non implicantia sit ex parte obiecti, idem cum earum existentia, siue non; vt patet ex Deo, quem licèt sentiamus includere essentialiter existentiam: quærimus tamen, num res creatę cum eius possibilitate connectantur. Quamuis igitur dicamus possibilitatem rei creatę non dum existentis verè non esse, eo quod ab eius existentia non distinguitur; adhuc sicuti quæstio habet locum, ita, & argumentum. Nam quemadmodum adhuc possumus inquirere, an Deus connectatur cum existentia creaturæ, v. g. Antichristi, antequam sit à parte rei, ita vt ea implicante implicet ipse Deus: sic, & in controuersiam adducere possumus, vnde habeat huiusmodi existentia, quod non implicet, à se: an verò dependenter à Deo? & quidquid de illa dicitur, de possibilitate Antichristi dictum intelligetur.

Contrà denique est tertiò, & argumentor ad hominem contra Ouiedum, cuius est hæc responsio: ipse *num. 3. sect. 5.* vult possibilitatem actionis connecti cum possibilitate principij, à quo existente dependet, & *numero 4.* ait: possibilitatem illorum effectuum, qui existere nequeunt, adhuc de potẽtia absoluta sine aliquo determinato principio, esse essentialiter connecti cum illo principio; ergo quamuis res possibilis verè non sit, potest intelligi esse terminus connexionis. Quod si ipse dicat: ex hoc sequi, quod Deus deberet esse cum existentia creaturæ connexus, quatenus in hac via essentia non distinguitur ab existentia. 49

Contra est quartò: quia existentia potest sumi dupliciter, physicè, & obiectiuè. Quamuis autẽ verum sit Deum non esse cum existentia creaturæ physicè accepta connexus: dici potest, quod sit connexus cum ea obiectiuè sumpta. Propter quam distinctionem, quamuis res existens, & possibilis eadem sit: Deus cognoscit illam, etiam si numquam physicè extitura sit.

Tertia denique ratio ad negandum supradictum antecedens est eorum, qui censent res non habere ab alio intrinsecam non repugnantiam ad existẽdum, sed à se ipsis habere, quod non repugnent existere ab alio. Quemadmodum enim, inquiunt, homo ex se habet, quod sit animal rationale: ita ex se habet, quod sit possibilis, & non implicans contradictionem. Quare ad priorem probationem antecedentis ductam ex Diuo Augustino, aiunt, quod non dum est, in quantum esse potest, à Deo habere terminatiuè, quatenus ab eo existentiam expectat, non verò formaliter, de quo procedit quæstio: quia posse esse, hoc est posse recipere existentiam, habet ex suis intrinsecis independenter à Deo. 50

Ad posteriorem verò probationem negant antecedens. Dicunt enim licèt implicet, quod aliquid creatum sit à se secundùm esse existentiale, non tamẽ secundum esse essentiale. Nec mirùm: quia esse essentiale quatenus ab existentia distinguitur, non est propriè, & strictè esse; Sicuti est existentiale; vnde fit, vt quandiù saluatur, nullam rem creatam posse existere ex se, sed omnem necessariò, posito quod existit, habere existentiam dependenter à Deo; rectè sustinetur illud principium, quod creatura non sit à se, sed à Deo: quia esse absolutè prolatum pro existentiali, & non pro merè essentiali usurpatur.

Sed neque huic responsioni debent politiores Philosophi acquiescere; nam quamuis esse essentiæ sit esse secundùm quid, & improprium; existen- 51

stentiæ verò proprium, & simpliciter : tamen hoc ipso, quod asseritur creaturam esse essentiæ, ex se habere, & non à Deo, aliquid diuinæ perfectioni derogatur, quod omnibus cauendum est. Nulli enim dubium esse debet nobilius esse illud principium, à quo tum esse secúdùm quid essentiæ, tũ esse simpliciter existentiæ procedit, quàm illud, à quo solùm esse simpliciter existentię. Quare ne dicere cogamur Deum non esse principium omnis entis ita perfectum, vt non possit aliud perfectius illo excogitari: debemus omninò ab hac responsione abstinere, & asserere, quod omnis creatura non solùm secundùm esse existentiæ, sed etiam secundùm esse essentię sit à Deo per hoc, quod participationem quandam licèt imperfectam diuinæ essentiæ habeat, quantum ad hoc; quod sicuti Deus non repugnat existere, ita neque ipsa creatura, & si per impossibile repugnaret existere Deus, ipsam quoque repugnare necesse foret. Quomodo autem id, quod non existit, pendere possit à Deo, dicemus Deo fauente loco suo. Nunc solùm notamus paritatem ex homine desumptam nullam esse: dupliciter enim potest intelligi hominem ex se esse animal rationale: primò, ita, vt non habeat suam essentiam à Deo. Secundò ita vt quod hæc sit eius essentia, videlicet animal rationale, & non alia, habeat à se, & non à Deo. Primo modo intellecta, falsa est propositio, vt patet ex dictis: secundo verò modo vera: quia homo & animal rationale, sunt omnino idem ex parte obiecti, & differunt solùm secundùm conceptum nostrum implicitum, & explicitum; vnde idem valet hominem ex se esse animal rationale, ac conceptum implicitum, quem de homine formamus, non habere aliunde, sed ex se, quod importet ex parte obiecti id, quod explicatur à nobis per conceptum explicitũ animalis rationalis, quod est verissimum: quia definitum independenter à quocumque alio est formalissimè idem cum definitione, atque adeò ex se habet, quod sit sua definitio, cum quo stat, quod hæc duo, quæ ex parte obiecti sunt formalissimæ vnum, sint à Deo.

52 Atque hæc quantum ad stabiliendum antecedés principalis enthymematis contra Neotericos. Quantum verò ad eius consequentiam respondet Lynceus *lib. 4. physicorum tract. 2. cap. 6.* concesso antecedente, eam negando. Quamuis enim existimet possibilitatem creaturarum esse à Deo: negat tamen mordicus Deum cum illa cõnecti. Ad eius verò probationem deductam ex ratione principij necessarij, vel liberi duplicem dat solutionem.

Prior, quam tradit *n.* 45. est, quod possibilitas creaturarum sit quidem à Deo tamquam à principio, attamen nec libero, nec necessario, sed ab vtroque præscindente. Rationem huius assignat: quia ideo principium existentiæ debet habere alterutrum: quia ante existentiam producendam creaturæ possibilitas necessariò præsupponitur, vel cum determinatione ad existendum, vel cum indeterminatione: & quidem si primo modo principium erit necessarium: si verò secundo modo, non item, sed ad possibilitatem non præcedit alia possibilitas, quę necessitatem, vel libertatem in principio exigat, alioquin in possibilitatibus daretur processus in infinitum; vnde est, quod possibilitas sit à Deo tamquam à principio ab vtroque præscindente.

Verùm hæc solutio non procedit; nam inter principium liberum, & necessarium non potest dari medium, nisi per intellectum præscindentem ad eum planè modum, quo inter animal rationale, & irrationale animal vt sic. Siquidem à parte rei, quodlibet principium necessariò alterutram rationem habere debet. Nam vel principiat cum prædominio ponendi, & non ponendi influxum suum, vel sine prædominio: & quidem si primum dicatur, principium erit liberũ: si verò secundum, erit necessarium. Nec ratio in contrarium aliquid euincit: nam licèt ad principiandam rem creatam in ratione existentis præsupponi debeat formalis essentię eius possibilitas modo dicto, & ad principiandam essentiam non prærequiratur alia possibilitas formalis essentiæ eiusdẽ: ne detur processus in infinitum: prærequiritur tamen possibilitas causalis, nimirum Diuina Essentia facúda ad tribuendum esse participatum aliis à se. Sicuti igitur existentia creata non aliam existentiam, sed solam possibilitatem intrinsecã præexigit: ita possibilitas intrinseca non aliam intrinsecam, sed solam extrinsecam sibi vendicat: de qua procedit argumentum, num necessariò, an verò liberè det illi esse. 53

Animaduertit, vt opinor ingeniosus Pater datã solutionem non satisfacere: quare ad aliam digreditur *d. num. 46.* in qua concedit possibilitatem creaturarum oriri à Deo, tamquam à principio necessario: sed negat de ratione principij necessarij esse, vt connectatur essentialiter cum suo effectu, seu quasi effectu: à difficultate autem, quæ *in contrarium prima fronte* se se offert ex notione *principij necessarij depromptam triplicem* tentat viam, vt se tueatur; quocumque tamen ierit, eum sequi lubet: *facilis enim est defensio eius, qui latibulis occultorum locorum* se ab hoste tegit. Prima via, quam init, est quod licèt principium necessarium, quod se ipso est determinatum ad dandum esse effectui, sit cum illo connexum: non tamẽ illud, quod aliunde postulat determinari, vt patet ex habitu charitatis, qui licèt vt principium necessarium ad Dei amorem concurrat: quia tamẽ in operando subordinatur voluntati, in qua est, minimè cum illo connectitur. Quoniam verò Deus ita est principium necessarium possibilitatis creaturæ, vt ad eam inferendam ab ipsa eiusdem possibilitate determinetur; hinc fit, vt non connectatur cum illa. 54

Hæc via nihil habet securitatis; Falsum enim est primò id, quod in ea assumitur pro maiore, nimirum principium necessarium, quod aliunde postulat vltimò determinari, non esse cum suo principiato connexum; & falsitatem euincit exẽplum de habitu Charitatis, quod pro se adducit Auctor; ille enim quamuis determinationem ad operandum à voluntate, cui subordinatur, expectet; at est determinatus ex suis intrinsecis ad actum amoris, ita vt non habeat vim concurrendi ad actum odij: ex eo autem, quod ad actu influendum in amoris actum determinationem voluntatis expectet, solùm sequitur eum esse essentialiter inconnexum cum existentia actus, quod non est contra nos, qui connexionem Dei cum creaturarum essentia: non verò cum earum existentia propugnamus. Deinde dato, maiorem 55

illam

illam ab Aduerſario aſsumpeam veram eſse loquendo de principio quod expectat determinari ab alio comprincipio: at ſi à ſuo principiato determinationem expectet, eſt euidèter falſum, quatenus eſt de ſubiecto non ſupponente: per hoc n. cauſa libera primo diſtinguitur à neceſsaria, quod antecedenter ad ſuum actum ſit indifferens ad illum ponendum, & non ponendum, & hanc indifferentiam nonniſi per præſentiam eiuſdé actus amittat, quod non habet cauſa neceſsaria, quæ eſsentialiter habet, vt antecedenter ad poſitionē ſui actus ad eum ponendum determinata ſit. Quoniam verò in minore Auctor dicit Deum ita eſse principium poſsibilitatis creaturæ, vt ad eam inferendam ab ipſa poſsibilitate determinetur: manifeſtè deducitur eum duo contradictoria de Deo affirmare, dum ſimul illum eſse principium neceſsrium, & liberum eiuſdem poſsibilitatis enunciat: neceſsarium quidem: quia id expreſsè concedit, liberum verò: quia à dicta poſsibilitate ad eam principiandam determinari fatetur.

56 Secunda via, quam init *numer.* 47. ſic procedit: Quoties principium eſt neceſsarium, principiatum debet pro aliquo ſigno intelligi, ita determinatum ad eſse, vt diuinitus quidem poſsit non eſse: & quia huiuſmodi determinationem habere non poteſt exiſtentia creata ex meritis proprijs, vtpote contingens; hinc eſt, vt expectet illam à connexione præuia ſui principij; vnde fit, vt principium neceſsarium creaturæ exiſtentis ſit cum illa connexum. At verò eſsentia creata ex meritis, & prædicatis ſuis eſsentialibus eſt determinata, vt ſit à Deo: ita vt implicet contradictionem non eſse ab illo; ergo non indiget connexione ex parte Dei, vt determinationem ad eſsendum ab illo ſortiatur, & ſic Deus ab huiuſmodi connexione remanet immunis.

57 Hæc etiam via fallax eſt, ac offendiculis plena. Falſum enim eſt primò, principium neceſsarium requirere principiatū ita determinatum ad eſse exiſtentiale, vt ne diuinitus quidē poſsit non eſse. Nam ſol eſt principium neceſsarium lucis, ſicuti ignis caloris: & tamen neque lux, neque calor ſunt ità determinata ad eſse à parte rei, vt implicet contradictionem non eſse. Quod ſi dicat ſe loqui de eſse eſsentiæ principiati, falſum eſt ſecundò: quia eſse eſsentiæ lucis non eſt ex ſe contingens, neque contingenter à propria cauſa dependens; ergo exigit habere cauſam ſuā inconnexam, ſicuti poſsibilitas creaturæ Creatorem, quod non admittit. Quod ſi addat loqui ſe de eſse exiſtentiæ, ſed in ordine ad cauſam neceſsariam adæquatam, falſum eſt tertiò: quia cauſa neceſsaria adæquata luminis à Sole procedentis includit causam primam, ſed huiuſmodi cauſa adæquata non connectitur cum lumine connexione ſe tenente ex parte Solis, vt vidimus; ergo ſe tenente ex parte Dei, quod negat Auctor.

58 Denique falſum eſt: ex eo, quod poſsibilitas creaturæ ſit ex meritis ſuis determinata, à Deo procedere, ita vt implicet non procedere ab illo: rectè deduci, quod Deus non ſit cum illa connexus. Nam Filius in diuinis eſt ſummè determinatus ex proprijs meritis; vt ſit a Patre, ita vt implicet non eſse ab illo, & tamen Pater eſt cum illo connexus; non quidem connexione eſſentiali, quia vna eſt eſſentia vtriuſque, ſed perſonali, ita vt ſi per impoſsibile non eſſet perſona Filij in Deo; implicaret perſona Patris. Quantumuis igitur poſsibilitas creaturæ ſit vndequaque determinata, vt ſit à Deo: ex hoc tamen non rectè deducitur Deum non eſse cum illa connexum. Et ratio à priori huius eſt: quia connexio, vel inconnexio principij cum principiato non ſumitur ex determinatione, vel indeterminatione, quam habet principiatum, vt ſit ab illo; ſiquidem hæc euincit ſolùm connexionem, vel inconnexionem principiati cum ſuo principio; ſed ſumi debet ex determinatione, vel indeterminatione ipſius principij; ſi enim hoc eſt ita determinatum, vt ſi per impoſsibile implicaret principiatum, ipſum quoque implicaret, conſtat habere cum eo connexionem. Contra verò ſi non eſſet ita determinatum, rectè deducitur eſse inconnexum cum illo.

Tertia denique via defendendi Deum eſse cauſam neceſſariam poſsibilitatis creaturæ; ſed inconnexam, ſic procedit: dupliciter poteſt intelligi Deum eſse cum dicta poſsibilitate connexum, primò poſitiuè, ita ut ex ſuis intrinſecis petat eſsentialiter eam dari: ſecundò negatiuè in quantum in priori ſigno ad poſsibilitatem nihil intelligi poſsit, quod illam impedire valeat, ne ab ipſo procedat, ſed ad ſaluandum Deum eſse cauſam neceſſariam poſsibilitatis, ſufficit negatiua connexio, ergo non eſt neceſsaria poſitiua, de qua præſens quæſtio procedit. Minorem, in qua eſt difficultas probat paritate: ſic ſaluatur in Deo impotentia antecedens non exiſtendi per hoc, quod nihil ante eum poteſt eſse, quod facere poſsit, ne ille exiſtat, & non requiritur quod aliquid poſitiuè ſit ante illum, quod eum ad exiſtendum neceſsitet; ergo à pari poterit ſaluari neceſsitas dandi eſse poſsibile creaturis per hoc, quod ſit negatiuè cum illis connexus. 59

Verùm neque in hac via habetur aliquid ſolidi, in quo tuto pedem quis figere poſsit. Dico enim connexionem negatiuam Dei cum poſsibilitate creaturæ neceſsariò in poſitiua connexione fundari; niſi enim Deus ex ſuis intrinſecis poſitiuè peteret, vt poſsibilitas creaturæ à ſe dimanaret, non eſſet, cur ipſe pro ſua libertate eam impedire non poſſet; alioquin ſi negatiua connexio ſine poſitiua intelligi poſſet, omnis poſitiua connexio exterminanda eſſet, cum omnis per negatiuam ſaluari poſſet. Vnde dicendum poſsibilitatem creaturæ, quamuis neceſsariò ſit à Deo: non tamen eſse cum illo poſitiuè connexam, ſed negatiuè ſolùm, ac proinde creaturam non referri tranſcendentaliter ad Creatorem, quo nihil eſt abſurdius. Ad probationem deſumptam ex impotentia antecedenti negatiua, quam habet Deus ad non exiſtendum; neganda eſt paritas. Diſparitas lata eſt: quia cum Deus ſit primum ens, nihil poſitiuum intelligi poteſt ante illum, quod eum neceſsitet ad exiſtendum. At cum eadem ratione primi entis, rectè poteſt Deus intelligi, quod ex ſuis intrinſecis cum poſsibilitate creaturarum connectatur. Quamuis enim hæc cōnexio dicatur antecedens: eius tamen antecedentia non eſt ſumenda per ordinem ad ipſum Deū: quaſi verò ipſe deberet eſse poſterior connexione, ſed per ordinem ad creaturam, quatenus eius 60

poſ-

sibilitatem Dei connexio inferre debet, quod nihil continet absurdi: Contra verò antecedentia, quam includit impotentia antecedens positiua ad existendum deberet esse per ordinem ad ipsum Deum, quatenus ei necessitatē afferret ad existendum; quod absurdissimum est, & Deo indignum.

61 His Lyncei responsionibus ad principale argumentum expensis, remanet examinandum id, quod ad eius confirmationem, quam adduximus, soluendam, affert *n.* 44. negat enim creaturam ita esse à Deo, vt supponat illum, vt sui principium potens in aliquo priori dare sibi possibilitatem: quia inquit Deum posse producere creaturam, & hanc posse ab eo produci, vtpote correlatiua, sunt simul, quemadmodum simul sunt intellectum cognoscere obiectum, & obiectum esse cognitum ab intellectu. Quod si non videtur negandum cognitum oriri ab intellectu præcisè considerato, & non vt cognoscente ita debet concedi, quod possibilitas creaturæ sit à Deo sumpto secundùm se, & instar entis absolutissimi, & inconnexi.

62 Sed facili negotio falsitas huius solutionis euincitur: ex eo enim, quod correlatiua sint simul tempore natura, & cognitione, vt loquitur Aristoteles, non tollitur: quin vnum possit esse prius origine alio, vt patet ex Diuinis Personis, quas Fide constat esse inter se correlatiuas, & tamen omnes ferè Theologi concedūt Patrem esse priorem origine Filio, & Patrem, & Filium Spiritu Sancto; ergo à fortiori, quamuis Deus, & possibilitas creaturę dicant ad inuicem relationem transcendentalem: hinc tamen non fit Deum non esse priorem à quo possibilitate ipsa. Per quod patet ad paritatem ab intellectu cognoscente obiectum, & obiecto cognito desumptam; Intellectus enim cognoscens obiectum iam dicit se ipsū, quod est principium potens in aliquo priori producere cognitionem ipsius obiecti. Vnde licèt si sumatur formaliter vt cogeoscens, non sit prior obiecto cognito; falsum tamen est si sumatur, vt cognitionis principium. Quoniam verò cognitio in casu nostro possibilitati creaturæ correspondet, beneficio cuius & Deus constituitur completè potens creare ipsam creaturam, & creatura potens ab eo creari: sicuti beneficio cognitionis intellectus redditur cognoscens, & obiectum cognitum: hinc fit vt paritas contra Auctorem, qui eam pro se adducit, conuertatur. Neque valet dicere, quod in eo priori Deus instar entis absolutissimi concipiatur; vrget enim ratio in contrarium: nam in eo priori intelligitur, vt principium potens dare creaturæ possibilitatem; sed non vt principium conditionatum, neq; liberum, vti vidimus, ergo vt absolutum, & necessarium, atqui principium, quod est huiusmodi, connectitur cum eo, quod ab illo procedit; ergo &c.

63 E contrario posset aliquis contra eandem nostram confirmationem sic instare: hoc ipso, quod Deus debet ad possibilitatem creaturarum aliqua ratione præsupponi, potius deducitur, quod non sit, cum illa connexus; ergo confirmatio nulla est. Antecedens probatur: si enim esset connexus, esset ab illa principiatus: nam Creatura possibilis esset id, vnde Deus est, & cognoscitur. Porrò hoc est definitio principij; ergo &c.

Sed facilis est etiam responsio ad hanc instantiam; nego enim antecedens cum sua probatione; & ad eius confirmationem data maiore, ad minorem dico, principium non esse id, vnde quomodocumque aliquid est, aut cognoscitur, sed id primum. Cum autem possibilitas creaturæ à fœcunditate diuinæ Essentiæ procedat, non competit illi esse id primum, vnde Deus sit, & cognoscatur. Sed è contra: quia valet à priori quantum ad esse: ideò creatura est possibilis, quia Deus est: non autem è contra, & sic potius Deus est eius principium, quamuis cum eius possibilitate connexus.

SVBSECTIO TERTIA.

Exponitur tertium argumentum erutum ex connexione Creatoris cum suis creaturis.

64

DEus refertur ad creaturas suas transcendentaliter; ergo cum earum possibilitate connectitur. Posset alicui hoc enthymema, saltem in subiecta materia vitiosum videri, quatenus ex antecedente minus probabili consequentiam probabiliorem infert. Siquidem nonnulli ex his, qui connexionem Dei cum creaturis nobiscum propugnant, expresè negant eum transcendentaliter ad illas referri. Inter quos est Suarez *disp. 47. metaph. sect. 3. num. 6. & sect. 15. num. 15.* quin imo *prima parte lib. 3. cap. 9.* rationem huius rei affert: quod enim, inquit, transcendentaliter refertur ad aliud, debet illud respicere tamquam finem suum: Atqui Deus secundùm sua essentialia est vltimus finis omnium creaturarum, & nullam creaturam respicit, vt finem suum; ergo implicat eum transcendentaliter referri ad creaturas, quamuis connectatur cum illis. Aliam rationem eiusdem dicti assignat Fasolus *prima parte quæst. 12. art. 8. dubit. 12. num. 68.* quæ sic procedit: Relatio transcendentalis respicit terminum, vt suum perfectiuū. sed Omnipotentia non perficitur ex possibilitate, vel productione creaturę. Quamuis igitur connectatur cū ea: minimè tamē refertur transcendē-taliter ad illam. Verùm hi Auctores singulares sūt in hac materia; cæteri enim communiter docent ordinem transcendentalem dici ad conuertentiam cum connexione ad terminum dicti ordinis: ita vt quod transcendentaliter refertur ad aliud cum eo connectatur, & vice versa: quod cum alio connectitur, transcendeutaliter referatur ad illud; nec rationes in contrarium habent aliquid roboris. Nego enim Suario terminum relationis transcendentalis debere se habere vt causam finalem eius, quod refertur ad illum. Quod auctoritate eiusdem Suarij euinco, qui *disp. 46. metaph. sect. 3. nu. 9.* expresè asserit respectum transcē-dentalem respicere aliud tamquam subiectum, vel obiectum, vel agens, vel finem. Quod etiam docent Conimbricenses *in Logicis cap. 9. de relatione quæst. 1. art. 2. & 3.* cum Caietano *de ente, & essentia cap. 7. quæst. 15.* qui transcendentalem relationem explicarēt per habitudinem, siue causæ, siue obiecti, siue alterius cuiusuis muneris quantumlibet perfectissimi, quod circa terminum exerceatur; & quidem nos scimus formam substan-

Digitized by Google

substantialem referri transcendentaliter ad materiam, ignem ad calorem, aquam ad frigus, &c. & nihilominus hæc non respicere illa tamquam fines suos. Eodem modo nego Fasolo relationē transcendentalem respicere aliud, vt suum perfectiuum; nam materia prima se habet ad formam vt perfectibilis ad perfectiuum, & tamen forma transcendentaliter refertur ad illam. Præterea, nullus ex illis effectibus, qui per actionem penitus transeuntem à suis causis necessarijs efficientibus producuntur, est suæ causæ perfectiuus: & tamen terminat relationem transcendentalem illius, vti vidimus. Neque dicas, quod licèt huiusmodi effectus non perficiant causam suam efficientem intrinsecè: sunt tamen aliqua perfectio illius extrinseca. Nè id dicas inquam: quia vt benè aduertit P. Ouiedus *puncto 6. num. 3.* Hoc ipsum possemus dicere de creaturis comparatis cum Deo. Sicuti enim sunt bonum aliquid extrinsecum illius, ita & aliqualis eius perfectio extrinseca: atque adeò non esse negandum Deo respectum transcendentalem ad illas. ex quibus remanet nostrum enthymema vindicatum à calūnia illa, quod ex antecedente minus probabili magis probabilem consequentiam colligat.

65 Ad illud verò suadendum non multum operis in probanda consequentia insumendum est; constat enim ex his, quæ diximus in tertia probatione præcedentis sectionis; vbi vidimus, ex eo, quod causa efficiens creata transcendentaliter ad suum effectum refertur, benè deduci cum eius possibilitate connecti, & facilè ex ibi dictis suaderi potest, nā implicat haberi respectū realē sine suo termino secundùm eā rationē accepto, secundū quā respicitur. Sed hoc ipso, quod Creator transcēdētaliter refertur ad creaturas possibiles, respicit illas secundū eā rationē secūdū quā sunt possibiles; ergo implicat haberi Creatorem sine possibilitate creaturarum. Atqui quod ita se habet, vt implicet sine alterius possibilitate existere, cōnectitur cum illo. Si igitur Deus transcendentaliter refertur ad creaturas tectè deducitur, quod cum earum possibilitate connectatur. Confirmatur ex communi sensu Scholasticorum, qui relationem transcendentalem cum intrinseca connexione confundant, vt videre est apud Ripaldam *tom. 1. de ente supernaturali disp. 32. sect. 1. num. 2.* vbi ait: hunc esse communem loquendi morem, & apud Lynceum *lib. 4. physic. tract. 2.* qui *à cap. 3. vsque ad vndecimum.* perpetuo pro eodem vsurpat hæc duo; à quo dicendi modo licet abhorreat Ouiedus *puncto 6. num. 1.* appellans illum vulgarem: tamen volens nolens peiorem notam inussit suæ sententiæ, qua negat hæc duo ad conuertentiam dici, dum eam omni penitus Doctorum suffragio destitutam esse fatetur.

66 Sic enthymematis nostri consequentia declarata, pergo ad probationem antecedentis, quam nulla ratione melius concludendam existimo, quā paritate desumpta ex causis creatis: si enim hæ transcendentaliter ad suos peculiares effectus referuntur, vt loco citato demonstrauimus, multò magis Deus ad possibilitatem omnis rei creatę. Quando quidem ipse est prima origo, & veluti fons, ac scaturigo totius esse illarum, quod non habet vlla causa creata respectu esse sui effectus.

Aliunde verò hæc relatio, sicuti ponitur à nobis in Deo, non modo non dicit imperfectionē, imò maximam illi perfectionem affert. Quatenus per eam constituitur ex suis intrinsecis obligatus ad possibilitatem creaturis submiistrādam, & ad habendas illas necessariò quantum ad esse essentię dependentes; ita, vt si id non præstaret, eius essentia intelligeretur deficere. Quod non potest non arguere summam perfectionem in Deo: & quidem multò maiorem illa, quam diceret, si eius essentia nullam obligationem haberet ad reddendas possibiles creaturas, sed solùm ad influendum in illas: posito quod vellet vt existerent. Cęterùm siue essent possibiles, siue non, nihil penitus ad eam pertinerent.

Quiedus *puncto 6. controu. 10.* quamuis §. *primo.* 67 concedat causis creatis transcendentalem relationē ad suos effectus possibiles: illam tamen §. 2. negat Deo propter absurdum, quod aliter sequeretur: quia (inquit) si concedamus Omnipotentiam referri transcendentaliter ad creaturas possibiles, cum quibus nullam habet connexionem, eodem modo concedendum est transcendentaliter referri ad Hircoceruum, & aliam quamcumque chymeram, eo quod eas virtualiter continet, non minus quam creaturas possibiles. Vnde si desinerens implicare, non esset, cur eas producere non posset. Quasi verò quid maius sit asserere Deum referri ad Hircoceruum, aliasque chymeras, quam illas in sua Omnipotentia virtualiter continere, & habere defacto virtutem quantum est de se illas producendi, ita vt si per eas non deesset, nil prohiberet, quin ad actum secundum venire posset. Non est ergo, cur adeò ingentibus conscientię stimulis agatur ad negandum illi transcendentalē ordinem etiam ad chymeras. Rationem assignat: quia ex huiusmodi relatione (inquit) sequeretur, quod omnipotentia intuitiuè cognita deberet determinare ad apprehensionem omnis chymeræ excogitabilis, cum non sit maior ratio de vno ente rationis, quam de omnibus alijs, quod inauditum paradoxum est. Contra: ex eo, quod virtualiter omnis chymera in diuina Omnipotentia continetur, non sequitur per eum hoc absurdum; ergo neque ex eo, quod respectum transcendentalem Omnipotentię terminet. Non enim videtur plus iuris acquirere posse chymeras, vt per cognitionem intuitiuam Dei cognoscantur ex eo, quod respectum Diuinæ Omnipotentiæ terminent, quod non habeant ex eo, quod in ipsa diuina Omnipotentia virtualiter contineantur.

Deinde si inde negat Auctor Omnipotentiam 68 transcendentaliter referri ad creaturas possibiles, ne cogatur concedere eam pariter in præsenti referri ad omnes chymeras excogitabiles: debet consequenter negare causis creatis transcendentalem ordinem ad suos effectus possibiles, eo quod militet pro illis par ratio, quod sic euincerem: in etātum Deus ex suppositione, quod transcēdentaliter referretur ad creaturas possibiles, quatenus eas contineret: deberet etiam referri ad chymeras impossibiles, eo quod illas virtualiter continet non minus, quam creaturas possibiles. Atqui etiā causæ creatę innumeras chymeras in sua virtute continent, non minus, quā suos reales effectus, ita ut si per eas non deesset aliquas ex eis de fa-

cto aliquando produuntur; ergo ne dicamus causas creatas transcendentaliter ad suos effectus chymericos referri, deberemus illis negare huiusmodi respectum ad effectus reales. Maior huius argumenti Auctoris doctrinam fidelissimè continet, vt videre est loco citato. Minor verò suadetur, & quidem, quod possint de possibili patet ex his, quæ idem Oviedus docet *puncto 4. eiusdem controuersiæ num.* 17. vbi expressè concedit id, quod dixit de Dei Omnipotentia, quo ad modũ continendi effectus, qui de facto repugnant, posse reperiri in causis creatis, quæ ex se possint habere virtutem producendi effectus, qui de facto implicant: quod verò ita de facto eas constitutas esse necessarium sit asserere (quod ipse negat) probatur: quia ad producendum Hircocerum, neque maior, neque diuersa virtus requiritur, quam ea, quæ de facto habetur in Hirco, & Cerua. Quemadmodum enim si Agnus de facto esset impossibilis, virtus, quam de facto habent aries, & ouis sufficeret quantum est de se ad generandum illum. Ita si per impossibile Hircocerius implicantiam exuenedo redderetur possibilis: non posset assignari, cur ab Hirco, & Cerua simul coeuntibus generari non posset. Idem dicam de similibus entibus rationis v. g. de Hircocane, de Hircoleone, &c. Causæ igitur creatæ multa entia rationis fictitia in sua virtute continent ex suppositione, quod causa increata continet omnia.

69 Sic probata minore argumenti rectè deducitur consequentia. Vel igitur vtrique causæ tum increatæ, tum creatæ, concedendus est respectus transcendentalis ad chymeras, vel vtrique negandus. Sed vtrumuis dicatur, cessat ratio, cur non debeat Deus referri transcendentaliter ad creaturas possibiles ab Auctore allata; ergo nulla est. Verùm ad hoc dici posset non esse absurdum causas creatas transcendentaliter ad suos effectus chymericos referri, sicuti est, quod causa increata referatur ad suos: ratio discriminis posset esse: quia ex relatione causæ increatę ad chymeras sequeretur, quod Deus non posset suam omnipotẽtiam comprehendere absque eo quod quamcumque excogitabilem chymeram secundùm suam vltimam indiuiduationem distinctè cognoscetet, & sic nobilissimum obiectum, qualis est omnipotentia necessitaret intellectum diuinum ad cognitionem obiectorum adeò abominabilium, & horribilium, vt nihil absurdius illis excogitari possit. Atqui asserere, quod causæ creatæ inducant Deum ad cognitionem chymerarum suarum non vergit in earum prejudicium, vtpotè quæ sunt in se creaturæ, vt nullius æstimabilitatis, si cum diuina Omnipotentia conferantur. *Ex* quo videtur rectè rationi conformius asserere, quod Deus chymerarum suarum cognitionem ex creaturis accipiat, quam quod ex sua essẽtia.

70 Verùm effugium hoc non habet soliditatem: si enim non dedecet diuinam scientiam cognitio chymerarum, multò minus dedecebit diuinam naturam earum repræsentatio; nam cognitio diuina illas attingit etiam, prout implicantiam contradictionis inuoluunt. At verò essentia diuina si ad eas transcendentaliter refertur, non nisi quatenus intelligitur spoliatæ iã implicantia, ratione cuius possibilis participare. Vnde apparet, quòd illas intellectui diuino repræsentat, per prius eadem pulchritudinis specie eas decorat, qua cæteræ creaturæ insignitæ sunt. Nulla igitur est ratio à posteriori, quam affert Oviedus, ob quam negemus omnipotentię respectum transcendentalẽ ad creaturas, ne scilicet cogamur consequenter asserere, eam etiam sic respicere chymeras: non enim respicit illas, nisi ex suppositione, quod ex statu impossibilitatis transirent ad statum possibilitatis, atque adeò falsum esset, quod in præsentia illas respiceret, eodemque modo discurrendum est de continentia *virtuali*, qua eas continere dicitur, vt clarius *paulò inferius* explicabimus.

Aliam rationem cur neget Deo respectum 71
transcendentalem ad creaturas *n.* 13. Oviedus à priori assignat, quæ est huiusmodi. Omnipotentia hoc ipso, quod est virtus infinita, est potens ex suis intrinsecis producere quidquid non implicat; ergo ad hoc, vt Deus cognoscat id, quod nos cognoscimus per hunc conceptum, (Omnipotentia habet de se vim producendi hominem, & chymeram, & de facto illas poterit absolutè producere, nisi intrinsecam implicantiam imbibant) sufficit comprehendere per simplicissimum conceptum absque vllo termino infinitatem ipsius Omnipotentiæ. Porrò ex hac ratione postea *n.* 14. assignat discrimen, cur virtus productiua creata referatur transcendenetaliter ad suos effectus; non verò diuina ad creaturas possibiles: quia inquit, virtus creata, vtpote finita certos, & determinatos effectus *in se continet*; & ita *speciali* modo se habet ad *illos*, quomodo non se habet ad alios, quæ *specialis habitudo cognosci nequit*, nõ cognitis effectibus, *ad quos terminatur*, at omnipotentia, vtpote *infinita*, nullam *specialem* habitudinem dicit ad aliquem effectum, sed æquè est potens ad omnes siue possibiles sint, siue impossibiles; ergo Omnipotentia nullum dicit respectũ ad effectus, quos in se continet, propter hunc nobilissimum, & vniuersalissimum modum illos continendi nulla habita ratione ad peculiares eorum naturas.

Verùm hęc ratio non maiorem efficacitatem 72
habere videtur, quam præcedens. Concesso enim eius antecedente, quod scilicet diuina Pótentia sit absolutissimè infinita: nego consequentiam, videlicet eam comprehendi posse à Deo absque eo quod respectum aliquem ad vllum terminum in ea concipiat. Implicat enim concipere vim creatiuam sine aliquo respectu ad creaturam, sicuti implicat concipere Patrem sine ordine ad Filiũ. Solùm enim discrimen inter hęc duo est, quod vis creatiua necessariò possibilitatem in creatura requirit: at verò Pater in Filio, etiam existentiã. Quod adeò verum est, vt etiam illi, qui negant in Deo huiusmodi transcendentales ordines ad creaturas, dicant eum non posse se cognoscere nõ modo, vt omnipotentem, sed neque iustum, aut misericordem, aut liberalem, aut veracem, aut liberum &c. absque eo quod cum aliquo ordine ad creaturas se intelligat, licèt velint huiusmodi ordinem se tenere ex parte solius intellectus diuini, & esse relationem secundùm dici, non verò secundũ esse. Quidquid tandem sit de veritate huius secundi dicti, ea tamen omnino protestati

Quie-

Digitized by Google

Quieda concedenti Deum posse suam omnipotentiam comprehendere absq; eo quod aliquid aliud extra illam per cognitionem suam attingat. Quod vlterius falsum esse indubitanter apparet ex eo: quia, etiam si verum esset omnipotentiam non habere respectum transcēdentalem ad creaturas per hoc præcisè, quod eas virtualiter contineat, sicuti Auctor nobis concedit: sequitur per locū intrinsecum, quod Deus, dum ipsam omnipotentiam comprehendit, illas secundùm vltimam individuationem cognoscere debeat. Nam perfecta comprehensio importat, vt cognitio adæquet amplitudinem obiecti cogniti, ita vt nil ex eis, quæ ad ipsum pertinent, lateat cognoscentem, de quo non possit ipse reddere rationem; sed Deus perfectissimè suam omnipotentiam comprehendit; ergo debet eius amplitudinem necessariò adæquare, ita vt ad omnia ea per cognitionem suam distinctè pertingat, in quibus illa se exercere potest; aliàs dari posset cognitio omnipotentiæ perfectior ea, quam habet Deus, illa videlicet, quę omnes effectus virtute in ea contentos perfectè cognosceret, quo nil absurdius. Malè igitur ex infinitate Omnipotentiæ colligit Auctor eam posse comprehēdi sine cognitione eorum, quæ virtualiter continet. Ex his ita discussis manifestè deducitur nullā esse disparitatem ab eodem assignatam, cur potentia productiua increata non referatur transcendēntaliter ad suos effectus, creata verò referatur ad suos; æquè enim ad hoc, vt vtraque comprehendatur, est necessaria cognitio illorum effectuum, quos virtualiter in se continet; vnde fit, vt sicuti ex necessitate, quam inducit comprehensio causæ creatæ ad cognitionem suorum effectuum rectè colligitur, eam dicere relationem transcendentalē ad illos, ita etiam ex necesitate, quam inducit comprehensio omnipotentiæ ad cognoscendos suos effectus, debet quoque inferri, quod transcentaliter referatur ad illos.

73 Dicet Aduersarius suam disparitatem non fundari immediatè in necesitate, quam comprehensio causæ creatæ habet, vt cognoscat effectus illius, & in carentia similis necesitatis, qua comprehensio diuinæ Omnipotentiæ gaudet, sed in determinatione effectuum, quos in se virtus creata continet, ratione cuius dicit specialem habitudinem ad illos; & in vniuersalitate effectuum, quos in se continet omnipotentia, ratione cuius cum æquè sit potens ad omnes, siue possibiles sint, siue impossibiles: non est cur ad eos specialem habitudinem dicat. Quidquid, tandem sit, quod inde sequatur, non posse haberi comprehensionem causæ creatæ absque cognitione suorum effectuum: posse verò haberi comprehensionem Dei absque cognitione suorum.

74 Verùm cōtra hanc disparitatem etiam hoc modo propositam vrgeo: quia si semel habemus, quod virtualis continentia secundùm se considerata non infert in continente relationem transcendentalem ad effectum contentum, neque debet eam inferre ex eo, quod sit certorum, ac determinatorum effectuum, qualis est illa, quæ est propria causæ creatæ; ergo vel neutra, vel vtraque referri debet transcendentaliter ad effectus suos. Antecedens in quo est difficultas, sic probarem: nam specialis modus se habendi causæ creatæ ad certos, & determinatos effectus, & non alios saluari rectè potest absque eo, quod referatur ad illos per hoc præcisè, quod illos in sua virtute contineret, & non alios; ergo si virtualis continentia secundùm se spectata non infert in continente respectum transcendentalem ad contentum, neque eam inferet virtualis continentia certorum, ac determinatorum effectuum in causa creata. Quod si dicat sine hac speciali habitudine cognosci non posse hanc specialem continentiam; Contra est secundò: quia sine vniuersali habitudine cognosci per eum potest vniuersalis continentia, qua causa increata continet omnes suos effectus; ergo sine speciali habitudine cognosci etiam poterit specialis continentia, qua causa creata suos determinatos includit. Consequentia probatur: quia si qua esset disparitas, maximè quia sufficienter penetraretur vniuersalis continentia hoc ipso, quod intelligeretur productiua, quantum est de se omnium effectuum sub conceptu confuso, & vniuersalissimo acceptorum; sed hæc ratio nulla est: quia Deus non apprehendit obiecta confuso modo, sed vnū quodque sub conceptu summè determinato. Neq; dici potest hoc prouenire ex merito cognoscentis, non verò obiecti cogniti: quia Deus non comprehendit perfectiori cognitione suam omnipotentiam, quam ipsa exigat comprehendi, sed vis cognoscitiua Dei adæquat cognoscibilitatem illius. Alioquin non sibi mutuo corresponderent, dum minus perfectè exigeret diuina Omnipotentia cognosci à Deo, quam defacto cognosceretur ab illo, quod manifestè repugnat.

Quod si denique dicat vniuersalem continentiā 75
comprehendi posse sine vlla prorsus cognitione terminorum contentorum, neque distincta, neque confusa: contra est tertiò: quia idem ego dicam de speciali, quod scilicet absque eo, quod cognoscantur vllo modo eius termini, comprehendi possit. Nā quemadmodum illa sufficienter penetratur per hoc, quod cognoscatur esse infinita, ita hæc per hoc, quod esse finita. Quamuis enim finitas sit omnibus causis creatis communis, cum hoc tamen stat, quod quælibet suam habeat specialem in suis prædicatis quidditatiuis imbibitam, ex quibus omnibus remanet probatum antecedens nostri principalis enthymematis, quod scilicet Deus ad creaturas possibiles transcendentaliter referatur, quod mihi probandum erat.

SECTIO QVARTA

Afferuntur, & soluuntur obiecta contra connexionem causæ efficientis cum suo effectu.

OBijcies primò: Causa efficiens in actu primo constituitur, vt talis per actionem possibilem; ergo non connectitur cum suo effectu. Cōsequentia patet; quia hoc ipso, quod in actu primo per actionem possibilem constituitur, tota ratio connexionis rectè refundi potest in ipsam actionem; ita ut ea circumscripta, entitas causæ omnino absoluta remaneat. Antecedens verò probatur: quia id, quo existente, res aliqua constituitur in ratione existentis, vt possibile debet illam constituere in ratione possibilitatis. Sed actio existens constituit causam in actu secundo 76

Digitized by Google

formaliter causantem : ergo actio vt possibilis constituit illam in actu primo, vt potentè causare.

77 Hæc obiectio æquiuocationibus scatet, ac tenebris: ad eam tamen clarè, & dispositè Respondeo, distinguendo antecedens: causa efficiens cõstituitur in actu primo physico per actionem possibilem, nego: constituitur in actu primo metaphysico, subdistinguo: & siquidem consideretur, vt operans, concedo: si verò secundùm se, nego antecedens, & consequentiam. Explico distinctionem: Actus primus duplex est, metaphysicus, & physicus, metaphysicus est possibilitas rei, & correspondet illi tamquam actus secundus propria existentia. Physicus, de quo propriè procedit controuersia, est virtus operatiua physici effectus, & correspondet illi tamquam actus secundus ipse effectus à parte rei vnde est, vt actus primus metaphysicus conueniat cuicunque enti existere potenti, siue causa sit, siue effectus. Physicus verò nonnisi causæ physicæ: quia verò repugnat, quod virtus causatiua constituatur per suũ effectum siue actualẽ, siue possibilem: hinc est, vt etiam repugnet, quod constituatur per actionem, quamuis possibilem, per quam in illum influit; nam vtriusque debet esse essentialiter productiua, & sic secundùm se considerata ad vtrumque præintelligi debet. Rectè igitur negatum est antecedens loquẽdo de actu primo physico, quod causa in dicto actu per actionem possibilem constituatur: quamuis enim eius via essentialiter illam respiciat tamquam terminum: falsum tamen est, quod intrinsecè illam includat. Verùm quia actus primus metaphysicus rei possibilitatem significat secundùm diuersas possibilitates ad existendum, quibus causa efficiens intelligi potest possibilis: diuersos actus primos metaphysicos habere potest. Porrò dupliciter, quod facit ad rem nostram, causa efficiens intelligi potest possibilis. Primò secundùm se: secundo in ratione operantis: & primo quidem modo considerata non includit actionem possibilem; secundo verò eam includit, vt de se patet; vnde elucet veritas nostræ subdistinctionis, qua negamus causam in actu primo metaphysico secundùm se sumptam constitui per actionem possibilem, & id concessimus, si ea sumatur in ratione operantis. Elucet etiam falsitas probationis consequentiæ Aduersariorum: cum enim neque in actu primo physico, neque in actu primo metaphysico causa secundùm se considerata possibilitatem actionis includat, sed solùm vt possibiliter operans, rectè deducitur eam esse ex suis intrinsecis transcendentaliter respectiuam, atque adeò cum sui effectus possibilitate connexam.

78 Ad probationem verò antecedentis, quam Arriaga sibi obiecerat *num.* 8, & in responsione *sub num.* 15. intactam reliquit. Respondeo concessa maiore; sed noto, quod, cum in ea agatur de re sumpta in ratione possibilis; & existentis, patet, quod sit sermo de actu primo, & secundo metaphysico tantùm; si enim sermo esset etiam de physico, ita vt nomine rei sumptæ in ratione existentis, veniret quoque causa actu causans: sumptæ verò in ratione possibilis causa potens causare: dicta maior esset omnino falsa; nã causa actu causans constituitur per operationem suam, quæ cum habeat distinctam essentiam, & entitatem ab ipsa causa potente causare, implicat, quod eam in ratione potentis constituere valeat. Sic explicata maiore, distinguo minorẽ: sed actio existens constituit causam in actu secũdo formaliter causantẽ: & siquidẽ sermo sit de causa in actu secũdo physico, cõcedo; sed non connectit cum maiore, in qua agebatur de solo actu metaphysico; si verò de causa in actu secundo metaphysico subdistinguo: ita ut hic actus secundus correspondeat actui primo metaphysico, seu quod idem est, possibilitati causæ sumptæ in ratione operantis, concedo: sumptę secundùm se, nego minorem: quia licet causa vt operans possibiliter possibilitatem sui, sequę operationis includat: at causa secundùm se possibilis non constituitur intrinsecè, nisi per propriã possibilitatem, cuius actus est propria existentia & non existentia operationis. Ex quibus omnibus manifestè deducitur falsitas consequentiæ, quæ concludebatur, quod actio vt possibilis constituat causam in actu primo potentem causare. Causa enim vt potens causare est causa secundùm se, siue demum physicè, siue metaphysicè consideretur: sic autem constituitur per entitatem, seu possibilitatem propriam, non verò per possibilitatem suæ actionis, nisi terminatiuè, & extrinsecè, vt dictum est.

Obijcies secundò ex Ouiedo *puncto 4. ad nu. 5.* si causa connecteretur cum possibilitate effectus, sequeretur, quod dependeret ab illa; sed hoc est impossibile; ergo &c. Sequela probatur, causa cum effectu connexa sine effectus possibilitate euadit impossibilis; ergo maximè dependet ab illa. Minor verò suadetur: quia effectus vt possibilis quãdiù non existit, nil physicum importat actu existẽs in rerum natura; et çquè non est, ac chymera, quæ intrinsecè repugnat; sed nihil ab eo, quod non est, dependere potest; ergo impossibile est, quod causa existens à sui effectus possibilitate dependeat. 79

Respondeo negando sequelam eo quod dependentia causalitatem essentialiter importat; vnde nihil potest dependere ab illo, quod non se habeat per modum actus primi ad existentiam sui. Causa autem connectitur cum possibilitate effectus, tamquã cum aliquo posteriori se: & quidem non existente, quomodo ergo potest dici, quod dependeat ab illa. Hoc autem, quod asserimus eo certius tenendum est, quo expressius affirmatur ab ipsomet Ouiedo *numero* 12. vbi quærens an omnipotentia cum effectus possibilitate connexa dicenda esset ab illa pendere? negatiuè respondet propter rationem modo insinuatam à nobis. Iam verò ad antecedentis probationem, concesso antecedente, nego consequentiam; stat enim quod aliquid sine possibilitate alterius non possit esse, & tamen quod non pendeat ab illo, si nimirum sit tantæ perfectionis, atque nobilitatis, vt ex suis intrinsecis exigat necessariò habere aliud, cui dare possit esse. Tunc enim illa impotentia, quam habet ad existendum, sine possibilitate illius maximã potentiam, atq; perfectionẽ in eo arguit; vt patet in Deo, qui ideò sine creaturæ possibilitate existere nequit: quia est essentialiter fons fœcundissimus: ex quo possibilitas aliorum entium procedere debet; ita vt hoc ipso, quod non procederet, argueretur ne-

cessa-

Digitized by Google

necessariò deficientia in ipso fonte, quatenus non esset tantæ efficacitatis, & tantæ bonitatis, vt sibi prouidere posset de creaturis, quibus diuitias suæ imitabilitatis, & participationis communicare valeret.

80 Instabis primò ex Lynceo 4 *physic. tract. 2. cap. 3.* datur dependentia à posteriori, qua causæ quædam dicuntur à suis effectibus dependere, vt Sol à luce, aqua ab humiditate, ignis à calore, &c. Sed hæc dependentia non est, quia huiusmodi causæ emendicent esse à suis effectibus, vt patet: quia potius illis esse largiuntur; ergo præcisè quia sine illis esse non possunt. Hoc igitur ipso, quod Deus sine creaturis possibilibus non poterit esse, proculdubio pendebit ab illis. Respondeo, quod quoties causa aliqua à suo effectu pendet à posteriori: signum est, quod aliquid emolumenti ex eius existentia reportet: quia nimirum aliàs eam Deus non conseruaret, ne extsteret otiosa & sic moraliter in cõseruari penderet ab illo. Cæterùm si merè ex propria perfectione requireret connaturaliter effectum actu à se dependentem, sicuti diximus, quod requirat essentialiter illum possibilem, abuteremur vocabulis affirmando eam dependere à suo effectu, nisi illa particula (à posteriori) esset destructiua dependentiæ, & solam connexionem naturalem importaret.

Instabis secundò: Si causa cum effectus possibilitate connecteretur, sequeretur, quod illam exigeret; sed omnis exigentia fundatur in limitatione perfectionis intrinsecę; ergo saltem causa increata vtpote illimitatę perfectionis non connectitur cum possibilitate creaturarum.

81 Respondeo, distinguendo sequelam: exigeret possibilitatem ratione iuris, quod habet in illa: concedo: ratione indigentiæ, qua ea indigeret, nego; & sic distinguo minorem: omnis exigentia per modum indigentiæ fundatur in limitatione perfectionis intrinsecæ, concedo: per modum iuris, nego minorem, & consequentiam. Dico enim, quod causa effectiua exigit possibilitatem effectus ratione iuris, quod habet ad habendum illum à se dependentem. Porrò hæc exigentia nullam, quantum est de se, arguit imperfectionem in ipsa causa: quia non est per modum indigentiæ: cuius rei euidens signum est, quod non requirit effectum existentem, sed tantùm possibilẽ; hoc est capacé recipere existentiam ab ipsa causa.

82 Sed contra hoc instabis tertiò ex eodem Ouiedo *num. 6.* causa non connectitur cum existentia effectus; ergo neque cum eius possibilitate. Antecedens patet: quia causa potest existere non existente effectu. Cõsequentia suadetur: siquidem possibilitas, & existentia sunt omnino idem; ergo si causa non connectitur cum existentia effectus, neque cum eius possibilitate connectitur.

Respondeo primo: falsitatem huius augmenti constare ex paritate actus Fidei, sic: Constat actũ fidei, quem ego modo elicio de mysterio Trinitatis v. g. connecti secundùm sua essentialia cum reuelatione, qua Christus Dominus hoc mysteriũ reuelauit. Si enim hæc non præcessisset, hic actus fidei nullus esset; & tamen reuelatio modo non existit, sed extitit; quemadmodum ergo id, quod est actu, potest connecti cum eo, quod non est, sed fuit, ita poterit cum eo, quod non est, sed esset: quia id, quod fuit, & non est, tam non est: quàm si nunquam fuisset, nec futurum esset. Scio Ouiedum *num. 8.* tentasse hanc connexionem, quam habet actus fidei cum reuelatione præterita, refundere in Deum non volentem auxilio speciali ad actum fidei requisito concurrere ad eum actum fidei, qui non sit intrinsecè verus, eo quod indecens esset Deo huiusmodi concursus; sed egregius Doctor pedem retraxit ab hac solutione ingenuè confitendo huiusmodi rationem sibi satis firmam non esse; & meritò, nã sic actus fidei solùm ab extrinseco non poset cum reuelatione existimata coniũgi. Cæterùm ex suis intrinsecis non haberet cum ea repugnantiam, quod nullus doctus Theologus admittet: sic ostẽsi fallacia instantiæ.

Respondeo ad illam directè secundo: concesso 83
antecedente, negando consequentiam; ad rationem autem in contrarium dico: satis esse probabilem sententiam eorum, qui putant possibilitatem rei ab eius existentia plus quam ratione distingui, vt nos in metaphysicis, Deo fauente dicemus, sed eorum identitate in præsentiarum permissa, nego quod si causa non connectitur cum existentia effectus, neque cum possibilitate connectatur; quãuis enim possibilitas sit eadem cum existentia: at non eodem modo sonat: nam existentia dicit physicum esse rei: Possibilitas verò ipsummet esse non physicè acceptum, sed obiectiuè: quia verò ad exercendam rationem termini, sufficit quod ipsa existentia, quamuis physicè non sit, possit tamen esse; eo quod requiritur solùm, vt obiectum, ad terminandum, videlicet, respectum, qui est ad illã: hinc fit, vt quamuis possibilitas, & existentia idem sint: rectè tamen dici possit causa connecti cum possibilitate sui effectus: non verò cum eius existentia: per hoc enim significamus, quod quamuis possit existere, nõ existente effectu: non tamen posset, nisi ille existere posset, quatenus essentialiter habet absolutè posse dare illi esse, & non solùm conditionatè.

Obijcies tertiò *ex* eodem Ouiedo *n.* 11. si om- 84
nipotentia Dei talis esset naturæ, vt deficiente possibilitate creaturæ esset defectura, non esset summè perfecta; ergo Dei omnipotentia non connectitur cum possibilitate creaturarum. Consequentia patet. Probatur antecedens, si in Deo ponitur talis omnipotentia, quæ in se eminenter contineat omnes creaturas possibiles, sed ita vt omnibus simul per impossibile repugnãtibus eadem permaneret: esset perfectior illa, quæ ad earum repugnantiam deficeret; sed non repugnat talis omnipotentia, vt patet; ergo affirmando omnipotentiã Dei esse connexam cum creaturis possibilibus, non concedimus Deo omnipotentiam summè perfectam. Maior huius probatur: quia omnipotentia connexa, & inconnexa cum possibilitate creaturarum non differrent in virtuali creaturarum contingentia; ergo quantum ad hoc essent æquales. Aliunde autem inconnexa existeret repugnantibus creaturis possibilibus, quod non haberet connexa. Atqui cæteris paribus ex duobus entibus perfectius est illud, quod in eadẽ rerũ peristasi permanet, in qua aliud desinit es-

Digitized by Google

se, ergo inconnexa omnipotentia perfectior censenda est, quam connexa. Confirmatur: quia omnipotentia non connexa, si per impossibile Hircocervus euaderet possibilis, ex nunc habet virtutem illum producendi; sed hoc dici nequit de connexa; ergo maiorem perfectionem importat omnipotentia inconnexa, quam connexa.

85 Respondeo negando sequelam antecedentis, ad cuius probationem nego maiorem, quod scilicet si poneretur omnipotētia inconnexa, ea esset perfectior connexa: eius autem falsitatem probo ad hominem contra auctorem: quia ipse *num.* 10. ex non repugnantia virtutis productiuæ inconnexæ suadere procurat eam dari in creatis. Atqui ex duobus prædicatis, quorum vnum est altero perfectius, si alterutrum rebus creatis debemus concedere, non est illis concedendum perfectius, nisi ratione positiua probetur, & non sufficit id probare per non repugnantiam; ergo vel ratio ducta à non implicantia nulla est, vel falsum est, quod numero sequenti assumit: nimirum omnipotentiam inconnexam perfectiorem esse connexa. Sed quidquid sit de hac Auctoris inconsequentia: ad probationem ego assumpti sui, admissa maiore, & minore nego consequentiam: ratio negationis est: quia quamuis tum omnipotentia connexa, tum inconnexa virtualiter contineret omnia possibilia: at non eodem modo. atque adeo non essent cætera paria; vt ipse supponit.

86 Diuersitas autem modi consistit in eo, quod inconnexa non potest esse necessaria scaturigo possibilitatis rerum creatarum: quia non potest exigere ex suis intrinsecis, vt à sua infinita perfectione dicta possibilitas emanet: contra verò connexa de suo conceptu essentiali habet hoc: cōcesso igitur, quod ex duobus, quæ in reliquis omnibus paria sunt, si vnum supposita per impossibile creaturarum implicantia permaneat, alterum verò minimè: hoc quod non permanet, esset imperfectius illo. At si non permanet ex eo, quod ex suis essentialibus sibi incumbit implicantiam à creaturis excludere, easque possibiles reddere: dico quod hoc, quod non permanet, sit multò perfectius illo, quod permanet, vt patet. Ad confirmationem verò nego minorem, & dico, quod omnipotentia connexa ex nunc habet virtutem producendi chymeram ex suppositione, quod hæc euaderet possibilis: quomodo autem hoc veritatem habere possit, videbitur infra.

87 Obijcies quartò: si causa effectiua essentialiter cum sui effectus possibilitate connecteretur: sequeretur, quod res naturales eodem modo connecterentur cum possibilitate formarum supernaturalium, quas per potentiam obedientialem efficiēter causare possunt; sed hoc est absurdum; ergo &c. Sequela probatur: quia res naturales non minus per virtutem sibi intrinsecam efficiunt verè, & propriè effectus supernaturales, quam naturales; ergo non minus habent rationem veræ, & propriæ potentiæ effectiuę respectu illorum, quàm respectu naturalium. Sed per nos ratio veræ, & propriæ potentiæ effectiuæ importat essentialem connexionem cum possibilitate suorum effectuum; ergo &c. Minor verò suadetur: quia si res naturales cum possibilitate effectuum supernaturalium connecterentur: non possent comprehendi quin dicti effectus cognoscerentur; & quidem clarè sicuti debent cognosci effectus naturales ab eo, qui comprehendit causam illorum. sed hoc valde derogat excellentiæ formarū supernaturalium, & ideò communiter negatur à Theologis, & rectè id quidem, siquidem res naturales cognitione ordinis naturalis comprehendi possunt: & sic nō plus facere posset Deus supernaturaliter, quā Angelus naturali lumine cognoscere posset, quod ex multiplici capite patet esse absurdū.

Respondeo: Ripaldam *tom. 1. de ente supernaturali disputatione 32.* luculenter hanc controuersiam tractare, cuius summa est: aliquos affirmare res naturales cum possibilitate suorum effectuum supernaturalium, quos efficere possunt esse essentialiter connexas, nec putare absurdum non posse dictas res adæquatè comprehendi sine huiusmodi effectuum cognitione. Verùm multò probabilior est sententia id negantium, quam multis argumentis suadere conatur ipsemet Ripalda, cum quibus nego sequelam maioris. Ad cuius probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Quamuis enim res naturales per virtutem sibi intrinsecam verè, & propriè effectus supernaturales attingant: non tamen earum virtus obedientialis habet rationem veræ, & propriæ potentiæ effectiuæ: quia est solùm talis inchoatiuè, & veluti fundamentaliter, quatenus est de se improportionata cum effectu supernaturali; vnde indiget eleuari, & proportionari per virtutem superioris agentis constituentis illam in diuerso ordine, nempè supernaturali; non quidem quo ad esse: quia hoc est impossibile; sed quo ad operari. Ex quo patet disparitas, cur res naturales connectantur cum possibilitate suorum effectuum naturalium, non verò cum possibilitate supernaturalium: quia videlicet in ordine ad naturales, habēt rationem veræ, & propriæ potentiæ, & non indigent eleuatione; contra verò in ordine ad supernaturales; nam licèt verè, & propriè illos attingant, nisi tamen eleuentur, & compleantur per principium transferens illas ad altiorem operandi modum eo, quem naturaliter habent, neque partialiter, neque totaliter, absolutè loquendo, sunt operatiuæ dictorum effectuum. Signum autem optimum traditæ disparitatis est, quod in nulla naturali serie res naturales exigunt comprincipia, & concursum ad effectum supernaturalem necessaria, vtrumque enim in quouis rerū naturalium ordine est illis indebitum: contra verò semper aliqua rerum naturalium series dabilis est, in qua exigant comprincipia, & concursum ad suos naturales effectus efficiendos. 88

Obijcies quintò ex Lynceo *ibi num.* 32. Deus est magis necessarius, quam possibilitas creaturę, sed non esset huiusmodi, si deficiente per impossibile non implicantia creaturę, ipse deficeret; ergo non cōnectitur cum illa. Minor patet. nā possibilitas creaturæ habet hoc etiam, nimirum quod ex hypothesi impossibili, quod Deus implicaret, ea quoque euaderet impossibilitas. Maior verò suadetur primò: quia quoties vna necessitas oritur ex alia, toties ea, quæ oritur, est minor ea, ex qua oritur. Vnde Aristoteles: Propter quod vuumquodque tale, & illud magis. Secundò: quia Deus est magis ens, quam creatura possibilis: quia 89

est

Digitized by Google

eſt melior, & perfectior illa : quod autem habet magis de entitate habet etiam magis de aptitudine ad exiſtendum ; & ſic eſt magis neceſſarius, quã creatura, ſed non eſſet huiuſmodi, ſi deficiente poſſibilitate creaturæ ipſe deficeret; ergo &c.

90 Reſpondeo diſtinguendo maiorem, eſt magis neceſſarius intenſiuè nego : cauſaliter concedo maiorem, & ſic diſtinguo minorem; non eſſet magis neceſſarius intenſiuè concedo, cauſaliter nego minorem, & conſequentiam: magis neceſſarius intenſiuè tunc eſſet Deus quando difficilius poſſet euadere non neceſſarius, quam creatura. Hoc autem eſt impoſsibile, cum enim eſſe neceſſarium conſiſtat in indiuiſibili: in eo ſcilicet, quod in nullo caſu poſsibili poſsit non eſſe, alioquin eo ipſo contingentiæ ſubijceretur: implicat, quod ex duobus entibus neceſſarijs ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam neceſſaria ſunt, vnum ſit magis neceſſarium intenſiuè, quàm alterum. Falſum eſt igitur, quod Deus ſit magis neceſſarius intenſiuè, quo ad eſſe actuale, quam creatura quo ad eſſe poſsibile. At verò cauſaliter illud dicitur magis neceſſarium, quam aliud quod eſt cauſa neceſsitatis altertus, & hæc neceſsitas neceſsitatis rectè competit Deo reſpectu poſsibilitatis creaturæ : quia eſt veluti cauſa iufluxiua illius, & principium vnde illa procedat. Per quæ patet reſponſio ad probationes maioris : ad priorem enim dico: neceſsitatem cauſæ non eſſe maiorem neceſsitate effectus intenſiuè, ſed cauſaliter tantùm, & in hoc ſenſu verificatur in caſu noſtro dictum Ariſtotelicum : propter quod vnumquodque tale, & illud magis, quatenus ſignificat, quod ſi per impoſsibile vel Dei exiſtentia, vel poſsibilitas creaturæ deberet deficere quantum eſt ex vi cauſalitatis, potius deberet deficere hæc, quam illa; quia hæc radicatur in illa, eamq; conſequitur. Ad poſteriorẽ verò probationẽ aio exeo, quod Deus ſit magis ens quã creatura, atq; à Deo magis aptus ad exiſtendũ deduci tantũ, quod non ſolùm ſit neceſsariò poſsibilis, ſed ẽt neceſsariò exiſtens. Cõtra verò creatura, ſit tantùm neceſsariò poſsibilis : at exiſtens contingenter. Cum hoc tamen ſtat, quod ex hypotheſi impoſsibili implicantiæ creaturæ, ipſe in ſuo eſſe perſiſtere minimè debeat, eo quod dicta hypotheſi captiosè eius perfectioni intrinſecã interitum machinatur : dum illi negat energiam & fæcunditatem, quam habet in ordine ad reddendas creaturas poſsibiles.

91 Obijcies ſexto ex eodem *n.* 34 nequit dari in Deo eſſentialis adhæſio affectiua alicui obiecto, quod ſimpliciter infinitum non ſit ; ergo neque eſſentialis adhæſio effectiua, ſeu phyſica eidem obiecto. Sed ſi connecteretur cum creatura haberet eſſentialem adhęſionem effectiuam inſeparabilitatis obiecto ſimpliciter finito, cuiuſmodi eſt ipſa creatura ; ergo non connectitur. Conſequentia patet paritate. Antecedens verò, quod ſolùm probatione eget, ſuadetur : quia eſſentialis adhæſio affectiua obiecto finito arguit imperfectionem in Deo : ſi enim eam haberet, non eſſet liber ad amandum, & non amandum, ſed ſicuti bruta animalia in commodum finiti neceſsariò ferretur.

Reſpondeo diſtinguẽdo antecedens, nequit dari in Deo reſpectu obiecti finiti eſſentialis adhæſio affectiua per modum amoris efficacis, concedo : per modum ſimplicis complacentię, nego antecedens, & conſequentiam. Dico enim, quod ſicuti neceſſe eſt ponere in Deo eſſentialem adhæſionem effectiuam reſpectu entis creati, inefficacem tamen, quæ reddat tantùm illud poſsibile: non verò exiſtens, vt ſupra probauimus, ita neceſſariò concedenda eſt eidem eſſentialis adhæſio affectiua reſpectu eiuſdem entis, quę ſe habeat per modum ſimplicis complacentię, qua in dicta poſsibilitate delectetur. aliàs diuina voluntas non inclinaret per modum appetitus eliciti tanta neceſſitate in bonum aliquod, quanta neceſſitate in idem bonum inclinaret per modum appetitus innati natura diuina, & ſic non eſſet illi adęquatè correſpondens, ac proportionata: nec eam tantùm diligeret quãtum diligibilis eſſet, quod quam ſit abſurdum, nemo non videt. 92

Ad probationem antecedentis nego aſſumptũ. Quemadmodum enim non ſolùm nullam arguit in Deo imperfectionem, ſed maximam perfectionem, quod non ſit liber ad complacendum ſibi, vel diſplicendam ineffieaciter in aliquo bono morali, v. g. in actu contritionis, charitatis, &c. quantumuis ſibi extrinſeco, ac finito : ita quod non ſit liber ad complacendum ſibi, vel diſplicẽdum inefficaciter in aliquo bono phyſico, quale eſt eſſe poſſibile creaturę ; ſed quod neceſſeriò amore ſimplicis complacentiæ feratur in illud ; neque in hoc aſſimilatur brutis : quia bruta neceſſariò tendunt in obiecta ſibi commoda impetu efficaci, quo ad ea actu conſequẽda feruntur: at voluntas diuina ſolùm ſibi neceſſariò increaturarum poſsibilitate complacet, & remanet vndequaque libera ad volendam, vel nolendam efficaciter earum exiſtentiam. 93

Obijcies ſeptimò ex eodem *num.* 35. quoties virtus eſt eſſentialiter productiua alicuius termini infiniti nequit eſſe eſſentialiter productiua termini finiti : at diuina virtus, ac eſſentia eſt eſſentialiter productiua Verbi, & Spiritus Sancti, qui ſũt termini ſimpliciter infiniti; ergo nequit eſſe eſſentialiter productiua creaturarum, ita ut, ſi illæ implicarent, deſtrueretur. Minor, & conſequentia patent : maior probatur : nam Deus non obſtante ſumma inclinatione ad ſe communicãdum, ideo non habet neceſſitatem communicandi ſe in actu ſecundo creaturę, eam producendo : quia in actu ſecundo habet terminum ſimpliciter infinitum nimirum Verbum, & Spiritum ſanctum ; ergo à pari quoties virtus eſt eſſentialiter productiua termini ſimpliciter infiniti, nequit eſſe eſſentialiter productiua termini finiti.

Reſponderi poſſet primò diſtinguendo maiorẽ: 94 & ſiquidem ſermo eſt de eadem virtute formaliter ſumpta, tranſeat, quod quoties eſt productiua eſſentialiter termini infiniti non ſit productiua eſſentialiter finiti : at ſi agitur de virtutibus ſaltẽ formaliter inuicem condiſtinctis negatur, & ad minorem dici poſſet potentiam generandi, & ſpirandi ad intra eſſe formaliter diſtinctas ab Omnipotentia, eo quod hæc reſpicit primariò creaturas : vt ait D. Thom. *prima parte quæſt.* 25 *art.* 3. alioquin ſi reſpiceret omne producibile tum ad intra, tum ad extra, non poſſemus ſuſtinere Omnipotentiam eſſe in tribus Perſonis, eaſque eſſe æquè omnipotentes : quia neque Filius, neque Spi-

Digitized by Google

Spiritus sanctus possunt generare, sicuti potest Pater; & insuper Spiritus sanctus non potest spirare, sicuti possunt Pater, & Filius; uerùm quia posset in contrarium obiici locus August. *lib. 3. contra Maximum cap. 14.* vbi sic: si Pater genuit Filium minorem, aut non potuit, aut non voluit gignere æqualem: si autem dicitur, quod non voluit eum, inuidum esse dixisti: si autem non potuit, vbi est Omnipotentia Patris. Ex quibus verbis videtur generandi potentia sub omnipotentia contineri: quamuis sciam Vasquez *prima parte tom. 2. disp. 165. n. 10.* docere, quod Augustinus non vsurpauit hoc loco Omnipotentiam pro attributo, quo Deus potest creaturas producere, sed pro perfecta potentia ad generandum, quidquid tandem sit de hoc.

95 Respondeo secundò negando absolutè maiorẽ; & ad eius probationem nego causalem antecedentis; non enim ideo Deus non necessitatur à sua inclinatione ad creaturarum productionem: quia habet in actu secundo terminum simpliciter infinitum, nempè Verbum, & Spiritum sanctum: sed quia huiusmodi necessitas repugnat tum ex parte Dei, tum ex parte creaturæ: ex parte quidem Dei, eo quod est incompossibilis cum perfectissimo dominio, quod sibi vendicat in ordine ad dandam, vel negandam existentiam creaturis. Ex parte verò creaturæ: quia hęc ex suis intrinsecis exigit defectibilitatem, & contingentiam.

96 Obijcies octauò ex eodem Lynceo *nu. 38.* Ad essentialem diuini Intellectus perfectionem non spectat, vt cognoscere possit absolutè creaturas esse possibiles: ergo neque ad essentialem diuinæ Omnipotentię perfectionem, vt eas absolutè producere possit. Antecedens probatur in rebus necessarijs, quemadmodum est cognitio possibiliũ, idem inseparabiliter sunt esse, ac posse esse: atqui ad perfectionem essentialem intellectus diuini non attinet, quod possibilia absolutè cognoscat, sed solùm, quod si possibilia sint, eum non lateant: sicuti neque quod cognoscat absolutè futura, sed solùm ex suppositione, quod futura sint; ergo &c. Consequentia verò primi enthymematis suadetur: sicuti enim Deus est necessariò intellectiuus ad extra, ita tamen, vt hæc absoluta necessitas non præcisè ex sua perfectione essentiali, sed ex suppositione possibilitatis creaturæ oriatur, ita erit necessariò productiuus ad extra, ita vt absoluta necessitas non ex sua præcisa essentiali perfectione, sed ex suppositione possibilitatis earumdem creaturarum ortum habeat.

Respondeo negando antecedens cum sua probatione: dico enim ad essentialem diuini intellectus perfectionem spectare, posse absolutè cognoscere dari creaturas possibiles, sicuti eas absolutè in actu secundo cognoscere. Rationem huius rei hoc enthymemate explicarem: eandem connexionem, quam in essendo habet Deus cum possibilitate creaturarum, debet habere etiam in cognoscendo; ergo sicuti eius esse, seu quod idem est, eius omnipotentia exigit absolutè dari creaturas possibiles, ita, & eius cognitio absolutè exigit eas esse possibiles cognoscere. Consequentia patet, antecedens verò probatur: & quidem loquendo identicè, est certissimum: quia diuina cognitio cum diuina Omnipotentia identificantur, atque adeò implicat, quod diuinum esse cum creaturarum possibilitate connectatur: quin connectatur cum illis etiam diuina cognitio. Formaliter verò diuina cognitione considerata dictum antecedens euincitur ex his, quæ paulò ante diximus de essentiali adhæsione affectiua, quam habet Deus respectu possibilium. Quemadmodum enim hæc, ita & illa ex suis intrinsecis formaliter exigit esse adæquatè correspondens, ac proportionata essentiæ, à qua procedit.

SECTIO QVINTA.

Quomodo causæ efficientes cum suis effectibus connectantur determinatè ne, an indeterminatè.

97 EX hac quæstione pendet resolutio duarum difficultatum non omnino contemnendarum, in quas nostra sententia de connexione hucusque propugnata Aduersarijs videtur impingere, quarum altera est ex ea sequi, quòd si tenuissima festuca, vel vnum arenæ granum inciperet per impossibile repugnare, Deus, qui de facto est, euaderet impossibilis. Altera verò ex alio casu impossibili opposito præcedenti: quod nimirùm si per impossibile chymera exueret repugnantiã, possibilisque fieret: deberet pariter Deus hic desinere, & alius in eius locum subrogari, qui posset chymeram creare: deberet enim incipere eã chymera connecti ad hoc, vt posset illam producere; neutrum autem absurdum sequeretur, negata connexione: quia Dei Omnipotentia haberet semper, quantùm est de se, posse producere quidquid non implicat, siue demum detur aliquod non implicans, siue non detur. Verùm hæc dixerunt Aduersarij non animaduertentes huiusmodi incommoda, si qua sunt, non sequi ex qualicunque connexione causæ effectiuæ cum suis effectibus, sed ex connexione determinata tantùm. Dupliciter enim possumus concipere Deum v.g. esse cum creaturis suis connexum: primò determinatè, ita vt cum qualibet distributiuè accepta, & secundùm suam propriam, & vltimam rationem individualem formaliter considerata connectatur. Secundò indeterminatè, ita vt respiciat omnes sub aliqua ratione communi ab eis abstrahibili, quæ rectè dicitur possibilitas, seu non implicãtia, & cum qualibet earum connectatur, non quomodolibet accepta, sed pro ut hanc rationẽ formalem possibilitatis participet; & siquidem primo modo connectitur, sequitur eum ad impossibilitatem vnius festucę, seu arenæ calculi, vel ad possibilitatem vnius chymeræ euadere impossibilem. Contra verò si connectatur secundo modo. Idemque cum proportione de reliquis causis efficientibus dicendum est. Vnde patet, quam necessaria sit ad præsentem controuersiam, in qua de connexione agimus, huius difficultatis discussio, pro cuius decisione sit. 98

Vnica Cõclusio: causa productiua tum increata, tũ creata nõ cõnectitur determinatè cũ suis effectibus, sed indererminatè tantùm. Hæc conclusio est similis illi, quam posuimus in physicis, agentes de materia prima *disp. sect.* vbi vidimus

eius

Digitized by Google

eius potentiam formas ſubſtantiales indeterminatè reſpicerè, non verò determinatè. Ita ut ſi per impoſſibile plures ex his poſſibilibus euaderent impoſſibiles, vel è contrario plures ex impoſſibilibus poſsibiles fierent, eadem ſecundùm ſuam poſsibilitatem, & eſſentiam inuariata perſiſteret, & ſolùm in vno caſu implicaret, ſi nimirum omnes penitus formę tedderentur implicatorię, ita ut nulla prorſus remaneret poſsibilis.

98 In hac noſtra aſſertione puto, quod conueniant omnes illi, qui dicunt potentias reſpicere obiecta ſua ſub aliqua ratione communi, v.g. potentiam viſuam ſub ratione coloratl, auditiuam ſub ratione ſonori, nec non etiam cauſas ad ſuos effectus ſecundùm aliquam communem rationem ſibi intrinſecam, in qua conueniunt, eſſentialiter ordinari: neque enim putandum eſt huiuſmodi Auctores voluiſſe dictas potentias, & cauſas poſſe præſcindere ab inferioribus ſuis rationem aliquam, eamque præciſam iam ſiue ex parte actus, ſiue ex parte obiecti ſibi attingendam proponere, quod obiter notauit Franciſcus de Lugo *de Deo lib. 1. diſp. 25. cap. 2. num. 15.*

99 Videtur tamen eſse contra Hurtadum *in phyſ. diſp. 8. ſect. 3.* Arriagam *ibi diſp. 7. ſect. 3. à num. 22.* Quiedum *in metaph. controu. 10. puncto 6. num. 7.* & alios, qui contra prædictos Auctores inuehuntur, quaſi putaſsent reſpectus cauſarum operatiuarum tendere in aliquam rationem verè abſtractam à ſuis operationibus, atque effectibus, eſt etiam ex parte contra Giattinum, qui quamuis nobiſcum ſentiat, quo ad cauſas productiuas creatas, dum dicit eas connecti cum ſuis effectibus indeterminatè acceptis: negat hoc tamen de cauſa increata, quatenus vult eam cum ſingulis creaturis poſsibilibus determinatè ſumptis eſse connexam, atque adeò ex hypotheſi, quod vna earum, quantumuis minima impoſsibilis euaderet, hunc Deum, qui defacto eſt in chymericum conuertendum neceſsariò fore, & alium ſubrogandum.

100 Iam verò noſtra Concluſio probatur vnica ratione ſimili ei, qua vſi ſumus in phyſicis cum de materia ageremus ſic: Ex vna parte non repugnat dari in rebus connexionem ad plures terminos indeterminatè, & diſiunctiuè acceptos. Ex alia verò parte ſufficit hæc connexio ad ſaluanda omnia, quæ de neceſsitate, quam habemus connectendi cauſam tum creatam, tum increatam cũ ſuis effectibus in præcedẽtibus Sectionibus à nobis dicta ſunt, vel etiam vlterius dici poſsunt ab alijs, ergo verè quamlibet cauſam cum ſuis effectibus indeterminatè tantùm connecti tenendum eſt. Conſequentia patet. Antecedens verò quo ad vtramque partem probatione eget: & quidem, quo ad priorem, illud in phyſicis abſolutè probauimus: nunc verò placet probare ex his, quæ docent Auctores, contra quos diſputauimus; vt autẽ de Giattino taceã, Arriaga *diſp. 3. de anima ſect. 4. num. 27. & 28. expreſsè* docet dari duplex connexionis genus, & quaſdam quidem connexiones eſſe determinatas: alias verò indeterminatas; inter has autem numerandam eſſe illam, quam habet calor cum igne, & aere, quatenus eſt indifferens, vt ab vno, vel altero producatur. Sed expreſsius Oniedo *controu. 10. citato puncto 5. num. 7.* vbi ait: quod ſi fingamus calorem neceſsariò producendum eſse ab igne, vel ab alia cauſa creata, repugnante igne, non repugnaret calor, quamuis, vt ſupra dixit, connectatur cum illo: quia hoc ipſo quod effectus eſt indifferens, vt pẽdeat ab hac, vel illa cauſa, ſicuti poteſt exiſtere ſine hac, ita ſine eius poſsibilitate poteſt in ſua poſsibilitate durare. item *num. 8.* docet, quod ex repugnantia omnium actionum collectiuè ſumptarum per locum intrinſecum infertur repugnãtia effectus: ſi tamen vnica tantùm actio remaneat poſsibilis media, qua effectus à ſua cauſa tendere poſsit, etiam ſi reliquæ omnes repugnẽt, effectus poſsibilis permanebit. Tum ſic: hæc cõnexio, quam habet effectus cum omnibus ſuis cauſis, & actionibus collectiuè ſumptis, eſt indeterminata; nam ad hoc, vt in ſua poſsibilitate perſiſtat vnam tantum modo cauſam, & actionem, ſiue ſit hæc, ſiue alia, poſsibilem exigit. Connexio igitur eſſentialis cum terminis indeterminatè, ſeù diuiſiuè acceptis ex confeſsione ipſorum Aduerſariorum cõcedenda eſt, & quidem eo certius, quo certiora, & euidentiora ſunt ea, quæ ex illis adduximus ad id probandum.

Porrò antecedens quo ad poſteriorem partem 101
ſuaderi poteſt tripliciter: Primò quidem ex ſolutione eorum, quæ in contrarium adduci poſſunt ab Aduerſarijs, vt modo patebit. Secundò à pari, quia ſicuti effectus poteſt connecti cum ſuis cauſis actiuis, & actionibus indeterminatè ſumptis: ita, & cauſę cum ſuis effectibus ſic acceptis; non enim videtur maior ratio aſsignabilis; aliunde verò melius eſt ponere eſſentiam cauſarum firmiorem, ac diuturniorem, quam effectuum. Vnde ſi, vt non implicet effectus, qui à decem cauſis adæquatis v. g. diſtributiuè acceptis produci poteſt: ſatis eſt, vt cæteris repugnantibus, vna illarum in ſua poſsibilitate perſiſtat. Multò magis vt non implicet cauſa, quæ producere poteſt multos effectus, erit ſufficiens, ſi vnus illorum remaneat poſsibilis, quantumuis cæteri incipiant implicare contradictionẽ. Tertiò denique quia ſi ponimus connexionem indeterminatam in cauſis cum ſuis effectibus, rectè explicamus vnitatem, potentiarum operatiuarum. Contra verò ſi eam negemus, quod ſic ſuaderem. Hoc ipſo, quod cauſa aliqua v. g. ignis cum ſuis effectibus v.g. caloribus indeterminatè connectitur, aliquid ex parte ipſorum diſtributiuè ſumptorum aſsignandum eſt, quod quandiù poſsibile perſeuerat ſit, neque ſufficiens ad contentandam eſſentiam ipſius ignis, vt in ſua poſsibilitate perſiſtat, quodque quamuis in ſingulis caloribus realiter loquendo ſit diuerſum: tamen cenſeatur eſſe idem per æquiualentiam in ordine ad ſatisfaciendum iuri, ſiue inclinationi, quam habet ignis, ne euadat impoſsibilis; ſed per ordinem ad hoc rectè potentia calefactiua ignis vnitatem ſuam accipit; ergo &c. Contra verò ſi dictus ignis cum ſingulis caloribus, quos producere poteſt determinatè ſumptis connectitur, ita vt ad cuiuslibet impoſsibilitatem, ipſe impoſsibilis euadat: non poſſumus ſuſtinere, cur in eo potentia calefactiua vere in ſe ſit vna formaliter, & non potius ad multiplicationem numericam calorum à ſe producibilium ſit multiplex; quod probo diſcurrendo per ſingula ad quę confugere ſoleat Aduerſarij. Non enim

Digitized by Google

enim dici potest primò, quod dicta potentia calefactiua in igne sit vna numero ratione vnius numero subiecti, in quo est; nam certum est in vno homine plures reperiri potentias: & siquidem sequamur Thomistarum sententiam asserentium potentias animæ, distingui ex natura rei ab essentia ipsius animæ, omnes dicimus, quod per vnam numero potentiam visiuam videat omnia colorata, & per aliam vnam numero realiter à præcedente distinctam audiat omnia sonora, &c. Si autem velimus eas esse realiter indistinctas ab anima: tamen putamus, quod pro omnibus visibilibus sufficiat vna numero potentia visiua, ratione distincta ab anima. Non autem sufficiat pro omnibus visibilibus, & audibilibus; sed pro his assignanda sit alia numero potentia; nimirum auditus; ergo vnitas potentiæ non potest ex vnitate subiecti desumi. Neque dici potest secundò, quod potentia calefactiua in igne sit vna numero ratione calefactionum eiusdem rationis, quas exercere potest: redit enim ratio supra facta, quæ sic vlterius explicatur. Si enim ignis cum singulis calefactionibus determinatè connectitur, signum est, quod singulas secundùm proprias, & indiuiduales rationes formaliter respiciat; & sic quemadmodum hæ calefactiones sunt inter se distinctæ, ita distinctæ essent potentiæ, per quas ignis in ratione productiui illarum constitueretur.

102 Neque potest dici tertiò, quod sit vna ex vno modo tendendi, vel ex aliquo alio capite assignabili; semper enim militat ratio facta; ergo dicendum est, quod sit vna numero à reliquis distincta ex vnitate formali caloris, quam habent calores omnes, ad quos ignis se potest extendere. Quæ quidem vnitas, seu ratio, licèt in singulis multiplicetur: quia tamen disiunctim à potentia calefactiua ignis respicitur: hinc fit, vt possint præbere fundamentum, cur vna numero sit in igne potentia ipsa calefactiua. Atque hoc est, quod communiter dicunt Auctores ex vnitate, & distinctione obiecti formalis vnitatem, & distinctionem potentiarum sumendam esse, quod dictum, licet Arriaga conetur euertere; volens tamen nolens *loco citato de anima. num.* 134. postea illud amplectitur, dicendo ad assentiendũ, & dissentiendum solùm dari vnicam potentiam intellectiuam: quia hi actus conueniunt in ratione repræsentationis, conueniunt in dependentia à specie impressa in necessitate, qua fiunt, &c. in quibus non conueniunt cum odio, & amore, pro quibus datur alia distincta potentia.

Ex his autem clarè colligitur neutrã sequelam, quã initio Sectionis nobis Aduersarij obijciebat, in nostra sententia habere locum; cum enim velimus hunc numero Deum cum creaturis possibilibus connecti, quatenus formaliter sunt non implicantes: hinc fit, vt ex hypothesi, quod inciperet implicare vna festuca, aut vnus arenæ globulus, adhuc in sua possibilitate, & existentia perduraret, sicuti etiam si poneremus, quod chymera ex impossibili, euaderet possibilis. Idemque dicendum de cæteris causis efficientibus, huc aliquis ex suis effectibus possibilibus incipiat implicare, siue alius ex impossibilibus incipiat esse possibilis, & eandem rationem, sub qua causa connectitur cum reliquis suis effectibus participare.

SECTIO SEXTA.

Soluuntur obiectiones in contrarium.

OBijcies primò: hoc ipso, quod omnipotentia Dei connectitur cum creaturis, quatenus sub ratione formali possibilitatis consistentibus, necessariò sequitur, quod eas secundùm dictam rationem vniuersalem abstractam, & non secundùm proprias rationes in particulari respiciat; sed hoc est impossibile; ergo &c. Minor patet: potentiæ enim reales non respiciunt rationes communes in sua communitate, & abstractione constitutas, sed contractas ad indiuiduas, vt Recentiores supponunt. Maior verò suadetur, quia non potest alter explicari dicta connexio, nisi recurrendo ad rationem communem abstractam; ergo &c. 103

Respondeo negando maiorem: quemadmodum enim Aduersarij volunt, quod effectus connectatur cum omnibus suis causis adæquatis, quatenus eum in sua virtute continent, & tamen negant secundùm aliquam rationem communem ab inferioribus abstractam illas respicere; sed putant, quod cum eis secundùm proprias, & indiuiduas rationes inde terminatè sumptas essentialiter connectantur. Ita dicimus nos loquendo de connexione causarum cum suis effectibus, cum non sit assignabilis in hoc maior ratio. Ad probationẽ maioris aio, quod quando asserimus omnipotentiam Dei connecti cum creaturis suis, quatenus rationem formalem possibilitatis participant, non est sensus, quod hæc sola ratio, quam in communi consideramus à diuina Omnipotẽtia immediatè dependere possit: cæteræ verò mediante illa; sicuti cum dicimus potentiam visiuam respicere corpora naturalia formaliter, quatenus colorata sunt: quatenus verò substantialia sunt, aut calore, vel frigore, vel sapore aliquo affecta, non nisi materialiter, seu mediatè. Hoc enim est falsissimum; sed sensus est, quod licèt in omnes formalitates, & rationes tum communes, tum particulares immediatè influere possit: non tamen in eas sic influere valeret: nisi rationem possibilitatis, & non implicantiæ participarent, quamtumuis in eis singularissimam; ita vt, cum hac ratione proportionetur latitudo ipsius omnipotentiæ: & ex illa reddatur congrua ratio, cur ab eis respiciantur, quæcumque respiciuntur.

Obijcies secundò: Constat in Deo dari cognitionem omnium possibilium in particulari, & determinatè acceptorum; ergo scientia simplicis intelligentiæ connectitur cum illis determinatè; sed eadem debet esse ratio de omnipotentia, aliàs scientia possibilium non proportionaretur illi; ergo &c. Antecedens, quod solùm probatione eget, suadetur: quia si cognitio, quam habet Deus de possibilitate Petri, respiceret illum indeterminatè: Ad eius veritatem sufficeret, quod vel Petrus, vel aliquod aliud indiuiduum humanum esset possibile. Sed veritas, quam habet cognitio Dei de suarum creaturarum possibilitate, non est huiusmodi, sed omnino determinata: ergo &c. 104

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; aliud enim est scientiam simplicis

Digitized by Google

cis intelligentiæ cognoscere determinatè omnes creaturas possibiles ; aliud verò cum illis determinatè connecti . Ad primum enim sufficit, quod secundum proprias & vltimas rationes omni claritate, ac distinctione feratur in illas . Ad secundum verò, quod ex hypotesi impossibili , quod aliqua illarum incipiat implicare, ipsa quoque scientia euadat in sua entitate implicatoria. Et quidem prius posse stare sine posteriori patet ex scientia visionis, quam habet Deus de Creaturis in aliqua temporis differentia exituris , quas licet omni prorsus determinatione cognoscat in ratione existentis: non tamen cum illis sumptis secundum eandem rationem vllo modo connectitur ; quod si sumantur creaturæ pro vt, vel existentiam , vel negationem existentiæ in eadem duratione temporis dicere necessariò debent : Dei quidem scientia visionis connectetur quidem cum illis, sed indeterminate, vt de sè patet : nisi enim alterutrum videret redderetur implicatoria;licet de reliquo determinate videat,quid de facto futurum sit.

116 Obijcies tertio: quilibet effectus secundum suã vltimam indiuiduationem acceptus in virtute suę causæ continetur; ergo eo implicante implicabit ipsa causa;sed causa, quæ est huiusmodi, connectitur cum suis effectibus; ergo &c.

Respondeo distinquendo antecedens : continetur in virtute suæ causæ, prout participat rationem formalem , à qua virtus causæ specificatur, & quam formaliter respicit , concedo : continetur in virtute suæ causæ prout formaliter vltimam indiuiduationem includit , ita vt hanc virtus causæ tamquam rationem formalem,cur illud attingat, respiciat , nego antecedens , & Consequentiam; & dico , quod quamuis effectus in virtutæ causæ contineatur secundum omnes rationes proprias,quas includit v.g. Calor in virtute ignis secundum quod est accidens , & prima qualitas , & talis qualitas, quę nimirum congregat homogenea , & eterogenea disgregat , quia tamen ratio formalis, sub qua respicitur, est, quatenus igni congruit in ratione dispositionis , & instrumenti, hinc fit , vt si aliquis numero calor ex hypotesi hanc rationem non amplius participaret, ignis in sua virtute illud amplius non contineret.

117 Obijcies quarto, ex his ; quæ habet Giattinus *in phyſic. quæſt. 2. art. 5. in reſponſione ad obiect. 5. & quæſt. 5. art. 5. ad tertium* Deus est prima origo, & quasi scaturigo ,vnde omnis possibilitas creata necessario profluit. ergo si implicaret vnus arenę globulus, arguere debemus fuisse in Deo extinctam illam,quasi emanationem possibilitatis dicti globuli; sed in hoc cõsistit determinata connexio causæ cum suis effectibus;ergo causa effectiua saltem increata determinata connexione cum effectibus suis connectitur.

118 Respondeo: concesso antecedente,distinguendo consequens: posito , quod cum globulo arenæ cætera omnia creabilia implicarent , concedo : si alia in sua possibilitate remanerent,nego primam Consequentiã; & eodem modo distincto subsumpto,nego secundã Consequentiã;dico enim,quod cum Deus ita sit prima radix, & scaturigo omnis possibilitatis rerum creatarum , vt formaliter in illis possibilitatem ipsam attingat, quamuis in vna , vel altera creatura illa deficiat ; dummodo perseueret in reliquis , non est defectus in ipsum Deum refundendus,sicuti defacto non refunditur in illum defectus,quem habet chymera ex eo,quod sit impossibilis & implicatoria . Hanc doctrinam admittere tenetur Auctor,dum vult causas creatas indeterminate connecti cum suis effectibus, quod hac ratione suadeo:causa creata si non est prima: at est secunda scaturigo possibilitatis suorum effectuum; sed ex hoc non recte deducitur , quod implicante vno,aut altero effectu debeat implicare causa creata;ergo &c. Minor est doctrina Auctoris.Maior vero probatur ex eo, quia essentia ignis V. G. est regula determinata & specialis mensura prædicatorum quidditatiuorum calor is, sicuti etiam essentia hominis prædicatorum quidditatiuorum operationum intellectus, & voluntatis; si enim ignis aliam haberet essentiam , alia requireret prædicata in calore ; & si homo non esset rationalis,non requireret in suis operationibus proprijs rationem spiritualitatis cum dependentia à phantasmatibus. Vnde est, quod implicante igne implicaret essentia caloris , qui defacto datur & implicante homine,implicaret per locum intrinsecum intellectio & volitio dependens à phantasmatibus & quidem quasi à priori; sed non potest in alia consistere ratio originis & scaturiginis possibilitatis effectus;ergo &c.

Instabis: hoc verum esse, loquendo de essen- 119
tijs effectuum à causis secũdis prouenientibus,non autem de indiuiduationibus eorum:ergo &c.

Respondeo,negando antecedens;quia indiuiduatio effectus non solum non distinguitur realiter ab essentia ipsius effectus,sed etiam regulatur,& mensuratur ab ipsa essentia causæ per indiuiduationem suam determinata.Vnde est, quod hæc numero causa vnam indiuiduorum ser em sibi vendicet produceudam,illa vero aliam

Sub instabis ex eodem , *loco citato quæst. 2.* 120
discrimen consistere in eo , quod causa creata continet quidem indiuiduationem suorum effectuum,sed confuse,quatenus datur in ea prædicatum ita perfectum , quod possit æquiualere perfectionibus singulorum . impossibile enim est , quod detur in illa idem prorsus prædicatum , quod est in singulis, alias non distingueretur ab illis : at causa increata ita continet eminenter singulorum effectuum indiuiduationes, vt distincte exigat singulos ; vnde implicante vno numero effectu , hic Deus , qui defacto est, implicare deberet, & subrogari alius qui cum dicto effectu non esset connexus,sed,esset connexus cum reliquis,qui in sua possibilitate perdurarent.

Respondeo: discrimen hoc ex confusione , & distinctione petitum non posse habere locum , in casu nostro , cum enim Potentiam ferri distincte , vel confuse in sua obiecta sit proprium potentiarum intentionalium, quatenus suis acti-

Digitized by Google

bus magis, vel minus clare percipere possunt suorum obiectorum distinctionem, ac disiunctionem, non video quomodo verificari possit de potentijs realibus, quales sunt ea de quibus in præsentia disputamus: nam si potentiam creatam operatiuam indiuiduationes suorum effectuum confuse respicere, seu continere, importat dari in ea prædicatum ita perfectum, quod possit singulorum perfectionibus æquiualere: huiusmodi continentia concedi omnino debet omnipotentiæ, quia in ea non datur idem prorsus Prædicatum, quod est in singulis creaturis. alias esset formaliter ignis, Cœlum, homo, Angelus. &c. quod nefas est dicere: sed per aliquod prædicatum continens eminenter ac virtualiter singularum perfectiones singulas respicit. præterea si Idem est causam distincte continere indiuiduationem suorum effectuum, ac illas exigere distincte: eadem facilitate, qua negatur diuinam omnipotentiam exigere distincte possibilitatem & Indiuiduationem suarum Creaturarum collectiuè sumptarum, negari debet eam illas continere distinctè.

210 In idem recidit aliud discrimen inter causam creatam, & increatam breuiter insinuatam ab eodem auctore *quæst. 5. art. 5.* in responsione ad quartum, dum ait aliud esse causam continere hanc determinatam indiuiduationem: aliud verò eam determinate continere. Primum quidem non importat connexionem determinatam, sed verificatur de causa creata, quatenus datur in ea virtus ad dictam Indiuiduationem producendam. Contra verò secundum, quia continere determinate dicit, quod effectus, vt talis est, sit bonum causæ debitum. Sed facile hoc aliud discrimen impugnatur ad hominem, sic: determinatè continere indiuiduationem effectus, idem est ac determinatè connecti cum illa: sed Deus non continet determinatè indiuiduationes suarum Creaturarum. ergo non connectitur determinatè cum illis. Maior patet, quia non aliunde negat auctor causas creatas determinatè suorum effectuum indiuiduationem continere, nisi quia putat huiusmodi continentiam Connexionem determinatam importare, sicuti etiam supponere videtur arguens. Minor verò suadetur ex definitione continentiæ determinatè sumptæ modo tradita, sic: continere determinatè dicit quod effectus vt talis est, sit bonum causæ debitum, atqui constat nullam Creaturam esse bonum intrinsecum Deo debitum: si autem sufficit, quod sit extrinsecum, non potest negari causam creatam determinatè suorum effectuum indiuiduationes continere. sunt enim etiam illi bonum intrinsecum illius, & quidem debitum, quatenus ex suis intrinsecis Inclinat ad producendum illos. ergo neque hæc differentia inter causam creatam, & increatam est sufficiens ad deducendum vnam esse determinatè connexam cum suis effectibus, alteram verò indeterminatè.

211 Obijcies quintò: Omnipotentia Dei est infinita, sed Infinita potentia requirit essentialiter infinitorum effectuum possibilitatem. ergo causa increata connectitur cum creaturis suis determinatè. Maior, & minor sunt certa. Consequentia verò probatur, quia si connecteretur indeterminatè, sufficeret illi ad remanendum in sua possibilitate, ex suppositione, quod reliquæ omnes creaturæ implicarent, si vna tantum numero remaneret possibilis. sed hoc est contra rationem omnipotentiæ ergo &c.

Respondeo ad hoc argumentum duplicitèr: & primò quidem distinguendo minorem: Infinita potentia requirit infinitorum effectuum possibilitatem, vel formaliter, vel æquiualenter, concedo: formaliter tantum, nego minorem, & consequentiam. Ad cuius probationem dico, ad rationem infinitæ potentiæ habendam non requiri, vt inquacumque suppositione intelligitur esse possibilis, debeat habere possibiles Infinitos effectus formaliter: sed sufficere, quod habeat vnum possibilem, *ita* tamen factibilem, vt non nisi infinita potentia necessaria sit ad illum talitèr faciendum; hic enim effectus licèt esset vnus, æquialeret in modo, quo fieri deberet infinitis, vt de sè patet; eo, quod potentiam Infinitam in sua causa requireret. Porro huiusmodi fore illam vnicam creaturam, quæ cæteris omnibus redditis impossibilibus *in* sua possibilitate persisteret; patet *ex* eo, quia exigeret dependere à Deo, tamquam à *principio* potente illum principaliter & independenter à quacumque alia causa producere ex nihilo. Cum autem ad sic producendam vnam Creaturam quantumuis minimam, ac *vilissimam* infinita potentia necessaria sit: hinc fit non esse cur in tali casu Dei omnipotentia destruenda foret.

Respondeo secundò: quod etiam si admittamus diuinam omnipotentiam connecti cum possibilitate Infinitarum Creaturarum, adhuc non rectè ex hoc deduceretur connexionem: eius esse cum dictis Creaturis determinatam, quia adhuc posset indeterminatè respicere ex infinitis collectionibus infinitarum possibilium vnam, vel alteram iufinitatem ita, vt vel hac vel illa alia sit contenta, & posito, quod vna ex eis remaneret non repugnans, possent ex illa finitæ in infinitum vnitates reddi implicantes, absque eo, quod omnipotentia euaderet implicans. Quod si ex vtraque solutione sequitur Omnipotentiã Dei in eo casu non habere actum adæquatè sibi correspondentem: ex hoc tamen non sequitur eam fore destruendam, quia etiam in præsenti rerum statu Creaturæ possibiles non sunt actus ita ei correspondens vt ex suppositione quod aliæ quæ de facto sunt implicatoriæ euaderent possibiles, non exigeret eas etiam posse producere. 213

Obijcies sextò: nisi Deus connecteretur cum creaturis suis determinatè, impossibile esset, vt in illo viderentur à Beatis aliquæ creaturæ secundum suas proprias rationes specificas, & indiuiduales: consequens est absurdum. ergo &c. Sequela maioris probatur, quia essentia Dei sine determinata connexione cum creaturis, non posset esse aptum medium

ad

Digitized by Google

ad eas determinatè cognoſcendas; nam ad cognoſcendam aliquam creaturam determinatè requiritur iudicium de poſſibilitate illius. Sed quandiu omnipotentia non connectitur determinatè cum illa, non eſt aptum medium adinducendum de eius poſsibilitate iudicium; siquidem eſt indifferens, vt coniugatur cum poſsibilitate, vel impoſsibilitate illius; ergo niſi Deus connecteretur determinatè cum creaturarum ſuarum poſsibilitate, impoſsibile eſſet, vt videri poſſent in eo aliquæ creaturę ſecundùm ſuas proprias, & indiuiduales rationes.

Reſpondet Pater Vaſquez *prima parte diſp.* 50. *cap.* 4. nec non etiam *diſp.* 60. *cap.* 2. vbi negat Deũ vllo modo cum creaturarum poſsibilitate connecti, conceſſa ſequela maioris negando minorem. Non enim abſurdum eſſe putat, quod nulla creatura poſsibilis in Deo viſo à Beatis cognoſci poſsit: & quia cum communi ſententia putat cognitionem effectus in cauſa importare, quod per eandem numero cognitionem attingatur cauſa primaria, & effectus ſecundariò ex vi ipſius cauſæ cognitæ: hinc conſequenter docet creaturas quæ videntur à Beatis videri ab eis per viſiones realiter à beatifica viſione diſtinctas, quæ important quaſdam ſpeciales reuelationes ipſis Beatis debitas quarundam creaturarum ad ſe pertinentium. In qua reſponſione Vaſquez ſequitur Bonauenturam, Ochamum, Gabrielem, Maiorem, Marſilium, & alios, qui eodem modo de beata viſione philoſophantur. Sed contrarium docent communiter Theologi, inter quos Diuus Thom. *prima parte quæſt.* 12. *art.* 8. *in corp.* vbi manifeſtè eſt, inquit, quod ſic aliqua videntur in Deo ſecundùm quod ſunt in ipſo: omnia autem alia ſunt in Deo, ſicut effectus ſunt virtute in ſua cauſa. Ex quo cum eodem S. D. colligimus: quod licèt non omnia poſsibilia, ac ſaltem aliqua videantur à Beatis in Deo, tanquam effectus in ſua cauſa per eandem beatificam viſionem; quod limitur ex Patribus, qui paſsim affirmant Beatos in Verbo videre creaturas, non quod eas non videant etiam in Patre & Spiritu Sancto; ſed quia cum in ſcripturis omnia dicamur facta per Verbum: id, quod proprium eſt omnipotentiæ, Verbo tribuitur, præſertim in ordine ad repræſentandas intelligibiliter creaturas, quatenus Verbum diuinum per cognitionem omnium creaturarum à Patre generatur.

114 Reſpondendum eſt igitur ſecundò cum communi negando ſequelam maioris, ac dicendum multas creaturas videri à Beatis in Deo ſecundùm ſuas proprias rationes ſpecificas, ac indiuiduales. Ad probationem in contrarium Ioſeph Augustinus *tom.* 1. *in prim. partè quæſt.* 12. *art.* 8. *num.* 87. negat aſsumptum cũ Enicio, ac dicit nihil ad cognitionem creaturarum in Deo tanquam in cauſa referre, quod ipſe connectatur, vel non connectatur cum illis, ſed ſolùm requiri, quod tanquam cauſa prima, & perfectiſsima eas eminenter in ſua virtute operatiua contineat. Ad rationem autem in contrarium, quam Auguſtinus non obijcit ſibi, conceſſa maiore, nego ego minorem, & dico, quod licèt ad cognoſcendam aliquam creaturam determinatè ſit neceſsarium de eius poſsibilitate iudicium: vt tamen Beatus formet hoc iudicium ex vi Deitatis viſæ non requiritur, quod Deitas ſit cum dicta poſsibilitate determinatè connexa, ſed ſufficit, quod de facto illam communicet creaturæ. Quamuis enim diuina Eſſentia quantum eſt de ſe ſit indifferens, vt coniungatur, vel non coniungatur cum poſsibilitate hominis v. g. tamen hoc ipſo, quod de facto illum ſua facunditate poſsibilem reddit, eſt aptum medium, vt Beatus formare poſsit determinatum de eius poſsibilitate iudicium; ad eum planè modum, quo diuinum Verbum eſt indifferens, vt per ſe procedat abſolutè per cognitionem creaturarũ exiſtentium, atque adeò non connectitur cum earum exiſtentia; alias creaturæ exiſterent neceſsariò ſicuti Verbum ipſum; at ex ſuppoſitione, quod exiturę ſint: Verbum per ſe poſtulat determinatè procedere per cognitionem earum in ratione exiſtentium acceptarum, vt docet Valentia *prima parte quæſt.* 7. *de Trinit. puncto* 2. Ruiz *ibi diſp.* 63. *ſect.* 4. Arriaga *diſp.* 52. *ſect.* 4. *ſubſect.* 3. & alij. Vnde fit, vt proceſsio Verbi ſine connexione ſit aptum medium ad cognoſcendas in ea determinatè creaturas exiſtentes: cur igitur hoc dici non poteſt de ipſa eſſentia Dei in ordine ad creaturas poſsibiles?

Quod ſi alicui paritas hæc videatur difficilis, ac 115
ſolutro à nobis tradita nimis ardua. Reſpondendum tertiò Omnipotentiam Dei clare viſam ducere quidem in cognitionem creaturę cum quadam indeterminatione, quantum eſt de ſe, num illa ſit poſsibilis, vel impoſsibilis, eo quod nõ connectitur determinatè cum illa: quia tamen facit penetrare omnia prędicata illius; optimè Beatus per dictam cognitionem redditur de eius poſsibilitate ſecurus, quatenus clarè cognoſcit, num eius prædicata inuicem pugnent, vel potius ſibi congruant. Vnde eſt, quod ex continentia virtuali, ſeu eminentiali omnium tum poſsibilium, tum impoſsibilium in Deo tanquam in cauſa prima, præcisè habetur, quod Beatus in Deo viſo certificetur, quod Deus aliquas creaturas creare poſſit ex nihilo. De poſsibilitate verò, vel impoſsibilitate determinatè, nonniſi quia videndo in Deo virtualem continentiam alicuius v. g. Michaelis, eius prędicata intime penetret, atque percipiat. Porro hanc penetrationem prędicatorum ſuſtinendum eſt, quod ex meritis obiecti primarij ipſa viſio beata eſſentialiter exposcat; ita vt ſi ei dicta penetratio negetur, fiat illi violentia, & Deus in hoc contra eſſentialem exigentiam, quam habet beata viſio, operetur. Ex quo vlterius deduceretur, quod omnibus penſatis veriſimilium ſit Beatos per eandem cognitionem, per quam Deum videnti aliquas creaturas cognoſcere in eo tanquam effectus in cauſa ſua, ita vt de illarum poſsibilitate determinatum iudicium ferant; & quidem poſterius hic philoſophandi modus eſt veluti medius inter duos prædecentes, quos in prima, & ſecunda reſponſione tradimus. Atque hæc pro præſenti controuerſia ſint ſatis; nam cætera quæ obijci poſſunt in Phyſicis, vbi egimus de connexione, quam habet materia prima cum formis ſubſtantialibus, ſoluta reperies.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA QVARTA

DE CAVSA EFFICIENTE NATVRALITER OPERANTE in ordine ad effectus in indiuiduo acceptos considerata.

1 EX his, quæ de potentia naturali, & obedientiali actiua dicta sunt, constat, quod licèt causa efficiens creata per potentiam obedientialem ad omnes prorsus effectus cuiuscumque speciei producendos se extendere possit: tamen per potentiam naturalem, non nisi determinatos quosdam quo ad certas rerum species valet, v. g. ignis non nisi calorem, & siccitatem tamquam dispositionem, tamquam verò effectum vltimum, nonnisi ignem. Quoniam verò ex his causis, quę per potentiam naturalem operantur, quædam sunt necessariæ, & quædam liberæ. Per hoc maximè vtraque ab inuicem distinguuntur, quod necessariæ, quamuis si inadæquatè accipiantur, habeant indeterminationem, & amplitudinem in ordine ad plures species effectus: non tamen si adæquatè sumantur; vt patet ex potentia visiua, quæ licèt quantum est de se absque alio comprincipio, quod est necessarium ad visionem, nimirum absque specie impressa visibili sit indifferens, ad eliciendas visiones specie diuersas: at si vna cum specie impressa accipiatur: non potest, nisi visionem vnius speciei elicere, videndo album, v. g. 1 habet speciem albedinis, vel nigrum si nigredinis. Contra verò voluntas libera indifferens est, ad amandum, vel odio habendum, non solùm inadæquatè considerata, & secundùm se, sed etiam adæquatè. Imo si huiusmodi indifferentiam non haberet, quantum ad hoc non esset libera. In præsenti autem Disputatione vtramq; causam, tum liberam, tum necessariā nō in ordine ad effectus species diuersos, sed in ordine ad distinctos numero considerabimus, pro qua re sit.

SECTIO PRIMA.

Vnde habeant causæ secundæ, vt vnum potius effectum, quam alium numero distinctum producant.

2 CErtum est omnem causam secundam habere facultatem producendi plures, & plures effectus numero distinctos intra eandem speciem. Dubium autem est: vnde habeat, vt hic, & nunc, hunc potius producat, quam alium. Quidam enim existimant nihil in creatis à nobis esse assignabile, per quod sufficienter dicta causa secundæ quantū ad hoc determinari possint. Non enim, inquiunt, potest assignari vnitas numerica materiæ: hæc enim indifferens est ad infinitas formas eiusdem speciei recipiendas; neque intentio causæ efficientis particularis: quia hæc non intendit particulare aliquod individuum determinatum; aliquin semper illud efficeret: neque siderum aspectus, corporumque cęlestium influentiæ: quia hæc pariter æquè sunt indifferentia ad influentias, quas in hæc inferiora producere possunt, ac sunt agentia particularia ad suos effectus; neque ad vnitatē temporis, vel loci in quo producitur effectus, recurrere possumus: quia hæc indifferenter etiam se habet, quantum ad hoc. Quare hi Auctores ad primæ causæ determinationem confugiunt, aiuntque quancumque causam secundam, nisi quid obstet, esse indifferentem ad cuiuscumque individui contenti intra speciem, ad quam se potest extendere productionem; & eo ipso quod effectum aliquem vnius speciei in individuo producere potest, posse æquè omnes eiusdem speciei à se distinctos. Quod autem hæc causa hunc potius effectū, hic & nunc producat, & illa illum, immediatè Deo tamquam ab Auctore naturæ procedere.

Dixi (nisi quid obstet) quia putant dari effectus aliquos in individuo, qui ob peculiarem aliquam rationem particularem causam in individuo sibi determinent, cuius generis quidam ex Aduersarijs volunt esse modos omnes respectu suarum rerum, quarum sunt modi, omnesque actus vitales respectu suarum potentiarum. Alij verò dicunt huiusmodi esse solas rerum imagines respectu suorum imaginatorum, à quibus essentialiter pendent. Omnes tamen in eo conueniunt, quod quamuis huiusmodi effectus determinatam in individuo causam sibi vendicent, velint tamen indeterminationem habere quo ad ordinem, secundùm quem à sua causa producendi sunt; & sic species visibiles v. g. quas immittit Plato, licèt non possint, nisi à Platone produci: non tamen habere ab ipso Platone, cur hic, & nunc hæc potius in meo oculo producatur, quam alia; idemque dicunt de alijs modis, vt actione, situ, &c. Vnde concludunt hos etiam effectus debere, quantum ad hoc, determinari à Deo. In hac sententia sunt Gregorius Arimenensis *in primo dist.* 13. *quæst.* 4. *art.* 2 *ad* 7. Scotus *in secundo dist.* 20. *quæst.* 1. Conimbricenses *secundo physic. cap.* 3. *quæst.* 5 *art.* 2. Toletus 2. *de gen. quæst.* 13. Hurtadus *in physicis disp.* 18. *sect.* 4. Auersa *quæst.* 13. *sect.* 6. Arriaga *in metaph. disp.* 1. *sect.* 3. *subsect.* 8. Quiroga *in physic. tom.* 1. *punct.* 2. Compos. *disputat. physicorum. & alij infra* 3 *citandi.*

Contra verò aliorum sententia est, causas secundas efficientes ad certum, & singularem effectum determinari à se ipsis positis in his, vel illis circumstantijs, tamen causa prima non solum quo ad spe-

Digitized by Google

speciem actus, sed etiam quo ad indiuiduationem expectet ab illis determinationem.

5 Nostra Conclusio est cum hac secunda sententia, quę est expressè Sancti Thomæ *quodlib. 5. quæst. 5. art. 8.* vbi ait: Impossibile esse (intellige tu naturaliter) eundem filium nasci, si sit alius Pater, vel alia Mater. Eum sequuntur Capreolus *in secundo dist. 20. quæst. 1. art. 3.* Ferrariensis 2. *Phys. quæst. 4.* Pererius *lib. 8. suæ physic. cap. 15.* Fonseca 5. *metaph. cap. 2. quæst. 54.* Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 44. sect. 6.* licet oppositum doceat in met. & Vasquez, qui *tom. 1. in 3. part. disp. 35. cap. 3.* oppositam sententiam dicit esse nouam philosophandi rationem, & à communi schola alienam, inuectam, vt rationem redderent aliqui, cur idem effectus semel corruptus non possit naturaliter reproduci; licèt ne id quidem saluent, vt rectè probat *loco citato*.

Probatur autem primò ex Aristotele, qui 8. *physic. tex. 15.* docet nihil inordinatum esse eorum, quę natura, & secundùm naturam fiunt: natura enim, inquit, est causa, & principium ordinis in omnibus; neque dicas Philosophum existimasse ordinem istum in rebus creatis à determinatione primæ causæ proceßisse, ne id dicas, inquam, quia, cum ipse putauerit Deum esse agens necessarium, censuit consequenter dictam determinationem non fieri liberè, sed ad exigentiam rerum creatarum. Quod si addas hanc earum exigentiam cum indeterminatione propria componi exspectante determinari: contra hoc facit: quia eo ipso, quod causa necessaria, sicuti est Deus, per Aristotelem, potest determinare ad indiuiduationem effectus, cessat ratio, cur causæ secundæ de facto ad eam se determinare non valeant; ergo &c.

Probatur secundò: quia non est Philosophi ad primam causam recurrere, quando potest aliter dirimi controuersia per causas secundas: atqui præsens controuersia de determinatione indiuiduationis effectus potest optimè dirimi per ipsas causas secundas, vt ex argumentorum solutione patebit; ergo &c.

6 Probatur tertiò: Si prima causa determinaret secundam ad indiuiduationem effectus: sequeretur, quod hic numero calor, qui defacto producitur ab hoc igne præscindendo à diuina determinatione, pensatis omnibus alijs, potuisset produci à quocunque alio igne, vel à Sole, vel à quouis alio calore magis intenso. Sed hoc est falsum; ergo &c. Sequelam non solùm expressè docet Arriaga *in metaph. disp. 1. sect. 3. num. 86.* sed etiam eam præsupponit probare contra Vasquez. Et facilè suaderetur, quia si semel admitterent Aduersarij, quod hic calor sibi determinet vnâ numero causam, illa verò aliam, non possent consequenter negare, quin ex illis caloribus, quos vnus numero ignis producere potest hic sibi vendicet produci primo loco, ille verò secundo loco. Si enim potuit natura omnibus effectibus naturalibus suas determinatas causas assignare, cur etiam non potuit eis, qui ab vna causa producendi erant, assignare determinatum locum, in quo exigerent produci; sed si hoc modo res se haberet, causæ secundæ non indigerent determinatione primæ causæ quo ad indiuiduationem effectus, ergo &c. Minor igitur principalis suadetur, quia vt hic numero calor, qui producitur ab hoc numero igne: vel à Sole, vel à quouis alio calore magis intenso produci possit: necesse est, vt quælibet causa numerica productiua caloris in tanta intensione, quantam habet hic calor habeat virtutem producendi quemlibet calorem possibilem eiusdem intensionis; quia non esset maior ratio, cur quælibet hunc potius, quam alium in sua virtute contineret; ergo omnem possibilem (excepta tamen entitate propria: alias posset se ipsam naturaliter producere; quod falsum esse patet.) Sed præter quam quod hoc ex ipsa terminorum apprehensione appareat incredibile (eo quod superflua, & supernacanea esset in singulis tanta virtus) impugnatur tripliciter. Primò ratione: quia sicuti virtus actiua huius causæ est numero distincta à virtute cuiuscunque alterius: ita debet posse facere effectus numero distinctos ab his, quos potest quæuis alia. Secundò ex absurdo, quod sequeretur: nimirum quod nullus naturalis effectus posset prouenire per se, & determinatè à naturalibus causis: nam effectus, qui æquè produci potest tam ab hac, tum ab illa causa, per accidens est, quod defacto ab hac potius, quam ab illa producatur? Id autem absurdum esse constat: quia aliquis effectus sicuti non solùm in actu, sed etiam in potentia per se, & determinatè intenditur à natura: ita non solùm in actu, sed etiam in potentia debet sibi vendicare certum, & determinatum agens, quod possit illum, & per se, & determinatè producere. Tertiò denique ab exemplo: quia sicuti cognitio, ac species huius numero obiecti: quia sunt eius representatio, ita sibi illud tanquam sui causam exposcunt, vt non possint aliud obiectum habere, à quo tanquam à causa producantur. ita hic numero effectus v. g. calor A. quia est participatio huius numero causæ v. g. ignis B. ita sibi illam determinabit, vt non possit aliam naturaliter habere, à qua tanquam à sua peculiari causa producatur; ergo &c.

Neque dicas, quod cũ determinatio causæ primæ 7
per se faciat ad causas secundas: quando causa prima determinat hunc effectum fieri ab hac causa, hæc per se influat in illum. Ne id dicas, inquã, quia aliud est determinationem causæ primæ per se esse exactam à causis secundis, ad hoc vt operentur hunc effectum, posita tua sententia: aliud verò huiusmodi determinationem ad hunc numero effectum per se pendere supra hanc numero causam. Nam esto quod primum verum sit: hoc tamen secundum sustineri nequit; & ratio vtriusq; sumitur ex natura liberalis, vt sic, quę non stat sine aliqua contingentia. Quamuis autem non sit in potestate Dei, quod causę secundæ operetur hunc numero effectum, sine eius determinatione, atque adeò quantum ad hoc per se eius determinatio sit exacta; quia tamen est in illius potestate iuxta tua principia, quod hæc potius causa illum operetur, quàm alia, sequitur, quod quantum ad hoc per accidens, & contingenter hic effectus ab hac causa dependeat; nam poterat æquè ab alia dependere.

Ad hæc Oueedus *in phys. contron. 7. punct. 6.* 8
num. 9. contendit huiusmodi effectum dependere per se ab illa causa, à qua defacto causatur: quia

pendet

Digitized by Google

pendet ab illa tanquam à vera causa, à qua verè recipit esse, ita vt non possit ea sublata subsistere, nisi alia loco illius subrogetur. Verùm hæc perfectas, vt de se patet, admittit contingentiã, quam tenemur, quantum possumus à causis per se naturalibus naturaliter operantibus ablegare.

Denique Arriaga probare volens quemlibet effectum sub certa specie contentum produci indifferenter posse à qualibet causa productiua aliquorum effectuum illius speciei. sic *num.* 84. argumentatur: si hic calor de facto ab hoc numero igne procedens, ex natura sua solùm respiceret determinatè hunc ignem, & qui procedit à Sole, Solem: essent calores specie diuersi, sicuti etiam essent gradus intensionis primus v.g. qui procedit ab alio calore, & octauus, qui à forma ignis. Sed hoc est contra communem sententiam; & ergo &c. Sequela probatur: quia huiusmodi calores determinatè respicerent terminos specie diuersos, vnus scilicet ignem, alius Solem, &c. Sed respectus intrinsecus ad terminos specie diuersos, necessariò est diuersus, vt patet ex diuersa sensatione hominis, & Leonis, eo quod vna ex natura sua petat solùm hominem, altera solum Leonem; ergo dicti calores erunt diuersi specie inter se.

8 Sed ad hoc responderem primò: negando sequelam, & ad eius probationem distinguerem maiorem: huiusmodi calores determinatè respicerẽt terminos specie diuersos, materialiter concederẽ: formaliter negarem maiorẽ: & sic distincta minore, negarem consequentiam.

Dicerem enim, quod calor qui producitur ab igne non respicit ignem quatenus ignis est formaliter, sed materialiter tantùm, quia formaliter illum respicit, quatenus habet virtutem producendi se: ipsum calor, qui producitur à Sole, nõ respicit Solem formaliter: quia ad eum ordinatur formaliter, quatenus est productiuus sui; & ideo hi duo calores non distinguuntur essentialiter, hoc est formaliter, sed materialiter tantùm, hoc est individualiter, quia tunc respectus intrinsecus ad terminos specie diuersos induceret diuersitatem specificam, quando terminatur ad illos formaliter cõsideratos, & pro ut habent diuersas essentias. Neque dicas virtutem productiuam Solis differre etiam essentialiter à virtute productiua ignis: & sic argumentum recurrere. Contra enim est: quia licet absolutè loquendo essentialiter differant, tamen per hoc precisè, quod virtus Solis est productiua caloris A. & virtus ignis productiua caloris B. non exigunt differre specie, sed ad summum numero. Vnde sicuti recurrit difficultas, ita solutio. Ad paritatem autem ex sensatione hominis, ac Leonis desumptam, dicendum quod & cætera sint paria: eas non differre inter se specie, sicuti diximus de caloribus: virtum autem sint cætera paria, non est huius loci decernere.

Responderi etiam facilius secundò potest: totam exigentiam producendi hunc numero effectũ habere in ipsa causa, & non in effectu, nisi per denominationem extrinsecam, atque adeò effectus omnes eiusdem speciei esse indifferentes, quantum est de se, vt ab hac, vel ab illa causa procedant; & idcò non differre specie.

SECTIO SECVNDA.

Affertur vltima, & principalis ratio nostræ Assertionis.

PRobatur denique quartò nostra Conclusio: Si 9
prima causa determinaret secundam ad individuationem effectus: sequeretur, quod determinaret etiam causam liberam ad individuationem peccati; sed hoc non est concedendum; ergo &c. Sequela patet, non enim potest assignari maior ratio, cur possit creatura se determinare ad individuationem actus peccaminosi, & non ad reliquas; nam vel liberè, vel necessariò ad illam individuationem se determinaret. Non liberè, quia ad hoc vt peccet, non debet voluntas deliberare, nisi de obiecto sibi ab intellectu proposito; non autem de hoc, vel illo actu, quo obiectum illud amare, vel odio habere debeat; cum præsertim intellectus inter vnam, & aliam individuationem actuum voluntatis non planè distinguat; ergo se determinaret necessario. Sed si hoc modo se determinat ad individuationem peccati, non est, cur sic etiam non se determinet omnis alia causa naturalis ad individuationes suorum effectuum; ergo &c. Minor verò suadetur ex eo: quia sic Deus esset causa per se huius peccati in individuo, quod maximè vergit ad errorem Caluini volentis Deum esse causam nostrorum malorum operum, non permissiuè solùm, sed etiam propriè, & per se, vt colligitur ex Tridentino *sess. 6. can. 6.* quod autem esset causa per se probatur: quia ex duabus causis liberè concurrentibus ad aliquod actum, sicuti illa censetur causa per se illius actus secundùm speciem considerati, quæ determinat ad speciem eius: sic illa censeri debet causa per se illius actus secundùm individuationem accepti, quæ determinat individuationem eiusdem. Sed si Deus determinaret hominem ad individuationẽ actus peccaminosi, sicuti homo determinaret Deũ ad speciem illius; ergo Deus esset causa per se huius peccati quo ad individuationem accepti, sicuti homo est causa illius quo ad speciem consideratum, hoc demum malitia in carentia, siue in pœnam consistat.

Ad hoc argumentum aliqui respondẽt primò: 10
negando sequelam maioris, ne cogantur concedere Deũ esse causam per se huius peccati in individuo considerati. Inter quos Arriaga *disp. 11. metaph. sect. 3. num. 75.* sic fere discurrit: si non essent possibilia alia individua amoris, & odij Dei, nisi duo tantùm, Deus præbendo concursum indifferentem ad hoc odium non determinaret quo ad individuationem ad illud, sed voluntas determinando se ad odium, se etiam determinaret ad hoc numero odium. Atqui ex suppositione, quod antequam voluntas operetur, Deus ei præbeat concursum indifferentem, vel ad hoc numero odium, vel ad hunc numero amorem, respectu voluntatis ipsa habent cæteri actus, ac si essent omnino impossibiles; ergo non Deus, sed voluntas determinat se ad individuationem huius peccati.

Sed contra hanc responsionem arguo: quia fac- 11
ta illa hypothesi impossibilitatis aliorum actuũ,

præ-

Digitized by Google

præter illos duos, voluntas non exerceret libertatem suam quo ad indiuiduationem odij, sed solum quo ad speciem; ergo stante aliorum possibilitate, & oblatione concursus indifferentis ad duos tantum, quos Deus seligit, eodé modo voluntas non exercebit libertatem suam specificationis circa dictam odij indiuiduationé, sed solum circa speciem eius; Consequentia patet paritate ad hominem contra auctorem. Antecedens verò probatur; quia ad exercendam libertatem specificationis quo ad indiuiduationé odij requiritur pluralitas indiuiduationum odij proposita voluntati per Intellectum, vt ad vnam potius, quam ad aliam se determinet, sicuti ad exercendam libertatem specificationis quo ad speciē odij requiritur pluralitas specierum, odij videlicet, & amoris eidem voluntati proposita; sed ibi nulla habetur pluralitas indiuiduorum; ergo &c.

Quod si dicas: sufficere, quod voluntas circa di-
12 ctam indiuiduationem exerceat libertatem, quo ad exercitium: Hoc admisso, sic difficultatem vrgeo: in eligendo ex omnibus indiuiduis similibus odij Dei vnum præcęteris, exerceri debet libertas quo ad specificationes; sed hanc non exerceret voluntas creata, sed diuina; hoc ipso, quod Deus præberet concursum indifferentem ad hunc numero actum odij, & non ad reliquos; ergo hic numero actus prout indiuiduationem importat, esset Deo liber libertate quo ad specificationem, non verò voluntati creatæ; & per consequens ad hanc numero indiuiduationem Deus determinaret voluntatē hominis. Patet Consequentia, quia voluntas humana non præeligeret vnam indiuiduationem, sed Deus; ergo eam Deus determinaret, quantum ad hoc.

Aliter discurrit Ouiedus, vt nostræ maioris sequelam falsam esse conuincat, sic enim habet *n.* 9. Deus non est causa malitiæ odij; ergo non est causa, vt potius sit hæc malitia, quam illa. Consequentia suadetur; quia Deus non positiue determinat huius malitię existentiam, sed parat concursum indifferentem ad illam, quem non parat ad alias indiuiduas malitias; ergo, licèt ipse sit causa negationis aliarum, positio tamen huius soli humanæ voluntati tribuenda est, quia hæc tantum illam determinat.

Verum hæc quoque responsio facilè Impugna-
13 tur: quia sicuti ex eo, quod Deus non determinat causam secundam ad speciem actus, non benè per hunc auctorem deducitur, quod non determinet ad eius indiuiduationem: ita neque ex eo, quod non est causa malitiæ odij: quod non sit causa, vt hęc potius malitia, quam alia distincta numero existat. Nego igitur Consequentiam. Ad cuius probationem distinguo maiorem: Deus non positiuè determinat existentiam huius malitiæ sumptæ secundum speciem, concedo; secundū indiuiduationē, nego maiorem. & ad eius Confirmationē addo: quod per hoc, quod Deus exhibeat volūtati concursum suum indifferentem ad hunc mero actum amoris, & ad hunc numero actum odij, solum saluatur, quod non determinet voluntatem nostram ad speciem odij, non autem, quod nō determinet ad indiuiduationem ex suppositione, quod voluntas odio habeat; quod probo à pari: quia per hoc, quod Deus præbeat igni concursum suum determinatum ad hunc numero calorem: non tollitur quin, positiue determinet illum ad eius indiuiduationem, sed solum, quod non determinet ad eius speciem. ergo &c. Antecedens est certum; Consequentia suadetur, quia in tantum Deus non determinat ignem ad speciem caloris, sed ad indiuiduationem, in quantum ignis ex natura sua est quidem determinatus ad calefaciendum, sed expectat determinari à Deo, vt hanc potius formam caloris, quam aliam in subiecto producat. Atqui licèt voluntas non sit natura sua determinata ad odium: ex suppositione tamen, quod ad illud se determinat, non est minus determinata, quā ignis ad comburendum: imò magis, quia determinatio ignis est per modum actus primi: at verò voluntatis per modum actus secundi; ergo sicuti Deus determinaret positiuè ignem ad indiuiduum caloris, ita etiam voluntatem ad indiuiduum odij, & sic non solū est causa negationis existentiæ cæterorum indiuiduorum, sed etiam causa existentiæ indiuiduationis odij.

Idcirco alij respondent secundò ad principa- 14
le argumentum, concessa sequela maioris, sed negant minorem: dicunt enim non esse absurdum, quod Deus determinet ad indiuiduationem Peccati; Ad probationem verò minoris Poncius *in Physicis disp. 9. n. 113.* concedit Deum esse causam per se: cur potius hoc indiuiduum odij producatur, quam aliud; in hoc autem, inquit, nihil esse mali; quia hæc determinatio ad ipsum spectat, tamquam ad primam causam, eo quod causa secunda non habet, vnde sè ad indiuiduationem suarum operationum determinet.

Sed Contra hanc responsionem facit primò: 15
quia *ex Triden. sess. 6. can. 6.* habemus, quod si quis dixerit Deum mala opera non permissiuè solum operari, sed etiam propriè & per sè, anathema sit. tum sic: si Deus esset causa per sè quo ad indiuiduationem peccati, de eo verificaretur operari mala opera non permissiuè solum, sed etiam propriè & per sè; sed hoc asserere prohibemur à Concilio; ergo &c. Maior suadetur, quia ad verificandum, quod aliqua causa propriè, & persè dicatur operari aliquem effectum, non est necesse, vt sic operetur dictum effectum secundum omnem rationem acceptum, sed sufficit si propriè & per sè operetur illum secundum aliquam rationē consideratum; sed Deus hoc ipso, quod esset causa per sè peccati quo ad indiuiduationem, operaretur peccatum secundum dictā indiuiduationem non permissiuè solum, sed propriè & per sè; ergo absolutè dici deberet, quod propriè, & per se, & nō permissiuè tantum operaretur peccatū. Minor videtur ipsa luce clarior, & consequentia euidens. Maior verò probatur exemplo visionis Beatæ, quam lumen gloriç operatur secundum rationem formalem supernaturalitatis; Intellectus verò Beati secundum rationem formalem vitalitatis (intellige tu *formaliter*, nā loquendo realiter, causa, quæ attingit vnam rationem, attingit & alteram) & tamen tum lumen, tum intellectus distributiuè sumpta dicuntur proprie & per sè visionem operari. Item in sententia aduersariorum: voluntas determinat ad speciem actus odij, & non ad indiuiduationem, & tamen dicitur propriè, & per se operari odium. Idem

deni-

Digitized by Google

denique videre est in sexcentis alijs causis, quæ licèt causent effectum secundum aliquam rationem determinatam, formaliter loquendo, & non secundum omnem: de eis tamen verificatur, quod dictum effectum propriè & per sè operentur. Ad verificandum igitur, quod aliqua causa propriè, & per se aliquem operetur effectum, satis est, si secundum aliquam rationem, & non secundū omnem propriè, & per se illum operetur; & ratio à priori huius rei est: quia ex vna parte ad verificandam affirmatiuam propositionem sufficit, si prædicatum secundum vnam tantum rationem subiecto conueniat: contra verò ad verificandam negatiuam necesse est, vt secundum nullam: ex alia verò parte formalitas effectus, quæ proprie & per sè procedit à causa, identificatur cum ipso effectu; ergo hoc ipso, quod causa operatur proprie, & per sè effectum secundum vnam formalitatem, non potest negari, quin proprie, & per se absolutè loquendo, ipsum operetur; Qui igitur concedit Deum esse causam per se, cur hoc indiuiduum odij producatur, debet necessario concedere eumdem Deum proprie & per se operari
16 ipsum odium, quod est contra Tridentinum.

Tertiam Responsionem dat Comptonus in *Physicis disp. 31, sect. 2. n. 7.* dum concedit Deum determinare causam liberam quo ad indiuiduationem Peccati: sed negat inde sequi eum esse causam per se peccati, quod à simili suadere conatur, in hunc fere modum: si quis volenti scribere auferat alterum calamum, vbi sunt tantum duo: determinat quidem scribentem vt scribat hoc calamo; non potest tamen dici causa, cur scribat etiam hoc calamo, sed causa potius, vt nō scribat altero; sed eodem modo se gerit Deus, dum negat concursum ad reliquos actus peccaminosos, & offert illum ad vnum tantum. ergo licet determinet voluntatem creatam ad hunc numero actum peccaminosum, non potest tamen cum veritate dici causa illius, sed sola creata voluntas.

Verum huius etiam discursus Paritas nulla est; in sententia enim eorum, qui dicunt causam primam determinare secundam ad indiuiduationem effectus, necesse est, vt Deus ex omnibus indiuiduis possibilibus odij inter se similibus seligat vnum tantum, excludendo cętera, & ad hoc offerat voluntati creatæ concursum suum indifferentem. At verò qui volenti scribere, ex duobus calamis, quos habet, aufert vnum, non supponitur seligere alterum, & eum illi offerre, vt si velit scribere, eo ex necessitate vtatur & ideo verificatur, quod solum dici possit causa, cur non scribat vno calamo, non verò quod scribat altero.

Quare Deus in casu nostro non solum erit causa per sè, vt reliqui actus odij non existant, sed etiā erit causa per se vt existat ille, ad qué creatura se determinat. Cæterum asserere Deum determinare voluntatem nostram quo ad indiuiduationem peccati, & non esse causam per se illius, quo ad indiuiduationem accepti manifestam contradictionem inuoluit; si quidem libertas propria, & per se in actu primò consistit in indifferentia ad vtrumlibet cum prædominio sui actus: in actu verò secundo posita est in determinatione ad vnam potius partem illius indifferentiæ cum prædominio dictæ determinationis. sed Deus ante quam intelligatur seligere vnum actū odij præ ceteris, intelligitur indifferens ad seligendum illum, & non seligendum, & quando postea illum seligit, iam sè determinat ad vnam partem cum prædominio sui actus. ergo iam exercet propriè & per sè rationem causæ liberæ respectu huius actus peccaminosi, si non absolute, at saltem ex suppositione, quod voluntas peccare velit.

Aliter Suarez Lusitanus in *Phys. tract. 2. disp. 5.* 17
parag. 12. n. 398. conatur cōponere Deum determinare volūtatem creatam ad hoc numero odium, & tamen non esse causam peccati, quia, inquit, non præparat hanc numero actionem, nisi vt causa vniuersalis ex debito generali concurrendi cū causis secundis, posito quod eas gubernare velit, vt causa prima.

Sed nihil proficit, nam ex eo, quod Deus, vt causa vniuersalis determinet indiuiduationes peccati, rectè deducitur, quodin ea determinanda non peccet, non verò, quod non sit propriè, & per sè causa illius peccati ad indiuiduationem. Quia per hoc, quod Deus, vt causa vniuersalis aliquid operetur, non tollitur quin verè, & propriè sit eius causa; alioquin eneruaretur principale argumentū, quo Societas contra prædeterminantes vtitur nimirū, quod si quo Deus prædeterminaret hominem ad peccatum, esset causa peccati nam illi rectè negare possent sequelam, dicendo sicuti de facto dicunt, Deum ex munere primæ causæ ad prędeterminandas singulas hominum actiones obligari.

Negabit sine dubio hanc Paritatem Suarez. & ex his, quæ habet *num. 399. & 400.* disparitatem fortasse assignabit. quod in sententia prædeterminantium Deus absolutè est causa cur oriatur hæc numero malitia: quia absolutè illam vult; at in sententia eorum, qui volunt primam causam determinare secundas ad indiuiduationem effectus, Deus ex suppositione tantum est causa, cur hæc numero malitia existat, eo quod nō vult illam absolute sed solum ex suppositione, quod voluntas humana se determinet ad peccandū in tali specie.

Ast ego, vt verum fatear, non censeo latibu- 18
lum hoc securitatem habere, quod sic euinco: licèt Deus determinet in hac sententia voluntatēm ad hoc numero odium ex suppositione, quod se determinabit ad odio habendum: at non ex suppositione, quod ipsa se determinabit ad hoc numero odium, sed hoc sufficit, vt Deus dicatur causa propria, & per se huius peccati; ergo assignata disparitas nulla est. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur, quia ponamus, quod voluntas aliqua non solum sit indifferens ad amorem, & odium Dei, sed etiam ad negationem vtriusque actus, & sic habeat libertatem tum contrarietatis tum etiam contradictionis quo ad hoc; iam si Deus eam determinet ad odium ex suppositione, quod se determinaret ad exercendam libertatem contrarietatis, vere esset causa per se, & propria odij; ergo licet Deus determinet voluntatem ad hoc numero odium ex suppositione, quod ipsa se determinabit ad odio habendum: sufficit hoc, vt Deus dicatur causa proprie &

per

Digitized by Google

per sè huius numero peccati. Antecedens non credo, quod negabitur in nostra schola; aliquin daretur occasio prædeterminantibus illudendi nostrum argumentum, dicendo: Deum prædeterminare semper voluntatem, eo quod semper præuideat libertatem contrarietatis, eam exercituram esse liberè. Consequentia verò suadetur, quia non minus determinatio, qua Deus determinaret voluntatem ad odium, esset in suppositione exercitij libertatis contrarietatis indeterminate: quam determinatio, qua Deus determinaret voluntatem ad hoc numero odium, esset ex suppositione exercitij libertatis, quantum ad actum odij indeterminatè. Vana est igitur distinctio illa de determinatione facta à Deo ad hoc numero odium ex suppositione, quod voluntas se determinet ad odium, & non absolutè nulla facta suppositione; quia vere quantum ad illam indiuiduam malitiam determinatio Dei est absoluta, & solum ex suppositione, quod voluntas velit odio habere: sicuti determinatio ad odium ex suppositione, quod voluntas velit exercere libertatem contrarietatis circa Deum.

Neque dicas: posse voluntatem se determinare ad actum odij absque eo, quod se determinet ad hanc, vel illam indiuiduationem eius: non posse verò se determinare ad exercendam libertatem contrarietatis absque eo, quod sè determinet ad amorem, vel odium. Contra enim est primo: quia voluntas potest non esse libera, sed determinata ad exercendam libertatem contrarietatis amoris, & odij circa Deum: & indeterminata ad amandum, vel odio habendum ipsum Deum; vt quando non habet libertatem contradictionis circa ipsum Deum: habet verò contrarietatis. ergo non repugnat, quod possit esse indeterminata in ordine ad exercendam libertatem contrarietatis; posito verò, quod illam exercere velit, determinata sit ad vnum ex extremis: ita vt si non esset malum, Deus ad illud eam determinare posset.

19 Contra etiã est secundò, quia in hoc actu odij Dei v. g. tria, quod facit ad rem nostram, considerari possunt, primum est ratio generica, per quam conuenit cum amore Dei, in quantum versatur circa bonitatem Dei, sicuti amor. Secundũ est ratio specifica, per quam ab amore differentiatur per hoc, quod sit recessus, & fuga dictæ bonitatis, amor verò accessus, & prosequutio. Tertium denique Ratio indiuidualis, per quam est hoc Dei odium, & non quoduis aliud; atqui potest esse libera voluntati ratio specifica per modum actus absque eo, quod sit ei libera ratio indiuidualis; ergo poterit esse eidem libera etiam per modum actus ratio generica, absque eo quod sit ei libera specifica, ad quam Deus eam determinando, ex suppositione, quod ipsa sè determinaret ad genericam, excusaretur ab eo, quod esset causa per sè dicti odij, quod nõ videtur concedendũ.

20 Iam verò ex his omnibus, quæ huc vsque probabiliter disputata sunt, ego rationem, fere demostratiuam moraliter loquendo ad sententiam aduersariorum labefactandam, & meam stabiliendã colligo, quæ est huiusmodi: Nemo est, qui neget Catholicũ hominẽ debere sic de diuina bonitate, ac Sanctitate philosophari, vt in quæstionibus hinc inde probabilius eam partem semper probabiliorem existimet, quæ Deum, saluo munere causæ primæ, magis ab actu peccaminoso facit alienum, & minus eum determinationi illius immiscet. atqui in hac probabali quæstione, sententia, quæ negat causam primam determinare secundam ad indiuiduationem effectus ex vna parte facit Deum magis alienũ ab actu peccaminoso, & minus eum immiscet determinationi illius: ex alia verò parte sufficientissime saluat quo modo ad dictum actum, vt causa prima concurrat: contra verò sententia opposita quæ affirmat, aliquo modo Deum participem facit peccati; ergo sine vlla controuersia, qui de Diuina bonitate, & Sanctitate rectè philosophari voluerit, negatiuam Sententiam affirmatiuæ anteferre debet. Maior non indiget probatione. Minor verò suadetur; & quidem quoad priorem partem facile explicatur, quia qui neque speciem alicuius actus neque indiuiduationem determinat, censetur esse magis alienus ab illo, & minorem in eo participationem habere, quam si indiuiduationem illius determinaret, vt de sè patet.

Quo ad verò posteriorem auctoritate ipsorum 21
aduersariorum suadeo, & nominatim Comptoni *Disp. 31. citata sect. prima* vbi docet aliquas causas posse se ipsas ad aliquorum effectuum indiuiduationem determinare, quod probat ex Angelis: hi enim, inquit, videndo omnes actus suos possibiles eiusdem rationis, non est, cur non possint, quẽ velint, eligere. Atqui nemo dubitat Deum in productione huiusmodi actuum non exercere sufficientissime munus causæ primæ. ergo recte saluatur, quod Deus satisfaciat muneri causæ primæ absque eo, quod ad indiuiduationem effectus secundas causas determinet.

Dices ad Causam primam spectat supplere defectum causarum secundarum; sed causæ secundæ non possunt determinare sè ad indiuiduationem hanc, vt patet ex ratione dubitandi, quam initio pro sententia aduersariorum adduximus. ergo &c.

Respondeo negando Minorem; & ad probationem incontrarium ex ratione dubitandi adductam dico: in ea committi fallaciam, dum à sensu distributiuo fit transitus ad collectiuũ, vt ex dictis in argumentorum solutionibus clarè cõstabit.

SECTIO TERTIA.

Occasione primæ obiectionis nostra sententia de determinatione Indiuiduationis effectus explicatur.

OBijcies primò: ex Arriaga *loco citato n.* 83. 22
Ouiedo *n.* 7. & alijs communiter. causę secundę non possunt determinari à circumstantijs temporis & loci ad producendũ hic, & nunc hãc numero effectum: ergo determinantur à causa prima. Consequentia patet, quia, cũ de sè indifferentes sint, vt potius vnum quam alium producant, eo ipso, quod non determinantur à circumstantijs non remanet aliud, à quo determinari valeant nisi Deus. Antecedens verò suadetur, quia si Tempus determinat ad hunc numero effectum: quæro, vel loqueris de tempore reali, valde imaginario.

Digitized by Google

non reali, quia hic numero coeli motus est etiam indifferens, vt hoc tempore imaginario producatur; neque de imaginario, quia hoc cum sit figmentum, non potest individuationem effectus realis determinare. Deinde si determinat locus, vel sermo est de loco extrinseco, & hoc dici nequit, quia eadem numero causa in eodem loco extrinseco potest distinctos numero effectus producere; vel de intrinseco, & hoc multo minus, tum propter eandem rationem: nam Intellectus noster retinendo idem prorsus vbi intrinsecum potest distinctas numero cognitiones de eodem obiecto producere: tum etiam, quia idem agens in eodem loco extrinseco potest constitui per vbicationes finitas in infinitum numero distinctas; indiget ergo determinari, vt hic, & nunc vnam sibi potius producat, quam aliam; non à se, neque à tempore, ergo à Deo; sicuti igitur quantum ad hoc recurritur ad Deum: ita non est, cur non recurratur quantum ad Cetera; cum præsertim percipi non possit, quo modo circumstantiæ adeo extrinsecæ hanc determinationem præstare valeant.

23 Respondent aliqui primò: neque spatium imaginarium, quo ad tempus, neque spatium imaginarium quo ad locum esse merum figmentum, sed esse entia realia negatiua, à quibus sicuti vbicationes reales, & durationes essentialiter specificantur, vt sint hæ potius, quam aliæ: ita possunt individuationes effectuum naturalium dependere. Sed contra hanc responsionem facit primò: quia multi negant dicta spatia imaginaria; qui verò ea concedunt, non negant hoc numero Corpus esse indifferens ad existendum in hoc numero spatio imaginario loci per plures vbicationes numero distinctas, & in hoc numero tempore imaginario per durationes item distinctas numero. Si igitur huiusmodi spatia non possunt determinare causas secundas ad effectus modales, qui essentialiter specificantur ab illis: multo minus ad reales, qui sunt indifferentes ad existendum hoc, vel illo tempore, hoc, vel illo loco.

Pro vera igitur responsione notandum: dupliciter intelligi posse circumstantias loci & temporis determinare causas secundas ad individuationem effectus: primò per se directè. secundo per accidens, & indirecte. Per se, & directe intelliguntur determinare, si dicatur, quod hic numero effectus exigit ex suis intrinsecis produci ab his numero causis in hoc determinato loco, & tempore: ille verò ab eisdem causis in alio, & sic
24 de cæteris.

Per accidens verò, & indirectè, si censeamus has numero causas secundas continere in sua virtute suos effectus numero inter sè distinctos, non inordinatè, & confusè, sed cum quadam serie, & ordine, ita vt ex suis intrinsecis exigant prima vice producere hunc numero, secunda verò illum, tertia illum alium, & sic deinceps; & quia iste ordo prioris, & posterioris vt plurimum distinctas circumstantias loci & temporis habet adiunctas: hinc fieri, vt dictæ circumstantiæ per accidens, & indirectè censeantur determinare illas ad individuationem effectus, non verò primo, & per se; quia per accidens est, quod causa, quando agit in hoc loco, & hoc tempore, exeat in actum suum prima, vel secunda vel tertia vice.

Iam verò quamuis multi ex his, qui nostram sententiam tenere videntur existiment causas secundas primò modo à circumstantijs loci, & temporis, quo ad individuationes suorum effectuum determinari, & quod hæc sit opinio Authorum nostrorum, quos supra citauimus: egregiè tamen decipiuntur; censeo enim determinationem à circumstantijs explicandam esse secundo modo, atque adeo dicendum: causas secundas ad individuationem effectus ex suis intrinsecis directe, & per se determinari, eo quod quælibet seriatim, & non inordinate suos effectus solo numero distinctos contineat, vt docet Suarez *to. 2. in tertiam partem disp. 44. sect. prima*. Sed quia huiusmodi series effectuum non bene percipitur, nisi cum respectu ad diuersa tempora, & loca: hinc est, vt ab huiusmodi circumstantijs dicantur determinari. Porro contra hanc sententiam sic explicatam ne verbum quidem facium Arriaga, & Ouiedus hoc loco; & toti sunt in ea impugnanda iuxta priorem sensum, in quo sensu vere vix, aut ne vix quidem probabiliter sustineri potest. Iam verò his positis. 25

Respondeo secundò ad obiectionem iuxta traditam doctrinam, distinguendo antecedens: causæ secundæ non possunt determinari à circumstantijs temporis, & loci per sè, & directè, concedo: per accidens, & indirecte, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem verò antecedentis dico: circumstantias temporis, & loci, quatenus indirectè, & per accidens determinant, sumi debere, sicuti sumuntur à nobis ad exprimendum discrimen, quod est inter plura individua omnino similia: nimirum in sensu reali, & positiuo cum ordine ad determinata spatia imaginaria. sic enim hæc numero hora v. g. considerata quamuis materialiter, hoc est ratione motus primi mobilis, possit esse alia formaliter tamen pronosticet. correspondet ad hanc numero partem temporis imaginarij, ruplicat, quod sit alia. Idem dicendum de hoc numero loco, quamuis enim in illo possit idem corpus plures vbicationes solo numero distinctas habere: atea quam sibi in hoc instanti producit, differt ab illa, quam sibi producere potest in alijs. Quod & dum est in eodem loco, tum extrinseco tum intrinseco potest plures effectus numero distinctos producere: at non simul etiam in eodem tempore, nisi in distinctis materijs, atque adeo non est, cur huiusmodi circumstantiæ saltem indiuisibiliter acceptæ non possint indirecte, & per accidens dici determinatiuæ causarum ad individuationem effectus. Ad id denique, quod vltimo loco addebatur, spatia imaginaria temporis, & loci non esse realia, atque adeo esse insufficientia ad determinandas causas secundas: eadem adhibenda est distinctio; irrealitas enim ad summum impedire potest ne causis secundas pense, & directe determinent, non autem per accidens, & indirecte.

Contra hanc responsionem grauis difficul- 26
tas insurgit, quam sic breuiter proponerem:

Digitized by Google

vel vna Causa continet in sua virtute ordinatos eosdem numero effectus, quos quælibet alia continet, vel diuersos numero. Neutrum dici potest; ergo &c. Probo minorem non continet ordinatos eosdem numero, quia sequeretur, quod duæ causæ efficientes, quarum vna in hoc instanti applicatur v.g. Romæ ad agendum; altera verò Panormi: eundem numero effectum deberent producere, quia hic, vt suppono, in vtriusque serie esset primò producendus, & reliquos fuisse iam productos; quamuis autem naturaliter bilocatio eiusdem effectus repugnet: non potest tamen assignari maior ratio, cur hic numero calor à causa Romæ existente, & non à commorante Panormi potius producatur. Neque continet diuersos; quia vna non posset conseruare effectum ab alia causa productum, quod est contra communem Philosophorum sensum, existimantium lumen productum ab vna lucerna, posse naturaliter conseruari. ergo &c.

Ad hanc difficultatem nonnulli ex nostratibus respondent: quod vna quæque causa in sua serie eosdem numero effectus contineat, quos quælibet alia in sua: ad id verò, quod in contrarium adducitur responsum dant, negando sequelam, & rationem assignant, cur calor A. v.g. qui tum ab igne Romano produci potest Romæ, tum à Panormitano, Panormi, non producatur in vtroque loco, sed in vno tantum determinato v.g. Romæ, quia inquiunt, ignis Romanus est talis naturæ, vt ipse exigat determinatè concursum ad Calorem A. etiam quando est expeditus ad agendum alibi alius, quicumque ignis.

27 Sed hæc via non videtur vlla ratione in eunda. Inde enim sequeretur, quod ex infinita multitudine indiuiduorum effectuum, quos quælibet causa contineret infinities infinitè fere series naturaliter constituerentur, quarum vna quæque licèt eosdem numero effectus contineret, at diuersimode inter se ordinatos, & combinatos. Sed hoc non est concedendum; ergo &c. Probo sequelam. Series effectuum, quam quælibet causa in hac Sententia continet non est omnino absoluta sed respectiua; Alius enim est effectus, qui ab hac numero causa A. nunc producendus est, si alia causa nempe B. nunc alibi applicetur, quæ in dicti indiuidui productione exigat illi preferri, alius verò si huiusmodi causa non applicetur; ergo causa A. illam infinitatem effectuum continet duplici serie ordinatam, quarum prima est casu quo non coincidat causare cum causa B; secunda verò si coincidat: deinde si eadem causa A. comparetur cum Causa C. eodem modo discurrendum est; nam alium effectum debet producere si coincidat agere in eodem instanti, in quo agit alibi causa C. posito, quod præualeat illi; & alium si non præualeat, ecce tibi terriam seriem; & sic discurri debet comparendo Causam A. cum qualibet causa ex possibilibus, cum non sit maior ratio de vna, quam de alia; quoniam verò causæ possibiles caloris vt octo sunt infinitę; manifestè deducitur: Causam A. illā infinitate calorum, vt octo, quā producere potest, nō in vnica serie, sed in infinitis diuersimodè ordinatis contrinere; & quia de qualibet causa productiua caloris, est eadem ratio: eadem infinitas calorum vt octo, infinities infinitas ordinationes haberet. Hoc autem esse absurdum suadetur ex eo: quia sic causa A. non solum esset connexa cum caloribus, vt octo, sed etiam cum causis potentibus illos producere. Nam hoc ipso, quod ex suis intrinsecis cum respectu ad illas suorum effectuum series ordinat, ad earum implicantiam ipsa quoque implicet necesse est: quamuis autem secundum nostra principia dici posse, huiusmodi connexionem esse cum illis distributinè acceptis: non potest tamen negari, quin multum negotij causa, quæ sic esset constituta faceſſeret primę causę; exigeret enim quoties applicatur in aliquo instanti ad agendum, vt Deus prius, quàm ei suum tribuat concursum aduertat; num alię similes causę in eodem instanti applicatę sint, & quot nam illæ sint, & quæ nam, ex eis exigant illi in ordine ad effectum producendum præferri. Nam si nulla alia est tunc applicata ad agendum exigeret à Deo concursum ad effectum A v.g; si verò centum. & omnes prælationē respectu illius haberent, exigeret concursū ad effectū qui centesimus esset ab effectu A. si verò mille exigeret concursum ad eum, qui per mille effectus distaret ab illo, & sic de cæteris. Quare licèt ex parte ipsius Dei omnia æque illi facilia sint, ex parte tamen obiecti, tot difficultatibus hæc determinatio, quam ex suis intrinsecis causæ secundę ad operandum sibi vendicarent, esset implexa, & à tantis obseruationibus penderet, & tot combinationes à Causa prima faciendas exigeret ad cognoscendum indiuiduationem effectus, quam aliqua causa quando applicatur ad operandum sibi vendicaret, vt satius sine vlla cōtrouersia esset asserere huiusmodi determinationem à Causa prima prouenire, si aliter res componi non posset: quam eam tribuere, causis secundis.

Probabilius ergo ad difficultatem propositam 18
responderem: vnam quamque causam totalem, & adæquatam habere suam peculiarem seriem effectuum numerice infinitorum à reliquis omnibus conditinctam. Ad rationem verò incontrarium. Respondent aliqui primò concedendo sequelam, dicunt enim conseruationem esse duplicem: alteram directam, quæ consistit in positiuo influxu causæ in rem, quę conseruatur; alteram indirectam, quæ in impedienda actione contrarij agentis ne eam corrumpat, posita est. Porro licèt admittant vnum effectum ab vna causa productum posse ab alia conseruari conseruatione indirecta, eo quod in eius serie contineri non debeat, quia vere non causatur ab illa: negant tamen propter contrariam rationem posse directa. Vnde dicunt ad aduentum secundæ lucernæ, si prima remaneat, lumen ab ea productum dependere adhuc à prima tantùm. si verò non remanet, illud numero lumen corrumpi, & aliud, quod est in serie secundæ lucernæ de nouo generari.

Verum ego hanc responsionem non probo. Multiplicat enim rerum productiones sine vlla necessitate.

Quare Respondeo ego secundò, quod licèt 19
vnaquæque causa adæquata contineat in sua virtute propriam seriem constantem, ex diuersis numero indiuiduis, ex quibus, quæuis alia se-

Digitized by Google

ties coalescit: hinc tamen non sequitur, quod vna causa non possit conseruare effectum ab alia causa productum. Ratio disparitatis est, quia effectus dum producitur, accipit à sua Causa suum, esse numericum, suamque entitatem: at verò dum conseruatur in entitate accepta continetur, plus autem ad dandum esse alicui, quam ad illud in esse habito manutenendum requiritur. de facto enim res naturales ad hoc, vt primò fiant, suas dispositiones in excellenti gradu requirunt: at semel factæ, habendo illas in gradu mediocri possunt naturaliter conseruari.

Quod si Conseruatio dici communiter soleat continuata productio. Idem etiam nos dicimus. Sed addimus ad ipsammet actionem productiuam rei primò ponendam plura esse necessaria, quam ad illam continuandam. Vnde distinguendum est inter virtutem productiuam, & conseruatiuam indiuiduorum luminis, quam habet lucerna A. v.g. & siquidem sermo est de productiua, dicendum, quod indiuidua certa, tanquam proprios effectus sibi determinet, eaque ordinatim producere ex suis intrinsecis exposcat: si verò de conseruatiua, vtrumque negandum, non enim coarctatur ad hęc potius indiuidua conseruanda, quam alia, neque cum ordine prioris & posterioris illa exigit conseruare, & rectè id quidem; nam in ordine ad conseruationem cessant rationes, quæ nos ad seriem propriorum effectuum producendorum cuilibet causæ concedendam impulerunt. Ex vna enim parte, adhuc stat tot infinitates effectuũ numero distinctorũ posse a Deo produci, quot possũt assignari causæ adæquatæ illorum: ex alia verò pro illa indeterminatione, non est faciendus recursus ad Deum: semper enim assignari potest aliqua maior ratio, cur hęc causa hunc potius effectum numero conseruet, quam alium; quia nimirum illi applicatur potius, quã alteri; quod de productione affirmari non potest, quia etiam si materia cui applicatur hoc numero agens, sit vna numero: non est tamen maior ratio, cur in eam hanc numero formam introducat, quam aliam ex multis, quas introducere potest.

30 Instabis primò: si concurrant plures causæ totales ad producendum vnum numero effectum, quælibet ex eis partialiter in illum influit attemperando suam totalem virtutem, quam habet; ergo hic numero effectus in virtute productiua cuiuslibet ex illis continebatur, & sic falsum est virtutem productiuam vnius causæ, sibi determinare certos effectus, quos nulla alia Causa producere valeat.

Respondeo: quod quando vna Causa coniungitur cum alia ad operandum: sicuti, etiam si in sè totalis sit, tamen in ordine ad illum effectum, sè habet, vt partialis: ita etiam, vt partialis sè habet in ordine ad continendam indiuiduationem illius: quare numquam ille numero effectus, qui produceretur ab vna causa totali, sine alterius consortio operante, producitur ab illa dum ab altera adiuuatur. Neganda est igitur consequentia. Cæterum quando communiter dicitur, quod quælibet ex causis totalibus ad vnum numero effectum producendum concurrentibus habeat sè tota virtutem illum producendi, verum est, si sermo sit de effectu indeterminatè sumpto; quia potest quælibet similem producere, non autem determinato effectu in indiuiduo, quia hic respicit omnes illas causas indiuisibiliter acceptas.

Instabis secundò: hæc numero Causa siue totalis sit, siue partialis est indifferens ad hoc, vt coniugatur ad agendum cum hac, vel illa numero concausa, nec exigit, vt prius coniugatur cum vna postea cum alia; ergo tot infinitates indiuiduorum, & eodem modo continere partialiter debet: quot sunt possibiles causæ cum quibus ad agendũ coniungi potest; sed hæ sunt finitæ in infinitum, & non habent inter sè ordinem prioris, & posterioris ergo quælibet causa etiam totalis infinitas in infinitum infinitates indiuiduorum inter sè inordinatas debet continere. Pro horum ergo determinatione necessario ad causam primam est faciendus recursus. cum præsertim non videatur possibile, quod vna causa possit sè extendere ad determinandas sibi ex suis intrinsecis indiuiduationes effectuum in tanta diuersitate, & contingentia 31

Respondeo concesso, vtroque enthymemate, negando vltimam Consequentiam; & dico; quod nos quando asserimus causas secundas se ipsis esse determinatas ad Indiuiduationem suorum effectuum per hoc, quod contineant eos in sua virtute cum quadam serie prioris, & posterioris: loquimur semper de causis secundis totalibus totaliter operantibus. Quoniam verò quando plures causę totales ad productionem vnius effectus concurrunt attemperando suam virtutem, formaliter sè habent, vt vna causa totalis: dicendum consequenter est eis à natura assignatam esse determinatam seriem suorum effectuum vnde si eidem numero materiæ dictę causæ simul pluribus vicibus applicentur, ex sè habeant, vt primò loco hunc, secundò verò alium determinatum producant effectum. Quemadmodum igitur vna numero causa potest coniungi cum pluribus alijs in ordine ad agendum: ita, præter propriam seriem, quam respicit, vt causa totalis totaliter influens, debet habere plures alias iuxta diuersitatem causarum, quibus coniungi potest, alias non eis prospexisset natura sicuti oportebat, dedisset enim potentiam ad faciendum vnum principium causatiuum cum alijs, absque eo, quod assignasset dicto principio peculiares effectus, quos seriatim producere deberet. Quod autem hæc numero causa cum his potius causis coniungatur, quam cum alijs, ex accidentalia rerum naturalium combinatione procedit, quarè neque pro huiusmodi coniunctione, neque pro determinatione iudiuiduationis effectus generandi recurrendum est ad Deum. Vnde apparet falsam esse vltimam Consequantiam.

Atque ex his liquet ad difficultatem propositam. Quantum verò ad id, quod vltimo loco addebatur ex nostra ratione desumptum: nimirum non videri possibile, quod vna causa secunda possit sè extendere ad determinandas sibi ex suis intrinsecis tot infinitates effectuum in tanta contingentia multiplicatas, dicendum: vni causæ totali totaliter operanti non nisi vnam seriem effectuum per sè loquendo assignatam fuisse à natura, 32

Digitized by Google

cura, quod si huic causæ totali partialiter operari contingat, aliam seriem sibi vendicare; quatenus scilicet, incipit esse pars alterius causæ totalis, quę suam peculiarem seriem expostulat, hoc est per accidens & hæc est disparitas, quæ inter nostram, & aduersariorum Sententiam intercedit; illi enim volebant vnam eandem causam totalem totaliter operantem modo vnam, modo aliam seriem effectuum sibi determinare, quod nos omnino negamus.

Instabis Vltimo, si vera esset tradita doctrina de causa totali totaliter operante: sequeretur, quod Deus fuisset ex suis intrinsecis determinatus ad producendum initio mundi illas numero creaturas, quas de facto produxit, & non nisi miraculosè potuisset producere alias numero distinctas, quodque si alium mundum vellet nunc producere, non nisi illum, qui in serie mundorum possibilium, secundum sibi vendicat locum deberet producere: sed hæc non videntur concedenda, vtpote contra communem sensum; ergo &c.

33 Respondeo similia argumenta fieri ab Hurtado, & Arriaga contra sententiam eorum, qui dicebant causas naturales à circumstantijs extrinsecis primò, & per sè determinari: nimirum, quod deberent dari Angeli Autumnales, qui scilicet tępore autumni exigerent creari, hyemales, qui brumali tempore, & sic de cæteris. Iam enim à circumstantia temporis penderent; quod que punctum illud materię primæ in prima creatione Romæ productum, non potuisset connaturaliter alibi produci, quatenus penderet à Circumstantia illius loci &c. Verum Ouiedus quamuis cum his in Conclusione sentiat, hæc eorum argumenta nō probat, & rectè id quidē, præsens enim controuersia procedit solum de illis causis, quæ cum plures effectus solo numero distinctos in sua virtute contineant: non possunt tamen se liberè determinare ad vnum potius, quam alium hic, & nunc producendum. Quoniam verò Deus est agens perfectissimè liberum, comprehendens vltimas individuationes singulorum effectuum suorum: hinc fit, vt effectus, qui illum respiciunt tamquam causam adæquatam sui, totam determinationem ab eius voluntate expectent. Neganda igitur est sequela Maioris, atque dicendum: quod duplicis generis Creaturas Deus initio Mundi produxit: vnum earum, quę à nulla alia causa creata produci poterant, sed à sola increata, vt sunt Angeli, & ipsi Cœli, alterum earum, quæ forte continebantur in virtute productiua alicuius causæ creatæ, atque adeo potuissent ab illa produci, vt forte fuit forma ignis, Leonis &c. Iam verò respectu nullius, ex illis Deus fuit intrinsecè determinatus nam prioris generis creaturæ nullam seriem sibi vendicant, sed cum omnimoda indifferentia Dei determinationem expectant, vt hæc potius, quam illa accipiat esse. Posterioris verò quamuis à suis causis secundis seriatim exigant produci: at non à Deo, atque adeo in ordine ad illum plenissimam habent indifferentiam. Quod si Angeli cognoscunt individuationem suarum operationum, quos liberè exercere valent, ita vt possint vnam præ alijs eligere: propter eandem rationem dicendum est: huiusmodi operationes non contineri in eorum virtute cum ordine prioris, & posterioris, sed cum omni indifferentia eorum libertati subiectas esse; contra verò si non possunt, sicuti nos sumus, qui ideirco nostras operationes seriatim in virtute productiua continemus, ita vt non habeamus libertatem in ordine ad præferendam vnam alteri, ex his quæ solo numero distinguuntur.

SECTIO QVARTA.

Proponuntur, & soluuntur cætera obiecta Contra Doctrinam Traditam.

OBijcies secundò, si Causæ secundæ naturales ex sè essent determinatę ad individuationem effectus: sequeretur, quod causa æquiuoca creata non posset producere illum numero effectum, quem potest causa vniuoca. Sed hoc est absurdum; falsum enim esset, quod Causa æquiuoca contineret in sè totam perfectionem speciei, quod tamen communiter Philosophi docent. Respondeo; Concessa sequela, negando Minorem, ad cuius probationem dico: quod in tantum causa æquiuoca dicitur continere totam perfectionem speciei, in quantum nullus datur effectus adeo perfectus intra illam speciem, cui alium similem ipsa producere non valeat. Atque hoc intelligendum est de causa æquiuoca creata; nam Increata non est dubium, quod possit se sola producere omnes effectus in individuo, quos simul cum causis vniuocis producit, quatenus continet in sè perfectissimo modo, virtutes actiuas illarum. 34

Obijcies tertiò: vna numero potentia v.g. visiua respicit omne visibile. ergo, & vna numero causa potest producere omnes effectus contentos intra illam speciem, ad quam se extendere potest. Respondeo Argumentum hoc, si quid probaret, euinceret vnam causam creatam posse producere omnem effectum producibilem; sicuti potest vna potentia intellectiua cognoscere omne intelligibile. Negāda est igitur Consequentia, & assignanda disparitas ex eo, quia obiectum non efficitur à potentia, sed illam specificat; atque adeo, aliquo modo sè habet, vt causa respectu illius; at verò effectus effici debet à causa sua, ita vt sit participatio illius. Porrò minus probabiliter alij duplici alia paritate vtuntur ad idem probandum: sic. Idem effectus secundum speciem potest produci à diuersis specie agentibus; ergo, & idem secundum individuationem determinatam ab agentibus numero distinctis. Item: mobile, siue à se moueatur ad hunc numero locum, siue ab alio mouente, acquirit idem numero vbi. ergo vnus numero effectus à pluribus causis diuisim sumptis produci poterit. 35

Sed neutra paritas, habet vim: non prior, quia virtus productiua effectus secundum speciem considerati, cum non sit singularis, optimè potest competere pluribus subiectis specie differentibus, sicuti de facto animalitas competit homini, Leoni &c. at virtus productiua huius numero effectus, vt potè singularis non potest competere nisi vni causæ individuę. Neque posterior, quia

dupli-

Digitized by Google

dupliciter loqui possumus de vbi: primò in sententia eorum, qui admittunt vbi intrinsecum modaliter distinctum. Secundò iuxta eos, qui illud negant: & putant, præter locum extrinsecum, nullum aliud vbi concedendum esse. Iam verò si loquimur cum primis, neganduu est antecedens, dicendumque, vbi modum, quod acquirit mobile, si moueatur ex se ad hunc numero locum, differre numero ab eo, quod acquirit si moueatur à mouente A; ita, vt pro diuersitate mouentium distincta sint vbi, quæ producuntur, sicuti pro diuersitate causarum caloris, distincti sunt Calores, qui efficiuntur in eodem passo. Si loquimur cum secundis, concesso antecedente, neganda est consequentia. Disparitas est, quia negato vbi intrinseco per distinctos illos motus à diuersis motoribus causatos nullum est vbi, quod producatur de nouo; at agentia quando agunt, debent suum effectuum de nouo producere.

Instabis: vis productiua huius numero calo- 36
ris, quæ est in igne A. v.g. vel respicit calorem hunc sub ratione caloris vt sic: vel sub ratione talis numero caloris non secundum, alioquin nō posset nisi hunc numero calorem producere; ergo primum, quantumuis igitur quando agit, debeat suum effectum de nouo producere: poterit, quantum est de se, producere quodcumque indiuiduum caloris.

Respondeo negando maiorem, quia non sufficienter assignantur in ea rationes, sub quibus potest ignis A. calorem illum attingere. si quidem dictus Calor non solum potest respici à potentia calefactiua, qua calor est, neque qua, talis calor, sed etiam quatenus continetur in serie calorum, quæ spectat ad ipsam: quoniam verò hoc modo respicitur ab igne A. hinc fit, vt dictus ignis, neque hoc tantum indiuiduum caloris, neque omne producere possit, sed certos quosdam, & determinatos in vna serie comprehensos.

Obijcies quartò: si quilibet effectus sibi ven- 37
dicaret peculiarem causam, à qua fieri exigeret: sequeretur, quod quilibet esset subordinatus suæ determinatæ causę productiuæ, sed hoc admisso; admittendus esset processus in infinitum in causis efficientibus, quem Aristotiles *secundo metaph. cap.* 2. docet esse absurdum; ergo &c.

Respondeo: Maiorem esse de subiecto non suppponente, quia quilibet effectus quantum est de se indifferens est, vt ab hac, vel illa causa producatur: & causa potius est, quæ vendicat sibi determinatam effectuum seriem. In quo sensu, nec non etiam in sententia contraria indifferentiam in effectibus adhuc negante dico Philosophum non omnem processum in infinitum in causis efficientibus existimasse absurdum, constare ex eo, quia ipse putauit rerum Corruptibilium generationes fuisse ab æterno, & æterno tempore duraturas, quod sine serie infinitarum causarum sibi inuicem subordinatarum stare non potest. Vt autem sciamus quem processum in causis existimauerit Aristotiles repugnare. Notandum est dupliciter aliquas causas posse esse inter se subordinatas: accidentaliter, & essentialiter. Prior subordinatio est inter eas causas, quarum vna licèt ex suis intrinsecis petat habere esse ab alia, quando tamen agit, non pendet ab illa; sed sine ea existat, siue non, eodem modo influit in effectum. Posterior verò est inter causas illas, quarum vna, dum actu mouet, & causat, indiget actu moueri, & causari ab alia: alioquin nihil operabitur. Porrò Philosophus non existimauit absurdum processum in infinitum in Causis primò modo: hic enim in rebus generabilibus, & Corruptibilibus per eotam æternitatem inuenitur; sed solum secundò modo, & rectè id quidem; nam huiusmodi processus si daretur, omnem prorsus tolleret efficientiam; quemadmodum enim in horologio machinali, in quo multæ rotæ sunt inuicem subordinatæ, ita, vt vltima moueatur à penultima, & hæc ab antepenultima, & hæc ab alia sibi proxima &c. si non daretur prima, vnde inciperet motus, sed procedendum esset in infinitum, numquam infima moueretur. Ita si in causis essentialiter subordinatis non daretur prima Causa, sed procedendum esset in infinitum; nullus produceretur effectus. Quoniam verò ex eo, quod quilibet effectus suam habeat peculiarem causam, non sequitur essentialis subordinatio inter causas, sed solum accidentalis: hinc fit, vt processus in infinitum, qui ex nostra sententia deducitur, nullam contineat absurditatem.

Instabis, si subordinatio huius effectus ad Cau- 38
sam suam in nostra sententia est accidentalis. ergo potest produci hic effectus, & non ab hac numero causa; sed hoc est contra nostram doctrinam; ergo &c. Respondeo subordinationem effectus ad Causam suam non dici à nobis accidentalem, quasi verò sit contingens, & potuerit naturaliter fieri effectus sine dependentia à tali causa: sed quia licèt habuerit esse à tali causa: tunc tamen quando agit, non dependet amplius ab illa, sed per accidens illi est, quod tunc existat; sicuti etiam per accidens illi est, quod habuerit esse ab illa.

Obijcies quintò: Idem numero effectus arti- 39
ficialis v. g. eadem nauis, vel domus causari potest à pluribus artificibus diuisim sumptis; ergo & idē numero effectus naturalis à pluribus causis adæquatis seorsim acceptis.

Respondeo, negando Consequentiā: disparitas est, quia causæ naturales faciunt effectum suum per productionem entitatis illius; at artificiales per solam congregationem, & applicationem diuersarum entitatum, quarum applicatio licèt, cum sit actio, quatenus fit ab vno artifice, non possit esse ab alio: quia, tamen hæc extrinsecè sè habet respectu entitatum, quę applicantur: hinc fit, vt aggregatum ex illis siue fiat ab hoc, siue ab alio artifice, semper fit idem numero.

Obijcies sextò: Idem numero effectus potest indifferenter corrumpi à diuersis agentibus; ergo, & produci.

Respondeo, Concesso antecedente, nego Con- 40
sequentiam. Disparitas, est quia per generationem tribuitur esse; per corruptionem autem auferetur. plura autem requiruntur ad dandum esse, quam ad auferendum: ad hoc enim requiritur solum posse producere formam incompossibilem corrumpendę, forma autem hęc multiplex esse potest. at verò ad dandum esse requiritur in causa vis producendi dictam formam quæ cum in sè deter-

Digitized by Google

determinata sit, non nisi in vna numero potentia effectiua reperiri potest. Atque ex his patet etiã, cur idem effectus in specie possit æque produci ab agentibus specie diuersis: non autem idem in individuo ab agentibus numero diuersis. Singularitas enim non stat cum indeterminatione sicuti stat species, ex eo tamen, quod singularis effectus determinet sibi pensatis omnibus peculiarẽ causam, non sequitur, quod plures effectus plures causas sibi vendicent: quæ enim inter sè differunt, posse ab eodem numero principio pendere, patet ex rebus omnibus creatis, quæ ab vno Deo originem trahunt.

41 Obijcies septimò: Beata Virgo, vt communiter Theologi docent, non meruit, quod Verbum assumeret hanc numero humanitatem, hoc enim est mereri substantiam Incarnationis, aliter Principium meriti cecidisset sub meritum, quod inuoluit implicantiam: bene tamen meruit circumstantias stirpis, quod scilicet, tali tempore, & à sè Christus Dominus nasceretur. ergo humanitas Christi non erat hæc numero per ordinem ad tales causas. Non igitur prouenit ex causis secundis, vt hic potius, quam alius numero producatur effectus. Antecedens, & secunda consequentia patent, prima verò probatur, quia ad hoc vt Beata Virgo merita fuisset apud Deum circumstantiam stirpis, debuit prius præuideri à Deo ipsa Incarnatio secundum substantiam suam absolutè futura, quæ erat talis meriti principiũ, sed in eo priori erat hæc numero humanitas in mente Dei finis, & hinc ad circumstantias stirpis, & temporis. ergo non erat hæc numero per ordinem ad tales Causas.

Respondeo concesso antecedente, negando vtramque Consequentiam ad prioris autem probationem, dico: de duplici merito Virginis, & aliorum Patrum nos loqui posse in ordine ad stirpẽ Christi. Vnum esse potest proprium videlicet in genere causæ efficientis, quod scilicet habuerit influxum causatiuum in talem numero Incarnationem, mouendo Deum ad faciendam illam ex tali stirpe, vt præmiaret dictum meritum, & si de hoc merito agatur in argumento, nego maiorem, si quidem est de subiecto non supponente dum assumit, hoc genere meriti B. V. circumstantiam stirpis meritam fuisse. Quia ex vna parte Christus debuit esse principium causatiuũ omnis meriti supernaturalis: ex alia verò causa efficiens debet præintelligi existens ad effectum, vnde impossibile fuit, quod Deus intuitu meriti supernaturalis Virginis, & Patrum decreuerit Christum ex tali stirpe procreandum. Alterum meritum dicitur improprium, quod non mouet propriè præmiantem ad dandum præmium, sed solum disponit personam, cui donans decreuit absolutè concedere donum aliquod ad dictum donum congruè, & laudabiliter in actu secundo recipiendum; & si de hoc merito sermo est, Concedo Virginem, & Patres meruisse circumstantiam Incarnationis quantum ad stirpem, quia vere post quam Deus decreuit mittere filium suum in mundum ex talibus parentibus: intuitu meritorum eius absolutè præuisis dedit illis multa dona supernaturalia, quibus sè disponerent, vt ex quo nationem Incarnationis ex proprio semine digne, & laudabiliter susciperent. Atque hoc loquendo de merito ordinis supernaturalis; nam de merito ordinis naturalis est alia ratio. Sic concessa minore, nego consequentiam.

Obijcies ostauo ex Scoto si Adam non peccasset electi ad gloriam ijdem prorsus fuissent, qui modo sunt post peccatum illius, sed tunc geniti fuissent ex alijs parentibus. ergo effectus præsatis omnibus non sibi determinant peculiarem Causam. Maior patet ex eo quia, electio ad gloriam fuit ante præuisionem peccati. Minor verò probatur, quia aliqui modo generantur ex reprobis parentibus, in statu autem innocentiæ nullus fuisset improbus. 42

Respondeo primò negando Maiorem cum sua probatione; vt suppono ex schola Sancti Thomæ. Respondeo secundo data Maiore, nego Minorem; ad cuius probationẽ dico non esse omnino certum, nullos in statu innocentiæ futuros fuisse reprobos.

Obijcies nonò: Causa secunda, neque formaliter neque eminenter continent individuationem suorum effectuum. ergo non possunt ad illos ex suis intrinsecis determinari. Antecedens probatur quantum ad id, quod non contineant formaliter, quia quantumuis causa aliqua sit similis suo effectui; semper tamen est illi in individuatione dissimilis aliter ab eo non differret numerice. ergo &c. Quod verò neque contineat eminenter probatur etiam, quia nulla Causa vniuoca continet dictam individuat omem in aliqua ratione superiore. Nam ratio hæc superior, vel esset natura causæ, vel eius individuatio, vel vtrumque: non primum, quia natura non est principium productiuum huius determinati effectus, nisi vt determinata per suam individuationem, alioquin cum natura sit eadem in omnibus, quælibet causa illius speciei contineret omnes individuationes effectuum; neque secundum quia eccitas causæ eodem modo comparatur ad naturam, sicuti eccitas effectus, non igitur eccitas causæ est gradus superior respectu eccitatis effectus. Neque tertium, quia neque singularis natura causæ est superior ad naturam singularem ipsius effectus. 43

Respondeo primò ex hoc argumento probari Causas secundas esse pro vt à Deo determinatas, non posse hunc potius effectum producere, quam alium. Supponimus enim in præsentia determinationem Dei sic, non sè habere per modum principij complentis vim causæ secundæ, sed solum per modum actionis inferentis indifferentiam ab illa. Neque dicas causas secundas concurrere ad individuationes effectus non per sè, & immediatè; sed quatenus constant enum principium cum Causa prima. Ne id dicas, inquam, quia sic iam causa secunda conduceret ad individuationem, vt eleuata. Causa enim principalis, vel eminenter, vel formaliter continere debet effectum secundum omnes gradus etiam individuales. 44

Respondeo secundò negando antecedens, dico enim, quod causa secunda continet eminenter individuationem effectus in aliqua scilicet ratione superiore, hæc autem est illarũ natura. Sciendum si quidem est, quod vis omnis, & facultas ope-

Digitized by Google

operandi in rebus prouenit ab earum essentia, atque natura, quæ sic habet, vt radicale principium operationum suppositi, in quo reperitur. Quoniam verò indiuiduatio est determinatiua naturæ reddendo illam indiuiduam: hinc fit, vt ab indiuiduatione prouenial determinatio facultatis operatiuæ eiusdem naturæ, vt ad hos potius quam alios effectus se possit extendere; ex quo patet responsio ad duas rationes in contrarium. Ad priorem itaque distinguo assumptum: natura non est principium productiuum huius determinati effectus nisi, vt per suam indiuiduationem determinata, ita scilicet vt eius indiuiduatio sit id in quo ratio producenda contineatur, seu sit vis causatiua causæ, nego: ita vt sit solum determinatiua naturæ ad hoc, vt hanc determinatam seriem sibi vendicet, & non aliam, concedo; sed ex hoc nihil sequitur contra nos, quia aliud est loqui de principio determinatiuo, & aliud de productiuo.

Ad posteriorem verò distinguo sequelam de causa: si enim hæc vniuersalis est ab omni indiuiduatione præuisa consideretur, concedo, quod possit producere indiuiduationes omnium effectuum: considerata pro vt de facto sè habet à parte rei, & prout est per hanc numero indiuiduationem contracta, ac veluti materializata, nego sequelam.

45 Obijcies decimò: Eadem virtus requiritur in igne ad producendam seriem ignium A: quæ requiritur ad producendam seriem ignium B. ergo ignis ille qui potest producere vnam seriem, poterit vtramque. Consequentia patet, quia non requiritur maior virtus ad vnam, quam ad duas: antecedens constat ex eo, quia neque potest dici, quod requiratur maior, neque quod minor, quia indiuidua vtriusque seriei sunt eiusdem perfectionis.

Respondeo distinguendo antecedens: eadem virtus, scilicet æqualis requiritur & cætera, concedo: eadem virtus numero, nego antecedens, & consequentiam. Quia licèt non requiratur maior virtus intensiuè ad producendam vnam seriem, quam duas, requiritur tamen maior extensiuè, quam requirunt duæ causæ numero distinctæ. Ad probationem antecedentis aio, quod sicuti ex exigentia æqualis virtutis in causis, non potest colligi, identitas numerica illarum; ita neque identitas numerica ipsorum effectuum, sed solum æqualitas: inquantum effectus vnius seriei non excedit virtutem intensiuam causæ alterius seriei, sed solum extensiuam.

46 Obijcies vndecimò: Potest vnus ignis intendere eundem numero Calorem ab alio igne productum: item vna causa interimens hominem potest producere eandem numero formam cadaueris, quam potest alia: ergo. &c.

Respondeo, quòd in casu intensionis pars caloris, quæ additur præcedenti est distincta numero ab ea, quæ addita fuisset, si primò agens prosequutum fuisset suam actionem, quare nego consequentiam. Circa formam verò Cadaueris distingue de Causis interimentibus, & si quidem sunt per accidens, vt iugulantes &c. Concede posse producere eandem numero formam dummodo causæ per se sint eædem: si autem sint per sè interimentes nega. Sic siue Petrus, siue Paulus applicet ignem A. stupæ B. eadem numero forma ignis produci debet.

Obijcies duodecimò: hæc numero materia 47
non est determinata ad vnam potius seriem formarum, quam ad aliam; ergo neque hæc causa efficiens creata erit determinata ad hanc potius seriem effectuum. Consequentia valet: antecedens probatur, quia hæc numero materia potest æque hic, & nunc esse alimentum plurium viuentium, atque adeo, æque causare plures formas.

Respondeo primo nonnullos concesso antecedente, negare Consequentiam, disparitas esse potest, quia materia est essentialiter primum subiectum, cuius munus est habere indifferentiam ad omnes actus, & esse vniuersalissimam potentiam respectu illorum, ita vt nequeat intelligi alia Vniuersalior illa; & hoc ideo, quia est fundamentum totius esse, in quo omnes species communicare debent. Nihil autem horum conuenit causis secundis efficientibus; alioquin, quæ posset causare vnam formam vnius speciei, posset causare omnes cuiuscumque alterius speciei, sicuti potest materia. Verum non probo hanc solutionem, ex ea enim sequeretur, quod si vna causa duplici materiæ applicata in eodem instanti deberet operari in vtramque, necessario esset determinanda à Deo, vt hanc formam in vna; illam verò in alia materia produceret. Cõtra verò si dicamus, formas non solum per ordinem ad distinctas causas efficientes, sed etiam ad distinctas materias indiuiduari. Nam sit quælibet materia in ordine ad idem numero agens suam peculiarem seriem effectuum sibi vendicaret. Quare.

Respondeo secundò negando antecedens: aio enim, quod licèt hæc numero materia sit indifferens ad quamlibet speciem formarum, non est tamen indifferens ad series cuiuslibet speciei, sed in qualibet specie habet suam determinatam seriem sub determinatis efficientibus considerata. Ad probationem aio: quod licèt hæc materia esse possit æque alimentum plurium viuentium non tamen æque causat omnes illorum formas, quia alia numero est pars formæ huius equi, quæ introducitur in materiam huius alimenti, ab illa, quæ introdueretur, vel in materiam alterius aliméti, vel in hanc eamdem materiam si alitus ea fuisset alius equus: neque dicas saltem animam rationalem semper esse eandem, quia cum hæc spiritualis sit, & independens à materia non causatur ab illa, vnde non est mirum si respectu omnium sit indifferens.

Obijcies decimotertiò: ex Ouiedo *in Phys. Controu. 7. puncto 6.* ex scripturis constat, multos homines datos esse suis Parentibus, ex meritis Christi. Sed isti homines erant alias nascituri independenter à dictis meritis; ergo æque bene ab alijs parentibus poterant nasci. Minor probatur, quia Christus, non meritus est hominum existentiam, sed illorum redemptionem. Vnde *Augustin. epist. 105.* Christus inquit, non pro nullis, vt homines conderentur; sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur. 48

Respondeo, concessa maiore; negando minorem: cuius distinguo probationem: Christus

non

Digitized by Google

non meritus est hominum existentiam primo, & per sè, concedo, secundario, & veluti per accidens, nego assumptum, & dico Christum Dominum id primo, & per sè meruisse, ad quod primo, & per sè subsistentia Incarnationis eius ordinata est. Porrò hoc non fuit nisi sola generis humani redemptio. Et in hoc sensu loquitur Augustinus, cum quo tamen stat, quod secundario, & consequenter multa bona temporalia nobis promeruit, vt sanitatē, Annonæ abbundantiā, pacē, & cætera, pro quibus Patrem per eius merita deprecamur; inter hęc autem recte numeratur fœcunditas. Cæterum repugnare naturaliter, quod vnus filius, qui generatur ab his parentibus, generetur ab alijs, alibi diximus.

49 Obijcies decimo quarto: ex eodem Ouiedo *Controu. 1. c. punct. 2. n. 8.* Deus est causa libera omnium effectuum, quos, vt causa prima cum causis secundis producit. ergo sicuti causa libera creata determinat effectum suum, secundum eam rationem, quam potest: ita, & increata saluis iuribus causarum secundarum determinabit effectus illarum, quanto magis poterit. Sed iura causarum secundarum recte saluantur, etiam si Deus eas determinet ad indiuiduationes suorum effectuum primo. Dicendum est ergo, quod Deus ita de facto se gerat.

Respondeo primo: negando consequentiam, & paritatem Disparitas est, quia causa creata libera sè habet vt causa particularis in operando, & sic quantum possumus, eius libertati fauere debemus. At vero Deus, quādo cōcurrit cū Creaturis, sè habet, vt causa prima, & vniuersalis, ideoq; quam minimum possumus, ei tribuere debemus. Sic enim maius artificium illius in mundi creatione relucet, vt constat ex artifice horologiorum rotalium, eius enim excellentia consistit in eo, vt machina horologij, quam minimum potest, eius actuali determinatione indigeat. Respondeo secundo: dato primo enthymemate, negando subsumptum nam iura causarum secundarum sunt, vt quando Deus cum illis ad effectus naturales concurrit, exerceat solum munus causæ primæ. Sed hoc munus potest recte exercere non determinando illas ad indiuiduationem effectus, vti supra vidimus; ergo &c. Liquo huiusmodi determinationem repugnare causæ primę, nobis constare ex eo, quia alias esset causa determinatiua peccati.

50 Obijcies decimo quintò: causæ secundæ irrationabiliter exigunt ex suis intrinsecis hic, & nunc producere vnum potius effectum, quam alium; ergo non à se ipsis, sed à prima causa determinantur ad indiuiduationem effectuū. Consequentia patet, omnia enim, quæ exiguntur à naturis rerum, sunt valde rationi rectæ conformia; Antecedens probatur, quia æque bonum est causis secundis hic, & nunc vnus effectus, ac alius. Sed quoties duo sunt æque bona operanti, irrationabiliter præfertur ab eo vnum alteri, præsertim si operetur necessario quantum ad hoc, ergo &c.

51 Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem nego Maiorem; & dico dupliciter, vti supra innuimus, posse intelligi causam secundam esse ex suis intrinsecis determinatam ad producendum prius vnum numero effectum, quam alium primo ita vt hic ordo prioris, & posterioris teneat ex parte ipsius causæ tantum, atque adeo effectus de sè quidem sint indifferentes, vt vnus prius, alius posteà producatur: hoc tamen non obstante, causa exigat illos cum tali ordine produci. Secundo ita, vt dicti effectus ex suis intrinsecis exigant etiam cum tali ordine a sua causa produci, atque adeo dictus ordo nō solum à causis, sed etiam ab effectibus exigatur: vt tunc is ordo dicatur, falsum est, quod æque bonum sit causa secunda hic, & nunc vnum numerò effectum producere, ac quemuis alium; vt cōsideranti patet.

SECTIO QVINTA.

An spectata intrinseca ratione causarum naturalium & effectuum ipsorum, Effectus semel Corruptus possit naturaliter reproduci. 52

CONclusio est negatiua: dico enim causas secundas esse ex sè, & ratione effectuum suorū determinatas ad producēdos semper nouos, ac nouos effectus in individuo; ita vt repugnet illum eundē effectū semel corruptum iterū reproducere. Est primo contra eos omnes, qui, cū velint indiuiduationem formę simi formaliter a subiecto putāt cōsequēter, quod quoties idem subiectum formā eiusdem rationis cum corrupta acquirit, noua forma sit eadem numero cum antiqua. Secundo est contra Scotum, qui censet, quod quoties eædem numero causæ eodem modo applicantur, semper naturaliter eundem numero producant effectum, vnde diuersitatem numericam effectuū, qui producuntur, nō solum in diuersitatem numericam subiecti sicuti primi, sed in diuersitatem cæterarum causarū concurrentium refundit. Est denique tertio contra Ouiedum in physicis *Controu. 12. punct. 5. n. 6. & 7.* & alios Recentiores communiter, qui dicunt, quod licet ex parte causarum, & effectuum secundum sua intrinseca consideratorum nulla sit repugnantia; quin idem agens eidem passo applicatum eundem numero effectum semel corruptum iterum reproducat, siue per eandem numero actionem, qua primo productus est, siue per diuersam, quia tamen Deus initio liberè decreuit, quod effectus semel corruptus numquā reproducatur, sed semper noui, & noui corruptis præcedentibus succederent effectus, & hanc voluit esse legem ordinariam, cui omnes causæ naturales subijcerentur, hinc fit, vt solum ex parte huius decreti Dei extrinseci, naturaliter loquēdo, repugnet, quod idem effectus corruptus iam iterum producatur.

Nostra tamen assertio Probatur dupliciter. Et 53
primo quidem indirecte contrarias sententias labefactando, in quarum prima redarguenda non multum operis est insumendum: innititur enim fundamento omni firmitate destituto, cum manifestam involuat contradictionem: rem aliquam indiuiduari formaliter ab eo, à quo realiter, & hemine cogitante, distinguitur; sequeretur enim, quod à se ipsa diuisa esset eadē, & non eadem sibi ipsi, suoque subiecto, vti videbimus, cum de hac controuersia rediuit sermo; & quidem, quis vnquam dixerit, quod æqua v. g. quæ audius tertius

Digitized by Google

tius fuit calida, vt quatuor: & denuo hodie ita lesit. item, vt quatuor, habeat hodie eundem numero calorem vt quatuor, quem habuit ante duos dies. Hac igitur opinione relicta: impugno secundo sententiam Scoti: quatenus si vera esset, inde sequeretur quod saepe naturaliter idem effectus semel corrupti reproducerentur; nam congressus earundem prorsus causarum eodem modo applicatarum non videtur superare vires naturales; cum praesertim supra probauerimus circumstantias loci, & temporis non nisi secundario, & per accidens diuersitatem numericam effectus inducere posse; atqui omnes communiter censent esse opus solius omnipotentiæ Dei, rem, quæ interijt iterum reproducere; ita vt virtus naturæ ad hoc sibi extendere non valeat, nisi per diuinam potentiam corroborata, & recte: id quidem, vt à nobis infra probabitur; ergo &c.

54 Denique contra Ouiedi sententiam sic insurgo: non potest nobis constare Deum fecisse decretum de nunquam reproducendis effectibus naturalibus, nisi vel ex reuelatione aliqua, vel ex manifesta experientia, quæ non potest, nisi in libertam Dei voluntatem refundi; sed neutrum dici potest; ergo &c. Minor, quo ad priorem partem probatur; nam siqua de huiusmodi decreto reuelatio facta esset, ea maxime contineretur in scripturis Sanctis; Atqui scripturæ potius prima facie videntur saepe oppositum decretum innuere; praesertim *Ecclesiastæ primo*, vbi sic habetur: Quid est, quod fuit, ipsum quod futurum est, quid est quod factum est? ipsum, quod faciendum est. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est; iam enim praecessit in seculis, quæ fuerunt ante nos. Quorum verborum interpretatio legitima, licet illa sit, quam dat Nazianzenus de vitæ itineribus, vbi, Humana, inquit, omnia metus, risus, lanugo, vmbra, ros, orbis quidam perpetua conuersione similia omnia voluens; Origenes tamen *in Comment. super Ecclesiasten*, vt refert Methodius *lib. de Resurrectione* cum alijs suspicatus est, quod hoc loco sermo sit de magno Platonis anno, quo omnia praeterita eadem numero reproducenda sint, secundum id quod etiam Democritus, & Epicurus existimabant; vt appareat tantum abesse ex scripturis constare, quod Deus decretum de non reproducendis individuis semel corruptis fecerit, vt ex eis potius colligeretur oppositum, nisi aliunde notum esset eas, quando dicunt: nihil esse sub sole nouum &c. non loqui de rerum individuis, sed de speciebus.

55 Eandem vero minorem, quo ad posteriorem partem, vt probem, praemitto discursum Ouiedi *sect. 7.* ab experientia conclusionem suam probantis, qui est huiusmodi: ex accidentium diuersitate, quam in singulis viuentibus precipuè sensibus intuemur, experimur nullum viuens corruptum iam, esse iterum reproductum. De alijs verò formis praesertim accidentalibus, licet non possimus experientia duci eodem modo discurrere, cum non valeat sensus differentiam inter vnum, & aliam attingere: paritate tamen formarum viuentium possimus idem iudicium ferre; quoniam verò hanc non interruptam diuersitatem individuorum similium non possumus in aliam causam refundere, remanet, vt solum in vniuersale decretum Dei de non reproducendis naturaliter effectibus semel corruptis refundamus.

Iam verò contra hunc auctoris discursum sic 56
primo insurgo: Falsum est nos habere sufficientem experientiam, quod formæ viuentium corruptæ iterum reproduci non possint. Quod enim semper ex aliquorum accidentium diuersitatem habere animaduertamus, non obstat: tum quia posset aliquis dicere hanc reproductionem non nisi post multum temporis faciendam à natura, instructam fuisse v. g. post mille annos, vel post annum Platonicum, quando nulla potest esse in hominibus memoria praeteritorum: tum etiam quia posset alius asserere: paucorum accidentium diuersitatem, quæ inter animal productum, & corruptum reperitur, non esse sufficiens indicium distinctionis numericæ inter verumque. Si enim idem animal durans per aliquod tempus in existentia semel habita tantam accidentium mutationem patitur; vt vix agnosci possit esse idem numero, quod paucis ante annis fuerat: quanto magis similem accidentium variationem, priore existentia deperdita, habere potest. Deinde ego concederem eadem numero viuentia non posse iterum reproduci; sed negarem hoc de reliquis formis praesertim accidentalibus, & latam assignarem disparitatem ex Scoti opinione deductam, putantis easdem causas eodem modo applicatas ad reproducendum eumdem numero effectum necessarias esse. Sic: ferè impossibile est, naturaliter loquendo, easdem numero causas viuentis eodem modo applicari denuo, quo prima vice applicatæ fuerunt; contra verò potest naturaliter id contingere, si loquamur de causis rei non viuentis; ergo etiam si viuentia semel corrupta non possint iterum naturaliter reproduci: poterunt tamen formæ non viuentes praesertim accidentales. Consequentia patet; assumptum verò suadetur: quia ad producendum hunc numero agnum v. g. non solum est necessarius hic Aries, & hæc ouis, sed hoc numero semen masculum, & hoc numero semen foemineum. Atqui impossibile est, quod cum Aries, tum ouis mortuo agno filio, iterum naturaliter pascantur herbis, quæ illam numero materiam seminis vtriusque subministrent, nec minus impossibile est, quod si subministratam habeant, eam denuo elaborent totaliter in semen, cum possint saltem ex parte indigere ad nutrimentum. ergo impossibile est naturaliter quod idem numero agnus semel corruptus iterum reproducatur, eodemque modo discurrendum est de reliquis viuentibus. Contra verò ad producendum hunc numero primum gradum frigoris v. g. in mea manu nihil aliud requiritur, quam hæc numero nix, & manus hæc cum tanta distantia ei applicata. Atqui eadem manus postquam primum illum gradum frigoris perdidit, potest iterum eodem modo eidem niui applicari; ergo contingere potest naturaliter, quod eadem forma, praesertim accidentalis semel corrupta, iterum reproducatur, ex quo deducitur, quod nisi refundatur repugnantia reproductio-

Digitized by Google

tis eiusdem effectus semel corruptibilis ipsas causas secundas ex suis intrinsecis illam respuentes; nihil certi in hac controuersia haberi poterit.

57 Sic impugnatis ergo contrarijs sententijs: Probo secundo nostram assertionem directè, ratione deducta ex ipsa rerum natura. Duo sunt genera effectuum corruptibilium, quę naturaliter producuntur. Vnum eorum, qui à causis secundis necessarijs procedunt: alterum verò eorum, qui à liberis, quarum libertas non solum ad determinandum de eorum specie, sed etiam, quod facit ad rem nostram, ad determinandum de eorum individuatione se extendit. Sed verumque genus effectuum, spectatâ intrinseca ratione sui ipsorum, suarumque causarum semel corruptum nequit naturaliter reproduci. Ergo &c. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur: & quidem, quod attinet ad genus illorum, qui à causis secundis necessarijs procedunt iam suprà probatum est: causas secundas necessarias ex suis intrinsecis determinatas esse ad huiusmodi effectus certo quodam ordine producendos. ergo nulla ex his causis ad effectum, qui iam corruptus est, potest redire, cum naturaliter reproducendo instat enim effectus immediatè sequens, vt ipse potius in ea contingentia producatur, exigendo à suis causis, vt series effectuum à natura

58 præscripta non interrumpatur.

Quod verò spectat ad illos effectus, qui à suis causis secundis liberis expectant determinari, vt vnus potius, quam alius ex illis existat, suadetur etiam nostra minor: quia licèt huiusmodi effectus non contineantur in virtutem suarum causarum cum ordine aliquo, neque habeant ius, vt vnus alteri in productione præferatur, sunt tamen ex intrinsecis suis corruptibiles. Porrò res corruptibilis præcipuè debet esse, quo ad existentiæ limitatæ: hanc autem limitatio in eo maxime consistere videtur: vt semel corrupta non habeat naturalem capacitatem, vt iterum producatur; alioquin posset æquiualere rei incorruptibili, quod non videtur dicendum. Confirmatur. conclusio, quia causæ rerum corruptibilium innumeros in sè continent effectus similes. ergo iuxta naturas illorum est, vt corruptis veteribus ad nouos semper producendos sint naturaliter determinatæ; sic enim fœcunditatem suam Deo indies melius patefaciunt: & aliquid noui afferunt semper mundo. Imo ipse effectus corruptus, quatenus est membrum communitatis illorum effectuum, qui in causa continentur, habet obligationem cedendi locum reliquis, vnde seruetur

59 æqualitas.

Hac eadem ratione vtitur Quiedus n. 7. ad probandum Dei decretum vniuersale de non reproducendis effectibus semel corruptis. Verum hoc decretum dupliciter factum esse à Deo ponit posset. Primo ad mutuum libitum Creatoris sicuti ad libitum meum. Positum est decretum de creando potius hoc mundo, quam de creando alio. Secundo inexistentiam, & propensionem totius naturæ creatæ illuc exigentis. Iam verò licèt huiusmodi decretum factum esse velimus: id autem, quod contra Quiedum contendebamus erat non primo modo, sed secundo factum esse. Porrò hoc videtur ille nobis concedere dum asserit Deum in eo facto naturis rerum se conformasse, quæ inclinant, vt semper ad nouum partum edendos determinatæ sint; hinc enim deducitur ex ipsa natura causatum, & effectum prouenire reproductionis repugnantiam: ita vt, si per impossibile nullum Dei decretum expectandum esset: ad hæc ab ipsa reproductione abhorrerent.

Scio Quiedum posse ab hac inconsequentia nota se tueri dicendo; quod licet magis consentaneum sit naturis rerum corruptibilium non reproduci eundem numero effectum, sed alium nouum generari: nec tamen hinc sequatur, quod si oppositum fiat, violentiam patiantur. Sed non satisfacit. Naturæ enim rerum, cum sint ad vnum ex suis intrinsecis determinatæ, non admittunt hanc latitudinem. Vnde sic arguo. Hoc ipso, quod magis consentaneum est naturæ nouum effectum producere, quam reproducere antiquum, non videtur negandum, ex suppositione, quod res naturales ex suis intrinsecis se determinarent ad individuationem effectus, quia semper ad nouos, & nouos reproducendos incumberent, & numquam aliquem ex corruptis reproducerent. Quia cæteris paribus magis expetibile est maius bonum. Imo minus bonum in comparatione maioris induit aliquo modo rationem mali: aliunde verò natura est determinata cæteris paribus ad maius bonum, sed sublata ea hypotesi militat eadem ratio. Nam causa prima quantum potest se conformat causarum secundarum inclinationi, atque propensioni, ergo etiam si admittat Quiedus causas secundas in ordine ad individuationem effectus determinari à causa prima, non debet negare esse ex sè determinatas ad semper nouos, ac nouos effectus producendos post habitis illis, qui semel corrupti sunt. Ex quibus duo collegenda videntur. vnum est Angelos, ex suppositione, quod possint se determinare libere ad individuationes operationum suarum, non habere adhuc libertatem ad producendam operationem corruptam, etiam si supponamus Deum nullum de hac re edidisse speciale decretum, sed voluisse eorum naturis sè conformare. cùm enim eorum operationes sint corruptibiles debent esse contentæ, vt, posito quod semel exiterunt, cæteræ ius ad existendum acquirant. Alterum est, quod etiam si causæ creatæ non essent ex suis intrinsecis determinatæ, vt certo ordine suos effectus possibiles producerent, sed expectarent determinari à prima causa adhuc ex suis intrinsecis exigerent, vt determinaremur ad non reproducendum effectus corruptos, sed à Deo exigerent, vt assignaretur sibi producendus aliquis effectus possibilis, qui nunquam extitisset, ex suppositione, quod de nouo operari deberent. Vnde fit vt admissa serie, ex duplici capite paterentur violentiam causæ, si ad reproducendum effectum corruptum in hoc ordine rerum determinarentur, videlicet ratione seriei, & ratione iuris, quod habent cæteri, qui nunquam extiterunt.

Verum Quiedus rationem ex serie petitam triplici argumento impugnare conatur n. 5. Primo sic, non obstante hoc effectuum ordine causæ conseruat hunc numero effectum per integram horam, ergo potest per eandem horam illum plu-

60

Digitized by Google

ries reproducere. Consequentia probatur, quia non est maior ratio, cur effectus immediatè producendus integram expectet horam, si antecedens conseruandus sit, & idem tempus minimè expectet, posito quod sit reproducendus.

Respondeo tamen ad hoc dupliciter: primò ad hominem retorquendo idem argumentum contra Auctorem, sic: non obstante determinatione Dei, quo ad productionem effectus in individuo: causa secunda aliunde determinatur ad conseruandum illum per integram horã; si enim post horam accedat contrarium, quod illum corrumpat non amplius eum conseruat: contra verò si non accedat; ergo poterit etiam aliunde determinari per eandem horam ad saltus illum reproducendum. Non enim assignari potest: maior ratio, vel si potest, argumentum contra nos factum est nullum.

Respondeo deinde secundò: ad propositam difficultatem directè, concesso antecedente, negando consequentiam, cum paritate. Disparitas est, quia causæ creatæ debent esse ex suis intrinsecis determinatæ ad productionem huius numero effectus: non autem ad conseruationem illius; quantum enim ad hoc aliunde suam determinationem expectant; nimirum ab absentia contrarij validioris, à persistentia subiecti; in quo est effectus, si conseruatur, à negatione impedimenti, quod inter se, & effectum ipsum intercipiantur &c. Vnde est maior ratio, cur quandiu effectus antecedens conseruatur, consequens expectare debeat. Nam cæteris paribus melior est conditio possidentis, & causa adhuc aliunde ad eius conseruationem determinatur. At si semel corrumpatur incipit prævalere ius consequentis, & determinatio, quam ex suis intrinsecis habet causa in ordine ad productionem.

Arguit secundò Ouiedus. Præterijsse, vel non
61 præterijsse effectum nihil refert ad id quod modo futurum est. ergo ex eo præcisè, quod hic effectus præterijerit, nullum ius acquirit alius, vt ipse potius, quam qui corruptus est à suis causis existentiam acquirat. Consequentia patet, antecedens suadetur, quia præterijsse effectum iam non existentem, modo nihil est. ergo nihil refert ad id, quod modo futurum est. Respondeo ad Antecedens: effectum, qui præterijt dupliciter considerari posse. primo secundum sè, & vt singularis quædam res est: secundo quatenus est pars communitatis similium individuorum possibilium, quæ continentur in virtute suę causæ. Quamuis autem si primo modo accipiatur eum præterijsse nihil referat ad futuritionem individui producendi: valde tamen refert si sumatur secundo modo, quia sic est sibi impedimento ne denuo sit futurus. Quatenus recta ratio cui perfectè res creatæ conformari debent, dictat, vt ipse sit contentus sua existentia præterita, & cedat locum alijs individuis possibilibus, vt in hac rerum vniuersitate etiam ipsi appareant, & suas agant
62 partes. Sic distincto antecedente: nego consequentiam, & ad probationem antecedentis eandem adhibeo distinctionem; quæ est similis illi, quam adhibuimus agentes de aqua, quæ ad impediendum vacuum naturaliter ascendit, quatenus, vt pars vniuersi consideratur.

Arguit denique tertiò: si talis daretur ordo ad 62
huc alia esset reddenda ratio, cur hic effectus, qui ab hac causa ordine fermato productus fuit, non possit reproduci ab alia in cuius etiam serie continetur. ergo &c. Respondeo hanc difficultatem supponere, quod idē numero effectus, qui potest produci ab vna causa totali totaliter operante, possit etiam ab alia, eo, quod in vtriusque virtute adequata continetur. Quod quidem nos suprà reiecimus, ideoque negatur antecedens, tamquam de subiecto non supponente.

Ad hæc Obijcies primò ex Aristotele qui 2. 63
metaph. text. 11. ait quod si materia est diuersa, & mouens scilicet agens, & ipsum, quod factum est, scilicet effectus, erit diuersum. ergo si agens, & materia erunt eadem, erit consequenter idem effectus, sed naturaliter possunt causæ illæ coniungi de nouo. ergo &c.

Respondeo ex Zimara non valere argumentari à negatiua Aristotelis propositione, ad affirmatiuam. Nego igitur primam consequentiam, & admisso subsumpto, nego vltimam consequentiam. Etenim præter idē agens, & eandē materiā ad producendum de nouo eundem numero effectum, requiritur negatio impedimenti in ipso effectu, quod scilicet non sit alias productus.

Obijcies secundò: nasus a reliquo corpore 64
abscissus non informatur amplius anima, at si repente paribus à quibus abscissus fuit coniungatur, incipit de nouo viuere; ergo idem effectus semel corruptus, potest iterum reproduci.

Respondeo concesso antecedente: distinguendo consequens: idem effectus totaliter sumptus scilicet idē animal nego: sumptus partialiter secūdum scilicet partem, concedo consequentiam. Nos autem in conclusione loquimur de totali tantummodo: nota tamen, quod si anima, quæ nasum informabat, erat diuisibilis, vt in Brutis. in reunitione, non redit in illum eadem numero pars animę per quam prius informabatur, sed alia similis, de illius potentia educitur sola anima rationalis redit, quia inuenit in naso dispositiones necessarias, & vnitatem cum reliquo corpore.

Obijcies tertiò: eadem numero aqua, si diui- 65
datur, non est amplius illa quæ erat, prius at si denuo eius partes reuniantur redibit eadem numero: idem igitur effectus corruptus iterum poterit reproduci.

Respondeo distinguendo maiorem: si diuidatur, non est amplius illa secundum entitatem ac substantiam: nego secundum continuationē concedo, & distincta eodē modo minore, nego consequentiam, quia nos in conclusione loquimur de corruptione entitatis. Iam verò in deperditione continuationis, etiam si nulla fiat neque substantialis, neque accidentalis secundum entitatem deperditio sit tamen secundum terminationem vnitiuam, quæ, cum in reunitione partium aquæ non sit eadem numero vnio, quę erat prius, re- stè etiam in hoc casu asseritur nostra sustineri potest.

(1)

SE-

SECTIO SEXTA.

An idem effectus Corruptus possit saltem diuinitus iterum reproduci.

66 CONclusio est affirmatiua. Puto enim, quod idē numero effectus siue ens permanens sit siue successiuus corruptus iam, possit supernaturaliter per potentiam Dei absolutam reproduci, non solum per distinctam actionem ab ea, qua primò productus fuit, sed etiam per eandem. Est communis, & eam tenet Suarez *in metaph. disp.* 15. *sect.* 2. contra Durandum, Marsilium, & alios, de quibus idem Suarez *to.* 2. *in tertia parte Sect. prima*, qui tenent non posse idem accidens corruptum diuinitus reproduci: quia, inquiunt, ex vna parte implicat, quod eadem actio repetatur: ex alia ad positionem nouæ actionis nouus effectus sequatur, necesse est.

Probatur autem nostra assertio, quia non potest huius reproductionis vlla implicantia contradictionis assignari; si qua enim posset, maxime illa, quæ ducitur ab actione, vt modo vidimus, quam nullam esse sic suadeo: nam non videtur repugnare, quod sol hodie per eandem numero actionem illuminatiuam illuminet hunc aerem, per quam illam illuminauit die præterita; quātis enim hęc reproductio esset supernaturalis: non esset tamen supernaturalis secundum substantiam; si quidem entitas actionis, vtpotè eadem, quæ fuerat heri, esset ordinis naturalis: sed solum secundum modum, quatenus interrumperet seriem actionum, quam sol in sua potentia continet, ratione cuius exigit, vt ad corruptionem vnius succedat alia. Præterea, quod non repugnet eundem solem eandem numero formam luminis hodie producere in aere, quam produxerat hesi, probatur ostendendo inefficaciam rationis, cui aduersarij nitebantur. nam de facto idem numero effectus potest naturaliter plures actiones successiuè terminari in sua existentia perseuerando; si quidem de facto calor per vnam actionem producitur in aqua: nimirum, per actionem ignis, & per aliam postea, quando ab igne remouetur, non seruatur, quæ nimirum à sola prima causa procedit. ergo non est, cur idem effectus interrumpendo existentiam suam, non possit supernaturaliter esse terminus plurium actionum, quarum vna primo producatur, altera verò reproducatur.

67 Obijcies tamen primo: ex Aristotile 6. *Ethic. Cap.* 2. vbi approbat dictum Agatonis, quod hac sola re priuatur Deus, vt facta minime possit reddere infecta, sed hac re Deus non priuaretur, si posset effectum corruptum iterum reproducere, ergo &c.

Respondeo aliud esse efficere rem, quæ fuit, non fuisse; & aliud efficere, vt iterum sit, primum cum contradictionem inuoluat, recte Deo negatur ab Aristotile: at verò secundum, cum nullam dicat contradictionem, est illi omnino concedendum.

Obijcies secundo: non plus Deus nunc potest per nos agendo libere, quam si esset agens necessarium: atqui si esset agens necessarium, non posset effectum corruptum iterum reproducere, ergo neque nunc agendo libere. Minor probatur, quia si esset agens necessarium, ageret eo modo, quo agunt agentia naturalia; sed hæc effectum corruptum reproducere nequeunt. ergo &c.

Respondeo concessa Maiore, negando Minorem. Ad cuius probationem nego sequelam Maioris: Deus enim facta illa suppositione impossibili adhuc esset infinitæ potentiæ, atque adeo deberet excedere causas omnes naturales in modo operandi: excessus autem hic in eo consisteret, quod non solum in quolibet instanti crearet omne creabile, sed etiam illud infinities reproduceret. Quod si Aristotiles 5. *phys. tex.* 38. dicit non posse eandem numero sanitatem redire ad ipsum animal, est quia putauit Deum non plus posse operari, quam ea, quæ operatur de facto, & sic non habere tantum virtutis quantum nos in illo cognoscimus.

Obijcies tertiò: si Deus posset reproducere ens successiuum corruptum iam: sequeretur primo, quod idem esset præsens, & præteritum: Secundo, quod vna hora durare posset mille annos: Tertiò quod res eadem distaret à se ipsa: Quarto denique quod cum minus sit conseruare aliquid, ne corrumpatur, quam reparare illud iam corruptum, sequeretur, inquam, quod partes entis successiui esse possent simul miraculosè, quod est contra dictrentis essentiam atque naturam, quæ consistit in habendo partes priores, & posteriores successiuè. sed hæc omnia videntur absurda. ergo &c. 68

Respondeo ad singulas sequelas, & quidem ad primam, & tertiam dico nullum esse absurdum, quod idem quatenus diuerso tempore imaginario correspondet, sit præsens, & præteritum, & à se ipso distet, ratione scilicet diuersarum productionum. Ad secundam vltro concedo posse Deum reproducere vnam horam, quatenus importat realitatem motus localis toties vsque dum mille annorum spatia, & amplius etiam in infinitum impleat: ad quartam denique distinguo assumptum, minus est conseruare aliquid, ne corrumpatur, quam illud iam corruptum reparare, quando ex conseruatione non sequitur mutatio essentiæ rei, quæ conseruatur, concedo: posito, quod mutatio essentialis sequatur, nego assumptum, cum sua sequela. Dico enim conseruationem, & simultatem permanentem partium entis successiui esse destructiuam essentiæ eiusdem entis, atque adeo implicare contradictionem: reproductionem verò ipsius entis nomitem; ideoque fieri posse. Ad pleniorem autem doctrinam aduerte partes motus successiui dupliciter posse intelligi, quod sint simul: primo ita, vt seruent continuitatem inter se, & vnum ens permanens continuum efficiant; secundo ita, vt discontinuentur ad inuicem, sed retinent rationem motus successiui: primo modo implicat partes eiusdem entis successiui simultatem habere tat. non implicat, quod illam habeant secundo modo, sicuti neque implicat, quod idem subiectum moueatur duplici motu locali ad eandem prorsus terminum; vnde posset optime Deus facere, quod Cœlum motu hodierno, atque hesterno simul hodie moueatur per reproductionem enim motus exteri non tuo illi motus discontinuarentur ita tamen, vt non indu-

induerent rationem entis permanentis.

69 Obijcies quartò: si Deus posset producere eundem motum, reproducat hoc tempore horam præteritam, tunc sic: vel hora præsens, & præterita sunt duæ horæ, vel vna tantum: non primum, quia præterita esset, & non esset reproducta: neque secundum, quia ex ea sequeretur, quod non plus viueret, qui coexisteret vni horæ bis vel ter reproductæ quam qui coexisteret vni semel productæ, vterque enim vna tantum hora vixisset, quod videtur implicare.

Respondeo, quod licet possit Deus reproducere eundem motum in ratione motus: non potest tamen illũ reproducere in ratione temporis, quatenus scilicet cõnotat partes temporis imaginarij,

70 vt diximus in physicis, cum de tempore.

Instabis ex Aristotile 5. *in phys. tex.* 34. vnitas numerica motus requirit vnitatem numericam temporis; sed idem numero tempus reproduci nequit; ergo neque idem numero motus. Confirmatur, quia vnitas motus requirit continuationem suarum partium; sed si reproducetur hora præterita, non amplius continuaretur cum partibus præcedentibus, & subsequentibus Temporis. ergo &c.

Respondeo Philosophum *loco citato* loqui de vnitate numerica temporis intrinseci ipsi motui; non autem de extrinseci: vult enim, quod ad hoc, vt motus sit vnus numero, eius partes constituere debeant vnum tempus, & per consequens non esse inuicem discontinuę. Sic ad Minorem dico, quod idem tempus reproduci non potest, quatenus importat tempus extrinsecum, & imaginarium, potest autem quatenus dicit intrinsecum. Vnde nego consequentiam. Ad confirmationem verò aio: ad vnitatem motus sufficere continuationem partium, ex quibus intrinsece constat, quid quid sit deinde, verum sit continuus cum partibus sibi extrinsecis; porrò partes temporis præcedentes, & subsequentes horam, sunt ipsi horę penitus extrinsecę. Non est igitur cur ipsa, vt motus est, reproduci sine illis non possit.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA QVINTA

DE DEPENDENTIA EIVSDEM NVMERO EFFECTVS à duplici efficiente totali totaliter concurrente.

1 CAusa totalis alicuius effectus dicitur illa, quæ *in suo genere*, & ordine habet totum id, quod ad effectus productionem requiritur: dixi *in suo genere*, non enim necesse est ad totalitatem causæ, vt illa respectu effectus omnia quatuor genera causarum exerceat, hoc enim impossibile est; sed sufficit si vnum ex illis possit exercere. Addidi etiam in suo ordine, quia diuersitas ordinis intra idem genus Causę non tollit totalitatem. Sic etiam si in productione caloris, non solum concurrat ignis in genere efficientis, sed etiam Deus; quia tamen ignis in ordine causæ secundæ habet totum id, quod requiritur ad productionem caloris, licèt requirat etiam concursum causæ primæ in eodem genere: non tamen in eodem ordine, censetur causa totalis respectu caloris.

Iam verò totalis causa dupliciter potest influere in effectum partialiter, & totaliter. Partialiter influit, quoties licet possit adhibere influxum totalem, & sufficientem ad ponendum effectum: partialem tamen, ac insufficientem adhibet. Totaliter verò quoties adhibet totum illum influxum, quem potest adhibere, & quem requirit effectus, vt habeat esse. His autem explicatis, quod in præsentia quæritur, est: vtrum idem numero effectus siue naturaliter, siue de absoluta Dei potentia possit dependere simul, & eodem tempore à duplici causa efficiente totali totaliter concurrente, quod caeteris paribus possit à duplici concurrente partialiter, siue demum vtraque sit totalis, siue non, patet ex stuppa combusta à pluribus ignibus simul in eius combustionem influentibus.

SECTIO PRIMA.

Expeditur quæstio in ordine naturali.

2 VNica Conclusio: naturaliter loquendo non potest idem effectus dependere à duplici causa efficiente totaliter cõcurrente. Est communis. & teste Ferrariense fundatur in Aristotile, qui 3. *met. cap.* 2. cum dixisset eiusdem rei esse plures causas totales, subdidit: *sed non eodem modo, sed hæc quidem, vt materia illud autem, vt finis, vel motus.* Probatur autem: quia causa totalis totaliter concurrens habet pro fine communicare effectum suum totaliter esse; sed hoc iam habet effectus media actione sua totaliter communicata: ergo dependentia ab vna ex illis otiosa omnino est, & superflua: sufficit enim ei vna dependentia totalis; atqui natura sicuti inclinat ad necessaria, ita abhorret à superfluis: ergo naturaliter id repugnat.

3 Non acquiescit animus Oviedi *in phys. Controu.* 7. *punct.* 2. 8. huic rationi adductæ primò à Caietano, & postea ab Arriaga *disp.* 7. *sect.* 3. *n.* 30. Quia aiunt, vtraque actio est possibilis; ergo si agens A in actu primo ad illam, & passum in potentia, non erit, cur alia actio adæquata non producatur, etiam si hic per accidens necessa-

Digitized by Google

cessatio non fit, sed non video quam solide hæc dicantur, cum enim commune axioma in Philosophia sit, quod quid quid potest à natura fieri per pauciora nō fiat per plura: quod quæ nihil ordinis sum in mundo existere permittatur: Iam hoc esset falsum eo ipso, quod per duplicem actionem totalem effectum aliquem natura produceret. Alioquin enim sufficiens esset atque adeo altera otiosa remaneret. Nam actio purè requiritur, vt existat effectus: Non enim dici potest primo hoc fieri à natura, vt effectus à duplici causa adæquate dependens, melius se habeat, quatenus deficiente vna; ad hoc existat dependenter ab altera, vt dicunt aliqui, quia natura non habet hanc obligationem. cum enim effectus, qui producitur & corruptibilis, satis bene cum illo agitur: si ei assignetur sua peculiaris causa, à qua possit accipere existentiam; Alioquin deberemus asserere quod ipsa natura teneatur prouidere, vt eadem causa totalis multiplici actione totali in eundem numero effectum influat, vt melius sè habeat effectus, quatenus perueniente vna actione perseueret in esse, quod tamen nemo dixerit. Neque dici potest secundo cum alijs fieri hoc à natura, vt quælibet causa totalis suam adæquatam virtutem melius ostendat, propter eandem rationem. Nam etiam vna, & eadem causa influendo in eundem effectum per multiplicem totalem influxum melius suam virtutem ostenderet, quam per vnicum. Linquo, quod si natura propter hos fines multiplicaret actiones totales: deberet existere etiam, vt Deus semper effectum corruptibilem conseruaret; sic enim melius ipse effectus sè haberet, & melius etiam ipsius Dei virtus patefieret.

4 Verum idem Oniedo, paulo post nimirum n. 10. nobiscum existimans nullum effectum posse naturaliter terminare duplicem actionem totalem siue vtramque generatiuam, vel creatiuam, siue vnam generatiuam, & creatiuam alteram, nostra iam ratione destitutus, docet primo, id prouenire ex libero decreto Dei, sicuti dixerat loquēdo de determinatione indiuiduationum, & de negatione reproductionis effectus iam corrupti. Sed quia animaduertit, vt opinor, posse ab aduersarijs notari, quod semper ad machinam confugiat, omnia in Dei beneplacitum refundendo: ideo n. 11. prætextu nouitatis fugiendæ, assignat aliam communis sententiæ rationem: eo quod dici potest, inquit: actiones ipsas totales, & si subiecto carentes incompossibilitatem habere ex eo precisè, quod in eundem terminum ferantur, ratione cuius, quælibet exigat negationem alterius. Audio: sed vnde hæc incompossibilitas eis proueniat assignari non posse autumo, nisi ad alterius superfluitatem fiat recursus. Nam, quod calor vt octo sit incompossibilis frigori vt octo, habetur ratione formalis contrarietatis: quod item vna forma substantialis non possit existere in eodem subiecto cum alia, oritur, vel ex limitatione subiecti, vel ex exigentia dispositionum oppositarum. Denique quod plures actiones in eodem subiecto repugnent, non habetur nisi ratione terminorum, quibus etiam si per impossibile carerent, adhuc tamen propter essentialem affinitatem, quam habent cum illis, se excluderent ab eodem subiecto. Atqui duæ actiones tendentes ad eundem terminum neque contrariæ inter se sunt, neque in subiecto existere necessario debent; (possunt enim esse ambæ grauitiæ, quod si essent generatiuæ, non tenderent ad terminos repugnantes, sed ad eundem terminum, neque denique diuersas dispositiones seù qualitates in subiecto exigunt. ergo nisi ad superfluitatem recurrat Auctor, non poterit probabiliter sustineri eas esse incompossibiles, ex eo quod in eundem terminum ferantur.

Hoc etiam argumentum à superfluitate de- 5
sumptum, suspectum prius habuerat Suarez in *metaphi. disp. 26. sect. 3. n. 8.* vbi triplici ratione illud infirmare conatur. Primo quidem quia, licet natura superfluitatem abhorreat, non tamen abundantiam; atqui si vnus effectus à duplici causa totali penderet, vna quidem abundaret, quia sufficeret altera. non verò esset superflua, quia non esset ex acta ab ipso effectu; ergo &c. Secundo, quia magis natura abhorret monstruosum, esse tum, quam superfluitatem. Sed illum interdum non recusat; ergo non est, cur hanc aliquando admittere nequeat. Tertio denique, quia licet natura superfluitatem abhorret, tamen causa libera ex fine aliquo, saltem in tali casu potest illam appetere, & sic poterunt duo Angeli pro sua voluntate applicare totam virtutem, quam habent ad mouendum lapidem. Sed nunc vnusquisque mouebit, vt causa adæquata. ergo &c.

Verum idem Suarez paulo post numero sci- 6
licet 25. volens sententiam communem fundare in alio principio: in eo videlicet, quod vnus numero effectus non possit naturaliter simul à pluribus causis fieri, nisi vnica actione, sic arguit: licet absolutè sit possibile fieri per duplicem, non esset tamen causis secundis debitus à Deo duplex concursus ad agendum duplici actione totali; quia non est eis necessarius, & natura abhorret superfluitatem.

In quo discursu videtur vti principio, quod 6
supra reiecerat, & argumentum à superfluitate deprompsum, quod impugnauerat admittere; Dicendo enim, quod ideo negatur a Deo duplex concursus totalis causis secundis ad eundem effectum, quia natura abhorret à superfluis, nil aliud facit, quam circuitione quadam idem, quod nos dicimus, asserere. Linquo non posse probabiliter sustineri, quod vnus effectus multiplici actione licet partiali fieri respuat, quando plures causæ eiusdem ordinis ad illum producendum concurrunt, nisi etiā ad superfluitatis fugam fiat recursus, dicendo: quod natura id, quod potest æque bene præstare per vnam entitatem simplicem actionis, non præstat per duas seu plures compositas. ex quibus patet nullum solidum fundamentum ad probandam hanc conclusionem nobis restare, si tollatur à superfluitate deductum.

Iam verò rationes, quas contra hoc adduxe- 7
rat Suarez non videntur satis solidæ: ad primam enim dicendum. Verum quidem esse naturam non respuere abundantiam, si quidem cum hac eius diuitiæ ostendat virtutem liberalitatis imitatur; sed abhorrere superfluitatem, quia hæc prodigalitati comparatur, quæ est vitiosa. Quare concessa Maiore, nego Minorem, & ad rationem in contra-

trarium dico, quod quemadmodum superfluum esset respectu effectus exigere à duplici causa pendere, vt ipse fatetur: ita, & respectu causarum exigere duplicem influxum. Quoniam verò Deus non nisi ad exigentiam causarum naturalium ecursum suũ exhibet hinc fit, vt esset & iam superfluus duplex Dei concursus & per consequens duplex influxus totalis: Ad secundam nego assumptum, in quo dicebatur magis naturam à monstruoso effectu, quam à superfluitate abhorrere Falsum enim hoc esse, ex eo constat; quia monstruositas tribuitur imperfectioni causarum secundarum, quæ non potuerunt assequi, id quod principaliter natura intendebat, per hoc, quod vel non subministrarunt materiam requisitam ad productionem termini, vel si eam subministrarunt, non debito modo: at superfluitas redundaret in dedecus ipsius naturæ, quæ sine sufficienti ratione sua bona profunderet. Ad tertiam denique dico: causam liberam creatam non posse operari supra naturam, sed debere ei in suis operationibus esse subiectam. Quemadmodum igitur non potest Angelus pro sua voluntate facere, vt duo corpora eundem occupent locum, ita neque, quod idem lapis duplici virtute totali totaliter sibi applicata moueatur. Vnus ergo alterum impediret non quidem actione, debilitando scilicet virtutem illius, sed formaliter ex parte ipsius lapidis reddendo illum indispositum ad susceptionem effectus, qui ab altero produci deberet, per hoc, quod faceret, ne contingeret ipsum lapidem, atque adeo sibi materiam, circa quam operari deberent inuicem à se remouerent, & sic neuter moueret lapidem nisi determinarent ad partialiter influendum.

8 Obijcies primò: potest idem effectus naturaliter dependere à duplici causa finali totali totaliter concurrentee, ergo etiam à duplici efficiente; consequentia patet paritate rationis. Antecedens probatur, quia potest, quis totaliter propter sanitatem acquirendam, & totaliter etiam propter negotium conficiendum, æque primo ambulare.

Respondent aliqui primò, concesso antecedente, negando consequentiã inter quos Suarez n. 32. Ideo dicit non repugnare, quod dentur plures fines totales eiusdem actionis externæ. Quia quando finis est ita extrinsecus effectui non addit illi intrinsecam entitatem, aut modum realem, sed solum subordinationem ad voluntatem agentis, quæ potest intendere simul plures fines; ita vt propter singulos absolutè intendat facere illud opus. Verum non placet, quia quod voluntas intendat propter duos adæquatos fines seorsim sumptos ambulare solum euincit eam ferri circa impossibilia affectu inefficaci, quod nos non negamus, quemadmodum ergo etiam si intenderet elicere actum amoris per duplicem influxum totalem, diceret auctor eius irritos fore conatus: ita nos dicimus si intendat propter sanitatem, & negotium totaliter ambulare. quamuis enim duplici actu voluntatis id vellet, seu imperaret, vterque tamen attemperaret realiter suum concursum in ordine ad effectum à parte rei ponendum.

9 Arriaga verò *disp. citata num.* 118. aliam assignat rationem: quia inquit non licet in his rebus de superfluitate arguere à rebus physicis ad intentionales, repugnant enim duæ quantitates in eodem subiecto, ac non duo amores de eodem obiecto: & disparitas est, quia actus vitales requirentur propter perfectionem, quam subiecto tribuunt. vnde idem obiectum nimirum ambulatio potest amari simul multis actibus, & consequenter propter multos fines imperari. Effectus autem physicus non potest sine superfluitate pro duas actiones totales produci: eo quod actio non requiritur, nisi vt existat effectus, quod tam bene habetur per vnam adæquatam, quam per duplicem.

Nec huic disparitati penitus acquiesco: dici enim potest non minus ordinari formas physicas ad perfectionem subiecti, quam intentionales; vt patet discurrendo per singulas. Ex hoc autem deducitur, quod sicuti hæ, ita & illæ possint sine nota superfluitatis multiplicari numerice in eodem subiecto, quando illud diuersimodo perficere valent; vt patet in sententia eorum, qui volunt relationes prædicamentales modaliter à suo fundamento proximo esse distinctas, & multiplicari in eo ad multiplicationem numericam terminorum. Cæterum ex eo, quod ambulatio distinctis actibus ametur, & propter distinctos fines imperetur non potest colligi, quod totaliter ab vno quoque fine dependeat. Nam etiam combustio huius stupæ v.g. quæ defacto à duplici igne causatur distinctis inclinationibus appetitur. vterque enim ignis inclinat ad illam comburendam, & à distinctis causis totalibus, vt suppono quod sint huiusmodi ignes, exercetur: & tamẽ male quis deduceret eam totaliter à singulis ignibus dependere.

Melius igitur respondendum videtur ad obiectionem secundo, negando antecedens cum Vasquez *to. primo in 3. p. disp.* 10. *cap.* 6. *à n.* 77. quod scilicet idem numero effectus naturaliter pendere possit à duplici causa finali totali totaliter concurrente; & ad probationem in contrariũ sic eius imbecillitatem ostenderem: si ambulatio in casu posito à bonitate sanitatis, & negotij tamquam à duplici fine totaliter influente penderet: deberet vna quæque earum bonitatum influere in illam per suam distinctam causalitatem adæquatam, sic enim se deberent habere, vt altera deficiente, adhuc ambulatio ex vi influxus alterius haberetur, sed bonitates illæ non influunt in ambulationem per distinctas causalitates adæquatas, sed per vnicam tantum, ergo ambulatio in casu posito non pendet ab illis tanquam à duabus causis finalibus totaliter concurrentibus. Maior, & consequentia patent. Minor probatur supponendo duo: vnum, quod nos docuimus in physicis, videlicet causalitatem finis esse ipsammet actionem prædicamentalem efficientis, quatenus sit gratia ipsius finis. Alterum est de actione prædicamentali, per quam fit deambulatio duplicem haberi sententiam. Vna est eorum qui dicunt eam ex natura rei ab ipsa ambulatione, quæ est quædam actio gramaticalis esse distinctam: altera eorum, qui putant eas inter sè nemine cogitante identificari, ac nullo modo distingui à parte rei: quibus positis, sic probo bonitates illarum finium per vnicam tantum causalitatem in ambulationem influere. Et quidem si ponamus ambulationem cum sua actione prædicamentali iden-

Digitized by Google

identificati hoc certum est: sicuti enim vna est ambulatio, ita & causalitas vtriusque finis. Si verò supponamus esse distinctam: ambulans, quod non producat in sè ambulationem per duplicem actionem totalem constat primo ad hominem contra Auctores, quos impugnamus, quia sic sequeretur quod idem effectus posset dependere à duplici efficiente totali totaliter concurrente, quod ipsi negant. Nam hoc ipso, quod eadem causa efficiens potest per duas actiones adæquatas simul existentes in eundem effectum influere: non est cur non possint sic influere duæ; eadē enim militat ratio, vt bene aduertit Ouiedus *puncto 7. citato n. p.* Deinde absolute, quia quando duos in ambulando fines nobis proponimus non experimur hanc duplicem actionum productionem, deberemus autem eam experiri imo, & magis defatigari, quia reuera plus virium, & maior conatus adhibendus esset pro duabus, quam pro vna tantum. Maneat igitur bonitates illorum finium per vnam dumtaxat causalitatem influere, quomodo igitur sè habebunt vt duæ causæ totale? Dices quia homo habet absolutam voluntatem ambulandi propter singulas. Sed ex hoc solum sequitur ambulationem affectiue tantum esse propter duos fines adæquatos, quia scilicet id desiderat voluntas, non autem in rei veritate, & effectiue. Forte replicabis, quod sicuti duæ illæ bonitates possunt respici à voluntate tamquam duo fines adæquati, ita, & ab ambulatione. Sed cōcesso antecedente, nego tibi paritatem. Disparitas est, quia voluntas, vt bonitates illas tamquam duos fines adæquatos sibi proponat, debet necessario elicere duos actus, quorum vnus in vnam, alter verò in alteram tendat. Vnde fit vt duabus istis causis finalibus adæquatis verè duo effectus totales respondeant. At verò ambulatio non potest nisi per sè ipsam causari a dictis finibus.

21 Obijcies secundo: non possunt duæ causæ totales ad vnum numero effectum concurrere, quin concurrant totaliter. ergo cum idem numero effectus possit dependere à duplici totali, poterit etiam à duplici totaliter concurrente. Antecedens probatur, quia nisi totaliter causę illæ concurrerent, maximè, quia vna ad præsentiam alterius concursum suum attemperat, sed sepe causæ sunt mere naturales, quæ præsentiam aliarum non sentiunt, quam etiam si sentirent, hæc esset iam omnino extrinseca. Ad concursum autem attemperandum determinatio intrinseca est necessaria.

Respondeo negando antecedens. Ad eius probationem concessa maiore, ad minorem dico præsentiam concausæ non debere ab altera cognosci. Quia non determinat per modum rei cognitæ, sed per modum rei naturalis sicuti præsentia aeris determinat solem ad illum illuminandum non obstante, quod, & non cognoscatur à sole, & sit illi extrinseca.

Obijcies tertiò: ipse effectus ad quem duę causæ totales concurrunt est indiuisibilis. ergo si ad illum concurrunt, necessario totaliter concurrere debent.

Respondeo: concesso antecedente, distinguendo consequens: debent concurre totaliter totalitate effectus concedo; totalitate actionis nego consequentiam, quia licet concurrant ad eundem numero effectum indiuisibilem, vtraque tamen distributiue sumpta concurrit ad illum concursu partiali inefficaci, & insufficiente.

Instabis sæpe actio est indiuisibilis, vt quando 22
duo ignes ad generationem ignis ex stupa concurrunt. ergo possunt duæ causæ naturaliter & totalitater totalitate etiam actionis concurrere ad eundem effectum.

Respondeo concesso antecedente, negando consequetiam: concurrere enim totalitate actionis duę causæ dicuntur quando, vel duplici actione totali concurrunt, vel si vnica, hæc ita sè habeat, vt totaliter sit ab vtraque causa distributiue sumpta, scilicet quæ ita pendeat ab vna, vt alia circumscripta ad huc illa in suo esse perseueret. Neutro autem modo concurrere possunt naturaliter plures causæ ad eundem effectum, non primo, quia alterutra actio, esset superflua: neque secundo, quia hęc numero dependentia nequit esse indifferens ad dicendum ordinem siue ad hanc siue ad illam causam. ergo sic deberet per aliquid aliud ad essendum vnius potius, quam alterius determinari, atque adeo esset, & non esset actio totalis vtriusque, quod implicat.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum idem numero effectus possit Diuinitus simul dependere à pluribus causis adæquatis totaliter concurrentibus.

CONclusio est affirmatiua, quam tuetur Caie- 23
tanus 3. *parte quæst 3. art. 6.* nec non etiam *prima parte quæst. 52. art. 3.* vbi docet, quod quando D. T. videtur negare posse eundem effectum pendere à pluribus causis adæquate à singulis, non loquitur de potentia logica seu de absoluta potentia Dei, sed de potentia naturali, seu spectato modo operandi causis naturalibus debito. Eandem conclusionem tenent Suarez *disp. 26. metaph. sect. 5. numero 14.* Valentia *tom. quarto disp. prima quæst. 3. puncto 3.* Fonseca 5. *metaph. cap. 2. quæst.* Murcia 2. *phys. disp. 4. quæst. 7.* Ruuius *tract. 7. quæst. prima* Bartolomeus Amicus *tract. 14 de comparatione causarum quæst. 7. disp. 3.* Arriaga *in phys. disp. 7. sect. 2c.* Ouiedus *Controu. 7. puncto 7.* & alijs contra Vasquez *tom. primo part. 3. disp. 29. cap. 4.* & alios tum Thomistas tum Scotistas, quos citat, & sequitur Mazziotta *tom. primo select. quæst. 9. 4. sect. 2. & 3.* & laudat Maurus *quæst. philoph. lib. 2. quæst. 24.*

Probatur autem assertio nostra primo, ab Arriaga *numero 119.* possunt duæ causæ materiales de potentia absoluta simul sustentare eandem formam materialem, vt aduersarij fatentur. ergo similiter potest idem effectus produci à duplici causa efficiente totali. Sed multi ex Aduersarijs negant antecedens inter quos sunt Complutenses *disp. 4. phys. quæst 6.* & Mazziotta *quæst. 4. citata à numero 115.* vbi ait: eadem implicantias militare contra duplicem dependentiam adæquatam siue sit in genere causæ materialis, siue in genere efficientis.

Quod si vrgeas cum alijs: Animam equi in 24
sententia Thomistarum esse indiuisibilem; & ta-

Digitized by Google

men, quamuis sufficienter sustentabatur à partibus materiæ per generationem acceptis: pendet postea à partibus materię per nutritionem acquisitis. Respondet Maurus dependentiam, qua dicta anima ab verisque partibus pendet esse vnam eamque indiuisibilem. Et sic eam non pendere à pluribus causis materialibus totalibus totaliter concurrentibus, sed partialiter tantum.

Hac igitur ratione post habita: Probatur secundo, argumento, quo vti consueuerunt doctores huiusmodi quæstiones, quæ solum de possibili in ordine ad absolutam Dei potentiam disputantur, affirmatiue concludentes. Nulla est assignabilis contradictio in eo, quod plures causę totales totaliter in actu secundo concurrant in eundem affectum, hoc est per plures actiones quarum singulæ seclusis alijs sufficiant ad causandum dictum effectum. ergo potest idem effectus diuinitus simul pendere à pluribus causis adæquatis totaliter concurrentibus. Consequentia patet, quia nihil diuinæ omnipotentiæ, negari debet nisi id, quod secum trahit contradictionem aliquam. Antecedens verò constabit ex solutionibus obiectionum, quę ab aduersarijs afferuntur ex quibus.

Obijcies primò: implicat, quod effectus habens sufficiens esse ex vi vnius causę, recipiat
15 idem esse ex vi alterius, sed hoc accideret si poset idem effectus dependere simul à pluribus causis totalibus totaliter à singulis; ergo &c. Maior, quæ sola probatione eget suadetur? quia implicat, quod Deus habens sufficiens esse à sè recipiat idem esse ab alio. ergo à pari.

Respondeo: negando maiorem, & ad eius probationem concesso antecedente. nego paritatem. disparitas est, quia esse sufficiens, quod habet effectus ab vna causa hoc ipso, quod est creatum pluribus imperfectionibus est obnoxium, inter quas non est minima, quod, deficiente concursu causæ, a qua in esse dependet, ipse quoque deficiat, & corrumpatur. Huic autem imperfectioni omnipotentia Dei extra ordinaria non est cur subuenire non possit hoc speciali modo; faciendo nimirum, vt à pluribus causis totalibus totaliter à singulis dependeat. Sic enim pereunte ęterarum influxus dummodo remaneat influxus vnius, ipse quoque remanebit in esse. At verò esse sufficiens, quod Deus habet à sè, cũ sit quid increatũ, omnem penitus imperfectionem, à se excludit. Quoniam verò habere esse ab alio est de sè magna imperfectio: hinc fit, vt implicet contradictionem; quod esse sufficiens, quod Deus habet ex sè, habere illud etiam possit ab alio, non autem in casu nostro.

16 Obijcies secundò: dependentia effectus à causa, vel est indigentia, vel fundatur in indigentia, ergo tantum dependere potest, quantum indiget; sed tantum indiget quantum necesse habet, vt existat, vt autem existat non habet necesse, nisi dependere ab vna causa totali; ergo implicat dependere totaliter à pluribus.

Respondeo concesso antecedente: Negando consequentiam; sicuti enim cibatus seu cibatio animalis fundatur in indigentia quam habet animal nutrimenti, & tamen plus sæpe cibamur, quam indigemus. sic quamuis dependentia effectus à causa fundetur in indigentia ipsius effectus, potest tamen plusquam indigeat dependere, & ratio huius est quia ideo effectus, vt existat indiget causa, quia non est ens à sè, sed ab alio. atqui per hanc imperfectionem effectus non modo non redditur incapax multiplicis dependentiæ adæquatæ: imo verò promptus, & expeditus ad illam habendam ita, vt si suam naturalem capacitatem non superaret, positiuè inclinaret ad illam, quatenus eius beneficio redditur magis in suo esse durabilis, & in existendo securior. ergo quamuis ad hoc vt existat vna tantum adæquata dependentia indigeat; hac, vel illa indeterminate: adhuc tamen sine vlla contradictione potest admittere plures simul.

Obijcies tertiò: non potest diuinitus vna, & 17
eadem actio à pluribus agentibus totalibus totaliter dependere. Neque vna cognitio à pluribus obiectis totalibus totaliter specificari. Neque vnum numero compositum à pluribus causis materialibus, vel formalibus totalibus totaliter à singulis causari. ergo neque vnus effectus à pluribus efficientibus, totaliter à singulis recipere existentiam. Respondeo concesso integro antecedente, negando cõsequentiã. Disparitas est, quia ad hoc vt vna actio totalis totaliter à pluribus agẽtibus pendeat, & vna cognitio à pluribus obiectis, & vnum compositum à pluribus causis siue materialibus siue formalibus, debent ita sè habere, vt actio ablatis singulis illis agentibus non tamen omnibus, adhuc durat, & cognitio absque eo, quod terminetur ad singula illa obiecta, ad quę antea terminebatur perseueret eadem, & cõpositum absentibus singulis causis suis, vel materialibus, vel formalibus remaneat idem numero, quod erat prius. At hæc manifestam inuoluunt implicantiam, nã actio est essentialiter actus huius ab hoc, quæ sicuti implicat esse sine suo termino siue adæquato siue inadequato, ita, & sine agente à quo, vel totaliter vel partialiter pendet; alioquin non esset modus consistens in actuali exercitio influẽdi. Rursus cognitio est essentialis expressio sui obiecti, ideoque cõmuniter apellatur species expressa, quemadmodum ergo implicat, quod aliqua res amittat aliquod prædicatum essentiale, quod antea habebat, & remaneat eadem, ita, quod aliqua cognitio, quę antea terminabatur ad plura obiecta perseueret eadem absque eo, quod nõ terminetur ad aliquod ex illis. Denique materia, & forma sunt causæ intrinsecę compositi, illud per sui exhibitionem componentes: implicat autem, quod siue addatur, siue auferatur aliqua pars toti alicui composito, remaneat idem numero compositũ quod erat prius. ergo &c. At verò effectus non est actus essentialiter ab agente proueniens neq; est essentialis expressio illius. neque denique illo indiget tamquam causa intrinsece componente. Vnde non est mirum si possit sine vlla implicãtia à pluribus agẽtibus totalibus totaliter influẽtibus dependere, etiã si antea ab vno tantum dependerit.

Instabis contra hoc vltimum: non potest vna forma miraculose à pluribus materijs totalibus totaliter sustenturi, neque vna materia habere esse à pluribus formis totaliter à singulis, quia sicuti plures formæ substantiales sè excludunt ad inuicem ab eadem materia, ita & plures

Digitized by Google

plures materiæ ab eadem forma; sed materia est causa extrinseca formę licuti, & forma materię, quatenus vna non componitur ex altera. ergo quamuis causa efficiens sit extrinseca effectui non poterit vnus effectus à multis totalibus totaliter à singulis dependere.

18 Respondent aliqui primo: concessa maiore, & minore, negando consequentiam. Disparitatem assignant: quia forma causat materiam communicando illi formaliter existentiam propriam: vnde vel deberet augeri esse formæ, si duplicem materiam informaret: vel esse existentiale materiæ duplicare si duplici informaretur forma: vtrumque autem videtur impossibile. Quoniam verò causa efficiciens ita est extrinseca effectui, vt non faciat illum formaliter existentem per existentiam propriam: hinc fit, vt etiam si multiplex sit, & totaliter influat in eundem effectum, nullam inferat contradictionem. Verum ad hoc dici posset, quod quemadmodum per nos non augetur esse effectus per hoc, quod duplicem terminat productionem totalem, ita neque esse formæ per hoc, quod reddat existentem duplicem materiam: & sicuti potest idem effectus esse bis actus, & bis productus per hoc, quod terminet duplicem actionem productiuam, quæ sè habet vt causa formalis illius concreti: ita potest eadem materia miraculosè beneficio multiplicis existentiæ reddi multipliciter sine absurditate existens. Quare melius videtur: respondendum secundo negando maiorem, & ad rationem in contrarium dicendum, quod quamuis vna forma substantialis exigat, quod materia, quam informat, non informetur ab alia forma, & vna materia, quod forma, qua informatur, non informet aliam materiam: potest tamen à Deo fieri contra vtriusque exigentiam, vti diximus cum de vnione.

19 Obijcies quartò: esse effectus adæquatur ab vnica actione totali: ergo implicat simul aliam terminare. Antecedens patet, quia effectus ab vnica actione totali sufficienter ponitur in statu existentię. Consequentia verò probatur: quia si adæquatur ab vnica, ergo à duplici exceditur; sed sic daretur actio sine termino. ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens, esse effectui adæquatur ab vnica actione totali adæquatione sufficientiæ, concedo: adæquatione capacitatis, nego antecedens, & consequentiam; ad cuius probationem distinguo cõsequens maioris. ergo à duplici actione exceditur excessu opposito adæquationi sufficientiæ, concedo: excessu opposito adæquationi capacitatis, nego maiorem: & sic distinguo eodem modo minorem; daretur actio sine termino si effectus excederetur à duplici actione excessu opposito adæquationi tum sufficientiæ, tum capacitatis, concedo, posito, quod excessu opposito adæquationi solius sufficientiæ excedatur, nego minorem, & consequentiam: explico vtramque distinctionem. Dupliciter potest intelligi vnica actio totalis adæquare esse effectus: primo adæquatione sufficientiæ, in quantum sufficiens est sè sola tribuere esse ipsi effectui; se-

20 cundo adæquatione capacitatis per hoc videlicet, quod compleat totam capacitatem non solum naturalem, sed etiam obedientialem, quam habet effectus recipiendi esse à causa. Quamuis autem vnica actio totalis adæquet esse effectus primo modo, non bene colligitur, quod adæquet secundo modo; quia vires obedientiales creaturæ sunt multo ampliores, & laxiores, quam naturales, vt supra vidimus. Quandiu verò stat esse effectus non adæquari adæquatione capacitatis ab vnica actione totali: non est, cur per absolutam Dei potentiam non possit à multiplici dependere, & hæc quantum ad priorem distinctionem. Pro declaratione autem posterioris, notandum duplici adequationi traditæ duplicem correspondere excessum, vtrumque vtrique oppositum, vnus enim excessus opponitur adæquationi sufficientiæ, in quantum addit aliquid supra id, quod sufficiens est ad dandum esse effectui. Alter verò adæquationi capacitatis, in quantum addit aliquid, quod est vltra id, quod capit idem esse effectus. Quoniã verò ex dictis constat esse effectus adæquari ab actione adæquatione solius sufficientiæ, non verò capacitatis: hinc fit, vt dum infertur, quod excedatur à duplici actione totali, id verum sit loquendo de excessu opposito adęquationi sufficientiæ, non verò de opposito adæquationi capacitatis; vnde falsum est, quod non possit per duplicé actionem totalé à duplici causa totali diuinitus dependere. Totius doctrinę traditę planissima explicatio consistit in eo, quod licet esse effectus spectata capacitate naturali plenè adæquatur ab vna actione totali, & excedatur à duplicitat spectata capacitate obedientiali, quam habet, neque à centum millibus adæquari possit per eam enim subijcitur omnipotétiæ Dei, quæ cũ sit infinita, subijcit sibi in infinitum creaturas in ijs rebus, in quibus non apparet manifesta implicantia. Atque hęc eadem solutio adhibenda est simili argumento ducto à paritate termini adæquati virtutis operatiuæ, quod sic proponi solet.

Post quam agens produxit terminum suę vir- 20
tuti adęquatum tum intensiue, tum extensiue, non potest alium producere, alioquin suam virtutem productiuam excederet, ergo à pari hoc ipso, quod effectus recipit suum esse ab vna causa media vna actione totali, non potest illud recipere ab alia, secus vltra suam capacitatem illud reciperet: Distinguendum enim est antecedens, & si quidem semel determino, qui virtutę operatiuam adęquat adęquatione tum sufficientiæ, tum capacitatis, concedendum, quod si semel huiusmodi terminus producatur ab agente, non possit ab eo produci alius, propter rationem tactam, quia nimirum omnem suam virtutem operatiuam excederet; at si agatur determino, qui virtutem operatiuam adæquat adæquatione solius sufficientię, propter contrariam rationem negandum. Sic quia in diuinis Verbum, & Spiritus Sanctus adęquant virtutem productiuam, quam habet Deus ad intra, explendo tum intensiue, tum extensiue omnem eius sufficientiam, & capacitatem; ideo implicat quod possit produci aliud Verbum, & alius Spiritus Sanctus; At quia series omnium calorum, quos in sua virtute continet ignis A. v. g. non adequat totam virtutem productiuam illius nisi adæquatione sufficientiæ: si quidem potest à Deo eleuari ad producendos calores illos, qui continentur v. g. in serie ignis B. ignis C. &c. hinc fit, vt ex suppositione, quod produxerit to-

Digitized by Google

tam propriam seriem calorum, quam tamquam terminum sibi adæquatum adæquatione sufficientiæ respicit, non implicet quin alios etiam calores diuinitus producat. Hac ratione explicata parilas non solum non est contra nos, sed nobis fauet, vt consideranti patet.

21 Obijcies quintò: effectus a duplici causa totali totaliter concurrente si procederet: esset vnus & duplex numero; sed hoc implicat; ergo &c. Maior, quæ sola probatione eget, suadetur: & quidé, quod esset vnus numero, patet ex ipsa quæstione proposita, in qua quæritur, vtrum idem numero effectus &c. Quod verò esset duplex probatur: quia haberet totum suum esse ab vna causa seorsum, & totum suum esse ab altera causa seorsum. Sed particula, seorsum, denotat duplex esse; idem enim significat, ac esse Separatim; ergo &c. Respondeo negando maiorem; dico enim eum fore vnum tantum numero. Ad probationem, quod foret duplex: distingue maiorem: haberet totum suum esse ab vna causa seorsum, & totum ab altera item seorsum, & si quidé Particula, seorsum, apellet causas adæquatas, à quibus totaliter pendet; concedo: si autem appellet ipsum esse effectus, nego maiorem; & ad minorem dico: aduerbium, seorsum, importare semper multiplicitatem, ac realem distinctionem, sed inter eas res, quibus proxime applicatur. Quoniam verò in casu nostro non applicatur entitati effectus sed eius causis totalibus: hinc fit, vt harum qualitatem, & non illius significet.

22 Obijcies Sextò: si possunt plures causæ totaliter in eundem numero effectum simul influere: causent duo artifices statuarij tamquam causæ totales diuinitus eandem numero statuam: sequeretur, quod vterque haberet dominium plenum, & solidum diuisim illius statuę. sed hoc repugnat ergò &c. Minor supponitur; quamuis enim multi putent, quod in instanti donationis fit dominium in solidum rei, quę donatur, apud donantem, & donatarium: at omnes existimant impossibile, quod possit esse in tempore penes plures; & recte id quidem, cum enim dominium plenum plenam proprietatem rei importet: hoc ipso, quod est apud vnum repugnat, quod aliquis alius possit sibi plene appropriare illam rem, & disponere de ea ad libitum. Sequela verò maioris probatur: quia nullo meliori modo acquiritur dominium plenum alicuius rei, quam per totalem productionem illius. ergo si duo statuarij possent esse causæ totales eiusdem statuæ seorsim: sequeretur, quod vterque haberet plenum dominium illius, independenter vnus ab altero.

Ad hanc difficultatem responderi posset primo: ex ea solum deduci causas efficientes dominij capaces non posse singulas totaliter producere eundem effectum; atque adeo restare, quod dominij incapaces, vt duo ignes, duo equi diuinitus possint. Sed contra, quia si potest sustineri nostra conclusio, quod non solum causas necessarias, sed etiam liberas comprehendat vtique debet; atqui posse paulo post videbimus; ergo &c.

23 Responderi potest Secundo in eo casu statuam illam cedere in dominum illius, cuius erat materia, ex qua confecta fuit; constat autem materiæ illius non habuisse vtrumque artificem dominum in solidum, quia hoc supponitur repugnare. Assumptum docet Molina *tom. p. de Iust. tract. 2. disp. 57.* prope finem, vbi ait: si ex aliena materia, quidpiam aliquis conficiat, vt ex alieno auro, aut argento vas aliquod, figuram, seu formam vasis venire sub dominium illius, cuius est materia. Quod si lignum communi sylua pariter exciderunt, vel lapidem selegerunt è triuio, ratione materiæ eos dicerem fore condominos partiales, & non totales statuæ propter similem rationem. Sed contra: quia ex doctrina eiusdem Molinæ *loco citato* habemus, quod si insignis aliqua pictura in vili tabula aliena esset ab aliquo pictore confecta: tunc potius tabula cederet in dominum eius, cuius est pictura, quam è contra. ergo si ponamus, quod ex viliſſimo ligno statua nobiliſſima ab vtroque statuario totaliter formata sit, quantumuis lignum fuerit subdominio vnius, adhuc deberet vterque habere dominium in solidum dictæ statuæ.

Responderi potest tertiò: dominium rei consequi causam principalem illius; atqui impossibile est vtrumque artificem in casu nostro esse causam principalem illius statuę; nam nulla statua, quę continetur in serie statuarum, quam potest efficere vnus, reperiri potest in serie, quam potest facere alter. ergo, vel neuter erit dominus statuę, si neuter sè habet, vt causa principalis illius: vel ad summum vnus tantum. Sed Contra est: quia licet hæc doctrina veritatem habeat loquendo de effectibus naturalibus, at non loquendo de arte factis, vt patet in statua; nam eius figura resultat naturaliter ex ablatione partium superfluarum ligni, vel marmoris; vnde à quocumque tandem artifice dictę partes in individuo auferantur: semper eadem numero figura consurgit, ratio enim diuersitatis refundi solum potest in diuersitatem partium, quæ auferuntur, & non in aliud: quod supponimus non habere locum in casu nostro.

His igitur responsionibus posthabitis, respondendum videtur quarto: negando sequelam maioris; implicat enim contradictionem, quod plures diuisim sint domini in solidum eiusdem rei vti probabimus tomo sequenti. Ad probationem in contrarium distinguo antecedens: Dominium plenum alicuius rei nullo alio meliori modo acquiritur, quam per totalem productionem illius, hoc est per productionem, vltra quam non sit alia productio, concedo; hoc est per productionem sufficientem ponere effectum à parte rei, quauis alia circumsetipta, nego antecedens, & consequentiam. Et dico ad hoc, vt vnus artifex acquirat dominum plenum statuæ, non satis esse, quod sic causa adæquata illius, sed præterea requiri, quod nullus alius illam adæquatę causet. Quoniam verò in casu nostro ponimus vtrumque esse causam statuæ adequatam: hinc fit, quod vterque coniunctim sumptus, ac per modum vnius, & indiuisibiliter sit dominus statuę, quemadmodum esset, si partialiter solum, & non totaliter illam causasset. 24

Instabis: artifex, vt sit dominus adæquatus statuæ, debet quemcumque alium condominium excludere. ergo & ad hoc, vt sit causa illius adæquata, debet excludere quamcumque aliam causam adæ- 25

Digitized by Google

adæquatam. Respondeo negando consequentiam, quia ad habendam rationem causæ adequatæ sufficit, quod tantum influat in effectum, quantum satis est ad illum ponendum à parte rei: at verò ad habendam rationem dominij pleni requiritur tantum potestatis vt possit, qui eam habet, perfectè disponere de re absque iniuria alterius. Atqui vnus Influxus quantum satis est ad ponendum effectum non excludit de suo conceptu essentialiter alterum; ergo. &c. Quemadmodum igitur male quis argumentaretur, ad hoc, vt aliqua virga sit curua, debet etiam diuinitus à se excludere rectitudinem: ergo ad hoc, vt sit calida vt octo, debet etiam diuinitus frigiditatem vt octo a sè ablegare: ita & in casu nostro; quia putamus, quod causalitates totales statuæ se habeant, sicuti calor, & frigus in summo: at verò duo dominia eiusdem statuæ sicuti curuitas, & rectitudo.

Quod si dicas: te nomine causæ totalis alicuius effectus intelligere illam, vltra quam non sit alia; hanc autem habere essentialiter adnexam negationem alterius causæ, non minus, quam dominium plenum negationem alterius dominij; ergo. &c.

Respõdeo: hoc asserẽdo cõuinceris te statũ quæstionis penitus ignorare; si enim in ea nomine causæ totalis veniret illa causa, quæ sine alterius consortio in effectum influeret, quis esset adeo hebes, vt dubitare posset, ne dum affirmare eundem effectum diuinitus à pluribus causis dependere posse. Nomine igitur causæ totalis intelligi debet illa causa, quæ tantum influit in effectum, quantum satis est ad dandum illi existentiam, siue sit alia causa, quæ tantundem influat in illum siue non, vti diximus.

26 Instabis iterum: illud pendet ab alio, quod sine illo existere nequit, nisi aliud vices eius suppleat, & in locum illius succedat; sed effectus non ita pendet ab vtraque causa totaliter concurrente: ergo vna totalis excludit essentialiter consortium alterius.

Respondeo negando absolute maiorem: illud enim dependet ab alio, quod recipit suum esse deficiẽs ab illo siue demum possit existere siue illo, siue non. Non negauerim, tamen, quod, cum natura nihil faciat frustra: posse vnam rem sine alia existere, sit signum naturale, quod ab illa minimè dependeat: naturale, inquam, quia supernaturaliter loquendo, potest fallere, Deus enim, vt suam omnipotentiam ostendat, multa superflua efficere po est, & licet verum sit: quod est essentialiter frustratorium, implicet contradictionem: dependentia tamen à duplici causa totali totaliter concurrente essentialiter frustratoria non est. quia, casu, quo alterutra circum scribitur, vna inseruit ad conseruandum effectum. Quod autem essentialiter est frustratorium, in nullo casu vtile esse potest.

SECTIO TERTIA.

Exponuntur Argumenta Mazziottæ.

27 NVllus ex aduersarijs, quod sciam, magis ex professo sententiam, qua negatur posse diuinitus eundem effectum à duplici causa totaliter dependere mihi propugnare visus est, quam noster Bernardinus Mazziotta *quæstione illa 4. cit.* Hic enim, post quam aliorum rationes expendit, duas fundamentales ad id suadendum adducit: quarum alteram in communibus omnium principijs dicit esse fundatam; alteram verò in principijs peculiaribus Thomistarum, quos sequi profitetur. Illas ergo à reliquis seiunctas in hac Sectione ex industria experdendas propono, vt ex ijs, quæ hucusque à nobis dicta sunt, planum fiat, quanta facilitate dissoluantur, quibus addidi fundamentum, & confirmationem, quibus vtitur Maurus, quia recentissimè de hac rè scribit.

Et Prior quidem ratio Mazziottę, pro qua *a numero* 20. incipit iacere fundamenta, sic breuiter *numero* 23. proponitur. Actio adæquata est traductio effectus à potentialitate ad actum perfectissimum, nempe existentiam. ergo implicat esse actionem adæquatam, & eam non esse traductionem effectus ex potentialitate ad actum perfectissimum; igitur implicat etiam duabus actionibus adequatis causari eundem effectum.

Prius quam vlterius progrediamur, placet hunc discursum reuocare ad trutinam; val dè enim in antecedente laborat, in quo assumitur: actionem adequatam esse traductionem effectus ex potentialitate ad actum existentiæ; huius autem assumpti improbabilitas est cuique obuia. Pone ignẽ in instanti immediate præcedenti ab alio igne productum, certum est eum in hoc instanti incipere conseruari à solo Deo; quia substantiæ post quam factę sunt non indigent influxu efficientis creati, vt durent in esse, sed solius increati, vti suppono; cum sic: Conseruatio, qua Deus in hoc instanti incipit conseruare hunc effectum, est actio adęquata: quia se sola est sufficiens in actu secundo illum in esse firmare, nè corrumpatur; sed ea non est traductio effectus ex potentialitate ad actum existentiæ; nam illum inuenit iam in instanti antecedenti traductum; ergo &c.

Duo ad hoc videtur mihi posse respondere 28
Mazziotta. Vnum, quod agat de actione adæquata, quantum est de sè, & veluti in actu primo considerata, quatenus essentialiter habet esse traductiuam effectus de non esse ad esse: ita vt casu, quo non inueniat illum traductum, necessario traducat: quod si inuenit, licet non actu traducat, possit tamen, quantum est de sè, illum traducere.

Verum hæc responsio totam vim ratiocinationis eneruat; ea enim admissa, facile dici potest, quod saltem duæ actiones totales applicari possint simul effectui post primum esse sine vlla contradictione, quia neutra in actu secundo illum de potentialitate ad actum perfectissimum traducere debet, cum inueniat traductum iam.

Alterum, quod responderi posset, est, quod nõ agat de qualicumque actione, sed de ea, quæ in actu secundo traducit effectum de potentialitate ad actum existentiæ. Verum si hoc dicat, reddit argumentationem suam insufficientem; solum enim euinceret, si quid euinceret non posse vnum numero effectum supernaturaliter dependere à pluribus causis totalibus totaliter à singulis in primo fieri: non verò in conseruari. Quod est res-

Digitized by Google

presse contra id, quod eodem *numero* 23. ex vi dicti antecedentis concludit. ergo inquiens, implicat duabus actionibus totalibus simul causari eundem effectum, siue huiusmodi actiones totales applicentur simul in primo fieri effectus, siue applicentur post primum esse effectus, scilicet in conseruari ipsius. Linquo, quod cum actio productiua possit esse eadem cum conseruatiua, si potest effectus duplici actione totali conseruatiua conseruari, poterit etiam duplici totali productiua. Vnde fit, vt non obstante, quod hoc duplici subsentaculo primum illud antecedens fulciatur: falsa sit absolute secunda consequentia argumenti.

Verum, quia Auctor ipse *ibidem* vim sui discursus explicare promittit, audiamus, si placet, explicationem. Per vnam, inquit, actionem adæquatam tribuitur totum id, ad quod erat effectus in potentia & ita effectus potentia actuatur, vt nulli actioni, prout stat sub tali actione, remaneat actuabilis, igitur non potest concipi, quomodo circa ipsum versari possit alia actio adæquata. Consequentia hæc probatur: huiusmodi actio esset etiam traductio effectus ex potentialitate ad actum perfectissimum; sed potest esse huiusmodi, dum ex vi alterius actionis non supponitur effectus in potentialitate; ergo &c.

29 Jam verò supponit hic discursus omnẽ actionem efficientis secundum suam formalitatem intrinsecam esse traductionem effectus ex potentialitate ad actum, vt ipse expresse aduertit. *num.* 21. quod licet falsum esse constet ex dictis; eo tamen permisso. Respondeo distinguendo antecedens: per vnam actionem tribuitur totum id, ad, quod erat effectus in potentia &c. ad quod erat tamquam ad vltimum terminum concedo; tamquam ad viam, nego antecedens, & consequentiam. Explico. Auctores nostri duplicem potentialitatem agnoscunt in effectu: vnam in ordine ad vltimum terminum, qui est existentia: alteram in ordine ad viam, quæ est actio, cuius beneficio ipse vltimum terminũ acquirit; has enim esse distinctas, potentialitates potest ex eo, quod effectus quamuis existens atque adeo habens vltimum, & perfectissimum actum: tamen potest adhuc esse in potentia ad habendam hanc, vel illam actionem conseruatiuam, cum possit modo ab vna, modo ab alia causa saltem diuinitus, conseruari. Hoc posito dico, quod licet per vnam actionem adæquatam tribuatur effectui totum id, ad quod erat in potentia tamquam ad perfectissimum terminum, & ita eius potentia actuetur, vt nulli actioni remaneat actuabilis, tamquam termino: nego tamen, quod tribuitur illi totum id, ad, quod erat in potentia tanquam ad viam, & ita per vnam actionem totalem eius potentiam actuari, vt alijs actionibus totalibus non remaneat adhuc actuabilis tanquam viæ; siquidem nulla est hoc implicantia, quod eundem numero [illegible] existentialem, quem habet dependenter ab vna efficiente totaliter, habeat etiam ab alijs item totaliter. Per quæ patet falsitas consequentiæ: dum enim dicimus, quod alia est potentia effectus ad hoc ad existentiam, & alia in ordine ad actionem per quam obtinet existentiam, [illegible] non potest actuari nisi per vnicam existentiam (quod tamen à multis negatur) non hoc ne deducitur eum non posse simul plures actiones totales terminare; quia, & si vnica existentia quatenus perfectissimus actus totaliter compleat potentialitatem sibi correspondentem, hoc non militat in vna actione totali. Vnde ad probationem consequentiæ dicendum: nullam esse repugnantiam in eo, quod idem effectus per plures traductiones totales traducatur simul ex potentialitate actui perfectissimo opposita ad ipsum vnicum actum perfectissimum: sicuti neque in eo, quod idem subiectum pluribus dispositionibus totalibus numero distinctis disponatur ad eandem formam. Quamuis enim hæc naturaliter fieri nequeant, at diuinitus non repugnant. 30

Instat primo *num.* 24. & 25. vna actio totalis, vel adæquate traducit effectum ad actum perfectissimum, vel non adæquate: si primum, nihil faciet alia actio; ergo secundum, sed hoc est contra suppositum, *Supponimus* enim illã esse actionem adæquatam: actio autem adæquata non est, nisi illa, quæ adequate traducit terminum, eumque perfectissimè actuat; ergo &c.

Respondeo vnam actionem totalem adæquate traducere effectum ad actum perfectissimum adæquatione se tenente ex parte actus perfectissimi: non autem adæquatione se tenente ex parte traductionis, quia puto effectum ad vnicum actum perfectissimum, & adæquatum posse multiplici actione adæquata traduci: sic distincta maiore, & minore, nego consequentiam.

Instat secundo *num.* 26. quod est formaliter tale, implicat contradictionem fieri tale per aliud: ergo effectus formaliter actus, & existens vi vnius actionis, implicat, vt fiat formaliter, actus & existens vi alterius.

Respondeo: negando vnitarsaliter antecedens; nam iuxta principia communia, in quibus Auctor profitetur suam hanc rationem fundare, subiectum, quod est formaliter calidum vt octo, per vnam formam caloris, non implicat fieri calidum item vt octo per aliam formam; cæterum si sermo sit non de quacumque taleitate, sed de numerica, quæ in casu nostro habetur beneficio existentiæ tamquam formæ vltimæ: concesso antecedente, nego consequentiam, quia effectus non fit in actu, et existens vi vnius actionis tamquam formæ vltimæ reddentis illum in actu, & existentem, sed tanquam viæ, seu influxus, sicuti supradictum est.

Subinstabis: si doctrina tradita vera esset: sequeretur, quod effectus vnam, eandemque actualitatem, & existentiam posset habere à pluribus agentibus simul, totaliter à singulis; sed hoc implicat; ergo &c. Sequela patet Minor probatur: non potest quis recipere aliquid v.g. vas aureum à pluribus donatoribus totaliter à singulis; ergo neque existentiam. Respondeo: concessa sequela nego minorem, ad cuius probationem concesso antecedente, nego consequentiam; disparitas est, quia ad hoc, vt plures dent alicui totaliter vas aureum, necesse est, vt singuli habeant dominium plenum eiusdem vasis, quod supponimus implicare: at verò ad hoc, vt duo efficientia totaliter dent simul existentiam effectui, satis est, si singuli habeant virtutem producendi eundem 31

Digitized by Google

dem effectum, atqui non implicat quin saltem supernaturaliter dictam virtutem habeant; de facto enim multi ex recentioribus tenent, quod effectus, qui producitur ab vna causa, possit etiam naturaliter produci ab alia. Atque hæc quantum ad priorem rationem.

32 Quo ad verò posteriorem sic à n. 25. Mazziotta discurrit: vnus numero effectus implicat, vt producatur diuisim à pluribus causis eiusdem ordinis, & à singulis adæquate. ergo multo magis, vt producatur ab illis coniunctim. Ex antecedente huius argumenti ad summum colligitur non posse eundem effectum à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis totaliter à singulis simul dependere. ergo hoc quoque argumento nihil proficitur ab Auctore. Sed permittamus illi, quod in quæstione sit sermo de causis secundis, & videamus, quomodo in probatione procedat. Consequentia, inquit, enthymematis est legitima. Antecedens verò quinque fere probationibus suadere conatur; Quarum prima ducitur ex D.T., qui *Quolib. 6. quæst. 8. ait* impossibile esse eundem filiū nasci siue sit alius Pater siue alia Mater. Secunda verò ex Aristotile, inquantum *5. metaph. tex. 43. ait* effectum secundum speciem à causa determinata secundum speciem produci posse, non vero à qualibet specie contenta sub eodem genere; ex quo videtur deduci idem proportionaliter dicendum de effectu secundum numerum, quod non possit produci à quolibet individuo contento sub eadem specie, sed à tali determinato. Verum ad has duas probationes facilis est responsio: nimirum, quod tantum euincant sistendo in ordine naturali; nō verò si fiat transitus ad supernaturalem. Multa enim, quæ non possunt fieri naturaliter à rebus creatis, posse supernaturaliter, quatenus diuinæ omnipotentiæ subdantur, nulli dubium esse debet, vti nos supra agentes de potentia obedientiali probauimus. Tertiā dicitur ab exemplis quorum primum procedit ex paritate effectus ad suas causas intrinsecas comparati, sic: hic numero ignis ita pendet ab hac numero materia, & ab hac numero forma, ex quibus componitur, vt implicet constitui ab alia numero materia, vel forma; Secundum exparitate actuum vitalium; sic: hæc numero visio representans v. g. album, ita per sè pendet essentialiter ab hoc albo, vel à determinata eius specie, vt implicet ab alio numero albo, vel alia specie dependere. Tertium ab ipsa specie impressa: species enim visibilis representatiua Petri ita producitur à Petro, vt implicet produci à Paulo. Quartum deniq; posset peti ab actione tum prædicamentali tum vitali vtraque enim implicat ab alio agente produci, quam ab eo cui naturaliter est addicta.

33 Hæc tamen, exempla nihil prorsus euincunt. Ad primū enim dico: non esse ad rem, quia à causis, quibus identificatur effectus, transit ad extrinsecas, à quibus contradistinguitur vti supra notauimus.

Ad Secundum verò aio: hanc numero visionem representatiuam huius albi pendere quidem essentialiter ab hoc albo, quantum ad specificationem; quia ab eo specificatur, at non quantum ad effectionem, quia potest diuinitus fieri absque eo, quod efficienter influat in illam ipsum album media sua specie impressa. Si quidem potest Deus supernaturaliter eleuare aliquod ens creatum ad concurrendū vna cū potentia visiua ad videndum dictum obiectum supplendo defectum speciei impressæ illius; per quæ patet nullam etiam esse tertiam paritatem; quemadmodum enim hæc visio huius obiecti non pendet essentialiter in genere efficientis ab hoc obiecto: ita neque hæc species impressa Petri pendet essentialiter in genere efficientis ab ipso Petro, quin possit diuinitus à Paulo produci, vti suo loco dicemus, quamuis essentialiter habeat, quod sit representatiua Petri, & non Pauli.

In quarto denique exemplo non est immorandum cum ei non multum Auctor ipse confidat; 34
& recte: actio enim prædicamentalis, vt potè modus, est essentialiter addictus suo principio, quod non habent effectus naturales, alioquin quando fiunt à causis secundis, non possent conseruari à solo Deo. Quo ad actus vero vitales multi tenent nullam esse repugnantiam, quod actus visionis, qui de facto fit à me, possit diuinitus fieri ab aliquo alio, quia putant dependere à principio vitali media actione prædicamentali: alij verò, qui existimant pendere se ipsis, id negant, quia in hoc imitantur naturam actionis prædicamentalis; quid quid tandem sit de hac re, constat nullum ex propositis exemplis euincere primum illud antecedens, in quo assumebatur vnum numero effectum naturalem ex his, qui non identificantur cum actione per quam producuntur, implicare contradictionem, quod produci possit diuisim à pluribus causis efficientibus totalibus.

Quarta probatio quam dicit Auctor *num.* 41. 35
esse Complutēsium, *loco citato quæst.* 4. est huiusmodi: Causa, quę agit, vt determinata à sua individuatione, non potest agere nisi determinatos effectus; & effectus, qui agitur, vt pote determinatus, non nisi ab vna petit causa determinata produci; ergo implicat eundem numero effectum produci diuisim à pluribus causis adæquatis. Verum licèt assumptum admittatur à nobis, consequentia, tamen est nulla, quamuis enim vnus effectus in serie effectuum ad vnam causam spectantium contineatur, non est tamen, cur diuinitus ab alia causa in cuius serie non continetur, produci non possit. Intantum enim causa secundæ suas peculiares series sibi vendicant, vt sint naturaliter ex sè vere potentes in ordine ad causandum, & non necesse habeant pro determinatione individuationis effectus producendi ad Deum recurrere. Sed hæc ratio non militat pro effectibus, quos per potentiam obedientialem, producere debent; quia hæc potentia, incohata est in eis, & imcompleta. Vnde sicuti recurrendū est illis necessario ad Deum tanquam ad Auctorē supernaturalem pro complemento huius potentiæ, ita, & pro determinatione individuationis effectus, per eam producendi; alioquin essent ex sè determinatæ, ad producendum id, quod non possunt producere, quod non videtur credibile. Quamuis igitur causæ secundæ non possint agere naturaliter nisi eos effectus determinatos, quos in propria serie continent, non est cur non possint supernaturaliter illos etiam, qui in alieua serie continentur.

Quin-

Digitized by Google

36 Quinta denique probatio quę *n.* 51. affertur ab Auctore tamquam propria, sic procedit: Quicũ q; effectus, vel creatur vel educitur. Atqui implicat eundem numero effectum tum creari tum educi à pluribus causis adæquate à singulis; ergo &c. Minor, quæ sola probatione eget, suadetur. Et quidem effectũ, qui creatur non posse à pluribus causis produci patet, quia causa potens creare nõ est nisi solus Deus. De eo qui educitur sic probabitur, quod educitur, vel immanenter producitur, vel transeunter. Immanenter inexistit necessario in eo principio, à quo efficienter procedit, sed nihil potest in pluribus principijs simul in existere, ergo neque à pluribus adæquate causari. Si vero transeunter: effectus, qui transeunter producitur in sententia Thomistarum est talis numero, quia ad illius productionem concurrit materia talem præcontinens quantitatem. Sed hæc non potest subijci pluribus agentibus; quia ideo præcontinet hanc quantitatem, & nõ aliam, quia subijcitur huic agenti, & non alteri. ergo implicat, iam eundem effectum transeunter à singulis causis adæquate causari.

Contra hunc discursum facit, quia cõuincit so-
37 lũ nõ posse idem à pluribus causis adæquate creari, & educi non: vero non posse ab eadẽ causa pluribus actionibus adæquatis. Nam etiãsi causa potens creare sit solus Deus, ex hoc non sequitur implicare eum multiplici actione creatiua dare esse eidẽ effectui. Idemq; dicendũ de causa potẽte educere, siue immanẽter siue transeunter: ergo; &c.

Ab hac difficultate triplici via conatur sè tueri Mazziotta *numero 52. primo* dicendo hanc instantiam non facere ad statum quæstionis, in qua solum quæritur an idem effectus possit à pluribus causis adæquate à singulis dependere; quod longe diuersum est ab eo, num possit dependere ab eadem causa totali pluribus influxibus adæquatis, secundo addit neque id in sententia Thomistarum fieri posse. Per eos enim implicat duo accidentia solo numero distincta simul existere in eodem subiecto, eo quod ab ipso subiecto indiuiduationem, & numerum sortiuntur. Atqui plures actiones totales, siue creatiuę sint, siue eductiuæ eiusdem effectus solo numero distinguerentur, & reciperentur in eodem subiecto; ergo. &c.

Tertiò denique adducit, quod cum actio non
38 sit nisi virtus agentis sè exercens in ordine ad effectũ: difficile concipitur quomodo dicta virtus duplici exercitio circa eũdẽ terminũ sè exerceat.

Verum triplex hæc defensio imbecillis est, ac viribus vndique destituta; & vt incipiamus à prima. Si non facit ad statum præsentis quæstionis an possit idem numero effectus ab eodem agente duplici totali actione produci, ergo posset aliquis hoc affirmare, & simul partem negatiuam præsentis quæstionis tueri, sed sic nulla esset prior ratio, quam ipse Auctor adduxerat dicendo in communibus omnium principijs esse fundatam, in eaquam ex, quo actio sit traductio effectus ex potentialitate ad actum perfectissimum, colligitur non posse eundem effectum à pluribus causis totalibus totaliter dependere, quatenus ex vi vnius traductionis totalis intelligitur habere totum id ad quod erat in potentia. Atqui hæc ratio æque vrget siue multiplex actio adæquata à multiplici causa proueniat, siue ab vna tantum. Ne igitur sit sibi contrarius Mazziotta asserere consequenter tenetur: posse, vel non posse eundem effectum ab eodem agente duplici totali actione produci ad statum quæstionis, quam agitamus multum facere. Quod si dicat ex vi huius posteaoris rationis sufficere sibi, quod colligatur non posse effectum à duplici causa adæquata totaliter pendere, cum quo stat quod ex vi prioris colligatur etiam, quod neque possit dependere ab vna duplici actione adęquata: Contra est, quia inde colligitur posteriorem rationem esse insufficientem, & mancam, eo quod præsens controuersia æque complectitur vtrumque, alias ipsa quoque philosophica quęstio, & discurrendi metodus esset deficiens, cum nullibi hæc controuersia: num duplici actioni totali, ab eadem causa idem effectus pendere possit, exagitetur. Adde quod plures causæ totales materialiter importent pluralitatem virtutis adæquatę quantum ad præsentem controuersiam; formaliter enim constituuntur per pluralitatem actionum totalium, vt patet ex eo, quod omnes concedimus eundem numero effectũ à pluribus causis adæquatis partialiter concurrentibus etiam naturaliter posse produci. Tota igitur controuersia de multiplicitate causarum adæquatarum refunditur in controuersiam de multiplicitate actionum totalium. Ita vt si quis euincat non implicare effectum per duplicem actionem totalem ab vno efficiente pendere: euincat etiam non implicare eundem pendere per duplicem totalem à duplici, quia vere vnum efficiens totalem actionem duplicans, quantum ad præsentem questionem attinet, est duplex non solum, quia æquiualet duobus, sed quia habet duplicem formam, qua agens totale constituitur in actu secundo tal'e.

Neque secunda defensio ducta ab implicantia
39 plurium accidentium solo numero distinctorum simul existentium in vno subiecto habet plus roboris, quam prima. Contra eam enim dici potest primo multos existimare posse eundem effectum diuinitus terminare duplicem actionem totalem, quarum altera sit depẽdens a materia, atque adeo eductiua, altera verò independens, & per consequens creatiua. Sed actiones eductiua, & creatiua differunt pluſquam numerice. ergo adhuc stante sententia Thomistarum de implicantia plurium accidentium solo numero distinctorum in eodem subiecto simul, potest sustineri eundem effectum posse diuinitus dependere ab vna causa pluribus dependentijs totalibus: dicendo, hanc causam esse ipsum Deum, qui duplici influxu, quorum alter esset dependens à materia alter verò independens influeret in effectum.

40 Contra etiam est secundo, quia non debet implicare in sentẽtia Thomistarum posse dari duas actiones totales prouenientes ab eodem efficiente causatiuas eiusdem effectus, quæ tamen differant inter sè specie. ergo nulla est defensio desumpta ex opinione Thomistica de principio indiuiduationis; consequentia patet, quia in tantum per hunc auctorem implicat eundem effectum multiplici actione adæquata procedente ab eodem efficiente causari, quia in vno subiecto darentur simul plura accidentia nempe multæ actiones solo

nume-

Digitized by Google

numero distinctæ, sed hoc saluatur eo ipso, quod actiones differant specie; ergo &c. Antecedens ergo probatur: non debet implicare in sententia Thomistarum dari simul duas cognitiones in eodem intellectu, quarum vna sit solius Leonis, altera vero Leonis simul, & hominis. Item neque implicare debet dari duos actus, quorum vnus sit fidei tantum, alter verò fidei, & scientiæ. ergo neque implicare debe dari vnam actionem, quæ sit productiua solius coloris A; alteram verò, quę sit productiua simul coloris A. & luminis B. Atqui certum est dictas actiones futuras esse specie differentes; siquidem, vna specificaretur à solo calore, altera vero à calore & lumine, ergo non debet implicare in sentétia Thomistarũ dari duas actiones totales causatiuas eisdẽ numero effectus, quæ tamen differant inter se specie. Vnde sic argumentari licet: potest Deus eleuare solem, vt duplici hac actione in hoc instanti agat in eandem partem aeris. Sed in tali casu idem calor A. pendebit à sole per duplicem dependentiam totalẽ, ergo nulla ratio assignata. Minor, & consequentia patent. Maior verò explicatur, si enim non posset maxime, quia darentur in eodem subiecto duo accidentia solo numero distincta. Sed iam hæ actiones non differrent solo numero, sed specie, quatenus haberent specificatiua totalia essentialiter diuersa; ergo &c.

41 Tertia denique defensio posita ab exercitio virtutis actiuæ nullo negotio expugnatur. Distinguo enim assumptum: actio non est aliud nisi virtus agentis se exercens in ordine ad effectum: ita, vt identificetur cum ipsa virtute agentis, nego; ita vt identificetur cum eius exercitio, concedo antecedens; & ad consequentiam dico verum quidem esse, quod si actio identificatur cum ipsa virtute agentis, difficile concipi posset, quomodo virtus agentis duplici actione totali posset eundem effectum simul causare: at posito, quod distinguatur ex natura rei ab ipsa virtute, magna facilitate id concipitur. Quemadmodum enim naturaliter eadem virtus solis intelligitur naturaliter multiplici exercitio totali circa diuersos terminos se simul exercere: ita potest intelligi sè exercere diuinitus circa eundem.

Alias rationes ex communibus principijs collectas, vt primum illud antecedens probet, conatur adducere Mazziotta: quæ quia sunt leuioris momenti, libenter omitto, vt Mauri rationem expendam, ille enim sic *quæst. 23. citata* discurrit: si effectus produceretur per duplicem actionem totalem, neutra productio daret illi esse. sed hoc implicat; ergo &c. Minor patet, quia vtraque supponitur illi dare esse. Sequela verò probatur: effectus non reciperet esse ab vna ex illis; ergo vna non daret. sed eadem ratio militat pro altera, ergo neutra daret esse primum. Antecedens, in quo est difficultas, suadetur: Implicat, quod res accipiat ab aliquo id, quod aliunde sufficienter habet, sed effectus sufficienter habet esse ab altera productione. ergo non recipit dictum esse ab vna ex illis.

42 Verum hic discursus non habet multum difficultatis. Nego enim sequelam maioris, cum antecedente suæ probationis; & ad eius suasionem, nego vniuersaliter maiorem; quamuis enim implicet, quod res accipiat primo ab alio esse, quod aliunde sufficienter habuisse antecedenter supponatur, eo quod acciperet primo, & non acciperet primo ab illo dictum esse: at nulla est implicantia in eo, quod res, quæ accipit primo esse totaliter ab vno, accipiat pro eodem instanti etiam primo totaliter ab alio, sicuti neque, quod esse, quod habet totaliter conseruatum ab vno, habeat simul conseruatum totaliter ab alio: Huius sumo exemplum ex moralibus: Ponamus enim consules Romanos potuisse diuisim concedere ciuibus aliqua bona publica v.g. præfecturas, agros, &c. ita vt ad libitum concedentis ciues illi priuarentur postea dictis bonis publicis, quæ possidebant, iam aliquis potuisset prudenter procurare, vt ab vtroque consule aliquo ex illis bonis donaretur: vt nimirum casu, quo priuaretur ab vno, ex vi donationis alterius in possessione illius boni continuaret. Rursus potuisset illud bonum publicum, quod primo habuit ab vno dumtaxat consule, & vi voluntatis illius in eius possessione perdurabat, prudenter impetrare, vt per voluntatem alterius consulis in eiusdem boni possessione persisteret, vt in casu, quo ille prior voluntatem suam reuocasset, voluntas posterioris manu teneret illum in possessione dicti boni, à qua necessario exturbandus esset, si ea non accessisset. Idem cum proportione in casu nostro physico dicendum, potest enim sine vlla implicantia effectus accipere ab vna causa totaliter illud esse, quod aliunde habet sufficienter ab altera, vt securius dicto esse fruatur. Etiam si enim huiusmodi effectus sit ex illis, qui non dependent physice in conseruari à causa secunda: at nullus est, qui non dependeat moraliter, quatenus Deus per exigentiam causæ, quæ illum produxit in esse, conseruat, & sic effectus à duplici causa totali productus iam haberet, vt cessante exigentia vnius causę, adhuc ex vi exigentiæ alterius permaneret in esse.

Confirmat suam sententiam paulo post Maurus supponendo Deum concurrere cum causis secundis eadem actione, qua illę operantur. Tum sic: si effectus posset à duplici causa totali dependere, sequeretur, quod Deus per duas actiones idem efficeret. Rursus vellet, vt causa secunda ageret actum ab alia causa: Præterea daret effectui esse, quod habet, & denique ferret auxilium ad obtinendum victoriã aliunde comparatam; quæ sunt absurda, & non conformia modo operandi diuinæ sapientiæ; ergo &c.

Verum in hac confirmatione multa inuoluun- 43
tur, quibus breui explicatione satisfaciam. Admisso igitur, quod supponit: concedo primam sequelam, quod nimirum Deus per duas actiones totales idem efficeret; hoc enim non esset absurdum nec dissorme à modo operandi diuinæ sapientiæ, patet ex Christo Domino, qui remissionem nostrorum peccatorum, & primam gratiam per tot actiones totales nobis meritus est: quot fuerunt operationes liberæ, quas morte consumandas exercuit; quatenus ita qualibet earum fuit infiniti meriti, vt si ea defuisset, dummodo Christus pro nobis mortuus fuisset, adhuc idem numero præmium redemptionis humanæ conse-

Digitized by Google

quitus esset, quod de facto ea actione ablata, consequutus est. Non enim putandum est, quod si Christus vnum, aut alterum actum meritorium ex his, quos fecit, omisisset, nostræ reparationis præmium futurum fuisset aliud, ab eo, quod nunc est. Non est igitur à modo operandi diuinæ sapientiæ alienum per plures actiones idem efficere ad ostendendam potentiam suam.

44 Ad secundam verò, nego causas secundas adæquatè influentes in eundem effectum actum agere, & per consequens, neque hoc velle Deum, vel enim ponimus eas simul ad producendum effectum applicari, & sic cum quælibet ex eis influeret in illum primo, nulla actum ageret; vel ponimus eas ita applicari, vt vna tantum produxerit adæquate effectum, sed plures postea illum conseruent; & sic nulla conseruet conseruatum propter eandem rationem; iam enim pro eodem instanti simul ad conseruandum effectum omnes concurrerent. vel denique ponimus applicari ita, vt effectus, qui ab vna tantum causa conseruabatur, incipiat postea conseruari etiam adæquate ab alijs: sic licet consequentes videantur conseruare conseruatum à præcedente; materialiter tamen hoc verum est, & sine absurdo, ad eum plane modum, quo si præcedens conseruare desineret. Cæterum formaliter haberet falsitatem, nam pro eodem instanti simul concurrerent; sed quid si Deus in hoc instanti applicaret quidem vnam causam ad producendum, vel conseruandum adæquate effectum in priori naturę independenter ab alijs: at vero in posteriori eiusdem instantis applicaret alias, non ne hæ aliæ actum agerent. Respondeo hunc modum applicationis causarum ad præsentem controuersiam minime pertinere. Quamuis enim dicamus dictum modum applicationis repugnare propter rationem tactam, tamen stat firma nostra conclusio, in qua sustinemus posse diuinitus eundem effectum dependere à pluribus causis totalibus totaliter à singulis; Vtrum autem effectus sic dependens debeat dici pluries actus, siue productus, siue etiam conseruatus, quæstio videtur esse de nomine. Nam in rè certum est effectum ipsum esse vnum. Causa verò formalem, quę constitueret ipsum actum, siue productum, esse multiplicem iuxta numerum actionum totalium, per quas à pluribus causis dependeret. Quoniam verò concreta accidentalia non nisi ad multiplicationem subiecti multiplicari solent: consequens est, vt effectus non deberet in tali casu dici multiplex actus, & productus: sed ad summum multipliciter, quia sic multiplicitas videtur cadere supra solam formam.

Ad tertiam sequelam patet responsio ex his, quæ diximus in solutione argumenti principalis, & ad quartam ex his, quæ in solutione ad secundam sequelam. Sicuti enim non est absurdum dare per vnam totalem actionem effectui id, quod obtinet per aliam: ita neque dare vnum auxilium adæquatum ad obtinendum victoriam, quam simul per alterum auxilium obtinet; multiplicitas enim auxiliorum potentiam auxiliantis melius manifestat. 45

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEXTA

DE APPLICATIONE REQVISITA inter agens, & passum.

1 HÆc controuersia, vt rectè aduertit Suarez in metaph. *disp.* 18. *sect.* 8. *n.* 1. est propriè metaphysica, siquidem complectitur omnem causam efficientem, siue increata sit, siue creata, & hæc siue incorporea, siue corporea. De qualibet enim quæri potest, quam applicationem debet habere ad passum, vt agere valeat illud. Nos verò quamuis de ea, vt physici disputemus, sequuti alios, qui hunc illi locum assignarunt; volumus tamen, vt quæ de efficientibus physicis dicemus, etiam de alijs intelligantur, dummodo transeunter operentur, cum extra omnem controuersiam sit agens, quod immanenter rigorosè operatur, hoc est per actionem, quæ recipitur in ipso per se primo, videlicet in eam partem, secundum quam agit: huiusmodi inquam agens esse omnimode applicatum passo in operando.

SECTIO PRIMA,

Vtrum agens naturaliter loquendo possit agere In distans, quin agat in propinquum.

2 CONclusio est negatiua: Dico enim causam efficientem non posse naturaliter agere in distans nihil agendo in medium: est Aristotelis multis in locis præsertim 7. *phys. tex.* 13. vbi post quam hoc, quod dicimus, inductione probauit. Ita concludit: manifestum igitur, est quod inter mouens vltimum, & quod mouetur primum, nihil est in medio consistens eius, quod mouet, & eius, quod mouetur: primo *de gen. tex.* 9. vbi reddens rationem, quare de tactu ageret: quia, inquit, impossibile est esse actionem & passionem sine illo. Eum sequuntur omnes Peripatetici cum S. *Th. p. p. quæst.* 8. *art.* 2. Appetitum tamen docet Auicenna.

Digitized by Google

na *lib. de Anima sect. 4. cap. 4. pro sè citans* Hypocratem, cum quo sentiunt Alexand. Aphrodiseus, Ochamus, Gabriel, Bassolus, Maironius, & alij. Scotistæ secuti Scotum *in 2. dist. 37.* qui omnes putant, quod etiam si agens distet a passo, modo hoc in eius sphæra actiuitatis contineatur, possit in illud agere per virtutem, quam habet in sè, nihil omnino producendo in medio. Sphæram autem actiuitatis agentis appellare solemus spatiũ illud, in quod agens potest actionem suam extendere, quod quia determinatum esse debet, & circulariter circumquaque ab agente secundum omnes partes æque ab illo distando, id circo hoc nomine appellatum est.

Probatur autem conclusio primo quotidianis experientijs: videmus enim quoties inter agens, & passum corpus aliquod intercipitur, quod sit incapax actionis agentis, vel illi valde resistat, agentis actionem quamuis intra phæram suam impediri; Si enim inter manum, & ignem v. g. intercipiatur paries, vel inter solem, & aerem, qui est in cubiculo fenestra lignea: neque ignis, manum calefaciet, neque sol aerem contenctum in cubiculo illuminabit. Huius autẽ rei ratio nulla alia assignari potest: quam quod agens etiam intra sphæram actionem suam interrumpere nequit producendo aliquid in passo distante absque eo, quod agat in medium.

Dices pro Scoto: phæram actiuitatis agentis
3 pro diuersitate passi esse diuersam. Si enim passum valde resistitiuum est, tunc agens in superandis eius viribus omnes suas vires insumit, sphæramque actiuitatis contrahit: vnde mirum non est, si ignis interpositione parietis actionem suam non extendat ad manum.

Contra tamen est, quia licet dicta responsio applicari quo quo modo possit ad experientias ex actione corruptiua desumptas: nõ potest tamen ad illas de actione perfectiua, cuiusmodi est illuminatio. Lumen enim caret contrario positiuo: & sæpe medium est corpus opacũ huiusmodi qualitatis incapax in sua profuditate, vt est ferrũ, tabula, &c. Non igitur dici potest, quod ideo sol aerem intra cubiculum contentum non illuminat, quia in superanda resistentia medij vires suas insumit.

Contra secundo, quia si daretur inter agens, & passũ aliquantulũ vacui: non posset agens in passum illud agere, sed in tali casu non occuparetur in superanda resistentia alicuius corporis intermedij, quod ibi nullum esset; ergo &c.

Contra tertiò: quia nulla ratio est assignabilis, ob quam obiecta visibilia per totum medium species visibiles diffundant, si possũt agere in distans; satis enim esset illas inpotentia visiua animalis producere. Cum igitur eas producant etiam in medio, vt patet: tum quia iuxta dispositionem medij variantur, tum etiam, quia corpore opaco impediuntur, tum denique ex Aristotile secundo *de anim. tex. 74.* asserente vacuum interceptum inter potentiam visiuam, & obiectum impedire visionem, sequitur aduersariorum rationem nullam esse.

Probatur secundo: quia si agens posset agere in distans, non esset, cur natura tanta sollicitudine, & prouidentia vacuum abhorreret. cum igitur videamus eam omni conatu à mundo vacuum excludere: dicendum est hoc facere, vt quædam corpora per alia intermedia suas operationes extendere possint. Sed si possent operari in distans, hæc ratio cessaret. ergo &c. Scio Arriagam minime hanc rationem probare, cuius argumenta in physicis agendo de vacuo, sufficienter dissolui, & ideo supersedeo à labore hic iterum eum confutandi.

Objicies primò multas experientias, quibus 5
apparet agens aliquid agere in partes remotas absq; eo, quod agat in mediũ. magnes enim trahit ad sè ferrum absque eo, quod trahat corpus, quod mediat inter vtrumque, licet Corpus hoc sit argentea lamina, vel quid simile: sol in terris calorem, herbas, metallaque producit, quæ non producit in cœlis sibi inferioribus: torpedo præterea piscatoris manum stupefacit absque eo, quod hamum, vel arundinem stupefaciat. Remora nauem detinet fluente aqua, quę inter sè & nauem intercipitur. Basiliscus solo aspectu ex longinquo homines enecat, Brassica denique, & Ruta si prope serantur, arescunt non arescentibus herbis, quæ intermediant. ergo &c.

Respondeo multiplicem esse actionem, quæ ab 6
agente aliquo prouenire potest: quædam dicitur prima, & est illa, quæ primo, & immediate prouenit à virtute, quæ in agente ipso reperitur; alia vero secunda, quę primo, & immediate prouenit à qualitate illa, quę per primam actionem producta est in passo. Alia vero tertia, quæ fit per qualitatem per secundam actionem in passo productam, & sic de cæteris. Porrò ad Conclusionis nostræ veritatẽ non est necesse, vt quęcumq; actio, quę fit in passo distante, siue illa prima sit, siue secunda, sit etiam in medio. Sufficit enim si sola prima actio hoc habeat; & ratio est, quia sola hæc immediate, & per sè prouenit à qualitate, quæ est in agente, cæteræ namque ab ea mediate proueniunt: immediate vero à qualitatibus transfusis per medium, quæ quidem, quia possunt in passo remotiore dispositiones aliquas inuenire, quas in proximiore non reperiunt, hinc est, vt quosdam ibi effectus producere possint, quos non possunt in proximiori. Neque dicas qualitatem per primam actionem productam per hanc responsionem fore aliquando otiosam, ne id dicas inquam, dum enim natura sua ad secundam actionem producendam est ordinata, nullo modo censenda est otiosa, licet per accidens ratione scilicet subiecti illam aliquando non producat; & sic patet responsio ad experientias omnes in obiectione positas. Ato enim effectus illos, quos supradicta agentia in remotioribus partibus suæ sphæræ producunt, quos in vicinioribus nõ producunt, prę supponere actionem quandã priorẽ, qua per virtutẽ in ipsis agentibus existentem, qualitas quædã in tota eorum sphęra actiuitatis sine vlla interruptione producta est: quæquidẽ qualitas, quia nõ inuenit in partibus vicinioribus dispositiones ad enumeratos effectus prę stãdos requisitas, bene tamen in remotioribus uenit, hinc fit, vt illos in remotioribus, & non in vicinioribus producat quod totum patet ex sole, qui prima quidẽ actione producit lumẽ per totũ: quia tũ in cœlo quippe incorruptibili capacitatẽ

Digitized by Google

ad producendum calorem non reperit: bene tamen reperit illam in terra; hinc est, vt per actionem secundam, si non à sè, saltem ab ipso lumine immediate pendentem hic, & non ibi calorem producat obiter tamen aduerterem, quod dicitur de Remora distantem à se nauem detinente falsum omnino esse, vidi enim ego Remoram quamdam, quam non nulli piscatores D. Carolo de Vigintimilijs insigni mathematico attulerunt, qui dictitabant se eam fortiter adhærentem suæ nauiculæ, illâque immobilẽ contra remigantium impetum detinentem deprehendisse. Et certe ex figura, & dispositione coporis, quam præsefebat clare hoc conijciebatur. Quamuis enim non esset nisi longitudinis fere palmaris, habebat tamen collum, & superiorem dorsi partem ad instar strigilis complanatę plures ordines acutorum veluti dentium continentis, depressiores tamen, & spissiores ijs, quos ipsa strigilis continere solet. Cum igitur constet eam his dentibus infigi nauibus, non est cur censeatur virtute per aquam diffusa illas continere.

7 Instabis primo: qualitas, quâ in medio producit magnes, Torpedo, & Basiliscus, occulta est, igitur ignota. ergo conficta ad fugiendam vim argumenti.

Respondeo, quod licet dictæ qualitates non sentiantur à nobis, conijciuntur tamen a posteriori, non solum ex alijs experientijs, sed etiam ex ijsdem, videmus enim magnetem non attrahere ferrum neque basilicum hominem enecare, si inter vtrumque agens, & passum paries intercipiatur; Torpedo autem non prius, piscatori nocet, quam hamum apprehendens, filum, & harundinem sua inficiat qualitate.

8 Instabis iterum: saltem agens intensius agit aliquando indistans actione prima, quam in proximum corpus. ergo actione prima ad minimum hac ratione dari potest actio indistans: antecedens probatur tum, quia in puncto reflexionis maius lumen producitur, quam in medio: tum quia, cum aqua, quæ est in parte superiori ollę, ebulliat: ea quæ est in eiusdem ollę fundo tepida est, vt docet Aristotiles *sect. 24. proble. quæst. 5.* tum denique, quia ignis sæpe distantem stupam accendit non accendendo aerem intermedium.

Respondeo negando antecedens; & ad primam eius probationem dico in puncto reflexionis agẽs agere actione secunda, licet alio modo explicata, quam in precedenti responsione, vt dicetur inferius. Ad secundam verò aio, quod aqua, quæ calefactionis initio infundo ollæ residebat calore attenuata sursum ascendit. Contra vero ea quę in ollæ orificio reperiebatur, vt pote minus calida, & per consequens densior, ac magis grauis descendit, & cedit locum calidiori, atque ebullienti: ex hoc autem non sequitur, quod ignis intensius in partes aquæ distantes, quam in propinquas egerit. eamdemque responsionem adhibe experientiæ desumptæ ex carta papiracea oleum continente, quæ cum igni supponitur, minus ab illo offenditur, quam oleum ipsum. Ad tertiam denique dic aerem intermedium inter stupam, & ignem fortasse etiam accendi sed obtenuitatem, quam habet apparenter minime inflammari, vel quod ignis non intensius in stupam, quam in aerem agat, sed quia stupa magis disposita est ad ignem concipiedum propter siccitatem, quam habet, id circo actione tertia inflammatur.

9 Instabis denique: sensus externi producunt species sensationum in phantasia quæ est in cerebro, non producendo illas in partibus corporis intermedij, phantasia vero mouet immediate appetitum, qui est in corde, hic autem immediate etiam mouet potentiam motiuam longe à sè distãtam hę autem actiones primæ sunt, & indistans. ergo &c.

Respondeo iuxta quam plures, sensus externos species suorum actuum non solum in phantasia producere, sed etiam in partibus corporis intermedij: phantasiam vero non agere in appetitum, sed ad illius actum concurrere determinando per suum phantasma tamquam per conditionem & obiecti representationem potentiam illam; denique ad motum appetitus vitales spiritus excitari quibus medijs alteratur corpus, atque mouetur, Cor enim in quo residet appetitus censetur esse principium motus animalis, & spirituum vitalium: vnde in hoc nulla datur actio indistans. Sed melius ad has, & similes experientias vnicam adhiberem solutionem; dicendo, quod potentiæ longe dissitæ in animalis corpore, ideo se inuicem determinent, quia omnes radicantur in eadem anima, & ex naturali quadam Symphatia sibi inuicem correspondent, vti suo loco melius dicemus.

10 Obijcies secundo: quando quis sedet ad ignem etiam si aer intermedius identidem mutetur, ille tamen magis ac magis calefit, ergo in tali casu ignis operatur indistans, nihil operando in medio. Consequentia patet, quia aer ille dum est in motu non potest recipere calorem intensum ab igne.

Respondeo non deesse, qui dicant Calorem produci in nobis ab igne per secundam actionem quam vidimus posse dari in parte remotiore, & non in medio, primam verò actionem quæ est illuminatio fieri non solum in nobis, sed etiam in aere intermedio quamuis identidem moueatur. Verum hoc improbabiliter, quia ignis etiam si non illumineat adhuc calefacit. Melius ergo dicendum aerem, vt pote tenuissimum breuissimo temporis spatio recipere ab igne totam illam intensionem caloris, quam dictus ignis produxit in nobis. Ne que hoc alicui mirum esse debet, est enim aer ex intrinsecis suis calidus atq; adeo potest valde ignem adiuuare ad sui ipsius calefactionem.

11 Obijcies tertiò: Nasus, qui Tropeæ ex aliena Carne reficitur, durat durante homine, ex cuius Carne suffectus est. Venenum etiam, quod ab Apulienſi Araneo inspiratur hominibus, non nisi moriente ipso Araneo vires suas deperdendo, homines dimittit incolumes. De quodam denique lapide fama est, quod in eo lumen solis, absente sole per aliquod tempus conseruetur. ergo saltem actiones conseruatiuæ fieri possunt indistans,

Respondeo, vel hęc omnia atq; his similia fabulosa esse, vt quibusdam placet: vel id in duobus primis casibus euenire aut propter similitudinẽ tem-

Digitized by Google

temperamenti, quod habet Caro illa cum eo, à quo decisa est, & venenum illud cum araneo, à quo fuit homini inspiratum; aut ex symphatia quadam naturali, quam illa inter sè habent, ad quam in similibus casibus est recurrendum, præsertim in eo, quo ad tactum vnius citharæ, altera cithara vnisone tensa, & è regione posita respondet: nisi malis, quod hoc fiat mediante cõmotione aeris intercepti, quam quidem commotionem, quia altera cithara immota pertistés disposita est, statim excipit, dummodo breuis inter vtramque distantia intercipiatur. Propter contrariam rationem, scilicet, propter antypatiam occisi hominis Cadauer ad præsentiam Occisoris sanguinem fundit, nisi malis cum alijs hoc accidere ex qualitate quadam, quę ab anima defuncti in eius corpore relinquitur maxime abhorrens ab Occisore atque contraria alitui, qui ex eiusdem Occisoris corpore exhalat; existimant enim hi, corpora præsertim animalium quemdam alitum spirare continuo. Vnde est, quod ad tactum huius alitus corpus defuncti qualitate illa commotum Sanguiné mittat. Ad conseruationem luminis in lapide Galilei, dic, quod ille ex solis præsentia occultas quasdam influentias concipit, quę ratione dispositionú, quas in eo inueniunt, quamdiu in dicto lapide durãt, sunt causatiuæ luminis. Vnde falsũ est, quod lumẽ à sole absẽte in illo lapide cõseruetur.

Hic soluenda restaret experientia ducta ab vnguento, quod Armatum seu Armarium, vel Romanum vitriolum vocant, quo curari solent vulnera ab illo distantia, dummodo applicetur ensi, quo vulnus inflictum est, vel fasciæ respersę sanguine, qui è vulnere emanauit, quamuis de reliquo ensis, vel fascia valdè distent à vulnerato. Sed hæc experientia censenda est superstitiosa, & expacto cum dęmone ortum habere, vt cum multis docet Diana *parte* 11. *Resol.* 42: Scio alios hoc refundere in sympatiam, quæ est inter vulnus, & Sanguinem cui medicamentum applicatur: alios vero in leuitatem vulneris, quod vicina caro indepen-
2 denter à dictis medicamentis sanat.

Obijcies quartò: fulmen aliquando combussit pecuniam Marsupio, in quo continebatur, intacto relicto, & ensem relicta intacta vagina. Item si cubiculũ occludas ita, vt duo parua foramina directe opposita, & solem per rectam lineam respicientia in eo facias, videbis solem illuminare obiecta extra cubiculum, & nihil luminis producere in cubiculo. In his igitur casibus admittenda est actio indistans.

Respondeo negando consequentiam: In primo enim casu aio, fulmina solere secũ deferre ignitã quamdã exhalationem, valde tamen tenuem, quæ corpora porosa, cuiusmodi sunt marsupium, & vagina, pertranseat, illæsaque relinquat: Corporibus verò solidis adhærescat, vt sunt ensis, & pecunia, illaque comburat. Ad secundum verò, quod licet lumen à sole producatur etiam in aere inter duo illa foramina cubiculi interposita: non tamen cernitur, quia ad hoc, vt luminis qualitas cernatur à nobis, necessario requirit terminari, & veluti reflectere, quod non habet in aere, qui in cubiculo reperitur, sed solum in atomis, quæ in eo sunt, quæ id circo cernuntur.

Obijcies quintò: agentia naturalia habent certam sphęram actiuitatis, ad quam per primam actionem sè possunt extendere per virtutem, quã habent in sè; sed non potest assignari ratio, cur hæc virtus non sit taliter constituta, vt intra dictam sphæram agere possit in distans; ergo &c.

Respondeo negando minorem: ex determinatione enim sphærę quam agentia naturalia sibi vendicant, potius colligi debet non posse dari actionem indistans, quam posse. Nam hoc ipso, quod agens posset actionem suam vlnarem v. g. interrumpere, deberet quoque posse illam ad quamcunque distantiam subiecare, & sic si quatuor palmi, quibus vlnaris eius sphæra componitur, distaret vnus ab alio per miliare, non esset ratio, cur in dictos quatuor palmos agens illud non ageret, nam quatuor illa milliaria intercepta cum nihil actionis recipere deberent, nec actio exigeret esse continua, nullo modo ad ipsam actionem pertinerent; atque adeo dummodo hæc non excederet quatuor palmos, posset ad quamcumque distantiam cum interruptione extendi, quod est manifeste falsum; phæra igitur actiuitatis ideo taxatur à natura agentibus naturalibus, quia debent actionem suam continuare. Vnde cum sint limitatę virtutis iuxta virtutis proportionẽ alia quæ maioré, alia vero minoré sphærã sibi vendicant. & hinc est, quod cum Deus sit infinitæ virtutis, in infinitum eius sphæra actiuitatis protrahatur ita, vt nullum sit spatium imaginarium excogitabile, in quo non possit operari.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum agens naturaliter ita non possit agere In distans, vt debeat necessario diffundere actionem à sè procedentem agendo in ipsum medium.

CONclusio est negatiua; Dico enim causam ef- 14
ficientem posse naturaliter agere in corpus distans, quando in medio, vel similem sui causam reperit, cum qua operetur per modum vnius in illo corpore, vel reperit in medio productum effectum, quem ibi producere debebat.

Probatur manifesta experientia: Ardeat in camino sarmentorum fasciculus, & dum ardet, ponatur retro alius fasciculus accensus ita, vt flamma prioris, inter nos, & flammam posterioris intercipiatur: tunc procul dubio maior calor, maior Lux sentietur à nobis ex appositione huius secundi fasciculi quam antea; ergo flamma secundi fasciculi operatur in distans nihil operando in medium; in quo flammã prioris inuenit. Probatur consequentia, quia flamma prioris tantum luminis, & caloris habet in sè, quantũ flamma posterioris; simile autẽ, vti dicemus agere nequit in simile. ergo augumentum luminis, & caloris oritur immediate à flamma posterioris saltem partialiter,

Dices primò: flammam posteriorem non pro- 15
ducere immediate calorem in nobis, sed conseruare calorem prioris impediendo agentia contraria, ne priorem infrigident.

Sed contra est: ponamus enim agentia frigida valde esse debilitata, & non posse agere in prio-

rem

rem flammam; quid tum? Respondebis fortasse tunc dicendum esse flammam posterioris medijs scintillis, atque exhalationibus immissis nos calefacere.

Contra tamen est primò: quia si ponamus istas exhalationes post exhalationes prioris immobiles permanere, recurrit argumentū. Contra secundo, quia si argumentum à flammis transferatur ad glaciem, quæ nullas exhalationes immittit, vtpote constrictiua, habet eandem vim; constat enim nos minus infrigidari, si prope nos existat palmus glaciei, quam si existant mille palmi seu vlnæ eiusdem. Contra tertiò: quia hæc responsio applicari non potest ad experientiam luminis; hoc enim non habet contrarium. Verum respondent ad hoc luminis experimentum aliqui, quod flamma posterior non agit in distans; sed prior, quæ est prope nos, ideo maius lumen versus nos producit, quia vires, quas illuminando oppositam partem insumebat, ad nos applicat eo, quod ne agat versus illam partem, à posteriore flamma subleuatur.

Contra tamen est, quia prior flamma, quando erat sola, vel producebat lumen versus nos solum per partem nobis viciniorem, vel etiam per interiores; atque remotiores, quæ sunt à tergo; si secundum: ergo partes istæ à tergo agebant immediate in distans, quia ita nos illuminabant, vt non illuminarent partē flammæ nobis viciniorem. Si primū: ideo erat, ne daretur actio in distans, sed posita posteriore flamma, adhuc durat hæc ratio. ergo falsum est, quod ad huius aduentum prior flamma vires, quas insumebat ad retro illuminandum, ad nos applicet. Contra conclusionem autem principalem.

16 Obijcies primò: D. Paulus *act. 17.* ex operatione Dei in nobis probat Atheniēsibus præsentiam eiusdem in nobis: Non longe est, inquiens, ab vno quoque nostrum, in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus: hoc ipsum infert Dauid *psal. 138.* Si ascendero in Cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. ergo &c.

Respondent aliqui Apostolum non loqui de præsentia physica Dei, sed de intentionali, quatenus nos, cum ab illo dependeamus, facile venire possumus in eius cognitionem. Dauid verò *loco cit.* non dicere se non posse fugere præsentiam physicam Dei, sed non posse fugere pœnam sibi infligendam ab ipso Deo pro suis peccatis. Sed non bene hi explicant dictas auctoritates; non primam, quia ratio adducta ab Apostolo, cur Deus non longe sit, præsentiam probet realem, dum ait: in ipso enim viuimus &c. Neque secundam, quia Dauid, ex eo, quod Deus possit eum vbique tenere, atque punire, colligit eum esse vbique realiter præsentem, dicens: illic es. Quare melius respondendum est, quod cum ad actionem, quam exercet Deus in qualibet creatura in particulari, sit impertinens actio, quam exercet in quamcumque alia: recte ex eius operatione in qualibet, colligitur eius præsentia vbique, vti paulo post dicemus.

17 Obijcies secūdò *Arist. hic tex. 39.* docet: agens sè habere, vt actū, passum vero, vt potētiā. ergo actio sè habebit, vt vnio; sed vnio requirit extremorum indistantiam; ergo & actio.

Respondeo, quod sicuti agens, & passum metaphorice solùm se habent, vt actus, & potentia, quatenus scilicet illud perficit, hoc verò perficitur: ita, & actio in ratione vnionis. Sicuti igitur inter agens & passum non requiritur per aduersarios compenetratio, vt inter materiam, & formam: ita & actioni per nos sufficit approximatio mediata, ratione causæ existentis in medio, cum qua sè habet in operando per modum vnius.

Obijcies tertiò: prior flamma sarmentitia est tam calida ac luminosa, quam posterior. ergo tantum poterit, quantum simul cum posteriore; non est igitur, cur posterior in nos agat.

Respondeo, concesso antecedente, negando pri- 18
mam consequentiam; experientia enim constat non solum conducere ad actionem intensionem agentium, sed etiam eorum multiplicationem; plus enim illuminant cubiculum plures, quam vna lucerna, & plus possunt centum homines, quā vnus homo. Cuius rei ratio à priori est, quia, cum creata virtus sit limitata, ad alterius similis præsentiam subleuatur, eo quod vires, quas debebat insumere in effectu viliori, adiuta ab alia applicat simul cum illa ad nobiliorem, seù intentiorem, vel saltem maiorem producendum.

Obijcies quartò: si conclusio vera esset, sequeretur, quod omnia Elementa secundum se tota agerent in nos, & terra tota frigiditate sua nos infrigidaret, totusq; aer humiditate sua nos humectaret; sed hoc videtur contra experientiam. ergo &c.

Respondeo: omnia Elementa respectu nostri esse in actiuitate fere æqualia, atque adeo omnia se inuicem impedire ne in nos intensè agant: remisse autem agere semper nequeunt, quia supponunt in nobis suas qualitates remissas: tunc igitur solum agunt, quando superant resistentiam actiuam contrariorum: sic si darentur duo agentia contraria æqualis virtutis applicata alicui passo, neutrum ageret, licet quodlibet acturum esset in absentia alterius.

Obijcies quintò: ad operandum hoc tempore 19
requiritur existentia in hoc tempore: ergo ad operandum hic, requiritur existentia hic, atque adeo causa, quæ non est hic, non potest hic immediate immediatione virtutis operari.

Respondeo hoc argumento probari etiam posse, quod vel causa in eodem prorsus loco penetratiue esse debeat cum effectu ad hoc vt agat, sicuti esse debet in eodem prorsus tempore: vel si sufficit, quod sit contigua, sufficere etiam, quod tempore immediate ante, vel post effectum, existat. In forma igitur, concesso antecedente, nego consequentiam, disparitas est, quia id, quod non existit nunc, nequit nunc habere potentiam ad producendum effectum, at vero, quod hic existit, habet potentiam ad illum hic, vel alibi producendum, dummodo vnum agens cum intermedio corpore constituat.

( )

SE-

Digitized by Google

SECTIO TERZIA.

Vtrum agens, si agat in partes propinquas suæ sphæræ, agat immediate etiam in remotas eiusdem.

20 LOquimur de immediatione virtutis actiuæ existentis in ipso agente: non autem de immediatione suppositi; constat enim ignem calefacere hominem, etiam si inter suppositum vtriusque intercipiatur aer, atque adeo suppositum agentis non sequi immediate post suppositum passi; & quærimus posito, quod agentia naturalia, vti modo dicebamus, sint limitatæ, ac finitæ virtutis, & per consequens, quod non possint ad quamcumque distantiam actionem suam extendere, sed vbi certam actiuitatis sphæram determinent, maiorem vel minorem pro maioritate, vel minoritate suæ virtutis, siue modis, quam in se habent vltra quam agere non possint: quæritur inquam, an dicta agentia agant in totam suam sphæram per virtutem, quam habent in sè, quando in partes viciniores similem produxere virtutem; an verò immediate per virtutem scilicet à sè trãsfusam in medio ita, vt per suam virtutem solum agant in primam partem passi sibi immediatam, per qualitatem verò in hac prima productam agant in secundam, & sic de cæteris absque eo, quod eorum virtus immediate partes consequentes attinga. Pro solutione sit.

Vnica Conclusio: agens naturale agit immediatè immediatione virtutis, scil. quod idem est, per virtutem, quam habet in sè, in totam suam sphæram, etiã tũ partes viciniores ipsius sphæræ produxerit qualitatem similem ei, per quam operatur. Est Sancti *Tho*: 8. *phys* Suarij 18. *disp. sect.* 8. Hurtadi *disp. 9. sect.* 6. Ruuij hic *cap. 6. quæst. prima* Arriagæ 7. *phys. sic sect.* 6. Oviedi *in phys. Controuer.* 18. *puncto* 2. & aliorum; contra Caietanum, Capreolum, & alios Thomistas, quibus adherent Durandus, Molina, Conimbricentes, & alij, quos citat Lynceus *lib.* 4. *phys. tract.* 5. *cap. primo.*

Probatur: quia agens principale debet immediate immediatione virtutis propriæ agere in 21 aliquid passi, vt de sè patet; vel igitur hoc aliquid erit diuisibile, vel indiuisibile: si diuisibile, poterit ergo agens immediate immediatione virtutis agere in partes viciniores, & remotiores; quoniam verò non est maior ratio, cur possit in istas, & non in omnes intra suam sphæram contentas: dicendũ erit, quod sic in tota sua sphæra operetur. Imo positis his, controuersia potest cum aduersarijs esse de nomine: siquidem nomine sphæræ actiuitatis nos intelligimus illud spatium, in quod agens immediate immediatione virtutis in sè existentis agere possit. Si autem dicant, quod illud, in quod immediate agit agens, sit indiuisibile. Contra est, quia de hoc indiuisibile quæro, verũ agat immediatè in aliquod diuisibile, in partes scilicet sibi viciniores, & remotiores: an vero in aliquod indiuisibile; hoc secundum admittit vnum indiuisibile immediate post alterum; ergo primum. Actionem igitur immediatam in partes viciniores, & remotiores, quam Aduersarij agenti principali negabant, concedunt indiuisibili, quo nihil est absurdius.

Probatur iterum: experientia constat, quod si inter agens, & passum interponatur impedimentum, statim, vel totaliter cessat, vel valde semittitur actio in partes remotiores passi intra sphæram actiuitatis agentis contentas. Signum igitur est, quod actio illa immediate procedat à principali agente.

Obijcies primò: Aristotiles hic *tex.* 38. hæc 22 habet! Dico autem, vt non solum tangens calefaciat ignis, sed etiam, si longe sit, àerem enim ignis, àer autem corpus calefacit, natus et facere, & pati. Præterea secundo *de anim. tex.* 62. docens qua ratione species visibiles producantur in oculo, sic ait: Color mouet perspicuum scilicet àerẽ, ab hoc autem continuo existente mouetur sensorium: Porrò ex his patet in sententia Aristotelis neque ignem in faciem, sed in aerem, neque obiectum in oculum, sed in medium agere.

Respondeo: in dictis locis philosophum velle solum, quod qualitas in medio sphæræ producta agat in partes extremas eiusdem sphæræ; quod quidẽ non est cõtra nos, quãdo enim dicimus, quod agens agat per suã virtutẽ in partes proximiores, & remotiores non negamus quod simul cum illo agat qualitas illa, quæ ab eo producta est in parte proximiore si paruitas qualitatis non obstaret sic ignis simul cum àere à sè calefacto agit in faciem, & obiectum visibile simul cum speciebus productis in aere producit species visibiles in oculo. Quod si species, & similes qualitates non dicuntur actiuę, non est, quia nihil agere possunt, sed quia non possunt actione propria, & vt causæ adæquatæ sine actuali influxu causæ, à qua dependent. Hic tamen aduerte, quod ex eo, quod partes proximiores passi agant simul cum principali agente in remotiores, non sequitur, quod agens principale debeat posse actionem suam in infinitum extendere: quia cum limitatum sit in suo esse, limitatam etiam habet actiuitatis sphæram, in quam etiam, prout à partibus vicinioribus passi adiuuatur, per virtutem suam sè potest extendere, quę quidem sphæra appellari solet secunda ad differentiã primæ, in quam etiam si à partibus proximioribus non adiuuaretur, posset agere immediate: neque sequitur, quod magis ageret in remotiores, quia adiumentum, quod à proximioribus habet, est infra perfectionem illam, per quam per sè proximiores ipsas attingit.

Obijcies secundò: si agens ageret immediatè 23 in totam suam spæram, vtique posset agere in partem remotam, nihil agendo in medium; sed hoc est absurdum. ergo &c. Sequela probatur: quia iam esset parti remotæ immediatum.

Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem dico: immediationem illam, quam habet agens ad partem remotam, oriri ex actione transfusa per proximam; actualis enim contactus virtutis ad immmediationem physicam necessarius, est actio ipsa.

Obijcies tertiò: si agens ageret per virtutem, 24 quam habet in sè in totam suam sphæram, vel deberet necessario adiuuari ab effectu producto à sè in partibus vicinioribus eiusdem phæræ, vel non, Secundum dici non potest, quia sic nullo modo hic effectus pertineret ad agendum in partes

Digitized by Google

tes remotiores: atque adeo agens absolute agere posset in distans. ergo dicendum primum, quod scilicet debeat adiuuari. Sed hoc admisso, tota sequens actio tribui potest dicto effectui: ergo falsum; est quod agens immediate agat in totã suam sphæram.

Respondeo concessa maiore: dico enim, quod quando effectus, qui productus est in partibus vicinioribus sphæræ, est productiuus illius effectus, qui produci debet à principali agente in remotioribus: agens principale ita agit per se ipsum in partes remotiores, vt adiuuetur ab illo. Nego tamen hinc sequi, quod tota consequens actio dicto effectui tribuenda sit; quia cum effectus incipiat facere vnum in ratione principij actiui cum principali agente; non est, cur quemadmodum partes anteriores ipsius agentis vna cum posterioribus in dictum effectum influxerunt, ita ipse simul cum ipso agente non influat in effectum remotiorem. Cum hoc tamen stat, quod casu, quo effectus proximior nihil ageret in remotum, adhuc agens principale remotum produceret, posito quod effectus proximior sit subordinatus effectui remotiori, atque adeo actio productiua illius sit delatiua actionis productiuę huius. Ratio potest esse, quia influxus effectus producti non est simpliciter necessarius agenti, vt agat in partes remotiores, cum in sè habeat sufficientem virtutem ad agendum in illas, sed solum est illi necessaria dicti effectus præsentia, vt eo mediante sit debitè approximatum partibus remotioribus, in quas agere debet. Negandum est igitur effectum vicinum casu, quo non agit, nullo modo pertinere ad actionem, quæ fieri debet in partibus remotioribus; pertinet enim ad conseruandam actionem agentis, quæ hoc ipso, quod interrumperetur, non posset extendi vlterius. Hæc autem, quæ dixi, volo, vt habeant etiam locum casu, quo in effectum, qui in parte viciniore existit, agens principale nullum exercuerit influxum, sed inuenerit illum aliũde productum; puto enim, quod etiam tunc, si dictus effectus habet virtutem similem ei, qua agens principale agere debeo, illud ad agendum adiuuet: vel si non habet, & est aptus deferre actionem illius, adhuc sequatur actio principalis agentis indistans.

SECTIO QVARTA.

Vtrum agens agat simul tempore in partes Viciniores, & remotiores suæ sphæræ.

25 Conclusio est affirmatiua: Dico enim agens siue perfectiuum sit, siue corruptiuum per sè loquendo, agere simul tempore in omnes partes sphęræ. Dixi, per sè loquendo, quia potest per accidens oppositum euenire, vt quando applicatur passo successiue, vel vice versa. Addidi, simul tempore, non autem natura: quia, cum ad agendum in partes remotas, requiratur transmissio actionis per proximam, certum est, quod hæc, quatenus est id, per quod actio illa in remotas transfertur, recipiat in genere causæ materialis prius natura actionem agentis. Hæc autem conclusio est *S. Thom. 6. & 8. phys. sect.* 5. Alexandri, & aliorum. Et quidem quo ad agentia perfectiua est sine controuersia, eo quod non habent contrarium; quo ad vero corruptiua.

Probatur ex Aristotele, qui *lib. de sensu, & Sens. cap.* 3. hoc habet. Nec similiter in alteratione se habet, & latione, namque lationes medium prius rationabiliter acquirunt; quæcumque vero alterantur, non adhuc similiter, contingit enim totum simul alterari, & non dimidium prius, velut aquam totam congelari. Neque dicas hic solum Philosophum loqui de congelatione: quia paulo post etiam calefactionis exemplo vtitur. Præterea *8. phys. tex.* 33. docet alterationem momentaneam, non quidem instantaneam; sed, vt interpretatur Simplicius, simultaneam ratione subiecti. Denique *8. phys. tex.* 23. alterationem in eo augumentationi assimilat: quod nimirum, sicuti augumentatione viuens crescit simul secundum omnes partes: ita subiectum alterationis beneficio secundum omnes partes alteratur.

Probatur iterum: pro eo tempore, pro quo agens agit in partes viciniores, vim habet agendi in remotiores; ergo si nihil impedit, simul in vtrasque agere debet; atqui nihil impedire, patet ex eo, quia nihil assignari potest: si quid enim assignabile esset: resistentia qualitatis contrarię; at hæc impedit solum, ne agens simul totam intensionem qualitatis in subiecto producat: non autem, quo minus in partes proximiores, & remotiores subiecti simul agat; & si quando id quoque impedit, est solum per accidens. In eo enim casu, quo effectiua agentis resistentia superat formalem resistentiam partis remotioris, non est, cur agens in illam, & in proximiorem simul tempore non agat. Confirmatur, quia per aduersarios resistentia ex contrarietate orta non obstat, quo minus agens possit qualitatem suam intendere simul in proxima, & remota parte. ergo neque debet obstare, quo minus possit simul in vtraque qualitatem producere.

Dices: quo passum est validius, eo sphęra actiuitatis agentis restringi debet; ergo resistentia qualitatis contrariæ inpedit etiam, quo minus agens in partes viciniores, ac remotiores simul agat. 26

Sed contra est: quia cum veritate antecedentis stat etiam, qnod agens semper simul in partes viciniores, & remotiores suæ sphæræ agat, quantacumque demum sit sphæra. Vnde admisso antecedente, distinguo consequens: resistentia qualitatis contrariæ impedit etiam, ne agens simul agat in partes viciniores, & remotiores: ita vt remotiores intra sphæram actiuitatis agentis tunc contineantur, nego: ita, vt intra illam contineantur solum viciniores, quæ licet constent vicinioribus, & remitioribus, in vtrasque tamen simul agat agens, concedo consequentiam. Hoc enim non est contra nos, qui nomine sphæræ actiuitatis non intelligimus in præsentia illam, ad quam se potest extendere virtus agentis, quomodocumque. Constat enim in hanc non posse semper simul agere, sed illam, in quam pensatis omnibus, agere potest eo, quod pati resistentiam superet:

Obijcies tamen primò: prius tempore agens producit qualitatem determinatę intentionis in 27

par-

Digitized by Google

partibus vicinioribus; ergo non eodem tempore incipit agere in remotiores.

Reſpondeo: conceſſo antecedente, negando conſequentiam; diſparitatis ratio: quia egens ita ſimul tempore agit in partes omnes ſuæ ſphæræ, vt nihilominus ſemper plus qualitatis in vicinioribus producat, in quantum habet maiorem vim in ordine ad illas, ratione maioris applicationis, & approximationis. Et hinc fit, vt communiter Philoſophi doceant, agentia naturalia vbiformiter difformiter operari, quodque prior tempore ignis calefaciat ſenſibiliter aerem ſibi proximiorem, quam remotiorem; in hunc enim initio, vel adeo remiſſum calorem producit, vt non facile ſentiatur, vel nihil omnino agit, quia in illo gradum remiſſum, quem deberet producere, iam productum reperit.

28 Obijcies ſecundò: ſi agens ſimul ageret in totam ſuam ſphæram, peto: nũ pro toto eo tẽpore, pro quo agit in primam: agat ſimul in ſecundam ſphæram! an pro diuerſo? non primum, quia in ſecundam debet agere per qualitatem productam in prima, quæ quando producitur, cũ ſit valde remiſſa, non poteſt reſiſtentiam, quæ eſt in ſecunda ſphæra, ſuperare. Neque ſecundum, tum quia aſſignari nequit, quantum temporis deberet expectare; tum etiam quia cum in omnes partes ſecundæ ſphæræ ageret ſimul, ſequeretur, quod alteratio quantum ad extentionem fieret interpolatè, & non continue, quod dat cauſam Thomiſtis aſſerendi, quod ſic etiam fit quantum ad intenſionem.

Reſpondeo: dicendo, quod ad hoc, vt agens alteret ſecundam ſphæram, debet tantum temporis expectare, quantum requiritur ad hoc, vt qualitas, quam in prima ſphęra producit: ita intẽdatur, vt reſiſtentiam qualitatis contrariæ, quæ eſt in ſecunda ſphæra vna cũ ipſo agente ſuperare poſſit; & per hoc patet reſponſio ad priorem rationem adductam contra ſecundam partem. Ad poſteriorem verò concedo ſequelam, nego tamen dari inde cauſam Thomiſtis ſuam ſententiam de intenſione interpolata confirmandi, diſparitas enim eſt ratio de vtroque, nam ad intendendam qualitatẽ non debet agere qualitas, quæ producitur in eadem parte ſubiecti, ſicuti debet agere in ſecun-
29 dam ſphæram illa, quæ producitur in prima.

Obijcies tertiò: quando agens localiter mouetur non ſolum ſucceſſiuè, & non ſimul acquirit omnes partes ſpatij, ſed etiam ſucceſſiue extendere videtur actionem ſuam per dictas ſpatij partes, falſum igitur eſt, quod agens agat ſimul in totam ſuam ſphęram.

Reſpondeo: conceſſo antecedente, quo ad vtrãque partem: negando conſequentiã; diſparitas eſt, quo ad priorem partem, quia non ſeruatur debita proportio, de ſucceſſiua enim acquiſitione partis ſpatij fit tranſitus ad ſucceſſiuam alterationẽ partium paſſi, quod non recte fit, ſicuti enim ſe habent partes ſpatij in ordine ad mobile: ita partes formæ in ordine ad paſſum: qua poſita paritate argumentum potius eſt pro nobis: nam ſicuti quãdo mobile localiter mouetur, ipſum quidem ſedum omnes ſui partes ſimul mouetur, ſed non ſimul acquirit partes ſpatij, ſed vnam poſt aliam; ita paſſum intra ſphæram actiuitatis agentis contentum, ſimul quidem ſecundum omnes ſui partes alteratur, licet non ſimul totam formę latitudinem recipiat. Quo ad vero poſteriorem partem diſparitas eſt, quia agens in motu ſucceſſiuo, & continuo nouam, & nouam ſemper ſphæram ſuæ actiuitatis acquirit, vnde mirum non eſt, ſi ſucceſſiue actionem ſuam extendat: at quando quieſcit, res non ita ſe habet.

Obijcies quartò: ſi agens ſimul ageret in totam ſuam ſphæram, ageret in illam in inſtanti, conſequens eſt abſurdum, ergo. Sequela patet; minor probatur, quia hic potiſſimum fit quæſtio de agente, quod in agendo habet contrarium. 30

Reſpondeo diſtinguendo maiorẽ: ſi ſimul ageret tum quo ad intentionem, tum quo ad extentionem, concedo, quod ageret in inſtanti; poſito quod agat ſimul dum taxa quo ad extenſionem, nego; & ſic diſtincta pariter minore, nego conſequentiam; ad actionem enim inſtantaneam requiritur, vt ſucceſſio excludatur, vna enim admiſſa fit ſtatim temporanea.

Obijcies quintò: qualitas contraria, quę eſt in paſſo non ſolum reſiſtit actioni agentis quo ad intentionem, ſed etiã, quod ad extenſionem; ergo ſi ratione intenſionis facit, vt ſucceſſiue qualitas contraria intendatur, debet etiam ratione extenſionis præſtare, vt ſucceſſiuè extendatur.

Reſpondeo qualitatem corrumpendam, licet quo ad intentionem, agentis actioni per ſe reſiſtat: quo ad extenſionem tamen reſiſtit ſolum per accidens ratione ſcilicet intenſionis, quam habet. Sic diſtincto antecedente, nego conſequentiam; quia extenſio non dicit diſtinctam oppoſitionẽ ab ea, quã dicit intenſio; & ideo licet vtraque fiat in tẽpore; hæc tamen fieri debet ſucceſſiue, illa vero ſimul per totã primam ſphęram. Vlterior vero ratio huius rei aſſignari poſſet, quia agẽs ad vincendam extẽſiuam reſiſtentiam partis vicinæ, & remotæ paſſi pro eodem tẽpore, requirit ſolũ, quod ſuperet partem reſiſtentię qualitatis contrarię: at vero ad vincendam reſiſtentiam intenſiuam, atq; adeo ad hoc, vt totã intenſionem ſimul producat, neceſſe eſt, vt ſuperet totã reſiſtentiam contrarij.

Inſtabis: extenſio qualitatis corruptiuæ fit in tempore; ergo fit ſucceſſiue. Conſequentia tenet, 31
quia id, quod fit in tempore, proportionari debet illi, ſicuti igitur tempus habet partes priores, & poſteriores ad inuicem ſuccedentes, ita & extenſio qualitatis.

Reſpondeo: conceſſo antecedente, negãdo cõſequẽtiã; ad cuius probationẽ diſtinguo abſumptũ; id, quod fit in tempore proportionari debet tempori ſecundum eam rationem, ſecundum quam fit in illo, concedo: ſecundũ omnem rationem, nego antecedens, & conſequentiam; & aio tempus duplicem habere extenſionem vnam eſſentialem, quę conſiſtit in ſucceſsione partium motus, alteram vero accidentalem, quę poſita eſt in ſimultanea plurium partium exiſtentia, ei proueniens ex eo, quod mobile diuiſibile ſecundum plures ſui partes ſimul moueatur. Iam vero ſicuti alteratio ſumpta ſecundum intenſionem proportionatur tempori, prout habet priorem extentionem, ita ſumpta ſecundum extentionem proportionatur, eidem pro vt poſteriorem habenti, quod ſatis eſt ad hoc, vt fieri dicatur in tempore.

Digitized by Google

18 Obijcies sextò: ex Aristotile: mobile per motum partim est in termino à quo, & partim in termino ad quẽ, ergo sphæra actiuitatis agentis, quę habet rationem mobilis non potest simul tempore moueri, & alterari.

Respondeo Philosophum in antecedente agere solũ de mobili localiter, quod si de omni alio, quod motu proprie dicto mouetur: Aio non esse intelligendum de partibilitate se tenẽte ex parte ipsius mobilis, sed de partibilitate se tenente ex parte terminorum à quo, & ad quem; ita vt sensus sit quod aqua v. g. quando ex frigida fit calida, quamdiu calefit habere debet aliquid frigoris, quod sè habet vt terminus à quo, & aliquid caloris, quod sè habet, vt terminus ad quem.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEPTIMA

DE ACTIONE INDISTANS IN ORDINE ad diuinam Potentiam.

1 EX dictis patet in quo sensu negauerimus, posse agens naturaliter agere indistans, quin agat in propinquum. Casu videlicet, quo nihil reperit in medio, quod possit se habere, vel vt causa eius, quod producere debet indistans, vel vt effectus sui aptus transmittere eius actionem in subiectum remotum. Nunc vero cum recentioribus vlterius quærimus an: quod negauimus agenti naturaliter operanti, concedere illi debeamus per diuinam potentiam. elenato sit igitur.

SECTIO PRIMA.

An saltem Diuinitus posset agens creatum agere Indistans.

2 CONclusio est negatiua. Dico enim quod neq; de potentia absoluta agens potest agere indistans in sensu naturaliter loquendo, negato: est Molinæ *p. parte quæst. 8. art. 2. disp. 2.* Ruuij *7. phys. cap. 6. quæst.* & aliorum contra Suarez *3. parte quæst. 28. disp. 3. sect. 2.* Bellarm. *de Sacram. in gen. cap. 2.* Conimb. *lib. 7. cap. 2. quæst. 2.* Ouiedum *Controu. 18. phys. puncto 3.* Comptonum *disp. 36. phys. sect. 4.* & alios recentiores.

Probatur autem vnica ratione. Dupliciter potest intelligi agens posse diuinitus agere indistans: vel primo ita vt actio sit approximata agenti, sed distet ab effectu, qui producendus est. secundo ita, vt actio sit ibi vbi producitur effectus, sed distet ab agente. Sed vtroq; modo implicat agens agere indistans. ergo diuinitus non potest. Maior, & consequentia patent; Minor vero probatur; & quidem quantum ad priorem partem vltro conceditur ab aduersarijs, qui cum velint actionem esse modum, quo mediante effectus pendet à sua causa, dicunt implicare contradictionẽ eã distare ab ipso effectu; quare vnanimi consensu tenẽt nõ aliter posse agens diuinitus agere indistans, quam producẽdo actionem suam distantem à sè, indistãtem vero ab effectu. Verũ ego, quod neq; hoc modo possit, quæ erat posterior pars minoris, sic ad homines suaderem. In tantũ nõ potest agens agere priori ratione in distans, inquantũ actio est modus effectus, qui ab illo producitur. Sed etiã est modus ipsius agentis, ergo neq; poterit diuinitus posteriori ratione agere in distans. Maior nõ solũ est doctrina aduersariorũ, sed etiam omnium, qui admittunt actionem modaliter distinctam. Minor vero probatur, quia actio sicuti est essẽtialiter dependẽtia effectus à causa: ita est etiã essentialiter causalitas causæ in effectum; & sicuti ex intrinsecis suis est id per quod effectus recipit esse à causa, ita ex eisdẽ intrinsecis est id per quod causa dat esse ipsi effectui; & sicuti habet ex sua quidditate tendere in effectum, ita etiam habet fluere à causa. Deniq; sicuti habet non posse diuinitus existere nõ existẽte effectu, ita fatentibus ipsis aduersarijs habet nõ posse diuinitus existere non existente causa ergo si propter dictas priores rationes est modus effectus ita etiam propter posteriores, non est, cur negetur esse modus ipsius causæ.

Ad hoc argumentũ respondẽt: actionẽ esse modum agentis, sed addunt omnes conuenire in eo quod sit modus illi extrinsecus. Contra vero sit modus intrinsecus effectui atq; adeo nõ esse mirũ si possit separari ab agente, non vero ab effectu. 3

Sed contra est, quia de ratione modi, vt sic, est, vt sit essentialiter inseparabilis ab ea rẽ cuius est modus, sed in hac via quã ineũt aduersarij datur duplex modorũ genus quidam enim sunt intrinseci quidam extrinseci. ergo vtrisq; inseparabilitas conuenire debet. Atqui inseparabilitas modorum intrinsecorum importat compenetrationẽ in eodem loco cum rẽ cuius sunt modi. ergo extrinsecorum importare debet inseparationem localẽ, ita vt immediate, quo ad locum consequantur rẽ cuius sunt modi. Cum igitur aduersarij concedãt, & recte actionẽ transeuntẽ esse modũ agenti extrinsecũ: tenentur etiam admittere eã esse inseparabilem essentialiter ab agente, quo ad localem distantiam.

Insurgit contra hunc discursum Ouiedus *loco citato numero 3.* quod si quid probaret, non tantũ euinceret agens non posse agere indistans, quin agat in propinquũ, sed absolute nõ posse indistãs agere, quamuis agat etiam in propinquum. Quia (inquit) si semel habemus actionem debere esse immediatã agenti, actio indistans cessat esse talis quamuis mediet actio in propinquũ. Quod si dicamus partes remotiores vnius actionis esse approximatas agenti medijs partibus proximioribus, & sic verificari de tota actione, quod sit immediata. 4

loca-

Digitized by Google

localiter agenti. Vrget contra hoc in hunc modum: sol illuminans cœlos, & elementa tot actiones distinctas producit, quot sunt corpora, quæ illuminat ergo actio, qua illuminat terram v. g. non est approximata soli neque per se, neque per partes quibus vnita sit. Ex quibus colligit falsum esse inseparabilitatem, quo ad locum esse de ratione modi, sed ait de eius ratione esse solam inseparabilitatem, quo ad dependentiam; quia hanc habet modus per suam entitatem, atque adeo, qua talis est: illam verò per præsentiam superadditam, atque adeo per aliud.

Tria continet; hæc responsio, primum est argumentum, quo nos vrget. Secundum Auctoris sententia de inseparabilitate modi. Tertium denique ratio, qua illam probat. Et vt ab hoc vltimo incipiam dico, eos, qui tuentur de essentia modi esse inseparabilitatem, quo ad locum à sè cuius est modus, consequenter docere, quod quamuis beneficio vbi distincti habeat modus esse in hoc, vel illo determinato loco in quo est eius res: ex sua tamen intrinseca habet illam semper comitari, ita vt non possit ab ea ne quidem diuinitus separari. Contra id, quod secundo loco affert arguo sic: si de conceptu essentiali modi præter inseparabilitatem, quo ad dependentiam, non esset etiam inseparabilitas, quo ad locum cum sua re; sequeretur primo passionem posse à subiecto separari, ita, vt non obstante hac separatione vere subiectum pateretur, sicuti non obstante separatione actionis ab agente vere agens ageret; eo quod formaliter, vt modus haberet solum dependere à subiecto vt à principio passiuo; non vero illi approximari. Sequeretur secundò, quod posset diuinitus vnio separari ab extremis, & nihilominus ipsa inuicem separata vnire, & sic posset haberi homo, cuius corpus sit Romæ, anima Panormi, & vnio Messanæ. Sed hæc sunt manifeste absurda ergo &c. Sequeretur tertiò, quod posset subsistentia longe distare à subsistentia, & tamen hi homines esse subsistentem, eamque vltimo terminare. Quarto denique sequeretur, quod posset Deus producere vbicationem alicuius in vno loco extrinseco, & illam non coniungere localiter cum eo cuius est vbicatio. Et sic v. g. Petrus, qui est Romæ, posset esse diuinitus Panormi per hoc præcisè, quod Deus produceret Panormi vbicationem Panormitanam Petri, non quidem coniungendo illam cum Petro, sed ab eo illam separando. Sed hæc cuique videtur manifeste absurda, & nullatenus concedenda; ergo &c.

5 De Passione, & Vnione sequens Oviedus duo respondet, quæ possunt existentiæ subsistentiæ, & præsentiæ applicari. Vnum, nimirum dispatiari quidem esse, quia passio est modus intrinsecus subiecto, & vnio extremis vnibilibus. At verò actio est modus extrinsecus agenti. Sed hæc responsio doctrinæ traditæ à se paulo ante contradicere videtur. Quare sic arguo: si semel habemus de ratione modi, vt sic, non esse inseparabilitatem quo ad locum à sua re, quemadmodum ipse dicit quoad consecutionem localis, quæ naturaliter competit actioni respectu agentis est diuinitus separabilis ab actione; sic dicam ego, quod competit corpori localis, quam exigit passio habere cum subiecto, & vnio cum materia, & forma sit etiam modi diuinitus separabilis ab illis. Neque ratio mea in trinseci aliquid obstat. Nam sicuti illa ratio extrinseci, quam sibi vendicat actio, non est quæcumque, sed illa quæ importat consequutionem localem respectu agentis; & tamen est per Oviedum ab actione diuinitus separabilis; deberet, quia esse diuinitus à passione, & vnione ratio intrinseci respectu subiecti, & terminorum vnibilium.

Alterum responsum, quod traditur n. 6. est, non 6
implicare vnionem separari localiter ab extremis, sicuti neque passionem à subiecto. Verum hæc via valde difficilis est, & multum negotij in ea subeunda suscipitur. Si enim intelligi posset Petrus pati per passionem, quam non haberet in se, posset vtique intelligi dolere, lætari &c. per dolorem, vel lætitiam alibi existentem. Quo quid incredibilius. Item si posset haberi homo existente eius anima Romæ, corpore Panormi, & vnione Messanæ, quæro num talis homo operari vitaliter posset? nam minorem necessitatem videtur habere operatio localis coniunctionis partium, quam habeat homo ipse, si quidem partes nō sunt de intrinseca cōstitutione operationi, bene tamē sunt de intrinseca constitutionis hominis, & sic si hoc non obstante potest haberi homo cum tanta suarum partium dispersione: poterit vtique cum eadem etiam ideā homo operari, nimirum, comedere, loqui, moueri &c. Quo nihil ridiculosius. Præsertim si ponamus eius vbicationem solitariam quoque à Deo productam esse v. g. vbicationem Venetam; si quidem in hac hypothesi deberet aduersarius dicere, quòd talis homo esset Venetijs ibique operaretur, cum nec eius anima, nec eius corpus, nec eius vnio ibi existeret quia etiam nec ipse homo. Quis non videat in quas angustias intellectus bene dispositus hanc viam ineundo, edigatur.

Ad ipsam denique rationem, quæ primo loco 7
contra communem sententiam afferebatur ab Auctore, dicerem, quod quando asserimus actionem debere esse localiter inseparabilem ab agente, de ea inseparabilitate hoc intelligendum est, quæ non repugnat actionis naturalis entitati atque naturæ. Atqui hæc ex suis intrinsecis colligit, posito quod ab agente progreditur, vt ab illo recedat, & elongetur secundū aliquas sui partes, alias nulla alteratio nulla que substantialis generatio fieri posset. ergo actio hoc, & non alio modo esse debet inseparabilis ab agente; vt vi desineret secundum vltimam sui partem tantum illi approximetur: secundum vero alias differe. Neque argumentum de multiplici actione illuminativa solis cœlos, & elementa illuminantis, quidquam vrget. Actio enim, qua sol illuminat terram licet non sit approximata soli neque per se, neque per aliquas partes, quibus sit vnita: non tamen agnoscit tantummodo solem tamquam causam sui, pendet enim indiuisibiliter etiam à lumine existente in aere, & in corporibus interiacentibus, ex quibus omnibus causa quædam totalis respectu terrestris luminis coalescit. Vnde sicut terra est localiter approximata aeri illuminato, ita actio illuminativa terræ sic localiter approximata causæ à qua procedit, si non secundum singulas sui partes, at secundum aliquam

quod sufficere ad inseparabilitatem à nobis intentam dixit se patet. Restaret hic examinanda difficultas: quid dicendum casu, quo partes intermediæ non adiuuarent agens remotum ad producendum effectum indistans. Sed quamuis dicta difficultas in nostra sententia, qua diximus generationes substantiales immediate procedere totaliter ab accidentibus, non videatur habere potest locum: ea tamen permissa, & dato, quod corpora intermedia per lucem à sole acceptam non concurrant efficienter cum illo ad illuminandam terram, quia tamen beneficio eiusdem lucis habitæ à sole ipso censentur facere vnã cũ illo, & esse, quid illius, hoc sufficit, vt actio illuminatiua terræ intelligatur sufficienter approximata localiter ipsi soli, neque enim aliam approximationem debemus illi necessariam existimare, quam eam, qua experientia comprobante contenta est.

SECTIO SECVNDA.

Asseruntur, & soluuntur obiecta in Contrarium.

8 OBijcies primò: Humanitas Christi Domini ad miracula, quæ inpropinquo operabatur concurrebat physice. ergo etiam ad ea quæ faciebat in loco distanti, vt quando animam Lazari reuocauit ab inferis, sanauit filium Reguli &c. Probatur consequentia quia per eãdem virtutem operabatur Christus in locis propinquis, ac remotis. Confirmatur, quia non est credibile quando corpus tactu sanabat infirmos, quod ille contactus esset ei simpliciter necessarius ad sanitatem illis reddendam. Confirmatur iterum, quia multorum sententia est quod quando consecratur Eucharistia, Dominus, qui est in Cœlo ad transubstantiationem physice concurrat. Sed hoc non potest saluari nisi dicatur posse agens creatum diuinitus agere indistans, ergo &c.

Respondeo concesso antecedente: negando cõsequentiam. Dico enim quod licet Christus, qua Deus omnia miracula operabatur phisicè, vt potè vbique ratione immensitatis suæ: at secundum humanitatem ad ea, quæ in locis præsentibus faciebat, concurrebat quidem physice, ad ea tamen, quæ in remotioribus, moraliter tantum sua voluntate Deum mouendo ad ea operanda. Probatum consequẽtiã nõ procedit de Christo vt homine sed vt Deo. Eius enim humanitas miracula præsentia operabatur physice per potentiam obedentialem diuinitus elevatam. Absentia verò moraliter tantum suis meritis, & precibus. Ad priorem confirmationem concedo assumptum, sed addo, in tantum contactus ille non erat ei simpliciter necessarius ad Sanitatem infirmis reddendam: inquantum, vel poterat illam moraliter solum causare, vel si etiam physicè, quia poterat aliquam qualitatem virtuosam in aere in quo erat producere, quæ se extenderet, vsque ad subiectum in quo producenda erat forma sanitatis. Ad posteriorem denique confirmationem aio Theologos illos, vel explicandos esse de Christo non nisi quatenus Deus est. Vel si de eo quatenus homo est, quia Sacerdotes, qui sunt eius ministri per verba consecrationis tanquam per physica instrumenta Eucharistiæ Sacramentum producunt, quod si neutro modo explicari possunt censendi sunt nobis contrarij.

Obijcies secundo: si per impossibile Deus non esset immensus posset per se ipsum agere indistans ergo multo magis potest nunc diuinitus sic agere creatura. Consequentia patet, quia nunc iam Deus, qui debet principaliter agere cum creatura est immensitate præditus, atque adeo intime præsens passo. An ecederis vero probatur dupliciter: primo, quia operatur ad extra per suam voluntatem. Atqui voluntas potest aque velle, vt creatura producatur in loco distanti, ac in propinquo, ergo si Deus non esset immensus posset agere indistans. Secundo, quia nisi Deus per suam omnipotentiam posset operari, indistans: sequeretur, quod posset excogitari maior potentia quæ scilicet hoc posset. Sit sic Deus non esset id, quo maius, & perfectius nil excogitari potest. Sed hoc non est dicendum. ergo &c.

Respondeo ad antecedens, Scotũ Gabrielem, & Ochamum *in prim. dist. 37.* existimare immensitatem Dei non satis eo probari posse, quod omni loco aliquid operetur, eo quod si per impossibile non esset immensus, ad huc ratione suæ omnipotentiæ posset agere Indistans. Verum hæc opinio non est admittenda, vtpote contraria Patribus, inter quos Anselmus Monolog. 22. & 23. Quoniam, inquit nihil sine Deo potest aut esse, aut conseruari; dicere cogimur, Deum vbique, & semper esse. Patres sequuntur omnes ferè Theologi cum D. Thom. *prima parte quæst. 8. art. prim. & 3. Contrag. Cap. 68.* quare nego antecedens, & ad priorem eius probationem distinguo maiorem. Operatur ad extra per suam voluntatem quasi vero illi sufficiat ad aliquid faciendum sola determinatio voluntatis suæ, nego. In quantum posita libera determinatione suæ voluntatis de re, tali loco, & tempore facienda: ad ueniente tempore; emanet ab omnipotentia actio, quæ tribuat esse rei sicuti decreuit Diuina voluntas, concedo maiorem, sed nego consequentiam; quia cum actio non possit à suo principio effectiuo procedere nisi illi coniungantur hinc sit, vt si Deus non esset immensus, non posset agere illi vbi præsens esset.

Ad posteriorem verò nego sequelam: quoties 10
cunque enim aliquid exparte obiecti repugnat non sequitur, quod illa potentia, quam imaginamur posse illud facere, eius repugnantiam superando, sit maior diuina, quæ ad illud non potest de facto se extendere. Alias, quia Deus non potest de facto dare esse chymeræ hinc facere, quod angulj trianguli non sint æquales duobus rectis possumus inferre esse excogitabilem potentiam diuinam maiorem, quæ posset hæc efficere. Quando ergo dicitur Deo potentiam esse illam, qua maior excogitari nõ potest, vt habeat veritatem intelligi debet in ordine ad obiecta, quæ alias non inuoluunt contradictionem. Quoniam verò certe ex natura rei habent, vt non possit exire in id, quod dicat nisi per medium: hinc fit, vt ex eo quod Deus non posset per suam Omnipotentiam agere indistans, non sequatur, quod eius Omnipotentia sit defectiua, & illimis perfecta.

In-

Digitized by Google

12. Instabis primò: Deus potest transferre corpus de loco ad locum remotum, non transferendo illud per medium, ergo ex hypotesi quod non esset immensus, transferre posset actionem suam ad locum distantem absque eo, quod aliquid in spatio intermedio produceret. Respondeo, concesso antecedente negando consequentiam. Disparitas est, quia de facto Deus propter suam immensitatem est vbique, non est igitur, cur non possit subsistere influxum, quo conseruabat corpus in vno loco, & per alium influxum in instanti immediate dare illi esse in alio loco distanti. Vel spoliare dictum corpus vna vocatione, & inducere immediate aliâ remotam, & sic illud de loco ad locum transmittere sine medio. At vero in ea hypothesi impossibili, cum non supponatur Deus esse approximatus loco, in quo agere debeat, non apparet, quomodo possit ibi actionem suam producere.

13. Instabis iterum: vt agens possit agere immediate in totam sphæram activitatis suæ per virtutem, quam habet in sè, non est necesse, vt sit præsens per suam substantiam toti sphæræ, sed satis est, si in centro illius existat, ergo vera est sententia Scoti non satis Dei immensitatem probari posse ex eo, quod possit in omni loco operari. Consequentia euincitur, quia dici recte potest, quod ad hoc, vt Deus agere possit vbique, sufficiat, si sit in aliquo spatio determinato, & ex illo actionem suam diffundat.

Respondeo aliqui primò: antecedens verum esse casu, quo partes intermediæ sphæræ activitatis acquirant à principali agente virtutem, cuius beneficio vna cum illo agant in remotas. Sed hæc responsio impugnatur ex eo, quia sic nunquam principale agens posset producere qualitatem non actiuam in aliquo subiecto, cum enim omne subiectum sit diuisibile, & impenetrabile cum agente nullâ habere possit partem, quæ secedum se totam sit immediata agenti immediatione suppositi, & sic nō esset capax recipere in sè actiuitatem agentis; dicere autem nullam dari posse huiusmodi qualitatem, videtur probatu difficile.

Respondet alij secundò: antecedens verum esse loquendo de agente creato, non autem de increato, quare negant consequentiam, & disparitatem assignant, quia cum Deus sit ipsum esse per essentiam, oportet, quod esse creatum sit prius effectus Dei, & quia esse, est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest; hinc fit, vt Deus sit per suam essentiam intimè præsens omnibus rebus. Atqui agens creatum nō sè habet vt Deus in dando esse effectui, ergo sufficit, si in aliqua parte suæ sphæræ existat, vt immediate illam per virtutem, quam habet in sè, totaliter attingat.

13 Sed contra est, quia non solum Deus, sed etiam causæ efficientes creatæ dant effectibus existentiam, non excludendo ab huiusmodi effectibus materiam primam, in sententia Diui Thomæ, cuius videtur esse tradita responsio: neque adeo quæsitum est ex hoc capite non magis Deum debere esse intime præsens effectibus creatis, quam efficiens creatum. Neque dicat Molina in [illegible] quia esse rei creatæ non hoc, [illegible] sed in commune vbicumque reperiatur, si sit per se productum, est proprius effectus Dei, ab eo solo per creationem immediate productus, & conseruatus. Neque hoc inquam dicat Molina, quia præter quam, quod est inintelligibile, qua ratione esse sit commune, quod non est hoc, vel illud posse actionem productiuam terminare. Vrget argumentum supra factum, quia non est maior ratio, cur Deus non possit per actionem creatiuam producere creaturam absque eo, quod sit illi intime præsens, a possit autem ignis calefacere hominem per hoc, quod sibi mediante sphæra approximatus. Huius igitur responsionibus pondus habetis.

Respondeo tertiò: concesso antecedente, negando consequentiam ad eius probationem dicerem vere ex quacumque operatione Dei ad extra eius immensitatem sufficienter probari non posse, quia difficile conuinci posset, qui diceret Deum casu, quo non esset immensus ratione suæ omnipotentiæ habiturum sphæram activitatis infinitam, atque adeo ad operandum vbique sibi sufficere præsentiam in quodam certo, ac determinato spatio, ex quo agere sibi placeret: sed si loquamur de peculiari operatione, quæ debeat esse propria Dei asserto ex ea sufficientissimè eius immensitatem innotescere. Deus enim non debet esse in agendo limitatus, vt non possit agere aliquid in eo spatio, quin simul agat in alio, sed assignata quacumque parte spatij imaginarij debet posse agere ibi absque eo, quod sit necessitas etiam ad agendum alibi in spatio vltramundano, vel collaterali &c. Quod autem huiusmodi actio Dei necessario inferat immensitatem, sic probaremus. Deus esset immediatus immediatione suppositi solum alicui corpori v. g. empyreo, nihil posset agere in terræ viscera intima in spatio interiacente aliquid operatum. Quare si destrueret corpora, quæ inter empyreum & terram intercipiuntur, nihil omnino agere posset in terram. Neque dicas ex hoc tantum euinci Deum debere esse præsentem immediatum, nobis autem cum ea competere, ergo non assumptum habet ratione immediationis deberet operationem suam transmittere per eam rectam, vt in eius viscera operaretur, ergo non posset ibi operari, quin in spatio à terrestri corpore occupato aliquid ageret, quare si hoc spatium esset vacuum, nihil in terræ visceribus Deus operari posset, nisi supponeremus illum ab emphyseo, seu à terræ extremis corporibus superficie ad illud spatium appetere. Quod videtur etiam impossibile, quia posset quam quod deberet transire de loco ad locum, & sic immediatum non posset simul operari in empyreo, & in visceribus terræ posito vacuo inter hæc extrema sibi quoad, quod distaret à se ipsis, quod vltro deducimus ex illo, quod in operatione ad extra, qua Deus dicitur recte eius immensitas conuinci.

Obijcies tertiò ex Ouiedo *loco citato numero* 15. Agens ex eo, quod ageret in distans, nihil produceret neque quoad substantiam, neque quoad modum, distinctum ab eo, quod produceret, quando ageret simul in propinquum. ergo nihil produceret, quod esset supra virtutem, & potentiam intrinsecam agentis; Poterit igitur Deus determinare virtutem agentis ad effectum produ-

cen-

Digitized by Google

cendum in distans. Antecedens, quod solum videtur egere probatione, suadetur, quia inuariato, quo ad substantiam, & quo ad modum effecti producto, ex eo precise, quod intelligatur negatio effectus, & actionis in propinquo: agens agere in passum distans: ergo nihil produceret distinctum ab eo, quod produceret, si simul ageret in propinquum. Confirmatur, quia approximatio nequidem ex parte virtutis ad agendum non influit physice in effectum, sed tantum est id, quo posito agens necessarium, alias potens, determinatur ad agendum. Sed Deus potest ex se determinare virtutem agentis, etiam si non sit aliunde determinata. ergo poterit facere, vt agens agat in distans.

16 Respondeo, quod si hoc argumentum haberet vim, probaret etiam posse Deum determinare agens ad agendum in distans ita, vt actio ipsa non solum ab agente, sed etiam ab effectu distaret, & sic facere, quod ignis existens Romæ produceret calefactionem existentem Parisiis, priusquam ei causaret calorem. Mestane vquo nihil absurdius ex illo enim principio, nimirum, quod agens ex eo, quod ageret in distans, nihil produceret neque quo ad substantiam, neque quo ad modum distinctum a loco, quod produceret quando simul ageret in propinquum: vtrumque de medio tollere potest. Negandi ergo sunt antecedens dicendumque, quod agens agere in distans, vt possit ex dictis producere actionem physicam, quamvis ex illis intrinsecis habeat esse tales: nequit ergo esse principium effectus. Vnde etiam quod agens ita operandi, vt producat effectum physicum quo ad modum, quod est omnino impossibile. Ad probationem vero antecedentis dico, quod licet approximatio ex parte virtutis non influat physice in effectum, non habet tamen esse solum determinatiuum agentis necessarij ad operandum, sed præterea habet esse applicatiuum virtutis operantis, atque adeo transitiuum actionis ab agente in passum. Sine qua applicatione actio manens in se implicat consistere actionem, & consequenter efficere effectum. Vnum superest per hoc tendens, quæ approximatio dimittenda sit conditionis superata quæstio est de nomine. Illud vero certum est, quod hoc nomine putat conditionis venit id, quod ex quidem necessarium ad agendum, non tamen habet rationem principij influxiui, hucusque posita a Deo supleri, siue non inter puras conditiones numeranda sit.

SECTIO TERTIA.

An Approximatio causæ efficientis requisitum ex parte actus primi ad efficiendum effectum.

17 Hæc controuersia examinanda restat, vt explicationem de applicatione requisita inter agens & passum absoluamus. Quamuis enim de hoc speciali antiqui Philosophi nihil egerint, ex quo tamen Arriaga in physicis disp. 6. subs. 4. accuratam instituit quæstionem; eumdem alij imitari sunt; quorum vestigijs nos inhærere æquum est. pro decisione autem hu-

Vnica conclusio: vel loquimur de approximatione causæ efficientis ad id, quod aliquid recipit esse ab illa, vel approximatione ad subiectum, seu passum, in quod aliquid dicta causa operatur; & si quidem de priori loquamur, dico, eam non requiri ex parte actus primi ad operandum. Contra vero, si de posteriori.

Hæc assertio duas continet partes, & quidem quantum ad priorem est adeo certa, vt non videatur egere probatione, sed sola explicatione, quam sic offendo: Id, quod se tenet ex parte actus primi in causa efficiente debet præcedere esse, seu existentiam eius, quod ab illa recipit esse. Sed approximatio causæ efficientis ad id, quod ab ea recipit esse, supponit, vel includit huius esse. ergo approximatio causæ efficientis ad id, quod recipit ab ea esse, impossibile est, quod se teneat ex parte actus primi ad illud efficiendum. Consequentia est legitima, & maior patet: quia actus primus causatiuus præcedit suum actum secundum: sed actus secundus causæ efficientis est influxus, quæ efficiens dat esse effectui. ergo &c. Minor vero est euidens, quia approximatio nihil aliud importat, quam duplicem vbicationem appropinquantem ad inuicem ea, quæ proximantur, & sic importat existentiam vtriusque; & hanc sic, vt in creatione approximatio creatoris cum creatura non possit se tenere ex parte actus primi ad creandum: per creationem enim tribuitur existentia creaturæ, quæ supponitur ad eius esse in aliquo determinato loco, atque adeo ad approximationem sui cum Deo.

Referetur vero pars conclusionis, post quam Arriaga hanc quæstionem mouit est valde conmouersa. Eam autem sic efficaciter suaderem: Ad hoc, vt agens agat, debet necessario esse approximatum passo, in quod debet agere, vt supra vidimus: sed huiusmodi approximatio non potest se tenere ex parte actus secundi. ergo ex parte actus primi. Maior patet, quia nisi approximatione inter agens, & passum requireretur actus necessario, seu per se ad agendum, sed veluti per accidens, propter connexionem scilicet, quam haberet cum alio, iam actio transiens, quantum est de se fieri posset in distans, sed hoc iam vidimus implicare contradictionem. ergo &c. Minor vero probatur: quia hæc approximatio requiritur tanquam applicatiua virtutis actiuæ ad passum, qua posita sequitur actio. Vnde quoties nos volumus, vt ignis vel gliscat in aliquod subiectum, ea inuicem approximamus, ex qua approximatione sequitur actio nem ignis experimur; sic etiam applicamus vmbri medicinam, vt ex ea sequatur sanitas, & lucernam cubiculo, vt illud illuminetur: ergo approximatio non posset se tenere ex parte actus secundi. Consequentia videtur certa, quia quidquid per se necessarium est ad agendum, vel se tenet ex parte actus primi, vel ex parte actus secundi. ergo si approximatio non se tenet ex parte actus secundi, se tenebit necessario ex parte actus primi.

Con-

Digitized by Google

19 Sed contra hanc posteriorem partem obijcies primò: quando res operatur immanenter non requirit antecedenter vbicationem; ergo agens non exigit approximationem cum subiecto, in quod agere debet, se tenentem ex parte actus primi. Consequentia patet, quia approximatio agentis cum passo vbicationē importat; & si quidem passum est aliud ab agēte, duplicem: Si verò idem: vnam tantum; ergo si quando res operatur in se ipsam immanenter, non requirit antecedenter vbicationem: approximatio inter agens, & passum non sè tenebit ex parte actus primi; Antecedēs verò probatur, quia vbicatio per nos requiritur ad agēdum tamquā applicatio agentis ad passū, sed quælibet res est sibi per se sufficiēter applicata si quidē implicat quod à sè distet. ergo &c.

Respondeo; concesso antecedente, negando cōsequentiam; ad cuius probationem cēcessa maiore, nego minorem quo ad posteriorem partem. approximatio enim non est nisi inter res nemine cogitante inter se distinctas, vel formaliter, vel æquivalenter. (quod addo ne videar negare idem posse per secundam actionem se ipsum reproducere.) Iam vero quando agens, & passum sunt idem realiter, sufficit vtriusque identitas, vt intelligatur vis actiua debite applicata ad operandum, & sic quidquid præstat approximatio virtuti causatiuæ in ordine ad agendū trāseunter tribuit illi identitas in ordine ad agēdū immanēter: quare sicuti illa se tenet ex parte actus primi respectu actionis transeuntis: ita sufficit hæc, vt sè teneat ex parte actus primi respectu immanentis. Ex quo deducitur, quod res, quæ primo habet esse, per prius intelligi debeat producere in sè passiones, quam esse in aliquo determinato loco, quia vbicationi sufficit, vt in instanti reali in quo res incipit existere ei intelligatur aduenire.

Obijcies secundo: Animal vt moueat corpus aliquod non requirit approximationem cum illo ex parte actus primi. ergo falsum est, quod approximatio causæ efficientis cum subiecto extrinseco requiratur ex parte actus primi ad agendum in illud. Consequentia patet paritate. Antecedens vero probatur. Animal per motum producit præsentiam, quam acquirit corpus illud in instanti in quo mouetur. ergo præsentia illa non est prior motu. ergo neque approximatio, quia hæc includit præsentiam agentis, & passi. Sic fere Arriaga *loco citato n. 74.*

Respondet ab hoc argumentum, Ouiedus
21 *controuer. 18. phys. puncto 4. n. 13.* concesso antecedente negando consequentiam; atque ex eo, quod animal non indiget approximatione ex parte actus primi ad mouendum localiter corpus, non bene colligi illa non indigere ignem ad calefaciendum lignum; & ratio est, quia approximatio requisita inter animal, & mobile localiter in instanti temporis in quo hoc mouetur est quid consequens motum localem, vtpote ab illo causata: approximatio vero requisita inter ignem, & lignum, & inter reliqua agentia, & passa in instanti temporis, in quo est actio, non est quid consequens actionem, vnde cum per se requiratur ad agendum, necesse est vt illam antecedat.

22 Sed contra est, quia si approximatio requisita inter mouens localiter, & mobile ad causandum in eo motum localem non esset alia nisi illa, quam mobile per motum acquirit: sequeretur, quod animal in instanti sequenti posset in actu secūdo approximare sibi naturaliter corpus aliquod, quod in hoc instanti à sè valde distat, sed hoc est manifestè falsum. Quis enim non videt non posse Petrum v.g. qui in hoc instanti est Panormi attrahere sibi in instanti immediate sequenti lapidē hunc in India existentem? ergo &c. Sequela suadetur ex Auctoris doctrina, quia si Petrus non posset in instanti sequenti motum in indico lapide producere, maximè quia in dicto instanti nō posset esse in actu primo complete potens illum mouere: sed hoc non potest dicere aduersarius; ergo &c. Maior patet, suppono enim, quod lapis sit paruæ molis, adeo, vt in Petro sit virtus sufficiens causatiua motus in illum. ergo non potest illi deesse nisi complementum virtutis, quod se teneat ex parte actus primi. Minor vero suadetur, quia in tantum Petrus in instanti sequenti dum Panormi moratur non posset esse complete potens in actu primo attrahere ad sè lapidem indicum, quia non esset illi debite approximatus; non potest enim aliud assignari, sed hanc approximationem in sententia Ouiedi debet Petrus in eo causare per motum, quia consistit in vbicatione Panormitana, quam debet habere lapis, vt quid consequens suum motum. ergo non potest dicere Auctor; quod Petrus existēs Panormi, non sit in instanti sequenti in actu primo proximè potens mouere ad sè lapidem, qui est in India. Neque dicat: id, quod obstat ne Petrus possit in instanti sequenti attrahere ad se lapidem Indicum esse, quia non potest dari motus localis in instanti: ne id dicat inquam tum quia potest lapis, qui nunc est in India in instanti sequenti esse præsens Panormi, per immediatam productionem vbicationis panormitanæ, quam Auctor admittit: tum etiam, quia multi non negant posse vnum indiuisibile plura indiuisibilia spatij in vnico instanti pertransire: tum denique, quia si per impossibile dari posset Latio Instantanea, sicuti defacto datur instantaneus motus ad lumen, ad hue non posset hæc attractio fieri; & ratio est qua nisi per prius intelligatur virtus motiua Petri esse applicata lapidi, numquam intelligetur Petrus complete potens in actu primo ad illum mouendum; sed applicatio approximationem importat. ergo non minus Petrus indigebit approximatione ex parte actus primi ad mouendum localiter corpus, quā ignis ad calafaciendū lignū.

Hac igitur respensione post habita. Respon- 23
deo ego ad argumentum Arriagæ negando antecedens. Aio enim omne agens, quod agit in passum extrinsecum siue illud monendo localiter, siue alterando, indigere approximatione cum illo ex parte actus primi. Ad probationem vero antecedentis distinguo assumptum: animal per motum producit præsentiam, quam acquirit corpus illud in instanti in quo mouetur, ita vt hæc præsentia se teneat ex parte actus primi illius motus, nego. Ita vt hæc præsentia se teneat ex parte actus secundi dicti motus, vel primi consequentis, vt infra dicetur, concedo antecedens, & nego consequentiam. Pro explicatione dico approximationem inter agens, & passum extrinsecum

Digitized by Google

secum semper sè tenere ex parte actus primi ad agendum, eo quod non potest intelligi precedere actio à virtute actiua, nisi hæc virtus in aliquo priori præintelligatur debitè applicata passo, quod non fit, nisi per approximationem. Quoniam vero effectus producendi, seu actus secundi actui primo correspondentes sunt in duplici differentia: quidam enim stare possunt in eodem instanti reali cū dicta approximatione, quæ inter agens, & passum prærequiritur: quidā vero minime, quatenus sunt de sè ordinati ad transferendum mobile de loco, in quo erat, in aliumlocum, atque adeo sunt destructiui præcedentis præsentiæ: hinc fit, vt priores effectus prærequirant approximationem agentis cum passo existentem in eodem instanti reali, in quo ipsi producuntur. At vero posteriores prærequirant illam existentem in instanti immediate præcedete; & ratio huius esse potest, quia cū approximatio sit vltimum, quod requiritur ex parte actus primi inter agens, & passum, vt habeatur actus secundus; quanta maiori conjunctione in ordine ad tempus coniungi potest, cum actu secundo, tanta necesse est, vt coniungatur, alioquin esset &nō esset vltimū, sed cū actibus secūdis prioris generis potest coniungi in eòdem instanti reali, in quo primo existunt; ita vt illos tantum ratione præcedat. ergo sic necesse est, vt coniugatur. Contra vero eum actibus secundis posterioris generis non potest coniungi nisi per hoc, quod existat in instanti immediate præcedenti ad eorum productionem. ergo hanc, & non maiorem coniunctionem eum eis requirit. Porro motorem non posse immediate mouere mobile extrinsecum in tempore nisi in instanti initiatiuo dicti temporis intelligatur illi approximatus positiue, & non negatiue tantum, est euidens; si quidem res per prius debet esse completa in ordine ad sè, quā in ordine ad aliud; ad complemētum autem in ordine ad sè pertinet esse in loco. ergo &c.

24 Contra hanc responsionem instabis primo: id, quod se tenet ex parte actus primi debet simul existere cum actu secundo. ergo si approximatio motoris & mobilis se tenet ex parte actus primi respectu motus localis, non potest existere in instanti antecedenti ad motum localem.

Respondeo distinguendo antecedens; & quidem si id, quod se tenet ex parte actus primi se habet, vt virtus productiua actus secundi, concedo: si verò sè habet vt mera conditio necessaria, nego antecedens, & consequentiam. Disparitas est, quia virtus productiua debet actu influere in effectum, quando fit, sed ad hoc, vt influat, debet necessario existere. ergo. &c. At vero cōditio quātū vis necessaria, & essentialiter requisita, non est influxiua, sed applicatiua virtutis influxiuæ; ergo non est necesse, vt existat, quando existit effectus. Multa ad hanc doctrinam confirmandam exempla suppetunt: seligo vnum in eadem materia: Ad hoc, vt mobile se possit proxime collocare in loco A. requirit necessario, vt sit in spatio immediato, nempe B; cum constet, quod si longe, distet non habeat potentiam proximam constituendi se in illo loco. Tum sic: existentia mobilis in loco B. est necessaria ad hoc, vt se moueat ad locum A. sed non ita, vt se teneat ex parte actus secundi. nam per motum ipsum destruitur, quia mobile debet relinquere locum B. vt moueatur ad locum A; ergo ex parte actus primi; & tamen constat vbicationem in loco B. non existere in eodem in instanti neque cum motu ad locum A. neque cum vbicatione in dicto loco. ergo non est vniuersaliter verum id, quod se tenet ex parte actus primi, debere simul existere cum actu secundo.

Instabis secundo: si per approximationem in 25
instanti antecedente habitam esset motor in actu primo complete potens mouere mobile: sequeretur, quod daretur effectus formalis sine causa formali. Consequens est absurdum. ergo &c. Minor patet; sequela probatur: motorem esse completum ad mouendum est effectus formalis approximationis ad mobile, sed est completus, & applicatus in eo in istāti, in quo mouet mobile, & in eo caret approximatione; alioquin incōpletus & inapplicatus mobili illud moueret. ergo &c.

Respondeo distinguendo sequelā: daretur effectus formalis sine causa formali, si particula sine importet diuersum modū in causa, ab eo qui exigitur ab effectu formali, nego; si importet carētiā existētiæ in ipsa causa cōcedo; & sic distincta minore, nego cōsequētiā, & dico non esse nouū dari quoddā formales effectus, seù concreta, qui ad sui cōsistentiā postulent præsentiā formæ; quoddā verò, qui adsui consistentiā eam non postulent, sed præterita contenti sint; de facto enim ad habendā actu vocem significatiuam sufficit, si habeatur actu sonus, quamuis transierit institutio eorum, qui illum instituerunt in signum, non obstante, quod institutio se habet, vt forma dictæ vocis, vt significatiuæ. Inter huiusmodi effectus formales numerandus motor prout completus, & applicatus ad mouendum. Quamuis enim pro priori instanti præcesserit forma, ab ea tamen in sequenti constituitur completus, & applicatus; cuius rei ratio illa est, quia Deus in sequenti instanti concurrit cum ipso motore ad mouendum mobile, quatenus determinatus ab approximatione, quæ exiit in instanti priori. Ita vt, si non extitisset, non præberet illi suum concursum.

Instabis tertiò: Si sufficeret approximatio 26
motoris cum mobili habita in instanti antecedente, ad mouendum illud pro instanti sequenti: sequeretur, quod posset homo immediate, & per sè mouere lapidem absque eo quod simul cum illo moueretur; Hoc est aperte falsum; ergo &c. Minor patet, quia si lapis moueretur ab homine immoto, sequeretur, quod homo produceret motum in passo a sè distante. Nam quando primo est motus tūc definit approximatio inter se, & lapidem. Sequela vero maioris probatur: quia per illam approximationem in instanti antecedenti habitam iam homo est complete potens mouere lapidem. ergo etiam si non moueatur homo, iam mouetur ab illo lapis. Confirmatur: quia illud complementum in actu primo, quod habet Lucerna ratione approximationis in ordine ad illuminandum aerem in eo instanti, in quo illum illuminat, habet homo ad mouendum lapidem in instanti immediate antecedenti ad motum illius. Sed stante cōplemento approximationis, sequitur illuminatio, nullo alio intelle-

cto.

Digitized by Google

ctio ergo etiam sequi debet motus in lapide etiam si homo penitus remaneat immobilis.

27 Respondeo, negando sequelam. Ad cuius probationē concesso antecedente, nego consequentiā. Ratio negationis est, quia hominē per se ipsum, & immediate mouere lapidem dicit productionē duplicis motus, quorum alter recipiatur in hominem; alter vero in lapidem. Vnde est vt approximatio, quæ habetur in instanti antecedente compleat actum primum in ordine ad vtrumque motum; quamuis enim motus, quo homo mouet solā manum propriam, dictam approximationē se tenentem ex parte sui actus primi non poscat, at ille, quo mouet manum tenētem lapidē, eam poscit, quia differt notabiliter à priori, est enim translatiuus lapidis, de vno loco in alium, quod non habet prior motus. Quod si motum lapidis, & motum manus lapidem transferentis inuicem comparare velimus. Dicendum putarem, quod motus manus se teneat ex parte actus primi respectu motus lapidis, & non è contra. Quia quærenti rationem à priori, cur lapis moueatur de vno loco in alium, optime respondere quis potest, quia manus illum retinendo transfert se de eo loco in illum alium. Verum quidem est quod cū motus lapidis non sit de sè destructiuus motus manus; id circo motus ita sè tenet ex parte actus primi respectu illius, vt existat simul tempore cum illo. Perquæ patet responsio ad confirmationem, cuius neganda est maior, & assignanda disparitas inter illuminationem aeris, & motum lapidis immediate causatum ab homine; eo quod aer illuminari potest à lucerna immobili persistente, at vero lapis non potest localiter moueri ab homine immediate per se, absque eo, quod moueatur simul ipse homo: alioquin daretur actio indistans, quia quando fieret in lapide, non esset hic approximatus suæ causæ productiuæ.

28 Verum contra hoc vltimum subinstare posset aliquis: id ex nostra sententia sequi; nam si approximatio, quam requirit homo ad lapidem, vt illum moueat est in instanti antecedente ad motum; ergo in instanti consequente illum sine approximatione mouebit. Siquidem motus, qui in instanti consequente causatur, est destructiuus approximationis antecedentis.

29 Respondeo tamen negando assumptum. Dico enim id potius sequi ex hypotesi, quod continuū ex indiuisibilibus componatur: quam ex nostra sententia. Nam hoc ipso, quod ponitur compositio continui ex indiuisibilibus, iam indiuisibile motiuum in instanti antecedente ad motum debet esse necessario approximatum indiuisibili mobili. Posito, ergo, quod sufficiat hæc approximatio ad causandum motum, iam in instāti sequenti poterit motiuum causare motum etiam si nullatenus moueatur. Sed sic causaret motum indistans: ergo. At posita compositione continui Aristotelica, quam ego defendo in physicis, nil tale sequitur, si quidem motus localis constare debet essentialiter ex partibus in infinitum diuisibilibus; vnde fit, vt licet approximatio, quæ erat inter motiuum, & mobile in instanti motum antecedente, sufficeret ad inchoandum illum, vt sic; at non ad illum continuandum, & per consequens neque ad faciendum. Cum enim de ratione motus localis sit diuisibilitas successiua partium in infinitum, vti dicebam: impossibile, est vt motor per approximationem ad mobile initio habitam intelligatur in actu primo completè potens causare ineo motum aliquem quātumuis breuissimum, absque eo, quod indigeat alia, atq; alia approximatione, sed debet necessario in eadem mensura temporis simul cum eo moueri ad hoc vt per primam particulā motus antecedentis acquirat secundā præsentiā dictę particulæ correspōdentem, beneficio cuius cōstituatur debite approximatus mobili, vt inchoare valeat secundam particulā motus consequentis & in dicta secunda particula simul etiam cum eo moueri, vt acquirat tertiam præsentiam; & fiat approximatus mobili; atque adeo in actu primo complete potēs inchoare in eo tertiam subsequētem, & sic de cæteris. Motor igitur, vt per sè, & immediate moueat corpus aliquod quandiu motum in illo causat, semper debet cū illo moueri, vt per quamlibet particulam motus antecedentis, acquirat præsētiam aliquam, beneficio cuius reddatur proximus mobili, atque adeo complete potens particulā motus subsequētis in eo inchoare. Ex quo colligere licet, quod quælibet pars approximationis cum mobili, quam acquirit motor per motum suum in ordine ad partem motus per quam causatur, se tenet ex parte actus secundi, & est illa posterior; in ordine vero ad partem motus subsequentem se tenet ex parte actus primi, & est prior illa tempore. Vtrum autem dici possit prior natura, dicendum, quod non, eo quod prioritas naturæ à prioritate temporis condistinguitur. Vidimus autem posse aliquid se tenere ex parte actus primi causatiui ita, vt præcedat actum secundum sola temporis prioritate, & ad aduentum illius corrumpatur. Notandum autem, quod cum dixerimus nullam approximationem determinatam dari posse, quæ respectu alicuius partis motus quantumuis minoris, & minoris in infinitum sola sufficiat constituere motorem in actu primo proximo completo ad producendum illam, sed semper alias, atque alias necessarias esse prout aliæ, atque aliæ sunt partes componentes illam partem motus, & seruare inter se eundem ordinē prioris, & posterioris, quem dictæ partes motus inuicem habent, ac esse illis intermixtas: Posset esse dubium num propter hanc inadæquationem, & permixtionem approximatio dici possit prior natura ipso motu, sicuti propter similem rationē dicunt aliqui, quod in motu generatio partium sit prior natura corruptione earundem, & ideo possit dari motus ab æterno, sed quæstio est denomine, & pendet ab amplitudine, vel restrictione significationis prioritatis naturæ, atque adeo parui facienda.

Obijcies tertiò: ex eodē Arriaga *n. 76.* vt quis 30 imprimat alicui corpori virtutem impressam, debet esse approximatus illi non minus, quam vt illud calefaciat; at ea approximatio non requiritur ex parte actus primi, ergo falsa conclusio. Probo maiorem, quæ sola probatione egeti n ante productionem virtutis impressę supponeretur corpus vbicatū, non posset in instanti productionis moueri. Sed hoc est falsum, nam per virtutem illam

Digitized by Google

producitur motus in corpore. ergo ante impulsum non supponitur corpus approximatum.

Respondere aliquis posset se negare virtutem impressam, atque adeo maiorem esse falsam tamquam de subiecto non supponente. Sed non bene: nam posset transferri argumentum ad grauitatem, quam Angelus potest miraculose imprimere corpori in medio aere detento, in qua hypotesi eadem procederet difficultas. Respondeo ergo admissa maiore; negando minorem, ad cuius probationem Concedo maiorem; vere enim non potest moueri corpus quod proijcitur in eo instanti, quo virtutem impressam à proijciẽte recipit. Sed nego minorem, & ad huius confirmationem dico, virtutem illam in eo instanti reali esse impeditam ad producendum motum, & ideo illum tunc producere non posse. Sed bene in tẽpore sequenti. Porrò vnum ex impedimentis est, quod proiectum, vt eam recipiat à proijciẽte debet in eo instanti reali esse illi approximatum.

11 Contra hanc responsionem insurgit Arriaga *n.* 77. sic: licet ex dicto capite non probetur approximationem nõ se tenere ex parte actus primi respectu productionis virtutis impressæ: Probatur tamen ex eo, quod eo instanti, quo quis habet in manu lapidem, est indifferens, vt moueat lapidem simul cum manu, vel à se illum proijciat; sed pro eo priori, pro quo est indifferens ad sè mouendum non supponitur approximatus lapidi, alioquin non posset tunc sè mouere. ergo falsum est, quod approximatio se teneat ex parte actus primi productionis virtutis impressæ.

Respondeo negando maiorem. Suppono enim virtutem impressam vtpote contrario carentem non posse causari nisi in instãti terminatiuo motus, quo proijciens tenens manu lapidem vtrumque mouet. Cum autem motus localis non possit esse in instanti: hinc deducitur non posse proijciẽtem esse indifferentẽ quando producit in lapide virtutem impressã ad mouendum se vna cum lapide. Quod si quis contenderet dictam virtutem successiue produci, de ea discurrendum est sicuti paulo ante discurrebamus de motu successiuo à motore producto inmobili quando illud per sè immediate mouet.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA OCTAVA

VTRVM SIMILE AGERE possit in simile.

1 VNA ex præcipuis conditionibus quam Aristotiles *hic tex.* 50. & 51. requirit ad hoc, vt sequatur actio, est dissimilitudo inter agens, & passum, quam quidem necessariam esse patet ex eo, quia vnum quodque agit inquantum est actu, & patitur inquantum est in potentia, vt habetur ex ipsomet philosopho *tertio phys. tex.* 17. si enim, vel agens non contineret formam producendam, vel patiens illam præhaberet nulla penitus esset ratio agendi, & patiendi. Porrò actus, & potentia dissimilitudinem important: dissimilitudo autem hæc inter agens, & passum, potest primo concipi in eorum substantia. Secundo in qualitate secundum quam fieri debet actio. Tertio in gradu eiusdem qualitatis. Quarto in adminiculis ad agendum, vt in quantitate, densitate, & cæteris. Constat autem primo ad hoc, vt fiat actio accidentalis (de qua nobis in præsentia sermo est) non esse necessariam dissimilitudinem in substantia inter agens, & passum: manus enim calida potest frigidam manum fouendo calefacere. De substantiali vero actione non agimus, quia hæc accidentalem consequitur. Nam posita in subiecto dispositione requisita ad formam substantialem huius generatio est inimpedibilis. Constat vero secundo neque esse necessariam dissimilitudine in qualitate, secundum quam fieri debet actio. Calidum enim, vt octo bene potest agere in calidum, vt duo, ita, vt eius calorem intendat. Vtrum autem requiratur dissimilitudo, quo ad gradum eiusdem qualitatis, vel sufficiat illa, quæ consistit in adminiculis dubium est.

Quoniam vero omnis actio, de qua loquimur, vel corruptiua est, vel perfectiua; & corruptiua quidem est illa, quæ ita est productiua qualitatis propriæ; vt sit simul etiam expulsiua contrariæ vt actio calefactiua. Perfectiua vero illa, quæ ita est productiua qualitatis proprię, vt non sit expulsiua contrariæ, vt illuminatiua. De vtraque separatim agendum nobis est, si prius notauerimus vtramque in eo conuenire; vt vel vniuoca sit, vel æquiuoca. Vniuoca est, quæ immediate procedit à forma simili in specie illi, cuius est productiua: cuiusmodi est actio per quã nix frigefacit manum. Æquiuoca vero est omnis alia actio, quæ per formam specie diuersam quam produeit exercetur. Iam vero quando quæritur vtrum simile agat in simile, agitur de actione vniuoca, non de æquiuoca. Nam si hæc potest agens agere in se ipsum, vti dicemus disputatione sequenti: multo magis poterit in aliud subiectum à sè distinctum.

SE-

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Expenditur quæstio in ordine ad actionem corruptiuam.

VNica conclusio: simile in gradu qualitatis, licet in reliquis sit dissimile, non potest agere in sibi simile actione corruptiua, & vniuoca, quæ scilicet proueniat ab ea qualitate secundum quam simile est, & ad similem in specie producendum ordinetur. Est communis contra Scotum secundo *phys. quæst.* 4. ad 5. Marsilium *quæst.* 18. Niphum *quæst.* 2. super *cap.* 8. & alios, qui tuentur, quod si dantur duo calida v. g. vt sex ita vt, alterum sit densum, alterum vero rarum: cæteris paribus densum ageret per calorem suum in rarum eius calorem intendendo.

Probatur primò: quia omne agens agit vt assimilet sibi passum in forma, quę est principium agendi ex Aristotile *2. de gen. tex.* 51. & 2. *de anima. tex.* 34. habens igitur calorem vt quatuor, agere dumtaxat potest ad summum vsque dum calorem vt quatuor efficiat, & cum illuc peruenit, cessare omnino debet ab actione: alioquin ageret vltra proportionem formæ, quæ est in eo principium operandi. Confirmatur, quia illa dissimilitudo requiritur inter agens, & passum quæ auferanda est per actionem, hæc autem alia nequit esse, præter eam, quæ in gradu qualitatis secundum quam fit actio, posita est ergo. &c.

Probatur secundò: quia si densitas, & raritas, parnitas, & magnitudo, ceteraque actionem adiuuantia essent dissimilitudo sufficiens ad agendum, & patiendum: sequeretur, quod duo agentia remissa sibi debite applicata se inuicem intenderent vsque ad summum gradum: consequens est absurdum. ergo &c. Sint enim duo calida, vt quatuor: alterum rarum, alterum densum; si densum potest quintum gradum caloris in rarum producere, hoc vtique, acquisito iam quinto gradu, poterit secundum illum agere in densum: rursus densum posset in raro producere sextum, & rarum in eo septimum, & sic se inuicem calefacere vsque ad octauum gradum, quod quam sit inconueniens, & contra experientiam nemo non videt.

Probatur tertiò: Pono, quod gradus producendus à calido, vt quatuor, in passo simili esset quintus, sed hic habet heterogeneitatem ordinis cum quatuor primis vti suo loco probauimus. ergo non vendicat sibi illos tamquam primariam causam sui, sed bene quintum cui in ordine correspondet, & congruit. Sicuti enim species visiua Petri licet non sit perfectior specie visiua Ioannis: quia tamen aliquam habet heterogeneitatem ab illa, respuit habere pro causa sui Ioannem, & exigit Petrum. Ita quintus gradus, quamuis sit æque perfectus, ac quartus non producetur nisi influat in illum quintus.

3 Obijcies primò: *Arist. 8. phys. tex. 8.* hæc habet. Contingit autem in maiori magnitudine maiorem potentiam esse, & patet hoc experientia, quia maior ignis magis calefacit; & intensius vrit ignis in materia densiore, quam in rariore, in ligno, quam in stupa. ergo simile in gradu ratione magnitudinis, & densitatis in sibi simile agere potest.

Respondeo negando consequentiam, Philosophus enim ibi, & experientię assignatæ nihil aliud conuincunt, quam quod magnitudo, & densitas agentis triplici ratione iuuent ad agendum: Primò, quo ad velocitatem, inquantum facilius faciunt passi resistentiam vinceret Secundo quo ad extensionem sphæræ actiuitatis, inquantum cæteris paribus reddunt agentis sphæram maiorem ea, quam habet agens rarius, & minus extensum: Tertio quo ad productionem effectus, qui euadit maioris intensionis; non quidem ea forma per quam agens operatur, sed ea, quæ est effectus agentis rationis, vel minoris, licet æque intensi: sic ratio horum est, quia magnitudo, vel densitas agentis applicant plures eiusdem partes ad agendum: quæ quidem partes veluti plura agentia se habent. Porrò velocius, & ad maiorem distantiam plura, quam vnum operantur, etiam si sint æque intensa, tum quia facilius passi resistentiam superant: tum quia iuxta proportionem magnitudinis, & extensionis virtutis actiuę vlterius actionem extendunt, quæ quia vniformiter diffomiter fieri debet, necesse est, vt per eam plus qualitatis produeant in partibus vicinioribus ea, quam produxissent si ad breuius spatium agere debuissent. Contrario vero modo propter similem rationem se habent magnitudo, & densitas ex parte passi; retardant enim actionem agentis: & eius phęram, restringunt, & minus intensum effectum producere sinunt.

Obijcies secundò: ex eodem *Arist. lib. de long & breuitate vitæ cap.* 2. habemus, quod magnus ignis minorem extinguit: simile igitur in gradu agit in simile actione corruptiua. 4

Respondeo negando consequentiam, ignis enim magnus extinguit minorem non quidem per se, agendo scilicet per calorem in illum, sed per accidens, vel quia eius pabulum consumit attrahendo illud ad sè propter maiorem efficacitatem, quam habet; vel quia in eum ignitos quosdam spiritus immittit, qui sursum illum secum asportant, & à pabulo sibi proportionato remouent, vel denique, quia illum valde rarefacit, & obnoxium reddit contrario obsistenti

Obijcies tertiò: ferrum candens stuppam incendendo maiorem calorem in ea producit illo quem habet in se, & aer frigidus brumali tempore aquâ congelando maiorem frigiditatem ea, quam in sè habet in ea pariter producit. ergo, à fortiori simile agit in simile. Antecedens probatur, quia si ferrum tantum caloris, & aer tantum frigoris haberent, quantum producunt, & ferrum euaderet ignis, & àer congelaretur. 5

Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem dico, quod etiam si post actionem ferri stupa sit minus calida ac ipsum est, & àer minus frigidus ac aqua congelata, stupa tamen ignitur, & non ferrum, Aqua congelatur, & non aer, quia in his quædam reperiuntur dispositiones ad formâ ignis, & geliditatis, quę in illis non sunt, cuiusmodi sunt siccitas in stupa, & in

Digitized by Google

aqua densitas, & humiditas crassa. Inquo dici posse in poris Ferri exhalationes quasdam ignitas reperiri, quibus calor in summo, qui producitur in stupa tribui potest, & in aqua potentiam producendi in se frigus in summo, quæ desit aeri. Neque in hoc audiendus est Arriaga *disp. 3. de gen. n. 120.* dum ait in ferro fere nullos esse poros & incapaces ignis; experientia enim contrarium docet. Videmus enim, quod malleo si tundatur multas emittit scintillas, quas non esse partes ipsius ferri constat, ex eo, quia sic breui totum ferrum per ignem deperderetur.

6 Obijcies quartò: sint duo grauia, vt quatuor, quorum alterum sit palmare, alterum semi palmare intensius mouebitur deorsum palmare, quã semipalmare. ergo qualitas aque intensa potest producere intensiorem effectum si est in subiecto maiore.

Respondeo: Argumentum duo peccare: primo, quia putat velocitatem, & tarditatem in motu esse veras qualitates, quod falsum est; ipsæ enim partes motus per se, & solitarie sumptæ si citius ac velocius à mouente producantur, sunt inter sè magis vnitæ, & compressę, per quod efficitur motus velox: si autem tardius erunt laxiores, & magis inuicem distabunt, per quod motus erit tardior: Secundo, quia eodem modo loquitur de actione æquiuoca, ac de vniuoca, motus enim velox, vel tardus est effectus grauitatis, & tarditatis aut velocitatis.

7 Obijcies quinto: duo Gladij æque solidi se inuicem contundunt, & hebetant, ergo simile agit in simile actione corruptiua.

Respondeo, dari duplex genus actionum corruptiuarum, quædam enim sunt productiuę, vt prædicamentales: quædam non productiuæ, vt grammaticales; porrò actiones quibus duo gladij se inuicem hebetant licet sint corruptiuę, non sunt tamen productiuæ, quia habetudinem causant per motum localem. In conclusione autem negamus simile agere posse in simile actione productiua. Disparitas autem cur possint actione non productiua, non vero productiua, est, quia productiua, est secundum sua intrinsica ordinata ad effectum: at vero non productiua per accidens tantum producit effectum suum vt videre est in casu nostro: motus enim gladij per sè tendit ad comparandum locum, per accidens autè est, quod ibi inueniat alterum gladium, qui impediat illum, ne vlterius progrediatur, cui ita comparetur, vt tum secundum vim propulsiuam, tum secundum vim resistitiuam fit æqualis; vnde fit, vt sequatur mutua habetatio: sicuti etiam, quod duo homines validi, vt tria, subleuent pondus graue vt sex. per motum enim localem vtrumque præstatur.

8 Obijcies sextò: simile potest agere in simile actione æquiuoca. ergo, & vniuoca. Consequentia est bona, paritate rationis: antecedens probatur, quia aeri tenebroso calido, vt quatuor, si approximetur lucerna, item calida, & luminosa, vt quatuor hæc per lumen intendet calorem aeris, ergo &c.

Respondeo, antecedens esse de subiecto non supponente: actio enim æquiuoca semper procedit ab agente dissimili in specie: ad eius probationem dico, quod lumen licet sit intensum, vt quatuor, cum tamen sit essentialiter perfectius calore, non est mirum si possit intensiorem caloris gradum in aere producere, simili modo cum grauitas sit perfectior motu locali sit, vt si vni corpori graui vt quatuor super ponatur aliud itẽ graue vt quatuor, motus deorsum prioris sit velocior.

Obijcies septimò: in reflexione caloris, quam iuxta terram experimur, nequit assignari vnde maior ille calor proueniat, nisi dicatur, quod terra calefacta à sole calorem illum producat in aere. Sed terra supponitur esse minus calida quam aer, sicuti, & minus illuminata: si quidem sol agit vniformiter difformiter à Cœlo in Terras, ergo si agens minus intensum potest agere actione vniuoca corruptiua in passum magis intensum: multo magis poterit sic agere simile in simile.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem, dico enim lucem esse causam immediate productiuam caloris non directe, sed reflexe productam, vt communiter docent philosophi fundati in experientia. Quoniam verò lux incipit reflecti à terra in aerem: & actio reflexa intensior est ibi vnde incipit, vti dicemus paulo post cum de reflexione luminis; hinc fit, vt cum in terris beneficio reflexionis sit lumen intensius, quam in partibus aeris terræ proximioribus: debeat etiam esse ibi calor intensior. Si ergo dicamus calorem aeris produci à calore terræ non sequitur simile agere in simile. Quod si censeamus cum aliis ap productione dicti caloris influere lumen existens siue in terra, siue in ipso aere, non sumus in casu, quia actio non erit vniuoca, sed æquiuoca. Cæterum quærenti, cur aer cæteris paribus in conuallibus calidior sit, quam supra montes, responderem rationem esse, quia exhalationes calidæ quas terra immittit, melius conseruantur in locis profundioribus: quam in sublimioribus; in his enim facile aer agitatur ventis, & dictas exhalationes a se statim excutit, atque dissipat; quod in illis, quia omnis aditus occlusus est ventis, fieri nequit. Vnde fit, vt aer in vallibus inclusus dictis exalationibus scateat, & sic valde incalescat, fortasse magis, quam terra ipsa calida.

SECTIO SECVNDA.

Quid de simili agente in simile actione perfectius vbi de refractione.

10 VNica conclusio, simile non potest naturaliter, agere in simile actione perfectiua. Patet ex dictis, ea enim, quæ sunt similia in forma non habente contrarium secundum quam agere debent, & in gradu ipsius formæ: licet sint dissimilia in magnitudine, densitate &c. non possunt sè respicere in ratione actus, & potentiæ secundum formam, ex qua formaliter promanat actio: nec habere possunt finem in agendo, nõ solum illum, qui terminum actionis importat: sed etiam illum, qui causam finalem significat; nam ex vna parte deberet agens extendere actionem suam in infinitum, quatenus etiam post quam

pas-

Digitized by Google

passum sibi perfecte assimilauit in forma, per quam agebat, remanet adhuc dissimile in magnitudine, debilitate &c. ex alia vero parte finis actionis est assimilatio secundum quam fit actio. Vnde quo citius obtinetur hic finis, eo citius cessat actio quasi obtento fine, in quem ordinatur. Atqui ex eo quod simile agat in simile sequitur inter ea dissimilitudo, & quidem per sè, hoc est ex vi eiusdem actionis per quam agit. ergo iam deesset causa finalis agendi. Vbi nota me loqui de agente reduplicatiue, quatenus formaliter importat actionem vniuocam, vt sic. Nam licèt specificatiue sumptum non respiciat tamquam finem formam accidentalem, quia tamen actio, quæ est dictæ formæ productiua sic eam respicit; hinc fit, vt agens quatenus agens si in simile agere posset, posset consequenter suo fine frustrari.

11 Obijcies primò: duo oculi inter sè similes possunt inuicem agere, & pati per actionem productiuam specierum visibilium. Rursus manus calida, vt quatuor, dum tangit corpus item calidum, vt quatuor sentit illud esse similiter calidum. Actiones autem productiuæ specierum corruptiuæ non, sunt sed perfectiuæ, nam species non habent contrarium.

Respondeo concessa maiore, quo ad vtramque partem, dummodo tactus immediate fiat per species tangibiles nō autem per ipsasmet tangibiles qualitates, & concessa item minore, distinguo consequens. Simile agit in simile actione perfectiua vniuoca, nego: æquiuoca, concedo consequentiam. Aio, enim, quod formæ secundum, quas tum oculus tum tangibile, producunt species, non sunt species, sed visibiles ac tangibiles qualitates secundum quas oculus est similis oculo, & Corpus manui. Ideo autem potest simile agere in simile actione æquiuoca, & non vniuoca, quia eminentialis continentia effectus, quam actio æquiuoca præsupponit, stat cum formali carentia eiusdem effectus. De facto enim aqua dum calida est, continet eminenter frigus, & piper formaliter frigidum calorem. Sufficit autem formalis carentia formæ in subiecto apto ad hoc, vt agens possit illam in tali subiecto producere. Iam vero passum simile v. g. oculus etiam si visibiles species eminenter contineat, habet tamen formalem carentiam illarum, atque capacitatem, quare recte potest illas ab alio simili recipere; & propter similem rationem easdem in specie in illo vicissim producere, at formalis continentia carentiam formalem excludit. Posito enim, quod ferrum v. g. est formaliter calidum vt sex, nequit habere formaliter carentiam caloris, vt sex, ideoque non relinquit agenti calido, vt sex, locum producendi calorem tantæ intensionis.

Instabis: quando quis se videt in speculo ex
12 eodem speculo reuertitur per eundem aerem noua species de eodem homine. ergo speculum agit in aerem omnino similem.

Respondeo dupliciter: primo speciem emissam à speculo non esse similem ei quam emisit homo, quia est repræsentatiua hominis simul, & speculi, quod non habebat prior. Respondeo secundo, quod etiam si non sit repræsentatiua etiam speculi, quia tamen repræsentat hominem per directionem diuersam differt ab illa, quæ procedit immediate ab ipso homine. Porro hæc responsio valet siue dicamus speculum dictam speciem reflexam producere siue agens principale cum concursu speciei existentis in medio, vt nos tenemus; quare neganda est consequentia.

Obijcies secundo: posito, quod vna lucerna 13
aerem, qui est in cubiculi magis illuminat: experientia constat, quod si addatur alia lucerna, æque luminosa aer cubiculi magis illuminabitur. Simile igitur agit in simile actione vniuoca perfectiua. Consequentia claret, quia prima lucerna produxit in aere lumen æque intensum, ac in se habebat; in hoc enim non poterat à forma contraria impediri, quia lumen caret contrario; cum igitur secunda lucerna ponatur esse æque luminosa ac prima, posito quod aerem illuminat aget in sibi simile; aer enim post actionem primæ lucernæ vtrique similis euasit in gradu luminis.

Respondeo, concesso antecedente, negando 14
consequentiam. Ad cuius probationem nego antecedens; prima enim lucerna, (& idem esto iudicium de quocumque alio corpore luminoso) in nulla aeris parte nisi forte in eius superficie, in qua cum eo sè tangit, potest producere tantum luminis, quantum habet in sè; quod experientia constat. Lucerna siquidem semper apparet luminosior, quam quælibet aeris pars, sibi vicina; vnde facilius legi potest prope lucernam ipsam; quam prope quamlibet aeris illius partem. Ratio autem huius impotentiæ certum est, quod non prouenial à resistentia contrarij, videtur autem petenda esse ex eo, quod ad producendum lumen æque intensum requiratur omnimoda applicatio, quæ per intimam præsentiam solum haberi potest. Quoniam vero corporum penetratio naturaliter non datur: hinc est quod nunquam contingere possit, vt luminosum producat in aliqua parte aeris quantum luminis habet in sè. Hoc autem esse proprium cuiuscumque agentis, doctissimi viri existimant, vnde asserunt, quod quando ignis agit in lignum, non producit in aliqua eius parte, calorem æque intensum ac habet in sè: producit tamen sufficientem ad formam ignis, à qua genita iam, tamquam proprietas emanat illud caloris, quod deest ad summe intensum, & censetur esse proprietas ignis. Alij vero malunt soli luminoso id conuenire, vel ex eo, quod non adiuuetur à lumine, quod in partibus proximioribus suæ sphæræ produxit ad agendum in remotiores, quia putant lumen non esse qualitatem per sè actiuam saltem in subiecto extraneo; vel ex eo, quod ita produci postulat, inquantum non est qualitas dispositiua, sed perfectiua: vel denique ex eo, quia naturam agentis luminosi esse hoc modo producere lumen colligunt à posteriori, & ex absurdo, quod aliter sequeretur, si enim sol produceret in primum palmum coeli Veneris tantum luminis quantum habet in sè, hic primus palmus deberet similiter sè habere respectu secundi subsequentis, & secundus similiter sic respectu tertij, & sic quæcumque pars sphæræ actiuitatis solis esset luminosa eodem modo ac est ipse sol, quod est manifeste falsum. His positis aio primam lucernam luminosam, vt quatuor, producere in aere lumen, vt

tria

Digitized by Google

tria v. g. secundam vero producere, aliquid plus supra tres gradus v. g. dimidium quarti, quod si addatur tertia producet medietatem dimidij: si quarta medietatem medietatis; atque adeo augeri lumen illud in aere per partes proportionales minores, & minores in infinitum. Quare etiam si in infinitum lucernæ vt quatuor multiplicentur, nunquam aerem fore illuminatum, vt quatuor, ad eum plane modum quo si quantitati palmari addantur partes proportionales in infinitum, simili proportione seruata nunquam perueniret posset ad bipalmarem.

15 Instabis primò: si post additionem secundæ lucernæ in locum tertiæ adderentur mille lucernæ accesæ, vt quatuor impossibile est, quod producant minus luminis quam secunda; ergo ad minimum producent æqualem. Sed secunda lucerna produxit dimidium quarti gradus. ergo, & ista alterum dimidium, si igitur mille aliæ æquales adderentur, hæ magis aerem illuminando (vt experientia constat) agent in simile.

Respondeo nullum esse absurdum, asserere mille lucernas tertio loco accesas producere minus luminis, quam secundam, posito, quod secunda produxerit dimidietatem quarti, quia inueniunt iam factum, quod facere poterant. Sic si Dux parua militum manu vrbem cepit, licet, postea innumerabilis exercitus superueniat, vt opē Duci ferat, minus faciet, quam pauci illi milites, quia vrbem captam inuenit. Neque dicas hinc sequi nunquam calorem intendi posse, vt acto, inquantum eius intensio potest etiam dici, quod fiat per partes proportionales minores, & minores: ne id dicas inquam, quia licet hoc concedi possit, quando calor producitur ab agente extrinseco, at non quando producitur ab intrinseco, sicuti negat nemo, quod quando lux augetur ab intrinseco posse à tertiò ad quartum gradum peruenire etiam si virtus productiua sit tantum, vt quatuor, & hoc propter perfectam
16 applicationem agentis, ad passum.

Instabis secundò: Ponamus lucernā, vt quatuor, cuius ignis sit ad tres aeris palmos, ita vt in primo sibi proximo producat tres gradus luminis, in secundo duos, in tertio vnum: in fine autem huius tertij palmi ponatur alia lucerna æque luminosa ac prima, vtique hæc in palmo sibi proximo in quo erat vnus gradus luminis, tres item gradus suos producet: in secundo vero duos in tertio vnum. Et sic tres isti aeris palmi habebunt lumen æque intensum ac lucernæ. Addita deinde lucerna item, vt quatuor, vel nihil luminis in aere illo producet, vel aliquid: primum est contra experientiam. Secundum contra conclusionem ergo; &c.

Respondeo secundam lucernam in primo palmo aeris sibi proximo non posse producere tres gradus luminis, quia in illo reperit iam vnum à priori lucerna productum, neque duos in secunda, neque vnum in tertio propter similem rationem. Agens enim quo plus reperit productum de suo effectu, eo minus agit, quia vero prima lucerna nihil luminis in primo palmo reperit, ideo in illum agit quantum potuit, producendo scilicet tres gradus in primo, in secundo duos, in tertio vnum, quem poterat; non negauerim, tamen, quod ex coniunctione duo ista agentia mutuo se adiuuent, & actione communi agant in sphæram illam ita, vt aliquid plus luminis producant, eo, quod solitarie sumptæ produxissent.

Instabis tertiò: per aduentum secundæ lucernæ non crescit agens in actiuitate, sed solum in extensione, ergo per aduentum secundæ non producetur plus luminis, quam à prima. Antecedens probatur, quia ex coniunctione primæ cum secunda non crescit intensiue vis actiua vtriusque, sed solum extensiue. 17

Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo assumptum, ex coniunctione non crescit intensiuè vis actiua vtriusque in sè ipsa concedo: in ordine ad effectum producendum, nego antecedens, & consequentiam; ac dico, quod licet neutra lucerna per hoc, quod coniungatur simul ad agendum intrinsecè crescat in virtute, crescit tamen in ordine ad effectum, quia si solitariæ poterant producere lumen v. g. vt tria, coniunctæ possunt, vt tria cum dimidio. Quod si interpositione corporis opaci inter vtramque lucernam duæ vmbræ resultant, hinc solum infertur, quod non sint vnum agens indiuisibiliter, sed vnum diuisibiliter tantum, quod non est absurdum. Licet igitur vbi sunt vmbræ: earum actiones diuidantur. vbi tamen illæ non sunt simul, & vt vnum agens lumen intensius producunt.

Obijcies tertiò: lumen lucernę productum 18
in phiala aqua plena, & per illam immissum apparet maius, quam sit in ipsa lucerna. ergo agens vniuocum producere potest qualitatem intensiorem, ea quam in sè habet, & sic agere in simile.

Respondeo, in casu posito intermisceri refractionem, quæ fit quoties luminosum in spatio contento intra sphæram suæ actiuitatis offendit corpus aliquod diaphanum crassius aere quale est v. g. phiala plena aqua, vel perspicilium, quod non omnino impedit eius actionem, sed facit solum, vt eius radij, qui directe vlterius protendi deberent, refrangantur, & ita vlterius producantur, vt angulum ex aduersa corporis impedientis parte constituant, & eandem in vnum coeant punctum, in quod omnes agunt. Porro, vt ad casum positum respondeamus dico, duo posse in phiala considerari: vnum est lumen maius, quod in ea apparet. Alterum est collectio radiorum, qui ab ipsa phiala egressi in punctum coeunt corporis aduersi, illudque illuminant, quod quidem punctum ideo refractionis, & concursus appellatur, quia in eo radij refracti corporis luminosi concurrunt. Et si quidem sermo est de priori dico exuberantiam illam luminis, quę cernitur in phiala, & oculos intuentium perstringit non distingui saltem adæquate à lumine, quod in sè habet lucerna, cum enim species intentionales quas producit in ipsa phiala refrangantur, hinc fit, vt appareat in illa maius, non secus ac in aqua pisces, & poma, & lapides maiora cernūtur, vt quę magis etiam dictum lumen mouea sensum, ad eum plane modum, quo colores cum species suas per vitrum immittunt, vehementius oculos mouere consueuerunt: sin autem sermo est de

Digitized by Google

à poſteriori, dico lumen illud eſſe à lumine lucernæ realiter, & adæquate diſtinctum. Eſt enim effectus illius non tamen eſſe maius illo.

19 Inſtabis: lumen quod producitur in puncto refractionis eſt maius illo, quod eſt in corpore in quo fit refractio in phiala ſcilicet; vt patet ex eo, quod in puncto refractionis radiorum ſolis ſæpe ignis excitatur, qui tamen non excitatur in corpore illo dictos radios refrangente: ergo ſic, vel hoc maius lumen in dicto puncto refractionis producitur à ſole, vel a phiala ſeu per ſpicilijs, vel denique ab vtriſque, ſed non primum, quia ſic maius lumen produceret ſol in partibus remotioribus, quam in proximioribus: vnde, & in hoc daretur actio indiſtans, ſecundum illum gradum perfectiorem, qui in tali puncto producitur: neque ſol ageret naturali modo, qui conſiſtit in eo, vt agens intensius agat in partes ſibi viciniores, quam in remotiores. ergo dici debet ſecundum, & ſic phiala habens lumen minus intenſum producere poteſt intenſius, atque adeo agere in ſibi ſimile. Tertium enim membrum cum ex eo ſequatur vtrumque incommodum, omnino excludendum videtur.

Reſpondeo, admiſſo eo, quod experientia docet, maius ſcilicet lumen produci in puncto refractionis, quam in phiala, vel etiam in aere inter ſolem, & phialam, & inter phialam, & punctum illud intercepto. Ad argumentum conceſſa maiore nego minorem. Dico enim exceſſum illum luminis produci à ſole tantum, cuius radij, quia ob refractionem colliguntur in puncto illo, id circo in eo intenſius lumen producit, quam in quacũq; alia parte medij; agit enim ibi ſol pluribus vijs, ac proinde æquualet pluribus agẽtibus ad idem prorſus paſſum applicatis, quę ſemper producunt aliquid plus qualitatis, quam ſolitarie agendo in illud produxiſſent: nunquam tamen qualitatem intenſiorem ea quam habent in ſe.

20 Pro cuius rei intelligentia ſciendum eſt radios ſolis aliud nihil eſſe quam lineas quaſdam rectas aſſignabiles intra propriam ſphæram ab ipſo ſole procedentes, per quas, & in quibus ſol actionem ſuam producit; agentia enim naturalia per rectam lineam nihil quid obſtet ex omni parte intra ſuam ſphæram agere conſueuerunt. Porrò quando nullum eſt corpus directam huius productionem impediens; puncta omnia ſcilicet, quod idem eſt partes omnes corporis ſolaris actionem ſuam per ſphæram actiuitatis ipſius ſolis ita diffundunt, vt licet agant actione communi, proprium tamen radium ad peculiarem ſphęrę partem directum ſibi vendicẽt. Vnde in hoc æquualent pluribus agẽtibus ad plura paſſa applicatis, quorũ vnũ quodque ſaltẽ formaliter agit in propriũ paſſum hoc eſt in partẽ ſphæræ ſibi correſpondẽtẽ. Dico ſaltẽ formaliter. Scio enim lumẽ in tota ſolis ſphæra productum indiuiſibiliter ab omnibus eiuſdem ſolis partibus dependere, ſed hoc materialiter tantum sẽ habet, ſi enim res formaliter conſideretur, inquantum ſcilicet eędem partes pluribus agentibus partialibus æquualent, quorum vnum quodque habet, vt poſſit aliquid ſibi correſpondens producere: non eſt dubium quin vnicuique parti ſolaris corporis propria pars ſphæræ, in quam formaliter agat, correſpondeat. Iam vero quando ſolares radij inciduut in corpus aliquod in quo refrangantur, cum ita dirigant actionem ipſius ſolis, vt eam in puncto terminare faciant: virtutem partium eiuſdem quæ alioqui diſpararetur ad plura paſſa, colligunt in vnum: ex hac autem virtutis collectione ſequitur validior atque intenſior actio, vt conſtat ex plurium lucernarum ad eundem aerem illuminandum applicatione, & hinc eſt, vt plus luminis in puncto refractionis, quam in partibus intermedijs a ſole producatur.

Ad probationem autem contra hoc, quod aſſerimus. Concedo aſsumptum, ſolem ſcilicet in 21
tali caſu plus luminis producere in partibus remotioribus ſuæ ſphæræ, quam in proximioribus; nego tamen ex hoc ſequi actionem indutans ſecundum illum gradum perfectiorem, tunc enim datur actio indiſtans ſecundum perfectionem graduum, quando agens eadem actione, & applicatione producit gradũ illũ in parte remota abſq; eo quod ſimilem producat in proxima: at vero cum actio, & applicatio variatur, hoc non ſequitur. Porro hoc in caſu noſtro contingit, eo quod diuerſo modo applicatur ſol ad agenda in mediũ, ac in punctu illud; in hoc enim adiuuatur ab omnibus ſuis partibus, & totam ſuã virtutẽ colligit, ac ſecũdum omnes ſui partes applicatur vt pluribus agentibus æquualeat in medio vero non itẽ.

Ad id denique, quod ſecundo loco inferebatur, quod ſcilicet ex hoc ſequeretur, quod non 22
ageret modo naturali qui conſiſtit in eo quod agens agat intenſius in partes ſibi viciniores, quam in remotiores. Reſpõdeo, quod tunc naturalis agendi modus poſcit, vt agens hoc modo agat, quando in agendo agentis applicatio ſeruatur, at quando hæc variatur, hoc nõ requiritur, tũc enim agens cum ad partẽ remotiorẽ cõparetur, vt multiplex, mirũ nõ eſt ſi in ea intẽſius operetur. Neq; dicas ex hac applicationis variatione, ſolis virtutem minime augeri. ergo ſi antecedenter ſol non poterat in partes remotiores agere intenſius, neque variata iam applicatione poterit, neganda enim eſt conſequentia, quia etiam ſi multipliciter loquendo non augeatur, attamen reſpectu puncti refractionis veluti multiplicatur, ſi quidem partes omnes corporis ſolaris comparantur, vt diſtincta agentia ad idem omnino paſſum applicata. Neque iterum addas, quod idem manens idem ſemper ſit aptum facere idem: hoc enim verum eſt quando idem agens agit eodem modo: at ſi agendi modus varietur, vt accidit in caſu noſtro; falſum omnino eſt; ſic enim agens facere poterit quid diuerſum, operando intenſius in partes remotiores ſuæ ſphæræ, quam in viciniores. Licet igitur ſine refractione radiorum ſuorum ſol in propria ſphæra ſemper quantum poteſt operetur; non tamen operatur omni ratione, & modo quo poteſt. Vnde fit vt in refractione poſſit in puncto concurſus intenſius operari, ita vt ex illo puncto actio vniformiter difformiter ſit remiſſior vſque ad partes phialæ in quibus radij ſolis incipiunt reſtringi, & formare angulum verſus punctum concurſus. Quod ſi quęras num intenſius ſit lumen in aere phialæ proximo ſuperiori, an in inferiori. Reſpondeo in inferiori, quia ibi incipit ſol agere etiam directe plu-

Digitized by Google

pluribus vijs, & propter eandem rationem partes inferiores phialę erunt intensius illuminatæ, quâ superiores; ratio autẽ est eadem, quia tum in aere inferiori, tum in inferioribus partibus phialæ actio illuminatiua solis incipit restringi, atque adeo intensius operari debet.

83 Instabis: ad hoc, vt agens sit applicatum extremo suæ sphæræ, esse debet applicatum medio, sed in casu nostro sol non supponitur applicatus medio pluribus vijs. ergo neque poterit sic esse applicatus puncto concursus, seù refractionis.

Respondeo, distinguendo maiorem, debet esse applicatum medio omni eo modo, quo est applicatum extremo, nego: aliquo modo, concedo; & ad minorem dico, quod licet sol non supponatur applicatus medio omnibus vijs quibus est applicatus puncto refractionis: supponitur tamen applicatus pluribus vijs, quam aeri superiori, & partibus phialę extimis, quod sufficit ne detur actio indistans.

SECTIO TERTIA.

Examinatur difficultas de Reflexione; & Responsiones aliorum improbantur.

84 OBijcies quartò: in luminis reflexione plus luminis producitur in corpore opaco, in quo fit reflexio, quam in medio aere, qui inter solem, & corpus illud opacum intercipitur, & plus in puncto reflexionis, quam in corpore reflectente, vt experientia constat, vel igitur huiusmodi augmentum luminis producitur à sole tantum, & sic datur actio indistans, quamtum ad augmentum: vel à lumine, quod est in aere, & simile agit in simile; dicere autem, quod producatur ab vtroque non saluat dicta incommoda, vt consideranti patet.

Pro respõsione nota reflexionem fieri quoties res aliqua directe tendens ob alterius impedimentum ne vlterius progrediatur prohibentis, retrocedit, atque regreditur versus principium à quo processit, vt accidit quando pila, rectà petens offendit corpus impediens motum vlteriorem; tunc enim illa eodem impetu, quo directe tendebat, per eandem viam versus proijcientem regreditur. Porrò regressus hic appellatur reflexio: quando igitur sol directe produxit lumen in corpore aliqualiter opaco, vt in speculo, vel totaliter, vt in Pariete, & quia ab eodem corpore impeditur ne vlterius actionem suam directam extendat, iterum producit lumen versus se ipsum, tunc reflexio luminis fieri dicitur. Porro hæc reflexio duobus modis fieri potest. Primo sine vlla virtutis quæ est in agente, collectione vt cum reflexio fit eo, quod paries, vel speculum directam solis illuminationem impediunt. Secundo vero cum virtutis, quæ in agente est, collectione ad vnum aliquod certum punctum, quod accidit quando corpus, quod reflectit est speculum concauum, quod parabolicum appellant siue sit figuræ sphæricę siue qualis; tunc enim solares radij ita per actionem reflexam incipiunt illuminare omnes speculi illius partes, vt prosiliant in partem oppositam, & in vnum confluant punctum, quod propterea punctum concursus seu reflexionis dici solet, in quo omnis virtus agentis ad agendum colligitur, non secus ac solis virtus in puncto refractionis, vt superius vidimus. His autem prænotatis.

Respondent ad difficultatem aliqui primo: illud lumen, quod in reflexione producitur, esse maius extensiuè non intensiuè quatenus quædam corpuscula opaca in aere existentia, quæ per actionem directam, versus vnum tantum latus illuminabantur, incipiunt per reflexam illuminari versus alterum latus: non vero, quia in eadem parte alicuius corporis maior luminis intensio producatur,

Sed hi improbabiliter philosophantur. Primo, quia in reflexione caloris hæc responsio non habet locum; si quidem ignis vniformiter difformiter actionem suam extendit, atque adeo corpuscula aeri impermixta ex omni parte penetrat. Secundo ponamus, quod ante, quam fiat reflexio aliquis ex determinato quopiam loco aspiciat corpora per directam actionem illuminata; hic si post reflexionem in eodem loco persistat, videbit dicta corpora magis illuminata, sed hæc maioritas non potest esse extensiua, quę scilicet producatur in parte oppositа, quia dum corpuscula hæc ponuntur opaca non possunt ex vtraque parte ab oculo videri. ergo erit intensiua. 85

Respondent alij secundo: de quibus *Quiedo controu. 5. de Gener. puncto 2. n. 7.* lumen in aere reflexum à corpore obsistente causari eo, quod plus lucis habeat, quam aer in quo fit reflexio: nihilhominus addunt simile non agere in simile, quia cum lux reflexa differat essentialiter à directa, non est, cur non possit simul cum illa in eodem subiecto reperiri. 87

Verum hęc responsio, se ipsa suam improbabilitatem ostendit, gratis enim hanc diuersitatem in duplici illa luce constituit, cum nihil peculiare assignari possit in vna, per quod discriminetur ab altera. Quantumuis enim ponamus actionem directam, & reflexam differre essentialiter inter sè, quod non probo: hanc tamen diuersitatem non inducere necessario essentialem diuersitatem in terminis patet, ex eo, quia calefactiones, quarum altera procedit à sole, altera vero ab igne videntur magis essentialiter differre, quam directa, & reflexa, & tamen calores, qui eas terminant possunt reddere idem subiectum magis calidum intensiue, atque adeo earum termini sunt eiusdem rationis.

Respondent alij tertiò: vere in reflexione intensiorem produci lucem. Causam autem productiuam esse species intentionales, quę cum à corpore obsistente impediantur ne progrediantur vlterius, reflectuntur supra qualitatem à qua productæ sunt, & sic eam intendunt. Sed hi improbabilius, quam priores discurrunt. Nam vel species reflexæ intendunt lumen directum formaliter, hoc est per additionem sui ipsarum, vel causaliter producendo in eodem aere nouos gradus luminis: non primum, quia lumen, & species intentionales cum sint qualitates essentialiter diuersæ, non possunt facere istam actionem. Neque secundum, quia nullam aliam vim effectiuam

Digitized by Google

uam in speciebus intentionalibus agnoscimus, quam in ordine ad actus cognoscitiuos. Quod si reflexæ haberent vim productiuã qualitatis cuius sunt species: sequeretur, quod quando reflectuntur in oculo, deberent in eo causare illum realem colorem, quem intentionaliter repræsentant. Sed sic corrumperent organum, nam pupilla ad hoc vt possit videre obiecta, sicuti sunt: nullo prorsus colore debet esse infecta. Alioquin omnia sub illo colore conspiciat necesse est. Scio nonnullos nimirum Zabarellam *p. de visu cap.* 4. Buceferreum *in tex.* 25. & Marsilium *quæst.* 18. *in primum de Generat* putare lumen nil aliud esse nisi speciem, & similitudinem intentionalem lucis, quæ in corpore luminoso reperitur. Verum præter quam quod sententia hæc identificans lumen in subiecto extraneo existens cum speciebus intentionalibus lucis, quæ subiectatur in corpore luminoso est omnino improbabilis, nè dicam absurda; impugnatur ex eo, quia vel sustinet speciem directam, & reflexam lucis facere intentionem, & sic simile aget in simile; vel non, sed in eodem subiecto plurificari propter diuersitatem, quam habent sicuti species Petri, & species Pauli existentes in aere Et neque, hoc tũ quia lumen in corpore reflectente cernitur intẽsius: tum etiam, quia si argumentum ad reflexionem aliarum qualitatum transferatur, hæc solutio non habet locum. ergo &c.

28 Alij Respondent quartò: intẽsiorem reflexionis lucis causari à luce existente in corpore reflectente. Sed contra est, quia contra ipsam lucẽ, quã habet in sè corpus reflectens instauratur difficultas. Siquidem ea est intensior luce existente in aere, qui inter solẽ, & dictum corpus intercipitur, vel ergo lux aeris hanc maiorem intensionẽ lucẽ, producit & simile potest agere in simile: vel sol, & sic datur actio indistans. Linquo in puncto reflexionis reperiri etiam intẽsionem lucẽ quã in aere qui est inter corpus reflectens, & punctũ ipsũ, & sic redire ex hoc etiam capite argumentum.

Hinc alij Respondent quintò: causam productiuam luminis intensioris esse ipsum corpus reflectens in quo fit reflexio v. g. speculum, aquam &c. Quamuis enim huiusmodi corpora si secundũ sè sumuntur non sint causatiua luminis: sunt tamẽ, si lucẽ aliqua directa secũdentur, ad eũ plane modum, quo piper, & vinum formaliter calefacta incipiunt intensiorem calorẽ in stomaco producere eo, quem habuerũt ab ipso stomaco in sè causatũ.

Sed neque hæc responsio satisfacit, quia ad philosophandum hoc modo de corporibus reflectentibus nõ habemus eam necessitatem, neque eam probabilitatem, quam habemus in pipere, & vino; & quidem quantum ad necessitatem ex nostra responsione patebit, in qua assignabimus causam productiuam intensioris luminis; absque eo, quod ad occultas istas potentias productiuas recurramus. Quod vero attinet ad probabilitatem spectat primo, quia non solum Chrystallus, & aqua sed etiam alia corpora sunt aliqualiter reflexiua luminis, vt paries, terra &c. Atqui non est probabile, quod in omnibus corporibus vis illuminatiua reperiatur. ergo &c. Secundo, quia præter lucem etiam aliæ qualitates actiuę reflectuntur. Faciamus ergo, quod corpus à quo fit reflexio caloris v.g. sit frigidissimum nimirum terra, vel marmor. Quis credat dicta corpora habere virtutem producendi in sè calorem illum reflexum? cum enim hęc virtus directe tendat ad producendum qualitatem contrariam dispositioni huiusmodi corporum: manifeste colligeretur, quod ipsa corpora per sè ad sui destructionem inclinarent, quod esse absurdum ex dicendis patebit.

Sexta Responsio potest esse Mauri *lib.* 3. 29 *quæst. philosophicarum quæst.* 33. *versu quantum ad tertium*, vbi concedit in illuminatione per actionem reflexam simile agere in simile quo ad intensionem, sed non quo ad directionem, vtrumque probat; & primum quidem, quia licet punctum concursus sit æque illuminatum ac partes medij, per quas transeunt radij reflexi: ad huc huiusmodi radij augent lumen in eodem puncto, & sic simile agit in simile quo ad intensionem. Secundum vero, quia maius illud lumen, quod supponitur habere punctum concursus non est cum directione radiorum ad ipsum. Ideoque radij luminis post punctum concursus statim diuariantur, & vnus quisque radius propagat sè iuxta directionem suam. ergo simile non agit in simile, quo ad directionem. Verum hæc etiam doctrina displicet, quia si semel habemus, quod radij reflexi sunt in intensione similes omnes v.g. intensi vt quatuor, non potest assignari vnde eis proueniat maior illa virtus producendi in puncto reflexionis quintum gradum luminis. Si enim maior densitas, & maior quantitas non intendunt, vti vidimus, potentiam agentis supra gradum suum, multo minus diuersitas directionis intendet, dico multo minus, quia potius similitudo directionis deberet virtutem radiorum augere supra gradum intensionis, quem habent si posset, quam diuersitas. Hæc enim est natura sua dissipatiua virtutis. Contra vero illa est vnitiua. Virtus autem vnita fortius operatur. 30

Septima Responsio est Lincei *lib. 6. physiract. 2. cap.* 7. vbi post quam dixit intensiorem lucem reflexam aliis putare à sola lucerna causari, alios vero à sola luce directa per aerem sparsa, nonnullos denique à sola luce directa in superficie speculi producta: subdit, se nullam ex his causis arcendam esse existimare. Ratio est quia illa causa putanda est lucem reflexam intendere, quę ne extendat vlterius directam actionem illuminatiuam à corpore obsistente impeditur; reflexa enim actio ad compensandum damnum, quod directa patitur instituta est à natura. Sed tum lux existens in lucerna, tum lux existens in aere inter medio, tum denique illa, quæ existit in extima parte speculi sublato stamneæ bracteæ impedimẽto, lucem extenderet, & actionem directã magis producerent. ergo omnes hæ causæ reflectunt, atque adeo intensiorẽ illam lucẽ producũt.

Hæc quoque responsio suas patitur difficultates. Primo quia multi putant lumen in extraneo subiecto non esse directe operatiuum, in quorum sententia cessat ratio Auctoris, cur debeat operari reflexè. ergo in hac sententia iam agens principale quantum ad reflexiuam actionem ageret indistans. Secundo, quia nullum agens

Digitized by Google

vniuocum directe se ipsum intendere potest: alioquin nullum in se haberet determinatam sphæram intensionis. ergo neque poterit aliquod se ipsum intendere reflexe propter eandem rationem. Falsum igitur est quod lumen existens in aere intermedio, & in corpore reflectente se ipsum intendat.

31 Ad hoc Respondet Linceus *n.* 53. negando consequentiam, quia falsum esse, ait, rationem, quæ militat contra actionem directam, militare contra reflexam: posito enim, quod qualitas in reflexione se ipsam intendat: eius tamen intensiua actiuitatis sphæra optimè præscribi potest si dicatur, quod agens per actionem reflexam totidem gradus intensionis in sè producat, quot per actionem directam extenderet, si non haberet impedimentum. Sed hoc effugium facile occluditur, quia omnes gradus quos per actionem directam perfectiuam extenderet agens reflexiuum si careret impedimento, essent remissiores, ea qualitate, per quam ageret. ergo horum graduum iactura non potest taxare sphæram intensiuam actionis agentis, ita vt sit mensura, & terminus dictæ sphæræ. Antecedens patet, quia supponimus actionem hanc fieri vniformiter difformiter; & quo magis extenditur, eo remissiorem qualitatem producere. Consequentia vero euincitur, quia si taxaret, maxime, quia facienda esset compensatio graduum extensiuorum per gradus intensiuos. Sed hoc repugnare naturaliter constat ex eo, quia si supponamus speculum reflectens habere lumen, vt septem debemus asserere, quod si ex parte posteriore non haberet impedimentum laminæ ex argento viuo constructæ extenderet vtique v. g. actionem suam per decem passus; ita, vt in aliqua parte siue aliquota, siue proportionali huius sphæræ produceret lumen, vt sex cum dimidio. Si igitur ex eo, quod inueniat impedimentum totidem gradus intensionis in sè producit, quot per actionem directam extenderet: iam eius intensio vsque ad decimum tertium gradum cum dimidio deberet excrescere; quod est manifeste falsum. Quod si velit Lynceus in sphæra directa non attendendum esse ad intensionem, sed ad solam extensionem: explicare debuisse proportionem, quæ seruetur à natura inter extensionem luminis directe producendi, & intensionem reflexe producti, an scilicet cuilibet palmo extensionis correspondeat vnus, vel dimidius gradus intensionis, vel potius cuilibet vlnæ? quodcumque tandem ad libitum dixerit, profecto idem omnino sequeretur incommodum, à quo se tueri hac responsione procurat. Nam si dicamus ad mille passus Crystalli actionem extendendam fuisse, & cuilibet centenario passuum vnus gradus intensionis respondere deberet: vtique ad septem gradus luminis, quę supponeretur habere Chrystallus per actionem directam, addendi essent alij decem gradus per reflexam; & sic Chrystallus esset illuminata, vt septem decim, atque adeo nulla daretur intẽsionis sphæra determinata, & nullus terminus intẽsionis & per hæc patet respõsio ad rationem Auctoris.

32 Octaua responsio, est Hurtadi *disp. 9. phys. sect. 9.* qui distinguit inter lucem in corpore reflectente productam, & illam, quę per secundam actionem incipientem ab ipso corpore efficitur in aere; & primam quidem dicit fieri à sole per actionem directam, qui cum inueniat corpus illud v. g. speculum magis dispositum, quam aerem, non est mirum si per primam actionem intensius agat in corpus illud, quantumuis remotius, quam in ipsum aerem; actio enim vniformiter difformis tunc fit, quando sunt cætera paria, quod non habetur in casu nostro. Porrò secundam actionem dicit prouenire ab *intensiori lumine* in corpore obsistente producto, & per hanc nunquam produci in aere lumen intensius.

Sed contra hanc solutionem facit, quia aer inter solem, & Chrystallum inter iacens est magis capax lucis, quam ipsa Christallus; debebat ergo per primam actionem sol illuminare illum tam intense, quam Chrystallum, quæ remotior erat. Consequentia patet paritate. Antecedens suadetur, quia aer est magis diaphanus, & purius transmittit lucem, vt patet ex Chrystallo supra cartã posita, quæ illam reddit obscuriorem quantum vis limpidissima sit: quam solus aer. Deinde cur sol per primam actionem non produxit tantum luminis in aere, quantum per secundam actionem aer acquirit? illius enim iam capax est, & nil prohibet. Falsum igitur est, quod ideo producit sol in Chrystallo per primam actionem plus luminis, quia reperit in ea capacitatem ad illud.

SECTIO QVARTA.

Examinatur Responsio Ouiedi.

33 NOna denique responsio est Ouiedi, qui *controu. quinta de Gener. puncto* 2. §. 2. docet lucem reflexam in aere receptam simul causari à luce directè in corpore reflectente producta, & à luminoso principali. Quamuis enim, inquit, lux directe producta in obsistente sit minus intensa ea quę reflexe produci debet in aere. Quia tamen ea non agit reflexe, nisi quatenus facit vnum principium cum luce existente in principali agente, quę procul dubio est multo intensior ea, quæ per reflexionem produci debet in aere: ideo non sequitur, quod simile agat in simile, sicuti neque quando calidum, vt octo producit quintum gradum caloris in calido, vt quatuor, quamuis ad illum producendum concurrant vna cum reliquis quatuor primi gradus, secundum quos agens est simile passo; quod si quæras ab hoc Auctore, cur sol cum speculo distante producat reflexe lumen in partibus aeris speculo proximioribus, & non cum alijs partibus aeris directe illuminatis. Respondet rationem huius rei desumendam esse ex densitate speculi, quę est causa, vt speculũ plures habeat partes extẽsiuas luminis, & magis vnitas; ex his enim sol determinatur ad intẽsius reflexe agendum, in aerẽ, eumque magis illuminandũ. At vero aer vtpote rarior paucioribus partibus entitatiuis luminis præditus est, & ideo nequit earum beneficio determinari sol ad reflexe agendum in ipsum speculum.

Ve-

Digitized by Google

34 Verum neque hæc responsio quidquam solidi-
tatis affert. Eam impugno primo supponendo so-
lem per actionem directam produxisse E. G. in
aere, qui est proximus speculo tres gradus lumi-
nis; in ipso vero speculo, vepote remotiore duos
tantum; tum sic lumen intensum, vt tria existens
in aere non valet determinare solem ad produ-
cendum in speculo vna cum ipso, tertium gra-
dum luminis. ergo neque lumen intensum, vt
duo existens in speculo valebit determinare eun-
dem solem ad producendum vna cum sè ipso in
aere quartum gradum. Antecedens supponitur ab
Auctore tamquam certum *n.* 18. Consequentia
vero probatur. Quia non minus facere debet ter-
tius gradus luminis existens in aere, & maior
vicinitas eius ad solem, ad determinandum ipsum
solem in ordine ad productionem tertij gradus
in speculo: quam multiplicitas partium intensa-
rum, vt duo tantum existentium in speculo remo-
tiore soli, ad determinandum ipsum solem in or-
dine ad productionem quarti gradus in aere. Hæc
enim multiplicitas partium etiam si in infinitum
augeatur, cum non attingat perfectionem ipsius
quarti gradus; materialiter tantum ad eius pro-
ductionem facere potest. Contra vero tertius
gradus continet formaliter perfectionem tertij.
Vnde formaliter etiam ad eius productionem
conducit. Quod si dicat raritatem aeris impe-
dire ne ipse possit determinare solem ad hoc,
vt vna secum tertium gradum producat in spe-
culo.

35 Contra etiam est secundo: inferioritas gradus
secundi non impedit multiplicitatem entitati-
uam partium in speculo ne ipsa possit determina-
re solem, vt secum vna producat quartum gra-
dum in aere. ergo neque raritas aeris impediet
tertium gradum eius ne determinet solem, vt se-
cum vna producat tertium alium in speculo.
Quemadmodum enim obijcienti imbecillitatem
virium formalium, quam habet lumen, vt duo ad
producendum lumen, vt quatuor Auctor confu-
git ad multiplicationem partium materialium; &
ad virtutem, quæ est in sole. Ita multo magis
obijcienti raritatem aeris possum ego confugere
ad formales vires ipsius aeris, & ad maiorem vi-
cinitatem, quam habet ad solem, quem deter-
minare ad agendum debet, vt sè cum agat. Vnde
sicuti constat in casu nostro aerem non produce-
re directe in speculo vna cum sole lumen vt tria:
sic etiam certum esse debet neque speculum pro-
ducere reflexe in aere vna cum sole lumen, vt
quatuor.

Contra denique est tertiò: quia in reflexione
36 non solum producitur intensior lux in aere vici-
no speculo, sed etiam in ipso speculo reflectente.
Sed hæc Quiedi responsio non explicat à qua
causa proueniat excessus ille lucis productæ in
speculo. ergo non est admittenda. Maior patet
experientia, & consequentia videtur certa, quia
illi causæ attribuenda est reflexio, quæ fit in ae-
re, cui attribuitur illa, quæ fit in speculo; nam
reflexio aèrea est pars reflexionis specularis, vt
patet. Minor ergo probatur. Non enim potest
dicere, primo, quod proueniat ab eodem causa;
sic enim lux producta directe in speculo partiali-
ter, prout videlicet faceret vnũ principium pro-
ductiuum cum luce solis intenderet sè ipsum,
quod falsum esse patet. Quamuis enim par-
tiale agens cum alio fortiori cooperari possit ad
intendendum similem formam in alieno subiecto,
at non in se ipso, quod quidem, vt ipsemet
Quiedus facetur ingenue *sect. præcedente n.* 15.
nobis à posteriore innotescit. Neque potest dici
secundo, quod à sola luce solis proueniat. Quia
sic deberet asserere speculum in reflexione sè ha-
bere tamquam puram conditionem, qua posita
sol produceret maius lumen in partibus remotio-
ribus, quam vicinioribus sibi. Atqui hoc coinci-
deret cum sententia Arriagæ quam ipse *n.* 12. ex-
presse tanquam omni fundamento destitutam re-
ijcit. ergo &c.

Duo ipsemet Auctor quantum ad hanc ma-
iorem lucem in corpore reflectente apparentem
asserit. Vnum est dici posse huiusmodi corpus
nullam habere lucem reflexam, quod si cum ma-
iori luce percipiatur, vel hanc esse illam, quæ
vere in vicino in aere existit, vel illam quę exi-
stit in sole, quæ per specierum reflexionem vi-
detur in ipso speculo, sicuti videtur homo quan-
do eidem speculo obijcitur. Alterum vero, quod
vere in speculo lumen per reflexionem intenda-
tur: hęc vero intensio causetur à lumine produ-
cto in aere per actionem reflexam ex ipso spécu-
lo, & ex sole procedentem.

Sed neutrum satisfacit. Non primum, quia li- 37
cet verum sit intensiorem illam speculi lucem,
quæ intuentium oculos perstringit, magna ex par-
te esse eandem, quam sol habet in se; cum hoc
tamen stat in reflexione eius lucem reddi magis
intensam; quod constat tum paritate aliarum
qualitatum, quæ reflectuntur: hæ enim semper in-
tensiores sunt in corpore reflectente, quam in
medio, vt patet in calore, in speciebus inten-
tionalibus, & cæteris: tum ratione à priori si-
quidem ex vna parte speculum habet dispositio-
nes recipiendi in sè actionem reflexam solis, ex
alia vero nullum est impedimentum. Nam si,
quod esset maxime distantia, sed hanc non obstare
actioni reflexæ patet ex lumine per eam produ-
cto in aere sibi vicino. ergo &c. Neque satisfa-
cit secundum; nam si speculum directe illumina-
tum, vt duo, intendit simul cum sole lumen, vt
tria, quod erat in aere, vsque ad quartum gra-
dum; & aer illuminatus, vt quatuor, iterum in-
tendit lumen speculi, vt tria: poterit rursus spe-
culum illuminatum, vt tria iterum vna cum so-
le reflectere in aerem; & illum illuminare, vt
quinque. Sed hoc est absurdum nam; inde sequę-
retur, quod speculum, & vicinus aer possent se
inuicem intendere ita, vt lumen aeris ad minus
crescęret, vsque ad septimum gradum, speculi
vero vsque ad sextum, quod est manifeste con-
tra experientiam. ergo &c.

Duas etiam ad hanc instantiam responsiones 38
affert Quiedus *n.* 23. vna est nullum deduci ab-
surdum, ex hac sepius iterata reflexione corpo-
ris obsistentis in aerem, & aeris in ipsum cor-
pus obsistens; non enim infertur, inquit, in in-
finitum processuram. Sicuti neque si simile ageret
in simile, vt probauit puncto præcedęti: quamuis
autem aliud sit absurdum, quod inferatur à nobis
in argumento posito: videtur tamen ei eadem

Digitized by Google

solutio adhibenda, quam Auctor adhibet absurdo ex infinitate deducto. Ait enim *num. 13.* præcedentis sectionis ex actione similis in simile non sequi dictum absurdum, eo, quod semper actio decrescit, & post quam ad productionem intensionis infra minimum operandum requisitam perueniret, non posset vltra procedere.

Verum hæc solutio dato, quod soluat argumentum processus in infinitum contra actionem similis in simile: non tamen nostrum contra reiteratam actionem illuminatiuam speculi, & aeris. Quod sic breuiter ex dictis euinco. Quia, vt ipse se explicat, loco citato, actio hoc modo decrescit, quod calor, vt quatuor producit calorem, vt tria; calor autem, vt tria, calorem, vt duo, calor vero, vt duo calorē, vt vnū hic deniq; calorem, vt dimidium, qui supponitur habere intensionem infra minimam ad operandum requisitam. At non potest sic discurrere in casu nostro. Nam ipse vult; quod licet prima actio reflexiua procedat à speculo, quod supponitur habere lumen, vt duo, tamen est productiua in aere vicino quarti gradus luminis beneficio principalis agentis, à quo etiam procedit. ergo per eum hæc actio non decrescit respectu luminis speculi, quamuis autem secunda prouenies ab aere habente lumen, vt quatuor, decrescat nil obstat, quia non debet producere in speculo nisi tertium gradum, quo producto speculum sicuti habens lumen, vt duo, determinauit solem ad producendum in dicto aere quartum gradum; ita nunc determinabit illum ad producendum quintum; & quia aer eandem decrementi proportionem seruat producendo in speculo quartum gradum, ac antea producendo tertium: poterit illum vtique producere; & sic deinceps vsque dum aer erit illuminatus ad minimum, vt septem, & speculum vt sex, quod falsum esse patet, quia multo intensius lumen producit sol in cœli partibus sibi vicinis, quam in nostro aere per reflexionem.

89 Altera responsione negat Quiedus sequelam, qua colligebamus, quod si speculum reflectens intenderet lumen in aere, & aer iterum lumen in speculo, deberet rursus speculum, lumen aeris magis intendere; & duplicem negationis rationem assignat. Prior est, quia speculum post quam lumen reflexum recipit ab aere, est minus eo illuminatum, & sic ratione sui illum illuminare nequit; quod neq; possit ratione solis quem determiner, constat; quia iam in prima reflexione densitas speculi hāc præstitit determinationem. ergo non potest secundo illam præstare. Posterior vero ratio est quia lux, quam acquirit speculum per primam reflexionem ab aere procedentem est valde exigua. ergo inepta ad nouam determinationem præcipuo luminoso præstandam. Non est igitur mirum si speculum iterum non reflectat in aerem.

Quod vero, neque hęc secunda solutio procedat, constare potest ex inefficacitate rationum quibus nititur. prior enim bene quidem probat speculum ex eo quod remissius illuminatum est, quam aer non posse ratione sui in illo, secundo reflectere: male tamen non posse ratione solis eum determinando. Quamuis enim eius densitas in prima reflexione solem determinauit: non est cur nequeat in secunda. Si quidem neque est prorsus idem determinatiuum, neque ad idem omnino determinat. In prima enim erat densitas speculi, vt fœcundata lumine, vt duo, quæ determinabat solem ad producendum in aere quartum gradum luminis; In secunda vero est densitas speculi, vt fœcundata lumine vt tria, & debet determinare solem ad producendum in aere quintum gradum luminis, quemadmodum ergo si ab initio speculum per directam actionē fuisset illuminatum, vt tria, & aer, vt quatuor: speculum per suam densitatem determinasset solem ad quintum gradum luminis in eo reflexe producendū. Ita etiam debet illum determinare ad eundem gradum, dum per reflexam actionem supponitur esse illuminatum, vt tria, nulla enim in hoc potest assignari disparitas.

Quantum vero ad posteriorem rationem adi- 40
net, nihil addam. Constat enim ex dictis speculum accepisse ab aere illuminato, vt quatuor, tertium gradum luminis. Quod autem hic non sit valde exiguus, & consequenter ineptus ad nouam determinationem prȩcipuo luminoso præstandam, patet ex eo, quia hic tertius gradus constituit speculum in eadem proportione cum aere, in qua erat quando habebat duos tantum gradus luminis, sed tunc speculum non habebat lumen exiguum, & ineptum ad determinandum solem, vt vna secum ageret reflexe in aerem. ergo neque nunc. Minor. et consequentia patent. Maior vero declaratur. Quia quando speculum habebat duos tantum gradus, respiciebat aerem, vt illuminandum per quartum gradum, sed dum postea respicit eundem aerem, vt illuminandum per quintum gradum, iam supponinitur accepisse ab eodem aere tertium. ergo iam est constitutum in eadem proportione cum aere, in qua erat quādo habebat duos tantum gradus luminis. Cum igitur aliunde constet vnum gradum acquisitum à speculo non esse infra minimam intensionem ad operandum requisitam: manifeste deducitur, quod si aer illuminatus, vt quatuor, intendit, vt tria lumen speculi, iterum speculum debet reflectere quintum gradum luminis in ipsum aerem, quod ab auctore in hac via negatur.

SECTIO QVINTA.

Affertur nostra Responsio ad Argumentum ex reflexione ductum.

42 ALiorum igitur Responsionibus prætermissis, Respondeo ego ad difficultatem cum distinctione, & quidem si loquamur de reflexione, quæ sine vlla virtutis existentis in agente collectione fit: dico verum esse, quod plus luminis producatur in corpore opaco actionem impediente, quam in aere inter corpus hoc, & solem contento; augmentum tamen hoc à sole dumtaxat; non autem ab aere, ne partialiter quidem concurrente produci; vt patet ex Aristotile *8. phys. tex. 32.* vbi docet motum reflexum pilæ non fieri à corpore motum directum impediente; sed à proijciente illam; in hoc autem nego quod detur actio in distans solis. Quamuis enim ve-

Digitized by Google

verum si agens per directam actionem intensius operaretur in partes remotiores, quam in proximiores; ageret indistans; falsum tamen est id; agendo per actionem reflexam, quia hæc habet vim actionis secundæ incipientis a corpore obsistente posito tanquam pura conditione; per secundam autem actionem potest agens plus operari indistans, quam in propinquum, vt diximus supra. Porrò ad secundam istam actionem incipiendam sufficit, vt detur corpus impediens primam; sic enim fit, vt virtus solis, quæ alioqui diffunderetur ad maiorem sphæram retrocedat, & fortius, atque intensius operetur; inquantum ratione talis impedimenti melius ad agendum, ibi, vbi prius agebat, applicatur. Nego tamen, quod maius lumen producatur in puncto dictæ reflexionis, quam in corpore reflectente, & addo nullam experientiam ad hanc maiorem intensionem probandam afferri posse, ita enim incipit actio reflexa solis à pariete, vel à plano speculo directam illius actionem impediente; vt vniformiter difformiter extendatur producendo, maius lumen in partibus corporis impedientis, seu propinquioribus ipsi corpori: quam in remotioribus. Contrario modo sè habens, ac directa, quæ intensius operatur in partes propinquiores soli, quam in remotiores.

42 Iam vero: si sermo sit in principali argumento de reflexione, quæ fit cum virtutis collectione, verum quidem est id, quod in eo assumitur, quod nimirum plus luminis producitur in corpore opaco à quo incipit actio reflexiua, quam in aere inter dictum corpus, & solem intercepto; & plus item in puncto reflexionis, quam in dicto corpore opaco, & in aere, qui inter vtrumque interiacet. Vterque aut luminis excessus producitur à sole per actionem reflexam, & de eo quidem, quod est in corpore reflectente dictum est paulo ante; de illo vero, quod in puncto reflexionis philosophandum est eodem prorsus modo quo de eo quod in puncto refractionis producebatur, solum addo, quod ista actio reflexa etiam si incipiat a corpore opaco directam actionem impediente, id fit quidem vniformiter difformiter; non tamen ita, vt plus luminis producat in partibus vicinioribus ipsi corpori, quam in remotioribus; sed contrario modo se habet; quo magis enim à corpore reflectente recedit actio, & ad punctum concursus seù reflexionis accedit; sol eo intensius operatur. Ratio autem huius rei petenda est ex dictis supra, quo magis enim solares radij à speculo parabolico egrediuntur, eo magis constringuntur ac inter sè vniuntur, vnde est, quod virtus ipsius solis magis colligatur, &
43 ad passum strictius coarctetur, ac per consequens, quod ibi etiam intensius operetur.

Instabis primò: contra traditam solutionem. ex illa sequitur, quod si actio solis impediretur a vacuo, eodem prorsus modo reflecteret, ac nunc dum parietem, vel aliud simile corpus densum offendit. Sed hoc non videtur dicendum. ergo &c. sequela probatur, quia corpus obsistens non debet agere. ergo siue sit vacuum, quod obsistat, siue solidum nil refert.

Respondeo concedendo sequelam propter traditam rationem: neque video, quid absurdi in ea contineatur, vel ex illa sequatur.

Instabis secùdo ex Oviedo *controu. 5. puncto 2.* 44 ex nostra sententia sequi: quo magis præcipuum agens impeditur corpore obsistente, magis reflexurum, quod falsum esse constat, ex eo, quod magis impeditur sol pariete opaco, in cuius partibus extimis tantum lucem produxit, quam in Chrystallo diaphana, in cuius partes profundas lucem effundit: & tamen constat maiorem esse reflexionem obsistente Chrystallo, quam pariete.

Respondeo luminis reflexionem, ita prouenire à principali agente posito corpore obsistente, tamquam conditione, vt huius terfitas perspicuitas, & similia adiuuent dispositiue principale agens ad validius reflectendum. Quare ad instantiam distinguo sequelam, & si quidem cætera sint paria eam concedo: si non sint paria, nego: & ad probationem in contrarium dico Chrystallum magis reflectere, quam parietem eo quod ex vna parte plures habet dispositiones, quam paries: ex alia vero non minus impedit actionem directam solis; habet enim à tergo argentum viuum, quod omnium corporum opacissimum esse constat ex eo, quia eius bractea vtitur ars specularia ad reflexionem in speculis faciendam: quod si Chrystallus caret aliquando argento viuo, & tamen reflectit; dico eam habere aliquid opacitatis, quæ coniuncta cum alijs qualitatibus, magis eam disponit ad receptionem intensioris luminis, quam maior opacitas Parietem: per quæ patet discrimen, quod inter nostram, & Hurtadi sententiam intercedit; ille enim volebat solem intensius agere directe in speculum, quam in vicino aère, quia plures dispositiones in illo inuenit, quam in hoc; quod autem nos falsum esse demonstrauimus. Sed in præsentia addimus ex suppositione, quod actio directa solis in corpus obsistens incurrit: ex eo actio reflexa incipere debeat, cum hac differentia, vt quo corpus ipsum obsistens plures habet dispositiones ad lumen in se recipiendum, si cætera sint paria, intensius reflexè illuminetur, quam illud, quod pauciores.

Instabis denique tertiò principaliter: si ratio 45 quare Chrystallus adeo reflectit est, quia densa est, & diaphana, ac retro habet corpus opacum, quod impedimento est soli ne directam suam actionem longius diffundat: sequeretur, quod etiam aer deberet reflectere posito, quod haberet à tergo simile corpus opacum, & esset eodem modo directus soli, ac speculum. Sed experientia constat hoc falsum esse. ergo &c.

Respondet Arriaga *n.* 153. hanc difficultatem esse eandem cum ea, qua quæritur, cur in Chrystallo fiat reflexio specierum visualium, non autem in aere; quantumuis similiter terminato. Rationem autem vtriusque addit esse, quia qualitates vt reflectantur, exigunt discontinuari à corpore per quod directe venerunt. Quod si vlterius quis petet, quid huiusmodi discontinuatio reflexioni inseruiat, vt exigatur ab ea tanquam conditio necessaria ad hoc vt fiat? Respondet *n.* 154 rationem esse, quia cum in corpore discontinuo v.g. in speculo per modum totius

accep-

Digitized by Google

accepto qualitas directe producta incipiat existere, nihilque vlterius producere possit, iusse exigit reflecti supra aerem ne sine omni prorsus actione remaneat; at vero hæc ratio non militat in corpore protenso, & non discontinuo nimirum in aere. Quia qualitas in eo directe producta iam aliquid operata, est ideoque, quasi iam non ita propendens ad nouam actionem, non exigit reflecti.

At, vt verum fatear, improbabilis mihi videtur esse responsio, & improbabilior eius ratio. Responsionis improbabilitatem tripliciter suaderem primo ad hominem; si quidem Auctor paulo ante *num. videlicet* 150. interroganti, cur speculum indirecte solem aspiciens geminam sui faciat reflexionem in pariete? Respondet id prouenire à duabus superficiebus seù partibus speculi superiore videlicet versus solem, & inferiore versus bracteam. Vtraque enim eo ipso quod non obijcitur soli eadem via, suam quælibet reflexionem facit. Tum sic: superficies seu pars inferior speculi est continuata cum prima, & tamen speciali sua reflexione reflectit in ipsam primam per quam lumen directe productum acceperat: ergo falsum est, quod qualitas vt reflectatur exigit discontinuari à corpore per quod directe venerat. Secundo vero, quia si relinquamus inter Chrystallum, & bracteam spatium digitale v. g. vtique hoc ne detur vacuum, replebitur aere, & quidem discontinuato ab alio aere, per quem actio solis directa procedit; potest enim ita hoc spatium vndique concludi, vt eandem continuationem inter vtrumque aerem interrumpat; atqui constat aerem, qui hoc spatium replet non facere reflexionem. ergo non ideo aer continuatus non reflectit, quia reflexio exigit tamquam conditionem discontinuationem à corpore per quod actio directa transierat. Tertio denique, quia non minus astra reflecterentur si vnum tantum esset cœlum: & ipsa in eius crassitie tamquam rudi in tabula continerentur immobilia. ergo idem, quod supra.

46 Deinde, quod attinet ad rationem: do Arriagę, quod qualitas, vt reflectatur discontinuationem à corpore per quod directe processerat exposcat. Nego tamen rationem huius esse, quia in hunc modum dicta qualitas dispendia actionis directæ compensat, quod sic probarem: quando Auctor asserit discontinuationem corporis v. g. speculi, reflexionem inducere ne lumen in eo productum sine omni actione maneat, vel loquitur de lumine producto in speculo per actionem directam, vel de lumine producto per actionem reflexam. Neutrum dici potest. ergo nulla est ratio assignata pro discontinuationis necessitate. Maior patet. minor probatur, & quidem, quod non possit esse sermo de lumine per directam actionem producto in speculo, patet, quia in sentẽtia Auctoris vt constat ex *n.* 143. maior intensio in reflexione speculari ab ipso sole immediate producitur, posita, tanquam conditione, existentia Chrystalli. ergo non causatur à lumine producto in Chrystallo per directam actionem. Non ideo igitur requiritur corporis reflectentis discontinuatio ad reflexionem, vt qualitas per directam actionem in eo producta habeat ius reflectendi actionem suam, ne penitus omni actione destituta remaneat; non enim est illa à qua actio reflexa procedit, sed sol. Ex quo sequitur lumen illud directe productum in speculo sine absurditate remanere in fœcundum, absque, eo quod dispendia actionis vlterius extendendæ reflexæ compensat. Quod vero neque possit esse sermo de lumine producto in speculo per actionem reflexam, est etiam euidens, quia discontinuatio assignatur ab Auctore tãquam conditio illius actionis reflexæ per quam in Chrystallo producitur lumen intensius eo, quod per directam productum est. Sed modo assignatur, vt conditio actionis reflexæ per quam intensius lumen producitur in aere ab ipso Chrystallo, lumine per reflexam actionem acquisito in priori naturæ fœcundata. Porrò neque ad lumen reflexè producendum in aere, hanc discontinuationem necessariam esse suadetur, quia hoc ipso, quod speculum supponitur recepisse à sole lumen notabiliter intensius, quam sit in aere inter sè, & solem inter iacente, siue aer ponatur facere vnum continuum cum ipso speculo, siue non, semper sequitur, quod speculum aliquid luminis debeat in illo reflexè producere. Quoties enim datur virtus actiua debite approximata subiecto capaci, debet sequi necessario actio, etiam si subiectum faciat vnum continuum cum eo, quod dicta virtute actiua præditum est, vt de se constat. Igitur hæc discontinuatio neque potest esse conditio illius actionis reflexæ per quam producitur secundo lumen in speculo, neque illius per quam producitur secundo in aere.

Quare hac responsione prętermissa melius 47
ego responderem rationem, ob quam aer terminatus bractea stamnea, & soli directe expositus non reflectat, esse quia valde rarus est, atque mollissimus: contra vero speculum est densum, & solidum. Quod si vlterius quæras cur raritas aeris, & magna eius teneritudo reflexionem solis impediat: contra vero densitas speculi atque durities eam adiuuet: dico id prouenire ex eo, quia cum sol incipere debeat suam secundam actionem à corpore reflectente, eius dispositionibus sè accomodat, easque tanquam regulam suę nouæ actionis, quo ad intensionem accipit. Quoniam vero experientia constat, quo corpus aliquod diaphanũ, rarius est & mollius, eo minus accommodatum esse ad luminis productionem, vt patet ex igne in propria sphæra commorante, qui nihil luminis producit, & ex flamma tenuissimę materiæ applicata, quæ malignam lucem reddit: hinc fit vt sol habens pro corpore reflectente aerem qui de sè est in eptissimus propter dictas rationes ad producendum lumen, illi sè accommodet: & vel nullam, vel minimam in eo reflexionem faciat, quamuis argenti viui bractea terminatum illum inueniat. Loquor In hoc distinctiue, quia puto semper in aere terminato aliquo corpore opaco, vt Pariete soli directe exposito fieri aliquam reflexionem, & quidem aliquando valde sensibilem: vnde visum lędit redditque molestam habitationem dicto parieti oppositam. At vero Chrystallus solida est, & densa, & id circo valde productioni luminis accommodata. Vnde nil mirum si sol eam bene di-

quæ

dispositam reperiens illi se accommodet, & ex ea actionem suam reflexam intensiorem incipiat: Hoc, quod dicimus, probatur exemplo motus reflexi; Videmus enim, quod quando pila suo impetu ex alto deorsum descendit, si offendat in durum, & planum lapidem, motum resilientiæ in sè causat: Contra vero si in mollem culcitram, aut lanam impingit, non resilit, nec reflexe mouetur.

Contra tamē hanc solutionem vrgebis primo: ergo in aqua, vel minima, vel nulla lucis reflexio fieri deberet, quia ea valde tenera est, & mollis.

Respondeo negando consequentiam; Quamuis enim aqua mollitie prædita sit, ea tamen talis est vt comparata cum mollitie aeris, potius durities, ac soliditas censenda sit. Vnde non est mirum, si sol reperiat in ea dispositiones ad reflexiones requisitas. Non negauerim tamen multo maiores eas in speculo reperire; & hinc est, vt si ponatur aqua tam profunda, quam Chrystallus, etiam si vtraque bractea stamnea terminetur multo maiorem reflexionem faciet Chrystallus, quam ipsa aqua.

Vrgebis iterum: ergo iam recurrimus ad den-
49 sitatem corporis obsistentis tanquam determinatiuam solis ad reflexe operandum; sed hęc est sententia Ouiedi, quam supra impugnauimus; ergo. &c.

Respodeo distinguendo consequens maioris: recurrimus ad densitatem, eo modo, quo recurrit Ouiedus nego: diuerso modo, concedo maiorem; & ad minorem dico discrimen inter recursum nostrum ad densitatem corporis obsistentis diaphani, & recursum Ouiedi latum esse; si quidem nos recurrimus ad illam tanquam regulam proximam determinantem solem ad actionem suam reflexam cum tanta, vel tanta intensione incoandam inclusiue ex ipsomet corpore ea prædito: At vero per Ouiedum, quia corpus reflectens magis densum plures habet partes cuitatiuas luminis per directam actionem in sè producti: ratione illarum determinatur sol ad agendum intensius in corpus vicinum per actionem reflexam, non sine concursu præstito à lumine existente in dictis partibus corporis obsistentis. Vnde est, quod densitas speculi in eius sententia inseruiat ipsi speculo ad hoc vt vna vt cū sole aerē intensius illuminet, nō vero ad hoc, vt intensius illuminetur à sole. Contra vero per nos inseruit speculo, vt intensius illuminetur à sole, & nullo modo ad hoc, vt ipsum speculum intensius illuminet aerem, ita vt respectu solaris reflexionis, quæ fit in speculo, & in aere, sit mera conditio.

Vrgebis denique tertiò ex eodem Ouiedo
n. 11. Densitas Chrystalli non potest esse mera 50
conditio ad hoc, vt sol maiorem lucem producat in partibus remotioribus, quam in vicinioribus. ergo. &c. Antecedens probatur: quia omnis conditio, vel ad receptionem adiuuat, vel ad actionem; sed densitas Christalli neutro modo adiuuat. Nam non est circumstantia tenens sè ex parte agentis, neque ex parte passi; ergo &c.

Respondeo negando antecedens, & ad eius probationem, concessa maiore, nego minorem. Ad cuius confirmationem dico, quod licet densitas Chrystalli vna cum cæteris proprietatibus ipsius Christalli se teneat solum ex parte passi; quia tamen, est veluti vltimum determinatiuum actionis reflexæ, quo ad intensionem, & extensionem, & actio reflexa ab ipsa Chrystallo inclusiue incipit: hinc fit, vt & ad receptionem, & ad actionem simul faciat.

DISPVTATIO
QVINQVAGESIMA NONA
DE RARO, ET DENSO.

1 QVoniam paulo ante de raritate, & densitate mentionem fecimus: æquum est, vt ex professo de vtraque specialem disputationem instituamus; cum præsertim ad hūc tractatum ea maxime pertinere videatur, in quo de generatione, & cæteris motibus, quæ ad eam pertinent, disputatur. Corpora enim generabilitati, & corruptibilitati obnoxia rarefieri, & condensari manifestis experientijs comprobatur; vt patet ex aqua calefacta, quæ maiorem occupat locum, ac antea, & ex puluere tormentario, qui si incendatur ad occupandum spatium pluſquam decies millies maius dilatatur; dubium tamen est, ad quem motum huiusmodi rarefactio, & condensatio corporum pertineat; ad alterationem ne, ita vt eorum termini sint qualitates: an vero ad motum localem. Quamuis enim non 42
possit corpus aliquod ex raro in densum, vel ex denso in rarum naturaliter mutari absque eo, quod secundum partes suas localiter moueatur, ratione cuius motus, vel extendatur ad maius spatium, si rarefiat; vel contra hatur ad minus, si addensetur: ad huc tamen videndum restat, nū præter hunc motū, aliquo alio motu moueri debeat, de quo infra. Interim enim satis est supponere cū Aristotile 4. *phys. tex.* 84. & alijs: Rarum recte definiri esse id, quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ; densum vero id, quod sub paruis dimensionibus multum habet materię, vtriusque autem definitionis exemplum sit sulphureus puluis, qui ante quam incendatur, est densus, quia in paruis dimensionibus multum habet materiæ; at si incenditur, euadit rarissimus, atque adeo in magnis dimentionibus parum habet materiæ. Quamuis enim post conuersionem remaneat sub igne eadem numero materia, quæ erat prius: ea tamen prius quidem dicebatur multa respectu parui spatij, quod replebat: postea vero dicitur parua respectu magni, cui respondet.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Rei difficultas proponitur, & tres ad eam soluendam opiniones refutantur.

1 QVod res spiritualis v.g. Angelus modo in maiori, modo in minori spatio se collocet, non videtur adeo intellectu difficile: cum enim esse debeat definitiue in loco ita, vt tota correspondeat toti spatio, & tota singulis eius partibus, facile intelligitur, quo pacto beneficio suæ virtualis extensionis secundum se totam, modo ad maius spatium extendatur, & modo contrahatur ad minus; at vero difficile est id explicare in re materiali partes extensiuas habente. si quidem hæ beneficio rarefactionis debent ita incipere occupare maiorem locum, quam antea, vt nulla existat in duplici loco, & beneficio condensationis ita incipere occupare minorem; vt nulla earum cum alia in eodem loco sè penetret: cuius rei difficultas vt facilius appareat, ponamus aquam v.g. quadripalmarem occupare locum quatuor palmorum: hæc si in duplo rarefiat, debet procul dubio occupare locum octo palmorum, non quidem ita, vt quantum sè dilatat versus vnam partem, tantum versus aliam sè restringat, sicuti contingit in coriacea, corrigea & similibus quando vi extenduntur, sed versus omnem dimensionem ita, vt secúdum omnes partes suas vndique dilatetur. Atqui non videtur, quo modo hoc fieri possit, nisi intelligatur quilibet palmus aquæ occupare duplicem palmum spatij, atque adeo esse in duplici loco, alioquin non nisi vni palmo spatij correspondebit. Contra vero si in duplo condensetur, occupabit solum spatium duorum palmorum, & quidem versus omnem dimensionem, posito quod versus omnem erat quadripalmaris; cum ergo eius partes ponantur esse quatuor palmi, necesse erit, vt duo palmi cum alijs duobus sè compenetrent; vt sic loco duorum palmorum adæquentur.

2 Ad hunc nodum soluendum, philosophi in varias abiere sententias, quarum tres in hac Sectione, reliquas in sequentibus examinabimus, & tandem nostram Deo fauente propugnabimus, obiecta in contrarium dissoluentes. Primum inter has tres locum sibi vendicat opinio quorundam veterum philosophorum, de quibus Aristoteles *quarto phys. tex.* 83. hi dicebant corpus rarescere per hoc, quod eius partes aliquantulum separabuntur ab inuicem, admittendo quasdam veluti cauitates intermedias, omnino vacuas, & nullo prorsus corpore repletas. Contra vero addensari per hoc, quod eius partes inuicem appropinquabant, vacuitates illas intermedias excludendo, ita vt quo minores vacuitates admitterentur eo densius corpus euaderet. Et si omnes penitus excluderet ad summam densitatem perueniret; & quidem, quod antiqui hac ratione philosophati sint, non est mirum. Putabant enim, non solum nullum esse absurdum dari naturaliter vacuum: sed etiam esse valde necessarium ad naturales operationes faciendas. Illud potius est mirandum recentiores quosdam, qui vacuum damnant: has tamen inanes cauitates admittere, dicēdo, quod natura illud solū vacuū abhorreat, quod propagationē naturaliū operationū impediat; quoniā vero parua vacua inter partes corporum, vsque ad certam mensuram existentia dictam propagationem minime impediunt: hinc fit, vt naturaliter huiusmodi vacua non repugnēt. Sed Contra est, quia per nullum spatium vacuum quantumuis breuissimum possunt agentia naturalia actiones suas transmittere, quia ibi existeret actio sine termino. ergo natura sicuti abhorret à magno vacuo, ita etiam âbhorrere debet à minimo. Si enim minimum permitteret, posset vtique vnum corpus aliquantulum separari ab alio, & sic corporum ad hæresccntia tolleretur. Nam hoc ipso, quod per breuissimum spatium separarentur ab inuicem, non possent amplius sè contingere. 4

Respondent, vnum corpus posse quidem separari ab alio secundum aliquas partes, non vero secundum omnes; in rarefactione autem ita partes aliquæ eiusdem corporis inter sè poros quosdam vacuos admittunt ex vno latere: vt ex alio medijs alijs partibus remaneant inter sè vnitæ. Hanc responsionem sic impugnat Ouiedus. *de Generat. contr. 7. puncto 2. num. 2.* omnes partes corporis quanti homogenei sunt eiusdem rationis. ergo si hæc pars potest ab alia separari nullo corpore interposito; illa poterit eodem modo separari ab illa alia, & sic de cæteris; & quidem ex omni latere. Verum contra hanc impugnationem facile sè tueri possent aduersarij: Distinguendo consequens: omnes aliæ eiusdem corporis partes possent inuicem separari admittendo vacuum. Et si quidem sermo esset de omnibus distributiue acceptis, concederent: de omnibus collectiue negarent, & afferrent instantias euidentes. Nam licet omnes partes quātitatis sint eiusdem rationis, nō sequitur, quod si possunt inuicē separari aliquæ, possint etiā omnes collectiue, sic licet omnes partes terræ, cęterorumque elementorumque sint eiusdem rationis, neque sequitur, quod si possunt aliquæ naturaliter corrumpi, possit etiam omnes. 5

Melius igitur dicta responsio, impugnanda videtur ex eo, quod sicut corpora corruptibilitati obnoxia, ita, & partes illorum valde indigent cœlestium corporum influxu, vt inde regantur, & conseruentur. Atqui vacuum inter partes eiusdem corporis quantumuis ex alio latere medijs alijs partibus inter sè vnitas impedit huiusmodi influxum. Non enim semper recta via possent astra dirigere actiones suas ad dictas partes, vti vidimus in physicis, cum de vacuo; ergo partes eiusdem corporis non possunt inter sè admittere cauitates vacuas ex vno latere quantumuis ex alio latere medijs alijs partibus inuicem vniantur.

Secunda sententia est eorum, qui existimant corpora addensari per penetrationem plurium suarum partium ad modum vnius: rarescere vero per extractionē et eggressum vnius partis ab alia; ita vt quoties omnes ab inuicem partes vnius corporis extractæ sunt: totes corpus illud ad summam raritatem possibilem peruenerit. Duplex enim, inquiunt, dari potest penetratio vna adæquata: ea scilicet, quæ fit secundum omnes

Digitized by Google

omnes partes : altera inadequata, quæ fit secundū aliquas tantum. Porro licet prior penetratio naturaliter repugnet: at non posterior. Talis autem de facto esset, quando corpus aliquod addensatur, quamuis enim aliquæ eius partes inuicem penetrarentur, aliæ tamen remanent impenetratæ. Hæc sententia sic explicata non bene reijcitur ex eo, quod si posset vnum corpus secundum aliquas sui partes penetrari, posset secundum omnes, atque ad indiuisibile redigi, vt quidam argumentantur; quemadmodum ex eo, quod plures partes vnius lineæ possunt inuicem penetrari, non sequitur, quod linea possit ad punctum spatij naturaliter reduci : ita loquendo de corpore possent respondere aduersarij. Melius ergo impugnatur, quia ponamus dari corpus palmare A. cuius raritas possibilis constituat illud in spatio decem palmorum, tum sic nouem palmi vnius corporis addensati possunt in hac sententia compenetrari cum decimo. ergo si ponamus corpus B. æqualis magnitudinis summe rarefactum, profecto huius nouem palmi poterunt compenetrari eodem modo cum decimo corporis A; quod est aperte contra experientiam. Patet consequētia: in tantum enim non repugnat, quod nouem palmi corporis A cum decimo eiusdem sè compenetrent, quia hæc non est compenetratio adæquata, sed neque si nouem palmi corporis B. penetrarentur cum palmo corporis A. esset adæquata compenetratio, nam adhuc vnus palmus vtriusque corporis remaneret extra nouem item vtriusquu corporis. ergo &c.

6 Dices: densitatem esse ordinatam à natura ad constituendas in eodem loco partes eiusdem corporis, non autem diuersorum, & rationem huius esse, quia diuersa corpora supponuntur habere qualitates oppositas, vnde si vnum admitteret in sè partes alterius, maxime sè exponeret actiuitati illius, nec posset eius contrarietati resistere, quemadmodum potest quandiu illud extrà sè retinet. Contra tamen est primo, quia etiam partes eiusdem corporis possunt esse contrarijs qualitatibus affectæ. ergo si natura ad vitandum illud incommodum vetuit, nè distincta corpora inadæquate sè compenetrent, debuit etiā vetare, ne inadæquate se compenetrent partes eiusdem corporis. Contra etiam secundo, quia ridiculum est asserere, quod duo palmi eiusdem rationis v.g. aquæ, vel ignis si faciant vnum corpus continuum, beneficio condensationis possent inuicem penetrari contra vero si sint diuisi, & duo corpora palmaria constituant, non possint: nil enim aliud per diuisionem acquirunt, nisi duplicem superficiem terminatiuam, quam non obstare penetrationi patet ex eo, quia inuicem penetrari naturaliter vna cum alia potest. Contra denique tertio, quia ponamus corpus bipalmare esse summe calidū in vno palmo, & in altero sūme frigidum. Constat autem huiusmodi corpus beneficio motus localis posse condensari, & ad vnum redigi palmum, & constat etiam summum calorem, & summum frigus non sentiri in toto illo palmo, neque permisceri, sed dimidium illius palmi sentiri calidum, dimidium vero frigidum. ergo fallum est condensationem fieri per penetrationem partium eiusdem corporis, & rarefactionem per extractionem illarum.

Tertia sententia est eorum Recentiorum, qui cōtinuum ex indiuisibilibus compositum esse defendētes addunt huiusmodi indiuisibilia licet formaliter sint inextensa: virtualiter tamen sunt extensa in ordine ad spatium, quatenus, quodlibet ex eis potest spatium extensum, ac diuisibile occupare, ad eum plane modum quo Angelus non obstante, quod secundum suam entitatem indiuisibilis est, potest spatio diuisibili coexistere, & intra certā mensuram, quam cuiuslibet natura sibi vendicat, modo intra maius, modo intra minus spatium sè reponere. Hoc supposito dicunt: corporis rarefactionem fieri per hoc, quod eius indiuisibilia, quæ antea occupabant minus spatium, intumescant, & sic maius occupent: condensationem vero per hoc, quod eius indiuisibilia, quæ prius erant turgida, ad minus spatium contrahantur. Quod si corpus habebit omnia indiuisibilia adeo inflata, vt salua eorum natura non possint amplius dilatari: tunc erit summe rarum. Contra vero si habebit sua indiuisibilia adeo restricta, vt non possint ad minus spatium coarctari v.g. quodlibet punctum puncto dumtaxat spatij correspondeat: tunc corpus ad summam densitatem peruenerit. 7

8 Contra hunc modum explicandi rarefactionem, & condensationem corporum multi sequuti Hurtadū, & Arriagam *locis citatis* ab Ouiedo *puncto tertio* magno impetu inuehuntur, sed vt verum fatear eneruiter. Nam ex suppositione, quod continuum ex indiuisibilibus componatur, & quod indiuisibilia quantitatiua ita virtualiter extendi possint, vt spatio diuisibili coexistant: sufficientissime hæc sententia nodum difficultatis initio propositum dissoluit, & modum, quo rarefactio, ac condensatio corporum fiat, summa facilitate declinat. Nullo igitur alio meliori modo hæc explicatio reijcienda videtur, nisi ostendendo vtramq; suppositionem, cui vnice innititur, falsam esse, quod nos in physicis ad satietatem præstitimus, probantes cum Aristotile continuum componi ex partibus diuisibilibus in infinitum. Nullumque indiuisibile corporeum posse esse virtualiter extensum, & spatio diuisibili coexistere. Alioquin dici posset quodlibet corpus quantumuis ingenti molē prædium, esse formaliter indiuisibile, & virtualiter solum, quo ad spatium diuisibile: ita vt si diuidatur, nihil illius remaneret, sed conuertatur in alia duo corpora, quorum extensio simul sumpta vnicæ extensioni illius correspondeat; sicuti dicunt huius sententiæ patroni casu, quo indiuisibile tumidum diuideretur. Neque contra hoc facit, quod videamus corpus secundum diuersas partes spatij, quod replet, diuersis accidentibus affectum esse, tum quia de indiuisibili turgido in sententia aduersariorum idem affirmari debet, quod scilicet in aliquibus indiuisibilibus spatij ex ijs, quę occupat, sit v. g. frigidum, in alijs vero calidum &c. tum etiam quia in omnium sententia idem dicitur de anima rationali

SECTIO SECVNDA

Quarta opinio de corpusculis examinatur.

9 OChamus *opusc. de Eucharistia*, Gabriel *in Canone sect.* 45. Valleſcius *quarto phyſic. sex.* 84. & alij conueniunt ex parte cum antiquis, dū dicunt rarefactionem, & condenſationem corporis fieri per mutationem in cauitatibus, ſeu poris eiuſdem corporis: ita, vt rarefactio importet ſeparationem localem partium continui: denſationē vero coniunctionem, ſeù reſtrictionem earundē partium. Differunt vero ab illis, quia abhorrent à vacuo, vnde dicunt corporis cauitates in rarefactione repleri per intromiſſionem corpuſculorum diuerſæ rationis, ac non vnitorum; & per excluſionem eorundē corpuſculorum in condenſatione reſtringi, atque intercludi. Ita vt corpus quo plura ex his corpusculis intra sè continet, eo ſit rarius, quo vero pauciora denſius. Hanc ſententiā, quæ antea multis abſurda, & ſub inſulſa videbatur, celebrem noſtra tempeſtate reddiderunt. Arriaga, & Ouiedus, qui eam totis viribus propugnandam ſuſcepere: *ille diſput. 16. phyſ. ſect.* 10. *ſubſect.* 2., hic vero *controu. 7. de Generat. puncto* 5. quorum rationes libet expendere prius, quam eam directe reijciamus.

10 Primam rationem vterque ex aliarum ſententiarum impugnatione deducit, ei autē nullo alio meliori modo poteſt ſatis fieri: quam vbi noſtrā ſententiam propoſuimus; argumenta quibus ab eis impugnatur, non eſſe concludētia demonſtrare. Secundo ſic argumentatur Arriaga *n. 196.* ex communi ſaltem apprehenſione condenſatio videtur dicere maiorem partium vnionem, Atqui maior vnio partium non poteſt fieri niſi quatenus excluſis corpuſculis extraneis, partes illæ magis vniantur. ergo &c. Minor, & conſequentia videtur certa. maiorem ſuadet ex Angelo qui etiam ſi ex Maiori loco in minorem ſe contrahat, nemo dixerit, quod condenſetur.

Scio. Ouiedum *loco citato n. po.* non approbare
11 maiorem ab Arriaga aſſumptam tanquam communiter ab omnibus approbatam; dicendo non requiri ad condenſationem maiorem partium vnionem, ſed ſufficere maiorem earum approximationem localem, ſicuti neque ad rarefactionem nouam diuiſionem, ſed ſatis eſſe ſi partes, quæ iam ſupponebantur diuiſæ localiter, ſeparentur; & corpuſculis locum cedant quia tamen ſiue dicant condenſationem fieri vno, ſiue altero modo eadem eſt difficultas. Ideo.

Reſpondeo negando, in vtroque ſenſu maiorem cum ſua probatione, ratio enim ob quam Angelus quando ex maiori ad minorem locum sè contrahit, non cenſetur condenſari, & quando ex minori ad maiorem locum ſe dilatat, non cenſetur rarefieri, ſumenda eſt ex definitione rari, & denſi: Ita enim ſe dilatat ad magnum ſpatium occupandum, vt non habeat ſub magnis dimenſionibus parum materiæ, & ita sè reſtringit ad minus, vt non habeat ſub paruis dimenſionibus multum materiæ: neque enim decet res certas rationibus dubijs, & concontrouerſis fundare, firmioribus, & vniuerſalioribus poſt habitis.

Tertio eandem ſententiam probat vterque 12
experientia ducta ex aqua. Hæc enim quando ebullit ita rareſcit, vt quaſdam faciat bullas, & quo magis ebullit; eo maiores eas facit; ſed etiam experientia conſtat huiuſmodi bullas eſſe plenas aere, ergo ea raritas fit per intromiſſionem aeris. Idem dici poteſt de oleo, vel quocumque alio liquore ita bulliente. Vnde ſic vlterius philoſophatur Arriaga *num.* 198. quando aqua valde rareſcit habet magnas bullas, & quando minus minores, ſed apparentes. ergo quando multo minus rareſcit habebit multo minores à nobis imperceptibiles.

Verum hæc experientia, vt verum fatear po- 13
tius contra Auctores, qui ea vtuntur, facere videtur. Quæro enim ex eis quando dicunt in ebullitione rarefactionem fieri per intromiſſionem aeris apparentis in bullis, vel loquuntur de rarefactione ſolius aquæ tumeſcentis in bullam, quæ conſtat ex quadam ſubtiliſſima aquæ bractea aere inflata, vel de rarefactione etiam reliquæ aquæ exiſtentis in lebete. Neutrum. ergo &c. Maior pater. Minor probatur, & quidem non poſſe agere de rarefactione aquæ in bullam tumeſcentis, patet ex eorum doctrina: dum enim noſtri eis obijciunt, ex huiuſmodi ſententia ſequi corpus rareſcere quoties aerem attrahit, atque adeo os rarefieri eo, quod inflatur; & vtres ſimiliter, ac folles quando replentur aere, quod nemo dixerit. Reſpondent vere has aeris tractiones non eſſe rarefactiones, quia rarefactio fit per minutula corpuſcula diſſecta, & in poros internos corporis rarefacti recepta, atque diſperſa, aerem vero, qui recipitur in os, vtres, & folles, non eſſe diſſectum, in corpuſcula, ſed magnam habere quantitatem, & ideo dicta corpora non rareſcere. Tum ſic: hoc etiam modo ſe habet aer in bullis incluſus eſt enim quædam notabilis portio vnica maſſa in illis congeſta, & quidem multo maior, quam ſit aqua, quæ in tenuiſſimam laminam illum contegit, & intra ſe condenſatum includit. ergo huiuſmodi aqua non poteſt dici, quod rarefiat per intus ſuſceptionem minutiſſimarum partium aeris. Quod vero neque poſſit eſſe ſermo de alia, aqua quæ eſt in lebete probatur etiam, quia partes illæ aereæ extrahuntur ex ipſa aqua, clariſſime enim conſpiciuntur conſurgere ex fundo lebetis, & vſque ad ſuperficiem extimam aquę eleuari, & denique cum bullis in quibus includuntur euaneſcere. ergo impoſſibile eſt quod per has partes aeris aqua, quę eſt in lebete rarefia. Probatur conſequentia, quia rarefactio iuxta hanc ſententiam fit per intromiſſionem corpuſculorum: condenſatio vero per eorumdem excluſionem. Sed aqua rarefit excludendo à sè dictas partes aeris. ergo hęc experientia ex bullis aquæ bullientis petita oſtendit aquam quantum eſt ex vi illarum debere potius condenſari, quam rarefieri. Linquo aquam, quæ eſt in lebete etiam quatenus contra diſtinguitur à bullis eſſe rariorem maioremque locum occupare quam antea.

Quæ-

Digitized by Google

14 Quarto ſic fere vterque diſcurrit: Negari nequit carnes viuentium, papirum, ligna, & ſimilia corpora habere poros plenos alijs minutis corpuſculis ſanguine v. g. aere, humore, & ſimilibus. ergo bene dici poteſt viuentium carnes, papirum, ligna, & reliqua corpora rarefieri per intromiſſionem corpuſculorum in poros; condenſari vero per excluſionem eorumdem corpuſculorum ab eiſdem poris.

15 Ad hoc argumentum, quod magni ſit ab aduerſarijs, facilis eſt reſponſio; Conceſſo enim antecedente, negatur conſequentia; & quidem ob duplicem rationem: vna eſt, quia non omnia corpora ſunt poroſa: pori enim ſunt foramina quædam inter partes corporis; vnde requirunt conſiſtentiam, & ſoliditatem quandam partium ad hoc, vt fiant; & hęc eſt diſparitas, quam quærit Arriaga *n.* 199. cur liceat alijs ponere poros in ferro, non vero ſibi conſtituere illos in aqua; quia nimirũ cum partes aquæ ſint valde molles, ac languidę, non habent, vnde intra sè ipſas ſe continere valeant ex aliquo latere, quin potius ex omni parte diffluant, & continuentur ad inuicem. Contra vero partes ferri, vtpote ſolidæ, ac durę, facile poſſunt in ſe ipſis ſtare, & ſic rimulas, ſeu poros quoſdam inter sè admittere. Altera negationis ratio eſt: quia dato, quod omnia fere corpora ſint his poris prædita: non poteſt tamen ſuſtineri, quod per horum dilatationem rarefiant, neque quod per horum conſtrictionẽ condenſẽtur. Patet hoc, quia euidens eſt non quamlibet partem corporis habere poros, ſed inter vnum, & alium porum admittendam eſſe partem ſolidam omni penitus poro carentem. Tum ſic: hæc pars ſi eſt carnis, vtique capax eſt condenſationis; ſi vero ferri rarefactionis, vt conſtaret caſu, quo materia vnius tranſiret ad formam alterius. Sed eius rarefactio non poteſt conſiſtere in intromiſſione corpuſculorum, nec condenſatio in excluſione illorum. Vidimus enim carere poris. ergo &c. Quod ſi dicas cum Arriaga in his poſſe fieri vi caloris de nouo.

16 Contra eſt, tum quia pori in carne humana, & reliquis corporibus, in quibus eos nouimus, ſunt certi, ac determinati, nec plurificari poſſunt: tum etiam, quia ſi pori poſſent in corpore magis ac magis multiplicari, poſsẽt fieri adeo anguſti, vt nullum corpuſculum ex his, quæ naturaliter dantur, capere poſſent. ergo &c. Ex quo vlterius ſequitur, quod quoties corpora habent poros, licet eorum rarefactio, & condenſatio cum ipſorum pororum dilatatione, & reſtrictione coniugatur: eſſentia tamen rarefactionis, & condenſationis in his nulla ratione conſiſtat; ſed ea reſpiciat, vt quid conſequens: quatenus partes corporis poroſi non poſſunt commode rarefieri, niſi pori, qui inter eas reperiuntur, dilatentur, neque addenſari, niſi reſtringantur; & hoc abſque eo, quod ad corpuſculorum intromiſſionem, vel extramiſſionem recurramus. Quemadmodum enim ipſæ partes ſolidiores, quæ inter poros intercipiuntur, poſſunt rarefieri, & addenſari non admittendo in sè de nouo corpuſcula, vel ea, quæ intra sè habebant excludendo propter rationem modo factam: ita dici poteſt, quod corpuſcula, quæ initio replebant poros, ad ipſorum pororum dilatationem rarefiant, & ad ipſorum reſtrictionem condenſentur. Quod ſi videmus carnem infantis raritatem habere cum exuberantia humoris in poris, carnem vero ſenis denſitatem cum excluſione dicti humoris (quod eſt exemplum Ouiedi *n.* 1.) ratio eſt, quia conſtitutio corporis Infantilis ſucci abundãtiã exigit, ſenilis vero temperies ſiccitatem, & ideo illa rarefit cum intromiſſione ſucci in poros ſuos, & eorum dilatione: hæc vero addenſatur cum excluſione ſucci à poris ſuis, & eorum conſtrictione.

Confirmat Arriaga *n.* 200. Aquam in ſua naturali conſtitutione eſſe valde poroſam. Quia ſi 17
quis (inquit) effundat vinum in eã gelu addenſatum, non permeat. Contra vero ſi illud infundat in fluida. Sed huius rei ratio non poteſt eſſe alia niſi, quia vinum in aqua gelu reſtricta non inuenit poros: per quos sè inſinuet: inuenit autem in fluida; ergo &c.

Verum hæc confirmatio, ſi quid probat, euinceret, quod aqua ex mixtione vini rarefiat, quod eſt inauditum. Iam enim intra ſuos poros recipit vinum in minutiſſimas partes diſſectum, quaſi perintus poſitionem, ſeu intimam corpuſculorum aſperſionem. Quod ſi dicat ad rarefactionem requiri, vt accidentia corporis rarefacti prædominentur in toto quod non habetur, quando aquæ miſcetur vinum dicam ego tunc ſaltem vinum cenſendum eſſe rarefieri: ſi quidem etiam aqua quando infunditur vino per minutula corpuſcula, partes internas eius ita permeat, vt accidentia vini prædominari videantur in toto conflato, ſed hoc nõ concedet Auctor, quia ſcimus vinum quantum vis rarum poſſe conſecrari: non vero multa dilutum aqua. ergo confirmatio non habes vim; Ad quam, vt directe reſpondeam: conceſſa, maiore nego minorem. Ratio enim, propter quam vinum non facile permeat aquam gelu conſtrictam, eſt durities, qua prædita eſt. Hæc enim importat reſiſtentiam permodum actus primi ad ſeparationem partium, & difficultatem ſeparationis vnius partis ab alia. Contra vero ratio, ob quam in ſua naturali conſiſtentia cedit locum vino, eſt mollities, quatenus hæc facit, vt parum diuiſioni reſiſtat, & facile in ſui partes diuidi poſſit. Iam vero quamuis in caſu noſtro durities ſit cum denſitate coniuncta, & mollities cum raritate tamen inter sè ex natura rei eſſe diſtincta, & probat Ouiedus *puncto quarto n.* 8. ſtando in ſuis principiis, & quilibet alius probare poteſt ex eorum effectibus formalibus atque naturis.

Pergit Arriaga *n.* 201. iuxta ſuam ſententiam 18
facile reddi rationem aliquarũ experientiarum, quarum valde difficile in alijs ſententijs reddi poteſt, & primo quidem, cur calor per sè loquendo corpora rarefaciat, & frigus condenſet. Quia inquit, calor ſeiungit ab inuicem partes, & inde dat locum, vt intrent corpuſcula: frigus vero magis vnit, eaque excludit. Secundo ſubſectione tertia, cur quando vnum corpus condenſatur, non debeat alterum tantundem rarefieri quia nimirum expellit à sè corpuſcula, quę expulſa replent locum, quod occupabatur ab eo quando erat rarum; tertio cur non detur vacuum in natura: quia nimirum tanta eſt materia re-

Digitized by Google

plens mundum, quanta est eius intercapedo: quarto denique, cur corpora dura etiam si fere ardeant, non tamen rarefiunt. Quia nimirum rarefactio non fit, nisi dissoluta inter aliquas partes vnione intrantibus corpusculis; corpora autem dura difficillime vnionem amittunt; vnde debent prius reddi fluida, vt rarefiant: at in sententia contraria, quæ rarefactionem sine amissione continuatiuæ vnionis saluat, non potest assignari, cur durities rarefactionem impediat.

19 Ad hæc omnia duo dicam breuiter in sensu meo. Vnum est non ideo aliquam sententiam præferendam esse cæteris, quia in ea facile difficultates aliquæ explicãtur: difficile vero in alijs. Nam veritas est difficultatibus vndique circumsepta. Vnde dixit philosophus multa falsa esse probabiliora veris, de facto enim in sententia, quæ indiuisibilia inflata virtualiter extensa commentata est, omnia hęc maiori facilitate explicántur; & tamen eam omni contentione reijcimus, ergo facilitas explicandi difficultates, quæ aliquam sententiam comitantur, non debet nos mouere ad illam sequendam. Alterum, quod adderem est falsum esse, quod ab Auctore assumitur. Et quidem quantum ad primum omnes quidem dicimus, quod ideo calor per sè loquendo rarefacit corpus, quia seiungit inter sè partes, & ideo frigus condensat, quia eas constringit: sed difficultas est, in quonam hæc seiunctio, & constrictio posita sit? non enim esse positam in pororum dilatatione, & restrictione ex argumentorum, quæ pro hac sententia allata sunt, solutione iam constat; & melius ex directa eius impugnatione constabit. Ad secundum, ex æquo potest dici in sententia aliorum recte saluari, cur quando vnum corpus condensatur, non debeat aliud per additionem corpusculorum augeri: ac in sententia Auctoris, cur non debeat aliud rarefieri. Quemadmodum enimilli saluant per rarefactionem corporis ambientis, ita ipse per transpositionem corpusculorum ex vno loco in alium. Vnde quantum ad hoc, non est, cur hæc sententia reliquis præferatur, & per hoc patet explicationem tertiæ difficultatis neque fauere sententiæ Arriagę, omnes enim saluamus in condensatione corporum non dari vacuum, ille quidem per hoc, quod locus relictus, corpusculis exclusis, à corpore condensato repleatur: alij vero per hoc, quod à partibus corporis ambientis, in quo tamquam in loco existit magis dilatatis, occupetur

20 Ad quartum denique, vt taceam Ouiedum, qui in hac quæstione Arriagam fidelissime sequitur, non probare in rarefactione corporis debere necessario vnionem inter aliquas eius partes dissolui: dico, quod quemadmodum durities in eius sententia hanc dissolutionem impedit: ita in sententia contraria impedit nè partes eadem vnione retenta ad maiorem locũ se dilatent, & ampliori spatio coexistant. Ex quibus patet non maiori facilitate hæc explicari in sententia constituente rarefactionem fieri per interpositionem corpusculorum in partibus corporis, & condensationem per eorum exclusionem.

SECTIO TERTIA.

Eadem Sententia de Corpusculis Intromissis vel exclusis directe Reijcitur.

IN Sectione præcedente expendimus hanc sententiam: ostendendo rationes, quibus nitebatur, non esse solidas: in præsenti vero eam directe impugnabimus. 21

Et primò: quidem ex definitionibus *Rari*, & densi; quas ex Aristotile vnanimi consensu omnes recipiunt; eas enim non posse in hac sententia saluari sic suaderem: Ad saluandum, quod Rarum est id, quod sub magnis dimẽsionibus parum habet materiæ. Densum vero, quod sub paruis, multã, debet necessario sustineri, quod eadem materia affecta quantitate, si ex densa fiat rara: ex paruis dimensionibus transeat ad maiores. Contra vero, si ex rara addensetur; ex maioribus transeat ad minores. Sed in hac sententia, quam impugnamus, hoc sustineri nequit; *ergo in* dicta sententia definitiones rari, & densi sustineri non possunt. 22

Consequentia est certa. Maior vero suadetur, & quidem, quod eadem debet esse materia patet, non enim intelligi potest murari quo ad essentiam, vt de sè est euidens; neque quo ad partes entitatiuas, quia sic quando rarefieret, deberet deperdere aliquas ex eis, quas *prius* habebat, vt verificetur, quod sub *magnis dimensionibus* habeat parum materiæ; & *quando* condensetur *acquirere de nouo alias*, vt verificetur, quod sub *paruis dimensionibus* habeat multum materiæ: si enim contrario modo se haberet ita, vt per rarefactionem acquireret aliquas partes, quas per condensationem amitteret: Rarum deberet dici, quod sub magnis dimensionibus multum habet materiæ, & densum, quod sub paruis parum; quod est euidenter falsum. Sic probata maiore, declaro minorem. Hæc sententia docet, quod quælibet pars materię (sunt verba Arriagę *num.* 207.) habeat suum locum adæquatum ita, vt non possit neque minorem occupare, neque maiorem, atque adeo rarefactionem fieri per hoc, quod in poros corporis dilatatos, corpuscula intromittantur. Vnde corpus his corpusculis grauidum incipiat occupare maiorem locum. Contra vero densationem per exclusionem huiusmodi Corpusculorum, vnde corpus ex pororũ coarctatione minorem locum incipiat occupare. ergo in hac sententia non saluatur eandem materiam modo sub maioribus, modo sub minoribus dimensionibus stare posse. Dices in tua sententia sustineri, quod eadem numero aqua, quæ frigida medietatem lebetis occupabat, si postea ebulliat, totum lebetem repleat; contra tamen est, quia per sè corpus, quod lebetem replet non est sola aqua ebulliens, sed vna cum corpusculis intra sè admissis ita, vt eius materia quantum spatij occupabat, quando erat addensata tantum occupet postea rarefacta. ergo de ea iam ebulliente non verificatur, quod sub magis dimensionibus parum habeat materiæ.

Impugnatur secundò eadem sententia. Expe- 23

rien-

Digitized by Google

rientia conſtat, quod ex aqua ebulliente innumeri vapores extrahuntur, qui ſurſum euolant, & ex quo incipit ad priſtinum frigiditatis ſtatũ ſe reducere, cum eadem proportione incipit extractio illa vaporum paulatim remitti; vſque dum totaliter ceſſet. ergo impoſſibile eſt, quod rarefactio fiat per intromiſſionem corpuſculorum, & per horum excluſionem condenſatio. Conſequentiam ſic probarem: ſi aqua ebulliens indigeret corpuſculis extraneis ad replenda foramina, quæ vi caloris in sè dilatantur: deberet tunc potius vapores ſuos tenaciſſime retinere, poſtea vero quando inciperet deferueſcere, illos emittere cum ea proportione, vt quo magis deferueſceret, eo maiorem illorum copiam a sè expelleret. Sed experientia oſtendit oppoſitum. ergo non ſine cauſa multi, vt fatetur Arriaga *n.* 199. Contra hanc ſententiam inuehuntur eam appellantes ridiculam, imperceptibilem &c. Maior huius, quę ſola probatione eget, ſuadetur, quo ad vtramque partem, & quo ad priorẽ quidẽ ſic: natura aquæ feruentis indiget per aduerſarios multa vi corpuſculorum ad impediendum vacuum, quod ſuis poris virtute caloris apertis imminet; vnde eſt, quod dicta corpuſcula ſibi extrinſeca, & extranea, imo quod maius eſt identidem contraria in sè admittat. ergo non niſi inordinatiſſime procedendo ſineret egredi ex sè in tanta neceſſitate conſtituta tam ingentem copiam vaporum. Deberet enim eos potius intra sè retinere, ad hoc enim præſtandum minorem procul dubio conatum adhibitura eſſet: quam ad corpuſcula tam varia intra sè concludendum.

24 Quod ſi aduerſarij id nobis negent, quæram ex eis, vt dicant mihi, qua via corpuſcula illa in tã ingẽti copia deſcendunt in aquam. Si dicant eadẽ via, qua vapores immittũtur. Hoc profecto omni prorſus probabilitate caret. Nam nos aperte conſpicimus totum lebetis bullientis os vaporibus eſſe repletum, qui magno impetu ſurſum euolant, ita vt lanarum floculos, & plumas quæ occurrunt, ſecum deferant. Quomodo ergo eadem via, hoc eſt ex ore lebetis tot tenuia corpuſcula poſſunt in aquam deſcendere, ita, vt a vaporibus non repellantur, & ſurſum aſportentur? Ridiculum autem eſt aſſerere per poros laterum lebetis huiuſmodi corpuſcula ingredi; peto enim quare ex dictis poris non egrediuntur potius vapores. Dices forſaſſe, quia ſunt craſſiores illis, adque adeo non poſſe poros eos capere. Audio, cur ergo non poteſt lebes tantæ craſſitudinis confici, vt poros habeat adeo paruos, & intercluſos, vt impoſſibile ſit vnum atomum ex parte exteriori ad interiorem partem eius penetrare. huiuſmodi autem crediderim eſſe poros tormentorum bellicorum, per quos non poſſe igneas exhalationes, quæ tenuiſſimæ ſunt traſpirare, patet ex eo, quia alioquin non diſrumperẽtur quoties obturato eorum orificio exſplodũtur. Linquo, quod ſi per poros lebetis corpuſcula ingredi poſſent, aliquis tandem humor ex illis poſt longum tempus deſudare deberet, quoties ad multum tempus aqua in lebete permaneret, experientia ex cæteris vaſis ſiue fictilibus, ſiue ligneis ducta, quæ poroſa ſunt. Si igitur verum eſſet rarefactionem aquę fieri per dilationem pororum eius quos ne detur vacuum oporteret impleri corpuſculis: quoniam, vt probatum eſt, extractio vaporum impedit ingreſſum dictorum corpuſculorum, deberet vtique aqua illos intra sè vi retinere, non ſolum, quia eſt in magna neceſſitate conſtituta eos habendi; ſed etiam quia egrediendo eſſent impedimento corpuſculis ne eam in vacui periculo ſuccurrere valerent. Atque hæc quantum ad priorem partem maioris probandæ. Quantum vero ad poſteriorem, in qua aſſumebamus, quod ſtante Aduerſariorum opinione, quando aqua inciperet deferueſcere, tunc deberet incipere vapores immittere cum ea proportione, vt quo plus deferueſceret, eo maiorem copiam eorum effunderet, facile ſuadetur ex dictis; nam per aduerſarios quando aqua incipit deferueſcere, incipit expellere ex sè corpuſcula per hoc quod conſtringantur eius pori, quos vi caloris antea dilatatos habebat. ergo ſicuti, quo plus deferueſcit, eo plura eijcit à se corpuſcula; ſic etiam eo plures vapores immittere deberet, quia videlicet illis non amplius indigeret.

Hic vlterius inquirendum eſſet cur tanta corpuſculorum multitudo conferta, atque condenſa aquam ingrediens non conſpiciatur à nobis; ſi enim atomi, quæ per aera inſenſibiliter delatæ incubiculis ſubſidunt, quando agitantur ſcopis aerem obumbrant, & tamen vix pugillum replent, quid facere deberent tot corpuſcula, quę dimidium lebetis decem v g. amphoras capientis replere deberent? Inquirendum præterea, cur illa vaporum copia, quæ extrahuntur ab aqua adeo dilatentur, vt integram repleant aliquando domum. Non enim poſſent aduerſarij recurrere ad ingreſſum corpuſculorum in huiuſmodi vapores ſine præiudicio experientiæ ſenſuum: videmus enim apertiſſime eos vapores totaliter ex aqua conſurgere, & quidem in tanta copia, vt per dimidium Aue poſſent decem, & viginti lebetes implere ſimiles illi, ex quo euaporarunt. Verum hac miſſa facientes, reliquas impugnationes afferamus. 25

Eadem ergo ſententia impugnatur tertiò: experientia vaſis teſtacei vndequaque clauſi, quod infallibiliter diſrumpitur ad vitandum vacuum ſi in eo aqua, qua plenum erat nimio frigore congeletur. Tum ſic: ſi aquæ condenſatio fieret per corpuſculorum excluſionem non deberet frangi vas ad vitandum vacuum Tantum enim loci in vaſe occuparent corpuſcula ex poris aquæ eiectis, quantum occupabant in poris incluſis. Vnde partem vaſis, quam aqua gelu condenſata relinqueret à corpuſculis occuparetur. Sed frangitur vas, quia imminet vacuum. ergo conficta videtur eſſe ſententia, quæ condenſationem per eiectionem corpuſculorum in poris corporis incluſorum, fieri exiſtimat.

Duas ad hanc experientiam reſpõſiones adhibet Arriaga *à num.* 218. quem ſequitur Ouiedus *puncto 6. num. 3.* vna eſt, qua negat cauſam fractionis vaſis eſſe periculum imminens vacui. Altera vero, qua poſitiue aſſignat, vnde huiuſmodi fractio proueniat. Priorem probat primò, quia experientia conſtat nõ frangi vas in quo oleum 26

Digitized by Google

butirum, & similes liquores condensantur, & tamen idem imminet periculum vacui; Secundo, quia aqua incipit congelari ex superiori parte vasis, & tamen vas non frangitur, quo ad vsque tota fuerit congelata. Si autem ad vitandum vacuum frangeretur, cum primum prima pars congelaretur deberet frangi, quia æque abhorret natura à minimo vacuo ac à maximo. Tertio, quia experientia constat vas apertum, imo, & peluim testaceam si congeletur in eis aqua, frangi. ergo impossibile est id prouenire ex vacuo ab aqua relicto. Nam illud ab aere ambiente tunc facile impleri posset. Quarto demum addit Ouiedo, quia si vacuum esset dictæ fractionis causa, deberet etiam frangi vas ferreū, quia natura cum dispendio cuiuscumque corporis naturalis resistit vacuo. Nusquam autem visum est vas ferreum aqua refertum propter aquæ congelationem confractum esse. ergo &c. quantū vero attinet ad posteriorem responsionē. Vterque causa fractionis assignat nimiam glaciei frigiditatem, quæ attingendo aliquas partes vasis plus æquo inter sè, facit vt aliæ plus æquo disiungātur ab inuicem, & dissoluantur. Vnde sequatur fractio vasis.

Verum neutra Responsio, vt verum fatear, mihi videtur satis probabilis; nititur enim leuissimis coniecturis, quæ facile impugnari possunt. Contra primam enim prioris responsionis dico: ideo non frangi vas oleo, vel butiro refertum, quia cum in huiusmodi corporibus vt pote leuissimis calidæ exhalationes in magna copia reperiantur; hæ, ex vna parte propter nimiam tenuitatem non patiuntur congelari: ex alia vero propter summum calorem salua propria natura valde rarescunt; vnde est, quod occupare possint locum relictum à partibus crassioribus condensatis huiusmodi liquorum, adeo vt non sit necessaria ad introducendum corpus extraneum fractio vasis, ne detur vacuum. Ad secundam concedo, quod in ea assumitur, nimirum non frangi vas donec tota aqua in eo existens fuerit glacita; nego tamen, vt primum incipit superna eius pars gelu astringi, vas debere disrumpi; & ratio est, quia quandiu partes inferiores aquæ fluidæ sunt, possunt sine multa vi magis ac magis rarefieri, & sic occupare locum à superioribus gelu condensatis relictum: at vero quando ipsæ quoque inferiores partes gelascunt adeo, vt nulla amplius remaneat, quæ nimio frigore condensata non sit: necesse est, vt illa pars infima vasis, quę ab eis fuerat occupata omni prorsus corporevacua permaneat, quod ne contingat frangitur vas ad aerem intra sè recipiendum. Atque hoc quidem, quod dicimus non est nouum, manifesta enim experientia constat corpora præsertim fluida quoties ex vna parte plus æquo condensantur, toties ex alia plus æquo rarefieri quantum fert illorum natura, quod si hic Auctor notasset, profecto sue numeri 219. non dixisset non posse non mirari tot Auctores hanc suam experientiam non animaduertisse.

27 Ad tertium de vase discooperto, & detestacea pelui, quæ quando glaciatur in eis aqua, ad huc franguntur, dico horum etiam fractionem imminenti vacuo ascribendam esse. cum enim vti modo dicebat Arriaga, aqua ex superioribus partibus vasis, & peluis glacietur: non est mirū si dictę partes glacie occupatæ eique strictissime conglutinatæ viam aeri negent atque adeo quando in inferioribus partibus imminet vacuū potius natura sibi cōsulat fractione vasis, & Peluis.

Ad quartum deniq; de vase æneo aut ferreo aio experientia constare, quod quando huiusmodi 28
vas valde solidum est, non frangitur, sed bene scinditur glacies, vt cedat locum aeri ingredienti. Quærenti autē, cur etiam quando vas, est fictile id non fiat. Responderem id oriri ex eo, quia natura quanto minori incommodo potest, impedit vacuum. Porrò quando vas est fictile minus incommodum est illud frangere, & ex rimulis proximis aerem intromittere: quam totam vasis glaciem disrumpendo aerem ex vasis orificio attrahere: vt enim glaciei crassitiem taceam, ab ore vasis vsq; ad fundū eius est notabilis distatia, quā veluti imperceptibiliter pertrāsire deberet àèr ad impediēdū vacuū vnde cū multo minor sit distātia quā crassities eiusdem vasis occupat, nil mirū si natura potius vasis fractionem eligat, quam glaciei. At quando vas est ex solido ferro, vel aere confectum minori incommodo natura glaciem frangit, & velocissimum motum causat in aere, vt sibi in eo periculo succurrat, quam vas illud solidum disrumpit. Si quidem ad hoc præstandum multo maiorem conatum adhibere deberet. Quantum vero ad posteriorem responsionem attinet, in qua dicebatur vas frangi præmia frigiditate quæ partium illius vnionem dis- 29
soluit. non vero, quia imminet vacuum.

Comptonus de *Generat. disp.* 1. *sect.* 3. dupliciter hoc impugnat 1. quia si hęc esset causa fractionis sequeretur, quod totum vas in partes minutissimas dissoluendum esset, siquidem omnes eius partes nimia frigiditate æquæ afficiuntur. Huius impugnationis negauerat Arriaga sequelam; dixerat enim *n.* 212. quod etiam si æqualis sit frigiditas in omnibus partibus vasis, non ideo sequitur omnes discontinuandas, sed duas, vel tres pro vt à Deo vt à Causa prima determinabitur, ad quem pertinent, quæ. & quot partes discontinuandæ essent decernere. Speæ ego hunc modum philosophandi reiecisse memini, & iterum nunc eadem ratione reijcio, si quidem licet quando naturæ secreta perscrutanti nulla alia via suppetit ab aliqua difficultate sè expediendi licitum est ad primam causam confugere, & inde solutionem desumere: si potest ex visceribus ipsius naturę rationes eruere, quibus difficultatem propositam soluat inepte præsidium à Deo tanquam à machina petit. Iam vero id fieri ab hoc Auctore in hunc fere modum suaderem. Si fractionem vasis cum communi sententia in fugam imminentis vacui refundamus. Non habemus necessitatem recurrendi ad Deum facile enim dicere possumus tot, & tales disrumpi partes quot, & quales requiruntur, vt maiori facilitate ingrediatur aer ad imped endū ipsū vacuū. Contra vero fractionē refundamus in intemperiē ex frigore prouenientē, debemus necessario ad Deū recurrere ad hoc determinādū. ergo cæteris paribus potius sustinere debemus, quod causa fractionis sit vacuum imminens, quam intemperies.

Im-

Digitized by Google

30 Impugnat ſecundò idem Comptonus principalem reſponſionem ex eo, quia ſi ex frigiditatis intemperie vaſis fractio proueniret, ſequeretur etiam, quod vas quantumuis vacuum aqua hyemis frigidiſſimo tempore deberet eodem modo diſrumpi, eo quod eandem frigoris intemperiem paterentur. Sed hoc eſt contra experientiam. ergo.

Huic etiam argumento duplicem ſolutionem ingenioſiſſimus Arriaga *num.* 220. & 221. tradiderat. Vna eſt per negationem minoris dicendo ſæpe talia vaſa etiam vacua nimio frigore fuiſſe confracta. Altera vero per negationem ſequelæ aſſignando diſparitatem inter vas plenum aqua, & vacuum; eo quod aer inquit intenſiorem frigiditatem producere ſolet in aqua, quam in alijs corporibus, vnde nil mirum; ſi aqua in glaciē condenſata frangat vas, non vero aer quamuis ſit æque, vel magis frigidus. Ego vt de hac duplici ſolutione iudicium feram: minus probabilem exiſtimo priorem, quam poſteriorem. Experienria enim conſtat hyberno tempore nimis algido lapides ſcindi ſolere. Vnde *Georgicorum quarto* habetur. Et cum Triſtis hyems etiam nunc frigore ſaxa. Rumperet, & glacie curſus frenaret aquarum. Si igitur ſolo frigore franguntur ſaxa: non eſt, cur aer non poſſit eque intenſam frigiditatem producere in illis, ac in ipſa aqua. Verum ex hoc non ſolum ſequitur poſteriorem impugnationem Comptoni non procedere, de quo non multum curarem: ſed etiam noſtrum principale argumentum concuti atque quaſſari, quod nullo modo dicendum eſt. Huc enim deducta videtur diſputatio noſtra, vt concedamus poſſe corpus aliquod vi frigoris diſrumpi. Cum igitur aer non congeletur in vaſe, videtur manifeſtè deduci fractionem vaſis non imminenti vacuo, ſed nimio frigori inſtum eius temperamentum diſſoluenti tribuendam eſſe.

31 Quoniam vero hic non agitur de temperamento ſubſtantiali, ſed de accidentali requiſito ad figuram vaſis, ſeu lapidis, quod ex maiori partium condenſatione, ac rarefactione, quam neceſſe ſit deperdi poteſt: hinc fit vt adhuc poſſit inquiri num huiuſmodi fractiones quamuis ſarſentur mediate à frigore partes corporis, quod frangitur plus æquo conſtringente: immediate tamen ab imminente vacuo proueniant? Mea ſententia eſt affirmatiua. Ad quam probandam poſthabita experientia dubia de vaſe, ſumo certiorē de ſaxo quidquid autem de hoc dicitur, de illo ſine vlla differentia intelligendum volo. Iam vero id, quod de ſaxo dico eſt, quod circa eius fractionem diſcurrendum eodem modo ſit, ſicuti diſcurrimus circa fractionem vaſis, in quo aqua glaciatur. Nam quemadmodum ideo nimio frigore diſrumpitur vas, quia quamuis initio partes inferiores aquæ ad occupandum ſpatium, quod relinquitur à ſuperioribus partibus, quæ condenſantur plus æquo rarefiant: quia tamen non fert earum natura magis rarefieri, fert vero magis ac magis addenſari: hinc fit, vt creſcente earum condenſatione, immineat vacuum ad quod impediendum vas frangitur, vt det ingreſſum aeri, qui in locum repreſſarum ſuccedat; & ſic vacuo obſiſtat, eodem prorſus modo dicendum: quod ideo ſaxum nimio algore frangatur, quia quamuis initio eius partes ita addenſentur vt in ſpatium, quod occupabatur ab illis verſus profunditatem ſuccedant tenuiſſimę quędam exhalationes, quæ in viſceribus ſaxi deliteſcebant, & ſic remanente integro ipſo ſaxo vacuum impediatur: quia tamen procedente tempore ita creſcit condenſatio in partibus craſſioribus intimis, vt rariores non valeant amplius dilatari ad earum ſpatium occupandum; aliunde vero non poteſt ex ſuperficie ſuperiori lapidis ingredi aer, quia partes illi vicinę ſupponuntur adeo frigore addenſatæ, vt omnem penitus viam, ac meatum occluſerint: hinc fit vt lapis diſrumpi debeat, vt cedat locum aeri ad impediendum vacuum ingredienti.

Neque dicas primò ſaxa eſſe duriſſima, & ſic 32
nō poſſe vi frigoris addēſari. Contra enim eſt, nā ſicuti nō obſtāte duritie poſſunt vi frigoris frāgi ita nō eſt cur addēſari nō poſſint, quamus id inſēſibiliter fiat. Cōtra vero in aqua propter fluiditatē ſenſibiliter. Neque addas ſecundo addenſationem partium ſaxi ſemper fieri verſus centrum illius, atque adeo poſſe ſemper in earum locum ſuccedere aerem circumſtantem. Contra enim eſt, quia non poſſunt partes interiores ſaxi ita addenſari verſus centrum, vt ſecum ſuperiores trahant. Quia hæ; vt deſcenderent, deberent amplius addenſari, atque reſtringi, quod repugnare videtur; ſupponuntur enim naturaliter valde addenſatæ, vtpote quæ lapidę ſint naturæ, & violenter poſtea amplius vi frigoris addenſatæ fuiſſe, & ſic obtinuiſſe denſitatem maiorem, quam poterant; ita, vt non poſſint intēſiorē ſuſcipere, cū præſertim ſint ſolidæ ac propter duritiem maiori compreſſioni reſiſtentes. ergo ſiue verſus cētrū ſiue verſus ſuperficiē interiores partes addēſētur admittēdæ ſunt quędam exhalationes tenues, quæ initio inter partem, & partem interpoſitæ vacuum impediant. & quidem abſque earum fractione propter dilatationem pororum, quam in ea neceſſitate natura procurat. Sed quia creſcente addenſatione exhalationes non poſſunt amplius dilatari, frangitur tandem ſaxum ad vitandum vacuum.

Quarta huius ſententiæ impugnatio ſumitur 33
ex vitreis cucurbitulis, quibus vtuntur medici ad exonerandum præſertim caput vaporibus oppletum accendeno in eis leuem flammam ex ſtupa, eaſque humeris applicando. Experientia enim conſtat, quod poſt quam flamma in eis extincta eſt, caro vi aterahitur, & aſſurgit. Tum ſic: hæc carnis attractio, & elatio intra cucurbitulas oritur ex eo quod aer antea vi ignis plus æquo rarefactus, eo extincto condenſetur. Vnde ne detur vacuum caro in locum aeris ſuccedere cogitur. Sed ſi condenſatio fieret per expulſionem corpuſculorum nō deberet caro attrahi, & eleuari, quia corpuſcula illa quæ fuerant in intimas aeris rarefacti pares intromiſſa, beneficio condensationis ita expellerentur à corpore aereo, vt nihil ominus tantundem ſpatij occuparent vna cum illo in cucurbitula quantum occupabant quando in eius poris deliteſcebant. ergo &c.

Ad hanc experientiam Arriaga *n.* 223. negat 34
ra-

Digitized by Google

rationem carnis videlicet, eleuationem fieri ad impediendum vacuum. Quod inde euidenter sibi suadere dicit; quia si id circo eleuaretur, caro deberet eleuari in instanti, natura enim (inquit) nec per vnicum instans patitur vacuum. Atqui videmus carnem eleuari pedetentim. ergo non eleuatur ad replendum vacuum. Quod si rationem eleuationis ab eo expoſcas, Reſpondet: ideo eſſe, quia per calorem pori carnis aperiuntur, & per illos intromittitur aer paulatim. Vnde eſt, quod caro aſcendat ad replendum locum relictum ab aere, eiuſque corpuſculis. Demum hæc omnia, iterata admiratione, concludit, quod ab eius aduerſarijs nunquam huiuſmodi ratio conſiderata fuiſſet. Verum queſtiones non clamoribus, & admirationibus, ſed ſolidis, ac validis argumentis dirimendæ ſunt. Quare rationem, qua probat carnē non eleuari ad impediendum vacuum, eo quod deberet eleuari in inſtanti, non poſſum euidentiori modo impugnare: quam hominem dictis proprijs concludere. Quæro enim ex eo, an non corpuſcula in eius ſententia poros carnis, vi caloris dilatatos ad impediendum in eis vacuum ingrediuntur? profecto affirmatiue, ſi cōſequenter loqui velit reſpondeat, neceſſe eſt. Cum enim dicta corpuſcula vtpote tenuia, & aerea ſint carne leuiora, niſi periculum vacui immineret, in eius locum minime deſcenderent, nec intra eiuſdem poros ſè ſponte reponerent. Atqui eorum motus non fit in inſtanti, ſed cum ea proportione deſcendunt inferius, qua ipſa caro ſuperius eleuatur item ad impediendum vacuum, quod ex corpuſculorum intromiſſione in carnem in cucurbitulis relinqueretur. ergo quamuis caro ipſa ponatur eleuari ad replendum ſpatium occupatum ab aere, ne vacuum deſeratur: non eſt neceſſe, vt eleuetur in inſtanti, ſed ſufficit, ſi tanto temporis ſpatio aſcendat, quantum aer ad ſè condenſandum inſumit. Taceo impoſſibilem eſſe motum localem in inſtanti: & tamen corpora ſæpe ad impediendum vacuum contra propriam inclinationem moueri; atque adeo non eſſe, cur caro non poſſit eleuari intra cucurbitulam in tempore ad impediendum vacuum, quod ex condenſatione aeris alioquin creari deberet.

35 Præterea quantum ad cauſam dictæ eleuationis, quam Auctor aſſignat, eam ſic euidenter impugno. Quia ſi calor intra cucurbitulas ſurſum aſcendit, quia in poros illius per calorem pateſactos intromittitur aer, ridiculi eſſent medici, qui ad exonerandum vaporibus caput eas adhiberent, niſi forte virtutem aliquam ſanatiuam aereis corpuſculis ineſſe exiſtimarent, ideoque per intromiſſionem illorum ægrum ſanare intenderent, quod nemo dixerit. Cauſa igitur ob quā ægris cucurbitulæ admouentur, ea cenſenda eſt, vt caro, cui applicantur, vi attrahatur, & ſurſum aſcendat ad impediendum vacuum; quod ex aeris condenſatione immineret. Experientia enim medicos docuit, quod tunc reliquæ corporis partes carni laboranti viciniores, propter ſympatiam, quam ad eam habent, & periculum amittendi continuationem cum illa excitentur ad ſi opitulandum, & in tali angustia conſtitutæ efficaciter ſuccurrendum omni meliori modo, quo poſſunt. Quoniam vero ipſæ non poſſunt per ſè ipſas accurrere ſine æquali, ne dicam maiori incommodo totius corporis: immittunt humores, & vapores præſertim noxios, quibus non ſolum ſine incommodo, ſed etiam magna cum velitate carere poſſunt, & hinc eſt vt caput ægri exoneretur vaporibus, & ſanguis vitioſus facile accurrat, & ſic detrahatur, puriore remanente.

Quinta impugnatio petenda eſt ex ipſis corpuſculis, quorum introductione, & excluſione dicunt hi Auctores rarefactionem, & condenſationem fieri. Non enim facile aſſignari poteſt cuius naturæ ea ſint. Scio Valleſium docere, quod Terra fiat rara admittendo intra ſe aquam, aqua vero admittendo intra ſè aerem, aer autem admittendo intra ſè ignem. Vnde ignem facit hac ratione denſiſſimum, quia nullum aliud corpus intra ſè continere poteſt. Sed hoc videtur longè à veritate diſtare. Scimus enim ignem natura ſua eſſe rariſſimum, de facto enim puluis tormentarius ſi concipit ignem, ita dilatatur, vt occupet ſpatium centies vicies quinquies millies maius, vt teſtatur Ynceus: Snelium inſignem mathematicum expertum eſſe *loco cit. n.* 8. aſſignari autem deberent corpuſcula quorum intromiſſione materia quæ erat ſub forma pulueris tantopere dilateretur, quod fieri nequit in ſententia. Valleſij, Arriaga in fine *n.* 224. ait ignē rareſcere per intromiſſionem aeris, & vaporum, qui ratione quarundam qualitatum valde reſiſtiuarum non ſtatim conuertuntur in ignem. Audio; ſed ſic in caſu de puluere tormentario ſequeretur, quod ſi locus, in quo videtur flamma, diuideretur, portio quam occuparet verus ignis, eſſet centies, & quinquies millies minor ea portione, quæ ab aere, & vaporibus occupatur; vnde potius aer, & vapores per intromiſſionem corpuſculorum ignitorum cenſendi eſſent rarefieri, iuxta doctrinam ab eo traditam; quam econtra. Liquo hoc eſſe contra experientiam ſenſibus ipſis compertam, ſi enim ſola minima illa pars illius ſpatij occuparetur a flamma in minutiſſimas partes diſſecta, & totum reliquum occuparetur ab aliis corporibus, oculus non videret continuatam flammam, imo neque illam videret; vtpote in particulas adeo tenues, & inter ſè adeo diſtantes diuiſa. 36

Scio Sebaſtianum Baſonum *lib. 6. de natura* 37 exiſtimaſſe Initio mundi creatam a Deo fuiſſe tenuiſſima quandam ſubſtantiam, quæ vbique per totum vniuerſum abundet, & per omnia loca, iuxta omnia corpora inueniatur; quam quidem ſubſtantiam dicit à ſapientibus fuiſſe agnitam, & quidem à ſtoicis appellatam fuiſſe ſpiritum, à Platone animam mundi, a Moyſe vero ſub nomine cœli adumbratam fuiſſe ſicuti ſub nomine terræ, vulgata quatuor elementa, cum *Gen. primo* dixit: in principio creauit Deus Cœlum, & Terram. Vnde corporum rarefactionem ſaluat per intromiſſionem huiuſmodi ſubſtantiæ in poros eorum, & condenſationem per excluſionem illius. Verum hic Auctor abſolute quidem reprehendendus eſt, quatenus non ſolum ſcripturam ſacram, & ſapientum verbis manifeſtam peruertit: Sed etiam quatenus ſibi ipſi contradicit, dum ait hanc ſubſtantiam per totum vniuerſum eſſe diffuſam: ſic enim iam cum reliquis corporibus co-

pe-

Digitized by Google

penetraretur, sicuti volebat Plato, animam mundi ipsi mundo esse commixtam. Atqui hac ratione essent inepta ad corpora rarefacienda, & addensenda per sui intromissionem in poros eorum, & extromissionem ab ipsis; nihilominus tamē idem Auctor ex parte mihi excusandus videtur, inquantum supponit, corpora constare ex minutissimis atomis, inter quas dicit, huiusmodi substantiā in eorū rarefactione se reponere, & ab eis in condensatione recedere. atqui nostri Auctores neq; huiusmodi substātiā admittūt, neq; probabilē existimant antiquorū sententiam, ex atomis corpora naturalia constare existimantiū. Quare sustinere debent, vel quod hæc corpuscula sint incorruptibilia, vel si corruptibilia, quando corpus, in quo sunt, ea in sè conuertit ex raro fiat densū absq; eo, quod localiter moueatur. Quarto recurrere ad aèrem, dicendo huiusmodi corpuscula esse aèrea, non est titum, vel enim ponuntur eiusdem speciei cum ipso aère, vel diuersæ. Hoc secundum videtur gratis, & sine vlla probabilitate confictum. cum enim deberent esse mixta, atque ad eo ex tribus etiam alijs elementis constantia, non possent ad tantam paruitatem se reducere ita, vt in ea diu cōsistere possent implendo poros. Si autem dicatur primum, manifestè deducitur, ea debere facere cum reliquo aère vnum continuum: similia enim eiusdē speciei, si se tangant, statim vniuntur inuicem, & continuantur, vt patet ex duabus portionibus aquæ, olei, vini &c. Rectè igitur dici posset, stante aduersariorum sententia, quod quando aqua ebullions maior apparet, potius aèr rarefieret recipiendo intra suos poros partes aèris: vel minimum non esse maiorem rationem, cur potius aqua, & non aèr censendus esset rarefieri. cum vtrumque in sua integritate æquè permaneret, & vtrunque in rei veritate maiorem occuparet locum, quam occupabat antea, quamuis apparenter
38 sola aqua videretur dilatari. Eo quod aèr non est per sè visibilis.

Quod si dicant, haberi etiam in aère atomos, quibus pori corporū, quę rarefiunt dilatari possunt. De his atomis redit quæstio, cuius nā naturæ sint. et cū constet, eas esse naturæ terreæ dicendum est, quod quemadmodum vi solis calefactæ ascendunt, ita suam naturalem frigiditatē acquirendo descendant. Vnde igitur in frigidissimis noctibus tanta atomorum copia in aère, vt possint tantū spatij occupare, quātum aqua ebullions occupat in pluribus, maximisque lebetibus existens. Hæc profectò humanā credibilitatē superare videntur. præsertim cum parum pulueris
39 in aèrem diffusum omnium oculos obnubilet, & lumen solis ex parte obtenebret.

Sexta denique, & vltima impugnatio sumitur ex Auctoritate Aristotelis, qui expresè huic sententiæ videtur esse contrarius: nam 4. *phys. tex.* 84. post, quam docuit, materiam cōtrariorū esse eandē numero; sic concludit: est igitur corporis materia, & magni, & parui eadem. tum sic: si corpus per intromissionē corpusculorū rarefieret, & per exclusionē eorumdē addensaretur; materia magni corporis non esset eadem numero cum materia parui. Si quidē materia magni præter totā materiam, quā haberet materia parui, includeret etiā materiam corpusculorum, ex quorū intromissione rarescceret; parui verò illam, dum addensaretur, excluderet. Sed hoc est expresse contra philosophum, ergo. Sed audiamus, quomodo ipse fili dicti probationem attexat. Manifestū est, inquit, hoc; cum enim ex aqua aèr fiat eadem materia nō accipiens aliquid, aliud facta est, sed quod erat potentia, actu facta est. Et iterum: aqua ex aère similiter; quandoquidem in magnitudinē ex paruitate, aliquando ex paruitate in magnitudinē. Similiter autem cum multus aèr existens in minori fit mole, & ex minori maius: potentia cum sit, sit materia vtraque.

Porro hæc verba sic D. Th. interpretatur *ncl.* 40
14. & hoc manifestum est in trāsmutatione substantiali; cum enim generatur aèr ex aqua, eadem materia, quæ prius erat sub aqua, facta est sub aère, non accipiendo aliquid, quod prius non haberet; sed id, quod prius erat in potentia in materia, reductum est in actum; & similiter cum è cōuerso ex aère generatur aqua; sed hoc interest, quod cum ex aqua generatur aèr, fit mutatio ex paruo in magnum, cum autem ex aère fit aqua, fit è contra trasmutatio ex magnitudine in paruitatem: ex quibus sic arguo: quando ex aqua fit aer, eadem materia aquæ non accipiens aliquam aliā materiam, facta est aèr, & quādo ex àère fit aqua, eadem materia aèris non deperdens aliquid sui fit aqua. ergo neq; rarefactio fit per intromissionē corpusculorum, neque addensatio per eorum exclusionem. concludit denique Aristotiles totum discursum suum sic: sicut, inquit, ex frigido fit calidum, & ex calido frigidum, quia eadem est, quę erat potentia; sic ex calido fit magis calidū, nullo facto in materia calido, quod non esset calidū, quando erat minus calidum; & similitudinem applicans ad nostrum casum. Sic igitur, ait, magnitudo, & paruitas sensibilis corporis non accipiēte aliquid materia extenditur, sed quia potentia est materia vtriusque. Itaque idem est densum & rarum; & vna materia ipsorum. Audiamus, si placet, horum verborum etiam S. T. interpretationē sicut, inquit, eadem materia mutatur ex frigido in calidum, & ex calido in frigidū propter hoc, quod vtrumque erat in potentia in materia, sic etiam, & aliquid fit magis calidum non propter hoc, quod aliqua pars materiæ fiat calida, quæ prius non erat calida, cum esset minus calidum, sed quia tota materia reducitur in actum magis, vel minus calidi: & post pauca applicat similitudinem sic. Vnde & magnitudo, & paruitas sensibilis corporis non extenditur, vel ampliatur in rarefactione, & cōdensatione per hoc, quod materia aliquid superadditū accipiat, sed quia materia, quæ prius erat in potentia ad magnum, & paruū, trasmutatur de vno in alterum, & ideo rarum, & densum non fit per addictionem partium subintrantium, vel per subtractionem earumdem; sed per hoc, quod vna est materia rari, & densi.

Tum sic: Aristoteles docet, D. T. interprete, 41
quod rarum fiat densum, & densum rarum absque additione, vel ablatione partium materiæ sub intrantium, vel exeuntium, sed ad eum plane modum, quo calidum fit frigidum & frigidum

Digitized by Google

calidum, vel minus calidum fit magis calidum, vel magis calidum minus. Sed aduersarij dicunt denuò & rarefieri per ablationem, & additionem partiũ materiæ in corpusculis contentarum. Ergo horum sententia est expresè contraria Aristotelis. De autem videamus in hac expositione nos sequutos esse D. Th. non vero Philosophum ipsum; impugnationem hanc cum expositione commentatoris eius concludamus: sic enim Aèrroes dictum Aristotelis locum interpretatur (Idem, inquit, transfertur de magnitudine in paruitatem, nullo exeunte: & quando è contrario nullo addito) sed hoc negant aduersarij, dum dicunt, quod quando aliquid ex magno fit paruũ per addensationem, debent exire corpuscula: & quando ex paruo fit magnum per rarefactionem, debent ea intromitti. Id autem esse contra Aristotelem ex exemplo, quod commentator affert, euidenter constare potest. Sic enim concludit, Aèr enim quandoque minoratur sine aliquo exeunte. et quando quod fit maior ex hoc, quod accidit ei de calore, nullo adueniente extrinseco; sed quia materia eius naturaliter recipit vtramque qpantitatem, maiorem scilicet, & minorem. Hanc quandoque, & hanc quandoque, sine aliqua quantitate in actu addita, aut diminuta, hoc est sine additione præexistentis quantitatis, vel sine ablatione postea remanentis. Quid clarius?

SECTIO QVARTA.

Vtrum corpora rarefiant, & addensentur per acquisitionem, & deperditionem quantitatis, aut localis extensionis.

42 SVppono ex dictis, quantitatem esse radicale principium extentionis localis, localem verò extensionem esse modum quendam, beneficio cuius quantitas redditur formaliter impenetrabilis; & quidem aliqui sunt, qui rarefactionem, & condensationem per acquisitionem nouæ quãtitatis, & deperditionem antiquæ saluare contendunt: quidam verò per hoc, quod acquiratur noua, & deperdatur antiqua extensio localis. Vtrorumque sententia est nobis in præsenti Sectione examinanda: vt autem à prioribus incipiamus, duæ sunt philosophorum classes in corporum rarefactione, & condensatione ad quantitatem recurrentium. in prima est Scotus in 4. *dist.* 12. *quæst.* 4. Bassolus, Philippus, Faber, & alij Scotistæ, quos sequitur *Caiet. 3. p. quæst. 77. art.* 5. & Toletus 4. *phys. quæst.* 12. hi volunt corpus secundum eam proportionẽ, qua de nouo rarefit, vel addensatur, acquirere, vel deperdere partem quantitatis, retenta priore v. g. sit aqua decem palmorum, quæ rarefiat vsque ad viginti palmos: hæc acquiret de nouo decem palmos quantitatis, qui prioribus additi facient, vt ea ad spatium viginti palmorum se extendat, quod si condensetur ad quinque palmos, ex illis decem palmis quantitatis, quos habebat, amittit quinque, & sic locum quinque palmorum occupabit.

43 In secunda verò classe est Gottifredus, *quod lib. 11. quæst. 3.* Marsil. *in 4 quæst. 9. art. 2.* Pomponatius *lib. 2. de Augmentatione cap. 10.* & non nulli alij, qui asserunt corpus siue de nouo rarefiat, siue condensetur, semper quantitatem quam habebat antea totaliter amittere, & aliam de nouo totaliter acquirere; ita tamen, vt in rarefactione acquirat quantitatem maiorem, ea, quam antea habebat: In condensatione verò minorem, iuxta proportionem arithmeticam maioris, vel minoris loci, quem incipit de nouo occupare. Quo posito sit

Prima conclusio vtrque modus recurrendi ad quantitatem in rarefactione, & condensatione corporum est improbalis. Ita communiter.

Probatur impugnando vtrumque modum, 44
& prior quidem impugnatur ex eo, quia si in rarefactione quantitas partialis de nouo in ea mensura, qua corpus dilatatur, produceretur, hæc noua quantitas, vel informaret simul cum antiqua eandem partem subiecti, vel diuersam; neutrum dici potest. ergo &c. Maior patet; supponimus enim, eam esse accidens, atque adeo non posse naturaliter existere independenter à subiecto. Minor probatur; non eandem, quia præterquam quod sequeretur compenetratio corporum mathematicorũ, cuiusmodi est quantitas trine dimensa, quantitas de nouo aduenies ad nihil inseruiret; dum enim se, cum antiqua compenetraret non extenderet illam, nec materiam primam ad occupandum maiorem locum, quam antea occupabat. Neque dici potest, quod diuersam subiecti partem informet. Quia hæc diuersa pars subiecti supponitur antea informata fuisse quantitate antiqua (supponimus enim ex dictis in physicis impossibile esse substantiam corpoream partes suas entitatiuas habere formaliser à quantitate) ergo non potest dicta pars intelligi, quod incipiat informari solum à noua, quin intelligatur antiqua eam deserere, & in sequentem transire, sed sic daretur transmigratio accidentis de subiecto in subiectum, quam naturaliter repugnare monstrauimus; ergo &c. Pari argumento impugnare possumus recursum ad quantitatem in condensatione sic; si in condensatione pars quantitatis antiquę deperderetur, vel ea pars materiæ, quæ erat sub parte deperdita, restaret sine omni quantitate; & hoc non, quia quantitas est proprietas in quarto modo substantiæ corporeę, vel inciperet informari quantitate, quæ remanet, & hoc neq ie; nam, vel dicta quantitas simul informaret partem, quam informabat antea, & sic esset in duplici subiecto, vel relinqueret antiquam, & sic daretur substantia materialis sine quantitate, & transmigratio accidentis de subiecto in subiectum. Vtrumque autem absurdum esse manifestum est.

Dicent: in rarefactione nouam quantitatem 45
neque supra, neque iuxta antiquam poni, sed ei admisceri, itavt neque ei compenetretur, neque partem determinatam materiæ sibi vendicet quæ possit assignari solitariè quantificata per ipsam. idem cum proportione dicent in condensatione accidere, partem scilicet materiæ præcedenti quantitate spoliatam misceri parti, quæ suam retinet quantitatem, atque adeo esse in assignabilem partem quantitatis, quæ non quantificet

vtrum-

Digitized by Google

vtrumque partem materiæ. Sed contra id, quod de rarefactione dicitur est, quia quidquid sit verum, possit, vel non possit pars materiæ à nobis assignari, quæ à parte quantitatis nouiter aduenientè solitarie informetur. Sumo vnam materiæ portionem, & de ea argumentum instauro sic: vel enim tota hæc portio informatur tum antiqua, tum noua quantitate vel non, sed pars eius quantumuis inassignabilis informatur antiqua, pars vero noua, & sic redit eadem difficultas. Idemque argumentum contrà id, quod de condensatione dicitur fieri cum proportione potest. Sumendo enim vnam portionem quantitatis, quæro: vel hæc portio informat tũ materiam, quæ suam quantitatem in cõdensatione retinuit, tum materiam, quę illam amisit, vel non, sed solam priorem. Si primum, est in duplici adæquato subiecto. Si secundum iam inuenitur pars materiæ non quanta ergo &c. Linquo, quod licet nobis esset impossibile assignare vnam portionem materiæ solitariæ quantificatam per quãtitatẽ nouiter acquisitam, vel antiquitus habitam: at non Deo, qui debet scire quid de nouo producat, & quid antea productũ conseruet in esse. Stet igitur priorem illum modum recurrendi ad quantitatem per hoc, quod partialiter in rafactione producatur, & partialiter incondensatione corrumpatur non est probabilis.

46 Quantum vero attinet ad posteriorem modum: sic eum etiam impugnarem: Quantitas, vt probauimus in physicis est subiectum immediatum reliquorum accidentium: ergo si quoties rarefieret, vel addensaretur subiectum toties eius quantitas totaliter deperderetur, & alia de nouo totaliter acquireretur: sequeretur, quod in rarefactione, & condensatione corporum daretur resolutio vsque ad materiam primam; vidimus autem ne quidem in generatione, & corruptione substantiali eam admittendam esse. ergo &c. Deinde quando aqua, vel rarescit calore, vel frigore condensatur; non potest assignari causa productiua quantitatis nouæ, & antiquæ corruptiua. Cum enim vtraque sit eiusdem speciei, & supponatur ad calorem, & frigus, videtur impossibile, quod ab vtroque procedat, quod si hoc neges, quæro ex te: Quando aqua igne admoto incipit rarefieri, quid prius acquirit nouam ne quantitatem, an vero calorem? non primum, quia communis omnium sensus est, quod rarefactio consequatur calorem, quodque per prius aqua sit calida, quam rara. Neque secundum, quia vti vidimus calor recipitur in aquam mediante quantitate, & sic impossibile est, quod aqua prius calorem recipiat in sè, quam quantitatem. Iam vero loquendo de locali extentione sit.

Secunda conclusio. Non bene saluatur Rarefactio per acquisitionẽ maioris extensionis localis neque condensatio per deperditionẽ eiusdem. Est contra, quamplures recentiores quos sequitur Comptonus *loco citato sect. quarta.*

47 Probatur autem facile ex dictis. Nam vel rarefieret corpus per acquisitionem nouæ extensionis localis, retenta tota extensione priore, & condensaretur per deperditionem prioris partialiter, hoc est retenta eius parte: vel rarefieret, & condensaretur per deperditionem tõtius antiquæ extensionis, & nouæ acquisitionem. Neutrum dici potest, ergo &c. Maior patet. Minor vero probatur, & si quidem dicatur primum: contra hoc militant argumenta, quæ fecimus supra loquendo de quantitate, sic enim in rarefactione aut haberemus idem, subiectum secundum eandem prorsus partem duplici affectum extensione, aut accidens transiens de subiecto in subiectum. Et quidem verumuis absurdum deuoraretur ab aduersarijs, infructuose id fieret; Nam subiectum idem prorsus spatium occupare deberet, ac antea, incondensatione vero aut pars materiæ restaret in extensa, aut eadem extensio duplex subiectum adæquatum incipere informare, quæ non sunt minus absurda, quam præcedentia. Si vero eligatur secundum minimum cum in rarefactione tum incondensatione subiectum antiquam extensionem totaliter amittere, & aliam de nouo totaliter acquirere maiorem quidem præcedente si rarefiat; si vero condenseturi minorem; Cõtra hunc dicendi modum argumenta, quæ fecimus contra simile inuentum de quantitate non habent vim. Siquidem nemo ponit extẽsionem localem à quantitate distinctam esse subiectum in hæsionis cæterorum accidentium materialium, quare illis post habitis, sic argumentarer. Duplex est sententia de extensione locali a quantitate distincta, vna illam identificat cum præsentia in loco, quam vbi intrinsecum modaliter distinctum appellant. Altera eam ex natura rei à dicta præsentia putat esse distinctã, siue demũ postea ipsa præsentia sit alius modus à rè locata, & à loco distinctus, siue non: Et quidem per rarefactionem non acquiri formaliter præsentiam in loco, patet ex eo, quia sic raritas esset idem realiter cum præsenta, sed hoc est manifeste falsum; nam quando corpus transit de vno loco in alium mutat præsentiam, sed non mutat raritatem. Quod enim dicunt aliqui corpus tunc illam mutare materialiter, sed non formaliter, & ideo se habere in ordine ad nos ac si eam retineret: nullam habet probabilitatem: nam sufficeit materialis mutatio ad hoc, vt existimetur, quod ipsa raritas non sit eadem numero; sicuti si in loco Petri succederet Paulus nemo dixit haberi eandem Petrum in eodem loco. Adde, quod tanta esset mutatio in raritate, quanta in vbi si duo hęc essent identificata. Sed per aduersarios mutatio vbicationum sufficit ad iudicandum corpus non esse in eodem loco. ergo, & mutatio rariratum sufficere deberet ad dicendum non haberi eandem rariratem, quemadmodum igitur per nos falsum est extensionem localem identificari cum vbi intrinseco, eo quod diuersus est effectus formalis, & separabilis vnius, & alterius: ita etiam propter eandẽ rationem improbabile est raritatẽ non esse distinctã ex natura rei ab vbi intrinseco.

Supposita ergo tanquam probabiliore alia sententia, quę extensionem locælem ab vbi intrinseco putat esse distinctam: sic probo extensionem nemine cogitante etiam à raritate distingui: si localis extensio esset eadem cum raritate, quo magis corpus aliquod esset extensum, eo esset rarius. Sed hoc est falsum. ergo &c. Maior patet, quia per maiorem raritatem vult hæc opi- 48

Digitized by Google

nio corpus existere pluribus partibus spatij, & paucioribus per minorem.

Minor vero suadetur ex eo, quod vna ferri est densior palmo aeris; & tamen multo maiori spatio correspondet, quam palmus aeris, item palmus ferri, & palmus aeris æqualem habent extensionem localem, & tamen palmus aeris est multo rarior, quam palmus ferri. ergo &c. Quod si dicant hoc verum esse, quia non sunt cætera paria, ideoque ab Aristotile definitum fuisse rarum, quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ, densum vero, quod sub paruis dimensionibus, sumendo parum, & multum materiæ respectiuè ad dimensiones non respectiue ad subiecta. Vnde fit vt si duo corpora tantundem habeant materiæ per hoc præcisè, quod vnum eam habeat sub magnis dimensionibus; alterum vero sub paruis; vnum erit rarum alterum densum. ergo adhuc stat, quod raritas, & densitas in maiori, vel minori extensione locali posita sit.

49 Contra tamen est, quia etiam quando duo corpora habentia tantundem materiæ ita sè habent, vt vnum maiori, alterum vero minori spatio correspondet, aliquam dissimilitudinem intrinsecam antecedenter inter sè habere debet, quæ sit origo proxima huius diuersę correspondentiæ atque extentionis. Non enim temere vnum correspondet maiori spatio; alterum vero minori, Porro in hac intrinseca dissimilitudine antecedente ad localem extensionem posita esse rationem rari, & densi constat ex eo, quia sic dicendo ex vna parte omnia, quę de raritate, & densitate dicuntur recte saluantur; ex alia vero saluatur quomodo partes etherogeneæ Corporis Christi Domini in Eucharistia raritate, & densitate formali affectæ sint; quod non potest sustineri si ponamus ea in maiori, vel minore extensione locali consistere. Dicere enim cũ Auersa *t. 2. suæ philosophiæ quæst.* 38. *sect.* 4. differentias ipsa raritatis, & densitatis existere in illo virtualiter, & in actu primo, quatenus aliquę partes corporis habẽt talẽ primarũ qualitatũ complexionem, vt exigant maiori spatio coexistere: aliq vero talem, vt exigant coexistere minori, nõ satis facit. Nam inde sequeretur, quod idem corpus ibi existens esset solum virtualiter organicum, saltem complete, non autem formaliter, quia maxime ad rationem organorũ facere videtur raritas, & dẽsitas vt patet ex neruis, ossibus, carne &c. Adde quod sicuti non sufficit asserere in Eucharistia Corpus Christi virtualiter solum habere primas qualitates quatenus scilicet habet animam exigitiuam illarum, & non formaliter ita neque, quod habeat virtualiter, & non formaliter densitatem, & raritatem.

Dices: Idem corpus si rarefiat, maiorem acquirit localem extensionem; contra vero si addensetur, minorem. ergo terminus rarefactionis est maior extensio, & addensationis minor. Atqui terminus rarefactionis est raritas, addensationis vero densitas. ergo raritas identificatur cum maiori extensione locali, & densitas cum minori.

50 Respondeo distinguendo antecedens, corpus si rarefiat maiorem acquirit extẽsionem localem secundario, concedo: primario nego antecedens, & sic distinguo eodem modo consequens: terminus secundarius rarefactionis est maior extensio concedo; primarius nego, & concesso subsumpto, nego vltimam consequentiam. Pro huius autem distinctionis explicatione, & totius quæstionis resolutione sit.

SECTIO QVINTA.

Vtrum corpora rarefiant, & addensentur per acquisitionem qualitatis.

Conclusio est affirmatiua, & eam docet Suarez *in metaph. disp.* 42. *sect.* 5. *n.* 27. Conimbric. *lib. primo de Gener. Cap.* 7. *quæst.* 17. *art.* 5. Hurtadus *de Generat. disp.* 4. *sect.* 4. Alarmanius *secunda secundæ summæ philosophi quæst.* 37. *art. primo*, & alij communiter præsertim antiqui. 51

Probatur primo ex Aristotile 7. *phys. tex.* 21. vbi inter sensibiles qualitates, quibus corpora alterantur, numerat raritatem, & densitatem. Sensibilia inquiens sunt quibus differunt corpora ab se inuicem, vt grauitas, leuitas, durities, mollities, sonus silentium, albedo, nigredo, dulcedo, amaritudo, humiditas, siccitas, densitas, raritas, & horum media. Neque te terreat silentium inter qualitates sensibiles reperiri. Recte enim D. T. *lect.* 4. si sonus in actu accipiatur est qualitas in aere, consequens aliquem motum localem. Vnde non videtur secundum huiusmodi qualitatem esse primo, & per sè alteratio. Si vero sonus in aptitudine accipiatur sic per aliquam alterationem fit aliquid sonabile, vel non sonabile. Vbi vides silentium non sumi pro *priuatione* soni, sed pro *complexione illarum qualitatum*, quibus corpus redditur ineptum ad edendum sonum, & quidem in hac sententia vere fuisse philosophum patet ex D. Th. qui pluribus in locis docet ex eius mente rarefactionem, & condensationem esse motus alterationis: præsertim *lib.* 4. *phys*, *sect.* 15. *litt.* K. vbi. Quia inquit rarefactio, & condensatio pertinent ad motum alterationis, ponit Aristotiles exemplum de alijs alterationibus.

Probatur secundo eadem assertio ratione, qua vtitur idem S. Doctor eodem loco, *Illa* quę sunt immediata Principia diuersarum qualitatum, easque diuersificant, hoc ipso, quod non sunt substantiæ, sunt qualitates, & non quantitates. Sed raritas, & densitas sunt immediata principia diuersarum qualitatum easque diuersificant, & non sunt substantiæ. ergo sunt qualitates, & non quantitates. Maior patet, quia quantitas ex vna parte non est actiua ex alia vero cum sè teneat ex parte materiæ non potest esse ratio diuersificandi qualitates, sed potius sè habet, vt commune subiectum illarum. Minorem probat S. Th. *litt.* L. ex differentia, inquiens, raritatis, & densitatis sequitur differentia aliarum qualitatum scilicet grauis, leuis, duri, & mollis, quod probat ex Aristotile *qui tex.* 85. Graue, inquit, & durum densa videntur esse, & contraria lene, inquam, & molle rara. 52

Dices primo Aristotilem 4. *phys. tex.* 84. definisse rarum, quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus, densum vero: quod habet 53

Digitized by Google

bet multum materiæ sub paruis; sed magnæ, & paruæ dimensiones non pertinent ad qualitatem, sed ad localem extensionem. ergo corpora non rarefiunt, & addensantur per acquisitionem qualitatis, sed extensionis. Respondeo definitiones hasce traditas esse à Philosopho per proprietates, & sic dicendas esse proprie descriptiones. Siquidem ad raritatem consequitur maior extensio localis, & ad densitatem minor; ita vt vtraque sè habeat consequenter ad illas, & tamquam earum effectus; quamuis enim ad raritatem etiam consequatur leuitas, mollities, porositas, & frangibilitas, & ad densitatem grauitas, duricies, soliditas, & consistentia; at immediatius, & in impedibilius consequitur maior, & minor extensio in ordine ad locum, vt de sè patet.

54 Dices secundò: Aristotiles in prædicamento qualitatis negat raritatem, & densitatem veras esse qualitates, dicens rarum, & densum quale quid videri reuera tamen nō esse; idéque docet 8. *phys. text.* 55. Deniq; secundo de generatione *text.* 8. enumerando omnes qualitates tangibiles nullam facit de raritate & densitate mentionem ergo &c.

55 Respondeo philosophum primo, & secundo loco egisse de raro, & denso prout communiter vsurpatur, nimirum pro effectu secundario vtriusque, qui consistit in maioribus, vel minoribus dimensionibus in ordine ad locum, secundum quas fateor raritatem, & densitatem non esse qualitates. sed modos quantitatem perficientes, atque complentes, atque adeo ad categoriam ipsius quantitatis spectantes, sicuti subsistētia ad categoriā substantiæ. Ad tertium vero locum ex secundo de generatione adductum aio tibi sermonem esse de qualitatibus tangibilibus stricto modo, prout scilicet sunt accidentia consequentia formas substantiales: at vero raritas, & densitas potius consequuntur materiam in ordine ad quam definiuntur cum præcisione a forma substantiali. Vnde est, quod non solum conueniant corporibus sublunaribus, & corruptibilibus, sed etiam cælestibus, & incorruptibilibus, in quibus constat esse aliquas partes raras, alias vero densas. Dicere enim cum Quiedo *puncto 6. num.* 7. corpora cælestia non esse propriè rara, & densa, sed impropriè apellari raras partes illas, quæ habent admixtas aliquas particulas in qualitatibus, & accidentibus distinctas ab alijs. Densas vero illas, quæ constant partibus omnino similibus, sine hac accidentium diuersitate, est penitus improbabile. Si enim partes cœli raræ constarent particulis diuersæ rationis ab alijs, cum quibus notabilem cœli partem constituunt, ratione quarum particularum, dicerentur improprie rarefactæ: sequeretur: quod cœlestia corpora præter etherogeneitatem, quam habent ratione stellarum, quas continent multiplicem aliam pene incredibilem includerent, quatenus reliquæ partes, expertes sideribus deberent fere in infinitū multiplicari stante cœlestium corporum magnitudine. Satius igitur erit asserere dictas partes esse omnino homogeneas, & raras beneficio raritatis, quæ eas æqualiter informet, & afficiat.

56 Dices tertio: quando aqua ex frigida fit calida, idem est motus, quo rarefit, ac ille, quo dilatatur, & crescit. ergo idem est terminus vtriusque motus. Sed terminus quo dilatatur, ac crescit non est qualitas, sed maior extensio localis. ergo neque terminus rarefactionis erit qualitas, sed localis extensio.

Respondeo negando antecedens, quando enim aqua ex frigida fit calida multiplicem in ea motum nemine cogitante vnum ab alio distinctum considerare possumus, & primus quidem sine controuersia est calefactio, quæ terminatur ad calorem, qui est vna ex primis quatuor qualitatibus. Secundus est rarefactio, quæ tendit ad raritatem, quæ est secunda qualitas, & calorem consequitur. Tertius est motus ille, quo aqua relicta minore extensione locali acquirit maiorem, quam constat ex dictis esse modum ipsi quantitati debitum, sed à raritate taxandum, ita, vt quo rarior fit aqua, eo maiorem extensionem exposcat. Quartus denique motus est localis, quo partes aquæ retento minori spatio in quo erant sub densitate, mouentur ad maius spatium occupandum; qui quidem motus est inseparabilis comes rarefactionis, si quidē dum partes aquę distenduntur, necessario acquirunt nouū locum; & maiori spatio coexistunt. Iam vero quando aqua ex calida fit frigida totidem etiam motibus moueri oportere ex dictis facile constat. Circa motum vero localem vtriusque notandum est, quod sicuti illud indiuisibile, quod est veluti terminus ad quem motus localis condensationis debet intelligi perseuerare immobile, ita, & in rarefactione illud, quod se habet veluti terminus à quo dictæ rarefactionis; sic si aqua, quæ est in vase rarefiat, vltima eius superficies tangens vasis fundum, quæ sè habet vt terminus a quo dicti motus, non mouetur neque deorsum, alioquin aqua deberet penetrari cum vasē, neque sursum alioquin inter vas, & aquam daretur medium. Quod si eadem aqua condensetur versus fundum cum dicta superficies sè habeat, vt terminus ad quem huius motus, debet immobilis etiam permanere propter eandem rationem. Idemque dicendum si corpus circulare rarefiat, vel addensetur; cum enim eius centrum se habeat, vt terminus a quo, & ad quem dictorum motuum, ipsum necessario persistere debet immobile.

Dices quarto: extensio localis est passio quantitatis, sed per rarefactionem acquiritur noua extensio. ergo non acquiritur noua qualitas, sed noua quantitas. Respondeo ad maiorem, quod sicuti quantitas, vt sic habet pro passione localem extensionem, vt sic, ita, & quantitas affecta tali, vel tali qualitate habet pro passione; tantam, vel tantam extensionem localem, sic distincta maiore, distinguo etiam minorem: per rarefactionem acquiritur noua extensio dependenter a raritate, quę incipit de nouo afficere quantitatem concedo: Independenter à raritate, nego minorem, & consequentiam. 57

Dices quinto cum Hurtado §. 44. raritas, & densitas licet sint qualitates, non sunt tamen distinctæ à temperamento primarum quatuor. Calor enim per sè ipsum videtur esse extensiuus subiecti, & è contra frigus contractiuum illius. ergo &c. 58

Re-

Digitized by Google

Respondeo negando assumptum, cuius falsitas constat ex eo, quod potest subiectum retinere idem temperamentum primarum qualitatum, & maiorem raritatem, vel densitatem acquirere, vt patet ex aere, qui quando mouentur in eo corpora ex vno loco in alium per nouam rarefactionem, occurrit ad implendum locum à quo discedunt, & per nouam condensationem cedit eis locum, ad quem accedunt, ex quo manifeste deducitur calorem esse radicaliter disgregatiuum sui subiecti, media videlicet raritate; & frigus etiam radicaliter congregatiuum sui. Neutrum autem formaliter, & immediate.

59 Dices sexto cum Arriaga de compositione continui *n.* 185. & Ouiedo *puncto* 4. *n.* 2. Hanc sententiam ponentem raritatem, & densitatem consistere in qualitate relinquere difficultatem de raro, & denso in suo robore. Hęc enim consistit in eo, vt explicetur, qua ratione eadem omnino quantitas possit modo maiori spatio coexistere sine bilocatione suarum partium, & modo minori sine earundem penetratione. Sed nostra sententia hanc difficultatem non soluit, sed solum assignat causam motuum localium dilationis corporis ad plures partes spatij, & contractionis ad pauciores dicendo a dictis qualitatibus huiusmodi motus prouenire. ergo &c.

Respondeo negando assumptum ad cuius probationem concessa maiore, ad minorem dico, quod licet sententia ponens raritatem, & densitatem in qualitatibus consistere, proxime, & formaliter assignet tantum causam motuum localium quibus corpora quando rarefiunt ex minori spatio mouentur ad occupandum maius, & quando addensantur, mouentur ex maiori ad occupandum minus: remote tamen, & causaliter sternit viam ad difficultatem præcipuam dissoluendam, absque eo, quod fiat recursus ad intromissionem corpusculorum in poros, & extromissionem eorundem a dictis poris, vel ad alias opiniones æque improbabiles. Proqua re sit.

SECTIO SEXTA.

Respondetur difficultati qua probatur non posse eandem numero materiam modo pluribus, modo Paucioribus Partibus spatij correspondere.

60 AD difficultatem autem initio huius disputationis propositam respondendum, recte saluari rarefactionē, & cōdensationem in nostra sententia absque eo, quod partes corporis, quod rarefit, incipiant esse in duplici loco adęquato, & absq; eo, quod partes eius quod addēsatur sint in eodem loco adæquato; & ratio est, quia raritas habet vim attenuandi, & dilatandi ipsas partes, vnde est, quod maiori spatio eius beneficio coexistere valeant; densitas vero vim illas constringendi, & constipandi; vnde est, quod eius beneficio coexistere valeant minori spatio. Iam vero quamuis spatium per raritatem à corpore obtentum sit duplo maius priore: dicerentur quidem eius partes esse in duplici loco inadæquato: non autem in duplici adæquato. Vnde falsum est quod ipsum corpus sit absolute bilocatum. Ad hoc enim verificandum requiritur, vt manens eodem modo, quo erat in priori spatio, replicetur, & ponatur in posteriori; quod in casu nostro minime habetur. Si quidem dum rarefit secundum nullam partem sui manet in eodem spatio, in quo erat antea, sed si erat v. g. palmare, & rarefiat in duplum: per priorem medietatem incipit occupare totum præcedentem palmum spatij, quod occupabat antea; & per posteriorem tantundem, hoc est alterum palmum spatij, & sic secundum nullam sui partem manet in eodem spatio adæquato, in quo erat prius: eodem modo circa condensationem discurrendum; quamuis enim vterque semi palmus condensationis beneficio incipiat esse in loco a b vno tantum antea occupata. Non sequitur, quod inuicem penetrentur, vel in eodem loco adæquato ponantur; quia ad hoc est necessarium, vt ita, vnus semipalmus relinquat spatium antea a sè occupatum, vt alter immobilis remanens, illum intra sè recipiat; quod non habetur in casu nostro. Cum enim corpus palmare, quod addensatur condensationis beneficio secundum omnes sui partes moueatur coarctando se ad minus spatium, secundum nihil sui dici potest, quod remaneat adæquate in eodem loco in quo antea erat.

Instat primo Ouiedo *puncto citato n.* 3. Quando corpus densum rarefit, spatium, quod antea occupabant omnes eius partes modo occupatur a medietate earum v. g. sed antea omnes correspondebant omnibus partibus spatij ita, vt adæquate commensurarentur partes corporis cum partibus spatij. ergo modo non poterunt inuicem adæquate commensurari, sed partes corporis excedunt partes spatij, quod sine additione corpusculorum non potest intelligi nisi eædem partes iutelligantur occupare duplicem locum sibi adequatum. 61

Respondeo concessa maiore, & minore negando, consequentiam, eo quod diuerso modo sumuntur in ea partes corporis ac in minori. Nam in hac sumebantur quatenus affectæ densitate; in consequentia vero quatenus rarefactæ. Iam radix æquiuocationis est quia putat Auctor corpus aliquod secundum suas partes entitatiuas tantum consideratum independenter à raritate, & densitate concipi posse habere commensurationem cum aliquo spatio; quod falsum omnino est. Nam commensuratio cum spatio non habetur à corpore nisi beneficio localis extensionis, quam quantitas accipit immediate taxatam sibi à densitate, & raritate.

Subinstat Ouiedus *sub. n.* 4. Contra hanc responsionem sic: Partes localis extensionis, quam præsentiam appellat, & partes subiecti hoc est materiæ quantæ debent commensurari cum correspondentia distinctæ partis extensionis localis ad distinctam partem subiecti. ergo non possunt eædem numero partes subiecti addensati correspondere paucioribus partibus extensionis localis, quam antea, eædemque numero partes subiecti rarefacti pluribus. Si antea non correspondebat duplex pars subiecti eidem parti ex- 62

ten-

Digitized by Google

tensionis, vel si modo non correspondeat eadem subiecti pars duplici parti extensionis. Confirmatur, quia non potest eidem parti corporis maior, & minor extensio respondere, nisi per maiorem aliquid partis replicetur in duplicii spatio, vel per minorem aliquid partis penetretur cum alio eiusdem partes. ergo non possunt eisdem partibus corporis maiores, & minores extensiones locales respondere.

Respondeo, distinguendo antecedens, partes localis extensionis, & partes subiecti debent commensurari cum correspondentia distinctæ partis extensionis ad distinctam subiecti, si sumãtur in sensu composito, concedo antecedens; si accipiantur in sensu diuiso, nego antecedens, & consequentiam. explico distinctionem. Eadem partes entitatiuæ subiecti sub ea extensione locali, sub qua de facto sunt, considerate, habent correspondere illi in quantum neque ab ea excedunturs neque eam excedunt. Sed quia ita hoc habent, vt possint existere modo sub maiori, modo etiam sub minori extensione locali, atque adeo modo commensurari partibus maioris, modo minoris: hinc fit, vt semper partes subiecti commensurentur cum partibus illius extensionis localis, quam habent. Quod est commensurari illis in sensu composito. At quia si postea ponantur, vel sub maiori, vel sub minori extensione, priores partes, vel excedunt, vel exceduntur ab illis: hinc est, vt cum veritate dicamus, partes subiecti in sensu diuiso à partibus localis extentionis, quam habent non debere illis commensurari; quia positæ sub maiori extensione existunt in maiori spatio, contra vero in minori, si sub minori extensione positæ sunt.

63 Dicet hæc numero extensio localis vendicat sibi determinatam spatij intercapidinem; ita, vt neque in maiori, neque in minori existere valeat: ergo hæc etiam materia quanta vendicabit sibi determinatam extensionem localem ita, vt neque sub maiori, neque sub minori esse possit.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio disparitatis mihi videtur euidens; si quidem materia quanta expectat determinari quo ad existendum in tanto, vel tanto spatio ab extensione locali, tanquam à sua causa formali, & suo vltimo determinatiuo. Vnde non est mirum, si sit indifferens modo maiori, modo minori extensioni locali correspondere; ponitur enim vt quid potentiale, & determinabile respectu illius. At vero localis extensio, vtpote causa formalis determinatiua materiæ quãtæ ad tantum spatium determinatè occupandum propter contrariam rationem implicat, quod quantum ad hoc habeat indifferentiam, esset enim, & non esset causa formalis, vt de sè patet; & hinc fit, vt corpus palmare retinendo suam palmarem extensionem, non possit occupare nisi spatium palmare. Quod si velis, vt bipalmare, vel semipalmare incipiat occupare, requiritur, vt beneficio raritatis euadat in aliquo priori bipalmare, vel beneficio densitatis semi palmare. Ex dictis huc vsque elucet responsio ad confirmationem principalis instantiæ; distinguo enim antecedens: nõ potest eidem parti corporis maior, & minor extensio in sensu composito respondere, nisi vel bilocatio, vel penetratio sequatur, concedo: in sensu diuiso modo maior, modo minor, nego antecedens, & consequentiam. vbi nota, hic sensum compositum, & diuisum cadere supra ipsas extensiones, in instantia vero supra extensionem, & subiectum illius. patet autem ex dictis, quod si maior extẽsio superadderetur subiecto sub minori extensione cõstituto, vel è contra, hoc non fieret sine bilocatione dicti subiecti, vel saltem partis cõpenetratione. 64

Instat secundo Ouiedus sub eodem numero 4. nam possunt partes vnius totius esse maiores partibus alterius totius, quin etiam sint plures: ergo & corpori raro correspondent maiores partes præsentiæ, quam corpori denso; correspondebunt etiam plures partes materiæ quantæ. Consequentia patet; antecedens probatur, quo pars est maior, eo magis diuisibilis est; quo autem est magis diuisibilis, eo plura membra dividentia in sè continet. ergo quo maior est pars eo plura membra dividentia continet, in quæ potest diuidi, sed hæc membra diuidentia sunt partes quibus pars illa magna componitur, ergo &c.

Respondere posset aliquis, negando antecedens; nam, vel in eo fit comparatio inter partes aliquotas, & æquales vnius totius, & aliquotas ac æquales alterius, vel fit comparatio inter partes proportionales; in vtroque autem sensu falsum videtur; & si quidem inter æquales, sic argueret: totum constans v. g. ex decem palmis comparatum cum toto constante ex vno palmo habebit quidem maiores partes aliquotas, non tamen plures; nam quemadmodum illud potest diuidi in decem partes palmares, ita & hoc in decem, quarum singulæ sint decima pars vnius palmi, & sicut illud diuidi potest, in viginti semipalmos, ita & hoc in viginti partes quarum vnaquæque sit vigesima pars vnius palmi. ergo si fiat comparatio inter partes aliquotas & æquales vnius, & aliquotas alterius, antecedens non habet veritatem. quod vero neque eam habeat loquendo de proportionalibus, probaret sic: ex quolibet toto continuo possunt semper extrahi partes proportionales non communicantes, non tot quin plures in infinitum. ergo quamuis partes proportionales vnius sint maiores, quam partes alterius, non tamen sequitur, quod proportionales sint plures. quia vtrumque continet huiusmodi partes finitas in infinitum; & quidem per hæc pateret etiam responsio ad probationem antecedentis; negaret enim eius antecedens. Nam quamuis vna pars sit maior alia, in tot tamẽ partes aliquotas modo dicto, siue etiam proportionales est diuisibilis, inquot minor, sicuti modo vidimus. Verum in quodam alio sensu puto, vtrumque antecedens posse habere veritatem; nimirum casu, quo fit sermo de pluralitate partium æqualium illis, quæ accipiuntur in toto minori, vt patet ex exemplo posito. Nam si in quantitate palmari sunt tantum decem partes, quarum vna quæque est æqualis decimæ parti palmi; in quantitate decem palmorum erunt centum huiusmodi partes. in hoc igitur sensu sumpto antecedente, respondeo illud concedendo, atque adeo admittendo, in corpore raro esse plures huiusmodi partes, quam erant in den-

Digitized by Google

denso. Sed nego consequentiam, quod nimirum corpori raro correspondeant plures partes materiæ quantæ, & ratio negationis est, quia sicuti maiores partes præsentiæ, quæ correspondent corpori raro habentur in materia quanta beneficio raritatis, ita & pluralitas illa partium materiæ; nam quemadmodum raritas constituit eandem numero materiam quantam sub maioribus dimensionibus, quam densitas; ita, & plurificat eius partes modo dicto. Vnde male infertur ex pluritate istarum partium, quam beneficio raritatis habet materia, quod independenter ab illa eandem retineat pluralitatem.

65 Præterea instari potest tertio: beneficio rarefactionis vna pars corporis distat ab alia plus, quã antea; sed hoc fieri nequit sine alterius corporis interpositione. ergo sic fiet rarefactio. Maior est certa: Minor probatur, quia semper vna pars immediatè vnitur alteri per punctum; sed punctum est essentialiter indiuisibile. ergo ad hoc, vt vna pars magis distet à sua immediata, debet intercipi corpus.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem. ad cuius probationem distinguo maiorem: vna pars semper vnitur alteri immediatè per punctum: ita, vt non vniatur etiam mediatè per aliquod diuisibile sui, nego: ita, vt taliter etiam vniatur, concedo maiorem; & concessa etiam minore, distingo consequens. Ad hoc, vt vna pars magis distet à sua immediata debet, intercipi corpus, quod sit aliquod diuisibile sui, concedo. corpus extraneum, siue physicum, siue mathematicum, nego consequentiam: & dico, rarescente corpore, vnam eius partem verè distare ab alia sibi immediata plus, quam antea; non quidem si comparatio fiat in ordine ad indiuisibile continuationem veriusque; si quidem in ordine ad illud, quandiu partes nõ diuiduntur ab inuicem, impossibile est, quod earum distantia possit esse aut maior, aut minor; sed bene distare, si comparatio fiat in ordine ad minores partes, ratione quarum maiores à dicto indiuisibili elongantur; cum enim quælibet pars in continuo sit diuisibilis in infinitum, etiam si intelligatur à sua immediata comparte per vnũ indiuisibile, atque adeo inuariabiliter distare: ratione tamen partium, quibus constat potest, modo magis, modo minus ab ea elongari, iuxta mensuram intentionis raritatis, vel densitatis acceptæ: quoniam vero in hãc modum existimanda est haberi distantia; ideo nulla est consequentia.

66 Instabis quarto: in aqua rarefacta tot sunt puncta, quot in vase, quod ea repletur. ergo quando addensatur ad medietatem vasis, duo eius puncta eidem puncto vasis correspondent. Sed hoc intelligi nequit, nisi etiam duæ partes aquæ in eadem parte vasis compenetrentur. ergo &c. omnia patent, præter primam consequentiam; quæ sic probatur: puncta aquæ addensatæ sunt duplo plura, quam medietatis vasis. ergo cuilibet duo correspondeant, necesse est.

Respondeo, dato antecedente, quod aliquis negare posset, dicendo particulas tot, & quot cadere supra res determinatas, atque finitas non verò supra indeterminatas, & syncategorematicæ infinitas, cuiusmodi sunt indiuisibilia copulativa partium continui: dato, inquam, antecedente nego consequentiã. Ad cuius probationem nego antecedẽs; dico enim, quod cũ omne continuum sit in infinitũ diuisibile, quemadmodum, vti supra diximus, non sunt plures partes proportionales in vno, quàm in altero, licet vnum sit totum cœlum, aliud vero sit arenæ globulus. Sic neque plura indiuisibilia copulativa dictarum partium in maiori, quàm in minori. Cuius dicti exemplum luculentum esse possunt duo circuli concentrici, quorum vnus sit maior, alter minor. nulla enim linea recta duci potest à circulo maiori ad centrum, quæ non transeat per minorẽ, & nõ distet à qualibet eumque alia per eum ducta, vt demonstrant mathematici. sed lineæ ductæ à circumferentia ad centrum assignant in circumferentia puncta continuativa partium illius. ergo non plura sunt pũcta continuativa circuli maioris, quam minoris. Quoniam vero ita sẽ habet corpus maius ad corpus minus, sicuti circulus maior ad minorem; hinc fit, vt neque plura indiuisibilia copulativa sint in corpore maiore, quam in minori. Cum hoc tamen stat, quod sicuti corpus maius beneficio intensioris raritatis continet plures partes æquales, quàm minus beneficio intensioris densitatis v. g. corpus rarum bipalmare continet quatuor semipalmos; quod si addensetur in palmum, duos tantum continebit; sic plura etiam puncta determinatè assignabilia corpus maius, quàm minus habebit. Verum hoc non arguet in maiori plus entitatis materiæi quantę, quàm in minori, sed solum maiorem extensionem localem in illo ex intensiori raritate prouenientem, & minorem in hoc ex intensiori densitate ortam. vti supra notauimus.

Instabis quinto: si corpus, quo intensiorem raritatem haberet, eo maiorem locum occupare posset; sequeretur, quod aquæ guttula in tantum rarefieri posset, vt totum impleret oceanum, & vsque adeo extendi, vt in ea naues existere, committi prælia, & tempestates moueri possent. sed hoc lepidum videtur inuentum. ergo &c. Sequela probatur, quia etiam in gutta aquę reperitur infinitas partium, quæ in nostra sententia dat materiæ capacitatem maius, ac maius spatium occupandi in infinitum. 67

Respondeo Lynceum *lib. 6. phys. tract. primo cap. 2. n. 12.* asserere, quod licet hoc, naturaliter loquendo, fieri nequeat (in quo sensu dixit D. T. *prima parte quæst. 68. art. 2.* vanum esse id, quod aliqui affirmant de rarefactione corporis in infinitum propter hoc, quod corpus est in infinitum diuisibile) diuina tamen virtute fieri posse. Verum id ego maiore explicatione indigere existimo: nam in primis, licet verum sit, aquam, suam determinatam exigere raritatem, ita, vt si intensiorem habeat sub ea naturaliter conseruari non possit; sentio tamen, quod si miraculosè sub ea conseruetur à Deo; ita, vt vnica eius gutta vi rarefactionis ad totum oceani sinum occupandum exenderetur. in ea tamen sic rarefacta neque naues consistere, neque prælia misceri, neque tempestates moueri naturaliter possent; cum enim in tali casu esset illa aqua aère multo rarior; quemadmodum nunc aër propter raritatem, quam habet, non est aptus ad hæc mu-

nia

nia ex equenda : ita multo minus esset tunc aqua quare in tali casu si Deus vellet, vt naues in dicta aqua supernatarent deberet illam alijs qualitatibus ditare nimirum grauitate duritie, & similibus non obstante, quod raritas adeo intensa deberet in ea producere qualitates contrarias, videlicet maximam leuitatem, mollitiem &c. quibus esset inepta naues substentare tempestatesque mouere.

DISPVTATIO SEXAGESIMA.

DE DISTINCTIONE REQVISITA inter agens, & passum.

1 IN eo Philosophi omnes conueniunt, quod inter cæteras conditiones ad agendum non solum sit necessaria dissimilitudo aliqua inter agens, & passum, de qua supra egimus, sed etiam aliqua distinctio, si quidem impossibile videtur, quod idem secundum eandem prorsus rationem respectu alicuius actionis sè habeat, vt agens, & passum. Vtrum vero sufficiat distinctio rationis ratiocinatæ, an potius requiratur distinctio ex natura rei inter vtrumque, hoc, est quod in præsentia controuertimus. Et quidem Auerroes 8. *physic. Comment.* 20. Capreolus *in primo distinct.* 3. *quæst.* 3. Ferrariensis *primo Contrag. cap.* 22. requiri omnino respondent quibus fauet Aristoteles 7. *phys. tex.* 8. & 9. vbi probat nullo genere motus idem posse mouere se ipsum quin etiam *p. de generat. tex.* 46. & 48. ad probandum simile non posse agere in simile assumit tanquam principium a sè demonstratum, quod idem non possit agerè in sè ipsum. Contra vero Scotus *in p. dist.* 3. *quæst.* 7. & 9. *metaph. quæst.* 14. Auicenna *lib. primo sufficientiæ cap. quinto* Gregorius *in* 2. *dist.* 6. *quæst. prima art.* 3. negant distinctionem ex natura rei inter agens, & passum esse necessariam ad agendum. Pro quæstionis autem resolutione suppono ex alibi dictis actionem posse esse, vel æquiuocam, vel vniuocam, & de vtraque singillatim hic nobis agendum est.

SECTIO PRIMA.

An idem possit agere in sè ipsum actione æquiuoca.

2 CONclusio est affirmatiua. Dico enim: ad hoc, vt sequatur actio æquiuoca non esse necessariam distinctionem realem inter agens, & passum, sed posse idem exercere respectu eiusdē actionis partes vtriusque, cum hac tamen conditione, vt actio illa non tendat per sè in destructionem ipsius passi, alias si per sè tendat puto debere necessario distingui. Conclusio habet duas partes, & quidem prior probatur tum ex Aristotele 4. *Cœli tex.* 12. & 24. vbi vult elementa habere in sè ipsis mutationum suarum principia, & à se ipsis moueri, & 3. *phys. tex.* 10. vbi docet omne, quod mouetur, vel à sè ipso, vel ab alio moueri: tum etiam, quia experientia constat elementa ac mixta quando in qualitatibus sibi debitis detrimentum aliquod à suis contrarijs passa sunt, qualitates suas in se de nouo producere, & ad pristinum statum se reuocare, vt manifeste patet ex aqua calefacta, si remoueatur ab igne. Rursus intellectus producit in sè intellectionem, & oculus visionem, & cæteræ potentiæ vitales operationes suas quæ quidem in eodem principio à quo profluunt recipiuntur, vnde immanentes à philosophis appellantur; ratio à priori dictæ conclusionis esse potest, quia bene potest intelligi ac euenire, quod res aliqua etiam si secundum se indiuisibilis sit, nullasque partes neque quantitatiuas, neque physicas habeat; bene, inquam, potest intelligi, quod careat forma aliqua accidentali, quam in sè producere possit, eam autem si producat vtique in sè ipsam actione æquiuoca sine vlla absurditate operabitur.

3 Posterior vero pars eiusdem, conclusionis probatur etiam; tum, quia facultates omnes actiuæ, quas dat natura rebus naturalibus, ad earum conseruationem, & commodum sunt ab eadem per sè ordinatæ: tum etiam, quia omnis actio supponit vim effectiuam id eo à quo profluit. Si igitur idem haberet in sè vim agendi per sè in sè ipsum actione corruptiua, huiusmodi vis, vel identificarentur cum eius essentia, vel abea tamquam passio emaneret, vtrumuis autem dicatur, sequitur idem natura sua ad sui destructionem ordinatum esse. Hoc autem non videtur dicendum. cæterum, quod per accidens aliquid possit sè ipsum destruere non est inconueniens. In quo autem sensu hæ particulæ per sè, & per accidens accipiendæ sint melius in obiectionem solutionibus explicabitur. Interim tamquam certum supponendum est; nullum agens naturale siue in se ipsum agat, siue in aliud à se distinctum posse directe intendere destructionem eius, in quod agit.

4 Obijcies tamen primo contra priorem conclusionis partem auctoritatem Aristotelis *qui locis supra cit.* aperte negat idem posse agere in se ipsum. Confirmatur, quia ex hoc solo principio ostendit in physicis dari primum motorē, supponens enim cœlum non posse à se moueri

differe, quod moueatur ab alio, vnde cum non possit procedi in infinitum, concludit ad primū motorem, qui sit causa prima omnium rerum, deueniendum esse.

Respondeo Philosophum pro diuersitate textuum, qui pro cōtraria sentētia afferuntur diuerso modo exponendos esse. Interdū enim loquitur est formaliter, negās idem posse agere in sè ipsū; quatenus agens est, eo quia inter agens, & passum debeat saltē rationis distinctio intercedere, quod nos minime negamus. Interdum verò agebat de actione rigorosissimè sumpta, cuiusmodi est sola actio transiens, aliquando de actione corruptiua, sæpe denique de actione vnioca, qua in sequenti conclusione, negabimus idem posse agere in se ipsum: Ad confirmationem ait P. Suares *disp. 29 meth. sect. prima* argumentum illud Aristotelicū, quo probatur primus motor, nullam habere vim; ego verò dicerem assumptum illud: omne, quod monetur ab alio mouetur, exponi rectè posse ita, vt sensus sit, quod quia omne id quod mouetur est ens dependens: non solum indirectè: & per accidens moueri debet à Deo tanquam à dante, & conseruante virtutem ac efficacitatem ad motum: sed etiam per sè, & directè: in quantum ipse Deus concurrere debet, vt causa prima efficiens ad dictum motum; si quidem res creatæ non solum in esse, sed etiam in operari à prima causa dependent.

5 Obijcies secundo implicat aliquid simul esse in actu, & in potentia respectu eiusdem ergo implicat, quod idem possit agere in se ipsum. antecedens patet. Consequentia probatur, quia, vt sect. præcedenti diximus: vnumquodque agit inquantum est actu, & patitur inquantum est in potentia. Si igitur implicat idem simul esse in actu, & in potentia respectu eiusdē formæ producendę videtur implicare, quod agat in se ipsum.

Respondeo distinguendo antecedens implicat aliquid simul esse in actu & potentia respectu eiusdem, eodem modo. concedo: diuerso modo, nego antecedens, & consequentiam, diuersitas autem modi, qua id quod agit actione æquiuoca in se ipsum, est simul actu, & in potentia respectu eiusdem formæ consistit in eo, quod sit in actu virtuali, seu eminentiali; inquantum habet principiū productiuum diuersæ rationis à forma producēda, & sit in potētia formali quatenus habet priuationem eiusdem. per quod patet responsio ad cōsequētiæ probationem, distinguo enim antecedens, quo ad primam partem: vnumquodque agit inquantum est actu: siue formali siue virtuali, concedo: formali tantum, nego antecedens, quia formalis actus est ille, qui repugnat potentię, quam requirit passum ad patiendum: Neque dicas piper habere in sè calorem eminenter, & tamen non producere illum, nisi prius à stomaco calefiat: atque adeo, quod habet in sè formam eminenter non debere in sè illam formaliter producere; ne id dicas inquam, quia hoc verum est de formis, quæ tendūt ad destructionem subiecti, cuiusmodi est calor ille immodicus respectu piperis, non autem de illis, quæ ad subiecti perfectionem ordinantur, sicuti est frigus respectu aquæ.

Obijcies tertiò inter agens, & Passum intercedere debet realis relatio, ergo, & realis distinctio.

Respondeo distinguēdo antecedens *inter agēs, & passum* denominatione sumptum *nego; & passū* sumptum formaliter, seù reduplicatiue, *cōcedo* antecedens, & nego consequētiam. Passum denominatiue est id, quod denominatur pati, & agētis actionē recipere: passum verò formaliter, est passio ipsa seù terminus, qui per actionē producitur quæ quia sæpe ab agēte distinguntur: hinc fit, vt possit dici, quod referātur ad illud. Verum hoc nō est necesse nam melius dici potest, quod *relatio* sic ordinata ad referendum non subsistentiam ad aliam, & quia deest substantiæ multiplicitas in casu nostro, de fit quoque relatio *in ipso termino*.

Obijcies quartò contra posteriorem *partem* 7
conclusionis Aristoteles *lib. de iuuen. & sen. cap. 6.* cum docuisset ignem, & calorem naturalem animalium duplici modo extingui posse per marcorem scilicet, & per extinctionem: subdidit: vocamus autem eam corruptionem, quæ per marcorem est à sē ipso; quæ verò à contrario, extinctionem, ergo idem potest in se ipsum agere actione corruptiua per philosophum.

Respondeo corruptionem ignis, & caloris naturalis per Marcorem, seù, quod idem est, per senectutem esse ab ipso igne seù calore, tantum per accidens, & mediate, non autem per sè, & immediate, inquantum, scilicet, absumendo humidum radicale, quod est eius pabulum, cum sine pabulo conseruari non possit, destruatur necesse est. Vt patet ex flamma, quæ consumpto oleo, quod erat in lucerna euanescit, & perit; quæ destructio cum non proueniat a causis extrinsecis nōte per marcorem ac senectutem fieri, & ab intrinseco causari dicitur.

Obijes quintò: *Animalia aliquando occidunt* 8
ipsa sè, præsertim verò homines ergo agunt in sè ipsa actione corruptiua.

Respondeo nos in conclusione loquutos esse de agentibus naturalibus, quæ sine præuia cognitione operantur: animalia autem cum operentur per cognitionem, illam, tanquam ducem in suis omnibus operationibus sequuntur, quæ cum possit aliquando decipi, & aliquid boni in eo, quod simpliciter est malum naturæ apprehendere: hinc fit, vt mortem vitæ præferre faciat, & sic sè ipsa animalia interimere, quod per accidens contingere, & non per sè manifestum est.

Instabis adducendo aliquas experientias rerū 9
naturalium, quæ sine ductu cognitionis operantur, & se ipsas corrumpunt. Aqua enim dum sua grauitate deorsum descendit in minutissimas guttulas diuiditur, & sic mutatur in aerem: Animal sæpe se ipsum interimit dum cibum noxium per potentiam nutritiuam ad se trahit, & dum per calorem vitalem in suas fluidas, vel etiam solidiores partes agit easque consumit ferrum denique producendo in sè rubiginem dissoluitur atque corrumpitur. ergo &c.

Respondeo explicando, quod Paulo ante promisi de causa corruptiua per se, & per accidens, dupliciter enim potest intelligi aliquid se ipsum corrumpere, per sè & per accidens. Et per sè quidem bifariam: primo formaliter per subtractionem concursus, qui erat sibi necessarius ad existendum. Secundo veluti efficienter produ-

cen-

Digitized by Google

endo aliquid incompossibile cum conseruatione sui pro eodem instanti; & vtroque modo implicat, quod aliqua res se ipsam corrumpat. Nam, vel se ipsam primò conseruaret, quod videbimus repugnare; vel esset simul, & non esset in eodem instanti: esset quidem, quia produceret accidens illud destructiuum sui: non esset, quia dictum accidens esset cũ eius existentia incõpossibile. per accidens verò se ipsum destruere, est quando ex aliquibus suis actionibus per sè à natura directis in bonum rei naturalis, sequitur, præter naturæ intentionem, mediantibus illarum terminis eius destructio; & sic nulla est repugnantia, quod aliqua res se ipsam corrumpat, mediãte scilicet aliquo alio à se antecedẽti tempore causato sicuti aliquando contingit, quod Parentes à suis filijs occidantur: hoc modo distincto antecedente; nulla est consequentia cum sua probatione.

10 Ad probationem verò antecedentis, aio corruptiones illas, per accidens procedere à rebus, quæ corrumpuntur. Nam aqua per descensum deorsum intendit acquirere proprium locum, vt ibi melius ab actione suorum contrariorum sè tueatur, per accidens autem est, quod descendendo aèr illi inæqualiter resistat. & sic vniones continuatiuas suarum partium dissoluendo, eam reddat facili negotio in sè conuertibilem. Præterea tum nutritiua potentia tum vitalis calor instituta sunt à natura, vt in bonum animalis operentur illa, vt cibum attrahat ad nutriendum ipsum, hic verò vt spiritus vitales, & animales fabricetur quibus animal ad suas vitales operationes eliciendas adiuuetur. Per accidens autem est, quod potentia nutritiua aliquod venenosum, & mortiferum: in ventriculum attrahat, sicuti etiam, quod calor vitalis debito carens alimento ad absumendas corporis animalis partes sè conuertat. Denique quantum attinet ad rubiginem ferri: existimarem, quod ferrum quoties diuturno otio fruitur, primò; & per sè intendit à fœcibus quibus scatet se expurnare, eas ex visceribus intimis in quibus erant dispersę ad superficiem extimam. expellendo. Quoniam verò ibi dictæ fœces in vnum colliguntur, & per hoc apciores ad agẽdum euadunt, hinc fit vt plures partes ambientis corporis siue hoc aèr sit, siue aqua siue terra facile in sẽ conuertant; quo incremento auctæ magisque idoneæ ad agendum redditæ agunt in ferrum ipsum eius temperamentum paulatim dissoluendo; hac ferme ratione, quod prius illud eneruent ac frangibile reddant, deinde ve-

11 rò procedente tempore totaliter corrumpant.

Obijcies Sextò; aqua lumine informata producit in sè calorem sui destructiuum, & elementa imminente vacuo ad sui destructionem dum mouentur ad illud impediendum, inclinant; ergo &c.

Respondeo, Aquam in illo casu non concurrere efficienter ad productionem caloris, sed solum lumen, quod si hoc dum destruit aquam, destruit se ipsum; per accidens id fit & indirectè, sicuti elementorum corruptio, quando mouentur ad impediendum vacuum; per se enim, & directe inclinant ad bonum vniuersi: absurdum autem non est, quod aliquid sic inclinet ad sui destructionem.

SECTIO SECVNDA.

Quid de actione vniuoca.

VNica conclusio idem non potest agere in sè 12
ipsum actione vniuoca, sed ad hoc, vt sequatur huiusmodi actio naturaliter, necessaria est realis distinctio inter agens, & passum.

Probatur, quia agens, quod supponitur in sè ipsum agere per actionem huius generis, vel acquirit qualitatem non intendentem eam per quam agit, vel intendentem. Neutrum dici potest. ergo &c. Maior patet Minor probatur, non enim primum, quia sequeretur, quod non ageret vniuocè; cum certum sit non posse duo accidentia absoluta solo numero distincta in eodem subiecto naturaliter existere; quod si duo respectiua possunt, nil obstat. Nam accidens respectiuum non est effectiuum alterius sibi similis, vt patet in paternitate, filiatione &c. neque potest dici secundum quia sic iam ageret supra suas vires per calorem enim v.g. vt tria, per quem ageret, redderet se ipsum calidum vt quatuor, vel vt quinque, etiam si enim calor sit instrumentum ignis prout calorem producit, nunquam tamen agit supra suam virtutem, & intensionem, vt superius probatum est, & confirmatur ex eo, quia possunt agentia naturalia per propriam substantiam intendere qualitates suas, quibus indigent ad hoc vt bene sè habeant, & operentur. Superfluè igitur dedisset illis natura vim intendendi easdem qualitates media qualitate remissiore tamquam instrumento.

Obijcies in Antiperistasi, videlicet, in circum obsistentia, & obsessione contrarij constat qualitatem corporis illius, quod à suo contrario obsideretur, magis ac magis intendi; ergo idem in anthiperistasi: agit in se ipsum actione vniuoca. antecedens pluribus experientijs probari solet, quarum prima desumitur ex aquis subterraneis ac putealibus, qnę tempore ęstiuo, quo à calore circum obsideantur frigidiores euadunt: Contra verò in hyeme qnando aèr est infrigidatus calidiores, quod idẽ accidere, ventriculis animalium testatur Hipocrates *sect. prima à phorism.* 15. secunda ex columbarum fimo qui reclusus ac constipatus Auctore Galeno *lib. 3. de temp. cap. 2.* interdum adeo in calescit, vt ignem concipiat; Tertia ex grandine, quæ etiam si sit frigidior niue, non nisi tepente aère generatur. quarta denique ex calce, quam viuam appellant quę si conspergatur aqua in ignem accenditur, & aquam ipsam ebullire facit. 13

Ad hanc difficultatem respondent primo Marsilius *primo de Gener. quest.* 17. & 18. Albertus de Saxonia *quest.* 15. Venetus *in summ. de Generat. cap.* 23. & alij in antiperistasi posse eandem qualitatem actione reflexa se ipsam intendere, quod hoc modo fieri docent: quando agens calidum v. g. à suo contrario obsidetur immittit in illud quosdam species, quæ sunt veluti instrumenta ad agendum. Quoniam verò agens frigidum circum obsistens eis resistit; illæ in suum agens reflectuntur illudque intendunt.

Sed Contra hanc responsionem faciunt mul- 14

Digitized by Google

ta; & primo quidem, quia species intentionales non sunt productiuæ qualitatū materialium præsertim primarum. Secundo. quia si essent, non possent tamen ex eo, quod frigidum obsistens illis resisteret, reuerti ad suum principium ad agendum in illud. Sic enim daretur trāsmigratio accidentis de subiecto in subiectum, tertiò denique fieri reuerti posse, cum dictæ species ponantur instrumenta dicti principij non possent excedere in operādo vim, quæ principaliter in eodē principio residet. Si igitur principium non potest per sè ipsum suam qualitatem intendere, quando à suo contrario obsidetur, vt contendunt aduersarij, multo minus poterit per huiusmodi species.

Respondent alij secundo: quibus fauet Niphus *prima de Generat. textu suo 195. in recognit. dub.* 2. contrarium a fortiore obsessum ex naturali propensione ad conseruandum sè suas vires colligere easque conuertere ad agendum in sè ipsum; & sic sè intendere. Sed neque hæc responsio habet aliquid probabilitatis. Primo quia collectio virium non iuuat agens ad operandum cum maiori intensione, quam habeat in sè, ergo si agens obsessum est frigidum, vt quatuor impossibile est. quod colligendo vires suas possit in sè producere quintum gradum frigoris quātumuis enim vires, vt quatuor prius dispersæ, in vnum colligi intelligantur: nunquam euadent intensæ vt quinque. atqui in hac sententia. quā impugnamus deberent. cum enim supponamus hoc agens esse vnius cum non distinguuntur ideo vires ab ipsa frigiditate, quam habet. ergo si ex virium collectione potest producere quintum gradum antecedenter ad huius productionem beneficio virium collectarum formaliter iam esset frigidum, vt quinque. Secundo, quia vel hic quintus gradus frigoris esset huic agenti naturaliter debitus, vel indebitus. Si primum. debuisset illum in sè producere ante contrarij oppugnationem. Si secundum etiam si oppugnaretur non posset, nam nullam agēs habet virtutem producendi in sè qualitatem sibi indebitam. Neque dicas dictam qualitatem esse ei debitam præsente contrario: nè id dicas, inquam, quia sic quoties vnum contrarium vrgeretur ab alio haberet virtutem intendendi suam qualitatem. Sed hoc præterquam, quod sit contra experientiam, est etiam contra naturæ finem; hoc enim modo rerum generationes valde impedirentur, & vix, aut ne vix quidem posset vnum contrarium corrumpere alterum. secundo ponamus corpus obsessum esse mixtum, quod absente contrario sit natura sua calidum vt quatuor. iam hoc idē erit etiā ab intrinseco frigidū itē vt quatuor. ergo si ad præsentiam contrarij euasit calidum, vt quinque profecto quartum gradum frigoris sibi naturaliter debitum amisit. Tum, quæro, vel postea discedente contrario poterit à sè expellere quintum illum gradum caloris, vel non: si potuit ergo etiam in præsentia contrarij gradus ille erat dicto corpori violentus, & recte nam tunc etiam illud à suo naturali qualitatum temperamento remouebat. Si non potuit, ergo, vel dicendum huiusmodi corpus semper in statu sibi violento remansurum, vel per obsessionem contrarij mutasse naturam, & prius quidem habuisse vnam naturam exactiuam quatuor graduum caloris, & quatuor frigoris; postea vero aliam exigentem calorem, vt quinque, & frigus, vt tria. quodcumque dicatur est manifeste absurdum ergo &c. His igitur responsionibus prætermissis.

15

16

Respondeo, ego concesso antecedente negando consequentiam, & primo experientijs in particulari obiectis singillatim satisfacio, deinde causas vniuersaliter assigno, & quantum ad primum dico, quod aqua ideo hieme calida est, quia cum corpus circumsistēs sit valde frigidum, impedit ne calidiores exhalationes, quas sol in terræ visceribus generauerat sursum ascendant: vnumquodque enim refugit à suo contrario, vnde hæc condensantur, & redduntur aptiores ad agendum validius in aquam, quam in terræ cauеis in quibus detinentur, inuentunt, contra verò æstate, quia circumsistens corpus est calidum aquis transpirandi aditum præbet, quæ ideo exhalationibus contrarijs destitutæ facilius ad naturalis frigiditatis statum sè reuocant. Denique eo ratio de animalium ventriculis est, quia pori cutis hiemis tempore constringuntur, & sic spiritibus calidis, qui cibi conquotionem adiuuant, & in stomacho commorantur, exitum prohibent, vnde est, quod ventriculi illis adiuti validius cibum conquoquant, & per consequens appetitum excitent. Contrarium propter contrariam rationem in æstate experimur, Porrò columbarum fimus idcirco incluſus inflammatur, quia exhalationibus calidissimis subtilissimisque; & ex partibus crassioribus ac pinguioribus est compositus. In eius autem dissolutione subtiliores sursum auolare conantur, sed quia ex constipatione crassiorum partium impediuntur hinc est quod inter sè condensentur, & sic condensatæ crassiores intensius calefaciant, & quia crassiores alijs etiam qualitatibus ad ignem facile concipiendum sunt præditæ, ideo statim inflammantur.

17

Grando autem aèrem tepidum ideo exigit, quia habere debet partes maxime constipatas, quas acquirit ex eo, quod à corpore tepido eius materia circum obsistatur. Eadem denique ratio est de calce aquis obruta, calidissimi enim spiritus, quos illa in fornace concepit aduenta aquę à partibus eiusdem calcis terreis secernuntur, & petunt loca superiora. Quoniam verò eiusdem calcis poros aqua plenos atque clausos reperiunt. magno impetu ab extimis ad intimas eiusdem calcis partes reflectunt; & quia motus est causa caloris iuxta vulgare proloquium quotidiana experientia comprobatū, id circo magis incalescunt, & ad resistendum contrario inter sè maxime condensantur, per quod reddantur aptiores ad valde agendum in calcem. Vnde est, vt illam inflamment, & aquam ipsam ebullire faciāt.

Quo ad secundum, quod promiserat aio propter clusione transpirationum interdum, interdū verò exclusione extranei contrarij, prohiberis ne corpus in quo est naturalem statum aeremperamentum possideat, intenditur qualitas obsessi corporis in antiperistasi. Quandoque etiam id oritur ex eo, quia ad obsidentis corporis præsentiam magis, ac magis condensatur obsessum; &

per

per hoc, quod validius operetur creditur habere qualitatem intensionem, quam habebat antea. Quod tamen falsum est. aliquando denique, quia ad resistendum contrario à natura mittitur in auxilium obsessi aliud corpus ad hoc, vt vires contrarij per vtriusque resistentiam validius infringantur, vt accidit quando niuem manibus attrectamus: tunc enim calidiores spiritus ex internis partibus, vt frigus arceant eique resistant mittuntur a natura ad manus ipsas. Vnde est, quod hæ calidiores euadant. In nullo autem ex dictis casibus, vt patet, idem sumptum secundum eandem partem agit actione vniuoca in sè ipsum, sed vel æquiuoca, vel si vniuoca solum ratione diuersarum partium.

DISPVTATIO SEXAGESIMA PRIMA

AN IDEM POSSIT se ipsum producere.

PRæsens controuersia quamuis videatur esse ferè eadem cum præcedente ob quod occasionem sumpsimus illam ei subtexendi, reuera tamen multum ab ea distat. Ad saluandum enim, quod idem possit agere in sè ipsum satis est si possit producere in sè aliquam formam realiter a sè ipso distinctam: at verò ad verificandum idem posse se ipsum producere, necesse est habeat virtutem ponendi se ipsum à parte rei, vt actio à tali virtute procedens, sit productiua suæ causæ efficientis, à qua immediate dimanat. Quoniam verò dubitatio hæc procedere potest tum de prima actione qua aliquid, vel se primo producat, vel conseruet; tum. de secunda, qua videlicet sè primo productum iam, vel conseruatum ab alio supponens, nihilominus tamen, secundo id sibi ipsi præstet: ideo in vtroque sensu agitanda est controuersia tum in ordine ad potentiam naturalem tum in ordine ad supernaturalem.

SECTIO PRIMA.

An idem possit saltem diuinitus dare sibi primo esse.

2 CONclusio est negatiua dicimus enim, quod neque virtute naturali, neque per absolutam Dei potentiam potest aliqua res sè ipsa primo producere, aut primo conseruare. Probatur: vtrumque implicat contradictionem. ergo per nullam potentiam fieri potest. Consequentia patet. antecedens verò quo ad vtramque partem suadetur, & quidem, quod implicet contradictionem, quod aliqua res sè ipsam primò producat; patet, quia omnis effectus in genere efficientis debet supponere in aliquo priori suam causam efficientem existentem, sed si res aliqua primo produceret sè ipsam iam esset effectus sui ipsius. ergo iam supponeret sè ipsam in aliquo priori existentem: produceret igitur primò sè ipsam, & non produceret primò, quod implicat produceret quidem primò, vt aduersarij contra quos arguimus defendunt; & non produceret primò, quia vt vidimus supponeretur in aliquo priori producta. Maior, quæ sola probatione eget satis superius probata est ex dictis in physicis vbi de causa efficiente; & lumine naturæ videtur ex illo principio clarè deduci, quod scilicet nemo dat, quod non habet. cum enim causa efficiens det suo effectui existentiam non potest non supponi ab eo in aliquo priori eam habere.

Præterea, quod implicet contradictionem, quod aliqua res se ipsam primò conseruet eàdem prorsus ratione suadetur. Quia effectus, qui conseruatur ab aliqua causa, supponere debet illam in aliquo priori existentem in eo instanti in quo conseruatur ab illa. sed si res aliqua primò conseruaret sè ipsam esset effectus in conseruari sui ipsius, ergo supponeret sè ipsam in eo instanti existentem. implicaret igitur, quod per illam conseruationem intelligeretur primò conseruari in eo instanti. 3

Obijcies: idem potest se ipsum, vt causa moralis primo producere; & primo conseruare. ergo potest etiam, vt causa physica. consequentia patet patitate antecedens probatur. tum, quia meliores Theologi docent Christum meruisse suam resurrectionem. ergo fuit causa moralis, vt primò produceretur. Item non implicat, quod aliquis existens in instanti præcedente meretur sui conseruationem pro instanti sequenti. ergo potest esse causa moralis, vt primò conseruetur, vtrumque assumptum patet. consequentiæ verò suadentur, quia primò produci, & primò conseruari in præsenti controuersia non important negationem productionis, & conseruationis tempore præexistentis, sed natura. Ita vt si res aliqua postea: quam in instanti præcedenti corrupta, vel conseruata est posset diuinitus in instanti sequenti sè ipsam denuo producere, vel conseruare, existimanda esset dare sibi primò esse, quo ad produci, vel conseruari, quia non supponetur in eo instanti per aliam actionem existens, per hoc enim solum intelligeretur dare sibi esse secundo. Sed si Christus Dominus meruit sibi suam resurrectionem, & potest aliquis mereri suam conseruationem non implicat, quod aliquis det sibi moraliter esse primo. ergo &c.

In

4 In hoc discursu approbo intelligentiam primi, & secundi esse, tum quo ad produci, tum quo ad conseruari; quantum verò attinet ad argumentum Arriaga *disp. 8. phys. sect. 9 n. 114.* existimat valere argumentum ab esse morali ad esse physicum. Vnde notat inconsequentiæ recentiores illos, qui admittunt Christum fuisse causam moralem sui ipsius resurgentis. cum tamen negent posse aliquid physice causare dicto modo se ipsum. Si quidem eadem argumenta, quæ contra causalitatem physicam fieri possunt: militare putat contra moralem, eo quod causa moralis, & definitur per aliud sicuti physica, & est etiam prior suo effectu, quod enim dici posset eam non immediate influere in effectum, sed mediate tantum allicièndo causam physicam ad illum producendum: cum neque alteritati, neq; prioritati deroget, non videtur minuere difficultatem.

Verum ego non possum in hoc Arriagæ acquiescere. Quia inter causam moralem, & physicam video latum discrimen intercedere, quod maximè facit ad rem nostram. Physica enim debet necessariè præintelligi existens realiter in eodem instanti in quo causat effectum, & ideo impossibile est, quod possit *intelligi* dare sibi primo esse. At causæ morali sufficit si in eo instanti præintelligatur existere in statu intentionali, hoc est obiectiuè in intellectu v.g. præmiantis quamuis antecedenti tempore extiterit iam, & postea corrupta fuerit pro statu reali. Hæc enim præexistentia stat cum eo, quod intuitu illius præmians det ei denuo primo esse à parte rei, & consequenter, quod ipsa sit causa moralis sui ipsius quò ad dictum esse; facit etiam, vt de eadem verificari possit, quod in *tali* casu influat esse in aliud: quamuis enim ipsa secundum se considerata existens in statu obiectiuo, non distinguatur à sè ipsa existente *in statu reali*: potest tamen dici, quod distinguatur ratione status, atque adeo per hoc, quod in statu intentionali existens alliciat præmiantem ad sè ipsam pro statu reali ponendam verificetur de illa in sensu reduplicatiuo, quod influat esse in aliud; ex quo deducitur, quod quemadmodum non valet argumentari à causa morali ad physicam in ordine ad secundum esse, ita neque in ordine ad primum.

5 Quare ad obiectionem Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, disparitas patet ex dictis, quia inter causam physicam, & moralem latum intercedit discrimen, ratione cuius nulla est repugnantia, quod aliquid causet sè primo efficienter in genere causæ moralis. Contra vero in genere causæ physicæ; quod quidem discrimen dicimus consistere in eo, quod ad causandum sè primo physicè aliquid deberet præintelligi physice existens, vnde si sic causaret sequeretur contraditio, quod scilicet causaret sè primo, & non causaret sè primo. at ad causandum sè primo moraliter satis est si existat obiectiuè in mente præmiantis, qui eius intuitu moueatur ad dandum illi primo existentiam physicam in quo nulla apparet repugnantia.

6 Obijcies secundò: vtraque conclusio tradita eo nititur fundamento, quod vt causa operetur requirat in termino à quo suæ operationis existentiam, sed huiusmodi fundamentum infirmum esse patet ex eo quia non desunt ex Thomistis, qui putent posse causam aliquam operari in eo instanti, quo realiter non existit, dummodo immediate antea præextiterit, quod confirmant exemplo animalis morientis, quod licet pro eo, instanti vere non sit, exercet tamen operationem moriendi ergo &c.

Respondeo, concessa maiore negando minorem. Ad cuius confirmationem dico contra eam sententiam de causa operante *in instanti*, quò primo non est inuehi Suarez. *disp. 14. metaph. sect. 3.* Hurt. *disp. 8. phys. sect. 5.* Arriagam *disp. 7. sect. quinta* Oviedum *Controu. 7. p. 4.* & alios recentiores communiter eo precipue argumento ducti, quod inde sequeretur posse rem operari etiam si nullam antea habuerit, vel postea habitura sit existentiam, quod si eam habuit etiam si mille anni post sui corruptionem transierint, ad huc posset aliquid operari. nam, æque non est res post primum instans suæ corruptionis, ac si nunquam extitisset, vel si mille anni à sua corruptione præterijssent. Vnde si post instãs posset operari non esset, cur quandocumque non est operari etiam non valeret. Disparitas autem ducta ex contiguitate quam debet habere causa cum passo ad hoc, vt agat non est ad rem. *In tantum* enim sufficit causæ contiguitas, quo ad locum ad hoc vt agat in passum *in quantum hæc relinquit existentem ipsam causam*, atque adeo potentem causare: at contiguitas, quo ad tempus eam spoliat existèntia, & per consequens reddit illam impotentem ad causandum. *Quod si illam potentem relinqueret quemadmodum contiguitas, quo ad locum sufficit ad transferendam actionem ex loco proximo in longiquum, ita etiam contiguitas, quo ad tempus sufficeret, atque adeo posset, res agere non solum in instanti immediate post quam extitit, sed etiã multo post tempore, & sic quemadmodum agentia naturalia habent suam sphæram actiuitatis, quo ad locum, in qua possunt actionem suam propagare, ita deberent habere similem sphæram actiuitatis quo ad tempus, vt possent extendere actionem suam post, quam extiterunt per aliquot horas,* quod nemo dixerit. Quantum verò attinet ad fundamentum, quod ab aduersarijs adducebatur de animali moriente, nullam mihi videtur habere vim. Quamuis enim mori actionem aliquam grammaticaliter importet, at non physice idem enim est ac viuens corrumpi, non quod sit simul viuens eiusque corruptio, sed per ampliationem; significat enim, quod id, quod fuit antea viuens nunc corrumpatur. Porrò corruptionem rei nullam eius operationem physicam importare, euidens est dicit enim in recto nõ esse ipsius rei, & connotat in obliquo eam immediate antea fuisse, quod sine vlla prorsus operatione sui habetur.

7

( )

SE-

SECTIO SECVNDA.

An possit idem dare secundo esse sibi ipsi.

8 NOstra conclusio est, quod quamuis id naturaliter loquendo non possit, potest tamen per absolutam Dei potentiam, & quidem quantum ad priorem partem hæc conclusio est certa apud omnes, quo ad verò posteriorem eam docet Suarez *to. 3. inter partem. disp 50. sect. 4.* Arriaga *disp. 7. phys. sect. 9.* Comptonus *disp. 3. phys. sect. prima n. 5.* Contra Vasquez Card. de Lugo Monceū Ouiedum, & Hurtadum *locis citatis* ab ipso Comptono *n. 3.* Prior pars patet, quia naturaliter non potest idem effectus dependere à duplici causa totali totaliter concurrente, vt suo loco vidimus, ergo multo minus poterit dare sibi esse secundo. Quia in hoc non solum habetur duplex totalis influxus à duplici causa totali proueniens, sed etiam, quod vna ex his causis cum ipso effectu totali identificetur.

9 Posterior verò pars, quæ est inter recentiores controuersa, probatur: quod aliquid det sibi secundo esse nullam inuoluit implicantiam contradictionis: ergo diuinitus id fieri potest Consequentia patet. antecedens verò præter quam quod sufficienter ex solutione argumentorum, quæ in cōtrarium afferuntur probabitur: suadetur nihilominus primo, quia in tantum non potest aliquid dare sibi esse primo, quia omne intelligi debet prius esse, quam operari, quod nequit de re aliqua in ordine ad primum esse verificari: sed hæc ratio cessat in casu nostro, volumus enim, quod secūda actio non se habeat mere disparate, respectu primæ. Sic enim non posset intelligi illa posterior, sed, quod eā in aliquo priori supponat, & veluti pendeat essentialiter ab illa, quatenus debet à re iam existenti profluere, atque adeo per aliam actionem in signo antecedenti producta, ergo cessat implicantia, cur non possit idem dare sibi esse secundo. Idem antecedens suadetur secundo, quia non implicat, quod aliquid in eodem instanti in quo recipit esse, per primam actionem à causa A. v.g. influat in illam secundò ita, vt causa A. per duplicem actionem totalem tunc existat, quarum vna procedat a causa B. altera a suo effectu; vt docent fere omnes qui supponunt posse eundē effectū à duplici causa totali totaliter influente diuinitus dependere. Sed in præsenti quæstione, quam præ manibus habemus hoc idem supponendum est; ergo neque videtur implicare, quod idem causet secundo sè ipsum.

10 Probo hanc consequentiam: si qua esset disparitas maxime, quia inter causam, & effectum realis distinctio intercedit, quæ non haberetur casu quo aliquid causaret se ipsum. Sed hæc ratio nulla; est dicta enim distinctio necessario requiritur in ordine ad primum esse propter rationem in præcedente sectione assignatam. Hæc autē ratio cessat in ordine ad secundum esse. ergo &c. vbi obiter notarem, secundum esse non dici quasi verò sit ex natura rei distinctum à primo. hoc enim falsum est. si quidem hæc sententia, quam tuemur, expresse docet id, quod secundò causat se ipsum à parte rei non esse nisi vnicā indiuisibilem entitatē. tum quo ad essentiam, tum quoad existētiam quæ vt stat sub priori actione, dicitur accipere primū esse, pro vt verò sub posteriori secundū; melius tamē diceretur, esse primo, & esse secūdo. sic enim prioritas, & posterioritas expresse significaretur cadere supra actiones, & nō supra ipsum esse rei: Multa obijci solēt cōtra hāc sententiā ab aduersarijs, inter quæ duo sunt, quæ multum negotij nobis facessere videntur. Quorum vnum in præsenti sectione soluemus: alterum in sequenti cætera verò; quæ leuiora sunt in vltimam reseruabimus.

Obijcies: ergo primò, ex Hurtado *disp. 9. phys. sect. 13. parag. 154* si ex conceptu productionis vt sic idem non repugnat à se ipso produci: profecto neque repugnabit Deo; sed hoc modo corruit fides de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, quod fundator in duplici productione, quæ in diuinis habetur. ergo &c. 11

Respondeo: negando sequelam; ratio negationis est, quia si in Deo productio sui ipsius haberet locum: vel naturaliter ei competeret, vel supernaturalitet; neutrum dici potest; ergo implicat. Maior est euidens. Minor suadetur; & quidem non posse dici secundum: est inconfesso apud aduersarios. Tum, quia omnis productio ad intra cum sit Deo necessaria; erit etiam principio producenti, & termino producto maximè naturalis: tum etiam, quia non potest dari productio supernaturalis, nisi intelligatur principium aliquod superius eleuatiuum cui per potentiam obedientialem, vel producens, vel etiam terminus productus subordinetur. Sed nullum respectu Dei potest dari huiusmodi principium; ergo &c. Quod vero neque dici possit primum, quod scilicet dicta productio sit Deo naturalis. suadetur, quia in his quæ naturaliter producuntur inductione constat, quod si vna actio est sufficiens non admittit natura aliam, neque totalem, neque partialem, eo quod superfluitatem abhorreat.

Instabis ex creaturis non valet argumentari ad Deum; non enim bene quis argueret omnes creaturę, vt inductione constat, defectibiles sunt, & indigentes causa ad hoc vt sint. ergo. & Deus. igitur ex eo, quod videamus in creatis naturaliter loquendo, quoties vna actio est sufficiens, naturam non admittere aliam, non debemus id de Deo aserere. stante igitur quod idem posset dare sibi secundo esse, non posset saluari mysterium Trinitatis. 12

Respondeo distinguendo antecedens. ex creaturis non valet argumentari ad Deum, si non militat eadem ratio in vtrisque, concedo; si vero militat, nego antecedens, & consequentiam, & dico quod quando illa ratio, quæ nos inducit ad affirmandum, vel negandum aliquid de rebus creatis militat etiam in Deo: debemus illud Deo quoque, vel concedere, vel negare, vt patet ex necessitate excludendi à sè prædicata contradictoria, & admittendi in sè prędicata vnius, veri, & boni, quæ necessitas cum fundetur in ratione entis realis positiui, vt sic, æque militat in rebus creatis ac in ipso Deo, huiusmodi autē non sunt prædicata defectibilitatis, & indigentiæ

Digitized by Google

tiæ causatiui principij, quæ consequuntur solam rationem entis creati, quam procul esse ab essentia Dei omnes fatemur. Iam vero necessitas, in his, quę naturaliter fiunt per vnam actionem adæquatam excludendi à sè aliam actionem siue totalem siue partialem, fundatur in fuga superfluitatis, in quam totis viribus conijcit sè natura creata. vt illam euitet. Porrò hæc ratio multo magis militat in natura diuina, quatenus nihil contra sè admittit, quod non sit summe necessarium; & nos scimus superfluum esse id, quod ad nihil potest esse necessarium. Recte igitur ex eo, quod videamus ea, quæ naturaliter fiunt per vnam actionem adæquatam in creatis excludere à sè quamcumque aliam: concludimus productionem sui ipsius non habere locum in Deo connaturaliter, atque adeo respectu Dei esse penitus implicatoriam.

13 Instabis secundo si idem posset sè ipsum reproducere, posset in diuinis sustineri hoc, absque multiplicitate productionum sui ipsius, dicendo quod Pater Æternus in aliquo priori habeat quidem esse à sè, eo modo quo fides docet: in posteriori verò sè ipsum naturaliter producat non per productionem, quæ supponat aliam ante sè, sed quæ solum supponat terminum existentem. Atqui hoc modo superfluitas vitaretur. ergo iam ex nostra sententia, Trinitatis Mysterium infirmaretur, quia hanc posset quis dicere esse vnam ex duabus processionibus, quæ sunt in Deo. Ita fere Ouiedus *Controu. 5. phys. puncto* 10. *n.* 6.

14 Respondeo concedendo maiorem, vere enim ex hypothesi impossibili, quod Pater sè ipsum produceret, non haberetur duplex actio productiua eiusdem termini. Sed nego minorem, quod sic vitaretur superfluitas: & ratio negationis est, quia productio essentialiter exigit communicare suo termino existentiam simpliciter, & solum de potentia Dei extraordinaria frustrari potest actu huic exigentiæ correspondente. Vnde fit vt si Pater æternus naturaliter, & sine eleuatione sè ipsum secundo produceret, impossibile esset, quod connaturaliter loquendo huiusmodi productio in priori naturæ eum existentem supponeret. ex hypothesi autem, quod supponeret, iam ea cõinceretur superfluitatis, quemadmodum conuinceretur, si eundem per aliam productionem inueniret productum; quod sic breuiter suaderem: Intantum ex suppositione, quod terminus esset per vnam actionem adæquate productus; alia actio esset connaturaliter loquendo superflua, inquantum inueniret terminum suum existentem. sed illa productio, qua Pater æternus sè produceret, vt fatetur Ouiedus, iam inueniret suum terminum existentem, quantumuis esset prima, ergo adhuc esset superflua. Frigida autem mihi videtur contra hoc auctoris instantia, qua dicit quod licet in creatis ita cõtingat: nõ possit tamẽ reddi efficax ratio, cur in diuinis non possit dari naturalis productio, quæ non sit ordinata ex suis intrinsecis ad dandã connaturaliter suo termino existentiam. Nam hoc videtur esse contra primam, & communissimam notionem actionis productiuæ. omnes enim per eam intelligimus processionem illam seu emanationem cuius beneficio principium productiuum dat esse suo termino producto. Contra negantem autem primas notiones non est immorandum, nisi cogendo illum, vt assignet in quo alio ratio productionis à creata, & increata præscindens posita sit, & postea, eum ad impossibile reducere.

Subinstabis: hoc ipso, quo aliqua actio non est essentialiter superflua, non potest esse naturaliter talis. ergo vana est distinctio tradita; antecedens suadetur, quia dum non est essentialiter superflua iam ad aliquid inseruit in natura. ergo nequit esse naturaliter superflua. 15

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens: ad aliquid inseruit in natura: ex suppositione, quod natura sè extenderet per suas vires ad eius finem, concedo. posito quod non potest sè extendere ad eius finem, nego antecedens, & consequentiam; dico enim, quod cum natura non possit intendere, vt indiuiduum aliquod æquiualeat pluribus indiuiduis, & quidem dependenter à sè ipso: actio quæ huiusmodi finem essentialiter respicit dicitur esse illi superflua, & otiosa, sicut ensis, & arma infanti hodie nato. At verò quia Deus per suam absolutam potentiam potest intendere huiusmodi finem, ideo hæc actio non est essentialiter superflua. Sic quia non potest natura viribus suis intendere, vt vna res ita à sua adæquata causa dependeat; vt casu, quo ea deficeret, ad huc beneficio alterius influentis simul cum præcedente, perseueret in esse; contra vero id potest Deus de absoluta sua potentia: hinc dicimus, quod dependentia effectus à duplici causa totali, totaliter concurrente est naturaliter superflua: nõ autẽ supernaturaliter; Ex quibus deduces loquẽdo de productionibus ad intra, quod cum id ad quod non potest Deus naturaliter extẽdi implicet cõtradictionem, quod possit supernaturaliter: hinc recte colligitur implicare etiã contradictionẽ in diuinis, quod vna persona det tibi esse secundo.

Instabis tertiò ex eodem Ouiedo *n.* 7. retorquendo contra nos doctrinam, quam de superfluitate tradidimus. Actio qua quis sè ipsum secundo producit essentialiter supponit illum existentem iam, ergo essentialiter supponit id ad, quod ex intrinsecis suis ordinatur, sed quod est huiusmodi non solum naturaliter, sed etiã essentialiter est superfluum, & otiosum: id autem, quod est tale implicat contradictionem existere. ergo quod aliquid secundo sè ipsum producat contradictionem inuoluit. præcipuum enthymema est sine dubio nostra doctrina. Primum verò subsumptum probatur, quia id, quod ita respicit essentialiter finem suum, vt semper æque existat finis sine illo ac si existeret cum illo: est sine dubio essentialiter superfluum. Secundum verò declaratur, quia, quod ex suis prædicatis intrinsecis est superfluum non potest habere aliquam appetibilitatem, sed quod nullam habet appetibilitatem caret omni bonitate. Nam bonum, & appetibile conuertuntur ergo non habet rationem entis positiui, huius enim passio est bonitas, atque adeo est quid implicans, & chymericum. vltima denique consequentia, est euidens, nam ex vna parte finis actionis est existentia termini: ex alia verò cum huiusmodi actio supponat essentialiter terminum suum exi-

16

sten-

Digitized by Google

stentem, habet pro fine aliquid quod tam benè est sine illa ac cum illa.

17 Respondeo concesso primo antecedente: distinguendo consequens; ergo actio qua quis sè ipsum secúdo producit, supponit inadæquatè id, ad quod ex suis intrinsecis ordinatur, concedo, adæquatè, nego consequẽtiam; & distinguo eodẽ modo primũ subsumptum, quod supponit essentialiter adæquateid, ad quod est ex suis intrinsecis ordinatum, est essentialiter superfluum, concedo, si id inadæquatè supponat, nego, & sic distincto etiam secundo, nego vltimam consequentiam. dico enim quod ad excludendam superfluitatem à medio sufficit si non supponat suum finem adæquatum, quid quid sit, si inadæquatum supponit; & ratio est euidens quia hoc ipso quod non supponit illum secundum omnem rationem quam adæquate includit, iam est necessarium ad eum sic obtinendũ, vndè est vt omnis superfluitas cesset, & quidẽ omnis finis, qui à parte rei ponitur, habet inadæquate quod sit possibilis; nam præter possibilitatẽ importat etiã existentiã; & tamen secũdum eam inadæquatam rationem præsupponitur à medio; quod ordinatur ad illum, sic etiam Paulus à Petro genitus habet inadęquatè quod sit homo secundum quam rationem supponitur in Petro patre, & tamẽ actio, qua generatur non est superflua, quia secundum quod adæquate dicit, nõ præsupponitur, porrò vt ad propositum redeamus dico finem adæquatum secundæ actionis qua quis se ipsum produceret, non esse censendam existentiam sui termini vt sic, sicuti est finis primæ, sed existentiam cum æquiualentia ad alterum indiuiduum. Vndè fit vt licet supponat suum terminum existentem, quia tamen non supponit illum vt indiuiduum æquiualenter duplex: ideò non potest dici quod supponat adæquatè id, ad quod ordinatur, sed solùm inadæquatè. Hinc colliges quod si secunda actio, qua quis sè ipsum producit non est talis, vt ex vi illius possit terminus in duobus locis adæquatis quamcumuis immediatis existere, erit essentialiter superflua.

18 Sub instabis, hoc quod est esse Corpus in pluribus locis, sufficienter habetur beneficio pluriũ vbicationum modalium, ergo adhuc stat quod superflua essentialiter sit actio, qua quis se ipsum secundò produceret. Respondeo eos, qui negant vbicationem esse modum ex natura rei locato intrinsecum, negare antecedens, sed ego, admissa hac opinione, concesso antecedente, nego consequẽtiam, & ratio est quia actio, qua quis se ipsum reproducit, non est primo, & per sè ordinata ad constituendum se in duplici loco, sed ad faciendum vt æquiualeat duplici indiuiduo, vndè est vt sit substantialis, quia re vera habet pro termino substantiam, & solùm secundariò, & consequenter ei competit ponere suum terminum in aliquo loco, sicuti competit cæteris actionibus substantialibus. Contra vero vbi modus, si datus, habet primò rem in hac vel illo spatio determinatè constituere, ex quo patet actionem qua quis se ipsum produceret, non fore essentialiter superfluam.

19 Instat denique Quiedus illo num. 6. Patres, & Doctores scholastici ex ratione producentis, & producti deducunt distinctionem personarum in Deo, assumentes tamquam per se notum; nihil posse producere se ipsum, sed si nostra sententia vera est, hæc illatio, vel totaliter corruit, vel ex parte debilitatur; ergo &c.

Respondeo, concessa maiore, negando minorẽ cum enim principium illud, quod nihil possit sẽ ipsum producere, sit connaturaliter loquendo, per se notum: rectè ex ratione producentis, & producti Patres, & Scholastici personarum distinctionem collegerunt, quia Deus quid quid operatur ad intra, maximè naturaliter operatur, non igitur Catholica illatio, stante nostra sententia, corruit. quod vero neque infirmetur: Probatur paritate rationis, nam multi ex aduersarijs sustinent, posse vnum effectum per duplicem actionem totalem ab eadem causa produci, nec non etiam effectum in eodem instanti, quo pendet à sua causa per veram causalitatem, illam secundò causare, quibus sententijs, quamuis posset aliquis abuti, dicendo, quod duabus illis productionibus, vel Pater vnam tantum personam producat in priori, sub ratione verbi, & in posteriori, sub ratione Spiritus Sancti: vel quod Filius, post quam productus est à Patre per aliam productionem, det illi secundò esse: hoc tamen non obstante nulla ex parte per eas in rei veritate illatio Trinitatis diuinarum personarum debilitatur, ergo neque labefactabitur ex nostra sententia; probo consequentiam paritate rationis: in tantum enim non debilitatur per illas, in quantum procedunt de potentia obedientiali, & supernaturaliter; diuinæ autem processiones sunt maximè naturales, sed etiam nostra sententia supernaturaliter tantum loquendo vera esse existimatur à nobis, ergo &c. Propter eandem rationem non est censendum, quod ex nostra sententia infirmetur communis opinio meliorum Theologorum, qui docent, quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo, quia processio in diuinis, cum sit necessariò naturalis, est signum infallibile distinctionis inter procedentem, & id, à quo ille procedit, at vero in creatis potest esse supernaturalis, & ideò potest versari inter terminos realiter indistinctos.

SECTIO TERTIA.

Proponitur, & soluitur Secunda Obiectio.

20 OBijcies secundo ex Hurtado, §. 156. Quiedo n. 3. & alijs, nihil potest se ipsum causare ingenere causæ materialis; ergo neque ingenere efficientis; de antecedente, inquit; Hurtado, nullus sanus Philosophus dubitauit: alioquin idem informaretur se ipso, & calor posset per se ipsum reddi calidus, quod nemo dixerit, consequentia suadetur paritate rationis.

Respondeo: nostræ sententiæ sectatores vnanimi consensu omnes, quod sciam, respondere: concesso antecedente; negando consequentiam in assignanda autem disparitate laborare.

Quidam enim dicunt primò: causam materialem comparari ad effectum suum vt perfectibile ad perfectiuũ; atqui repugnat quod idẽ respectu sui ipsius habeat rationẽ perfectibilis, & perfe-

Digitized by Google

dini, ergo &c. Sed contra quia causa efficiens comparatur ad suum effectum vt principium productiuum ad terminum producibile, ergo, si hoc non obstante potest idem ingenere efficientis causare se ipsum: etiam non obstante, quod causa materialis ordinetur ad suum effectum vt perfectibile ad perfectiuum, poterit idem ingenere causæ materialis causare se ipsum, vel, si hoc repugnat, repugnabit, & illud.

Alij dicunt secundo: ex causa materiali, & effectu suo resultare necessariò compositum, quod essentialiter exigit distinctionem realem inter partes componentes; & ob id non posse idem materialiter causare sè ipsum. Contra etiam: ex causa efficiente, & suo effectu dicent aduersarij, quod necessariò resultare debeat binarius numerus entitatum, quarum vna referatur ad aliam; ergo si resultantia compositi impedit ne causa materialis causare valeat se ipsum; etiam resultantia entitatum impediet ne causa efficiens se ipsam producat: vel si hoc non obstante, hæc potest; ita & illa.

21 Respondet tertio Arriaga, *num.* 10. rationem, cur causa materialis non possit causare sè ipsam non esse indistinctionem numericam, nam, licet vna materia numericè distinguatur ab alia, illam tamen subsistentare nequit; sed esse quia effectus causæ materialis debet necessariò essentialiter ab illa distingui. Contra vero effectus causæ efficientis potest in specie infima conuenire cũ illa: quemadmodum igitur ex eò quod causa materialis non possit causare effectum eiusdem speciei non valet inferre, quod neque id possit causa efficiens: ita neque ex eo quod eadem causa materialis non possit causare se ipsam, non bene arguitur, quod neque possit efficiens.

Sed contra est: quia licet loquendo de materia prima verum sit vnam numero materiam non posse causare aliam eo quod de eius essentia est esse incausabilem materialiter, vt pote primum subiectum; at si loquamur de alia causa materiali, quæ non sit prima; cuiusmodi esse potest quantitas v. g. non apparet cur non possit vna aliam numero distinctam diuinitùs subsistentare; cum tamen nulla possit subsistentare se ipsam; argumentum igitur ductum à distinctione specifica inter causam materialem, & effectum suum, non habet vim; quod si respondeat Arriaga, inductione apparere, quod de essentia causæ materialis sit diuersitas specifica inter se, & effectum suum; adhuc ex hypotesi impugnari potest ab Ouiedo, sic: Etiam si ex suppositione impossibili, quantitas v. g. posset causare materialiter aliam quantitatem numero distinctam, adhuc tamen non posset materialiter causare se ipsam; sed hæc impotentia præcisè ex identitate numerica ei proueniret; ergo ex identitate etiam numerica oriri debet in causa efficiente in potentia causandi se ipsam.

22 Quarta disparitas sumi potest ex eodem Arriaga, num. citato. dicente, ideo causam materialem non posse causare se ipsam; quia eius causalitas, vel est vnio, vel requirit essentialiter vnionem, quæ non potest, nisi inter res ex natura rei distinctas intercipi. Causalitatem vero efficientis neque vnionem esse; neque vnionem exigere, & ideò non esse mirum quod possit habere pro termino principium, cuius est causalitas.

Impugnat Ouiedus, *num.* 5. hanc disparitatem ex eo, quia ipse existimet causalitatem materiæ in formam, esse passionem. Non placet: multi enim putant esse vnionem, & inter eos, qui censent esse passionem, non desunt qui dicant posse materiam causare materialiter formam, & non esse illi vnitam; iuxta quorum principia remanet solutum argumentum, quod ipse ad negandum idem posse sè secundò producere, principaliter proposuit.

Melius ergo dicta disparitas impugnanda videtur ex eo, quia non potest assignari disparitas cur vnio importet distinctionem realem inter extrema sua, & non actio; sicuti enim vnio dicit vnum cum alio, ita actio vnum ab alio; vel si hoc negatur, assignari vlterius debetur, esse cum, quod importat vnio, infert alietatem extremorum, & esse ab, quod dicit actio, similem alietatem inter extrema non inferat.

Quinta est aliorum, qui dicunt strictiorem esse 23
dependentiam passiuam, quam actiuam, quælibet enim res potest effici saltem diuinitùs à qualibet rè, aliquæ tamen res dantur, quæ neque per absolutam Dei potentiam possunt ab aliqua alia subsistentari: vt patet in Angelo, & materia prima, iam vero hanc repugnantiam, si habent non nullæ res in ordine ad omnem causalitatem materialem, maximè eam habere debent res omnes specialiter in ordine ad illam causalitatem materialem, per quam causent se ipsas; quia hæc videtur omnium difficillima.

Contra tamen est: quia ex eo quod non possint eleuari Angelus, & materia prima ad dependendum in genere causæ materialis ab alio aliquo, non bene infertur nihil aliud posse eleuari ad dependendum in eodem genere à se ipso; eo quod ratio, quæ militat pro illis ad negandam eis dependentiam ab alijs, non habet locum in alijs ad negandum illis à sè dependentiam; nam in tantum Angelus, & materia non possunt materialiter subsistentari à quouis alio, in quantum ille est actus completus simplex, & per se subsistens: hæc vero est subiectum primum: sed neutra ratio militat in quantitate v. g, vt negetur illi potentia obedientialis ad dependendum materialiter à se ipsa, ergo &c. Confirmatur à pari: ex eo quod lignum, lapis, & similia non possunt eleuari ad videndum Deum, non rectè colligitur neque posse eleuari intellectum Angelicum, & humanum; neque ergo ex eo quod Angelus non possit materialiter causari ab alio, quod non possit quantitas à se ipsa. Cæterum ad id quod addebatur, difficilius esse rem omnem causari materialiter à se ipsa, quam Angelum, & materiam ab alio: facile negari potest ab aduersarijs dicendo difficultatem in Angelo & in materia fundari in eo, quod implicat specialiter eas sic causari ab alio, cum autem hæc specialis implicantia non militet, si aliqua alia res causet se ipsam materialiter, nisi obstaret indistinctio, vtique diuinitùs sic sè causare posset. His igitur disparitatibus post habitis.

No-

Digitized by Google

64 Nos nostris principijs inhærendo dicimus; quod ideo implicat aliquid sè ipsum materialiter causare, quia huiusmodi causatio esset essentialiter superflua. cum enim effectus causę materialis debeat recipi in ipsa causa, atque adeo compenetrari cum illa, numquam potest consequi causa hæc, sè ipsam causando, æquiualere duplici individuo. Sed huiusmodi æquiualentiam non assignamus pro ratione à priori, cur non esset superfluum idem producere secundo se ipsum: ergo etiam si implicet causa materialis causatiua sui ipsius non tamen implicat causa sui ipsius efficiens. effectus enim huius causæ non exigit recipi in ipsa causa. Adde quod post quam aliqua res se ipsam secundo produxit, si est ex earum numero, quæ non indigent conseruari à causa secunda, potest vtique à sè ipsa valdè distare, ac si verè esset duplex individuum, quia quemadmodum Deus ad exigentiam primæ productionis illam conseruaret in vno loco quantumuis distante ab illa causa, quæ eam primo produxit: ita deberet illam conseruare in alio loco ad exigentiam secundæ quamuis distante à se ipsa. Atque ex his habes, cur vnio inter causam materialem, & effectum suum non potest non esse inter terminos realiter distinctos, actio vero, qua causa efficiens causat effectum suum solum connaturaliter loquendo exigit realem distinctionem inter vtrumque. Ratio enim est, quia, vti dicebamus, vnio rei cum se ipsa est essentialiter superflua. & otiosa, dum caret fine multiplicandi æquiualenter ipsam rem; Contra vero actio, qua aliquid se ipsum secundo producit.

SECTIO QVARTA

Expenduntur reliquæ Obiectiones

65 OBijcies 3. causa definitur esse id, quod influit esse in aliud. sed nihil est aliud à se ipso, ergo nihil potest esse causa sui ipsius.

Respondeo in physicis me dixisse ad saluandam huiusmodi definitionem quando aliquid sè ipsum secundo producit, sufficere si actio productiua ab illo realiter distinguatur. Nam sic optimè stat, quod productum atque causatum reduplicatiue sumptum sit aliud à causante. Si hoc non probas. dic cum alijs definitionem illam intelligendam esse de causa modo naturali causante. quemadmodum cognita fuit à Philosopho; non autem de causa secundum sua essentialia præcisè spectata. Hac enim satis bene per influxum defectibilem definiri potest. cæterum, in hoc responsionem Arriagę probare non possum, dicentis *num.* 112. vel particulam, aliud, ad libitum indefinitione causæ positam esse, vel si data opera, quando aliquid producit sè ipsum, non posse dici causam sui. Vtrumque enim displicet. primum quidem, quia inductione facta per omnes causas naturales constat eas habere effectum; qui sit aliud à sè: secundum verò, quia non est concedenda productio in rebus creatis, quæ non sit causalitas; sed in diuinis tantum vbi ex fide habemus Patrem producere Filium, & non causare illum.

Obijcies quartò: ex nostra sententia sequi 66
idem quatenus causa est esse prius se ipso, & quatenus effectus à sè ipso dependere; sed vtrumque implicat. ergo &c.

Respondeo distinguendo sequelam: sequi esse prius se ipso, & à sè dependere, simpliciter nego; secundum quid concedo: & sic distincta minore nego cõsequentiã. Dico enim quod licet implicet, quod idem simpliciter sit prius se ipso, & à sè dependens: hoc est secundum eam actionem per, quam habet primo esse: ac nulla est repugnantia loquendo secundum quid, videlicet, consideratum quatenus inuoluit præter esse primo habitum per primam actionem, esse secundo per secundam acceptum. sensus enim propositionis sic acceptæ est quod idem quatenus stat sub secunda actione, sicuti est posterius sè ipso stante sub prima; ita etiam est à sè sub prima quoque existente dependens: ad eum plane modum, quo potentia visiua si consideretur, vt videns, & comparetur cum se ipsa quatenus est productiua visionis est sine vlla absurditate seipsa secundum quid posterior, & à sè pendens. 67

Instabis non stat dependentia siue relatione: ergo si idem potest à se ipso per secundam actionem pendere, poterit etiam dicere relationem ad se ipsam, sed hoc implicat nam relatio est inter terminos realiter distinctos: ergo. &c.

Respondeo: non nullos concesso primo enthimemate, negare subsumptum: quamuis enim relatio debeat necessario esse, inquiunt inter terminos realiter distinctos, iam termini adæquate accepti hanc habent distinctionem in casu nostro: nam quando aliquid se ipsum producit, producens denominatiue sumptum distinguitur à sè ipso quatenus productionem inuoluit. Ita vt productio sè habeat solum, vt ratio fundandi respectu relationis producentis, eo quod fundamentum proximum est ipsa producentis substantia; siue eius productiua potentia: contra verò respectu relationis producti sè habeat etiam, vt fundamentum proximum; quatenus ex ea immediate pullulet, in eamque recipiatur. Quod si quis hunc philosophandi modum non probat: dicat ad actionem qua quis se ipsum producit defectu sufficientis terminorum distinctionis, nullam sequi relationem, neque mutuam, neque non mutuam. Si verò neque in hac responsione sibi satisfacit: poterit respondere tertiò concesso antecedente negando consequentiam: ac dicere productum debere dicere relationem ad principium principale producens, non autem ad Instrumẽtale. Quoniã verò quãdo, quis sè ipsũ secũdo producit ipse sè habet, vt instrumentum obedientiæ, & Deus, vt principale principium hinc fit, vt dicat ad Deum, & non ad sè relationem.

Obijcies quintò; Repugnat aliquem esse re- 68
gem, & dominum sui: ergo etiam repugnabit esse causam sui. Respondent aliqui negando antecedens: putant enim posse idem ex hypotesi, quod in duplici loco replicetur sine vlla contradictione prout existit in vno loco esse Regem ac dominum sui ipsius, vt existentis in alio; beneficio æquiualentiæ duplici individuo. Quod si

Digitized by Google

hoc asserere durum tibi esse videtur: eo quod ad exercendum aliquem dominum circa alium videatur omnino necessaria distinctio voluntatum; quarum vna regulet, & altera reguletur: hoc ipsum pro disparitate tibi est assignandum, cur admisso antecedente consequentiam neges. Paulo diuersam disparitatem assignare debemus argumento, quo Hurtado parag. 159. ex eo, quod nemo potest esse per absolutam Dei potentiam, pater sui ipsius, infert nihil posse se ipsum secundò producere. Nam nomine patris intelligimus illum, qui dat esse primo, & simpliciter filio suo, non autem illum, qui dat secundo, supponendo esse datum primo. Vnde sicuti nemo potest etiam diuinitus dare sibi esse primo: ita neque potest esse pater sui ipsius, cum hoc autem stat posse se ipsum secundo producere.

39 Obijcies sextò: ex Vasquex apud Comptonũ *sect. 2. num. 12.* quamuis in his, quæ producuntur in instanti, eadem res in eodem instanti realis sit in fieri, & facto esse. At quod formaliter, & in eodem signo rationis, implicat contradictionem. fieri enim est via ad terminum; & factum esse terminus dictæ viæ, atque adeo illa posterius; sed res, quæ causat se ipsam in eodem signo intelligitur in fieri, & in facto esse. ergo est implicatoria, & chymerica. Probatur minor: in eo signo in quo res intelligitur causare se ipsam, quatenus intelligitur esse principium productiuum, intelligitur in facto esse. prius enim est esse, quam operari: quatenus verò terminus, qui tunc producitur; in fieri. ergo in eodem signo intelligitur in fieri, & in facto esse.

Respondeo distinguendo maiorem: implicat, quod aliqua res in eodem signo rationis intelligatur in fieri, & in facto esse, respectu eiusdem actionis concedo: respectu diuersarum, nego maiorem; & sic distincta minore nego consequentiam. dico enim, quod licet res in eo signo in quo se ipsam causat intelligatur in facto esse, & in fieri, intelligitur tamen in facto esse beneficio prioris actionis, per quam habuit esse primo. In fieri verò beneficio posterioris, per quam habet esse secundo.

Instabis hæc posterior actio exigit, vt in eo 40
signo in quo ipsa primo ponitur intelligatur, res in facto esse simul, & fieri; ergo nulla responsio.

Respondeo distinguendo assumptum: cum diuerso respectu ad ipsam actionem concedo, cum eodem, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod actio illa exigit quidem vt res intelligatur in facto esse prout est principium effectiuum à quo ipsa dimanat. in fieri verò prout est terminus, qui per eam producitur. Non verò exigit, quod intelligatur simul in fieri, & in facto esse, vel quatenus est principium, vel quatenus est terminus ipsius actionis.

DISPVTATIO
SEXAGESIMA SECVNDA
DE REACTIONE.

1 QVamuis reactio prima fronte videatur, impedimento esse rerum naturalium generationi, cum per eam vires agentium non solum retardentur, sed etiam debilitentur ne agant, quantum possunt in passum debitè sibi applicatum: re vera tamen maxima illi affere commoda, & adiumenta. per eam enim mixta ex elementorum pugna generantur, dum hæc sibi inuicem agendo, & reagendo contrarias qualitates remittunt, & ad temperamentum exactum à mixtorum formis se reducunt: vt ex dicendis patebit.

SECTIO PRIMA.

Quid, & an sit Reactio.

2 PRima concluſio: Reactio, quo ad rem nostram facit, est mutua, seu reciproca actio, qua passum aliquid qualitatis producit in eo, quod agit in ipsum: secundum eandem partem, & secundum eandem contrarietatem: quare duas actiones in suo conceptu essentialiter importat. Reactio: vnam in recto, per quam passum reagit in agens; & aliam in obliquo, per quam agens agit in passum. Pro maiori verò huius rei declaratione aduerto, quod ex duobus inuicem egentibus ac patientibus, illud diceretur absolutè Agens, cuius actiuitas actiuitatem alterius absolute superat. & illud passum, cuius actiuitas ab alio absolute superetur; quod quidem passum, quia vicissim reagit in agens: hinc fit, vt respectu huius posterioris actionis reagens appelletur: id vero; in quod reagit scilicet agens nominetur repassum. Quod si hoc partialiter tantum, & non totaliter est intra sphæram actiuitatis reagentis, eius pars quę est extra sphęram illius dicitur pars nõ repassa, eo quod nihil patitur à eõtrario: illa vero, quę est intra sphęrã propter oppositã rationẽ appellabitur pars repassa.

3 Secunda concluſio: datur in rerum natura reactio: puto enim euenire posse casum, in quo vnum contrarium agens in aliud: calidum v.g. in frigidum ab hoc viciſſim repatiatur, atque infrigidetur. Est contra Burlæum *tertio phys: tex.* 17. Riccardum *suiseth. tract. 7. de Reac.* & alios apud Marsilium *primo de gen. quæst. 39. art. 3.* defen-

Digitized by Google

tenditur tamen à S. Tho. *in 4. dist. 11. quæst. prima art. 3.* & alijs communiter, quos citant, & sequuntur P. P. Conimbricenses *quæst. 49. art. 3.*

7 Probatur autem primo ex Aristotile, qui pluribus in locis id expressè docuit, nimirum *2. de gen. phys. tex. 8. & 17.* vbi eum sequuntur omnes interpretes; & primo *de gen. tex. 53. & 87. & 89. & quarto de gen. anim. cap. 3.* vbi hæc habet; Omne agens patitur etiam à patiente, vt quod secat, hebetatur ab eo, quod secatur; quod calefacit refrigeratur &c. & paulo inferius: interdum etiam ita fit, vt quod agit magis patiatur, quam agat, & refrigeretur, quod calefacit, calescat, quod frigefacit. vbi aduerte, quod hic agentis nomine non venit id, quod secundum regulam traditam appellandum esset agens, sed id, quod ex nostra intentione ad agendum alicui subiecto applicatur. quamuis in rei veritate sit reagens.

8 Probatur secundo; manifestis experientijs, videmus enim, quod si ferrum candens in frigidam aquam proijciatur, aqua quidem calefit, ferrum vero aliquid frigiditatis acquirit. præterea si manus calida frigidã stringat manum, vel aqua frigida calidæ immisceatur tepida euadẽt omnia; per hoc quod vires sibi inuicẽ agẽdo, & patiendo diminuunt. Denique nõ aliam ob causã continuo spirãt ac respirãt animalia nisi quia frigidus aer, quem attrahunt, vt nimiũ cordis tẽperent calorem infrigidendo ipsum cor vicissim ab eo calorem concipit, vnde expellendus est, vt alius item frigidus introducatur.

Probatur tertiò: A priori, quia quotiescumque in rerum natura sunt omnia requisita ad agendum, toties debet sequi actio, sed potest euenire casus in quo ita duo corpora se ad inuicem habeant, vt non solum vnum habeat omnia requisita ad agendum in alterum, sed etiam hoc in illud secundum eamdem partem, & secundum eandem contrarietatem, secundum quas patitur. ergo in tali casu dabitur reactio. Maior patet: Minor probatur ex requisitis ad reactionẽ ab Aristotile hic *d tex. 53.* Primo enim requirit, vt tum agens, tum passum sint materialia; & quidem ambo alterabilia secundum eam contrarietatem, quam habet forma, quæ per actionem producitur. Defectu cuius conditionis etiã si cœlum agat in hæc inferiora, non potest tamen repati ab illis, posito, quod sit incorruptibile. Secũdo, vt agens sit vltimũ, & immediatũ: nõ autẽ primũ, & mediatũ, cuius cõditionis defectu medicus nõ repatitur ab ægroto, repatitur autem medicina. Tertiò vt agẽs contineatur intra sphærã actiuitatis passi; Quarto vt actio per quã agens agit fit alteratio corruptiua, & productiua qualitatis habẽtis cõtrariũ, quod reperiatur in passũ: ita, vt ambæ qualitates agere possint aliquid. Quinto denique, vt vis actiua passi proportionem aliquam habeat cum vi resistitiua agentis, licet minorem ea, quam habet vis agentis cum vi resistitiua ipsius passi, sed potest euenire casus in quo ista omnia simul reperiantur ergo &c.

5 Neque dicas vnum ex requisitis ad agendum esse, vt id quod aliquo modo agit non patiatur pro eo tempore pro quo agit ab eo, in quod agit secundum eam contrarietatem, secundum quam agit; & sic posse quidem dari reactionem, vel secundum aliam, atque aliam contrarietatem, vel secundum eandem in diuerso tempore v. g. posse fieri, vel quod pro eo tempore, pro quo ignis calefacit aquam humectetur ab illa, vel quod pro diuerso tempore infrigidetur: ne id dicas inquam: tum, quia hoc gratis omnino asseritur; vt ex argumentorum solutione patebit: tum etiam, quia sic tolleretur mistio elementorum: Hæc enim fit, propterea quod elementa inuicem agendo, & patiendo temperamentum quoddam medium acquirunt. Iam vero ponamus ignem, & aquam inuicem agere: si ignis ageret in aquam secundum formam caloris, aqua vero in ignem secundum humiditatem, numquam neque calor in igne, neque humiditas in aqua à summa intensione recederent; & sic nunquam omnium qualitatum remissio in illis haberetur. quod si ad diuersitatem tẽporis ab aduersarijs recurratur: contra est, non potest enim assignari, cur ignis in ea calefactione à sua actione calefactiua desistet. & aqua item à sua humefactiua: si enim habuerunt vim incipiendi actiones suas; multo magis habebunt prosequendi. Si quidem nullum dispendium in suis qualitatibus per quas agebant sunt passa. Vnde neeessario ignis in gradu excellẽti humidus, & aqua in gradu excellẽti calida euaderẽt, & sic potius apta ad cõuertẽdũ se in elementa sibi symbola, quam ad producẽdũ mixtũ. Sed veniamus ad argumẽtorũ, quæ in contrarium afferri solent, solutionem.

SECTIO SECVNDA.

Proponitur, & soluitur argumentum calculatoris contra Reactionem.

6 Richardus Suiseth. Anglus calculator appellatus, eo quod subtili calculatione ac computatione graduum qualitatum, quibus nos dicimus agentia naturalia inter sè agere, & reagere, probat id esse impossibile, hoc potissimum argumento. Si daretur reactio eueniret casus in quo vnum, & idem subiectum secundum eandem partem simul ac eodem tempore duobus motibus contrarijs moueretur, quod communiter censetur absurdum. Casus autem eius est iste: sit ignis bipalmaris calidus, vt octo, cuius sphæra actiuitatis sit ad duos palmos, & nix palmaris frigida item, vt octo, cuius sphæra actiuitatis sit ad vnum palmum, atque ita se habeant, vt vis actiua ignis, cum maiori excessu actiuitatis supra resistentiam niuis agere possit in illã; quã vis actiua eiusdẽ niuis in ipsum ignẽ. Iam si hæc duo erunt debite inuicem applicata vtique totus ignis aget in totam niuem, eamque calefaciet: tum sic. si nix pro eodem tempore reageret in primum palmum ignis sibi vicinorem, illũque frigefaceret sequeretur, quod pro eodem quoque tempore eundem palmum calefacere deberet secundus palmus ignis, qui supponebatur esse extra sphæram actiuitatis niuis, & sic pro eodem tempore idem primus palmus ignis frigefieret, & calefieret: Sed hoc est moueri motibus contrarijs. ergo &c. Sequela huius argumen-

Digitized by Google

menti probatur, quia quotiescumque agens habet omnia requisita ad agendum agere debet: Sed secundus palmus ignis pro eo tempore, pro quo nix frigefaceret primum palmum, haberet omnia requisita ad eundem primum palmum calefaciendum: ergo &c. Maior patet: Minor probatur, quia pro eodem tempore primus ille palmus ratione frigiditatis, quam per Reactionem acquisiuit, esset secundo palmo dissimilis, & intra eius sphæram actiuitatis contineretur, & quia parum qualitatis contrariæ ex reactione habuisse præsupponitur vis resistiua illius excederetur à virtute actiua secundi; nihil autem amplius videtur requiri ad hoc vt inter duo sequatur actio. ergo &c.

Pro responsione notandum: Auctores nostros in diuersas abijsse vias, vt propositum Calculatoris argumẽtum dissoluerent: in duas autem commode classes discribui posse videntur; & in priori quidem est Marsilius *primo de gen. quæst. 19.* Auersa *quæst. 39. sect.* 10. & alij, qui absolute concedunt partem repassam ignis eodem tempore frigefieri à niue reagente, & à parte non repassa calefieri: negant tamen moueri duobus motibus contrarijs, quia frigefit (inquiunt) & calefit secundum gradus frigoris, & caloris compossibiles in eodem subiecto, non autem secundum gradus incompossibiles. Supponunt enim, id quod ab omnibus fere conceditur qualitates primas contrarias posse simul in eodem subiecto reperiri saltem in gradu remisso. In posteriori verò sunt Zimara *secundo de Ani. tex.* 45. Buccaferreus *primo de gen. tex.* 44. Fracastorius *lib. de Fimpha cap.* 6. Conimbricenses *primo de gen. cap.* 9. *quæst.* 3. *art.* 5. & alij recentiores, qui arbitrantur partem non repassam: pro eo tẽpore pro quo nix reagit in partem repassam, non agere in eandem partem repassam. Esset quædam alia via veluti media, quam aggressus est Zabarella *lib. de React. cap.* 8. vbi ait partem non repassam agere quidem in partem repassam eodem tempore, quo in eam agit reagens, sed negat eam tunc simul moueri motibus calefactionis, & frigefactionis, eo quod existimat per id tempus acquirere qualitatem quandam mediam inter frigiditatem, & calorem à parte non repassa simul, & à reagente ibi productam. Verum hæc opinio omni prorsus verisimilitudine destituitur. Nam subiectum remisse calidum differt à se ipso intense calido per hoc, quod aliquid frigoris acquirendo, aliquid caloris amisit: non vero per qualitatem mediam, quæ neque calor sit formaliter, neque frigiditas. Alioquin primæ qualitates, non susciperent magis, & minus, & sic nulla admittenda esset intensiõ, neque remissio: sed omnis mutatio in qualitatibus per corruptionem vnius, & productionem alterius inter sè specie differentium, fieri deberet, quod sine infinitate qualitatum, quæ in qualibet continua alteratione generentur, & corrumpantur saluari non potest.

Hac igitur via post habita. inter eos, qui priorem ineunt numerari potest Flaminius *nob. primo de gener. c.* 7. 9. 11. qui non solum concedit partem repassam posse simul frigefieri, & calefieri, sed etiam posse acquirere plusquam octo gradus vnius contrarietatis, & sic simul habere v. g. calorem vt octo, & frigus, vt duo. Quod si obijcias naturam abhorrere ab huiusmodi eccessu supra octo gradus vtpote superfluo, & non inseruiente ad generationem mixtorum. Respondet hoc commune principium verificari de excessu in esse permanente, non vero in esse fluente, quod haberet frigus in parte repassa ignis, quæ repatitur à niue. Sed contra hanc responsionem facit: tum, quia non minus frigus, vt duo est superfluus naturæ in esse fluenti, quam in permanente. Tum etiam, quia si semel pars repassa cum octo gradibus caloris duos priores gradus frigoris obtinet non solum in esse fluenti, sed etiam in permanente illos habebit. non enim posset assignari per quid illos à se expelleret, nisi dicatur alios duos gradus caloris supra octo, quos habere supponitur in sè de nouo producere: per quos duos contrarios à sè expelleret, sed sic iam in esse permanenti latitudo octo graduũ excederetur ergo &c.

Id circo alij absolutè docent partem repassam intra latitudinem octo graduum vnius contrarietatis in reactione calefieri simul, & frigefieri: & quidẽ si supponeretur dicta pars nihil in sè habere frigoris nec caloris, facile id concedi posset infra latitudinem secundum quam calor, & frigus in gradu remisso possunt esse simul in eodem subiecto. paritate ducta ex ipsis terminis. At cum ponatur esse calida vt octo, & non possit naturaliter subiectum aliquod habere plusquam octo gradus vnius contrarietatis ideo contra hanc viam communiter inuehuntur Auctores, eo quod inde sequeretur, quod eadem qualitas secundum eandem partem produceretur simul, & corrumperetur: esset, & non esset, quod repugnat. Sequela probatur, quia si pars repassa moueri posset duobus motibus contrarijs modo dicto pro eodem instanti pro quo inciperet nix eam infrigidare inciperet etiam pars non repassa eam calefacere. ergo post primum instans inceptionis, eadem pars primi gradus frigoris esset simul, & nõ esset: esset quidem, quia produceretur, non esset autem, quia corrumperetur per aduentum octaui gradus caloris; qui à parte non repassa introduceretur. Id

Verum ad hoc possent patroni huius sententiæ respondere negando, quod in parte repassa ignis; frigus produceretur, & corrumperetur simul secundum eamdẽ prorsus partẽ, & afferre possẽt exemplum motus localis, qui successiuè producitur, & corrũpitur secundũ diuersas semper partes.

Contra hanc responsionem argumentor, quia ex ea sequeretur, quod natura dedisset agentibus naturalibus vires ad agendum, omnino frustatorias, & otiosas. probo sequelam nix reagens in tali casu produceret in parte repassa primum gradum frigoris, per, quem corrumperet octauum eius gradum caloris, & nihilominus fere in eadem mensura temporis pars non repassa similem octauum gradum caloris in eandem introduceret. per quem corrumperet primum gradum frigoris, qui produceretur. Frustratortus igitur fuisset conatus ille reagentis, quia tantundem caloris non obstante sua actione pro eodem fere tempore pars repassa haberet: neque

di-

Digitized by Google

dicas hoc per accidens se habere, in quantum scilicet ignis non continetur totaliter inter sphæram activitatis niuis; sed secundum vnam tantum partem: ne id dicas inquam, quia si semel conceditur, quod pars repassa possit simul calefieri, & frigefieri quantumuis per accidens; non esset cur, etiam si totus ignis intra sphæram niuis contineretur, id non contingeret; nam ipse ignis, sicuti per actionem æquiuocam post luctam refarcire potest gradum corruptum à niue; ita non esset, cur huiusmodi actionem luctæ tempore non exerceret; & sic quoties duo contraria inuicem agerent, & reagerent duobus motibus contrarijs moueri deberent vno quidem proueniente sibi ab extrinseco, quo qualitatem contrariam reciperet, altero ab intrinseco, quo illam corrumperent: sed si res ita procederet pars repassa ignis, non per accidens, sed per sè eodem tempore calefieret ergo &c. Melius igitur est asserere, quod, quemadmodum communiter sentimus, quandiu vnum contrarium patitur ab alio v.g. aqua calefit ab igne, non potest ex suis intrinseeis frigefieri, sed expectare debet donec cesset actio ignis, vt incipiat sè reducere ad primũ statũ: ita quandiu ignis secundũ partẽ repassam frigefrit à niue nõ calefiat secundũ eandẽ à parte non repassa, donec cesset reactio niuis.

11 Et quidem hæc impugnatio valet siue dicamus gradus qualitatis esse omnino homogeneos; siue non; quod si quis partem negatiuam tuetur, sicũ nos fecimus, heterogeneitatem ordinis eis concedendo, alijs sequelis absurdis posset redargui; quarum prima esset, quod octauus gradus caloris à parte non repassa produci deberet in repassum ordine in verso: hoc est prius secundum partes remotiores septimo, & postea secundum viciniores. Sed hoc non minus repugnat heterogeneitati graduum, quam productio consequentis gradus ante præcedentem v.g. secundi ante primum, tertij ante secundum &c. vt de sè patet. ergo &c. Probo sequelam; quia vt saluetur, quod primus gradus frigoris non producatur, & corrumpatur simul secundum eandem partem, debet dici, quod quando prior eius pars corrumpitur, posterior producatur. Sed non potest corrumpi prior nisi per productionem illius partis octaui gradus caloris, quæ est remotior à septimo, neque potest posterior pars eiusdem primi gradus frigoris produci, nisi simul corrumpatur illa pars octaui gradus caloris, quæ est vicinior septimo: ergo stante hac responsione octauus gradus caloris prius produceretur secundum partes remotiores à septimo, & deinde secundũ viciniores. Similis absurditas haberetur in frigore, quia si quando eius posterior pars producitur, prior corrũperetur; iã posterior existeret sine priore. Sed in sententia heterogeneitatem ordinis statuente hoc est naturaliter impossibile. Quemadmodum est impossibile quod secundus gradus existat sine primo: ergo &c. Tertia denique sequela esset, quod in eodem subiecto nimirum in parte repassa darentur duo calores numero distincti nõ facientes intensionẽ quod &c probarẽ: calor vt septẽ nõ posset facere intensionẽ cũ vltima parte octaui sibi remotiore nisi adsint aliæ partes intermediæ ipsi septimo viciniores: quibus medijs illi vniatur; sed vna ex partibus intermedijs abest dum producitur pars posterior primi gradus frigoris quę illi opponitur: ergo &c. 12

Atque ex his patet disparitas de motu locali ille enim cum sit eas successiuum hoc ipso quod secundum vnam partem corrumpatur, & secundum aliam producatur, ab otiositatis, & superfluitatis suspicione liberatur; & rectè id quidem, sic enim cuilibet parti eius correspondet pars spatij acquisita à corpore, quod mouetur. Vnde quælibet suo munere fungitur: at frigus est ens permanens; quare si in fine frigefactionis nihil illius haberetur frustratoria fuisset eius productio. motus igitur localis nihil huic sententiæ fauet: quin imo, quod illi etiam sit contrarius, probari posset ex eo, quia: vti vidimus in physicis repugnat, quod idem corpus moueri possit duobus lationibus contrarijs: ergo etiam repugnabit simul frigefieri, & calefieri.

Hac igitur priori via relicta, posteriorem tenemus dicendo; quod pro eo tempore: pro quo passum reagit in partem repassam, non agat in illam pars non repassa. Inassignanda autem huius rei ratione, cur scilicet non obstante quod pars non repassa sit repassæ dissimilis, & eius resistentiam superet, non tamen in illam agat, sed potius sinat, vt reagat passum, Auctores nostræ sententiæ valdè laborant. Quidam enim, quos Conimbricenses sequuntur, dicunt Primo ideo hoc esse, quia pars non repassa occupatur cum externo hoste, hoc est cum passo: vnde fit, vt remaneat impedita ad agendum simul in partem repassam. Sed contra est, quia si hoc verum esset sequeretur, quod si pro eo tempore aliquis appropinquaret ad partẽ non repassam non calefieret, & si illam diu manu tangeret non combureretur; militaret enim eadem ratio: sed hoc est contra manifestam experientiam: ergo &c.

Secundo: alij aiunt id accidere, quia ex parte repassa remisse frigefacta, & ex niue fiat vnum reagens totale, quod suo frigore contrariatur parti non repassæ calidæ vt octo; & quia ex niue expellendus est septimus gradus frigoris: ex parte vero repassa primus modo introductus: ordo naturæ postulat, vt pars non repassa prius gradum intensum, quam remissum à suo contrario expellat; sicque agat in niuem, & non in partem repassam. 13

Sed contra est: quia licet ab vna, & eadem parte passi prius expellendus sit ab agente contrario gradus intensior, quam remissior; at si passum in vna parte est remisse frigidum, in altera vero intense. dummodo secundum vtramque sic intra sphęram activitatis agentis vtique pro eodem tempore dispẽdia qualitatis sũę in vtraque parte patietur: alioquin si quando ignis agit in niuem, octauum frigoris gradum ab ea expellendo applicaretur eidem manus frigida vt quatuor non posset in ea producere quintum gradum caloris, quo quartum frigoris expelleret: & sic illam minime calefaceret: quod nemo dixerit.

Alij tertiò recurrunt ad perfectionem octaui gradus, & ad imperfectionem secundi dicendo, quod 14

Digitized by Google

quod cum difficilius sit producì octauum, quam septimum; ideo non est mirum si pars non repassa impediatur à passo ne agat in repassam, & non impediatur ab illa passum; quia hoc non debet introducere nisi gradum ignobiliorem.

Sed contra est: quia nos non cognoscimus maiorem perfectionem in gradibus intensioribus, quam in remissioribus: & licet demus agens naturale maiorem difficultatem habere ad producendum intensiorem, quam remissiorem: potest dari casus in quo pars non repassa debeat producere gradum imperfectiorem in parte repassa eo, quem introducere deberet reagens: vt si calidum, vt quatuor, & frigidum, vt sex inuicem agerent, & quia calidum esset valde densum, frigidum vero valde rarum, omnibus pensatis calidum esset agens, frigidum vero reagens: in tali enim casu pars non repassa calidi remissiorem gradum producere deberet in partem repassam, quam reagens; & tamen reagens reageret in dictã partem, nõ vero pars nõ repassa: ergo &c.

Quarto alij sic discurrunt: non potest agens 15
vniuocum perfectè assimilare sibi passum reddẽdo illud adæquatè sibi simile in gradu, quia nunquam est illi perfecte applicatum: sicuti esset si compenetraretur cum illo; tunc enim solum poset totam intensionem, quam in sè habet in illo producere: ergo non est mirum si pars non repassa, non agat in partem repassam expellendo illud parum frigoris à reagente productum. Quia sic perfecte assimilaret sibi dictam partem reddendo illam calidam, vt octo sicuti erat prius. Quoniam vero hæc ratio non militat in reagente, ideo hoc potest prosequi suam reactionem in illam.

Id quod inantecedente huius discursus assumitur satis mihi probabile videtur; eius tamen consequentiam nullam esse duco; quia nos non quærimus in præsenti rationem cur pars non repassa non agat in partem repassam, post quamcumque minimã dissimilitudinẽ in ea inuentã; sed posito quod pars repassa acquisiuit sufficientẽ dissimilitudinẽ ad hoc vt in illã agat pars nõ repassa: cur hęc non potius agat in illam, & impediat reactionem. Dicet aliquis esto id ita procedat; ex eo autem non sequi, negandam esse reactionem; sicuti intendebat calculator, sed potius concedendam: iam enim admittitur pro eodem tempore, pro quo ignis agit in niuem hanc reagere in ipsum ignem.

16 Contra tamen est: quia hoc ipso, quod calculatori conceditur partẽ nõ repassam posse impedire reactionem niuis in partem repassam habentem determinatam portionem frigoris: non potest consequenter negari eam multo magis posse impedire dictam reactionem ab initio, & facere, vt pars vicinior niui nihil penitus repatiatur ab illa: sed sic tolleretur reactio: ergo &c. maior huius probatur, quia ignis agens antequam repatiatur à niue habet robustiores vires ad impediendam reactionem quam post quam in parte repassa iacturam determinatæ portionis caloris passus est; huiusmodi enim, vt supponimus, sunt cum ipso calore identificatæ: ergo si potest impedire dum habet imbecilliores, multo magis poterat quando robustiones habebat. Minor etiam suadetur: quia, si cætera sint paria, quoties duæ partes extẽsiuæ conflant vnũ agens habens contrarium, toties plus resistit vna pars ne in sè ipsa patiatur à suo contrario, quam ne patiatur altera compars: ergo si pars non repassa habet vim impediendi reactionem niuis in partem repassam, multo maiorem vim haberet excludendi dictam actionem à sè ipsa, si intra sphæram actiuitatis niuis contineretur: atqui non minorem supponimus virtutem in vna parte palmari ignis à calculatore positi vt agentis: quam in altera: ergo etiam *ille palmus, qui* contineretur in sphæra actiuitatis niuis habebit virtutem repellendi à sè reactionem ipsius niuis, & sic cessabit reactio. Quamuis igitur responsio, quę admittit reactionem fore interrumpendam, quo vsque perueniat ad certum terminum requisitum à dissimilitudine necessaria inter agens, & passum, vt sequatur actio, non videatur primo aspectu negare reactionem: reuera tamen illam negat, & dat manus aduersario. 17

His igitur rationibus *post habitis*: dico rationem ob quam pars non repassa non agat in partem repassam, neque reactionem niuis interrumpat etiam si eam notabiliter dissimilem habeat, petendam esse ex natura, & conditione agentium naturalium; vt Aristotiles 3. *phys. tex.* 35. ait: omne mouens mouet aliquid in aliquo, & vsque ad aliquod: scilicet omne agens agit in determinatum subiectum determinato tempore, & vsque ad aliquam determinatam extensionem, siue etiam intensionem; natura enim ita agentia naturalia comparata sunt, vt quoties habent vim in talibus, & talibus circumstantijs incohandi suam actionem, habeant etiam vim in eiusdem circumstantijs inuariatis, ex quarum variatione impedimentum agendi sequeretur, eandem actionem vsque ad certũ terminum prosequendi; plura enim requiruntur ad incipiendam aliquam actionem, quam ad continuandam illam: cum igitur supponamus ex vna parte partem repassam non posse simul duobus motibus calefactione, scilicet, & frigefactione moueri: ex alia vero passum præsente parte non repassa incepisse in repassam frigefactiuam suam actionem, si remanent eædem circumstantiæ, dicendum est idem passum habere vim eamdem actionem prosequendi, quo ad vsque per actionem ignis agentis ita eius vires actiuæ debilitentur, vt amplius resistentiã eiusdem partis repassæ superare non valeant: atqui nulla ex circumstantijs assignabilis est, quæ non remaneat: ergo dicendum est, quod illam prosequi debeat vsque ad tempus aliquod determinatum.

Respondeo igitur breuiter negando ex reactione sequi, quod vnum, & idem subiectum simul duobus motibus contrarijs moueatur; & admisso casu: nego sequelam. Ad cuius probationem concessa maiore: nego minorem, & ad huius probationem concesso antecedente, nego adhuc consequentiam: inter cæteras enim conditiones, quas ad agendum in partem repassam pars non repassa seu quodcumque aliud agens requirit, vna est, quod dicta pars repassa non repatiatur a passo seu ab alio agente contrario.

Instabis primo: per reactionem pars repassa 18

ex

Digitized by Google

ex simili euadit determinatè dissimilis parti non repassæ; ergo licet verum sit quod potiori iure incæpit reagere passū in parte repassa, quā pars non repassa; eo quod reactionis initio pars repassa erat dissimilis passo, & nō parti non repassæ; tamen nō est cur habita sufficienti dissimilitudine cum parte non repassa, nō valeat hæc actionem suam inchoare.

Respondeo distinguēdo antecedēs: euadit determinatè dissimilis parti non repassæ in motu, concedo; in quiete, nego antecedens, & consequentiā: dū enim repatitur pars repassa est potius in motu ad dissimilitudinē, quā dissimilis. Adde quod per dissimilitudinē ista minuitur parti repassæ resistentia formalis in ordine ad reactionē passi; vndè potius adiuuat passū ipsum ad prosequendā suam reactionem, quā officit.

19 Subinstabis ex hac responsione sequeretur: posito quod frigidū vt quinq; ageret in passū aliquod calidū, & frigidū vt quatuor; si pro eodē tēpore eidē passo applicaretur calidū vt octo, sequeretur inquam, quod dictū calidū nō posset agere in passū illud, nisi prius frigidū vt quinque, totā suā actionē explevisset; sed hoc falsum esse experientia cōprobatur: ergo, &c.

Respondeo negādo sequelā: ratio autē disparitatis est quia in casu nostro supponitur passum incæpisse actionē suā præsente parte nō repassa, vnde mirū nō est si etiā ea præsente illā prosequatur: dū enim non potuit impedire nē inciperet; multo minus impedire poterit ne continuet: at in casu posito in argumento supponitur frigidū vt quinq; suā actionē absente calido vt octo incepisse, quā eo præsente minimè incepisset, non est igitur mirum si eo aduenientē desistat; variantur enim hoc modo circumstantiæ.

20 Instabis secundo: post quā pars repassa cepit esse dissimilis parti non repassæ, minus resistit eidē parti nō repassæ quā passo; huic enim resistit per septē gradus caloris v. g. cum dimidio, illi vero per dimidium frigoris: igitur potiori iure debet eam agere in illam pars non repassa quam passum.

Respondeo negādo consequentiā: etiā si enim quādo passū reagit in partē repassā, pars non repassa minorē habeat resistentiā, quā passū; & per consequens maior sit excessus virtutis actiuę eiusdē supra resistētiā partis repassæ, quā excessus virtutis actiuæ passi: nihilominus tamē est maior ratio cur potius reagat passū, quā pars nō repassa agat; quia illud hac præsente actionē suā inchoauit, & pars nō repassa non impedit.

21 Alia duobus modis argumentor calculatorij proponi solet: quod scilicet admissa reactione idē simul duobus motibus moueatur, quorū prior sic procedit: ponamus quod ignis calefaciat niuē mediante aere bipalmari; vtiq; simul etiā aere ipsū bipalmare calefaciet; igitur nix reagit in ignē; cū hac reactio non possit esse indistans, sequitur quod per vnde aerē medium frigefactio ista trāsire debeat: idē igitur aer simul calefiet & frigefiet. Ad hoc tamē breuiter respondeo in tali casu negā ignē posse in eo agere in totū aerē, & multo minus in niuē cōsequenter, neq; niuē in eundē aerē, & multo minus in ignē reagere posse; etiā si nix sit intra sphæram activitatis ignis, tum ignis intra sphæram niuis; sed ponens quibus sunt equalis virtutis ignē agere in palmū aeris sibi vicinioris, & niuē in palmū vicinioris sibi quod sint inæqualis secundū proportionē secundū quam vnus contrarius superat alterū plus de aere sibi vicinioris ad agendū, & minus contrarium relinquit: similiter dicimus potest ex eo quia cū non possit verus agere in totum aerē, vt pene probat argumēti maioris antecedens, vtique superat

22 Verū autē, casu quo neutrū agens ageret in aērem inter medium, actio, & reactio illorū impediretur; videtur negatiue respōdendū cū Oviedo *Contr. 5. de gener. punct. 5. n.* 13. dūmodo dictus aer sit mediocriter calidus, & mediocriter frigidus, eo quod tunc ratione caloris posset totus quatus est tenere se ex parte ignis, & constituere cū eo vnū principium agens in niuem; reactione vero frigoris etiā totus tenere sè ex parte niuis, & constituere cū ea vnū principiū reagens in ipsū ignē; vnde beneficio contrariarū qualitatū, quibus informaretur, æquinaleret duplici principio partialiter cōplenti vtrūq; contrariū: verū ego casū hunc impossibilē naturaliter loquēdo existimarē, qui enim fieri potest, vt ignis possit calefacere niuē frigidā vt octo distantē à se quanta est longitudo aeris intermedij, & non possit aliquid caloris producere in ipso aere, qui est sibi vicinior, & frigidus; idēq; similiter dicendum de niue; quare philosophari debemus in hoc casu, sicuti in præcedenti.

23 Alius denique modus probandi motus contrarios ex reactione est huius modi; ignis niui applicatus agit in eā vniformiter difformiter, hoc est calorem intensiorē producit in partibus niuis sibi propinquis, quā in distantibus: ergo si partes niuis distantes ab igne reagunt in illū, potiori iure agent in partes sibi conjunctas igni proximiores, restituendo illis frigiditatē deperditā; sed iā dictæ partes supponūtur ab igne pro eodē tēpore calefieri; ergo, admissa reactione, duobus motibus contrarijs mouebuntur.

Respondeo concesso antecedēte, negando cōsequentiā non solū propter rationē supra positā ex natura agentis naturalis petitā; sed etiā propter aliā, quam assigno: dico enim, quod quamuis ignis vniformiter difformiter agat in niuē, & sic partes remotiores niuis sint frigidiores, quā promixiores, nō possunt tamen resarcire earū detrimentū, quod passæ sūt ab igne, eo quod ad hoc vt vnū contrariū agat in alterū, nō sufficit qualibet maioritas virtutis actiuæ supra virtutē resistentiā illius, sed requiritur certa quædā, & determinata maioritas, infra quā non potest agere; ita vero beneficio actionis vniformiter difformis pars niuis remotior ab igne non potest habere tantū excessum virtutis frigefactiuæ respectu partis sibi immediatæ, quantus necessarius est ad agendū: habet vero dictū excessum respectu ignis: & hinc fit vt licet possit reagere in ignem remotiorē, nō tamen potest in partes sibi proximas eiusdē niuis, destruendo illud parū caloris, quod ab actione ignis consequutæ sunt.

SECTIO TERTIA.

Proponuntur, & soluuntur reliqua Argumenta.

24 OBijcies secundo: Aristot. *secundo de part. anim. cap.* 2. docet ignem non posse frigefieri; falsum igitur est quod sæpè asserimus illū à niue repati posse.

Respondeo Philosophū loco cit. sicuti etiā alibi negare solū posse ignem frigefieri in gradu intenso, per quod ait; à reliquis elementis maximè esse diuersum; terra enim, & aqua licet natura frigida sint, possunt

Digitized by Google

sunt tamen intensè calefieri, absq; eo quod corrũpantur; aer etiã quãuis naturaliter calidus, eius tamẽ substantialis forma stare simul potest cũ valdè intẽsa frigiditate: hoc autem ignis habere nõ potest, fortassis propter sũmã perfectionẽ, qua excedit cętera elemẽta.

25 Obijcies tertio si daretur reactio, sequeretur quod actio, & reactio nunquã terminarentur, atq; adeo in infinitum abirent; consequens videtur absurdũ, & contra experientiã; ergo, &c. sequela probatur, quia quæuis particula quantumuis minima illius qualitatis, quæ est in passo, deberet reagere, non esset enim maior ratio cur frigidum vt octo v. g. reagat in calidũ vt octo, & non reagat frigidũ vt vnũ, seu vt dimidiũ, & minus, & minus in infinitum; ergo, &c.

Respondeo negando sequelam: ad cuius probationem nego assumptum: maior autem ratio hæc est: quia vis actiua frigidi vt octo initio superat vim resistitiuam calidi item vt octo, & idcirco reagere potest in illud: at quando ex frigido vt octo per actionem contrarij fit vt vnum, vel vt dimidium, non habet eius vis operatiua amplius proportionem in plus cũ resistitiua contrarij, ideoq; à reactione cesset necesse est propter hoc diximus supra ad agendũ necessariũ esse determinatũ quẽdã excessũ supra passũ, infra quẽ non datur actio; iã vero quãuis etiã vis resistitiua agentis debilitetur per reactionem; multo minus tamẽ debilitatur, quã uis actiua reagẽtis, neq; tanta est ista debilitas, vt impediat quo minus virtutem superet resistitiuam passi.

26 Instabis ex hac doctrina videtur sequi, quod si agens ealidũ initio suæ actionis inuenit passum ita debilitatũ, sicuti est per nos versus finẽ actionis, videtur inquã sequi, quod non repatiatur ab illo: hoc autẽ est contra axioma ex Arist. locis supra cit. desumptũ, quod scilicet omne agens agendo repatitur.

Respondeo cõcedo sequelã: ad hoc antẽ vt Arist. pronuntiatũ veritatẽ habeat, debet intelligi cũ aliqua limitatione, ac restrictione; positis, scilicet, cõditionibus ponendis ex vtraq; parte ad agendum, & patiendum; inter quas potissima existimatur esse proportio in plus, quã uis actiua vnius habere debet supra resistentiã formalem, seu vim resistitiuã alterius; & hinc est vt sic si tenuissima pluma in ardentissimã fornacem inijceretur, nihil omnino in illã reageret.

27 Obijcies 4. si daretur reactio, numquã agens posset perfectè sibi assimilare passũ, sed hoc est inconueniens, ergo &c. minor patet ex eo quia sic frustraretur suo fine; agens enim vniuocum non agit nisi vt assimilet sibi passum: sequela vero probatur, quia dũ repatitur à passo, deperdit aliquid illius, quod initio actionis habebat, non potest igitur reddere passum simile in gradu illo, in quo erat initio.

Responderem negando sequelam, dicendo saltem in eo casu, in quo vis actiua passi non superat vim resistitiuam agentis posse, agens perfecte sibi illud assimilare: quoniam vero ego valde probabile existimo nunquam posse agens producere in passo totã intentionem qualitatis, quã habet in sè, siue demum habeat contrarium à quo repatiatur, siue non, sicuti in præcedente sectione innui: ideo respondeo admissa sequela, negãdo minorẽ; ad cuius probationẽ dico finẽ agentis solũ esse assimilare sibi passũ quãtũ potest, & quidẽ perfecte, si perfecte potest; si minus, saltẽ imperfecte: nego igitur quod ex eo quod agens non assimilet sibi perfecte passum, suo fine frustretur.

28 Sed cõtra hoc instabis: quia inde sequeretur quod nullũ agens posset producere in passo qualitatem in sũmo; sed hoc videtur absurdũ, ergo sequela cõstat ex dictis: minor vero probatur, nã ad hoc vt producatur ignis exigit in materia calorẽ vt octo, vnde si agens in lignum non posset illud summe calefacere, neque posset in ignem illud conuertere.

Respõdeo 1. eos qui putant posse agens producere in passũ qualitatẽ æque intensã, ac habet in sè, negare sequelã: dicũt enim quod ignis quãdo iã ita debilitauit vires passi vt reactionẽ illius in sè penitus impedierit, incipit se ad pristinũ statũ reducere, & producere in sè gradũ illum caloris, in quo passus est à reagẽte detrimẽtũ, per quẽ gradũ actionẽ suã deinde ad summum vsq; prosequitur: verum quia inde sequeretur quod corpus luminosum totam intensionem, quam habet in corpus illuminatum, potiori ratione deberet producere, eo quod cõtrario caret, id circo

Respondeo 2. concessa sequela negãdo minorẽ ad cuius probationẽ nego quod ad hoc vt producatur ignis sit necessarius in materia calor vt octo, tanquã dispositio præ requisita; etiã si enim velimus calorem sũmæ intesũ esse passionẽ ignis, satis est dicere quod octauus, vel etiã septimus v. g. gradus, qui non potuit produci ab efficiente, emanet postea à forma ignis producti tanquam passio illius.

Obijcies 5. calidũ vt octo quãdo incipit agere in frigidũ vt octo, agit secũdũ gradus omnes, quos habet; ergo tũc nõ repatitur, sed neq; in tẽpore sequenti repatitur: ergo nõ datur reactio; consequentia patet quia pro eo tẽpore pro quo õnes octo gradus agunt, nullus eorũ potest nõ esse: subsumptũ vero probatur. quã si nõ potuit passũ quãdo erat frigidũ vt octo reagere, multo minus poterit quãdo erit frigidum vt 7.

Respondeo negando antecedens: agens enim quãdo incępit agere, iã incipit deperdere octauũ gradũ caloris, atq; adeo nunquã agit in frigidum secundum dictũ gradum cõpletum: dicitur autẽ calidum vt octo agere in frigidum, non quia dum agit, sit vt octo, sed quia antecedenter ad actionem erat huiusmodi.

Instabis ergo in primo instãti applicationis agẽtis ad passũ datur actio, & reactio: sed hinc sequitur quod idem siue diuisibile, siue indiuisibile qualitatis esset, & nõ esset pro eodẽ instãti nõ esset quidem, vt supponitur: esset autẽ quia agẽs nihil potest corrũpere, quod illi nõ fuerit applicatũ, applicatio autem habetur in hoc instanti primo; ergo, &c. 30

Respondeo illud qualitatis, quod corrumpitur in primo instãti, nõ esse in dicto instanti: ad probationẽ autẽ in cõtrariũ nego agens debere præintelligi applicatum effectui, quẽ corrumpit; quia possunt agens, & effectus, qui corrũpitur, nũquã simul existere, si effectus corrũpitur in 1. instanti, quo agens operatur: ratio huius rei est quia applicatio requiritur inter agẽs, & passum, seu effectũ, quod vero corrũpitur nõ est effectus agentis: bene tamen est effectus illius forma corruptiua, quæ introducitur, siue etiã priuatio formæ, quæ corrumpitur: vtriq; autẽ bene intelligitur applicatum agens in 1. instanti, pro quo applicatur.

Obijcies 6. ignis, & nix inuicẽ applicata, vel sunt æqualis virtutis, vel inæqualis: si æqualis neutrũ aget teste Arist. 4. phys. tex. 71. vbi docet actionem non prouenire nisi ex victoria motoris supra motum, si vero in æqualis illud solum aget in alterum, quod excedet illud in virtute; ergo nunquã dabitur reactio, impossibile enim est quod mutuo sè excedant. 31

Respondeo virtutem: quod facit ad rem nostram esse duplicem: actiuã, & resistitiuã; porro ad hoc vt vnum agat in alterum necesse quidem est, vt virtus eius actiua superet virtutem resistitiuam illius alioquin quomodo contra illud prævalebit ipsum saltẽ

ex par-

Digitized by Google

ex parte destruendo; quid quid sit de reliquo si eius virtus resistitiua à virtute illius actiua superetur; Nam hoc pertinet ad aliam pugnam, quoniam vero ignis, & nix inuicem applicata si comparentur virtutes actiuæ illorum cum eorundem virtutibus resistitiuis, tum ignis est maioris virtutis respectu niuis, cum nix respectu ignis, id circo vtrumque aget in alterum; quod si implicat, vt idem in magnitudine molis superet aliud, & simul superetur ab illo, ideo est quia comparatio sit secundum eamdem rationem magnitudinis; at vero in casu nostro secundum diuersas; hoc est secundum virtutes actiuas, ac resistitiuas alternatim sumptas: atque hic notarem vt agens secundum virtutem actiuam superet resistitiuam passi non requirere qualitatem intensiorem, siquidem actiuitas eius potest aliunde prouenire, quam ex maiori intensione supra qualitatem superandam. vade est, vt calidum vt quatuor possit agere in frigidum vt sex, vel etiam vt septem positis prænotandis: vt melius ex dicendis constabit.

DISPVTATIO SEXAGESIMA TERTIA

DE RESISTENTIA.

1 IN superiori disputatione sæpè obiter de resistentia mentionem fecimus. Nunc verò ex professo, & data opera, de ea disputationem instituimus, quæ sola restare videbatur ex his quæ ad generationem pertinent.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Resistentia.

RESistere idem est ac conari ad impediendam, vel ex toto, vel ex parte actionem alterius: ex toto quidem; vt quando ingens saxum nulla ex parte cedit conatibus illud impellere nitentis; ex parte verò, vt ficedat quidem, sed difficultatè impellenti taceſſat; ita vt hic nō valeat statim, & facile illud mouere sicuti vellet. quid simile agentibus naturalibus contingere solet; aliquando enim applicantur alicui contrario, quod totaliter eius virtutem actiuam impedit nè exeat in actum secundum. aliquando vero alicui quod solū ex parte, modo magis, modo minus. prout passum maiores, vel minores vires resistitiuas habet. His positis sit.

2 Prima Conclusio Resistentia est repugnantia vnius contrarij contra alterum, qua se ab eius actione corruptiua defendere conatur. Explicatur descriptio.

Dicitur primo repugnantia, quia de primaria resistentia notione videtur esse contra nitentia, quæ resistens repugnet actioni alterius. Si enim nullatenus repugnaret nulla ratione resisteret: ergo vere resistentia est repugnantia. Dicitur secundo vnius Contrarij contra alterum. quæ verba se habent vt differentia contractiua generis, quod enim repugnantia magis late pateat, quam resistentia: constat ex eo, quia quælibet res propriæ corruptioni repugnat, ab ea, quantum potest refugiendo, & tamen non quælibet resistit, lumen enim quando corrumpitur defectu causæ conseruantis, repugnat corruptioni suæ, at non resistit: quia non repugnat suo contrario illud destruere molienti, resistentia igitur præter repugnantiam quæ sè habet loco generis, importat tamquam differentiam, quod sit vnius contrarij contra alterum. Atque hic contrarij vocabulum non est sumendum strictè prout ad solum qualitatis prædicamentum pertinet, sed cum amplitudine quadam pro omni eo quod alterius actioni repugnat, dum enim saxum difficile ab impellente mouetur, dicimus illi resistere sicuti etiam dum cum difficultate scinditur lignum, aut immentum regitur, & tamen constat huiusmodi corpora, quæ resistunt, nullam qualitatem rigorosè contrariam à sè abigere. verum autem etiam ad formas substantiales huiusmodi contrarietas se extendat ita vt in combustione ligni v. g. dici debeat forma ipsius ligni resistere igni illud comburenti, dubium est: & quidem si loquamur de resistentia mediata, qua mediis qualitatibus contrarijs corpora naturalia ab actione corruptiua contrariorum agentium se tuentur, affirmatiuè responderem; sin autem de immediata comparando formam substantialem ligni cum igne agente, negatiuè. cum enim forma ligni hoc ipso quod suis dispositionibus destituitur non exigat amplius conseruari à Deo; nullo modo potest intelligi repugnare igni generanti, eiusque actionem, vel ex toto, vel ex parte impedire. Quod si supponeremus eam, non obstante, quod suis necessarijs dispositionibus careat miraculosè adhuc à Deo in materia conseruari, eidemque materiæ habenti iam dispositiones ad formam ignis esse applicatum ignem, non negarem in tali casu formam ligni dicto igni resistere, vt pote quæ esset impedimento actioni generatiuæ illius.

3 Dicitur denique tertio, qua sè ab eius actione corruptiua conatur defendere; Quibus verbis vltima ratio resistentiæ magis explicatur, per hoc quod declaretur in quo consistat repugnantia vnius contrarij contra alterum, posset enim quis sibi persuadere ad resistētiā sufficere quācūq; repugnantiam; atque adeò dum videt repugnare

Digitized by Google

quod Petrus, qui dicit relationem Paternitatis ad Franciscum dicat etiam relationem filiationis ad eundem, censeat Patrem resistere filio suo quare ad hanc deceptionem procul abigendam addidimus repugnantiam, quæ facit ad resistentiam consistere in eo, quod resistens ab actione corruptiua alterius se defendere conetur. vbi duo notarem, vnum est, quod actio corruptiua semi debet in ea latitudine, qua contrarietas sumpta est; alterum vero quod conatus resistentis debent esse cum aliquo emolumento; nam si omni ex parte forent irriti, atque inanes, ita vt neque ex toto actio contrarij impediretur, neque retardaretur, aut debilitaretur ex parte; hæc non esset censenda resistentia effectiua; sed ad summum affectiua quam alij inefficacem appellant, quatenus passum inclinaret ad resistendum: reuera tamen non resisteret, sufficiens in ordine ad actionem contrarij dicebatur ac si nulla ratione esset à parte rei.

Iam vero hac explicatione posita: Probatur descriptionem resistentiæ rectè traditam esse. siquidem per eam satis eius natura declaratur, & à quacumque alia rè sufficienter distinguitur: ergo, &c. Atque hæc quantum ad essentiam resistentiæ, quantum vero ad eius diuisionem.

4 Est secunda conclusio: resistentia rectè diuiditur in Effectiuam & Formalem: Effectiua est, qua passum producendo aliquid qualitatis contrariæ in agente, eius actionem ex parte impedit, sic resistit nix igni quando reagit in illum per frigiditatem. Formalis vero est quando passum per qualitatem ipsum informatem impedit actionem agentis contrarij, vel ex parte, vel ex toto nihil in eo operando. quod non ita intelligendum est, quasi vero hoc ipso, quod aliquid in eo operetur, non resistat formaliter: potest enim vtroque modo resistere; sed sensus est quod resistentia formalis non est impeditiua operationis contrarij aliquid de eius qualitate actiua corrumpendo, illudque offendendo; sed solum defendendo se ab illo, eiusque actioni resistendo: ita recentiores communiter cum Suarez, *disp.* 43. *metaph. sect.* 1. *n.* 8, vbi docet duobus modis contingere vnam rem resistere alteri, radicaliter, hoc est, effectiuè quasi per diminutionem virtutis alterius: & formaliter, per immediatam videlicet repugnantiam. est tamen contra Bagnes, quem sequuntur Conimbr. *primo. de gener. cap. 9. quæst.* 3. vbi triplicem resistentiæ speciem assignant: negatiuam, priuatiuam, & contrariam, seu effectiuam; & priuatiuam quidem appellant eam, quam nos formalem dicimus; contrariam vero illam, quam nos effectiuã: negatiuã deniq; dicunt esse quando subiectũ non est capax recipiendi formam, quam agens illi applicatum de sè producere potest; qua resistentia aiunt cælum resistere igni sibi proximo in ordine ad recipiendum calorem, & siccitatem verum hæc non est propriè resistentia; sed incapacitas subiecti, vt recte aduertit Ouiedo, *Consa. 6. de resistentia punt.* 1. *num.* 2. & patet ex definitione resistentiæ à nobis tradita. Cælum enim non excludit à sè actionem ignis per hoc quod sè defendere conetur cõtra illã; sed ex eo, quod non sit capax dictæ actionis: aliogui etiam Angelus quando ex Empyreo descendit ad nos transeundo per ignem elementarem, censendus esset illi resistere; quod nemo dixerit.

Nostra vero conclusio suaderi potest ex eo quia vt homines ab hostium suorum insultibus, ac violentijs sè tuerentur, eisque resisterent, nullum aliud armamentorum genus ab arte militari adhuc excogitatum fuit, præter duplex; vnum offensiuum, quo vires contrarias minuerent, ac debilitarent: defensiuum alterum, quo absque eo quod illis nocerent, eorum impetus retardarent ac irritos redderent. Hinc colligo tria: primum est quod natura etiam rebus naturalibus similia arma concesserit, aliàs viueret minus prouida circa earum defensionem fuisse: quam ars militaris circa defensionem hominum. Secundum vero non haberi in natura alium modum resistendi actionibus contrarijs præter duplicem assignatum. Si enim haberetur, vtique ars illum experientia tam diuturna animaduertisset, & procedente tempore imitata fuisset. Tertium denique, quod in actione, & reactione non solum passum agenti, sed etiam agens patienti resistit, licet non quatenus agens est, sed quatenus ab alterius contrarij actione sè tueatur, ne pati debeat ab illo.

Tertia denique conclusio: vtraque resistentia, 6
tum affectiua, tum formalis, rectè subdiuiditur in resistentiam in actu primo, & in resistentiam in actu secundo. In actu primo, est ipsa virtus resistitiua, quam habet vnum contrarium: siue ad debilitandum alterum, siue ad merè impediendam actionem illius; in actu vero secundo connotat actualem cessationem, vel ex toto, vel ex parte actionis contrarij debitè applicati ad agendum. Ita fere Arriaga, *disp. 3. de generat. sect.* 11. *num.* 177. & probatur facile paritate causationis, sicuti enim hæc potest sumi in actu primo, & in actu secundo; & quidem in actu primo sumpta importat vim causatiuam, in actu vero secundo ipsum actualem influxum causæ in effectum: ita & in casu nostro resistentia; siquidem passum considerari potest, & quatenus habet virtutem resistendi, & quatenus actu resistit; sed si priori modo eius resistentia consideretur, non est nisi in actu primo: si vero posteriori, in actu secundo; ergo &c.

Obijcies tamen contra hoc vltimum: in fine 7
præcedentis disputationis distinximus virtutem resistitiuam à virtute actiua; & illam quidem diximus sè tenere ex parte passi: hanc vero ex parte agentis, & hanc debere necessariò superare illam, vt sequatur actio; sed nunc confundimus virtutem resistitiuam cum actiua, dicendo, tum virtutem actiuam, tum formalem esse resistitiuam; ergo vel ibi falsum dicimus, vel hic. Respondeo eamdẽ virtutẽ actiuã quatenus est impeditiua actionis contrariæ dici resistitiuam, quare nulla est contradictio in doctrina.

SECTIO SECVNDA.

De Resistentia effectiua.

VNica conclusio: resistentia effectiua in actu primo considerata; non distinguitur ab

penes

Digitized by Google

penes connotata à potentia actiua primæ qualitatis, neque alio modo eadem reſiſtentia accepta in actu ſecundo, diſtinguitur ab actione eiuſdem. Ita fere Suarez *diſput. 43. ſect. 1. n. 8.* Probatur: quia ex una parte potentia frigefactiua frigoris per hoc principale quod intelligatur eſſe ex parte corruptiua contrarij, nimirum caloris habet rationem reſiſtentiæ effectiuæ in actu primo ex alia vero frigefactiua opera ab eodem frigore proueniens, quatenus intelligitur diminuere veras ipſius caloris ne tanta intenſione agat in ipſum quanta ageret, ſi ea non eſſent habet totum id, quod requiritur ad conceptum reſiſtentiæ effectiuæ in actu ſecundo ſed potentia frigefactiua frigoris & eius frigefactio ſic accepta non differunt à ſe ipſis, niſi penes connota: quatenus ſcilicet connotant diminutionem vigoris contrarij robuſtioris, quam tanquam effectum ſecundarium reſpiciunt: ergo reſiſtentia effectiua in actu primo conſiderata penes connotata diſtinguitur à virtute actiua primæ qualitatis; & in actu ſecundo penes etiam connotata ab eius actione, quod erat probandum.

9 Quiedus *contro. 6. de Contr. puncto 2. num. 4.* contra ea quæ hactenus dicta ſunt duo obijcit: unum de nomine, alterum de rè de nomine eſt, deſtructionem contrarij non poſſe propriè reſiſtentiam apellari; eo quod reſiſtentia eſt quaſi defenſio reſiſtentis, & impedire effectus contrarij; huius vero corruptio, offenſio potius, quam defenſio dicenda videtur. De rè vero eſt, quod præter actionem paſſi, altera reſiſtentia effectiua reperiatur in motu alterantis, quæ formaliſſimè reſiſtentia dicenda ſit, & hoc probat duplicitèr. Primo à *num. 5.* quia ſi intelligantur duo agentia contraria, æque actiua v. g. ignis calidus, vt octo, & nix frigida, vt octo applicari eidem ſubiecto omni frigore, & calore priuato, quodlibet ex eis producet in illo quatuor gradus propriæ qualitatis, & ſic vtrumque impedietur ab altero, ne plus qualitatis producat: ergo datur alia reſiſtentia actiua à formali, quæ non conſiſtit in deſtructione contrarij; primum enthymema videtur certum: ex ſuppoſitione enim, quod vtrumque contrarium æqualem vim actiuam habet, & æqualiter eidem paſſo applicatum ſit, neutrum ſuperabit alterum in effectu ſuo; & ſic vtrumque alteri reſiſtet; ſubſumptum vero probatur, & quidem quod non reſiſtat per reſiſtentiam, quæ ſit actio, patet, quia ſupponimus ea non agere ad inuicem, quod vero, neque per formalem: probatur quia reſiſtentia formalis per omnes Philoſophos informationem importat: atqui neque ignis poteſt ſupponere ad ſuam calefactionem frigus vt quatuor in ſubiecto illo productum, neque nix ad ſuam frigefactionem calorem, vt quatuor in eodem ſubiecto; quia vtrumque agens ſimul ponitur eſſe applicatum: ergo &c. vltima vero conſequentia videtur ſequi legitimè.

10 Secundo idem probat, ſic *num. 7.* ſupponamus dari paſſum potens vnum tantum gradum vnius contrarietatis recipere; huic ſi applicentur duo agentia contraria, æque valida, neutrum aget: ergo vtrumque reſiſtit vtrique; non per reſiſtentiam effectiuam in actione conſiſtentem, vt de rè patet, neque per formalem, vt ſupra probatum eſt: ergo per actiuam ab vtraque diſtinctam; Quod ſi quæras ex eo, in quo eam poſitis hæc reſiſtentia reſpondet, à *num. 8.* eam in actu primo conſideratam importare actum primum cauſæ de rè determinatæ producere effectum etiam in præſentia contrarij; in actu vero ſecundo ſuperaddere præſentiam ipſius contrarij dumtaxat; per hanc enim ſufficienter intelligi putat actualem vtriuſque luctam, ac reſiſtentiam; etiam ſi vtrumque impedimentum ab alterò ceſſet penitus ab actione; Ego vero vt ex hac doctrina incipiam: probare illam minimè poſſum, vt nec omnibus philoſophis, qui vſque adhuc hac de rè ſcripſerunt, quantum videre potui, incognitam, imò contrariam. Ratio, quæ me mouet eſt: quia licet videatur aliquid noui de ea, quæ ab alijs ſcripta ſunt, addere; re vera tamen confundit reſiſtentiam effectiuam cum formali, quod ſic ſuaderem: quia verè hæc reſiſtentia, quam actiuam hic auctor appellat, non diſtinguitur à formali; ergo vtramque confundit: probo antecedens, ſiquidem formalis reſiſtentia eſt quando forma aliqua merè per ſuam entitatem informando ſubiectum reſiſtit, licet nihil in agens contrarium agat; ſed ita rè habet reſiſtentia, quam huc vſque explicauit Quiedus; ergo, &c.

11 Reſpondebit fortè dubio ad hoc, dicendo per reſiſtentiam formalem, non poſſe reſiſtens niſi à rè repellere, vel ex toto, vel ex parte actionem contrarij; ſed in caſibus poſitis agentia non poſſunt à ſe contrarias actiones, ſed ab alio tertio; ergo non ſibi reſiſtunt per reſiſtentiam formalem.

12 Hanc tamen reſponſionem non ſubſiſtere hoc alio caſu ego probabam: Detur ſubiectum A. calidum vt octo, ex vna parte intra ſphæram frigidi vt octo B. & ex alia intra ſphæram alterius calidi, vt octo C. ita tamen, vt neque B. ſit intra ſphæram actiuitatis C. neque C. intra ſphæram actiuitatis B. ſintque omnia paria; Profectò calidum, vt octo C. reſiſtet frigido vt octo, ne tam valide agat in calidum A. quam validè ageret, ſi ipſum abeſſet; ſed hæc reſiſtentia non eſt actiua; ſicuti eam ponit aduerſarius, neque eſt actiua, in ſenſu communiter accepto: ergo eſt formalis: maior huius, & conſequentia videntur certa; minor verò ſuadetur, & quidem quod non ſit actiua in ſenſu communiter accepto patet, quia non intercedit actio deſtructiua contrarij, quod verò neque ſit in ſenſu Quiedi ſuadetur quia eius actiua reſiſtentia conſiſtit in eo, quod vnum agens impediat alterum ne agat in paſſum tertium, ad hoc vt ipſum agat in dictum paſſum: vt patet ex caſibus, quos adducit: in priori enim ſibi reſiſtunt agentia, ne vltra quartum gradum ſuæ qualitatis agendo in tertium ſubiectum, quod ſupponebatur omni calore, & frigore priuatum, procedant: in poſteriori verò ſibi reſiſtunt, quia vtrumque intendit illum vnicum gradum in illo alio ſubiecto eo tantum capaci producere; ſed calidum C. non impedit frigidum B. ne agat in calidum A. eo quod inclinet, & intendat agere in illud,

vt

vt de sè patet (ponuntur enim ambo esse calida vt octo) ergo resistentia calidi C. contra frigidum B. non est effectiua, sicuti eam ponit Ouiedus. Confirmatur quia actus primus resistentiæ, quam ponit hic auctor importat virtutem actiuam causæ cum omnibus prærequisitis ad actionem, quorum beneficio petat suum effectum producere; sed calidum C. non comparatur ad calidum A. vt habens virtutem actiuam cum omnibus prædquisitis ad agendum in illud: ergo resistentia, quam calidum C. exercet contra frigidum B. non est resistentia effectiua Quiedi, quod erat probandum, sed de hoc melius paulo post.

13 Sed veniamus si placet ad rationes, quibus auctor suam sententiam probare conatur, & quidem quantum attinet ad illam, quam dicit esse de nomine; nego quod in antecedente assumitur, destructionem, scilicet, contrarij non posse proprie resistentiam apellari, ad cuius probationem dico: huiusmodi destructionem, de qua loquimur habere simul rationem offensionis, & defensionis, sicuti habet occisio, qua quis iniustum aggressorem ad sè defendendum interimit; ea enim quamuis sit aggressoris offensio, non negatur per hoc, quin sit etiam defensio occisoris, & quidem primario, & per sè si ad eius intentionem respicimus: ex eo ergo quod destructio contrarij sit ofensio illius, non bene

14 negatur rationem defensionis respectu offendentis habere, hæ enim duæ conceptibilitates licet pugnent in vna entitate respectu vnius eiusdemque termini, at non respectu diuersorum, vt consideranti patet. Vnum hic obiter notarem: multo magis simile argumentum de nomine posse retorqueri contra auctorem, dum suam resistentiam actiuam apellat, quam postea *num.* 15. sine vlla prorsus actione vtriusque contrarij, quantum est de sè, haberi posse concedit.

14 Porrò ad priorem rationem ex illis duabus de re: duplici via respondendum puto, prior sic procedit: casu quo calidum vt octo, & frigidum vt octo æque actiua applicarentur subiecto omni calore, & frigore destituto, verum quidem esse quodlibet ex eis fore producturum suam qualitatem vt quatuor; sed adderem ea in tali casu inuicem sè impedire, sibique resistere non immediatè, sed media qualitate, quam in subiecto producunt. Porrò hanc resistentiam dico esse propriissimè formalem, quia in eo instanti, tum priores quatuor gradus caloris in subiecto producti resistunt nini, ne quatuor posteriores gradus frigoris in illo producat, cum quatuor priores frigoris igni, ne producat quatuor posteriores caloris, quam resistentiam esse formalem patet, quia dicti gradus merè per suam entitatem informando subiectum agenti contrario resistunt.

15 Ad probationem in contrarium concessa maiore, resistentiam scilicet formalem in informatione qualitatis consistere; distinguo deinde minorem, neque ignis potest supponere ad suam calefactionem frigus vt quatuor informare subiectum, neque nix ad suam frigefactionem, calorem vt quatuor; & si quidè sermo sit de calefactione, & frigefactione, quæ habet pro termino immediato priores quatuor gradus qualitatis suæ concedo: si vero de calefactione, & frigefactione, quæ habent pro termino immediato quatuor posteriores, nego minorem; & ad consequentiam dicerem: quando ex eo, quod ignis, & nix in eodem instanti applicantur illi subiecto, infertur, neque calefactionem supponere subiectum frigidum; neque frigefactionem calidum, de duplici calefactione, & frigefactione posse esse sermonem: vna quæ habeat pro termino immediato priores quatuor gradus caloris, & frigoris; altera quæ posteriores, quamuis autem verum sit priorum calefactionem, & frigefactionem non supponere subiectum illud frigidum, & calidum, propter rationem assignatam; at falsum est loquendo de posteriori: ideò enim calefactio, quæ est ad quantum, sextum, septimum, & octauum gradum caloris, non habetur, quia supponitur subiectum in priori recepisse quatuor priores gradus frigoris, & id circo frigefactio, quæ est ad quatuor posteriores frigoris desideratur, quia supponitur subiectum in priori recepisse ab igne quatuor priores caloris: vnde fit vt tum frigus productum excludat calefactionem supra quartum gradum caloris, tum calor frigefactionem supra quartum frigoris, atque adeò vt vtraque forma per suam entitatem resistat actioni agentis contrarij.

16 Instabit forte Ouiedus, ex his quæ habet eodem *num.* 5. antecedenter ad calorem, vt quatuor resistebat ignis, ne nix præoccuparet subiectum frigiditate producta, & prius natura, quam hæc produceretur, resistebat nix, ne ignis calorem produceret, quo subiectum impediretur ad frigus recipiendum: ergo ignis, & nix non resistunt sibi mediantibus suis qualitatibus vt quatuor in subiecto productis; consequentia patet: antecedens probat, si non resisterent sibi inuicem antecedenter non posset assignari cur ea mutuo impediantur; si enim dicas niuem produxisse frigus vt quatuor, quia ignis produxit calorem vt quatuor: inquiro cur nix non impediuit igni productionem quarti per quintum suum, sicuti impediuit productionem quinti per quartum.

Respondeo negando antecedens cum sua probatione, & quidem in mea sententia, Heterogeneitatem ordinis in gradibus agnoscente, facile assignatur ratio cur hæc agentia sè inuicem impediant; cum enim gradus intensior supponat in priori naturæ subiectum gradibus remissioribus sibi subordinatis informatum: vt nix intelligatur proxime potens producere quintum frigoris in subiecto à nobis posito, debet præintelligi produxisse iam quatuor præcedentes: eodem modo ignis vt intelligatur proxime potens producere quintum caloris; militat enim eadem ratio subordinationis in vtroque: sed pro eodem signo, pro quo intelligitur nix produxisse suos quatuor, intelligitur etiam ignis produxisse quatuor suos, quia ponuntur simul applicata fuisse ad agendum: ergò pro eo signo, pro quo, intelligitur subiectum recepisse quartum gradum frigoris intelligitur etiam recepisse quartum caloris, sed quartus frigoris opponitur quinto caloris, & quartus caloris quinto frigoris; iam

igitur

Digitized by Google

igitur habeatur ratio cur hæc agentia se invicem impediant in productione sui quinti gradus.

17 Sed quid dicendum in sententia nullam reperiri subordinationem in gradibus propugnante? quam tuetur ipse Oviedus, *Controv. 4. puncto 2. num. 26.* Memini me illam suo loco impugnasse eo potissimum argumento, quod ea data tolleretur oppositio inter qualitates: nam si unus gradus caloris non opponeretur alteri determinato frigoris, sed cum tota collectione octo graduum, quando in subiecto calido ut quatuor, & frigido ut 4. introduceretur unus gradus frigoris, nõ esset maior ratio cur non expelleretur gradus frigoris, sed caloris, quia gradus aduenies non opponeretur, nisi cum tota collectione octo graduum caloris, & frigoris, & hoc non ex sè, sed ex incapacitate subiecti: nam si subiectum esset capax sicuti quatuor gradus unius qualitatis contrarias stare possunt cum quatuor alterius, ita possent cum quinque, quem admodum igitur ex opinione negante subordinationem in gradibus tollitur oppositio inter qualitates contrarias, ita nil minus si tolleretur etiam resistentia, quæ in oppositione fundatur.

18 Verum ne dicat aduersarius tolli quidem nostram sed suam integram remanere: probo oppositum: nam si remaneret sua, ideo esset, quia antecedenter ad calorem productum adhuc resistit ignis, ne nix præoccupet subiectum producta frigiditate intensiore, quam ut quatuor, & prius natura quam hæc producatur, resistit nix ne ignis plus caloris producat, quam ut quatuor: sed hoc falsum esse constat ex eo quia, quando duæ causæ totales eiusdem rationis applicantur eidem passo per hoc quod neutra possit suum effectum adæquate producere, sed debeant partialiter intertium alium, attemperando suam virtutem concurrere, nemo dixerit quod sibi inuicem resistant, seque impediant, potius enim sè adiuuant sibique auxiliantur, nam quod quælibet non posset suum peculiarem effectum in illo subiecto tamquam causa totalis totaliter producere, non prouenit ex repugnantia, & contrarietate aliqua quæ inter sè habeant effectus aliàs producendi, sed ex insufficientia subiecti; atqui ita sè res habet in casu nostro in sententia subordinationem negatiuum; nam non ideo ignis non producit calorem, ut octo in illo subiecto, & nix frigus ut octo, quia istæ qualitates de sè inuicem pugnent magis, quam calor ut quatuor, & frigus ut quatuor; sed quia subiectum est incapax utriusque contrarietatis in summo: ergo per hoc quod vtrumque agens suam virtutem attemperet, & partialiter ad latitudinem octo graduum concurrat vnum producendo calorem ut quatuor, & alterum frigus ut quatuor, neutrum alteri resistit, eique propriè repugnat.

Vereor nè argumentũ, quod de rè dicebat esse hic auctor ad cõtentionis de voce penitus desinat quærendo, quam latè pateat significatio repugnantiæ: quare præscindendo à quæstione subordinationis graduum: vnde ista dubitans prosiliuit, ad argumentum principale.

19 Respondeo secundo viz concedendo quod casu quo ignis, & nix æque actiue applicentur subiecto omni calore, & frigore destituto, inuicem sibi resistent immediate, & in priori naturæ ad productionem suarum qualitatum nè plus quam quatuor gradus quodlibet in eo producat, sed nego non sibi resistere per resistentiam formalem; ad probationem in contrarium concedo resistentiam formalem informationem in subiecto importare, & haberi per hoc, quod forma aliqua merè per suam entitatem informando subiectum suo contrario resistat. Porrò hanc formam quæ resistit niui, ne plus, quam quatuor gradus producat, dico esse calorem illum, qui est in ipso igne, non illum, qui ab eo producitur in subiecto, & formam quæ resistit igni esse frigus, quod est in niue, non illud, quod ab ea subiectum recipit: & hoc propter rationem, quæ in instantia tangitur; quia nimirum mutua resistentia inter ignem, & niuem habetur in priori naturæ ad productionem vtriusque contrarij in subiecto; vnde fit vt repugnet quod ab illis formaliter habeatur; porrò illa communis persuasio, qua creditur formalem resistentiam ordinari ad repellendam actionem contrariam ab ipso subiecto, in quo est forma resistens, ita limitanda est, vt habeat veritatem primario, & formaliter loquendo: cum quo stat quod secundario, & consequenter ordinetur, & ad repellendam actionem contrariam ab altero quod ad ipsam formam resistentem pertinet, & cum illa connexionem habet: quoniam vero quando ignis calidus ut octo, & nix frigida ut octo cum æquali virtute actiue applicantur eidem subiecto omni calore, & frigore destituto, quodlibet ex eis respicit dictum subiectum in priori natura ad actionem tamquam aliquid partialiter ad sè pertinens, nimirum secundum quod est capax propriæ qualitatis intensiue ut quatuor: hinc fit vt per formalem resistentiam verumque alteri antecedenter resistat, ne excedat in, quod in subiecto illo habet, & producat plus quam quatuor gradus qualitatis sui.

Et per hanc Responsionem remanet etiam solutum secundum argumentum de re, quod ad suam sententiam confirmandam afferebat Oviedus: dico enim quod si daretur passum vno tantum gradu, vel caloris, vel frigoris capax, haberetq; sibi applicata duo agentia in actiuitate omninò æqualia, quorum vnum intenderet producere gradum suum, dummodo huiusmodi ponerentur indiuisibilia, propter mutuam resistentiam, qua sè impedirent, neutrum ageret in passum illud: sed resistentia esset formalis, & nõ actiua, quia vtraq; qualitas æque respiceret passum illud vt pertinens ad sè, & vtraque æquale ius haberet in eo. 20

SECTIO TERTIA.

De Resistentia formali.

21 Diximus resistentiam formalem in actu secundo haberi quãdo forma aliqua in formando subiectum merè per suam entitatẽ impedit, vel ex toto, vel ex parte actionem contrarii debitè applicatã illi subiecto: in actu vero primo importare virtutem, quam habet dicta qualitas impediendi actionem contrariã: nihil in eo penitus agendo: dubium tamen est quando nõ eius actus

Digitized by Google

secundus exerceatur; seu quod idem est, quando in actu secundo qualitas formaliter resistat, nonnulli enim existimant eam resistere eo tempore, vel instanti, quo expellitur; alij vero in instanti priore ad expulsionem: contra vtrosque est.

Nostra conclusio actus secundus resistentiæ formalis exercebitur pro eo tempore, vel instanti, pro quo agens contrarium est debitè applicatum ad agendum in passum, & tamen, vel ex toto, vel ex parte non agit in illud, eo quod qualitas corrumpenda eius actioni minimè cedit.

Probatur primo: actus secundus potentiæ formaliter resistitiuæ non habetur per actionem qualitatis resistentis, sed per eius persistentiam vel ex toto, vel ex parte, positæ applicationi contrarij, per quod differt ab actu secundo potentiæ resistitiuæ efficientem, quæ necessario actionem resistentis imponit; ergo sicut hoc pro eo tempore, vel instanti exercetur, pro quo agens contrarium agit debilitando vires alterius contrarij: ita etiam formalis resistentia pro eo tempore, vel instanti exercebitur, pro quo qualitas resistens persistit, vel ex toto, vel ex parte in statu suo, commodando agenti contrario debitè applicatum ad agendum in illam.

22 Probatur secundo duas alias sententias oppositas impugnando; primam quidem, quæ volebat qualitatem in actu secundo resistere eo tempore, vel instanti, quo expellitur sic: Quod non est non potest resistere, sed qualitas pro eo instanti vel tempore quo expellitur non est; ergo prius eo tempore, vel instanti quo expellitur, non resistit in actu secundo: consequentia est legitima, & maior patet, quia resistentia formalis nihil aliud importat, quàm qualitatem vel secundum totum vel secundum partem in suo esse existentiali manere: vtrum verò probandum remanet ad instantaneam expulsionem, videtur esse euidens, quia expulsio qualitatis à subiecto habetur per eius corruptionem; nihil autem instantaneis autem sicuti fieri, & factum esse sunt successiua, ita & corrumpi, & corruptum esse successiua, quatenus verò ad expulsionem temporaneam: probatur etiam, quia qualitas, quæ expellitur in tempore successiuo secundum eas partes, secundum quas expellitur, cedit subiecto: qualitas autem eatenus cedit secundum eas partes, secundum quas hæc in eodem subiecto non coexistunt; ergo secundum dictas partes non existunt in eodem subiecto existentes simul duæ partes vtriusque contrarietatis, de quorum potentiis; secundum vniuersalem consequentiam seruandum quas existere dum non expellitur secundum has partes non resistit per aduersarios veram esse igitur quod qualitas pro eo tempore, vel instanti, pro quo expellitur, non existit; quod erat probandum.

23 Posterior vero sententia, quæ volebat qualitatem in actu secundo formaliter resistere in instanti priore ad expulsionem, impugnatur ex eo, quia potest qualitas in actu secundo formaliter resistere hoc tempore, vel instanti, etiamsi in posteriori minimè expellatur; ergo secundum eadem probamus, quia possibilis casus, in quo qualitas aliqua secundum aliquam vim resistitiuam formaliter sumptam tardiùs superet vim motiuam actiuam agentis contrarij, cui debitè applicatur ad agendum in subiectum, in quo est, non ostendit

24 Dices id ita esse, quæstionem verò non agitari de resistentia in actu secundo huius qualitatis, sed illius quæ difficile quidè cedit actioni agentis, eamque moratur; sed postea tandem vincitur, ac superatur. Contra tamen est quia etiam in hoc sensu prædictam sententiam non habere veritatem constat ex eo, quia huiusmodi qualitas, quæ eandem aliquando cedit actioni agentis, non solum resistit in actu secundo formaliter in instanti priore ad expulsionem, sed etiam per totum id tempus, pro quo successiuè expellitur; nam pro toto tempore expulsionis, licet secundum partes priores quas deperdit, non resistat, resistit tamen secundum posteriores, quas ad hoc habet; ergo, &c. Dices iterum; neque in hoc præsentem difficultatem; quam præ manibus habemus, positam esse, sed fieri hypothesim, quod duo dentur tempora, vel instantia sibi immediatè succedentia, & in priori quidem quod qualitas existat, in posteriori vero expellatur, & facta hac hypothesi, dubium esse num qualitas in priori tempore vel instanti, an verò in posteriori resistat.

25 Respondeo: si hoc modo quæstio proponatur, ita dari medium inter primam, & secundam sententiam, quia sensus controuersiæ esset: verum dicta qualitas resistat quando est, an potius quando non est: verum si hoc modo quæstio concipiatur sicuti est pars quædam nostræ vniuersalis quæstionis, vt opinio eorum, qui docent eam resistere in priori instanti quando est, includitur tamquam pars in nostra vniuersali conclusione, & in hoc sensu nos dicimus qualitatem resistere formaliter pro antecedenti tempore, vel instanti ad sui destructionem, quia pro eo existit, atque adeo pro eo agentis actionem contra se impedit, quod etiam dictum tempus consideretur, vt totum quid indiuisibiliter, quodque concipiatur qualitas, post illud cedere actiuitati agentis sibi applicati per accidens què habere prædictum esse.

26 Vnam contra hanc nostram sententiam sic expressam obijci potest: sic sine pugna non habetur resistentia, sed in instanti antecedente expulsionem qualitas expellenda non pugnat; ergo non resistit. maior patet, minor probatur quia ad habendam pugnam requiritur existentia simultanea pugnantium sed pugnantia sunt qualitas expellenda & qualitas introducenda: in instanti autem antecedaneo ad expulsionem non existit qualitas introducenda; ad eum planè modum, quo in instanti subsequenti ad expulsionem non existit ea, quæ expellitur; ergo in illo instanti antecedente qualitas expellenda non resistit.

27 Dices nos non obtinere pugnam possimus sumi factam pro actione, qua vna res agit in aliam, sensu dixit Sallustius, quod in eum conflictum peruentum, scilicet pro repugnantia & contrarietate, quam aliqua inter se habent: in quo sensu Tullius in Philippicis ait, bonos pugnantia loquitur

non

Digitized by Google

non vides, quamuis autem ad pugnam in primo sensu sumptam requiratur simultanea existentia pugnantium, non tamen in secundo sensu; ad hoc enim vt verificetur repugnare tenebras, & lucem, bonitatem, & malitiam; calorem, & frigus in summo in eodem subiecto, non est necesse, vt simul coexistant; quin imo si hoc fieri posset eorum pugna cessaret, quia hoc modo contendunt, vt numquam simul existant: iam vero qualitas expellenda in vtroque sensu pugnam committit, & cum agente quidem contrario in primo sensu, cum qualitate vero introducenda in secundo, vnde sicuti necesse habet coexistere cum agente contrario quando illi resistit; ad hoc vt actu resistat qualitati introducendæ, exigit vt illa minimè existat: debet enim in formando subiectum, illam ab eo excludere: quo posito, respondeo concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorē: ad habendam pugnam in primo sensu requiritur existentia pugnantium, concedo; in secundo, nego: & distincta eodem modo priore media, ac admissa posteriore, nego consequentiam.

Et quidem de præsenti controuersia nihil examinandum restaret, nisi se sè offerret doctrina quædam peregrina, quam tradit Oviedus puncto secundo, qui post quam recte supponit Resistentiam formalem in ordine ad duplicem terminum considerari posse, quorum alter est corruptio resistentis, alter vero productio formæ contrariæ (constat enim calorem vt acto v. g. resistere, & suæ corruptioni, & productioni primi gradus frigoris) postea addidit qualitatem resistentem in instanti A. non resistere corruptioni suæ faciendæ pro illo instanti, sed pro instanti sequenti; at vero introductioni formæ contrariæ resistere tum pro illo instanti, in quo resistit, tum pro instanti sequenti.

28 Quod si ei obijcias qualitatem in instanti A. resistentem corrumpi in instanti sequenti, & cedere subiectum qualitati, quæ producitur; falsum igitur esse quod resistat pro instanti sequenti; respondet, negando consequentiam: ex eo enim quod instanti consequenti corrumpitur, solum, inquit, sequitur quod in præcedenti non restiterit pro eo instanti efficaciter; quamuis enim tunc petierit à Deo conseruationem pro sequenti, quia tamen causa contraria pro eodem potiit validioribus conatibus eius destructionem per productionem formæ contrariæ, ideò hæc contra resistentiam illius prævaluit: & quidem sic explicata resistentia in instanti præcedenti pro consequenti, quo ad vtramque partem assertionis magnam mihi facesse difficultatem. Quoad priorem partem reijcio, quia inde sequeretur quod qualitas resisteret in actu secundo absque eo quod haberet applicatum sibi agens ad eam destruendam ordinatum, sed hoc videtur inconueniens; ergo, &c. probo sequelam supponendo quod in instanti A. fit calidum vt quatuor, quod non habeat sibi applicatum vllum contrarium, in sequenti vero instanti applicetur illi frigidum vt octo, ita vt in eodem instanti aliquid caloris ex eo corrumpat, cum sic stante doctrina aduersarij calidum vt quatuor in instanti A. deberet resistere formaliter in actu secundo suæ corruptioni faciendæ pro instanti B. sed in instanti A. non haberet sibi applicatum frigidum vt octo; ergo iam ex dicta doctrina sequitur, quod qualitas resisteret in actu secundo suæ corruptioni absque eo quod tunc haberet sibi applicatum agens ad sè destruendum ordinatum; & quidem auctor num. 10. propter similem rationē, quam ibi adducit, affirmat dictā sequelam esse verissimam in sua sententia: minor vero constat ex eo quia est expresè contra præcipuam conclusionem sufficienter à nobis iam probatam, in qua diximus actum secundum resistentiæ formalis exerceri pro eo tempore, vel instanti, pro quo agens contrarium est debitè applicatum ad agendum in passum, & tamen, vel ex toto, vel ex parte non agit, eo quod qualitas corrumpenda eius actioni minimè cedit.

Et confirmatur quia resistentia formalis in 29
actu secundo considerari potest tum in ordine ad agens, tum in ordine ad formam contrariam ab ipso agente introducendam; & quidem quod ad eam habendam non requiratur introductio formæ contrariæ pro eo instanti, pro quo habetur, patet ex dictis: si autem neque requireretur agentis applicatio, non posset assignari per quid hæc resistentia ex actu primo transiret in actum secundum; dicere enim quod eius transitus pendeat ab applicatione in sequenti instanti faciendā, ita vt si non fiat in sequenti, non transeat in antecedenti; contrà vero si fiat, transeat; videtur incredibile; neque enim vt ego sim hodie præcisè pendere potest ab aliqua conditione, vel causa, quæ sit cras extitura; ita vt præcisè per hoc quod illa extitura non sit, ego hodie non intelligar existere; contra vero intelligar si extitura sit. Sed de his satis: veniamus, si placet, ad rationem, quæ hunc auctorem induxit ad negandum qualitatem, quæ resistit in hoc instanti, resistere nè corrumpatur in hoc eodem instanti, sed in sequenti, ea continetur num. 5. & est huiusmodi; resistentia in hoc instanti inuoluit existentiam resistentis in eodem instanti; ergo ex suppositione quod calor resistat in hoc instanti implicat non existere in eodem; ergo implicat in illo corrūpi: ergo implicat in illo resistere corruptioni faciendæ in eodē instanti: omnia videntur certa, præter vltimam hanc consequentiam, quæ sic ab illo probatur: resistentia in actu secundo debet esse respectu rei possibilis, & respectu rei, quæ ablata resistentia fieri posset; sed ex eo quod calor existit in hoc instanti, non potest in illo corrumpi; ergo eo ipso quod existat in instanti A. non potest resistere corruptioni pro eodem instanti faciendæ.

Ad hanc ego rationem responderem: singulas 30
eius propositiones expendendo; distingo igitur primum antecedens: resistentia in hoc instanti inuoluit existentiam resistentis in eodem instanti, ita vt resistentia sit aliqua operatio, vel effectus, supponens ipsam existentiam, nego: itaut sit formalissimè ipsa existentia resistentis in recto, & connotans in obliquo in eodem instanti agens contrarium debite applicatum ad eam destruendam sine victoria, concedo antecedens; patet enim

Digitized by Google

enim ex dictis resistentiam hanc esse permanentiam formæ resistentis in suo esse cum connotatione agentis contrarij applicati ad agendum, & minimè prævalentis: sic concessa prima consequentia, qua inferebatur ex suppositione quod calor resistit in hoc instanti, implicat in eodem non existere: distinguo postea secundum consequens; ergo implicat calor in illo corrumpi, facta suppositione existentiæ concedo, nulla facta suppositione, nego secundam, & tertiam consequentiam, in qua deducebatur implicare calorem in illo instanti, in quo existit, corruptioni in eodem instanti faciendæ resistere: sicuti enim non implicat calorem existere in eo instanti connotando agens sibi applicatum cum carentia actionis, ita neq; implicabit resistere corruptioni in eodem instanti faciendæ.

21 Ad probationem denique huius vltimæ consequentiæ concessa maiore, & minore distingue consequens, eo ipso quod existat in instanti A. nõ potest resistere corruptioni faciendæ pro eodem instanti: & siquidem resistentia esset quid nemine cogitante distinctum ab existentia; & sè haberet consequenter ad illam concedo: posito quod in recto sit idem omninò cum existentia, & solum ei superaddat in obliquo applicationem agentis contrarij, modo dicto, nego consequentiam: tantum enim abest qualitatem eo ipso, quod existit in instanti A. non posse resistere corruptioni faciendæ pro eodem instanti, vt si non resisteret non existeret pro eo instanti, quia idem formaliter est resistere in actu secundo pro aliquo instanti, ac pro eodem existere cum connotatione agentis contrarij applicati, &c. & hoc ideò, quia resistentia formalis in actu secundo non est nisi existentia resistentis perstitens, non obstante virtute contraria applicata ad corruptionem illius. En tibi Achillem Quiedi iacentem, & examinem.

22 Instabis fortè: constat dupliccm esse resistentiam formalem in actu secundo; vnam efficacem, qua forma resistit agenti contrario cum victoria, alteram inefficacem, qua non obstante resistentia superatur ab illa; sed si vera esset nostra solutio numquam daretur resistentia inefficax, quia hoc ipso quod forma debet resistere in hoc instãti pro hoc instãti implicat, quod nõ existat pro eodẽ; ergo, &c. Respondeo qualitatem resistentem, quæ habet sibi agens contrarium applicatum, non solũ ei resistere in hoc instanti; sed etiam pro alijs consequentibus: porrò licet secundum, quod ei resistit in hoc instanti ne corrumpatur in eodem instanti, resistentia non potest esse inefficax propter rationem dictam; at secundum quod ei resistit in hoc instanti ne corrumpatur in consequentibus, potest eius resistentia esse inefficax in quantum agens eius resistentiam in illis istantibus superare potest.

23 Subinstabis: posito quod agens in primo instanti non superauit resistentiam formalem passi, non potest assignari quid acquirat in sequentibus, ratione cuius illam superet in illis: ergo falsum est, quod resistentia passi in primo instanti exercita posse esse inefficax respectu instantium consequentium.

Respondeo, quod agens contrarium v. g. calidum vt octo in primo instanti applicationis suæ, nisi frigiditas ei resisteret produceret in subiecto frigido v. g. vt octo calorem secundum totam intensionem, quam posset. quoniam vero ei resistit, hinc fit vt non producat nisi primum gradũ in secundo vero secundum, & sic deinceps. (pono instantia vnum post aliud, & gradus eis correspondentes, vt facilius intelligatur responsio, & melius cum obiectione conformetur) hinc fit vt in primo instanti frigiditas nullo modo resistat secundum octauum gradum, quem deperdit, sed benè resistat, tunc quidem efficaciter secundum septem gradus, secundum quos perseuerat in esse; at inefficaciter pro instantibus subsequentibus, quia secundum illos successiuè destruetur; & sic habemus resistentiam efficacem eiusdem qualitatis pro diuersis instantibus: his præmissis nego antecedens argumenti; dico enim quod licet agens non superauerit in primo instanti resistentiam formalem passi quo ad omnes gradus, superauit tamen illam quo ad aliquem gradum: quamuis ergo in sequentibus instantibus nihil in sè acquirat, attamen deperdit passum successiuè resistentiam suam, vnde fit vt resistentia quam in vno instanti habet à passo, sit quidem efficax pro illo instanti, at inefficax pro sequentibus.

24 Instabis: iterum ex doctrina huius Doctoris loco citato, idem est calorem resistere corruptioni, ac exigere conseruationem sui; sed calor existens in instanti A. non exigit in actu secundo conseruationem sui pro eodem instanti, sed pro sequenti; ergo calor existens in instanti A. non resistit corruptioni exercendæ pro eodem instãti sed pro sequenti; maior videtur certa; minor verò probatur: calor existens in instanti A. supponitur conseruatus in eo instanti; ergo non potest exigere conseruationem sui pro eodem instanti.

25 Respondeo: bifariam calorem corruptioni resistere posse: primo immediatè, secundo mediatè: resistere corruptioni immediatè est habere ius ne subtrahatur illi concursus, per quem existit; resistere vero mediatè est impedire actionem destructiuam agentis contrarij debitè applicati ad ipsum destruendum: quo posito distinguo maiorẽ; idem est calorem immediatè resistere, corruptioni, ac sui conseruationem exigere concedo; idem est calorem mediatè resistere ac, &c. nego maiorem, & concessa minore: distinguo consequens; ergo calor existens in instanti A. non resistit corruptioni exercendæ pro eodem instanti; & si quidem sermo esset de resistentia immediata concederem consequentiam; quoniam vero à nobis agitur de mediata, nego illam, & dico calorem per resistentiam formalem resistere corruptioni, propriè esse resistere agenti contrario, illud impediendo, ne per actionem frigefactiuam producat in subiecto, in quo est calor ipse, formam expulsiuam sui: constat autem aliquid posse esse impedimento alteri in aliquo instanti ne pro eodem instanti faciat aliquid: v. g fenestra occlusa in eo instanti in quo egreditur sol, est ei impedimento ne cubiculum illuminet pro eodem instanti, pro quo rationem impedimenti respectu illius exer-

Digitized by Google

exercenti ergo habemus, quod calor existens in instanti A. rectè intelligi potest, quod resistat hoc modo corruptioni suæ pro eodem instanti exercendæ. At eundem calorem resistere corruptioni beneficio iuris, quod habet ne subtrahatur illi concursus, per quem existit, est illi immediatè resistere non impediendo aliquam actionem positivam destructivam sui, sed exigendo continuationem illius actionis, per quam conservatur; aequi in eo instanti, in quo exigit, iam existit, & conservatur, aliàs non exigeret; non est igitur mirum si calor existens in instanti A. non exigat in actu secundo conservationem sui pro eodem instanti, sed pro sequenti: quod si quis contenderet posse in eodem instanti calorem intelligi prioritate quidè exigere conservationem sui, cum indifferentia tamen illam si pro posteriori impetraturus à Deo; huic respondendum est, quod quemadmodum potest calor existens in instanti A. exigere in actu secundo conservationem sui pro eodem instanti, ita potuit resistere per resistentiam formalem in actu secundo suæ corruptioni aliàs exercendæ pro eodem instanti, si non resisteret.

36 Alteram vero partem assertionis in qua dicebatur calorem in instanti A. resistere productioni frigoris oppositi pro eodem instanti aliàs exercendæ si non resisteret, sic fere probat auctor num. 7. calor existens in instanti A. exigit pro eodem instanti negationem frigoris, quam de facto consequitur; ergo pro eodem instanti resistit productioni eiusdem frigoris, consequentia videtur certa: antecedens suadetur: quia vera est haec causalis, quia octavus gradus caloris informat subiectum in instanti A. non introducitur in eodem instanti primus frigoris.

37 Ego vero quamuis verissimam putem assertionem, tamen ex suppositione, quod idem auctor neget calorem in instanti A. resistere suæ corruptioni pro eodem instanti exercendæ, non videtur mihi discurrere consequenter: quod ostendo dupliciter: primo soluendo eius rationem, in qua fundatur ex doctrina, qua vtitur aduersus resistentiam contra corruptionem; secundo vrgendo paritatem. Ad rationem ergo negarem iuxta eius principia calorem existentem in instanti A. exigere pro eodem instanti negationem frigoris, quemadmodum enim ipse dicit, quod calor non resistit corruptioni pro dicto instanti A. faciendæ, neque exigit conservationem sui pro eodem instanti, quia in eo supponitur existere, sed bene pro sequenti, ita dicam ego de exigentia negationis frigoris, quod scilicet eam quidem habeat calor in instanti A. non tamen exercendam pro illo instanti, quia in eo iam existit, sed pro consequenti; ad probationem vero antecedentis dicerem, quod licet est vera illa causalis: quia octavus gradus caloris informat subiectum instanti A. ideo non introducitur in eodem instanti primus gradus frigoris, ita & haec aliàs quia octavus gradus caloris resistit formaliter nisi in instanti A. ideo non corrumpitur à nisi in eo instanti; ergo calor, vel resistit vtrique pro eodem instanti videlicet tum formæ contrariæ, tum corruptioni, vel neutri.

Deinde vrgeo paritatem hoc modo: idem resistit octavus gradus caloris primo frigoris; nè corrumpatur ab illo; sed octavus gradus caloris existens in instanti A. à nullo potest in illo instanti corrumpi; ergo pro illo instanti non resistit primo gradui frigoris, vel si pro illo resistit; etiam resistet ne ab agente contrario corrumpatur.

Respondet Oviedus, distinguendo maiorem, 38
ideo resistit octavus gradus caloris primo frigoris: nè corrumpatur ab illo in instanti, in quo existit, negat, ne corrumpatur ab illo in instanti sequenti, concedit, & sic concessa minore; negat consequentiam; dicit enim octavum gradum caloris existentem in instanti A. resistere pro eo instanti primo frigoris: quia licet non posset ab eo corrumpi pro eodem instanti posset tamen in sequenti, si in instanti præcedenti A. fuisset in subiecto productus.

Sed contra ex membro distinctionis concedo sic insurgo: potest calor existens in instanti A. etiam si à nullo posset in illo instanti expelli resistere pro eodem instanti frigori, ne expellatur ab illo in instanti sequenti: ergo poterit etiam pro eodem instanti A. resistere corruptioni suæ, etiam si in eo corrumpi nequeat, ne corrumpatur in instanti sequenti: quod si neget consequentiam, & pro disparitate assignet implicare contradictionem, quod in eodem instanti A. sit calor & eius corruptio, vnde non debuisse naturam curare vt calor pro eo instanti illi resisteret, at non implicare, quod in eodè subiecto sit octavus gradus caloris, & primus frigoris, & ideò naturam curasse vt pro eo 1. instanti octavus caloris primo frigoris resisteret: Contra hanc disparitatem argumentor, quia natura non assurgit ad diuinandos casus miraculosos vt sibi præcaueat si forte occurrant: alioquin debuisset sibi præcauere ignis casu quo spoliaretur à Deo omnibus dispositionibus suis vt non periret; ergo ex eo quod calor vt octo possit supernaturaliter in eodem subiecto coniungi in instanti A. cum primo gradu frigoris, male infertur, quod natura prouidit vt resisteret pro eo instanti dicto gradui.

Contra etiam secundo, quia maior est resistentia, qua calor existens in instanti A. resistit alicui, tum pro eodem instanti, tum pro sequenti, ea perquam resistit alicui solum pro instanti sequenti, sed maiori resistentia debet resistere calor suæ corruptioni, quam formæ contrariæ: ergo impossibile est, quod formæ contrariæ resistat, tum pro instanti A. tum pro sequenti; corruptioni vero suæ pro sequenti tantum: maior videtur certa: minor vero suadetur, quia resistentia formalis consistit in repugnantia, & incompossibilitate vnius formæ contra suum oppositum præsentis, sed maior est repugnantia & incompossibilitas, quam habet calor vt octo cum sua corruptione, quam cum primo gradu frigoris; ergo maiori resistentia debet resistere suæ corruptioni, quã primo gradui frigoris: stet igitur quod octavus gradus caloris in quocumq; tande instanti existat, dummodo connoret sibi agens contrarium debite applicatum illi formaliter pro eodem instanti resistat, non solum in ordine ad productionem formæ contrariæ; sed etiam in ordine ad sui corruptionem, eo vel maxime, quia

Digitized by Google

tota ratio resistentiæ, quam exercet octauus gradus contra primum, est ne corrumpatur formaliter ab illo. & totam vim quam adhibet agens contrarium vt illum destruat, nō nisi producendo dictum primum gradum frigoris adhibet.

SECTIO QVARTA.

De gradu resistentiæ actiuæ, & formalis primarum qualitatum.

40 SVpponendum hoc loco omnes quatuor primas qualitates nimirum, calorem, frigus, humorem & siccitatem esse actiuas simul, ac resistitiuas formaliter, & videndum, quæ alia superet in actiuitate, quæ vero in formali resistentia, quod non ita intelligendum est, quasi vero quęratur à nobis quæ nam ex eis sit intensior; ex vna enim parte constat eas quarum est de se esse posse æque intensas: ex alia vero certum est, quod calidum v. g. vt quatuor agere possit in frigidum vt octo etiam si hoc nihil vel minus agat in illud, non igitur maioritas hæc in maiori latitudine graduum posita est; sed actiuitatis quidem in maiori agendi efficacitate, & celeritate; resistentiæ vero in maiori difficultate admittendi actionem contrariam: & quidem quantum attinet ad ordinem actiuæ resistentiæ omnes supponunt, quod primum locum obtinet calor vtpote maxime omnium actiuus, secundum frigus, tertium humor, quartum, & infimum siccitas: quod experientia admixta ratione à priori comprobatur; videmus enim vi caloris, tum corpora admodum solida, & prædura celeriter resolui, frigus vero etiam mollia, & tenuia segniter, lenteque superare, multo vero tardius humiditatem à corporibus siccitatem expellere, tardissimè vero omnium ipsam siccitatem operari, adeò vt nonnulli omnem ei negauerint actiuitatem. ratio vero à priori experientiæ admixta non est alia, quam perfectio earumdem qualitatum, quam perfectio virtutis operatiuæ consequi solet; nam hoc eodem ordine vna videntur in perfectione entitatiua aliam superare, ita vt omnium perfectissima censeatur esse calor, quem sequatur frigus, & postea succedat in perfectione humiditatis ac vltimum tandem locum obtineat siccitas.

De ordine vero formalis resistentiæ multo maior est difficultas ita vt auctores in varias abierint 41 sententias, quas omnes enumerare, & expendere libet vt tandem quid nobis sentendum sit, clarius deducatur.

Quidam igitur primo, de quibus Ouiedus, & Compronus putant omnes quatuor primas qualitates esse æque resistitiuas formaliter: mouentur autem hoc syllogismo: Resistentia formalis oritur ex incompossibilitate quam habent inter se qualitates contrariæ; sed formæ hoc ipso, quod sunt contrariæ, sunt æque incompossibiles: ergo æque formaliter resistitiuæ. Non placet hæc sententia, quia caduco nititur fundamento; quamuis enim qualitates contrariæ æque sint incompossibiles cum hoc autem bene stat quod vna possit strictius inhærere subiecto, atque adeò difficilius agentis contrarij actiuitati cedere, quam alia: sicuti apparet in formis substantialibus, quæ licet æqualem incompossibilitatem inter se habeant difficilius tamen vna cedit actioni agentis contrarij quam alia; maiori enim difficultate corrumpitur forma ferri, & cæterorum metallorum quam forma ligni stupæ, &c. quod à dicens aduersarius hanc difficultatem in formis substantialibus ortam ex dispositionum earum, primas vero qualitates non requirere in subiecto ipsius dispositiones, ait non esse primæ: admitto. Habetur disparitatem; nec ea enim clarius improbabilis ratiocinatio quam impugnamus deducitur, quidem inter dispositiones formæ ferri, & formam ligni præcipuam locum obtinent primæ qualitates, iam igitur illæ possunt magis, & minus eodem modo inhærere subiecto quod intendimus. 42

Inhiabunt forte nonnulli contra hoc, quia nec vna ex qualitatibus contrarijs magis vel minus inhærere potest; alteri tamen conueniunt in hoc vt tantum vnius corrumpatur, quantum producitur alterius ita vt omnes arithmeticæ proportionem ferunt in hoc: ergo tantum esse vna quantum reliquæ: sed respondeo facile negando consequentiam, & ratio est, quia sicuti resistentia consistit in difficultate cedendi subiectæ qualitati contrariæ: ita maior resistentia in maiori difficultate, vnde quamuis omnes conueniant in eo, vt tantum de sua entitate vna earum adhibeat, quantum acquirit alia: adhuc tamen vna potest resistere pluſquam alia, hoc ipso quod cum maiori difficultate cedit contrario.

Alij secundo dicunt vim resistitiuam in dictis qualitatibus esse æqualem actiuæ, quæ adhuc quantum *in actiuitate calor superat frigus: tantundem illud superet in vi resistitiua; & sic de cæteris.*

Hanc sententiam esse impugnat Hurtadus in phys. disp. 9. sect. 16. §. 120. quia ex ea sequeretur non dari reactionem, siquidem frigus æque superaret aquam v. g. in actiuitate, ac in resistentia formali, quemadmodum vis actiua ipsius ignis esset maior vi resistitiua ipsius aquæ: ita vis resistitiua eiusdem ignis, vt actiua illius: cum igitur omnis actio proueniat ex proportione maioris inæqualitatis vis actiuæ supra resistitiuam, cum aqua non posset in ignem reagere: paulo aliter discurrit Arriaga, *disp. 3. sect. 11. num. 179:* sic: si ea qualitas, quæ in actiuitate præcellit, præcelleret in resistentia, semper victoria potiretur, nec vnquam posset à subiecto pelli, sed contrarium experientia suadet; ergo, &c.

Ouiedus, *Controu. 6. de Gener. punct. 3. n. 3.* petita prius venia ab his auctoribus dicit sè illorum rationibus minime acquiescere, easque plus sumere efficaciæ me refellere: refellit autem hoc fere discursu: & ex vna parte calor esset actiuus vt octo v. g. & resistitiuus vt quatuor, ex alia vero parte vis actiua frigoris esset perfecta vt sex, & resistitiua vt duo, adhuc frigidum reagere posset in calidum, quia eius virtus superaret virtutem resistitiuam illius, & tamen calor vinceret frigiditatem non tantum actiuitate, sed etiam resistentia formali: ergo ex eo quod vna qualitas vinceret aliam in virtute actiua simul, & resistitiua non tolleretur reactio, nec vna aduersus aliam dimicando semper victoria potiretur. 44

Optimum argumentum, & legitima consequentia; sed non est contra doctores, quos auctor se impugnare promittit: illi enim non ex 45

qua-

Digitized by Google

quamque superioritate vnam qualitatis contrariæ in virtute actiua, & resistitiua supra aliam, intellexit sequela illa subsecuta, sed ex æqualitate vtrarumque vnam superasse vnam contrariam vi actiua quantum in resistitiua; quod si ita esset, fateri ipsemet auctor num. 5. tolli reactionem, & qualitatem superiorem semper victoriam reportaturam de inferiori: porrò quod ex hoc antecedente dictas consequentias illi auctores inuexerint, non autem ex illo alio, quod illis Quiedus attribuit, demonstrare volo prædictorum verborum lectori adducendo, Hurtadum enim loco citato hæc inquit: si vis actiua esset æqualis resistitiuæ non posset esse reactio, quia si ignis resistit aëri æqueæ ac in illum efficit; sicut illum, &c. ecce quomodo non quemcunque excessum in virtute actiua, & resistitiua ignis supra aërem, sed æqualem euertendo intendebat illa sequela absurda hic auctoris mens certa est Arriagæ mens, vt ex dubio quod sibi proposuit, & ex responsione, quam affert apertissime constat, sub num. enim 178. secundo, inquit, dubitabis an omnes primæ qualitates resistentes sint etiam æqualiter actiuæ, & post pauca respondet sic; has qualitates esse inæquales in actiuitate, & resistentia facile probatur, nam si ea quæ præcellit in actiuitate, præcelleret etiam in resistentia, semper victoria potiretur: erroris occasio Quiedo fuit, quod non fecerit Arriaga in argumento mentionem de æqualitate præcellentiæ, sed non ideò excusandus, quia debebat aduertere dubitationem, quam sibi proposuerat, & responsionem, quam illi dabat, atque hæc pro Hurtado, & Arriaga, & rationibus suis.

46 Tertio alij dicunt, quod in resistentia formali primum locum tenet humiditas, secundum siccitas, tertium calor, quartum denique frigiditas; hoc autem huiusmodi discursu suadere conantur: maior resistentia formalis vnius qualitatis cognoscenda est ex minori celeritate actionis qualitatis contrariæ, sed actiuitas siccitatis contra humiditatem est tardissima inter omnes; ergo resistentia humiditatis erit omnium maxima; deinde actiuitas humiditatis contra siccitatem est tardior quam sit actiuitas frigoris, & caloris, ergo resistentia siccitatis secundum sibi vendicat locum; propterea actiuitas frigoris est celerior actiuitate siccitatis, & humiditatis, tardior autem actiuitate caloris; ergo resistentia caloris tertio loco ponenda est, post resistentiam, videlicet, siccitatis; ipse denique calor est maximè actiuus, & celerrime omnium operatur; ergo resistentia frigoris est minima: Sed hæc sententia vt verum fatear quamuis prima specie ingeniosa, non est mihi probabilis, eo quod ratio, in qua totaliter fundatur non est solida vt constare potest ex discussione maioris propositionis in quâ totus resoluitur discursus, cuius sensus est, quod ad iudicandum quod vna qualitas sit magis resistitiua, quam alia sufficiat animaduertere, quod minori celeritate qualitas contraria agat in illam; & quidem hoc signum esset sanè infallibile quoties agentia contraria supponerentur æqualis virtutis actiuæ, & cætera paria, quæ retardare, vel accelerare possent actiones eorum; atqui quamuis paritas in cæteris supponatur à nobis, non tamen æqualitas virtutis actiuæ, quia auctores cum quibus disputamus non negant calorem esse summo actiuum, deinde frigus, tertio humorem, & tandem siccitatem: iam vero hanc inæqualitate posita, quamuis minori celeritate frigus agat in calorem, quàm calor in frigus, non statim deducitur, maiorem esse resistentiam formalem caloris, quam frigoris: eo quod illa minor celeritas, refundi possit in minorem vim actiuam ipsius frigoris, & maiorem actiuitatem caloris, aliud stante æquali resistentia in vtrisque: idemque dicendum de resistentia formali humoris comparata cum resistentia formali siccitatis; quamuis enim actio huius sit tardior non hoc ideo infertur resistentiam illius esse maiorem propter eandem rationem: ergo &c.

47 Quarto Vallesius *lib. 1. Contra. medic. Part.* qualitates magis actiuas esse magis resistitiuas: quam sententiam amplectitur Quiedus loc. sit. num. 12. qui licet fateatur nullo efficaci fundamento probari posse eam; tamen asserit probabiliter ex qualitatum perfectione coniectari, in hunc fere modum: qualitas magis actiua perfectior est alia minus actiua; ergo maiorem habet virtutem resistitiuam, quam alia; consequentia probatur quia nisi aliunde constet oppositum perfectioribus entibus, perfectiores virtutes tribuere debemus.

48 Hanc quoque sententiam reijciendam existimo, quia quauis vnus contrarium vincens aliud in virtute actiua, non erit in resistitiua postea abullo repati, atque adeò non sequatur ex hoc tolli reactionem nihilominus tamen nunquam poterit totaliter ab illo superari, sed in omni congressu cæteris paribus semper victoria potietur: atqui si ita res procederet, non bene prouisum esset regiminis naturæ; nam omnia corpora sublunaria calore tabescerent, & tandem in ignem resolucrentur; ergo dicta sententia reijcienda omninò videtur: maiorem quæ sola probatione eget probo ex eo, quia quoties duo inimicum pugnant ad hoc vt de vtroque spem victoriæ concipere valeamus, debet, vel habere æquâ virtutem actiuâ, & resistitiuam, ambo scilicet vim actiuam vt sex v. g. & resistitiuam vtrique, vel vnum superare alterum in virtute actiua, & alterum vincere illud in virtute resistitiua; quod si vnum in vtraque virtute est inferius altero, quamuis possit illud in aliquo leuiter lædere nunquam profecto poterit absolutè victoriam de illo reportare.

49 Rem explico exemplo, quod idem Quiedus, pro se vtitur num. 5. pone virtutem actiuam caloris esse perfectam vt octo v. g. & resistitiuam eiusdem perfectam vt quatuor; pone etiam virtutem actiuam frigiditatis perfectam vt sex, resistitiuam vero eiusdem perfectam vt duos non nego, si quod comparetur virtus actiua frigiditatis cum resistitiua caloris, hanc superetur ab illa, atque adeò frigidum poterit reagere in calidum, sed altero nullam fore spem, quod frigiditas sit reportatura victoriam totaliter de calore: siquidem eius virtus actiua in duobus tantum gradibus superabit virtutem resistitiuam caloris; contrà vero virtus actiua caloris resistitiuam frigoris in sex gradibus; vnde licet frigus in eum reagere quoquomodo posset, ac nunquam de eo penitus triumphare, quia in eadem temporis mensura, in qua vi huius vltimi interiret, necesse esset vt

Digitized by Google

vt ingentem factum faceret in entitate fundi. Igitur quod si qualitates magis actiuæ essent etiam magis resistitiuæ, earum contrariæ semper in conflictu totaliter expugnarentur, & sic omnia calore, & humiditate in summo prædita essent & per hæc patet ad rationem in contrarium, concesso enim antecedente, quod scilicet qualitas magis actiua sit perfectior altera minori actiuitate prædita; sed nego consequentiam, maiorem scilicet virtutem resistitiuam ei tribuendam esse & ad probationem in contrarium permitto quod si non constet oppositum perfectioribus entitatibus perfectiores virtutes tribuere debeamus, dico tamen in nostro casu oppositum combarequatenus vniuersi ordo, & armonia postulat vt ex primis qualitatibus illæ, quæ superant suas contrarias in virtute actiua, superentur ab illarum resistitiua; alioquin vnum, aut alterum elementum cætera omnia in sè conuerteret.

50 Quinto denique alij communiter docent resistentiam formalem primis qualitatibus competere inuerso ordine actiuitatis, ita vt siccitas quæ in actiuitate est omnium debilissima in vi resistitiua primum sibi vendicet locum, secundum verò humiditas, quæ erat tertia in agendo, tertium frigiditas, quæ in agendo erat secunda, quartum denique, & infimum calor, qui cæteras in actiuitate superabat.

Cum his est nostra conclusio: dicimus enim ordinem formalis resistentiæ primarum qualitatum esse hunc, quod illæ quæ sunt magis actiuæ sint minus resistitiuæ: patet ex dictis, quia sic, & non aliter concentus, & armonia totius vniuersi conseruatur; adde communem meliorũ Philosophorũ consensum, qui vniuersalem conclusionẽ contenti sunt probare ostendendo siccitatem, quam diximus habere minimum de actiuitate, esse maxime omnium resistitiuam; inde enim clare deduci putant qualitates, quo magis actiuæ sunt, eo esse minus resistitiuas; iam verò illud ostendunt experientia morborum ex siccitate procedentium, quæ difficillimæ sunt curationis, vt constat ex insania, quæ ex cerebri siccitate causatur, febri ethyca, &c.

51 Verum hoc argumentum Oniedus, num 8. minime probat, & prius inducit quemdam respondentem id non prouenire ex maiori resistentia siccitatis, sed ex minori actiuitate contrarij; cui sè opponit, & recte: constat enim siccitatem esse minus actiuam, quam humiditatem: postea verò respondet ipse bifariam: primo quidem supponendo siccitatem expellendam esse humiditate, vnde quãuis siccitas minimũ resistat si difficulter producitur humiditas, difficulter etiã siccitas expellitur; atqui medicina pauciora medicamenta habet, quæ ad humiditatem producendam adhibere possit; ergo ex summa difficultate curationis morborum ex siccitate prouenientium, non recte deducitur siccitatem esse maxime omnium resistitiuam: quoniam verò minorem euidenter falsitatis conuinci posse videbat Oniedus; cum experientia constet naturam plus abundare agentibus productiuis humiditatis, quam siccitatis; ideò addidit medicinã nõ posse vti omnibus agentibus humidis, sed tantum attemperatis, nè viuentis temperamentũ penitus dissoluat: sed hoc effugium non est tutum, nil enim tritius in medicina, quam robustiores vires vnius agentis aliorũ admixtione temperari, adeò vt etiam venenum ipsum medici ad curandos morbos ex veneno prouenientes accommodare soleant, quid ni igitur poterunt agentia humidiora moderari vt remedio sint ægrotis nimis siccitate laborantibus, & non ruinæ.

Secunda responsio est per siccitatem corrumpi 52 partes humidi radicalis, quibus corruptis nulla medicina damnum illius corruptionis resarcire valet: Contra verò hanc facit, quia vitio æquiuocationis egregie laborat, medici enim dum dicunt humidum radicale naturaliter reparari non posse, non intelligunt vnam ex primis qualitatibus siccitati contrariam: hanc enim diffirmabilem esse putarent, deberent consequenter assetere non esse eiusdem rationis cum humiditate nostra, atque adeò neque contrariam siccitati, alioquin sicuti calor per frigiditatem debilitatus applicatione agentis calidi reparari potest, & frigus applicatione frigidi, denique siccitas applicatione sicci, ita & humiditas; atque adeò intendi applicatione medicamentorum excellenter humectantium nimiamque siccitatem expellentium; nomine igitur humidi radicalis intelligunt partes quasdam substantiales viuentis primigenias, in quibus humiditas prædominatur, quas dicunt semel corruptas non posse à natura reparari, ita vt aliæ earum loco substituantur.

Porrò si Auctor in hoc sensu loquatur de humido radicali, non videtur difficultatem attingere; nam etiam si morbus, qui in siccitatem labitur supponatur aliquid de humiditate harum partium corrupisse: certum tamen est ipsas partes integras quoad substantiam suam reliquisse; vnde non apparet cur dictis partibus non possint humidiora agentia applicari, quorum opera ad pristinum temperamentum sibi debitum excluſa aduentitia siccitate redire valeant: stet igitur recte nostros auctores, ex difficillima curatione morborum ex siccitate prouenientium intulisse siccitatem, quæ est minimum actiua: esse maxime omnium resistitiuam.

Contra nostram verò conclusionem obijcies 53 primo; ideò qualitates magis actiuæ debent esse minus resistitiuæ vt æquis viribus inter sè prima contraria dimicent, sed hoc in detrimentum vergeret vniuersi; ergo, &c. probo minorem, quia quando duo æquis viribus dimicant neutrum victoria potitur; sed sic generationes substantiales desinerent, nã hæc ex eo quod agẽs vincat totaliter passum, & non aliter haberi possunt; carentiam autem substantialium generationum interitum mundo machinari nemo est qui non videat: ergo, &c.

Respondeo negando minorem: ad cuius proba- 54 tionem, dico quod sicuti quando duo æquis viribus pugnant vterque potest ex parte victoriam reportare, ita & in casu nostro: nam ex vna parte debilitatus remanet calor, & ex alio frigus, neq; ex hoc sequitur substantiales generationes desicere, quia dupliciter possumus agere de primorum contrariorum pugna: primo per sè præcisè ipsa prima contraria inspiciendo, secundo per accidens, ratione, scilicet, adminiculantium,

quæ

Digitized by Google

quæ per accidens ad eorum vires augendas, vel diminuendas aliqua ratione faciant; & primo quidem modo concederem cæteris paribus neutrum posse de altero absolute victoriam reportare; sed per hoc, tantum abest, quod generationes substantiales deficiant; quin imò maximè multiplicantur, nam dum primæ qualitates contrariæ refranguntur consurgit dispositio debita mixtis: vnde eorum formæ de nouo producuntur, & hac via generationum substantialium numerus augetur, & crescit: secundo vero negarem, quod vnum contrarium non possit perfectè alterum superare; quia ignis potest habere aliqua adminicula quæ eius virtutem, tum actiuam, tũ resistitiuã corroborare possunt; cuiusmodi sunt maior intensio qualitatis, per quam principaliter agit, maior quantitas molis, maior densitas, & duricies; quorum beneficio plures partes coniunctiores fiunt, & sic magis, tum ad agendum, tum ad resistendum aptiores redduntur: nulli autem dubium videtur esse, si ignis his adminiculis instructus pugnet cum parua aqua, vel terra, quin tandem ea penitus expugnet, ac in se conuertat.

Obijcies secundo si siccitas in resistentia formali reliquas qualitates superaret, sequeretur quod humiditas illi contraria deberet etiam antecedere reliquas in virtute actiua, alioquin nõ posset in eam agere; sed hoc est expresse contra nos; ergo, &c. Respondeo negando sequelam: si enim ponamus ex vna parte vim actiuam caloris esse v. g. perfectam vt octo, vim vero actiuam frigoris vt sex, humidi autem perfectam vt quinque, & denique siccitatis vt quatuor: ex alia vero parte vim resistitiuam siccitatis esse perfectam, item vt quatuor, humiditatis vt tria, frigiditatis vt duo, caloris denique vt vnum: optime intelligitur quomodo siccitas superet reliquas in resistentia formali, & tamẽ vis actiua humiditatis sit illa maior nõ obstante, quod inter cæteras virtutes actiuas, penultimum locum obtineat. 55

DISPVTATIO
SEXAGESIMA QVARTA
DE ELEMENTORVM NATVRA,
ET NVMERO.

1 SEcundo lib. de Generatione agit Philosophus de elementis non solum quia hæc sunt generationi, & corruptioni obnoxia: sed etiam quia sunt causæ quare mixta generentur, & corrumpantur: per quod patet sub diuersa ratione eum considerasse eadem elementa 3. & 4. de cælo, ac in præsentia considerat: ibi enim de illis egit quatenus ad integritatem, & constitutionem vniuersi pertinent; & quatenus in eo proprium locum, ad quem ab intrinseco moueantur, sibi vendicant: hic vero de illis vt generabilibus & corruptibilibus; nos vero commodius existimauimus ea omnia, quæ ad illa pertinent hoc loco in ordinem redigere: sit igitur.

SECTIO PRIMA.

An, & quid sit Elementum.

2 ELementi nomen dupliciter sumi potest ample, & presse: priori modo sumptum significat omne illud principium, quod ita componit aliquid, vt in suo genere sit primum, quo pacto materia & forma dicuntur corporis naturalis elementa, & litteræ elementa scripturæ; & partes integrantes elementa totius integralis. hac autem ratione acceptum existimat Fonseca ab Aristotele definitum esse 5. *met. tex.* 4. elementũ, cum dixit esse id, ex quo aliquid componitur primo inexistẽte indiuisibili specie in aliam speciem; vt docet loco citato in explicatione litteræ, & quæst. 1. sect. 2.

Perquę verba notatur primo elementum debere esse partem intrinsecam, & componentem respectu rei, cuius dicitur esse elementũ: notatur secundo id non debere ex alijs prioribus partibus componi; sic enim non esse primum: tertio debere inexistere in composito: hoc est esse partem componentem per sè, & non per accidens; sicuti per nos est priuatio: quarto denique debere esse indiuisibile essentialiter, & specificè in alias partes specie differentes; neque te terreat, quod quatuor vulgata elementa possint diuidi in formam, & materiam, ex quibus constant hæc enim cum sint semientia absolute loquendo non differunt inter sè specie.

Iam vero elemẽti nomẽ posteriori modo sũptũ, quo pacto à nobis in præsentia vsurpatur, significat tantum illa prima corpora physica, ex quibus cætera alia corpora mixta corruptibilia componuntur; quæ dicuntur simplicia, quia non constãt admixtione qualitatum contrariarũ; quæque dari euidens est, & patet ex eo quia animaduertimus, quam plurima corpora non solum ex mixtione quorumdam corporum resultare, vt ranam æstatis tempore ex pulueris, & pluuiæ commixtione: sed etiam in alia corpora resolui, vt carnem in terram, humorem aqueum, calidasque exalationes. iam vero vt eorum essentia probe cognoscatur à nobis sit.

Vnica conclusio: elementum presse sumptum 3 recte definitur *tertio cæli tex.* 31. cum dicitur esse illud corporum, in quod alia corpora diuiduntur;

quod

Digitized by Google

quod ineſt potentia, aut actu; ipſumque eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie.

Dicitur primo illud corporum, quæ particulæ sè habent vt genus, & ſignificant elementum debere eſſe corpus phyſicum naturale, & ſic non ſolum materia, & forma per sè ſumpta, ſed etiam ipſa quantitas, quæ eſt corpus mathematicum à ratione elementi, per hæc verba remanet excluſa.

Dicitur ſecundo in quod alia corpora diuidantur: vt notetur elementũ eſſe corpus talis naturæ, vt in illud mixta omnia ſublunaria reſolui poſſint: atque hic aduerte particulam, alia, eſſentialem diuerſitatem ſignificare: vnde eſt quod licet lignum bipalmare in duos reſolui poſſit, neutet tamen palmus eſt exiſtimandus elementum illius, hoc loco definitũ; quia ab ipſo ligno bipalmari, cuius eſt pars componens, eſſentialiter non differt.

4 Dicitur tertio, quod ineſt potentia, aut actu, quia in illa poteſt aliquid diuidi, quæ in sè continet, & eo modo quo eſt continentia, ei reſpondet diuiſio: quare ſi elementum ineſt in mixto formaliter, & ſecundum ſuam formam ſubſtantialem, mixtum diuidetur in illud formaliter; ſin autem virtualiter tantum, ſcilicet ratione qualitatum, quæ ſunt virtutes dicti elementi, extrinſecè tantum diuidetur in illud, eo quod ſiue immediatè, ſiue mediatè ex materia mixti generabitur elementum: dicitur autem ſic diuidi, quia non omnes qualitates, quæ erant in mixto, remanent in aliquo elemento, ſed tantum aliquæ illarum, licet omnes in omnibus: ex quibus patet explicatio vltimæ partis definitionis, in qua dicitur Elementum eſſe indiuiſibile; cum enim reſolui non poſſit in aliud corpus, quod pauciores ſibi vendicet qualitates, hinc ſequitur vt non poſſit eſſe ratione earum diuiſibile in aliud. Arriaga *de gen. diſp. 4. ſect. 1.* agendo de definitione elementorum tria dicit: primum eſt vtraque definitione Ariſtotelem elementa, de quibus in præſentia diſputamus primo, & per sè definire voluiſſe: ſecundum neutram definitionem recte traditam eſſe; primo quia eſt obſcura; ſecundò quia falſa, ſi quidem cum elementa non maneant in mixto formaliter, non eſt verum, quod ex eis reliqua corpora componantur, aut diuidantur; & cum conſtent ex materia, & forma, nequeunt eſſe indiuiſibilia: tertium denique dictũ, eſt elementum, iuxta propriam ſententiam, quæ putat vnica tantum ex primis qualitatibus potiri: clarius, & rectius definiri poſſe: Corpus ſubſtantiale, quod ex primis qualitatibus vnicam tantum ſibi vendicat: iuxta vero communem ſententiam, quæ cuilibet elemento duas primas qualitates aſſignat: Corpus quod ex primis qualitatibus duas tantũ exigit. equidem, vt verum fatear, nullum ex his dictis approbare poſſum; non primum, quia priorem definitionem elementorum ipſemet Ariſtoteles loco citato affirmat non ſolum vulgatis elementis comperere, ſed etiam litteris, ex quibus conſtant voces, nec non etiam primis demonſtrationibus, ex quibus, aliæ demonſtrationes procedunt: vitio autem definitioni vertitur: poſſe eam competere alteri à definito.

5 Neque ſecundum; puto enim vtramque definitionem recte traditam eſſe: & ad priorem rationem in contrarium dico, quod quando inter vitia definitionis recenſetur obſcuritas, hoc non debet intelligi quomodocumque, aliàs omnis definitio eſſet reijcienda; cum nulla ſit, quæ aliquam non contineat, ſaltem reſpectu alicuius intellectus, difficultatem; ſed accipiendum eſt reſpectiuè, vel in ordine ad definitum, ita vt non ſit clarior illo, vel in ordine ad eos, qui profitentur illam ſcientiam, ad quam tradita definitio pertinet; ſi nimirum captum eorum ſuperet, & excedat: ſed neutrum habet locum in caſu noſtro: vtraque enim eſt definito clarior, & iis qui ſcientiam phyſicam profitentur minimè difficilis intellectu; ergo &c. ad poſteriorem verò rationem, qua probatur falſitas veriuſque, conſtat reſponſio ex dictis in explicatione earumdem definitionum; neque enim aliquid de nouo addendum occurrit, per quod melius veritas vtriuſque comprobetur.

6 Tertium denique dictum quod continet duplicem definitionẽ elementi ab auctore excogitatam iuxta duplicem opinionem de numero qualitatum, quem elementa ſingula ſibi vendicant, reijcio ex eo quod ſatis impoliti, ne dicam pinguiter de elementorum definitione ratiocinantur: quoties enim definiendum eſt aliquid, quod multiplices rationes in sè continet, id præcipuè attendendũ eſt, ſub qua ratione acceptum definiendum ſit (loquor autem de definitione late, quatenus rerum deſcriptiones etiam comprehendit) quamuis enim illud ita deſcribatur, vt de nullo alio deſcriptio verificari poſſit, niſi per ea etiam explicetur ſpecialis illa ratio, ſub qua intenditur definiri: vtique definitio illa eſſentialis eſt materialis, atq; adeò vitioſa, vtpote quæ faciat nos venire in cognitionẽ definiti materialiter tantum accepti, non autem formaliter, hoc eſt ſecundum eam rationem, ſecundum quam intenditur definiri.

7 Exemplum accipe; ſi quis, volens definire primum motorem, eum definiat eſſe ens omniſcium, vel incomprehenſibile, vel eſſentialiter bonum: profectò definitiones hæ licet non poſſint verificari, niſi de eo, qui eſt primus motor; quia tamen non explicant formalem rationem ipſius primi motoris, ad quam explicandam deſcriptio ordinabatur, ideò cenſentur eſſe materiales, atq; damnabiles: iã vero ita sè res habet in caſu noſtro: ſi quidem prima quatuor elementa duas, quod facit ad rem noſtram, habent rationes, ſub quibus explicari, & definiri poſſunt: rationem ſcilicet corporis ſimplicis corruptibilis, & mixtionem elementi; cum autem nos quæramus eorũ definitionem quatenus elementa ſunt; per duplicem illam definitionem Arriaga, ea definit præciſe ſecundum quod corpora ſimplicia ſunt corruptibilia; quod patet ex eo quia per hoc, quod ſciamus ea eſſe corpora, quæ ex primis qualitatibus vna tantum, vel duplici gaudent, non venimus in cognitionem, quod ſint reliquorum corporum elementa, magis, quam ſi non eſſent; nam etiam ſi per impoſſibile ea omnia implicarent, & ipſa non haberent rationem elementi, adhuc de eis vtraque definitio tradita verificaretur; quare neutra facit nos venire in cognitionem eorum quatenus elementa ſunt; & ſic neutra eſt admittenda

tenda; sed bene admittenda est Aristotelica, quæ ea sub ratione elementi declarat, & explicat; dũ dicit elementum esse illud corporum, in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potẽtia, aut actu. nam si rationem elementi ab eis per intellectum circumscribas, & consideres ea vt simplicia corpora corruptibilia, nõ apparet quo modo de illis verificetur.

SECTIO SECVNDA.

Quot nam sint Elementa.

8 VNica conclusio: elementa corporum mixtorũ nec plura sunt, nec pauciora quatuor nimirum Terra, Aqua, Aèr, Ignis: est omnium fere Philosophorum, qui in hoc sequuntur Aristotelem.

Probatur autem primo: ex Arist. 4. *de Cælo à tex.* 54. Datur sub cælo elementum, quod sit Corpus leuissimum, & petit locum simpliciter sursum, cuiusmodi est ignis; item datur elementum, quod est Corpus grauissimum, & petit locũ simpliciter deorsum, quale est terra: ergo danda sunt alia duo elementa, quæ petant loca media, nimirum àèr, qui sit leuior quidem terra, sed grauior igne; & aqua, quæ sit etiam leuior terra, sed grauior igne, & àère; vnde fit vt àèr sit infra ignem, & supra aquam; aqua vero supra terram, sed infra ignem, & aèrem. Antecedens quoad vtramque partem probatum fuerat à Philosopho 1. *de Cælo à tex.* 5, vbi demonstrat in mundo dari debere tres motus simplices, vnum circularem, qui est circa centrũ, & competit cælo; & duos rectos, quorum alter est à centro ad circumferentiam, alter vero ad centrum: tum sic: motus simplex rectus corpori simplici, cuiusmodi est elementum, primo & per sè conuenire necesse est: ergo debet dari elementũ, quod sit Corpus leuissimum, & à centro moueatur vsque ad concauum Lunæ, ibique requiescat: sed hoc non est nisi ignis: ergo iam habemus elementum ignis: item debet etiam dari elementum, quod sit Corpus grauissimum, & quod petat simpliciter centrum, ibique quiescat: sed hoc non est nisi terra: ergo habemus duo elementa.

9 Principalis vero consequentia suadetur, quia inter duo contraria cuiusmodi sunt leuissimum corpus, & grauissimum, dandum est aliquod mediũ; sed inter huiusmodi contraria non sufficit vnum medium, sufficium vero duo, nimirum àèr, & aqua: ergo non plura, nec pauciora quatuor sunt elementa; huius vltimæ probationis maior præter quam quod inductione reliquorum contrariorũ constet, suadetur etiam experientia: nisi enim daretur inter ignem, & terram corpus medium, sequeretur quod totum spatium medialer intra concauum cæli contentum, à terra, & igne tanquam à loca naturalibus, & vniuersalibus mixtorum occuparetur; sed hoc est euidenter falsum: ergo, &c. minor vero, quod non sufficiat vnum Corpus simplex, quod sit aque leue, sed habeant esse duo media suadetur, exeo quia de facto datur vnum, quod sit magis leue, quam graue; id est aèr; & aliud, quod sit magis graue quam leue, id est aqua; & ratio vlterior huius rei esse potest quia, elementa debent esse inter sè contraria: vna autem, vt docet philosophus, non nisi vnum potest esse contrarium: ergo hoc ipso, quod datur tertium elementum, admittendum est necessario quartum, vt seruetur inter illa contrarietas. Neque dicas corpora, quæ dictum spatium inter ignem, & terram occupant, non esse elementa; sed mixta: ne id dicas, inquam, quia hæc fuit sententia Parmenidis, & aliorum antiquorum vt refert S. Thom. 2. *de generat. lect.* 3. vbi sic: Qui autem duo faciunt elementa vt Parmenides, qui ponit ignem, & terram esse elementa, ponebant etiam inter ea duo media scilicet àèrem, & aquam, quæ dicebant fieri ex istis duobus. Porrò hæc sententia ab alijs Philosophis exposa fuit, eo quod cum mixta omnia moueantur ad motum prædominantis elementi, sequeretur, quod quemadmodum lapides, & metalla, quia in ijs prædominatur terra non minus tendunt ad centrum, quam ipsa terra, nec sub ipsa violentiam patiuntur: sic deberet tendere aqua, quam Parmenides terream ponebat indiscriminatim ad centrum, sicuti terra; sed hoc est euidenter falsum; videmus enim eam sibi vendicare locum supra terram idemque cum proportione experimur de àère, quem antiqui dicebant magis ad ignis naturam appropinquari: petit enim esse infra ignem, & non in eodem loco indiscriminatim cum illo; ergo duo hæc corpora media non sunt mixta, sed elementa, quatenus habent suam peculiarem leuitatem, & grauitatem: non placet hic discursus Arriagæ *disp.* 4. *de generat. sect.* 2. *num.* 5: quia, inquit, primo peccat in eo, quod iam supponit, duorum elementorum existẽtiam, non dat autem rationem horum, quam hic quærimus: secundo male infert duo esse elementa media; possunt enim esse, vel duo, vel tria, vel vnum, vel etiam nullum, quæ enim necessitas vt illud detur: accinit Quiedus huic rationi, vt propterea dicat argumentum Aristotelis parum roboris habere.

Sed neutra ratio allata placet mihi: non prior, 10
rum quia iam Aristoteles probat dari elementa ignis, & terræ, quia vt habet 1. *Cæli à tex.* 5. omnia corpora naturalia sunt secundum se ipsa mobilia secundum locum, & simplicibus corporibus simplices motus debent competere; cum autem motus simplex per comparationem ad medium, si non est circularis, est rectus, & hic, vel simpliciter à centro, id est, sursum; vel simpliciter ad centrum, id est, deorsum, patet quod duo extrema elementa dari debent, qui duos hosce motus sibi vendicent: atqui hæc nõ sunt nisi ignis, & terra; ergo iam dari ignem, & terram probatur à Philosopho; neque posterior ratio plus soliditatis habet, & quidem quod dari debeat elementum medium illud duplex à nobis supra probatum: quod vero non possit esse triplex, aut quadruplex, &c.

Probatur ex mente antiquorum Philoso- 11
phorum consensu decretum elementa non esse plura, quam quatuor teste Aristotele *primo de generat. text.* 58. vbi habet, quod quidam ex antiquis dixerunt vnum esse elementum, alij vero duo, alij tria, alij demum quatuor faciebant: inquem locum D. T. *lect.* 3. docet, inquit, hic Philoso-

losophus, quod omnes antiqui, qui dicunt elementa simplicia corpora, conueniunt in hoc, quod quaternarium numerum non excedunt & ratio huius esse potest quia de numero elementorũ nos dupliciter discurrere possumus: primo spectato hoc ordine rerum, quem naturalia corpora in particulari de facto sibi vendicant: secundo prascindendo ab illo: iam vero, quamuis si à dicto ordine abstrahamus, nulla possit assignari ratio cur non duo tantum corpora simplicia, vel sex, vel decem occupare possint totum spatium, quod inter centrum terræ, & superficiem concauam orbis Lunæ continetur: at spectato ordine vniuersi, qui de facto est, constanter asserimus ex vna parte quatuor corpora simplicia esse necessario concedenda; ex alia vero nullam esse necessitatem, nec indicium concedendi alia plura; ergo recte dicimus cum Aristotele, & alijs, elementa, nec plura esse, nec pauciora quatuor assignatis.

12 Probatur secundo eadem sententia ab eodem Aristotele *secundo de gener. à tex.* 17. vbi post quam probauit omnes antiquos, qui simplicia corpora elementa faciebant, ea per contrarias qualitates inuicem agere, & pati asseruisse; sic arguit; primis corporibus inter sè agentibus, & patientibus primæ qualitates contrariæ tangibiles assignandæ sunt tanquam proprietates; sed huiusmodi qualitates tangibiles, nec plures sunt, nec pauciores, quam quatuor: ergo elementorum numerus, nec minor, nec maior est, quam quaternarius: maior videtur certa; nam cætera mixta eo plus, vel minus de aliqua prima qualitate sibi vendicant, quo plus, vel minus elementum, cui dicta prima qualitas competit, in eis prædominatur, quod est signum euidens huiusmodi qualitates primo, & per sè elementis competere; minor vero suadetur: quia de primis tangibilibus qualitatibus contrarijs dupliciter agere possumus; primo secundum sè: secundo vnam cum altera combinando; cum enim omnia elementa debeant posse per sè agere, & pati: duas cuilibet debuit natura tribuere, vti videbimus, & quidem si priori modo considerentur, quod sint tantum quatuor nimirum calor, & frigiditas, humor, & siccitas supponitur ex dicendis: si vero posteriori modo; probatur: quia dictæ qualitates sex modis combinari possunt; primo coniugendo calorem cum frigore: secundo humorem cum siccitate: tertio calorem cum siccitate; quarto calorem cum humore: quinto frigiditatem cum humore: sexto frigiditatem cum siccitate: atqui ex his duæ primæ sunt naturaliter impossibiles; contraria enim in eodem subiecto naturaliter in gradu excellenti esse nequeunt; ergo remanent quatuor naturaliter possibiles, atque adeò siue vno, siue altero modo primæ qualitates considerentur, semper numerum elementorum quaternarium esse conuincunt.

13 Ouiedus Arriagam sequutus loco supra dicto num. 6. hanc rationem improbat vocando in multis claudicantem: primo quia supponit primas qualitates esse quatuor, quod aliqui negant; secundo quia gratis supponit qualitates binas, & binas tribuendas esse singulis elementis: quod si quis neget, asseratque elementa omnia aquo-

lleate contentum esse, difficile impugnabitur: tertio quia possunt qualitates illæ binæ, & binæ multis alijs modis disponi, ita scilicet vt detur elementum gaudens summo calore, & summa siccitate; aliud summo calore, & siccitate prope summa, & sic de reliquis: vnde multò maior elementorum numerus euadet: quarto denique dici potest quatuor illas qualitates duplici elemento contentas esse, in quibus absque contrarij admixtione distribuantur.

Verum si discursus Aristotelicus bene perpendatur, statim apparet leuitas obiectorum: ad primum ergo dicendum, quod quemadmodum non obstante, quod aliqui numerum primarum qualitatũ quaternariũ esse negant, ipse Ouiedus paulo ante definiuit elementum; Corpus, quod ex primis qualitatibus duplici tantum gaudet; quamuis fateatur cum communi elementa esse quatuor vulgata; ita non est cur traditam rationem damnandam censeat: non enim est maior ratio cur dicta opinio negantium dictum qualitatum numerum, reddat infirmam Aristotelis rationem, & non suam definitionem vitiosam. quod si ipse respondeat sè postea probaturum huiusmodi numerum; ita nos dicimus Aristotelem, illum iam probasse, & nos cum illo paulo inferius. ad secundum dicendum primo non supponi, sed probari à Philosopho binas ex primis qualitatibus singulis elementis competere: tum experientia, tum ex absurdo: quia, alioqui, non omnia elementa possent inter sè agere, & pati; deinde addendum, quod Aristotelicus discursus non innititur totaliter huic principio, quod binarius numerus qualitatum singulis elementis conueniat, sed illi, quod cum elementa sint prima Corpora, singula debent sibi appropriare vnam ex primis qualitatibus, quæ principaliter in eis reluceat, & manifestetur; siue demum habeant alteram, siue non. Hoc autem Philosophus expressit tex. 23. quo probationem suam his verbis concluſit: sed tamen simpliciter quatuor existentia vnius vnumquodque est; terra enim sicci magis quam frigidi, aqua autem frigidi magis, quam humidi, aèr autem humidi magis, quam calidi, ignis autem calidi magis, quam siccit quorum verborum sensus est, quod licet singulis elementis ex quatuor primis qualitatibus binæ conueniant; vna tamen in singulis relucet, & eminet; vnde fit vt independenter ab earum combinatione adhuc ratio Aristotelica in robore persistat. 14

Ad tertium dico: quod si elementa essent particularia quædam Corpora, quæ in ordine ad sè tantum primas qualitates tanquam proprietates, & dispositiones exigerent, non esset negandum posse saltem de possibili eorum numerum augeri; secundum, quod binæ illæ qualitates possent variè combinari, secundum maiorem, vel minorem intensionem, modò vnius, modò alterius; nec non etiam secundum æqualem vtriusque: at ipsa sunt instituta à natura maxime in ordine ad mixta, vt inuicem agendo, & patiendo primas sibi qualitates refrangant; vnde temperamentum in mixtorum formis debitum oriatur, & sic ex eis generentur mixta: porrò huiusmodi finis cessaret si darentur plura 15

elemen-

Digitized by Google

elementa, quæ eaſdem binas qualitates diuerſimode intenſas ſibi vendicarent; vt hoc exemplo mihi ſuadeo: ſi enim ponamus vnum elementum, quod exigeret v. g. calorem, & ſiccitatem in ſummo: aliud calorem in ſummo, & ſiccitatem non in ſummo; tertium denique ſiccitatem in ſummo, & calorem non in ſummo: certum eſt, quod ea inuicem agendo, & patiendo nunquã ſuas qualitates refrangerent; calor enim non refrangitur niſi per frigiditatem, nec ſiccitas niſi per humiditatem: quin imo ex mutua eorum actione ſequeretur, quod illud quod, nõ haberet alterã qualitatem ex ſuis intrinſecis adeò intenſam obtineret intenſiorem, per quod mixtorum generatio maximè retardaretur; quia hæc, vt dixi, ex refractione primarum qualitatum trahit originem. quod ſi dicas ea non interse, ſed cum alijs tribus elementis comparata agere & pati: contra eſt: quia in ordine ad illa ſufficit vnum tantum elementum ignis, cum debita quantitate, vt ponunt Ariſtotelici; ex quo patet has aliàs combinationes primarum qualitatum naturam abhorrere vtpote ſuperfluam, & ad finem ab ea intentum nullatenus inſeruientes, atq; adeò non poſſe dari plura elementa, quam quatuor vulgata.

16 Ad quartum denique, probauimus ſupra numerum elementorum neceſſario debere eſſe quaternarium ex motiuis virtutibus eorum: nunc vero ex fine ad quem ordinata ſunt à natura; nempè ex mixtorum generatione ſic: mixtio requirit corpus aliquod, quod afferat mixto conſiſtentiam, & ſoliditatem quandam; hæc autem afferri nequit niſi à terra, & ſic eſt neceſſaria terra: deinde poſtulat, quod partes mixti conglutinentur inter sè, & ita componant mixtum, vt vna alteri cõtingatur; hæc autem conglutinatio affertur ab aqua, tertia enim de sè in minutiſſimas paſticulas diuiſa eſt, neque diſſecta; ergo requiritur aqua, quæ sè habeat veluti gluten, ac vinculo; ſed hæc duo elementa non ſufficiunt ad generationem mixtorum: cum enim neutrum ſit calidum, inde ſequeretur quod mixta nullum caloris gradum haberent; ergo requiritur tertium elementum, cum ſic vel ſimilibus ponimus in ſingulis elementis vnam tantum ex primis qualitatibus reſidere: vel binas; veremur autem dicere quod ſequitur, aduersarium eſſe quartum elementum; ergo, &c. Minor ſuadetur: & ſi quidem vnam tantum ea habere ſupponimus parum in mixtis, ac imperfectis inueniuntur, debet habere omnes quatuor primas qualitates refractas, ergo iam ad generationem mixtorum dandum eſt quartum elementum, quod ſi quodlibet binas ponamus quod terra ſiccæ & frigidæ, aqua frigidæ, & humidæ, aër humidæ & calidæ tertium elementum, quod ſupponitur eſſe calidum quam nam aliam qualitatem ſibi vendicet, humiditatem, an ſiccitatem? ſi humiditatem vna ſiccæ terræ haberet cohærere sè humiditate aquæ, & humiditatem huius alterius elementi, cum quibus pugnare deberet; ſi vero ſiccitatem iam humidus aër haberet contra ſe ſiccitate terræ, & ſiccitatem huius elementi, cum quibus pugnare deberet: cum autem conſtet quod nec Hercules contra duos &c. ſequeretur, quod illa qualitas à duobus contrarijs oppugnata non refrangeretur, ſed totaliter corrumperetur; vnde neceſſario admittenda ſunt præter terrã, & aquam alia duo elementa, quorum alterum humidum ſit, & calidum nimirum aër; alterum vero calidum, & ſiccum videlicet ignis: liquet igitur nullas eſſe rationes Ouiedi, quibus probare conatur argumentum Ariſtotelis ex numero primarum qualitatum petitum non eſſe efficax ad quaternarium elementorum numerum ſuadendũ.

17 Obiicies primo Ariſtoteles *primo cæli tex. 91.* docet tria eſſe elementa; falſum eſt igitur, quod ſint quatuor.

Reſpondeo philoſophum non agere loco citato de elementis mixtorũ, ſed de elementis totius orbis: quæ dicit eſſe tria, Cælum, Terram, & Corpora intermedia; quæ quidem corpora ſumit, in ratione vnius elementi, in quantũ omnia habẽt rationem medij reſpectu extremorũ.

18 Obijcies ſecundo: ex eodem hic *tex. 5.* elementa non nutriunt, ſed terra nutriuntur lupi ex ipſomet Ariſtotile, *tertio de hiſt. animal. cap. 5.* Aqua piſces, Aère Chameleon, Igne denique Salamandra; ergo nullum ex his quatuor habet rationem elementi.

Reſpondeo, vel minorem huius argumenti, quo ad omnia eſſe falſam, & dici ſolum per exaggerationem animalia illa elementis veſci, in quantum, quia frigida ſunt natura raro indigent nutrimento, vel ſi ea, quæ aſſumuntur in minori ſunt vera; Ariſtotelem in maiori exponendum eſſe de elementis puris; quoniam vero hæc aqua apud nos ſunt valde ſunt impura, hinc eſt, quod poſſint nutrire dicta animalia.

19 Obijcies tertio: ſi ignis eſſet neceſſarius vt elementum maximè quia deberet ingredi mixtionẽ, aqua ignis non eſt idonea ad mixtionem; ergo &c. minor probatur, tum quia ignis diſſipat mixtum, tum, etiam quia cum ſit corpus leuiſſimum, & maxime diſtans à loco mixtionis non videtur quomodo poſſit deſcendere ad illam.

Reſpondeo conceſſa maiore, nego minorem, & ad priorem probationem in contrarium dico, quod licet ignis quantum eſt de sè, & ſecundum ſuas qualitates integras conſideratus diſſipet mixtionem, tamen minutiſſimas partes inter reliqua elementa diſperſus, & cum ſuis qualitatibus refractis mixtionem maximè adiuuat, quia in mixtis dari debent partes aliquæ ſpiritoſæ ad modum ignis, quarum beneficio mixtum melius ſic hoſtes impetit & veluti excitatur ad sè conſeruandum; ad poſteriorem verò dico, hæc vt ignis ingrediatur mixtionem non eſſe neceſſe vt deſcendat; ſed vbi eſſe vel hæc ratione validæ, & ſiccæ, quæ igneæ ſunt, tamquam eius inſtrumenta ſuccedant. huius autem ingentem copiam in his inferioribus reperiri, nemo negabit.

20 Obijcies quarto, vel elementum ignis eſt in his inferioribus exiſtens, vel alibi quæritur? non alibi, cum neutrum horum poſſit, ergo &c. maior patet: minor probatur, non eſt elementum ignis noſtri, quia hic non habet certam ſedem, ſed huc illuc vagatur, & indiget pabulo, tuo alimento: neque ille alter, quia ſic Ariſtoteles *1. meteor. ſumm. t. cap. 4.* dicit illud corpus, quod eſt in concauo Lunæ eſſe aliud ab igne, & aëre.

Digitized by Google

Respondeo vtrumque ignem, tum nimirum nostrum, tum eum, qui sub concauo Lunæ continetur, esse substantialiter elementum ignis: differre autem nostrum ab illo alio, quia est impurus, cum ille purissimus sit: vnde est quod ignis in tres species materialiter consideratus diuidi soleat in lucem, seù ignem existentem in materia propria; in flammam, ideſt in ignem existentem in humido aoreo, & in carbonem, hoc est in ignem existentem in sicco terresti: quamuis de cætero omnes sint eiusdem speciei infimæ formaliter; ad rationem autem in contrarium dico verum quidem esse ignem nostratem non habere apud nos propriam sedem, & ideo indigere pabulo ad hoc vt nobiscum maneat, quia violenter detinetur: at in concauo lunæ proprium domicilium habet; ideòque semper petere esse super aerem; neque hoc in meteorologicis negat philosophus, sed solum dicit illum ignem non dici propriè πυξ, quod vocabulum esse barbarum testatur Plato in Cratilo, & significat ignē impurum, seù excessum calidi, & sicci in materia densa, & crassa, cuiusmodi est noster ignis, eū ille ignis purissimus sit, vti diximus, atq; tarissimus.

Obijcies quinto præter quatuor assignatas combinationes primarum qualitatum dari possunt duæ aliæ, quarum vna sit ex frigore, & calore refractis, altera veto ex humido, & siccitate itē refractis ergo male philosophus ex varia combinatione primarum qualitatum quaternarium numerum elementorū colligit. 10

Respondeo negando antecedens, & ratio est quia cum prima corpora sint primarum qualitatum radices, quodlibet saltem eam, quam principaliter sibi vendicat, exigit habere in summo cum enim animaduertamus mixta talis esse naturæ, vt si qua ex dictis qualitatibus plus æquo in illis intendantur, male sè habeant, ac pereant, vt patet in lapidibus, qui nimio calore dissoluuntur in calcem, & in metallis, quæ colliquescunt, & diffluunt, signum est quod eas in summo sibi vendicent elementa; atqui posito quod vna ex contrarijs qualitatibus insit subiecto alicui in summo, non potest altera ne in gradu quidem remisso eidem competere: ergo assignatæ combinationes ad multiplicandum elementorum numerum non sunt aptæ.

DISPVTATIO SEXAGESIMA QVINTA

DE ELEMENTORVM SITV.

EX eo quod stellæ citius orientalibus populis oriantur, & occidant, quam occidentalibus. rectè inferunt mathematici terram esse sphericam, ac rotundam: quo posito dicunt aliqui tria reliqua elementa sè habere velut quasdam Pilas, quarum vna claudatur intra aliam, ita vt in medio sit pila terrea; deinde aquea quæ in sè terram includat; tum aerea, quæ contineat aquam; tum denique ignea, quæ suo sinu tria dicta comprehendat. Horum autem sententia recte impugnatur communiter tum quia terra non vndique tegitur aquis: tum etiam quia multæ partes terræ sublimiores sunt multis partibus aeris; vt patet ex montibus supra infimam aeris regionem sè extollentibus: quod igitur de elementorum situ apud omnes constat est, terram secundum aliquas sui partes inferiorem esse toti elemento aquæ; siquidem hoc inniti debet ipsi terræ; alioquin vsque ad centrum descenderet: item aquam secundum aliquas sui partes inferiorem esse toto elemento aeris; alioquin nulla pars aquæ inniteretur terræ; ignem denique, si datur, esse super aerem in lunæ concauo: duo tamen circa situm elementorum adhuc remanent dubia, vnum de terra, alterum de igne; sit igitur.

SECTIO PRIMA.

An Terra sit sublimior Aqua.

PRo decisione notandum, non agi hic de terra illa, quæ contegitur aquis: patet enim ad sensum, quod sit depressior illis, neque de aquis fluminum, ac puteorum; quis enim nō videt montes esse illis sublimiores; sed de aquis maris in mari medio existentibus secundum suam extimam superficiem consideratis, & comparatis cum terra, quæ discooperta est, quæque ex aquarum congregatione in vnum locum *Gen.* 1. dicitur quod apparuerit arida, saltem quo ad altissimorum montium cacumina, quibus extollitur in aera. a

Conclusio est affirmatiua: dico enim hanc esse terram esse aquis sublimiorem: ita communiter sacri expositores Geneſis primo inter quos Beda, Abulensis, Pererius, Cornelius & Cajetanus: ex speculatiuis vero Vallesius *lib. 2. de sacra philosophia*, Molina, 1. *parte tract. de opere sex dierum disp.* 11. Suarez, *lib. 2. cap. 6.* Coimbric. 2. *Cæli cap. 14. quæst. 4.* Ruuius, *lib. 3. cap. 8. quæst. 3.* Quied. *de generat. centron. 8. punct. 2.* Comptonus, *disp. 12. sect. 1.* Hurtad. *disp. 3. de Cælo sect. 5, §. 48.* Lynceus, *lib. 8. phys. tract. 1. cap. 12.* ex mathematicis denique Clauius, *in cap. primū sphæræ* cum alijs Astrologis & Cosmographis, qui in hoc profitentur sequi quam plures Ecclesiæ Patres nimirum Chrisostom. Hieronym. Augustin. Scuerianum, Rupertum, Vgonem & 5

Digitized by Google

& Damascenum locis citatis à Cæsio de mineralibus *lib. 1. cap. 6. sect. 3.* & Auersa, *tom. 2. suæ philosophiæ quæst. 36. sect. 4.* in contraria tamen sententia sunt Chaterinus, Burgensis, Carthusianus, Canus, Bagnés, Zumel, Ripa, quos sequitur Arriaga *disp. 4. sect. 4.* & alij, qui pro se citant Basilium, Ambrosium, Nazianzenum, Olimpiodorum, & Tullium: locis ab eodē Auersa citatis ibidem hi omnes putant, quod quemadmodum aquæ initio mundi vndique totam terrā cooperiebant, & sic erant illa sublimiores; ita multo magis postquam Deus terram suo imperio ex parte discooperuit, dicens: congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida: aquæ enim illæ, quæ prius cooperiebant portionem terræ, quæ discooperta est, congregatæ postea cum illis alijs, quæ vbi fuerant remanserunt, nec portionem terræ sibi correspondentem reuelarunt, necesse fuit vt earum crassitiem auxerint; vnde elementum aquæ inceperit esse terra sublimius, cæloq; vicinius.

4 Opposita vero assertio, quam nos tuemur, probatur primo quia in duas classes diuisi sunt auctores, qui sustinent aquam esse terra sublimiorem; quidam enim dicunt, quod vtraque elementa non conficiant vnum integrum globum; sed aqua, quæ dispersa erat super totam terræ superficiem, in vnum locum supra terræ portionem redacta, veluti per sè alium globum, seu semiglobum conficiat, habeque aliud centrum à centro terræ: alij vero existimant, quod vnum quidem globum cum terra integret, idemque centrum cum ea habeat; atque adeò partem huius globi ipsa possideat; quia tamen dictus globus, vt patet ad sensum, non est mathematicè sphæricus sed physicè solum, admittens in suis partibus inæqualitates non paucas, ita vt earum aliquæ plus, aliæ vero minus à centro distent; asserunt consequenter, quod comparatis partibus prominentibus vtriusq; elementi, partes terræ prominentissimæ, cuiusmodi sunt cacumina excelsissimorum montium vincantur à partibus prominentissimis maris, ita vt aqua secundum dictas partes magis distet à centro, quam terra secundū illas suas: atque in neutra via aduersariorum sententia procedit; ergo absolute existimanda est improbabilis: minor quo ad priorem partem suadetur ab aliquibus 1. *Auctoritate D. Augus. qui lib. 1. de gen. ad litt. cap. 12.* exponens locū illum congregentur aquæ, &c. numquid nam, inquit in alium congregatæ sunt aquæ, sicut fit cum aduentilandum in area messis trita surrigitur, & congesta in agerem nudæ locum, quem diffusa contexerat? Quis hoc dixerit? cum videat vnusquisque campos maris æqualiter fusos, qui etiam cum aquæ fluctuant, quidam velut montes erigunter, sedatis rursus tempestatibus complanantur: vbi notant S. Doctorem hanc sententiā adeò improbabilem existimasse, vt nemīnem putauerit eam sibi persuadere posse: vt tamen verum fatear, hæc auctoritas videtur potius facere contra posteriorem viam, quam contra priorem; siquidem messis trita cum congesta in cumulum areum nudat, non habet diuersum centrū à centro areæ, & terræ ipsius, supra quam in agerem erigitur; ergo, &c.

Melius ergo suadetur hac ratione: nisi aqua, 5
& terra vnum conficerent globum, nec ad idem centrum tenderent, sequeretur quod per diuersas lineas deorsum mouerentur, quælibet ad suum centrum, vt recte infert Clauius *cap. 1.* suæ sphæræ; sed experientia constat, si ab eodem puncto aeris pars terræ, & pars aquæ successiuè descendant, nullumque sit impedimentum, quod per eandem omnino lineam versus centrum vtraque moueatur: ergo falsum est. quod āqua sit supra terram veluti aliū globū, seù semiglobū conficiés, habeatque centrum distinctum ab illa. Posset alicui fortasse videri euidentius hæc ratio ex centro deducta concludere: si ita formetur: initio mundi priusquam iusserit Deus congregari aquam in locum vnum: ea totam æquè cooperiebat terram; ergo habebat idem centrum cum illa: si igitur postea in semiglobum super terram erecta fuisset, & obtinuisset centrum diuersum ab illa; vel naturam mutasset, vel in perpetua violentia existeret: sed aduersarij respondere possent D. Augustinum nonnullosque alios existimasse: mundū creatum primo fuisse perfectum, sicuti de facto significatur fuisse die septimo quādo dicitur Deus ab vniuerso opere, quod patrarat quieuisse: numerum vero illum dierum tantum signare diuersas Angelorum cognitiones, quibus ipsi ad completam intelligentiam eorum, quæ facta simul fuerant processerunt; qua opinione stante falsum esse, quod aqua initio totam superficiem terræ cooperuisset, quodque idem centrum cum ipsa terra habuisset.

Porrò licet dicta opinio existimetur communiter falsa, non est tamen multum contrariæ fidendum, nisi probetur, quod nobis alio properantibus non vacat.

Porrò eadem minor principalis suadetur, quo 6
ad posteriorem partem, in qua dicebamus: falsum esse quod si aqua non constituit globum distinctum à terra, facta comparatione inter partes aquæ reliquis omnibus altiores, & partes terræ altiores reliquis eiusdem terræ, eminentior sit aqua, quam terra, primo sic: si partes eminentissimæ maris essent sublimiores altissimorum montium cacuminibus, vel eadem proportione partes mediæ eiusdem maris vincunt partes medias terræ, & partes postremæ, quæ sunt vicinæ littoribus vincunt in sublimitate ipsa littora: vel non seruant hanc proportionem, sed aqua maris littori contermina est depressior ipso littore, nō obstante, quod eminentissima pars, quæ longissimè à terra dissita est, montium apices in sublimitate vincat: neutrum dici potest; ergo, &c. maior patet: minor probatur, & quo ad priorem quidem, quia si flumina quando ad mare properarent iam ascenderent, ex littore enim quod ponitur esse ipso mari sibi contermino depressior, natiuo cursu in mare sè reciperent confundendo suas aquas cum maritimis, quæ littora abluunt: atqui hoc esse contra naturam fluminum nemo non videt; ea enim, loca semper magis declinia petunt, & prono lapsu in mare, se descendendo precipitant: ergo falsum est; quod aqua maris littoribus contermina eadem proportione supra littora se extollat, qua tractus maris longissimè à terra distantes dicuntur ab aduer-

Digitized by Google

uersarijs sè extollere supra altissimorum montium cacumina: Quo ad posteriorem vero partem euincitur etiam quia non potest assignari ratio cur si comparentur partes maris littorales cum ipsis littoribus, & partes vlteriores cum sublimioribus terræ partibus sint illis depressiores: si vero eminentissimæ cum eminentissimis sint illis sublimiores; ergo, &c. Suadetur secundo eadem secunda pars minoris principalis quia siue dicatur, quod eadem seruetur proportio à reliquis partibus, siue non. semper sequitur qnod mare secundum illas partes, secundum quas est sublimius terra, deberet defluere, eamque inundare; sed maris aqua secundum sè totã suis limitibus continetur; ergo signum est quod secundum se totam sit terra depressior.

7 Ad hanc vltimam difficultatem plures ab aduersarijs solent solutiones afferri; respondent enim aliqui. Primò ex speciali Dei prouidentia aquas maris se ipsas continere, quin defluant ad obruendam terram; & quidem ad hoc dictum suum confirmandum plures Sacrarum Scripturarum auctoritates afferre possent *Iob. 38.* vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus suos *Psalm. 103.* terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram. *Prouerb. 8.* quando certa lege & gyro vallabat abyssos, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos; sed optimus omnium est locus ex *Genes. prim.* congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arrida; scimus enim ea, quæ ex peculiari prouidentia fiunt, cuiusmodi fuit hæc aquarum adunatio, ex eadem prouidentia conseruari.

8 Sed contra est quia sic mare semper contra propriam naturam violenter coerceretur à Deo, ne terram obrueret: hoc autem non videtur dicendum, nisi magna vrgeremur necessitate, quæ in præsentia nulla apparet; nam loca illa Sacræ Scripturæ optimè explicantur de artificio, quo Diuina Omnipotentia, vt terram nobis habitabilem redderet, eius partes ex vno latere excauauit, & in cauitates illas elementum aquæ inclusit; ex terra vero quam ex ea cauitate extraxerat non solum colles construxit, & montes, sed etiã planitiem illam terræ, quæ antea erat inferior aquis, additione nouæ terræ ita denuo complanauit, vt supra ipsum mare erigeretur: huiusmodi enim artificium, quo vsus est Deus recte dicitur lex & præceptum aquis impositum; eo quod statim ipsæ in illum carcerem se suo pondere iecerunt, sicuti volebat Deus. Ad locum illum Genesis, non nego cum multis Deum in dictis cauois initio mundi conficiendis se miraculose gessisse, ac posito illo miraculo, vti dixi, naturaliter aquæ in eas sè immerserunt, & naturaliter ibi desinentes: cum enim ex suis intrinsecis petant esse supra terram, & in figuram sphæricam circa centrum mundi coaptari; siue id consequantur cooperiendo in circuitu totam terram, sicuti puto: siue in cauois inclusæ certas terræ portiones inuadentes minime superãdo sicuti postea, parũ curant: vtrouis enim modo earum apetitus æque manet satiatus. denique id, quod vltimo loco addebatur nimirum eas, quæ expeculiari prouidentia fiunt, ex eadem prouidentia conseruari, eget distinctione, & si quidem eæ, quæ hoc modo fiunt sunt supernaturalia quo ad substantiam, atque adeo semel facta non habent in natura vnde conseruentur, verum est: at si sunt supernaturalia solũ quoadmodũ, & habent vnde naturaliter conseruari possint falsum vt patet ex oculis cæco nato concessis, & ex vita Lazaro restituta, quæ miraculosè à Christo Domino facta, naturaliter postea perdurarunt; sic cauæ illæ fuerunt quidem à Deo miraculosè formatæ, at postea beneficio soliditatis terra, qua circumeinguntur nullo intercedente miraculo perdurant; atque hæc dixerim ex suppositione, quod initio totaliter terra fuerit creata sub aquis; nam in sententia asserente verè eam fuisse creatam sicuti nunc appareat, Deum ex omni parte vtpote rem naturæ se gessisse in mundi creatione existimare.

Respondent alij secũdo cum Chatarino aquas 9
supra terram eleuatas naturaliter conseruari, quia diffluant; eo quod quamuis extra locum naturalem existant, conantur potius in globum se continere, quam diffluere: sic enim melius conseruantur ab hoste, exemplo guttularum aquæ supra puluerem decidentium, quæ sphæricam figuram in se producunt, & exemplo aquæ super ora vasis aliquantulum sè attolentis, illudque coronantis.

Sed contra etiam; quia non potest negari statum illum, quo aqua impenderet terræ, & non reflueret ad eam cooperiendam, absolute loquendo esse contra innatam inclinationem ipsius; ergo saltem concedi deberet violenter aquam in eo situ detineri, quamuis verum sit ad huiusmodi violentiam sibi inducendam non fore necessariũ miraculum, cum potuerit naturaliter euenire: veruntamen nulla esset ratio cur in dicto statu violento aqua tandiu durare deberet; illa enim desumpta ex figura globosa, ad quam inclinat non vrget: quia huiusmodi figuram melius reperire posset expandendo se super terram, & terræ ipsi sè conformando: sic enim approinquaret magis centro, ad quod inclinat: multo minus vrget ratio desumpta ex fuga ab hoste: aqua enim si erigendo se recedit ab vno, à terra videlicet, iam incurrit in alium, nempe in aerem, & quidẽ terribiliorem ipsa terra; siquidem terra siccitate, quæ minimum actiua est, illam oppugnat; at vero aer calore, qui actuosissimus est: neque denique experientiæ, quæ in contrarium afferuntur, vllus vîrium habent; gutta enim in terram decidens tandiù globi figuram retinet quãdiù illa inclinatio, quam ad sè coniglobandum habet, non superatur accessu grauitatis, quam secum afferunt aliæ guttæ, quæ illi superueniant; & idcirco quam notabilis aquæ quantitas super terram non tunda figura sè erigit, sed necessario diffluere habetur.

Idemque dicendum de aqua vas coquinarium 10
quæ si paululum crescat statim effunditur; quouis vero maris aquæ in magna sint quantitate constituta esset terra sublimiores naturaliter deberent eas effundere super terram, cum præsertim videamus tam guttas, tum conchas siparum dimouearum, aut impellantur statim diffluere, nec antea validissimis Euri Notique impulsibus agitatum sedatis

Digitized by Google

sedatis postea tempestatibus, ad priorem locum redire in eoque conquiescere.

11 Tertia responsio potest esse Casi, dicentis aquam præter propensionem, quam habet ad bonum particulare, propendere etiam ex intrinsecis suis ad bonum totius vniuersi, & quidem eo validius, quo bonum totius præualet bono partis; constat autem bonum vniuersi petere vt aquæ etiam si terra sublimiores sint, adhuc tamen non diffluant, quemadmodum ergo propter eamdem rationem naturaliter ascendunt ad impediendum vacuum, ita naturaliter detinentur ne decidant.

Sed contra est primo: quia experientia constat aquam ascendere ad impediendum vacuum; at nulla experientia conuincit eam esse altiorem terra, à qua circumdatur, & nihilominus in eam minime diffundi, eamque operire, vt ex argumẽtorum solutione patebit: contra secundo quia hoc ipsum esset contra ordinem vniuersi, aquam nimirum debere perpetuo contra peculiarem inclinationem supra terram erigi propter bonũ commune; si enim vniuersum ita à Deo compactum fuisset vt exigeret in media àëris regione massam ferri plusquam mille millium librarum semper habere suspensam, quis non diceret Deũ in creando Orbe non sè gessisse vt auctorem naturæ, quamuis ex intrinsecis suis ferrum vt pars vniuersi haberet respicere bonum illud, quod ex sui suspentione in àëre ipsi vniuerso proueniret.

12 Contra denique tertio: quia est dispar ratio de inclinatione aquæ ad impediendum vacuum, & ad reddendam terram habitabilem: hoc enim bonum vniuersi est adeò illi extrinsecum, vt non sit putandum eam ex intrinsecis suis inclinare ad huiusmodi bonum causandum, quia nihil omnino pertinet ad ipsam dicta habitatio: contra vero exclusio vacui ita est bonum vniuersi, vt maxime in speciale commodum eius redundet: quemadmodum enim admisso vacuo ipsa priuaretur corporum superiorum regimine, atque influxibus, sic eo excluso vtrumque consequitur; vnde non est mirum si ex intrinsecis suis ad illud excludendum inclinet.

13 Respondet denique quarto Arriaga, loco citato num. 64. rationem cur non diffluat aqua sublimior terra, esse quia cum sit instar globi quælibet eius pars grauitat linea recta versus centrum, non autem ad latera; nil mirum igitur si non diffundatur per latera supra terram, sed naturali inclinatione super illam erigatur. hanc solutionem idem auctor duplici exemplo confirmat; vnum ductum ex Antipodis, qui licet videantur nobis pedibus ambulare suspensis, verè tamen terræ innitantur, quia inclinant ad centrũ: alterum ducit ex calice aqua pleno, in cuius medio videtur aqua esse altior quã sit versus labra: ex quo concludit, quod si in latitudine duorum digitorum est tam perceptibilis altitudo aquæ, maior quam sit in extremis, cur in propè in finita Oceani vastitate non poterit in medio esse multo maior altitudo, quam in ora maris, nec ideò tamen diffluat ad oram.

14 Hanc etiam responsionem licet ingeniosam, tali pacto impugnarem: si grauitate versus centrum esset sufficiens ratio, ob quam aqua extolli posset naturaliter supra terram, absque eo quod diffunderetur per latera, sequeretur, quod naturaliter erigi possent à nobis montes aquei supra terræ planitiem absque periculo inundationis; hoc enim ipso, quod essemus certi aquam grauitare rectè ad centrum, & per latera non diffluere, non esset assignabilis ratio cur quemadmodum aceruos lapidum extollimus supra terrã, ita non extolleremus aquarum aceruos; sed contra hoc omnis experientia reclamat; non sufficit igitur grauitatio ad centrum ad sè erigendum aliquod graue supra terram, sed requiritur etiã vt sit solidum, & proprio termino terminatum: quod cum non habeat aqua vtpote fluida, hinc fit vt non possit esse naturaliter in mari altior terra; ex his autem patet ad prius exemplum ex Antipodis deductum; dico enim, quod non ob hoc præcisè illi supra terram sè extollunt quia rectà tendunt ad centrum, sed quia cum solidi sint non possunt per latera diffluere: vnde si ponamus siue eorum corpora, siue etiam nostra esse aquea profecto nõ sine miraculo consistere possent, quia diffluerent, & in terram sè spargerent.

Ad posterius vero exemplum sumptum ex poculo aqua pleno patet etiam ex dictis contra secundam solutionem: vlterius vero adderem ideò in medio poculi aquam erigi in cumulum, quia est indifferens ad fluendum potius ex vno latere poculi, quam ex alio; aliunde vero habet inclinationem ad sè in figuram circularem componendum; vnde fit vt si aliquam determinationem ad fluendum aqua illa accipiat, statim dilabatur circularem figuram parui pendens: ex quo deducitur, quod cum in prope infinita Oceani vastitate aqua modo huc, modo illuc impellatur à ventis, etiam si ab initio fuisset multo maior eius altitudo in medio, quam in ripis; in prima tamen tempestate debuisset supra terram spargi, eamque obruere, vel miraculosè perpetuo detineri, quin diflueret; eius enim vastitas potius faceret ad vincendam illam inclinationem, quam habet ad continendum se in figura circulari, quam ad vincendum illam aliam, quam habet ad interponendum sè inter terram, & aerem; vt colligi potest ex dictis. 15

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiecta in contrarium.

16 OBijcies primo, quædam scripturæ loca, quibus innititur mare esse terra sublimius *Psalm.* 68. veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Item *Psalm.* 103. super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient; ergo, &c. Respondeo ex his duobus locis neutrum fauere aduersarijs; non priorem, nam altum non semper sumitur pro excelso; mari vero quando applicatur, profundiores eius partes, quæ longius distant à terra, significat: in quo sensu dixit Christus Petro *Luc.* 5. duc in altũ.

Quantum vero attinet ad posteriorem: aliqui sic exponunt, vt stabunt ponatur pro stabant: sicuti fugient pro fugerunt; & dicunt significari, quod initio mundi aqua omnes cooperiebat montes; postea vero Dei imperio descendit ad cauernas

ab

ab eo præparatas implendas; trasmutatio enim temporum est valde familiaris prophetis; contra hanc tamen expositionem facere videtur: quia qui dicunt aquas maris prius totam terræ faciem cooperuisse, & postea Dei imperio partes habitabiles reliquisse, volunt montes ex terra extracta ex cauernis mari deputatis, à Deo formatos fuisse: iuxta quorum sententiam, quæ est valde probabilis, non est verum, quod aquæ ab initio super montes steterint: melius ergo dicendum, quod, vel sermo sit de aquis diluuij, quæ super altissimos montes se extulerunt, vel si de aquis initio mundi, de sublimitate versus cælū ad quam postea montes se extulerunt: ita vt sensus sit maiori sublimitate aquas se erexisse versus cælum, quam postea sè extulerunt montes, & tamen Dei nutibus parentes in cauernis terræ sè postea incluisse: nulla igitur est consequentia.

17 Obijcies secundo aqua est leuior terra: ergo licet ea quæ in fluminibus existit, sit montibus humilior, tamen ea quæ in medio mari existit, est illis sublimior. Respondeo concesso antecedente, nego consequentiam, quia nil aliud maior aquæ leuitas exigit, nisi quod terra non possit illi inniti, ac super eam erigi: sed è contra quod scilicet ipsa innitatur terræ, & super eam diffluat; quidquid sit an alibi postea terra eam in altitudine superet; vt patet ex aquis fluminum, quæ sunt depressiores montibus vicinis.

Obijcies tertio ex montiū cacuminibus nascūtur fōtes & flumina; ergo in mari est altior aqua illis montibus: consequentia patet vulgato illo principio: non potest altius ascendere aqua, quā sit locus à quo descendit, cum ergo ad montium cacumina ascendat, signum est quod aliunde quasi grauitet altior illis montibus: ita fere Arriaga loco cit. n. 60.

Respondeo primo retorquendo argumentum contra auctorem, quia si ideo maris aqua ascendit vsque ad montiū summitates quia aliunde grauitat altior ipsis montibus, potiori iure deberet se diffundere super ripas sibi vicinas vt pote capaciores, & depressiores ipsis montibus: sed hoc non euenit, ergo ratio desumpta ex eius grauitate, non probat debere ex montium cacuminibus scaturire.

18 Respondeo secundo auctores, qui nostram sequuntur sententiam, varias solutiones ad hanc difficultatem excogitasse; quidam enim primo dixerunt huiusmodi flumina non procedere immediatè ex mari, sed in cauernis in ipsis montibus existentibus generari, quæ cum sint valde frigidæ, & humidæ, aerem, qui ex terræ poris ingreditur indeficienter convertunt in aquam, quam effundunt; sed hæc solutio non satisfacit primo, quia videtur sacræ scripturæ contraria *Eccles. cap. num.* 1. sic habetur: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locū vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant; contra secundo, quia licet hoc de aliquibus paruis fontibus verificari fortasse posset, de magnis tamen, & de ingentibus fluminibus non videtur probabile: non enim potest vnde assignari, terræ cauernæ habere possint tam tam vim conuertendi perpetuo tam incredibilē aeris copiam, & tanta perpetuitate, quanta est necessaria ad aquas ingentibus fontibus, & fluminibus perpetuo subministrandas: recurrere enim ad occultas syderū influentias, vt communiter faciunt; non videtur tutum: cum sydera non semper cum eadem distātia montes illos respiciant. Linquo quod per tot annorum series aer reagendo in huiusmodi cauernas absque dubio earum actiuitatem debilitare debuisset. contra denique tertio, quia si mare non sè exoneraret tot fluminum missione, certè incrementum, eorum accessione reciperet, præsertim cum flumina latissima, èaque multiplicia ab initio mundi in illud sine interruptione confluxerint. dicere enim quod ideò non redundet, quia tantundem suarum aquarum in vapores euaneſcant; est penitus improbabile; cum sufficeret aqua vnius fluminis resoluta in vapores ad totum pene aerem occupandum. Parum à præcedentibus differunt, qui dicunt per profundas montium radices quadam calidissima flumina pertransire, quæ vapores suos ad montium cacumina perforata immittunt: indeque vapores in aquam conuersos in fontes erumpere; contra quos facit primo: quia huiusmodi aqua deberet esse mineralis, cuiusmodi sunt omnes aliæ calidæ: secundo deberet in valde parua quantitate defluere. tertio deberet esse distillata, vt pote vel ex vaporibus vi ignis extractis coalescens: atqui nullum ex his experimur; ergo, &c.

Alij ergo, cum quibus nos sentimus, secundo 19
fatentur, eiusmodi aquas è montibus emanantes verè ex mari extrahi: verum in explicanda ratione, qua id fiat, non omnes conueniunt: quidam enim id explicant primo exemplo spongiæ; quēadmodum enim, inquiunt, spongia, vel aliud Corpus valdè siccum, atque porosum super eminens aquæ, si contingat vnica sui inferiore portione ipsam aquam, illam ad sè etiam ad partes superiores trahit, & quemadmodum parua telæ scissura secundum vnam sui extremitatem in vas plenum aquæ immersa, secundum vero alteram extra vas propendens, ebibit paulatim aquam ex vase, in altum illam trahendo, & postea deiciendo in terram, effundit: sic terra ipsa in casu nostro vna sui extremitate sugit aquam ex mari, quod contingit, & eam postea propter summam siccitatem, & porositatem, quam habet communicat successiuè partibus remotioribus vsque ad montium cacumina; & sic ex illa alia extremitate eam eicit, atque diffundit in flumina: ad quod præstandum terram maxime adiuuant putāt hi auctores, actione solis illam calefacientis, & exiccantis, & aliarum cælestium corporum influentiarum auxilio, ratione quarum redditur magis apta ad humorem aqueum identidem extrahendum; ita ferè Quiedus ex Conimbricensibus: verum ego hanc philosophiam probare non possum: ex ea enim sequeretur, quod tota aqua maris extrahi deberet, atque effundi per omnes eius ripas, & per omne solum, quod sic probarem nam terra illa, quam dicunt aduersarij ex ea parte, qua mare contingit, aquam sugere conuenit in siccitate, & porositate cum reliqua, quæ continet in se ipsa mare, illudque contingit; 1
ergo sicuti illa tam ingenti copia aquas sugit, easque postea effundit ex montibus, ita deberet,

&

& reliqua terra, quæ mare contingit, idem præstare; & sic se ipsam aquis obruere. sicuti enim, ex eo quod scissura telæ, secundum sui extremitatem, vnam partem orificij vasis occupet, & ex illa parte aquam extrahat, sequitur, quod si linteum per totum eiusdem vasis orificium proportionaliter expandatur, ex omni parte orificij vasis aqua dilabatur. ita & in casu nostro. Quod autem terra, quæ mare in sè continet, sit eiusdē fere rationis quantum ad siccitatem, videtur certum. vnde ex eo quod vna pars sit porosior altera, tantum deberet sequi, quod in maiori copia vna pars, alia vero in minori aquas extraheret.

20 Denique recursum ad cælestium Corporum impressiones non esse proficuum, supra notauimus. si enim eadem semper via, eademque distantia, Sol, & sydera, montes, qui aquis abundant respicerent, intelligibile fortassis esset, quo pacto eorum actiuitas eiusmodi effectus causaret. cum autem illa sint in continuo transitu, & modo ad vnam, modo ad aliam terræ partem appropinquent, eamque diuersimodè respiciant; nullum præstare possunt fundamentum id coniectandi.

Alij vero id explicant, secundo, dicentes: Nulla experientia probari posse ex altissimis terræ montibus fontes emanare. quamuis enim, inquiunt, sublimiores ex his, quos nouimus, aquis abundent; fortassis dantur alij montes excelliores his, quas non dum Cosmographi agnouerunt, in quorum cacuminibus nulla potest ascendere aqua. vnde fit vt licet mare sit sublimius mōtibus, quos videmus, depressius tamen sit alijs.

21 Equidem hanc solutionem contemnendam putassem, nisi de ea mentionem fecisset Quiedus in fine n. 5. eius insufficientiam ostendo primo; quia certam experientiam dubijs argumentis refellere nititur: fortassis, inquiens, dantur alij montes sublimiores istis, quos nouimus. quid si nō detur? profecto victoria stabit pro aduersarijs. tibi igitur incumbit probare oppositum, ne succumbas. secundo, quia etiam si detur huiusmodi montes altissimi, in quorum vertice nullus sit fons; non ideò sequitur argumentum aduersariorum habere vim contra nos. Hoc enim ipso quod mare sit sublimius fluminum originibus scaturientiū ex cacuminibus altorum montium quos nouimus, manifestè deducitur nullum esse nostrum argumentum, quo probabamus terram debere esse sublimiorem mari, ne eius aquis penitus obruatur. nam non obstante quod sit adeò illo inferior, vt montium suorum vertice eius sublimitatem nō pertingat, adhuc mare non refluit supra ripas, & terrarum campos minime obruit.

22 Tertio demum alij sustinent, aquas ex altissimis montibus scaturientes è mari quidem procedere: non tamen ex inclinatione, quam habent ad eundum inferius, sed ex propensione, qua ascendunt ad impediendum vacuum. vnde fit, non bene inferri ex earum confluxu ad montium cacumina, maris prominentiam supra terram. Hanc ego solutionem probo, & eam ita explico. Posito quod Deus voluit, initio mundi terram habitabilem reddere; ordo prouidentiæ eius poscebat, vt eam pluribus aquarum fontibus, & fluminibus ditaret, quæ, & ad ipsam fœcundandam, & ad animalium, quæ eam incolebant, sitim extinguēdam, inseruirent. Ad hoc præstandum, quam plures veluti cuniculos, ac subterraneos meatus efficit, quosdā minus, quosdam magis amplos: nōnullos vero ampliſſimos ad duo milliaria & amplius sè dilatantes, quos tamquam aquæ ductus ad irrigandam terræ superficiē constituit; ideòq; fecit vt vnum os haberent apertum subtus mare, vnde aquas ebiberent, alterum super terram, in qua sè exonerarent. In hoc autem maxime diuinæ sapientiæ artificium sè commendauit, quod ab initio per dictos cuniculos aquam traxit, eosque aqua repleuit; sicuti nos facere consueuimus, cum tubo aliquo vtimur, ad eruendam aquam ex aliquo profundo loco: dum enim veluti fugendo, illum aere euacuare conamur; aqua propter adhærescentiam, quam habet cum aere ascendit, eumq; implet, & sic sitim extinguimus. vides quomodo non obstante quod mare sit inferius terra possit subministrare montium cacuminibus aquas, quæ terram irrigent, & iterum in mare sè recipere?

23 Verum contra hunc discursum sic obijcit Arriaga. *num. citato*: licet attraheretur aqua vsq; ad extremum terræ, vt repleret vacuum, quod intra terram datur: ex ipsa tamen terra non posset in altum saltare, vt repleret vacuum; quia supra ipsam terram iam repletur totum spatium aere: ergo falsum est, quod aqua trahitur ex mari super montes, ad replendum vacuum.

24 Respondeo, ex hoc discursu mihi videri, ab auctore concedi totum illum meatum, qui initiū sumit ex profundo maris, & terminatur ad montis cacumen, posse viribus naturæ repleri aqua maris, quæ ad replendam eius vacuitatem ascendat; negari tamen, eam deinde dilabi, posse, & fluere in flumen: quia cessat necessitas, impediendi vacuum. ad hoc igitur euincendum, sic discurrerem: si ponamus meatum illum non recta via aquam immittere, sed curua, eo quod sit, instar arcus, seù fornicis: profecto posito quod prima vice partem aquæ, quæ opplebat eius orificium propendens, cepit effundere, nisi succesſiue etiam partes subsequentes dilaberentur, daretur necessario vacuum inter partem, quæ fluxit, & aliam quæ immobiles remanerent; non enim posset ingredi aèr, neque ex orificio maritimo, vt patet, neque ex terrestri; quia cum pars aquæ, quæ ponitur discontinuari à reliquis, vt pote in infinitum diuisibilis, ex partibus prioribus, & posterioribus constet; quando secundum priores ex meatu illo dilabitur, iam secundum posteriores eius orificium repleat, necesse est. vnde aeris ingressum impediet: quare nisi aliæ partes succedue continuatione quadam sequantur, admittendum esset procul dubio vacuum in dicto meatu; non potest autem in hoc dici, quod paulo ante Arriaga dicebat; nimirum aquam implere quidem totam fistulam, sed ex eius orificio non posse saltare: quia cum pars illa fistulæ, quæ est orificio montano vicina, sit eo sublimior: nisi aqua flueret, in aere suspensa remaneret. Integram ego huius rei experientiam oculis proprijs comperi; vidi enim fistulam æream recurnam, cuius prima pars longitudinis cum suo orificio amphoræ aqua plenæ erat immersa: secunda vero pars, quæ erat me-

Digitized by Google

dia ſuper os eiuſdem amphoræ sè extollebat; tertia denique, & vltima pars cum altero orificio extra os amphoræ verſus terram propendebat, ex fiſtula ſic conſtituta nihil aquæ omninò fluebat in terram, quamuis vſque ad ſummum vas plenum eſſet. ſed ſi quis exurgeret ex orificio, quod erat extra vas, & aerem deducere conaretur, ſtatim aqua ſupra os amphoræ aſcendebat per fiſtulam; & ex eodem fiſtulæ orificio ſine vlla interruptione fluebat in terram; quo ad vſque amphora vacua remaneret, poſito quod alterum fiſtulæ orificium vſque ad eius fundum se extendebat. cur ergo non dicamus Deum initio ſuos aquæ ductos hoc artificio confeciſſe, ideòque aquas maris, quamuis inferiores montium cacuminibus, per eos nihilominus aſcendere ad dicta cacumina, & inde profluere in terram?

25 Duo contra hanc doctrinam vrgeri poſſunt. vnum eſt quod nunquam aqua ex montium cacuminibus dilaberetur, ſed ad ſummum ex medietate illorum: niſi enim haberet ſupra orificium terræ, ex quo profluit, cuniculum ex partibus ſuperioribus montis, verſus partes inferiores ſe curuantem, iam non deſcenderet. ſed hoc videtur abſurdum. nam in montium ſummitatibus aquæ ſcaturiunt. Præterea paſſim in campis ſcaturiunt ingentes fontes, quorum aquæ, difficile credi poteſt, quod generentur in vicinis antris ex aere illuc deſcendente: ergo procedũt è mari. atqui huiuſmodi campi per nos ſunt ſublimiores mari, & tamen non apparet, quomodo per reflexos aquæ ductus aqua è mari ad illos deſcendat: ergo, &c.

26 Reſpondeo in quoſcumque ingentes fontes, ac flumina, tenendum eſſe per caniculos reflexos modo dicto, aquam è mari deſcendere. atq; adeò ſemper aliquas rupes imminere eorum orificio, ex quo aqua dilabitur. quod ſi huiuſmodi rupes non ſunt proximæ, erunt remotæ: fontium, ergo, in apertis campis ſcaturientium aquæ exiſtimandum eſt, quod prius per caniculos ad aliquem vicinum montem, vel collem aſcendant, & inde occultè dilabantur, ſeque iterum in terram profundè deijciant, moxque ad terræ planitiem aſcendant, & erumpant in fontes. hic enim locus ad quem ſecundo aſcendunt, quamuis comparatus cum mari, ſit ſuperior: ſi tamen comparetur cum loco montis, vel collis, ad quem, prius quam se præcipitarunt, aſcenderunt, erit procul dubio inferior illo, atque adeò verificatur de huiuſmodi aquis, quod non altius aſcendant, quam ſit locus à quo immediatè deſcendunt. & quidem experientia docet, quod quoties in aliquo campo fons ſurgit, ſi vicinus mons, vel collis excauetur, ibi aqua inuenitur, & ſiſtitur nè vlterius in fontem illum deſcendat. Per hæc autem patet ad aquam ex montium cacuminibus defluentẽ. Enim vero qui horum fontium cognitionem habent practicam, mihi dicunt, nunquam in ipſo montis apice fontem erumpere, ſed ſemper ſupra fontem ipſum montis verticem, atque rupes eminere, ex quibus aquæ defluant. Quod ſi hoc non ita ſe haberet: dicendum, aquam illam ad aliquem alium montem ſuperiorem ex mari prius fuiſſe delatam modo dicto, & poſtea per alios cuniculos in illum montem aſcendiſſe; & ſic dictum eſt de aquis fontium in campis ſcaturientium.

Alterum quod poſſet in contrarium vrgeri 27
eſſet. quia nos ſupra, eos qui dicebant, mare etiam ſi ſit terra ſublimius, ex ſpeciali tamen Dei prouidentia se ipſum continere quin defluat, impugnauimus; quia ſic mare ſemper contra propriam naturam violenter contineretur à Deo, quod videbatur abſurdum. ſed hæc eadem ſequela militat contra nos: nam quod aqua maris per cuniculos dictos perpetuo aſcendat, eſt motus illi violentus, & contra propriam inclinationem.

Reſpondeo duplicem dari violentiam: vnam quæ talis eſt ſimpliciter, & huiuſmodi non poteſt ex principijs intrinſecis rei, quæ illam patitur ortum habere: alteram ſecundum quid, quæ nimirum licet alicui inclinationi rei, quæ illam patitur, ſit oppoſita: at ex principijs eiuſdem rei intrinſecis procedit, atque adeò illi ſimpliciter naturalis. Iam vero ſi mare eſſet altius terra: violentiam primi generis pateretur, & hoc eſt abſurdum. at per hoc quod eius aqua aſcendat ad implendum vacuum, patitur violentiam ſecundi generis; quam nihil continere abſurdi, patet ex motu progeſſiuo animalis, cuius pes, dum erigitur ad progrediendum, cum ſit natura ſua grauis, certum eſt, quod aliquam violentiam patiatur. ſed hoc non obſtat, quia abſolute motus eius non ſit cenſendus naturalis. ſolum igitur Dei ſpecialis prouidentia fuit neceſſaria, vt à principio huiuſmodi cuniculi non replerentur aere, ſed aqua; hoc enim poſito, aqua viribus naturæ ſemper ſuccedit, & defluit, ne videlicet ſequatur vacuum.

Obijcies quarto: ex eodem Arriaga ibid. vt 28
teſtantur qui mare nauigare ſolent, quo magis à terra diſtant eo ſunt altiores, & terra reſpectu illorum demiſſa, etiam ipſi altiſſimi montes videntur. ergo experientia conſtat mare ſecundum partes penitiores eſſe terra ſublimius.

Reſpondeo primo: etiam eos, qui nauigant experiri naues magnis ponderibus onuſtas à littore ad inferiora maris ſponte deferri. Contra vero ex interioribus ad littora ventorum, aut remorum impulſu indigere. Porrò ſi mare eſſet terra ſublimius, & non ècontra oppoſitum contingere deberet. quia cum naues è portu ſoluerent contra natiuam grauitatem ſurſum aſcenderent: contra vero cum in portum redirent deſcenderent.

Reſpondeo ſecundo: conceſſo antecedente ob experientia ducto, nego conſequentiam; & dico quod cum mare in ſphæricam figurã se circa centrum contineat: hinc fit vt partes aquæ ſuperficiales maris licet omnes æqualiter diſtent à centro; quædam tamen reſpectu aliarum conſideratæ ſint eleuatiores illis, & hæ depreſſiores. vnde fit vt quando nauis partes depreſſiores nauigat nautæ, impediti à partibus ſublimioribus non poſſint videre terram, & montes; etiam ſi partes ſublimiores aquæ ſint comparatæ cum centro ipſa terra littorali, & ipſis montibus, qui in ea ſunt, depreſſiores. Conſtat enim quod quando

ego

Digitized by Google

ego sum prope murum decem palmorum v. g. impedior ne videre possim montem excelsum, qui sit sine comparatione sublimior ipso muro: sic etiã quãuis partes circũferentiæ Pilæ ęquæ distẽt à cẽtro, tamẽ quãdo formica est in vna parte dictæ circũferentiæ, multa non videt, qua licet absolutè sublimiora sint, absconduntur tamen illi ab alijs partibus eiusdem circumferentiæ; contra vero quando eadem nauis in partibus aquæ, quæ respectu partium littoralium sublimiores sunt existit, sicuti dictæ partes littorales depressiores videntur nautis, ita multo magis terra ipsa, quæ vndis dictarum partium abluitur etiam si sit illis in rei veritate sublimior, ea enim cum ratione opacitatis, quam habet ad atrum colorem accedat: aqua vero maris, vtpote diaphana, candorem imitetur: hinc oritur vt maris aqua circumfusa depressior appareat, atque profundior, experientia enim constat pictores nulla alia meliori ratione in tela profunditates, & cauitates depingere solere, quam atrum colorẽ colore candido circumcingendo.

Obijcies quinto: ex eo præcisè quod mare nõ
29 sit terra sublimius non bene deducitur terram esse illo sublimiorem: posset enim esse æque sublimis; sed argumenta, quæ faciunt contra maiorem maris sublimitatem, non euincunt terram esse illo sublimiorem; vt notat Suarez, *lib. 2. de opere sex dierum cap. 6. num. 6.* ergo male nos concludimus terram sè extollere supra mare.

Respondeo verum quidem esse aliqua argumẽta, quibus nostri auctores vtuntur conuincere solum mare non esse terra sublimius, atque adeò sistendo in illis non recte deduci terram eius altitudinem superare: at vero nostrum argumentum non est huiusmodi; quia resoluitur magna ex parte in experientiam, qua videmus omnia flumina ad mare decurrere, quod fieri non posset nisi ipsum maris litus esset eminentius aqua, qua abluitur; & in rationem, qua probauimus aquam maris penitiorem, & à terra remotiorem non posse esse sublimiorẽ ea quę aquæ est contermina ipsis ripis: hoc enim duplici fundamento iacto manifestè deducitur terram non solum non esse inferiorem aquis maris, sed illis quoque superiorem, vt consideranti patet.

Obijcies sexto: experimentum quod testatur
30 Basilius, *tom. 4. in examer.* deprehensum esse à mathematicis de mari rubro, dum affirmant illud esse altius tribus cubitis terra Ægypti, & de Hollandia, & Zelandia, quas alij testentur esse mari vicino depressiores, ita vt multis repaglis vtantur incolæ vt eius vndis obstent, ne obruantur; ergo, &c.

Respondeo experientias Hollandiæ, & Zelandiæ refundi recte posse in fluxum, & refluxum maris, ac dici per accidens, sè habere quod aliqua terræ apricæ portio mare intumescente, ac aliarũ aquarum superuenientium additione redundante sit eo depressior; ita vt repagulis, siue naturalibus, siue artificialibus indigeat, ne obruatur: experientiam vero de mari Rubro à multis negari, ab aliis reuocari in dubium; à pluribus vero cõcedi tanquam quid speciale de hoc mari, ex quo non liceat vniuersaliter inferre, quod mare sit terra sublimius: hoc ego cum limitatione admitterem nimirum quod habeatur naturale repagulum dicto mari vicinum, quod sit illo sublimius: postea vero sequatur terra Ægypti mari illo depressior; quod colligitur ex eo quod Sesostris Rex Ægypti, & Darius Rex Persarum tẽtarunt repagulum illud perrumpere vt mare Rubrum cum propinquo mari coniungerent; sed destiterunt ab opere, quia viderunt Ægyptum aquis fore obruendum; sic autem dari posse terræ alicuius portionem mari depressiorem, nulla est difficultas; quare negatur consequentia.

SECTIO TERTIA.

An inter conuexum Aeris, & Lunæ concauum extet elementum ignis.

COnclusio est affirmatiua; quam omnes Peri- 31
patetici tuentur, sequuti philosophum pluribus in locis nimirum 2. *cæli à tex. 18. & 4. cæli tex. 32. & primo meteor. summa 1. cap. 2. & 3. & 3. de generat. animal. cap. 11.* & sæpè alibi. hanc eamdem sentẽtiam docent communiter Astronomi, nec non etiam Ecclesiæ Patres: nimirum Origines, Basilius, Clemens Alexand. Heronym. Augustin. Boëtius, locis citatis ab Auersa: 2. *tom. suæ philosoph. quæst. 36 sect. 2.* oppositum tamen docuerunt Pytagorei teste Aristotele 2. *cæli tex. 73.* asserentes ignem esse in centro terræ: vnde locum illum Iouis Carcerem, & quemdam veluti vniuersi focum appellabant: Tycon vero *lib. 1. Epistol.* Astronomicarum scribens ad Rothmannum non agnoscit alium ignem præter nostratem, quo vtimur in terris; vnde negat eum dari in concauo Lunæ: præterea Vallesius *cap. 1. de sacra philosoph.* asserit ignem natura sua non inclinare ad aliquem specialem locũ in mundo; sed per accidens ratione pabuli, quo alitur, modo in vno, modo in alio loco reperiri; & siquidẽ pabulum est materia grauis detineri deorsum: si vero leuis sursum; alij denique, de quibus meminit D. Augustin. *lib. 2. de genes. ad litt.* nullum alium ignem in mundo dari affirmabant præter illum, quo Deus initio vsus est ad Solem, & Lunã cæteraque sydera efformanda.

Ex recentioribus vero Arriaga, *de gener. disp.* 32
4. *sect. 4. num. 67.* ait falsum esse, quod communiter docetur de situ ignis, quod sit supra vltimã aeris regionem immediatum cælo: Quicdus autẽ *controu. 8. puncto 2. num. 7.* licet communem sententiam se tenere profiteatur, fatetur tamen in hanc partem non vrgeri aliqua ratione, quam apud auctores, qui hac de rè agunt, non inuenit: sed Doctorum, & Patrum auctoritate, qui ita tradunt, quasi vero Doctores, & Patres sine vrgenti ratione ad hanc sententiam asserendam conuenerint.

Probatur igitur assertio nostra efficicaciter vnica ratione: ignis natura sua leuissimus est; experimur enim eum apud nos accensum non posse quiescere, sed violenter sub aere detineri, & semper quærere supra illum ascenderi: ergo locus igni consentaneus est conuexum aeris, & Lunæ concauum, ibique extat; consequentia euincitur, quia omne Corpus ad locum sibi con-

naturalem inclinat, & ideò mouetur vt in eo quiescat.

83 Respondet ad hoc argumentum Arriaga, n. 7. dupliciter; primo in eo supponi iam existere in rerum natura illum ignem; hoc autem à sè negari; quod si non existit, quomodo poterit ibi esse supra totum aerem: secundo respondet ex eo, quod ignis sit leuior, sequi quidem illum, qui existit, petere sursum ascendere, donec extinguatur: hinc autem non inferri debere extare alium ignem supra aerem.

Sed contra priorem responsionem facit, quia auctor non negat dari elementum ignis vt patet ex sectione prima, & à nobis supra probatum est; nisi autem præter ignem nostrum vsualem, & sulphurcum qui in aliquorum montium cauernis incenditur, nullus alius daretur, manca profecto, atque deficiens fuisset à Deo hæc mundi machina constituta; siquidem ex quaternario elementorum numero tribus imperfectioribus in tam ingenti copia ditata fuisset terra, scilicet, aqua, & aere, quantum videmus: quarto vero omnium nobilissimo, nimirum igne penitus caruisset, nisi per accidens materia bituminosa, & sulphurea in terræ visceribus illum conciperet, atque foueret, & nisi homines ex silice illud extraherent: quod est argumentum Basilij, *hom. 3. examer.* magnum igitur ignis elementum dari quamuis in nostra probatione supponatur, non tamen supponitur gratis, sed vt aliunde probatum est, & ex aduersarij confessione concessum: quod si nunc illud negat, videat ipse, quam choerenter in re tanti momenti contra tot philosophiæ lumina loquatur: verum quidquid sit de existentia huius elementi probata iã.

84 Contra posteriorem responsionem arguendo, eam probo, eiusque locum super reliqua elemẽta sic prupugno: ex eo quod ignis sit leuior aere bene infertur illum, qui existit petere ascendere supra aerem: ergo bene etiam infertur supra eundem aerem existere alium ignem. Antecedens est doctrina auctoris in hac eadem responsione tradita; consequentiam, quam negat suaderem tripliciter; & primo quidem quia nisi esset ibi alius ignis, quæro, quod nam Corpus ibi esset? aer ne, an aliud ab eo distinctum? vacuum, enim spatium illud esse nequit: neutrum dici potest; ergo erit in eo ignis; probo minorem, & quidem quod non sit Corpus aliud ab aere concedit, ni fallor, ab aduersarijs: quia non possunt assignare, quod nam illud sit; quod vero non sit aer; probatur quia in perpetua violentia ibi extaret; quod hoc syllogismo euincerem. Corpus non leuissimum violenter detinetur in loco simpliciter sursum, qualis est concauum Lunæ, vt pote sublimissimus omnium locorum sub cælo contentorum; sed aer non est Corpus omnium leuissimum; ergo si ibi extaret: in perpetua esset violentia: minor huius admittitur ab auctore, in hac eadem responsione, dum concedit ignem esse aere leuiorem; & consequentia est certa: maior vero quæ sola probatione eget, probatur paritate Corporis non grauissimi cuiusmodi est aqua; quemadmodum enim hæc si non esset terra circa centrum mundi violenter occuparet locum ipsius terræ, qui dicitur simpliciter deorsum, vt pote à cæli circumferentia remotissimum; nam aqua quippe minus grauis, quam terra vt in suo statu naturali consistat, requirit esse supra ipsam terram, aliàs patitur violentiam, ita aer, qui licet sit corpus leue, non tamen est leuissimum, violenter contineretur in loco simpliciter sursum; quamuis igitur aer ad impediendum vacuum totam intercapedinem, quæ est inter superficiẽ globi terræ aquei, & concauum Lunæ repleret: violenter tamen in superiori parte dictæ intercapedinis moraretur: ad eum plane modum, quo ipsa terra, vel aqua, si ibi ad impediendum vacuum translata esset. 35

Quamuis autem nos admiserimus aliquorum fontium fluminumque aquas aliqua violentia ad montium cacumina peruenire, at facile appareret eam in bonum vniuersi cedere, nimirum vt terra habitabilis reddatur: nullum autem bonũ in ascensu aeris ad sublimissimum locum propriũ ignis assignari potest, quod à natura intentum fuerit, quando ipsum locum, ne vacuum remaneret proprio elemento replere poterat.

Suaderem secundo: eamdem consequentiam argumento, quo vtitur Auerroes interpretando locum Aristoteles *ex 4. cæli tex. 3.* si quis ex alto monte animaduerteret omnia flumina, & torrentes non quiescere super terram, sed decliui impetu decurrere: hic etiam si nunquam in cognitionem maris veniisset, recte argueret dari in mũdo spatium, in quo aquæ tamquam in proprio loco existerent.

Item si quis in visceribus terræ detentus deprehenderet aerem ibi reclusum magno conatu niti foras exire, & ob id terram concutere, vt sibi exitum aperiret: hic etiam si nunquam vidisset Solem nec locum aeri deputatum, recte discurreret dari quemdam locum supra terram aeri proprium, in quo ipse aer naturaliter commorare tur; ergo ex eo quod videmus ignem ex omni parte conari ad ascendendum sursum super aerem, recte discurrimus inter conuexum aeris, & concauum cæli, esse locum igni destinatum, atque adeò illo refertum: tertio denique eandem consequentiam suaderem illo principio communiter recepto: Deus, & natura nihil faciunt frustra: cũ igitur videamus omnem ignem conari ascendere supra aerem, debemus asserere huiusmodi inclinationem in tot ignibus suum aliquando finem consequuear esse; atque adeò ibi multa indiuidua ignis confluxisse, & tanquam in proprio centro conseruari melius, quam in quouis alio loco: atqui, hoc posito, cessant omnes aduersariorum rationes, quibus probatur non dari elementum ignis supra aerem, vt ex argumentis sequentibus constabit: ergo si ex eo quod ignis sit leuior aere, sequitur, quod petat superiorem locũ: recte infertur, quod in concauo Lunæ ignis elementum existat. 36

Obijcies primo ex Cardano: ignis est maxime calefactiuus, ac voracissimus; ergo si existeret supra aerem, omnia Corpora inferiora intensè calefaceret, & sua actiuitate facile in sè conuerteret: Confirmatur quia Aristoteles negauit Corpora Cælestia esse ignea, quia aliequin omnia inferiora comburerent. 37

Respondeo negando consequentiam: ratio est, quia quamuis ignis ille sit calidus in summo: ad-

breuis-

Digitized by Google

breuissimum tamen spatium, & valde remisse potest agere: ratio est quia ad agendum maxime cum contrarietate requiritur aliqua densitas; atqui ignis in concauo Lunæ existens est rarissimus, ac tenuissimus; ergo nil mirum si ad breuissimum spatium, & valde remisse agere potest, & hinc est vt Auerroes loco supra citato dixerit: ignem illum minime comburere: & recte id quidem; nam si flamma in aqua forti, seu vitis apprehensa parum, aut nihil calefacit, quanto minus id faciet purissimus ille ignis, qui est in materia pene incomparabiliter defecatiore, & puriore. Perquæ patet responsio ad confirmationem ex Aristotele depromptam; constat enim Corpora Cælestia esse valde densa, vnde si ignea essent cessaret ratio cur non agerent in hæc inferiora, eaqi tandem absumerent.

38 Obijcies secundo: ex Francisco Patritio *tom. 4. disquis. Peripat. lib. 7. §. Ac principio*: ignis est natura sua lucidissimus; ergo si esset supra aerem, nocturno tempore deberet nobis lucere; sed non lucet; ergo, &c. Confirmatur hic discursus auctoritate Aristotelis, qui simili modo argumentatur contra Empledoclem 2. *de anima tex. 62.* asserentem nocturno tempore aerem esse illuminatum, & tamen nobis non lucere.

Respondeo nonnullos putare ignem natura sua non esse lucidum, sed solum quatenus habet in materia, in qua est, aliquid humiditatis, qua in propria sphæra caret; ita fere Auerroes, loco citato: melius tamen concesso antecedente negarem consequentiam: rationem vero negationis assignarem quia vt Corpus, quod lucidum est illuminet, requiritur vt aliqua densitate, atque opacitate sit præditum, vt possit ad necessariam distantiam operari, & visionem nostram terminare: quoniam vero ille ignis est ad modum rarus, & omni ex parte diaphanus, cõtra vero noster ignis ratione materiæ, in qua est, habet multum de opacitate, & densitate: ideò noster ad magnam distatiam illuminat, ad minimam vero, seu nullã, ignis ille in sua puritate existens.

39 Iam vero ad confirmationem obiectam dico, quod Aristoteles illo loco arguit contra Empedoclem, qui volebat noctis tempore aerem esse vere illuminatum nobis tamen apparere tenebrosum, eo quod lumen quod habet propter nimiam velocitatem, qua ab Oriente in Occidentem mouetur, nobis lateat. Hoc autem dictum Philosophus his verbis impugnat: In paruo enim spatio, inquiens, posset latere: ab oriente in occidens latere magna quidem multum petitio est: vnde constat eum agere de eodem lumine, quod diurno tempore videmus, quodque in eodem subiecto nimirum aere existit, & docere non posse illud nobis latere nocte per tantum spatiũ, quamuis velocissime currat. Hoc autem nihil ad præsentem rem attinet, quia ignis ille elementaris est vti dicebamus in materia valde rara, & nihil opacitatis habente: atq; adeò dissimilis nostro, communem hanc solutionem impugnat Arriaga *num. 68.* bifariam; tum quia forte ignis in Lunæ concauo non est rarus: neque enim habet intra sè, inquit, Corpuscula extranea: tum quia hæc raritas non impedit ne arbor accensa videatur à longè.

Ad vtrumque respondet Ouiedus, quod ignis ille inter aerem, & Lunæ cælum existens, minimam habeat profunditatem, & ad modum bracteæ tenuissimæ se subtus cælum dilatet: vnde fit vt eius lumen, vel non videatur à nobis, vel si videtur, non discernatur à lumine, quod habet ipsum cælum nocturno tempore, sed potius confundatur cum illo. 40

Verum hæc responsio omni prorsus probabilitate caret; quis enim credat eum cæteris elementis tam ingentia spatia assignata sint à natura, solo igni omnium nobilissimo adeò angustum domicilium tributum esse: certe noster Clauius *cap. 1. sua sphæra pag. 215.* demonstrat altitudinem elementaris ignis continere milliaria 117000. circiter, & *pag. 131.* testatur ignem ad terram proportionem fere habere, quam 35437. ad 1. Conimbrienses vero *lib. 3. de cælo cap. 5. quæst. 3. art. 2.* ex sententia, quamplurium mathematicorum, testantur cõuexam aeris superficiem distare à concauo Lunæ milliaria circiter 120578. atque adeò tantam esse ignis elementaris crassitiẽ; Blancanus denique 3. *parte sphæræ sect. 1. tract. 6. cap. 5.* asserit altitudinem ignis inter conuexum aeris, & cæli concauum esse 175219. milliariorum. Vides quantum distat à vero Ouiedi responsio asserentis ignis elementaris crassitiem adeò exiguam esse, vt sè habeat ad modum bracteolæ inter conuexum aeris, & cæli concauum se extendentis? Quod si dicat locum quidem igni deputatum esse amplissimum, sed ignem in parua quantitate creatum, illum occupare totaliter nõ posse. Hoc profecto effugium multo minus probabile videtur si quidem vt ijdem mathematici demonstrant: ex corporibus simplicibus, cuiusmodi sunt elementa, & cæli ipsi, illud quod includit sub sè aliud sicuti in extensione, ita etiam in crassitie, & profunditate illud excedere: quare cũ elementum ignis contineat in sè aerem, sequitur eius crassitiẽ, & profunditatẽ maiorem esse, quam aeris: falsum igitur est à Deo in tam parua quantitate creatum fuisse: sed danda est Ouiedo venia, quia cum ipse velit raritatem per intromissionem Corpusculorum haberi: in regionem autem igneã peregrina corpuscula, aut nulla, aut admodum pauca penetrare possint, non potuit communem solutionem ex raritate ignis petitam adhibere: vnde non est mirum si in hanc aliam sè cõiecit; nos vero, qui aliter de raritate philosophati sumus.

Dicimus quod licet ignis ille extranea Corpuscula in se non habeat, nihilominus rarissimus est: quod si raritas nostræ flammæ non impedit quin illa ex longinquo noctis tempore lucet, ratio est quia vix gradum excellentem raritatis attingit: at ignis illius est in summo: & hinc etiam oritur vt nostra flamma intercepta inter oculum, & obiectum eius visionem impediat: ignis autem ille nobis cælestia Corpora videre sinat: flamma enim nostra opaca est, atque adeò impeditiua transmissionis specierum visibilium: at vero ignis ille vt pote defecatissimus nullam habet opacitatẽ. 41

Obijcies tertio: ignis vt conseruetur indiget pabulo, quo deficiente statim extinguitur: sed supra aerem caret omnino pabulo; ergo ignis supra aerem nullus habetur: maiorẽ huius probat. 42

Arria-

Digitized by Google

Arriaga num. 69. ex flamma fornacis, quæ deficiente pabulo statim extinguitur, quam quidem extinctionē non posse refundi in actionem agentis frigidi confirmat ex eo quia licet ea fornax ex se calidissima sit, & multo igne circūdata; ita vt nulli agenti frigido patere possit aditus: ad huc flamma interior si careat pabulo statim extinguetur; ergo, &c. minorem etiā suadet idem auctor ex eo quia si quod ibi haberet pabulum maxime esset aer, sed aer non est eius proportionatum pabulum, aliàs nunquam deficeret apud nos pabulū igni propter ambientem aerem; ergo, &c.

Respondeo maiorem esse veram loquendo de igne qui est apud nos: non autem de illo, qui intra superficiem conuexam aeris, & concauam cæli continetur: ratio disparitatis est, quia noster ignis cum subtus aerem sit in statu violento, hoc ipso, quod accenditur in materia apta sursum elenari, statim euolat, & secum illam asportat; nisi ergo flamma accensa nouum pabulum habeat præparatum, ex quo nouam generet flammam, quæ in suum locum succedat, & nisi hæc etiam nouum aliud, ex quo nouam aliam, quæ gerat vicem sui accendat, & sic deinceps; statim extinguetur noster ignis abeunte priore flamma, & noua minime succedente: at ignis elementaris cum supra aerem sit in propria sphæra ibi quiescit, & ideò non indiget materia combustibili, quam in similem conuertat flammam, quia nō est cur discedat, & per hæc patet ad probationem desumptam ab Arriaga ex flamma fornacis: concedo enim eam si careat pabulo, non extingui propter actionem alicuius agentis contrarij: sed ex eo præcise quia ad suam sphæram conscendens non relinquit aliam similem, quæ in sui locum succedat: atque hoc significare voluit Aristoteles *lib. de Iuuen. & Senect.* cum de nostro igne loquens, ignis, inquit, perseuerat semper fiens, & fluens sicut fluuius.

43 Instabis ex Vallesio ignis est indifferens ad ascensum sursum, & descensum deorsum; ergo falsa est ratio assignata à nobis cur noster indigeat pabulo: probat antecedens, quia sicut flamma ascendit, ita carbo, & ferrum ignitum descendit. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem dico carbonem ferrumque ignitum quamtus multas particulas ignis impuri, ac faculenti contineant, non conuersa esse totaliter in ignem, atque adeò nil mirum si partes illæ, quæ substantialiter sunt terreæ, & pōderosæ eas ignis portiones, quæ in materia non adhuc plenè depurata fæcibus existunt, secum deorsum trahant: ex hoc enim non rectè colligitur ignem natura sua esse indifferentem ad ascendendum sursum, quemadmodum neque quod terra sit indifferens ad descendendum deorsum, ex eo quod videamus plures exhalationes terreas ire sursum.

44 Obijcies quarto: non potest assignari ad quid inseruiat ignis ille in concauo Lunæ existens: non enim ad mixtorum productionem concurrere potest: quia descenderet; ergo esset superfluus si ibi daretur: ita fere idem Arriaga à fine n. 7.

Respondeo primo: transeat antecedens, nego consequentiam; & dico, quod sicuti hoc argumētum multum roboris habet, si aliunde non constet extare rem de qua agitur; ita nihil concludit quando aliunde eius existentia nobis innotescit: quis enim non videat inepte argui ab aliquo sic: non potest assignari ad quid inseruiant mundo nouem illæ stellæ, quæ circa ensem, & cingulum Orionis esse dicuntur, vel illæ, quæ apparent in capite Arietis, vel quæ in ventre tauri, &c. ergo vere non dantur: ratio est quia sufficit, quod aliunde constet illas dari: cum enim nos homines non possimus vniuersi huius armoniam perfectè comprehendere, non tenemur rationē reddere de munere, quod sibi vendicant singula, ex quibus coalescit; quantumuis in rei veritate ad eius conseruationem valde necessaria sint: cum igitur à nobis satis probatum sit, tum communi sapientiū suffragio, cum efficaci ratione dari supra aerem elementum ignis: etiam si sciamus eius existētiam esse mundo necessariam, quia alioquin non daretur, non tenemur tamen in specie assignare ad quid necessaria sit.

Respondeo secundo: negando antecedens: dico 45
enim ignis elementum ibi constitutum inseruire primo: ad complementum vniuersi, quia nisi ibi existeret, vel vacuum admittendum esset in natura, vel fatendum, quod aer extra propriam sphæram in perpetua violentia moraretur.

Secundo: ad corroborandas, vel debilitandas cælestium Corporum influentias in hæc inferiora: si enim lux, & visuales species transmissæ per vitrum, modo augentur, modo minuuntur secundū quod magis, vel minus directe per vitrum transeunt: quanto magis cælestes influxus transeundo per elementum adeò profundum, ac nobile; vnde fit vt ignis ille multum inseruiat ad mixtionem non solum per sua instrumenta, vti aliàs diximus, sed etiam per se ipsum.

Tertio: ad confouendum aerem, ne nimium ab 46
actione contrariorum Corporum, nimirum terra, & aqua, debilitetur, atque adeò vaporibus, ac exhalationibus plusquam oporteat repleatur.

Quarto: denique quia accendit sublimes aeris flammas, & in primis nonnullos saltem Cometas, si non omnes, vt placet multis, quorum materia nisi igne absorberetur, facile totum corrumperet aerem: cum constet eam adeò esse noxiam, vt nō obstante quod incendatur, mortales morbos in hominibus, sterilitatem in terris, in aere pestilentiās, & tempestates in mari, causare soleat.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXAGESIMA SEXTA

DE PRIMIS QVALITATIBVS ELEMENTORVM PROPRIIS.

1 SÆpè diximus elementa inuicem agere, & pati per primas qualitates, & per eas nobis innoteſcere, nimirum per calorem, frigiditatem, humorem, & ſiccitatem. nunc rectus diſcurſus exigere videtur, vt de huiuſmodi qualitatibus quæſtionem inſtituamus; eas tum in sè ipſis, tum in ordine ad ipſa elementa conſiderando.

SECTIO PRIMA.

Vtrum calor, frigus, humiditas, & ſiccitas ſint qualitates poſitiuæ.

2 REcentiores quidam Philoſophi opinati ſunt ex his quatuor ſolum calorem, & humiditatem eſſe qualitates poſitiuas: frigus vero, & ſiccitatem eſſe priuationes earum. Alij vero exiſtimarunt calorem, & frigus eſſe qualitates poſitiuas: humiditatem vero non eſſe qualitatem, ſubſtantia ſed fluidam; ſiccitatem vero eſſe corpus, quod non eſt fluidum. Communis demum, tum Philoſophorum, tum Medicorum ſententia docet, omnia quatuor eſſe qualitates poſitiuas. cū quibus eſt noſtra concluſio.

Probatur autem diſcurrendo per ſingula, & quidem quod calor ſit quid poſitiuum, patet ex operationibus ſuis. nil enim non reale poteſt agere. quod vero non ſit ſubſtantia, ſed qualitas, eſt etiam apud omnes indubitatum; tum quia ſubſtantia non eſt per sè ſenſibilis; tum etiam quia adeſt, & abeſt à Corporibus præter eorum corruption em. aqua enim ex frigida fit calida abſq; eo quod ſubſtantialiter corrumpatur ergo accidit ſubſtantiæ. ſed non alio modo niſi eam reddendo qualem; ergo eſt qualitas.

3 Deinde quod etiam frigus ſit qualitas poſitiua, & non caloris priuatio, probatur primo quia frigus agit in calorem eumque à paſſo ſibi applicato expellit, producendo in eo frigiditatem: igitur non eſt caloris priuatio, ſed qualitas illi contraria: confirmatur quia duplex eſt expulſio, vna formalis, quam poteſt exercere priuatio reſpectu formæ poſitiuæ, cuius eſt priuatio, dum in eodem ſubiecto illi ſuccedit: altera effectiua quæ non poteſt haberi niſi per poſitiuam productionem alicius formæ in alieno ſubiecto incōpoſſibilis cum ea, quæ expellitur: atqui expulſio, quam exercet frigus in calorem, eſt huius ſecundi generis; ergo. Neque dicas ſubiectum frigidum applicatum calido exigere à Deo ſuſpenſionem conſeruationis caloris, & ſic inducere in illud carentiam dicti caloris, quæ eſt formaliter frigiditas. Contra enim eſt quia nullū Corpus naturale poteſt primo, & per ſe petere à Deo deſtructionē alicuius formę poſitiuę in alieno ſubiecto, abſque eo quod producat in eo formā poſitiuam oppoſitam: alioquin poſſet ſuſtineri nō dari inter formas veram contrarietatem, ſed illam, quæ à nobis vilior exiſtimatur, eſſe carentiam nobilioris; quod eſt contra omnem bonam philoſophiam.

Probatur ſecundo: quia ſi frigiditas eſſet caloris priuatio ſequeretur, qnod agens calidum vt octo debite applicatum paſſo frigido, deberet in primo inſtanti producere in eo totum calorem, quem poteſt quia iam à nulla forma poſitiua cōtraria impediretur, ad eum plane modum quo in primo inſtanti, in quo fuit creatus Sol produxit in aere lumen in quanta potuit intenſione, neq; fuit ei neceſſarium tempus ad hoc ſucceſſiue lumen intenderet: atqui experientia conſtat, quod calidum vt octo ſucceſſiue produxit in paſſo frigido calorem; ergo, &c. 4

Probatur denique tertio: quia frigus percipitur ſenſu non minus, quam calor, ergo vtraque eſt qualitas poſitiua: antecedens experientia conſtat; conſequentia probatur, quia potentia ſenſitiua non poteſt ſenſatione poſitiua ferri in carentias rerum. quod ſi Ariſtoteles 2. *cali tex.* 18. appellauit frigus priuationem caloris id fecit in quantum imitatur priuationis naturam: quia ex vna parte eſt imperfectior calore, ex alia vero ſubiectum corruptibile non calidum illa neceſſario affectum eſſe debet: vnde eſt quod more priuationum ſemper ſpoliat ſubiectum ſuum perfectione aliqua poſitiua.

Iiſdem deniq; rationibus probo humiditatem, & ſiccitatem poſitiuarum qualitatum rationem non habere, præſertim ea quæ ducitur ex ſenſibilitate illarum ſic: tactu ipſo experimur Corpus aliquod, modo eſſe humidum, modo ſiccum; ergo dantur humiditas, & ſiccitas diſtinctæ à ſubſtantia fluidorum, & non fluidorum Corporum: conſequentia patet, quia nulla ſubſtantia naturalis eſt per sè immediate ſenſibilis.

Arriaga *diſp.* 4. *de gener. ſect.* 2. *num.* 9. ſententiam oppoſitam huic tertiæ parti concluſionis de qua Conimbr. 2. *de gener. cap.* 3. *quæſt.* 2. *art.* 2. mentionem fecerant, tamquam de abſurda, & pene extincta, reuocare conatur ad vitam dicendo: multo probabilius eſſe non dari humorem, & ſiccitatem diſtinctam, ſed humorem eſſe Corpus 5

flui-

fluidum: ſiccitatem vero carentiam dicti corporis, ſeu quod idem eſt Corpus non fluidum, lubet eius rationes, quibus ad id probandum vtitur, pacato animo examinare: ſic enim ratiocinatur primo: Huiuſmodi qualitates non ſunt operatiuæ, nec percipiuntur in ſe, nec aliunde aliqua ratione à poſteriori probantur; ergo ſine fundamento ponuntur diſtinctæ: conſequentia eſt certa: antecedens vero tres habet partes, probat autem illud primo, quo ad primam ſic: quia Corpora humida non aliter humectant, niſi ſe ipſa aplicando alteri corpori: efficienter autem nunquam; ergo humiditas non eſt operatiua: conſequentia patet, antecedens duplici confirmat experientia vna hic. Pone, inquit, totam Occeani aquam, ſi ſit inter me, & illam leue vitrum, per quod aqua permeare non poſſit, in æternum non humectabor. Alterâ num. 13. merces, inquit, quæ ſunt intra nauem, ſi aqua non intrat, non humectantur niſi aliquando aer plenus humoribus, qui omnia penetrare ſolet, per ſe penetraret etiam merces; ergo non efficienter, ſed per ſolum ingreſſum ſubſtantiæ fluidæ corpora humectantur. idem eodem modo probat de ſiccitate, nam non aliter corpus exſiccatur, niſi expellendo ab eo Corpora humida vt patet ex igne, qui non aliter exſiccat lutum, & linteum niſi ſuo calore aquam, & vapores ex eis extrahendo: ergo nec ſiccitas eſt operatiua.

6 Quo ad ſecundam vero partem idem antecedens ſuadet ſic: nemo dolorem, aut moleſtiam percipit ab aqua niſi quatenus, vel frigida eſt, vel calida, vel ad ſummum propter eius reſiſtentiam, nec homo etiã ſi ſiccißimus ſit niſi, febrem, vel ardorẽ habet, quidquam ſentit.

Tertia denique pars antecedentis conſtat ex dictis, quia ratio à poſteriori ad eas probandas non ſumitur niſi ab earũ effectu, ſed de effectu earum, vti probatum eſt, non conſtat: ergo nulla ratione à poſteriori ea eſſe diſtincta probari poteſt.

7 Ad hoc argumentum nego antecedens quo ad omnes eius partes, & quo ad primam dico negari non poſſe Corpora humida humectare alia Corpora sè ipſa in minutiſſimas particulas diuidendo & intra poros eorum ingrediendo, ac veluti ſubtiliſſimas bracteas illa extrinſeca linniendo, ad eum plane modum, quo ignis reddit ferrum ignitum per hoc quod ſuis tenuiſſimis particulis eius poros ſubit, & totum cingit, ac permeat: addo tamen, quod quemdamodum ignis præter dictam rationem ignefaciendi ferrum, ignefacit etiam alia Corpora efficienter producendo in eorum materia formam ſimilẽ propriæ: ita aqua habet præterea humectare Corpora, quibus approximatur cauſando in ea in genere cauſæ efficientis humiditatem; quare nego antecedens probationis; ad priorem autem experientiam, quæ ad illud probandum adducitur.

8 Reſpondet primo: Comptonus *diſp.* 12. *ſect.* 2. *num.* 5. ex eo quod aqua non humectet hominẽ ex altera parte vitri poſitum non argui humiditatem non eſſe qualitatem diſtinctam ab ipſa aqua, ſed non eſſe tam fortiter actiuam vt agere poſſit per medium tam denſum, vel ad ſummum probare eam non agere niſi per contactum: at neutrum effugium placet; non primum, nam in tantum illa experientia probaret aquam non eſſe tam fortiter actiuam: in quantum denſitas ſubiecti applicaret plures partes ſiccitatis ad reſiſtendum eius humiditati, quas hæc ſuperare non poſſet; ſed hoc dici nequit, quia partes condenſatæ vitri incomparabiliter vincuntur à partibus totius Occeani contra earum ſiccitatem dimicantibus: ergo, &c. Neque ſecundum, quia quando aſſumitur humiditatem non agere, niſi per contactum, vel eſt ſenſus, quod omnem particulam Corporis in quam debat agere debeat immediate immediatione ſuppoſiti tangere, & hoc eſt impoſſibile, quia omnis particula habet partes proximiores, & remotiores agenti: eſt enim diuiſibilis in infinitum, vel quod debeat tangere immediatione virtutis, & hoc verificaretur in caſu poſito ſi humiditas eſſet actiua, tam reſpectu hominis, quam reſpectu vitri; & tamen neutrum humectat; ergo, &c.

Reſpondet ſecundo: Ouiedus *Controu.* 8. *punct.* 5. *num.* 5. negando dictam experientiam, atque dicendo hominem in prædicto caſu valde humectandum: ad quod confirmandum ait: quod ſi quis in terra aqua reſperſa vitrum ponat, & ſupra illud chartam, v. g. quod eſt humiditatis capax: valde eam humidam reddi experietur; & quidem ſi plura habet folia plus in ijs, quæ ſunt proximiora vitro. Valde probabilis reſponſio ſi conſtaret aerem, qui eſt proximior terræ madefactæ non ingredi paulatim in poros foliorum, quæ ſunt viciniora vitro, & ſic vaporibus humidis ab illa terra acceptis humectare chartam illam magis in his folijs, quam in remotioribus à vitro; quoniam vero hoc difficile conſtare poteſt. Idcirco reſpondeo; ergo tertio dato quod tota aqua Occeani non poſſit humectare hominem poſito quod leue vitrum inter vtrumque ponatur, nec aliunde aqua maris ſuis vaporibus hominem impeteret; nego tamen inde ſequi humiditatem eſſe indiſtinctam à ſubſtantia aquæ: non quia dici poſſit eam non eſſe actiuam, vt ibidem innuit Ouiedus, ſic enim expungenda eſſet à numero primarum qualitatum, quia hæ ordinatæ ſunt a natura vt per eas corpora ſublunaria inuicem agant, & patiantur: vnde eorum generationes multiplicentur; ſed quia dici valde probabiliter poteſt naturam vitri eſſe ab humiditate inſuperabilem. 9

Ad quod ſuadendũ exemplum ſumerẽ ex Adamante, hunc enim habere vim victricem ferri, & ignis docent communiter rerũ naturaliũ indagatores: inter quos Plinius *lib.* 37. *cap.* 4. Adamantes, inquit, incudibus deprehenduntur ita reſpuentes ictum, vt ferrum vtrimque diſſultet, incudeſque etiam ipſæ diſſiliant, quippe duritia inenarrabilis eſt, ſimulque ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens. cui accinit Iſidorus *lib.* 16. *Originum cap.* 13. Adamas, inquiens, nulli cedit materiæ, nec ferro, nec igni, nec vnquam incaleſcit: ſic alij paſſim, quod ſi Porta *lib.* 7. magiæ naturalis *cap.* 54. affirmat hanc communem doctorum ſententiam eſſe falſam experientia à ſe facta comperiſſe, qui ei credere vult dicat illum non feciſſe periculum de Adamante Indico, & Arabico, quibus competit hæc proprietas, ſed de Cyprio, & Syderite, quos ferro, & igne 10

domari

Digitized by Google

domari, & solui posse. Idem, auctores confirmat: si igitur Adamas quantumuis habeat sibi applicatum ingentem ignem, non potest calefieri, quid mirum si dicamus virtum esse similis naturæ in ordine ad repellendam à sè humiditatem, vt etiam si toti Oceano sit expositum nullatenus humectari possit? Quare quemadmodum malè quis argueret ad probandum, quod calor non esset qualitas distincta à substantia, sed Corpora per ingressum substantiæ calidæ calefierent, eo quod si inter ingentem ignem, & hominem tabula, seù assis tenuissimus adamantinus poneretur, homo non calefieret; alioquin daretur actio indistans: ita etiam Arriaga malè probat humiditatem non esse distinctam à substantia per hoc quod experientia constet, quod si inter hominē, & Oceani aquam intercedat leue virtum, nihil humiditatis in homine producatur.

11 Ad posteriorem vero experientiam ductam ex mercibus, quæ in naui non humectantur, si neque aqua, neque aer plenus humoribus eas ponetret. Respondet Quiedus eius falsitatem facile deprehendere posse quicumque simul tangeret merces per mare vectas, & alias, quæ in loco sicco seruatæ fuerunt; verum semper tueri se potest Arriaga dicendo merces illas, quæ tactu ipso humiditatem concepisse probantur, humentem aerem pertransisse: quoniam vero moraliter impossibile videtur in arcas quantumuis obseratissimas aerem saltem per comunicationem se non insinuare; hinc huius experientiæ infirmitas, ac insufficientia manifestè deducitur. Atque hæc quantum ad probationem primæ partis antecedentis: quantum vero ad probationem secundæ, concedo assumptum, in quo dicebatur neminem dolorem, aut molestiam percipere ab aqua, nisi quatenus, vel frigida, vel calida, vel ad summum, propter eius resistentiam. dico enim quod si homo manu tangeret aquam, quæ esset tam intensè calida, quam eius manus, atque adeò neque eius calorem, neque eius frigiditatem sentiret, experiretur quandam delectationem ex humiditate eius; sicuti è contra ex corporum siccitate molestiam. quod enim res siccas, & humidas manibus palpando aliquid aliud præter calorē, & frigus sentiamus, non potest melius quam experientia ipsa suadere. quare cum animaduertamus non solum indoctos, sed etiam doctissimos conuenire in eo, quod tactu ipso asserant percipere, quando Corpus, quod tangunt, humidum est, & quando siccum: ingenium ad veritatem propensum, si non manifestis demonstrationibus à priori ductis vrgetur ad oppositum, debet abijs se conformare, & si quid in contrarium sese ei offeret, omni meliori modo, quo potest, conari dissoluere.

12 2. Quod vero ab Arriaga subditur ad hanc secundam partem confirmandam quod homo etiã si siccissimus sit, si febrem, vel ardorem non habeat, non sentit quidquam: mihi vt ingenue fatear mouet bilem: si quidem sæpè ex immodica faucium ariditate molestiam sentire solemus: illud autem quod sentimus neque frigus esse, neq; calorem: præterquam quod experientia ipsa probetur, vtcumque constat, quia huiusmodi sensatio liquore, siue frigido, siue calido, aquè sedatur. Rursus dictam siccitatem non esse carentiam Corporis humiditatem sibi identificatam habentis, est plusquam certum, si quidem negationes nō cadunt sub sensum externum, vt constat. Confirmatur id quod dicimus, quia idem Corpus eadem caliditate, vel frigiditate affectum diuerso modo mouet sensum: quando tangitur si est humidum, ac quando est siccum, & de facto medici agrotos febri putrida laborantes, tangere consueuerunt vt sensu percipiant, num in eorum carnibus prædominetur humiditas, an vero siccitas: scientes morbos ex siccitate prouenientes difficillimæ esse curationis. per hæc autem, quæ hactenus dicta sunt, patet responsio ad probationē tertiæ partis antecedentis. cū enim constet ex dictis de effectibus, quos Corpora humida, & sicca in alienis Corporibus producant, illa humectando, & exsiccando, rectè à posteriori probatur humiditatem, & siccitatem esse realiter distincta à substantia ipsorum Corporum humidorum, aut siccorum.

Idem Arriaga arrepta occasione eorum, quæ 13
sibi obijcit duas alias experientias ad oppugnandam communem sententiam adducit: alteram, n. is, quæ est huiusmodi: aqua congelata si non dissoluitur quantumuis applicetur, quicunque passo, non humectabit illud. ergo humor non aliter humectat quam per suam substantiam intrando in poros rei, quam humidam reddit. consequentia patet, quia aqua si potest intrare humectando, si non potest, ex eo quod sit gelu constricta, non humectat. ergo &c.

Respondeo transeat antecedens, nego conse- 14
quentiam, ad cuius probationem dico aquam congelari per frigus ex admixtione exhalationis siccæ agglutinantis partes ipsius aquæ, ita vt inuicem adhærescant. vnde cum exhalationes sic se habeant respectu partium eius vt gluten, & quasi coagulum non est mirum si agendo multum humiditatis ab aqua expellant, eamque siccioreꝫ reddant, ita vt potius per siccitatem, quam per humiditatem agere deberet. Porrò, quod ad congelandam aquam non sufficiat frigus aëris, sed admixtio siccarum exhalationum necessaria sit, constat: tum quia glacies quando liquefit barbidam effundit aquam, tum etiã quia aqua nitri tam salnitri, quod valde siccũ est, etiam æstatis tempore congelascit. dixi transeat ad antecedens, si quidem puto aquam congelatam non deperdere totam suam humiditatem, quam habet, atque adeò posse per eam Corpora sibi proximè quæ humectanda erant præsentari, humiditas magis actiua sit, quam siccitas. sed quidquid sit de hoc, stemus in principali solutione; Præfatus enim auctor sic illam impugnat: eodem numero ꝫ. quando aqua igni violento dissoluitur statim est iterum humida sicuti prius: ergo illa humiditas non est qualitas positiua distincta. Probat consequentiam, quia in tam breui tempore, & ad præsentiam agentis siccissimi non est probabile aquam potuisse tantam humiditatem in sè producere: quod confirmat num. 16, sic: non est minus passio aquæ frigus, quam humiditas: & tamen semel bene calefacta aqua, etiam

si iuxta ingentia frigida ponatur, notabili indiget tempore, vt expulso calore ad pristinam frigiditatem reueretatur; ergo videtur impossibile quod eadem ad præsentiam ignis humiditatem suam quasi momento recuperet.

15 Ad hanc tamen instantiam respondeo facile concesso antecedente, negando consequentiam, ad cuius probationem nego assumptum; & dico quod sicuti in calce experimur eam aquæ totaliter immersam brevissimo tempore in ignem accendi, ita non debemus improbabile existimare si dicatur quod ipsa aqua congelata, quantumuis ex omni parte voracissimo igni exposita sit, repente tamen in sè humiditatem producat; militat enim in vtroque casu eadem ratio; nam dū ignis agit in glaciem per calorem, calor quia habet disgregare heterogenea, est causa vt exhalationes siccæ, quæ impediebant quo minus aqua in sè debitā humiditatē produceret euaporēt, ab eaque remoueantur: vnde non est mirum si aqua ad suum naturalē humiditatis statū se reducat; quāuis enim sit agente siccissimo obsessa, in memoriam tamen reuocandum est siccitatem esse in agendo tardissimam præsertim in passum extrinsecum; atque adeò virtutem eius actiuam pene incomparabiliter vinci à virtute actiua aquæ, per quam ipsa debet in sè humiditatem producere: quemadmodum enim quia frigiditas, & humiditas aquæ superatur à virtute productiua caloris, quam in sè habent partes siccitates calcis; etiam si aqua veluti inuiscereturipsi calci; partes tamen illæ subito accenduntur; ita non est mirum si repente ad præsentiam ignis aqua, quæ erat congelata ab intrinseco humectetur.

16 Ad confirmationem responderi posset primo multos ex his, qui tenent gradus qualitatis esse omninò homogeneos, nihilominus velle facilius expelli intensiores, & difficillius remissiores: quid mirum igitur si nos dicamus calorem difficillius expelli ab aqua, quam siccitatem; cum sint qualitates adeò diuersæ rationis; & si enim siccitatem esse summè resistitiuam dixerimus, calorem vero infimè; hoc intelligi potest in ordine ad actionem contrarij transeuntes agentis; non vero in ordine ad actionem substantiæ immanenter operantis, & sè ad pristinum statum reducentis.

Responderi posset secundo: non esse minus passionem aquæ humiditatem, quam calorem exhalationum, quæ sunt in calce; sed huiusmodi exhalationes momento produeunt in sè calorem sibi debitum, non obstante quod ab agente contrario infestentur; ergo debet aqua momento etiam humectari, non obstante circum obsistentia ignis.

17 Respondeo tamen Tertio: rationem disparitatis esse quia aqua prius quam calefiat ab igne, semper supponitur habere in sè multos vapores æreos, atque adeò natura calidiores; cuius signum est, quod aqua sibi relicta nunquam inuenitur esse tam frigida, quam ex suis intrinsecis exigat. Iam vero quod ignis non habeat virtutem separandi ab aqua huiusmodi vapores, experientia ipsa comprobatur. Si enim eam haberet, quando remoueretur ab aqua, deberet hac per emanationem in sè producere tantum frigoris, quantum ex suis intrinsecis exigit; quod nunquam videmus accidere, quando enim ipsa frigiditatem in gradu excellenti consequitur, ambienti frigido referre solet acceptum. non est igitur mirum si remota ab igne etiam si agentibus frigidis appropinquet, non statim calorem exuat, & se ipsam infrigidet, sicuti prius; vapores enim illi æræi, qui validiores ignis actione redditi sunt, ei obsistunt, ita vt vix post multum temporis pristinam frigiditatem consequi possit. Cur autem actio ignis exhalationes illas siccas à glacie eam calefaciendo possit excludere, non autem possit vapores calidos ab aqua, ratio potest esse quia vapores vt pote natura humidi ex vna parte non habent tantam inimicitiam cum aqua, quantam habent exhalationes, vt pote siccæ: ex alia vero humiditas viscosa est: contra vero siccitas; vnde facile exhalationes illæ siccæ possunt separari ab aqua, magna vero difficultate vapores humidi.

Alteram experientiam, quam idem auctor proponit num. 17. ex metallorum colliquatione desumit sic: Ignis dissoluens metalla non producit in eis humiditatem; ergo in substantia consistit humiditas.

Verum ad hoc facile etiam respondetur con- 18
cesso antecedente; negando consequentiam. Ratio negationis, est quia metalla constant ex partibus siccioribus terreis, & ex humidioribus aqueis. Quoniam vero siccitates prævalent quatenus sunt in maiori copia, & in materia valde densa, hinc fit vt metalla quando sunt in suo statu naturali, sint sicca actu; partes enim aquæ multum de sua humiditate per occasionem contrarij siccioris prævalentis perdiderunt. At actione ignis heterogenea disgregantis, & congregantis homogenea, partes humidiores coadunatæ incipiunt prævalere contra siccitates; in tantum, vt non solum in sè multum de innata humiditate producant, sed etiam in ipsis partibus siccioribus; & hinc fit vt tota massa metallorum incipiat esse humida, atque diffluere: falsum igitur est quod humiditas eorum ab ignis actione directe producatur; producitur enim solum per accidens tamquam remouens prohibens: in quo sensu dici potest quod aqua infusa calci producat in ea caloré, eamque intendat.

Contra hanc responsionem instabit fortasse 19
aliquis: quia si vera esset, sequeretur quod quemadmodum glacies per calorem liquefacta remoto agente calido non iterum concrescit, & exsiccatur, sed remanet fluida; sic deberent esse metalla post actionem ignis; non enim est maior ratio cur exhalationes illæ siccitates per actionem ignis euaporarunt ab aqua, quæ erat stricta in glaciem, non vero à metallo posita eius liquefactione.

Respondeo negando sequelam, & ad probationem in contrarium dico maiorem rationem esse quia partes illæ siccitates aquā constringentes in glaciem, sunt valde natura sua calidæ, atque adeò facile resolubiles, & à reliquis partibus crassioribus euaporabiles: Contra vero partes siccitates metallorum sunt valde frigidæ, atque adeò ponderosæ vt pote terrestres. Vnde nōn est

mirum

Digitized by Google

mirum si virtute ignis non possint à partibus humidioribus sursum euolando discedere, easque relinquere: naturali enim grauitate, ac viscoso quodam lentore detinentur, vt non possint penitus ab humidioribus separari; & hinc est vt remoto igne ad pristinam consistentiam se reducendo non solum in sè, sed etiam in partibus humidioribus metalli debitam siccitatem producant: adde glaciem non habere formam substantialem propriam, est enim mixtum imperfectum, ex tot formis substantialibus constans quot partes elementares confluunt ad illam componendam, vnde vi caloris disgregantis exhalationes siccæ penitus dilabuntur, non enim informantur forma substantiali, quæ eas contineat ne euaporent: contrà vero metalla sunt mixta perfecta, proprium habentes substantialem formam, & hinc fieri vt etiam si ignis partes eorum etherogeneas materiales dissoluat, habent tamen dictæ partes vnde contineantur ne penitus dissipentur, neque ad proprium locum naturalem quælibet earum pergat; atque hæc potest esse alia causa cur remoto igne metalla ad pristinam siccitatis gradum reuocentur; non vero glacies. Sufficiunt hæc ad soluendas difficultates, quas obiecerat Arriaga contra communem sententiam: in posterum singularem, quam tuetur sententiam ex eius mente breuiter expendere libet.

21 Dicit ergo num. 9. humorem non esse aliud, quam ipsum Corpus fluidum; & quidem hæc verba vt sonant non opponuntur communi sententiæ siquidem nomine humoris venire solet apud Latinos Corpus humidum; quod autem Corpus humidum Corpori fluido identificetur est ipssissima Paripateticorum doctrina. Verum ipse nomẽ humoris in alia significatione accipit nimirum pro vt significat humiditatem ipsam; & hanc asserit non distingui à Corpore fluido; sed hæc quoque assertio explicatione eget; Corpus enim fluidum duo habet nimirum talem substantiam physicam in determinata specie constitutam, & fluiditatem, quæ quidem duo distingui ad inuicem pluſquam ratione patet ex eo quia eadem substantia physica, modo fluida est, modo non fluida; si enim metallum, & cera v. g. igni exponantur fluida fiunt; si remoueantur ab igne, concrescunt, & amplius non fluunt. Quando ergo dicitur humiditas non distingui à Corpore fluido triplicẽ potest reddere sensum: primus est quod identificetur cum vtraque, hoc est, cum substantia, & fluiditate eiusdem corporis; & hoc non. quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter sè; probauimus autem substantiam physicam corporis fluidi, & eius fluiditatem ex natura rei esse distincta: ergo impossibile est, quod sentiat auctor humiditatem identificari vtrique: secundus vero sensus est, quod identificetur substantiæ, sed neque in hoc sensu potest loqui Arriaga; tum quia eadem substantia ex humida euadit sæpè non humida, & ècontra; vt patet in cera; tum quia ipsemet expresse n. 15. concedit aquam quando congelascit, non esse in actu secundo humidam, sed solum in actu primo: aliunde autem constat eius substantiam non deperdi.

22 Tertius denique sensus propositionis Arriagæ esse potest, quod humiditas corporis cum eius fluiditate identificetur; atq; adeò significet, quod humor sit Corpus fluidum vt fluidum; & quidem hanc esse eius mentem patet ex eodem numero 15. citato, vbi negat aquam congelatam esse humidam; eo quod non sit fluida. Hac posita explicatione dupliciter ad hominem cõtra auctorem argumentor: Primo sic: in eius sententia fluiditas distinguitur à substantia corporis fluidi, sed humiditas identificatur fluiditati: ergo humiditas est etiam distincta à substantia Corporis fluidi: Secundo sic: fluiditas non est nisi qualitas aquæ, & quidẽ prima: ergo iam habemus, quod auctor post tot anfractus, & curuos flexus inter sè recurrentes, volens, nolens fatetur tandem humiditatem esse primam qualitatem realiter distinctam à substantia, quæ denominatur fluida.

Consequentia patet: antecedens vero antequã 23
probem, suppono duo: vnum est fluiditatem simi posse dupliciter: primo pro actuali fluxu Corporis fluidi: secundo pro proxima potentia ad ipsũ actualẽ fluxũ; alterũ quod suppono est: humiditatẽ nõ identificari cũ fluiditate primo modo sumpta; aliter aqua è actu non flueret, non esset humida; sed cum fluiditate secundo modo, quæ recte dicitur proxima fluxibilitas; quibus positis: probo antecedens, in quo dicebam: hanc esse primam qualitatem; & quidem quod sit qualitas suadetur, nam vt constat ex dictis, non est substantia, neq; quantitas, vt per sè patet, neque aliquid aliud ad nouem prædicamenta pertineas; ergo est qualitas: quod vero sit prima probatur, quia non potest assignari alia prior à qua proueniat. Cõfirmatur ex his, quæ idem auctor habet num. 17. vbi declarans quid sit fluidum: est, inquit, Corpus facile sectile, cuius vna pars post aliam fluit; tum sic: fluxus vnius partis post aliam non sumitur in actu secundo, sed in actu primo: vt constat ex dictis, sed sumpta in actu primo habet omnia, quæ attribuuntur à Peripatetis primæ qualitati vti videbimus infra: ergo vere est prima qualitas; & sic restat humiditatem, quæ in sententia auctoris identificatur fluxibilitati proximę Corporum, esse vnam ex primis quatuor qualitatibus.

SECTIO SECVNDA.

Traditur definitio primarum qualitatum in communi.

PRimas qualitates in communi accepras sic de- 24
scribit Hurtadus, *disp. 6. de gener. sect. 3.* quæ per sè primo insunt Corporibus sublunaribus, suntque radices cæterarum qualitatum materialium.

Porro hæc descriptio, vt non sit aperte falsa, ita explicanda est; vt sensus sit: ex qualitatibus materialibus, quæ Corporibus sublunaribus cõueniunt, illæ censendæ sunt primæ, quæ per sè primo illis insunt, & sunt radices cæterarum.

Verum hæc descriptio non placet; ratio, quæ me mouet est: quia in præsentia quæritur definitio primarum qualitatum, non quatenus qualitates sunt; sed quatenus primæ: per quod distinguũtur à secundis; ergo non debent definiri per quod per sè primo Corporibus sublunaribus insint: antecedens est certũ, consequentia suadetur quia

Digitized by Google

æquè ignotum est quid importet ratio primitatis in definitione, ac definitio; atqui definitio debet esse notior definito quia est illius explicatio; ergo, &c. Confirmatur quia male quis definiret prima principia physica per hoc, quod per sè primo Corporibus substantialibus insunt, seù cõueniunt: ergo male etiam definiuntur hoc modo primæ quatuor qualitates: consequentia suadetur quia in tantum male principia dicto modo definiuntur, quia explicatur in definitione ratio primitatis per ipsam primitatem; sed hæc ratio æquè militat in casu nostro; ergo, &c. has igitur descriptione post habita.

25 Conclusio nostra est: Primas qualitates rectè describi, quæ neque ex alijs, neque ex alterutris, sed ex ipsis oriuntur reliquæ, quæ in corporibus naturalibus insunt: ita communiter.

Probatur quia quamuis hæc descriptio primis principijs physicis primo, & per sè conueniat, vt diximus suo loco; tamen potest rectè applicari primis qualitatibus, dummodo eius particulæ coarctentur ad genus qualitatum materialium, & nõ in tota sua latitudine accipiantur: sic enim facit hunc sensum, primas qualitates esse eas, quæ qualitates cum sint, non fiunt ex alijs qualitatibus, neque ex sè inuicem, sed omnes alias fiunt ex illis modo infra explicando.

26 Porrò quid importet (oriri ex) dubiũ est. Oviedus *de gener. Controu. 8. puncto 5. num. 2.* putat importare resultantiam ex combinatione pluriũ, non vero causalitatem in genere efficientis; ita, vt sensus sit primas qualitates non resultare ex combinatione, neque aliarum, neque sui ipsarũ, sed ex earum commixtione resultare omnes alias qualitates: probat hoc, quia lux est productiua caloris iuxta probabiliorem sententiam, & tamẽ calor est vna ex primis qualitatibus: ergo quando dicitur, quod primæ qualitates non fiunt ex alijs non potest esse sensus, quod ex alijs efficienter non procedant.

27 Contra vero Auersa *quæst. 41. de Elementis sect. 4.* versu circa secundum docet: importare causalitatem effectiuam; & ad rationem in contrarium respondet: definitionem traditã intelligi debere de primis qualitatibus tãgibilibus quæ nimirũ sensu tactus percipiuntur: quoniã vero lumẽ licet sit qualitas sensibilis per sensum visus; non est tamen tangibilis, inde fit vt etiam si concedamus id esse productiuum caloris, non tollatur quin definitio tradita verificetur de ipso calore: eodem modo respondet: si quis putet primas qualitates saltem in mixtis supponere alias à quibus immediatè producantur, dicendo huiusmodi qualitates virtuales, neque esse per sè tangibiles. denique ad argumentum ex motu locali desumptũ, qui calorem causat iuxta illud (motus est causa caloris) respondet illum nõ esse qualitatem, sed de prædicamento vbi, vel, si placet, actionis; quatenus est actio terminata ad locum: verum, his non obstantibus neutram ego explicationem probo: non priorem Ouiedi, quia materialiter procedit: quamuis enim in corporibus nõ possit connaturaliter reperiri vna tantum prima qualitas, sed ad minimum haberi debent duæ, vt in elementis puris: non tamen inde sequitur omnes secundas qualitates ex primarum combinatione formaliter loquendo prouenire: quia non potest negari quin detur aliqua ex eis, quæ ad vnam tantum ex primis formaliter consequatur; huiusmodi est raritas hæc enim non agnoscit aliam ex primis, respectu cuius dici possit secunda, nisi calorem: & quidem quod non agnoscat frigus patet, quia, frigus inducit, vt ait Aristoteles, densitatem: quod vero neque agnoscat humiditatem constat ex eo quia ignis nihil habet humoris, & est rarissimus: quod denique neque siccitatem, vt taceam de aere, suadetur quia vapores ex aqua vi solis extracti sunt in summo humidi: & tamẽ solis actione calefacti rarescunt: falsum igitur est omnes secundas qualitates ex primarum commixtione resultare: nam etiam si supponamus ignem, vt quidam putant, non nisi calore præditũ esse, non vero siccitate: adhuc tantundem resultaret in eo raritas ex mero calore, ac modo resultat.

Porrò ex eo præcise quod de facto calor sit in igne cum siccitate coniunctus non rectè dici raritatem ex vtriusque combinatione procedere, probarem, ex eo quia habet maiorem connexionem calor cum quantitate, quam cum siccitate: sine quantitate enim naturaliter existere nequit, potest vero sine siccitate: & tamen nemo dixerit raritatem ex combinatione caloris, & quantitatis in igne resultare: ergo à pari; quamuis igitur verum sit multas ex secundis qualitatibus ex primarum commixtione ortum habere, non tamen omnes; & sic non est vniuersaliter verum cæteras qualitates, quæ secundæ dicuntur ex primis sic procedere. Neque probo posteriorem explicationem Auersa. ratio est quia definitiones, quoad fieri potest, debent esse communissimæ, & iuxta omnium sententias explicari; atqui multi sunt, qui negent primas qualitates efficienter secundas producere; ergo quando in definitione dicitur ex primis qualitatibus omnes secundas ortum habere non debet intelligi de causalitate effectiua. satius igitur mihi dicendum videtur (oriri ex) importare in qualitate, quæ oritur posteritatem quandam ordinis, & consequutionis respectu illius, ex qua oritur, ita vt siue producatur efficienter ab illa, siue ab alia causa, ad eius tamen exigentiam, ac veluti consequtiue procedat; atq; adeò sensus definitionis sit: primas qualitates, eas esse, quæ nõ habẽtur in subiectis ad exigentiã aliarum qualitatum, nec consequenter ad illas: neque vna ad exigentiam alterius, & consequenter ad illam haberi; siue demum illas respiciant vt dispositiones, siue vt causas efficientes. Vnde fit vt particula, ex, ter in dicta definitione posita in eodem semper sensu sumenda sit, & significet, quod primæ qualitates in eo genere, in quo sunt primæ, non agnoscunt aliam priorem sè. 28

Conclusio sic explicata probatur: quia nequit 29
assignari aliqua alia qualitas, quæ, siue elementis, siue mixtis competat antecedenter ad quatuor primas qualitates, quæq; illas consequenter exigat; neque quod vna ex dictis quatuor exigat aliam, & eam sibi consequentem requirat: neque denique aliqua alia, quæ non exigatur ab illis, easque consequatur; videmus enim omnes prorsus alias qualitates, quæ vel elementis, vel mixtis debentur ex dictis primis quatuor, siue distributiuè

Digitized by Google

butiuè siue collectiuè acceptis resultare; vnde Arist. 2. *de gener. à tex.* 8 docet tenue, lubricum, molle, & leue ex abundantia humiditatis prouenire: crassum vero, aridum, durium, & asperum ex abundantia siccitatis.

30 Contra conclusionem sic explicatam Obijcies primo: Lux, & motus localis exigunt in subiecto calorem tanquam quid illis posterius; si quidem illum efficiunt in subiecto, in quo sunt; ergo falsum est quod primæ qualitates non oriuntur ex alijs: calor enim est vna ex primis. Respondet Auersa, vti modo dicebamus, hic non agi de omnibus prorsus qualitatibus materialibus, sed de solis tangibilibus vt colligitur ex 2. *de gener. tex.* 7. & 8. vbi Philosophus docet huiusmodi qualitates inter sè connexionem habere in eo vt quædam sint primæ, quæ videlicet non exigantur ab alijs; nec ad eas consequantur: quædam vero secundæ, quæ ab alijs exiguntur, & ad eas consequuntur: atqui neque lumen, neque motus localis sunt qualitates tangibiles; sed lumen est visibilis, motus vero non est qualitas; ergo &c. Verum, quia motus localis ex sententia nonnullorum negantium vbi intrinsecum censetur esse actio grammaticalis, & vere in genere qualitatis: melius in hac via respondendum putarè hic definiri qualitates tangibiles, quæ sunt obiecta sensibilia propria sensus tactus: motum autem, numerum, magnitudinem, & similia esse sensibilia communia, quatenus ab alio etiam sensu, quam tactu percipi possunt vt docet D.T. *in* 4. *dist.* 50. *quæst.* 1. *art.* 2.

31 Verum quod hic solum agatur de qualitatibus tangibilibus videtur esse contra communè philosophorum existimationem, omnes enim dicimus colores, & sapores esse inter secundas qualitates numerandas; quod falsum esset si de tangibilibus tantum Aristoteles loqueretur quando primatum quatuor vulgatis concedit; melius igitur respondendum putarem philosophum considerasse omnes qualitates materiales, atque sensibiles habentes contrarietatem, easque in primas, & secundas distinxisse, & primas quidem docuisse esse prima contraria nimirum calorem, & frigus, humorem, & siccitatem; eo quod ex eis omnes aliæ contrarietatem habentes originem trahunt: quare licet calor à luce procedat, quia tamen lux non habet contrarium positiuum, non obstat primitati caloris: motus vero si quam habet contrarietatem ad alium motum, est solum extrinseca ratione spatij ex suppositione, quod motus sit in genere qualitatis, quare nego consequentiam. Ex quibus colliges, neque lucem, neque potentias vitales, neque earum habitus, neque earum actus hac diuisione comprehendi; atque adeò, neque primas qualitates esse, neque secundas eo quod non sunt qualitates sensibiles contrarium habentes.

32 Obijcies secundo: experientia constat ignem res humidas exsiccare, & siccas humectare: prope illum enim exponimus vestes madidas, & carnes vt exsiccentur, & ceram, ac & metalla vt humectentur, ac difluant: ergo aliquæ ex primis qualitatibus nempe siccitas, & humiditas ex calore proueniunt: idem de frigore probari posset.

Respondeo Andream Cæsalpinum *lib.* 4. *Peripateticarum quæst. quæst.* 1. docere solum calorem & frigus esse primas qualitates ed quod siccitas & humiditas procedebant ex illis; sed non recte: quando enim videmus calore madida exsiccari hoc est per accidens, & non per sè: calor enim est æquè indifferens ad siccitatem & humiditatem; exsiccat autem aliquando eo quod, calefaciendo subiectum, est causa vt eius partes humidiores vaporabiles resolutæ in vaporem, sursum euolent: vnde fit vt subiectum, siue sit vestis, siue caro remaneat siccum.

Item per accidens est quod sicca calore humectentur; quia nimirum calor ita attenuat partes vt molliscant quidem, sed minime resoluantur in vaporem propter viscositatem, & tenacitatem, quam habent cum cæteris crassioribus: vnde fit vt totum Corpus defluat, & colliquescat. eademque responsio adhibenda est si quis probaret frigiditatem aliqua Corpora humectare, alia verò exsiccare: dum enim corporis partes astringit humidiores elabuntur ex poris, quæ si resolubiles sunt relinquunt corpus exsiccatum, sin minus illud humectant exterius, at interius sine humore relinquunt.

Obijcies tertio; falsum est reliquas qualitates 33
oriri ex quatuor primis; ergo definitio falsa: antecedens probatur quia multæ sunt, quæ non oriuntur ex illis vt lumen, impulsus, potentiæ vitales, & similes materiales qualitates; vel si sermo est de solis materialibus habentibus contrarium, raritas habet contrariam densitatem, & tamen non oritur ex frigore. Item leuitas habet contrariam grauitatem, & tamen ex nulla ex dictis quatuor originem trahit, sed ex raritate, sicuti grauitas ex densitate vt docet Aristoteles 8. *phys. sic. tex.* 55. ergo, &c.

Respondeo negando antecedens, & ad eius probationem dico, sicuti modo dixi, primitatem dictarum qualitatum esse per ordinem ad cæteras materiales qualitates contrarietatem habentes. ad priorem vero rationem in contrarium aio definitionem non ita intelligendam esse quasi vero quælibet ex primis secundum se sumpta debeat esse origo cæterarum omnium collectiue sumptarũ; sed cũ distributione accommoda, ita vt omnes primæ collectiuè acceptæ sint radix omnium secundarum item collectiue acceptarum; distributiue vero sumptæ saltem alicuius secundæ; multarum denique diuersimodè attemperatæ inter sè, atque commixtæ atque adeò nulla ex qualitatibus habentibus contrarium (dummodo prima non sit) habeatur, quę non procedat ex aliqua prima. ad posteriorem vero dico hunc processum, & ordinem non debere necessario esse immediatum, sed sufficere si mediatus sit, sicuti est in casu posito, nam ex calore procedit immediate raritas, media vero raritate leuitas: item ex frigore immediate procedit densitas, mediante vero densitate grauitas; & sic stat, quod omnes aliæ qualitates materiales, & sensibiles contrarium habentes procedant ex primis quatuor.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Quid sint singula primæ qualitates.

34 PRima conclusio calor est qualitas, quæ congregat homogenea, & disgregat heterogenea, sumitur ex Arist. hic *text.* 8. & 54. 3. *cæli text.* 74. 4. *meteor cap.* 1.

Pro explicatione autem aduerte primo: quod congregare idem significat ac coniungere, simul vnire, miscere, & in locum vnum coadunare; disgregare vero idem est, ac discernere, & vnum ab alio separare. Aduerte secundo: congregationem, & disgregationem sumi posse dupliciter: primo formaliter, secundo causaliter: formaliter sumptæ sunt motus ipsi locales, quibus Corpora, vel congregantur, vel disgregantur: causaliter vero sunt actiones illæ, ad quas dicti Corporum motus consequuntur. Porrò definitionis verba posteriori modo intelligenda sunt. Aduerte tertio homogenea hic non tam significare corpora, quæ sint eiusdem essentiæ, quam ea, quæ sunt eiusdem virtutis motiuæ, & prædita similibus accidentibus; vt fluxibilitate, liquabilitate, &c. similiter heterogenea ea, quæ secundum motiuam virtutem, liquabilitatem, fluxibilitatem, &c. sunt similiter dissimilia. Aduerte denique quarto proprium caloris esse rarefacere, & relaxare partes corporis cui inest, vnde oritur, quod dicti Corporis partes heterogeneæ, quæ prius propter condensationem erant inuicem permixtæ ab inuicem segregentur, ac separentur, & sic libere ferantur ad loca propria, in quibus Corpora eiusdem rationis reperiuntur; atque ex his patet traditæ definitionis explicatio: calor enim rarefaciendo partes Corporis habet vt secernat ea, quæ sunt diuersæ rationis in illo Corpore, & in vnum locum, ea quæ sunt eiusdem rationis congreget: vnde est quod dictus calor melius describi potuisset per rarefactionem, quam inducit in corpora tanquã per aliquid prius: nihilominus non est repudianda Philosophi assignata descriptio, qua voluit illum per effectus notissimos definire: quod autem dicta descriptio recte tradita fuerit.

35 Probatur experientijs: quando enim ignis calore metalla liquescunt, eorum partes dissimiles segregantur, & consimiles in vnum coadunantur locum, sic partes veri auri à terra, & scoria secernuntur, & in vnum distinctum locum coadunantur: idem videre est cum carnes in olla decoquuntur; earum siquidem, impuriores partes ad ollæ confluunt summitatem, & ab alijs partibus segregantur.

36 Obijcies tamen experientias in contrarium; cibus enim, & potus sunt heterogenea, & tamen in stomaco vi caloris vitalis in vnam massam congregantur; sic etiam cera, & pix, & metalla diuersæ rationis vt aurum, & argentum ignis calore miscentur; calor denique solis exsiccat lutum, in quo lapides, & paleæ in vnam constringuntur massam: falsum igitur est, quod calor cõgregat homogenea, & disgregat heterogenea.

Respondeo cibum, & potum ceram, & picem; aurum denique, & argentum vi caloris acquirere easdem virtutes motiuas eandemque liquabilitatem; vnde est vt habeant sic rationem rerũ homogenearum ad inuicem: dum igitur miscentur, ac congregantur potius faciunt pro conclusione Aristotelica, quam contra illam: quo ad lutum vero aio, quod dum sol calefacit lutũ primo, & per sè tenuiores eius partes, & leuiores à crassioribus, ac densioribus secernit: vnde est vt totus humor resolutus abeat in vaporem; partes vero luti crassiores, & homogeneæ inter se coadunentur, in quibus cum sint paleæ, ac lapilli, qui non potuerunt vi caloris secerni: per accidens, & præter intensionem operantis vna cum luto constringantur: nos vero sumus in conclusione loquuti de eo quod per se fit. linquo paleas, & lapides existimari posse homogeneã quantum ad mobilitatem cum ipso luto iam exsiccato: sicuti possunt existimari homogenei diuersi succi, quos vi caloris pharmacum copola immiscet ad componendum pharmacum: contra vero vapor aqueus, & aqua, exhalatio terrestris, & terra quamuis sint eiusdem speciei, censentur ratione diuersorum accidentium, quibus prædita sunt heterogenea.

Instabis calore vas vitreum frangitur, sed hoc 37
homogeneum est: ergo calor disgregat homogenea.

Respondet Ouiedus *loco citato num.* 6. Hanc caloris proprietatem congregandi ea, quæ sunt eiusdem generis intelligendam esse de calore intra latitudinem proprij temperamenti formæ congregandæ: non vero de calore tam intenso vt destruat temperamentum illi formæ debitum; Quoniam vero calor ille est destructiuus temperamenti formæ vasis: hinc est vt vasis partes disgreget, atque dissoluat. Contra tamen est quia, vel tam intensus calor est destructiuus temperamenti formæ substantialis illius vasis vitrei, vel solius accidentalis: non primum quia stat forma substantialis vitri cum summo calore vt apparet in fornacibus ad vasa vitrea conficienda destinatis; neque secundum tum quia fractio hæc omni vitro etiam non figurato contingit: tum quia stat vasis figura cum congregatione, & constritione partium ipsius vitri; vt patet, ex eo quia si eadem prorsus massa in vas minoris capacitatis formata fuisset, sed maioris soliditatis, ac profunditatis vtique figura consisteret,

Melius igitur respondendum puto per accidẽs esse quod calore vitrea vasa frangantur eo quod calor absumendo humorẽ illũ, quo partes vitri inter sè connectebantur causat farctionem; porrò dum dictum humorem absumit, disiungit illum à reliquis vitri partibus siccioribus, & sic verificatur, quod segreget per se heterogenea, & congreget homogenea. Quod si hoc non contingit in omnibus vitri partibus est quia horum humiditas est magis resistitiua; præterea si contingit fractio etiam quando vitrum in feruentem aquam dejicitur, est quia humiditas aquæ cum non sit glutinosa, sicuti requiritur ad vitri partes continuandas, sed valde fluida, non solum nõ supplet defectum glutinosæ, quæ igne absumitur, sed eam magis relaxat, & sic vna cum igne eius fractioni cooperatur; denique si vitrum in minu-

Digitized by Google

minutissimas partes reductum in fornace vitrea liquescit, & iterum in vasa formatur, est quia partes humidiores beneficio dissolutionis incipiunt prævalere, & ideo ad suum connaturalem statum se redigunt; sicuti diximus in metallorum colliquatione contingere.

38 Secunda conclusio: frigus est qualitas, quæ congregat homogenea, & heterogenea. Ita Aristoteles *loco citato*; & ratio à priori est: quia proprium frigoris est condensare, & constringere omnia, quæ inuenit, ideoque ab Empedocle dicebatur amicitia, ad differentiam *ignis*, quem quia heterogenea segregat, litem appellauit.

Probatur autem tradita descriptio ex humidorum congelatione desumpta, in qua Corpora omnia licet sint diuersæ rationis, ac essentiæ, in vnum coalescere videntur.

Objcies tamen primo: calor congregat homogenea; ergo frigus debet illa desgregare: consequentia valet, quia vt rectè colligitur ex Aristotele *hic tex.* 16. causæ inter sè contrariæ contrarios præstare debent effectus.

Respondeo concesso antecedente, negando cõsequentiam. Ad cuius probationem dico rerum naturaliũ effectus esse in duplici differẽtia, quosdã immediatos, quosdam vero mediatos. Porrò causæ contrariæ inter sè licet habere debeãt effectus immediatos contrarios, possunt tamen mediatos habere similes, ex quorum numero est congregatio homogeneorum respectu frigoris, & caloris.

39 Objcies secundo: frigore in hyeme rumpuntur membra animalis, & vasa ipsa vitrea, atque testacea: præterea humores, qui erant permixti cum sanguine calido in venis detento, eodẽ sanguine emisso è venis, atque refrigerato separantur: ergo frigus disgregat, tum homogenea, tũ heterogenea.

Respondeo *frigus* per se constringere, & cõdensare partes cutis animalis, & vasis præsertim vitreis: dũ vero hæ nõ valent secũ trahere reliquas partes, quibus sunt coniunctæ, hinc fit vt ab illis separentur, atque scindantur; hoc igitur, vt vides, euenit per accidens, ratione scilicet resistentiæ cæterarum partium. Iam verò humores id circo emisso sanguine e venis ab illo secernuntur, quia ex vna parte deperdunt vna cum calore virtutem illam motiuam, secundum quam, quãdo erant calidi inter sè conueniebant: ex alia verò parte non adeò refrigerantur vt virtute frigoris possint simul congelari: vnde est quod inuicem separentur, & propria, ac distincta loca in vase sibi vendicent.

40 Tertia conclusio: humiditas est qualitas reddẽs corpus, in quo est, difficile terminabile termino proprio; facile autem alieno, ex Aristotele *hic text.* 9.

Explicatur autem, & probatur simul conclusio: humiditas affert corpori, in quo est molliriem quãdam, atq; fluxibilitatem, ex quo fit vt Corpus illud difficile possit propriam habere terminationem, proprioque termino, seù quod idem est figura ab intrinseco proueniente circumscribi: facilè autem possit ad cuiuscumque alterius Corporis continentis figuram se accommodare: vt patet in aqua, quæ vasis figuram, siue rotundam, siue quadratam, sine vlla resistentia accipit.

Objcies: metalla sunt natura humida, sicuti 41
etiam est glacies, & tamen vtraque difficile alieno termino terminantur; præterea aquæ gutta decidens in tabulam, vel in puluerem, neque tabulæ, neque pulueri conformatur, sed figura quadam circulari extollit sè super illa: ergo falsa conclusio.

Respondeo conclusionem nostram non esse intelligendam quasi vero in omnibus casibus, & quomodocunque semper humiditas faciat rem alieno termino terminabilem; sed quod quantũ est ex vi illius id fieri debeat; nisi aliunde obstet; licet igitur metalla, glacies, & aquæ guttæ natura sua humida sint, & ratione humiditatis dictum effectum alienæ terminationis participare debeant; quia tamen humiditas in metallis, & in glacie reperitur coniuncta cum frigore, & siccitate, quorum munus est partes Corporum constipare, & per consequens reddere illas proprio termino terminatas; hinc fit vt difficile alieno termino terminentur; dum frigida sunt: at si vi ignis frigus ex *illis* expellatur cum magis frigida sint, quam sicca, propriam repente figuram deperdunt, & alienæ facile sè sè accomodant. Porrò aquæ gutta in orbem attollitur, vel propter antiperistasim; ex eo, scilicet, quia à contraria siccitate refugiat, vel quia ab eadem siccitate: quam in tabula, vel in puluere reperit impeditur ne effluat.

Quarta conclusio: siccitas est qualitas, qua 42
Corpus redditur facile terminabile termino proprio; alieno vero difficile: ex Aristotele loco citato.

Probatur autem: quia proprium siccitatis est, nisi quid aliud obstet, partes Corporis, in quo est indurare, ac constipare, quæ autem dura, & solida sunt propriam habent figuram, & maxima difficultate alienæ figuræ sè accommodant, atque conformant: vt patet ex *ligno*, *lapidibus*, &c.

Objcies tamen: puluis, & farina ad figuram 43
vasis facile sè accommodant, flamma vero fornacis figuram sine difficultate sumit: sed hæc omnia sunt natura sicca: ergo falsa conclusio.

Respondeo puluerem, & farinam esse plura corpuscula: quamuis autem vt plura sunt, & tenuissima, facile alieno termino tenuitatis, ac paruitatis suæ beneficio sè accommodant; si tamen accipiantur singula secundùm sè, habent suam propriam terminationem, quam cum difficultate relinquunt. Ignis quoq; quamuis sit natura siccus, quia tamen maximè calidus est, hinc fit vt raritatem potius habeat, quam quamlibet aliam qualitatem, ex siccitate prouenientẽ; calor enim magis actiuus est, quam siccitas. Quoniam verò ea quæ rara sunt facile alienæ figuræ sè accommodant, vt patet ex stupa, bambaceo, & similibus; hinc est vt etiam flamma propria terminatione, quæ pyramidis est, in fornace relicta, fornacis figuram sumat; sed hoc per accidens euenit. Linquo ignẽ, qui apud nos est, valde impurũ, esse & multum humiditatis in sè haberet: linquo etiã flammam violenter figuram fornacis accipere vt patet ex eo quia in illam fortiter agit, & paulatim eam absumit, atque adeò ab intrinseco esse figuratam, quod non habent humida Corpora; fracto enim vase aqua v. g. in diuersas partes

delabi-

Digitized by Google

dilabitur eiusque partes non seruata vatione, quã prius habebant, hinc inde diffluunt: quod non cernitur in flamma ex furni carceribus exiliente.

SECTIO QVARTA.

An Primæ qualitates sint substantiales Elementorum formæ.

44 ALexander 1. *de anima cap.* 2. & 3. Themistius 1. *phys.* 54. Simplicius 7. *phys.* 23. Ammonius in prædicamentis substantiæ, & quantitatis, & nonnulli alij ex Græcis Aristotelis interpretibus censent formas, quibus primo elementa in suo esse constituuntur, esse primas eorum vulgatas qualitates.

Nostra tamen conclusio oppositum omninò defendit; putamus enim elementa præter primas qualitates habere suas formas substantiales, per quas primo constituuntur, ex quibus tanquam proprietates dictæ primæ qualitates emanent. Ita Peripatetici præsertim Latini communiter.

Probatur primo ex Aristotele, qui hic *cap.* 2. probat primas quatuor qualitates esse per sè, & primo sensibiles secundum tactum: sed nulla forma substantialis est per sè sensibilis, vt docet idē 2. *de anim.* ergo primæ qualitates non sunt formæ substantiales. Confirmatur ex 3. *met. tex* 18, vbi Philosophus appellat frigiditatem, & caliditatem passiones elementorum, & non substantiã.

45 Probatur secundo ratione allata ab Auerroe 8. *met. Comm.* 8. quod vni est substantia nulli potest esse accidens, sed constat qualitates hasce esse accidentia, non solum mixtis, sed elementis etiã ipsis, vt patet ex iis, quæ ipsimet aduersarij docent, dum asserunt quod caliditas non sit substantia aèris, sed humiditas; quamuis aèr calidus esse possit: ergo non possunt esse formæ substantiales elementorum.

Confirmatur, quia formæ substantiales non sunt intensibiles, ac remissibiles, sed indiuisibiliter quantum ad hoc sè habent: atqui primæ quatuor qualitates, intensionem, & remissionem patiuntur: ergo, &c. Confirmatur iterum, quia substantiæ nihil est contrarium: primæ autẽ qualitates sunt prima contraria positiua.

46 Obijcies primo quadam Aristoteles loca, quibus oppositum docere videtur, hic enim tex. 7. appellat primas qualitates principia, & formas elementorum, *tex.* vero 8 & 24. vult esse eorum differentias, & *tex.* 48. docet elementa secundum sè debere esse contraria; aliam autem contrarietatem habere nequeunt, nisi in primis quatuor qualitatibus; ergo, &c.

Respondeo ad singula: & quidem ideo Philosophus primas qualitates principia, formas, & differentias elementorum appellat, quia quando nobis formæ non innotescunt loco formarum sumimus passiones, sicuti metaphysici sumunt hinnibilitatem, quæ est proprietas Equi, pro incognita eiusdem Equi differentia: & rugibilitatem, quæ est proprietas Leonis, pro differentia ipsius Leonis; hoc idem fecit Aristoteles *locis citatis*, vnde per primas qualitates potius intelligebat radicale principium earum, ex quo emanant, formas scilicet substantiales. sic respondet Zabarella de constitutione naturalis scientiæ *cap.* 25. Alij vero dicunt Philosophum *locis cit.* considerasse elementa in ratione corporis proximè actiui, atque passiui, vel considerasse illa in ordine ad nos, qui non percipimus, nisi accidentales differentias. tex. autem 48. huius libri vult solum elementa debere esse contraria secundum sè, non quidem immediatè ratione scilicet formarum substantialium, sed mediatè, ratione qualitatum, quas habent.

Obijcies secundo: destructis primis qualitatibus destruuntur elementa: ergo sunt eorum formæ substantiales. 47

Respondeo negando consequentiam; ex illo autem antecedente non potest aliud rectè in præsentia colligi, quam quod dictæ primæ qualitates, vel passiones elementorum sint, vel dispositiones ab eorum formis substantialibus necessariò requisitæ, à quibus dependeant à posteriori.

Obijcies tertio; formæ substantiales elementorum habent formalem contrarietatem: ergo sunt de genere qualitatis, atq; adeo non nisi calor, frigus, humor, & siccitas.

Respondeo negando antecedens: ratio est quia ad contrarietatem formalem duo requiruntur: summa distantia sub eodem genere, & mutua expulsio ab eodem subiecto ex dicta summa distantia prouenies; iam vero licet saltem aliquæ elementorum formæ valde inter sè distent sub eodem genere, & mutuo se expellant, ea tamẽ expulsio non habetur ex ipsa distantia, sed ex vniuersaliori principio, quia nimirum vna materia non est capax plurium formarum substantialium, atque adeo non sunt inter sè formaliter contrariæ; quemadmodum neque anima, & forma cadauerica propter eandem rationem.

SECTIO QVINTA.

An singulis elementis ex propria natura duæ primæ qualitates conueniant, & quæ.

VNica conclusio; vnumquodque elementum ex propria natura duas primas qualitates sibi vendicat: Ignis quidem calorem, & siccitatem: Aèr autem calorem, & humiditatem: Aqua vero humiditatem, & frigiditatem: Terra denique frigiditatem, & siccitatem. sic Aristoteles *hic & tex.* 16. & 4. *meteor. cap.* 1. quem omnes fere Philosophi sequuntur exceptis paucis. 48

Probatur autem conclusio quod ad singula: & quidem experientia constat ignem esse calidum; quod autem siccus sit, patet, tum quia corpora, quibus approximatur, exsiccat, tum etiam quia, ea quæ sicca sunt, facilius in sè conuertit quam ea, quæ humiditate sunt referta: deinde quod aèr sit humidus patet ex eo quia facillimè est alieno termino terminabilis, difficile vero proprio. Quod vero idem sit calidus probatur tum, quia alioqui nullo modo esset aqua contrarius, quod maximè differt mixtionis quæ vt facilè fiat, singula elementa inuicem requirit aliqua ratione contraria: tum etiã quia aèr natura rarus est, ac leuis, vtrumque autem prouenit à calore: tum quia volatilia, in quibus prædominatur aèr, sunt natura calidiora quam animalia terrestria.

&

Digitized by Google

& aquatilia; quod etiam apparet in liquoribus, qui habent naturam aèri similem, vnde aqua supernatant; cuiusmodi sunt oleum, & vinum: tum quia aqua nimium calefacta conuertitur in aèrem, nulla autem substantia qualitate opposita generatur, sed bene corrumpitur, quod cernitur in aère, si nimio frigore in subterraneis locis addensetur: tum denique quia calor, & humiditas non pugnant ad inuicem; huiusmodi igitur combinatio alicui ex elementis competat necesse est: non nisi àèri; ergo, &c. Præterea quod aqua humida sit, constat ex eo quia est facile alieno termino terminabilis, & quia corpora sibi approximata humectat; quod vero frigida, probatur: tum quia valde igni est inimica; tum quia si ab igne calefiat, cessante calefactione, igneque remoto, ad pristinum frigiditatis statum sè reuocat: tum denique quia corpora sibi vicina frigidiora, per sè loquendo, reddit. Terram denique esse siccam patet ad sensum; videmus enim illam proprio termino esse terminatam, & humiditate, quam ab agente extrinseco acquirit, paulatim expulsa, ad innatam siccitatem sè reducere. Esse vero frigidam probatur, quia natura grauis, ac densa, & si ab extrinseco calorem concipit, statim frigiditatem pristinam illo expulso in sè producit. iam vero contra prædicta.

50 Obijcies primo: ignis alieno termino facilè figuratur, & sic in propria sphæra figuræ cæli circulari sè accommodat: ergo falsum est, quod sit natura siccus. Confirmatur ex Aristotele 4. *meteor. tex.* 24. vbi docet, carnes assas, quæ habent magis de igneo, esse humidiores elixis; ergo, &c.

Respondeo, ignem in propria sphæra propter nimiam siccitatem, qua præditus est, non habere partes *inter* sè *cohærentes*, sed esse comminutum, atque friatum, & in minutissima corpuscula diuisum; sicut propter eandem rationè est terra, & hanc ob causam figuræ circulari Orbis lunaris se accommodare: quia flamma, quæ apud nos est, impurus ignis est, multumq; habet de humiditate: hinc fieri, vt habeat partes inter sè coniunctas, & adhærentes. Ad confirmationem autem dico, humorem, & succum ingenitum carnium elixarum diffundi per aquam; ideòque esse minus humidas carnes elixas assis humiditate ingenita: at vero assæ cum magna ex parte cum ingenita humiditate remaneant, humidiores naturali humiditate censentur, & hoc solum innuere voluit Philosophus loco citato.

51 Obijcies secundo: media aèris Regio est valde frigida; præterea congruum fuit aerem esse natura frigidum, tum quia inseruit ad respirationem animalis, quod frigido corpore indiget, dum respirat: tum etiam quia temperare debet calorem, qui ex Sole, & ex igne elementari producitur in terris.

Respondeo, mediam aeris Regionem infrigidari ab exhalationibus, & vaporibus, qui illuc virtute Solis attenuantis partes terræ, & aquæ conscendunt; ibique per antiperistasim pristinam frigiditatem acquirunt; & quia aer est natura tenuis, eiusque calor valde hebes redditur ab humiditate: hinc fit, vt actioni frigefactiuæ vaporum, & exhalationum facile cedat: & sic infrigidetur. deinde quia imfima eius Regio plurimis exhalationibus, & vaporibus frigidis scatet; ideò ad respirationem animalium inseruit, & potens est calorem à Sole, & igne elementari productum temperare, etiam si natura calidus sit.

Arriaga *disp.* 4. *de gener. sect.* 2. *sub sect.* 3. 52 contendit, aerem ab intrinseco frigidum esse in summo, & num. 16. rationem, quam assignauimus, cur in media Regione sit frigidus, probat trifariam esse inuentam ad difficultatem fugiendam: primo quia ibi aer sereniſſimus est, secundo quia quantumuis exhalationes illuc ascendant, nequeunt tamen ibi per antiperistasim frigefieri, eo quod huiusmodi vapores sunt calidi, & ignei: ergo ex coniunctione cum aere per antiperistasim non possunt frigescere, quia non datur antiperistasis inter duo agentia calida: tertio denique quia si ex præsentia aeris per antiparistasim vapores ibi frigefierent, id potius deberet contingere illis iuxta terram, vbi aer est calidior, quam in media eius Regione.

Verum nulla ex his probationibus videtur 53 mihi sufficiens ad communem responsionem labefactandam: non prima, quia supponit falsum; in media enim aeris Regione nubes, grandines, & niues gignuntur; quin imò hinc illam tanquã à signo ostendunt Mathematici, seu potius Meteorologiei quod in ea nubes resideant, & in pluuiam resoluantur quod si in quorundam montium apicibus aer sereniſſimus reperitur, vel est quia dicti montes mediam aeris regionem transcendunt; vel quia etiam si intra amplitudinem secundæ regionis existant, vapores tamen vt plurimum in inferiori eius parte consistunt, ita tamen vt sua actiuitate ad superiorem pertingant, eamque infrigident. Vnde fit, vt ibi aer, & sereniſſimus sit, & valde frigidus. Neque sufficiens est secunda probatio, ad quam respondeo, vapores ex aqua, nec non etiam exhalationes ex terra vi Solis extractos retinere formam substantialem terræ, & aquæ; atque adeò quantumuis quando vi Solis ascendunt sint formaliter calidi, virtualiter tamen esse frigidos; vnde fit, vt dum in media regione quiescunt, expulso calore aduentitio natiuam frigiditatem in sè producant: quoniam vero media aeris regio est inter suprema, & infima; & suprema quidem propinquitate Solis, & ignis exæstuat, imfima vero radiorum Solis reflexione incalescit: hinc est, vt vapores aquei vtrinque oppugnati frigiditatem suam intendant, ita vt totum spatium mediæ regionis infrigident; quamuis ergo verum sit non dari antiperistasim inter duo agentia Symbola, in casu tamen nostro aer, & vapores dissymbola sunt; aer quippe calidus, vapores vero frigidi natura existunt.

Ad tertiam denique probationem dico, quod 54 idcirco vapores imfimam aeris regionem ascendentes non sè reducunt ad connaturalem frigiditatis statum, ad quem se reducunt, quando perueniunt ad mediam, quia imfima versus terram propter reflexionem radiorum Solis est multo

Digitized by Google

magis calida, quam versus mediam, ad quam non peruenit Solis radius reflexus; aliunde vero vapores, dum per infimam ascendunt, adhuc habent circa se Solem debitè approximatum, qui suam actionem calefactiuam prosequitur: at quãdo ad mediam peruenerunt iam Sol non potest in illis amplius suam actionem intendere, quia eius actio reflexa non se extendit vsque ad illud spatium, & ideo non est mirum, si ad remotionẽ agentis principalis incipiant sè reducere ad pristinum frigiditatis statum.

55 Instabis primo: quando vapores ibi incipiunt frigescere, iam incipiunt addensari; vnde debent deorsum grauitando descendere, prius quàm aerem notabiliter frigefaciant.

Respondeo, non statim ac vapores frigescere incipiunt, acquirere tantum densitatis, ac grauitatis, quantum ad eorum descensum sufficiens est, sed debere prius valde infrigidari, vt euadant ad descendendum idonei; quod obtinent, quando in aquam, vel niuem constringuntur. Ad hoc autem consequendum putarem semper intercedere debere influxum aliquem Cælestium corporum, prouenientem, vel ex aliqua coniunctione Stellarum, vel ex aliqua earumdem apparientia, & similibus, quorum beneficio adiuti vapores illi sufficienter addensentur; & ideò Astrologi pluias, & tempestates ex eorum addensatione prouenientes prænoscere possint.

56 Instabis iterum nos supra dixisse, exhalationes, quæ sunt in aere, calidissimas esse: ergo falsum est, quod frigidissimæ sint.

Respondeo, supponendo terram à Deo heterogeneam creatam esse, & quasdam habere partes calidissimas, ex quibus sulphur, & alia fossilia bituminosa, & nitrosa eruuntur: alias vero frigidissimas, quæ stant cum forma terræ: porrò exhalationes, quæ extrahuntur ex illis partibus sulphureis, licet sint calidissimæ; illæ tamen, quas ipsa terræ substantia mittit, frigidissimæ sunt, vt pote substantialiter terra, & de his, ac de vaporibus ex aqua erutis nos dicimus infimam aeris regionem temperari, mediã vero frigefieri.

57 Instabis tertio: non nè melius est cum alijs asserere, quod quemadmodum Deus aquam elementarem per admixtionem Salis reddidit salsã, & terram per sulphureas venas ex parte calidã: ita infimam, & mediam aeris regionem per minutissimas particulas corporis frigidissimi nobis ignoti vndiq; discurrentes attẽperet, & infrigidet.

Respondeo negatiue: ad quid enim ad hoc ignotum corpus confugere, cum in promptu vapores aqueos, & exhalationes terreas habeamus, quibus sufficientissimè hunc effectum frigiditatis aereæ tribuere valeamus.

Obijcies tertio ex eodem Arriaga num. 27.

58 aer vbicumque ab agentibus extrinsecis calidis est liber, statim infrigidatur: sic noctis tempore à solis præsentia destitutus frigidior est, sic in regionibus septẽtrionalibus, quia magis distat à Sole; sic denique æstatis tempore in cubiculis clausis: quod si dicas etiam hyeme aerem in cubiculis esse calidiorem, quam foris expositum: disparitas est, quia ex vna parte agentia frigida, quæ hyemis tempore regnant, non tàm bene ibi possunt operari; ex alia vero hominis alitu & respiratione aer ille calefit; at vt in æstate sit frigidus, cum in nullum agens extrinsecum refundi possit, sequitur quod sit ab intrinseco talis.

Respondeo aerem ratione suæ maximæ fluiditatis, sicuti facile cedit locum alijs corporibus, ita etiam eadem fere facilitate suas recipit impressiones; vnde videmus, quod nullo negotio ex calido euadit frigidus, & ex frigido calidus; & hinc est, vt sicuti diurno tempore ad Solis præsentiam prævalentis contra actiuitatem aquæ, & terræ incalescit: ita nocturno tempore, ad præsentiam dictorum elementorum, propter absentiam Solis sine impedimento agere valentium, infrigidetur; & hæc etiam est ratio, cur hyeme declinante Sole rigescat, & in regionibus polaribus, quæ radio Solis valde obliquo tanguntur, frigidissimus est. Ad illud denique de aere in cubiculis incluso æstiuo tempore: dico, eum esse frigidiusculum propter similem rationem, propter quam aqua in puteis brumali tempore est calidior: quemadmodum enim hanc caliditatem refundimus in exhalationes calidas, quæ vt à contrario fugiant in subterraneas cauernas se recipiunt; ita aeris frigiditatem, in vapores frigidos, qui solis actiuitatem, quæ maxime est in æstate, declinare procurant: ex hoc autem benè concluditur contraria experientia, quod cubicula sint hyeme calidiora; militat enim par ratio, ac de puteis. cæterum quod in consequenter hanc caliditatem in remotionem actiuitatis agentium frigidorũ refundat auctor, patet ex eo, quia ipse putat aerem esse frigidum in summo. Quod si calorem illum dicit prouenire aeri hyberno tempore ab halitu, & respiratione hominum, cur non dicet aliquis æstiuo tempore ob actionem parietũ frigidorum refrigerari posse aliquantulum dictũ aerem in eisdem cubiculis?

59

Obijcit quarto: aer motus flabello refrigerat: 60
ergo natura sua frigidus est; nam motus in rebus calidis excitat calorem, in frigidis vero frigiditatem.

Respondeo, aerem in hac imfima regione scatere vaporibus frigidis, vti diximus, qui quidẽ vapores non solum reddunt illum remissè calidum, sed etiam resistunt actioni Solis, nè ei suam innatam caliditatem restituat. Vnde non est mirum, si quemadmodum æstate pulmonum flabello agitatus, cor refrigerat: ita etiam flabello paleæ, aut papiri refrigeret faciem. Adde quod æstate halitus, qui egrediuntur per poros à corporibus nostris sunt calidissimi; vnde flabellum, dum suo motu illos expellit, & aerem in locum eorum adducit, nos refrigerat. cæterum omnes fateri debemus, aerem æstate calidum esse formaliter, & flabello ventilatum non refrigerare hominem per id, quod virtualiter habet.

Obijcies quinto: quando homo patitur colicam, aer in ventre incluſus naturali sua frigiditate illum vexat: nec nisi rerum calidarum applicatione ei mederi possumus: ergo aer frigidus est. 61

Res-

Digitized by Google

Respondeo negando causam colici doloris esse aerem in ventre inclusum: dico enim esse flatum ex cibo inconcocto eleuatum; atq; adeò corpus mixtum, quod intestina distendit, ac torquet, vnde adhibemus calida fomenta ad eum discutiendum, ac excludendum; quāuis autem sit virtualiter frigidus, est tamen formaliter calidus, vnde non vexat nos propter frigiditatem, quam habet, sed potius ex eo quod dilatando sè diuellit partes intestinorum, vel quia aliqua alia qualitate noxia præditus est.

62 Obijcies sexto num. 28. Dæmones Corpora, in quibus apparent sumunt ex aere, sed dicta Corpora frigiditate peccant, & vt Caietanus refert. 2. 2. *quæst. 95. art. 3.* non possunt eorum arte ad calorem hominis perduci. ergo signum est aerem esse ab intrinseco valde frigidum.

Respondeo ad antecedens non posse esse dubium arte Dæmonum posse Corpus aliquod quāuis natura frigidissimum valde intensè calefieri, si enim sua arte homines possunt metalla ignita reddere, cur non poterit Dæmon reddere aerem frigidissimum tam intensè calidum, ac est Corpus humanum? Quod igitur non potest Dæmō in Corporibus assumptis est tribuere illis complexionem omnium accidentium tangibilium, omninò similem ei, qua humanum Corpus præditum est; ita vt qui diligenter attrectat illa Corpora non possit aduertere ea esse fictitia, quoniam vero inter cætera accidentia tangibilia humani Corporis præcipium locum sibi vendicat calor; hinc est vt communiter dicatur, quod Dæmon non possit in corporibus assumptis humanum calorem applicando actiua passuis simulare. nomine enim caloris humani venit ille calor cum complexione cæterorum accidentiū tangibilium, & sic apparet argumentum hoc nullam habere vim.

63 Obijcies denique septimo: in nostra sententia iuxta cælum Lunæ elementum ignis existit: ergo necesse fuit vt eius summus calor temperaretur ponendo subtus aliud Corpus summe frigidum, eo vel maximè quia Solis ardentes radios temperare debet.

Respondeo de actiuitate illius ignis supra dictum à nobis esse satis, quam sit inualida, nunc vero solum adderem aerē sufficienter eius actioni Solisque radijs resistere beneficio vaporum, atq; exhalationum terrestrium, quibus plenus est; ratione enim eorum redditur ex parte similis aquæ, & terræ, à quibus infrigidatur; & vna cum illis resistit actioni calefactiuæ dictorum agentium calidorum; vt in ea temperie conseruetur, quæ sufficiens est ad confouenda viuentia, quæ in eo existunt.

64 Obijcies octauo probando aerem esse siccum primo ex *Iob.* 12. si continuerit aquas omnia siccabuntur: ergo nullum aliud elementum præter aquam humiditate præditum est. Secundo ex Aristotele, qui *sect. 25. Problem.* 10. non solum negat aerem esse humidum, sed etiā à quouis alio Corpore humectari: tertio quia experimur vestes aeri expositas ab eo exsiccari.

Respondeo ad duas priores auctoritates: quod quando dicitur sola aqua esse humida, sermo est de humiditate irrigante, & alia corpora madefaciente; ex eo quod illis adhæreſcat, & veluti agglutinetur; quæ humiditas est propria solius aquæ, quæ ex frigiditatis accrassitudinis consortio quandā acquirit consistentiā, & aptitudinē ad hoc vt adhæreſcendo Corpori alicui sicco, illud reddat madefactum; quod nequit conuenire aeri propter summam tenuitatem, quam habet: quod si aer exsiccat humidas vestes hoc per accidens est, in quantum partes aqueas, quæ sunt in vestibus in sè conuertit, quibus abeuntibus, ipsæ vestes siccitatē, quā perdiderant in sè, producūt, & humiditatem expellunt; aer enim quippe valde tenuis nequit esse illis impedimento. Addiderim exhalationes terreas, quæ sunt in ipso aere ad exsiccandas dictas vestes multum conducere.

Obijcies nono: terra natura sua ordinatur 65
ad generationem plantarum, arborum, &c. sed ad huiusmodi generationes aptior est calor, quā frigus: ergo terra potius calida est, quam frigida; ita fere Arriaga *loco cit. n.* 19.

Respondeo: quod si hic discursus concluderet, probaret etiam terram esse humidam, & non siccam, contra id quod ipse defendit: nam ad generationem plantarum aptior est humiditas, quam siccitas. Neque dicat se immediatè subiungere: non haberi experientiam, quæ probet eam esse frigidam, & ideò valere discursum. Contra enim est; siquidem non maior experientia habetur à nobis de eius siccitate, quam de eius frigiditate; sicuti enim experimur eam ex se siccam esse, & si perfundatur aqua ad pristinam siccitatem sè reducere, ita eam tactu sentimus ex sè esse frigidam, & si calefiat paulò post calorem à sè expellere, & frigidam iterum reddi; cæterum quemadmodum hic auctor ex eo quod aptior sit ad generationem plantarum humiditas recurrit ad aquam, quæ terram humectet, relinquendo summam siccitatem in terra: ita nos tribuimus terræ siccitatem, & ex eo quod ad plantarum generationem fit necessarius calor recurrimus ad actionem calefactiuam Cælestium Corporum, & ad exhalationes calidas, quibus ipsa terra abundat.

SECTIO SEXTA.

An primæ qualitates Symbolæ elementorum sint eiusdem speciei infimæ.

Conclusio est affirmatiua: dico enim, quod 66
siccitas ignis, & siccitas terræ numerice tantum inter sè differunt, non vero specifice: itē calor, qui competit igni, & ille, qui aeri, sunt eiusdem prorsus speciei infimæ, & solo numero distinguntur; & sic dereliquis duabus. Per qualitates enim Symbolas intelligimus illas, quæ cum idem habeant nomen, diuersis tamen elementis conueniunt.

Probatur: tum quia nulla est necessitas illas quoad speciem infimam diuersificandi: tum etiā quia si differrent specie, ostō essent primæ qualitates quantum ad rem significatam: non autem quatuor, nisi penes nomen: tum denique quia videmus qualitatem, quæ ab vno elemento producitur, ab alio intendi posse, imò experimur

Digitized by Google

calorem, qui producitur ab igne in aqua inseruire ad generationem aeris ex eadem aqua: certum autem est calorem illum receptum in aqua esse eiusdem speciei cum calore ignis illum producentis. Adde quod in conuersione vnius elementi Symboli in alterum Symbolum v. g. aeris in aquam qualitas eius, quod conuertitur, scilicet humiditas ipsius aeris deberet per aduersarios destrui, & quidem non nisi per humiditatem aquæ; vnde sequeretur, quod illa, tũ humiditati aquæ, tum siccitati ignis, & terræ esset contraria. Contra Arist. qui 1. *cæli tex.* 10. docet vni vnũ tantummodo esse contrarium.

67 Obijcies primo: humiditas aquæ extinguit ignem: quod non facit humiditas aeris, & præterea duæ istæ humiditates sunt proprietates profluentes ex substantijs specie diuersis: ergo inter sè differunt specie. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; humiditas enim aquæ non aliam ob causam extinguit ignẽ, nisi quia in materia crassiore, atque adeò viscosa reperitur: vnde ad eius conspersionem obstruuntur, & obturantur meatus pabuli ipsius ignis, ex quibus subtiliores extrahebantur exhalationes, quibus ignis ipse nutriebatur: at vero humiditas aeris est in materia valde rara, ac tenui; vnde licet aliquantulum noceat igni, quia tamen facile permeabilis est, & statim effluit, idcirco non valet illum extinguere: quantum vero pertinet ad illud de proprietatibus dico primas qualitates esse proprietates physicas elementorum, non quidem sumptas in sensu diuiso, sed in sensu coniucto; ita vt proprietas aeris sit calor, & humiditas simul, & indiuisibiliter accepta: aquæ vero proprietas, humor, & frigiditas, &c. per quod saluatur quo pacto proprietates prouenientes à principijs speeie diuersis specie inter sè differre debeant.

68 Obijcies secundo: calor cælestis differt specie ab elementari, item vitalis à non vitali, vt multi medici docent: ergo, & calor ignis differret specie à calore aeris: consequentia patet, quia specifica differentia colligitur in illis ex diuersitate effectuum quos producunt; sed hac diuersitas habetur in casu nostro; nam calor ignis producit ignem, aeris vero aerem; ergo, &c.

Respondeo negando antecedens, & ratio est quia omnis calor, siue à Sole procedat, siue à viuente, siue demum ab igne, vt experientia constat, eodem modo expellit frigus ab aqua, eique est contrarius, eodem etiam modo immutat sensum tactus, nec diuersa ratione vnus intendit alium, vt patet ex aqua à Sole tepefacta, quæ si approximetur igni eius calor eodem modo intenditur, ac si totus ab igne productus fuisset: ergo gratis omninò, & sine vllo fundamento asseritur dictos calores inter sè differre specie. ad rationem in contrarium ex diuersitate effectuum desumpta. Dicerem Cælestia Corpora habere occultas quasdam influentias, quibus eorum speciales effectus attribui possunt, non obstante qnod calor, quem producunt sit eiusdem speciei cum nostrate: Corpora vero viuentia effectus, quos medio calore censentur producere, non producunt sine concursu cæterarum primarum qualitatum, quarum complexio est specialis in illis: attribuuntur autem soli calori quia principaliter procedunt ab illo; minus verò principaliter à reliquis. Porrò huiusmodi effectus ab omnium primarum qualitatum sic attemperatarum complexione procedentes non arguunt in calore diuersitatem specificam ab alijs caloribus; quia alij ideo similes producere nequeunt; eo quod carent consortio similium partialium comprincipiorum.

Obijcies tertio: calor naturalis, & febrilis 69
in eodem subiecto non sè intendunt, sed qui ex eis prævalet contra alterũ, extinguit illum: ergo differunt inter sè specie.

Respondeo distinguendo antecedens quo ad priorem partem, non sè intendunt reduplicatiuè sumpti concedo: specificatiuè nego: & explico distinctionem: calor naturalis in homine, & febrilis dupliciter considerari possunt: primo specificatiuè quatenus calores sunt; & sic dico se intendere; patet enim ad sensum quod accedente calore febrili partes dicto calore affectæ sentiantur calidiores, quam si solam caliditatem naturalem haberent: secundo spectari possunt reduplicatiuè quatenus videlicet vnus est naturalis alter febrilis, & sic aio non sé intendere, quia calor, vt naturalis sit animali, requirit tantam intensionem, & non maiorem: item vt sit febrilis requirit vt sit indebitus ipsi animali: vnde eo adueniente naturalis non intenditur in ratione naturalis, nec ipse in ratione febrilis, eo quod ex vtrisque neque resultat vnus intensior calor naturalis exactus ab animali, neque vnus intensior febrilis; sed tota intensio constat ex duobus, quorum alter naturalis est, alter febrilis.

Ad posteriorem vero partem antecedentis 70
dico: diuerso modo calorem naturalem, & febrilem sè extinguere: naturalis enim propriè non extinguit febrilem formaliter per se ipsum, sed radicaliter ratione scilicet animæ, in qua radicatur, quæ quando potest prævalere contra febrilem producendo in suis partibus eos gradus frigiditatis, quos febrilis expulerat, illum paulatim corrumpit; & sic totum animal ad debitum sanitatis temperamentum restituit: at vero si anima non potest febrilem expellere eo quod habet applicatum Corpori humorem peccantem, qui impedit ne anima frigiditatem corruptam recuperet, & simul vlterius febrilem magis, ac magis intendit, tunc febrilis extinguit naturalem, per hoc, quod formaliter destruit temperamentum debitum animæ, cui calor illæ naturalis debitus erat. ad eum plane modum, quo ignis per nimium calorem introductum in lignũ ligneum temperamentum dissoluit. potest etiam dici dictum calorem destruere naturalem dissipando partes subiecti: sicut maior flamma minorem extinguit, de quo alibi diximus: sic explicato integro antecedente nego consequentiam.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA.

An primæ qualitates elementorum ab eorum formis substantialibus immediatè producantur.

71 SVpponendum in præsenti controuersia posse esse sermonem, tum de primis qualitatibus, quas per actionem transeuntem producunt elementa in alienis subiectis: tum de illis, quas per immanentem actionem in sè ipsis producant: loquendo de prioribus.

Sit prima conclusio: singulæ primæ qualitates non producuntur ab elementis in alieno subiecto immediatè per suam formam substantialem, neque adæquatè, neque inadæquatè; sed bene per similes qualitates, quas in sè supponuntur habere.

Probatur: & quidem quod non producantur adæquatè per dictas formas suadetur ex eo quia alioqui quando aqua calida est deberet manum in ipsa immersam frigefacere, eo quod haberet totam virtutem actiuam, & passum debite sibi applicatum: quod vero, neque inadæquatè; constat ex eo quia primæ qualitates elementorum habent adæquatam virtutem producendi transeunter qualitates sibi similes: ergo hanc virtutem non habet substantia; antecedens patet ex aqua calida, quæ producit calorem in manu, non concurrente vlla forma substantiali; consequentia probatur quia non sunt multiplicandæ virtutes actiuæ sine necessitate, vt melius constat ex his, quæ supra diximus disp. de causa efficiente generationem sect. 2.

72 Iam vero loquendo de primis qualitatibus, quas elementa per actionem immanentem in sè producunt sit secunda conclusio: dictas qualitates ab eorum formis substantialibus immediatè, & adæquatè causari: est contra nonnullos apud Marsilium 2. *de gener. quæst.* 5. quos sequitur Auersa *tom.* 2. *quæst.* 41. *sect.* 4 Hi volunt dari in elementis quasdam alias qualitates, quæ non sint per sè sensibiles, quibus mediis ipsa producant in se primas qualitates, si quando eas perdiderint; vnde appellant illas virtutes accidentales elementorum, & in specie eam, qua in sè calorem producunt, nominant calorem virtualem, qua vero frigus, frigus virtuale; & sic de cæteris.

Contra quos probatur conclusio quia huiusmodi virtuales qualitates sunt superfluæ: nam si dantur debent à formis substantialibus elementorum proximè, & adæquatè dimanare; sed hoc ipso, quod dictis formis conceditur vis adæquata producendi illas immediatè in subiecto, in quo sunt, dici potius debet quod hanc vim habeant in ordine ad primas qualitates sibi recuperandas; nam sic fit per pauciora, quod alias fieret per plura, & quidem sine necessitate vlla; quandoquidem ad aliud nihil huiusmodi qualitates virtuales inseruirent elementis, quam ad producendas immanenter dictas primas qualitates, ad quod sufficientissima esset forma substantialis illorum; ergo, &c.

73 Obijcies primo: in mixtis primæ qualitates non procedunt ab eorum formis substantialibus immediatè, & adæquatè: ergo neque in elementis: consequentia patet quia non potest assignari disparitas: antecedens suadetur quia vinum, & piper habent virtutem calefaciendi prius se ipsa, deinde stomacum, etiam si sint formaliter frigida; ergo, &c.

Respondeo nonnullos apud Conimbric. 2. *de gener. cap.* 3. *quæst.* 2. *art.* 2. concesso antecedente negare consequentiam; rationem disparitatis assignant; quia primæ qualitates respectu elementorum sè habent vt passiones eorum primariæ, & internæ: eo quod elementa primo, & per sè ordinata sunt ad agendum, & patiendum; vt ex eorum pugna mixtorum generationes resultent. Contra vero quia mixta non sunt primo, & per sè ad agendum, & patiendum ordinata, eorum passiones primariæ non debent esse primæ qualitates, sed potius potentiæ quædam accidentales, ex quibus illæ procedant.

Verum absolutè negarem antecedens: puto 74
enim non solum formas elementorum, sed etiã mixtorum esse immediatè, & adæquatè productiuas primarum qualitatum in eodem subiecto, in quo ipsæ morantur; Neque ratio allata habet vim: & si enim Corpora mixta non sint primo, & per sè ad agendum, & patiendum ordinata, eo modo, quo sunt elementa: non tamen hinc deducitur, quod debeant diuersificari à dictis elementis per hoc quod habeant qualitates virtuales in sè primarum reparatiuas; sed sufficit si dicto ordine careant, quatenus non sunt apta inuicem substantialiter miscери: cæterum cum eorum formæ supponantur perfectiores elementaribus: hoc ipso quod elementares habent vim immediatè, & adæquatè productiuam primarum qualitatum; potiori iure eadem vis eorum formis concedenda videtur: sic igitur negato antecedente obiectionis, ad eius probationem dico non posse negari quædam mixta habere virtutẽ calefaciendi sè, & alia Corpora, etiam si sint formaliter frigida; sed bene negari debere hanc virtutem esse qualitatem virtualiter productiuam caloris: dico enim realiter loquendo esse eorũ formam substantialem, quæ destituta quibusdam accidentibus, & alijs corroborata erumpit in productionem illius intensi caloris modo superius dicto, cum de causa efficiente generationis.

Obijcies secundo: accidentia variabilia, quã- 75
tumuis per actionem immanentem producantur, exigunt procedere à qualitatibus fixis, & inuariabilibus; vt patet ex actibus vitalibus; sed primæ qualitates sunt accidentia variabilia; ergo, quamuis per actionem immanentem producantur, exigunt produci per qualitates virtuales fixas in elementis inuariabiliter existentibus.

Respondeo negando maiorem: quamuis enim actus sibi vendicent potentias vitales distinctas (de quo suo loco) non est quia sunt accidentia variabilia vt sic, sed quia talia sunt, quatenus nimirum peculiarem suæ accidentalis rationem habent: quare paritas non procedit.

Obijcies tertio; in Venerabili Eucharistia 76
quantitas panis, & vini plus æquo calefacta, vel frigefacta remoto contrario agente reducit sè ad pristinum statum frigiditatis, vel caloris; sed

non

Digitized by Google

non per formam substantialem panis, & vini; neque per aliquod aliud agens: ergo per potentiam accidentalem productiuam dictarum qualitatum, quæ ibi remansit cum reliquis accidentibus panis, & vini; minor, quæ sola probatione eget, suadetur; & quidem quod calor, & frigiditas illa non producantur à forma substantiali panis, & vini, patet, nam dicta substantia supponitur corrupta; quod vero a nullo alio agente: suadetur, nam si ab alio maxime immediatè à Deo miraculosè ad occultandum mysterium fidei operante; sed hoc dici nequit alioquin nullum esset nostrum argumentum, quo supra probauimus quantitatem distingui à substantia, ne multiplicentur miracula in Eucharistia: nam posset ex hoc simili dici accidentia illa reddi diuinitùs impenetrabilia, & inter sè vnita, non quia sint in quantitate; sed vt Eucharistiæ mysterium occultetur à Deo.

77 Respondeo concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem dico calorem illum, & frigus produci in Eucharistia miraculosè à Deo ad mysterium occultandum; & ad rationé in contrarium, nego paritatem ex quantitate desumptam. Disparitas est quia admissa quantitate distincta magna ex parte minuuntur in Eucharistia miracula: contra vero admissa hac virtuali qualitate non modo non minuuntur, imo potius augentur. Prior huius assumpti pars supponitur iam probata: nam sine quantitate, vt alia miracula fileam, deberent tot actiones miraculosæ continuate fieri à Deo, quot essent in Eucharistia accidentia, quæ natura sua penderent a subiecto, cuius defectum Deus in genere causæ efficientis suppleret: posterior vero pars probatur quia admissa virtute illa accidentali distincta, vt Deus eam in Eucharistia conseruaret, deberet continuo in hoc miraculosè se gerere; ergo deberet vnum miraculum continuũ, repugnante natura, operari: si dicant aduersarij, quod sufficiat vna virtus ad reparandas omnes quatuor qualitates panis; vel quatuor miracula, si velint esse quadruplicem: contra vero si non daretur hæc virtus distincta tot vicibus deberet Deus miraculosè operari, quot quantitas Eucharistica ad pristinum statum suarum primarum qualitatum reducenda effet. Sed contra quia cæteris paribus minus est æstimabile, & minus legibus naturæ repugnans, modo vnum, modo aliud miraculum facere, quam vnum, vel quadruplex perpetuum; & non interruptum. ergo admissa virtute accidentali non modo non minuuntur in Eucharistia miracula, sed magis augentur.

78 Expendamus, si lubet, discursum hunc, quo secunda pars nostræ disparitatis probatur; & primo quidem quod admissa hac qualitate virtuali in Eucharistia eam deberet Deus miraculosè conseruare quandiu duraret pro multiplicitate dictæ qualitatis multiplicando miracula: suadetur ex eo quia hæc qualitas exigeret conseruari in genere efficientis à substantia panis, & vini; ergo in Eucharistica deberet illã Deus miraculosè cõseruare toto tẽpore quo illã cõseruat cõtinuãdo miraculũ: huius antecedés probatur, quia illa qualitas, quæ ad positioné alicuius rei exiſtit, & ea durante conseruatur, ac demũ illa perente, vel discedente corrumpitur, certũ est aquod nos, quod pendeat in esse, & conseruari ab illa rẽ; ob nihil enim aliud nos dicimus lumen dependere in esse, & conseruari à Sole, nisi quia hæc omnia animaduertimus in eo per ordinem ad ipsum Solem: atqui hæc qualitas restauratiua accidentium panis ad positionem substantiæ panis existeret, & ea durante conseruaretur, ac demum ea corrupta deberet naturaliter corrumpi: siquidem supponitur esse physica illius proprietas in quarto modo; ergo ab illa efficienter penderet in esse, & conseruari; consequentia, vero quod scilicet deberet Deus huiusmodi qualitatem toto tempore miraculosè conseruare probatur, tum paritate quantitatis Eucharistiæ, quæ ob nihil aliud miraculosè continuo conseruatur, nisi quia exigit naturaliter pendere à materia, à qua tamen non pendet: tum etiam quia quandiu effectus existens actu non pendet à causa, à qua exigit naturaliter pendere, tandiu miraculosè existit inductione facta per omnes effectus naturales; atq; hæc pro 1. enthymemate.

Deinde quod si non daretur hæc virtus distincta tot vicibus deberet Deus miraculosè operari, quot quantitas Eucharistica ad pristinum statum suarum primarum qualitatum reducenda esset, est aduersariorum doctrina, & quidem verissima: minor vero illa subsumpta, cui tota ratio nostræ disparitatis innititur, quod nimirum cæteris paribus maius miraculum sit, & magis legibus naturæ repugnans vnum perpetuum miraculum continuare, quam modo vnum, modo aliud facere, suadetur quia in moralibus plus est abrogare legem, quam eam derogare, & hoc quia per abrogationem dirimitur in totum lex, atque rescinditur: per derogationem vero tantum ex parte restingitur, & aliquid de eius rigore minuitur; sed per continuatum miraculum abrogatur continuo legi naturæ in ordine ad illud subiectum, quandiu nimirum durat dictũ miraculum; at per plura interrupta solum derogatur ex parte dictæ legi; ergo maius miraculum est vnum perpetuo miraculum continuare cæteris paribus in vno subiecto, quam modo vnum modo aliud efficere in eodem subiecto. 79

Quod denique in casu nostro cætera sint paria suadetur ex eo quia, si qua disparitas intercedit facit pro me: nam virtualis illa qualitas, siue sit vna, siue multiplex miraculosè conseruata supponitur esse causa æquinoca primarum qualitatum, & per consequens illis nobilior: ergo ex hac parte maius miraculum in eius continuata conseruatione exerceretur, quam in productione interrupta, modo vnius, modo alterius primæ qualitatis. Linquo maioritatem miraculi non ex nobiliori termino, sed ex maiori oppositione ad leges naturæ sumendam esse; aliunde vero, tum conseruatio illius qualitatis, tum harum productio essent quo ad modum tantum supernaturales, & non quo ad substantiam; ergo, &c. Confirmatur principalis discursus, quia negabit nemo maius miraculum futurum fuisse si Deus illis creaturis, quibus aliquando miraculosè fuisset vsurus dedisset ab initio qualitatem aliquam supernaturalem, qua mediante quoties vellet connaturali modo ijs 80

vtere.

Digitized by Google

vteretur : quam vti illis miraculosè, quandocumque aliquod miraculum patrare disponeret; sed hoc non nisi quia conseruatio illius qualitatis esset perpetuum miraculum, illa verò miracula essent interrupta; ergo admissa in Eucharistia virtute illa accidentali non modo non minuuntur in ea miracula; sed magis augentur, quod erat probandum. idem principalis discursus magis declaratur: quia vel illa qualitas virtualis productiua accidentium panis in eucharistia conseruaretur à Deo connaturaliter, ex suppositione miraculi, quo quantitas sine subiecto ibi perdurat in esse; vel miraculosè: si secundum habeo intentum: primum dici non potest, nam si semel conceditur, quod dicta qualitas connaturaliter existit sinè substantia panis non potest assignari ratio cur ad aduentum nouæ substantiæ sub quantitatè illa perire debeat, siquidem ex vna parte dicta qualitas nõ haberet contrarium, nam prima contrarietas qualitatum est inter primas, vt omnes communiter cum Aristotile fatentur: ex alia verò non deesset illi causa conseruans, nam hæc esset prima.

81 Neque dicas, quod quemadmodum ad aduentum vnius formæ substantialis in materia corrũpitur altera: ita ad aduentum vnius qualitatis debitæ substantiæ, quæ succedit sub quantitate Eucharistiæ destruetur naturaliter illa, quæ erat debita substantiæ panis: contra enim est, nam in tantum forma substantialis antiqua ad aduentum nouæ desinit, inquantum non potest vna materia simul informari duplici forma substantiali totali: atqui posse pluribus qualitatibus simul subesse nulli dubium esse potest, quare nisi dictæ qualitates sint inter sè contrariæ, non est cur ad aduẽtum vnius corrumpi debeat altera: quod si aliundè necesse est vt corrumpatur, rectè deducitur huiusmodi qualitatem ab hoc ordine rerum excludendam esse, siquidem nobis non constat dari qualitatem, quæ non exerceat contrarietatem cum altera, & tamen ad eius productionem corrumpi debeat, quamuis à solo Deo connaturaliter pendeat.

82 Neque addas inter primas qualitates esse primam contrarietatem accidentium sensibilium, qualitates verò illas virtuales non esse sensibiles: cõtra enim etiam est quia per Aristotilem, & omnem bonam philosophiam vni vnum tantum est contrarium: at qui hoc non verificatur loquendo de huiusmodi qualitatibus virtualibus; ergo nequit sustineri, quod inter illas vera contrarietas intercedat. minor suadetur ex eo quia qualitas virtualis, quæ est propria substantiæ panis æque bene potest expelli à materia panis per qualitatẽ virtualem propriam elementi, vel mixti: quemadmodum æque benè potest ab eadem materia expelli forma substantialis panis; ergo qualitas virtualis debita formæ panis non habet determinatam qualitatem virtualem contrariam; ergo quando ad aduentum alterius discedit: hoc non prouenit ex contrarietate, quam habet ad illam, sed quia corrumpitur substantia, à qua in genere efficientis dependere debet ex suppositione, quod detur.

SECTIO OCTAVA.

In quanta nam intensione duæ primæ qualitates singulis conueniant elementis.

VNica Conclusio: vnicuique ex elementis vtraque prima qualitas præcedenti sectione assignata cõpetit in summo: est Galeni *pr. de elem. & pr. de nat. hum.* Achill. *3. de elem. dub.* 15. Auerr. *tertio de cælo cont.* 66. Philop. *2. de gener. tex.* 21. Arest. *hic quæst.* 51. & aliorũ cõtra Auicen. *lib.* 1. *de cælo c. vlt.* Zabar. *lib. 2. de qualit. elem. c.* 1. Zimatan in tab. verbo aer, Conimbricenses hic *c. 3. qu. 5. art. 4.* & alios, qui neque inter sè quantum admodum defendendi oppositam sententiam nostræ conclusioni conueniunt. communior eorum opinio censetur qui putant vnicuique ex elementis vnam tantummodo qualitatem in summo competere, & igni quidem calorem, aeri verò humiditatem, aquæ autem frigiditatem, terræ denique siccitatem: alteram verò qualitatẽ propè summũ, & cũ aliquali remissione V. G. vt septẽ intensã eisdẽ cõpetere. 83

Probatur autem nostra conclusio vnica ratione, quia si elementis vna qualitas esset in summo, alia vero propè summum V. G. vna vt octo, altera vt septem, vel hæc illis competeret cum admixtione contrariæ qualitatis, vel sinè admixtione: neutrum dici potest: ergo &c. maior patet: minor probatur quo ad primam partem, primo, quia Aristotiles duas tantum primas qualitates singulis elementis assignauit, quoties de illis mẽtionem fecit: secundo quia non darentur elementa disymbola: ignis enim sicuti conuenit cum aere in calore, & cum terra in siccitate, ita conueniret in humiditatè cum aqua; hoc autem est contra communem sensum volentium quædam ex elementis esse symbola, quædam verò disymbola. tertio quia si hoc esset, elementa non essent corpora simplicissima, constarent enim ex mixtione contrariorum primorum. quarto quia qualitates istæ remissæ contrariæ in singulis ad nihil inseruirent: quid enim aquæ vnus gradus caloris præstare posset, & quid igni vnus humiditatis; quia neque aqua calefacit, neque ignis humectat: essent igitur in primis corporibus dictæ qualitates omnino inutiles. 84

Quod vero neque possit dici, quod qualitas propè summum competat elementis sine contrariæ qualitatis admixtione, quæ erat secunda pars minoris: probatur etiam primo ex Aristotile qui quinto phys. tex. 19. docet magis, & minus qualitatis contrariæ ex alterius contrariæ maiori, vel minori admixtione prouenire. secũdo quia tota latitudo vt octo primarum qualitatũ esse debet expleta in omni subiecto corruptibili, & non in mixtis tantum; alioqui neque primæ qualitates haberent immediatam contrarietatem, neque omnia mixta deberent sic sè habere, vt nõ possit dari mixtum, quod quatuor gradus V. G. caloris, & siccitatis exigeret, & tres frigoris, & humiditatis. tertio quia sequeretur quod elemẽta reciperent in instanti gradus illos contrariæ qualitatis, quæ requiruntur ad summam intensionem ex vtroque contrario constantem: non haberent enim per quid retardarent actionem agẽ- 85

tis

Digitized by Google

tis contrarij; & sic alteratio quantum ad dictos gradus iam fieret in instanti quarto denique quia, quodlibet corpus habet à natura, vt, si actione contrarij à proprio, & naturali statu paululum dimoueatur, ab intrinseco ad pristinum statum possit restitui in integrum, vt patet in aqua, quæ calefacta iam, si ab igne remoueatur statim ad pristinam frigiditatem sè reuocat; hoc autem stante aduersariorum sententia primis corporibus elementaribus à natura denegatum esset; posito enim quod semel qualitatem contrariam acquisierunt, secundum illum gradum, ad quem eorum forma remissa non pertingit, nunquam possent illam à sè expellere per productionem qualitatis contrariæ; & sic semper extra naturalem statũ deberent persistere: V.G. posito quod terra quæ ab aduersarijs ponitur frigida vt septem acquirat primum gradum caloris nulla ratione dictũ gradũ à sè expellere posset; non enim ponitur ab aduersarijs habere vim producendi in sè octauum frigoris, qui illius primi caloris est tantummodo expulsiuus.

86 Obijcies tamen primò: Aristotiles hic tex. 23. singulis elementis proprias qualitates primas assignans, hæc habet: terra sicci magis, quam frigidi: aqua, frigidi magis, quam humidi: aer autẽ humidi magis, quam calidi: ignis autem calidi magis, quam sicci; ergo per Aristotilem binæ qualitates non competunt elementis in summo.

87 Respondeo philosophum dum *loc. cit.* ait elementa singula magis habere de vna qualitate quam de alia, velle solum in singulis assignabilem esse qnandam primam qualitatem vt magis actiuam, magisque sensibilem altera, ac maximè manifestam per suos effectus, præsertim secundarios, in quo sensu ignis dicitur magis calidus, quam siccus, quia ex vna parte eius siccitas cum in materia valdè rara reperiatur, non potest facile sentiri per suum secundarium effectum, qui consistit in eo, quod res per illam difficilè fit alieno termino terminabilis: ex alia vero parte eius calor cum sit siccitatè coniunctus, quæ qualitas vires caloris acuere ac corroborare solet, vnde caloris lima communiter appellatur: hinc fit vt vehementius agat, & plurimum sentiatur: aer verò putatur magis humidus, quam calidus, quia calor hebetatur humiditate, & sic parum actiuus redditur: at humidum calore dissoluitur, per quod effectus humoris in aere valdè nobis innotescit, qui consistit in eo, quod aer fiat alieno termino facile terminabilis; aqua autem magis frigida dicitur, quam humida, quia ex vna parte frigus constipat partes subiecti in quo est: ex alia verò eius virtus actiua acuitur ab humore non minus quam virtus caloris à siccitatè: ex eo autem quod eius partes constipentur, minus est alieno termino terminabilis, quam aer, & sic minus apparet humida; at tum ex partium constipatione, tum etiã ex humiditatis societatè sensibilior redditur eius frigiditas, quod denique siccitas terræ nobis magis innotescat, quam eius frigiditas patet ad sensum; & ratio est quia frigus siccitate habetatur at siccitas ad suum effectum præstandum adiuuatur à frigore, quo enim subiectum est densius, eo difficilius est alieno termino terminabile: adde quod actione solis semper terra tepiditatem aliquam in sè concipit.

Ex quibus omnibus patet Aristotilem non comparasse *loc. cit.* elementorum qualitates secundum maiorem, vel minorem intensionem: rectè enim vt constat ex ipsomet Philosopho *secundo de part. anim. cap.* 2. magis, & minus dici potest solum per ordinem ad effectum, & hinc etiam intelliges inquo sensu *quarto Meteo* Aristotiles dixit aquam esse magis frigidam, quam sit calidus aer, & cur aer cum sit æque humidus, ac aqua, facilius tamen alieno termino terminetur.

Obijcies secundò: si ambæ qualitates competerent elementis in summo, sequeretur, quod æqualem vim actiuam inter sè haberent; atque adeo non possent inuicem agere, & pati, consequens est absurdum; ergo &c. 88

Respondeo negando sequelam: ratio negationis est quia æqualitas, quo ad gradualem entitatem inter contraria stat cũ excessu virtutis actiuæ vnius supra virtutem resistitiuam alterius.

Obijcies tertio in vno quoque genere non debet dari nisi vnum summum, in quo tota perfectio illius generis reperiatur, vt in genere lucidorum datur vnus sol; ergo non debet dari nisi vnũ elementum summè calidum; & aliud summè frigidum, & sic de cæteris: non igitur singula duas habent qualitates in summo.

Respondeo distinguendo antecedens: in vno quoque genere non debet dari nisi vnum summum in quo tota perfectio illius generis reperiatur quantum ad solam intensionem pertinentem ad esse, nego: quantum ad omnia tum ad esse, tum etiam ad operari pertinentia, transeat antecedens; & distincto eodem modo priore consequente; nego vltimam consequentiam; dico autem, quod in genere calidorum datur vnum summum, quod est ignis, qui licèt non excedat aerem quantum ad gradualem intentionem caloris: excedit tamẽ illum, & cætera alia corpora quantum ad gradualem intentionem, ac actiuitatem in sensu cõposito accepta; & per hæc patet responsio ad fundamentum Mauri, qui ex eo quod qualitas in summo vnicam primam radicem habere debeat, alteram colligit in gradu remisso elementis competere. Inquo negari posse facile assumptum, ac dici satis esse si conflatum ex duplici prima non repugnante inter sè vnicam primam radicem sibi vendicet.

Obijcies quartò: terra est grauior aqua; ergo est illa frigidior: consequentia patet quia grauitas oritur ex frigiditatè, sicuti leuitas ex calore. 89

Respondeo concesso antecedente, negando cõsequentiam; ad cuius probationem dico grauitatem, & leuitatem non prouenire ex solo frigore, & calore, tamquam ex causis adæquatis, sed requirere præterea aliarum qualitatum consortiũ tum primarum, vt siccitatis, & humiditatis, tum secundatum, vt raritatis, & densitatis: terra igitur est grauior aqua non præcisè quia frigida est vt octo, verum quia summa eius frigiditas in materia densa, & valdè sicca reperitur.

Obijcies quinto: nos non experimur aerem calefacere alia corpora nisi ad præsentiam agentis calidi ipsum aerem per prius calefacientis, falsum igitur est aerem esse summè calidum. 90

Respondeo hoc argumento probari etiam posse ipsum aerem non solum non esse summè calidum

dum ; sed ne in gradu quidem extellenti ; contra, id quod maior pars aduersariorum defendit ; sed quidquid sit de hoc ; concesso ego antecedente nego consequentiam ; ratio negationis est quia aer huiusce infimæ regionis ab aqua, & terra valde infrigidatur, & frigidis exhalationibus atque vaporibus replerur; præterea vim reliqui caloris haberem reddit eius innata humiditas vt supra innuimus, vnde mirum non est, si nos calefaeere non valeat nisi prius ab agente extrinseco calefiat.

90 Obijcies sexto ex Ouiedo *controu. 8. pun. 6. num. 7*, aer non ita facile corrumpitur deficiente calore : quam deficiente humiditate ; ergo plus retinet humoris, quam caloris idem patet in terra, quæ multum caloris absque sui corruptione, & valde parum humiditatis admittit ; ergo maiorem siccitatem habet connexam, quam frigiditatẽ

Respondeo ex eo, quod videamus aerem facilius frigiditatem, quam siccitatem admittere, necnon etiam terram potius cum calore, quam cum humiditate componi ; patet concludi oppositum, videlicet aerem esse magis calidum, quam humidum, terram vero magis frigidam, quam siccam; nam quoties cæteris paribus vnum corpus magis patitur dispendium vnius qualitatis, quam alterius, si vtraque est illi connaturaliter debita, signũ est, quod plus habeat de vna illa cuius iacturam magis sustinet : minus vero de altera ; sed quid quid sit de hoc ; ad obiectionem directe, concesso vtroque antecedente nego duplicem consequentiam, & dico ex eo quod aer non ita facile corrumpatur per deperditionem caloris, sicuti per deperditionem humiditatis ; & terræ minus molesta sit iactura frigoris, quam siccitatis ; solum colligi vnumquodque ex elementis ex duplici qualitate, quam habet strictius exigere vnam quã alteram, & vnam veluti magis necessariam illi esse quam alteram ; nam etiam forma ignis non tã refugit humiditatem, quam frigus, & forma aquæ non tam calorem, quam siccitatem ; cum hoc tamen stat, quod vtramque sibi debitam in summo participent.

91 Obijcies septimo ex Arriaga *disput. 4. de gener. sect. 2. subsect. 4.* bifariam probante aquam non esse frigidam in summo, primo quia eo ipso, quod aqua habet summum frigus congelatur ; sed non est naturaliter congelacasergo secundo quia sic esset inepta piscibus necnon etiam irrigationi plãtarum, & ad animalium potum ; ad quæ omnia natura sua ordinatur.

Respondeo ad priorem difficultatem : nego aquam propter solam frigiditatem in summo congelascere ; nisi enim admistas habet terreas exhalationes, quæ quando aer rigescit eam ingrediũtur : minime gelaretur ; hanc solutionem auctor improbabilem censet, quia inquit glacies est lenior, quam aqua fluida, ideoque illi supernotat ; ergo est purior illa, & per consequens exhalationibus caret.

Sed contra quia aquam congelatam non debere necessario esse puriorem liquida constat ex eo, quia sæpe videmus aquam turbidam atque limosam congelascere, necnon etiam puræ liquidæ supernatare, & partes terras quibus referta est retinere super eam suspensas ; ratio igitur cur glacies supernatet fluidæ nõ est quia sit terreis exhalationibus minus permixta, quam fluida ; sed quia terræ exhalationes, quæ ad eam glaciandam concurrunt, sunt valde calidæ, & siccæ atque adeo leuissimæ, imitantes naturam ignis, & ob hoc eam supra fluida detinent ; posse autem ex terra multas exhalationes calidas extrahi supra vidimus ; eo quod terra est referta multis fossilibus natura calidissimis ; addi etiam potest ad componendam glaciem concurrere multas aeris particulas, quæ etiam petunt locum supra aquam cæterum ad glaciendam aquam conducere calidas exhalationes constat ex oleo & butiro, quæ cum calida sint facillime frigiditate concrescunt.

Ad posteriorem vero obiectionis partem dico 92
quod quemadmodum aqua, ex eo quod in sua naturali puritate relicta, fuisset inepta mundum hunc inferiorem componere : idcirco ab auctore naturæ exhalationibus acribus tanquam sale ne putresceret referta fuit ; & sic reddita apta ad componendum hunc orbem : ita & ad conseruãdos, & nutriendos in sè pisces ; ad irrigationem vero terræ & ad animalium potum, quia salsæ exhalationes in ea existentes noxiæ erant : idem auctor naturæ prouidit, vt eædem exhalationes in ea quidem remanerent : salsedinem tamen amitterent ; vt sic addictos effectus ad quos erat ordinata inseruire posset sicuti defacto insernit.

Obijcies octauo ex Auersa *tom. 2. qu. 1. sect. 8.* 93
Aristotiles *2. de generat. text. 22* hæc habet : extrema quidem, & syncera ignis, & terra ; media autem & mixta magis, aqua, & aer ; ergo ex mente Philosophi dicendum videtur in duobus quidem elementis extremis terra, & igne ambas qualitates naturaliter loquendo esse in summo ; in duobus autem medijs, aqua, & aere, vnam qualitatem in summo, & alteram in gradu excellenti ; consequentia probatur quia hæc sinceritas extremorum nõ videtur posset refundi nisi in qualitates in summo ; & minor syncritas mediorum non nisi inqualitatem prope summum ratione cuius sunt magis obnoxia mistioni.

Respondeo concesso antecedens negando con- 94
sequentiam ; ad cuius probationem nego assumptum, & dico D. T. *sect. 3.* explicare hunc locum in ordine ad virtutes motiuas, de quibus philosophus immediatè antea loquebatur ; vnde ait quod in tantum extrema elementa sunt sincera, quia vnum, nimirum, ignis est simpliciter leue, ideoq; simpliciter fertur sursum : alterum vero, terra, simpliciter tendit deorsum, at vero media vtroque participant ; aqua enim leuis est in terra, & grauis in aere, & in igne, & sic plus habet de grauitate. contra vero aer est grauis in igne, sed leuis in terra, & aqua ; & sic habet de leuitate. vnde est, quod recte dicantur media esse magis mixta, & minus sincera. Quod si velimus textum Aristotelis intelligere de syncritate, & mixtione primarum qualitatum : dicendum extrema elementa ab eo dici syncera, quia cum vnum tantum elementum habeant sibi vicinum minus leduntur in suis qualitatibus, & sic parum habent de qualitatibus contrarijs : contra vero duo media sunt in medio duorum cõtrariorum vnde magis leduntur in qualitatibus suis, & sic habent plus de qualitatibus contrarijs ; Conimbricenses non vertunt ignis, & terra syncera, sed syncriora, vt notetur, quod expugna cũ vicino elemẽto habent quidem aliquid de qualitatibus contrarijs ; sed minus, quam media.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXAGESIMA SEPTIMA

DE MVTVA ELEMENTORVM SVBstantiali Transmutatione.

ELementa mediis suis primis qualitatibus actiuis substantialiter transmutari certum est; quoniã vero de duplici eorum transmutatione hoc loco philosophi instituunt quæstionem: de ea videlicet, per quam vnum conuertitur in aliud, & de illa, per quam simul sè miscendo conuertuntur in mistum: ideo in præsenti disputatione agimus de priori; acturi de posteriori in consequenti.

SECTIO PRIMA.

An quodlibet elementum possit immediate transmutare in sè aliud.

1 CONclusio est affirmatiua, & traditur ab Aristotile 2 *de generat. tex.* 24. vbi agens de elementis hæc habet: Quod igitur omnia nata sint ad inuicem transmutari manifestum est; eum sequuntur Peripatetici communiter. contrarium tamen docet Aresius 2. *de gener. qu.* 15. dicens nullum elementum posse conuerti in aliud, præter aerem, & aquam: subdit tamen hanc quoque mutuam, conuersionem non tam fieri virtute propria vnius cõuertentis in sè alterum, quam virtute alterius agentis extrinseci; se enim inuicem per sè ipsa cõuertere nequeunt; sed in alijs est virtus conuersiua vnius in alterum; aquæ videlicet in aerem, vel aeris in aquam.

Contrarium etiam tenet Ruuius hic *ca.* 6. *tract. de gener. elem. qu.* 1. & alij, quos ipse mer citat, & sequitur Comptonus *disp.* 12. *de gener. sect.* 4. hi volunt posse quidem vnum elementum symbolũ immediate in aliud symbolum transmutari; at dyssymbolum debere prius, vel in sibi symbolum, vel in aliquod mistum immediate conuerti, vt possit postea in suum dyssimbolum transire; vbi nota elementa symbola dici ea, quæ in vna prima qualitate conueniunt: dyssimbola vero quæ in neutra.

2 Conclusio vero nostra probatur quia quodlibet elementum est, vel in altera tantum, vel in vtraque qualitate prima cuilibet elemento contrariũ, ea contrarietate, quæ ad hoc vt inuicem agent, & patiantur necessaria est; potest igitur vnum quodque ita in aliud agere; vt suas dispositiones in illud introducat; & sic illud in sè immediate conuertat: antecedens patet; probatur consequentia, & quidem loquendo de symbolis res experientia constat: videmus enim exhalationes terræ, quæ substantialiter sunt terra; si solis vi ad mediam aeris regionem extollantur, in ignem accendi, atque inflammari: aquam præterea caloris vi attenuatam in aerem repente conuerti; quod autem vnum dyssimbolum possit ita in aliud dyssimbolum agere, vt suas in illud dispositiones introducat, probatur; quia potest vnum in vi actiua secundum vtramque qualitatem superare alterum, ita vt sit illi debite applicatum; cum igitur materia alterius possit simul secundum veramque qualitatem à validiore agente pati, poterit consequenter elementum, quod agit, eodem tempore proprias dispositiones in illud introducere, illudque in sè immediate conuertere.

Atque hæc est ratio qua Philosophus eandem 3
sententiam comprobauit *tex.* 24. *cit.* subdens: generatio enim in contraria, & ex contrarijs; elementa autem omnia habent contrarietatem ad inuicem, quia differentiæ sunt contrariæ, his enim ambæ contrariæ, vt igni, & aquæ: illis autem altera solum. vt aeri, & aquæ; qua propter vniuersaliter quidem manifestum est, quod omne ex omni generari natum est; ita Philosophus.

Obijcies tamen primo ex Aristotile 1. *phys. tex.* 4
22. habemus non posse fieri transitum ab extremo ad extremum sine medio; cum igitur elementa dyssimbola extrema sint: non poterunt immediate inuicem transmutari; sed prius in symbolum, quod sè habet vt medium conuertantur necesse est.

Respondeo antecedens verum esse in eo casu, in quo subiectum, quod est sub vno extremo, non est in potentia ad hoc vt primo, & immediate transeat in aliud extremum; sed solum, ad hoc vt mediate, & cum aliqua subordinatione: sicuti lapis decidens è cælo, non potest immediate terram attingere, sed oportet vt prius aerem pertranseat; & materia seminis non potest informari anima rationali, nisi prius informetur forma embrionis, at in casu nostro materia vnius elemẽti dyssimboli potest immediate transire ad alterius dyssimboli dispositiones. Porro elementa licet habeant inter sè ordinem medij, & extremi, quo ad situm; non vero quo ad generationem: eo quod vnius forma non sè habet vt medium respiciens formam alterius tanquam finem; addo, quod quido aqua V. G. transmutatur in ignem, prius recipit in sè dispositiones ignis, quam ignis formam acquirat: atque hæ quidem dispositiones vere sè habent vt medium, quod intercedit inter duo illa extrema, scilicet inter ignem, & aquam.

Instabis materia aquæ cum sit valde grauis non 5
potest peruenire ad summam ignis leuitatem, nisi prius pertingat raritatem mediam, quæ debetur formæ aeris: ergo prius aqua conuertetur in aerem, quam in ignem.

Re-

Digitized by Google

Respondeo concesso antecedente; negando cõsequentiam; potest enim contingere casus, in quo aqua licet habeat raritatem aeris: tamen non habeat dispositiones debitas formæ ipsius aeris; & tunc quidem non conuerteretur in aerem; rectè enim Toletus hic *quæst. 8.* ait: aquam in via corruptionis habere posse maiorem raritatem ea, quam in suo naturali statu requirit.

6 Obijcies secundò aqua dum patitur ab igne prius calefit, quam exsiccetur; at sic in fine calefactionis, adhuc humida perstitit; prius igitur ab igne in aerem, quã in ignem transmutabitur: consequentia est bona, quia calor, & humiditas disponunt ad aerem: antecedens verò probatur, quia qualitates actiuæ, cuiusmodi est calor citius, & facilius introducuntur, quam passiuæ: cuius generis censetur esse siccitas. aliunde vero cum minore calore stat forma aeris, & non forma ignis; ita ferè Comptonus *loc. cit.*

Respondeo nos non negare, sæpe aquam actione ignis in aerem trasmutari: hoc enim esset expresè contra Arist. hic tex. 29, docentem elementum dyssimbolum sæpe insymbolũ à suo dissymbolo immediatè conuerti; cuius rei ratio rectè tangitur, & notatur in hoc argumento: quod igitur negamus est, quod hoc ita semper, & necessario fieri oporteat: volumus enim dari posse casum, in quo aqua transeat immediatè in ignem. ad argumentum autem in forma distinguo antecedens; si cætera sint paria, concedo, quod scilicèt dum aqua ab igne patitur, prius calefiat, quã exiccetur: si non sunt cetera paria; nego antecedens, & consequentiam. ad probationem autem antecedentis dico quod, licet quando sunt cætera paria, cũ scilicèt, in eadẽ intensione actiua, & passiua qualitas in materiam elementi introducitur; citius actiua, quam passiua introducatur: possunt tamen aliquando non esse cætera paria; vt si supponamus guttam aquæ frigidam vt octo, & siccã, vt quatuor proijci in fornacem; tunc profecto qualitas actiua, & passiua eodem tempore introduci poterunt, & sic calor vt octo, vel vt septem qui est de genere qualitatis actiuæ in materiam aquæ introducetur simul cum siccitate requisita ad formam ignis; vnde materia aquæ simul habebit intensionem vtriusque ad dictam formam necessariam, & sic in ignem immediatè transibit; quamuis ergo vt idem Comptonus ait in fine num. 3. paruam aquæ guttam in ignem iniectam videamus aliquando prius conuerti in vaporem, quam in ignem; non inde sequitur, quod etiam quando ignis multus est, aliquis hunc transitum testari possit.

7 Obijcies tertiò ex Aresio: aer non potest conuerti in ignem; alioqui totus aer debebit ignescere, neque terra; siquidem hæc iniecta in ignem non inflammatur, neque consumitur; neque denique in ignem immediatè conuerti potest aqua, lampadis enim flamma oleo deficiente, licet aqua remaneat, statim extinguitur: falsum igitur est, quodlibet elementum posse inquodlibet immediatè conuerti.

Respondeo ad singula, & ad primum quidem dico: elementa secundum esse tota esse incorruptibilia, sic enim sumpta sunt partes integrantes vniuersi, parem inter sè proportionem habentes secundùm proprias virtutes totales; ita vt vnum nequeat alterum in sè totaliter conuertere, & hinc fit vt licet pars aeris possit in ignem transmutari, nunquam tamen possit totum corpus aereum. ad secundum verò aio quod terra in ignem proiecta saltem secundum quasdam sui partes tenuiores in ignem resoluitur, vt patet ex lapidibus calcis in fornacem iniectis, quamuis non possit secundum omnes, eo quod secundum aliquas ignis superet actiuitatem. ad tertium denique dico quod ideo flamma lampadis non potest aqua nutriri, quia magna ignis copia necessaria est ad conuertendam aquam in ignem: virtus vero actiua flammæ lampadis valdè debilis est, eo quod multùm habet humiditatis: vnde non potest aquæ resistentiam superare, atque adeo illa nutriri; nego igitur consequentiam; atque hæc est ratio cur etiam si omnia elemẽta possint in ignem conuerti, ignis tamen non perpetuo durat accensus, sed identidem extinguitur, quia nimirum licet quantum est de sè posset aerem in sè conuertendo, ex eo ali, & sic conseruari: quia tamen maior est aeris resistentia, quam eius actiuitas, hinc fit vt potius aer illum in sè conuertat, quam conuertatur in ipsum.

Obijcies quartò ex eodem Aresio: aer non potest rarefacere aquam: nec aqua condensare aerẽ: ergo quando inuicem transmutantur, non propria virtute; sed virtute alicuius agentis extrinseci, id contingit. 8

Respondeo negando antecedens, quemadmodũ enim potest aer calefacere aquam, ita illam rarefacere; & sicuti potest aqua illum frigefacere ita & addensare: non negauerim tamen in eorum certaminibus posse agentia extrinseca intercedere, & sua actione, modo vnum modo alterum adiuare.

SECTIO SECVNDA

An elementa symbola facilius, & citius inuicem transmutentur; quam dissymbola.

Conclusio est affirmatiua, & Aristotelis hic *tex.* 25. quem omnes ferè Peripatetici sequuntur. 9

Probatur autem ratione ab eodem philosopho adducta: quia facilius, ac citius transmutatur vnã quam multa; sed in elementi symboli transmutatione vnum tantum modo transmutandum est: in transmutatione vero dissymboli duo; ergo facilius, & citius transmutantur symbola, in symbola, quam dissymbola, in dissymbola; minor sic euidenter probatur: elementa symbola illa sunt vti supra diximus, quæ in vna quidem prima qualitate conueniunt, & secundum alteram tantum sunt inter sè contraria: dissymbola verò ea, quæ secundum vtramque qualitatem contrarietatem exercent: ponamus ergo aerem esse transmutandum in elementum ignis, quod est sibi symbolum; ignis agens vnam tantum qualitatem, humiditatem scilicèt debebit ab eo per siccitatis introductionem expellere; altera enim nempè calor est sibi proportionata dispositio: at si ponamus aquã transmutandam esse in ignem, cum sit natura frigida, & humida debebit vtique ignis vtramque qua-

Digitized by Google

qualitatem per introductionem caloris, & siccitatis ab ea expellere; igitur in elementi symboli transmutatione: vnum tantummodo transmutandum est in dissymboli vero duò: maiorem autem propositionem argumenti principalis Aristoteles tanquam certam sine probatione relinquit: verum illa sic facile distingui posse videtur, & totum argumentum infirmum ac nullius roboris prima facie reddi: facilius, ac citius transmutatur vnum ab vno, quam multa ab vno, concedo: facilius ac citius transmutatur vnum ab vno quam multa à multis, nego maiorem; & ratio esse potest, quia sicuti sè habet vnum ad vnum, ita duo ad duo. ad minorem autem dici, quod in elementi symboli transmutatione, quando vnum tantummodo contrarium trãsmutandum est, transmutans per vnam tantum qualitatem operatur: at vero in transmutatione dissymboli, in qua duo contraria transmutanda sunt per duplicem; vnde est quod eadem facilitate, ac velocitate symbolum, & dissymbolum transmutari debeant.

10 Ad hanc difficultatem respondet primo Marsilius: philosophum nihil aliud velle suo argumẽto probare, quam quod cum minori mutatione symbolum, quam dissymbolum conuertatur, particulam enim facilius, ita accipiendam, & interpretandam esse existimat.

Contra tamen est: quia Aristotiles non solum facilius; sed etiam breuiori tempore conuerti symbolum, quam dissymbolum asserit; sic enim ait tex. 14. Habentia quidem cognationem citius generantur ex sè inuicem; non habentia autem tardius; ea autem, quæ cognationem inuicem habere dicuntur, sunt symbola: quæ verò non habere, dissymbola. nulla igitur est Marsilij interpretatio.

11 Alij secundò Respondent in elementis dissymbolis semper esse vincendam qualitatem aliquam passiuam, humiditatem, videlicèt, vel siccitatem: constat autẽ tardiorẽ esse conuersionem qualitatis passiuæ in passiuam, quam actiuæ in actiuam.

Verum hæc responsio videtur manifestè deficiens; non solum quia non est ad mentem philosophi, aliam penitus diuersitatis rationem assignantis; sed etiam quia elementa symbola possunt in solis passiuis qualitatibus contrarietatem suam exercere, sicuti defacto exercent aer, & ignis.

12 Respondent alij tertiò distinguendo: & si quidem agatur de actione, qua elementa inuicem agunt, & patiuntur dicunt, verè eadem facilitate elementa symbola conuerti in symbola, ac dissymbola indissybola, atque adeo argumentum Aristotelis quantum ad hoc non habere vim: habere tamen si agatur de actione causæ extrinsecæ transmutantis vnum elementum in aliud.

Verum hi auctores præter quam, quod eant cõtra mentem Aristotelis loquentis de actione, per quam vnum elementum in sè transmutat aliud; eadem difficultate, quam fugiunt in elementis agentibus premuntur in mixtis; siquidem mixtum si debet superare duas qualitates vnius elementi transmutandi sè habet vt elementum dissymbolũ quantum ad hoc, & aget per duplicem qualitatẽ contra illud; si vero vnam vt symbolum, & aget per vnicam; cur ergo difficilius conuertet elemẽtum in vna qualitate vincendum, quam vincendum in duplici?

Respondent alij quartò ambas qualitates in e- 13
lemento dissymbolo sè mutuo adiuuare in resistẽdo; quia ambæ corrumpendæ sunt; vnde est, quod plus quælibet earum pro vt alteri associata est, resistat actioni contrarij; quam sè sola. at verò in symbolo qualitatem corrumpendam ab ea, quæ remanere debet nulla ratione adiuuari; huius rei rationem ex vna parte petendam esse dicunt, ex quadam, veluti antipathia quæ inter elementa dissymbola reperitur, quæ est in causa vt ambæ qualitates dissymboli magis contra cõmune agens ad inuicem se corroborent, & altera præsente, altera difficilius expellatur: ex alia verò parte ex quadam veluti sympathia, quæ est inter elementa symbola orta ex qualitate, in qua conueniunt: quæ quidem qualitas, quia cognationem habet cũ forma elementi transmutantis, ideo in symbolo qualitatem corrumpendam non adiuuat, neque eius resistentiam formalem sua præsentia reddit maiorem; inseruit enim tanquam dispositio necessaria ad formam geniti, quæ est eiusdem speciei cum generantis; quoniam verò vbi maior est resistentia, ibi difficillior, & tardior est actio, id circo concludunt hi, faciljus, ac citius symbolum, quam dyssimbolum transmutari.

Contra tamen est: quia sicuti per aduersarios 14
ambæ qualitates elementi dissymboli transmutabilis sè inuicem ad resistendum corroborant propter antipathiam, quam cum transmutatiuo agente dissymbolo habent: ita propter eandem rationem ambæ qualitates ipsius dissymboli agentis sè inuicem etiam corroborare debent ad agendum contra dissymbolum: præterea sicuti qualitates symboli transmutabilis propter sympathiam sè inuicem non corroborant ad resistendum, sic propter eandem sympathiam neque sè inuicem corroborare debent qualitates symboli transmutatiui ad agendum in symbolum; ac proinde sicuti tarditas, quæ ex maiori resistentia formali dissymboli trãsmutabilis oritur, compensatur per velocitatem, quæ oritur ex maiori actiuitate dissymboli transmutatiui; sic etiam velocitas, quæ prouenit ex minori resistentia formali symboli transmutabilis pari ratione compensabitur per tarditatem, quæ oritur ex minori actiuitate symboli transmutatiui; eadem igitur facilitate atque velocitate symbola, & dissymbola transmutabuntur.

Negant communiter aduersarij paritatem huius 15
argumenti; & disparitatẽ assignant ex eo quia resistentia formalis ordinatur ad conseruandam proprium esse; virtus autem actiua ad sibi simile producendum; porrò magis res propendent ad sui conseruationem; quam ad alterius productionẽ; vnde fit vt qualitates dissymboli transmutabilis benè sè corroborent ad resistendum, non autẽ sè ad agendum adiuuent qualitates dissymboli transmutantis.

Verum hæc responsio displicet, quia falsum est res magis propendere ad conseruationem sui, quam ad alterius sibi similis productionem: primo quia bonum vniuersale corpora naturalia particulari bono proponunt, magisque ad illud, quam

ad

ad hoc inclinant, vt patet ex ipſorum motu, quo ad impediendum vacuum contra particularem inclinationem mouentur, atqui productio ſibi ſimilium, quæ pertinent ad propagandam ſpeciem, eſt bonum vniuerſale ipſius ſpeciei: conſeruatio verò proprij eſse ad bonum peculiare pertinet, magis igitur corpora naturalia ad alterius ſibi ſimilis productionem propendent; quam ad ſui cõſeruationem. ſecundo quia principium illud ſi verum eſſet: ſequeretur, quod res maiorem ſemper reſiſtentiam formalem haberent, quam vim effectiuam; quia formalis reſiſtentia ad propriam conſeruationem; vis autem effectiua ad alterius productionem ordinatur: atqui multa corpora naturalia vt V. G. ignea maiorem habent vim actiuam, quam reſiſtitiuam; ergo &c. tertio quia in reactione experientia cõſtat agens, nihil curãdo de detrimento, quod ex reactione paſſi in ſuas qualitates recipit, incipere, & continuare actionẽ ſuam in paſſum ipſum, vt reddat illud ſimile ſibi: vnde conſtat magis inclinare agens ad productionem ſimilis ſibi quam ad ſuimet conſeruationem.

16 Diſplicet præterea eadem reſponſio: quia dato, quod principium illud huc vſque impugnatum eſſet verum; non rectè tamen ex eo deducitur, quod qualitates diſſymboli tranſmutabilis sè adiuuare quidem debeant ad reſiſtendum propter antipathiam, non autem sè debeant adiuuare propter eandem ad agendum qualitates diſſymboli tranſmutantis; antipathia enim ſicuti auget per aduerſarios vires reſiſtitiuas, ita debet augere actiuas: ſiquidem experientia conſtat, quod inter quos antipathia intercedit ſicuti inter sè validius reſiſtunt, ita, & validius inuicem agunt vt sè interimant.

17 Reſpondent alij quinto idcirco facilius tranſmutari ſymbolum, quam diſſymbolum, quia ſufficit ad introductionem formæ elementi cuiuſcumque vna qualitas in gradu excellenti, & altera in gradu remiſſo, cum igitur in ſymbolo reperiatur qualitas requiſita ad formam alterius ſymboli in excellenti gradu: ſufficit ſi producatur ab agẽte ſymbolo alia in remiſſo gradu; at verò indiſſymbolo ambæ qualitates ſunt expellendæ, & per conſequens altera ſaltem in excellenti gradu introducenda eſt, quoniam vero facilius & citius vna qualitas in gradu remiſſo, quam intenſo cæteris paribus producitur; hinc fit vt facilius, & citius tranſmutentur ſymbola; quam diſſymbola.

18 Contra tamen eſt: quia licèt hæc reſponſio ſecũdum rei veritatem poſſit, quo quomodo ſuſtineri, non eſt tamen iuxta mentem Ariſtotelis, qui tex. 25. cit. rationem facilioris, & velocioris tranſmutationis ſymboli non deſumit ex eo quod in illo vna tantum qualitas in gradu remiſſo producenda ſit, ſed quia vnum tantum in illo tranſmutandum eſt, cum duo ſint in diſſymbolo corrũpenda; dicens: Quæcumque habent cognationem ad inuicem, velox horum tranſmutatio eſt, quæcumque autem non habent, tarda, quia facilius eſt vnum quam multa tranſmutare: quæ quidem ratio adhuc valeret in ſuo robore etiam ſi ponerẽmus elementa ſymbola vna tantum qualitate prædita eſſe, V. G. ignem ſiccitate, aerem vero humiditate, nec tamen in calore conuenirent: diſſymbola vero duabus, & quidem inter sè contrarijs ſed in dicto caſu, aduerſariorum ratio nullo modo conſiſteret; & optimo quidem vire; nam Ariſtoteles ex numero qualitatum tranſmutandarum; aduerſarij vero ex maiore, vel minore intenſione producendarum qualitatum colligunt facilius, ac citius ſymbola, quam diſſymbola tranſmutanda eſſe, quod ſi noluiſſet philoſophus reddere rationem, qua vtitur hæc reſponſio, non vtique dixiſſet quia facilius eſt vnum, quam multa tranſmutare, ſed potius: quia facilius eſt qualitatẽ in gradu remiſſo, quam in excellenti producere.

Pro reſponſione noſtra: Notandum primo, quod quando philoſophus dixit facilius eſſe vnum, quã multa tranſmutare non eſt loquutus de quacumque tranſmutatione in gradu remiſſo; ſed de ea quæ ad introductionem formæ elementaris inſeruit, quæ debet eſſe in excellenti gradu.

Notandum ſecundo, quod cum inter elementa 19
detur reactio, non poteſt elementum agens per sè loquendo qualitatem aliquam in excellenti gradu in paſſo producere, quia prius detrimentum, quod per reactionem illius in ſua qualitate repaſſum eſt, reſarciat; ſecus ſimile in gradu ageret in ſibi ſimile: ſtatim hac igitur elemẽtum agens vires actiuas paſſi penitus debilitauit, ac fregit incipit in sè producere gradus illos, quos repatriẽdo deperdidit, per quos poſtea ſymbolam qualitatem in paſſo ad gradum, vel ſummum, vel quaſi ſummum producit: vnde fit, vt quando elemẽtum ſymbolum tranſmutatur, agens ſymbolum, vnam tantummodo qualitatem prius in sè per ſuã formam ſubſtantialem reſarcire debeat, quia in vna tantum paſſum eſt detrimentum; at vero quãdo diſſymbolum tranſmutari debet, cum agens repaſſum ſit in duabus, prius quam illud in sè trãſmutet, debet vtramque per formã ſubſtantialem reparare.

Notandum tertio formam ſubſtantialem elementi citius, ac facilius in se vnam qualitatem, quam duas ſecundum gradum intenſum producere, ac reparare; & ratio huius rei ſumitur ex eo quia omnis finita virtus cæteris paribus facilius ac citius ſuperat vnum contrarium, quã duo, etiã ſi nihil ab ipſis contrarijs repati debeat; ad poſitionem enim duorum contrariorum reſiſtentia formalis creſcit, at virtus actiua formæ invariata remanet: adde quod ex eo, quod eadem virtus ad plura agenda applicatur minus fortiter ad ſingula attendere poteſt, vnde ortum habuit dictum illud: Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus his autem prenotatis.

Reſpondeo ad rationem dubitandi, quod licet 20
verum ſit, quod eadem facilitate vnum tranſmutetur ab vno, quam multa à multis: difficilius tamen multa ab vno, quam vnum ab vno tranſmutetur neceſſe eſt. cum igitur ad tranſmutationem ſymboli forma ſubſtantialis tranſmutantis elemẽti, vnam tantummodo qualitatem prius in sè debeat reſarcire; ad tranſmutationem vero diſſymboli duas; hinc fit vt facilius ac citius ſymbola, quam diſſymbola tranſmutentur; Et quidem dicta reſponſio ſatisfacit etiam ſi ponamus virtutes productiuas primarum qualitatum in elementis realiter à formis ſubſtantialibus illorum eſſe diſtinctas dummodo teneamus per vnam eandemque numero virtutem, ac qualitatem elementa vtramque

quã-

Digitized by Google

qualitatem in sè producere.

21 Obijcies tamen primo contra nostram responsionem; forma elementi est veluti duplex principium virtuale respectu suarum primarum qualitatum; ergo ex eo quod elementum dissymbolum ambas simul in sè producat, eius vires non remittuntur; neque ex eo quod ab alterius productione necesset symbolum: virtus illius robustior euadit.

Respondeo primo negando antecedens cum enim principium proprietatis vt sic sit omnino vnum, sequitur, quod ambæ qualitates primæ elementorum ab vno eodemque principio indiuisibiliter accepto prouenient.

Respondeo secundo dato antecedente, negando consequentiam: ratio negationis est, quia cum duplex illa ratio principij virtualis identificetur cũ entitate, ac realitate formæ, & ab ea vires suas omnes producendi desumat: sequitur quod entitas hæc formæ quippe finita maiorem possit adhibere conatum agendo contra vnũ, quam contra plura.

22 Obijcies secundò: elementum agens aliquando nullum patitur à passo detrimentum, vt quando fornax agit in alam muscæ; vel si quid patitur est in minima intensione, quæ ad introducendam formam non est necessaria; vt eueniret quando palmus aeris V. G. esset exsiccatus vt quinque ab vno igne; si enim ab alio igne sextum, & septimum siccitatis gradum acquireret, reagens in illum dimidiam partem octaui in eo corrumperet, ponamus modo quod ad formam ignis introducendam sufficiat siccitas vt septem, quod est valde probabile: tunc profecto id, in quo secundus ignis detrimentum pateretur, cum non sit ad introducendam formam ignis in aerem necessarium, non erit necesse vt prius resarciatur; quod si necessarium esse supponamus, resarciri posset à parte eiusdem ignis non repassa, quæ cum ageret in sui partem repassam per proprias qualitates, eadem facilitate, qua vnam, posset vtramque qualitatem resarcire; ergo solutio à nobis tradita sufficiens non est; quin imo falsa videtur.

23 Respondeo philosophum in tradita doctrina de elementorum transmutatione considerare ea, quæ per sè fiunt; per accidens autem est, quod id quod transmutatur sit aliquando tam debile, vt nihil omnino resistat: vt accidit in casu de alã muscæ; sicuti per accidens etiam est, quod aliquando facilius transmutetur dissymbolum, quam symbolum, quando scilicet illud est in minima quantitate; hoc autem in maxima: siquidem omnia in transmutabilibus elementis debẽt poni paria, & tantum differentiam habere per hoc, quod duo in vno, in altero vero vnum sit transmutandũ: præterea transmutabilia elemẽta debent cum vno, eodemque transmutatiuo comparari; in secundo autem casu in obiectione posito de aere exsiccato duo ignes ponuntur transmutatiui; si enim totam aeris reactionem vnum agens repateretur, deberet proculdubio prius damnum sibi illatum resarcire, quam vltimam in aere dispositionem ad formam ignis necessariam introducere; id denique quod additur de parte non repossa non est ad rem tum quia habere huiusmodi partem competit per accidens transmutatiuo elemento: tum etiam quia quando pars non repassa restituit partem repassã ad suum prissinum statum, hoc non facit sine concursu in genere causæ efficientis ipsius partis repassæ: & hoc verificatur siue transmutatiuum sit symbolum, siue dissymbolum; atque adeo redit ab exordio difficultas.

Obiicies tertio: eadem facilitate ac velocitate 24
lumen solis producit calorem, raritatem, & siccitatem superando resistentiam contrariorum, ac producet solum calorem; falsum igitur est, quod forma elementi transmutatiui difficilius duas qualitates, quam vnam in sè resarciat.

Respondeo dubium esse antecedens; sed si verum est, nego consequentiam: ratio negationis est quia raritas, & siccitas in casu posito habent rationem effectus secundarij calori, ac lumini subordinati: siquidem ab illis indiuisibiliter acceptis subordinatione quadam putanda sunt procedere, vt sicuti calor à solo lumine, ita à calore simul, & lumine siccitas, & raritas oriantur; at primæ qualitates elementorum inuicem subordinatæ nõ sunt, sed vtraque debet æque primo à suo principio, nempe à forma substantiali elementi procedere.

DISPVTATIO
SEXAGESIMA OCTAVA
DE MISTIONE

HAEC est altera substantialis Elementorum transmutatio, cuius beneficio corpora mista generantur, non quod non possint alia via; constat enim non omne mistum ex Elementorum coadunatione resultare; sed multa dari mista, quæ ex alijs mistis generantur; vt pullus ex ouo, equus, leo, & similia ex semine maris, & fœminæ, &c. quæ nihilominus inter mista computantur, eo quod in eis, vel formaliter, vel virtualiter elementa continentur, in quæ resolui possunt; De mistione agit Aristotiles *primo de Gener. a tex.* 82. *& 2, item de gener. a tex,* 46. nos vero hac disputatione quæ de ea controuerti solent, concludemus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Quid sit Mistio.

2 MIstionis nomine vniuersaliter acceptò intelligimus actionem quandam, per quam plura minuta corpora specie differentia confusè quodam modo inter sè coniunguntur: porrò hæc actio coniunctiua triplex esse potest: prima, qua plura illa corpora secundum localem approximationé tantum confusa ratione miscentur, siue demum separari inuicem possint, vt triticum, & hordeum, siue non, vt atomi, quæ per solis radios discurrendo inuicem cõfundantur, secũda est, qua dicta corpora in eodem loco adunata, nõ autem inter sè penetrata inuicem agendo, & patiendo, proprias qualitates ita refrangant, vt tandem ad æquale temperamentũ perducantur, sic aqua, & vinum censentur inter se miscerì, retinẽdo proprias formas substantiales; nec aliam acquirendo de nouo. tertia denique, qua eadẽ ipsa corpora posita in eodem loco, & adæquale tẽperamentum per mutuam actionem, & passionẽ perducta substantialiter cõiunguntur, quæ quidem coniunctio in eo posita est, vt ex illa qualitatum attẽperatione communi aliquod ens substantiale diuersæ speciei à singulis corpusculis miscibilibus resultet, quod omnia illa corpora miscibilia vel formaliter, vel virtualiter in sè contineat, & ex eisdẽ tãquam ex materia productum sit: atque in hac tertia acceptione mistionem sumimus in præsentia, & eã dari, & ex quatuor vulgatis elementis fieri præsupponimus, eo quod videamus multa mixta ex eorum congressu generari, calices V.G. & ranas ex actione mutua aeris, pluuiæ, & pulueris atque exhalationum æstiuo tempore, resultare, quæ quidem mixta perfecta esse, ac prædita substantialibus formis specie diuersis ab elementaribus ex eo constat, quia vnum quodque eorum est vnum ens per sè propria definitione definibile: vt autem probe noscamus in quo nam dictæ mistionis in tertia acceptione sumptæ consistat essentia, sit.

Vnica conclusio: recte mistio rigorosè sumpta definitur ab Aristotile hic tex. 90. cum dicitur esse miscibilium alteratorum vnio.

3 Dicitur primo vnio, quæ non est accipienda formaliter sed causaliter in actione vnitiuè consistens; iam verò in elemẽtorũ mistione triplex intercedit actio vnitiua: prima est eadẽ cũ motu locali, per quẽ ipsa elementa astrorum, ac solis vi in eodem loco congregantur: secunda est illa per quam inuicem agunt, & patiuntur, secundum contrarias qualitates quas sibi mutuo propter hanc actionem, & passionẽ refrangunt: tertia est illa per quam producitur forma substantialis mixti in materia ipsorum elementorum, cuius beneficio substantialiter elementa ipsa inter sè sub tali forma censentur vniri, quatenus vnã materiã mixti componunt. duæ priores actiones vnitiuæ, mistiones causales appellantur: sola tertia dicitur formalis mistio; cui tãtùmodo traditam definitionem competere probari potest ex eo, quia mistio hic definita præsupponere debet elementa iam alterata, siquidem dicitur miscibilium alteratorum vnio: porrò motus localis elementorum earum alterationem antecedit; actio vero ipsa alteratiua cum mistione secundo modo sumpta identificatur, vnde dici potest quidem miscibilium, quæ alterantur, vnio; non autem alteratorum ergo &c.

Dicitur deinde miscibilium, scilicet elementorũ, elementa enim, vt ex eorum definitione constat, debent in corporibus mistis potentia, vel actu reperiri; & per consequens in eorum saltem aliqua productione inter sè misceri.

Dicitur denique alteratorũ, vt significetur mistũ 4
non fieri immediate ex elementis in suo naturali statu consistẽtibus, sed ex illis per mutuam actionẽ alteratis iam, & ad certam temperiem redactis; quæ quidem temperies sit dispositio debita formæ substantiali ipsius mixti: vnde est, quod mistio hic definita proprie consistat in generatione formæ mixti, quatenus per illam elemẽta substantialiter inter sè vniuntur, scilicet ita in vnum conuni, vt vnius materiæ rationem habeant.

Iam vero definitionem hanc rectè traditã, ac ex- 5
plicatã esse: probatur ex eo quia ex vna parte mistio per Aristotilem 4. *meteor. cap.* de putredine vt aduertunt *Conimb. hic c.* 10. *q.* 2. *ar.* 2. est quædam species generationis substantialis; vnde consistere debet in actione quadam productiua formæ substãtialis, quatenus est transmutatiua materiæ de vno esse in aliud: ex alia vero parte debet essentialiter differre à generatione elementorum, & a generatione mistorum, quæ fit ex alijs mistis; sed totum hoc habetur in definitione à nobis explicata: ergo &c. maior patet: minor vero probatur quia iuxta nostram explicationem idem est dicere: mistio est miscibiliũ alteratorum vnio, ac est mutatio substantialis, per quã producitur mistum ex miscibilibus congregatis, & per mutuã alterationem dispositis; sed in hoc ostenditur mistio esse species generationis à generatione elementorum, & mistorum ad inuicem condistincta, vt de sè constat; ergo &c.

Vbi nota mistum esse omne corpus constans tẽperamento primarum qualitatum contrariarum. verum mistorum quædam proximè generantur ex mistis, quædam vero ex elementis; rursus quædam perfecta sunt, quæ differunt essentialiter ab elementis; quædã vero imperfecta, quæ ab illis accidentaliter tantum distinguntur. porrò mistum, quod ex mistione huc vsque definita resultat est de genere perfectorum, quæ proxime generantur ex elementis, quorum formæ substantiales, sicuti etiam vltimæ earum dispositiones efficienter causantur ab accidentibus reliquarum partium miscibilium, quæ super sunt, in quibus non fit mistio, vt suo loco notauimus cum Ouiedo *contr.* 8. *de gener. punct.* 3. *num.* 2.

Obiicies: in definitione mistionis: mistio definitur 6
per miscibile; sed hoc est ignotum per ignotius definire; ergo definitio non est admittenda.

Respondeo concessa maiore negando minorem, tum quia correlatiua hac ratione definiri solent, & per hoc fieri notiora: sic enim dicimus patrem esse filij patrem, & scientiam scibilis esse scientiam: tum etiam quia Aristoteles prius quã hanc definitionẽ traderet, quod nam esset miscibile explicauit, dum docuit illud esse elementum; vt patet ex conditionibus, quas à *tex.* 83. in illo requirit; quod scilicet sit substantia constans materia prædita primis qualitatibus, quod sit primum corpus habens contrarium, quod in minutissimas partes possit diuidi, & aliquo modo in misto remaneat: quæ omnia solis quatuor vulgatis elementis competere possunt.

Obijcies iterum ex Auersa *qu.* 43. *sect.* 1. tradita 7
definitio competit mistioni in secunda acceptione à nobis explicatæ; nimirum illi, cuius beneficio plura corpora mutua quadam alteratione inter sè agunt; ita vt ex eorum actione noua forma substantialis minimè resultet; ergo non est recte tradita; conse-

quen-

Digitized by Google

quentia patet, quia definitio non debet competere alteri à definito. antecedens vero probatur, quia quãdo simul miscentur aqua calida, & frigida, ex quibus aqua tepida propter mutuam alterationem cernimus resultare, vèrificatur, quod habeatur miscibilium alteratorum vnio; nimirum vtriusque aquę alteratæ coniunctio; sic etiam dicendum de mistione vini, & aquæ in sententia eorum, qui volunt non ex eis nouam formam substantialem generari; ergo &c.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem incontrarium dicendum: nomine miscibilium non venire omnia ea corpora, quæ qualibet ratione misceri possunt; sed ea quæ à natura ad hoc ordinata sunt, & habent ex suis essentialibus ad miscendum sè inuicem aptitudinem; huiusmodi autem non sunt nisi corpora simplicia, quæ natura constituit atque produxit vt mistorũ generationes ex eis procederent; adde quod eadem elemẽta non debent esse in via ad alterationem; sed in termino vti paulo infra dicetur.

SECTIO SECVNDA.

An naturaliter dari possit mistio.

8 CONclusio est affirmatiua, cõtra antiquos de quibus Aristoteles *secundo de gen. c.* 20. qui absolute eam possibilem esse negabant; nec non etiã cõtra Ruuiũ, qui licet concedat eam dari posse naturaliter ex duobus, vel tribus elementis resultatem: negat tamen posse fieri ex omnibus quatuor, eo quod putet ignem ex concauo lunæ non posse naturaliter ad hæc inferiora descendere.

Probatur tamen nostra cõclusio ex eo, quod hoc ipso, quod elementa sunt inuicẽ actiua, & passiua nõ est cur non possint omnia in vnũ locum naturaliter confluere, & ita secundum primas qualitates refrangi vt ad temperamentum formæ misti debitum perueniãt; sed in hoc casu haberetur mistio de qua loquimur; ergo naturaliter dari potest: maior quod attinet ad terram, aquam, & aerem est euidens ex eo autem quod ignis ex concauo lunæ non possit naturaliter descẽdere, solũ sequitur non ad omnes prorsus mistiones, quæ in mundo fiunt ignem secundum propriam substantiam concurrere, quod ego libẽter admitto, ea limitatione, quam in sequenti sectione ponam; ceterum ad nullam prorsus eum interuenire posse, falsum omnino puto; quis enim neget in viscẽribus terræ ignem secũdum propriam substãtiam reperiri sicuti aquam, & aerem; cur ergo non poterit simul cum reliquis agere, & pati, ita vt ex omnium quatuor pugna temperamentum aliquibus mistis debitum resultet?

9 Obijcies primo argumentum, quo veteres philosophi vtebantur; elementa ad mistionem confluentia, vel manent secundum substantiam, vel corrumpuntur; si primum; ergo nullum ex eis resultat substantiale mistum, sed solum iusta positio eorum secundum proprias partes habebitur, sicuti quãdo holium miscetur tritico: sin autem secũdum, nulla erit mistio, quia nullo modo miscentur, quæ nullo modo existunt.

Respondeo: in sententia volentium elementa secundum proprias formas substãtiales in misto manere, negandum, nullum ex eorum mistione substãtiale mistum resultare, quia hi sustinent formas elementorum respectu formæ misti esse veluti dispositiones necessarias ad eius productionem, & conseruationem. In sententia vero id negantium, concedendum quidem est nullo modo misceri, quæ nullo modo existunt; sed addendum elementa licet secundum formas substantiales in mistione corrumpantur, remanere tamen secũdam proprias virtutes hoc est secundum primas qualitates sibi debitas, & sic falsum esse, quod nullo modo existant in misto; sed contra hoc facit quia, vt videre est apud Auersam in sua philosophia *to. 2. qu. 43. sect. 5.* multi sunt qui negent dari in mistis primas quatuor elementorum qualitates, sicuti negant dari in illis eorum formas substantiales, inter quos est Auicenna, Soncinus, Heruæus, Gregorius, & alij, & tamen hi non negant mistionẽ; ergo tradita solutio nulla est; Respõdeo, quod licet hi negent remanere in mistis primas elemẽtorũ qualitates: putant tamẽ resultare in eis quandam aliam quintam simplicem misti propriam, virtualiter dictas quatuor, vel saltem duas cõtinentem, & ex eorum corruptione prouenientem; vnde fit vt etiam in horum sententia verificetur in misto remanere virtutes elementorum, si non formaliter, at virtualiter saltem, & sic falsum esse, quod nullo modo existant in illo: cæterum sententia negantium existere formaliter primas elementorum qualitates in misto, est euidenter falsa. experientia enim constat res frigidas V. G. manus igne calefieri & calidus niue infrigidari, forma igitur misti cum vero frigore, & calore potest existere, non est igitur cur alia simplex qualitas ex eis resultans sit admittenda, quæ sit temperamentum misti, quandoquidem primæ qualitates contrariæ, in gradu remisso neque cum forma misti neque inuicem pugnare videntur. 11

Obijcies secundo: vt habeatur mistio necesse est vt materia omnium miscibilium simul informetur substantiali forma misti; sed hoc naturaliter repugnat; ergo saltẽ naturaliter non datur mistio; maior patet, & minor probatur, adeo diuersa est vis actiua & resistitiua miscibilium, vt impossibile sit vt aliquod eorum, quod est minoris actiuitatis ac resistẽtiæ, non corrũpatur prius tempore ab eo, quod est maioris; ergo &c.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem dico, quod licet aliquãdo cõtingat vt vnum miscibile maioris virtutis conuertat in se aliud, & sic non sequatur mistio: nego tamẽ sæpe sepius non contingere oppositũ, quandoquidẽ elemẽta, quæ sunt magis actiua de se, sunt minus resistitiua, & sic in pugna recte possũt eodẽ tẽporis momento simul acquirere temperamentum debitum formæ misti.

Obijcies tertio. est sententia perdocti cuiusdam recentioris non implicare saltem in alia rerũ serie creaturam, quæ per se, & directe appetitu innato in sui destructionem inclinet; casu quo sit maximis miseriis, à quibus se liberare non potest; circumuallatã; siquidẽ in hoc, inquit, nulla apparet implicantia, quandoquidem non esse, in illis circunstantijs haberet respectu illius rationem boni, & appetibilis; sed si dicamus ita se habere de facto elementa quãdo ex eis generatur mistũ, tollitur e mundo mistio quia sic tollitur mutua eorũ pugna, & alteratio; quã mistio vtpote miscibilium alteratorum vnio essentialiter importat; ergo &c. 12

Respondeo, permissa pro modo recentioris sententia

Digitized by Google

tentia posita in maiore, negando sustineri posse elementa quando ex eis generatur mistū per se directe ad sui destructionem inclinare; cum enim eorum pugna, & mutua alteratio pateat ad sensum: euidens est primo, & per se nō diſi ad conseruationem sui, & propagationem propriæ speciei propendere; per accidens vero, & indirecte ad destructionem sui contrarij: imo & sui ipsorum, quatenus sunt effectus quidam ex pugna prouenientes.

13 Quod vero attinet ad sententiam illam: dico nō esse probabilem ratio est quia in eo casu creatura illa per se directe solum abhorreret ab illo esse incommodo, sibique non proficuo ex maxima propensione, quam primo, & per se haberet ad suum esse sibi proficuum, & conueniens: quare solum per accidens, & indirecte ad suum non esse inclinaret: quatenus miserias illas fugere intenderet. Atque hic notarem dupliciter creaturam aliquam per accidens, & indirecte in sui destructionem propendere posse: primo propter imperfectionem essentiæ propriæ, ad quam per se directe tanquam ad bonum suum inclinat, quæ determinatam durationis periodum sibi vendicat: & hoc modo inclinat instans ad non existendum in tempore, & duratio hodierna ad non durandum cras: vtrumque enim determinate primo, & per sè inclinat ad suā essentiam, quæ cum sit limitatæ durationis, est in causa vt neutrum vlterius durare valeat: secundo vero propter connexionem, quam in existendo habet cum aliquibus qualitatibus aut modis sine quibus existere non potest: ex quorum amissione necessario sequitur destructio sui: & sic propendent omnia corruptibilia ad suum non esse nempe secundario, & indirecte casu quo necessarijs dispositionibus, & modis sine quibus existere naturaliter non valent, destituantur: & quidem hoc secundo modo se haberet creatura illa posita ab aduersario, imo & omnia illa agentia, quæ eam in illis maximis miserijs constituerent: semper enim primo, & per se, ad suam speciem propagandam, producendo in ea dispositiones contrarias, sibi proficuas: secundario vero, & consequenter ad eius destructionem inclinaret, sicuti de facto inclinant omnia agentia naturalia corruptiua.

SECTIO TERTIA.

Quænam sunt necessaria vt ex elementis mistio oriatur.

14 VNica conclusio: ad hoc vt fiat mistio debent omnia quatuor elementa concurrere, & in minutissimas partes diuidi, vt ita debito modo refrangantur, & ad exigentiam formæ substantialis misti secundum primas qualitates temperentur.

Probatur quo ad singula, & quidem quod debeant quatuor elementa concurrere, constat tum quia terra non solum præbere debet soliditatem, & consistentiam partibus misti; sed etiam grauitatem, cuius beneficio pene omnia mista tendunt deorsum; aqua vero agglutinare debet partes eiusdem misti, & illas reddere facile figurabiles; quia vero elementa à suis contrarijs in misti productione refrangantur oportet, simpliciter autem ternæ contrarium est aer, & aquæ ignis, hinc est; quod omnia quatuor elementa ad mistum pruducendum concurrant.

Confirmatur quia mistum non debet habere solas primas qualitates refractas, sed multas etiā qualitates secundas; esse enim debet rarum, vel densum, molle, vel durum, asperum vel lene &c. quarum aliquæ ex ipsis elementis debite combinatis relinqui omnino debent in misto; vt patet eo quia sola primarum qualitatum refractio, non est sufficiens ad substantialem mistionem, alioquin dum aqua V.G. plus minusue calefit, ac exsiccatur, deberet in mistum conuerti; quod est manifeste contra experientiam, imquo sæpe aliquam ex secundis qualitatibus in misto reperiri in gradu intensiori, quam sit in eo prima, ex qua profluere solet.

Quod autem dicta elementa debeant in partes 15
minutissimas ad mistionem conficiendam diuidi, patet ex Aristotile hic tex. 89. & ratio videtur esse quia quando elementa sunt in parua mole facilius ad inuicem agunt, & patiuntur: tam vero diuiso hæc fit beneficio motus localis ipsorum, dum scilicet aliqua conantur ascendere, alia vero descendere, vt loca petant naturalia; quod denique secundum primas qualitates refrangi debeant, constat ex eo quia nulla forma substantialis misti exigit aliquam ex primis qualitatibus in summo; experimur enim, quod ex earum augmento, & summa intensione mista corrumpantur, ac pereant.

Obiicies tamen primo: gutta aquæ in vinum in- 16
fusa transmutatur in ipsum vinum, quod est essētialiter mistum; ergo ad misti generationem falsum est, quod omnia quatuor elementa concurrere debeant.

Respondeo à plerisque doctis viris, præsertim medicis, negari antecedens; putant enim nunquā aquam posse in vinum immediate conuerti; sed quid quid sit de hoc: dato ego antecedente, nego consequentiam; dico enim mutationem illam aquæ in vinum non esse pro[illegible]andam generationem, sed potius adgenerationem misti, inquantum ex eo pars quædam de nouo misto antea præexistenti adiungitur, nos vero loquuti sumus de primaria misti generatione, cum diximus ad illam omnia quatuor elementa debere concurrere. Audi philosophum primo de gener. tex. 88: multa quidē paucis, & magna paruis composita non faciunt mistionem, sed augumentationem dominantis, mutatur enim alterum in dominans: ideo gutta vini decem millibus congiis aquæ non miscetur; soluitur enim forma, & mutatur in uniuersā aquā.

Obiicies secundo Arist. hic tex. 44. videtur docere ad misti generationem tria tantum elementa sufficere: præterea constat ad imperfecti misti generationem duo tantum modo necessaria esse: falsum igitur est omnia quatuor requiri.

Respondeo philosophum loc. cit. loquutum

Digitized by Google

fuisse formaliter: quo pacto non est necesse vt ignis formaliter concurrat: satis enim est si exalationes quædam terræ solis vi nimium calefactæ, & ex natura sua siccæ loco ignis reperiantur. Ad id autem quod addebatur de mistis imperfectis, respondeo verum esse, quod dicitur: mista tamen illa vt supra notauimus non differre specie ab elementis ipsis, nos vero agere de mistis essentialiter differentibus ab elementis.

Obiicies tertio: si elementa ad vnum locum ad mistionem conficiendam deberent concurrere, sequeretur, quod mistio esset violenta, locus enim elementorum naturalis non est vnus; sed hoc videtur inconueniens; ergo &c.

Respondeo negando sequelam; licet enim elementorum concursus in vnum eundemque locum respectu ipsorum sit violentus: mistio tamen existimanda est simpliciter naturalis, tum quia concursus ille naturæ vires minime transcendit: tum etiam quia ipsa miscibilium corporum alteratio, & introductio formæ misti simpliciter loquendo est naturalis.

17 Obiicies quarto non videtur veri simile ad omne mistum ex elementorum mistione resultans omnia quatuor elementa necessario debere concurrere; ergo falsum est omnia elementa necessaria esse ad mistionem. Antecedens probatur quãdo ex pluuijs decidentibus æstiuo tempore generantur Ranæ non est credibile, quod elementum ignis secundum suam propriam substantiam in loco generationis reperiatur.

Respondeo elementum ad misti generationem concurrere intelligi posse dupliciter: primo vt præfuerit in loco pugnæ: secundum propriam formam substantialem: secundo vt præfuerit secundũ solam virtutem. Iam vero qui putant omnia elementa existere formaliter in misto sustinere debent omnia secundum proprias formas in loco generationis præexistere, & inuicem pugnare debere; quod vt eorum aliqui soluant, dicunt ex elemento ignis continua agitatione cælestis globi lunaris concitato, quam plures eius particulas ad infimam vsque aeris regionem decidere, quæ ad mistorum generationem inseruiunt. Ast ego vt verum fatear omni probabilitate hoc destitutum esse existimo, tum quia inde sequeretur, quod ignis in propria sphæra non quiesceret, sed potius secundum diuersas partes sæpe condensaretur, & sic, vel nocte lucere, vel cælare nobis aliquorum syderum aspectum deberet; tum etiam quia particulæ illæ ignis prius quam ad nos descenderent actione aeris, per quem transirent deberent corrumpi, & in aerem ipsum conuerti; quare aliam viam necessario hi autores inire debent ad hoc argumentum soluendum. Porrò qui existimant elementa remanere in misto virtualiter docent communiter non necesse esse vt omnia quatuor elementa secundum propriam substantiam ad locum mistionis confluant; sed satis esse si confluant secundum proprias virtutes. Hoc autem dupliciter potest intelligi: primo, quod sufficiat confluere secundum solas primas qualitates, quas inuicem refrangant. secundo vt confluant saltem secundum aliquam substantiam, quæ sit valde affinis dictis elementis, non solum ratione primarum qualitatum, sed etiam ratione secundarum, quæ illis sunt propriæ: primum dici non potest, alioquin non esset ratio cur quando vi ignis aqua calefit, & exiccatur multum ex illa misti nõ resultet; iam enim in ea quatuor primæ qualitates inuenirentur attemperatæ; & perconsequens quatuor elementa confluerent. secundum est valde probabile, & ex suppositione, quod elementa non sint formaliter in misto omnino tenendum dicendumque ad locum generationis ranarum, si non confluit ignis secundum propriam substantiam, confluere exhalationes quasdam valde siccas, & valde calidas, quæ sint igni proximas, atque affines; & hoc sufficere ad veritatem conclusionis. verum quid nobis de suppositione hac dicendum sit, ex dicendis constabit.

SECTIO QVARTA.

An dabile sit mistum cuius temperamentum primarum qualitatum sit ad pondus.

PRo responsione notarem: temperamentum primarum qualitatum esse duplex; ad iustitiam: quando scilicet, mistum tot gradus habet vnius cuiusque primæ qualitatis, quot exigit: & ad Pondus, quando scilicet, tot habet vnius contrariæ, quot alterius; quatuor videlicet caloris, & quatuor frigoris, quatuor humoris, & quatuor siccitatis, quo posito Respondeo cum distinctione, & siquidem loquamur de repugnantia in ordine ad diuinam potentiam dico, non repugnare huiusmodi mistum; licet enim tale temperamentum à nullo corpore naturaliter exigeretur, nulla tamen apparet contradictio in eo, quod Deus producat illud in materia alicuius corporis, siue hoc sit elementum, siue mistum, & nihilominus conseruet dictum corpus in esse, eiusque corruptionem impediat. 18

Si vero sermo sit de repugnantia in ordine ad intrinsecam exigentiam prædicatorum essentialiũ corporis, ita vt sensus quæstionis sit: num repugnet aliquod mistum, quod ex suis intrinsecis huiusmodi temperamentum exposcat ita, vt illud respectu dicti corporis non solum sit ad pondus; sed etiam ad iustitiam: subdistinguo, & siquidem supponamus ad huiusmodi temperamentum primarum qualitatum debere etiam sequi temperamentum ad pondus secundarum: dico repugnare; sin minus, censerem non repugnare; primum probo quia huiusmodi corpus deberet esse æque graue, & aeq; leue atq; adeo nullũ sibi vẽdicare posset locum proportionatum in mundo; hoc autem repugnat: quia implicat corpus, quod ex suis intrinsecis exigat in statu violento, & præternaturali semper existere; quandocumque existit; sic enim inclinaret ad id, quod sibi malum est, & disconueniens. Neque dicas cum Comptono *disp. 12. de gener, sect. 5.* quod licet in hoc rerum ordine huiusmodi corpus repugnaret: in alio tamẽ, tum

hæc

Digitized by Google

hæc, tũ quæuis alia repugnantia iam ceſſaret.

19 Cõtra enim eſt: quia miſta ex ſuis intrinſecis exigunt hunc, & non alium rerum ordinem quantum ad elementa, & eorum diſpoſitionem, ac ſitum; vt nimirum, in rerum vniuerſitate ſint quatuor hæc elementa, quæ ſe habeant vt loca vniuerſalia miſtorum, in quibus ipſa conſeruentur, & ita diſpoſita vt infimum locum ſibi vendicet terra, ſummum ignis, medium aer; & aqua; ſed huiuſmodi corpus habens temperamentum ad pondus nullum ex his locis ſibi vendicaret, vt patet; ergo &c. Neque iterum addas cum Conimbricenſibus *lib. 2. de gener. cap. 8. qu. 2. art. 3.* ſi in corpore vno pares leuitatis igneæ, & aereæ gradus eſsent, pares, item aqueæ terreæque grauitatis, huiuſmodi corpus locum naturalem haberet inter aerem & aquam; ita vt vna eius medietas in aere emineret, altera demerſa eſſet in aquam. Contra ſiquidem eſt: quia cum ſupponamus hoc corpus eſſe homogeneum ſaltem quantum ad grauitatem, & leuitatem, eſſet indifferens, & indeterminatũ, cur potius ſecundum vnam partem immergeretur aquis, & ſecundum aliam eis ſupernataret, quam è contra. deinde fac vt dictum corpus diuidatur, profecto medietas, quæ prius exigebat tota eſſe in aere, exigeret modo partim eſſe ſub aquis. Tum ſic: in tantum hæc pars ex ſuis intrinſecis prius inclinabat eſſe in aere, in quantum ibi melius conſeruabatur; ergo dum modo ſecundum ſuam medietatem inclinat eſſe ſub aquis, ſignum eſt quod naturam mutauit, & ex aerea ſecundum partem, reddita ſit aquea, quod eſt impoſſibile, & contra ſuppoſitum.

Iam vero ſecundum, quod addebamus, nimirum, quod temperamentum ad pondus primarum qualitatum, ſi non habet connexum ſimile ſecundarum, non repugnet: ſuadetur ex eo quia nulla poteſt aſſignari repugnantia in natura aliqua huiuſmodi temperamentum exigere. Illud tamen addiderim falſum omnino eſſe ſententiam illorum apud Comptonum *loc. cit.* qui putant huiuſmodi temperamentum vtpote perfectiſſimum, eſſe maxime proportionatum humanæ naturæ; & illud de facto habuiſſe Adamum, Chriſtum Dominum, ac Virginem Matrem: cum enim humanum corpus ſit maxime, heterogeneum conſtans ex partibus diuerſarum diſpoſitionum exactiuis; impoſſibile eſt vt exigat temperamentum ad pondus: ſi enim in eius oſſibus debet excellere ſiccitas, in eius corde calor, in eius carne humiditas, in eius cerebro frigiditas &c. quì fieri poteſt vt connaturale temperamentum illius ſit ad pondus. ex quo deducitur huiuſmodi miſtum exigens primas qualitates ad pondus, non poſſe eſſe, niſi corpus non viuens, & homogeneum.

SECTIO QVINTA.

Quo modo in miſto remaneant elementa.

20 VNica concluſio: elementa non remanent in miſto actu, & formaliter; ſed potentia tantum, & virtute: Eadem concluſio ſic clarius proponi ſolet: elementa non remanent in miſto ſecundum proprias ſubſtantiales formas; ſed ſolum in aliquo tertio, ſcilicet in forma ſubſtantiali ipſius miſti, quæ virtualiter elementa in sè dicitur continere, non quidem in genere cauſæ formalis, quaſi vero ipſa afferat compoſito prædicata quidditiua ipſorum elementorum: neque in genere cauſæ efficientis, ac ſi poſſit illa efficienter producere; ſed ſolum quia ipſorum formis æquiualet; inquantum connaturaliter exigit in propria materia eorum virtutes diſpoſitiones, & incohationes ita refractas; & contemperatas, vt recte dici poſſit forma media: atque communis, vnde fit vt dicta elementa aliquo modo actu, & formaliter dici poſſint in miſto remanere, in quantum ſcilicet remanent in eo, quod actus, & formæ rationem habet: concluſio ſic explicata, quæ eſt contra Auerroem, Auicennam, & non nullos Medicos, communiter defenditur à Peripateticis & eam expreſſe docet S. T. 1. *de gener. cap. 10. p. p. qu. 76. art. 4.* & ſæpe alibi cum ſuis Themiſtis. item Scotus *in 2. diſt. 15. qu. vnica* cum Scotiſtis; quos ſequuntur omnes fere Theologi, ac Philoſophi huius temporis.

Probatur primo ex Ariſtotile pluribus in locis primo enim *de gener. tex. 84.* docens quo modo miſcibilia in miſto permaneant, ſic concludit: neque permanent igitur vt corpus, & album: neque corrumpuntur; neque alterum, neque ambo: ſaluatur enim virtus eorum. vbi aduerte corruptionis nomine hic philoſophum non intelligere deperditionem ſubſtantiæ quomodocumque; ſed illam dumtaxat, per quam vnum in ſuum contrarium corrumpitur. tex. vero 89. docet elementa mutari in miſtum ex ſui natura, quod idem ſignificat ac ſubſtantialiter. tex. autem 50. ait in miſto elementa non remanere eadem ſimpliciter. præterea ſecundo de *part. anim. cap. 1.* hæc habet; cum itaque triplex ſit compoſitio, prima ſtatui poteſt ea, quæ, ex primordijs conficitur, his quæ non nulli elementa appellant: terram, dico, aquam, aerem, ignem; ſed melius fortaſſe dici poſſet ex virtutibus confici elementum; humiditas enim, & ſiccitas, & caliditas, & frigiditas materia ſunt corporum compoſitorum. hæc ille. nil vero clarius pro noſtra ſententia dici poterat. iam tertio exli tex. 32. docet præterea in carne, & ligno, ignem, & terram ineſſe potentia: idem denique ait ſecundo *de gener. tex. 46. 47. 48.* & alibi.

Duplex expoſitio ad citatos philoſophi teſtus ab aduerſarijs afferri ſolet: altera vniuer-

Digitized by Google

nersalis pro omnibus: altera specialis pro eo, quem ex secundo *de part. animal.* adduximus: Vniuersalis traditur à Philoppono 1. *de gener. commen.* 129. docente in eis solum significare voluisse Aristotelem elementa non remanere in misto actu, ideſt secundum totam integritatem, & perfectionem qualitatum, quam naturaliter exigunt; sed potentia, quatenus possunt in corruptione misti per dissolutionem, ex eo denuo generari, & ad suum connaturalem statum peruenire. Specialis vero ab alijs, qui dicunt philosophum in eo testu, qui videtur præcipuus, non loqui assertiue; sed dubitatiue: vt patet ex particula, quam apposuit dicens: fortasse dici potest. Sed contra priorem expositionem facit, quia philosophus satis se explicauit quid intellexerit manere potentia, hoc est secundum virtutes, & qualitates proprias: actu vero secundum substantiam, & formam; ergo dicta Philopponi expositio vim manifestam infert testibus illis. contra posteriorem vero facit quia dubitatio illa non cadit supra rem ipsam; sed solum supra modum loquendi, vt consideranti patet, quia melius videbatur philosopho dicere mistum constare ex virtutibus elementorum, quas actu continet, quam ex elementis, quæ secundum substantiam in eo non existunt; ergo neutra expositio habet probabilitatem.

22 Probatur secundo ratione: quantum ad id quod dicimus elementa non remanere actu formaliter in misto, quod enim potentia saltem remaneant, cum sit ex dictis manifestum, probatione non eget: probatur in quam quia, vel ita remanent, vt quælibet pars misti assignabilis informetur simul quatuor elementorum formis, & insuper forma misti, vt putat Commentator primo de *gener. cap. de mist.* vel ita vt singulis particulis misti singula tantum elementorum formæ conueniant; neutrum dici potest; ergo &c. maior patet, minor probatur; non enim dici potest primum: formas enim elementorum non posse eandem numero materiam informare suadetur, ex implacabili pugna, quam habent inter sè elementa: quatenus eorum substantiales formæ qualitates contrarias exigunt; vnde est vt ad introductionem vnius formæ elementaris in materiam alterius elementi, huius forma corrumpatur. Neque dicas primo hanc pugnam elementa exercere ratione suarum primarum qualitatum, quas exigunt: ne id dicas, in quam, quia hanc exigentiam contrariarum dispositionum habent elementa ratione suarum formarum substantialium, quas iam supponis in misto; vel si huiusmodi formæ sunt contentæ qualitatibus attemperatis: non est cur vna forma elementaris ad aduentum alterius corrumpi debet, & non potius cum illa simul remanere; quando qualitates vtriusque in sua portione materiæ habentur refractæ:

Quod si respondeas ideo esse quia tunc non habetur forma misti, quæ illas formas contineat, ne in productionem suarum dispositionum adæquatarum erumpant: Contra etiam est, quia maior ratio esset cur ipsæ formæ elementorum se inuicem obsisterent, & continerent, quam quod forma misti; siquidem maiorem oppositionem habent inter sè formæ elementares, quam cum forma misti: vt constat ex eo, quia id circo hæc appellatur communiter forma media: quatenus participat de extremis inter sè contrarijs; vnde oriretur vt nunquam posset vnum elementum ad generationem alterius elementi corrumpi, & quod quantumcumque inter se pugnarent, tandem eorum formæ inirent fœdus inter sè in eadem materia, nec sè inuicem expellerent; quod est contra omnem bonam philosophiam: sicuti etiam esset dicere cum Auerroe formas elementorum posse intendi atque remitti, atque adeo licet in gradu intenso non possent esse simul in eadem materia; posse tamen in remisso, sicuti necessario esse debent in misto. Aborret enim tota philosophia formis substantialibus hanc latitudinem gradualem concedere, quia sic vnus ignis posset esse modo magis, modo minus ignis quam alter, & sic de cæteris; vnde elementorum formæ à suis qualitatibus adeo non different: vt satius esset dicere, facta illa hypotesi, quod ipsissimæ primæ qualitates essent eorum substantiales formæ. Et hæc quantum ad probationem prioris partis minoris principalis.

Quantum vero ad posteriorem; quod 23
scilicet, falsum sit in singulis particulis misti singulas tantum elementorum formas reperiri, colligo ex absurdis, inde enim sequeretur primo, quod non quælibet pars misti esset mista, quod est contra Philosophum, hic tex. 47. docentem ex qualibet parte misti posse omnia quatuor elementa separari, secundo quod non darentur mista homogenea contra eundem Philosophum hic tex. 46. pars enim illa misti informata forma ignis V. G. secundum hanc aduersariorum sententiam esset diuersæ rationis ab ea, quæ informatur forma alterius elementi.

Tertio sequeretur, quod dictæ formæ elementorum essent in statu violento; conseruarentur enim in suis portionibus materiæ sine debitis dispositionibus; nam forma misti sæpe exigeret dispositiones æque intensas in omnibus partibus materiæ, in qua est, vel si diuersæ dispositiones pro diuersitate formarum elementorum in diuersis particulis corporis misti habentur, non posset assignari cur vnum elementum in misto non ageret in aliud: partes enim heterogeneæ sufficienter contrariæ, quamuis vnica forma informentur, non est cur non agant inter sè, & patiantur; quia ex vna parte sunt debite applicatæ, & ex alia virtutem habent sufficientem agendi, & patiendi. stet igitur non posse sustineri ab aduersarijs quamlibet partem misti ab omnibus quatuor elementorum formis informari, neque singulas à singulis, quod erat probandũ

Proa

Digitized by Google

24 Probatur denique tertio, quia non posset assignari ad quid formæ substantiales elementorum inseruiant in mixto. Omnia enim sine illis optimè saluari possunt, cum igitur nulla sit necessitas eas multiplicandi, constat non actu, sed solum potentia in mixto remanere. Cum præsertim ad mixtiones, quæ regulariter in hac infima aëris regione fiunt, impossibile naturaliter esse videatur, vt confluat ignis secundum suam propriam formam substantialem; vt in vltima obiectione præcedentis sectionis dicebatur: eo vel maximè, quia in terris sine apto pabulo diutius durare non possit.

25 Obijcies tamen primo, quædam Aristotelis loca, quibus expressè videtur docere elementa formaliter in mixto reperiri. *Primo* enim *de gen. tex. 90.* definit mixtionem esse vnionem miscibilium alteratorum, debuisset autem dicere, si vera esset nostra sententia: Corruptorum. *Tertio Cœli tex. 33* docet miscibilia, neque corrumpi in mixtione, neque de nouo generari ex mixto corrupto, sed segregari, & separari ab illo. *Primo Cœli tex. 7.* Ait mixta moueri ad motum prædominantis elementi, & *secundo de anima* subnectit, quod in viuentibus elementa ad sua propria loca mouerentur, & mixtum dissoluerent: nisi adesset anima, quæ illa contineret. *Quinto verò met. tex. quarto* definit elementum esse id: ex quo in existente fit aliquid *& 7. met. tex. 62.* Comparat mixtum cum syllaba (Ba) respectu B. & A. Quare sicuti B & A. Quæ sunt elementa syllabæ remanent in illa formaliter: ita, & quatuor elementa in mixtis. Ex quibus omnibus patet elementa in sententia Aristotelis non potentia tantum, sed actu etiam in mixto reperiri.

Respondeo negando consequentiam, & explicando singula loca; & quidem primo de gen: dum philosophus dixit mixtionem esse miscibilium alteratorum vnionem, vel definiuit mixtionem causalem, quæ posita est in præuia, alteratione, prout terminata extrinsecè, ad formam mixti, vt putant aliqui: vel notare solùm voluit elementa non venire in mixtionem in suo naturali statu, sed debere prius per mutuam actionem, & passionem alterari, quod si non addidit debere corrumpi, hoc tamen minimè negauit, & implicitè posuit in verbo, vnio; Tertio verò de Cœlo idcirco docet, miscibilia, neque corrumpi in mixtione, neque in corruptione mixti de nouo generari; sed segregari tantummodo; quia neque ex illis in mixtione corpus contrarium generatur, neque in corruptione mixti contrarium corpus in illa corrumpitur. Sciendum enim est duplex dari genus generationis, atque corruptionis. Alterum enim importat generationem ex Contrario corpore, & Corruptionem in contrarium: alterum vero generationem ex medio seu communi Corpore, & corruptionē in Corpus item medium, atque commune; quod scilicet virtute Corpus illud quod generatur seù corrumpitur in se contineat. Iam vero generatio, & corruptio primi generis in omni rigore Generationis, & Corruptionis nomen sibi vēdicat; & hæc negatur ab Aristotile elementis quando corrumpuntur in mixtum, & ex mixto generantur; quia in illo virtute continentur; non autem generatio, & corruptio secundi generis: quod verò dicta elementa in Corruptione mixti segregari ac separari dicuntur: segregationis, ac separationis nomine minus propriè sumenda sunt, quatenus scilicet significant aliqualem ipsorum elementorum præexistentiam virtualiter sumptam in ipso mixto. Primo autem de Cœlo Phylosophus vult mixtum moueri ad motum prædominantis elementi, non quod secundum propriam formam elementum prædominans reperiatur in illo; sed, quatenus secundum plures gradus propriæ dispositionis existit. Secundo verò de anima agit contra Empedoclem existimantem mixtum esse meram elementorum iuxta se positorum congeriem, non agnoscendo formam mixti substantialem.

Porrò Philosophus dictum illud ex ipsius 26
Empedoclis sententia assumit ad probandam contra ipsum substantialem formam mixti dandam esse, quia anima est huiusmodi forma. Ad hæc definitionem illam elementi, quæ *ex quinto met.* sumitur censet Scotus soli materiæ primæ conuenire: at verò si particula, inexistente, explicetur de *in* existentia, siuè actuali, siuè potentiali non est, cur dicamus traditam definitionem etiam primis corporibus elementaribus non posse competere. *Septimo denique met. cit.* non comparat Aristotiles syllabam Ba Cum mixto in omnibus, sed in eo tantum, quod sicuti illa superaddit litteris, ex quibus constat suam propriam significationem, quæ est veluti forma totius: ita lignum V. G. & reliqua corpora mixta præter elementa important necessariò formam quamdam substantialem sibi propriam: siuè demum *formas elementorum formaliter contineant, siué tantum potentia*, non curat in præsentia.

Obijcies secundo: quando lignum corrum- 27
pitur in ignem, non dicitur misceri igni; neque gutta vini in aquam iniecta dicitur misceri aquæ, neque alimentum, quod conuertitur in Sanguinem ipsi Sanguini, vt habet Aristoteles *primo de gene tex. 83 & 85.* & tamen tum ignis exigit aliquas dispositiones ligni, tum aqua vini, tum sanguis alimenti. Falsum igitur est, quod ex eo, quod forma mixti dispositiones elementorum requirat, dici rectè possint elemēta in mixti productione misceri.

Respondeo concessa priore antecedentis par- 28
te. Ad posteriorem, dico non satis esse ad hoc vt corpus aliquod dicatur alteri misceri: si hoc in quod corrumpitur, exigat dispositiones aliquas illius, necessum enim est, vt exigat omnes, secundum speciem, dico, & non secundum gradum; & hinc fit, vt neque lignum misceatur igni, neque gutta vini aquæ. Porrò ideò alimentum non miscetur Sanguini, quia etiam si sanguis requirat omnes primas qualitates, quæ in alimento reperiuntur exigit tamen aliam combinationem earumdem, quæ quidem combinatio nullo modo virtus alimēti dici potest: benè tamen virtus elementorum, in quantum primæ qualitates primariò, & absolutè loquendo competunt elementis, *mixtis*

Digitized by Google

verò non nisi secundario; sed potius secundum aliquam determinatam combinationem, quæ si deperdatur, vt accidit, quando alimentū transmutatur in Sanguinem, vel in Carnem, non est, cur illis amplius possit adscribi.

29 Objicies tertio: in uiridis ligni combustione segregationem elementorum secundum proprias substantiales formas experimur, aèr enim tunc abit in fumum, ignis in flammam, aqua in humorem, & in cinerem terra. ergo formæ elementorum sunt formaliter in mixto.

Respondeo negando antecedens. Neque enim fumus ille est substantialiter aèr, sed est pars ligni subtilior, atque tenuior. Neque humor ille est substantialiter aqua, sed alimentum quo lignum viride nutriebatur; neque cinis, qui ex combustione resultat, est substantialiter terra, sed mixtum quoddam ex partibus ligni frigidioribus, atque terrestribus genitum. Flamma denique licet sit substantialiter ignis: non tamen præfuit in ligno, sed ab igne generante producitur de nouo ad corruptionem formæ ipsius ligni. Quod si quatuor assignata essent substantialiter elementa non sequitur illa præfuisse formaliter in ligno, sed ad illius corruptionem de nouo genita esse. Corruptio enim mixti non contingit sine noua aliqua generatione, quæ non posset esse, in dicto casu, nisi ipsorum elementorum, vel mixtorum, illis similium, alioquin natura per se intenderet corruptionem mixti.

30 Objicies quarto: nisi inmixtæ formæ elementorum formaliter continerentur sed tãtummodo illorum virtus: sequeretur, quod mixtum non substantialiter, sed accidentaliter tantum mixti rationem haberet, ratione scilicet primarum qualitatum. sed hoc est inconueniens. ergo &c.

Respondeo negando sequelã virtualẽ .n. elementorum continentiam in mixto nos non ponimus primario, & per se in primis qualitatibus, sed potius in ipsa forma mixti, quæ est forma media, & participans de quatuor primis Corporibus extremis, quæ sunt contraria in ratione actiui, atque passiui; hæc enim dum pugnant ad inuicem in mistione, nullum absolutè vincit, sed omnia pariter vincuntur, quia corruptis omnium formis tertia alia ab omnibus distincta consurgit, quæ est exigitiua primarum qualitatum refractarum, quas primo, & per se sibi vendicant ipsa elementa.

Objicies quinto: si dicamus cum Aureolo 31
in mixtione non produci de nouo formam substantialem mixti, sed hanc in complexione formarum elementorum simul acceptarum positam esse: sequitur quod remaneant elementa formaliter in mixto, quodq; in mixtione eorum formæ substantiales minimè corrumpantur. sed hoc sine vlla absurditate dici potest. ergo &c.

Respondeo concessa sequela: negando minorem. ex illa enim positione sequitur pene totius philosophiæ euersio, nam inde deduceretur mixtionem non esse substantialem generationẽ. nihil enim substantiæ per eam denuo generaretur; quod si hoc absurdum deuores, dicendo, 32
conflatũ formarum substantialium elementorũ esse nouam substantiam, quæ ex mixtione resultaret; non poteris deuorare hoc aliud: nimirum quod mixta non differrẽt inter se essentialiter si quidem sic omnia ijsdem prorsus formis substantialibus eademque materia in specie atoma constarent; neque addas sufficere si accidentaliter differant: nam sic omnem bonam philosophicam destruis confundendo inter se omnes substantias non solum non viuentes sed etiam viuentes; dum inter illas substantialem differentiam non agnoscis, sed neq; accidentalẽ agnoscendo aliquid proficis. nam non potest stabilis consistere diuersa complexio accidentiũ quæ à diuersitate formæ substantialis tanquam à sua proxima radice non procedat: vt ex ipsis elementis constare potest, quæ ob nihil aliud diuersitatem in suis qualitatibus stabiliter exigunt; quã quia eorũ formæ substãtiales differunt inter se essentialiter. vnde si mixta ponũtur eisdẽ tantũ formis substantialibus elementaribus constare, manifeste deducitur ea non posse inter se accidentaliter perpetuo quodam tenore differre, sicut defacto experientia dictãte differũt. Valeat ergo hæc Aureoli opinio, quæ potius videtur esse Empedoclis, ab Aristotele, vt innuimus, confutata.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXSAGESIMA NONA.

DE TERMINIS MAGNITVDINIS, & Paruitatis Corporum Naturalium.

QVæstio præsens primo, & per se instituitur de Corporibus elementaribus: ea tamen æquè procedit de mixtis, imo etiam de Cælestibus; in ea enim quæritur, vtrum elementa possint in infinitum augeri, & in infinitum minui: an vero habeant certos magnitudinis, & paruitatis terminos, quos transilire non valeant absque eo, quod corrũpantur, & desinant esse, quod quidem de reliquis Corporibus inquiri potest. vnde fit, vt de omnibus in præsentia indiscriminatim agamus. Iam vero quamuis in ea proprie de eorum magnitudine, & paruitate quoad substantiales partes agatur; quia tamen hæ semper habent certam quantitatem: ita vt nunquam pars substantiæ aequiri vel deperdi possit; absque eo quod simul etiam acquiratur, vel deperdatur pars quantitatis: Ideo etiam in præsentia vtramque confundimus.

SECTIO PRIMA.

An corpora naturalia habeant terminum sua magnitudinis, & paruitatis.

1 DEfactò quodlibet corpus naturale intra certos terminos se continere non est dubium; sicuti neque, quod plura ex eis etiam: si sint eiusdem speciei, sint inter se inæqualia. Illud, quod conuertimus, est, vtrum quælibet eorum species determinatam sibi magnitudinem taxet versus maximum, & versus minimum, vel ex eo, quod neque sub maiori, neque sub minori esse possit; vel ex eo quod ad tantam determinatam peruenire non valeat. Vtrum V. G. natura humana certos terminos quo ad veramque mensuram exposcat ita, vt non possit homo naturaliter loquendo ita maiorari, vt excedat, vel pertingat longitudinem triginta palmorum V. G. nec adeo minorari, vt vel pertingat longitudinem vnius palmi, vel si pertingit, non possit esse minor illa. Dixi naturaliter loquendo: suppono enim quæstionem procedere spectatis rerum naturis, secundum intrinsecam illarum exigentiam; non enim videtur dubium, posse per absolutam Dei potentiam Corpus, quodlibet existere sub quacumque quantitate finita maiori, & maiori in infinitum, & sub quacumque minori, & minori, item in infinitum. Quoniam vero non est eadem ratio de omnibus corporibus, sed alia de non viuentibus, alia de viuentibus, pro prioribus sit.

Prima Conclusio: corpora omnia non viuentia siue demum elementa sint, siue mixta nullum certum terminum magnitudinis aut paruitatis sibi determinant; quin immo quantum est de se, in quauis maiore, ac minore quantitate finita, existere possunt: dico (finita) quia certum est non posse naturaliter huiusmodi Corpora ita crescera vt euadant infinita, neque ita minui, vt perueniant ad indiuisibile. est Scoti *in 2. dist. 2. quæst. 9.* Nauarri. *dist. 8.* Pererij *lib. 10, cap. vltimo.* Arcsij *pri. de gen. quæst. 25.* quibus adde Durandũ *2. de an dig. res 21.* Arriagam *de generat. disput. 2. sect. 4.* Ouiedum *Cintr. 3. puncto 5.* & Comptonum *disp. 6. sect. 2.*

Probatur primo ex Aristotile *secundo de anima tex. 41.* vbi ait ignis augmentum in infinitũ abit quousque fuerit combustibile. 3

Probatur secundo, quia experientia constat aquam, quantum est de se posse in infinitum augeri, idem experimur in igne; vnde si semper adderetur nouum ac nouum pabulum, maior ac maior semper efficeretur; *non enim posset assignari ratio, cur ignis productus discontinuari deberet à producente.* Tertio denique probatur à priori, quia formæ inanimatorum cum sint valde materiales, non habent, vnde ab intrinseco limitentur, nec per se loquendo heterogeneitatem in suis partibus exigunt, ratione cuius proportionem aliquam determinatam in illis exposcant.

Quoad posteriorem vero partem probatur etiam Conclusio primo, quia dato igni palmari V. G. stat ignis essentia, in quauis eius parte proportionali inexistente, minore, & minore assignabili in infinitum. ergo ignis essentia stare etiam poterit in quauis minima particula per se existente, si quidem aliarum partium in fluxu, aut coniunctione non indiget ad hoc, vt existat. Secundo quia si daretur minimum ignis, vt volunt aduersarij, & hoc poneretur in vacuo; non esset assignabilis ratio, cur nõ posset à Deo in duo dimidia diuidi. sed hoc posito non esset cur vtrumque dimidium exigeret corrumpi, spectatis suis intrinsecis. ergo totum illud non erat absolutè minimum. Tertio, quia si daretur hoc minimum non posset agens naturale in illud formam substantialem in tempore introducere, neque illud vniformiter difformiter alterare aequi hoc; esse inconueniens sine necessitate asseruere, constat ex eo, quia minimum hoc habet partes proximiores, & remotiores agenti, ergo agens debet plus qualitatis in proximiores,

Digitized by Google

operetur introducere alioquin nō ageret vniformiter difformiter per partes proportionales contra id, quod diximus supra.

4 Secunda Conclusio. corpora omnia viuentia ex intrinseca ratione habent certos terminos magnitudinis, & paruitatis, quos naturaliter præterire nequeunt: Est S. Thomæ *prima parte qu. septima art. 3.* & aliorum communiter. Quos sequitur Arriaga, Ouiedus, & Comptonus.

Probatur autem primo experientia: numquam enim vidimus formicam, aut muscam ad montis magnitudinem peruenire, neque hominem formicæ æqualem esse in paruitate.

Probatur secundo ratione à priori: Viuentia enim ad hoc, vt se ipsa conseruent, debent quasdam in se vitales operationes exercere, ad quas determinata quædam organa, ac instrumenta requiruntur; sicuti igitur nō potest Malleus V. G. in qualibet magna, vel parua quantitate ferrum tundere, & clauum parieti infigere: ita, neque viuentium organa, ex quibus eorum corpora coaugmentātur, sua possunt exequi munia, nisi sint in quadam certa, ac determinata magnitudine, vel paruitate. Cum præsertim ita inter se debeant esse dicta organa compacta: vt communicatione quadam mutuoque subsidio se inuicem adiuare queant, vnde rectè Aristoteles *7. pol. cap. 4.* Est, inquit, quædam mensura magnitudinis animalium, plantarum instrumentorum, nam horum singula, neque parua nimium, neque magnitudine excessiua suam potentiam retinebunt, sed aut destituta omnino erunt à natura, vel male se habebunt, ceu nauis vnius palmæ non erit penitus nauis, neque duorum stadiorum): hæc ille & certè: si daretur homo, qui adæquaret spatium trium miliariorum V. G. priusquam cibus perueniret ad stamacum: iam esset corruptus, & antequam manus ad subueniendum capiti accederet: iam actum esset de capite, & de toto homine, & sic non esset aptus ad existendum. Item in corpore culicis magnitudinem habente non posset natura elaborare organa ad humanum corpus necessaria. ergo in neutra quantitate dabilis est homo naturaliter.

5 Tertia Conclusio: cadauer, quamdiù non dissoluitur, certos habet magnitudinis, & paruitatis terminos; sicuti habebat quando viuebat. Eius verò partes duræ sicuti os, Caro, pellis &c. si separentur ab illo, habent certum terminum magnitudinis non autem paruitatis: at verò fluidæ, nec in maioritate, nec in minoritate certum terminum sibi vendicant. Hæc Conclusio quatuor habet partes. Probatur autem, quo ad singulas, & primo, quod corpus cadauericum, quandiù non dissoluitur, imitatur corpus viuens quantum ad terminos magnitudinis, & paruitatis quia ex vna parte non potest plus augeri, quam quando viuebat; neque per intus susceptionem alimenti, vt euidens est; neque per iuxta positionem alterius cadaueris, quia nequit cum illo coniungi, nisi per corruptionem dissoluatur: ex alia verò parte, neque plus minui potest, quia si minueretur, non retineret illam membrorum quantitatem, ac ordinationem, quam habebat antea. ergo &c. Secunda verò pars Conclusionis, quod scilicet eæ partes duræ ab illo separatæ habeāt certum magnitudinis terminum probatur ex eo, quia huius partes, vt caro, os &c. non possunt separatæ crescere plusquam quando erant coniunctæ. Earum enim durities impedit: nè vniantur, & confundantur cum alijs similibus. ergo &c. Iam verò tertia pars, quod scilicet eædem partes non habent certum terminum paruitatis, probatur etiam, quia dictæ partes anima destitutæ imitantur naturam cæterorum corporum non viuentium; sed huiusmodi corpora non habent terminum vllum in paruitate. ergo neque huiusmodi partes. Minor patet ex dictis. Maior suadetur, quia tam vna pars lapidis per se loquendo non pendet in existendo à sua comparte: quam vna pars ossis V.G. à sua. ergo quemadmodum potest separari à lapide particula minor, & minor in infinitum: ita, & ab osse.

Quarta denique pars conclusionis, in qua agebatur de fluidis partibus Cadauericis, quod non habeant, neque in maioritate, neque in minoritate certum terminum, probatur paritate fluidorum inanimatorum V. G. Aquæ. Sicuti enim hæc ratione fluiditatis, potest per intussuscepti positionem aliarum, partium in infinitum augeri, & per deperditionem aliarum, atque aliarum in infinitum minui sic sanguis, vinum & reliquæ similes partes fluidæ viuentis ab illo separatæ. 6

Obijcies primo contra primam Conclusionē Arist. *2. de anim. text. 41.* nec quod omnium natura constantium est terminus magnitudinis, & augumenti; sed elementa constant natura: ergo habent sua magnitudinis terminum. 7

Respondeo philosophū *loco citato*, vel per ea, quæ constat natura intellexisse viuentia, in quātum natura à nascitura, quæ propriè viuentibus competit, deriuata est; vel si loquatur de omnibus Corporibus naturalibus, velle solum ea per accidens, & ab extrinseco magnitudinis terminū sibi vendicare; nullum enim Corpus potest defacto esse tam magnum vt quantitatem Cælestium spherarum excedat; neque tam paruum, vt non possit abactione ambientis elementi se tueri. Elementa præterea quatenus sunt partes vniuersi non possunt ita excrescere vt cæterorum loca atque materias occupent, verum hanc determinationē vt vides, corpora naturalia non habeant ab intrinseco, sed ab extrinseco solum.

Obijcies secundo: omne Corpus ratione propriæ formæ determinatam habet, ac definitam naturam. ergo secundum illam certos ac determinatos quantitatis propriæ terminos exposcit. 8

Respondeo distinguendo antecedens: Corpus omne determinatam habet & definitam naturā quantum ad prædicata quidditiua, & quantum adhoc, quod nullo alio sibi superaddito vel dēpto possit fieri maius, neque minus concedo: quātum adhoc quod non possit per additionem nouarum partium maiorari, & minorari per veterum ablationem, nego antecedens, & consequentiam. Dico per addionem vel ablationem

parti-

minimo, quia si augmentum, vel decrementū debeat fieri per additiones raritatis, vel densitatis esset alia ratio; puto enim corpora simplicia, & mixta determinatam exigere raritatem, ac densitatem, vndè quantum ad hæc certos habent terminos suæ magnitudinis, ac paruitatis.

9 Instabis: ex dictis corpora non viuentia homogenea determinatas requirunt dispositiones in materia: tum quo ad densitatem, & raritatem, tum quo ad primas qualitates; sed inter dispositiones numeratur quantitas ergo, & hanc requirent determinatam.

Respondeo distinguendo antecedens: requirunt determinatas dispositiones quo ad intensionem concedo: determinatas quo ad extensionem, nego antecedens, & consequentiam. Disparitas est quia determinatio quo ad intensionem est in ordine ad vnam, eandemque partem formæ, quo ad uero extensionem, in ordine ad diuersas. quare sicut ad imitationem materiæ possunt plures formæ inuicem continuari, ita, & earum dispositiones.

10 Obijcies tertio: vnumquodque est propter suam operationem. ergo ad hoc, vt sit, debet posse operari, sed corpus naturale in quauis minima quantitate operari nequit. ergo requirit naturaliter determinatum paruitatis terminum.

Respondeo non viuentia non sic esse propter suam operationem, vt si ab eius exercicio impediantur, subito corrumpi debeant. Terra enim, quæ est in centro nihil operatur; & tamen certum est, quod existat. Satis igitur est ad hoc, vt non viuentia existant, si possint constitui in statu in quo operari queant; sic quodlibet minimum ignis V. G. additum maiori simul cum illo agere iam posset; quod si hanc solutionem non probas, addo aliam. Dato primo antecedente, nego subsumptum; & dico cum Pereyio, & Arriaga, quod sicuti corpus quantumuis minimum à corpore contrario pati potest: ita etiam, & agere, non solum quia eius virtus actiua virtutem resistiuam alicuius alterius corporis paris superare potest: sed etiā quia ad suum naturalem statum, quando detrimentum aliquod passum est ab agente contrario sibi pari potest se reuocare.

11 Obijcies quarto contra secundam Conclusionem: in Sacra Genesi *cap. 6.* habemus extitisse gigantes, qui longè magnitudinem cæterorum hominum superabant. Vndè dicuntur ibi potentes à seculo viri famosi. ergo sicuti isti sunt naturaliter geniti: ita potuerunt alij longè maiores generari. Falsum igitur est viuentia habere certos terminos magnitudinis.

Respondeo transeat prima consequentia; negando secundam; per hoc enim, quod fuerint gigantes, qui longè maiorem habuerunt magnitudinem, quam reliqui hominum, & per hoc etiam, quod dari possint homines naturaliter geniti multo maiores dictis gigantibus: non tollitur, quin natura humana habeat terminum suæ magnitudinis. Cum enim hic non consistat in indiuisibili; sed magnam habeat latitudinem, potest vtique fine Conclusionis nostræ præiudicio includere, tum illos gigantes, quidefacto fuerunt: tum alios maiores illis qui forte via generationis naturalis sunt possibiles. Dico (forte) quia probabilius existimo naturam humanam primis illis temporibus omnes suas vires quantum ad hoc explicuisse, atque adeò nō esse possibiles alios gigantes illis maiores.

Obijcies denique quinto contra tertiam: Aristoteles *primo phys. text. 56.* Sic habet: manifestum est igitur, quod impossibile est carnem aut os, aut aliquid aliud quantumcumque esse magnitudine, aut in maius, aut in minus *Text. vero 38.* sic: si omne quidem corpus remoto quodam minus necesse est fieri: Carnis autem determinata est quantitas, & magnitudine, & paruitate: manifestum est, quod ex minima Carne nullum segregabitur corpus, erit enim minor minima: falsum igitur est, quod corpora dura, quæ connexionem cum viuentibus habent, non habent terminum paruitatis. 12

Respondeo Philosophum neutro loco esse contra nos: loquitur enim vtrobique de carne cæterisque partibus animalis in ipso animali in existentibus, & ex eo, quod non potest dari animal in quacumque magnitudine, vel paruitate: colligit, neque posse carnem &c. quæ non habeant terminum suæ magnitudinis, & paruitatis; cum quo tamen stat, quod caro animalis demortui per se loquendo potest in infinitum diuidi: ita, vt in qualibet particula minori, & maiori reperiatur forma carnis; & rectè, caro enim mortua, per Aristotilem, est æquiuoce caro, atque adeò non comprehenditur nomine carnis absolutè prolatæ, si in rigore philosophico loqui velimus; sicuti dicimus cum locis citatis loquutum fuisse.

SECTIO SECVNDA.

Extrinseci ne an vero intrinseci termini viuentium eorumque Partes exponant.

13 DVplex distingui solet terminus magnitudinis, & paruitatis, alter intrinsecus, alter extrinsecus: intrinsecus ille est, ad quem Corpus sua quantitate realiter ac positiue perringit, & quidem si talis terminus est magnitudinis dici solet maximum, quod sic; sin autem paruitatis, dici solet minimum quod sic; quia minimum vtique vere ac realiter ab illo Corpore attingitur. Extrinsecus terminus, est ille ad quē corporis quantitas vere peruenire non potest, sed bene circa illum; & si quidem est magnitudinis, infra: sin autem paruitatis, supra. Vndè est quod terminus magnitudinis extrinsecus dici soleat minimum, quod non; in quantum est minimum illius quantitatis maioris, ad quam res per augmentum peruenire nequit. Terminus autem extrinsecus paruitatis maximum, quod nō, quia est maximum illius minoris quantitatis ad quam res per minoritatem suam non potest cōtrahi. Quamuis autem indubitatum sit quod termini, ad quos viuentia in particulari, eorumque partes defacto se extendant sint eis intrinseci, quatenus vnum quodque eorum tanta magnitudinem determinatè, & non maiorem neque minorem

norem defacto sibi vendicat: dubium tamen est de terminis illis, ad quos secundum speciem suã considerata sibi vendicent: num videlicet à natura habeãt terminos sibi præfinitos ad quos peruenire quidem possint, sed non illos pertransire: an vero terminos ad quos peruenire quidem nõ possint: possint vero infra illos, si sunt magnitudinis; & supra, si Paruitatis.

14 Circa quam quæstionem recte aduertit Oviedus *Comment. 3. pun. 5.* eam non procedere in sententia Zenonis, admittentis continuum ex indiuisibilibus esse compositum: quia omne id, quod terminum extrinsecum habet, quem non possit attingere versus magnitudinem, aut paruitatem, habet quoque intrinsecum ad quem positiuè peruenire valeat, eo quod cuilibet magnitudini assignatæ potest assignari alia maior, quæ eam vnico indiuisibili superet; & alia minor, quæ ab ea vnico indiuisibili superetur. Vndè si terminus extrinsecus magnitudinis culicis V. G. sit millesimum indiuisibile: Paruitatis verò vndecimum, terminus magnitudinis eius intrinsecus consequenter erit nonicentesimum nonagesimum nonum, Paruitatis verò decimũ. Habet ergo locũ hæc quæstio in sententia Aristotiles volentis continuũ constare ex partibus diuisibilibus in infinitum; in ea enim si res habet terminos intrinsecos, implicat habere extrinsecos, & è contra V. G. si summa magnitudo ad, quam potest se extendere Lepus sit quadripalmaris, & minima sit palmaris; atque adeò habeat terminos magnitudinis, & paruitatis intrinsecos. Non potest assignari aliqua alia quantitas supra quadripalmarem, quæ sit terminus extrinsecus magnitudinis eiusdem leporis, quia inter hanc assignatam, & quadripalmarem potest semper alia, atque alia in infinitum assignari, atque adeò neque assignata, neque vlla alia poterit habere rationem termini magnitudinis extrinseci respectu leporis; si enim assignasti pro dicto termino quinque palmos V. G. iam ergo poterit lepus se extendere ad quartum cum dimidio; quia terminus extrinsecus magnitudinis est, quem non potest attingere res: benè tamen potest, quemcumque alium infra illum. Sed hoc est impossibile posito, quod ei assignasti pro termino magnitudinis intrinseco extensionem vlnarem, quia terminus intrinsecus est ille, quem ita attingit res, vt non possit illum pertransire. Idemque dici similiter potest de termino intrinseco paruitatis. ergo solum in sententia Aristotelis vtiliter institui potest hæc quæstio propter incompossibilitatem terminationis intrinsecæ, & extrinsecæ respectu eiusdem. His autem prænotatis sit.

15 Vnica Conclusio: magnitudinis ac paruitatis termini, quos viuentia, eorumque partes sibi vendicant, sunt illis intrinseci; ita vt assignari possit cuicumque speciei maximum quantitatis ad quod se possit extendere, & minimum ad quod possit descendere; & non vltra, loquendo naturaliter: licet de cætero non sint ijdem omnium specierum termini; sed hæc quidem species hos, illa vero alios, quos Deus ipse nouit, sibi determinet, ad quos viuentia. quæ passim cernimus iuxta maioritatem, vel minoritatem virtutis augmentatiuæ, quam habent magis vel minus accedunt. Conclusio sic explicata est contra Oviedum *loco citato nu. 4.* vbi ait, quod in sententia Aristotelis nulla sit ratio, quæ probet, viuentia potius habere terminos intrinsecos quam extrinsecos, vel è contra, eo quod æque eorum deorganizationi, & partium heterogeneitati consultum esse videtur, tam per terminos extrinsecos, quam per intrinsecos.

Probatur autem primo assertio nostra destruendo simul fundamentum Oviedi: ea quæ à natura proueniunt, quo ad fieri potest, esse debent intrinseca: atqui à propria natura habent viuentia vt certos magnitudinis, ac paruitatis terminos sibi vendicent. ergo huiusmodi termini esse debent illis intrinseci. Minor patet. Maior probatur, quia ea quæ à natura proueniunt: vel motus, vel quies est; vel admotum, & adquietem proxime accedunt. quomodocũque vero sint, semper esse debent intrinseca: si quidem natura, vt habuimus secundo phys. est principium primum motus & quietis in eo in quo est. 16

Probatur secundo, quia viuentia in fieri intrinsecos magnitudinis, ac paruitatis terminos sibi determinant; ergo etiam in facto *esse*. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens probatur, quia cogitemus embrionem habere quantitatem deficientem ab ea, in qua viuens generari possit; ita vt successiue, & continuo augeatur, quoniam autem forma viuentis incipit intrinsecè regulariter loquendo per primum sui esse: sicuti assignandum erit *instans* in quo verum sit dicere nunc primo *est viuens*, immediate antea non erat: Ita consequenter verum erit in eodem instanti asserere, hoc est minimum illius quantitatis, in qua existere possit hoc viuens; ita vt in minori existere nequeat; ergo iam habet terminum intrinsecum paruitatis scilicet minimum, quod sic: fingamus deinde viuentis Corpus à Deo sic constitutum, vt sit maius eo, ad quod viuentis forma pertingere possit: profecto huiusmodi Corpus si à quantitate illa maiori maxima descendendo successiue recedat; perueniet vtique ad aliquem terminum, in quo verum erit dicere nunc primo est complete dispositum, & proportionatum ad recipiendam formam viuentis; cùm antea ita non fuerit; si quidem proportio hæc, ac dispositio incipere debet eodem prorsus modo quo incipit ipsum viuens, scilicet intrinsecè. Sed hæc extensio importat terminum intrinsecum, videlicet, maximum quod sic. Iam igitur habent viuentia terminum intrinsecum etiam quantum ad magnitudinem, 17

Dices in vtroque casu dici posse, quod statim ac extensio illa Corporis animandi terminum extrinsecum vel magnitudinis vel paruitatis attigerit ad Deum spectet postea determinare in quanta nam velit extensione, vt viuens illud producatur. 18

Sed contra est, quia non est recurrendum ad Deum sine necessitate: aliunde autem habemus ex ipso Oviedo modo citato nullam esse necessitatem, quæ nos ad dicendum inducat

viuen-

Digitized by Google

viuentia habere terminos extrinsecos potius, quam intrinsecos cum æque benedicat, eis præuissum esse: si alterutros habeant, ergo absolute dicendum viuentia potius intrinsecos quam extrinsecos terminos sibi vendicare. In ijs enim tantum rebus idem ad Deum recurrendum est, ad quas sufficienti probatione concludimus non posse res naturales suis viribus se extendere.

19 Obijcies primo: si viuentia haberent certos terminos suæ magnitudinis, & paruitatis intrinsecos: designentur duo homines vnus, qui sit sub priori, & alter sub posteriori: tunc sequeretur, quod nec primus homo posset cibum sumere, aut veneno, aut hydropisi plus æquo dilatari, alias non esset in termino maximo, quod sic: neque secundus posset aliqua infirmitate, vel senio membra contrahere, alias non fuisset in termino minimo, quod sic. sed vtrumque videtur absurdum. ergo &c.

Respondet primo Rubius. *primo phy. cap. 4. quæst. 1. nu. 87.* nos, quando statuimus viuentibus terminos intrinsecos magnitudinis, & paruitatis, loqui de eorum magnitudine, & paruitate substantiali, cui est coeua quantitas, nō autem de magnitudine, & paruitate extensiua, in ordine ad occupandum maius, & minus locum. Quo posito, ad priorē sequelam dicendum est hominem, in termino suæ magnitudinis posse replere se cibo, posse etiam per hydropisim magis, ac magis se dilatare, quia in neutro casu tumor ille proueniret ipsi ex additione nouæ substantiæ quantæ ad propriam; ita vt faceret veram excreationem, & maioritatem substantialem animalis, sed in sumptione sibi tantumdem alimenti in eius substantiam conuerteretur: quantum de veteri substantia vi caloris naturalis deperderetur, reliquum vero vt pote superfluum foras proijceretur; *in morbo vero hydropisis*, vel veneni acquireretur nouus tumor, qui prouenisset ex alteratione corporis ad quam consequi solet maior extensio eiusdem numero substantiæ quantæ in ordine ad locum. Ad posteriorem verò sequelam de eo, qui est in termino paruitatis consequenter dicendum putant: in hoc posse quidem ratione alicuius morbi, vel senectutis contrahi eandem substantiam, quam habebat ad locum minorem: non autem posse deperdi aliquid substantiæ pristinæ, absque eo, quod tantundem de nouo acquiratur.

20 Verùm hæc responsio non plene satisfacit: siquidem non videtur esse maior ratio cur viuentia habeant terminos magnitudinis, & paruitatis substantialis, & non vendicēt sibi similes terminos qualitatum suarum, quas naturaliter exigunt ex vi substantiæ propriæ, nec non etiam terminos similes extensionis in ordine ad locum. Alias dicam ego posse naturaliter hominem retenta sua substantia, & quantitate, quā statu eius connaturaliter requirit posse (inquam) localiter extendi ad decem stadia & contrahi ad paruitatem formicæ, quo nil absurdius?

Dicendum igitur est viuentia non solum vendicare sibi terminos suæ magnitudinis, & paruitatis intrinsecos; sed etiam suarum dispositionum V.G. primarum qualitatum, & secundarum præsertim raritatis, & densitatis ratione quarum modo ad maius, modo ad minus locum se extendunt.

Melius igitur responderem ego secundo 21
ad vtrāque sequelam dupliciter intelligi posse hominem esse in termino intrinseco suæ magnitudinis, aut paruitatis. Primo inadæquatè quantum ad solam substantiam, & quantitatem illi coeuam, & in hoc casu procedit responsio Rubij, quod homo si est in termino magnitudinis, ex eo quod, vel cibo, vel hydropisi intumescat, non excedat terminum suum, nec fiat maior maximo, quia non ad generat sibi plus substantiæ, quam habebat; si verò est in termino paruitatis ex eo, quod vel senectute, vel morbo aliquo contrahatur ad minorem locum occupandum: dummodo nihil pristinæ substantiæ deperdat; non euadat infra terminum suæ paruitatis, nec fiat minor, minimo; & ratio vtriusque dicti est, quia in neutro casu seruatur debita proportio. Nam supponitur esse in termino intrinseco magnitudinis, & paruitatis ratione substantiæ quantæ, & probatur augmentum, & decrementum in raritate, ac densitate, & in occupatione maioris, vel minoris loci.

Secundo potest intelligi homo esse in termino intrinseco suæ magnitudinis, & paruitatis 22
adæquatè; non solum quantum ad substantiam; sed etiam quantum ad qualitates determinantes illi spatium, quod occupare debet: ita vt, vel eius partes substantiales sint adeò dilatatæ, & extensæ; *vt sint in maximo loco*, in quo esse naturaliter possunt: *vel sint adeò contractæ, atque compressæ*, vt sint in minimo in quo esse possunt, & si hoc secundo modo procedat argumentum, aio huiusmodi hominem, qui sic est in termino suæ magnitudinis non posse cibum sumere, nisi prius euomat, aut egerat, quem antea sumpserat, & per hoc recedat à dicto termino. Nec posse Hydropsi, vel veneno intumescere; sed hoc ipso, quod qualitas morbosa primarum qualitatum temperiem in eo dissoluit, absque eo, quod dicta qualitas causet in illo tumorem afferet ei mortem: quod si modo dicto est in termino suæ paruitatis, nec senectute, nec morbo posse contrahi, & intra minus spatium concludi; sed statim, ac habetur in eo qualitas exactiua dictæ contractionis debere mori; & ratio vtriusque dicti esse potest, quia exigentia huiusmodi qualitatum noxiarum de nouo aduenientium debet prævalere contra exigentiam, quam habet homo, vt alias conseruetur á Deo.

Obijcies secundo: si viuens haberet ter- 23
minum intrinsecum magnitudinis; sequeretur, quod daretur casus in quo desineret intrinsecè, per vltimum scilicet sui esse. Consequens est absurdum; ergo &c. Minor patet, quia forma Cadaueris, quæ ad viuentis corruptionem in eius materia generatur, cum sit substantialis debet incipere intrinsecè per

pri-

primum ; scilicet sui esse : vndè si viuens intrinsecè desineret, verum esset dicere, in eius corruptionis instanti, quod viueret, & non viueret : viueret quidem, quia iam existeret: non viueret autem, quia iam eius materia supponitur in eo instanti informata forma Cadaueris. Sequela autem maioris probatur: ponamus hominem esse in termino suæ magnitudinis maximo, quod sic : tunc, si ex accidente aliquo augeretur, procul dubio talis motus quippé successiuus nõ inciperet intrinsecè per primum sui esse : sed extrinsecè, per vltimũ sui non esse. Atqui homo non corrumperetur, nisi quando esset augmentatio. ergo non desineret extrinsecè, sed intrinsecè.

Respondeo primo concessa sequela, negando minorem. Ad cuius probationem, nego formam Cadaueris debere incipere intrinsecè ; hæc enim, cum non requirat determinatas dispositiones in subiecto, imitatur naturã illarum ; atque adeó incipit extrinsecè. Vndè, quando verum est dicere, nunc vltimo, hic homo non fit maior maximo, immediatè post fiet, verificabitur quoque, nunc vltimo existit hic homo, immediate post non existet. Sicuti etiam, quod nunc vltimo non est forma cadaueris, immediatè post erit.

Respondeo secundo dato, quod consequens forma incipere debeat intrinsecè ; nego sequelam. Ad cuius probationem concessa maiore, nego minorem; augmentatio enim non fit in viuente, nisi aliqualis præcedat alteratio, quæ in tali casu, cum tenderet ad dandam homini extensionem maiorem maxima, iam esset corruptiua, & per consequens in suo termino, qui esset extrinsecus augmentationi, primum non esse hominis haberemus.

24 Obijcies tertio cum Comptono *disp. 6. sect. 2. num. quinto* : Ideò via generationis verum est, quod viuentia habeant terminum intrinsecum paruitatis ; quia ad eorum generationem requiruntur tot, & tam perfectæ dispositiones, tantaque membrorum diuersitas, vt in minori citra miraculum produci non possint.

Sed hæc ratio non militat in conseruatione. ergo in conseruatione non habent terminum intrinsecum paruitatis. Minor probatur, quia in via corruptionis, & præter naturaliter, viuentia, sicuti, & non viuentia possunt conseruari sine talibus determinatis dispositionibus, sine quibus produci non possunt, vt aqua sine frigore. ergo, & viuentia sine tali determinata quantitate.

Respondeo concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationem concesso antecedente, distinguo cõsequens; viuentia possunt cõseruari in malo statu sine tali determinata quãtitate, cum qua genita fuerunt, transeat: sine tali determinata quantitate, quam ex suis intrinsecis exigunt versus minoritatem, nego cõsequentiam. Et dico hoc argumento probari solum via generationis viuentia non posse naturaliter existere in termino minoritatis seù in minimo quod sic : cum hoc tamen stat ea sibi vendicare absolute minoritatis terminum subquo existere naturaliter ita possunt : vt sub minori nequeant. Quoniam vero præsens controuersia versatur circa hoc secundum, nihil de primo curando; ideo dixi ad hoc transeat, quia difficultas non facit contra nos.

Obijcies quarto cum eodem *nu. 6.* videntur viuentibus statuendi termini magnitudinis moraliter tantum ; sed nos statuimus illos mathematice : ergo falsa nostra conclusio. Maior, quæ sola eget probatione, suadetur quia licet homines, quando sunt in statu, sint eiusdem altitudinis toto illo tempore ; non tamen ita mathematice vt vno tempore non sint aliquantulum saltem altiores quam alio; vt si pingue fiant, vel melius se habeant. ergo &c. 25

Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem concesso antecedente : nego consequentiam. Aliud enim est loqui de termino magnitudinis, quem sibi regulariter vendicant individua hominum, quando sunt in statu : & aliud de termino magnitudinis, quem sibi vẽdicat natura humana ex suis intrinsecis. Quãuis autem verum sit, quod prior terminus nõ possit mathematice statui, non solum pro omnibus : sed neque pro vno tantum ; falsum tamen, quod non possit haberi posterior ; licet non sciatur à nobis, & ratio discriminis est, quia homines regulariter illam magnitudinem attingunt, quæ est media respectu extremorum intrinsecorum, quos sibi humana natura præfigit. Quoniam verò dicta magnitudo multum habet latitudinis, hinc fit, vt quantumuis ipsi, quando sunt in statu magis accedant ad terminum maioritatis: quam dum per pueritiam, & adolescentiam erant in motu : *nihilominus tamen, adhuc valdé à dicto termino distant. Vndé nil mirum est si eorum natura individua possit aliquantulum, adhuc crescere* : nullo enim tenetur impedimento. At si ponamus terminum maioritatis naturæ humanæ præscriptum mathematice, aliquem attigisse : impossibile est, vt eum naturaliter transcenderet.

Instabit forte aliquis pro Comptono: si vera est nostra sententia non minus homines in individuo deberent sibi vendicare mathematice terminos intrinsecos suæ magnitudinis, & paruitatis : quam natura eorum in specie. Atqui homines in individuo non sibi illos vendicant mathematice, sed moraliter. ergo etiam natura eorum in specie. Minor patet ex dictis. Maior probatur, quia hæc terminorum mathematica taxatio respectu naturæ oritur ex limitatione individuorum. Ideo enim natura humana, vt sic non potest excedere longitudinem V. G. centum palmorum (ponamus hunc esse terminum mathematicum magnitudinis eius) quia nullus ex possibilibus hominibus habetur, qui spectata sua naturali exigentia possit dictam longitudinem superare ; ergo &c. 26

Respondeo concessa maiore, nego minorẽ. & dico quodlibet individuum hominum præscribere sibi certos terminos intrinsecos suæ magnitudinis, & paruitatis : si spectetur propria cuiuscumque natura individua, qui quidem 27

Digitized by Google

dem terminū in vno magis : in alio minus accedunt ad terminos, quos sibi tota natura præscribit, prout virtus aggeneratiua, & augmentatiua in vno maior, & robustior est; & in alio minor, & languidior: ita vt; sicuti homo in quo huiusmodi virtus, spectatis omnibus, esset in summo, attingeret terminum magnitudinis toti naturæ præscriptum. Sic homo in quo huiusmodi virtus esset in imo, attingeret terminum paruitatis eiusdem naturæ. Quare quemadmodum prior non posset amplius maiorari, & nec posterior minorari: ita, neque quiuis alius, qui attingit terminum, quem sibi propria virtus præscribit. Quamuis de reliquo hic terminus, si est magnitudinis sit infra illum, qui toti naturæ assignatur: si verò paruitatis supra illum, qui eidē naturæ ascribitur. Ex quo deducitur, quod homo, qui in statu suo persistens, potest adhuc fieri paulo altior se ipso, signum est eum non peruenisse ad terminum, quem sua virtus sibi vendicabat; vel saltem, quod eius virtus postea aliquantulum facta sit robustior, siuè in se, siuè quo ad ablationem impedimentorum, quæ eam morabantur nè suum actum secundū completum causaret.

28 Subinstabis, vel natura humana, vt sic vendicat sibi terminos illos extremos magnitudinis, & paruitatis intrinsecos: vel non, sed aliquis tantum homo. Secundum est contra suppositum quæstionis, in qua quærebamus de terminis debitis naturis in specie. Primum est contra doctrinam modo traditam; quia sic quilibet homo posset naturaliter peruenire ad dictos terminos, quod diximus esse falsum. ergo nulla responsio.

Respondeo concessa maiore cum priore parte minoris, nego posteriorem; ac dico terminos illos extremos primo, & per se naturam humanam sibi præscribere, eo quod neque supra terminū magnitudinis, neque infra terminū paruitatis potest exercere operationes suas connaturaliter. Hinc tamē nō recte deducitur, posse singulos homines ad illos naturaliter peruenire spectatis omnibus. quamuis enim possint, quatenus homines sunt vt sic, at non si considerentur in individuo prout his, vel illis qualitatibus affecti. Ad eum plane modum, quo ex eo, quod possit natura humana pertingere ad subtilitatem ingenij, quam habuit intellectus humanus Christi Domini: non inde sequitur posse naturaliter intellectui meo, vel tuo spectatis omnibus huiusmodi subtilitatem conuenire.

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA.

DE VIRTVTIBVS MOTIVIS ELEMENTORVM.

1 RAtio dispositio vniuersi poscit, vt in eo quodlibet corpus, corruptibile peculiarē quendam sibi vendicet locum, in quo melius se habeat, & à suis contrarijs minus detrimenti patiatur. Hinc terra infimum petit, prope centrum, locum, ignis supremum prope cælum, aer vero, & aqua medium inter vtrumque. Corpora denique mixta non alium; quam eum quem elementum in eis prædominans exposcit. Quoniam verò huiusmodi Corpora ob multiplicem causam extra dicta loca sibi naturaliter competentia violenter sæpe reperiri possunt: æquum fuit vt natura, quæ in necessarijs nunquam deest, eis proportionata media ad illa sibi comparanda tribueret. Porro hæc media non possunt esse nisi virtutes quædam motiuæ, quibus ad dicta loca corpora naturalia moueri valeāt, quarum vna dici solet grauitas, altera leuitas, de quibus in præsentia disputamus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Grauitas, quid Leuitas.

2 VNica Conclusio. Grauitas est virtus quædam, quæ primo & per se competit quibusdam elementis, ab intrinseco productiua immanenter motus deorsum; Leuitas vero virtus quæ primo & per se competit quibusdam elementis, ab intrinseco productiua immanenter motus sursum. Explicatur vtraque descriptio. Conueniunt enim inter se huiusmodi virtutes primo, quod sint causatiuæ efficienter motus localis; per quod differunt ab alijs virtutibus V. G. calefactiua, frigefactiua & similibus. Cōueniunt secundo in eo, quod sint productiuæ dicti motus localis immanenter hoc est in elementis, quibus insunt, non vero transeunter in alijs subiectis; per quod differunt à virtute, quæ est in magnete ad trahendum ferrum. Cōueniunt inter se tertio in eo, quod competāt ab intrinseco elementis, atque adeo sunt eis connaturales; per quod differunt à virtute impressa, quæ ab extrinseco agente causatur corporibus projectis & esse simpliciter violenta. Conueniunt denique quarto in eo, quod primo, & per se ipsis elementis conueniant, & eis mediantibus mixtis, in quibus aliquod exdictis elementis prædominatur. solū igitur distinguntur ad inuicem hæ duæ virtutes motiuæ eo, quod leuitas quoad à centro mundi ad Circumferentiam hoc est quod locum superiorē; grauitas vero ad Centrum hoc est ad locum inferiorem, & quidem cum determinatione quadam ita vt vna pon inclinet ad motum ad quē

Digitized by Google

inclinat altera, per quod etiã differunt à virtute motiua animalis, quæ non est principium per se determinatum ad vnum motum, sed est indifferens ad mouendũ animal vel sursum, vel deorsum versus.

3 Quod autem vtraque descriptio recte tradita sit, constat ex Arist. *lib. 4. de Cœlo tex. 6.* vbi ait: Id dici leue, quod sursum; graue, quod deorsum fertur. Nec non etiã quia rectè explicat naturã, & essentiã suorũ definitorum, & illã à quo vis alio, quod non est ipsa differre ostẽdit.

Negant nonnulli dari in corporibus huiusmodi principia, & virtutes motiuas cũ quibus Obijcies primo: dici potest res naturales ad sua loca propria trahi ab extrinseco, ex naturali quadam virtute magnetica, quæ sit in toto elemento, in naturali loco existens, & per eã trahere ad se suas partes, quæ sunt extra dictũ locum; non secus ac ferrum trahitur à magnete. ergo non oportet asserere, quod grauia, & leuia moueantur ab intrinseco. Cõsequentia patet. Antecedẽs probatur, quia si dicamus, quod quando aer inuiscentibus terræ inclusus magna vi super terrã, & aquas ascendit, & quod quãdo lapis in aere detentus tandiu grauitat donec ad centrum suum descendat, principium prioris motus sit in toto corpore aereo: posterioris vero in ipso terræ globo, quæ per virtutem magneticam partes suas naturali quadam sympathia ad se pertrahant, nullum sequitur inconueniens. ergo &c.

4 Respondeo negando antecedens, & ad eius probationem nego assumptum; tũ quia est expresse contra Aristotelem 4. *de Cœlo tex. 24.* vbi sic: Graue & leue in seipsis videntur habere principium mutationis: tum propter absurda, quæ inde sequerentur; & primo quidem, quia si dicta sententia vera esset, sequeretur, quod sicuti paruum ferrum velocius à magnete trahitur; quam magnum; ita etiam paruus lapis citius ad terram descenderet, quam magnus, quod tamen contra accidit. Præterea si per absolutam Dei potentiam terra, secundum se tota à naturali loco dimoueretur, & in loco aeris, vel ignis violenter detineretur. Cessante violentia, maxima velocitate ad proprium locum descenderet, ad quem nihilominus ab alio corpore minime traheretur. Ad hæc ferrũ violenter trahitur á magnete; & hoc non nisi, quia abextrinseco principio cõtra eius inclinationem mouetur; *Idem autem* eueniret terræ extra cẽtrum Deniq; si petam ab aduersarijs cur totũ elemẽtũ habeat vim trahẽdi ad se partes nõ vero potius partes mouẽdi se ad totũ profecto dicẽt quia totũ habet maiorem vim; sed hinc sequitur, quod si duo lapides sint in aere inæqualis magnitudinis: maior traheret deberet ad se minorem; compensari enim posset maior vis attractiua terræ, vicinitate, quæ esset in tanto duos istos lapides ad eũ plane modũ quo maior vis calefaciendi, quã habet magnus ignis cõpensatur á vicinitate, quam habet minor respectu alicuius ligni. Ex quo deducitur falsitas illius alterius opinionis, quæ putat omnia Corpora protrudi ab ipso Cœlo; & terram, quidẽ intensissimo impetu, ignem autem remissimo: aerem vero, & aquam, medio quodam impetu: hinc enim sequeretur, quod Corporibus naturalibus omnis virtus productiua harum ẽter suarum qualitatum negari posset; ac dici, quod quemadmodum Cælum lapidem, qui est in medio aeris mouet deorsum: ita etiam eundẽ lapidem, qui erat calidus moueat ad naturalem frigiditatem; atq; adeo Corpora naturalia non habere in se virtutem reducendi se ad pristinum statum suarum qualitatum. Non magis enim illa ad dictas qualitates inclinãt: quã ad locũ sibi naturaliter debitũ; vt experientia docet. Sed hoc est manifeste falsum. ergo &c.

Obicies secundo: Aristotiles *6. phys. à tex. 23* & alibi docet: elementa moueri à generante; & per hoc distingui ab animantibus, atq; viuẽtibus, quæ á se ipsis moueri dicuntur. ergo in corporibus grauibus, & leuibus nulla dantur intrinsece motiua principia. 5

Respondeo elementa vere habere in se qualitates quasdam motiuas, quæ se habeant vt instrumenta debita ipsorum formis substãtialibus, tamquam primis principijs motus: dici tamen moueri á generante, quia quidquid debetur rei genitæ ex vi generationis suæ tribuitur generanti, tanquam principio; si quidem censetur esse proprietas ipsius rei genitæ. id enim quod dat esse, dat etiam consequentia ad esse. Quonjam verò elementa per se tamquã debitam perfectionem ex vi suæ generationis requirunt esse in proprio loco: hinc fit vt motus ad locum proprium consequendum tribuatur ab Aristotile generanti, quod non euenit viuentibus seu animalibus; sic explicato antecedente, nego Consequentiam.

Iã stabis: etiam viuentibus deberi á generãte virtutes motiuas cum quo tamen stat quod ipsa dicantur proprie se mouere. ergo nulla est disparitas assignata. 6

Respondeo negando Cõsequentiam. Quamuis enim quantum ad receptionem virtutum motiuarum á generante viuentia cum elementis cæterisq; non viuentibus conueniant; differunt tamen quantũ ad productionẽ ipsius motus: eo quod dicta viuentia quando sunt in statu naturali maxime se mouent, suas vitales operationes exercendo tat grauia, & leuia non se mouẽt; nisi quando sunt extra suum naturalem statum: & per hoc maxime dicuntur à generante moueri, quia terminus talis motus initio suæ genẽrationis à generante sibi debebatur. 7

SECTIO SECVNDA.

An Grauitas Terræ, & Leuitas Ignis differant inter se Essentialiter.

CONclusio est affirmatiua contra Platonicos, & quãplures Mathematicos, quos sequitur Galileus docentes non dari leuitatẽ positiuã specie differentẽ à grauitate; sed omnia corpora sublunaria esse grauia, quædam magis, & quædam minus; & terram quidẽ esse in summo graue, aquam vero in gradu excellenti; terram autẽ in gradu mediocri; ignẽ vero in gradu infra mediocritatẽ. Moueri autẽ ad diuersa loca, eo quod sẽper minus grauia á grauioribus maiori impetu descendentibus, & locum centro vicniorem occupare intendentibus extrudãtur. Vnde est vt inferiorũ semper locum illis relinquant, & in superiori se collocent contra quos

T Pra-

Digitized by Google

8 Probatur primo nostra Conclusio: quando Ignis sursum mouetur, vel eius motus proceuit solum a principijs sibi extrinsecis, ipsum ab inferioribus locis excludentibus, vel saltem partialiter mouetur quoque a principio intrinseco sibi connaturaliter debito. Primum dici non potest, ergo secundum. sed ex hoc sequitur est habere leuitatem, quæ essentialiter à grauitate differat, ergo &c. Maior videtur certa. Minor vero suadetur, quia si solum à principijs extrinsecis moueretur, sequeretur, quod nullam in se haberet qualitatem motiuam, neque grauitatem remissam, neque leuitatem, sed hoc præter quam quod sit directe oppositum sententiæ aduersariorum: repugnat, saltem naturaliter loquendo, quia quodlibet Corpus corruptibile ex his quæ dantur habet in se principium motus localis, quo ad proprium locum sibi conueniens se valeat, quod falsum esset si ignis non cõcurreret efficienter ad se mouendum sursum. Neque ebins dici potest: quod licet in ordine ad motum sursum ab extrinseco moueatur: habeat tamen principium intrinsecum in ordine ad aliquem alium motum localem, quia quemadmodum nullus alius locus competit naturaliter igni, nisi locus sursum sita & nullus alius motus, præter eum quo sursum feratur. ex quo manifesto deducitur quod saltem partialiter ignis moueatur sursum à principio intrinseco sibi connaturaliter debito, quod autem hinc sequatur hoc principium esse leuitatem essentialiter à grauitate distinctam (quod erat subsumptum probandum)

9 constat ex eo, quia conuenimus cum aduersarijs in eo, quod grauitas sit illa, quæ de se mouet determinate ad centrum, & leuitas essentialiter ab illa distincta, ea, quæ si daretur moueret de se determinate à centro. Sed hoc principium intrinsecum ignis iam moueret de se determinate á centro. ergo est leuitas essentialiter à grauitate distincta.

Neque dicas grauitatem, quæ est in igne una cum principijs extrinsecis grauioribus illum à locis inferioribus detrudentibus, per accidens mouere sursum.

Ne id dicas, in quam, primo, quia hoc est impossibile. Videmus enim in motu projectorum, quod grauitas est semper impeditiua, vel saltem retardatiua motus sursum, & non illius operatiua. Secundo quia omnis virtus operatiua immaneater naturaliter competens alicui Corpori est ordinata per se ad actum, qui eidem Corpori naturaliter aliquando cõueniat, sed in nullo casu competere potest igni connaturaliter motus deorsum. ergo impossibile est quod naturaliter illi conueniat Grauitas, quæ per se ordinata est mouere deorsũ immanenter subiectũ, in quo ipsa est, & solum per accidens illud mouere posset sursum: si tamen posset.

10 Quiedus *Controu. 8. de elemen. punct. 7. nu. 16* multis argumentis conatur nostram probare sententiam, vnum, tanquam Coronidem apponit in fine *nu. 17.* quod est huiusmodi: omnis bona philosophia improbat, quod augmentum virtutis, á qua effectus aliquis procedit, possit effectum illum impedire, & alium oppositum producere. ergo repugnat credere quod ignis, qui tribus gradibus qualitatis naturaliter sursum ascendit: tribus alijs eiusdem rationis ac quibus moueretur deorsum. Sed hæc sententia quam impugnamus hoc sustinet, dum docet quod idem ignis ascendit, ac terra descendit: quia illo habet grauitatem in gradu remisso, hæc in intenso: ergo &c.

Verum hæc ratio non videtur efficax, possent 11
enim aduersarij negare primum antecedens, & multipliciter eius falsitatem à similibus ostendere, quia videmus hiberno tempore eos qui niuem frigidis manibus incipiunt contrectare, calidas paulo post illas exponi, & aquas puteales, quæ æstate frigidæ erant, paulo post calefieri. ergo quemadmodum augmentum virtutis frigefactiuæ, à qua frigefactio per se oriri solet, potest per accidens eam impedire, & calefactionem, quæ est motus oppositus causare: ita & in casu nostro. Rursus in viuente Calor in mediocri intensione eius salutem & vitam operatur: at si nimium intendatur, morbum ac mortem in eo producit. Denique sensibile proportionatum sensorio illud recreat, ac nimis intensum illud corrumpit, & dolore afficit. Non est igitur nouum, quod virtus, quæ quando erat remissa vnum producebat effectum, si intendatur producat oppositum. Poterit ergo grauitas, quæ vt tenia ignẽ per accidens sursum naturaliter fert, si intendatur vt sex illũ deorsum propellat. quare nisi vlterius quæramus ab aduersarijs, quid per se loquendo causet in igne grauitas illa remissa, eos premere non poterimus.

Aliud Argumentum contra eosdem adducit 12
Maurus *quæst. 48.* á posteriori sic: quod ita est graue, vt non habeat positiuam leuitatem essentialiter à grauitate distinctam; tunc solum ascendit, quando à grauiore extruditur. Sed Ignis conatur ascendere etiam si non extrudatur. ergo &c. Maior est aduersariorum doctrina. Minor probatur ex musto intra dolium incluso, cuius ignei spiritus tanto impetu conantur ascendere, vt operculum dolij sursum propellant. Sed dictus impetus non causatur ab aliquo corpore grauiore, huiusmodi exhalationes ignéas extrudente. ergo &c. Minor huius, quæ sola probanda remanet, suadetur, quia hoc Corpus grauius non potest esse operculum, neque ipsum dolium, vt patet, neutrum enim subintrare conatur in locum à dictis spiritibus occupatum, neque possunt esse partes musti crassiores, quia hæ infundo subsidere supponuntur: neque aer, quia supponimus dolium esse musto repletum. ergo &c.

Sed neque hoc argumentum conuincit: dici enim ab aduersarijs potest: spiritus illos igneos dolij operculum expellere, non quia conentur sursum ascendere, sed quia ampliorem locum requirant. Cum enim ex segregatione partium crassiorum magis incalescant: sequitur quod amplius rarefiant ac dilatentur. Vnde non est mirum, si operculum expellant, vt nimirùm maiorem occupent locum, & huius quidem rationis Confirmationem adducere possunt ex eo quia si dolium careat orificio illi spiritus concluſi adeo dolij latera premunt, vt ea disrumpãt, & sic qua data porta ruant, parum curantes vtrum

trum ascendant an descendant, se dilatando. Quare his reiectis rationibus communem assertionem sola nostra probatione sufficientissimè fundatam esse existimandum est.

13 Obijcies tamen primo: Idem impulsus potest esse principium motus sursum, & deorsum. ergo eadem ratione potest eadē qualitas esse principium motus deorsum in terra, & sursum in igne.

Respondet Ouiedus num. 18. negando consequentiam. Disparitatem assignat, quia ipse Aduersariorum sententiam non impugnat ex eo quod non possint ab eodem principio motus diuersi, & oppositi prouenire. Sed quia intelligi nequit ab hac virtute in hac intensione procedere hunc effectum, & in maiori non posse eundem, sed alium contrarium prouenire debere; in casu enim de impulsu eadem qualitas sub eadem intensione indiuisibiliter sumpta potest esse principium vtriusque motus.

Sed ex responsione hac maiores videtur sumere vires argumentum: sic, ab eadem virtute impressa in eadem intensione accepta possunt procedere diuersi motus sursum, ac deorsum. ergo multo magis poterunt ab vna, eademque virtute in diuersa intensione sumpta. Consequentia patet, quia facilius est refundere diuersitatem effectuum in causas diuersitatem aliquam habentes: quam in causam nullam omnino in se habentem varietatem. ergo, si non obstante eadem identitate impulsus, quo ad sua intrinseca inuariata, sustinetur posse ab eo diuersos illos motus causari: multo probabilius sustineri potest, quod possint prouenire à grauitate in diuersa intensione considerata.

14 Respondeo ergo secundo in mea sententia non dari virtutem impressam; & vnam ex rationibus, vti videbimus, esse hanc: quia sequeretur posse saluari, quod virtus elementorum sit in omnibus eiusdem speciei atomæ, & differat tantum ratione subiectorum à quibus diuersas habet determinationes ad opposita loca mouendum. Quoniam verò aliqui id non probant. Ideò pro eis.

Respondeo tertio dato antecedente, negando consequentiam. Ratio negationis est, quia Aduersarij non ponunt in elementis virtutem, quæ de se sit indifferenter productiua motuum sursum, & deorsum: sicuti dicunt esse impulsum. Sed, quæ sit de se determinata ad solum motum deorsum, dicendo quod nulla alia qualitas motiua in corporibus inanimatis detur, præter grauitatem, quæ ratione diuersæ intensionis, secundum quam illis competit, sit diuersorum motuum productiua. Vndè patet Disparitas inter hanc virtutem, & illam. Addiderim, quod tantum abest, vt dicta virtus impressa huic sententiæ fauet; vt potius illam oppugnet. Nā quemadmodum repugnaret, quod talis virtus esset determinata ex suis intrinsecis ad vnum V. G. ad mouendum deorsum, & nihilominus per determinationem extrinsecam à proijciente causatam moueret sursum; ita dicendum est, quod repugnet grauitatem, quæ de se est determinata tendere ad centrum, posse ab extrinseco determinari ad mouendum ad circumferentiam.

Obijcies secundo corporibus, quæ coniunctionem mutuam naturaliter exigunt, repugnare diuersæ inclinationes ad contrarios terminos. Alioquin dissociationis periculum immineret. Sed elementa exigunt inter se esse coniuncta, & associata. ergo repugnant eis inclinationes ad terminos contrarios. Atqui leuitas essentialiter à grauitate distincta inclinat ad contrarium terminum ei, ad quem inclinat grauitas, ergo non datur. 15

Respondeo distinguendo maiorem, & siquidem coniunctio, quam exigunt corpora, quæ associari debent, ad terminos contrarios protendenda est, nego quod repugnet ea ad dictos terminos inclinare. Si non est protendenda ad contrarios terminos, concedo maiorem, & sic distinguo minorem: elementa exigunt inter se esse coniuncta coniunctione ad terminos contrarios protendenda, concedo: Non protendenda ad dictos terminos, nego minorem, & consequentiam; & ad subsumptum, dico quod licet leuitas, & grauitas ad terminos contrarios moueant, vna ad centrum terræ, altera ad circumferentiam: quia tamen elementa exigebant ita inter se coniungi, vt nihilominus ad duo hæc extrema protendetentur. Ideò rectus ordo poscebat, vt vnum ad centrum, alterum ad superficiem inclinaret; duo verò reliqua ad medium occupandum, quod reperitur inter extrema propendèrent, ex quo deducitur nullum imminere dissociationis periculum in nostra sententia.

Obijcies tertio partes vnum sphæricum globum componentes debent omnes ordinari ad vnum centrum; sed elementa, & mixta sublunaria sunt partes vnum elementaris Mundi globum componentes; aliundè verò per solam grauitatem corpora ordinantur ad centrum. ergo hanc solam tamquam propriam virtutem motiuam vendicare sibi debent omnia corpora. 16

Respondeo distinguendo maiorem: partes vnius sphærici debent omnes ordinari, hoc est tendere, ad vnum centrum, nego: ordinari, hoc est disponi, & collocari ordinatim cum respectu ad centrum, concedo; & concessa priore media, distinguo posteriorem: per solam grauitatem corpora ordinantur, hoc est tendunt ad centrum, concedo; ordinantur, hoc est inuicem disponuntur, & ordinatim collocantur cum respectu ad centrum; nego minorem, & consequentiam. Explico: duplicem ordinationem, potest intelligi habere ad centrum corpus aliquod, vnam, per hoc, quod habeat grauitatem quæ est virtus motiua ad illud: alteram per hoc, quod certum ordinem, ac dispositionem cum respectu ad centrum in mundo seruet, vendicando sibi aliquem determinatum in eo locū. Porrò partes mundi sublunaris globum componentes non debent omnes ordinari ad centrum per virtutem mouentem ad illud: alioquin nulla posset inter eas debita proportio, & dispositio reperiri; sed debent ordinari ad illud, vendicando sibi aliquem determinatum in mundo locum, in quo seruent ordinem ad centrum; & hoc modo rectè intelligitur ordinatus ad centrū ignis, per hoc, quod ab eo moueatur ad supremum

Digitized by Google

mum locum, illumque respiciat: tanquam extremum, quod totius globi elementaris circumferentiam vltimam attingit, atque determinat.

17 Obijcies quarto; petere diuersum locum, seu vbi, vnum altius, quam aliud, non videtur conceptus arguens diuersitatem notabilem sufficientem ad diuersitatem specificam inducendam. ergo ex eo quod grauitas, & leuitas petant diuersum locum, seu vbi, vnum altius, quam aliud non bene, deducitur ea inter se differre specie. Ita ferè Arriaga *disput. 4. de Generat. sect. 5. num. 92.*

Respondeo distinguendo antecedens, & siquidem diuersitas loci, seu vbi materialiter consideretur, concedo; si vero formaliter, quatenus, videlicet, importat in mundo determinatum situm, in quo corpus existens melius à contrarijs conseruetur: nego antecedens, & consequentiam. Quemadmodum enim petere radicaliter diuersa loca in ordine vniuersi est conceptus arguens sufficienter diuersitatem specificam in substantijs, quæ sunt principia radicalia exactissima huius diuersitatis, vt patet in igne, & terra: ita petere formaliter diuersa loca in ordine vniuersi est conceptus arguens sufficienter diuersitatem specificam in leuitate, & grauitate, quæ sunt principia formalia huius diuersitatis.

Cæterum non possum non notare in hoc auctore, quod post assignatam rationem loco citato addit, sic enim concludit; quod si ad hoc tibi videtur sufficiens ad inducendam diuersitatem specificam, non grauabor id cõcedere; quod quidem magna ex parte ad quæstionem de nomine pertinet, Ex quo deducitur, quòd in eius sententia quæstio de nomine sit quærere: vtrum duo inter se essentialiter differant, atque adeò in re idem esse asserere, quod homo, & equus V. G. sint eiusdem speciei infimæ, ac quod sint diuersæ. Hoc verò, quam sit solidè dictum, alijs iudicandum relinquo.

SECTIO TERTIA.

Quid de Grauitate aquæ, & Leuitate aëris sentiendum.

18 HVC vsque vidimus virtutes motiuas duorum elementorum extremorum, nimirum, terræ, & ignis, essentialiter inter se differre: in præsentia examinandum, quo modo differant virtutes mediorum, aquæ, videlicet, & aëris. Quamuis enim aqua, dici soleat grauis secundum quid, ad differentiam terræ, quæ dicitur grauis simpliciter, & aër leuis secundum quid, ad differentiam ignis, qui dicitur leuis simpliciter: Dubium tamen est, cuius rationis sint in eis huiusmodi virtutes motiuæ. Auersa enim *quæst. 40. sect. 3.* primo putat eas non solum ab inuicem differre essentialiter; sed etiam essentialiter differre à virtutibus motiuis extremorum; & solum in nomine conuenire cum illis. Secundo Maurus *lib. 3. quæst. 48.* existimat dictas virtutes motiuas aëris, & aquæ adæquatè acceptas esse eiusdem speciei infimæ cum sola grauitate terræ; differrè autem solum per hoc, quod terra sit summè grauis, aqua in gradu excellenti, aër verò in remisso. Tertio Ruuius *lib. 4. in Cœlo cap. 6. quæst. prima* ait virtutem motiuam aquæ esse eiusdem speciei cum virtute motiua terræ: virtutem verò motiuam aëris eiusdem cum virtute motiua ignis, ita, vt nihil habeant admixtum virtutis contrariæ; sed aquam, per hoc præcisè petere locum supra terram, quia habet minus de grauitate; aërem verò per hoc tendere infra ignem, quia habeat minus de leuitate. Quarto demum alij, de quibus mentionem facit Arriaga *disput. 4. sect. 5. num. 90.* existimant grauitatem aëris, & aquæ differre inter se specie: leuitatem verò aëris, & ignis esse eiusdem speciei, contra quos omnes sit.

Nostra Conclusio sit: grauitatẽ aquæ ita esse 19
eiusdem speciei cum grauitate terræ; vt habeat ad mixtum aliquid de leuitate ignis: leuitatem vero aëris: ita esse eiusdem speciei cum leuitate ignis; vt habeat aliquid ad mixtum de grauitate terræ. Atque adeo adæquatas virtutes motiuas aquæ, & aëris esse eiusdem speciei infimæ; quatenus quælibet ex eis leuitatem, & grauitatem simul includit: differre autem solum secundum magis, & minus; in quantum aqua habet magis de vno contrario, nempe de grauitate; minus de alio, ideſt, de leuitate: cõtra vero aer magis de leuitate, & minus de altero Contrario, quod est grauitas.

Duo dicit Conclusio; & primum quidem videlicet, quod grauitas aquæ sit eiusdem speciei cum grauitate terræ, & quod leuitas aeris sit eiusdem speciei cum leuitate ignis, suadetur triplici ratione, quarum prima sumitur ex Aristotile, qui primo Cæli *tex. 6.* tres ponit motus simplices: à medio, ad medium, & circa medium; ergo tres per illum dantur virtutis motiuæ specie differentes, quarum tertia cum cõueniat Cælo, quod circulariter mouetur, sequitur, quod duæ tantum virtutes in elementis specie interse differant, grauitas scilicet, & leuitas.

Secunda ratio sic procedit, ex vna parte tũ 20
aquæ, tum terræ grauitas sunt virtutes mouendi deorsum: ex alia vero tum aeris, tum ignis leuitas sunt virtutes mouendi sursum, ergo non est, cur inter dictas grauitates & leuitates discrimen essentiale ponamus. Consequentia suadetur, quia si qua esset ratio, in contrarium; maximè, quia alius est locus deorsum ad quem inclinat grauitas terræ, & alius ille, ad quem inclinat grauitas aquæ: itemque alius est locus sursum proprius ignis, & alius debitus aeri, sed hæc locorum diuersitas cõsistit solum in eo, quod locus aquæ deorsum sit superior loco terræ; locus vero sursum aeris sit inferior loco ignis. Porrò hanc diuersitatem non inducere specificam differentiam inter earum grauitates, & leuitates, suadetur ex eo, quia potest recte saluari per hoc quod dicamus terræ grauitatem, & ignis leuitatem debere esse in summo: grauitatẽ vero aquæ, & leuitatem aeris prope sũmũ, inde.n. habetur quod terra cum sit grauior aqua, inferiorem ea locum exposcat, & ignis quatenus leuior aere, superiorem illo. ergo non

est

est cur dicamus huiusmodi grauitates, & leuitates essentialiter esse diuersas.

21 Tertia denique ratio deducitur ex absurdo: quia si grauitas aquæ, & terræ differrent specie eodemq; modo differrent leuitas aeris, & ignis sequeretur quod aliorum quoque mixtorum leuitates, & grauitates deberent inter se essentialiter distingui: nimirum grauitas argenti, & auri; leuitas ligni, & olei; & sic de cæteris Corporibus, quorum vnum exigit esse supra aliud. Hoc autem licet Auersa non putet inconueniens, atque adeo admittat, quod pro diuersa combinatione densitatis, & raritatis, quam dixerat esse principium certæ virtutis motiuæ, diuersificentur specie dictæ virtutes: nemo tamen est in philosophia mediocriter versatus, qui non videat huius rei absurditatem, cum eiusmodi raritas & densitas sint in infinitum diuisibiles, quoad intensionem: hinc fit vt earum combinationes possint in infinitum diuersificari. Vnde si cuicumque diuersæ Combinationi assignanda esset virtus motiua specie distincta: essentiæ harum virtutum deberent crescere in mundo in infinitum.

Atque hæc quantum ad priorem partem Cõclusionis, quantum vero ad posteriorem, in qua diximus grauitatem aquæ per hoc differre à grauitate terræ, quod habeat admixtum aliquid leuitatis, terræ vero nihil: & leuitatem aeris, à leuitate Ignis, eo quod habeat admixtum aliquid grauitatis; ignis vero nihil.

22 Suadetur item tripliciter: primo ex Aristotile *qui lib. 4. de Cælo tex. 39.* & sæpe alibi docet aerem & aquam grauitatem, & leuitatem habere, quod si dicas eum loqui de leuitate, & grauitate respectiua; in quantum aqua est minus grauis quam terra, & aer minus leuis quam ignis: Contra hoc secunda ratio sic procedit: si aqua nihil leuitatis, & aer nihil grauitatis haberet: sequeretur, quod quando aqua à loco terræ ascendit, & aer ab ignis loco descendit vtriusque motus esset vtrique violentus. Sed hoc videtur absurdum. ergo &c Sequela patet, quia neque motus sursum in aqua supponeret aliquid leuitatis à qua causari posset: neque in aere motus deorsum aliquid grauitatis. Vnde dicendum esset, quod vterque proueniret ab extrinseco: terra scilicet ratione maioris grauitatis propellente aquam sursum, & igne ratione maioris leuitatis propellente aerem deorsum. Minor vero probatur ex eo, quia per illos motus tum aqua, tum aer tendunt ad sua loca naturaliter sibi debita. ergo debent habere virtutem ad illos motus causandos; alioquin non satis prouisum esset illis à natura in necessarijs, si quidem quando aqua esset in loco inferiori, & quando aer in superiori, non haberent media requisita ad consequendum locum sibi connaturalem, in quo melius se haberent. Suadetur denique tertio ratione qua vtitur Aristotiles primo de Cælo *tex. 89.* ad probandum vniuersaliter motum elementorum non fieri per extrusionem. Si motus sursum aquæ, & aeris deorsum fieret per extrusionem: esset tardior in fine quam in principio; quia corpus propulsum per violentiam, eo tardius mouetur; quo magis à propellente longatur. At motus illæ aquæ sursum, & aeris deorsum velocior est in fine quam in principio, si quidem in fine accedunt ad locum sibi connaturaliter debitum. ergo admittendum est in aqua aliquid leuitatis, quod sit causa illius motus sursum, & in aere aliquid leuitatis, quod sit causa illius motus deorsum.

Conimbricens. *vt lib. 4. de Cælo cap. 1. quæst. 2. art. 2.* dicunt quod cum aer à loco ignis ad quem mouetur, propriè non descendit, eo quod non ad locum grauium, sed ad locum minus leuium mouetur. Item, cum aqua è loco terræ sursum petit; propriè non ascendat; cum non moueatur ad regionem leuium: sed ad locum minus grauium. Vnde sit vtrique solam leuitatem aeri moueatur infra ignem, & aqua per solam grauitatem supra terram. 23

Sed contra est, quia hoc ipso, quod posset saluari motus ex contrarijs terminis, ad eundem omnino locum posse fieri ab eadem virtute motiua in elementis; non esset ratio cur, quando ex æterea regione descendunt aliquando in aerem ignis particulæ, vt contingere docet Aristotiles *1. meteor. cap. 4.* ille motus non diceretur naturalis, sicuti etiam, si terra per aquam ascenderet; quia tum grauitas totum illud spatium, quod dicitur deorsum: tum leuitas totum illud spatium, quod dicitur sursum posset, siue à Centro mouendo versus circumferentiam, siue à circumferentia versus centrum, acquirere. Sed hoc quam sit absurdum nemo non videt. ergo &c. Neque dicas non sequi hoc, eo quod ignis supponitur esse summe leuis; & sic debet esse supra omnia elementa; & terra summe grauis, & sic vendicat sibi infimum locum. ne iddicas, inquam, quia si semel grauitati, & leuitati conceditur vis causatiua duplicis illius motus à medio mundi, & ad medium, non est cur negetur vnam specie virtutem pro diuersitate intẽsionis, causare in igne motum ad concauum lunæ, & in terra ad centrum mundi modo dicto; sed hoc est falsum vt supra probauimus: ergo &c.

Obijcies primo cum Auersa pro sua sententia: virtus aquæ per se petit locum superiorem terræ. ergo differt à grauitate terræ; & virtus aeris petit locum inferiorem igne. ergo differt à leuitate ignis. Sed hæc differentia non potest esse accidentalis. ergo essentialis. Maior patet. Minor probatur differentia, quæ est inter grauitatem terræ & leuitatem ignis non est accidentalis; sed essentialis; atqui hoc non dicimus, nisi quia huiusmodi virtutes motiuæ petunt diuersa loca, vnum alio superiorem. ergo à pari. 24

Respondeo concessa integra maiore: negãdo minorẽ; ad cuius probationẽ. concessa itẽ maiore: distinguo minorẽ: ideo leuitas ignis, & grauitas terræ differunt inter se essentialiter, quia petũt diuersa loca, quæ sint extrema, & inter se opposita: nimirum, vnum quod sit in centro infra omnia Corpora aliud ad circumferentiam supra omnia corpora, concedo, quæ loca sint media, & non extreme opposita inter se, nego minorem. & ad Consequentiam dico, quod quamuis aqua, & aer exigant in mundo diuersa loca; quia tamen hæc non sunt extrema, sed

media

Digitized by Google

media ; ideo ſufficit ſi eorum virtutes motiuæ differant inter ſe accidentaliter ; per hoc quod vna habeat plus de grauitate, alia vero plus de leuitate.

25 Obijcies ſecundo quemadmodum viriditas eſt color medius inter albedinem, & nigredinem : ita virtus motiua aeris eſt media inter leuitatem ignis, & grauitatem terræ. Similiterque virtus motiua aquæ, inter grauitatem terræ, & leuitatem aeris. ergo ſicuti viriditas differt ſpecie ab albedine, & nigredine: ita virtutes motiuæ aeris, & aquæ à grauitate terræ, & leuitate aeris.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Diſparitas eſt, quia in viriditate cæteriſque coloribus medijs non apparent effectus proprij albedinis, & nigredinis : at in virtute motiua aeris, & aquæ experimur effectus proprios leuitatis & grauitatis, qui ſunt mouere à medio ſurſum, & mouere ad medium deorſum, vnde ſicuti non valet argumentari à viriditate ad probandum, quod tepiditas ſit qualitas ſimplex media inter frigus, & calorem : ita neque in caſu noſtro.

Obijcies tertio cum Mauro, illa corpora nõ
26 habent poſitiuam leuitatem, quæ nullum habent innatum impetum aſcendendi ſupra graue in ſpecie : ſed huiuſmodi ſunt aqua, & aer, quæ non aſcendunt niſi à grauiori corpore extruduntur. ergo &c. Maior patet. Minor probatur ex Ariſtotile 4. *Cæli tex.* 39. vbi ſic : qua propter ſi ſubtraharur, fertur in id, quod deinceps eſt deorſum, aer quidem in regionem aquæ, aqua autem in eam quæ eſt terræ, ſurſum autem in eam regionem quæ ignis eſt ablato igne non ferrur aer, niſi vi, neque aqua in eam, quæ eſt aeris, niſi vt nunc dictum eſt.

Reſpondeo conceſſa maiore : negando minorem, ad cuius probationem dico de Ariſtotelis mente non dubitare non poſſe, dum videmus eũ *lib. 1. de Cælo tex.* 89. & 90. pluribus argumentis contra Platonem probare vniuerſaliter elementorum motum non poſſe fieri per extruſiones.

27 Quin imo *in tex. citato de Cæli*, & ſequentibus expreſſe docet aerem aliquid grauitatis, & aquam aliquid leuitatis habere, per quod ab igne, & terra diſcriminantur, quorum alter eſt ſummè leuis, altera vero ſummæ grauis. Quid autem voluerit philoſophus in dicto textu dum dixit quod ablato igni non ferrent aer in eius locum, niſi vi, eodemque modo aqua ablato aere in locum ipſius aeris non omnino conueniũt. Aliqui cum Conimbricenſibus exiſtimant eum ibi docere ſolum quod elementa medio grauitẽt in proprijs locis, atque adeo ſuperiora elementa ſubtrahantur debent à ſuis, ſecundum grauitatis excludere, quod ſine aliqua vi facere non poſſunt. ſed hoc ex ſequentibus quæſtionibus pendet. Quare melius dicendum putarem nihil aliud hoc loco philoſophum voluiſſe, niſi, quod vtrumque elementum quamuis habeat indaquatum principium motus ſurſum, & deorſum : minorem tamen difficultate deorſum, quam ſurſum rendat, cuius rei ratio poſtulatur, quia motus ſurſum eſt ido ſe quidem naturalius motu deorſum. Porro res naturales cæteris paribus facilius effectum imperfectiorem producunt. Non eſt igitur mirum ſi aqua, & aer facilius moueantur deorſum : quam ſurſum, & à ſurſum non niſi maiori violentia intercedẽte cõtendant, minori autem deorſum. Motus enim ille eſt nobilior, & per ſe nõ cõuenit niſi Corpori nobiliori. Præterea idcirco illa vis, qua per Philoſophũ elementa media mouentur ſurſum, non facit vt ille motus ſit violentus ſimpliciter reſpectu eorum : quia dictus motus licet ſit contra aliquam eorumdem inclinationem : non eſt tamen contra præcipuam, quam habent ad locum ſibi connaturaliter debitum ; ad eum plane modum quo quando homo montem conſcendit licet aliqua vi moueatur ſurſum : abſolute tamen ille motus eſt illi naturalis, quatenus prouenit ei ab intrinſeco, iuxta præcipuam eius inclinationem elicitam.

Obijcies quarto ex eodem Mauro. Aer ſolũ 28
habet impetum aſcendendi ſupra graue quando extruditur, ergo talis impetus non eſt illi intrinſecus. Conſequentia patet, antecedens ſuadetur, quia cum vter aere inflatus demergitur in aqua magno impetu conatur aſcendere : ſi vero aqua illa congelaretur ita vt vtrem non poſſet extrudere ; aer maneret quietus ſub aqua. ergo aer nullum de ſe habet impetum aſcendẽdi, ſed illum per extruſionem acquirit. Confirmatur, quia in poris & concauitatibus lapidũ, & metallorum habetur aer : ſed ibi ſine vllo impetu aſcendendi moratur. ergo &c.

Reſpondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius probationem dico, quod ideo ſub aqua congelata vter manet quietus, quia aer in eo incluſus non poteſt glaciei reſiſtentiam ſuperare. Vnde violenter ibi quieſcit, quod ſi ponatur, quod poſſit : ſtatim ab hora fracta ſui ſummo aſcendet. Ad confirmationem vero dico quod vel in dictis cauitatibus aer ad impediendum vacuum violenter exiſtit : vel ſi naturaliter, quod non habet ſupra ſe corpus graue. Nam facit vnum continuum cum aliquo aere ſicuti ille, qui eſt in puteis.

Obijcies quinto ex Ruuio *loco citato*: Aer & 29
aqua ſunt corpora ſimplicia, ergo & eorum vigentes motiuæ eſſe debent ſimplices qualitates. ℣
Conſequentia patet, nam quinque non differrent à Corporibus mixtis ; tum etiam quia nulla eſſet ratio, quæ nos probamus vtramque primam qualitatem ſingulis elementis eſſe competendam in ſummo.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ratio negationis eſt, quia ſimplicitas Corporis non ſumitur per ordinem ad aliud, ſicuti virtus motiua, quæ ſumitur per ordinem ad locum. Quemadmodum igitur loca aeris, & aquæ ſunt media ; ita & eorum virtutes participare debent de vtroque extremo : ſecundum quod magis, vel minus ad vnum, vel ad aliud accedunt ; & ſicuti ex eo, quod aer eſt immediatus igni, & aqua conuenit cum illo quidem in calore ; cum hac vero in humiditate : ſic etiam propter eandem rationem conuenire debet cum igne in leuitate, & in grauitate cum aqua. Ad poſteriorem conſequentiæ probationem

nego

Digitized by Google

nego assumptum: quemadmodum enim omnia elementa differunt à mixtis, etiam si in habendis secundis qualitatibus contrarijs suis admixtis (vt in habenda densitate, raritate, opacitate, diafaneitate, & similibus) conueniant cum illis: ita differunt etiam si in habenda admixtione motiuarum qualitatum conueniant. Ad posteriorem vero aio disparem esse rationem: tum quia dicta virtutum ad mixtio est vtilis ad aliquem finem obtinendum, nimirum ad habendũ locum medium; ad mixtio autem primarum qualitatum cõtrariarum ad nihil inseruiret elementis; tum etiam quia motiuæ virtutes sunt secundæ qualitates, & non primæ; secundarum autem admixtionem non ob esse simplicitati Corporis patet ex dictis.

Obijcies sexto ex eodem Ruuio: Auctore Aristotile *primo de Cælo cap.* 2. corpori simplici quale est quodlibet elementum conuenit motus simplex; sed de ratione motus simplicis est vt ab vna tantum potentia proueniat. ergo in aere, & aqua non datur duplex motiua potẽtia.

30 Respondeo concessa maiore, & minore nego consequentiam: etiam si enim in aere, & aqua detur duplex potentia motiua: tamen adhoc vt eorum motus dicantur simplices, satis est quod ab vna earum eliciantur. Hoc autem euenire posse euincerem ex D. Th. 1. *de Cælo lect.* 4. in cuius fine habetur: aliquando contingere, quod Corpus mixtum moueatur motu simplici hoc est secundum elementum, quod in eo est prædominans; sicuti ferrum mouetur deorsum secundum motum terræ, quæ in eius mixtione dominatur. Tum sic, non obstante quod ferrum sit Corpus mixtum, potest illi competere motus simplex, vt colligit S. D. ex philosopho *loco citato text.* 8. ergo multo magis Corpori simplici non obstante, quod duplex habeat principium motus; & recte; non enim est necesse vt in quẽcunque motum influat vtrumque principium. Vnde quemadmodum aqua quæ est *frigida* vt sex & calida vt duo, quando agit in passum non nisi per solum frigus operatur, non vero per calorem; ita & in casu nostro, quando aer sursum ascendit non mouetur nisi per leuitatem. Contra vero si descendat.

31 Obijcies denique septimo pro quarta sententia. Grauitas aquæ habet effectus contrarios grauitati aeris ergo differunt specie.

Respondeo primo cum Arriaga dicto *num.* 90. quod quemadmodum aer se habet in ordine ad aquam: ita ignis in ordine ad aerem, sed in hac sententia leuitas aeris est eiusdem rationis cum leuitate ignis. ergo & grauitas eiusdem aeris, cum grauitate aquæ erit eiusdẽ rationis. Maior, quæ sola probanda est, sic suadetur, quia sicuti aer ascendit supra aquam, & aqua descendit infra aerem: ita Ignis ascendit supra aerem, & aer descendit infra ignem. ergo &c.

Respondeo secundo concesso antecedente, negando consequentiam; & ratio negationis est quia illa effectuum contrarietas bene potest refundi in diuersas leuitatis ac grauitatis combinationes, quemadmodum enim duobus agentibus quorum vnum est calidum vt sex, & frigidum vt duo, alterum vero frigidum vt sex, & calidum vt duo: procedunt effectus contrarij: si quidem vnum calefacit suum passum, alterum refrigerat suum; & tamen in virtutibus actiuis non differunt specie: ita & in casu nostro aqua petit esse supra terram, & aer supra aquam; quamuis eorum virtutes actiuę adæquate acceptæ sint eiusdem speciei æquæ. Ex quibus deducitur eodem modo discurrendum esse de Corporibus mixtis quod scilicet habeant aliquid grauitatis, & leuitatis; & secundum quod vna, vel altera est magis in eis intensa, vel sublimiorem, vel inferiorem locum in mundo sibi vendicent, neque enim credideris dari mixtum aliquod, quod vel leuitatem, vel grauitatem requirat in summo: Quamuis enim ferrum, & aurum videantur esse grauiora quam terra: hoc ideo est, quia terra, quam apud nos habemus non est in sua puritate quam naturaliter exigit: sed est multis vaporibus aqueis, imo partibus aereis permixta, quæ illam dictis mixtis leuiorem reddunt.

Obijcies octauo directe contra nostram Conclusionem. De distinctione leuitatis, & grauitatis ab alijs rebus circumfertur duplex opinio vna est Vallesij *lib. de Sacra philosophia cap.* 48. quam valide propugnat Arriaga *disput.* 4. *sect.* 5. ea docet grauitatem, & leuitatem identificari cum substantia rerum grauium, & leuium. Altera, quam sequitur Oviedus *Contr.* 8. *punct.* 7. *num.* 13. putat ea non distingui à primis qualitatibus permixtis; sed siue sequamur vnam, siue alteram nequit sustineri grauitatem aquæ esse eiusdem speciei cum grauitate terræ, & habere admixtum aliquid de leuitate ignis (& idem dici potest de leuitate aeris). ergo falsa. Conclusio. Maior & consequentia patet. Minor probatur, quia siue dicamus grauitatem terræ, & leuitatem ignis identificari cum eorum substantijs, siue cum eorum primis qualitatibus: cum aqua non sit eiusdem speciei essentialis cum terra, & igne: neque complexio suarum qualitatum sit eiusdem speciei cum complexione qualitatum illorum: euidenter sequitur neque eius grauitatem esse eiusdem speciei cum grauitate terræ, neque habere aliquid de leuitate ignis. Confirmatur, quia aqua est elementum igni dissimbolum. ergo neque habet aliquid illius quo ad essentiam specificam, neque quo ad primas qualitates.

Maurus *lib. 3. quæst.* 45. vtramque sententiam 33
putat esse falsam, eamque triplici impugnat argumẽto deducto ab impetu seu impulsu, quod hoc vnico enthymemate concludi potest. Impetus deorsum ac sursum in proiectis distinguitur ab eorum substantia, atque temperamento, vt patet. ergo, & grauitas ac leuitas in elementis ac mixtis. Consequentiam probat, quia impetus quo mouentur proiecta conuenit cum grauitate, & leuitate, in eo quod sit virtus motiua, & differt solum ab illis, quia prouenit Corporibus ab extrinseco seu per accidens: hoc est, à proiciente: at vero leuitas & grauitas elementis, & mixtis procedit ab intrinseco, atque adeo illis per se conuenit.

Verum hoc paritas nullam habet vim: tum quia quamplures sunt, qui probabiliter negant

gant proiecta moueri per virtutē sibi á proijciente impressam; atque adeo putant eam non duraturam etiam, quia, ea admissa, omnes conueniunt in eo, quod sit valde diuersæ rationis á grauitate & leuitate; non solum, quia est de se indifferens ad producendum motum sursum, & deorsum, expectatque adhoc á proijciente determinari: sed etiam quia est valde brevis durationis, & statim exigit corrumpi. Contra vero grauitas, & leuitas: & sunt determinatæ de se ad mouendum, illa deorsum, hæc sursum; & nisi immediate, & se ipsis vna expellat aliam semper exigunt conseruari. Quare melius, quid de distinctione leuitatis, & grauitatis ab alijs rebus dicendum sit sequētibus sectionibus aperiendum videtur, vbi de argumenti leuitas apparebit.

SECTIO QVARTA.

An grauitas, & leuitas identificentur cum substantia Corporis in quo sunt.

34 CONclusio est negatiua, & sine dubio. Aristotelis, qui pluribus in locis grauitatem & leuitatem qualitates sensibiles appellat vt 7. *physic. tex.* 11. *secundo de Generat. tex.* 8. *quinto metaph. tex.* 19. *secundo de partibus Animal. cap.* 1. & sæpe alibi, eum sequuntur Peripatetici communiter, præsertim D. Thom. *locis citatis.*

Omnia fere argumenta, quæ adduci possunt ad nostram hanc assertionem probandam sibi obijcit Arriaga, & ea soluere nititur. duo ex illis contra eum vrget Quiedus *loco citato num.* 10. & 11.

Primum sumitur ex accidentibus eucharisticis sic: destructa substantia Panis, & Vini in Eucharistia remanet eorum grauitas. ergo grauitas non identificatur cum substantia corporis grauis. Consequentia patet; antecedens probatur nam experientia constat, quod eodem modo grauitans sibi species sicuti prius.

35 Respondet Arriaga, ibi non esse grauitatem Panis sed Deum effectiue, per se mouere illa accidentia ad occultandum miraculum. Hanc responsionem impugnat Quiedus, quia nunquam de hoc miraculo Patres mentionem fecerunt. Aliunde vero communis sententia distinctionem quantitatis à substantia, ne miracula multiplicentur admittit. Ergo eodem modo admittere debemus distinctionem inter grauitatem, & substantiam panis ad multiplicitatem miraculorum vitandam. Contra primum horum se tueri potest Arriaga dicendo, quod in hoc auctoritas negatiua Patrum, aut parum, aut nihil valet. Contra secundum vero probatur in nostra potius sententia multiplicari miracula quam in sua, eo quod grauitas si esset distincta tum in genere causæ materialis tum in genere efficientis dependeret in conseruari á forma substantiali Panis, atque adeo vtrumque genus causæ deberet á Deo in Eucharistia semper suppleri. Verum hoc negat Quiedus aitque, quod quemadmodum dicimus, quod primæ qualitates immediate in quantitate sine influxu efficienti formæ substantialis conseruantur; ita dicendum est quod conseruetur grauitas, & leuitas.

Sed quidquid sit de hoc vltimo: illud mihi 36
certum est; huiusmodi argumentum desumptum à motu grauitationis accidentium quem in Eucharistia experimur, nullam habere vim contra aduersarios, & magnam contra nos. ex suppositione enim, quod non detur virtus accidentalis in substantijs, qua in se pristinas qualitates deperditas reparant: sed immediate per suam substantiam hoc præstent: sic arguere potest contra nos Arriaga: sustinetis, quod huiusmodi virtus per quam corpora naturalia se ad pristinū temperamentum primarum qualitatum reducunt, non distinguitur ab eorum substantia; non obstante, quod inde sequatur in Eucharistia quoties hostia consecrata se reducit ad pristinum statum: Deum effectiue, & per se, substantiæ pānis defectum supplere, producendo dictas qualitates ad occultandum miraculum. ergo debetis etiam sustinere, quod virtus motiua per quam corpora naturalia se reducunt ad locum sibi connaturalem, non sit ab eorum substantia distincta, non obstante quod inde sequatur Deum effectiue, & per se mouere debere accidentia Eucharistica, eo prorsus modo quo si esset ibi grauitas identificata cum eorum substantia ad miraculum occultandum; & quidem hæc paritas currit, siue deinde multiplicentur siue non multiplicentur in vtroque casu miracula; cum vtrobique par ratio militare videatur. Cum non minus sit propria, & intrinseca substantiæ panis virtus se mouendi ad connaturales qualitates, quam virtus se mouendi ad Connaturalem locum.

Potius igitur ex his, quæ in Eucharistia ex- 37
perimur, nos veri contra aduersarios: quam eos impugnare possumus. Tuebimur autem negando paritatem, ac dicendo quod, licet quātū est ex hoc capite nullum agnoscere discrimen inter vnam, & aliam virtutem debeamus: debemus tamen ex eo, quod videamus sæpe substantias spoliari virtute motiua ad suum naturalem locum; & indui contraria vti panem post videbimus: at nunquam experti sumus eosdem destitui virtute productiua immanenter primarum qualitatum quam se ad Connaturale temperamentum reducant. Aliunde autem strictiorem cognationem habere debēt cum complexione suarum primarum qualitatum: quam cum loco sibi naturaliter debito. nam ea totaliter dependit, negatur illis facta conseruatio in esse ab auctore naturæ: non autem si totaliter in loco sibi indebito violenter detineantur. quin imo non ob aliam causam peculiārem sibi locum substantiæ corruptibiles in mundo sibi vendicant, quam vt melius se ab actione contrariarū tuendo: primarum qualitatum suarum detrimentum ac diminutionem minime patiantur. Rationabilius igitur discurrimus identificando potentiam immanenter productiuam dictarum qualitatū

Digitized by Google

cum substantia, & distinguendo ab illa potentiam loco motiuam, quæ non subditur imperio appetitus, cuiusmodi est in animalibus, de qua suo loco: quam si, vel vtramque illi identificaremus, vel neutram. atque hæc obiter dicta sint, vt constet, non solum non fauere nobis argumentum, quod ab Eucharistia desumptum est, sed obesse.

38 Alterum argumentum, quod vrget Oviedus, sic procedit: grauitas hominis non identificatur cum eius substantia, ergo neque grauitas cæterorum corporum. Consequentia patet paritate rationis. antecedens vero suadetur; si in homine identificaretur cum substantia, maximè cum eius forma (nam materia de se est ad leuitatem, & grauitatem indifferens, vnicam vero nemo dixit esse grauitatem). sed hoc est impossibile. nam forma hominis spiritualis est, & per se ipsam non grauitat, aliàs extra corpus inclinaret ad centrum mundi. ergo &c.

Ad hoc argumentum respondet Arriaga, concedendo, grauitatem hominis identificari cum eius anima rationali; neque hoc esse inconueniens. quia licet spiritualis sit; est tamen actus rei corporeæ, & materialis. negat tamen inde sequi, quod scilicet sola extra corpus deberet moueri deorsum. quia, quemadmodum potentia visiua cum ea identificatur; & tamen non potest ipsa extra corpus videre; ita de motu deorsum discurrendum esse ait. eo quod non minus, quam visio pendeat à corpore: & à quibusdam alijs circumstantijs quibus caret anima, dum est extra corpus.

39 Sed contra vrget Oviedus; quia in tantum anima separata non potest producere visionem; quia visio est accidens materiale pendens à materia, & materialibus speciebus, sed neque motus deorsum, neque vbicatio ab illo procedens indigent subiecto materiali, neque pendent ab aliquo comprincipio materiali. ergo nulla est paritas assignata.

Existimo tamen hoc etiam argumentum parum soliditatis habere ad nostram sententiam fundandam; & rectè solui ab Arriaga: si dicatur, grauitatem esse potentiam ordinatam primo, & per se ad motum deorsum materialem; ad eum plane modum, quo est potentia visiua, auditiua &c. in ordine ad suos actus: atque adeo non esse mirum, si quamuis sit identificata cum anima, quandiu hæc est extra corpus, grauitare in actu secundo non possit. neque ratio in contrarium vrget. quamuis enim motus deorsum vt sic, & eius terminus vt sic, non egeant subiecto materiali; vtrumque tamen illo vrget, quatenus est grauitatis effectus; eo quod grauitas est de se potentia restricta ad solum actum materialem: sicuti, & multæ aliæ potentiæ, quas anima rationalis habet communes cum cæteris formis materialibus; & rectè id quidem. nam per hoc, quod aliqua ex his potentijs est in homine, non mutat suum obiectum: & per consequens neque actum, qui illum attingat, vt facta inductione per singulas, constare potest.

40 Instabis ex eodem Oviedo in fine [illegible] huc fere modum. si hoc esset, sequeretur, quod grauitas identificata cum anima rationali primo, & per se ordinaretur ad motum materiæ, cui vnitur, & non ad motum ipsius animæ. sed hoc falsum est; ergo &c. maior patet, minor probatur: illud primo, & per se mouet, grauitas, quod primo, & per se graue constituit, idem enim est graue, ac propendens ad motum deorsum. sed grauitas identificata cum anima primo, & per se constituit grauem ipsam animam; ergo primo, & per se, ipsam mouere debet, & non materiam.

Responderem pro Arriaga, primo, falsam esse sequelam. quamuis enim Grauitas identificata cum anima rationali sit ordinata ad motum materialem causandum; non inde sequitur, eam esse primo, & per se ordinatam ad mouendam materiam; sed totum. & rectè, motum enim materialem respicit tanquam primo, & per se debitum toti composito humano, quod non nisi motu materiali exigit per se moueri. quod clarius apparet in similibus. potentia enim visiua, auditiua, &c. non sunt ordinatæ primo, & per se ad reddendam materiam videntem, audientem &c. sed ad reddendum totum hominem talem; quia tamen posset dicere Oviedus, se non loqui de ordine intentionis: sed de ordine exequutionis inhæsionem importante. ideo

Respondeo secundo, ad missa sequela maioris, negando minorem: & ad eius probationem 41
concessa item maiore, negarem minorem, & dicerem: quod quemadmodum albedo non constituit primo se ipsam albam, neque dulcedo se ipsam primo, & per se dulcem: nisi valde impropriè, & abusiuè, ita, si grauitas identificaretur cum anima, non constitueret primo, & per se grauem ipsam animam, sed bene subiectiuè, & inhæsiuè primo; & per se constitueret grauem ipsam materiam: denominatiuè verò & terminatiuè totum compositum; in quantum ipse homo absolute diceretur propendens ad motum deorsum, ratione propensionis, quæ esset eius anima, quæ ipsum constitueret, & denominaret propensum. quod patet paritate similium denominationum viuentis, sensibilis &c.

His igitur argumentis posthabitis, vrgeo 41
ego ad meam assertionem probandam: Illud, quod vltimo loco sibi obijcit Arriaga sic: vapores vi radiorum solis extracti aquæ, & exhalationes eadem vi extractæ è terra secundum substantiam non distinguntur ab aqua, & terra. sed hæc ascendunt vsque ad secundam aeris regionem: ibique multum temporis commorantur. ergo grauitas, quam habebant prius, erat distincta ab eorum substantia, maior supponitur vt communiter admissa, & minor experientia ipsa comprobatur. Consequentia vero patet lumine naturæ. quia quoties duo ita se habent, vt vnum pereat, altero remanente, toties distinguntur inter se ex natura rei. atqui in casu posito perit grauitas vtriusque elementi, remanente eius substantia, ergo &c.

Ad

Ad hoc argumentum Respondet Arriaga breuiter. Primo illud contra nos bifariam retorquendo. primo quidem in hunc fere modum *sub nu. 85.* etiam si grauitas à substantia aquæ distinquatur; est tamen proprietas naturaliter ab ea dimanans. ergo non potest ab illa separari: quod si dicamus, quod quemadmodum frigiditas est etiam proprietas aquæ; & tamen separatur ab illa; ita & grauitas. dispar, inquit, est ratio. In tantum enim aqua potest frigiditatē amittere: in quantū frigiditas est qualitas producibilis & corruptibilis ab extrinseco. sed grauitas non est huiusmodi, ergo &c. quod si addamus grauitatem pendere à temperamento primarum qualitatum; atque adeo hoc variato ab agente extrinseco *ipsam* Consequenter variari posse. *Contra insurgit*, quia videmus, quod aer quando fit vel frigidior vel humidior non mutat suam grauitatem, neque pluma neq; alia Corpora eam mutant etiam si aliquæ proximæ qualitates in eis mutatæ sint. ergo stat in suo robore assignata disparitas.

43 Verum hæc retorsio facile diluitur. Concedimus enim grauitatem esse proprietatem physicam aquæ: negamus tamē eā non posse ab illa separari; & ad rationē in Contrariū dicimus; quod licet non sit immediate corruptibilis, & producibilis ab extrinseco: est tamen mediate quatenus emanat immediate ex complexione primarum, in qua præualet frigiditas, sicut leuitas emanat à complexione primarum; in qua eminet calor. ad probationem in Contrarium nego aerem non euadere grauiorem si multum frigefiat. idemque dicendum de alijs corporibus. ad plenioremautem negationis huius intelligentiam notarem, grauitatem non procedere ab hac Cōplexionem primarum qualitatum indiuisibiliter accepta: ita vt si paululum varietur debeat quoque variari ipsa grauitas: sed procedere ab ea cum aliqua latitudine: sicuti dicimus agendo de Coloribus, quia tamen *sunt* aliqua Corpora quæ non possunt conseruari, si notabilem alterationem in suis primis qualitatibus patiantur: hinc fit vt hæc prius suam formam substantialem quam suam grauitatem vel leuitatem amittant, & ideo pluma vel floculus suam grauitatem amittunt, quia si paulo plus alteretur statim corrumpuntur.

Retorquet secundo idem argumentum Arriaga *num. 85.* sic. posito, quod sustinemus grauitatem esse passionem formæ substantialis & non dispositionem ad illam: non possumus saluare quomodo varietur temperamentum sufficienter ad eius variationem; & non ad mutationem formæ substantialis, sed id deberemus; posito quod vapores aquei amissa grauitate leuitatem retinendo formam substantialem aquæ ergo &c.

44 Quiedus *num. 23.* retorquet contra ipsum retorquentem argumentum nam ipse hoc eodem loco ait, quod licet grauitas identificetur cum substantia; vt tamen actu moueat deorsum, indiget certis quibusdam dispositionibus, & accidentibus; quibus si caret non erumpit in actū secundum: tum sic. potest per ipsum aqua amittere temperamentum accidentium necessarium ad actu mouendum deorsum, sicuti illud amittit dum est in media aeris regione, sed non per hoc amittit temperamentum necessarium ad sui conseruationem. ergo potest stare, quod amittatur temperementum requisitum ad grauitatem, & adhuc duret illud, quod est necessarium ad formam. Verum Arriaga se expedire potest ab hac instantia dicendo, quod aliud est loqui de passione aquæ, & aliud de motu deorsum illius. si grauitas distinguitur, est passio formæ aquæ, at motus deorsum nunquam est eius passio; sed ad summum est exercitium passionis. mirum autem est, quod variari possit tēperamentum accidentium sufficienter ad variationem passionis, absque eo quod varietur eodem modo in ordine ad variandam formam. si quidem passio conformari debet quantum ad suam durationem cum duratione formæ, cuius est passio at nil mirum si, remanente temperamento necessario ad Conseruationem formæ, deperdatur id, quod est necessarium ad aliquā eius operationem exercendam. nam plura requiruntur ad aliquid operandum, & ad determinatam aliquam operationem, quantumuis immanentem exercendam; quam ad essendum vt patet in sexcentis casibus.

Melius ergo responderem ad hanc secundam retorsionem Arriagæ negando maiorem. disparitas, & quidem lata, esse potest, quia grauitas, ita ponitur à nobis esse passio aquæ: vt ponatur simul habere partes intēsinas: at vero forma substantialis est indiuisibilis, & ideo non est mirum si mutatio dispositionum sæpe sufficiat ad uariandam primam, & non secundam; quod sic, vlterius procedendo, deducerem. variatio grauitatis non debet haberi per hoc quod ipsa secundum omnes gradus corrumpatur; sed solum quod ex *valde intensa fiat valde remissa*. si quidem *id* sufficit vt res, quæ prius erat grauis mutetur in leuem: quantum enim de vna qualitate immediate contraria deperditur: tantum de altera acquiratur necesse est. At variatio formæ substantialis, quæ indiuisibilis est, consistit in eo vt ipsa totaliter corrumpatur. vnde non est mirum vt plus variationis necessarium sit ad eius variationem, quam ad uariationem suæ grauitatis. in hunc enim finem concessit illi natura virtutem reducendi ad statum pristinum suas qualitates deperditas, quantumuis se habeant respectu illius vt proprietates. quia non nisi cum aliqua graduali latitudine tales sunt, vt patet ex frigiditate, quæ est proprietas aquæ; & tamen licet varietur ex intensa in valde remissā; ita vt aqua nihil fere frigiditatis, sed multum Caloris causare possit in passum sibi debitè applicatum: ad huc tamen forma aquæ exigit Conseruaui & non patitur in sua substantia variationem. neutra igitur retorsio habet vim.

Respondet secundo Arriaga ad principale argumentum directe *num. 85.* quod Ideo vapor non mouetur deorsum, quia licet eius grauitas sit idem cum substantia: nihil ominus ad grauitandum indiget multis dispositionibus accidentalibus, quibus deficientibus non potest actu grauitare; sicuti contingit in potentia loco motiua hominis, quæ licet non distinguatur ab eius

Digitized by Google

anima rationali: sæpe tamen homo non potest se mouere defectu accidentium, & dispositionum necessariarum. Cæterũ eandem fere esse difficultatem cur grauitas identificata cum aqua non producat motum deorsum: ac cur aqua natura sua grauis in media aeris regione existens non producat in se grauitatem.

47 Sed contra hanc responsionem facit primo, quia videtur esse inuenta ad fugiendam vim argumenti, non enim possunt assignari, quæ nam sint huiusmodi dispositiones requisitæ à grauitate, ad hoc vt exeat in actum secundum. In tantum enim in homine, & alijs animalibus eas ad motum progressiuum necessarias esse censemus; in quantum videmus Animam ad huiusmodi motum peragendum vt pote mixtum multis, ac varijs instrumentis ac partibus indigere; neruis, videlicet, musculis, ossibus, cartilaginibus, carne &c. quarum quælibet nisi proprias habeat dispositiones, ac temperiem non est apta ad motum: at motus à grauitate elicitus est omnino simplex, & vniformiter debet mouere subiectum. Quare sicuti in distinctis eius partibus non eget varijs dispositionibus: ita neque in toto determinatam dispositionum complexionem requiret. Vnde est quod si poneremus duo Corpora in reliquis omnibus æqualia, & solum in virtutibus motiuis dissimilia: ita vt vnum esset leue, alterum graue: non dubium quin vnum leuitaret, & alterum grauitaret; & per hoc patet disparitas desumpta ex potentia loco motiua animalis, cuius effectus carentia, ideo non est sufficiens fundamentum ad probandam eius distinctionem realem ab anima; quia potest refundi in uitium atque defectum instrumentorum, quod non habet locum in casu nostro. Ad id autem quod vltimo loco dicebatur eandem videlicet videri difficultatem esse, cur grauitas non producat motum deorsum; & cur substantia non producat in se grauitatem respondetur facile: negando assumptum. Disparitas est, quia ad mouendum deorsum grauitas non debet expellere à mobili in quo est motum sursum; & ideo si reperiretur in uapore in media aeris regione existente necessario deberet illum mouere deorsum; quia nullum haberet contrarium superandum subiecto intrinsecum. Contra vero si grauitas est distincta à substantia est qualitas leuitati immediate contraria; atque adeo ad hoc vt substãtia in pristinam grauitatem se restituat; debet resistentiam leuitatis superare eamque à se expellere; quod fieri non potest, nisi in tempore, & absente contrario agente, vt patet in aqua semel calefacta, quæ non reducitur ad pristinum statum frigiditatis nisi absente igne, & tempore procedente.

48 Contra eandem responsionem facit secundo, quia admisso, quod grauitas aquæ ad grauitandum dispositionibus quibusdam indigeat, quibus cum careat, quando est in media aeris regione, non grauitat: at remanet soluenda difficultas cur vi caloris attenuata leuitet, & ad dictam regionem feratur; Hoc enim intelligi nequit in hac sententia: nisi dicamus eius substantiam esse in se principium motus sursum, & deorsum simul simulate potentiæ, & cum certis quidem dispositionibus mouere deorsum: cum alijs vero mouere sursum. Sed hoc repugnat; omnes enim tenemus substantiam aquæ ad locũ deorsum, & non sursum, saltem radicaliter inclinare; eo quod ad locum deorsum melius se habet; peius vero ad sursum. Si ergo esset principium effectiuum mouendi etiam sursum iam ad id quod sibi nociuum, & malum est propenderet. Quod est impossibile vt omnes fatemur.

Dices primo: hanc inclinationem habere aquã 49
ex suppositione, quod introductæ in ea sint violenter, vi contrarij agentis dispositiones sibi repugnantes; Sed refellitur, quia hæc responsio non habet locum in sententia auctoris, ipse enim vult virtutem motiuam aquæ identificari cum substabtia illius. Quare quod eam habeat, vel non habeat substantia aquæ, non potest ab introductione dispositionum nociuarum dependere. Neque dicas: se loqui de inclinatione proxima: nam sic iam aqua remote inclinaret de se ad motum sursum. Impossibile autem est, quod res naturalis quantumuis remote, hoc est, aliquibus certis dispositionibus acquisitis inclinet ad id, quod sibi nociuum est, nimirum quod aqua inclinet remote ad calorem in se producendum, & ignis ad frigus; & rectè id quidem inclinatio enim naturalis remota ad aliquid; exigit in aliquo casu naturaliter possibili inclinationem proximam. Vnde in aliquo casu illa dispositio accidentium requisita in aqua ad leuitandum erit ab ea exacta; atque adeo sibi connaturalis, & sic aqua connaturaliter & sine vlla violentia mouebitur sursum; quod quam sit absurdum nemo non videt.

Dices secundo: illum motum sursum esse vio- 50
lentum aquæ, atque adeo non produci ab eius substantia, sed á quibusdam accidentibus in ea ab extrinseco agente causatis.

Sed hoc etiam refellitur, quia iam admittitur leuitas identificata cum accidentibus. Quid enim nomine leuitatis venit, nisi virtus determinate productiua motus sursum; atqui hæc secundum dictam solutionem identificaretur cum dispositionibus introductis in aquam. ergo &c. Quod si ad leuitatis conceptum habendum requiris, quod ab intrinseco principio proſluat, iam facis quæstionem de nomine, & difficultatem de re confundis.

Dices tertio aquam rarefactam per calorem 51
admittere in se innumera Corpuscula aerea, quæ cum leuia sint eam, dum ascendunt sursum, deferunt. Sed hoc quoque refellitur, nam præterquam, quod huiusmodi rarefactionem fictitiam esse supra probauimus: ea tamen admissa dicendum est, quod fiat per ingressum corpusculorum, quæ erant vicina aquæ tanquam in loco naturali, non enim est credibile, quod ad rarefaciendam aquam debeant descendere corpuscula illa, quæ cum valde defecata sint in media vel suprema aeris regione naturaliter commorantur. Tum sic: hæc Corpuscula libera impedimento alienæ grauitatis non poterant ad secundam aeris regionem ascendere, sed nobiscum connaturaliter morabantur. Multo minus igitur onusta graui pondere aquæ ascendere valebunt, ex eo enim quod ingressa sunt poros Corporis

Digitized by Google

poris grauis, non consequuta sunt maiorem leuitatem, ratione cuius adeo leuitent: vt non solum se ipsa sed etiam aquam imo etiam terram sursum deferre valeant.

52 Dices denique quarto cum ipso Arriaga qui nu. 86. nostræ difficultati tacite respondere volens: post quam dixit, quod quando aqua aut terra certis quibusdam dispositionibus caret: non habet virtutem se conseruandi in loco sibi debito, Hæc addit: ideoque sursum pellitur ab alia aqua aut terra, quæ habet omnia requisita vt maneat inferius. ex quo deducitur, quod in eius sententia vapores, & exhalationes moueãtur sursum per extrusionem factã à corporibus elementaribus à quibus extrahuntur.

53 Sed neque hoc dictum plus probabilitatis habet, quam præcedentia. refellitur enim, quia licet sustineri quoquo modo posset, si vapor & exhalatio super extimam superficiem globi terræaquei continerentur; vel paulo altius ascenderent: cum autem debeant vsque ad mediam aeris regionem regulariter peruenire; & nonnullæ exhalationes vsque ad supremam. vt docet Aristotiles *lib. 1. meteror. summa 2. cap. 1.* ascendere; quantus & quam intensus esse deberet impetus, quo ab elementis á quibus extrahuntur propellendi essent huiusmodi halitus: vt ad tantam distantiam moueri possent. linquo, quod Corpora valde rara non sunt capacia recipere magnum impetum. quantumuis enim nos valde conemur: nunquam possumus plumam, vel lanæ flocum ad magnam distantiam proijcere. quomodo ergo poterunt terra, & aqua ad tot milliaria habitus suos propellere: Quod si dicat huiusmodi halitus primo quidem propelli ab aqua. & terra vsque ad connoxam superficiem sui globi: deinde vero ab aere infimæ regionis successiue, vsque dum perueniant ad mediam: impugnabitur ex eo; quia sic per solam grauitatem saluari posset motus elementorum, sicuti volebat Plato; & dici elementa per extrusionem ad propsia loca moueri. quoniam vero hæc opinio à nobis supra impugnata est, & ab Aristotele *primo de Cælo* multis argumentis reijcitur; hinc fit vt hæc secunda responsio non procedat.

Respondet denique tertio ad principale argumentum Arriaga diffusus vt teor responsionibus datis. Valde probabiliter sustineri posse vapores non esse formaliter aquam: neque exhalationes terram; sed habere formam aliquam aliam substantialem diuersam, quæ natura sua sit leuis; & addit se non videre vllam efficacem rationem ad dicendum oppositum præsertim cũ hi duo halitus simul eleuentur, neque enim vnus sine altero sursum ascendit. quomodo, ergo duo elementa Contraria tanta concordia simul coniungi poterunt.

54 Verum hæc opinio ad quam auctor confugit videtur à sapientioribus explosa, vt videre est apud Albertum magnum *lib. 2. tract. 2. dub. 20.* Toletum 2. *de Generat. cap. 4. quæst. 8. Concl. 3.* & Conimbricenses *tract. 1. meteor. cap. 1.* versa quæri etiam solet, & alios; & recte nam opposita habet fundamentum in Aristotile qui *lib. 1. meteor. summ. 1. cap. 3.* dicit; vaporem esse segregationem aquæ hoc est partes aquæ segregatas seu aquam rarefactam, & in halitum quendam redactam, *& cap. 4.* ait: infimam aeris regionẽ non esse vaporem, quia sic elementum aquæ respectu aliorum elementorum in maiorem molem excresceret, quam oporteret. quod esset falsum, nisi per eum vapor esset substantialiter aqua. quantum autem ad id, quod addebat Arriaga se non videre vllam efficacẽ rationem cõtra dictum suum, eccum illam; experientia constat huiusmodi halitus vt primum possunt se à contrario calido liberare: statim ex intrinsecis suis se reducere ad pristinam conditionem illius elementi à quo extracti fuerunt. ergo cõstat eos retinuisse formam substantialem antiquam, & solum, quoad accidentia, mutationem esse Passos. Consequentia patet. quia nullum Corpus sibi relictum inclinat ad substantialiter se conuertendum in aliud corpus, & ad mutandam suam substantialem formam in aliam diuersæ speciei; sed quo ad fieri potest ab huiusmodi mutationibus se tuetur. alioquin ad sui destructionem inclinaret. Antecedens vero Probatur ex vaporibus ex olla feruẽti aqua referta, exhalantibus, qui si eius operculo adhærescant, statim in aquæ guttas addensantur sicuti erant prius. cum autem nullum possit assignari agens extrinsecum à quo hæc forma aquæ in eis producatur: dicendum est esse eandem numero, quã antea habebant prius quam ignis ollæ suppositus esset. Idem contingit vaporibus, qui vi solis extrahuntur è mari. hi enim in media aeris regione ad pristinam frigiditatem, & densitatẽ se reuocant; & sic in pluuiam decidunt. nisi autem aquæ formam retinuissent: nunquam id facere potuissent cum præsertim à priuatione ad habitum non detur naturaliter immediatus regressus. Ad id denique, quod sumitur ex Aristotile 1. *meteor. summ. 2. cap. 1.* dicendum nil mirum esse si duo elementa contraria possint concorditer ad ascendendum copulari. in hoc enim ab extrinseco agente violentiam patiuntur. ad eum plane modum, quo si exponantur igni concorditer ad calorem recipiendum mouentur.

SECTIO QVINTA.

An Grauitas, & Leuitas identificentur cum primis qualitatibus Permixtis.

55 Conclusio est negatiua. quam cum alijs docet Arriaga eamque tribus rationibus probat *nu. 87. & 88.* quas singillatim perpendere libet. Earum prima sic procedit: naturalis locus accidentis est locus subiecti. vnde si Conseruaretur in aere diuinitus materia vnita formæ ignis cætera accidentia ibi essent Connaturalissime. ergo impossibile est, quod primæ qualitates possint determinare locum subiecto. determinarent autem si identificarentur grauitati, & leuitati. ergo &c. Confirmatur, quia tum primæ tum secundæ qualitates naturalissime existunt indifferenter in corpore siue graue sit, siue leue. ergo &c. Idem probat secunda; si leuitas ignis consisteret in calore, & siccitate non deberet ei

terra

terra summè opponi in grauitate. sed hoc est falsum, ergo &c. minor probatur, quia ignis, & terra sunt elementa symbola, & conueniunt in siccitate. Idem denique probat tertio, quia tam grauis est aqua tepida, quam frigida; si autem grauitas in complexione primarum qualitatum consisteret, eo ipso quod Complexio variaretur, deberet quoque grauitas variari.

Sed nulla ex his rationibus, vt verum fatear, habet vim ad probandum intentum. Ad primam enim rectè responderi potest ab Ouiedo, qui *Contro. 8. punct 7. nu. 15.* est in contraria sententia, distinguendo antecedens: locus accidentis est locus subiecti; hoc est accidens non exigit esse alicubi separatum à subiecto concedo. Hoc est accidens debet determinari à subiecto ad existendum in hoc, vel illo loco; nego antecedens, & Consequentiam; Ad probationem vero in contrarium dici posset, quod licet, si substantia ferri diuinitus in aere conseruaretur suspensa, nullum ex accidentibus, quæ in ea sunt, exigeret ab illa separari; grauitas tamen identificata cum complexione primarum qualitatum substantiæ ferri haberet exigentiam causandi in ea motum deorsum, ratione cuius secundum propriam inclinationem eam infra leue collocaret. cæterum, sicuti vbi intrinsecum est accidens subiecti, & tamen illud ad hunc, vel illum locum extrinsecum determinat: ita suo modo potest grauitas, & leuitas, quamuis accidentia sint, determinare ad quærendum locum, ad quem inclinat.

56 Ad confirmationem distinguere posset Ouiedus de primis qualitatibus; & si quidem distributiuè sumantur, concedere, quod connaturalissime existant in corpore siue leui siue graui: vt patet ex siccitate, quæ est indifferens ad leuitandum in igne & ad grauitandum in terra. sin autem sumantur cum aliqua collectione, negare posset, & dicere quod color, & siccitas ingradibus excellentibus cum sit eadem cum leuitate, implicat, vt sit indifferens ad existendum in corpore, siue graue sit siue leue. Idemque de frigiditate, & siccitate coniunctis, quia cum sint grauitas ipsa determinatè, constituunt subiectum graue. quantum vero attinet ad secundas qualitates: Respondere posset, eas ad ipsum in præsentia non pertinere; eo quod patet à grauitate, & leuitate realiter esse distinctas. vnde, quidquid sit, si possint in corpore siue graui siue leui indifferenter existere.

57 Ad secundam vero rationem respondere potest idem Ouiedus, quod licet grauitas terræ entitatiuè, & secundum se, non summè opponatur leuitati ignis propter rationem in argumento allatam: summè tamen opponitur formaliter, hoc est ratione motus, & termini, ad quos inclinat, si quidem ipsa moueat deorsum ad Centrum: leuitas vero sursum ad Circumferentiam. neque contra hoc posset Arriaga instare: grauitatem & leuitatem non solum ratione motuum, & terminorum, ad quos inclinant, censeri communiter summè oppositas: sed etiam secundum se, & ratione propriæ entitatiuæ. nam eandem patitur instantiam eius sententia, si quidem non obstante hac summa oppositione in entitate inter grauitatem & leuitatem; nihilominus summa grauitas per ipsum Arriagam identificatur cum forma terræ, & summa leuitas cum forma ignis: quæ quidem formæ minorem habent inuicem auersionem, ac disconuenientiam ex intrinsecis suis, quam habeant inuicem forma terræ, & forma aeris de se patet.

Ad tertiam denique rationem Respondet Ouiedus *num. 22.* motum deorsum aquæ oriri ex permixtione primarum qualitatum, non indiuisibiliter acceptarum, sed intra certam latitudinem sumptarum: ita vt non maior motus, neque maiori impetu oriatur à Calore vt vnum in aqua V. G. quam à Calore vt duo. quare concesso antecedente, negat consequentiam, vt videre est, inquit, in coloribus, qui ex complexione primarum qualitatum oriuntur: & tamen non ad quamcumque variationem dictæ complexionis variantur; eo quod dictam complexionem cum quadã latitudine tamquã sui causã sibi vendicant.

Verum circa hoc vltimum assignare posset Arriaga disparitatem; quod id circo colores cum quadam latitudine primarum quaritatum complexionem respiciant; quia non identificantur cum illa; sed ab ea tamquam à Causa efficiente vel dispositione procedunt. at si in casu nostro grauitas, & leuitas ponitur cum ipsa primarum qualitatum complexione identificari: ad quamlibet huius variationem illa quoque varietur, necesse sit. ex hoc ergo.

Probatur primo efficaciter nostra sententia: 58
quotiescumq; duo sunt idem indiuisibiliter, implicat, quod ad variationem vnius non varietur similiter alterum. sed ad variationem complexus primarum qualitatum alicuius Corporis grauis non variatur eius grauitas. ergo in eo grauitas non identificatur indiuisibiliter cum complexione primarum qualitatum. quoniam vero eadem est ratio de grauitate aliorum Corporum, nec non etiam de leuitate Corporum leuium; recte deducitur, grauitatem, & leuitatem omnem distingui pluspuam ratione à primarum qualitatum permixtione. Vtraque consequentia est certa; & maior, vt videtur, certior. quia lumine naturæ constat, quod quoties duo sunt idem realiter indiuisibiliter; entitas & realitas illorum est communis vtriusque. vnde quidquid variationis hæc patitur in vtrumque eam refundat, necesse est. minor vero probatur in ferro, quod siue frigidum sit, siue valde candens; est æque ponderosum ac graue.

Respondet Ouiedus *loco citato*, ferrum prius fri 59
gidum vt sex, & postea calidum vt sex, dici æq; graue, quia nos grauitatem à posteriori metimur per motum, & illa principia, siue in se magis intensa sint, siue minus, grauitatem æqualem dicimus constituere, quæ æque in motum propendent.

Verum hæc responsio non satisfacit. primo, quia, quando nos grauitatem à posteriori per motum metimur, non vtimur mensura incerta, & fallaci, sed certa, & solida: aliàs quis posset à pati etiam dicere, quod dum videmus ignem sursum moueri; non possimus esse certi, quod sit præditus leuitate, neque terra grauitate, quando deorsum. stante ergo, quod motus ferri deor-

sum

sum est mẽsura certa, licet à posteriori, grauitatis eius. hoc ipso, quod videamus ipsum eodem pondere, ac velocitate descendere deorsum, quando est in gradu excellenti frigidum: ac quando est in gradu excellenti calidum: certè colligere debemus nullam in grauitate variationem ipsum passum fuisse. atqui maximam passum est quo ad complexionem primarum qualitatum. ergo impossibile est, quod grauitas, & leuitas in primarum qualitatum complexione consistat. non satisfacit secundo dicta responsio, eo, quod circulũ vitiosum committat. nam si quæramus ab hoc auctore rationem à priori, cur ferrum intesé frigidum, & intensè calidum æquè in motum deorsum propendeat? respondebit procul dubio, quia habet grauitatem æque intensam, atqui nunc docet, quod ideo habeat grauitatem æquè intẽsam; quia æquè mouentur deorsum; ergo vitiosum committit circulum.

60. Neque dicat hanc secundam responsionem continere rationem à posteriori primam, vero à priori, & sic nullum vitium responsionem habere. contra enim est, quia ipse subdit, parum referre, si principia grauitatem componentia, primas nimirum, qualitates ferri, magis, vel minus intensa sint, nam, si æquè in motum propendent, grauitatem æqualem dicimus constituere: tũ sic Hæc propositio significat, quod ratio à priori cur ferrum excellẽter calidum, & excellenter frigidum habeat grauitatem æque intensam sit, quod æque deorsum moueatur. ergo, nulla defensio. Probo antecedens ratio à priori huius æqualitatis non potest refundi ab auctore in principia grauitatem componentia vt de se patet, quia ferrum frigidum, & postea calidum habet diuersitatem in primis qualitatibus notabilem; neque in aliquid aliud. ergo in motum ipsum. Dicet forte refundi in æqualem propensionem ad motum. Sed contra quia propensio hæc dupliciter sumi potest, in actu primo, & in actu secundo. non potest sumi in actu primo, quia actus primus nil aliud importat per Quiedum nisi complexum primarum qualitatũ ferri in quo dicit eius grauitatem consistere. ergo debet sumi hæc propensio in actu secundo. sed sic accepta nil addit supra actum primum nisi motum ipsum ergo iam æqualis motus deorsum assignatur tamquam ratio à priori æqualis grauitatis ferri calidi, & frigidi quod erat probandum,

61 Probatur secundo principaliter assertio nostra etiam permittendo, quod ex ijs quæ sunt idem indistinctibiliter possit entitatiuè variari vnũ nullam alterò variationem patiẽte. Quia entibus creatis æque finitis, neq; debemus neq; possumus attribuere aliquam perfectionem positiuam nisi positiue probemus eam illis de facto competere. sed primarum qualitatum conflatum nil aliud importat: quam entitates creatas ipsarum determinatas atque finitas: rationes vero leuitatis & grauitatis sunt perfectiones quædam positiuæ, videlicet, virtutes motiuæ sursum, atque deorsum. ergo non possumus illis huiusmodi rationes tribuere, nisi positiue probemus illis de facto competere. Atqui nullum argumentum afferri potest, quo id positiue probetur. ergo tenendum est grauitatem, & leuitatem realiter distingui à primis qualitatibus permixtis, seu, quod idem est, ab eorum conflato. omnes huius discursus propositiones mihi videntur certæ: præter primam maiorem, & subsumptam. atque hæc quidem patebit ex solutione eorum, quæ affert pro sua sententia Quiedus. maior vero inqua est difficultas sic suadetur. quia hoc ipso, quod aliqua res est finita: suis prædicatis essentialibus de quibus conuenimus contenta est: V. G. calor, & siccitas quod sint tales qualitates disponentes ad formam ignis, eiusque instrumenta ad transeunter operandum. ergo cum videamus cuicumque rei pleraque ex perfectionibus positiuis excogitabilibus, quamuis non implicantibus deesse: necesse est, vt positiue probemus hoc vel illud de facto ei conuenire.

Dices iam à nobis positiue probari, quod in 62
corporibus per mixtionẽ primarum qualitatum prædictis grauitas, & leuitas reperiatur. ergo ratione positiua inducti primis qualitatibus huiusmodi perfectionem tribuimus.

Respondeo concesso antecedente, negando Consequentiam. ratio negationis est quia quæstio nostra non procedit de quacumque attributione; sed de ea, quæ est per identitatem; & dicebamus quod ad attribuendas hoc modo primis qualitatibus permixtis leuitatem, & densitatem; debemus aliqua ratione positiua induci. quia de ratione rei finitæ est non se extendere ad identificandam sibi quamcumque perfectionem, quæ existit; vt patere multis exemplis posset, vnum adducam ex coloribus deductum. nulla enim est repugnantia in eo, quod entitas primarum qualitatum permixtarum sibi colorũ perfectiones identificet; & tamen nemo dixit rem ita se habere de facto; etiam admisso, quod possit entitatiue variari vsque ad certum terminum permixtio, absque eo quod colores varientur. Porrò huius rei nulla alia ratio potest assignari; nisi ea, quam modo dicebamus: nimirũ quia permixtio primarum qualitatum est quid finitum, suis prædicatis, de quibus nulla est cõtrouersia iam contentum. nisi igitur positiue probemus identificare sibi hoc aliud prædicatum quod essentiam colorum importat: non possumus id rationabiliter affirmare; sed debemus asserere entitatem habere distinctam ab illis.

Obijcies Primo ex Quiedo nu. 15. nullum 63
est fundamentum; neque vlla ratio ad concedendas qualitates distinctas à primis, quæ sint principium naturale motus sursum, & deorsum. ergo grauitas, & leuitas non distinguitur à primis qualitatibus permixtis, Consequentia hæc quã auctor supponit vt veram probari posset principio illo receptissimo; non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Respondeo negando antecedens. fundamentũ enim & ratio sufficiens negandi huiusmodi identitatem est finitudo, & limitatio perfectionis primarum qualitatum, quæ, cum secundum speciem suam considerata possit admittere per identitatem plures, & plures perfectiones, quas de facto non admittit, vti vidimus, de perfectione coloris: eas tantum debemus illi tribuere quas positiue probare possumus. cum igitur non possimus

simus positiue probare, quod sibi huiusmodi perfectiones identificet debemus dicere, quod distinguatur ab illis. ad probationem antecedentis, admisso illo axiomate, dico vnam ex necessitatibus, quæ nos ad multiplicationem entium cogere debet esse finitudinem, & limitationem, quam entia creata in sua entitate habent, quæ cũ in casu nostro militet; nil mirum si entitates illorum multiplicemus. Tunc autem id sine necessitate faceremus; quando, vel aliunde constaret primas qualitates habere sibi identificatas huiusmodi virtutes motiuas, & nihilominus alias distinctas corporibus naturalibus addere-mus: vel si nulla penitus esset ratio nos cogens dictas virtutes, siue à primis qualitatibus indistinctas, siue distinctas ad mittendi: tamen illas ad mitteremus. Neutrum autem in casu nostro habetur. ergo &c. in idem recideret alia responsio ad eandem obiectionem, qua concesso absolute antecedente negarem consequentia: dicendo, quod ad affirmandam entitatem primarum qualitatum sibi identificare virtutes localiter motiuas non sufficiat, quod nullam habeamus rationem positiuam in contrariũ sed requiritur præterea, quod afferatur ratio positiua probans huiusmodi identitatem. vti modo dicebamus. vnde quandiu hoc aduersarius non præstat pro nobis stat victoria. Atque hæc stando in secunda ratione, quod si transeamus ad primam. fundamentum distinctionis luculentum est quod ad variationem complexionis primarum qualitatum alicuius corporis eius virtus motiua inuariata re maneat.

64 Obijcies secundo ex eodé ibid. si darentur grauitas, & leuitas qualitates speciales: hæc deberẽt immediate oriri ex temperamento primarum qualitatum. ergo ab eodem temperamento oriri poterit immediate motus sursum, & deorsum. Antecedens supponitur ex dicendis consequentia probatur. non potest assignari maior ratio cur qualitates primæ producere immediatæ valeant qualitates illas speciales, grauitatem, scilicet, & leuitatem; & non eorum motus sursum ac deorsum.

Respondeo distinguendo antecedens si grauitas, & leuitas essent speciales qualitates deberent immediatè oriri à temperamento primarũ qualitatum, dummodo huius immediati ortus ratio positiua assignetur, concedo. nulla assignata huiusmodi ratione, nego antecedens; & consequentiam. ad cuius probationem dico hoc ipso quod assignatur ratio positiua, quod ex primis qualitatibus grauitas, & leuitas immediatè procedant: ipsissimam fore maiorem rationem cur dicamus non procedere immediatè ab illis motus sursum, & deorsum. cæterum quemadmodum non valet hic modus argumentandi in coloribus sic: primæ qualitates ponuntur immediate productiuæ colorum. ergo possunt quoque poni immediate productiuæ specierum visibilium; identificando sibi ipsos colores: ita neque valet in casu nostro; & recte nam ex eo, quod vnum ens habeat vim immediatè productiuam vnius virtutis, seu entitatis; non bene deducitur, quod habeat quoque vim immediate productiuam operationum à dicta virtute, seu entitate procedentium, vt patet.

SECTIO SEXTA.

Verum Grauitas, & Leuitas distinguantur ab alijs secundis qualitatibus, & de earum causa efficiente immediata.

CIrca primum, quod in hac sectione quæritur, 65
sit prior Conclusio: grauitas, & leuitas distinguũtur pluspuam ratione à quibuscumque alijs secundis qualitatibus. est contra nonnullos recentiores, qui putant leuitatem identificari cum raritate. grauitatem vero cum densitate.

Sed assertio nostra probatur ex modo dictis, quia ad rationabiliter tribuendum per identitatem alicui entitati perfectionem aliquam, indigemus ratione positiua, quæ id nobis suadeat, sed nulla huiusmodi ratio est assignabilis. ergo &c.

Dices nisi asseramus grauitatem, & leuitatem cum densitate, & raritate identificari: non possumus assignare ad quam speciem qualitatis pertineant. sed hoc est inconueniens; ergo asserendum est, quod identificentur cum illis, & quod ratione earum in tertia specie collocetur.

Respondent aliqui concessa maiore, negando minorem, & dicunt Philosophum cap. de quali non omnes penitus species qualitatis enumerasse; sed solum notissimas, ac vulgares; vt ipsemet *loco citato* innuere videtur; sed quidquid sit de hoc: Respondeo ego negando maiorem. dico enim eas pertinere per se ad secundam speciem, nimirum, ad naturalem potentiam, & impotentiam; eo quod reuera sunt potentiæ quædam naturaliter competentes *corporibus* corruptibilibus, vt ad sua loca naturalia tendere valeant.

Quoad secundum vero sit posterior Conclusio grauitas, & leuitas non oriuntur immediate à formis substantialibus; sed à complexione primarum qualitatum; quidquid sit si etiam raritas, & densitas interuenire deberent.

Probat hanc assertionem Oviedus *loco cit. nu.* 68
15. quia aqua, & vapor ab ea vi caloris, extractus conueniunt in forma substantiali: & tamen aqua est grauis; vapor vero leuis. ergo grauitas & leuitas non prouenient immediate à forma, sed à primis qualitatibus. Consequentiam suadet, quia experimur, quod remanente eadem forma, & variatis qualitatibus primis grauitas, & leuitas varientur.

Hanc probationem non esse efficacem suaderem ex simili; quaquis probare vellet primas qualitates non produci immanenter immediate à forma substantiali sic: aqua frigida, & aqua calida conueniunt in forma substantiali, & tamen vna frigida est, altera calida. ergo calor, & frigus non oriuntur immanenter à forma substantiali immediate: mala enim esset consequentia; si quidem cum eo, quod forma aquæ sit immediate productiua frigiditatis in se ipsa: bene stat, quod possit ab extrinseco violenter acquirere calorem, qui sit frigiditatis expulsiuus eodem modo posset ad argumentum Oviedi ab aduersarij responderi, dicendo sensum quæstionis,

Digitized by Google

ais, in quo quæritur vtrum grauitas, & leuitas à forma substantiali immediatè causetur, non esse de grauitate, & leuitate violenter in subiectum introductis: sed de illis, quæ oriuntur ab intrinseco, & connaturaliter debentur subiectis; quarum productionem non oriri immediatè á forma substantiali non probat argumentum. Quare hac ratione posthabita melius.

67 Probatur. Assertiò hoc discursu experientia constat grauitatem, & leuitatem non posse expelli ad inuicem ab extrinseco actiuè, quamuis enim ponamus corpus remisse leue iuxta corpus intensissime graue: numquam videmus, quod graue aliquid grauitatis in illud directè producat, sed bene indirectè. Quatenus nimirum illud frigefacit humectat &c. ergo primæ qualitates habent vim producendi transeunter grauitatem, & densitatem. Hæc consequentia videtur certa, quia quando ignis agit in aquam V. G. eam calefaciendo, leuitas, quam aqua acquirit est sibi violenta. ergo nequit ab eius forma substantiali procedere, vel. ergo procedit immediatè á calore, qui est violenter in ipsam aquam ab igne causatus: vel à calore, qui est in ipso igne. Vtrumuis dicatur semper sequitur primas qualitates habere vim producendi transeunter leuitatem, & raritatem, vel mediatè, videlicet, producendo prius qualitates sibi similes à quibus emanent: vel immediatè vna cum similibus qualitatibus eas causando. Hoc Enthymemate solidato; procedo vlterius ad intentum probandum. Primæ qualitates, quæ connaturaliter competunt subiectis sunt eiusdem rationis cum ijs, quæ eis competunt violenter, & participant idem nomen. Calor enim, siuè sit in igne, siuè *in aqua*, habet eandem essentiam specificam atomam, vt supra cum communi sententia notauimus. ergo, siuè dicamus, quod leuitas aquei vaporis producatur immediatè á calore *ignis*, siuè quod producatur á calore causato *in aquam*; semper sequitur calorem habere virtutem productiuam leuitatis; & per consequens frigus, grauitatis, tum quia contrariorum eadem est disciplina per Aristotelem: tum quia similes videmus effectus in rebus *frigefactis*. Iam igitur habemus primis qualitatibus connaturaliter debitis elementis, & mixtis competere vim producendi leuitatem, & grauitatem. Sed hoc ipso, quod eis hanc vim natura concessit, *superfluè* similem formis substantialibus contulisset. ergo dicendum est, quod nõ solũ grauitas, & leuitas violenta corporibus á primis qualitatibus immediatè *illis* proueniat: sed etiã grauitas, & leuitas illis connaturalis. Huius totius discursus solum mihi remanet probanda vltima minor, quam modo subtexui. Ex ea enim consequentia legitimè sequi, nulli dubium potest esse.

68 Probatur autem ex eo quia, id circò natura tribuit vim adæquatam effectuum eiusdem effectus in specie pluribus causis: quia vna potest ab altera dissociari. Quare, nisi vtraque haberet dictam vim adæquatam: quando dissociantur neutra agere valeret. At casu quo vna non potest existere sine altera: hoc ipso, quod constat in hac altera haberi vim adæquatè productiuam effectus: superfluè simili vim vni illi à natura dari dicendum est. Atqui constat primis qualitatibus permixtis, vti vidimus, in esse adæquatè vim producendi leuitatem, & grauitatem. ergo superfluè huiusmodi vis à natura formis substantialibus data fuisset, quod erat subsumptum probandum. formæ enim substantiales sine primarum qualitatum complexione existere nequeunt,

69 Dices primo non obstante, quod primæ qualitates sunt productiuæ sibi similium transeunter: dicimus, quod immanenter à forma substantiali immediatè procedant. ergo idem dicere tenemur de grauitate, & leuitate, nimirũ quod immanenter à formis substantialibus: transeunter verò à primis qualitatibus oriantur.

Respondeo negando consequentiam. disparitas est, quia in tantum natura concessis formis substantialibus vim producendi immanenter primas qualitates: in quantum per huiusmodi vim debebant ipsa corpora resarcire damnum, quod in dictis primis qualitatibus passa erant: Hanc autem resarcitionem primæ qualitates præstare non poterant, quia in ea intentione secundum quam resarciendæ erant iam supponebantur corruptæ: At damnum in grauitate, & leuitate passum, corpora non restaurant; nisi prius iacturam primarum qualitatum restaurent. Vndè hæc vis producendi immediatè huiusmodi virtutes non debuit illis á natura concedi.

07 Dices secundo non est, cur forma substantialis saltè adiuuare nõ possit actionẽ productiuã grauitatis, & leuitatis à primis qualitatibus immediatè procedentem. ergo neque erit, cur hanc vim formis substantialibus denegemus.

Respondeo negando antecedens propter rationes, quas adduximus probando formas substantiales, nè quidem partialiter immediatè concurrere ad productionem transeuntem primarum qualitatum. Eadem enim est ratio in casu nostro de actione immanente, ac transeunte, vti vidimus;

71 Ad hæc Obijcies primo non posset conuinci, qui diceret raritatem, & densitatem, siuè immanenter, siuè transeunter semper à forma substantiali immediatè procedere positis primis qualitatibus tãquã cõditionibus materialibus tantum. ergo rectè id sustinere potest.

Respondeo negando antecedens, vt constat ex Aristotele, qui locis citatis à Conimbricensibus *secundo de Generatione cap. 3. qu. 2. art. 2.* eodem modo loquitur de ortu grauitatis, & leuitatis á primis qualitatibus, ac de ortu reliquarum secundarum qualitatum. Atqui reliquæ secundæ qualitates, procedunt efficienter ex primis, & non dispositiuè tantum, vt communiter eius interpretes iisdem locis affirmant. ergo &c.

Iam verò rationem negationis antecedentis si desideras: accipe; non potest assignari ad quid grauitas, & leuitas exigant primas qualitates, tamquam dispositiones. ergo si non

exigerent illas, vt causas effectiuas: nullo pacto eas exigere deberent. Consequentia huius constat: antecedens verò, suadetur ex eo, quia in tantum formæ substantiales sequuntur materiam per primas qualitates præparatam, atque dispositam: in quantum sunt vltimo à natura intentæ, quare cum natura ab imperfectioribus ad perfectiora semper ordinatè procedere soleat: debuit priusquam ad formam vltimam perueniret: aliquas alias formas imperfectiores in materia producere, quarum beneficio eam veluti præoccuparet, & determinaret ad vnam potius formam vltimam exigendam in specie: quam aliam. Atqui grauitas, & leuitas non sunt formæ vltimæ; neque primæ qualitates sunt illis imperfectiores, quæ se haberent, vt præparatum subiectū ad eas recipiendas. ergo &c.

72 Obijcies secundo Aristoteles *quinto Metaph. tex.* 18. Enumerat graue, & leue inter passiones quanti. ergo grauitas, & leuitas oriuntur immediatè à quantitate. Consequentia patet. Nam, si cætera sint paria, rationabilius discurrit, qui passiones ab essentia, cuius sunt passiones emanare docet.

Respondeo primo cum D. T. Scoto, Fonseca, & alijs: Philosophum loco citato non loqui ex propria sententia; sed ex sententia eorum, qui sustinebant multitudinem planorum, & superficierum esse causam grauitationis, & paucitatem eorum leuitationis; cuius sententiæ mentionem fecerat *quarto phys. tex.* 81. Sicuti etiam ex sententia antiquorum 8. *phys. tex.* 55. dixerat raritatem, & densitatem esse principia omnium passionum; & molle, ac durum esse densitates, ac raritates quasdam; quod si contendas Aristotelem ex propria sententia loquutū esse. Hoc permisso.

Respondeo secundo grauitatem, & leuitatem dici passiones quanti, non formaliter accepti; quasi verò ab ipsa quantitate profluant: sed materialiter, seù denominatiue sumpti, hoc est illius corporis, quod est quantum; & nisi esset huiusmodi, neque leuitare posset neque grauitare, quam etiam explicationem adhibendam existimarem verbis *ex quarto phys. tex.* 85. desumptis vbi dicitur graue, & durum esse densum: leue verò, & molle rarum. sensus enim est duritiem, & grauitatem in rebus corruptibilibus semper cum densitate coniungi: mollitudinem verò, ac leuitatem cum raritate. quamuis de cætero non profluant immediatè ab illis.

73 Obijcies tertio idem Aristoteles 8. *phys. tex.* 32. ait elementa moueri à generante. Sed hoc non potest intelligi immediatè quasi vero sit immediatum principium motus illorum; huiusmodi enim principium non est nisi grauitas, & leuitas. ergo debet intelligi mediatè, ita, vt sensus sit grauitatem, & leuitatem causari in elementa immediatè quidem à generante, & ijs mediantibus motum sursum, & deorsum. Falsum igitur est leuitatem, & grauitatem oriri immediatè à primis qualitatibus corporum grauium, & leuium.

Respondeo concessa maiore, & minore; ad consequentiam, dico dupliciter posse intelligi elementa mediatè à generante moueri. Primo, tamquam á principio principali remoto, ac primo. Secundo tamquam à principio principali proximo, & secundo. Iam verba Aristotelis sumi debent iuxta priorem intelligentiam; ita vt sensus sit, quod elementa moueantur á generante, tamquam à principio principali remoto, & primo in suo ordine: non autem iuxta posteriorem; & quidem, quod generans sit principium principale remotum, & primum in suo ordine in genere efficientis motum naturalium elementorum: constat ex eo, quia illud est censendum principium efficiens principale remotum, ac primum in ordine creato, quo non potest assignari aliud prius. Sed motus elementorum non potest assignari aliud principium effectiuū prius generante ergo &c. Maior patet, Minor suadetur; nam si, quod aliud assignari posset illud maximè esset forma substantialis elementi (patet enim grauitatem, & leuitatem esse causas immediatas instrumentales) sed forma substantialis elementi, est posterior, & proximior ipso generante, vtpotè quæ supponitur ab illo produci. ergo elementa mouentur à generante, tamquam à principio primo, atque remoto. Falsa igitur est explicatio principij remoti, quæ traditur ab Aduersarijs in prima consequentia vndè non est mirum si secunda consequentia neganda sit; & recte; non enim debemus tribuere generanti nisi id, quod necessarium est ad primum esse compositi. cū autem ad hoc sufficiat productio formæ substantialis non debemus illi tribuere, nisi productionem immediatam ipsius formæ. Cætera verò tribuenda sunt formæ, tamquam principio minus remoto, siue demum immediatè, siue mediatè, quia essentia debet statui radix proprietatum compositi, & non causa efficiens illius, vt de se patet.

SECTIO SEPTIMA:

Vtrum omnia grauia æquali velocitate per se deorsum decidant.

74 CONclusio est negatiua. Dicimus enim, quod corpora, quo grauiora sunt: eo velocius ad centrū ferantur. Ita communiter omnes Philosophi, tum veteres, tum recentes excepto vno Arriaga, qui *disput. 4. sect. 5. subsect. 3.* Docet corpora grauia magnitudine, & grauitate valdè inter se diuersa ex eadem prorsus distantia descendentia; æquali velocitate moueri.

75 Probatur tamen nostra assertio in hunc ferè modum. quo corpus aliquod validiorem habet virtutem operatiuam effectus in tempore producendi: cæteris paribus, velocius illum operetur; sed quo grauius est corpus, validiorem habet virtutem se mouendi deorsum in tempore. ergo quo corpus grauius est, per se loquendo, velocius mouebitur. Minor, & consequentia patent. Maior verò probatur dupliciter, & primo, quidem experientia, videmus enim, quod calor, quo intensior est, nisi quid obstet:

obstet: eo citius calefacit. Idemque videmus contingere frigori, & similibus agentibus. Rursus enim experimur, quod si ponantur duo agentia æquè intensè calida V.G., si tamen vnum est densius altero, & plures partes entitatiuas caloris applicat passo: maiori velocitate per se loquendo agit in Passum, quam rarius; vt constat ex calore, qui est in flamma stupæ, & ex eo, qui est in prunis ardentibus. ergo &c. Secundo eadem maior probatur à priori, quia quo validior est virtus operatiua effectus, eo est aptior ad superandam resistentiam impedientis illam: nè operetur in instanti. Sed non alio modo virtus operatiua meliori modo superare potest resistentiam impedientis se nem agat in instanti (ex suppositione, quod hanc euincere nequit) nisi velocius operando. ergo quo corpus aliquod validiorem habet virtutem productiuam effectus per se loquendo velocius illum producet. 76

Ad hoc argumẽtum duplex videtur adhiberi posse responsio. Vna est Mauri *lib. 2. quæst. 30.* dicto secundo in fine, docentis grauia etiam in æqualia per se loquendo habere æqualem virtutem mouendi se quando non est impedimentum: sed habere in æqualem vincendi impedimentum, & ad talem victoriam ordinari grauitatis excessum.

Sed contra est primo, quia repugnat saltem naturaliter grauia mouere se sine vllo impedimento. Semper enim mouentur per medium plenum. Porrò medium, quo subtilius: eo motus eorum est velocior, vt vidimus cum Aristotile in physicis cum de vacuo. ergo repugnat grauia inæqualia ordinari æqualiter se mouendum sine impedimento. Sic enim natura casus miraculosos per se respiceret, & ad eos directè essis naturalia ordinaret, quod nemò dixerit; sed hoc permisso, contra etiam est secundo, quia hoc ipso, quod grauia inæqualia habent virtutem inæqualem vincendi impedimentum habent etiam inæqualem se mouendi, quia motus rectus non aliter euadit velocior inter extrema æque distantia: nisi, ex maiori victoria, qua resistentia medij superatur, quod si respondeat inæqualitatem motus consequenter haberi: Contra est tertio, quia grauitas est quædam species virtutis motiuæ immanenter. De ratione autem huius est primo, & per se ordinari ad mouendum subiectum in quo est, & consequenter ad superanda impedimenta motum eius retardantia. ergo dicendum est, quod grauia inæqualia habeant inæqualem virtutem primo, & per se respiciendi inæquales motus: secundariò verò, & consequenter inæqualem victoriam medij impedientis. 77

Altera responsio sumitur ex Arriaga *loco cit. num. 96. & 97.* Vbi supponit grauitatem duo præstare; motum deorsum producere, & impulsum imprimere corporibus impedientibus. Quo posito dicit duo. Primum est in ordine ad motum omnes grauitates per medium leue æqualiter mouere: Secundum verò in ordine ad impulsum, quo corpus grauius est; eo maiorem impulsum causare.

Hanc responsionem impugnat Comptonus

ad hominem *disput. 14. sect. 2. num. 5.* Sic: in ordine ad impulsum, quo corpus grauius, est eo maiorem causat. Sed, vt fatetur idem Arriaga *num. 106.* Lapis cadendo in se impulsum producit, & quo diutius cadit; eo maiorem. ergo absolutè falsum est, quod dicit, videlicet omnibus pensatis omnia grauia æquali velocitate descendere per aërem Postea verò *num. 6.* Idem inducit Arriagam ex his, quæ habet *num. 102.* Prædictæ difficultati respondentem: impulsum illum non iuuare grauitatem ad motum deorsum producendum, eo quod impulsus ab extrinseco non videtur augere motũ naturalem; quam responsionem dupliciter Comptonus impugnat. Primo, quia quando quis ex turri magno impetu in terram proijcit lapidem, hic celerius descendit, quam si sola naturali grauitate moueretur. ergo impulsus ab extrinseco potest motum naturalem augere. Secundo, quia in alijs rebus causæ extrinsecæ naturalem motum augent, vt patet ex aqua calefacta, & postea in medijs niuibus constituta, quæ frigoribus nimis adiuta citius frigiditatis dispendia ab intrinseco restaurat.

Verum hæ rationes, quamuis in se solidæ: 78
tamen in ordine ad responsionem Arriagæ impugnandam, nil valent; quia ipse argumentum desumptum ex maiori impulsu, quem corpus grauius quando mouetur deorsum in se producit non soluit per illa verba (quia impulsus ab extrinseco non videtur augere motum naturalem) sed per hæc (quia impulsus ab intrinseco &c. Sic enim lego, tum in impressione Antuerpiensi *1632.* Tum in Parisiensi *1637.* Edita; & dato, quod in aliqua alia impressione legatur, ab extrinseco (nullo negotio per errorem id factum animaduerti poterat. Nam auctor immediatè antea sic habet: quod si in se nouum impulsum producit, illum non iuuare ad motum deorsum: Quare licet immediatè post in codice legeretur (quia impulsus ab extrinseco non videtur augere motum naturalem) facile deprehendere posset legens (ab intrinseco) corrigendum esse, quia agitur de nouo impulsu, quem in se producit graue quando mouetur, & ratio sic adducta ab eo videtur apparens, quia agens naturale cum non inclinet ad malè se habendum non debet posse in se producere impulsum, qui naturalibus suis operationibus violentiam afferat, producendo in se motum.

Tota hac igitur Comptoni impugnatione 79
relicta, cum præsertim doctrina de impulsu, quem in se producunt grauia, quando descendunt valdè obiter, & dubitanter ab Arriaga tradatur. Eius responsionem ad nostrum principale argumentum tripliciter impugno. Primo, quia sic veritatem suæ conclusionis, in qua sustinet omnia corpora grauia æquali velocitate moueri, fundat in rè valdè dubia, & incerta: cuiusmodi est: num admittenda sit virtus impressa, quam meliores Peripatetici mordicus negant, vti nos paulo post videbimus. Non est autem ingenij veritati obsequentis tentare res moraliter certas propter tot sapientum auctoritatem communi consensu illas docentium, dubijs opinionibus labefactare;

Digitized by Google

Impugnatur secundo, quia qualitas quæ est primo, & per se potentia operatiua alicuius effectus suum augmentum, vel decrementum in dictum effectum primario refundere debet; ita vt si validior sit; effectum perfectiorem; sin autem imbecillior imperfectione efficiat; vt patet inductione facta per omnes potentias tũ vitales, tũ non vitales: sed grauitas est qualitas primo, & per se operatiua motus deorsum; ergo suum augmentum, vel decrementum refundere primario debet in motum. ita vt si sit maior debeat producere per se loquendo velociorem motum; si vero minor, minus velocem. Impossibile igitur est quod in ordine ad motum deorsum omnes grauitates sint æquales inter se: inæquales uero in ordine ad impulsum,

80 Impugnatur denique tertio, quia dato quod discrimen inter grauitates sit in ordine ad impulsum: hinc deducitur, quod etiam debeat esse per ordinem ad motum deorsum, quod faciũt per medium leue. ergo falsum est quod in ordine ad dictum motum omnes grauitates se habeãt æqualiter. consequentia patet, antecedens probatur; quia hoc ipso quod ex duobus corporibus inæqualibus ex alta turri descendentibus grauius maiorem impulsum causat in aerem quã minus graue: sequitur, quod aer propulsus à corpore grauiori citius moueatur ad dandum illi locum, quam aer propulsus à minus graui. ergo iam grauius mouebitur velocius. antecedens constat. si quidem non potest negari maiorem impulsum per se loquendo esse Causam velocioris motus in corpore pulso. Consequentia vero videtur certa; quia nisi corpus grauius eadem velocitate moueretur qua mouetur aer à se propulsus, in cuius locum ipse succedere debet; sequeretur, quod locus ille vacuus per aliquod temporis spatium remaneret, nam ibi non esset aer propulsus, vt supponitur, neque corpus grauius posito, quod non eadem velocitate moueretur; neque posset assignari aliquod aliud corpus, quod locum illum occuparet in ordine ad quod non rediret eadem difficultas. ergo &c.

81 Ab hac vltima impugnatione se expedit Arriaga nu. 96. negando corpora grauia quando descendunt per aerem imprimere ei impulsum, cuius rei hanc fere rationem assignat: illud medium corpora grauia impellunt, quod resistit ipsorum descensui. atqui quando medium est leuius nullo modo resistit, imo potius illa ad descendendum adiuuat. ergo &c. maior videtur certa; ad quid enim imprimere corpus descendens impulsum in medio, nisi eius motui resistat? maiorem vero probat, quia medium leuius hoc ipso, quod experitur supra se corpus aliud grauitate conatur in altum supradictum corpus conscendere, & sic relinquendo illi locum suum est causa vt ad eum occupandum corpus graue celerius moueatur.

82 Sed contra est, ex suppositione enim quod detur virtus impressa, non videtur negandum Corpora grauia quando descendunt illam causare in aere per quem descendunt; ad rationem in contrarium nego minorem, aerem, videlicet, eorum motui non resistere, & ad eius probationem dico; resistentiam, quam adhibet aer corpori graui descendenti non prouenire ex eo, quod difficulter moueatur supra illud; hoc enim est ei connaturale, quia sic se reponit supra graue; sed ex aliquo antecedente ad dictum motum nimirum ex sui diuisione, quia omne corpus ad continuationem habendam in suis partibus valde propendet, quatenus ex ea vnitas, & cõseruatio proprij individui dependet. Contra quam inclinationem dum diuisionem patitur; non est mirum si descẽdenti resistat; & sic ad hãc resistentiam superandam corpus descendens ei impulsum imprimat, eo maiorem; quo ipsum grauius est; & quidem quod aer corpori graui descendenti aliquam faciat resistentiam videtur certum. primo, quia videmus cartam, pilos, & plumas in medio aere quietissimo, & nulla ventorum agitatione commoto, subinde detineri, & non prosequi motum suum deorsum, & dum illum prosequuntur valde minori velocitate moueri quam lapis. sed huiusmodi corpora sunt absolute grauia respectu aeris. ergo &c.

Respondet primo ad hoc Arriaga: id, dictis corpusculis ex sua tenuitate. & figura prouenire; quatenus redduntur eorum beneficio capacia, vt detineantur ab aere, & ab eodem facile sustententur. 83

Sed contra est: quia, quamuis tenuia sint, & & plana: si verum esset, quod aer nullo modo resisteret corpori graui descendenti, imo potius illud iuuaret; non esset cur dicta corpora non descenderent: habent enim naturalem propensionem ad essendum infra leue, & violenter detinentur supra. ergo ab aere violentiam illam patiuntur, sed hoc non eueniret nisi aer illis resisteret, cuius natura vt minus malum patitur dicta corpuscula supra se detinere; quam discontinuationem in suis partibus admittere; ergo &c.

Respondet secundo idem Arriaga nunc tertio etiam si dicamus in aere haberi aliqualem resistentiam: tamen eam esse adeo exilem vt non nisi ab atomis, & plumis superari facile non possit; á cæteris vero corporibus omnino æqualiter sine vlla prorsus difficultate vincatur. 84

Sed contra hanc etiam responsionem facit primo, quia aqua ni fallor non videtur computanda inter plumas, folia, & atomos. nam videmus hæc quandiu in sua naturali siccitate conseruantur, illi supernaturale. vnde potius connumeranda est cum reliquis corporibus grauioribus. sed experimur aquam ex sublimi loco decidente vt ex alta turri; inuarias particulas diuidi, & ex nubibus in pluuiæ guttas dissolui: quod non posset, nisi in aeris resistentiam refundi, ergo etiam corporibus grauibus descendentibus aer resistit.

Contra etiam est secundo, & accipio vnum ex corporibus, quod auctor dicit sine vlla prorsus difficultate aerem findere; V. G. palmarem lapidem: tum sic, si hic lapis ex sublimi loco proiectus tempore quo recitari posset dimidium Ave vsque ad terram descenderet per hunc nostrum aerem crassiorem: profecto si descenderet

Digitized by Google

ex eodem loco per aerem duplo tenuiorem: huic tempore terram attingeret, ex Aristotele enim habemus, quod cæteris paribus quo medium est subtilius eo motus est velocior. ergo nullus aer motui grauium corporum descendentium iam resistit. falsum igitur est eum resistere solis motibus plumarum, foliorum, & similium.

85 Obijcies primo ex Arriaga *nu. 93.* experientia sibi pluries compertum esse, corpora figura magnitudine, & pondere notabilissime inæqualia ex eadem distantia eodemque loco sublimiori simul dimissa; simul eodemque temporis momento ad terram peruenisse. ergo falsa nostra conclusio.

Respondeo cum Comprono *sect. 2. nu. 2.* multos fide dignos oppositũ penitus expertos fuisse. nimirum ex hac ipsa occasione ex altissima turri, puncto aere, centies, duo corpora inæqualis grauitatis proiecisse; & semper animaduertisse, grauius velocius ad terram descendisse. idem testatur Lynceus *lib. 8. phys. tract. 1. cap. 7 nu. 27.* vbi ait, se huius rei periculum fecisse, & coram multis expertum esse, corpora inæqualiter ponderosa inæquali etiam velocitate descendere. Quoniam vero quoties ex utraque parte cõtrouersiæ cõtrariæ experientiæ afferuntur: neutram faciunt probabiliorem, ideo hæc Auctoris obiectio nihil concludit.

86 Obijcies secundo aqua parua, & magna si calefiant eadem celeritate reducunt se ad pristinam frigiditatem. ergo lapis magnus, & paruus eadem celeritate deorsum mouebuntur.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quia partes aquæ reducentis se ad pristinum statum, non se adiuuant in expulsione caloris, sed quælibet portionem, quam habet in se expellit, Vndè, siuè adsint, siuè absint reliquæ partes: eodem modo se habet. At partes lapidis in superanda aëris intermedij resistentia se habent per modum vnius indiuisibilis principij; sicuti partes vnius ignis agentis in lignum; & ideò non est mirum: si, quo lapis est maior, eo celerius moueatur, quia plures partes ad eundem aërem diuidendum applicat, vt melius ex responsione ad sequentem obiectionem explicabitur.

87 Obijcies tertio: si maior grauitas per se loquendo esset causa velocioris motus: sequeretur quod eadem proportione, qua vnum corpus est grauius altero: velocius illo moueretur. Sed hoc est falsum, vt omnes fatentur, nam si ex turri proijciantur duo corpora plumbea, quorum vnum sit decem librarum: alterum verò vnius libræ, si non æque velociter descendunt: differentia quasi insensibilis esse videtur.

88 Ad solutionem huius difficultatis præmitto dupliciter vnum corpus esse altero grauius. primo intensiuè, secundo extensiuè. Intensiuè grauius est, id quod habet grauitatem magis intensam. Sic plumbum censetur esse grauius ligno; vel palea, eo quod intensiori grauitate præditum est. Extensiuè grauius illud censetur, quod, siuè habeat grauitatem æquè intensam, siuè minus: nil curat, sed solum requirit, vt habeat plures partes quantitatiuas grauitate affectas, quarum beneficio præponderet in medio leui. Sic pila lignea decem librarum est grauior pila plumbea vnius libræ, quia licet hæc sit magis intensè grauis: illa tamen habet plures partes extensiuas quarum beneficio, si librentur in aëre, lanx in qua est pila lignea præponderabit ei, in qua est plumbea. Dixi in aëre; quia, si in aqua id fiet: lignum supernatabit ratione intensioris leuitatis, quam habet cum aqua comparatum, vel vt dicunt alij, quia in ligno, quod est valdè porosum, dantur plures partes aëris in eius poris inclusæ, quæ repugnando esse sub aquis substentãt illud, & faciunt vt supernatet aquis. Iam verò vtrouis modo vnum corpus sit altero grauius, si non proportionem arithmeticam in velocitate seruabit: at seruabit geometricam, & aliqualem; maiorem tamen quando est intensiuè grauius; ac quando est grauius extensiuè.

Hoc probatur pariter reliquorum agentium 90
operantium in tempore propter resistentiam, quam in agendo in passo reperiunt. Ea enim sunt huiusmodi, vt secundum eam proportionem, secundum quam vnum vincit alterum in intensione, vel extensione: si cætera sint paria, vincat etiam illud in perfectione effectus. Non quidem arithmeticè; quia suppono non posse agens communicare passo totam suam perfectionem intensiuam, quam habet; sed geometricè; magis tamen quando superat alterum in intensione: quam quando in extensione. Patet hoc; nam: si dentur duo calida V. G. vnum, vt quatuor, & alterum vt octo; & illud, vt quatuor per quadrantem introducat vnum gradum caloris in suum passum: illud, vt octo eodem temporis spatio introducet procul dubio duos, ex suppositione, quod eadem facilitate omnes introducantur: secus facienda est compensatio, pro difficultate, qua gradus intentior exigit produci. Item si dentur duo calida, vt quatuor vnũ vnius palmi, alterum decem palmorum: licet neutrum poterit producere in passum calorem, vt quatuor; si agens palmare producet per dimidium horæ tres gradus: agens decem palmorum illos producet per quadrantem, cum aliquo etiam excessu supra tres. Quoniam verò in casu nostro tota ratio perfectionis vnius motus supra alium in velocitate consistit: sequitur, quod sicuti grauitas, siuè intensiua, siuè extensiua corporis grauioris superat grauitatem corporis minus grauis: debeat quoque motus illius superare in velocitate motum huius; minus tamen, si est extensiuè superior, quam si intensiuè; & ratio huius diuersitatis est nota, quia magnitudo non affert intensionem virtutis; sed solum multiplicitatem partium illius. Vndè non est mirum: si non eadem proportione, qua crescit velocitas ex maiori grauitate intensiua, quæ formalis est: crescat velocitas ex maiori extensiua. Verum quod ex hac etiam aliquantulum crescat explicatur vlterius hoc discursu.

Corpus extensiuè grauius altero tripliciter se habere potest, quod ad nostram facit primo ita, vt secundum planitiem secundum, quam debet descendendo expellere aërem occupet maius spatium V. G. decem palmorum. Corpus verò minus graue, minus: videlicet vnius tantum

Digitized by Google

cum palmi. Secundo ita, vt secundum planitiem quidem tantundem spatij occupet, ac minus graue V. G. palmare; secundum verò profunditatem, & crassitiem occupet maius spatium V.G. decem palmorum; alterum verò vnius quoque palmi. Tertio denique ita, vt secundum omnem dimensionem tantundem spatij vtrumque occupet; cum hac differentia, quod magis graue sit valdè densum, habeatque plures partes entitatiuas grauitatis V.G. decem palmos. Minus verò graue, rarum. Vndè pauciores partes entitatiuas grauitatis contineat V. G. vnum palmum; & siquidem hoc tertio modo se habeat corpus magis graue: quod cum aliqua proportione ad pluralitatem partium velocius moueri debeat: patet ex eo, quia quo densius est, eo plures partes immediatè applicat ad superandam resistentiam àeris V.G. palmaris indiuisibiliter accepti, nempè decem palmos. Contrà verò minus graue pauciores, videlicet vnum palmum tantum.

91 Idem euincitur: si secundo modo se habeat. Nam quo profundius est corpus magis graue: eo plures partes vna super aliam applicare videtur suæ grauitatis ad eandem prorsus resistentiam àeris superandam. Siquidem ponitur habere decem palmos profunditatis: alterum verò vnũ tantum palmum. Denique si primo modo se habeat; quamuis non possit seruare in velocitate proportionẽ, quam seruat in duobus casibus præcedentibus. Siquidem quilibet eius palmus habet sibi correspondentem palmum àeris superãdum, sicuti corpus palmare habet correspondentem sibi palmum superandum, alioquin verò àer tam facile diuiditur ab vno palmo ad hoc, vt illi cedat locum, quam à decem, vt illis locum cedat; quia sicuti se habet vnum ad vnum, ita decem ad decem; nihilhominus, quod aliquam proportionem etiam in hoc casu seruet in velocitate: probatur, quia plures illæ partes corporis grauioris hoc ipso, quod inuicem vniuntur, aliquid plus acquirunt in ordine ad superandam resistentiam àeris, nam vt prouerbialiter dici solet, virtus vnita fortior; quod non militat in partibus resistentibus àeris; eo quod hæ nunquam possunt diuisæ resistere, quia hoc ipso, quod approximantur, inuicem vniuntur. Vndè semper huiusmodi partes cum hac vnione imbibita considerantur in ordine ad resistendum cuicumque corpori graui. Ex hoc autem discursu sequitur quod, non solum quando vnum corpus est intensiuè grauius altero, habito respectu ad maioritatem intensiuam, velocius illo moueatur: sed etiam quando est grauius extensiuè.

92 Porrò ad experientiam, quæ in obiectione adducebatur desumpta ex duobus corporibus plumbeis eiusdem figuræ, quorum vnum sit vnius libræ: alterum verò decem librarum; quæ si simul dejiciantur ex præalta turri: ferè simul terram contingunt. Eam concedo, & dico similem experientiam haberi etiam si vnum corpus sit intensiuè multo grauius altero. Vndè ortum est dissidium in huiusmodi experientijs, quia vix animaduertitur maior velocitas in grauiori, nisi valdè attendatur. Nego tamen consequentiam, omnia nimirum æqualiter moueri; & dico: quamcumque distantiam, quæ à nobis artificiosè constitui potest, esse insufficientem ad deprehendendam adæquatam proportionem, qua grauitas maior, siuè intensiuè, siuè extensiuè, maiorem excessum in velocitate sibi vendicet; & ideò nil mirum esse si omnia corpora grauia per àèrem ferè æquali velocitate descendere videantur, eo quod grauitas, ad hoc, vt omnes vires suas, quas in ordine ad velociter mouendum per àèrem, exerat; indiget valdè notabili terminorum distantia, quam nostro artificio dare illi non possumus. Ad hoc asserendum duo mè compellunt: primum est ratio, qua probatur eandem proportionem Geometricam, quam habet grauitas vnius corporis ad grauitatem alterius, debere habere velocitatem illius ad velocitatem huius, multo tamen minorem ea, quam duo inæqualiter calida in calefaciendis suis passis seruant, eo quod in calefactionis decursu semper est idem numero passum secundum easdem partes quãtitatiuas. Vndè quo magis procedit calefactio eo vires contrarij minus resistunt. Non sic autem se habent grauia in descendendo. Nam secundus palmus aeris superandi ex eo, quod primus fuerit deiectus, nihil de sua virtute resistitiua perdidit. Vndè semper cum nouo hoste habente suas integras vires, grauia descendendo congrediuntur.

Secundo verò cogit mè velocitas ferè æqualis, 93
qua ex eodem termino descendere videntur ad centrum corpora valdè inæqualia in grauitate. Non possunt autem hæc duo coherere, nisi recurramus ad necessitatem magni spatij in àere superandi, ad hoc, vt appareat dicta proportio. Quod si experientia constat non requiri in aqua: ratio disparitatis est, quia aqua vtpotè densior plus resistit. Vndè facile apparet differentia, quæ est inter magis, & minus graue; at verò àer multo minus resistit. Quare non nisi ad longam distantiam potest apparere diuersitas. Sic si dentur duo fortes milites, quorum vnus tamen sit robustior altero: hi si ad pugnandum cum duobus adolescentulis æquè imbellibus descendent, eadem fere facilitate vterque miles suum adolescentem aduersarium confodiet; æque poterit discerni valor robustioris, supra minus robustum; at si cum multis adolescentibus ab illis duobus succesiuè pugnandum erit, vel cum duobus robustis quidem hominibus; sed viribus inferiores illis: statim discrimen, quod inter vtrumque militem intercedit, apparet: sic si duæ pilæ plumbeæ, quarum altera sit vnius, altera verò decẽ librarum ex præalta turri simul descendere debeant; quælibet ex eis spatium illud àèreum: tanquam imbellem puerum superandum respiciet. Vndè non est mirum si differentia inter vnam, & alteram non benè discernatur; at si decem, vel viginti spatia similia vnico tractu percurrendum illis est; vel per duas, aut tres vnius aquæ descendendum? statim notabile discrimen apparebit. Quod si contendat Arriaga *in fine numeri* 101. Etiam in aqua paruulum clauiculum, tam cito ad imõ descendere: quam lapidem multo ponderosiorem: ad hoc, si ita est, respondendum, quod cum clauiculus ponatur intensiuè grauior lapidè, vtpotè ferreus, & figuræ ob longæ, non est mirum: si

prop-

propter vtramque rationem adæquet motum lapidis, quia hic supponitur esse extensiuè tantum grauior, & figuræ fortassis planæ, vel rotundæ. Grauitas autem extensiua materialiter motum prodest, & figura mobilis potest valde obesse motui, vt de se patet.

SECTIO OCTAVA.

Duæ reliquæ quæstiones circa motum Grauium, & Leuium dissoluuntur.

94 QVæres primo an grauia, & leuia velocius in fine motus, quam in principio moueantur, & vndè hoc.

Respondeo affirmatiuè cum communi sententia, quæ fundatur in experientia, videmus enim lapidem, quo è sublimiori loco descendit: eo grauiori ictu hominem ferire, & aquam initio descensus continuam, paulatim in guttas diuidi; dum enim pars inferior superat in velocitate superiorem discontinuatur ab illa, & sic omnis guttatim descendit hãc sententiam putat falsam esse Arriaga *disput. 4. sect. 5. num. 98.* Sed eam tuentur omnes Philosophi sequuti Aristotilem pluribus in locis præsertim *quarto phys. tex. 61. & 8. phys. tex. 76. idem Cælo text. 88. & 89. & secundo de Cælo tex. 35.* & quidem Simplicius *primo de Cælo commentario suo 86.* ait hoc fuisse in confesso apud omnes. Neque dicat Arriaga experientias, in quibus fundati sunt philosophi ad hoc dicendum, solum conuincere diuersitatem impulsus causati à corpore graui, quando per breue spatium descendit, ac quando per longum. Nam ad intensiorem impulsum causandum, posito quod detur, est necessarius motus velocior, vt patet; si quis enim velit pellere, vel percutere manu aliquem, manum reuocabit, vt longior sit motus manus, & funda, quo longior est, & maiorem facit circulum, & intensiorem imprimit impulsum in sententia illum admittente. Iam verò in reddenda ratione huius maioris velocitatis in fine motus naturalis valdè laborant philosophi, breuiter dicam; id prouenire ex eo, quia medium initio motus est in quiete, vndè magis resistit mobili: at in fine motus est in motu, & quidem versus eam partem, versus quam mouetur mobile. Semper enim partes antecedentes medij subsequentes impellunt versus illam partem, versus quam propelluntur à mobili. Vndè est quod minus ipsi mobili resistant.

95 Confirmatur, quia nauis in contrariam fluminis partem si nauigat magna difficultate mouetur, si autem Paludem quiescentem facile: at verò facillime, & cum maxima propensione, si secundo flumine se mouet. Tunc enim medium ipsum non modo illam non retardat, quia etiam ad celerius se mouendum aliquo etiam modo adiuuare videtur, igitur à pari quando grauia, & leuia motum incipiunt, inueniunt medium, per quod mouentur immotum, ac inquietum; & ideò tarde mouentur à principio: at quando motum prosequuntur, reperiunt idem medium, versus eam partem se mouens, versus quam ipsa tendunt, ideoque tunc mouentur velocius. Denique in fine motus longioris, quia medium velocissimè tunc mouetur propter nimiam multiplicium fluxarum partium compressionem, causatam, tum à maiori velocitate, qua antecedens mobile se mouit, tum etiam à pluribus partibus superioribus ipsius medij deorsum se mouentibus: id circo tunc etiam illa velocissimum motum producunt.

Quod si Aristoteles primo de Cælo, & in mechanio docet: graue, quo plus mouetur eo plus grauitatis assumere, loquutus est de grauitate in actu secundo, quæ non distinguitur ab ipso motu, qui, quia partim á principio extrinseco causatur: id circo non est censendus omnino naturalis quasi verò totus proueniat ab intrinseco, vt accidit in animalibus se mouentibus. Neque dicas hinc sequi motum violentum velociorem etiam esse debere in fine, quam in principio. Dispar enim est ratio, quia hic censetur esse à principio extrinseco: naturalis verò ab intrinseco, quod cum semper mobile comitetur, non solum non sinit medium ad suum naturalem statum se reducere; sed quo magis mouet ipsum mobile; eo magis ipsi medio violentiam infert. 96

Quæres secundo vtrum elementa grauitent, & leuitent in proprijs locis. 97

Respondeo negatiuè. Primo, quia grauitas & leuitas ordinantur à natura ad ponenda corpora in proprijs locis, in quibus quando sunt cessare debet earum operatio. Alioquin vnum corpus truderet alterum, & in locum alterius, contra suam inclinationem se ingereret. Secundo, quia experientia constat eos, qui natant, & vsque ad profundum maris demerguntur, non sentire pondus aquæ. Quod siquis in terræ visceribus terra coopertus eius pondere opprimitur: est quia terra est illo grauior: at verò aqua ideò non grauitat in hominem demersum, quia aqua est illo leuior; quod si grauitat supra hominem deferentem vas plenum aqua: est quia homo impedit, nè ipsa sit immediatè supra elementum terræ, sed potius supra aërem; atque adeò in loco extraneo. Quod si ponas aquam in solario Turris quamuis grauitet respectu solarij: non tamen respectu hominis in illa demersi, quia partes, quæ sunt supra hominem habent contenuationem, cum reliquis, atque adeò naturaliter detinetur. Præterea idcirco in aëre plus ponderat lignum tenuem librarum, quam plumbum vnius libræ, contra verò in aqua: quia, vti diximus, lignum plures habet partes aëris, quæ illud sublentant: nè demergatur in aquis, at verò in aëre dictæ partes non resistunt partibus terreis, quæ in eodem ligno sunt ac deorsum tendunt; quia partes vnius elementi in proprio loco indifferentes sunt, vt sint supra, vel infra; & hinc etiam est, quod vter inflatus ponderet in aëre, & non in aqua, quia nimirum aër inclusus non resistit grauitati illius, dum est in aëre, nè descendat; quod contra accidit in aquis. Denique vasa vacua ideò, si terrea sunt, aquis superfluitant dum vacua sunt, quia detinentur ab aëre à quo replentur. Nequeunt enim impleri aqua, nisi deprimantur vsque ad os, atque adeò nisi

aër

àèr, qui in illis est sit infra aquam collateralem vasi, quod fieri nequit sine uiolentia, quod si dicta uasa lignea sunt etiam si impleãtur aqua non deprimuntur, eo quod aqua non grauitat in illis, est enim in loco proprio, & alijs partibus continua.

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA PRIMA

DE VIRTVTE PRODVCTIVA MOTVS Violenti Grauium, & Leuium.

1 DVpliciter grauia, & leuia moueri localiter possunt. Primo ex vi grauitatis, vel leuitatis intrinsecæ, quam habent. Secundo, vel repugnante dicta vi, vel saltem non conferente ad dictum motum; & si quidem priori modo moueatur: dicuntur naturaliter moueri, quantumuis eorum substantia virtutem illam non exigat; sed oppositam, vt patet ex vaporibus aqueis ad secundam àèris regionem ascendentibus, qui licet exigant grauitatem: eorum tamen motus sursum, quia à leuitate *in* eis existente causatur dicitur naturalis. Si verò moueantur motu posteriori, censentur, moueri violenter; quatenus ad eorum motum repugnat, vel saltem non conducit grauitas, vel leuitas sibi intrinseca, quæ motuum naturalium censentur esse principia. Quoniam vero nos supra de huiusmodi motus principijs satis egimus: restat vt de virtute productiua violenti motus disputemus; & quidem huiusce motus quatuor enumerat species Aristoteles *septimo phys. tex.* 10. Pulsionem, Tractionem, Vectionem, Vertiginem; Pulsionem dicit esse illam, qua mouens facit aliquod mobile à se distare mouendo; & eam diuidit, *in* impulsionem, & expulsionem. Impulsio est cum ita mouens pellit à se mobile; vt illud non deferat: expulsio verò cum ita pellit, vt illud deferat; & tamen adhuc mobile moueatur, Vectionem aiunt fundari in tribus alijs motibus, pulsione, scilicet, tractione, & vertigine, cum enim sit motus per accidens; necesse est, vt reducatur ad motum aliquem per se, vt cum aliquis vehitur equo, aut naui; eius motus reducendus procul dubio est ad motum ipsius equi, vel nauis. Tractio est cum mouens mouet aliquid ad se ipsum. Differt autem à pulsione, quia pulsio habet motorem pro termino à quo motus corporis pulsi, quod à se repellit. At tractio habet motorem, vt terminum ad quem dicti motus, quia ad se illud attrahit. Denique vertigo componitur ex tractione, & pulsione cum enim aliquid vertitur, ex vna parte pellitur, ex alia trahitur. Quoniam verò omnes dicti motus præter expulsionem conueniunt in eo, vt dum fiunt habeant semper approximatum principalem motorem. De virtute, qua ipsi fiunt, prius disputandum erit. Postea verò de ea per quam fiat motus expulsionis.

SECTIO PRIMA.

De Virtute productiua Impulsionis Tractionis Vectionis, atque Vertiginis.

2 DVplicem virtutem dictorum motuum productiuam considerare possumus, alteram remotam: alteram proximam, & quidem remotam, non est dubium, esse illam, quæ in principali mouente reperitur. At de proxima potest esse quæstio. Nam aliqui volunt mouens principale non per suam virtutem immediatè huiusmodi motus causare, sed per aliam realiter distinctam, à se productam *in* corporibus, quæ mouentur, quorum sententiam propugnat Maurus *lib. tertio quæst.* 55. Ad tertium quæsitum contra quos sit.

Vnica Conclusio virtus immediatè productiua motus impulsionis, tractionis, vectionis, atque vertiginis non est distincta à virtute intrinseca impellentis, vehentis, trahentis, atque vertentis. Hæc asserio potest dupliciter sustineri: primo ex suppositione, quod in motu expulsionis non producatur à principali expellente virtus. quædam motiua, quam impressam communiter appellant, nonnulli verò Recentiores impetum, seu impulsum. Secundo præscindendo à dicta suppositione, seu potius ex suppositione contraria, & quidem hoc secundo modo illam sustineo; sicuti eam sustinet Auersa *tom. secundo* suæ philosophiæ *quæst* 50. *sect.* 6. Oniedus *contro.* 20. *phys. puncto primo*; & alij, qui licet mordicus velint in motu expulsionis necessario debere à proijciente produci uirtutem quandam motiuam in projectis ad hoc, ut moueri possint: negãt tamen, id ita esse necessum esse in dictis motibus.

Proba-

Digitized by Google

4 Probatur primo: quia qui sustinent virtutem immediatè productiuam motus expulsionis debere esse intrinsecam in corpore expulso; ideò est, quia dictus motus exercetur, quando corpus, quod mouetur longè distat à proijciente, nihil amplius actualiter in ordine ad dictum motum operante; imò etiam aliquando non existente. Vndè nè detur actio indistans, uel à causa proxima non existente; necessarium putant dari uirtutem quandam proiecto à proijciente per motum impulsionis in proiectum causatam, dicti motus productiuam: cum aliundè constet huiusmodi uirtutem, utpotè uiolentam proiecto, non posse ab eius principijs intrinsecis originem trahere. Atqui hæc ratio cessat in motibus, impulsionis, tractionis, uectionis, atque uerriginis. Nam semper in eis mouens, quamuis extrinsecum mobili, debet esse immediatè illi coniunctum, atque approximatum: ergo non est, cur uirtus immediatè productiua huiusmodi motuum non possit esse illa, quæ residet in principali mouente.

5 Probatur secundo: uirtus motiua, quæ est in mouente principali, in sententia Aduersariorum est debitè applicata ad immediatè producendam uirtutem uiolentam in corporibus, quæ impulsione, tractione &c. mouere debet: ergo multo magis erit debitè applicata ad immediatè producendos in eis dictos motus. Igitur hos potius producet, quam virtutem motiuam. Antecedens patent. Prior verò consequentia suadetur, quia qui concedunt virtutem motiuam principalis mouentis habere vim productiuam impulsus, dicunt huiusmodi vim illi secundariò competere; primariò autem ordinatam esse ad producendum motum: ergo si est debitè applicata corpori mobili ad producendum in eo immediatè illam vim, multo magis erit debitè applicata ad illud immediatè mouendum. Dicere autem, quod virtus motiua rerum naturalium non possit mouere motu transeunte, sed solum immanente est sine ratione; cum præsertim Aduersarij velint eam posse immediatè producere transeunter vim productiuam dictorum motuum in corpore mobili. Posterior vero consequentia, suadetur ex eo, quia sic fit per pauciora, quod in sententia Aduersariorum fieret per plura; & quidem sine vlla necessitate, & sine vlla proficua ratione: vti videbimus.

6 Probatur denique tertio experientia. Videmus enim, quod quando equus hominem vehit; hoc ipso, quod cessat moueri, cessat etiam moueri homo. Sed oppositum deberet accidere si equus virtutem aliquam motiuam causaret in hominem: ergo virtus immediatè productiua vectionis est illa, quæ in vehente residet. Atqui vti supra vidimus ex Aristotile motus vectionis in reliquis tribus motibus fundatur. Virtus igitur immediatè productiua omnium dictorum motuum est illa eadem, quæ est in principali mouente. Maior patet ad sensum. Minor verò probatur, quia ex eo, quod proijciens mouet proiectum mediatè, tantum, & non immediatè per suam virtutem sibi inhærentem: sequitur, quod etiam si cesset à motu, adhuc moueatur proiectum: ergo idem etiam deberet contingere, si equus moueret motu vectionis hominem per qualitatem aliquam in ipso homine productam.

7 Dices impetum in homine ab equo productum esse talis naturæ; vt requirat necessariò motum equi; sicuti illum in prima sui productione requisiuit: sed contra est: quia, vt ex hac paritate incipiam: multa requiruntur ad esse primo, quæ non sunt necessaria ad durandum in eo acquisito iam. Præsertim si res in primo esse habuit dependentiam à causa secunda, in acquisito verò sola dependentia à prima causa contenta est. Deindè sic contra responsionem ipsam insurgo: quia, vel impulsus ille requirit necessariò equi motum ad existendum, vel ad operandum: Neutrum dici potest: ergo &c. Minor probatur dupliciter, & primo quidem paritate virtutis impressæ, quam hi auctores in proiectis agnoscunt; quæ, postea quam à proijciente in illis producta est, neque ad existendum, neque ad operandum proijcientis motum requirit; etiam si enim immediatè post quam ille proiecit lapidem moriatur; adhuc lapis suum motum prosequitur: vt constat. Secundo eadem minor suadetur: quia si virtus illa producta in homine vecto requireret motum equi vehentis, vel ad existendum, vel ad operandum: aut illam requireret tamquam causam alterutrius, aut tamquam conditionem: Non tamquam causam, quia motus localis non habet vim productiuam effectus; ad summum enim, si detur vbi intrinsecum, illud producit vt actio, & non, vt causa; & sic motus equi neque potest se habere vt causam virtutis motiuæ in homine: neque, vt causam motus illius; quod verò neque possit se habere vt conditionem necessariò requisitam, vel ad hoc, vt sit dicta virtus, vel vt operetur: sic suadeo: conditio, vel se tenet ex parte principij actiui, vel ex parte principij passiui effectus. Sed motus equi neque se tenet ex parte principij actiui, neque ex parte principij passiui alterutrius. ergo &c. Minor, quæ sola probanda remanet probatur; quia principium actiuum conseruatiuum dictæ virtutis est solus Deus; & passiuum homo, principium verò actiuum motus vectionis est virtus prætensa: passiuum verò idem homo. Sed motus equi ex parte nullius ex dictis se tenere potest, cum producatur ab ipso equo, & in eodem respiciatur: ergo motus equi neque se tenet ex parte principij actiui, neque ex parte passiui impulsus; vel motus vectionis, quod erat probandum.

8 Tres hic video experientias posse obijci à Mauro allatas. Prima habetur ex tractione. Si quis enim funè pilam igneam trahat, & repente desinat moueri: adhuc pila aliquantulum suum prosequetur motum. Signum igitur est quod, dum trahebatur, impetum versus eam partem, inquam trahebatur concipiebat secunda sumitur ex latione: quia dum aliquis currit pilam manu deferens; si illam cadere sinat, pila non statim, quiescit in terra, sed adhuc parumper in partem anteriorem rotatur: ergo dum deferebatur, impulsum recepit, vi cuius postea mouetur. Tertia denique in vectione cerni-

Digitized by Google

cernitur. Nam si nauis, dum secundo vento, & mari nauigat, repente syrtibus allidatur, qui in ea stant; vel cadunt, vel vehementer vrgentur in partem, in quam nauis ipsa ferebatur: ergo nauis produxerat in eis impetum versus eandem partem.

Respondeo primo vniuersaliter notando, quod dum in conclusione dico virtutem immediatè productiuam impulsionis, tractionis, &c. residere in impellente, trahente &c. non est sensus: non posse motorem ita impellere, trahere, &c. mobile, quin applicet illi aliquod aliud principium motiuum, quod postea, eo cessante illud moueat. De facto enim videmus, quòd qui impellit, ita moueat proiectorum, vt id motu postea expulsionis moueatur; & qui ad se trahit librum iacentem in tabula, tam vehementer potest illum trahere, vt etiam si cesset mouere, adhuc liber moueatur ad ipsum. Sensus ergo nostræ conclusionis est ad dictos motus præcisè, & secundum se acceptos non esse necessariam aliam virtutem motiuam, præter eam, quæ in principali mouente reperitur. Alioquin quoties aliquis pellit aliquid á se, vel ad se illud trahit, aut vertit, aut vehit deberet experiri, quod, etiam, si cesset à motu suo: adhuc mobile aliquantulum moueretur, vel saltem, quod violenter non prosequeretur motum. Quod est manifestè falsum.

Respondeo secundo ad singulas experientias obiectas; & ad primam, quidem dico: motum illius pilæ funè alligatæ, qui, tractione cessante, fit ab ea, posse ex duplici causa prouenire; vel enim mouetur, quia trahens plus virium, quam necesse erat ad eam trahendam applicuit, & tunc de hoc motu discurrendum est, sicuti discurritur de motu expulsionis proiecti, de quo infra, quia non est simpliciter tractio, vel quia illa pars soli in qua reperitur quando cessat tractio est inæqualis; & si sic de illo motu philosophari debemus: ac; si nulla tractio præcessisset, quia tantundem moueretur pila in eo loco relicta.

9 Ad secundam verò experientiam ex motu pilæ cadentis é manibus illius, qui eam currendo deferebat: dicendum: dictum motum ad anteriores partes prouenire, vel ex impetu, quem in se producit pila, dum descendit; quatenus determinato ab aëre, qui à currente versus illam partem propellitur: vel ab ipso aëre propulso: vti dicemus inferius.

10 Ad tertiam. Denique ex violento motu eorum, qui deferebantur in naui, quæ syrtibus alliditur versus eam partem, versus quam velocissimè currebat; dicendum huiusmodi motum prouenire illis ab intrinseco. Cum enim, nauis in partem oppositam suo cursui ratione allisionis propellatur, & versus eam partem homines violenter moueat; horum virtus motiua contrarium motum producit, vt in centro propriæ grauitatis illos constituat.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum virtus immediatè productiua motus expulsionis sit illa, qua natur aliter ad propria loca proiecta mouentur.

CVM constet proijcientem immediatè per suam virtutem non posse mouere lapidem, quem ex se expulit (nam sic ageret indistans) cumque dici probabiliter nequeat, quod illum moueat per motum impulsionis, quo eum antea manu detinendo impellebat (si quidem expulsionis inceptio, non, nisi desinente impulsione, habet in proiecto locum) hinc fit, vt dubium relinquatur â qua nam virtute dictus motus lapidis proiecti immediatè causetur. 11

Et quidem in assignanda huius, & similium motuum proiectorum causa in tres sententias Philosophos distributos esse video. Quarum prima conuenit cum secunda in eo, quod veraque velit causam dicti motus esse virtutem quandam proiectis ipsis intrinsecam, per quod differunt à tertia, quæ vult esse illis omnino extrinsecam, in medio, scilicet, residentem. nos verò de illis omnibus seorsim disputabimus: & hic quidem de prima.

Simplicius 8. *phys. com.* 104. Laudans Alexandrum Affrodiseum, dicit motum proiectorum causari efficienter ab ipsis proiectis eorumque naturali virtute motiua sibi intrinseca, prout prædeterminata ab antecedenti motu impulsionis. Huius dicti rationes videntur posse esse duæ; quarum prima ducitur à natura motus localis; cum enim hic sit essentialiter successiuus, & non possit totus simul ab efficiente produci; posito quod agens extrinsecum vnam partem eius causauit in mobile; debuit hæc pars habere virtutem determinandi ipsum mobile ad reliquarum partium productionem. Secunda verò ex paritate rationis; Sicuti enim, qui trahit trabem, tangit solum vnam eius partem, & tamen producit motum in reliquis, quas non tangit, eo quod pars motus producta in parte trabis immediatè tacta, determinat mobile ipsum ad producendum motum in cæteris partibus non tactis: sic in motu proiectorum pars motus impulsionis determinat proiectum ad motum expulsionis in se causandum. Ex quibus patet falsum esse id, quod *puncto primo* huius controuersiæ *numero primo* supponit Quiedus: nullum videlicet dubitasse motum proiectorum ab eorum principio intrinseco promanere. Neque vllum inueniri, qui serio affirmet glandem ferream è bombarda dimissam propria virtute per aëra tranare, & turres demoliri. Non enim desunt viri doctissimi, qui id affirment modo dicto. Contra quos est. 12

Nostra

13 Nostra conclusio. Motus proiectorum non causatur efficienter à virtute sibi connaturali motiua, prout determinata per præcedentem motum ab extrinseco motore causatum. Est cõmunis.

Probatur primo; quia si motus proiectis violentus proueniret ab eorum principijs intrinsecis: sequeretur, quod res naturalis per se primo ad sui destructionem inclinaret, haberet enim internum impetum ad id, ad quod tendere de se repugnaret. Sicuti igitur absurdum est putare, quod ignis determinet tantummodo aquam, ad hoc, vt illa calorem in se producat: ita non minus absurdum erit censere, quod proijciens determinet tantummodo lapidem ad producendum ex suis intrinsecis in se motum sursum.

Probatur secundo: si motus proiectorum ab intrinseco principio motiuo sibi connaturali causaretur: sequeretur grauitatem, vt à præcedenti motu impulsionis determinatam posse producere motũ sursum, & leuitatem deorsum. Hoc autem si verum esset; possemus sine vllo absurdo asserere, quod virtus motiua in omnibus vna sit; atque adeò quod, tum in animalibus, tum in elementis, sit solũ vnius speciei infimæ; quæ, vt determinata per varias dispositiones varios edat motus; & quidem per dispositiones ignis, moueat sursum; per dispositiones verò terræ, deorsum; per dispositiones autem volatilium, producat volatum, per dispositiones piscium, natatum; motum denique progressiuum per dispositiones bipedum; quo nihil videtur absurdius; omnes enim contra quos agimus existimant grauitatem, & leuitatem virtutesque motrices animãtium differrè inter se essentialiter.

Probatur denique tertio, quia experientia constat, quod si in medio motus sursum impulsionis lapidis aperiatur manus impellentis: lapis non mouetur sursum, deberet autem moueri, si motus ille esset conditio determinans eius grauitatem ad mouendum sursum; falsum igitur est, quod motus sursum causetur à grauitate lapidis, prout per præcedentem impulsionis motum determinata.

14 Vt verò fundamentis in contrarium faciam satis, dico ex priori ratione solum sequi, quod debeat á nobis inquiri aliqua causa motus proiectorum, non autem, quod ea sit intrinseca, & connaturalis ipsis proiectis. In posteriori verò falsum assumitur; sicuti enim ignis immediatè attingit calorem illum, qui producitur in tota sua actiuitatis sphæra per virtutem, quam habet in se: ita, & mouens producit motum tractionis in partibus viciniorib⁹, ac remotioribus mobilis, nimirum trabis, immediatè per virtutem motiuam, quam in se habet.

SECTIO TERTIA.

Vtrum proiecta moueantur à virtute impressa.

15 ALij sunt, qui causam proximam motus proiectorum volunt quidem in ipsis met proiectis residere, sicuti primi: sed negant eam esse virtutem illarum naturalem, vt per præcedentem motum determinatam. Existimant enim à proijciente imprimi ipsi mobili qualitatem quandam de secunda specie prædicamenti qualitatis, quæ essentialiter sit virtus quædam productiua motus indebiti subiecto, in quo reperitur, à qua immediatè motus ille violentus procedat donec tandem euanescat, ac desinat. In hac sententia est Vasquez *prima secundæ disp. 8. num. 17.* Toletus *8. phys. circa textum 86.* Ruuius *in tract. de motu violento quæst. 2.* Conimbricenses *7. phys. cap. 2. quæst. prima art. 8.* Scotus *8. phys. quæst. 3.* Albertus de Saxonia *3. Cæli quæst. 12.* Aresius *secundo de gen. quæst. 22.* Auersa *quæst. 40. sect. 6.* Arriaga *disp. 4. de gen. sect. 5.* Ouiedus *in phys. contro. 20.* & alij Recentiores communiter; contra quos sit.

16 Vnica conclusio: Proiecta non mouentur immediatè qualitate sibi à proijcientibus impressa: Conclusio hæc acriter ab omnibus Peripateticis defenditur, vt paulo post in sequenti sectione videbimus.

Probatur autem primo argumento, quo communiore eo validiore: non sunt multiplicanda entia sine necessitate, atqui nullam esse huiusce virtutis impressæ necessitatem patet ex eo, quia proiectorum motus, in quem solum finem fuit illa à Recentioribus inuenta, rectè saluari sine ea potest, dicendo quod proxima dicti motus causa resideat in solo medio, vt ex sequentibus fiet manifestum. ergo &c.

Probatur secundo virtus hæc impressa est omnino fictitia. ergo admittenda non est: antecedens probatur, quia non potest determinari quid illa tandem sit? Non est enim leuitas; quia non moueret deorsum; neque grauitas: quia non moueret sursum. Neque qualitas quædam eminenter continens vtrumque; quia non posset assignari cur hic, & nunc effectum potius leuitatis V. G. motum sursum, quam grauitatis producat: Neque disparata, quia neque ei grauitas resisteret, neque leuitas. Frigiditas enim quia est qualitas quædam à coloribus disparata: hinc fit, vt nullus ei color resistat. Disparata enim inuicè non pugnant. Neque denique vtrisque contraria; quia vni vnũ contrariũ est, & contrarium grauitati leuitas; leuitati verò grauitas. Huiusmodi autem virtus, neque leuitas est, neque grauitas. ergo &c. Dicere autem, quod virtus impressa grauibus sit leuitas, & leuibus sit grauitas, est aduersari valdè manifestis, tum quia grauitas, & leuitas etiam si sint in extraneis subiectis, diù perseuerant in illis: at virtus hæc si datur, quam citissimè transit: tum etiam, quia illæ sunt virtutes determinatæ ad certum quendam motum: hæc verò esset indifferens ad quemcumque. Idem enim proiectum, modo in vnam, modo in alteram partem dirigit motum suum, vt ex dicendis patebit.

17 Præterea dando Aduersarijs, quod ista qualitas sit, quodcumque tandem eligant: quæro ex eis num eius ratio sit diuersæ speciei pro diuersitate terminorum ad quos per se mouet, an verò eiusdem speciei atomæ in omnibus pro-

Digitized by Google

iectis ? quorumque tandem efficiente producatur ? Si primum pene in infinitum species virtutis impressæ multiplicandæ esset, iuxta numerum scilicet, linearum assignabilium, ac terminorum, ad quos proiecta mouentur: vnius siquidem esset speciei virtus illa, quæ moueret sursum, alterius verò illa, quæ deorsum, alia quæ in gyrum, alia quæ spiraliter, alia quæ dextrorsum, alia quæ sinistrorsum. Quælibet enim à suo termino ad quem formaliter sumpto deberet suam specificationem desumere. Quod quidem admittit Quiedus *contro. circa puncta primo* docens virtutes impressas (quas ille impulsus appellat.) respicientes terminos oppositos, vt sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum distingui specie probari posse eadem ratione, qua probatur impulsum deorsum distingui essentialiter á leuitate. Nam, & si motus sursum, & deorsum, extrinseca sit denominatio; arguit tamen (inquit) essentialem differentiam in principio, dum vnus motus V. G. sursum semper ab vno, & alius, nempe, deorsum, semper ab alio procedit. Sed hoc præterquam quod videtur incredibile vnum, scilicet proiciens habere virtutem in alio producendi tot qualitates specie diuersas: hoc ipso, quod pene infinitas rerum species inuehit sine vrgenti necessitate repudiandum omnino est, tamquam improbabile, & falsum. Si autem secundum, vt meliores huius sententiæ patroni, eligant, dicantque omnes virtutes impressas esse eiusdem speciei atomæ.

18 Impugnantur dupliciter. Primo quidem, quia sequeretur, quod vna specie qualitas haberet contrariam leuitatem ignis, si hic proijceretur deorsum, & grauitatem terræ, dum hæc sursum expelleretur. Constat enim non solum leuitatem ignis resistere motui deorsum, & grauitatem terræ motui sursum, sed resistere etiam veramque qualitatem productioni virtutis impressæ, á qua dicti motus contrarij prouenirent, si illa daretur, experimur enim non posse, quodlibet proiectum à quolibet proijciente expelli, quod, nisi oppositio interçederet inter dictas qualitates, non eueniret; per quod patet virtuti impressæ non solum grauitatem, & leuitatem esse contrarias in actu secundo, sed etiam in actu primo.

19 Quatuor ad hoc nostrum argumentum Aduersariorum responsiones inuenio. Quarum prima est singulas virtutes morales etiam habere contrarias duo extrema vitia; & sic non esse absurdum virtuti impressæ leuitatem, ac grauitatem esse contrarias. Verum in hoc disparitas est manifesta; quia virtus inclinat ad actiones quarũ vnaqueque est cõtraria actionibus, quę ab extremis vitijs proueniunt: at virtus impressa inclinat ad motum sursum, & deorsum, ad quos ex se grauitas, & leuitas ordinantur.

Respondent alij secundo grauitatem, & leuitatem dictæ virtuti impressæ esse contrarias, non formaliter; sicuti sunt inter se: sed solum virtualiter ad eum planè modum, quo lumini censetur esse contraria opacitas. Contra tamen est, quia id circò hoc dicitur de opacitate respectu luminis, quia lumen requirit in subiecto diaphaneitatem aliquam, tamquam dispositionem necessariam. Vndè dicunt aliqui, quod si daretur corpus, quod neque in sua superficie esset diaphanum: solum extrinsecè illuminari posset. Quoniam verò opacitas est diaphaneitati contraria: id circo dicitur esse virtualiter contraria lumini. At virtus impressa si daretur neque requireret pro dispositione leuitatem, neque grauitatem, quod si alterutram, reliquæ tantum esset contraria virtualiter. Præterea oppositio, quam habet opacitas cum lumine non impedit, quo minus lumen in corpore, non in summo opaco, producatur in primo instanti. At grauitas non in summo repugnat, quo minus virtus impressa producatur in primo instanti in proiecto. ergo oppositio, quam habet grauitas cum virtute impressa non est similis illi, quam habet opacitas cum lumine.

Tertia responsio aliorum est: grauitatem, & 20
leuitatem non solum esse inter se oppositas formaliter; sed etiam virtuti impressæ; & ita lapidem amittere grauitatem dum sursum fertur; quam iterum paulatim natiua virtute recuperat, & per eam expellit à se virtutem impressam; qua expulsa mouetur naturaliter deorsum motu à recuperata grauitate causato. Sed contra hoc facit: primo, quia in sententia Aduersariorum quando quis conatur ingentem lapidem mouere, & non potest, imprimit quidem ei impulsum; sed insufficientem ad mouendum illum; & tamen nihil de eius grauitate corrumpit. Secundo etiam contra est, quia si lapis sursum proiectus, in medio motu sistatur, vel impediatur nè vltra progrediatur: experientia constat illum esse notabiliter grauem; vndè statim incipiet ferri deorsum. Si autem quando mouebatur sursum caruisset grauitate, hoc foret impossibile, quia adhuc supponebatur habere plures gradus virtutis impressæ, quorum beneficio debebat prosequi motum suum vlterius. Quo modo ergo in instanti grauitatem in se intensam producendo illos corrumpit.

Respondent denique alij quarto grauitatem non modo non opponi, nec resistere virtuti impressæ: sed etiam ad eius productionem conducere; eo quod videamus quando corpus est leue difficile illam recipere, vt patet in pluma, lanarum floculis, & similibus. Contra verò, si graue sit. Constat autem nullam formam posse conducere ad introductionem formæ sibi contrariæ.

Sed contra est, & quidem quod attinet ad 21
plumas, lanarum floculos, & similia: dico difficultatem quam habent vt proijciantur non oriri ex eo, quod grauitate carent: sed quia mollia sunt: vndè est, quod nequeunt habere sibi adaptatum medium, quo moueri deberent, vti suo loco dictum. Cæterum si grauitas proiecti conduceret ad introductionem virtutis impressæ mouentis sursum; quo proiectum esset grauius: eo facilius sursum propelleretur. Sed hoc est apertè falsum. ergo &c. Maior probatur, nam sicuti se habet simpliciter ad simpliciter: ita magis ad magis; quia enim calor, & siccitas conducunt ad introductionem formæ ignis: rectè deducitur, quod quo subiectum est calidius, &

sice-

Digitized by Google

ſiccius; eo ſit aptius ad dictam formam recipiendam. Sed hoc eſt contra experientiam. ergo &c.

22 Reſpondet ad hoc Ouiedus *puncto 2. num. 5.* Ex eo, quod non poſſimus corpus nimis graue proijcere, non benè inferri grauitatem reſiſtere impulſui: neque illum corpus graue non recipere; ſed impulſum non eſſe ſufficientem ad mouendum corpus illud.

23 Sed hoc effugium non eſſe tutum probo ſic: quoties agens nullam in paſſo ſibi debitè applicato inuenit reſiſtentiam; toties totam qualitatem, quam poteſt in illo producit, & quidem ſine conatu, quia nihil, quod ſibi opponatur ſuperare debet. Quod ſi non producat ſignum eſt paſſum illi reſiſtere. Si igitur grauitas non reſiſtit, ſed potius conducit impulſui: primum mouens, quod poteſt proijcere ad decem vlnas V. G. corpus duarum librarum; poterit etiam eadem ſaltem facilitate ſi non maiori ad eandem diſtantiam proijcere corpus decem librarum. Si quid enim obſtaret: maximè pluralitas partium, quibus ſuperat corpus duarum librarum; hoc autem non poſſe ab Ouiedo ſuſtineri: huiuſmodi diſcurſu ego ſuaderè: Si pluralitas partium corporis decem librarum ſupra partes corporis duarum librarum obſtaret vel obſtaret, quia pluralitas eſt vt ſic, vel quia eſt cauſa, vt corpus illud ſecundum plures ſui partes magis à proijciente diſtet, quam corpus duarum librarum. Nihil enim aliud aſſignabile videtur, quod ad rem faciat: atqui non obſtat ratione poſterioris, quia pono duo hæc corpora eſſe inter ſe æqualia, quo ad magnitudinem molis, quodque tantum ſpatium occupet illud duarum librarum: quantum illud decem. Imò ſi ponamus corpus decem librarum eſſe plumbeum, & corpus duarum eſſe ligneum: certum eſt quod plus ſecundum aliquas ſui partes à proijciente diſtaret ligneum quarum, quam plumbeum decem. ergo maior difficultas ad mouendum corpus decem librarum non poteſt prouenire ex eo, quod ſecundum plures ſui partes magis à proijciente diſtet: quod verò, neque obſtet ratione prioris. Probo ex eo, quia cauſa neceſſaria non maiori difficultate producit plures, quam pauciores effectus ſolo numero inter ſe diſtinctos ſi ſupponamus eos non habere contrarium. Eadem enim facilitate ſol illuminat nunc omnia corpora naturalia, quæ ſunt illi expoſita, ac vnum tantum. Si hoc ſolum modo illi pateret, & ſi mille combuſtibilia rectè diſpoſita applicarentur igni, ſi hoc inſtanti: omnia ipſe ſine vlla prorſus difficultate combureret. Cum igitur conſtet corpus decem librarum, neque ratione maioris diſtantiæ ſuarum partium, neque ratione maioris numeri illarum obſtare quo minus proijciens illud cum eadem facilitate proijciat: cum qua proijcit corpus duarum librarum: dicendum ſupereſt, quod obſtet ratione maioris grauitatis, ſiuè intenſiuæ, ſiuè extenſiuæ, adeoque, quod non niſi præ nimia grauitate illi reſiſtat.

24 Scio nonnullos ex Aduerſarijs ad motum localem recurrere: dicendo, quod ideò maior vis ad proijciendum corpus grauius ſit neceſſaria: quia per motum localem produci in eo debet virtus impreſſa; ad eum planè modum quo quia ſol per motum applicatur àèri ad illum illuminandum: minori ſpatio temporis indiget ad illuminandum àèrem ſibi vicinum, quam remotum. Verum hic recurſus facile impeditur, quia ſol in primo inſtanti ſuæ applicationis tantum luminis producit in àère ſibi debitè applicato; quantum, in ea diſtantia conſtitutus, producere poteſt: quod ſi tempore ſequenti plus luminis per motum in eo producit; eſt quia ſic illi melius applicatur: At proijciens manu tenens corpus plumbeum decem librarum, eodem prorſus modo eſt illi applicatum in vltimo inſtanti motus impulſionis, ac in primo. ergo ſi in primo nihil virtutis illi impreſſit: neque imprimet in vltimo. Rurſus in toto decurſu impulſionis eodem modo eſt illi applicatum, ac corpori ligneo duarum librarum. ergo eodem modo mouebit vtrumque. Sed hoc eſt apertè falſum: fruſtra ergo ad motum confugiunt Aduerſarij.

Secunda impugnatio principalis contra dictum Aduerſariorum, quo tuentur omnes virtutes impreſſas eſſe eiuſdem ſpeciei ſic procedit: ſi hoc verum eſſet: non poſſet aſſignari vtrè nam haberet hæc virtus impreſſa, vt hic, & nunc produceret vnum motum: alias verò alium; vna moueret ſurſum, alia deorſum. Imò vna, & eadem, vt patet in motu trochi modo moueret in girum, modo ſpiraliter, modo in vnam modo in aliam partem: ergo falſum eſt, quod omnis ſit eiuſdem ſpeciei. 25

Reſpondent communiter, quod hoc habeat à proijcientis directione; pro diuerſitate enim directionum mouentis, varios, qualitas hæc producit motus in proiecto, ſicuti virtus motiua aquis, quæ iuxta imaginatiuæ potentiæ eiuſdem animi directionem, nunc ſurſum, nunc deorſum, nunc circulariter volatum edit. 26

Sed hæc reſponſio diſplicet. Primo, quia per hoc ſaluari rectè poſſet, quod proiectorum motus à naturali ipſorum virtute motiua proueniat, quatenus à proijcientis directione determinatur; quid enim aliud obſtare poteſt: nè aſſeramus, quod grauitas V. G. de ſe quidem ſit determinata ad motū deorſum: ad cæteros verò motus ſit indifferens: determinata verò à directione proijcientis illos producere poſſit, imò aliquis etiam defendere poſſet virtutes omnes motiuas eſſe eiuſdem ſpeciei: determinari verò vel à directione formarum ſubſtantialium eorum corporum, in quibus exiſtunt; vel minus improbabiliter à combinatione diſpoſitionum, quam corpora ipſa requirunt, ad hunc potius motum, quam alium producendum. Sed hæc, nequeunt in Aduerſariorum ſententia habere locum, neque ei vlla ratione cohærere. ergo &c. 27

Diſplicet ſecundo, quia non poſſunt explicare Aduerſarij quid ſit hæc proijcientis directio, cuius beneficio qualitas de ſe indifferens motum potius verſus iſtam partem: quam verſus aliam proiectum moueat. ergo &c. Antecedens probatur, quia non poteſt hæc directio eſſe qualitas realiter diſtincta à virtute impreſſa; quia præterquam, quod eſſet ſuperflua: 28

de

de ea iterum redit argumentum: num semper sit eiusdem speciei. Neque virtus ipsa impressa: quia sic de se determinata iam esset. Neque motus ipse expulsionis: quia hic determinatam iam virtutem à qua producitur præsupponit. Neque denique potest esse motus impulsionis. Primo, quia dictus motus est eiusdem rationis cum cæteris motibus localibus, qui natura sua non sunt ordinati ad determinandum motum alicuius qualitatis indifferentis. Sed ad ponendum tãtummodo mobile in determinato loco, vt patet ex motu locali, qui sine hac determinatione virtutis exercetur. ergo &c.

29 Deindè si motus hic esset determinatiuus virtutis impressæ ad talem, vel talem motum expulsionis; vel determinat illam quando ipse existit, vel quando non existit. Neutrum dici potest. ergo &c. Minor probatur, quo ad primam partem, quia si determinat quando existit deberet virtus impressa durante motu impulsionis à proijciente produci; non autem in fine dicti motus; quia nihil non existens potest determinari ad aliquid efficiendum ab eo quod existit. Determinatio enim ad operandum supponere debet esse. Sed impossibile est virtutem impressam produci durante motu impulsionis. ergo &c. Minor hæc probatur, quia si durante impulsionis motu dicta virtus produceretur, producenda esset successiuè, ita scilicet, vt si motus impulsionis duret V. G. per vnum Aue, in dimidio huius Aue, aliquis saltem gradus dictæ virtutis reperiatur in mobili, sed hoc esse falsum patet primo, quia mouens dum prosequitur motum non sentit impetum lapidis, quem habet in manu; deberet autem sentire, si lapis eum haberet: sicuti sentit eius grauitatem, quæ in eo est: patet secundo, quia si proijciens lapidem sursum in medio motus impulsionis illum relinquat, tunc lapis non sursum, sed deorsum mouebitur à sua grauitate. Patet denique tertio, quia hæc virtus caret contrario. ergo non est cur debeat produci in tempore.

30 Neque paritas de lumine in tempore producto à sole se mouente, quidquam valet. Nam sol in primo instanti, quo creatus fuit aërem illuminauit, & non nisi per accidens producit lumen in tempore. Atqui proijciens in primo instanti, quo lapidem tangit nihil huius virtutis illi imprimit. ergo hæc virtus si daretur deberet in fine motus impulsionis à proijciente produci: atque adeò non posset determinari à dicto motu existente. Quod verò, neque ab eo non existente, atque corrupto (quæ erat secunda pars minoris principalis) probatur ex eo, quia nihil, quod non existit esse potest determinatiuum alicuius pro eo tempore, vel instanti pro quo non existit: ergo motus impulsionis non poterit determinare virtutem impressam ad hanc potius partem, quam ad aliam quando ille non existit. Neque dicas determinationem faciendam esse in vltimo dicti motus instanti; tunc autem licet motus non existat existere tamen vltimum indiuisibile sui, quod quatenus connotat partes antecedentes motus praeiisse, habere potest vim determinandi virtutem illam, quæ in eodem instanti producitur. Nè id dicas, inquam, quia necessariam non potest à futuro libero dependere. Productio autem virtutis si daretur necessaria esset, saltè ex suppositione: at verò, quod hoc indiuisibile sit potius terminatiuum motus impulsionis, & non continuatiuum sæpè à tangentis libertate dependet. ergo &c.

Præterea etiam si indiuisibilia terminatiua 31
motus impulsionis differant à continuatiuis, per hoc, quod determinent virtutem impressam: at non differre possunt huiusmodi indiuisibilia inter se: ergo non possunt diuersimodè determinare virtutem illam. Antecedens patet consequentia verò suadetur, quia nemò dat, quod non habet; si ergo inter se non diuersificantur, nisi indiuidualiter: non apparet quomodo illis diuersitas motuum prouenientium à virtutibus impressis attribui possit. Scio nonnullos afferere motum impulsionis non quidem determinare virtutem impressam, quæ illo existente nulla est: sed potentiam motiuam proijcientis, cum qua simul existit, ad hanc numero virtutem impressam producendam, potius, quam aliam. Sed contra est, quia sic virtus motiua proijcientis esset indifferens ad hãc, vel illam virtutem impressam: non autem virtus ipsa impressa, ad hunc, vel illum motum, sed hæc esset de se determinata ad vnum, illa vero ad alium. Hoc autem, præter quam quod sit contra principalem responsionem: conuincit omnes virtutes impressas differre inter se specie, non minus, quam grauitas, & leuitas; tolerabilius enim est asserere, quod detur vna virtus, quæ specificetur à motu contra, vel præter naturam mobilis; & sit de se indifferens ad hunc, vel illum motum: sicuti in alitibus, est virtus ad volandum: quam dicere, quod dentur plures virtutes impressæ solo numero distinctæ, quarum vna, quidem inclinet ad motum sursum; alia verò ad motũ deorsum &c. Confirmatur: quia si daretur aliqua potentia visiua, quæ ad videndum tantummodo album determinata esset: alia verò ad nigrum tantummodo: communiter asserunt doctores hasce potentias differrè inter se specie. Igitur si virtutes impressæ; ita se haberent etiam sic differunt inter se.

Iam verò ad paritatem, quam Aduersarij 32
afferebant, desumptam ex virtute motiua auium, quæ ab imaginatiua earum potentia ad diuersos motus determinantur: dico quod est dispar ratio. Nam operatio imaginatiua auium durat durante earum volatu. At motus proijcientis impulsiuus, incipiente motu expulsionis, cessat. Imò hi duo motus simul esse non possunt: nam vnus alteri succedit: contra verò illa duo, volatus, scilicet, ac imaginatio ad volandum hoc, vel illo modo, simul sint necesse est.

Probatur denique tertio principalis conclu- 33
sio: dantur quidam proiectorum, vel quasi proiectorum motus, qui nullam virtutem impressam tamquam sui causam agnoscunt: Falsum igitur est, quod proiecta per virtutem impressam moueantur. Consequentia patet. Antece-

dens

Digitized by Google

dens verò suadetur.

PRIMO EX MOTV AERISCAMPANI.

34 FOrmetur, siuè fundatur instrumento alíquo Campana super polos suos inuersa. Ea vtique, instrumento, quo formata fuerat sublato, remotoque omni impedimento procul dubio mouebitur, circulum partim descendendo, partim etiam ascendendo, formando: & quidem per semicirculum descensus mouebitur motu naturali, vsque ad sectionem lineæ perpendicularis centro: per sem. circulum verò ascensus in oppositam partem violento: tum est argumentum. Motus ille violentus, quem per semi circulum ascensus edit Campana est expulsiuus: Sed hic nullam virtutem impressam habet in Campana, a qua efficienter proueniat: ergo dantur motus, quidam proiectorum, qui non agnoscant tamquam causam sui virtutem impressam. Maior est certa. Minor probatur, quia si, quam haberet virtutem, vel hæc esset naturalis Campanæ, vel violenta: neutrum dici potest. ergo &c.

35 Quidam dicunt illam esse naturalem ipsamque grauitatem Campanæ impeditam esse causam, quæ dictam Campanam in partem oppositam per ascensum attollat.

Sed contra est primo: quia per responsionem illam species omnes virtutis motiuæ inter se confunduntur; posito enim, quod semel habemus grauitatem differre á leuitate per hoc, quod grauitas specificetur à motu deorsum, leuitas verò à motu sursum; impossibile est, quod grauitas possit se extendere ad motum sursum, & leuitas ad deorsum; absque eo, quod vtriusque essentiæ confundantur. Neque dicas grauitatem non impeditam, directè quidem semper motum deorsum producere: at verò impedita, & per actionem veluti reflexam producere motum sursum: nè id dicas, inquam, quia numquam agentia naturalia à directa actione impedita producunt per reflexam actum contrarium ei à quo specificantur. Sic enim ignis, ab agendo directè per calorem impeditus; deberet producere frigiditatem: nix verò calorem. Atqui motus sursum, & deorsum, quatenus grauitatem, & leuitatem primo specificant nonnihil differunt inter se, quam calor, & frigus. Sunt enim ratio, ut grauitas ipsa, & leuitas sint qualitates inter se contrariæ: ergo &c.

Contra est secundo: quia si grauitas impedita, est causa motus sursum: sequeretur, quod quoties impedita esset, deberet sursum mouere graue; quod contra accidit, videmus enim Campanam suspensam habere grauitatem suam impeditam, & tamen quiescere; nisi ab aliquo moueatur. Neque dicas ideò grauitatem, tunc non mouere sursum Campanam, quia deest illi motus antecedens, qui est necessaria conditio ad mouendum sursum: nè id dicas, inquam, tum quia tantum abest, quod motus sit conditio necessaria ad hoc, vt subiectum alium oppositum motum obtineat: quin imò eius priuatio in aliquo saltem genere causæ necesse est, vt intelligatur præcedere in ipso subiecto: tum quia sic optimè saluari posset omnem motum proiectorum fieri à virtute motiua naturali eorum, prout per motum impulsionis determinata, vt supra vidimus: tum denique, quia nequit assignari ad quid motus ille naturalis antecedens necessarius sit. Non enim potest se habere, vt dispositionem ad motum violentum, vt de se patet, neque alia ratione, quæ necessitatem sui inferat. ergo &c.

Probemus nunc, si placet, minorem prin- 36
cipalis argumenti, quo ad secundam partem contra illos, qui dicunt motum sursum Campanæ procedere à virtute quadam ei impressa hic. Ad imprimendam dictam virtutem debet per Aduersarios præcedere motus impulsionis, à nobis autem fuit præsuppositum Campanam inuersam fuisse formatam, atque adeò nulla impulsio assignari poterit, quæ in illa præcesserit. Deindè dato, quod huiusmodi virtus fuerit á fusore tributa: Aduersariorum doctrina est, quod ea, non, nisi simul cum motu, ad quem inclinat, possit existere. Quid quid in contrarium doceat Arriaga *num.* 108. Experientia enim constat, quod licet in lapide virtus impressa ad mouendum per stadium producta fuerit; si post motum per primam stadij vulnam dictus lapis aliquantisper decurrat: relictus postea, amplius non mouebitur. Vndè inferunt ijdem totam illam virtutem corruptam esse, nè concedant post quietem lapidem debere continuare motum illum.

Quod si Arriaga *numero citato*, & sequen- 37
tibus probare conatur: posse impulsum naturaliter impediri, ne actu producat motum: ex illis rationibus, quas adducit, quædam supponunt falsum; aliæ verò, quæ experientias continent, ostendunt dictam virtutem esse fictitiam; dum ex vna parte constat eam, nisi actu producat motum statim debere ea cessare, vt vidimus, ex alia verò etiam si esset à motu adhuc durare debere; & quidem illa, quæ ducuntur à pondere, quem sentimus ex eo, quod rem aliquam grauem, siuè manibus, siuè humeris sustineamus, supponunt pondus illud nil aliud esse, quam impulsum à rè grani in nos causatum; quod falsum omnino est. Illud enim pondus est ipsa grauitas rei, quam quidem grauitatem Aristoteles sæpè inter qualitates per se tangibiles enumerat. Neque contra hoc facit, quod idem Auctor *num.* 75. in contrarium adducit: quod videlicet, licet ego supponam manum meam fornici, non sentiam illam grauitatem: sicuti neque quando tango lapidem terræ innixum. Quemadmodum enim in eius sententia fonix, & lapis non producunt impulsum in manu quomodocumque tangentes ipsa; sed necesse est, vt manus eis supponatur versus illam partem, versus quam se mouere intendunt: ita neque manus producit actum sensationis grauitatis illorum; nisi collocet se in ea parte, in quam motus illorum dirigebatur: & ratio huius est,

quia

quia sensatio illa est de rè molesta. Quandiù autem animal non premitur á corpore graui, nullam ab eo molestiam patitur. Vndé non est, cur actum illum sensationis elicere debeat manus, quoties non ponitur ibi, vbi intendit forex, aut lapis se mouere. Quod si scire vis quid importet illa compressio: dicam breui, eam importare productionem densitatis in partibus, quæ comprimuntur, ratione cuius partes illæ incipiunt discontinuari ab alijs collateralibus, & condensare etiam sibi inferiores. Quoniam verò manus sic addensata extra naturalem statum exiſtit: ideò malè se habet, & actum illum sensationis elicit, vt animal præsuram à grauitate sibi prouenientem effugiat.

38 Contra verò Aduersarij putant lapidem non solum addensare manum, quod negare non possunt; sed etiam in ea virtutem impressam producere. Aliæ verò rationes quas Arriaga adducit ab experientia Rotæ, quæ si, dum mouetur motu expulsionis, per breuissimam morulam detineatur, dimissa adhuc prosequitur motum suum, & similium: sunt contrariæ illis, quæ sumuntur ab experientia lapidum, & aliorum proiectorum sursum, vel in transuersum se mouentium, quæ postquam suum motum interrumpunt: statim incipiunt naturali pondere se mouere deorsum. Quare de hac virtute impressa, neque potest verificari, quod sine motu proprio conseruari possit; neque quod non possit; sicuti neque quod debeat produci, per se loquendo, in tempore: neque quod in instanti; & alia similia, ex quibus eius improbabilitas deduci potest. Verum etiam si Arriagæ, id quod asserit concedamus. Sic vlterius ad meum intentum probandum progrederer. Pono Campanam, post sui fusionem coniunctam, instrumento, quo formata fuit, per mensem detineri; quo alapso, instrumento destitui, & circulum efformando moueri. Porrò si á virtute ab artifice impressa sursum moueretur: huiusmodi virtus maximè durabilis esset, & sine motu posset in proiecto multo tempore conseruari. Sed hæc sunt contra experientiam, omnes enim Aduersarij in eo conueniunt, quod huiusmodi virtus sit adeò exilis, vt non nisi breui durare possit. Alioquin motus sursum lapidis deberet vsque ad Cælum procedere. ergo &c. Confirmatur, quia virtus hæc impressa; si in Campana fuisset: iam suparata esset ab eius grauitate quando hæc motum suum naturalem deorsum produxit, atque adeò, vel totaliter perijsset; vel saltem imbecillior grauitate Campanæ reddita esset; & sic eam superare non posset, causando motum sursum.

39 Nonnulli, argumentorum pondere pressi, dicunt dictam virtutem impressam produci á grauitate Campanæ per semicirculrm descensus se mouentis; putant enim, quod post instans quo grauia, & leuia incipiunt moueri ad sua loca, semper producant in se successiuè virtutem impressam, à qua ad velocius se mouendum adiuuentur: quæ quidem virtus ab eorum grauitate, vel leuitate emanans posito motu naturali, quo impedito motum violentum in eis postea producat.

Contra hoc facit primo, quia nulla virtus motiua per se est ordinata ad virtutem motiuam producendam, Specificatur enim per ordinem ad motum; motus autem, & motiua virtus non conueniunt in vna ratione formali sub qua potentę virtutem naturalem specificare. Contra est secundo, quia etiam si conuenirent: virtus motiua particularis, & ordinata ad vnum locum impossibile est, quod sit productiua virtutis motiuæ vniuersalis de se indifferentis ad mouendum ad quemcumque locum. Sic enim effectus esset sua causa nobilior. Non enim vnius rei maior perfectio supra aliam à maiori eius duratione mensuratur; vt patet. Contra tertio, quia si descenderet lapis magni ponderis ex alta turri in terram: deberet postea resilire, & per eandem viam vsque ad summitatem turris ascendere. Non enim est maior ratio quare virtus impressa Campanæ ascensum similem descensui producat; & non virtus impressa lapidi, cum præsertim hæc supponatur ab Aduersarijs esse multo intentior illa. Contra quarto, quia virtus ista impressa de se est indifferens ad omnem motum, vt isti volunt, defactò enim in nostro casu mouet sursum Campanam, quam moueret deorsum, si hæc destitueretur à plolis. ergo est de se indifferens ad ponendum mobile in loco naturali, vel violento. Repugnat igitur, quod proueniat à principijs intrinsecis ipsius mobilis. Probo hanc consequentiam, quia natura non potest efficienter inclinare per se ad id quod est indifferens, vel ad perficiendum, vel ad destruendum ipsam, sic enim æque inclinaret ad sui conseruationem, ac ad sui destructionem; sed solum inclinare debet per se ad producendum in se, id quod est de se perfectiuum ipsius naturæ. Contra denique quinto, quia grauia, & leuia, vel ex principijs intrinsecis petunt velocius moueri; si dictam virtutem impressam in se minimè causarent; vel non. Si secundum frustra dictam virtutem in se producunt; quia imò eius productio est præter eorum inclinationem; si primum; ergo natura defuit illis in necessarijs. Debuerat enim dare plus grauitatis, aut leuitatis ad hoc, vt permodum habitus ad motum tantæ velocitatis determinata essent: dicere autem, quod sit illis sufficienter prouisum ex eo, quod data sit vis productiua efficacioris principij: non satis facit; sicuti nequc satisfaceret; siquis diceret grauia, & leuia non retinere in proprijs locis grauitatem, & leuitatem, sed bene habere principia illas in se producendi, quoties à suis locis remouerentur. 40

SECVNDO EX MOTV REFLEXIVO PILAE.

PILA aliqua super planum lapidem proijciatur: vtique hæc resiliet, tum est argumentum: Non potest assignari á quo nam producatur virtus illa impressa in pila, beneficio cuius 41

Digitized by Google

ius resiliat: ergo datur proiectorum motus sine aliqua virtute impressa, quæ sit in illis.

Ad antecedens dicunt aliqui primo virtutem istam causari á plano illo lapide obsistente in quem impigit pila proiecta.

Sed contra est primo quia Aristotiles 8. *phys. text.* 33. expresse habet, quod pila reflexa nõ à pariete reflexa sit. huius rei ratio potest ex aduersariorum doctrina desumi, quam sequitur Comptonus *disp.* 13. *de gener. punct.* 2. *num.* 4. volunt enim virtutem impressam non nisi per potentiam motiuam proicientis, atque adeo non nisi per motum impulsionis in proiecto produci: atqui planus ille lapis super quem pila incidit immobilis perseuerat; ergo &c.

42 Neque dicas sufficere lapidi illi plano ad dictam virtutem in pila producendam, si ipsa pila ita moueatur vt in ipsum violenter offedat; ne id dicas inquam; tum quia supra ostensum est vnum contrarium non posse alterius contrarij productionem adiuuare; motus autem deorsum cum sit motui sursum contrarius, contrariatur etiam principio à quo motus ille producitur: tum etiam quia si corpus, quod propellitur planum est; etiam si dictus lapis in quem impingit impetu magno tangatur: minime tamen motum resilentiæ in eo causat: & tamen corpus illud planum capax est virtutis impressæ: vt patet ex eo, quia potest à nobis violenter proijci: falsum igitur est virtutem illam causari in pila à lapide posita motus directi conditione: dicere autem, quod in descensu plani impedit figura est ad Asylum non tutum confugere; si enim hæc obesset profecto, in plano lapide impressam virtutem neque homo producere posset.

Dicent alij secundo illum reflexum motum causari à grauitate pilæ, quæ motum, quem directè debebat efficere nisi impedita fuisset; retrocedendo, atque ascendendo compensat.

Contra etiam est quia, præter quam quod superius ostensum est non posse grauitatem motum contrarium ei à quo specificatur causare; ex hac responsione sequeretur quod etiam si pila in corpus aliquod molle vt in culcitram V. G. aut in lanam, non autem in lapidem impegisset, debuisset quoque motum suum retrocedendo compensare; si enim causa motus est grauitas impedita, parum refert quale nam, cuiusue conditionis sit corpus illud á quo impediatur.

43 Tertio Oniedus *coner.* 20. *cit. punct.* 4. distinguit de motu resilentiæ: vel enim est directè oppositus motui quem intendebat proijciens: vel est obliquus, ac indirectus, & primum quidem ait causati à virtute impressa in pila ab obsistente tantum producta, eo quod si á proijciente causaretur, non esset cur quando pila à molli corpore impediretur: non retrocederet: secundum vero putat non solum per virtutem pilæ impressam ab obsistente, sed etiã per impressam á proijciente fieri; & quidem quod non ab obsistente tantum, probat ex eo, quia alioquin quo minus lapis obsistens pilã tangeret, eo minus hæc resiliret: siquidem minorem reciperet ab eo impulsum constat autem oppositum euenire: nam quo magis pila obliquè tangitur, eo magis resilit: quod vero per virtutem impressam tum á proijcente tum ab obsistente motus ille causetur: probat ex eó, quia quando obsistens obliquè tangitur: obsistens, & proiiciens; & si in diuersas partes intendant mouere pilam: at non in oppositas; quia obsistens indirectè tantum, non intendit mouere per eandem lineã pilam per quam hæc ad ipsum peruenit: sicuti obsistens directé; ergo virtutes ab vtroque productæ in pila possunt coire, & contemperari ad tertium quendam motum in eo causandum, qui sit veluti medius inter eos motus, ad quos directè ordinabantur.

Verum contra priorem huius responsionis partem dictum est satis: contra posteriorem verò arguo dupliciter & primo quidem quia hoc ipso quod illæ duæ virtutes in diuersa mouentes possunt ita attemperari vt tertium quendam motum producant, qui sit medius respectu illorum ad quos solitariè inclinant: non est tur sola virtus à proijciente producta non posset motum illum obliquum resilentiæ causare per hoc, quod inueniens lapidem obsistentem, dispendia illius motus, quem per lineam rectam ulterius protendendo producere debebat, retrocedendo obliquè resarciat; & quidem melius, quam sol quando producit lumen reflectum si quidem virtus hæc esset immediatè coniuncta cum motu reflexo: quod non habet sol ad illuminationem reflexam comparatus; non enim est major ratio cur duæ virtutes impedire possint diuertere á motu, ad quem per se inclinant, & alium per accidens producere: & non posse hoc idem vna impedita; sed ex hoc sequeretur posse probabiliter sustineri dictum motum resilentiæ, neque ab impulsu proijcientis, neque ab impulsu obsistentis causari: sed solum à grauitate pilæ, quæ impedita ne vlterius moueat, dispendia illius motus retrocedendo resarciat, quod non admittit aduersarius; ergo &c. 44

Arguo secundo quia in tantum per illum motus resilentiæ directè oppositus motui, quem intendebat proijciens non potest prouenire ab impulsu à proiciente causato in pilam: quia alias sequeretur quod eodem modo resiliret pila, quando offenderet in mollem culcitram ac in durum lapidem; sed hoc probat, quod neque motus indirectè oppositus possit ab eodem impulsu partialiter prouenire; siquidem etiam si pila proiecta obliquè tangat corpus molle, non reflectit ergo &c. 45

Respondet ipse ad hoc *num.* 7. pilam semper directè tangere obsistens molle, eo quod etiam si initio indirectè illud tangat; quia tamen huius partes cedendo comprimuntur ideo impulsum causant intendentem mouere motu directo; & hac de causa mobile sepius quiescit. sed contra Primo quia hoc ipsa quod tum proijciens tum obsistens molle suam partialem virtutem produxit in pila, non potest assignari ratio cur dictæ virtutes, quarum vna intendit per se mouere sursum, altera deorsum non attemperentur, & motum quen-

dam medium producant: sicuti quando obstans obliquè tangitur. Contra etiam est secundo quia in eius sententia obstans molle non est aptum causare motum resilientiæ; ergo neque causat impulsum intendentem mouere obliquè, neque impulsum qui intendat mouere directè.

TERTIO EX MOTV LAPILLI SVBsultantis in aquam.

46 PRoijciatur Lapillus ita, vt super aquam moueatur in latum, veluti radens aquæ superficiem: profectò nunc deorsum descendens aquis immergitur, nunc verò ex illis emergens sursum ascendit, sæpius has vices alternans, donec sua grauitate versus centrum petat. in tali autem casu assignari nequit cur virtus impressa contrarios hosce motus producat: ergo fictitia omnino est atque chimerica.

Dices: ideo esse, quia virtus hæc deorsum prius Lapillum mouebat; at inueniens postea subtus aquas impedimentum, ne vlterius illum propellat; sursum incipit eundem mouere.

Contra tamen est primo: quia posito quod lapis sit aquis immersus; si virtus impressa non habet vim vlterius illum depellendi, multo minus habebit vim extollendi; quia in descensu etiam si parua sit virtus impressa adiuuatur tamen ab ipsa lapidis grauitate, quæ sola est sufficiens ad omnem illarum aquarum resistentiam superandam; vt patet ex eo, quia cessante motu expulsionis Lapillus ille vsque adaquæ fundum descendit: atqui in extollendo lapide præter quam quod impediatur ab aquæ partibus in descensu superatis: impeditur præterea ab ipsa lapidis grauitate, quæ motui sursum restitit; ergo &c.

Contra etiam est secundo quia dato quod virtus illa eo quod impedimentum reperiat in descendendo, Lapillum extollat, & emergere ex aquis illum faciat; cur postea eúdem denuo ter quater, & amplius aquis immergit nullum enim in aëre impedimentum inueniens, deberet motum suum sursum mouendo lapidem continuare usque dum duret, quod quidem minime facit.

QVARTO DENIQVE EX MOTV Throchi.

47 VIdemus enim trochum, dum á pueris proicitur, motus varios, & inter se specie diuersos efficere; præter motum enim quo sæpe mouetur ingyrum, nunc subsultando, nunc spiralem lineam conficiendo, nunc dextrorsũ, nunc sinistrorum, se mouet: quo posito quæro ex aduersarijs: num ab vnica virtute impressa motus tam varij tamque inter se diuersi, an verò à multiplici efficiantur? non quidem respondere possunt, quod à multiplici, tum quia sicuti dicti motus successiue existunt in troche; ita etiam eorum virtutes successiuè deberent in eo produci; alioquin virtus impellens V. G. sinistrorsum existeret in trocho dextrorsum se mouente, sine motu ad sinistram: atqui proiciens postquam terræ trochum dimisit, illum amplius non contingit: tum etiam quia licet demus aduersarijs ab initio trochum á proiciente diuersas hasce virtutes accepisse, non potest assignari cur modo vna potius modo alia trochum moueat? & cur hæc motum suum interrumpat vt alteri motui locum cedat, illa verò minime? neque dicere possunt, quod dicti motus omnes ab vna proueniant; quia non possunt assignare á quo nam vna illa virtus ad tot tantosque motus determinetur; non enim determinatur á trochi partibus, quia præter quam quod hæ semper eodem modo se habent, determinant natura sua ad motum deorsum, & non spiralem, aut rectum: neque ab aere, quia hic vel in quiete sumitur, vel in motu: in quiete quidem, cum eodem modo se habeat, esse nequit diuersorum motuum determinatiuum; in motu verò, quia ponitur ab ipso trocho moueri, vt dicunt aduersarij, potius ab ipsius trochi virtute determinatur, quam illam determinet, & posito, quod illam determinaret ad similem determinare deberet.

SECTIO QVARTA.

Vtrum proiecta moueantur per virtutem aliquam existentem in medio.

CONclusio est affirmatiua, & eam docuerunt 48
Plato in *Thimæo* & eius discipulus Aristoteles pluribus *in locis* præsertim *4. physic. tex. 68. & 8. item physic. tex. 82. 3. Cæli tex. 38. lib. de som. cap. 2. & lib. de diuin. per somnium cap. 2. prob. quæst. 51. sect. 6. & in mechanicis quæst. 33.* in quibus omnibus locis semper, & constanter adæquatam causam motus proiectorũ docet esse aërem nullam faciens de aliquo alio immediato principio mentionem. Illum sequuntur omnes antiquiores; & doctiores peripatetici: Auerroes *8. physic. text. 82.* Themistius in sua para Vicamercatus, Aegidius, Nifus, Burlæus, Paulus Venetus *in quartum physic. text. 68.* Albertus magnus *3. cæli tract. 1. cap. 3.* Zabarella *lib. de motu grauium cap. 16.* Pendasius *8. physic. cap. 26.* Pererius *lib. 14. cap. 4. & 5.* Dandinus *lib. 2. de tempore animato digres. 40.* & quod caput est S. Thomas passim præsertim verò 3. Cæli in sextũ 25. vbi hæc habet: Non est autem intelligendum, quod virtus violenti motoris imprimat lapidi, qui per violentiam mouetur, aliquam virtutem, per quam moueatur, sicut virtus generantis imprimit genito formam, quam consequitur motus naturalis. nam sic motus violentus esset á principio intrinseco, quod est contra rationem motus violenti: sequeretur etiam, quod lapis ex hoc ipso, quod moueretur localiter per violentiam alteraretur; quod est contra sensum, imprimit ergo motor violentus lapidi solum motum, quod quidem sit dũ tangit ipsũ; sed quia aër est susceptibilior talis expressionis: tum quia est subtilior, tum, quia est quodam modo leuis: velocius mouetur per impressionem violenti motoris: quam lapis; & sic desinente violento motore, aër ab eo motus vlterius propellit lapidẽ, & etiã aerẽ coniunctũ, qui etiã mouet lapidẽ alterius & hoc fit quousq; durat impressio motoris violenti

vt in 8. Phys. Et inde est, quod quamuis motor violentus non feriatur ipsum mobile, quod per violentiam fertur, vt pica lapidem, vt præsentialiter ipsum moueat; tamen monet per impressionem aeris: Si enim non esset tale corpus quale est aër, non esset motus violentus. Ex quo patet, quod aër est instrumentum motus violenti necessarium; & non solum propter bene esse. Hæc S. D. quæ per extensum afferri volui, vt non solum appareat mens Aristotelis ex eius interpretatione, & consensu; sed etiam modus quo dictus motus proiectorum efficiatur ab aëre. Conclusio autem sic explicata:

49 Probatur: proiecta, dum violenter motu expulsionis mouentur per virtutem motiuam in aliquo existentem, tanquam per causam effectricem illius motus immediatè moueri debent: Sed non sic mouentur immediatè per virtutem existentem in primo motore; nam distant ab illo; & etiam si mortuus esset, & virtutem motiuam amitteret, adhuc mouerentur. Neque per virtutem aliquam existentem in ipsis. Nam hæc vel esset virtus sibi naturaliter congenita: uel à violento motore impressa; & per neutram moueri posse supra probauimus: eo quod prior non est apta: posterior verò non datur. Dicere autem, quod moueantur ex, eo quod motus impulsionis produxit primam partem motus expulsionis, prima autem pars huius secundam eiusdem; secunda verò tertiam, & sic de reliquis, donec motus totus elanguescat, non habet vllam probabilitatis speciem, quia cum motus localis sit essentialiter successiuus, habet quod quando existit vna pars non existat alia. Atqui est omnino necessarium, vt causa efficiens, & effectus simul existant, vt patet ex physicis; nisi igitur recurrant Aduersarij ad causam primam dicendo huiusmodi motum proiectorum fieri immediatè à solo Deo ad exigentiam causarum, secundarum, quæ in casu nostro sunt motores violenti; non possunt discursum nostrum eludere. Verùm hoc grauis omnino, & irrationabiliter facient; cum nulla sit necessitas ad hanc vltimam machinam confugiendi. Quare per necessariam consequentiam fateri debent dictos motus fieri per virtutem existentem in medio; siuè aër illud sit, siuè aqua, siuè aliud simile corpus; & dicere, quod proijciens, dum mouet immediatè lapidem motu impulsionis, causa sit, vt moueatur aër ad replendum spacium, quod lapis relinquit; aër verò motus ad replendum hoc spatium incipiat monere lapidem motu expulsionis, per quem recedat à primo mouente; & quia hic secundus motus lapidis est iterum causa secundi motus aeris accurrentis ad occupandum spatium, quod ab eo relinquitur; dum aër sic mouetur, impellat tertio vlterius lapidem ad occupandum consequentem locum; & sic deinceps, ita vt prima pars motus lapidis à solo proijciente causata sit causa primæ partis motus aeris; hæc autem sit causa secundæ partis motus eiusdem lapidis, & hæc secunda lapidis sit causa secundæ aeris; hæc verò secunda aeris sit causa tertiæ lapidis tertia verò huius causet tertiam illius: nempè aeris, & hæc quartam lapidis; & sic procedant, donec vis aeris elanguescat, & succedat in locum lapidis à se propulsi: ita, vt non amplius illum propellere valeat. Ex quo deducitur, quod nunquam vna, & eadem pars motus aeris sit causa, & effectus respectu vnius eiusdemque partis motus lapidis (quod Aduersarij contra nos conantur deducere) vt videre est in motu, quo mouetur solum quando vento rapitur. Verum, vt hæc nostra sententia, quæ hac tempestate ab omnibus ferè recentioribus deserta est, & improbabilius existimata, planior, & intelligibilior reddatur; Quid sit eadem hæc virtus in medio existens, & quo modo ad proiecta mouenda se habeat dictis sequentibus explicabo.

Dico igitur primo, quod aër (& idem intelligo de aqua, & reliquis corporibus, in quibus possunt proiecta moueri) cum sit tenuis, & rarus facile mobilis est, & agitabilis in proprio loco; ita vt nullo negotio locum suum cedat propellenti; in cedendo autem, quia est natura fluidus, sertando quantum potest suarum partium continuationem, mediante motu locali ab extrinseco sibi impresso, secundum aliquas partes plus æquo condensatur, secundum verò alias plus æquo rarefit, & sic à proprio, & connaturali statu discedit. Non quidem secundum se totum, sed vsque ad certam distantiam plus minusue iuxta vires ab impellente ad mouendum proiectum ei applicatas. Patent hæc omnia ex aquis, in quas, si lapis proijciatur statim, dando illi locum per condensationem, primam discontinuationem suarum partium, quæ indè orta est, se rarefaciendo repente resarciunt, deindè secundam, deindè tertiam, & sic de cæteris, quo ad lapis ad fundum perueniat. Cuius rei signum est, quod aquæ in circulos se attollunt, vsque ad certam distantiam: quorum priores licet sint posterioribus minores: sunt tamen illis turgidiores, qui quidem circuli sicuti dum formantur condensationem partium aquæ testantur, ita dum dissoluuntur earundem rarefactionem ostendunt. Idem videre est quando flumen lapidem trahit, cuius vnda, quæ est à tergo lapidis, ita illum propellit, vt in eius locum succedat, & succedendo, illum secum trahat.

Dico secundo ex duplici causa corpora hæc fluida plus æquo rarefieri, & condensari posse, Primo: ex eo, quod notabilem alterationem in suis primis qualitatibus patiantur; vt videre est in vaporibus aqueis, qui vi caloris extrahuntur ex aqua, secundo ex eo, quod eorum partes valdè agitentur, seu comprimantur. Tunc enim etiam si suarum primarum qualitatum debitum temperamentum retineant, tamen à suo naturali statu, quo ad condensationem, & rarefactionem discedunt. Iam verò, vt ad illum iterum se reducant, quod faciunt cum primum possunt, indigent moueri. Quanto autem, & quam ingenti impetu, id faciant; Constare potest primo ex exhalationibus, quæ si in terræ visceribus plus æquo comprimantur; dum ad debitam raritatem se reducere nituntur, terram concutiunt, montes discindunt, vrbesque ipsas, atque regna subuertunt. Secundo ex aëre, qui dum ventis agitatur, non modo arbores eradicat, & naues huc illuc-

illucque propellit; sed ipsa etiam disjicit ædificia tertio ex pulvere tormentario, qui in ignem assensus, vt naturalem raritatem consequatur, si in bombardis est illas non raro disrumpit, & globos ferreos licet ingentes, tanta propellit vehementia, vt turres, ac mœnia comminuat, atque dejiciat: vt iam mirum non sit, si aër in minori copia violenter antea condensatus, postea rarescens; licet non tam bene mobili applicetur, nec vndique sit occlusus, causet tamen motum projectorum; quæ projecta, si subuersis montibus, magnisque terrarum tractibus difficilis comparentur; minimæ molis esse apparebunt.

52 Dico tertio aërem existentem in motu, quo condensatur aut rarefit, habere virtutem secum localiter asportandi corpora, ac si eorum currus esset; quæ quidem corpora, dum in se continet virtutem motiuam naturalem illorum superat, atque impedit, nè suum motum efficiat: quod patere potest: tum ex modo dictis: tum ex aquis quarum impetum, si lapis V. G. qui in eas projiciatur sua grauitate superare nequit; ab illis trahitur, ac propriæ grauitatis oblitus, earum fluxum comitatur. Ratio autem, cur aquæ in tali casu resistant lapidi, nè suo pondere illas diuidat, & sic descendat sumitur ex eo, quia dum aquæ lapidem excipiunt ex vna parte lapis suis libratur ponderibus, & contra grauitatis propriæ innititur; vnde est, quod parum grauitet. Dimidia enim pars ex vno latere sustinet alteram, nè ex alio latere prepondeat, vt videre est in libra æquis lancibus sustentata: Ex alia verò parte aquæ ipsæ defluentes valdè condensantur in partibus ipsi lapidi vicinioribus. Porrò corpus licet tenue condensationis beneficio naturam induit corporis solidioris, vt patet ex aëre, qui in vtribus bene inflatis inclusus ingentia pondera sustinere valet.

53 Dico quarto quando homo V. G. lapidem sursum impellit: pellit etiam, & mouet partes omnes aëris, quæ illum circumdant: partem, scilicet anteriorem, & posteriorem, atque collaterales; sed diuersimodè; nam anteriorem, & collaterales pellit, vt cedant lapidi locum. Vnde est, quod dictæ partes ex tali impetu condensentur. Posteriorem verò, vt in locum, qui occupabatur à lapide succedat, eumque propellat; quod non, nisi per rarefactionem pars illa aëris præstare potest. Quoniam verò partes istæ extra proprium, & connaturalem statum violenter sic detinentur: quærunt ad debitam raritatem, & densitatem se reuocare; quod non nisi motu locali intercedente efficere possunt.

54 Dico quinto pars aëris anterior projecto, quæ à projiciente condensata fuit, non rarefit versus ipsum projectum: sed versus reliquas partes aëris sibi anteriores, quæ propter eandem rationem, etiam ipsæ condensantur; & vt ad connaturalem statum redeant, alias sibi anteriores pariter mouendo, condensant, & hæ rursus alias: debilius tamen ac debilius, vsque, dum propter continuam imminutionem facultatis motiuæ, deueniatur ad aliquam aëris partem, quæ tam debiliter moueat condensetque sequentem, vt nullam vi impertiamur vim mouendi, & condensandi aliam vlteriorem. Quare hæc erit vltima pars mota, quæ aliam non moueat. Ratio autem, quare pars illa anterior non rarefiat versus projectum; est, quia versus illud condensationem patitur, & resistentiam reperit, quæ illi facit projectum, quod eam comprimit, vrget, ac reprimit; & sic illi, nè versus se rarefiat valdè resistit: aliunde verò ex parte anteriori propter consensum partium in toto; non modo non inuenit resistentiam; quin etiam facilitatem ad cedendum præterea ratio, cur dicta pars anterior versus partes collaterales non rarefiat, sumitur ab experientia. Experimur enim corpus vt aliqua extrinseca condensatum, per se loquendo secundum eandem dimensionem secundum, quam condensatum fuit rarefieri, si cætera sunt paria. Addè, quod pars illa aëris anterior moueri debes per lineam breuissimam, vt quam citissimè possit, ad suam naturalem raritatem se reducat. Hoc autem, si versus collaterales rarefiat, non obtines; sicut obtines, si versus anteriores. Iam verò pars aëris posterior projecto, quæ nimium rarefacta supponitur, non nisi versus projectum ipsum condensatur, & ratio est, quia, si condensaretur ex parte opposita; deberet eius partes viciniores lapidi retrocedere, & sic relinquere vacuum spatium, quod inter lapidem, & ipsas intercederet: cum igitur debeat lapidi necessariò adhærere; & simul condensari, opportet, quod ita condenserur: vt remotiores partes sui versus ipsum lapidem violenter attrahat, & hæ alias remotiores, & rursus hæ alias magis remotas, minus tamen, & minus, vsque ad certum terminum.

55 Adde: quod cum condensatio fieri debeat per motum; aër, qui à tergo lapidis reperitur, non multum inuenit resistentiæ ad mouendum se versus lapidem: quia illum in motu sursum impulsionis reperit: at vt moueatur à tergo magnam inuenit resistentiam causatam ab alijs partibus, quæ sibi à tergo sunt, dum hæ magno impetu accurrunt ad replendum vacuum versus lapidem. Denique partes aëris projecto collaterales: licet in transuersum versus alias partes aëris sibi collaterales, aliquantulum rarefiant, quia ex vna parte hac ratione condensatæ sunt; ex alia verò versus latera projecti inueniunt resistentiam maiori tamen ex parte rarefiunt à tergo ipsius projecti, nisi quid obstet: & ratio est quia cum partes fluidæ sint, habent à natura, vt quantum possint integritati totius cooperentur; neque enim aliam ob causam tam facilè se rarefaciendi, & condensandi virtutem ab illa habuisse videntur. Quoniam verò scissuram à lapide causatam, ex nulla alia parte possunt incipere resarcire, nisi à tergo eiusdem lapidis: hinc est, quod ex ea parte se plurimum rarefaciant. Versus partes enim anteriores cũ aër actu scindatur, impossibile est, vt ex illis incipiat resarcitio. Dixi (nisi quid obstet) quia si ab alijs partibus adeuntibus impediuntur, vt patet influmine secum lapidem asportante, non sic mouentur.

56 Dico denique sexto: quod diuerso modo conferunt ad motum projecti partes aeris anteriores, ac collaterales, à partibus posterioribus, quæ sunt

Digitized by Google

sunt illi à tergo. Anteriores enim juvant ex eo quod reperiantur à lapide in motu versus illam partem, versus, quam lapis expellitur, beneficio motus impulsionis, quo antea simul cum lapide à primo movente mota fuerunt: Cæteris enim paribus, sicuti minus resistunt mobili partes anteriores medii, si quiescant, quam si in oppositam partem moveantur; ita multo minus etiam resistunt; si moveantur versus eandem partem, versus quam movetur, mobile. Undè est, quod non moveant lapidem efficienter; sed tantum dispositivè, eo quod minus resistunt: at posteriores, quæ à tergo sunt, juvant efficienter impellendo ipsum projectum. Dum enim accurrunt ad hoc, ut ad debitam densitatem partem vicinjorem lapidi reducant, & hæc rursus rarefiat, ut in locum à lapide relictum succedat, magna omnes moventur impetu versus ipsum lapidem, & ulterius illum propellunt, quo ad usque ad naturalem statum raritatis, ac densitatis, tum vicinjores, tum remotiores se reducant. Collaterales denique, sicuti ex condensatione habent, ut in se projectum sustinere valeant, nè decidat: ita ex rarefactione versus retaneæ partes ad hoc, ut scissuram resarciant, illud etiam vigent, magnaque vi efficienter versus partes anteriores impellunt, atque extrudunt. Ex quibus constat modus, quo ex condensatione, & rarefactione medij motus projectum efficiatur.

57 Ex dictis colliges primo causam motus Campanæ, quo per semicirculum ascensus violenter movetur, esse æ̀rem, quem Campana, dum motu naturali usque ad sectionem lineæ perpendicularis centro per semicirculum descensus movebatur, secundum partes sibi anteriores, & collaterales, valdè condensavit; secundum verò posteriores nimium rarefecit. Undè est quod partes collaterales dum à tergo Campanæ comantur, rarefieri, & illæ, quæ sunt à tergo, dum alias ad se magno impetu attrahunt, ut ad debitam densitatem perveniant, sursum vigeant Campanam, quæ cum reperiat partes æ̀ris sibi anteriores propter compressionem habitam in semicirculum sursum versus se moventes (scilicet simili ratione, qua Campana ipsa eas comprimens naturaliter movebatur) sine magna difficultate earum superat resistentiam.

58 Colliges secundo causam resilientiæ pilæ super planum lapidem descendentis esse, quia eius inferiores partes, dum magno impetu allidunt lapidi, ei cedunt, ac comprimuntur; atque adeò condensantur: quia verò sic extra statum sibi naturaliter debitum reperiuntur; per motum ab intrinseco proucientem ad naturalem raritatem se revocant. Quoniam verò à lapidis duritie impediuntur, nè versus illam rarefiant motum, veluti impulsionis causant in ipsam pilam, versus partem oppositam compressioni; & sic pilam resilire faciunt. Ad quod valdè etiam adiuvantur ab æ̀re, qui inter lapidem, & pilam ipsam intercipitur. Ille enim, quia etiam compressus fuit, nec potuit versus lapidem rarefieri, nititur versus ipsam pilam, quæ ad motū sursum efficiendum, beneficio proprij motus paratam reperit, illamque vrget, & in oppositam partem facile movet. Unquo partes æ̀ris collaterales, quæ dum ad se continuandas à tergo pilæ resilientis confluunt eandem etiam vrgent ac propellunt.

Atque hinc conijci potest primo: cur si pila 59
in corpus molle, vt in lanam, incidat, nulla fiat resilientia. Lana enim facile cedit partibus pilæ; undè est, quod magis illa, quam dictæ partes pilæ comprimantur, quia verò compressio, quam ex hoc sortitur lana, non multum statui sibi connaturali officit (vehementissima enim compressio est necessaria, ad hoc vt lana cæteraque similia ad raritatem debitam moveantur; eo quod facile siccitatis beneficio raritatis dispendia patiuntur) hinc est, vt pilam in partem oppositam minimè propellat. Per hoc tamen non nego, quod si pila allideretur corpori, quod quamvis cederet, velocissimè tamen postea resiliret, vt statum sibi debitum obtineret; non nego, inquam, quin in tali casu pila retrocederet: sius enim partes pilæ cedant, sinè partes corporis, quod ab ea percutitur, sivè demum vtraque modo subito quodam, & impetuoso motu resiliant; semper pila suum motum reflectit. Imò aliquando validius, quam si solido corpori allideretur: vt patet ex pila, quæ reticulis quibusdam longius projicitur, quam projiciatur tabellis; eo quod reticula tensa, ita cedunt pilæ, vt statim ab intrinseco resiliendo, & ad suum statum naturalem se reducendo, velocissimè, tum pilam, tum etiam æ̀rem, qui inter se, & pilam intercipitur, comprimunt; quæ dum in oppositam partem rarefiunt magis juvant ad pilæ resilientiam, quam si in duram tabulam pila impegisset. Conijci etiam secundo potest, cur planum decidens super planum non resiliat. Ratio enim huius rei est, quia planum tangit secundum plures partes, atque adeò magis resistit compressioni potest, quam sphæricum, quod quia secundum minimam tantum partem lapidi immediatè resistit, fit, vt maximam in ea parte raritatis iacturam faciat. Unquo partes æ̀ris bene applicari spherico, non autem plano.

Colliges tertio causam subsultationis lapilli 60
in aquas artificiosè projecti, esse: quia dum lapis, violenter in latum super aquas movetur naturali gravitate, aliquantulum descendit: & sic supernas aquæ partes ingreditur, & vna secum partes æ̀ris sibi collaterales; atque posteriores immergit: quæ quidem partes dum non sinunt lapidem vlterius descendere, adiutæ præsertim in hoc à partibus inferioribus aquæ ex compressione habita condensatis, dumque non possunt rarefieri, vel condensari, prout naturaliter exigunt, nisi sursum versus, vbi partes aquæ pauciores sunt, minusque resistentes, hinc est, vt sursum lapidem vrgeant. Porrò lapis dum illum impetum nititur sua gravitate superare, etiam secundo descendit in aquas, simul cum æ̀re, qui propter eandem rationem illum ex aquis extollit adiutus ab ipsis aquæ partibus compressis, & in hac lucta lapis, & æ̀r tandiu perstiterunt, quamdiu æ̀r ad naturalem statum remeasset, & à lapide cui fortiter adhærebat dissociatus, liberum dictum lapidem reliquit.

Vbi

Vbi aduerte partes aëris etiam quando lapidem extollunt, mouere illum pariter in latum; ad quod præstandum maior profecto vis in aëre requiritur: maiorem autem hanc vim obtinet aër ex eo quod partes eius lapidi collaterales non solum ex ea parte, ex qua lapidem tangebant; sed etiam ex aduersa ab aquis nunc comprimantur: vnde maiori impetu necesse est vt moueant: iuuant etiam ad motum illum sursum partes aquæ lapidi inferiores, quæ nimirum compressæ dum ad debitam raritatem peruenire conantur, lapidem ipsum sursum versus impellunt & extrudunt.

61 Colliges denique quarto causam tot tantosque motuum quos in throco experimur esse eundem aërem; dum enim funiculo throcus circundatur multæ partes aëris in recipiuntur, & funiculo accomodantur; quæ postea ex vehementi Throchi projectione, & attractione circulari partium funiculi maximè condensantur, & peculiari quadam ratione throco ita adhærescunt vt difficile illum deserant, quoniam verò penitus resoluto funiculo partes illæ aëris circulariter sicuti condensatæ sunt, se mouere debent vt naturalem raritatem consequantur; hinc fit vt trochum ipsum secum circumuoluant, multasque aëris partes remotiores in circulum agant; & quia dum se mouent vna impedit aliam, ne se penitus explicet, ideo modo vna modo alia iuxta varias dispositiones, ac occasiones, vel ex corpore subiecto ipsi trocho, vel ex alijs partibus aëris accurrentibus, vel ex collisione mutua prouenientes, resilit; & qua via potest, vel spiraliter, vel intrans versum vel aliter etiam rarefit; secumque attrahit sibi adhærentem trochum. illud hic aduerte, quod circa finem motus quia partes aëris lentè se mouent, & incipiunt à partibus trochi, quibus antea fortiter adhærebebant, paulatim diffluere: ideo nequeunt trochi partes rectè sustinere: vnde est vt trochus modo in vnum, & modo in alterum latus naturali grauitate se inclinet, quoadusque superans vim motiuam aëris in terram decidens, conquiescat.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiecta ex Aristotile, & Diuo Thoma desumpta.

62 OBijcies primo ex Oniedo *cont. 20. cit. pun. 1 num. 7.* Aristotiles *8 phys. tex. 82.* loquens de modo quo moueatur proiectum hæc habet: At non simul moueri desinit, & mouere; sed simul atque is qui mouet, mouere desinit, desinit moueri quo circa aliud mouet, quod hæret cuius eadem est ratio; cessat autem cum vis mouendi ita id, quod hæret minor imprimitur: cum sic: In his verbis philosophus concedit vim impressam, & hærentem mobili, quæ vis distincta est à virtute proijcientis, & medij, quia neutra hæret mobili; ergo datur virtus impressa in sententia Aristotelis.

63 Respondeo hæc verba vti citantur non facere fidem; referantur enim iuxta translationem Conimbricensium qui *lib. 6 phys. qu. 1. art. 8.* docuerant proiecta moueri per virtutem impressam & non à medio. porro *loc. cit.* iuxta vulgatam translationem sic legitur; sed non simul cessat mouere, & moueri, sed mouere quidem simul cum mouens cessauerit moueri mouens autem adhuc est; qua propter mouetur quod ei contiguum, & in hoc eadem ratio est: cessat autem cum in ipso contiguo minor fuerit virtus, quam vt moueat. ex quibus patet nullam in hoc textu fieri mentionem virtutis impressæ hærentis mobili, sed solum virtutis motiuæ in medio existente. vt autem quid sibi velit philosophus his verbis probe intelligatur sciendum; quod etiam ipse initio *lib. 8. cit.* docuisset omne, quod mouetur ab alio moueri; postea *tex. 82.* dubium mouet quo pacto sit verum hoc in motu proiectorum, quæ non tacta à proijciente continuò mouentur? ad quod, post quam non nullorum solutionem recenset, suam tradit his fere verbis. necesse est hoc quidem dicere, quod primum mouens facit vt possit mouere, aut aër hic, aut aqua, aut aliud quid huiusmodi, quod aptum natura est mouere, & moueri: quorum verborum sensus est iuxta expositionem D. Thom. eos eodem sensu etiam proiecta moueri ab alio, eo quod primum mouens nimirum proijciens dum mouet aërem, vel aquam, vel simile corpus fluidum, dat illis vt possint etiam mouere ipsa proiecta: quare vtrumque aër à proijciente lapidem obtinet; & quod moueat, & quod moueatur.

Postea verò addit verba citata ab aduersario 64
sed non simul cessat mouere, & moueri &c. quæ hoc significant: cum constet mouere, & moueri non de necessitate esse in eodem: ideo aër motus etiam si cesset à proijciente moueri, non ideo cessat mouere proiectum; sed statim ac proijciens cessat mouere, & aër cessat moueri; sed adhuc mouet: dum autem mouet mouetur, simul id quod est contiguum, hoc est secunda pars aëris consequetur ad primam; & idem dicendū de hac secunda, respectu tertiæ, & de tertia respectu quartæ & quia secundum mouens, videlicet prima pars aëris habet minus de virtute motiua, quam primum, & tertium, quam secundum, oportet quod cesset motus proiectionis, ex eo quod propter minorationem virtutis mouendi veniatur ad hoc, quod id, quod est prius non faciat vt suum consequens ita condensetur; vt habeat vim mouendi aliud vnde est vt moueatur, & non moueat, & tunc necesse est vt cesset motus violentus proiecti.

Atque hæc significauit Aristotiles per illa verba cessat autem cum in ipso contiguo minor fuerit virtus, quam vt moueat. Quibus positis auctoritatem obiectam sic contra obijcientem retorquerem: ex discursu in hoc *tex. 82.* constat Philosophum motum proiectorum tribuere medio in quantum scilicet prima pars aëris mouendo proiectum mouet secundam, & secunda illud vlterius propellendo, mouet tertiam &c. ergo in eius sententia non datur virtus impressa.

Non negat Oniedus, vt videre est in dicto 65
num. 7. Aristotilem: tum *tex. hoc 82.* quem pro se citauerat: cum alibi existimasse aërem

à ter-

à tergo proiecti existente adiuuare ad motum impulsionis illius ; imò addit, se hoc concedere non vereri, Dummodo dictus motus non tribuatur ipsi àèri tanquam causæ totali ; sed solum tanquam partiali, quæ simul cum impulsu adæquatè concurrat.

Sed hæc responsio, ex his, quæ numero præcedente ipsemet docuerat, euidenter reijcitur. Ibi enim eos, qui volebant virtutem productiuam motus vectionis esse qualitatem impressam à vehente in corpore vecto, quæ dependeret in operari tamquam à comprincipio inadæquato à motu ipsius vehentis ; nulla alia ratione impugnat, quam quod superfluè tot principia respectu motu vectionis constituant. Cum hoc ipso, quod concedunt eum dependere inadæquatè à motu vehentis, nulla appareat ratio, cur negent eundem ab illo adæquatè dependere posse. Vnde concludit in motu vectionis nullam dari virtutem impressam in corpore vecto ; sed per solam virtutem in vehente existentè dictum motum causari. ergo (inferam. ego) in motu quoque impulsionis nulla dabitur virtus impressa in corpore expulso. Sed per solam virtutem existentem in medio causabitur adæquatè dictus motus. Hoc ipso, quod conceditur eum posse ab illa inadæquatè causari. Eadem enim prorsus superfluitatis ratio in vtroque motu militare videtur.

66 Obijcies secundo ex Mauro *lib. 3. quæst. 15* Ad primum; idem Aristotiles videtur in quæstionibus mechenicis virtutem impressam admittere, videlicet *quæst. 32. & quæst. 33.* Vbi vocat illam momentum. Alibi autem habet hæc verba : Aut enim figura diuidit, aut impetu, quem habet, id quod fertur, & quod proiectum est, ergo vbi Philosophus oppositum docere videtur explicandus est, quod iuxta famosam opinionem sui temporis loquutus sit, Sic Maurus.

Respondeo primo ad id, quod de quæstionibus mechanicis dicitur ; ab Aristotile non solum in illis quæstionibus citatis non fieri mentionem vllam de dicta virtute impressa, imò neque haberi vocem illam, momentum, qua Maurus ait ab ipso Aristotile eam appellatam esse : sed expresè docri motum proiectorum causari à medio: vtramque proferam, vt vtriusque dicti veritas eluceſcat.

Ad trigesimam enim secundam quæstionem in qua quærebatur, cur ea quæ proijciuntur cessant á latione. Sic respondet : An quia impellens desinit potentia, vel propter retractionem, vel propter rei proiectæ inclinationem: quando ea valentior fuerit, quam proijcientis vires, aut ista hæc ambigere principium relinquentes absurdum est. Tum sic constat in sententia Aristotelis, vt modo vidimus potentiam impulsiuam primo proiectum esse in proijciente, potentiam verò impulsiuam secundo esse in medio; ergo nullam hic de virtute impressa fit mentio, neque quo ad nomen prætensum, neque quo ad rem ipsam.

67 Ad trigesimam verò tertiam quæstionem cũ interrogasset ; cur impulsore non consequente proiectum ; hoc tamen violenter feratur. Respondet sic : An videlicet quoniam primum id efficit, vt alterum impellat, illudque rursum, vt alterum. Cessat autem quando non potest amplius facere primum impellens, id quod fertur, ut impellat, & quando ipsius lati grauitas motu suo declinat magis, quam impellentis in ante sit potentia. Tum sic si proiecta per uirtutem impressam, & non à medio mouerentur, non esset in eorum motu assignabile alterum, atque alterum impellens ; sed unum tantum, uidelicet, primum proijciens. Sed per Aristotilem dantur plura impellentia partes nimirum àèris, quarum una succedit alteri. ergo &c.

Respondeo secundo ad uerba, quæ ex Philosopho afferuntur absque eo quod certus adducatur locus ubi sint, Quod quando in eis dicitur : proiectum aut figura diuidere àèrem, aut impetu. Nomine impetus non uenit uirtus aliqua à proijciente sibi impressa, sed motus eius concitatus, & uehemens, cui uirtus resistitiua medij cedendo, diuisionem sustinet, atque propulsionem. Motum autem uehementem appellari communiter impetum, ita certum est, ut non nisi accomodatitiè, & per figuram huiusmodi nomen uirtuti impressæ tribuendam esse uideatur.

Atque ex his obiter nota remanere soluta 68
duo præcipua fundamenta, quibus nitebatur Ouiedus *puncto primo num.* 5. ad uirtutem impressam proiectis impertiendam, quorum primum erat, quod si proiecta mouerentur ab àère, omnia eiusdem rationis per eundem àèrem, mota, eadem ueloçitate mouerentur, quia causa motus esset eadem nempè àèr, & eodem modo appliçata. Secundum uerò, quia non posset assignari ratio, cur *lapis proiectus sursum* non prosequeretur motum uiolẽtum ad Cælum usque. Eadem enim esset uis agentis in fine, ac in principio motus. Nam etiam in fine motus pars àèris debuisset moueri uersus mobile ad spatium ab ipso relictum occupandum ; & sic non esset ratio, cur illud vlterius non propelleret. Non enim dici posset virtutem dictæ partis defatigatam esse, quia hæc pars nouiter accedit, & est diuersa á præcedentibus, quæ prius lapidem impulerunt.

Vtriusque enim argumenti solutionem Aristotiles multo antea dederat, vt patet ex dictis dum ait; àèrem non mouere proiectum, nisi à proijciente motum. Ex quo sequitur, quod quo magis à suo naturali statu raritatis, & densitatis recesserit ratione motus habiti ; eo magis debeat mouere proiectum ; & quod tunc tandem illud vlterius propellere cessabit, quãdo intra terminos exactæ raritatis, ac densitatis se receperit. Quamuis enim pars vltima aeris, quæ succedit in locum lapidis sit noua; quia tamen ita succedit, vt minimum in sua raritate destrimentum passa sit : aliundé verò constat corpora fluida huiusmodi qualitates cũ aliqua latitudine sibi vendicare. Ideò non est cur vlterius propellat proiectum, vt ad suum naturalem statum se reducat. Quando quidem non obstante illo paruo dispendio iam in suo naturali statu reperitur.

Obijcies tertio Aristotiles *tertio Cali tex.* 69
28. Do-

Digitized by Google

28. Docet aerem mouere proiecta sursum, quatenus leuis est, deorsum verò, quatenus grauis; & accipere dicta principia á primo mouente: ergo saltem causa motus proiectorum á nobis explicata non est ad mentem Philosophi.

Respondeo nunquam Aristotilem existimasse ad mouendum proiecta virtutem motricem à proijciente imprimi aeri, ideò autem ait, quod quando aer mouet sursum, mouet vt leuis, quia tunc accipit à proijciente motum per quem constituitur in actu primo potens actu motum leuitatis in proiecto causare: contra verò ideò docet, quod quando àèr mouet deorsum, mouet vt grauis, quia in tali statu per compressionem proijcientis constituitur, vt sit potens motum grauitatis in proiecto producere. cum quo stat non posse negari ad vtrumque motum virtutem motiuam naturalem àèris maximè conferre, quæ cum habeat aliquid de grauitate, & de leuitate ad motum sursum, & deorsum in proiectis causandum, inclinare aliqualiter necesse est.

79 Obijcies quarto: Sanctus Th. *prima parte qu. 103. art. primo* ad secundum docet à proijciente impressionem quamdam proiecto tribui. *& qu. de anima art. 55.* Ad secundum: impressionem istam ait esse mouentis virtutem. ergo per D. Th. datur virtus impressa.

Respondeo Sanctum Doctorem nomine impressionis, & virtutis, seù impetus intelligere motum impulsiuum, quem proijciens causare debet in proiectum prius quam illud à se expellat; qui quidem motus cum sit actio grammaticalis, atque adeò de genere qualitatis, optimè intelligi potest, quod se habeat vt virtus quædam fluens, qua intercedente partes medij extra statum naturalem constitutæ proiectum mouçant.

SECTIO SEXTA.

Proponuntur, & soluuntur aliqua Obiecta ex ratione deducta.

71 OBijcies primò densitas medij nocet ac resistit mobili dum mouetur; ergo per hoc quod partes medij anteriores proiecto condensentur non debet adiuuari proiectum ad motũ versus illas efficiendum.

Respondeo distinguendo antecedens densitas medij absolute, & simpliciter loquendo, nocet ac resistit mobili concedo antecedens: in eo casu quo medium actualiter condensatur, ac rarefit versus illam partem versus quam mobile actu mouetur, ipsum insequens; nego antecedens, & consequentiam. aio enim quod dum partes anteriores àèris condensantur cedunt locum proiecto; & dum versus alias anteriores rarefiunt illarum superant resistentiam; quam proiectum nisi illa condensatio præcessisset, debuisset superare dispendio sui motus. vnde est quod proiectum tantum abest vt à condensatione medij anterioris, seu aduersi in casu nostro impediatur; quin imo valde ab illo ad suum motum prosequendum adiuuetur.


Obijcies secundo non videtur possibile quod 72
partes àèris quæ sunt à tergo proiecti tantum temporis ad reducendum se ad naturalem densitatis aç raritatis statum insumant; quantum durat motus proiecti: cum præsertim per nos tũ partes àèris subsequentes, tum illæ quæ sunt à lateribus proiecti accurrant à tergo ad condensationem præstandam. alia igitur assignanda est causa efficiens motus proiectorum.

Respondeo: corpora naturalia reducere se ad 73
pristinum densitatis, vel raritatis statum diuerso modo, ac se reducunt ad temperamentum debitum primarum qualitatum; hoc enim acquirunt, ex remissiore qualitate intensionem in se producendo, At vero debitam raritatem, vel densitatem per motum deperditam non sic, sed si corpus aliquod plus debito rarefit; densitatẽ intensiorem ea quam naturaliter exigit, prius atquirit, & hanc immediatè post, vtpote sibi indebitam denuo expellit per productionem raritatis remissioris quidam ea, quam prius expulerat; sed intensiorem ea quæ sibi debetur & sic alternis viribus procedit, donec ad naturalem statum perueniat. cuius rei ratio sumi potest ex magno consensu, quem habent partes in toto; dum enim vna condensatur aliæ propter consensum quem cum illa habent ad illam accurrunt, ac premunt vnde plus æquo illam condensant; dum verò ab intrinseco rarefit, tanto consensu cedunt illi locum, vt plus spatij deserant, quam sit necesse; & sic pars illa intensius, quam par erat rarefit. iam verò hoc, quod dicimus apparet in arbore, quæ dum vi aliqua extrinseca versus vnam partem inflectitur; ex parte conuexa inflexionis plus æquo rarefit, & quasi distenditur, & ex concaua condensatur, & veluti corrugatur, quod si ex violento illo statu dimittitur; ad hoc vt ad naturalem statum redeat, ex qua parte condẽsata erat, plus æquo rarefit; & ex qua rarefacta, plus æquo condensatur, & tamdiu modo in hanc, modo in oppositam partem, se inclinãdo raritatem, & densitatem indebitam in se producit, donec ad naturalem statum redeat. idem accidit àèri qui à tergo proiecti existit, qui licet initio valdè rarus erat per concursũ tamen aliarum partium, quas ad se attrahit, procedente tempore valde condènsatur; vnde est quod dum ad debitam raritatem nititur reduci, magis, ac magis proiectum propellat. siue enim condensetur siue rarefiat semper versus proiectum se mouet; quatenus à reliquis partibus à tergo accurrent; bus impeditur ne in oppositam partem moueatur:

Instabis illa intensior qualitas raritatis, & 74
densitatis, quam in motu proiectorum habet Aèr, vel prouenit ei ab intrinseco, vel ab extrinseco: neutrum diri potest; ergo nulla. responsio. minor probatur: non ab intrinseco, quia est illi indebita, & violenta vt supponitur: alioquin non laboraret àèr eam à se excutere; neque ab extrinseco quia si illi proueniret ab extrinseco maximè à proijciente; sed hoc a nostris auctoribus non conceditur, quia sequẽtes Aristotilem & D.T. solum motum localem à primo mouente medium habere contendunt.

Re-

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google